





THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM.
VOLUM. IV.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM,

Continens libros erudite & operose per varias ætates scriptos, quibus illustrantur Græciæ veteris & viciniæ situs & geographia terræ marisque, rerum gestarum & fatorum historia, imperiorum & civitatum potentia, urbium & arcium descri ptio, locorum singularium notatio, regiminis liberi vel regii temperatio, belli ac pacis disciplina, judiciorum forma, magistratuum series ac jura, officiorum ac munerum dignitas & privilegia, hominum studiis aut honoribus memorabilium vita, templorum fabrica & leges, numinum publice privatimque cultorum copia, sacrorum instrumentorum multitudo ac figura, oraculorum notitia, simulacrorum insignia & proprietates, festorum cærimoniarumque solennia, dierum discrimina, ludorum publicorum privatorumque & legitimorum per urbes ac regiones apparatus sumtusque, vetitorum corruptela, & similia, quibus justa hominum societas consistit; item residua quædam sculpturæ Græcæ seu in vasibus seu marmoribus seu nummis; immensam doctrinæ ac rerum omnium varietatis materiam.

Quorum pars antehac edita, sed sæpe ex ipsorum auctorum chirographis vel aucta vel correcta, modo etiam brevibus notulis instaurata: nonnulla nunc primum in lucem prodeunt, per omnia Meursiana, ubi oportuit, Græcis etiam in Latinum translatis.

CONTEXTUS ET DESIGNATUS

AB

JACOBO GRONOVIO.

VOLUMEN QUARTUM.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



VENETIIS,

Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENT. SENATUS.

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ

S. P. D.

JACOBUS GRONOVIUS



XARAVI satis feliciter triteuchum meum, & venustæ olim Græciæ lineamenta quædam γνήσια, sive illa ex reliquiis Atticæ Pœcilæ arcessita exceperint lapides aut nummi & usque propagaverint, sive series Augustæa Martii Campi, antequam ab quarto Romæ tyranno disjiceretur, variis memoriæ custodiendæ adjumentis commissa nos instruxerit certe Græcis Romana jungendi semper cupidos, & utique Græcarum vel manuum vel meditationum artificia, reducere conatus sui. Nihil est quod pœniteat laboris. Nam quod caput fuit, hac spectaculi amœnitate oblectare potui illos patriȩ nostræ tres Vertices, quorum cura & imperio ager circa Corbulonis fossam ad speciem efflorescens ambulationem meam toties evocat. Neque etiam accidit ingrata opportunitas publicandæ sententiæ, quam imbiberam modo de nonnullis recens in notitiam revocatis, modo de aliis, quæ ultra sæculi spatium jactata erant agitataque non satis eleganter inter viros harum partium studiosos. Quæ dum sic enitebar, non vidi eodem momento me in majorem, an molestiorem? operam advocari, in quam tamen tempore procedente præcipitatum me sic deprehendi, ut emergere & subducere inopinanter intricatum nequiverim.

Ab ratione studiorum, quæ nunc sæculum vocatur, familiariter jactati sermones cogebant non reticere librario interroganti, & quo circa singula animo essem, pro amicitia declarare. Hæc quanquam satis crudo & incondito editu, tamen per quotidianas frequentationes, quibus juncti vivimus, nimirum repetita, altius intraverunt ejus pectus, quam aut ipse tunc suspicabar, aut postea mihi volupe fuit intellectu. Nam quum vix ab priore illa, quæ satis fervide pressit, opera prævidere inciperem aliquod exitus & hinc tranquillitatis solatium; homo noster propositi sui urgentissimus exactor, & pro deliberato decisoque fovens, quod nequaquam sedere incepisse credebam, negat sedulo effugere me posse, quin ad alterius operis & ferme pentateuchi accessionem (sic enim pæne collegerat ex iis, quæ per varias sermonum vices ex me & per alios similiter jactatis nominibus ac indicibus cumulaverat) parari & accingi me oporteret. Fatigabat me hæc denunciatio, ut quum ultimam manum a me his rebus impositam esse spectarem, vix primam admotam fuisse experirer. Tantum igitur absuit, ut adsenserim, ut contra deterrere conatus fuerim, & me utique immunem servare, qui plane non teneor desiderio ullo augendæ voluminum copiæ; multo minus eos libros, quos supponere oportet in omnibus bibliothecis satis abunde conspici, quibus propterea nec studia publica egent nec mentes doctæ illustrari amplius possunt. Ad implendum vero, quem quis sibi format, titulum, & ab eo sumpta ansa, convocare omnia, quæ alibi bene collocata sedent nec ipse auctor moveri voluit, atque etiam satis conspicue ad publicum usum consecrata, indecens nimium & fere pro sacrilegio judico. Accedebat aliud tædii instar, quod arbitratu mei unius consulere, atque universam hanc congeriem determinare non licebat. Tot enim aliunde consiliarii huc se & omnes me ignaro ingesserant, tot significationes intercesserant &

librarium meum quamplurium votis ac ſententiis placere cupientem & ſere ſuſpicantem, ne gracilitas hujus corporis non ſatis commode repleretur, faſcinaverant, ut quum magno opere caveri oporteret, ut tantum videretur ſalubriter hoc egiſſe, nihilque huic ſcopo incongruum immiſceretur, & in hoc thiaſo vir virum legiſſe appareret, deviantem fere ad quælibet intra modum decuſque difficulter continuerim. Ergo ſicut tenaciſſimam propoſiti mentem expugnare & avertere non valui; ita tandem quodammodo intelligere potui, quanquam nobis prope per Academias viventibus multiplex oriretur occaſio comparandi, quod vix per annos conſpicitur, non indecorum eſſe ut ſubveniretur longe agentibus & ſtudia tamen amantibus, ſi per libros liceret, habereturque bibliotheca, hoc eſt, operum ab eruditis viris elaboratorum congeries in unam Myconon coacta, nec jus modo eſſet, cui illuſtrando eſt infuſus Oceanus & univerſa uberrimorum fontium origo, aut tempora, quæ in Theſaurum comportata fulgerent.

Sic adactus & ab aliis quæ premebam averſus, ut his attenderem, veriſſimum deprehendi, quod ſæpe objectaveram, quidquid ſcilicet in hac parte tentaretur, id imperfectum nimis fore. Nihil enim Græcia ad Romam, cujus tamen exemplo Theſaurus parabatur. Hæc una urbs eſt, in cujus foro ſi te metatus fueris ac circumſpexeris, facile explices plurimam antiquitatum ejus partem. Illic animadvertens miliariam columnam deprehendas quemadmodum direxerit ac muniverit vias, iiſque lapidem, iſtum non tam longinquitatis ac ſpatii quam Romanæ dominationis ac territorii titulum, per tot ampliſſimas paulatim provincias promotum violentæ & invictæ legionis indicem, & hinc ubique eandem concordiam & conſuetudinem omnia obtinentem impoſuerit. Circa forum iſtud ſi te ſtatuas, nunc Capitolio eſcenſo patent itinera urbis, modus æquandorum tectorum, altitudo legibus compreſſa, faſtigiorum in templis majeſtas, augurum in arce augurantium litui, in area populi congreſſi comitia; modo ſi deſcenderis, videas tribunalia cum ſubſelliis, Roſtra libertatis prætorium & cuſtodiam, menſas argentariorum ac tabernas, Senatorum obverſantium nunc ſalutationes & clientelas, nunc ad curias digreſſum, diſcurrentes ad plurima auſpices, transſcriptiones in viros & eorum, qui modo prætextas inter templorum ſacrificia depoſuerunt, deductiones commendationeſque ad aliquem in cauſis regem ac primarium in dicendo virum; immo totum populum nunc ſequentem triumphales currus, nunc ob ſecundos reipublicæ caſus laureatum ac ſacra obeuntem, ludoſque per circos, theatra & amphitheatra ſpectantem, nunc in triſtibus & adverſis ad invidiam uſque Deorum ſordidatum & ſquallidum; hic funera & illorum laudationes. Quæ quidem omnia tam prompte componi queunt, ut ſe invicem ſequantur.

At Græciæ notitia quam orbis veteris partem non apprehendit? Neque enim continens ſe intra ſua litora, fere quidquid litoreum eſt, portionem ſui fecit. Hinc tam operoſa per libros ipſos octo Ubbonis Emmii potuit in ea excubare induſtria,ut in Græciæ antiquitatibus diſcas fere humanum genus,quod quantis voluminibus explicabitur? Quod ſi ipſam meram & ad inſtar peninſulæ poſt Illyrios & Macedonas porrectam in tria maria Græciam intelligas; illam vero rurſus componit numeroſum urbium corpus, velut certamine quodam & ſtudio diſſentientium,& ſicut ad eandem mentis humanitatiſque conformationem conſpirantium,ita in multa parte non

tantum ab longinquis, ſed vel ab proximis etiam abhorrentium. Perinde enim ut libertatis cura ſumma fuit, ita non eadem illius conſervandæ ratio; quin immo perpetua & moleſta diſciplinæ tam publicæ quam privatæ ac vivendi morumque diſconvenientia & adverſatio, item ſacrorum patriorum infinita immenſaque differentia viguit non modo per urbes, ſed vel per pagos, nemine ſe ad alterius formam aut arbitratum fingente, niſi arma expugnarent. Et quanquam Grçca volumina tum numeroſiora, tum locupletiora nobis remanſerint, minime tamen vel ſic accedere ad eam ſpem poſſunt, ut egregia ſingularum civitatium & quæcunque in illis ſcitu vel digna vel neceſſaria fuerunt, abundanter ſatis noſtro tempori exponant. Itaque quidquid hoc eſt (vides autem plurium inſignium virorum labores, vitæ ipſorum magna parte impenſa) fere manet intra trium vel quatuor urbium etſi eminentiſſimarum pomœria. Reliquas quæ tanto numero fuerunt, non niſi obiter conduci ſentias, ubi vel publica regionis cauſa ad conſilium aut ſocietatem armorum vocat; intus quid habuerint amœnitatis, aut quos muliebre ac virile ſecus in quacunque ætate exercuerit jocos vel ab majoribus introductos vel ab natura ſitus & aeris ſtatione traditos, qui quidem in tenuiſſimo quolibet oppido etiam ſupponi debent fuiſſe ſanequam multiplices, vix delibatur iſtorum aliquid. Et ſane tam occultis in loculis hærent hic illic abſconditi, ut colligi vix poſſe videantur, certe hominem ingenio potius ſuo intentum omnino abſterreant. Ego autem quæcunque illa ſunt, malo & ipſe, quantumvis etiam operoſa ſit hæc concurſatio, ab ipſis antiquis talia cognoſcere; in quibus ſemper eſt fecunditas quædam mirabiliter rigua, quam vel ex perfectiſſimis noſtrorum hominum collectaneis, quod ſentire & intelligere iſti nequeunt, qui ab juventute ad id formati non ſunt, & ut quilibet juvenis, qui ſe amat, idem agat, ſemper auctor ero. Attamen quidquid hoc vides ſtipendii, debuit a me exantlari.

In quo ut patior facile aliis ſua placere; ipſe ex omni voluminum huc pertinentium copia, quam aut adipiſci tunc aut ſperare licebat, non potui juſtiorem univerſæ hujus materiæ ordinem deſtinare illo quem vides, niſi fallor, ab ipſa rerum cauſa imperatum poſtulatumque, ut ipſe progreſſus demonſtrabit, ſæpe tamen repentino aliorum interventu infractum, iiſque internodiis articulos illius conciliantibus, ut pependiſſe omnia arbitrio variorum intelligas. Propterea poſt viros ipſos & frequentem eorum conventum, habes nunc ipſam regionem civitateſque, quas præcipue calcaverunt, & ex quarum ſitu ac connexu Græcia ſpectari poteſt, primo nude recognitas per Gerbelium Laurenbergiumque, mox admixtione rerum geſtarum & longæ hiſtoriæ complexu per Emmium conditas & rurſum everſas, atque ita multo geſtorum ſplendore illuminatas, ut ſic & in univerſum pateat amplitudo illarum, & ſingularum ſimul partium indoles ac differentia exiſtat. Gerbelianus quidem labor non tam ob doctrinam eligi meruit, quam cupidine Græciæ oſtendendæ crepuſculo hujus ſtudiorum reſtitutionis, qua & dixit aliqua & non dixit. Ipſa etiam brevitas monebat, ut inde ad ſpatioſiora pararetur ingreſſus. Utinam modo ſcribendi emendate cura magis anxia vel ipſum vel libellum hunc feciſſet jucundiorem! Cujus accedebat raritas quam maxima, ut vix jam nominari audias. Leges igitur, qui voles; & qui leges, relinques illi jugum Græciæ ab Cyro impoſitum, neque invidebis Laurenbergio id amplectenti tam vitioſum falſumque; neque fatigabis te in quæ-



rendo, vel quam Phocidis urbem vocet Butium, vel quid velit ſcribens *Ætoliæ ab occaſu Naupactus & Molycria, ut vides, ab occaſu Achelous fl.* Ætati aliquid donabis, & ex ſcribendi ingenio agnoſce ſtudiorummaturitatem, ac ſimul habe, quam memorat col. 32. Heſperum ſtellam Locrorum Opuntiis quoque placitam.

Laurenbergium quod attinet, illum nequaquam in Phocide ſic decuit invocare Muſas, quæ aut nullæ ſunt, aut certe illum non audierunt, qui tantopere ſe maculavit furtis Gerbelianis, quæ profecto Muſas conciliare nequeunt, & alioquin auxiliarem opem illis nullam ferunt. Nec tamen adduco judicia ab viris doctis de eo prolata minime quidem ſecunda. Hinc quanquam nonnulla ſubnotavi: tamen & illi & editori ejus relinques & *Pelleænſes* in præfactione, vel Achajam olim Ægialiam appellatam, quia *pleraque ejus pars litoribus eſt & Oceano propinqua*, perinde ut Grelotus in itinerario Conſtantinopolitano imprudentiſſime Oceanum Calcedonium antiquis appellatum ſupponere fuit auſus circa Thracium Boſporum ad Chalcedonem. Noli conſiderare totam urbem Athenas ipſi littori impoſitam, nullo murorum longorum conſpectu; quaſi duo loca Hygini in libro 1. de Regibus Athenienſium cap. XI. ab Meurſio citata conjunxiſſet in unum, quorum altero dicuntur filiæ Cecropis de Arce Athenienſium ſe præcipitaviſſe, altero ipſæ ſe in mare præcipitaviſſe; vel ut auctor Etymologici dicit Αἰγέα τὸν πατέρα Θησέως, κατακρημνίσαντα ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὴν θάλασσαν. quæ citantur ab Meurſio pag. 1108. atque adeo ipſum Aſty imminuiſſet mari. Hinc pro præclaro licet habeas, quod in Meſſenia ſcribit de urbe Mothone: *Mea autem conjectura nomen ſibi adſcivit a ſcopulo Mothon dicto*. Non ſecus ac Laurenbergio de ea re fuiſſet longa meditatio, ut lector iſtam derivationem de Laurenbergii ingenio intelligere debeat, quum ſint ipſa verba Pauſaniæ, & is in Meſſenicis dicat δόξῃ δὲ ἐμῇ δέδωκε τῷ χωρίῳ τὸ ὄνομα ὁ Μοθῶν λίθος, cui plane geminum vides, quod notavi pag. 51. de Pelopis inſula.

Itaque melius utroque aliquid & explanatius ſequi debeat, unde copioſa, imo plane integra lectori notitia harum terrarum & populorum in eis tanta cum gloria & admiratione olim florentium innaſci poſſet. Et id quidem ubertim præſtitit noſtro ævo propior & ſtudiorum varietate ac cultu ſicut inſtructior, ita celebrior Ubbo Emmius. Hoc igitur ita ſcriptum continens & per nobiliores ac cognitu dignas civitates deductum velut hiſtoriæ corpus non placuit diſcerpere, ſed auctori & materiæ id dare, ut ſibi prorſus relinqueretur connexum, & Latini hujus apparatus eſca imbueret φιλέλληνας ad ſequentia interius penetranda. Ille vero huc aprobatus fuit tanto cupidius, quod nactus eram exemplar, ut credebatur & videri poterat, ab ipſo aut filio ejus alibi auctum, illic correctum: quod bona fide ſcito fuiſſe adhibitum, & ſi placet, ab editione præcedente differentia frequens indicabit. Quum tamen ne ſic quidem expurgata eſſet ejus induſtria ab vario & incredibilem in modum multiplici ἀτοπίας genere, non dubitavi, quæ meo exemplari quondam adſcripſeram in legendo, hic illic ſubducere. Sed tanquam invidia quædam intercederet, quo minus no-

ſtra ad nitorem antiquitatis adſurgerent, ne ſic quidem omnia gloriari poſſunt nævos abactos eſse. Quid enim eſt, quod vides eum ſcribere pag. 177. Brundiſinos putari primam originem ſuam debuiſse Cnoſſiis Cretenſibus, aut Ætolis, Diomedis comitibus, quod vult Pomponius Mela? At iſte auctor in Brundiſii memoria ne tangit quidem Diomedis ſocios vel extrema linea: nec poſsum aliter decidere, quin ita manus ipſa ſcriptorem fefellerit, quum ſignare vellet Juſtinum vel Pompejum Trogum in libro XII. Sic videbis pag. 185. agnoſci ab eo & certe in priore editione flumen Fiternum, ubi procul dubio voluit ponere Tifernum. Ita neſcio an probaturus ſis conſtructionem pag. 190. qua ſcribit *Sarpedon a Patroclo Achillis amico, armiſque ejus tectus, & Patroclus invicem ab Hectore interempti* forſan copula ſupervacua. Quæ talia ſunt, ut vix vitari a nobis nimium debilibus queant, & hinc prudentem conſultumque lectorem flectentia ad illos ipſos fontes, unde hauſit & Emmius & quicunque ſimilia ſuſtinuerunt conari: quibus ego nequaquam intelligo quid bonæ mentis adfuerit, quum induſtriæ genus occupaverunt nihil aliud profecturæ, niſi ut ab quibuſdam ſua volumina legerentur potius quam antiqua quæ tamen unice ſciebant verſanda eſse ab illis, qui ſe & vitam ſuam omnem alicujus pretii æſtimant, nec univerſam volunt abjicere.

Sed pendeat quiſque ab ſe uno, & fruatur laboris ingenio, quo lubet. Quod certum eſt, verus & legitimus myſtagogus ad Græciæ penetralia reſeranda fuit ille huic urbi & Academiæ æternum memorandus *Joannes Meurſius*. Hic quum primordia hujus ſæculi lucubrando & inquirendo mirabiliter exornaverit docueritque, meretur in hoc ejuſdem exitu ad gloriam decantari & ſentire cum ipſo temporis proceſſu in annos venerabilior ſuos labores ſatis vitioſe (id enim generatim teſtor de libris tam vivente ipſo editis, quam per alios poſt mortem ejus) & ſparſim circumlatos nunc colligi ad ſanctius & conſpectius receptaculum, inque iis ingenium, ſapientiam, ac doctrinam, quæ voces ab Græcis inventæ, per Romanam interpretationem a nobis uſurpatæ, fatentur in Græcis inveſtigari naturam ſuam oportere, tempori ac poſteritati conſecrari. Hic enim eſt, qui vere docet, ac lectorem doctum reddit, ſi non utique ſua ſemper perſpicacia, certe ſubjiciendo oculis & memoriæ ea loca, quibus non poteſt non inhærere animus bene formatus, quum alii narratiunculas notitiæ cauſa leviter effuſas & vim internam non tacturas, nedum ſapientiæ aliquo comitatu ſuccinctas deducant. Et ita contigit, ut fere nihil ſit in univerſa Græcia, cujus illuſtrationem aliquam non iſte ex hoc Lugdunenſi Muſeo fertiliſſimi laboris antiſtes protulit. Unde quum fieri nequeat, quin permagna in hoc vetuſtatis Græcæ congeſtu debeat putari ejus ratio, immo niſi varium aliquid inſpargi placeret, prorſus unica; tum bene habet, quod unum illud omiſit, quo occupando placuit ſibi Emmius, ut vel Geographicos regionum ſitus fluviorumque limites vel chronicos rerum geſtarum annales ex auctoribus priſcis deſcriptos aut collectos & nihil ad Græcum ſalem ingeniumque collaturos, immo ab melioribus jam perfectos Latine corraderet.

Poſt peragratam igitur Græciam, ſive quam coerceret Ionium & Ægæum mare, ſive iſtam diviſam diſſipatamque per omnes mediterranei maris oras, ille adeundus erat, ut ſingulatim per partes in ea inſpicerentur quæcunque aut cognoſcendo neceſſaria aut utilia vel jucunda; quorum omnium caput ſtatui debet *Attica*. Hanc vir iſte Excellentiſſimus ita ſcri-

bendo circumivit, inſpexit & expoſuit oculis omnium, ut nullius Anaximandri alteriuſve πινακογράφυ color aut lineæ id melius facere potuerint; ſapienter arrepto agendi modo, quem res ipſa dabat ſimpliciſſimum, creberrime memorata in antiquis ſcriptis diviſione ejus per Δήμυς. Hæc pars operum ejus debuit idcirco præferri, ut e veſtigio ſequeretur, & ſapido prorſus nidore lecturi & ad priſca Græca noſcenda acceſſuri deſideria irritaret ac incenderet. Quibus Collectaneis impenſæ primum induſtriæ & abſolutæ quum gratulatus proculdubio in exitu fuerit auctor, deprehendit tamen ejus illam generis fuiſſe, ut tempore poſſet magis magiſque abſolvi augerique, &, ut ipſe loquitur, refingi. Unde velut gemina quorundam locorum editio provenit, quarum poſterior chirographo Meurſiano ſignata inſereret Reliqva Attica, nunc ut vides ſubjecta commode ſatis cuique loco. Adeo ipſe palam confeſſus eſt hujuſmodi per catalogum collectanea nunquam talia fore, quibus non identidem in hac ſtudiorum inſtauratione poterit aliquid per poſteros apponi, ſatiſque lætari debere, quod quis exemplo & exordio primo tale operandi genus conſecraverit. Itaque digniſſimus eſt hic labor, qui qualitercunque ab auctore progreſſus ſplendeſcat vel omnium lima. Quam egregiam quum paraviſſet, etiam admovit Jac. Sponivs Græciæ ſpectator, quod Meurſio non contigerat, unde non perinde fauſte ac ubertim ſatis ſingula provenerunt, non negligentiæ ejus, quam caligini humanæ ac fatiſcenti induſtriæ attribuenda. Utique non libri tantum veteres, ſed etiam rudera & marmora loquuntur ac nos inſtruunt. Video tamen his interpoſitum aliquid column. 435. non Sponio, quippe qui ſiluit, ſed magis Whelero attribuendum, qui aperit ſe ſcire illas inſcriptiones olim editas fuiſſe ab Fulvio Urſino. Rideas autem oportet, non offendas, ab illo Sponianorum Latino interprete, quem non novi, in tanta luce tibi notari mentionem *tribus Leonidæ*, vel *Ægidæ*, vel *Antiochidæ*, vel *Æantidæ*, vel *Oneidæ*, vel *Attalidæ*, vel *Hadrianidæ*. Non Latino, non Græco ſermoni iſta conveniunt. Sed ex eadem origine hæc prodeunt, unde col. 704. videbis Αχιλλιτίδας κριθάς verti *Achilliticum hordeum*, quaſi non alia eſſent illius proprii nominis derivativa. Sic neque video cur col. 694. Meurſius perrexerit in Suida citare Αναφλύσιος, quum omnia teſtentur illius demi nomen fuiſſe Ανάφλυςος. Etiam col. 696. in v. Αταλάντη, qui ab Strabone dicitur φώρων λιμήν, intelligitur Meurſio *Phoron portus*, ut vox iſta Græca illi fuerit habita in caſu primo ſingulari potius, quam genitivo plurali *furum*, quam ſententiam manifeſtius tenet ac tuetur col. 810. ſed ſine cauſa, & ab interprete Strabonis redditur opinor melius *furum portus*, ut alibi Κάπρυ λιμὴν, Κανθάρυ λιμήν. Etiam in iſto mox allegato loco ipſe credidit fuiſſe Δῆμον, ſed ex qua dignitate eum expulit Sponius. Porro quia col. 773. ſubnexa eſt inſcriptio, cujus partem Sponius explicuit, finem neglexit, apparet in ultimo verſu debere ſuppleri ΒΗΣΑΙΕΩΣ ut ſic reſtituatur mentio illius δημότυ, cujus tres modo inſcriptiones illic proferebat Sponius. In qua etiam vix probari poteſt ſupplementum Sponii Στρατιγήσαντος ἐπὶ τὸν Πειραιέα, utque ita notetur *Gouverneur du Piree*. Hoc ſcio voces illas proximas ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΟΠΛΙΤΑΣ requirere verbum ΣΤΡΑΤΗΓΗΣΑΝΤΟΣ, prout apud Plutarchum legimus Διοκλέα τὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας ςρατηγήσατα citatum ab Meurſio in v. Μελίτη, quod & alibi ocurrit.

Ex hac igitur oberratione ac latitudine agri Attici (neque enim etiamdum ad mare exſpatiari libet) ad caput tandem ac clariſſimum lumen ejus

accedere oportuit, ipſam primariam urbem, libertatis primo ſuæ & ſororum glorioſam adjutricem, mox amplitudinis & imperii valentiſſimam dominam, atque ideo dignam, quam ſpectatum ingrediantur omnes, accurato duce MEURSIO, prout illum duxit Pauſanias, nec ut illic vilium hominum habitacula repetantur, ſed loca æternis monumentis ſignata, ſed illorum, ὅσοις τι ὑπῆρχε καὶ ὧν τις λόγος εἰς δόξαν, ut illi dicebant. Ingredere modo Athenas iſtas; tot illic numinum nomina, altaria, tot miracula deprehendes, ut hanc vero Deorum urbem ſedemque fuiſſe dixeris; tot heroum vel ſtatuas vel alios honores, ut ab Virtute perpetuo afflari inſiderique contigerit; tot pulcherrima inſtituta, ut ab ipſa Modeſtia conditas adſeveres. Quæ etſi oculis jam videre nequeas, refert tamen vel auribus accepiſſe, ipſa tam ſera memoria te ad ſtuporem commotura. Non tamen hoc cœlum eſt, nec ubique ſimplex & perſpicua lux. Dubitare prorſus non decet, quin aſperſa his ſint nonnulla, quæ abeſſe poterant. Me quidem ſicut hi libri plurimum juverunt, ita non pigror edere, quæ ipſe annotavi.

Hic quod vides tentari lib. 1. cap. 3. in verbis Vitruvii *Athenis porticus eſt Eumenici, patriſque Liberi fanum*, ut pro eo ſcribatur *porticus eſt Mercurii*, ſatis audaci modo, videtur diſplicuiſſe Sponio: quippe qui tom. 1. itinerarii pag. 126. non Eumenicum modo & porticum ejus cognoſcit, ſed etiam reliquias adſignavit, & cui operæ deſtinata fuerit, large prorſus exſequitur; & ſi ſicut ipſe nominat nullum, ſic neque ego facile ediderim, quo auctore iſta ſic diſtribuat. Id ipſum ne in hac parte Achaten ſuum dereret, placuit quoque Whelero pag. 431. ubi tamen vitioſe editur *de reſtes du Portique de Eumenes*, quum diverſus ſit Eumenicus ab Eumene.

Præter mentem certe auctori videtur excidiſſe lib. 1. cap. 5. ante Zenonis porticum fuiſſe ſtatuas Solonis & Lycurgi, quod poſterius nomen repetitur etiam in verſione Latina, quum pro Lycurgo Græca ibi ponant Seleucum, qui non debet inde amoveri.

Sed hic ſiſtere paululum decet. Nam quod antea tetigi in volumine de populis Atticis, ut quacunque etiam diligentia uſus fuerit auctor, utique tamen aliqua omiſſa deinde intellexerit; idem certe in hoc opere etiam evenit. Quum enim iſta ſic notaviſſem, veniunt in manus meas Inferenda, ut appellat ipſe auctor, ad librarium miſſa ab Viro Clariſſimo, cujus comitas tum omni ſtudiorum generi probata, tum vel præcipue in his Meurſianis expoliendis adjumento & uſui maximo fuit, Joanne Georgio Grævio, chirographo Meurſii deſcripta, in quibus eundem hunc errorem ab ſe animadverſum ita corrigi atque etiam in lemmate poni voluit. Cæterum quoniam illa tardius accepta nequiverunt ſuis locis commode inſeri, permittes, lector, ut huic parti ea admiſceantur, quum ſint non multa.

Col. 835. verſ. 39. poſt *Artaphernem*, adde: Sed Miconem pugnam Marathoniam pinxiſſe inde certum eſt, quod, barbaros in ea pugna cum pinxiſſet grandiores, ideo in jus vocatus fuerit. Ecce enim apud Sopatrum in Diviſ. Quæſt. Μετὰ Μαραθῶνα Μίκων ὁ ζωγράφος τοὺς βαρβάρους γράψας μείζους τῶν Ἑλλήνων, κρίνεται. *Poſt Marathonem Micon pictor cum barbaros majores Græcis pinxiſſet, reus agitur.* Col. 861. verſ. 11. poſt *Lyceo*, adde: *Themiſtius* Orat. 1. Φιλοσόφου δὲ οὐδέν τι μεῖον ὁ λόγος εὐέχει, κἂν ὑπὸ πλατάνῳ λέγηται μόνῃ, κἂν τεττίγων ἀκροωμένων. *Philoſophi vero nihilo deterior eſt oratio, ſive ſub platano habeatur ſola, ſive cicadis audientibus.* Col. 863. verſ. 32. poſt *perveniret*, adde: Et Eridani etiam Eubulus in Nannio fabula, apud Athenæum, lib. XIII.

—— οἵας
Ηριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κητόλ'ει κορας.
——*quales*
Eridanus puris aquis abluit virgines.

Col. 874. in lemmate cap. x. verſ. 26. dele *Gorgiæ Leontini ſtatua aurea*, & mox in ipſo capite col. 875. verſ. 4. omnia iſta *In hac ara* &c. uſque ad verſ. 12. *Erat porro*: unde & in indice rerum juſſit eadem deleri. Hæc igitur qualiacunque feres accepta fidæ Viri Præſtantiſſimi cuſtodiæ & benevolæ ad hæc juvanda prolixitati.

Sic libro I. cap. x. potuerat abſtinere Perſei nomine in colligendis caſibus Olympii Attici & Livii verba ad iſtum regem non trahere, quum ex Vitruvio haberet regem Epiphanem Antiochum.

Libro II. cap. IV. ſcribit in principio ab Pauſania duos fluvios commemorari, *qui per Urbem labebantur*. Similiter in Ceramico col. XIV. Callirhoe erat *ad Iliſſum flumen, quod per Urbem profluebat*. Quum nec Pauſanias, nec ulla alia loca in iſto capite citata illud declarant: ſed inde removeatur & ex illis & ex verbis manifeſtis Strabonis lib. IX. pag. 400. quorum partem advocat capite ſequente prorſus huc opportuniſſimam Ἰλισσὸς ἐκ θατέρου μέρους τοῦ ἄστεος ῥέων, plane non intra urbem illum recipientibus: immo etiam libro III. cap. 8. & 10. adducat verba Dicæarchi Athenas deſcribentia ἡ δὲ πόλις ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος. Et in Ceramici principio advocatur locus Pauſaniæ, unum modo fontem in urbe fuiſſe teſtantis, quum putei complures ac paſſim reperiantur, de quo ibi plura in capite XIV. & apud Whelerum pag. 396. & 406.

Sed neque convenire videntur libro II. poſita cap. VI. quaſi via Τρίποδες dicta offerret ſe deſcendenti a Prytaneo, quum in locis omnibus illic appoſitis nullum appareat veſtigium deſcenſionis, quæ illuc ducat. Interpres Latinus Pauſaniæ quidem ita interpretatus fuit: *E Prytaneo in viam deſcendas quam Tripodas appellant*. Sed id ab Pauſania omnino non dicitur in illo loco. Cæterum pag. 31. quum loquutus fuiſſet de Prytaneo, additur: Ἐντεῦθεν ἰοῦσιν ἐς τὰ κάτω τῆς πόλεως, Σαράπιδός ἐστιν ἱερὸν. Itaque verſus Sarapieum procedentes videri quodammodo deſcendere ait Pauſanias (unde & Sponius II. pag. 142. colligit de Olympio, *qu'il eſt en la partie baſſe de la ville en deſcendant du Prytanee*) non verſus Tripodum ab numero ita dictam viam; nec lib. I. cap. 8. adeſt quidquam de excelſo ſitu Pritanei. Porro quod conjunctim abſolvit in fine ejus columnæ, ſcilicet prope Prytaneum eſſe templum Bacchi, ubi ſatyrus ſit pocillator ejus & in ejus templi ambitu geminum delubrum fuiſſe totidemque ſigna Bacchi, aut ego in his nihil intelligo, aut templum, in quo ipſe cum pocillatore iſto fuit, longe aliud ac diverſum ab poſteriore, quia prius illud erat non procul ab Prytaneo, alterum dicit ipſe Pauſanias fuiſſe πρὸς τῷ θεάτρῳ ſatis accurate per Meurſium hic notato ac poſito ſane in remota admodum regione ab Prytaneo; neque ullus, qui de theatro memorat, mentionem facit Prytanei, quaſi quod vicinum illi ac junctum eſſet, aut vice verſa; tum id fuit ἀρχαιότατον, cui propterea vetuſtate cedere debuit illud, quod non longe ab Prytaneo fuit.

In eodem capite agens Meurſius de ſtatuis theatrum ornantibus citat Pauſaniæ verba, atque etiam ipſe Latine redidit, quaſi generatim dixiſſet οὐδεὶς ὢν ποιητὴς τῆς ἐς δόξαν ἡκόντων, quum neceſſario retineri debuiſſet integer Pauſanias ποιητὴς κωμῳδίας τῆς, ut patet ex appoſitis, ac bene reſpexit in paraphraſi ſua Sponius tom. II. Itiner. pag. 126.

Ca-

Capite VII. quod sequitur, quoniam illustratur illa sive Γῆ sive Δημήτηρ Κυροτρόφος, quam repetit cap. 28. Cecropiæ & de Regibus Athen. II. I. consultum judicavi ejus velut statuam revocare ex thesauri Brandeburgici principio, sive intelligatur illa ipsa, quam solenniter cultam & qui-




dem peculiaribus ritibus docet ibi Meursius, sive una ex Nymphis, quas ab alimonia infantum Curotrophas nominari scribit Servius ad Eclogam postremam. Itaque ut vere matrem se exhiberet Δημήτηρ videntur cultores ejus id voluisse, ut monstraretur aliquid in sinu gestans fovensque, quales hi sunt pueruli. Et eodem consilio ab Cerere Attica quam depinxerunt Sponius & Whelerus, gestari in sinu leonem opinor.

Ejusdem lib. cap. IX. quum dixisset Antigonum ut in potestate sua Athenienses retineret, præsidio imposito, communivisse Museum, ut testatur Pausanias in Laconicis, addit: *Idem postea etiam Demetrius fecit, ejus filius*. In quibus magna aberratio. Nam Antigonus, de quo illic agit Pausanias, in Laconicis, intelligitur ille Gonatas, hostis Pyrrhi, ut clare ibidem patet. At vero Demetrius intelligitur Poliorcetes, qui profecto filius fuit Antigoni Asiæ regis & primi successoris Alexandri, non vero Macedonici vel Gonatæ, quippe ejus erat pater. Sic quoque citatio Zygomalæ facta in capite XIII. ad monstrandum Pantheum conferri debet cum notatis ab Sponio tom. II. pag. 114. & 139.

Libro autem III. cap. 9. quum Meursius laudet turrim marmoream octogonon Andronici Cyrrhestæ ex Vitruvio, vel horologion ex Varrone, prout auctorem utrumque adducit, miror Jac. Sponium tam diligenter stu-

diosum nominando Meursio, ubi arguere aliquid in eo constituit, in hoc citare utrumque istum autorem suppressa mentione & laude primi, qui junxit, nostri Meursii, sed post Scaligerum, illud *Cyrrhestes* in notis ad Varronem ex Vitruvio confirmantem. Etiam ante has Athenas Atticas Adr. Behotius hos ventos ex Vitruvio consideraverat libro II. Apophor. cap. 8. Itaque hoc Atheniense octogonum unum ex illorum picturis dignum judicavi, quod in has Athenas restituerem visui; neque enim reli-




qua tanti sunt. Fuit vero istud simile columnæ, cujus in fragmento circa portum Cajetæ invento testatur Capaccius libro II. Neapol. pag. 596. exstitisse nomina ventorum ΛΙΨ, ΛΙΒΟΝΟΤΟϹ, ΝΟΤΟϹ, ΕΥΡΟϹ deinde Latinos characteres AFRICVS, AUSTROAFRICUS, AUSTER, EURUS, SUBSOLANUS. Et Vitruvius quidem formam operis causamque civicam enarravit, prout se haberet. Et potuit exacta eorum observatio fuisse necessaria Atticis tum ob alias causas, tum ob agriculturam, unde ex Aristotele citavit supra in populo Θρία Meursius, οἱ δὲ ἐκ τῆς θαλάττης Νότοι, ἀγαθοὶ φυτοῖς καὶ τῆς Αττικῆς τῷ Θριασίῳ πεδίῳ. Sed tamen vix dubitari potest, quin adfuerit simul aliquid superstitionis, usitatæ Atticis etiam in ventis, unde caute agens Sponius II. 117. scribit *la Tour ou le Temple des Vents*. Hinc enim illa curiosa ànnotatio vel Demonis statuentis Ventos esse Tritopatoras, vel auctoris, qui physicum Or-

phei composuerat, credentis eos esse θυρωρὺς καὶ φύλακας τῶν ἀνέμων, ut servavit Suidas. Hinc βορεασμοὶ ab Hesychio celebrati Ἀθήνησιν οἱ ἄγοντες τῆς βορέᾳ ἑορτὰς καὶ θοίνας ἵνα ἄνοτοι πνέωσιν. Hinc & ὁ τῶ Νεοκλέυς Ἀθηναίυς ἐδίδασκε θύειν τοῖς πνεύμασιν apud Ælianum lib. VII. Animal. cap. 27. Hinc notæ fuerunt Proclo lib. II. in Timæum αἱ τῆς διδιεινῶν ἀνέμων εὐχαὶ παρ᾽ Ἀθηναίοις. Denique & aram ventorum agnoscit circa Sicyonem Pausanias & anniversarium nocturnum sacrificium.

Porro vides ab ipso auctore (etsi alium is in edendo servavit ordinem) si non præscribi, certe monstrari seriem voluminum istorum digerendorum, dum Cecropiam suam incipiens statuit Græcia tota primas Athenas, & in illis arcem excelluisse. Hanc propterea post istas recognoscas oportet. Inqua me offendisse fateor in cap. XIII. ubi κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν in Pausania ab Meursio vertitur *flumen producens Neptunus*, meliusque videtur reddidisse istius scriptoris interpres *undam*. Sic in capite XIX. adhibetur locus Strabonis omnino male habens de Hegesia dicente Ορῶ τὴν ἀκρόπολιν, καὶ τὸ περὶ τῆς τελαίνης ἔχει τι σημεῖον. Quas voces in Latinum redactas vides, ut poterat fieri. Sed nulli commodo est verbum illud ἔχει, & legi debuerat καὶ τὸ περὶ τῆς τριαίνης ἐκεῖ τι σημεῖον *& signum istud circa tridentem*.

In Capite XXII observavit Auctor Eruditissimus fragmentum Philochori ab Dionysio custoditum, & inde memoriam notabilem aræ Jovis Hercæi sub olea in Pandrosi templo renovans semper mansuram, undiquaque illustrare conatus fuit, idque repetit cap. 32. Quam si vivam oculis subjecero, opinor eam allaturam sic aliquid utile, Meursioque & huic Thesauro servituram. Hanc nimirum exhibet præclara gemma illa Thesauri Brandeburg. p. 224. unde vides cur apposita sit fœmina longe aliter illic



ſpectata; ſi modo arbor haberi olea aut μορία poteſt.

Capite XXX. citatum locum Himerii Απαιτήσω Ξέρξlω ἀντὶ τῆ θαλλοῦ τῆ θεοῦ κατὰ τlὼ ἀκρόπολιν τρόπαια κατὰ μὲν Ποσειδῶνος, ὁ θαλλός· κατὰ δὲ τῶ βαρβάρων, ἡ πλάτανος, non intelligo unde Meurſius ita potuerit interpretari *Exigam a Xerxe pro Minervæ olea platanum; ut tropæa ejus deæ in arce duo conſpiciantur: de Neptuno, olea; de Barbaris, platanus.* Res ipſa loquitur.

Cæterum in hoc etiam ſcripto habe, quæ inſeri poſt editionem deſideravit Meurſius. Columnæ 915. verſu 47. poſt *cupiunt* inſere, *crebris tunc oleaſtris ſeptam*. Col. 916. verſu 21. poſt *illos*, adde: Habitationis ſub Hymetto meminit Strabo lib. IX. Μετ' ἐκείνων ἐξέβαλον μὲν τοὺς Πελασγοὺς εἰς Αθlωας, ἀφ' ὧν ἐκλήθη μέρος τι τῆ πόλεως Πελασγικόν. ᾤκησαν δὲ ὑπὸ τῷ Υμηττῷ. *Cum illis ejecerunt Pelaſgos quidem Athenas: a quibus & urbis quædam pars Pelaſgicum eſt dicta. Habitarunt autem ſub Hymetto.* Col. 921. ad finem ipſum capitis IX. adde: Meminit Lactantius lib. I. cap. XXII. ac Polyænus lib. VIII. Col. 923. verſu 43. poſt *exertæ* adde: Ariſtophanes Avibus dicit fuiſſe centum ulnarum magnitudine

——— ἐναντίω δύ' ἅρματι
Ιππων ὑπόντων μέγεθος ὅσον ὁ Δούριος.
Τὸ δὲ μῆκος ἐστι. καὶ γὰρ ἐμέτρησ' ἄν τ' ἐγὼ
Εκατοντόργυιον ———

Dedicaverat autem Chæredemus, Euangeli filius. Docet ſcholiaſtes Comici, ad citatum illum locum. Οὐ πιθανόν, κοινῶς λέγειν αὐτόν, ἀλλὰ τοῦ χαλκοῦ, τοῦ ἐν ἀκροπόλει. ἀνέκειτο γὰρ ἐν ἀκροπόλει Δούριος ἵππος, ἐπιγραφlὼ ἔχων. Χαιρέδημος. Εὐαγγέλου, ἐκ Κοίλης, ἀνέθηκε. *Non eſt veriſimile, eum communiter loqui; ſed de æneo, qui in arce. Erat enim in arce equus Durius, cum inſcriptione iſta: Chæredemus, Euangeli filius, e Cœle populo oriundus, dedicavit.* Col. 927. in lemmate capitis XV. verſu 3. poſt *accurate* adde: *Dionis Chryſoſtomi &*. Ejuſdem col. verſ. 51. poſt *ſurripuiſſet* adde; Quæ totidem verbis occurrunt apud eumdem in Ομοιον. Syneſius in Calvitii Ecomio. Ομοιον εἰ καὶ Φιλέας Ανδοκίδlω. ἱεροσυλίας ἐγράψατο, ὥσπερ οὐκ αὐτῆς ὢν ὁ τῆ θεοῦ τὸ Γοργόνειον ἐξ ἀκροπόλεως ὑφελόμενος. *Perinde id futurum erat, ac ſi Andocidem Phileas ſacrilegii reum appellaſſet, quaſi non ipſe ex deæ ſimulacro, quod in arce, caput Gorgonis ſurripuiſſet.* Eſt nimirum hic ipſe locus, quem utrobique tranſſcripſit Suidas, Syneſii ſuppreſſo nomine. Col. 928. verſ. 55. poſt, *inſculpſit*, adde: Sed ſcribendum ſine dubio, Περικλέα δὲ, καὶ αὑτόν. *Periclem vero, & ſe ipſum.* Ibidem verſ. 66. poſt *confunderetque*, adde: Videndus idem, ſive eſt Nicolaus Damaſcenus, lib. De mundo, cap. VI. Ac de Phidiæ quidem effigie, ita Cicero, Tuſcul. Quæſt. lib. I. *Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Minervæ, cum inſcribere non liceret.* Quod ad artificium clypei, atque ejus item diſſolutionem, huc reſpectum ab eodem Cicerone, in extremo Oratore. *Si quos magis delectant ſoluta, ſequantur ea ſane, modo ſis, ut quis Phidiæ clypeum diſſolverit, collocationis univerſam ſpeciem ſuſtulerit, non ſingulorum operum venuſtatem.* Col. 929. verſ. 7. poſt, *factum eſt*, adde: Scholiaſtes Ariſtophanis, ad Pacem. Υφείλετο τὸ χρυσίον ἐκ τῶν δρακόντων τῆ χρυσελεφαντίνης Αθlωᾶς. *Suſtulit aurum e draconibus Minervæ auro-eburneæ.* Col. 933. verſ. 46. pro *ſignum*, ſcribe *ara*. Col. 935. verſ. 62. poſt, *conſpexere*, adde: *Libanius, in Oratione Antiochica.* Καὶ γὰρ ἐκείνlω (de hac Minervæ olea loquitur,) ἐπῆλθε μὲν τῷ πυρὶ Ξέρξης, ὅτ' ἔφθειρε τὴν Αθlωαίων ἀκρόπολιν· δευτέρᾳ δὲ ἡμέρᾳ, βλαστὸν ἀνέδραμεν εἰς πῆχυν ἐκ τοῦ κεκαυμένου. *Enimvero illi oleæ Xerxes ignem admovit, cum Athenienſium arcem vaſtavit: poſtridie vero, pullulavit ſurculus, altitudine cubiti, ex ambuſto trunco.* Col. 940. verſ. 56.

poſt, *Cecropis*, adde: *Theodoretus*, *Therap. lib.* VIII. Καὶ γὰρ Ἀθήνησιν, ὡς Ἀντίοχος ἐν τῇ ἐννάτῃ γέγραφεν ἱστορίᾳ, ἄνω γε ἐν τῇ ἀκροπόλει, Κέκροπός ἐστι τάφος, παρὰ τὴν Πολιοῦχον αὐτήν. *Athenis autem, ſicut libro nono Hiſtoriarum refert Antiochus, in ſuperiori arcis parte, Cecropis ſepulcrum eſt, juxta ipſam Urbis præſtitam.* Col. 947. v. 1. poſt erant adde: Sed & lexabolita iſta, & talenta hæc arrepta poſt acceptam in Sicilia cladem maximam, viceſimo anno belli Peloponneſiaci, qui erat quartus Olympiadis XCI. ut eſt videre apud Thucydidem, in ejus temporis enarratione, l. VIII. Καὶ νομίσαντες (οἱ Ἀθηναῖοι) μέγαν ἤδη καὶ σαφῆ, τὸν κίνδυνον σφᾶς περιεστάναι, καὶ τοὺς λοιποὺς ξυμμάχους οὐκ ἐθελήσειν, τῆς μεγίστης πόλεως μεθεστηκυίας, ἡσυχάζειν, τά τε χίλια τάλαντα, ὧν διὰ παντὸς τοῦ πολέμου ἐγλίχοντο μὴ ἅψασθαι, εὐθὺς ἔλυσαν τὰς ἐπικειμένας ζημίας, τῷ εἰπόντι, ἢ ἐπιψηφίσαντι, ὑπὸ τῆς παρούσης ἐκπλήξεως, καὶ ἐψηφίσαντο κινεῖν, καὶ ναῦς πληροῦν μὴ ὀλίγας. *Exiſtimantes autem, (Athenienſes,) magnum jam, ac manifeſtum, periculum ſe circumſtare; neque cæteros ſociorum quieturos, poſt defectionem maxime urbis, illa mille talenta, quæ per totum belli tempus intacta eſſe cupiebant, confeſtim, propter præſentem conſternationem, abrogata lege, quæ pœnas irrogabat ei, qui vel de his attingendis verba feciſſet, vel aliorum ſententiam ſuo ſuffragio confirmaſſet, movenda, naveſque haud paucas inſtruendas, decreverunt.* Col. 949. verſ. 34. poſt, *Hippolyti mala*, adde: *Diodorus Siculus, lib.* IV. Μικρὸν δ' ὕστερον Ἱππολύτου ἐπανελθόντος εἰς τὰς Ἀθήνας πρὸς τὰ μυστήρια, Φαίδρα, διὰ τὸ κάλλος ἐρασθεῖσα αὐτοῦ, τότε μὲν ἀπελθόντος, ἱδρύσατο ἱερὸν Ἀφροδίτης περὶ τὴν ἀκρόπολιν. *Nec multo poſt vero reverſo Athenas Hippolyto ad myſteria, ob formam amore ejus capta, poſtquam id temporis diſceſſiſſet, Veneris templum in arce ſtatuit.* Ibidem verſ. 40. poſt *dicunt*, adde: Templum ipſum, Ἱππολύτιον appellatum. Scholiaſtes Homeri, ad Odyſſ. λ'. Φαίδρα δὲ, ἐρωτικῶς διατεθεῖσα τοῦ Ἱππολύτου, σφοδρῶς ἐπ' αὐτῷ τηκομένη, τὸ μὲν πρῶτον ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Ἀθήναις ἱδρύσατο, τὸ νῦν Ἱππολύτιον καλούμενον· *Phædra autem, Hippolytum amans, cum vehementer contabeſceret, primo quidem Athenis fanum Veneris ſtruit, quod nunc Hippolytium dicitur.* Col. 954. verſ. 22. poſt, *dabant*, adde; Oracula ibidem adſervata; donec Cleomenes, Piſiſtratidis ejectis, Spartam abduxit. Herodotus lib. V. Ἔτι δὲ πρὸς τούτοισι ἐνῆγον σφέας οἱ χρησμοὶ, λέγοντες· πολλά τε καὶ ἀνάρσια ἔσεσθαι αὐτοῖσι ἐξ Ἀθηναίων, τῶν πρότερον μὲν ἦσαν ἀδαέες, τότε δὲ, Κλεομένεος κομίσαντος ἐς Σπάρτην, ἐξέμαθον. ἐκτήσατο δὲ Κλεομένης ἐκ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλιος τοὺς χρησμοὺς τοὺς ἔκτητο πρότερον οἱ Πεισιστρατίδαι. ἐξελαυνόμενοι δὲ, ἔλιπον ἐν τῷ ἱρῷ· καταλειφθέντας δὲ, ὁ Κλεομένης ἀνέλαβε. *Præterea oraculis urgebantur denuntiantibus multa ipſis, atque atrocia, ex Athenienſibus futura, quorum antehac ignari fuiſſent; ſed tunc, cum Cleomenes ea Spartam adduxiſſet, intellexerunt. Etenim oracula illa nactus eſt ex arce Athenienſium, a Piſiſtratidis antea poſſeſſa; qui exacti, in templo illa reliquerunt, ac relicta in Cleomenis poteſtatem pervenerunt.* Ibidem verſ. 44. poſt. *Deliorum inſulam*, adde; Et cauſam addit in vita M. Antonii: ubi eum cum Demetrio comparat. Οἱ μὲν γὰρ ἱστορικοί φασι, καὶ τῆς ἀκροπόλεως ὅλης εἴργεσθαι τὰς κύνας, διὰ τὸ τὴν μίξιν ἐμφανῆ μάλιστα ποιεῖσθαι τοῦτο τὸ ζῶον. *Quippe ferunt Hiſtorici, tota arce prohiberi canes, quod in publico potiſſimum hoc animal coeat.* Ibidem verſ. 58. poſt, *arcem aſcendit*, adde: Semel tantum toto anno, ad ſacrificium neceſſarium, adducebatur. Varro, De Re Ruſt. lib. 1. cap. 11. *Sic factum, ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde ut capite darent pœnas; contra, ut Minervæ caprini generis nihil immolarent, propter oleam: quod eam, quam læſerit, fieri dicant ſterilem: ejus enim ſalivam, eſſe fructuis venenum. Licinius, (ait,) hoc nomine Athenis in arcem non inigi, præterquam ſemel, ad neceſſarium ſacrificium: ne arbor olea, quæ primum dicitur ibi nata, a capra tangi poſſit.* Col. 956. verſ. 14. poſt, *futurum*, adde: Lucretius, cauſam eam negat, & naturæ loci adſcribit, lib. VI.

Est & Athenæis in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,
Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cum fumant altaria donis:
Usque adeo fugitat non iras Palladis acres,
Pervigilii causa, Grajum ut cecinere poetæ;
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.

Et hactenus Meursiana manus.

Erat & alius locus partim monumentis rerum illic gestarum sacratis, partim per solennia ibidem peragenda admodum conspicuus & memoratus, Ceramicus nomine; de quo quum plurima egregia & notabilia etiamnum exstarent in libris vetustorum scriptorum, non potuit se eximere doctissimus MEURSIUS, quin de isto etiam tum relegeret filum Pausaniæ ductu continuo circumeuntis, tum ista occasione congereret quæcunq; obvia.

His capite III. inserit locum Æliani ex libro VI. Var. hist. cap. I. quem debeo nunc tangere ideo, quia ibi narratur Athenienses potitos Chalcide divisisse illius urbis agros εἰς τεσσαράκοντα κλήρους. Nunquam potuit videri mihi Chalcis tam fuisse tenuis, ut tantum quadraginta nobilium hominum patrimonia, aut tot sortes, commodas ad alimenta possessorum, habuerit, quum fuisse validissimam ac ditissimam constet. Et Cl. Schefferus quidem notat historiam petitam esse ex Herodoti Terpsichore. At apud eum capite 75 dicuntur illic Attici reliquisse τετρακισχιλίους κληρούχους in prædia Ἱπποβοτέων, ea scilicet divisione facta, ut quisque κληροῦχος dicendus acciperet talem κλῆρον quæ ipsi ad familiam alendam simul sufficeret. Hæc vero immensa diversitas numerorum. Itaque sicut nescio unde iste numerus evenerit Æliano, ita publicare cogor in optimo & præstantissimo omnium codice MS. Mediceo legi εἰς δισχιλίους κλήρους numero, ut mihi videtur quidem, conveniente magnitudini Chalcidis, quippe quæ tot magnificos & tantarum opum cives habuit, ut inde duo millia patrimoniorum possent effici, in quæ totidem submitterentur κληροῦχοι. Atque ita dimidiatus numerus ab Atheniensibus fuit missus in agros harum duum millium sortium; ita ut altera pars aut in agro sacro operas & simul victum haberet, aut conductos ab publico agros levi mercede coleret.

Cap. XI. loci Demosthenis in Neæram versionem petiit prima editio ex Wolfiana interpretatione, quæ est imperfecta prorsus. Neque enim illic agitur de actione dotis, sed ait Demosthenes λαχόντος αὐτῷ σίτου δίκην. Itaque σῖτον plane omitti vides, & actio fit de alimentis ex dote.

Cap. XIV. nescio ubi in Suida, quem redarguit, legerit locum istum ita concinnatum ferme ex Harpocratione & Hesychio ibidem citatis Δωδεκάκρουνος Ἀθήνησι κρήνη, ἣν ἔνιοι Ἐννεάκρουνον φασὶν ἄλλοι δὲ Καλλιρόην καλοῦσι. Sane postrema quatuor verba nulla sunt in editione Porti. media modo hæc leguntur κρήνη, Θουκυδίδης ἐννεάκρουνον. Ubi etiam nescio quæ illa cura fuerit edentium in Hesychii loco τῶν δὲ τυράννων οὕτως αὐτοῦ σκευασάντων, quum in Hesychio rectissime & necessario legatur οὕτως αὐτὴν σκ. η. κρήνην.

Capite XVII. refert ex Philostrato statuas duas Lolliani sophistæ Athenis positas, quæ mihi videntur eximie illustrari ex itinerariis Sponii & Wheleri, in quibus uterque notant in Cecropia se vidisse in porticu templi Minervæ cippum cum hoc titulo. ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗ Λ. ΕΓΝΑΤ. ΟΥΙΚΤΟΡΑ ΛΟΛΛΙΑΝΟΝ ΑΝΤΙ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΤΕ ΚΗΔΕΜΟΝΙΑΣ ΤΩΝ ΑΘΗΝΩΝ ΤΟΝ ΡΗΤΟΡΑ. Quum alium Messium Egna-

tium Lollianum in Italia celebrent Miscellanea ejusdem Sponii pag. 129.

Capite XXI. occurrit sive ab Meursio, sive aliunde, certe progressus ex priore editione modus interpretandi ultra quam credi potest infícetus, dum verba Hesychii Καλλίςη ἡ Θήρα τὸ πρότερον, redduntur Latine *Pulcerrima venatio prius*, quum debuisset *Calliste*, *prius* dicebatur *Thera* insula; prout in libro I. de Regibus Atheniensium cap. IX. *Itaque errores Eusebii satis manifestum feci*: quis non dolens legat?

Sed neque intelligo quid velit in fine capitis XXV. quum ab eo scribitur, *Et Mercurius apud Hesychium* Καταιβάτης Διὸς ἱερόν. Quæ sunt arenæ sine calce.

Sic igitur post regionem locis quoque eximiis perlustratis, abeundum est ad antiquissima ejus monumenta, quorum ante omnia conspici debet summum regimen, cujus occasione in urbem & cives introducta est certa indoles, unde omnia reliqua manaverunt; præsertim quum ita comparatum sit, ut Cecropias non solum insidere voluerint Reges Atheniensium, sed morem eundem sequuti semper & ubique fuerint alii prorsus omnes. Itaque nihil est, quod Cecropiæ vicinius justiusque apponi poterat Regum Atheniensium catalogo & factis laudabili cum labore per eundem MEURSIUM collectis. His vero non possunt non adhærere Archontes, altera pars temporis Attici, & successio dominationis regiæ, nec minus notabili rerum gestarum cursu gloriosa, ad cujus propterea illustrationem se quoque excitavit idem MEURSIUS, opere inprimis diligenter adhibito & universas Græciæ antiquitates tangente; cui idcirco libenter ex ejus ipsius chirographo hanc accessionem, certe perpetuam testem continuatæ ab Meursio etiam post illos editos industriæ, dabo & apponam.

Col. 1147. vers. 37. post, *vicit*, adde: *Athenæus lib.* IX. Καίτοι καὶ ὁ πρῶτος τῶν τὰ Ὀλυμπιάσιν ἀγῶνα ἀναδησαμένων Κόροιβος ὁ Ἠλεῖος μάγειρος ἦν. *Quamvis etiam primus eorum, qui ob certamen Olympiis coronati sunt, Corœbus Eleus coquus esset*. Col. 1155. vers. 12. post *anno primo*, adde.: Sed in XV. Olympiadem refert etiam Hesychius, in Ζώσατο. Κατὰ γὰρ τοὺς Ὁμήρου χρόνους οὐδέπω γυμνοὶ ἠγωνίζοντο, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πεντεκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος. *Nam Homeri temporibus nondum nudi certabant, sed ab quintadecima Olympiade*. Col. 1158. vers. 37. post, *Archontes*, adde: καὶ Ἀθηναίοις Τλησίας ἦρχεν. *Et Atheniensium archon erat Tlesias*. Hæc verba festinans typotheta omiserat. Col. 1162. vers. 70. post, *Orphanorum*, adde: Et conductionis pignus exigebat a conductoribus. Suidas, in Ἀποτιμηταί. Οἱ μισθούμενοι τοὺς τῶν ὀρφανῶν οἴκους παρὰ ἄρχοντος, ἐνέχυρα τῆς μισθώσεως παρείχοντο. ἔδει δὲ τὸν ἄρχοντα πέμπειν τινὰς, ἀποτιμησομένους τὰ ἐνέχυρα· *Qui orphanorum domos ab archonte conducebant, pignora mercedis præbebant: oportebat vero archontem mittere aliquos pignora æstimaturos*. Col. 1164. vers. 28. post, *patriciis*, adde: Sopater in Hermogenem Ἐν Λακεδαίμονι μὲν οἱ βασιλεῖς Ἡρακλεῖδαι, ὁποῖοι ἂν ποτε ὦσιν· Ἀθήνησι δὲ, οἱ ἄρχοντες ἐξ εὐπατριδῶν, κἂν Ἴρου μὲν πενέστεροι, Φαλάριδος δὲ ἀδικώτεροι, καὶ ὠμότεροι. Col. 1166. vers. 33. post, *consequeretur*, adde: Erat autem illud jam Plutarchi ævo, qui sub Trajano vixit. Ecce verba ejus, in Præc. Polit. Δίκαιον γὰρ, ὑπὸ τῶν μειζόνων κοσμουμένους ἀρχῶν, ἀντικοσμεῖν τὰς ἐλάττονας. καὶ τῶν μὲν βαρυτέρων, οἷον στρατηγίας Ἀθήνησι, καὶ πρυτανείας ἐν Ῥόδῳ, καὶ Βοιωταρχίας παρ' ἡμῖν, ὑφίεσθαί τι καὶ παρενδιδόναι μετριάζοντα. Col. 1169. vers. 54. post, *priore*, adde: tradit. Atque recte Suidas in Ἀρίων dicit: Γέγονε κατὰ τὴν λη' Ὀλυμπιάδα. Col. 1172. in lemmate cap. XIII. vers. 4. post, *archon*, adde: auctor Chronici Alexandrini emendatur. Col. 1173. vers. 67. post, *Philippo*, adde: Meminitque ejusdem Clementis loci auctor Chronici Alexandrini: sed corrupte illic editur ἐπὶ τῆς μδ' Ὀλυμπιάδος. pro, ἐπὶ τῆς μη' Ὀλυμπιάδος. Col. 1179. in lemmate cap.

III. verſ.4. poſt, *lucta*, adde: Eubœam quando Athenienſes oppugnarint. Col. 1180. verſ. 15. poſt, *ſolo*, adde: Sub eodem Athenienſes Eubœam oppugnarunt. Scholiaſtes Ariſtophanis, Veſpis. Πέρυσι γὰρ, ἐπ' ἄρχοντος Ἱππάρχου, ἐστράτευσαν (οἱ Ἀθηναῖοι) ἐπ' αὐτὴν, (τὴν Εὔβοιαν) ὡς φιλόχορος. Col. 1198. in lemmate cap. XVIII. verſ. 1. poſt, *victoria*, adde: *ejuſque Scholiaſtæ locus emendatus*. Et mox, verſ. 22. poſt Aphidnenſis, adde: Sed corrupta illic verba ſic reſtituo: Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ, ἔτει δευτέρῳ. Col. 1199. verſ. 53. poſt, *dicta volui*, adde: Eodem archonte Phrynis cytharœdus ludis Panathenæis vicit. Suidas. φρύνις, κιθαρῳδὸς, Μιτυληναῖος. ὃς ἐδόκει πρῶτος κιθαρίσαι παρ' Ἀθηναίοις, καὶ νικῆσαι Παναθήναια, ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος. Non recte Anonymus, in Deſcriptione ſua Olympiadum, refert in illius Calliæ magiſtratum, qui fuit Olymp. LXXV. anno I. Quod non poteſt eſſe rectum. ſiquidem Pericles, qui certamen Muſicum primus in Panathenæis inſtituit, ut oſtendo in Panathenæis meis, cap. X. eo tempore ad remp. nondum acceſſerat. Itaque eſt anticipatio annorum XXIV. Col. 1201. verſ. 11. poſt, *Lyſimachydes*, dele, *poſt quem*, & ſcribe. Sub hoc, miſſis a Pſammeticho, Ægypti rege, frumenti medimnis quadragies mille, facta eſt inquiſitio civium: de qua Plutarchus, in Pericle; & Scholiaſtes Ariſtophanis, ad Veſpas. Lyſimachidem ſecutus eſt. Col. 1204. verſ. 19. poſt, *dedit*, adde: Corruptus quoque ille ipſe, in Vita Comici. Ψηφίσματος γάρ γενομένου χορηγοῦ, ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν τινὰ, &c. Reſcribo. Ψηφίσματος γὰρ γενομένου Μορυχίδου, ὥστε μὴ ὀ. κ. τ. Fertur autem decretum illud factum fuiſſe ab Antimacho. Scholiaſtes idem alibi ad Acharnenſes. Ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος. Col. 1205. verſ. ult. poſt, *tradunt*, adde: Sub Antilochide, Chalcidenſes ab Athenienſibus defecerunt; teſte Diodoro Siculo, lib. XII. At Scholiaſtes Ariſtophanis, Equitibus, ſub Euclide id factum ait: qui nimirum archon fuit Olympiadis LXXXVIII. anno II. Ἀπέστησαν δὲ ἀπό Ἀθηναίων Χαλκιδεῖς ἐπί Εὐκλείδου ἄρχοντος. Col. 1206. verſ. 58. poſt, *tertius Euripides*, adde: Item Medeam. Ariſtophanes Grammaticus, in Argumento ejus fabulæ. Ἐδιδάχθη (ἡ Μήδεια) ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος, κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. Col. 1208 in lemmate cap. IV. verſ. 7. poſt, *naſcitur*, adde: *Ariſtophanes quando primum fabulas ediderit. Anonymi, in Deſcriptione Olympiadum, & Scholiaſtæ Ariſtophanis, error.* Ibidem verſ. 10. poſt, *reſtitutus*, adde: *item Suidæ. Babylonii Ariſtophanis quando acta*. Col. 1209. verſ. 2. poſt *juxta quoſdam*, adde: Sunt &, qui tunc Ariſtophanem fabulas primum edidiſſe per Calliſtratum commemorent. Anonymus, in hoc ipſo Olympiadis hujus anno, & archonte. Ἀριστοφάνης πρῶτον ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου. Et Scholiaſtes Ariſtophanis, in Prolegomenis περὶ κωμῳδίας. Ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοτίμου διὰ Καλλιστράτου. Ubi obiter obſerva, quod Philotimum archontem, non Diotimum, appellat. Sed tunc primum fabulas ſuas edidiſſe Ariſtophanem, anne verum? Non exiſtimo. Nam jam Acharnenſes dederat, cum Euthymenes archon eſſet: uti ſupra a me oſtenſum, hujus libri cap. I. Col. 1029. verſ. 36. poſt, *repræſentat*, adde: Sed omnino verum nomen eſt, Euclees, non Euclides. Suidas, in Σαμίων ὁ δῆμος. Τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κδʹ, ἐπὶ Εὐκλέους. Ita enim ibi ſcribendum, pro ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κά. Nam hinc ad Euclidem archontem, qui fuit Olymp. XCII. anno II. anni ſunt viginti quatuor. Obſerva autem, hoc archonte Babylonios edidiſſe Ariſtophanem. Col. 1210. verſ.41. poſt *Theantum*, adde: ſub hoc ab Braſidam defeciſſe Scionæos, refert Comici Scholiaſtes e Philocoro, ad Veſpas.

Φιλό

Φιλόχορος ἐπὶ Ἰσάρχου φησὶ, πρὸ ἐνιαυτοῦ Βρασίδαν ἀποστῆναι Σικιωνεῖς τῶν Ἀθηναίων. At Diodorus Siculus, ſub Amynia factum dicit, anno ſequenti. Vide eum, lib. XII. Ibid. verſ. 52. poſt, *Conno*, adde: Et alibi, in ipſis Scholiis Πρὸ τούτου δὲ, Ἴσαρχος. ἐφ' οὗ αἱ Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν. Col. 1211. verſ. 13. poſt, *ad Lenæa*, adde: Sub hoc archonte diem ſuum obiit Cleon. Scholiaſtes Ariſtophanis, ad Nubes, Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου. Sed Androtion, biennio poſt defunctum dicit, cum Alcæus magiſtratu fungeretur. Idem Scholiaſtes illic. Ὁ μέντοι Ἀνδροτίων, ἐπὶ Ἀλκαίου φησὶ, τοῦ μετὰ Ἀμεινίαν, τὸν Κλέωνα δυσὶν ὕστερον ἔτεσι τεθνάναι τῆς τῶν Νεφελῶν διδασκαλίας. Sed ſcribendum eſt ejus nomen, per ι non ει Ecce tibi apud Ariſtophanem, in Nubibus.

Τρεῖς μναῖ διφρίσκου, καὶ τροχοὶ Ἀμυνίου.

Ubi Scholiaſtes. Τὸν ἄρχοντα διασύρειν βουλόμενος, τῇ ἐκείνου προσηγορίᾳ ἐχρήσατο. τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμινίας, Προνάπους υἱός. Ἐκεῖνον οὖν ἐπισκῶψαι θελήσας, παρέτρεψε τὸ ι εἰς τὸ υ, καὶ παρεγραμμάτισε γελοίως. Ἐπεὶ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὁ νόμος ἐκώλυε τὸν ἄρχοντα κωμῳδεῖν, Ἀμυνίαν δὲ αὐτὸν εἶπεν, ἀντὶ τοῦ Ἀμινίαν. Col. 1212. verſ. ult. poſt, *Athenis*, adde: Sub hoc mortuum Cleonem ex Androtione refert Scholiaſtes Ariſtophanis. Vide quæ notata mihi paulo ante, ſub finem capitis quinti hujus libri. Col. 1214. verſ. 45. poſt, *natum fuit*, adde. Itidem eſt apud Heſychium. Ἑρμοκοπίδαι, οἱ περικόψαντες τοὺς Ἑρμᾶς Ἀθήνησιν, ἐπὶ Ἀειμνήστου ἄρχοντος, τοῦ Πελοποννησιακοῦ ἐνεστῶτος πολέμου. Etiam illic reſcribendum, Ἐπὶ Ἀριστομνήστου ἄρχοντος. Col. 1216. verſ. 7 poſt, *ſolitario*, adde: Sub hoc ſtatuæ Mercuriales ſunt truncatæ; ut eſt videre apud Diodorum Siculum, lib. XIII. Qui crimini huic obnoxii erant, Ἑρμοκοπίδαι appellati, morti addicti, & proſcripti, propoſito in ſingulorum capita talento. Scholiaſtes Ariſtophanis, Avibus. Εἴη δ' ἄν τι συμπεπραχὼς τοῖς Ἑρμοκοπίδαις ὁ Πισίου· οἵτινες, ὥς Φιλόχορος φησὶν ἐπὶ Χαβρίου θανάτῳ τε κατεγνώσθησαν, καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐστηλιτεύθησαν, καὶ τῷ κτείναντι κατ' ἄνδρα ἐκηρύχθη τάλαντον. Heſychius vero, ut oſtendi, ſub Ariſtomneſto archonte, qui hunc Chabriam præceſſit, factum memorat. Vide eum, in Ἑρμοκοπίδαι: & pro Ἀειμνήστου, ſcribe Ἀριστομνήστου: ut jam monui. Col. 1218. verſ. 65. poſt, *Ranarum*, adde: qui & corrigendus, ejuſdem fabulæ Act. I. ſc. I. ad iſta verba. Τί γὰρ ἐγὼ οὐκ ἐναυμάχουν; πρὸς τοὺς χρόνους· ὅτι τῷ προτέρῳ ἔτει, ἐπὶ Ἀντιγένους. Male editur, ἐπὶ Ἀντίνου. Meminitque ejus iterum, Act. II. ſc. VI. Xenophon. Hiſt. Græc. lib. I. Παντακλέους μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δ' Ἀντιγένους. Col. 1219. verſ. 36. poſt, *Cleophonte*, adde: Sub eodem nummus æneus cudi cœptus. Scholiaſtes Ariſtophanis, Ranis, Act. II. ſc. VI. Δύναται ἂν καὶ τὸ χαλκοῦν λέγειν. ἐπὶ γὰρ Καλλίου, χαλκοῦν νόμισμα ἐκόπη. Col. 1233. verſ. 47. poſt, *archonte*, adde: Sub hoc in claſſes diſtributi Athenienſes. Harpocration, in Συμμορία. Διῃρέθησαν δὲ Ἀθηναῖοι κατὰ συμμορίας ἐπὶ Ναυσινίκου ἄρχοντος ὡς φησὶ Φιλόχορος, ἐν τῇ πέμπτῃ. Ἀτθίδος. Totidem verbis etiam Suidas, in eadem dictione: item Auctor Etymologici. Col. 1240. verſ. 42. poſt, *Euſebius*, adde: Sed Cephiſodotus iſte Athenæo dicitur Cephiſodorus, lib. IV. Εὑρίσκω δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος Ἀθήνησι γενόμενον. Col. 1253. verſ. 34. poſt, *Anonymus*, adde: Nicodori autem mentio eſt apud Plinium, lib. III. cap. V. *Theophraſtus, qui primus exterorum aliqua de Romanis diligentius ſcripſit, pluſquam & fama, Circeiorum inſulæ menſuram poſuit ſtadia octoginta, in eo volumine, quod ſcripſit Nicodoro, Athenienſium magiſtratui*. Col. 1258. verſ. 48. poſt, *diſcuſſus eſt*, adde: Quæ totidem verbis Freculphus, Tom. I. lib. VI. cap. VI. niſi quod mendoſe illic hactenus editur; *a Periclito prætore*. Corrige: *ab Heraclito prætore*. Col. 1262. ad finem capitis adde: EPICRATES. Cicero filius, in Epiſtola ad Tironem. *Multum etiam mecum eſt Epicrates, princeps Athenienſium*. Dicitur illi *princeps*, qui Ἄρχων Athenienſibus SUNIADES. Ly-

ſias, in Oratione Areopagitica, de ſacro olivæ trunco. Φησὶ δὲ ὁ κατήγορος, ἐπὶ Σουνιάδου ἄρχοντος σηκὸν ὑπ' ἐμοῦ ἐκκεκόφθαι. THEAGENES. Suidas. Θεαγένης, Ἀθηναῖος, ἄρχων, φιλότιμος ἀνὴρ, καὶ μεγαλοφυής. POLYCHARMVS. Cicero, ad Atticum, lib. v. epiſt. xi. *Cum Patron mecum egiſſet, ut peterem a veſtro Areopago,* ὑπομνηματισμὸν *tollerent, quem Polycharmo prætore fecerant.* SCAMANDRIVS. Andocides, in Oratione Περὶ μυστηρίων. Ἀναστὰς δὲ Πείσανδρος, ἔφη, Χρῆναι λύειν τὸ ἐπὶ Σκαμανδρίου ψήφισμα, καὶ ἀναβιβάζειν ἐπὶ τὸν τροχὸν τοὺς ἀπογραφέντας. MYRONIDES. Ariſtophanes, Concion. ——————ἀλλ' οὐχί, Μυρωνίδης

Ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας, οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα
Τὰ τῆς πόλεως διοικεῖν, ἀργύριον φέρων.

Denique, in Indice Archontum, inſere ſuis locis. *Epicrates.* IV. 20. *Myronides.* IV. 20. *Philotimus.* III. 4. *Polycharmus.* IV. 20. *Scamandrius.* IV. 20. *Theagenes.* IV. 20.

Hæc ille addi voluit, & merito digneque. De me ſi quæris, fatebor me dolere lib. II. cap. 4. in loco Pauſaniæ verba περὶ τὰς πηγὰς τὰς καλουμένας τῆς Μεγαρίδος ab eo verſa eſſe *circa fontes,* (quum ſit loci nomen) etſi ex imitatione interpretis Latini; ſed bene notati ab L. Holſtenio ad Stephanum: perinde ut libro I. de Archontibus cap. 4. in loco Pauſaniæ Πισαῖοι δὲ ἐφειλκύσαντο αὐθαίρετον συμφορὰν ultimam vocem reddidit *collationem,* quum exprimat *calamitatem.*

Ejuſdem libri capite x. col. 1078. miror quid litiget cum Strabone, qui dixerit de Ione primum eum civitatem in quatuor tribus diviſiſſe, quum id Cecrops primus fecerit; quum Strabo id non dicat in verbis antea ibi citatis ὁ δὲ πρῶτον μὲν εἰς τέσσαρας φυλὰς διεῖλε τὸ πλῆθος Illud enim πρῶτον non dicitur reſpectu Ionis, qui primus fecerit, ſed reſpectu ejus, quod is ipſe fecit poſtea, εἶτα εἰς τέσσαρας βίους. Col. 1183. vides citari locum Pauſaniæ, unde pateret Crotonienſibus multum juris fuiſſe in Junonem, quæ illic cognominatur Λακεδαιμονία. Ex quibus prius eſt optime notum in ipſa urbe habuiſſe eos ædem illius Deæ; ſed poſterius de cognomine prorſus obſcurum, ut inde oporteat licetaque dubitare, an Pauſanias non ſcripſerit παρὰ τὴν Ἥρᾳ τῇ Λακινίᾳ, quod tu, docte lector, judica, cui & hoc & cætera mandare malo, nullus dubitans, quin ab his perlectis diſcedens ſis agniturus te præſtanti Meurſianæ eruditionis liberalitate perquam devinctum; ſed qui non alio modo reddi ſibi abs te gratias ſpectat, niſi ut te coneris ſimillimum ipſi reddere, & iſtum ſtudiorum florem nitoremque & hic in patria, & ubicumque locus vitæ tuæ aſſignabitur, conſervare. Has & ipſi optatiſſimas & tibi utiliſſimas experieris. Mihi ita enarraviſſe ſufficit, cur ex emittendis velut in circo quadrigis hæc pars potiſſimum occupare debuerit. Utinam ita vincat, ut hinc majorem in reliquas nihil ab hac deſciſcentes exſpectationem derivet, eaſque velit eſſe palmæ participes. Vale & fruere, Lugduni ad Rhenum Idibus Septembr. cIↃ IↃc XCIX.

SERIES
SCRIPTORUM
Quæ in volumine quarto Thesauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.



NICOLAI GERBELII

IN

GRÆCIÆ SOPHIANI

DESCRIPTIONEM

EXPLICATIO,

IN QUA DOCETUR, QUEM FRUCTUM, QUAMQUE VOLUPTATEM ALLATURA SIT HÆC PICTURA STUDIOSIS, SI DILIGENTER EAM CUM HISTORICORUM, POETARUM, GEOGRAPHORUMQUE SCRIPTIS CONTULERINT.

EGREGIIS ATQUE GENEROSIS


ADOLESCENTIBUS,

DO. WILHELMO ET OTHONI,

COMITIBUS AB EBERSTEIN, DOMINIS SUIS PLURIMUM OBSERVANDIS,

NICOLAUS GERBELIUS

S. P. D.



ON possum non ex animo gratulari vobis, elegantissimi Comites, his vere felicibus temporibus vos genitos esse, quibus una cum pietate, omnes bonæ literæ in summum culmen, summumque decus pervenerunt: in quibus multi præclari homines, juventutem in omnibus liberalibus doctrinis diligentissime erudiunt; ut fere nullus sit vicus, nullum oppidudulum, nulla civitas, quæ non habeat excellentes aliquos honestissimorum studiorum professores. Quod si Philippus Macedo vir non bellica solum laude, sed etiam literis insignis, tantopere lætatus est, Aristotelis summi philosophi ætate natum fuisse filium suum Alexandrum: quanto majore gaudio & plausu gestire debet optimus parens vester Wilhelmus, quod hac tempestate, qua vobis nasci contigit, non unus tantum, sed prope innumeri Aristoteles passim saluberrimis præceptis, & in omni literarum cognitione adolescentes instituant. Merito igitur gratulor vobis, generosi Comites, atque id multis nominibus. Cum enim familiæ vetustate, tum etiam industria & probitate clari sitis, hanc generis nobilitatem, vitæ innnocentiam, optimis artibus reddere cupitis illustriorem. Deinde cum in proborum hominum consuetudine plurimum sit adjumenti, in hoc rectissime incumbitis, ut optimus ac doctissimus quisque vobis sit familiarissimus. Solent enim eorum, quibus cum vivimus, mores facillime nobis adhærescere: qui si boni fuerint, honestos quidem & beatos efficiunt: si mali, improbos & miseros. Nam præclare Ælianus (ut alia multa) lib. IV. *Var. Hist.* cap. XVI. *Si quis cum Callia societatem ineat*, φιλοπότην *eum Callias faciet: si cum Ismenia, tibicem erit: si cum Alcibiade, superbus, &* ἀλαζών: *si cum Crobylo, coquus: si quis vero Demosthenì se applicaverit, eloquentia præstabit: si Epaminondæ, rebus bellicis: si Agesilao, animi robore; si Phocioni, bonitate: si Aristi justitia: si Socrati, sapientia:*

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studii fœdera quisque sui.
Rusticus agricolam, milles fera bella sequentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

Itaque pulchre & prudenter Cercidas, Arcas genere, cum jam extremum vitæ suæ finem imminere sibi intelligeret, convocatis ad se

amicis & familiaribus ſuis, in hunc prope modum locutus eſt, *Non ſine ingenti gaudio morior, amici, quod ſperem me hac vita exutum, cum ſapientiſſimis viris confabulaturum, utpote inter Philoſophos cum Pythagora: inter Hiſtoricos cum Hecatæo: cum Olympo, inter Muſicos: inter Poetas, cum optimo Homero. Atque his dictis, tanta in ſpe & gaudio animam efflavit:* Apud eundem Ælianum *ibid.* lib. XIII. cap. XX. Atqui inter vivos, inter amicos eruditione & virtutibus excellentes mutua familiaritate & gratia frui, ea demum lætitia, omnes delicias, omnem voluptatem animi ſuperat. Neque video veteribus Philoſophis, aut quibuſvis aliis doctrina præcellentibus, aliud quicquam accidiſſe jucundius, ſive gratius, quam ſi quando in doctorum hominum cœtus vocarentur, ſi mutuis diſſertationibus & dies & noctes inter ſe tererent. Quod ingenue Horatius Flacus fatebatur, cum ei apud Sinueſſam Plotius, Varius & Virgilius, candidiſſimæ animæ, occurrerent, ita enim exclamat, ſat. V. lib. I.

O qui complexus, o gaudia quanta fuerunt?

Sic etiam Ovidius temporis ſui coluitque fovitque Poetas. *Quotque aderant vates, rebar adeſſe Deos.* Eudoxus ille e Gnido inſula, geometer & aſtrologus celebris, cum reſciviſſet in Sicilia apud Dionyſium commorari Platonem, confeſtim eo conceſſit, ut audiret tantum philoſophum, & cum eo atque cæteris, qui tum apud Dionyſium degebant, de comunibus ſtudiis commentaretur. Erat enim eo tempore Sicilia doctorum hominum commune quoddam diverſorium. Eundem in modum Anacharſis Scytha, relicta quondam feroci & barbara patria, Athenas urbem ſine dubio doctiſſimam & eruditiſſimam petivit, atque Solonem, cujus tum leges in honore & precio erant, convenit. Data & accepta ſalute, rogat hominem, ut in amicitiam ipſum ſuſcipiat. Solon per puerum reſpondet, ut potius repetita Scythia patria ſua, illic amicos quæreret. Anacharſis philoſophiæ fiducia fretus, ſubjecit admodum urbane: *Tu igitur Solon, quoniam in patria tua es, mecum amicitiam inito.* Solon hoc reſponſo oblectatus, in vitæ ſtudiorumque communionem hoſpitem recepit. Tum inter ſe, ut par erat, duo ſapientiſſimi homines, varios contulere ſermones, de religione utriuſque gentis, de moribus, de legibus præcipue, de virtutibus, de variis vivendi generibus, de officiis omnibus: qualis Scytharum, qualis Athenienſium eſſet Reſpublica, de naturis rerum, de Geometria, de motu cœleſtium orbium: breviter, de toto mundo. Nonne jamdudum & vos, nobiliſſimi Comites, deſiderium audiendi hos duos egregios philoſophos invaſit, de tam gravibus & jocundis rebus tanta cum ſuavitate & illecebra diſputantes? Sed enim nihil mirum, ſi philoſophus cum philoſopho, ſapiens cum ſapiente, de ſtudiis, deque philoſophia, philoſophetur. Illud admiratione dignum, Reges, Imperatores, bellorum duces, imo & Tyrannos alioqui a Muſis atque literis alieniſſimos, ſepænumero cum eruditis viris conſuetudinem habuiſſe. Atque, ut hinc incipiam: Divus Auguſtus doctiſſimus Princeps, adeo Vergilium, poetarum omnium optimum, amavit, ut nunquam a ſe

tri-

triſtem, nunquam cum repulſa paſſus ſit diſcedere. Denique lucubrationum Vergilii adeo ſtudioſus fuit, ut cum modeſtiſſimus Poeta, divinam *Æneida* ex teſtamento cremari juſſiſſet, optimus Princeps reſtitit, ac elegantiſſimis verſibus cavit, ne divinum opus flammis aboleretur. Neque vero Vergilium tantum Octavius eo favore & animi bonitate complectebatur, ſed & reliqua ingenia ſeculi ſui modis omnibus fovit: recitanteſque carmina, hiſtorias, orationes, dialogos, benigne ac patienter audivit. O admirandam clementiam, o facilitatem immortalitate dignam, & nobis & Principibus omnibus imitandam. Quid, quæſo per Gratias, tali Principe magnificentius, qui inter tam gravia, & vere civilia bella, inter tot imperatorias occupationes, ipſa ſtudia, ſtudiorumque profeſſores nunquam deſeruit? Ut vere illius Majeſtas & armis & literis fuerit decorata. Numerianus Cari filius, & Probi Imperatoris ſucceſſor, ævi ſui Poetas magna benevolentia, ſummiſque honoribus proſecutus eſt: cum quibus, & verſibus tanta alacritate ſtudioque certavit, ut elegantia & concinnitate carminis, omnes, in primis autem Olympium Nemeſianum, & Apollinarem, ea ætate celebres Poetas, longiſſime ſuperaverit. Erat olim (ut dicere cœpi) hæc animi magnitudo in Regibus, hæc manſuetudo & humanitas, ut nihil illis jucundius eſſet, quam in ipſis caſtris & inter armorum ſtrepitum, bellicum horrorem, literarum lenitate, & ſtudioſorum hominum colloquiis mitigare. Sic Alexander ille Macedoniæ rex, qui rerum a ſe geſtarum magnitudine, etiam hodie Magni nomen retinet, cum victor in Indiam penetraſſet, cum Indorum ſapientibus multifarias & eruditione plenas diſputationes habuit, inter quas præcipue illæ fuiſſe memorantur: An ne plures ſint mortui, vel vivi: An dies noctem præceſſerit, aut contra: Quo pacto quis maxime a ſubditis poſſit amari: An ne ratio iniri queat, qua quis Deus cenſeatur. Has atque alias hujuſcemodi jucundiſſimas quæſtiones mira induſtria, & ſingulari ſolertia, Hymnoſophiſtæ diluebant. itaque magna cum gratia eos a ſe Rex, literarum & humanitatis ſtudioſiſſimus, ablegavit. Gieron Syracuſarum rex (urbs ea fuit Siciliæ omnium pulcherrima; & opulentiſſima) homo φιλέλλω, ac ſtudiorum amantiſſimus, perpetuo apud ſe habuit Simonid. Cœum, Pindar. Theban. & Bacchylid. poetas Lyricos. quorum convictus & familiaritas incredibilem commoditatem attulit Hieron. Cum enim gravi & diuturno morbo tabeſceret, horum poetarum lepidiſſimis confabulationibus ab ægritudine fuit liberatus. Tantas in ſe utilitates habet bonorum eruditorumque hominum conſuetudo: tam commode & ſancte vivitur, ubi ſeſe virtute præditi conſociaverint. Quapropter Philippus, cujus ſupra mentio habita eſt, aliis multis laudibus & hanc adjunxit, quod in amicitiam ſuam clariſſimos viros aſciverit: Platonem, Theophraſtum, & Abderitam Democrit. Quinetiam & Ariſtot. in tanta veneratione habuit, ut ingenti donatum pecunia, ad inveſtigandas animalium naturas a ſe dimiſerit. Quæ liberalitas Philippi, quantum univerſo orbi profuerit, vel ipſæ de Animalibus reliquiæ ſubtiliſſimi philoſophi ſatis ſuperque teſtantur. Hipparchus Athen. nulla alia re ſubortam de ſe Tyrannidis opinionem & famam ſopivit, quam eruditorum virorum ſocietate. Nam Anacreont. poetam, ex Teo inſula, miſſa ad ipſum pentecontoro navi, ad ſe accerſivit. Simonidem illum inter domeſticos amicos habuit, eumque multis muneribus donavit. quæ non gravatim Simonides, utpote poeta φιλοχρήματος, accepit. Hoc exemplo Hipparchus Athenienſes ſuos ad ſtudia

atque virtutem trahebat, ne videlicet ipse solus sapiens esset, sed etiam doctis & sapientibus imperaret. Itaque optimi adolescentes, atque generosi Comites, quoniam hoc nostro vere beato seculo multi doctissimi passim homines reperiuntur, quorum amicitia & necessitate mutua commodissime uti poteritis, e re vestra fuerit, tot gravissimorum Principum exempla sequi: qui cum essent sapientiæ studiosi, omni dignitate & gratia bonarum literarum doctores sunt prosecuti. Quamvis autem innumera sint, & fere infinita studiorum genera (nam quot capitum vivunt, totidem studiorum millia) nullum tamen aptius magnis ingeniis ac Principibus esse contenderim, quam Geographicarum rerum & Historiæ cognitionem. Quæ cognita adolescentibus ut ingentem gloriam, ita neglecta ignorataque a senibus, perpetuam adfert & ignominiam & contemptum. Ad hanc gloriam, ad hanc honestissimam exercitationem ut vos excitarem, *Isagogen de Græcia*, nobilissima quondam natione, & ex qua omnis literarum claritas ad nos pervenit, quam superioribus mensibus congessi, vobis ornatissimis Comitibus dedicare volui, ut significationem aliquam summæ erga vos observantiæ meæ haberetis. Tum quoque, ut hoc qualicunque scripto, animi mei gratitudinem erga clarissimos Heroas & observandos Dominos meos Wilhelmum patrem, & Bernhardum patruum vestrum testarer: quorum in me multa cum extent amplissima benefacta, æquum fuit, tot benemeritorum non oblivisci. Deus Opt. Max. adaugeat, & ad justam maturitatem deducat feliciter (ut auguror) cœpta studia vestra: quorum aditus tametsi difficiles, & radices amaræ sint, nihil tamen dubito fructus dulcissimos, vobisque olim gratissimos futuros. Argentorati, ex nostris ædibus. Cal. Junii, Anno a Christo nato, M.D.XLV.

REGIONUM DESCRIPTARUM
NOMINA.

Attica.
Bœotia.
Megaris.
Phocis.
Locri.
Ætolia.
Acarnania.
Amphilochi.
Epirus.
Cassiopæi.
Thresproti.
Chaonia.
Macedonia.
Thessalia.
Phthiotis.
Doris.
Hellas.
Isthmus.
Hexamilium.
Peloponnesus.
Corinthia.
Argia.
Laconica.
Messenia.
Elis.
Achaia.
Sicyonis.
Archadia.

PRÆTER HAS

URBIUM DESCRIPTARUM
NOMINA.

Athenæ.
Thebæ.
Amphissa.
Calydon.
Actium.
Argos Amphilochicum.
Dodona.
Thessalonice.
Larissa.
Lamia.
Naupactus in Amphissa.
Munychia in Athenis.
Megara.
Delphi.
Corinthus.
Argos Peloponnesi.
Lacedæmon.
Messene.
Olympia.
Pellene.
Sicyon.
Megalopolis.
Thessalonica Tempe.
Scytala Laconica.

NICOLAI GERBELII P.

IN

DESCRIPTIONEM GRÆCIÆ

SOPHIANI

EXPLICATIO.



On injuria majores nostri divinis eos laudibus exornaverunt, quicunque rudem & inertem hanc hominum vitam, ingenuis artibus, liberalibusque disciplinis excoluere: quive dura & immitia ingenia in leniorem aliquam, humanioremque naturam traducere conati sunt. Nam si tantopere statuarios admirata est antiquitas, quod e duris lapidibus, nodosisque arborum truncis imagines hominum formis simillimas fingerent: quanto majore gloria digni existimandi sunt, qui barbaras & incultas nationes, nihil a belluis ratione carentibus differentes, omni barbarie sævitiaque exuerunt: easque paulo mansuetiores redditas, literis, humanitate, & artibus expoliverunt, expolitas denique saluberrimis erudivere præceptis? ut tum quidem vere renatos dixisses homines, divinæque in ipsis originis semina elucere.

Hinc opinor natæ illæ veteris sæculi de Orpheo & Amphione fabulæ, qui ad suavitatem musicam accommodata doctrina, homines alioqui a Musis aversos, in obsequium suum pertraxerunt. Præclare igitur ac prope divinitus, egregius poeta Ovidius, fœlices has animas appellavit: quæ, natura monstrante viam, hunc ingenii cultum, hæc divina animorum ornamenta invenerunt. In his artibus nulla unquam fuit adeo neglecta, nulla tam contemptim habita, quin insignem aliquem dignitatis suæ invenerit præconem. Veruntamen nisi me fallunt omnia, vix alia tot tantisque honoribus decorata est, quantis historia. Quis enim a tempore repertarum literarum, Grammaticus, Poeta, Historicus, adde etiam Philosophus aut Mathematicus fuit, qui non singulari aliquo encomio historiam illustraverit? Quid quæso tam tritum, quid eruditorum hominum ore atque libris tam usitatum, quam est hæc Ciceronis, viri undecunque doctissimi, definitio? Historia est testis temporum, dux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Quid vero per immortalem Deum, in humanis rebus nobilius, quid præstantius literis? quid in omnibus negociis, in omni vita magis necessarium? Sed in harum dignitate & usu, Titus Livius historiam comprehendit: quæ solæ fidelis custos memoriæ rerum gestarum (ut ipse quidem inquit) extiterunt. Cum olim adolescentulus in Poetarum libris versarer, sæpe mecum cogitabam, quidnam sibi vellent poculorum, clypeorum, chlamydum, vestium, pictorum armorum tam crebræ, tamque accuratæ apud eos descriptiones. quid denique templorum, vestibulorum, parietumque picturæ: donec illud animum meum subiret, Undique sapientissimos homines illustrandæ historiæ occasiones quæ-

ſtiviſſe. Exempla plurima ſunt apud Poetarum parentem Homerum, multa apud ejus æmulatorem Virgilium, innumera apud Papinium. Quæ ſane indicant, nullum majus ſtudium in hoc authorum ordine fuiſſe, quam ut quacunque opportunitate oblata, veteris probitatis & virtutis exempla in poematis picturiſque ſuis poſteritati relinquerent. Porro ſi verum eſt, quod Fabium Pictorem dixiſſe ferunt, tum fœlices futuras artes, ſi de his artifices judicaverint, audiamus potius ipſos Hiſtoricos, videamuſque quid de hac pulcherrima cognitione doctiſſimi homines & ſenſerint, & ſcripſerint.

Herodotus hiſtorias ſe ſcribere dicit, ne res præclare geſtæ temporum injuria obliterentur: ne fama & admiratione digna facinora, in obſcuro ſine gloria deliteſcant.

Polybius Megalopolitanus, quem in tanta gratia, tantaque authoritate apud Veteres fuiſſe video, ut clariſſimi ſcriptores non imitandum ſibi tantummodo hunc propoſuerint, ſed ſcripta etiam ſua paſſim hujus teſtimonio firmaverint atque corroborarint. Is (inquam) multis in locis, ſed uno præcipue, omnes hiſtoriæ laudes, velut in faſciculo comprehenſas, in hunc fere modum collegit. Duæ ſunt rationes (ait) quibus homines ad ea quæ ſunt optima, ducuntur. Una, ubi ſuis malis, ſuisque incommodis: altera, ubi aliorum periculis inſtruuntur. Quæ enim noſtra nobis inſcitia vel temeritate accidunt, vehementius nos feriunt & affligunt. Quæ ex aliorum rebus adverſis & erratis diſcimus, ea minus habent diſcriminis ac detrimenti.

Neque quiſquam eſt mortalium tam demens, qui eam vitæ rationem, quæ laboribus periculisque conjuncta eſt, eligat, ſpreta altera, quæ ſine jactura, nulloque diſpendio, quid fugiendum, quidve amplectendum ſit edoceat. Ad hanc vero poſteriorem partem mirifice conducere hiſtoriam adſeverat: quod nullo non tempore, atque ſine ullo damno, quid faciendum, quidve vitandum ſit, demonſtret. Hanc ſententiam Diodorus ſecutus, Prudentes eos nominat, qui ex aliorum calamitatibus vitam ſuam efficiunt meliorem. Quod vere eſt, ex incommodis alterius ſua comparare commoda. Plutarchus Græcorum omnium doctiſſimus, hiſtorias a nonnullis Bellaria *appellari ſcribit, quod in heroum illuſtriumque virorum conviviis, nihil ſecundas menſas magis exhilaret, quam veterum exemplorum recitatio. Itaque magnifice & vere regio animo Alexander Magnus Achillis teſtudinem, qua fortium ille virorum egregia facinora decantare ſolitus erat, Paridis citharæ, qua mentem ad fœdiſſimas voluptates excitabat, antepoſuit. Hæc eſt enim vis, hæc eſt natura & authoritas rerum cum virtute geſtarum, ut propoſitæ generoſis animis, ad conſimilia patranda inflamment: contra vero ſcelerum turpitudo atque deformitas tanta, ut ſua ſponte, niſi in deplorata ingenia inciderint, corruant & emoriantur. Quamobrem non inepte mihi videntur feciſſe, qui agricolam illum imitandum dixerunt: qui cum admodum deformis eſſet, veritus ne ſimiles ſibi filios uxor pareret, paſſim in ædibus elegantiſſimas imagines collocavit, ut illis ſedulo inſpectis, uxor ſimillimos imaginibus liberos procrearet. Itaque optimum factu fuerit, veterum heroum egregia facta, virtutes & exempla, tanquam pulcherrima ſimulachra, ſemper in oculis habere: quæ ſcilicet imitemur & ſequamur, vitamque noſtram ad ea, tanquam ad archetypon effingamus, vitiis omnibus, omnibus malis artibus exploſis & exterminatis. Sedenim harum imaginum ingentem copiam hiſtoria ſuppeditabit.*

Nullæ ſunt enim actiones, nulla in omni vita negocia, quorum non exemplar, aut veſtigium aliquod extet in hiſtoria. Sed quis illius pulcherrimæ profeſſionis precium dicendo æquaverit? aut quis ejus eximias laudes ſatis digne pro

meritis poterit explicare? NICOLAUS SOPHIANUS *vir (ut ego quidem ſentio) ſpectatæ virtutis & eruditionis , cum tantas hiſtoriæ utilitates animo perſpiceret, quo majore cum fructu, atque nonnulla etiam cum voluptate ſtudioſi in hiſtoriis verſari poſſent , conſilio pulcherrimo , ac prope divino deſcriptionem hanc Græciæ ex optimis utriuſque linguæ ſcriptoribus collectam, in hanc elegantiſſimam picturam redegit: non ignarus, quicquid unquam maximorum bellorum a barbaris, a Græcis , immo & a Romanis geſtum fuiſſet, his propemodum terris, quas hæc pictura complectitur, fuiſſe confectum.*

Nam prima omnium bellicarum expeditionum in Colchos facta eſt, quum Jaſone duce, nobiliſſimi adoleſcentes, & Argivæ robora pubis, aureum illud vellus a barbaris repetiverunt . Hanc ſubſecutum eſt bellum Trojanum, omnium authorum, omniumque Poetarum literis decantatum. Cum enim Alexander cognomento Paris, Priami filiorum molliſſimus, navi in Lacedæmona trajeciſſet, Helenam mulierem Græciæ venuſtiſſimam rapit , raptam cum ingentibus theſauris abducit. Fit bellum atrox, horrendum, formidoloſum. Ruit omnis in arma Græcia. Congregantur in Aulide reges, claſſis ad Ilium tranſportatur .

Hic quæſo diligenter conſidera, quam lucem, quam gratiam his rebus allatura ſit pictura noſtra, ſi in ea Aulidem, nobilem Bœotiæ portum, ſi Ægeum pelagus, per quod traductæ Græcorum copiæ, ſi Phrygiam, ſi Trojam belli & malorum omnium caput, ſi cætera circa Ilium loca diligenter obſervaveris . Si vero quæ poſt exciſum Ilium acciderunt, cognoſcere volueris, atque eam ob cauſam Virgilium in manum acceperis, nonne præſtiterit apud eundem diligentiſſime perpendere, quam apte, quam pulchre, quam denique geographice navigationem Æneæ ab Ilio in Thraciam, ex Thracia in Delum, ex Delo in Cretam, & ex hac in Strophadas inſulas deſcripſerit? Quam concinne, totam illam ab Epiro ad Acroceraunios montes παράπλουν *decantaverit. In his Æneæ erroribus , ſi pictura tanquam filo fueris uſus , omnia erunt & jucunda , & maxime illuſtria . Poſt ſubverſum Priami regnum , Cyrus Perſarum rex , cum ante id tempus libera fuiſſet Græcia , jugum nobiliſſimæ nationi impoſuit, eamque tributariam fecit. Secutus hunc Xerxes Darii filius, qui ſtupenda hominum multitudine Græciam aggreſſurus , Helleſpontum ponte e navibus facto ſtravit . Deinde in Abydo urbe in editiore quodam tumulo conſedit , ex alto copias ſuas , quæ erant immenſæ, contemplaturus: Cumque videret Abydenos campos militibus, Helleſpontum navibus repletum , principio quidem beatum ſe pronunciavit: deinde cogitans, poſt annos centum ne unum e tanto numero futurum ſuperſtitem, humanam miſeratus ſortem flebiliter illachrymavit. Cæterum & Athon atomem aceto rupiſſe dicitur, compendii cauſſa, quod & Hannibalem in Alpium tranſitu feciſſe memoriæ proditum eſt . Sed enim plus lucis, plus jucunditatis adferent hæc omnia , ſi videas ubi locorum velificatus Athos , ubi Helleſpontus , ubi non uno tantum nobilitata nomine ſita ſit Abydus. Sed ad alia pergamus.*

Græci poſt multas clades, poſt innumera pericula & bella, quibus a Perſarum regibus afflicti proſtratique conciderunt, tandem recuperatis viribus , inter ſe mutuis odiis ac ſeditionibus bellum Peloponneſiacum, omnium maximum ac periculoſiſſimum; concitaverunt; duabus inclytis urbibus Athenis & Lacedæmone pro dominatu, pro imperio, turpiſſimo exemplo decertantibus. Quod bellum Thucydides graviſſimus hiſtoricus, octo libris diligentiſſime conſcripſit. Quem nobiliſſimum authorem, qui ſe ſine deſcriptione ſeu pictura noſtra intellecturum ſperat, is mea ſententia longiſſime fallitur. Quod uno atque altero exemplo planum faciemus.

Sub initium secundi libri, Thucydides utriusque populi Atheniensium & Lacedæmoniorum auxilia sociosque enumerat. Lacedæmoniorum quidem adjutores fuisse Peloponnesios omnes, qui intra Isthmum sunt, præter Argivos & Achivos, qui utrorumque erant amici. Soli inter Achivos Pellenæi principio Lacedæmoniis adhæserunt. Postea vero Peloponnesii omnes Lacedæmoniorum partes secuti sunt. A quibus bello nomen impositum. Extra Peloponnesum Megarenses, Locri, Bœotii, Phocenses, Ambraciotæ, Leucadii, Anactorii, Corinthii, Sicyonii, Elei in Lacedæmoniorum societatem concesserunt.

Sed te per Musas, Lector, literarum atque historiæ inventrices, obtestor, nonne obscura, nonne cimmeriis tenebris hæc simillima erunt, si nescias ubi sit Isthmus, ubi Peloponnesus? In Peloponneso qui Achivi, qui Achæi, qui Pellenæi? Deinde extra Peloponnesum & Isthmum qui Megarenses, Bœotii, Locri, cæterique quos eo ordine, quo in pictura collocati sunt, ad Epirum usque percenset Thucydides.

Postea Atheniensium auxiliares copias eadem diligentia in ordinem digerit. Atheniensium, inquit, socii fuerunt Chii, Lesbii, Platæenses, Messenii, Naupactus, bona pars Acarnanum, Corcyræi, Zacynthii. Quibus relictis in Asiam Minorem excurrens, Cares, Dorienses, Iones, Hellespontum, Thraciam, insulas inter Peloponnesum & Cretam ad orientem solem sitas, exponit. Cycladas præterea omnes, præter Theram & Melum. His locis adhibe picturam, & videbis quam longe lateque se extenderint Lacedæmoniorum auxilia, quales quantæque fuerint Atheniensium vires, qui totum fere mare occupaverunt: nauticus videlicet populus, qui tum quidem navigandi peritia reliquos longe superabat.

Xenophon, qui derelicta hujus historiæ post Thucydidem literis commendavit, secutus suum antesignanum, libro quarto rerum Græcarum *non tantum Atheniensium & Lacedæmoniorum auxilia enumerat, sed etiam quot singuli milites adduxerint: qui pedites, qui equites, qui sagittarii, qui funditores fuerint, pari sedulitate & studio commemoravit.*

Georgius Plethon, qui post Xenophontem & pugnam illam apud Mantineam, Græcorum res memoriæ tradidit, statim in narrationis principio totum Asiaticum litus diligentissime depingit. Quæ omnia facilius expeditiusque capies, si cum Sophiani descriptione & pictura singulos locos contuleris.

Hic si quis forsan elegantiorum literarum contemptor clamet, Quid ad me ubi Athenæ, ubi Lacedæmon, ubi Isthmus, ubi Pelopponesus & Asia? Quid hæc mihi lucri, quid emolumenti adferent? Hunc, quisquis tandem fuerit, ad Ulyssis socios relegabimus: qui nescientes ubi locorum essent, ad quam divertissent, in sues conversi, inter inertia pecora sordidissimam vitam transegerunt. Sed his belluis relictis, ad diverticulum redeamus.

Cum Græci multis variisque se mutuo cladibus attrivissent, Philippus Macedoniæ rex, Amyntæ filius, tanquam in editiore specula sedens, occasione (non mala rerum gerendarum magistra) diligentissime observata, dissidentes inter se Græcos invadit. Sed admirabili calliditate & astu. Principio enim infirmioribus adversus potentes ferebat suppetias: deinde utrosque vi oppressos, imperio suo subjugabat. Historiam hanc Diodorus, Suidas, & Pausanias, fide summa in literas retulerunt. Hic plurimum proderit novisse Thebas, originem & caput belli: novisse Phocenses, novisse Delphos, quos necessitate adacti Phocenses, per summum scelus omni pecunia spoliaverunt.

Postremo, ut dimittam cætera, totius Græciæ imperium sub Perseo, qui

Macedoniæ regum ultimus fuit, in Romanorum poteſtatem devenit. Cæterum quæ inter Romanos & Macedonas geſta ſint, quæ fuerint diſſenſionis cauſſæ, quæ initia, qui progreſſus, qui reges, qui duces, quæ auxilia, qui utriuſque populi fautores, quis apparatus & eventus totius belli, omnia luculenter & vere lactea dicendi ubertate deſcripſit Titus Livius. Apud hunc tametſi plurimi ſint loci, quos illuſtriores reddet pictura Sophiani, nunquam mihi ſine honoris præfatione nominandi, tamen unus eſt omnium amœniſſimus, quem totum in ſtudioſorum gratiam ſubſcribam: ut liquido appareat, quantum luminis atque ſplendoris elegantiſſimo ſcriptori ex hac collatione locorum ſit acceſſurum. Poſt devictum Perſeum Macedoniæ regem, Pauli Æmilii peregrinationem his verbis Titus Livius lib. I X. *ab V. C. deſcripſit.* Autumni fere tempus erat, cujus temporis initio, circumeundam Græciam, viſendaque quæ nobilitata fama, magis auribus accepta ſunt, quam oculis noſcuntur; ut ſtatuit: præpoſito caſtris C. Sulpitio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio, & Athenæo Eumenis regis fratre, per Theſſaliam Delphos petit, inclytum oraculum. Ubi ſacrificio Apollini facto, inchoatas in veſtibulo columnas, quibus impoſituri ſtatuas regis Perſei fuerant, ſuis ſtatuis victor deſtinavit. Lebadiæ quoque templum Jovis Trophonii adiit. Ibi cum vidiſſet os ſpecus, per quod oraculo utentes ſciſcitatum deos deſcendunt, ſacrificio Jovi Hercynnæque facto, quorum ibi templum eſt, Chalcidem ad ſpectaculum Euripi ævoque ante inſulæ ponte continenti junctæ, deſcendit. A Chalcide Aulidem trajicit, trium millium ſpacio diſtantem, portum inclytum ſtatione quondam mille navium Agamemnoniæ claſſis, Dianæque templum, ubi navibus curſum ad Trojam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticæ ventum eſt, ubi pro Deo vates Amphilochus colitur: Templumque vetuſtum eſt, fontibus riviſque circa amœnum.

ATHENAS inde, plenas quidem & ipſas vetuſtate famæ, multa tamen viſenda habentes, arcem, portus, muros Piræum urbi jungentes, navalia magnorum Imperatorum, ſimulachra deorum hominumque, omni genere & materiæ & artium inſignia. Sacrificio Minervæ, præſidi arcis, in urbe facto, profectus, Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tum præclara, ante excidium. Arx quoque & Iſthmus præbuere ſpectaculum. Arx inter omnia in immanem altitudinem edita, ſcatens fontibus Iſthmus, duo maria ab occaſu & ortu ſolis finitima arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde, & Argos, nobiles urbes adit. Inde haud parem opibus Epidaurum, ſed inclytam Æſculapii nobili templo: quod quinque millibus paſſuum ab urbe diſtans, nunc veſtigiis revulſorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum ſalutarium ægri mercedem ſacraverant Deo. Inde Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, ſed diſciplina inſtitutiſque memorabilem. Unde per Megalopolim Olympiam aſcendit: ubi & alia quidem ſpectanda viſa, & Jovem velut præſentem intuens, motus animo eſt. Itaque haud ſecus, quam ſi in Capitolio immolaturus eſſet, ſacrificium amplius ſolito apparari juſſit.

En habes totam Græciam ad picturæ noſtræ præſcriptum modum electiſſimis aptiſſimiſque verbis depictam: habes præcipua loca, præcipuos populos: habes quicquid in ea natione Livii temporibus uſquam fuit illuſtre. Itaque pro his,

aliisque innumeris historicorum, poetarum, geographorumque locis, utilissimum fuerit, totius orbis summas præcipuasque partes, Europam, Asiam, Aphricam: & in his celebriora maria, regiones, montes, flumina, insulas, nobiliores item urbes perpetuo in oculis habere, ediscere, tenereque memoria ut ungues digitosque tuos: deinde quotidie aliquot horis in hac pictura peregrinari, nunc in Orientem, nunc in Occasum, mox in Septentrionem, & oppositam illi terram plagamque oculos circumagere. Ut si forte apud Poetas, & illis vicinos historicos, insignem aliquem locum, sive sit flumen, sive mons, sive oppidum, ubi præclara aliqua pugna pugnata, aut aliud eximium facinus editum deprehenderis, illico ad picturam conversus, requiras ubi locorum sit, quod scriptor tuus, quem in manibus habes, tanta cura tantaque diligentia descripsit. Hæc sedulitas, hæc honestissima cogitatio tua, immensas tibi utilitates, cum innumerabili voluptate conjunctas comparabit.

Quanquam autem ad has res explicandas, aut ad illustrandam Sophiani picturam prorsus me imparem esse confitear, tamen quia Oporino viro optimo, deque me variis multisque modis benemerito ita videbatur, & tali amico nihil negare audebam, quod habui in studiosorum juvenum gratiam attuli. Quibus si qua in parte, qualiacunque sunt hæc, profuerint, neque me obsequii erga Oporinum, summum amicum meum, neque ullius laboris aut curæ studiosis impensæ pœnitebit. Quod si qui me rudius impolitiusque scripsisse dicent, quam operis hujus dignitas postulaverit: illis respondebo, me non certandi cum eloquentibus studio, sed juvandæ juventutis gratia laborem hunc suscepisse. Quod si severiores illi Momi me dormitasse nonnunquam, aut a scopo aberrasse clamaverint, hoc uno diluam verbo, me hominem esse, neque apud majores nostros ullos tam accurate, tamque circumspecte scripsisse, qui non dormitasse, aut errasse nasutioribus visi sint. Quos tamen apud candida atque liberalia ingenia, sæpenumero juvandi bonorum studia paratissimus animus, & propensa de omnibus benemerendi voluntas excusavit. Hanc veniam, cum aliud nihil quam excitandæ ad hæc pulcherrima studia juventutis occasionem quæsiverim, facile me a mansuetis placidisque ingeniis impetraturum confido.

Reliquos illos fucos, & fœdissimas Harpyias, qui conviciis, contumeliis, & subsannationibus omnia conspurcant, nauci non facio. Hoc tantum illis imprecor, ut vel semel illos immensos labores, quos hoc commentandi genus requirit, subire atque perferre cogantur: haud dubie post hæc æquiores & mei & aliorum æstimatores judicesque futuri.

Cæterum de inenarrabili utilitate historiæ, de divino Nicolai Sophiani consilio, de me quoque, quæ necessaria credebam, hæc præfari volui. Nunc de Græciæ situ, quæ apud veteres harum rerum scriptores comperi, summatim, & brevius quam res tanta postulat, exponam.

NICO-


ΕΛΛΑΣ
GRAECIA SOPHIANI
ABRAHAMO ORTELIO
Descriptore.
PONTUS EUXINUS
MYSIA INFERIOR
SIA SUPERIOR
PARS
THRACIA
PRO PONTIS
AEGAEUM PELAGUS
MACEDONIA
ADRIATICUM MARE
IONIUM MARE
CRETICUM MARE
ICARIUM PELAGUS
MYRTOUM MARE
LYCIUM MARE
PAMPHYLIUM MARE
BITHYNIA
GALATIAE
ASIA
PHRYGIA MAIOR
CARIA
LEMNOS
CRETA
RHODUS
PELOPONNESUS
ARCADIA
ATTICA
ORIENS
OCCIDENS
MERIDIES
Stadia
Mil. Germ.
Mil. Galli.
Mil. Ital.

NICOLAI GERBELII
IN
GRÆCIÆ SOPHIANI
DESCRIPTIONEM
EXPLICATIO.

DE GRÆCIÆ SITU.



Græcia duabus ingentibus provinciis Macedoniæ & Epiro conjuncta, usque ad Isthmum Peloponnesi extenditur. Ab Occasu enim Epiro, a Septentrione Macedonia & Ægæi maris parte terminatur. Deinde in Orientem ad Sunium usque, extremum Atticæ promontorium procurrit. A Meridie juxta Acheloum fluvium maritimo littore, quod Corinthiacus alluit sinus, ad Isthmum usque definitur. Ab Isthmo cætera rursus ad Sunium protenduntur.

Hunc fere in modum Ptolemæus Græciæ situm figuravit: qui cum pictura, quam semper in oculis habeas moneo, probe aptissimeque convenit. Si enim ad Occasum te verteris, videbis statim Ceraunios montes, quos te diligenter observare jubeo. Mox Epirum, deinde Acheloum amnem: quem conveniet singulari aliquo colore insignire, ut celerius occurrat. Sequitur Corinthiacus sinus, omnium plane hoc loco maximus. Quod si Isthmum secueris, id quod animo citius quam ferro, vel manibus (quod magni quondam tentavere Principes) efficies, toto littore, quod Creticum pelagus allatrat, ad Sunium usque promontorium pervenies. Sed vide ne Sunium ex oculis tibi elabatur. Ecce totam Græciam, excepto Peloponneso, finibus limitibusque suis descriptam habes.

Plinius & hunc diligentissime secutus Martianus Capella, Europam in aliquot sinus diviserunt, inter quos tertium attribuunt Græciæ: quem ab Acroceraunis montibus incipere, & magno excursu apud Hellespontum finiri affirmant. Vide ne ex oculis picturam: & planissima erunt, quæ scribimus. Si igitur ab Acroceranniis (sunt autem iidem qui Ceraunii) ad Scyron insulam, rectam lineam, tanquam basim, deinde ab Acroceranniis & Scyro duas ad Tænarum Peloponnesi promontorium duxeris, triangulo fere totam Græciam, una cum Peloponneso, describes. Strabo *lib.* VII. prope finem, ab Ambracio sinu, quem inter Epirum & Acarnaniam elegantissime depictum cernis, Græciam incipit: eaque omnia, quæ ab hoc sinu ad Orientem & objectam Peloponnesum vergunt, Græciæ adscribit. Deinceps ad dexteram relicta Peloponneso, ad Ægæum usque mare Græcia exporrigitur. Nam Macedones & Pæones ad Strymonem usque disperguntur, & nonnulli Thracum montium accolæ. Ultra Strymonem quæcunque sunt ad Hemum usque & Pontios, Thracibus ascribit Strabo: præter maritima, quæ a Græcis partim ad Propontidem, partim ad Ægæum mare expositis, habitantur. Quod ut clarius explicaret Strabo, subjungit, Græciam ab Ægæo mari duobus littoribus allui: altero, quod a Sunio in Septentrionem ad Thermaicum sinum & Thessalonicam, Macedonicam urbem, extenditur: altero ad Strymonis sinum. Sic enim hunc Strabonis locum, satis obscurum, intelligo. Confer hæc cum pictura, & intelliges quantum adhuc Græciæ, præter ea quæ diximus, Strabo adjecerit.

Erunt hæc tibi perspicua, si Strymonem fluvium, & Thermaicum sinum diligenter observatum in oculis habueris. Inter hos enim Macedonia sinuosum illud caput in Ægæum mare protrudit. Cujus duo vides veluti cornua: in altero Athon montem, in altero Pellenen civitatem. Quanquam Athon nonnulli Thraciæ adscribant, ut Mela & Stephanus: Ptolemæus & Plinius Macedoniæ. Quos, recentiores quoque sequuntur: inter quos Vadianus meus, quocum mihi apud Pannonios, cum ego Juri, ipse Medicinæ operam daret, summa fuit familiaritas: Vir ob singularem eruditionem, & in rebus civilibus prudentiam, summa maximaque laude dignus.

Quoniam autem Græciam a Cerauniis montibus initium capere diximus, antequam a Cerauniis digrediamur, locus postulare videtur, ut de Græcia magna (sic enim ea Italiæ pars, quæ duobus cornibus Acroceranniis opposita est, appellatur) pauca dicamus.

Strabo in principio *lib.* VI. inter alia multa scribit, olim Lucanos Tyrrhenum littus incoluisse, neque alterius maris quicquam prius occupasse, sed Græcos, qui tum sinum Tarentinum tenebant. Ante Græcos autem Chones & Oenotrii in his locis consederunt. His postea a Samnitibus expulsis, in partem Lucani a Samnitibus sunt recepti, cum Græci utrumque littus ad fretum usque Siculum obtinerent. Quorum rebus progressu temporis mirum in modum auctis; eam Itali partem Magnam Græciam nominaverunt. tametsi a Pythagora nonnulli sic dictam velint, quod ea in parte Italiæ philosophiam docuerit, Romæ Servio Tullo regnante.

Author *Chrestomathiæ*, quisquis ille fuit, vir plane doctus & diligens, Italiæ partem, qua ad Austrum vergit, δικόρυφον esse scribit, e quibus verticibus alter occidentalior, juxta Leucopetram promontorium Tauromenio in Sicilia obversus, juxta magnam Græciam situs est. Alter orientalior, qui Japygiam promontorium efficit, in occasum Acroceranniis montibus opponitur. Inter hos duos vertices, Croton & Tarentinus sinus, qui Græciæ magnæ nomine censebatur. Itaque rectissime Plinius, Magnam Græciam appellat Italiæ frontem, a Locris incipientem.

Græciam magnam Ovidius elegantissimis versibus lib. VI. *Fastorum* describit, minime mirum esse

inquiens, si qua hujus tractus loca, a Romanis, Græcis vocentur nominibus:

Itala nam tellus Græcia major erat.

Atque hic ordine percenset eas Italiæ urbes, quæ a Græcis nomina sunt sortitæ. Idem fere facit Silius Italicus *lib.* XI. his versibus:

Inde Phalanteo levitas animosa Tarento
Ausonium laxare jugum, patefecit amicas
Alta Croton portas, Aphrisque ad barbara jussa
Thespiadum docuit summittere colla nepotes.
Idem etiam Locros habuit furor, ora vadosi
Littoris, Argivos major qua Græcia muros
Servat, & Ionio luitur curvata profundo: &c

Inter has urbes in occidentali cornu, seu vertice, omnium clarissima Croton: in orientali duæ, Brundusium & Tarentum. De Tarento in Græciæ Magnæ gratiam pauca dicemus.

TARENTUM.

TARENTUM Apuliæ, Calabriæ & Lucaniæ caput, ut scribit Florus, in ultimo recessu sinus positum, sinui nomen dedit. A Brundusio distat CC. stadiis, quæ via Isthmi speciem præbens, fere peninsulam efficit. Hic confer picturam, & videbis altera in parte Isthmi Rhodiam Ennii poetæ patriam: in altera Brundusium. Quæ duæ urbes cum Egnatia, trianguli figuram repræsentant. Strabo *lib.* VI. Tarentum a quodam heroe sic appellatum tradit, quem Servius lib. III. *Æneidos* Neptuni, Pausanias in *Phocicis* Neptuni & ejus loci Nymphæ filium fuisse scribit. Hæc urbs antequam ab Hannibale caperetur, multis ornamentis fuit illustrata Gymnasium habuit pulcherrimum, amplissimum forum, in quo erat Jovis colossus, post Rhodium illum fama & precio nobilis. Quum vero Tarentum divitiis atque potentia abundaret, in luxum libidinemque prolapsi cives, a majorum suorum claritudine atque virtute defecerunt. *Nam mane*, ut *lib.* XII. *cap.* XXX. prodidit Ælianus, *inebriabantur Tarentini, totaque die forum temulentis hominibus erat repletum*. Quamobrem non injuria Juvenalis. *Sat.* VI. *coronatum, petulans, madidumque* Tarentum appellavit. Protulit tamen hæc civitas illustres aliquot viros, inter quos Aristoxenus musicus, Aristotelis familiaris: Rhinthon poeta Tragicus: Iccus Medicus, cujus in *Protagora* meminit Plato. Præterea Apollodoros duos citat *lib.* XX. Plinius, Cittiæum alterum, alterum Tarentinum. Quinetiam in hac urbe mortui sunt duo nobilissimi Poetæ, Virgilius (si Servio credimus) & Pacuvius. Sed Virgilii ossa tandem Neapolim sunt translata. Plauti & Orestillæ τῶν φιλούντων sepulchrum Tarenti etiamnum conspicitur, ut author est Valerius Max. *lib.* IV. Sed nunc ad reliqua Græciæ redeamus.

Postquam Græciæ veteris situm utcunque delineavimus, Peloponneso excepta, de qua suo loco tractabitur: etiam illud considerandum est, in alias orbis partes Græcos migrasse, in Asiam scilicet, & Aphricam, tum etiam in Italiam & Galliam coloniis deductis. Nam ut ab Arriano in *Euxini Periplo* traditum est, in Scythia quoque urbes condidere Græci.

Principio enim, quum adhuc imbecilles essent, paucique a pluribus facile expellerentur, quod tum fere nulli essent muri, nullæ fossæ, nulla propugnacula, facile accidit, ut quorum agri feracissimi putarentur, in hos repente impetum facerent potentiores. In hunc modum Thessalia, Bœotia, & Peloponnesi pars (excepta Arcadia) sæpe fortioribus dominis cesserunt, singulis ob ubertatem soli meliores sibi sedes quærentibus. Deinde aucta in Græcia hominum multitudine, non paucas colonias in Aphricam, ut diximus, tum in diversas Europæ regiones, maxime vero in Asiam (quid enim Asia fertilius?) deduxere. Quod certe non Græcis tantum accidit, sed & aliis multis nationibus, in primis autem Germanis. Quam rem summo studio, incredibilique diligentia tractat in rebus Germanicis Beatus Rhenanus, vetus amicus noster, vir illustrandæ patriæ singulari deorum favore genitus. In eadem disputatione versatur ejus ὁμόφυλος Jacobus Spiegel, homo præter cæteras egregias dotes, in servanda semel cœpta amicitia constantissimus: quod vel in me uno hactenus summa custodivit fide. Quanquam enim longo tempore multisque locis disjuncti fuerimus, summam tamen in me benevolentiam suam nunquam intermisit. Porro Græci Batto duce Cyrenem egregiam urbem in Libya condidere, quam historiam in *Melpomene* eleganter & copiose (ut solet) Herodotus prosequitur. Quo loco Phœnices & Græcos recte ἐπήλυδας, Libyes autem & Æthiopes Aphricæ αὐτόχθονας fuisse affirmat. Cæterum in Italiæ fronte utrumque littus tenuere Græci, conditis ibi nonnullis urbibus, quas Ovidius *loco*, quem supra citavimus, ordine percenset.

ATHENIENSES opibus & hominibus aucti, coloniam in Peloponnesum miserunt, eamque terram prius Ægialiam nuncupatam, a se Ioniam appellaverunt. Attica enim Ionia dicta, ab Ione Xuthi filio, & Attici Iones. Eratque una lingua Ionica & Attica. Postquam autem Heraclidæ in Peloponnesum descenderunt, Achæi Heraclidarum comites, Athenienses expulere. Qui Athenas redeuntes, Androclo Codri filio duce, coloniam in Asiam miserunt, eamque a se Ioniam, colonos Ionas nominavere. Quoniam autem Athenienses in Peloponneso duodecim urbes possederant, totidem in littore minoris Asiæ condiderunt: inter quas omnium pulcherrima fuit Ephesus, quam totius Asianæ Ioniæ regiam constituit Androclus. Nileus vero, qui genere fuit Pylius, Miletum clarissimam in eodem littore civitatem mœnibus circundedit. Atque deinceps alii alias, quarum lib. XIV. *Geographiæ* diligentissime meminit Strabo.

Longe igitur lateque per totum fere orbem Græcorum natio dispersa, varias urbes ædificavit, quas primum optimis literis, & disciplinis, tum legibus, & justitia erudivit. Ejus rei vel unum insigne fuerit exemplum Massilia, quam M. Varro trilinguem nominavit, hoc est, Græce, Latine, & Gallice loquentem. Quam doctissimus Cicero cunctis fere aliis gentibus prætulit: utpote cujus leges & instituta omnes laudare facilius possint, quam æmulari.

De Græciæ situ, juxta veterum Geographorum doctrinam, deinde de Græcia Magna, deque Græcorum in varias orbis regiones migrationibus, satis nos pro instituti operis brevitate & modo dixisse puto. Nunc de ejusdem Græciæ, populorumque, qui olim eam incoluerunt, nominibus, pari brevitate dicemus.

DE NOMINIBUS GRÆCIÆ.

ANTE Trojanum bellum, quod apud historicos inter vetustissima memoratur, nihil communi nomine Græcos domi aut foris memoria dignum gessisse comperio. Donec Alexander Priami filius, cognomento Paris dictus, infelicissimis auspiciis Helenam Menelai conjugem, ut etiam supra diximus, rapuit. Tunc enim in Aulide urbe Bœotiæ, a proceribus Græcorum conjuratum, & communi totius Græciæ consensu Priamo bellum illatum est. Quamobrem Thucydides ante Hellenen, quem idem author Deucalionis, Pindari Interpres Pro-

methei & Clymenes, alii Ionis filium fuiſſe prodiderunt, non uno nomine vocatos Græcos, ſed ſingulos populos, maxime Pelaſgos, ſingula ſibi nomina impoſuiſſe tradit. Hellene vero una cum filiis ſuis in Phthiotide rerum potito, commerciorum cauſſa ſeſe cum vicinis urbibus conſociaverunt. Ex quo convictu in unam linguam aſſuefacti, etiam unum nomen uſurparunt, ſcilicet ab Hellene Hellenes nominati: non tamen illico in univerſam gentem hoc nomen migravit, ſed Phthiotæ tantum, qui in Trojana expeditione ſub Achille militaverunt. Itaque Plinius admodum erudite (ut ſolet) Græciam ſæpe mutaſſe nomen ſuum aſſerit, eamque plerumque a regibus fuiſſe vocitatam.

Nam quod ibi genitus eſſet rex Græcus, Græcia dicta eſt. Quod ibi Hellen (ut diximus) regno præfuiſſet, Græci Hellenes ſunt nuncupati. Quos ſimul, non uno in loco, Homerus Myrmidones, Hellenes, & Achæos nominavit. Homeri tamen Scholiaſtes, ſolam Theſſaliam ab Homero veram Græciam dici affirmat.

Nos uſitatoria & pervulgata magis apud authores nomina breviſſime explicabimus, quæ ſunt fere iſta:

Achæi.
Argivi.
Danai.
Pelopes.
Hellenes.
Iones.
Myrmidones.
Pelaſgi.

ACHÆI.

XUTHUS Æoli filius, ducta in matrimonium Creuſa Erechthei filia, ex ea duos genuit filios, Ionem & Achæum. Quorum alter, Ion videlicet, Athenas poſſedit, Atticamque a ſe Ioniam, Athenienſes Iones appellavit. Achæus, cum ſe cæde ſuorum contaminaſſet, in Theſſaliam profugit, factusque ejus regionis dominus, Theſſalos a ſe Achæos vocavit. Itaque Homerus ſæpe per *μετωνυμίαν* Græciam Achajam, Græcos Achæos nominare ſolet: ut libro *Iliados* tertio,

Ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ Ἀχαιΐδα καλλιγύναικα.
Ad Argos equis paſcendis fertile & Achaiam pulchris fæminis plenam.

Et lib. II. *Iliados*,

Ἀλλ' ἄγετ' αἴ κεν πως θωρήξαμεν υἷας Ἀχαιῶν.
Sed agite, ut quodammodo armemus filios Achivorum.

Reliqua ad Achæos pertinentia, in Theſſalia nobis dicenda ſervamus.

ARGIVI.

ARGIVI ab Argo Apidis & Niobes filio dicti ſunt, ut Homeri Scholiaſtæ placuit. Sunt qui putent, Argivos, & Argiam regionem, ab ipſius urbis claritate nomen accepiſſe. De qua re paulo poſt in regionibus copioſius. Quod ſi picturam ſedulo inſpexeris, quod ut ſæpe facias, ſuperius admonui, videbis Argos urbem, videbis & Argiam regionem majuſculis literis pulchre diligenterque expreſſam. Didymus lib. XVIII. *Odyſſeæ* (ſi titulus verus eſt) totam Græciam Argos appellari tradit, quod ea civitas in medio Græciæ ſita ſit. Strabo vero *lib.* VIII. ex Euripide refert, Danaum in Argivorum arce habitaſſe. Qui cum rerum a ſe geſtarum magnitudine ſuperiores reges longe ſuperaret, Argivos antea Pelaſgiotas appellatos, a ſe Danaos nominavit, decreto in tota Græcia, ut hoc poſtea nomine uterentur, promulgato. Virgilius utroque nomine duobus his verſibus *Æn.* II. uſus eſt

A *— Ferus omnia Jupiter Argos*
Tranſtulit; incenſa Danai dominantur in urbe.

DANAI.

DANAOS nomen accepiſſe a Danao, jam diximus. Sed Homeri Scholiaſtes hanc rem paulo planius expoſuit. Belus, inquit, Neptuni & Libyes filius, a qua Libya dicta, atque Agenoris frater cum in Ægypto regnaret, Anthinoen Nili filiam duxit uxorem. Ex ea gemellos genuit.
B Ægyptum & Danaum. Bellus Danaum Libyæ præfecit, Ægyptum Arabiæ: a quo ſubactis Melampodibus, Ægyptus regio nomen adepta. Ægypto ex variis uxoribus quinquaginta filii, Danao totidem filiæ naſcuntur. Cum vero regni cauſa (ut fit) inter ſe fratres Ægyptus & Danaus diſceptarent, & Danaus oraculo certior factus eſſet, ſe ab nepotum uno interimendum, fratris filios, uno aut altero ſervatis, per filias occidit. Quo ſcelere perpetrato, a Minerva admonitus, primus navem conſtruxit, quam a filiarum numero (erant enim quinquaginta, ut diximus) *πεντηκόντορον* vocavit. Hæc navi una cum filiabus e Libya fugiens, Rhodum advehi-
C tur. Ubi erecto Minervæ Lindiæ ſimulachro, ad Argos navigavit. Helenor, qui tum ibi regnabat, Danao regni adminiſtrationem conceſſit, qui Argivos a ſe Danaos nuncupavit.

DOLOPES.

IN Theſſalia fuere Dolopes, a quibus ipſa Theſſaliæ regio, & Climene civitas Dolopis appellata, ut eſt apud Apollonium Rhodium. Hanc olim Peleus tenuit, qui Dolopeam Phœnici ad eum, tanquam ad cognatum, venienti conceſſit, filiolumque Achillem adhuc puerum eidem erudien-
D dum tradidit. Dolopum hoc verſu lib. IX. *Iliados* meminit Homerus,

Ναῖον δ' ἐσχατιὴν Φθίης, Δολόπεσσιν ἀνάσσων.
Incolebant vero ultimam laciniam Phthiæ, Dolopes regens.

Quo loco Phœnix totam hanc hiſtoriam aliquot verſibus enarravit.

Cum igitur ſub Achille Myrmidones, de quibus poſtea dicemus, & Dolopes ſub Phœnice militarent, Virgilius eos lib. II. *Æneidos* his verſibus conjunxit:

E *- - Quis talia fando*
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyſſis,
Temperet a lachrimis?

Dolopiæ urbem fuiſſe Scyron, Didymus ſcribit lib. XI. *Odyſſeæ*. Et Pindari Interpres, Dolopes optimos fuiſſe funditores, memoriæ proditum reliquit.

HELLENES.

EX Thucydide ſuperius recitavimus, qua occaſione Græci Hellenes nominati fuerint. Euſtathius autem lib. II. *Iliados*, Hellada Theſ-
F ſaliæ civitatem fuiſſe refert, id nominis a Rege ſortitam, a quo omnibus deinde Græcis nomen fuerit impoſitum. Homerus promiſcue Phthiam, Hellada, Myrmidones, Hellenes, Achæos nominare ſolet, ut his verſibus *libro prædicto*.

Οἵ τ' εἶχον Φθίην, ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα.
Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο, καὶ Ἕλληνες, καὶ Ἀχαιοί.
Et qui habebant Phthiam, aut Græciam pulcris fæminis plenam.
Myrmidones vero vocabantur, & Græci & Achæi.

IONES.

SUPERIUS in Achæis diximus, Xuthi filium fuiſſe Ionem, qui occupatis a ſe Athenis, totam Atticam, Ioniam, & Atticos Iones appellavit: quod in Græciæ ſitu diligenter expoſuimus. Scholiaſtes Homeri *lib.* XIII. Xanthum nominat, quem *lib.* I. vocaverat Xuthum. Caſtigandus igitur ex Euſtathio locus, qui Hellenen Deucalionis filium fuiſſe ſcribit, Hellenis Xuthum, Xuthi Ionem & Achæum. A quibus Græci Hellenes, Iones, Achæi nominati, ut diximus.

MYRMIDONES.

MYRMIDONES Græci ſunt, qui, ut in Dolopibus attigimus, ſub Achille, ut pote Phthiotæ, militaverunt: quos reliquis Græcis conjungere ſolet Homerus, ut ex ejus verſibus, quos citavimus, apparuit.

De Myrmidonum origine, hæc apud Veteres refertur hiſtoria. Inter Atticam & Peloponneſum in faucibus Saronici ſinus, ut in pictura vides, ſita eſt Ægina inſula, Atticæ Atheniſque objecta. In qua cum regnaret Æacus, Juno totam inſulam peſte corrupit: labe vero magis atque magis gliſcente, hominibus inſula deſpoliatur. Æacus hanc ſolitudinem, civiumque inopiam indigne ferens, Jovem patrem orat, ut jacturam hanc quoquo modo reſarciat. Jupiter ingentem formicarum catervam, quam in proxima quercu conſpicatus fuerat, in homines transformatam, filio donavit. Ab his Myrmidones, quoniam μύρμηξ Græcis *formica* eſt, nominati. Strabo vero *lib.* VIII. Æginetas non a formicis natos, ſed quod formicarum in morem in ſpecubus, effoſſiſque cavernis habitarent, hoc nomen accepiſſe memorat. Euſtathius lib. II. *Iliados*, a Myrmidone heroe dictos putat. Quo loco & hiſtoriæ, & Strabonis ſententiæ mentionem facit.

PELASGI.

PAUSANIAS in *Arcadicis* memoriæ prodidit, primum in Arcadia Pelaſgum, quod reliquos corporis pulchritudine & robore, tum animi præſtantia excelleret, imperio fuiſſe præfectum. Pelaſgus enim primus tuguriola, ut a frigore æſtuque tuti forent homines, excogitavit. Deinde ex animalium coriis tunicas, quibus etiam Pauſaniæ temporibus in Eubœa Phocideque utebantur, invenit. Præterea herbarum & radicum non ſolum inuſitatum, ſed etiam inſuavem peſtilentemque cibum in mitiorem ſalubrioremque convertit. Ob quas hominis eximias virtutes, regio ipſa Pelaſgia, & populi Pelaſgi cognominati ſunt. Euſtathius ſcribit, Pelaſgum Eumonis & Lariſſæ fuiſſe filium, cujus fratres fuere Pthius & Achæus, A Pelaſgo Pelaſgia, & Argos Pelaſgicum, a Phthio Phthia, Achaja ab Achæo vocata. Staphylus Naucratites Pelaſgum Argivum fuiſſe memorat, qui cum in Theſſalia conſediſſet, Theſſaliam a ſe Pelaſgiam nuncupavit.

Nulla fere fuit regio, quam non peragrarint Pelaſgi. Nam in Aſia, in Troade, in Europa, in Caria habitaverunt, ita ut latiſſime apud Veteres Pelaſgorum nomen patuerit. De Græciæ, Græcorumque nominibus hactenus. Nunc de regionibus, & celebrioribus in eiſdem aliquot urbibus dicemus.

A

DE POPULIS, DEQUE REGIONIBUS GRÆCIÆ,

ET IN EISDEM CELEBRIUM ALIQUOT URBIUM

DESCRIPTIONES.

B

IN recenſendis Græciæ regionibus, ac populis, eum ordinem quem pleroſque Veterum obſervaſſe video, retinebimus. Ab Oriente in Meridiem & Occaſum migrabimus, ab Occaſu rurſus per Septentrionem ad Orientem redituri. Itaque juxta præſcriptum modum has præcipue regiones proſequemur:

Atticam
Bœotiam.
Megaridem.
Phocidem.
Locros.
Ætoliam.
C Acarnaniam.
Amphilochos.
Epirum.
Caſſiopæos.
Theſprotas
Chaoniam.
Macedoniam.
Theſſaliam.
Phthiotidem.
Dorida.

ATTICA.

D

AB exortu ſolis iter ingredientibus, prima omnium Attica occurrit. Quæ quamvis in pictura non ſit expreſſa, tamen a ſtudioſis eo loci ubi Athenæ poſitæ ſunt, grandiuſculis literis erit annotanda. Ut enim in orbe terrarum media eſt Græcia, ita in ipſa Græcia media eſt Attica: in media Attica, urbium clariſſima Athenæ. Habet autem Attica ab Oriente Ægeum mare, ab Occaſu Megaridem, Bœotiam a Septentrione, a Meridie Saronicum ſinum. Plinius Atticæ ſitum in hunc modum poſuit: *Ab Iſthmi anguſtiis*, inquit, *Hellas incipit, a noſtris Græcia appellata. In ea prima Attica, antiquitus Acte vocata. Attingit Iſthmum parte ſui,* E *quæ appellatur Megaris, a colonia Megara e regione Pagarum.* Hæc Plinius. Locos omnes indicat pictura, præſertim Megara & Pagas: quæ duæ urbes in Atticæ finibus, tanquam ſcapulæ poſitæ ſunt. Iſthmus collum, Peloponneſus caput & arx totius Græciæ.

Strabo cum diſtantias a Sunio promontorio ad Piræeum Athenienſium portum, & a Piræeo ad Schœnuntem urbem, a Schœnunte ad Pagas diligentiſſime (ita enim ſolet) proſecutus eſſet, Atticæ ſitum in ſequentem modum depingit.

ACTE *undique mari circumflua eſt, principio arcta, deinde in mediterranea vergens, fit laxior.* F *Nihilominus tamen ad Oropum* (locus ſtatim tibi in pictura occurret) *Bœotiæ urbem converſa, lunæ ſemiplenæ ſpeciem præbet. Ita ut bujus gibbus circumferentiæ ad mare deflectatur. Atque illud eſt alterum Atticæ ad orientem latus. Septentrionale vero latus, montana illa Attica ab Oropia in occaſum, ad Megaridem uſque extendit, Bœotiam ab Attica disjungens.* Circumfer quæſo per totam Atticam oculos, & videbis Strabonis deſcriptionem, cum locorum poſitura pulcherrime aptiſſimeque quadrare.

Attica prius Ionia dicta est, ab Ione Apollinis & A Creusæ filio, ut a Stephano scriptum inveni. Sed superius in Græciæ nominibus indicavimus, Ionem Xuthi filium fuisse, & ab eo Atticam Ioniam nuncupatam. Strabo Athenienses simili modo Iones dictos asserit: & ab his Iones, qui in Asiam consedere, fuisse appellatos, ut etiam in situ Græciæ docuimus. *Erant inter Iones, hoc est, Athenienses & Peloponnesios, de finibus crebræ disceptationes, maxime super Cromyonia urbe. Deinde utriusque populi consensu, circa Isthmum statua fuit erecta, cum inscriptione Græca, quibus conditionibus & pactis res inter eos esset transacta. In ea parte statuæ, quæ ad Peloponnesum vergebat, scriptum erat:* B

HIC PELOPONNESUS, NON IONIA.

In altera statuæ parte, quæ Megaram respiciebat, ita legebatur:

HIC NON PELOPONNESUS, SED IONIA.

Hæc Strabo sub initium *libri* IX.

Plutarchus Græcorum doctissimus, hanc rem paulo aliter scribit in *Theseo*. *Cum Theseus*, inquit, *Megaram Atticæ conjunxisset, statuam in Isthmo posuit inscripto epigrammate, quod alterum ab altero populum secernebat, bis duobus trimetris* (quos ex Plutarcho subjecimus.) *In parte statuæ quæ Orientem respiciebat, ita scriptum erat:* C

Τάδ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία.

Hæc vero non Peloponnesus, sed Ionia.

In parte vero quæ Occasum, hæc erant verba:

Τάδ' ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία.

Hæc vero sunt Peloponnesus, non Ionia.

Habuit Attica & alia nomina. Nam ab Actæone *Actiam*, ab Atthide Cranei filia *Atthidem* & *Atticam* dictam volunt, a Mopsopo *Mopsopiam*. Strabo Athenas etiam *Posidoniam*, a diis ejus regionis præsidibus, appellatam esse contendit. Stephanus totam Atticam *Ogygiam* nominari scribit, authoremque advocat Characem. Sed de his omnibus diligentissime in *Atticis* Pausanias. D

Fuere in Attica multæ præclaræ urbes, sed omnium nobilissima.

ATHENÆ.

QUOTIES Scriptores rerum magnitudine aut splendore opprimuntur, supraque suas vires onus quod suscepere futurum verentur, Sallustianum illud in ore habent, quod is de Carthagine dicebat: *Satius esse silere, quam parum dicere*. Hoc idem & mihi nunc faciendum erat, *cum Athenæ* (ut Plinius ait) *nullius indigeant præconio, tanta urbis hujus superfluat claritas*. Veruntamen quia juvenibus scribimus, & ea ætas harum rerum cognitione oblectatur, de hac celeberrima urbe, non quantum ejus dignitas & splendor expostulat, sed pro cœpti operis modo brevissime dicam. E

Inter Dianæ sacellum & Eleusinem urbem Cereris fano inclytam, mediæ (ut vides) jacent Athenæ, civitas etiam ipso situ (ut dicetur) spectabilis. A Septentrione Asopum fluvium habet, a Meridie vero Ægæo mari alluitur. Aristides in *Panathenaico* scribit, hunc situm, urbis imperium & dignitatem indicare, eamque veluti commune quoddam totius Græciæ ὁρμητήριον extitisse, in quod vicinæ urbes bellicis terroribus, aut aliis malis afflictæ confugiebant. Vides enim, ut paulo longius in Orientem versa, brachia sua tanquam opem implorantibus tendat & exporrigat. Advenientes ad se Piræeus urbis portus velut in sinum gremiumque suscipit. Neque aliud quicquam est tota civitas, quam tutissimum adnavigantium receptaculum. Neque desunt his tantis urbis commoditatibus suæ deliciæ. Nam ex Athenis in adjacentes insulas brevissima sunt freta, & jucundissimi tractus, non longiore spacio, quam ipsæ inter se distant insulæ. F

Quod si quando ludere voluerint Athenienses, facillimum illis est modo circumire, modo appellere, nonnunquam pedestri, quandoque maritimo itinere circum Atticam, circumque urbem tanquam jucundissima aliqua pompa spectaculoque vagari. Cæterum quas utilitates, quos ornatus, quod decus & regioni & urbi præbeant circumjacentes insulæ, quis, rogo, dicendo explicabit? Cyclades enim, & Sporades, quæ tanquam chorus aliquis Athenas circumdedere, quid aliud sunt, quam suburbium, quam magnificæ cujusdam aulæ vestibulum? inter quas insulas urbs ipsa resplendescit, velut inter stellas Luna minores.

Hic situs, hæc ornamenta clarissimæ urbis, quæ parte mare respicit. Ad mediterranea nunc transgrediamur. Strabo scribit, Athenas petram fuisse in planicie sitam, inque orbem circumhabitatam, in qua πολιάδος Minervæ templum fuerit, quod olim urbem nominabant, ut in *Atticis* memorat Pausanias. Erat in eo templo simulachrum, quod e cœlo cecidisse credebant incolæ, juxta quod perpetuus ignis cum Parthenone, hoc est, virginum Deæ consecratarum cœtu, quem Ictinus quidam instituisse fertur. Fuit in eodem templo etiam aliud Deæ idolum, e pulcherrimo ebore a Phidia factum. Cui miraculum adjicit Pausanias, Callimachum quendam auream lampadem Deæ consecrasse, quam cum oleo replevissent, observata die revolutoque anno, quanquam noctesque diesque luxisset lampas, tamen supernatare adhuc oleum invenerunt. De Athenarum arce, deque hujus arcis propylæis, Heliodorus librum scripsit. De propylæorum vero tabulis atque picturis, Polemon. Quem etiam de donariis templi quatuor scripsisse libros memorant. Nolo prolixius prosequi, quæ Græci authores de hujus urbis Gymnasiis, porticibus, foro, theatro & templis prodidere. Hæc enim aliud tempus, & aliud otium requirunt. Nos de Piræeo atque Munychia, quoniam utrumque portum pictura nostra distincte & eleganter expressit, pauca pro instituti nunc operis modo dicemus.

Principio Athenienses Phalerum portum habebant muro conjunctum urbi, qua parte mare minimum ab urbe aberat. Quo Trojanis etiam temporibus, Mnestheo copias in bellum ducente, usi sunt. Postea cum Medi in Atticam impetum facerent, Themistocles Atheniensium dux, prudentia & audacia vir singulari, cum animadverteret Piræeum longe commodiorem esse Phalero, utpote qui pro una tres stationes navium haberet: civibus persuasit, ut relicto Phalero, Piræeum portum exædificarent. Hujus sententia a populo approbata, muro a portu ad urbem densissimo deducto, Piræeum urbis instar muniverunt. Atque uno eodemque muro Phalerum, Piræum, Munychiamque, de qua mox dicemus, concluserunt. Non fuit hic murus, ut alii, e calce aut lateritio opere factus, sed ingentes lapides figura quadrangula scitissime inter se coaptati, ferreis laminis connectebantur: tantaque latitudo ejus erat, ut onusti duo currus obviam sibi facti libere nullo impedimento aut mora progrederentur. Juxta Athenas ad Orientem, si flexeris oculos, videbis Munychiam oppidulum, muro mœnibusque cinctum, cum elegantissimo portu. quod olim instar Rhodi habitabatur, atque circuitu suo & Piræeum & reliquos portus, una cum celeberrimo illo Philonis armamentario complectebatur. Eratque locus omnis CCCC. navium capax. Non enim in bella pauciores naves mittebant Athenienses. Harpocration Munychiam conditam esse scribit a Munychio rege, Stephanus a Munycho, in eaque Dianam religiose coli: a qua, sacra Munychia, &

A

ab Atheniensibus mensis *μυνυχιών*, quod in eo hæc sacra fierent, appellatus.

De hac Munychia Epimenides Phæstius, cum Athenas venisset, videretque quæ pericula, quæ clades Atheniensibus ex ea imminerent, his elegantissimis versibus quæ opus essent facto, perquam sapienter eos admonuit:

Εἰ Ἀθηναῖοι ᾔδεισαν, ὅσα ἡ Μυνυχία.
Εἰς βλάβην συντελέσειε τῆς Ἀθηναίων χώρας,
Ἐν τοῖς ὀδοῦσιν ἂν αὐτὴν κατέφαγον, ὡς ἄρτον.
Si Athenienses scirent, qualia Munychia
Ad cladem contulerit regioni Atheniensium,
Inter dentes eam devorassent, ut panem.

Æneas Sylvius Athenas hodie parvi oppiduli speciem gerere dicit, cujus munitissimam adhuc arcem Florentinus quidam Mahometi tradiderit. Ut nimis vere Ovidius dixerit.

B

Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

O rerum humanarum miserabiles vices, o Tragicam humanæ potentiæ permutationem! Civitas olim muris, navalibus, ædificiis, armis, opibus, viris, prudentia, atque omni sapientia florentissima, in oppidulum, seu potius vicum redacta est. Olim libera, & suis legibus vivens, nunc immanissimis belluis servitutis jugo obstricta. Proficiscere Athenas, & pro magnificentissimis operibus videto rudera, & lamentabiles ruinas. Noli, noli nimium fidere viribus tuis, sed in eum confidito, qui dicit, EGO DOMINUS DEUS VESTER.

C

Sed de Athenis finem faciam, si prius nobilissimæ urbis laudes aliquot Poetarum versibus comprehendero. Homeri carmina sunt ex II. lib. *Iliados*:

Οἳ δ' ἄρ Ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον
Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος. ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος Ἄρουρα
Κὰδ δ' ἐν Ἀθήνῃσ' εἷσεν ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.
Qui vero Athenas habebant bene exstructum oppidum
Populum Erechthei magnanimi, quem quondam Athene
Nutrivit Jovis filia, peperit vero benigna Tellus
Et Athenis collocavit suo in pingui solo.

D

Et de eorum duce Mnestheo, cujus laus etiam ad Athenas pertinet.

Τῷ δ' οὔπω τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνὴρ,
Κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.
Huic autem nullus similis terrestrium fuit vir,
Ornare & equos & viros clypeatos.

Pindarus ob hunc versum, λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμα κλειναὶ Ἀθῆναι, *Pingues & decantatæ inclitæ Athenæ, fulcrum Græciæ*, magna fuit a Thebanis mulctatus pecunia. Thebani enim acerbissimo Athenienses odio prosequebantur. Sed tamen pro Pindaro mulctam Athenienses numeraverunt.

E

Aristophanes in eundem fere modum Athenas λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος, εὔανδρον γᾶν Κέκροπος πολυήρατον, *Pinguem terram Minervæ, Virorum bonorum terram Cecropis amabilem* nominavit. Quo loco interpres admonet, λιπαρὰν recte dictam a Poeta, quod opibus floreret, frugumque & olei inventio huic uni urbi tribueretur. Inter Latinos ita cecinit Ausonius in *Catalogo Urbium*.

Nunc & terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados & Consi quondam certaminis arcem,
Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ,
Attica facundæ cujus mera gloria linguæ:

F

Unde per Ioniæ populos, & nomen Achæum,
Versa Graja manus, centum se fundit in urbes.

Et M. Manilius *lib. quarto*:

Maxima terra viris, & fœcundissima doctis
Urbibus, in regnum florentes oris Athenas.

Sed hactenus de Athenis: sequitur Atticam secunda Græciæ regio,

BOEOTIA.

BOEOTIA ab Oriente habet oppositam sibi Eubœam insulam, & interfluentem Euripum, ab Occasu Phocidem, a Septentrione Ægæum mare, a Meridie Atticam, ut Eustathius scribit. Strabo hanc τριθάλαττον vocat, quod sola tribus maribus alluatur, eaque de causa regionum Græciæ omnium sit præstantissima, utpote quæ bonitate agri, frugumque copia, tum portuum commoditate cum qualibet ora Græciæ certare possit. Ejus longitudines, quas ταινίας nominat, idem Strabo diligentissime (ut nunquam non solet) *lib.* IX. describit. Stephanus hæc tria maria, quæ Bœotiam allatrare diximus, explicat. Ionium, qua Peloponnesum spectat, juxta Siphas & Creusam oppida. Alterum, qua Ægyptum & Cretam. (nam apud Stephanum pro Creta falso Cyprum positam arbitror) Tertium, quod inter Bœotiam & Eubœam fluere diximus, atque Euripum sive fretum appellari, adeo modicum illud & angustum, ut ponte continenti junctum prodiderint authores, duabus utroque in littore positis turribus: in Chalcide una, in Bœotia altera. Cæterum de reciproco Euripi cursu, deque miserabili casu apud eundem Aristotelis philosophi, in libello *de Insulis Græciæ* omnia diligentius exposuimus. Bœotia prius dicta fuit *Aonia*, ab Aone rege Neptuni filio, sive ab ejus regionis monte, ut primo libro *Thebaidos* testatur Placiades: & ipsi Bœotii, Aones. Qua voce etiam Latini Poetæ libenter utuntur, ut Virgilius libro tertio *Georgicon*,

Primus ego in patriam mecum (modo vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas.

Aonio vertice dixit, hoc est, Helicone Bœotiæ monte, in quo Musarum sedes domiciliumque fuisse memoratur.

Sic apud Propertium *Aonia* lyra, pro Bœotia, quod tota hæc regio cum omnibus fluminibus, omnibusque montibus, poeticis Numinibus fuerit consecrata.

Nicocrates & Euphorion, Bœotiam a Bœoto Neptuni & Arnes filio dictam fuisse scribunt: Bœotum vero hoc nomine vocatum, quod quamprimum in hanc lucem editus fuerit, in paternarum boum fimo eum occultaverit. Euphorionis versiculos Egnatius citat, sed depravatissime excusos. Quare eos ut habentur apud Stephanum, subjecimus:

Ὄφρα κε μαντεύοιτο μεθ' υἱάσι Βοιωτοῖο,
Τὸν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη τέκεν Ἄρνη,
Βοιωτὸν δ' ὀνόμηνε. τὸ γὰρ καλέσαντο νομῆες,
Ὅττι ῥα πατρῴῃσι βοῶν ἀπεθήκατο κόπροις.
Ut oraculum consuleret cum filiis Bœoti,
Quem Neptuno subacta peperit Arne,
Bœotum vero nominavit. Sic enim vocarunt pastores,
Quia paternis boum deposuit fimetis.

Alii, vero inter quos est Castor, a bove Bœotiam nominatam asserunt, cujus ductu in hæc loca Cadmus Agenoris filius devenerit. Quam sententiam Ovidius lib. III. *Metamorphoseωn* secutus est his elegantissimis versibus.

Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis,
Nullum passa jugum, curvique immunis aratri.
Hac duce carpe vias, & qua requieverit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.

Habuit & alia nomina Beotia. nam *Mesapia*, & *Ogygia*, & a Thucydide *Cadmeis* est appellata. Sunt in hac regione Helicon & Citheron montes, Poetarum utriusque linguæ versibus celebrati. Deinde & duo ingentia flumina, Ismenus & Asopus. De Ismeno admodum multa Plutarchus in libello *de Fluminibus*, si titulus non fallit. Asopi vero fabulam copiose apud Papinium *lib.* VII. Lactantius prosequitur: Bœotiæ templis & sacris præfuisse Amphiaraum vatem, Apulejus refert: quem in *Imaginibus* Philostratus σοφὸν

ἐν πανσόφοις, *sapientem in sapientissimis*, nominat. De cujus oraculo apud Oropum Bœotiæ urbem, plurima in *Atticis* Pausanias.

In Bœotia est Aulis, cujus in Præfatione memini, capaci nobilis portu, Chalcidi civitati Eubœæ opposita. In hac Græcorum exercitus Helenam a Paride raptam repetiturus, convenit. Ajunt Agamemnonem in Aulide, aliisque plerisque Græciæ locis puteos fodisse, ab eo Agamemnonios vocatos. Stephanus hanc ab Aulide Euonymi filia nuncupatam esse affirmat, Tryphonis opinionem refutans, qui ἀπὸ τοῦ αὐλισθῆναι, *a commorando*, dictam esse putavit. Fuere præter Auliden & aliæ multæ in Bœotia præclaræ urbes, ut Lebadia, Aliartes, Plateæ, Cheronea, & Oropus, Amphiarai templo & oraculo illustrata. Sed inter has maxime illustres

THEBAE.

THEBÆ civitas Bœotiæ, inter duos nobilissimos amnes sita, Ismenum a Septentrione, & Asopum a Meridie, ab exortu solis Delum aspicit, & Auliden, de qua diximus: ab Occasu Tanagram urbem, ab Homero *Græam* appellatam.

Stephanus Thebas a Thebe Promethei, Eustathius vero a Thebe Asopi, ejus regionis fluminis, filia dictam arbitratur. Sive ut aliis placuit, quod eo loci Cadmus bovem itineris sui ducem immolaverit, atque ab hac immolatione conditam a se urbem Thebas nominarit. Quam postea Zethus & Amphion adhibita musica modulatione, muro mœnibusque cinxerunt. Fuerunt autem Amphion & Zethus Jovis ac Antiopes filii, si Pherecydi credimus. Quorum alter, Amphion scilicet, accepta a Musis lyra, tanta suavitate vocis composita a se carmina ad citharam aptavit, ut αὐτομάτως lapides πρὸς τὴν τειχοδομίαν, *ad murorum exstructionem*, (ut ille inquit) accurrerent. Quo figmento nihil aliud significatum est a Veteribus, quam tantam esse cum Musices, tum ἀπαιδευσίας vim, ut nullum non laborem perferant, quantumvis dura & agrestia ingenia, si blanditiis atque orationis suavitate ducantur. Sed ad Thebas redeamus. Stephanus novem hujus nominis urbes enumerat, atque inter has etiam Ægyptias Thebas, quas discriminis gratia Ægyptias authores nominare solent. Bœotias Thebas illustraverunt duo inclyti heroes, Hercules, & Bacchus: hic terrarum, monstrorum ille domitor. quos ob raras quasdam corporis atque animi dotes divinis honoribus, majoribus enim non potuere, immortalitati consecraverunt. Thebanus etiam fuit Pindarus, poeta inter Lyricos omnium sententia nobilissimus. de cujus laudibus extat Horatii carmen in *Odis*. Thebarum septem fuere portæ, quas Pausanias sua etiam ætate stetisse refert: quarum nomina idem author in *Bœoticis* percenset. Juvenalis peracutus poeta bonorum hominum numerum Thebanis portis parem statuit, his plane versibus, *sat.* XII.

Rari quippe boni numero sunt, vix totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Sed nunc de Megaride, quæ se ad Meridiem e Bœotia euntibus offert, dicendum est.

MEGARIS.

MEGARIDEM Atticæ partem esse, qua illa Isthmum attingit, superius ex Plinio retulimus. Ab Oriente quidem Athenas respicit, ut vides: deinde & Eleusinem urbem inter utrasque positam, Cereris & Proserpinæ templo illustratam. Ab Occasu vero Corinthiacum sinum. Cæterum a Septentrione Megaridis montana Bœotiam contingunt. Meridie Isthmus, una cum Peloponneso Megaridi conjungitur. E regione Megaridis sitæ sunt Pagæ, oppidum ejus regionis: quod Pausanias semel atque iterum πηγάς, rursus παγάς nominat. Stephanus παγάς ex professo. Strabo *lib.* VIII. earundem meminit, eadem cum Pausania vocis ambiguitate. Πηγαὶ, inquit Harpocration, *locus in Megaris, ut in quarto Atthidos scribit Hellanicus*. In Pagis (ut hæc etiam ob loci celebritatem obiter dicamus) erat ænea statua Dianæ, spectaculo & admiratione digna. Præterea & heroum Ægialei Adrasti filii, cujus historiam in *Bœoticis* Pausanias prosequitur. Sed ad Megaridem. Stephanus hanc asperam nominat, de cujus statu ex eorum testimonio qui Attica scripserunt, hæc prodidit Strabo. Pandioni quatuor fuere filii, Ægeus, Lycus, Palas, & Nisus. Itaque ut singulis singulas ditiones tribueret, Atticam in partes quatuor divisit, atque inter reliquas Megaridem Niso concessit, qui in ea Nisæam urbem condidit. Post hanc divisionem a Pandione factam, Heraclidæ una cum Doriensibus in Atticam irruperunt. E qua postea ejecti, Megaride occupata, cum in ea urbem Megara condidissent, mutato nomine incolas Dorienses nominaverunt. Divisionis hujus, Pandionis filiis factæ, Sophocles etiam meminit: cujus versus positi sunt apud Strabonem *libro nono*, statim sub initium.

Megaris multas habuit egregias urbes, quarum tamen Pausaniæ temporibus paucæ superfuere. Inter has principem locum obtinuere Megara: de qua urbe nomen toti regioni inditum, ut Plinius author est. De hac dicam brevissime.

MEGARA.

MEGARA civitas juxta Isthmum, media inter Atticam, Bœotiam, & Peloponnesum, cujus navale est Nisæa, quam juxta Megara depictam vides: a Niso Pandionis filio, ut paulo antea diximus, appellata. Stephanus Megaridem eandem cum Nisæa facere videtur, apud quem falso κνισαία pro νισαία legitur. Situm urbis facile invenies, quod sese illico intuentium oculis offerat. Megara vero a Megareo Apollinis, vel ut volunt alii Ægei, sive ut Pausaniæ placuit Neptuni filio nominata. qui cum in bello cecidisset, eo loci sepultus, urbi quæ prius *Nisa* dicebatur a Niso, nomen indidisse traditur. Stephanus ex hac urbe Theognidem poetam, qui παραινέσεις scripsit, genus duxisse refert. Quod etiam Harpocraton adserit his verbis, οὗτος δ' ἦν Μεγαρεὺς ἀπὸ τῶν πρὸς τῇ Ἀττικῇ Μεγάρων. *Erat vero ille Megarensis ab Megaris apud Atticam*. Suidas autem ex Megaris Siciliæ, quæ alia est ab hac nostra. Volaterranus Stephani sententiam secutus, quod fere semper facit, eadem in *Commentariis suis Urbicis* scripsit. Sed enim qui vir fuerit Theognis, qua Olympiade floruerit, quæ scripserit, Suidas *eo in loco*, quem citavimus, exposuit. Strabo lib. IX. *Geographiæ*, Megaricam sectam ex Megaris originem accepisse tradit, cujus princeps fuit Euclides, & ipse quidem Megarensis: qui Mathematices principia, totiusque hujus disciplinæ artem immensa subtilitate descripsit. Hunc hodie in Schola Argentoratensi magna cum laude profitetur Christmannus Herlinus, homo mihi ob singularem eruditionem, & candidissimos mores, ob summam erga me fidem & observantiam non tantum charus, sed etiam conjunctissimus. Nemo enim me invisit frequentius, nemo familiarius consolatur, nemo colit officiosius. Neque mihi soli tantopere probantur Herlini candor & eruditio, sed omnibus qui hic optima studia profitentur. In primis autem Joanni Sturmio, ejusdem scholæ moderatori: viro in Oratoria, in Philosophia, in omni doctrinarum genere incomparabili, cujus mihi laudes opportuniore loco reddendæ.

De admirabili Megarensium fonte, deque nymphis, quas σιθνίδας incolæ vocant, pulcherrima in *Atticis* prodidit Pausanias. Sed relictis Megaris, in Phocidem pergamus.

PHOCIS.

PHOCIS Græciæ regio juxta Parnasum montem, quem hoc loco vides cum duobus verticibus & templo, prius Larnassum a Deucalionis arca (Græci enim λάρνακα arcam vocant) quæ ex Diluvio huc primum appulisse dicitur, appellatum. Habet ab Oriente Bœotiam, ab Occasu Locros Ozolas, sinum Crisseum a Meridie, a Septentrione Helladen. Ad Meridiem quidem in littore tres urbes aptissimo ordine positæ sunt: Anticirrha, Crissa, a qua sinus nomen accepit, & Cirrha antiquum oppidum Apollini consecratum, a quo Cirrhæus Apollo a Poetis dicitur: ut, *Cirrhæi spicula vatis*, apud Juvenalem.

Phocidem dictam volunt a Phoco Corinthio, Ornythionis filio, ut Hecatæus & Pausanias tradiderunt. Cujus incolæ Phocenses dicti, diversi a Phocensibus in Ionia habitantibus, & a Phocæa urbe id nominis sortitis, ut Stephano visum est. Eustathius autem in *Catalogo*, Phocidem a Phoco Æaci & Psammathes Nereidos filio dictam esse credit.

Olim hæc regio a mari ad mare extendebatur: verum ut in rebus humanis magnam vim habet fortuna, magnam item temporum vicissitudo, ea pars Phocidis quæ Euripum respiciebat, Locrorum Opuntiorum ditionis facta est. Id quod perquam eleganter pictura indicat, Opuntiis minutissimis punctulis circumscriptis.

Habet hæc regio inclytas urbes multas, Elatiam, Butium, Daulidem, Pythiam, Ægosthemam. sed omnium clarissima Delphi, ob celebratum ab authoribus Apollinis oraculum. De qua ut dicamus, ipsa loci claritas exigere videtur.

DELPHI.

AD hujus urbis situm quod attinet, in pictura vides tres urbes in meridionali littore ordine collocatas, ut diximus, inter quas est Cirrha, supra quam Delphi: supra Delphos Chalæos civitas, sive Chalæon, ut ex Hecatæo Stephanus refert, Locrorum oppidum, veluti circumposita puncta indicant. Ab Occasu non inelegantem sinum habent Delphi, in cujus intimo secessu Chalæos (ut vides) sita est. Delphos Apolline insignes, Lycophronis interpres a Delpho Neptuni filio dictos putat. Stephanus ab eo, quod in delphinem mutatus Apollo, eo nataverit. Apud Delphos templum fuit omnium totius Græciæ celeberrimum, cum oraculo, quod donariis, opibus, fama, reliqua omnia superavit. Nam Alexander Amyntæ filius, Macedoniæ rex, tantis divitiis tantaque rerum omnium abundantia & copia florebat, ut ex solido auro statuas Delphos mitteret, authore Solino. Herodotus & Plutarchus Crœsum Lydorum regem, mille ὁλοχρύσους lateres Delphis dedicasse, memoriæ prodiderunt: ex quibus Apollini ara tota aurea conflata & extructa. Quam rem Joannes Tzetzes scriptorum quos ego unquam legi doctissimus atque diligentissimus, his elegantibus versibus exposuit:

Χιλίας πλίνθους εἰς Δελφοὺς τῶν ὁλοχρύσων Κροῖσος
Ἔστειλε, πάγχρυσον βωμὸν Ἀπόλλωνι γίνεσθαι.
Mille lateres ad Delphos ex meris aureis Crœsus
Misit, ad totam auream aram Apollini faciendam.

Nota est Bruti historia, qui in sambuco excavata aureum munus Deo Delphico obtulit, quo se putabat Romani imperii gubernationem promeruisse. Ælianus lib. IX. *Variæ Historiæ*, scribit nonnullos Græciæ adolescentes libidine diffluentes, & intemperantia, Phrynes meretricis auream imaginem apud Delphos erexisse. Quam vivam tantæ formæ elegantia fuisse tradit Athenæus, ut ab ea nuda Apelles ἀναδυομένην Venerem depinxerit, qua apud Græcorum Poetas epigrammatarios nihil est tritius, nihil celebratius. Quemadmodum & Praxiteles suam illam Cnidiam Venerem ab eadem formasse refertur. Athenæus tamen auream illam Phrynen, non a juvenibus Græciæ, sed a Perictionibus Delphis positam adserit, & a Praxitele sculptam, cum hac inscriptione, Φρύνη Ἐπικλέους Θεσπική, *Phryne Epiclis Thespiensis*. De qua Crates Cynicus philosophus dixerit, τὸ τῶν Ἑλλήνων ἀκρασίας ἀνάθημα, *Intemperantia Græcorum donarium*. Belle admodum, & libere, & philosophice. Quid enim turpius, aut impudentius facere potuissent, quam ingenti sumptu, ingentis intemperantiæ exemplum posteris relinquere? His atque aliis innumeris muneribus, non ex Græcia tantum, sed fere toto terrarum orbe allatis, admirandum in modum crevit hoc templum. Quod Senones Brenno duce, hac opulentia illecti, misere despoliaverunt. Ob quod facinus, in quas clades, quæve discrimina inciderint, late Græcorum historici, & *lib.* XXXVIII. ab V. C. T. Livius commemoravit. De oraculo Delphico Alexander historicus, & de templi donariis Alcetas proprios libros composuerunt.

Livius in eo *libro* quem in Præfatione citavimus, Delphos umbilicum totius orbis appellat. quod qua ratione ab historico doctissimo factum sit, Strabo *lib.* IX. explicat: fabula de duabus aquilis a Jove, ab Oriente una, ab Occasu altera emissis, & eo loci convenientibus recitata. Cujus etiam in *Phocicis* Pausanias, & Pindari interpres in *Pythiis* meminere. Ovidius lib. X. *Metamorph.* uno fere versu rem omnem expressit, cum cecinit:

— *Et orbe*
In medio positi caruerunt præside Delphi.

Et *lib.* XV.

— *Mediamque tenentis*
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi,

Verum multo copiosius hæc Lucanus *lib.* V. ubi Delphici oraculi originem versibus gravitate horrendis describit. Sed nunc fortassis nimium de Delphis. Delphos sequuntur Locri Ozolæ cognominati.

LOCRI.

LOCRI Doriden aspiciunt a Septentrione, a Meridie Antirrhiam, ab Oriente Phocidem juxta Cirrham, ab Occasu Ætoliam, Evenumque fluvium, Locros ab Ætolis (ut vides) dividentem. Tum vero & ingentem sinum cum Chalæo urbe, de qua paulo antea diximus. Huic Thucydides multas alias urbes adjungit, quarum nunc nullum extat vestigium. Strabo de Locrorum situ in hunc fere modum. *Quemadmodum*, inquit, *Phocis Bœotiæ adjacet, ita & Phocidi Locris, a Parnaso monte in duas divisa partes: quarum una occidentali parti Parnasi adjacens, in Crisseum usque sinum porrigitur: altera in orientem flexa, Eubœo mari finitur.* Itaque Strabo triplices facit Locros, Ozolas, Opuntios, & Epicnemidios. Locri Ozolæ occiduam partem Parnasi accolunt, ad Crisseum sinum, ut diximus. Qui ad aliorum discrimen, quod occidentaliores sint cæteris, Hesperii Locri appellantur: eamque ob causam Hesperum stellam publico sigillo insculptam ferunt. Opuntii vero a metropoli sic nuncupati, Bœotiis & Phocensibus finitimi sunt. Epicnemidii a Cnemide monte Malientibus & Oetæis vici-

A vicino. Inter Epicnemidios & Hesperios Locros Parnassus mons sese medium in Septentrionem exporrectus attollit. Sed de locorum situ hactenus.

Cur autem Ozolæ dicti sint, Eustathius lib. II. *Iliados* multa ex Commentariis quos *in Dionysii Geographiam* scripsit, in medium adfert. Inter alia, Locros Caprarios fuisse, & hircorum ἀβυρσώτοις pellibus indutos, fœdo odore infecisse omnia. Strabo *lib.* IX. aliam cognominis causam recenset. Tumulum, seu collem in Locris esse Taphossum appellatum, in quo Nessus cum cæteris Centauris fuerit sepultus: quorum putredo & tabes in tumuli radices defluens, locum odore teterrimo fœdaverit, a quo B Ozolarum natum sit nomen. Pausanias in descriptione Locrorum, quatuor cognominis caussas enumerat, inter quas etiam hujus meminit. Sed quam postremo adducit, non aliena mihi a vero videtur. Scribit autem, plurimum Asphodeli in his locis nasci, qui cum floret, odorem omnium asperrimum ex se diffundit.

In hac regione fuerunt & aliæ non ignobiles urbes. In primis autem Amphissa, quæ quoniam in pictura longe inter alias eminet, de ea pauca dicemus.

AMPHISSA.

C AMPHISSA Locrorum maxima & nobilissima civitas fuit, (ut inquit Pausanias) cui Chaleos urbs vicina ab Oriente, ab Occasu Evenus fluvius, a Septentrione Corax mons, a Meridie vero sub se habet Naupactum urbem maritimam. Est autem Naupactus (ut de hac etiam obiter dicamus) adeo Locrorum Ozolarum urbs Antirrhio propinqua. Inter quam & Antirrhium, media ponitur, ut vides, Molycria, Molycrion dicta Thucydidi, Ætolis a Strabone & Stephano attributa. Ego sane, nisi me fallunt punctula, Locris ascriberem, quod etiam Ptolemæum fecisse video. Plinius cum Strabone & Stephano consentit. Sed in his mire va- D riant Geographi, quemadmodum & in Naupacto, quam Stephanus Ætoliæ, Strabo & Ptolemæus Locrensibus Ozolis adscribunt. Plinius Melam suum secutus, hanc cum Stephano in Ætolia collocavit. Quam authorum discrepantiam hinc ortam crediderim, quod regionum terrarumque fines alii aliter delineaverunt. Quinetiam & belli temporibus, ex victorum libidine, locorum nomina facile permutantur: quod vel uno nemini non cognito exemplo liquere potest. Cum enim Alexander Magnus & ejus successores rerum potirentur, multa in Macedonum jus & nomen concesserunt, quæ prius alterius erant E & juris & ditionis. Sed ad Naupactum redeamus. Straboni *lib.* IX. ab eo dicta videtur, quod illic Heraclidæ in Peloponnesum descensuri, naves compegerint: quam sententiam etiam Stephanus secutus est. Ephorus autem hinc nomen accepisse prodit, quod ante id tempus Locrenses Naupacto pro construendis navibus usi sint. Quæ mihi sententia probabilior videtur. Erat quidem hæc civitas Locrensium, sed exorta inter hos & Ætolos nescio qua contentione, Philippus ab utrisque arbiter electus, Ætolis eam adjudicavit. Naupactia carmina fuerint, & a quo decantata, latissime sub finem ultimi *libri* prosequitur F Pausanias. Nos ad Amphissam regrediamur. Distat a Delphis urbe Phocensium centum & viginti stadiis: quam in editioribus Cressei campi tumulis sitam esse, Strabo scriptum reliquit. Hanc Stephanus & Suidas Amphissam dictam fuisse arbitrantur, quod utrinque montibus sit circumvallata. Quemadmodum & Amphipolis, quam undique Strymon amnis circumfluit. Pausanias in *Phocicis*, ab Amphissa Macaris filia, ab Ætolo genus ducentis, vocatam asserit: quam Apollo Musicus deus in deliciis habuisse dicitur. Amphissi offensi Locrorum Ozolarum graveolentia, de qua paulo antea diximus, a Locrensibus discesserunt, & in Ætolorum se jus ditionemque contulere. En aliam finium mutandorum caussam. Habuit Amphissa pulcherrimam arcem, arte & natura, hoc est, rupibus mœnibusque egregie munitam, in qua templum erat Minervæ, cum simulachro æneo erecto, quod inter cætera eversi Ilii spolia a Thoante in Amphissam translatum fuisse putaverunt. Quanquam hoc Pausaniæ alienum a vero videatur. Ajunt in hac urbe Amphissæ sepulchrum, a qua nomen urbi inditum fuisse demonstravimus, in loco illustri positum, inspicientibus admirationi esse. Sed huc usque de Amphissa. Nunc in Ætoliam proficiscamur.

ÆTOLIA.

AETOLIÆ ab Oriente adjacent Locri Ozolæ, ab Occasu Naupactus & Molycria (ut vides) ab Occasu Achelous fluvius, qui Ætoliam ab Acarnania separat. Cæterum a Meridie apparet Ionium mare, & Echinades insulæ: a septentrione Callidromus mons. Author *Chrestomathiæ* Ætolos latus occidentale Parnassi, quemadmodum & Ozolas, accolere scribit, Strabonem suum secutus, qui Ænianes Ætolis finitimos fecit, & juxta Coracem montem eos habitare affirmat, quem Callidromo vides esse conjunctum.

Ætoliam ab Ætolo Endymionis filio dictam, ex Strabone refert Eustathius, in *Catalogo*. Ætolus enim ex Pisa Peloponnesi urbe a Salmoneo ejectus, in Ætoliam migravit: & a se regionem, in qua prius Hyantes habitaverant, Ætoliam cognominavit.

Ætoliam Evenus, liquidissimus amnis perfluit, prius Lycermas vocatus. Qui inter Calydonem Ætoliæ, & Molycriam Locrorum urbem, in mare devolvitur: quod tam clare, tam perspicue pictura commonstrat, ut nihil possit pingi clarius, nihil planius. Ephorus memoriæ prodidit, a nemine unquam subactos fuisse Ætolos, sed sui semper eos juris extitisse: cum ob regionis Locrorumque asperitatem, tum incredibilem, qua pollebant Ætoli, bellandi peritiam. Donec ex Elide Ætolus Endymionis filius (ut dictum est) in hæc loca expulsus, Curetes, qui tum Ætoliam tenebant, in Acarnaniam relegavit.

In Ætolia fuere multæ vetustissimæ urbes, decem numero: inter quas longe prima fuit Calydon, de qua pauca subjecimus.

CALYDON.

CALYDON civitas Evenum fluvium ab Oriente habet, ab Occasu Pleuronem Curetum domicilium, nam Pleuronii fuere Curetes, a Cureo monte, ut quibusdam placet, vocati. A Septentrione Olenon urbem, quam Achajæ & Ætoliæ adscribunt, ab Oleno Jovis filio nominatam, ut in coloniis Ægyptiis prodidit Istrus: a Meridie Ionium pelagus. Est autem dicta Calydon a Calydone Endymionis, vel, ut alii tradidere, Ætoli filio. Quæ olim una cum Pleurone totius Græciæ πρόχημα fuit, ut memorat Strabo. Nunc eo miseriarum ambæ urbes redactæ, adeo labefactatæ bellis, ut nihil aliud hodie sint, quam ruinæ & rudera. Eustathius multis verbis explicat quid apud Strabonem sit πρόχημα, & ex Pindaro velut elegantem splendidumque aspectum reddit: nisi cui magis arrideat, πρόχημα Græciæ, tanquam totius regionis vestibulum, seu propugnaculum & ornamentum appellari. Quod si picturam diligenter inspexeris, videbis inter duos fluvios, Evenum & Acheloum, pro munimento Græciæ, nihil firmius, nihil etiam pulchrius potuisse constitui. Porro de Calydonio apro, de Meleagro & Atalante, pleni sunt poetarum libri. Et eam historiam elegantissimis versibus descripsit *Chil.* VII. Jo. Tzetzes. Sed nunc ad Acarnaniam pergamus.

*****

ACARNANIA.

HANC ab Ætolia dividit Achelous fluvius, e Pindo monte in Austrum defluens, prius Thestius appellatus: deinde ab Acheloo Oceani & Najadis nymphæ filio, qui se in Thestium præcipitem dedit, id nominis adeptus. Acarnania ab Oriente adjacet Ætoliæ: ab Occasu est Ambracius sinus, quem accolunt Acarnanes: a Septentrione, Amphilochi.

Nam supra Acarnanes (ut etiam de his in transcursu regionibus dicamus) Thesproti, Cassiopæi, Molossi, & Athamanes habitant, omnes sane Epiroticæ gentes, & in pictura diligenter descriptæ.

A Meridie Leucas & Ithaca insulæ hanc regionem aspiciunt, quarum fere *ἀντίπορθμος* est Acarnania. Porro Ætoli & Acarnanes sese gravibus olim & diuturnis bellis attrivere: tandem vero tot malis defatigati, in unam gentem coaluerunt.

Sunt autem dicti Acarnanes, quod *ἀκούρητοι* essent, hoc est, *intonsi*: veluti contra Curetes *κειρόμενοι*, a crinium tonsura, ut docuit Stephanus. Nonnulli tamen utrosque ab Heroe quodam dictos fuisse opinantur. Alii Curetes a Cureo monte, quemadmodum superius admonuimus. Sunt qui eos a puellarum Stolis, quas *κόρας* Græci vocant, nominatos esse contendunt. Aristoteles in Acarnanum politia scribit, partem Acarnaniæ Curetes, partem, quæ ad occidentem solem spectat, Leleges & Teleboas possedisse.

Ephorus Acarnaniam, si quis maritima sequi velit, principium Græciæ fecit. Si vero mediterranea secteris, a Macedonia & Thessalia Græciam orditur. Urbium Acarnaniæ clarissima fuit Actium, de qua pauca narrabimus.

ACTIUM.

INTER multos Europæ sinus, vix est alius Ambracio nobilior, non solum ob commodissimas navium stationes & portus, sed etiam clarissimarum urbium frequentiam. Nam in intimo sinu sita est Ambracia, a qua sinus nomen accepit: & in ipsis sinus faucibus, Actium promontorium, cum urbe ejusdem nominis, non Apollinis tantum fano, sed etiam aliis rebus inclyta. Hæc juxta picturam nostram ab Oriente habet Alyzeam urbem, ab Occasu Nicopolim, a Septentrione Ambraciam, a Meridie Leucaden insulam. Templi apud Actium meminit Thucydides, ex quo liquet illud pervetus fuisse, videlicet annis ante Christum natum plus minus quadringentis. Augustus Cæsar eo coloniam deduxit: & ob præclaram victoriam, qua Antonium & Cleopatram devicerat, *Nicopolim apud Actium condidit, quinquennalibus illic ludis constitutis: ampliato præterea vetusto Apollinis templo, locum castrorum, quibus in eo bello fuerat usus, navalibus exornatum spoliis, Neptuno & Marti consecravit*. Hæc quidem de Actio Suetonius in *Augusto* cap. XVIII. Vellejus Paterculus & Paulus Orosius hanc pugnam apud Actium commissam diligentissime descripserunt. Extant de eadem non ine legantes versiculi apud Propertium *libro quarto*, quorum hoc est initium:

Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ.
Huc mundi coiere manus, stetit æquore moles
Pinea, nec remis aqua favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque fœminea turpiter apta manu.
Hinc angusta ratis plenis levis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminas Nereus lunarat in arcus
Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Cætera, apud hunc vere doctum poetam require.

Macrobius libro secundo *Saturnalium* historiam huc maxime pertinentem recenset, quam in principum gratiam non gravabor subjicere. *Veterano cuidam militi, ob causam nescio quam, dicta dies erat, qua se judicio sisteret, seque adversus accusatorem tueretur. Miles non in levi periculo constitutus, ad Augustum Cæsarem accedit, orat periclitanti sibi patrocinetur. Augustus majestatis forsan suæ memor, e comitatu suo patronum militi delegit. At miles veteranus queribundus vociferatur: Ego vero, Cæsar, cum tu in Actiaco bello, in summo discrimine versareris, ego (inquam) pro te dimicavi, atque hæc vulnera, has cicatrices (nudato pectore cicatrices ostendebat) pro tua salute & incolumitate accepi, nullo pro me vicario substituto. Cæsar beneficii a veterano admonitus, ne ingratus immemorque tanti boni censeri posset, ipse suo patrocinio suaque authoritate militem defendit.* Exemplum dignum, quod in foribus vestibulisque aularum habeant principes, discantque ab Augusto, sine mora referre gratiam illis, a quibus olim in periculis extremisque difficultatibus fuere servati. Sed ordo postulat, ut de Amphilochis dicamus.

AMPHILOCHI.

AMPHILOCHI ab Oriente vicini Ætoliæ, ab Occasu Cassiopæis & Epirotis. Supra se ad Septentrionem (ut vides) Pindum montem habent, a Meridie Ambraciam, & ab ea dictum sinum Ambracium. Extenduntur (ut pictura indicat) ad Callidromum montem, & Evenum fluvium, qua parte e Pindo exoriens, & in Austrum prolapsus, in Ionium pelagus exoneratur. Strabo *lib.* VII. supra Acarnaniam & Ætoliam Thesprotos, Cassiopæos, Amphilochos, Molossos, & Athamanes, Epiroticas gentes sitas esse memorat. Ubi falso apud Strabonem pro Cassiopæis, *Assiopæos* positos invenies. Stephanus Amphilochos & Amphilochicos dici contendit, nomenque sortitos ab Argis Amphilochorum urbe. Pomponius Mela regionem Amphilochin appellat. Thucydides vero Amphilochiam. Per hanc fluit Achelous, per hanc labitur & Inachus, ab eo dictus quem in Peloponneso videbis: qui authore Sophocle, ex Pindo monte exoritur. quanquam ex Latmo monte Hecatæus eum defluere dicat, probabiliori (ut mihi quidem videtur) sententia, alium scilicet ab Argolico Inacho. Quod ideo adjecimus, ut studiosi duos esse Inachos intelligant: & Amphilochicum illum in pictura substituendum, ita tamen, ut in Acheloum amnem sese recondat.

Stephanus Byzantius scribit, in Peloponneso clarissimam urbem fuisse Argos: atque ejus nominis alias adhuc decem enumerat, inter quas & Amphilochicum Argos ponitur, ad discrimen ejus de quo in Peloponneso dicemus. Nunc Amphilochicum nobis reddendum est.

ARGOS AMPHILOCHICUM.

DE hujus urbis origine atque nomine Strabo *lib.* VII. in hunc prope modum disserit. *Post Epigonorum ad Thebas expeditionem, Diomedes accersito ad se in Ætoliam Alcmæone, communibus auspiciis cum eo Ætoliam & Acarnaniam gubernavit. Agamemnone vero contra Priamum copias apparante, utrumque ad Troianum bellum Agamemnon evocavit. Diomedes quidem Agamemnonis signa secutus, Alcmæon vero in Acarnania permanens, Argos urbem condidit, eamque a fratre suo Amphilocho, quem unice diligebat, Amphilochicum nominavit*. Hæc quidem ex Ephoro Strabo. Thucydides autem *lib.* II. ab hac sententia recedit, quam tamen *lib.* IX. Strabo recenset. *Amphilochus*, inquit, *Amphiarai filius, cum e Trojano bello rediisset,*

neque Argos illud alterum sibi pro magnificentia potentiaque sua sufficeret, in sinu Ambracio urbem condidit, eamque a suo nomine Amphilochicum Argos, & regionem Amphilochiam nuncupavit. Erat hæc urbs omnium in Amphilochia clarissima, & ab opulentissimis habitata civibus. Cum vero (ut sunt res humanæ fluxæ & mutabiles) bellis ac cladibus fuissent debilitati, vicinos Ambraciotas in urbem accersitos, civitateque donatos, in jus & societatem receperunt, a quibus & Græcorum linguam, qua nunc utuntur, & mansuetiores ritus didicere. Sed nunc de Epiro.

EPIRUS.

EPIRUS a Cerauniis incipit montibus, ut *lib.* IV. memorat Plinius. Ab Oriente Ambracium sinum & Acherontem fluvium, ut vides: ab Occasu Thesprotos, a Septentrione Cassiopæos, a Meridie Ionium pelagus attingit. Sunt autem Ceraunii montes omnium excelsissimi, ita ab assiduo fulminum impetu nuncupati. Solent enim summa petere dextra, fulmina missa, Jovis. Quoniam autem ingenti capite in Ionium mare prominent, Acroceraunia dicere consueverunt authores, quod *ἄκρα promontorium* significet Græcis.

Sunt & in aliis regionibus Ceraunii ob eandem causam ita appellati, ut apud Pomponium annotatum invenies. Theopompus Epiro XIV. gentes attribuit, quarum clarissimi fuere Chaones atque Molossi, quod scilicet ab his Epirus initium accipiat, & in Chaonia Dodonæi Jovis templum atque oraculum fuerit, religione, sanctitate, & opibus inclytum. Deinde Thesproti & Cassiopæi, qui terram beatam & uberem ad Ambracium usque sinum incolunt. Polybius gravis & diligens historicus, inter alia tradit, Paulum Æmylium subacta a Romanis Macedonia, in Epiro LXX. urbes diruisse. Epiro Cephalenia, Sybotæ, & Leucas insulæ (ut vides) objectæ sunt. De quibus quid Homerus censuerit, diligentissime Eustathius (ut solet) ex Strabonis sententia refert lib. II. *Illiad.* Ex tot urbibus Epiri, unam ab authoribus singulari studio celebratam memorabimus, Dodonam scilicet.

DODONA.

STEPHANUS scribit Dodonam Molossidis in Epiro urbem esse, Pausanias Thesprotidis: in qua primum fagus seu quercus vaticinata sit, ut docet Zenodotus; Dictam a Dodone Oceanitide nympha; Vel ut alii volunt, a Dodone Jovis & Europæ filio Thrasybulus Deucalionem e diluvio servatum, collectis qui supererant hominibus, hanc condidisse tradidit. Solet autem ab authoribus promiscue Dodon & Dodona nominari, ut Stephanus annotavit. Herodotus in *Euterpe* prodidit, inter omnia Græciæ oracula Dodonæum esse antiquissimum. Quod unum atque solum suo ævo consulere solebant Pelasgi. Quo loco historiam de duabus nigris columbis recitat: quarum una in Libyam, altera in Dodonam volaverit, atque in fago residens, consulentibus humana voce futura prædixerit, magno pudendoque hominum ejus ætatis errore, putantium ab Jove, homine omnium impurissimo, quicquam veri dici potuisse: a quo Alexander Molossicus, aliique innumeri, misere & nequiter fuere decepti. Sunt qui has columbas, Sibyllas fuisse contendant: tametsi Pausanias ab hominibus vocatas Sibyllas neget, quæ diu ante Phemenoen heroicis versibus oracula cecinerunt. E quibus hos duos Pausanias in *Phocicis* non longe ab initio refert, quos ob venerandam vetustatem subjeci.

Ζεὺς ἰὼ, Ζεὺς ἐστὶν, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μέγαλε Ζεῦ,
Εὖ κάρπυς ἀνίει; διοκλίζετε μητέρα γαῖαν.

Hos ævo nostro vir doctiss. Lilius Gregor. Gyraldus ita Latinos fecit:

Juppiter est, erat, atque erit: o sic Jupipter ingens,
Submittit fructus; hinc matrem dicite terram.

Porro Strabo oraculum hoc tandem desertum fuisse adserit, quemadmodum & alia multa. De quibus proprium libellum edidit, Græcorum omnium doctissimus Plutarchus. Eustathius docet in Dodone Dodonæi Jovis quercum fuisse, quæ sciscitantibus futura responderit. quam Sophocles *πολύγλωσσαν*, hoc est, *loquaculam* appellavit. Quemadmodum & Dodonæum æs: de quo plurima Parœmiographus Erasmus, ex Veterum monumentis diligentissime collegit. Pausanias, ut est in his rebus mirum in modum curiosus, in *Arcadicis* multas arbores enumerat, quæ diis gentium consecratæ, diutissime duraverint, perpetuoque floruerint, inter quas & hanc Dodonæam quercum percenset. Ordo postulat, ut de Macedonia dicamus.

MACEDONIA.

MAcedonia inter duo ingentia maria, Ægæum ab Oriente, Ionium ab Occasu, in Septentrionem ad Dalmaciam superioremque Myiam extenditur, ad Meridiem, modo quem præscripsimus Epiro clauditur. Præterea duobus cornibus in Orientem excurrit, in quorum altero Athos mons ingentia juga in Septentrionem attollit: Alterum cornu meridionale Pellenem & Cassandriam urbes oculis offert, ut in Græciæ situ indicavimus. *Crestomathiæ* author Macedoniam ad Drilonem fluvium, Plinius ad Strimonem usque procurrere tradit, hunc Orientis, Occidentis illum ab authoribus celebratum amnem. Meridionale latus (si picturæ ductum sequi volueris) Thessalia terminabit. Plinius cum superioribus congruit, qui Macedoniam ad Epiroticas gentes recedere, septentrionalem vero partem ad Pæoniam Pelagoniamque longe lateque exporrigi scribit. Pelagoniam sane pictura expressit, Pæoniam papyrus absorpsit.

Macedoniam Stephanus dictam esse scribit a Macedone Jovis & Thyæ filio. Hodie a nostris scriptoribus *Albania* appellatur. Plinius hanc summis laudibus extollit, olim scilicet centum & quinquaginta populis nobilem. In qua una die septuaginta duas urbes Paulus Æmylius diripuerit, atque vendiderit, quod antea ex Polybio & Strabone de Epiro retulimus. Sive in hoc discrepent scriptores: sive e duabus regionibus, quæ in unius imperii ditionem potestatemque devenerunt, unam fecerint. Quod sæpe factum esse, superius admonuimus.

Amurathes, quem Mahometis primi filium fuisse nonnulli prodidere, Macedoniam liberam regionem, suo more suisque legibus viventem, Græciæ, Asiæ, atque fere Indiæ quondam dominam, suo imperio ad Pæoniam usque subjecit. Quemadmodum & reliquam totam Græciam sequentes Turcici Imperatores, aucta potestate & immensa dominandi libidine, occuparunt, non sine pudendo Christiani nominis dedecore.

Montibus hæc regio maximis circumvallata est, ex quibus flumina & fama & natura ingentia oriuntur. Quorum omnium pulcherrimus est Axius, qui ex Scando monte profusus, longissimo cursu, non longe a Pella urbe, Alexandri Magni illius patria, in Thermaicum sinum devolvitur. Urbibus præterea multis atque insignibus ornata, quarum omnium clarissima fuit Thessalonice. De qua pro instituti operis modo, quam potero brevissime dicturus sum.

THESSALONICE.

HÆc urbs (ut vides) loco pulcherrimo, atque sese statim oculis offerenti posita est, fere in intimo Thermaici sinus recessu. Inter duo illustria flumina, Chabrim ab Ortu, & Echedorum ab Occasu, a Septentrione Amphaxitis

regiuncula urbi incumbit, a Meridie Thermaicus sinus, eam angulofo fecessu flexuque amplectitur. Prius dicta fuit Therme, a qua finui nomen impositum crediderim. Deinde cum Alexandri Magni successores rerum potirentur, multarum urbium nomina sunt immutata. Cassander, qui Thessalonicen condidisse dicitur, eam hoc nomine a Thessalonice uxore sua, & Philippi regis filia nominavit. Tametsi authores habeam, qui eam a Philippi Amyntæ filii victoria sic appellatam dicant, quod eo loci Thessalos ingenti prælio superaverit. Hoc nomen Constantii Imperatoris temporibus admodum argute & sapienter quidam Satrapa ad omen traxit. Cum enim Constantius in his locis ad pugnam a Saracenis eliceretur, noctu somnium habuit, quo clare vidit, sese in Thessalonica esse. Verum Satrapa, solerti vir ingenio, futuram Imperatoris cladem animo præsentiens, a pugna Constantium dehortatur, longe secus quam Imperatori visum fuerat, Thessalonicen interpretatus, hunc videlicet in modum, *θὲς ἄλλῳ νίκην*. Expositionem Satrapæ belli eventus declaravit. Commisso enim inter Constantium & Saracenos prælio, Saraceni victores, totum mare cruore & cadaveribus impleverunt. Strabo eam Thessaloniciam vocat, & præ cæteris Macedoniæ urbibus *δ'ανδρεῖν*, quod scilicet (ut Theodoritus elegantissime dixit) *πολυάνθρωπος* fuerit, atque fortium bonorumque civium frequentia abundaverit. Neque vero situ tantum (ut diximus) eximia fuit hæc civitas, sed etiam aggeribus, fossis, mœnibusque egregie munita. In muris frequentissimæ turres, æquis inter se spaciis disjunctæ, ædificiorum mira elegantia. In singulis urbis regionibus templa, vetustate, donariis, religione item & sanctitate augustissima. Extant ad ejus urbis cives doctissimæ epistolæ Pauli, quem illorum jucundissima consuetudine & opera usum fuisse accepimus. Itaque cum optimis legibus esset instructa Thessalonice, & rerum omnium beatissima copia floreret, in Andronici manus hæreditaria sorte pervenit. Is odio fratris sui Joannis, ad quem totius regni administratio delata fuerat, Thessalonicen Venetis tradidit: quam deinceps Amurathes Mahometis filius, Venetis gravi asperoque bello eripuit. Qua victoria & nimium blanda fortuna ebrius Amurathes, Atticam, Bœotiam, Phocidem, Ætoliam, Acarnaniam, reliquaque Græciæ ad Peloponnesum usque Turcico imperio subegit. Hæc hodie Thessalonices, nobilissimæ ac opulentissimæ urbis fortunæ, hæc e summa libertate in acerbam & durissimam servitutem dejectio. Consimilem sortem (horresco referens) nostro ævo experitur Pannoniæ inferioris regnum ditissimum, *ὁρμητήριον* olim Germaniæ, peccatis nostris summi Dei in nos gravissimam iram concitantibus. O Pannoniam, o Germaniam, o Imperium! Quo majorum nostrorum virtus, quo rerum bene gerendarum consilia, quo in adeundis perferendisque periculis robur & fortitudo nostra devenere? Fuimus Germani, o generose Tuiscon: fuit ingens gloria Germanorum, ferus omnia Juppiter acres transtulit ad Turcas, & capto Turcæ dominantur in orbe. Sed dimissis nihil proficientibus querelis & lachrymis, ad Thessaliam transgrediamur.

THESSALIA.

THESSALIÆ situm Eustathius eleganter & erudite lib. II. *Iliados* describit. *Thessalia*, inquit, *immensa est planicies, flexuosa, atque undique circundata montibus*. Ossa quidem, & Pelio, ad Orientem solem: Pindo, ad Occasum. Ex quo Peneus fluvius exoriens, ad Orientem defertur. Ad Septentrionem Olympo, ad Meridiem Othryi. qui cum Cercetio & Piero inter triginta quatuor montes (tot enim habet Thessalia) nobilissimi censentur, ob Lapitharum in his domicilia. Sunt quoque in Thessalia celeberrima flumina, sed omnia claritate superat Peneus. Qui juxta Gomphos urbem (Gomphos hic in pictura vides) exortus, Macedoniam a Thessalia discriminat, supra Bœbeidem lacum in Ægeum pelagus demersus. Hæc de Thessaliæ situ, simplicissime quidem, docendi causa. Quem si quis exactius acutiusque descriptum cupit, is Strabonem *lib.* IX. adeat, de his subtilissime differentem.

In Thessalia imperabat olim Thessalus, Herculis & Chalciopes filius, ut Homeri Scholiastes scribit: sive Phidippi, ut Apollonii Interpres, a quo regioni nomen inditum: quam Apollodorus in *Catalogo navium* in quatuor partes dividit, in Pelasgiotin, Thessaliotin, Iolcitin, & Phthiotin. Strabo pro Iolcitide, Estiæotin, Eustathius Æotin posuit. Idem Eustathius adjicit, Thessali filium fuisse Ægonem, ex quo Æmon, a quo Æmones Thessaliæ portio. Ex Æmone & Larissa Argiva, Pelasgus, Phthius, & Achæus geniti, a Pelasgo Thessaliæ civitas Argos Pelasgicum, a Phthio Phthiotis regio appellata, & Thessaliæ annexa, ut vides. Sed de situ, deque Thessaliæ nomine hactenus.

Apud omnes authores, quos ego saltem legi, nihil inveni unquam descriptum elegantius, nihil venustius, aut diligentius, quam Thessalica Tempe. Hæc quoniam Ælianus in *Varia Historia* pulcherrime adumbravit, atque is author nondum visus Germaniæ est, non gravabor in studiosorum juvenum gratiam eum locum utcunque (quis enim Æliani copiam, vim & venustatem assequeretur?) in Latinam linguam transferre.

TEMPE.

LOcus est, inquit, *inter Olympum & Ossam, excelsissimos Thessaliæ montes, divina quadam Dei providentia, æquabili inter se valle avulsos atque disjunctos. Cujus loci medium ad quadraginta stadia extenditur. Latitudo partim plethri, partim paulo majore mensura. Per mediam vallem Peneus fluvius delabitur, in quem & alii amnes confluentes, communicatis cum eo aquis, Peneum efficiunt ampliorem. Variis omnigenisque illecebris hic locus jucundissimus est, non humani ingenii aut industriæ opera, sed ipsius naturæ, sese in hujus vallis amœnitatem, tum cum conderetur, sua sponte exercentis. Plurima illic hedera nascitur, dum floret, dum germinat, admodum copiosa, generosarum vitium instar proceris adnascens arboribus serpendo in culmina conscendit. Iisdem in locis abundat smilax, quæ sese ad rupem attollens, specum petramque inumbrat, quæ sub ipsa umbra delitescit. Cætera quæcunque virent, florentque, ab omnibus conspiciuntur. Estque festa quædam oculorum celebritas. In planicie, cum media sol fervet in æstate, nemorosa quædam videres atque frequentia perfugia, in quæ viatores se ab æstu sudoribusque recreaturi, tanquam in jucundissima quædam diversoria, recipiunt. Porro perfluentium per vallem fontium magna est ibi copia, multæ denique frigidissimarum ac dulcium aquarum scaturigines: quæ si quid famæ credimus, lotis mirifice salubres salutaresque fuisse referuntur.*

Ad hæc aviculæ, passim in hos saltus & memora dispersæ, accolarum convivia suavissimo cantu exhilarant: maxime vero quæ cæteris sunt vocaliores, adeo audientium aures permulcent; ut prætereuntes hac musica deliniti, omnium laborum, omniumque curarum obliviscantur.

In utraque fluminis ripa ejusmodi sunt deliciæ, defessorumque respirationes, ut diximus. Atqui Peneus fluvius olei in morem progrediens, placidissime per media Tempe delabitur. Circa Peneum vero plurima ex adnatis arboribus, & arborum expansis ramis, umbra: ut qui in Peneo navibus devehuntur, tota propemodum die, a solis ardoribus tuti, in gratissima umbra navi-

gent. Homines qui apud Peneum fluvium commorantur, frequenter inter se cœtus aliis atque aliis locis celebrant. Re divina sacrisque rite peractis, lepidissime convivantur. Itaque cum eorum qui sacris dant operam, magna sit multitudo, minime mirum est, si ambulantium illic, eorumque qui in Peneo navigant, naribus suavissimus nidor illabitur. Hunc in modum hic locus summis honoribus, divinisque muneribus est consecratus.

Hæc ex Æliano, non ea gratia aut venustate verborum, qua luxuriat ac superfluit hic author, sed summa fide & candide reddidimus. Quod si quis Græca legere maluerit (sunt enim elegantissima) non invitus ipsa Æliani verba ex libro III. cap. I. *de Varia Historia* subscribam.

Ἔστι δὲ χῶρος μεταξὺ κείμενος τοῦ τε Ὀλύμπου καὶ τῆς Ὄσσης. ὄρη δὲ ταῦτ᾽ ἐστὶν ὑπερύψηλα, καὶ οἷον ὑπό τινος θείας φροντίδος διεσχισμένα. καὶ μέσον δέχεται χωρίον, οὗ τὸ μὲν μῆκος ἐπὶ τεσσαράκοντα προήκει στάδια. τό γε μὴν πλάτος τῇ μὲν ἐστὶ πλέθρου, τῇ δὲ καὶ πλεῖον ὀλίγῳ. διαρρεῖ δὲ αὐτοῦ μέσου ὁ καλούμενος Πηνειός. εἰς τοῦτον δὲ καὶ οἱ λοιποὶ ποταμοὶ συρρέουσι. καὶ ἀνακοινοῦνται τὸ ὕδωρ αὐτῷ, καὶ ἐργάζονται τὸν Πηνειὸν ἐκεῖνοι μέγαν. διατριβὰς δὲ ἔχει ποικίλας καὶ παντοδαπὰς ὁ τόπος οὗτος, οὐκ ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔργα, ἀλλὰ φύσεως αὐτομάτως εἰς κάλλος τότε φιλοτιμησαμένης, ὅτε ἐλάμβανε γένεσιν ὁ χῶρος. κιττὸς μὲν γὰρ πολύς, καὶ εὖ μάλα λάσιος ἀνακμάζει καὶ τέθηλε, καὶ δίκην τῶν εὐγενῶν ἀμπέλων κατὰ τῶν ὑψηλῶν δένδρων ἀνέρπει, καὶ συμπέφυκεν αὐτοῖς. πολλὴ δὲ σμίλαξ, ἡ μὲν πρὸς αὐτὸν τὸν πάγον ἀνατρέχει, καὶ ἐπισκιάζει τὴν πέτραν. καὶ ἐκείνη μὲν ὑπολανθάνει. ὁρᾶται δὲ τὸ χλοάζον πᾶν, καὶ ἔστιν ὀφθαλμῶν πανήγυρις. ἐν αὐτοῖς δὲ τοῖς λείοις καὶ καθημένοις ἄλση τέ ἐστι ποικίλα, καὶ ὑποδρομαὶ συνεχεῖς ἐν ὥρᾳ θέρους καταφυγεῖν, ὁδοιπόροις ἥδιστα καταγώγια, ἃ καὶ δίδωσιν ἀσμένως ψυχάσθαι. διαρρέουσι δὲ καὶ κρῆναι συχναί, καὶ ἐπιρρεῖ νάματα ὑδάτων ψυχρῶν, καὶ πιεῖν ἡδίστων. λέγεται δὲ τὰ ὕδατα ταῦτα καὶ τοῖς λουσαμένοις ἀγαθὸν εἶναι, καὶ εἰς ὑγίειαν ἀγαθὸν συμβάλλεσθαι. κατᾴδουσι δὲ καὶ ὄρνιθες, ἄλλος ἄλλῃ διεσπαρμένοι, καὶ μάλιστα οἱ μουσικοί, καὶ ἑστιῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς, καὶ παραπέμπουσιν ἀπόνως, καὶ σὺν ἡδονῇ. παρ᾽ ἑκάτερα δὲ τοῦ ποταμοῦ αἱ διατριβαί εἰσιν, αἱ προειρημέναι, καὶ αἱ ἀνάπαυλαι. διὰ μέσων δὲ τῶν Τεμπῶν ὁ Πηνειὸς ποταμὸς ἔρχεται, σχολῇ καὶ πρᾴως προϊών, ἐλαίου δίκην. πολλὴ δὲ κατ᾽ αὐτοῦ ἡ σκιά, ἐκ τῶν παραπεφυκότων δένδρων, καὶ τῶν ἐξηρτημένων κλάδων τίκτεται, ὡς ἐπὶ πλεῖστον τῆς ἡμέρας αὐτὴν προσήκουσαν ἀποστέγειν τὴν ἀκτῖνα, καὶ παρέχειν τοῖς πλέουσι πλεῖν κατὰ ψῦχος. πᾶς δὲ ὁ περίοικος λεὼς συνιάσιν ἄλλοι σὺν ἄλλοις, καὶ θύουσι, καὶ συνουσίας ποιοῦνται, καὶ συμπίνουσιν. ἅτε οὖν πολλῶν ὄντων τῶν θυόντων καὶ τῶν καθαγιζόντων συνεχῶς, εἰκότως καὶ τοῖς βαδίζουσι καὶ τοῖς πλέουσιν ὀσμαὶ συμπαρομαρτοῦσιν ἥδισται. οὕτως ἄρα ἡ τιμὴ ἡ διαρκὴς, ἡ περὶ τὸ κρεῖττον ἐκθεοῖ τὸν τόπον.

Ælianum historicum incomparabilem, mutuo mihi dedit vir optimus, meique amantissimus Joannes Oporinus, unicus studiorum meorum adjutor, & Mecœnas. Quem ut aliquando edat, non cessabo, sua sponte ad studiosorum hominum commoda propensum, sedulo cohortari. Thessaliæ finem imponam, si prius de Larissa, non ignobili ejus regionis urbe, pauca dixero.

LARISSA.

LARISSA ad Peneum fluvium, de quo jam diximus, sita est, ut vides: cui ab Oriente adjacet Bœbeis lacus, & Pheræ oppidum. ab Occasu Bermius mons, a Septentrione Olympus, Phthiotis regio a Meridie. Campus in quo sita est, Pelasgicus prius appellabatur, a gente passim in omnes terras, non hanc tantum regionem, dispersa. Inter Larissam & Pheras Ormenium civitas posita est, cujus Eustathius meminit. Quæ cum in pictura desit, a studiosis suo loco reddenda. Thessalicam Larissam (sunt enim & aliæ Larissæ, quarum novem enumerat Stephanus) Acrisius condidisse dicitur. In qua sententia est Apollonii Interpres, sed a Larissa Pelasgi filia nominatam adserit, advocato in testem Hellanico. Homeri Scholiastes ex eodem Hellanico a Pelasgo conditam fuisse, adstruere videtur. Quam periculosam litem Pausanias in *Corinthiacis* diremit, in Thessalia duas esse Larissas docens, atque utramque a Larissa Pelasgi filia nuncupatam. Itaque fieri potuit, ut Larissa nostra ad Peneum sita ab Acrisio, altera quæ in littore maris posita est a Pelasgo sit ædificata. Picturam consule, & sententiam nostram fortitan probabis.

Acrisium conditorem Larissæ, casu a Perseo disco interemptum, & Perseus & urbis incolæ apud Larissam magnifice sepeliverunt, apposito insigni monumento, causam interitumque Acrisii exprimente. Historiam eleganter refert Apollonii Interpres lib. quarto ἀργοναυτικῶν.

PHTHIOTIS.

PTOLEMÆUS, quem diligentissime Sophianus noster secutus est, Phthiotidem ordine pulcherrimo (ut solet) qua parte Pelasgicum sinum attingit, descripsit. *Phthiotidis*, inquit, *in Pelasgico sinu sunt Pagasæ, Demetrias, Posidium promontorium, Larissa, Echinus, Sperchia, Thebæ Phthiotides, Sperchii ostia*. Per Musas, perque Gratias poetarum numina te oro, confer cum Ptolemæo picturam, & adfirmabis te nihil unquam vidisse aut legisse pulchrius, jucundius, elegantius. Pomponius Mela Phthiotidem Macedoniæ regionem esse tradit, Plinius eam Doridi proximam facit: quo cum congruit pictura. Strabo vero Thessaliæ partem, juxta Oetam in Austrum excurrentem, a Maliaco & Pylaico sinu (Maliacum sinum hic vides) ad Dolopiam Pindique radices exporrectam: qua parte lata est, ad Pharsalum & Thessalicos campos se inflectit. Strabo Helladen, Phthiam, & Achajam, easdem esse scribit: Phthiotasque omnes, iis qui sub Achille militaverunt adnumeratos, Achæos fuisse appellatos. Homerum tamen aliam sententiam tenuisse memorat.

Quoniam autem inter alias urbes, quarum multas maximeque illustres habuit Phthiotis, Lamia se illico intuentium oculis offert in pictura, de ea solita brevitate dicemus.

LAMIA.

HÆC urbs ab Oriente Thebas, non Bœotias illas, sed Phthioticas in Maliaco sinu positas respicit: ab Occasu Othrin montem, a Septentrione Coroniam, aliam ab ea quam in Bœotia invenies: a Meridie Sperchium fluvium. Sita est autem in planicie, ad Maliacum usque sinum excurrente. Sperchius fluvius (ut vides) in Callidromo monte, vel Tymphresto, ut Straboni placet, exortus, longissimo cursu in Maliacum sinum defertur. In hujus fluminis faucibus Plinius Echinum Phthiotidis urbem positam esset docet. Pomponius autem Mela de Pegasæo sinu mentionem faciens, eum sinum ait Pagasam urbem amplecti, atque in se Sperchium fluvium recipere. Quæ ut conveniant cum pictura &

Ptolemæi ſententia, quam in deſcriptione ſitus Phthiotidis paulo antea poſuimus, doctioribus excutienda relinquo. Strabo Sperchium a Lamia XXX. ſtadiis diſtare tradidit, eumque ex Tymphreſto, ut diximus, ſcaturientem, inter Thermopylum & Lamiam in Maliacum ſinum exonerari. Sed ad Lamiam redeamus.

Dicta fuit a Lamio Herculis filio, vel ut alii volunt, a Lamia muliere, quæ tum quidem in Trachiniis rerum potiebatur.

A Lamia urbe bellum, quod Athenienſes cum Antipatro & Macedonibus Laoſthene duce geſſerunt, Lamiacum eſt appellatum: in quo totius fere Græciæ, maxime vero Athenienſium vires graviter fuere labefactatæ. Ejus belli cauſas, progreſſum & exitum, diligentiſſime deſcripſit Diodorus Siculus *lib.* XVII. & XVIII. Sed nunc de Doride dicendum.

DORIS.

DORIS Græciæ regio eſt, juxta Parnaſſum montem, ut *libro* VIII. refert Strabo: ſed *lib.* IX. paulo planius. Dorienſium nonnullos una cum Ætolis & Locrenſibus, quorum vicini ſunt, occiduum Parnaſſi latus juxta Corvum montem obtinuiſſe ſcribit. Itaque Doris inter Theſſaliam, Ætoliam & Helladen, veluti punctum & umbilicus poſita eſt. Id quod etiam Strabo diligentiſſime demonſtravit. Is Dorienſium quatuor urbes enumerat, Erinæum, Boium, Pindum & Citynum. Adjicit, Erinæo Pindum montem imminere, & eandem ejuſdem nominis fluvium præterfluere, qui non longe a Lilæa urbe, quam hic vides, in Cephiſum ſinum devolvitur. In hanc quidem ſententiam Strabo. Cæterum pictura longe aliter habet. Quod ſane doctiorum hominum judicio permitto. Staphylus, qui libros *de Theſſalia* ſcripſit, Dorienſes tres tantum urbes condidiſſe refert, Erinæum, Boium & Citynum. Quamobrem τειχάϊκες ſunt appellati. Pindari Interpres in *Pythiis* adſerit, Dorienſes in Pindo urbe una ex Tripoli, quæ in Peribœa fuit, olim habitaſſe: poſtea vero in Doridem, quæ eſt inter Oetam & Parnaſſum, profectos, ſex urbes incoluiſſe: ex quibus una cum Heraclidis in Laconiam migraverunt. Dictarum ſex urbium nomina ſunt, Erinæum, Citynum, Boium, Lilæum, Carphæa, Dryope.

Dores nomen ſortiti ſunt a Doro rege, quemadmodum Æoles ab Æolo. Doricam linguam inter cæteras inprimis elegantem & ſuavem fuiſſe, argumento eſt, Græcorum poetarum principes & crebro & libenter ea uſos eſſe. Inter quos Ibicus, Thebyrus, Pindarus, Steſichorus & Simonides: qui a dulcedine linguæ μελικέρτης fuit cognominatus. Is artem memoriæ, καὶ τρίτον φθόγγον, *& tertium tonum*, invenit: præterea & duas longas Græcorum literas η & ω, quemadmodum aſpiratas tres θ φ χ Cadmus, duplices tres ζ ξ ψ Epicharmus Syracuſanus.

HELLAS.

HELLAS, quæ a Latinis *Græcia* dicta eſt, ut ex Plinio aliquoties attigimus, in orbem ab aliis Græciæ regionibus circumvallatur. Nam ſupra ſe ad Septentrionem Phthiotidem aſpicit, infra ſe Phociden ad Meridiem, ab Oriente Atticam atque Bœotiam, ab Occaſu Doridem. Quanquam apud Veteres nonnulli, ſolam Theſſaliam Græciæ nomine vocatam fuiſſe contendant. Sed de hoc nomine ex Thucydide, Pindaro & aliis, ſuperius ſatis multa, ubi *de Græciæ nominibus* diſſeruimus.

Poſtquam autem juxta inſtitutum iter, ab Oriente in Meridiem deflectentes, ad Occaſum, ab Occaſu per Septentrionem rurſus ad orientem ſolem pervenimus, nunc per Megaridem nobis ad Iſthmum, per Iſthmum in Peloponneſum eſt proficiſcendum. Itaque in deſcribenda Peloponneſo, inſtitutum a nobis ordinem obſervabimus. Ab Oriente per Meridiem ad Occaſum, ab Occaſu per Septentrionem rurſus ad Ortum redituri.

Megaridem, de qua ſuperius diximus, Iſthmus ſequitur. Iſthmus principium & finis eſt Peloponneſi. Peloponneſi vero regiones hoc ordine collocatæ ſunt:

Corinthia.
Argia.
Laconica.
Meſſenia.
Elis.
Achaia.
Sicyonis.
Arcadia.

De harum regionum ſitu, deque celebrioribus in iiſdem urbibus, quam potero breviſſime dicam, ſi prius ſtudioſos admonuero, veram Græciam eſſe, quam in ſuperioribus deſcripſimus, & veluti totius gentis corpus. Quod ſi cui libet in re tam amœna tamque jucunda ludere, is picturam noſtram invertat: tum videbit hoc corpus, una cum Peloponneſo, hominis imaginem ad pectus uſque repræſentare. Pectus referet, quicquid a Cerauniis montibus ad Sunium promontorium deducitur. Humeri, ſeu ſcapulæ, ſunt Pagæ & Megara, collum totus Iſthmus, caput Peloponneſus, quam Græciæ nonnulli appellaverunt arcem.

Megaridem itaque ſtatim excipit Iſthmus, de quo pauca referenda, quo clariora ſint quæ de Peloponneſo dicentur.

ISTHMUS.

ISTHMUS, locus eſt (ut Apollonii docet Interpres) qui ex utraque parte pelago alluitur, tanquam ἴσμός τις. Ab eo ſic dictus, quod terra ſit anguſtiſſima, a quo & colli παρίσθμια appellantur: de quibus erudite atque doctiſſime ſcribit meus Iodocus Vuilichius in *Anatomice ſua*. quem virum, ob ſingularem in me nunquam viſum benevolentiam & amorem, merito ſummo favore proſequor. Nam de literis, quæ ſolæ gratiam omnem merentur, quid multa? quas ita complexus eſt Vuilichius, ut inter doctiſſimos ætate noſtra habeatur.

Iſthmo contrarius eſt πορθμὸς, fretum anguſtiſſimum inter continentem, quale illud eſt quod inter Rhegium & Siciliam irrumpens, Italiam a Sicilia avullit. Præterea & Euripus iſte, qui inter Eubœam & Atticam, & a Septentrione, & ab Oriente in Ægeum pelagus effunditur. Similis πορθμός inter Aſiam & Europam, qua parte Helleſpontus medium ſe inter præcipuas duas orbis partes immittit. Hujuſmodi fretum vides apud Herculis Columnas in Occidente, quod Hiſpaniam ab Aphrica divulſiſſe, nonnulli authores prodidere, cum prius utraque tellus una foret. Supra dictum in modum Iſthmos multos Geographi deſcribunt, utpote Arabicum Iſthmum, quem videas licebit inter mare mediterraneum & Arabicum ſinum. Alter inter Euxinum mare, & Caſpium ſeu Hircanum pelagus. Tertius in Cherſoneſo Thraciæ, in quo Lyſimachia poſtea eſt, nobiliſſima civitas, ut vides. Sed enim Iſthmorum omnium clariſſimus eſt Corinthiacus, qui medius inter Ionium & Ægeum mare porrectus, a Septentrione Atticam, a Meridie Peloponneſum excipit. Veriſimile eſt, nomen a Corinthia regione, ſive Corintho urbe, qua in hac ora nihil eſt clarius, accepiſſe. Si quis Argentorati urbis omnium pulcherrimæ ſitum, locique naturam diligenter conſideraverit, inveniet in ea Iſth-

mum, inveniet, & Porthmon. Nam euntibus ab æde divi Thomæ ad Occasum, ad pontem quem a re ipsa *tectum* appellamus, occurret in medio verus Isthmus, Corinthiaco nostro simillimus: siquidem mihi liceat magnis componere parva. Ibi enim oppositu pontis, fluvius Prusca in duo brachia scinditur: altero ad Septentrionem verso, ad Meridiem altero quæ non multo post coeuntia, per mediam fere urbem placidissimo cursu in Rhenum deferuntur. Fretum vero, seu πορθμὸν, si per piscatoriam turrim egrediaris, non longe a mœnibus urbis, videbis inter duas Epiros præcipiti admodum cursu, horrendaque altitudine, in laxius spacium erumpere. Quo loco sæpenumero incauti piscatores in grave discrimen ob aquæ sævitiam ducuntur. Vidi ego aliquando, vidit & meus Hedio, cum undarum impetum contemplaremur, Anshelmum, virum ordinis senatorii, una cum filio in extremum exitium deductum. Cum enim Freti vortices eos, instar Maleæ, semel atque iterum ad se traherent, vix tandem summa cum difficultate periculum evasere. Navigaturis ex Ægeo mari in Ionium pelagus, & longus & periculosus semper cursus fuit. Quod si nautis nihil aliud obstitisset, sola Malea terrori esse poterat properantibus. Est autem Malea Laconiæ promontorium, quod authores inter duos maximos sinus, Laconicum & Argolicum, quinquaginta millibus passuum in mare extendi prodiderunt. Mare quod Maleam allatrat, adeo sævum & importuosum est, adeo ventis concitatum, ut non nisi longissimo flexu a nautis superetur. Neque satis est semel evasisse, sed prope liberatos atque securos insequitur. Apprehensos aliquoties in vix evitatum periculum retrahit: ut non eleganter tantum, sed etiam vere summus poeta, *sequaces Maleæ aquas* appellaverit. His periculis, his locorum asperitatibus mederi volebant nonnulli curiosi principes, qui Isthmum perfodere tentaverunt, ut eo dissecto, atque a reliqua Græcia divulso, brevior, minusque periculosa foret navigatio. Primus omnium Demetrius rex hoc opus aggressus est, deinde Julius Cæsar, Dictator ille, & primus Rom. Imperii monarcha. Post hunc Caligula, per Claudium primipilarem. Hos sequutus Nero, cum aggrediendam fossionem censuisset, tuba signum militibus dedit, atque ipse inter prætorianos rastello effossam humum corbulis extulit. Postremus omnium Herodes Atticus, multis ab A. Gellio laudibus ornatus, cum alia præclara opera confecisset, nihil egisse se arbitrabatur, nisi & Isthmi sectionem tentasset. Sed metuens ne facile id a principe nimium ambitioso impetraret, ab incepto magnifico quidem illo, & haud dubie, si fortuna votis Attici aspirasset, utili, destitit. Magnus sane fuit & principibus dignus conatus, sed ut eventus docuit, vanus & infœlix. Permanente itaque Isthmo, cum e Græcia in Peloponnesum frequentes irruptiones fierent, maxime Persico bello, quod magna vi animi, magnoque bellicarum rerum apparatu contra Græcos Xerxes susceperat, Peloponnesii audita Spartani Leonidæ clade, quo tutiores a Persarum incursionibus forent, congregatis apud Isthmum Peloponnesi incolis, communibus suffragiis decrevere, ut a mari ad mare murus duceretur. In quod opus hominum aliquot millia, dies ac noctes, nulla interposita quiete, incubuerunt: aliis ligna, aliis lapides, aliis lateres, aliis corbes arena repletos, afferentibus. Itaque intra paucissimos dies murus stetit. Quod Peloponnesiorum factum admodum inique tulerunt Athenienses, haud aliter interpretati, ac si Persis a Peloponnesiis proderentur. Quamobrem victores postea bello Peloponnesiaco murum hunc funditus dejecerunt. Populi, qui murum hunc extruxerunt, apud Herodotum enumerantur *lib.* VIII. qui *Urania* inscribitur. Recentior ætas Isthmorum muros *Hexamilium* appellat: de quo si nonnulla subjecero, spero me rem non ingratam studiosis adolescentibus facturum.

HEXAMILIUM.

IN utroque Isthmo, Chersonesi & Corinthiaco, murum a mari ad mare deductum, apud authores invenio, scilicet muniendarum peninsularum, & arcendorum hostium causa. Quem murum castrensi vocabulo *Hexamilium* vocare consueverunt. Quanquam Hermolaus Barbarus, vir mea ætate inter doctissimos habitus, rectius *Quinquemelium* dici existimat: quod videlicet ejus latitudo quadraginta stadiis pateat, quæ miliaria fere quinque Italica conficiunt. Strabo *lib.* VIII. διολκὸν nominat, per quem a mari ad mare in plaustris naves transvehere solent, non compendii solum, sed etiam periculi vitandi gratia. Quemadmodum & Hannibalem apud Tarentum, bello Punico Secundo fecisse, Silius *lib.* XII. cecinit. Strabonis codex pro quadraginta stadiis, πεντήκοντα habet. Apud Strabonem post aliquot paginas διολκὸν invenio Schœnuntem urbem fuisse, quo loco angustissimus est Isthmus: atque ibi vetustissimum templum Neptuni videri. Paulus Jovius vocabuli originem rationemque sequutus, Hexamilium sex miliarium spacio definit, paulo majore quam Hermolaus longitudine. Amurathes Turcarum Imperator, quo minore impedimento in Peloponnesum posset irruere, Hexamilium dejecit, peninsulamque crudelissime devastavit, nullo sævitiæ, nullo immanitatis exemplo relicto. Nam incolas partim occidit, partim in vincula conjectos ad miserabilem atque durissimam servitutem abduxit. Post acerbissimam hanc cladem Anno Redemptionis nostræ MCCCCLIII. Veneti destructum a Turcis Hexamilium intra decimum quintum diem restauraverunt triginta millium hominum opera ad conficiendum hoc opus usi: acceptis prioribus lapidibus quadratis illis, & ad regulam aptissime conjunctis.

Cum vero in Hexamilio magnum esset operæ precium, semper utrisque populis, Turcis atque Christianis, præcipua cura fuit demoliendi vel reficiendi Hexamilii. Sed nunc relicto, cum Hexamilio, Isthmo, in Peloponnesum cum Heraclidis descendamus.

PELOPONNESUS.

HELLADEN, seu Græciam, ut supra docuimus, excipit Isthmus. Isthmi finis, initium est Peloponnesi, quemadmodum argute & vere dixit Pindari Interpres. Peloponnesum ab Oriente respicit mare Creticum: ab Occasu Ionium, sive Adriaticum: a Septentrione, Corinthiacus sinus, una cum Isthmo: a Meridie mediterraneum pelagus, quod irruptione apud Gades in terras facta, Europam ab Africa longissimo cursu discriminat. Græci Latinique autores Peloponnesum platani folio similem esse tradiderunt, quod hæc insula multos angulosos habeat recessus, ut Plinius inquit. Quam rem Dionysius Apher duobus propemodum versibus elegantissime expressit:

—— Πέλοπος δ' ἐπὶ νῆσος ὀπηδεῖ,
Εἰδομένη πλατάνυ μυαρίζοιτι πετήλῳ.

Quos sic reddidit Rhemnius Fannius Latine,

—— *sequitur Pelopis post insula lata,*
Consimilis folio platani, quod muris acutam
Æquiparat caudam. ——

Peloponnesus olim dicta fuit Ægialia, ab Ægialeo Inachi Argivorum fluminis, & Meliæ Oceanitidis filio. Deinde Apia, ab Apide Phoronei, vel, ut Pausanias refert, ab Api Telchinis filio. cujus opes atque potentia adeo tum crevere, ut a nomine suo Ægia-

leam Apiam cognominarit. Quanquam Athenæus *lib.* XIII. a pirorum proventu, Apiam vocatam asserat. In qua etiam sententia Stephanum fuisse video. Theocriti Interpres, ni fallor, in diversa fuit opinione, qui ἀπίυς, hoc est, *pira*, a Peloponneso nomen accepisse putat, quod in ea primum insula hic fructus apparuerit. Cum autem ex Phrygia Pelops Tantali filius in hæc loca venisset, rerumque in Apia potiretur, a se *Peloponnesum*, veluti Πέλοπος νῆσον nominavit. Pelopi vero unde hoc nomen evenerit, pluribus verbis in *Cratylo* disputat Plato. Homerus non uno in loco Peloponnesum Argos appellat, ab urbe, ut verisimile est, qua nihil est in hac insula nobilius. Vel ab Argo, ut Euripidis Interpreti placuit, Ιῦς in vaccam conversæ custode, quem in Peloponneso olim regnasse memorant. Cui sententiæ in *Catalogo* adstipulatur Eustathius. Cæterum Homerus nonnunquam Peloponnesum Argos ἱππόβοτον appellare solet, ab equorum illic provenientium præstantia. Quod in *Odis* sequutus est Flaccus his versibus lib. I. od. VII.

Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

Strabo ex Ephoro refert, hanc insulam etiam Pelasgiam nuncupari, quod ante Danai adventum Pelasgi Peloponnesum tenuerint. Quoniam autem una cum Pelope Achæi in Peloponnesum migraverunt, Laconica regione occupata, eo magnitudinis ob res præclare gestas devenerunt, ut totam a se insulam Achaicum Argos cognominaverint. Tametsi Eustathius hanc tueatur sententiam, Laconiam proprie Achaicum Argos nuncupari. Sed de Peloponnesi nominibus satis esse dictum existimo.

Herodotus *libro* VIII. septem in hac insula gentes olim habitasse scribit, videlicet Arcades, Cynurios, Dorienses, Ætolos, Dryopes, Lemnios, & Achæos, e quibus duæ in ipsa insula natæ, Achæi tantum sedes mutarunt. Reliquæ vero, Dorienses, Ætoli, Dryopes, Lemnii, adventitiæ: vel (ut ipse dicit) ἐπήλυδες extitere. Cæterum Dorienses multas in Peloponneso insignes urbes condiderunt, Ætoli solam Eliden, Dryopes Hermionen & Asinem. quas omnes ordine vides in picturas expositas.

Thucydides in principio *suæ Historiæ*, Dorienses octuagesimo post eversum Ilium anno una cum Heraclidis Peloponnesum occupasse refert. Quo in loco Thucydidis Scholiastes, non pessimus author, quinque Peloponnesi partes enumerat, Laconicam, Arcadiam, Argolicam, Meseniacam, & Eliden: quo de numero quid dixerit senseritque Pausanias, statim apud eundem sub *Eliacorum* initium invenies.

Cum itaque Arcades & Achæi αὐτόχθονες fuerint, ab Achæis non solum Achaia, quam propriam dicimus, sed & ipsa tota Peloponnesus id nominis est sortita: id quod non uno in loco poetæ scholia testantur.

Novissimi omnium Corinthii hanc insulam incoluere: quorum urbs in Isthmi fine, ut postea dicetur, & principio Peloponnesi posita est. Corinthiis proximi sunt, si maritimam oram sequi volueris, Epidaurii. Epidaurum sequitur Trœzene, Trœzenen Hermione & Argolicus sinus: deinceps reliqua Peloponnesi. Quæ omnia Ptolemæus admirabili ingenio, & exactissimo locorum ordine prosequitur: quem passim diligentissime sequutus est noster Sophianus, cui certe primum hujus laboris honorem debemus. Alterum, egregio viro Conrado Huberto, qui singulari industria, neque minore sollicitudine, Sophiani archetypon est imitatus. Nos totam insulam, quo facilius omnia inveniri possint, in tria latera secabimus, Orienta-

A le, meridionale, & occiduum. Atque ab Oriente exorsi, totam Peloponnesum circumvagabimur, donec ad Lechæum promontorium, deinde ad Arcadiam, quæ hujus insulæ medium, tanquam umbilicus occupavit, redierimus. Sed enim ante partium contemplationem, non alienum forsan ab instituto fuerit, si quæ de totius insulæ laudibus veteres authores prodidere, subjecero.

PELOPONNESUS (ut inquit Plinius) *peninsula est, haud ulli terrarum nobilitate postferenda.* quam Strabo ἀκρόπολιν, hoc est, totius Græciæ arcem appellat. Nam præter magnitudinem & populorum in ea habitantium potentiam, ipse locorum situs, imperii quandam præ se fert majestatem. Est B enim incredibile dictu, quanta varietate se mutuo sequantur innumerabiles sinus, quo inter se ordine montium prominentiæ cohæreant atque connectantur, quot undique se offerant aspectu jucundissimi Chersonesi. Et in quo naturæ opificium singulare admirari poteris, tota insula, nisi qua Isthmo adhæret, spacioso mari, veluti muro circumvallatur: ut non inepte apud T. Livium Quintus dixerit, *Achæos Peloponneso, tanquam testudinem testa sua inclusos, in ea si manserint, tutissimos fore: egressos autem, nulli non periculo obnoxios futuros.* Quod si quis vel Taygeti vel Acrocorinthi culmen conscenderit, non solum ipsam Peloponnesum sed etiam utrum- C que mare poterit circunspicere. Tum in ipso pelago passim inter se ludentia navigia, erumpentes e montibus lucidissimos amnes, in montibus aptissime collocatas arces, fertiles agros, agrorumque umbracula sylvas. Deinde, quod hæc omnia superat, urbes instar coronæ totam Peloponnesum complectentes. Quod vero ex Taygeti vertice hæc conspici possint, testis est Stasinus egregius poeta, apud quem in lib. *de rebus Cypriis* hi versus leguntur.

—— αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προσέβαινε, ποσὶ ταχέεσσι πεποιθὼς,
Ἀκρότατον δ᾽ ἀναβὰς διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Ταντάλιδυ Πέλοπος. & quæ sequuntur.

—— *Statim vero Lynceus*
D *Accessit Taygetum, pedibus velocibus fidens,*
Et summum verticem ascendens perspexit omnem insulam
Tantalidæ Pelopis.

Tot delicias, tot urbes per totam undique Peloponnesum dispersas, magno sane ingenio, magnoque sumptu extructas, atque olim omnium rerum copia florentes, si quis hodie e Taygeto contempletur, videbit eas fere omnes aut eversas, æquatasque solo, aut semiustas flammis, aut dirutas, & in rudera fœdissime disjectas. Quis obsecro talia fando, E temperet a lachrymis? Quis tam durus, aut ferreus, quem non tangat nobilissimæ regionis tam crudeliter devastatæ commiseratio? Dic mihi per Parcas, sævissimas deas, quot putas in hac direptione, in hoc tam pernicioso incendio, clarissimorum autorum æternitate digna monumenta interiisse? Quot putas præcepta virtutum, quot morum exempla, quot rerumpubl. pulcherrimas institutiones extirpatas, exterminatas, & extinctas? Libros Æliani *de Varia historia*, quos Oporini beneficio videre mihi contigit, jam Turcicus invaserat ignis, & ad scripturam usque penetraverant flammæ, periissetque doctissi- F mus scriptor, nisi ex media deflagratione, singularis quædam optimi Dei benignitas ipsum eripuisset. Sed ad institutum redeamus. Stephanus inter tot urbes Peloponnesi, quindecim cæteris præstantiores fuisse memorat: de quibus ex professo scripsisse Apellen, Athenæus *libro* IX. memoriæ prodidit. Ovidius libro VI. *Metamorphoseon*, nonnullas ex his una cum Isthmo, de quo diximus, aliquot versibus

sibus comprehendit: qui quoniam sunt lepidissimi, non gravabor eos subscribere:

> *Et nondum torvæ Calydon invisa Dianæ,*
> *Orchomenosque ferax, & nobilis ære Corinthos,*
> *Messeneque ferox, Patræque, humilesque Cleonæ*
> *Et Nelea Pylos, nec adhuc Pytheia Trœzen,*
> *Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo,*
> *Exteriusque sitæ bimari spectantur ab Isthmo.*

Confer hæc cum pictura, Lector, & fateberis te nihil unquam legisse jucundius. Quæ vero in hac insula memoria digna sunt, Suidas Callimachum Batti & Mesatines filium in literas retulisse scribit. Hactenus quidem de Peloponneso, non quæ magnitudo aut claritas hujus insulæ postulabat, sed quæ temporis angustia ferebat, attulimus. Nunc singulas regiones, eo ordine, quem superius instituimus, summa brevitate subjiciemus, quarum, ut vides in pictura, omnium prima est Corinthia, de qua dicere aggrediar.

CORINTHIA.

CORINTHIA regio est minime ferax, utpote assiduis collibus vallibusque non obliqua solum & inæqualis, sed etiam rupibus & saxis aspera. Quamobrem ab authoribus ὀφρυόεις est appellata: ut in oraculo quod apud Herodotum in *Terpsichore* legitur, cernere licet. Eumelus, qui Corinthius fuit, & *Corinthiaca* scripsit, tametsi de hoc opere dubitet Pausanias, Corinthiam credidit a Corintho Marathonis, non Jovis filio (ut Corinthiorum vulgus existimavit) nominatam fuisse: cum prius in his habitasset Ephyra Oceani filia. Deinde vero Marathon Epopei filius, suborta inter ipsum & patrem dissensione, in maritima Atticæ secessit. Epopeo vero fatis e medio sublato, Marathon in Peloponnesum rediens, Corinthiam regionem inter filios divisit. Ipse vero rerum administratione filiis relicta, in Atticam rediit. Itaque a Sicyone, Asopia, a Corintho, quæ prius Ephyrea dicebatur, Corinthus est cognominata. In hac regione nihil est Corintho urbe præstantius: de qua ut dicamus, non ordo tantum, sed etiam loci celebritas postulare videtur.

CORINTHUS.

PINDARI Interpres, ut etiam superius admonuimus, Corinthum in fine Isthmi, & principio Peloponnesi positam esse scribit. Quapropter & a Pindaro, Neptuni προπύλαιον dicitur: & ab Interprete in *Isthmiis*, πύλαι Peloponnesi, quod per has ad totam insulam pateat aditus. Strabo fere in fine *lib.* VIII. τοποθεσίαν Corinthi ex Hieronymo Eudoxo diligentissime depingit, atque ibi nonnulla de Acrocorintho, cujus paulo post faciemus mentionem, subjungit. Distat Corinthus ab utroque Isthmi latere sexagenis stadiis, Isthmo inter duo ingentia maria, Ægæum & Ionium, sese exporrigente. Quod uno verbo Flaccus *lib.* I. *od.* VII. elegantissime reddidit, his versibus:

> *Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,*
> *Aut Ephesum, bimarisve Corinthi*
> *Mœnia.*

Corinthus respicit ab Oriente Saronicum sinum, ab Occasu Asopum fluvium, & sinum ab urbe Corinthiacum appellatum; a Borea Isthmum, a Meridie Peloponnesum. Dicta est a Corintho Marathonis filio, si Suidæ & Eumelo credimus; sive Pelopis,

A ut nonnulli voluere. Stephanus in libro *de Urbibus* a Corintho conditore dictam asserit: quemadmodum & aliæ multæ urbes conditorum nomina retinuerunt, quas idem Stephanus in *Æmonia* enumerat. Adjicit Corinthum pluribus olim appellatam nominibus. nam ab Ephyro filio Myrmecis, quæ Epimethei conjunx fuit, Ephyra vocata est: a qua Syracusas *Ephyreas* Silius Italicus nominavit, quod ab Archia Corinthio Syracusæ fuerint conditæ. Et Propertius Laiden *Ephyream*, Corinthiam videlicet, appellat his elegantissimis versibus,

> B *Non ita complebant Ephyreæ Laidis ædes,*
> *Ad cujus jacuit Græcia tota fores.*

Eustathius tamen Ephyram ab Heroine quapiam nominatam contendit: in qua sententia fuit & Eumelus, ut ex Pausania dictum est. Invenio etiam Heliopolim vocatam Corinthum, ab æstu & siccitate soli: deinde Pagas, post Ephyram, postremo Corinthum. *Applicata est*, ut Plinius inquit, *excelso monti, quem Acrocorinthum appellant: tanta altitudine, ut in utrunque mare Ægeum atque Jonium, umbram jaculetur.* Quod venustissimis versibus expressit Papinius libro VII. *Thebaidos*, quos C subscripsi:

> *Jam pronis Gradivus equis Ephyrea premebat*
> *Littora, qua summus caput Acrocorinthus in auras*
> *Tollit, & altera geminum mare protegit umbra.*

In Acrocorintho templum fuit Isidis, de quo plura in *Corinthiacis* Pausanias.

Stephanus Acrocorinthum ait ἐπωπὴν nominari, Volateranus ἔσοπτρον, quod videlicet in Acrocorinthi vertice Sisyphus Æginam puellam a Jove rapi & abduci viderit. Apud Stephanum castigan- D dus est in *Corintho* locus, ubi ἐσωπὴ pro ἐποπὴ falso legitur. Strabo Acrocorinthi altitudinem diligenter exquirit, atque de Pirene fonte, qui infra Acrocorinthi verticem scaturit, deque ejus origine multa disputat. Hunc fontem Asopus invenisse dicitur, in Sisyphi gratiam, qui de rapta filia Asopum fecit certiorem, ut diximus. Alii Pegasi ungula effossum tradidere: ex quo res arduas scripturi poetæ bibere solent. sunt enim ejus aquæ dulcissimæ. Quamobrem Persius *Pirenen pallidam* appellavit, a scribentium vigiliis & cura. De Acrocorintho & Isthmo graves fuere contentiones inter Solem & E Neptunum. Itaque re ad Briareum tanquam arbitrum relata, Briareus Neptuno Isthmum, Soli Acrocorinthum concessit: Sol autem Veneri dono dedit. Sed ad Corinthum ipsam redeamus. Sunt in hac urbe plurima, quæ proprio volumine, majorique otio indigerent: nos ex his pauca delibabimus.

Strabo Corinthum Messeniorum urbi persimilem fuisse tradit, quod utrique civitati excelsus præruptusque mons immineat, quem uno, communique cum urbe muro inclusum pro arce habuerunt. Messeniorum mons Ithome, Corinthiorum Acrocorinthus (ut diximus) appellabatur. Qua- F propter Demetrius Phalereus, vir arguto & vafro ingenio, Philippum Alexandri magni patrem Peloponnesi imperium animo agitantem, civiliter admodum admonuisse dicitur, *si bovem hunc capere vellet, enitendum ei, ut cornibus eum apprehenderet.* Peloponnesum enim bovem, has duas urbes, Messeniam & Corinthum, quod cornuum instar duas arces haberent, cornua nominabat.

Corinthum infamem reddidit incredibilis luxus, cui maximam occasionem præbuit mere-

tricum multitudo. Nam ut Strabo memoriæ prodidit, in Veneris templo puellæ alebantur supra mille, quæ turpiter prostituto corpore, fœdissimæ deæ libidinosisque adolescentibus serviebant. Harum nomina *libro* XIII. percenset Athenæus, inter quas & Lais illa Veterum literis atque libris adeo celebrata, enumeratur. Quanquam Nymphodorus ex Hyccaro urbe genus eam traxisse contendat. In qua etiam sententia Timæus & Palæmon fuere. Stephanus & Didymus, cæterique fere omnes, Corinthiam fecerunt, quos Propertius sequutus est in versiculis, quos paulo antea citavimus.

Duæ potissimum res Corinthios in hunc luxum, & hanc vitæ licentiam deduxerunt, rerum omnium affluentia & copia, tum vero loci mira opportunitas. Nam inter duo maria (ut sæpe diximus) collocata, nobilissimos duos portus habebat, Cenchræas & Lechæum. Mercatores, qui ex Asia Corinthum advehebantur, Cenchræa excipiebant. Ad Lechæum vero nullo non die ex Europa novi hospites adventabant. Tam multis, tamque variis hominum generibus urbs magna atque omnium pulcherrima replebatur. Maxime vero mercatoribus, qui primo quoque tempore in templum Veneris, tanquam corruptæ & perditæ adolescentiæ scholam aliquam, divertebant. Ex hac peregrinorum hominum colluvie, necesse erat & civium mores corrumpi. Quapropter Lacedæmonii, quorum gravis & severa semper fuit Resp. nullos ad se peregrinos recipiebant, ne alienigenis ritibus urbis optime constitutæ status everteretur. Corinthiacorum voluptatum reliquiæ etiam ad Apostoli Pauli ætatem defluxere, qui prodigiosam ejus urbis πόρνειαν graviter & Apostolice coarguit. Sed hactenus de Corintho. Nunc recta ad Argiam ibimus.

ARGIA.

CORINTHUM (ut vides) Argia regio sequitur, orientalem oram si legeris. Hanc Myrthoum abluit mare, quod inter Atticam, Cretam, & hanc nostram Argiam longe lateque diffunditur. Strabo occiduum littus dimetiens, post Messeniam Laconiam, post Laconiam Argiam ponit, ad Isthmum usque extensam.

Demonstrantur hoc loco quinque maximi sinus, inter quos est & Argolicus, ab Argia regione dictus, quem affabre pictura depinxit. Per mediam Argiam Inachus fluvius juxta Argos urbem e saxosa convalle labitur, atque non longe a Prasia in Argolicum sinum devolvitur. Strabo etiam alterius cujusdam fluminis meminit, quod e Stymphalo Arcadiæ monte exoriens, a terra absorbetur, & tandem in Argia regione rursus erumpit: cujus in pictura quidem nullum extat vestigium. Quis enim in tam angusto spacio omnia comprehenderit? In Argia est Lerna palus, cum oppido ejusdem nominis, cujus meminit Mela. Euripidis Interpres in *Phœniss.* κρήνην vocat, καὶ πόλιν. De hac Lerna, deque Lernea hydra pleni sunt poetarum libri. Joan. Tzetzes vir doctissimus, novem ὁμοψυχοῦντας fuisse fratres credit, quorum uno ab Hercule occiso, subito alii duo e munimentis prosiliere, donec ab Hercule (quid enim non potest virtus?) ad unum omnes sunt obtruncati. Hinc ortum, ni fallor, de renascentibus toties Lerneæ hydræ capitibus figmentum. Inter ceteras hujus regionis urbes, in primis celebratum est Argos: de quo nunc instituenda oratio.

ARGOS.

DESCRIPTIO nostræ Græciæ geminum habet Argos, Amphilochicum & Peloponnesiacum. De Amphilochico superius suo dictum est loco. De Peloponnesiaco nunc dicendum.

Argos peramœno loco situm est. Nam ab Oriente Asine urbi vicina, quæ a Lacedæmonis filia nomen accepit. Ab Occasu respicit Cronium montem, a Septentrione Cleonas, a Meridie Mycenas, a Perseo Jovis filio conditas. Inter hoc Argos & Cronium montem, Inachus fluvius poetarum carminibus celebratus, decurrit. Plinius vero inter duos amnes, Inachum & Erasinum, Argos situm affirmat. Stephanus Argos propinquum facit Anthiæ urbi, cujus nullum in pictura vestigium apparet. Non longe ab Argis sita est Epidaurus, Æsculapii templo nobilis. quam, si ad Saronicum sinum oculos deflexeris, in littore jacentem videbis. Strabo scribit, ab Argis ad Corinthum itutis, medio itinere Cleonas occurrere, oppidum in tumulo positum, muro mœnibusque egregie munitum.

Argos ante Athenas a Phoroneo rege conditum fuisse, in VII. Plinius author est. quanquam alii ab Argo Agenoris filio extructum esse affirment: inter quos est Hyginus, & Eustathius Homeri Interpres. Erat enim Argus multo rerum usu, longaque experientia adeo exercitatus, ut non solum præterita memoria teneret, casibusque præsentibus optime consuleret, sed etiam futura solertissime provideret. Itaque nemo ea ætate ab alio, quam ab Argo, consilium expetebat. Propter quas eximias dotes a Veteribus non inepte πανόπτης appellatus est. Nam centum luminibus cinctum caput Argus habebat. Igitur in tanta dignitate & gloria cum esset apud suos, regioni & urbi a se nomen indidit, authore Euripidis Interprete.

Homerus atque alii scriptores, etiam aliis nominibus nominarunt Argos. nam *Phoroniam* vocat Stephanus, a Phoroneo conditore Inachi filio, ut Euripidis Interpreti visum est. ἱππόβοτον Poeta, quod Neptuno equorum pascua indicaverit: sive, ut Eustathio placuit, ab equorum copia atque præstantia. vel quod aliquando Agenor maximo equitatu hanc urbem invaserit. Præterea *Jasium* dictum ab Jasio, Δίψιον ab aquarum penuria. Sed de his hactenus.

Argos arcem habuit pulcherrimam, collem videlicet urbi imminentem, quæ a Larissa Pelasgi filia nomen accepit, si Apollonii Interpreti credimus. a quo etiam aliæ duæ urbes vocatæ fuerunt: altera in Thessalia juxta mare, a qua Larissæus Achilles: altera juxta Peneum fluvium: quas pictura elegantissime explicat. Livius *libro* XXXIV. ab V. C. duas in hac urbe arces collocavit, easque a Pythagora, non philosopho illo, sed Nabidis Lacedæmonii tyranni genero, præsidio fuisse firmatas affirmat.

Hæc urbs plurimis exemplis ad virtutem nos excitantibus abundavit. Inter quæ primas merito partes obtinet, quod de Cleobi & Bitone Argivis, *lib.* I. refert Herodotus, verbis, ut solet, selectissimis, eorumque pietatem erga matrem, omnibus opibus, omni humanæ potentiæ Solonem prætulisse testatur. Extat apud Plutarchum de his perquam elegans epigramma, quod non gravabor adscribere.

Οἵδε Βίτων Κλέοβίς τ' ἐπὶ σώμασιν οἰκείοισιν,
Ζεύγλαν ζευξάμενοι, μητέρα τὴν ἀγέτην

Ηρας εἰς ἱερόν. λαοὶ δέ μιν ἐζήλωσαν.
Εὐτεκνίας παίδων. ἡ δὲ χαρεῖσα θεᾷ
Εὔξατο παῖδε τυχεῖν τοῦ ἀρίστου δαίμονος αἴσης,
Οὕνεκ' ἐτίμησαν μητέρα τὴν σφετέρην.
Αὐτοῦ δ' εὐνηθέντε, λίπον βίον ἐν νεότητι,
Ὡς τόδ' ἄριστον ἐὸν καὶ μακαριστότατον.

Hos ita Latine reddidit vir ætate nostra doctissimus Conradus Gesnerus:

Biton & Cleobis propriis corporibus
Subeuntes jugum, matrem perduxerunt
Junonis in templum. Populi vero beatam prædicaverunt eam,
Ob filiorum præstantiam. Ipsa vero gavisa, deam
Oravit, ut filii consequerentur optimæ fortunæ sortem,
Eo quod matrem suam adeo coluissent.
Illic igitur sopiti, vitam in juventa reliquerunt:
Tanquam id optimum sit, & beatissimum.

Horum fratrum imagines Argivi in Apollinis templo apud Delphos erexerunt. Similiter apud Argos, de quibus nunc agimus, eorum statuas e pulcherrimo marmore, non longe a Phoronei sepulchro posuerunt, quem urbem hanc condidisse supra docuimus. In statuis sculptus erat currus, & filii matrem in curru sedentem humeris trahentes.

Celebratur ab historicis etiam Argiva mulier, quæ e tecto Pyrrhum Epirotarum regem tegula oppressit. Sed ut finem faciam, eo potentiæ Argivorum res devenere, ut nonnulli authores propriis voluminibus Argolica conscripserint. Inter quos præcipui Agias & Dercilas. Præterea Ipys, cujus testimonio Suidas utitur, tres de Argivis libros composuit. Aristoteles inter centum & quinquaginta Respub. Argivorum etiam politiam descripsit: in quo opere quid amiserimus, non possum sine lachrymis meminisse. Sed tamen credibile est, in eo opere doctissimum Philosophum de Argivorum legibus, magistratibus, ac moribus multa diligenter scripsisse, quæ magno nostro malo vel interiere, vel adhuc a tineis arroduntur. Audio Joachimum Perionium, hominem vere doctum, & laborem nullum pro restauranda lingua Latina defugientem, de Magistratibus libellum polliceri: qui si quando publicum sortietur, dubio procul ejusmodi rerum thesaurum ingentem nobis adferet. Sed ad reliqua pergamus.

LACONICA.

HÆC regio omnium pulcherrima, ad Maleam & Tænarum promontoria extenditur, multos eximios sinus complexa. Inter hos omnium latissimus Laconicus, qui a regione nomen sortitur. In hujus sinus intimo recessu Acria civitas, & utrinque ad orientem solem Brandina & Trimessus urbes, in pictura non ineleganter expressæ. Mediam Laconicam intersecat Eurotas fluvius, quem Lacedæmonis & Taygetes filium fuisse finxerunt, ut Plutarchus scribit: is inter Acriam & Trinaslum in Laconicum sinum, de quo diximus, defertur. Hanc regionem olim Achæi tenuerunt, qui una cum Pelope Phryge Tantali filio in Peloponnesum profecti, eo amplitudinis atque potentiæ devenerunt, ut Peloponnesum multis antea temporibus Argos nuncupatam, a sese Achaicum Argos cognominaverint. Quo nomine proprie Laconicam regionem, non tantum Peloponnesum, vocatam a Veteribus invenio.

Laconum rempub. optimis legibus instituit Lycurgus, & ipse quidem Lacedæmonius, quibus adeo res Spartana crevit, ut diu Græcorum soli Lacedæmones imperium terra marique obtinuerint. Verumtamen hac dominatione eos primo Thebani,

A postea Macedones exuerunt. ita tamen, ut *αὐτονομίαν* retinerent, hoc est, suis legibus uterentur. M. Cicero libro II. *de Officiis* eleganter & graviter edisserit, qua ex causa Lacedæmoniorum opes, quæ omnium maximæ fuerunt, adeo misere fuerint labefactatæ. Quod malum non in Sparta solum desæviit, sed in reliquam quoque Græciam dimanavit. Lacedæmonii Lycurgo ob tam memorabile beneficium (quod enim excellentius hominibus donum dedere superi, quam bonas leges?) templum & annua festa instituerunt.

Laconia fertiles habet agros, sed ob loca concava,
B & montium asperitatem, cultu difficiles. Cum autem plerumque cavernosa loca terræmotibus sint obnoxia, sæpe malum hoc sensit Laconia. quamobrem ab authoribus *εὔσειστος* nominatur. Nam & Taygeti montis cacumen, cujus superius meminimus, terræmotu dejectum fuisse, Plinius libro II. *Naturalis Historiæ* scribit. Laconicæ regionis urbs omnium celeberrima est Lacedæmon, quam non sine summo flagitio silentio præterirem: adeo magna & præclara sunt, quæ de ea omnis generis scriptores memoriæ prodiderunt. Non omnia tamen prosequemur: nam illud esset immensum, & supra vires nostras. Sed e tanto numero paucula quædam
C decerpemus.

LACEDÆMON.

STEPHANUS in libro *de Urbibus*, Lacedæmonem *ἐνδοξοτάτην πόλιν* appellat, atque prius Spartam nominatam: sive hoc nomen a Sparto Amyclantis filio acceperit: sive quod primi Leleges passim per Laconicam regionem dispersi, in his tandem locis congregati, condita urbe consederint. Postea vero Lacedæmon, a Lacedæmone quodam heroe nuncupata. Fuere nonnulli, qui a sorte hanc urbem vocatam affirmaverunt, quod videlicet Heraclidis in Peloponnesum descendentibus (frequen-
D tissima fit hujus apud historicos descensus mentio) regionem inter se diviserunt: a qua sorte *Λαχεδαίμων* sit appellata. Ex his causis Apollodorus ausus est Spartanos Lacedæmones & Lacones nominare. Quanquam Stephanus noster, Laconem primogenitum esse tradat, neque per syncopen dici debere contendat: quemadmodum & Lacænam, mulierem Laconicam. Pausanias, cujus testimonio libentissime utimur, quod de his rebus nemo diligentius scripserit, Lelegen *αὐτόχθονα* in Laconica regione regnasse prodidit, ab eoque primum Leleges dictos fuisse Lacedæmones. Huic quintus in ordine Lacedæmon in imperio successit: qui ducta in uxorem
E Sparta, Eurotæ fluminis filia, regionem a se Lacedæmona: urbem, quam in ea condiderat, ab uxore Spartam nominavit. Quod nomen etiam ad Pausaniæ ætatem perdurasse video.

In Lacedæmone arx est stupendæ altitudinis. Cum enim in urbe plures sint colles, unus reliquos longissime superat, quem Acropolim appellant incolæ. Hæc arx pro more illius gentis egregie fuit munita, atque in ea templum Minervæ *πολιάχου καὶ χαλκιοίκου* cognomento. Quod opus Tyndarea inchoasse fama est: sed immatura morte præoccupatum, minime absolvisse. Filii ejus interruptum
F laborem frustra aggressi, rem infectam reliquere. Post multos annos Lacedæmonii & templum, & Minervæ simulachrum ex ære magno sumptu conflarunt. Cujus operis authorem Critiaden fuisse memorant: qui in Minervæ honorem cantiones Doricas, & recentes quosdam hymnos adinvenit. Finem Lacedæmoni imponam, si prius pauca de Laconica Scytala dixero.

SCYTALA LACONICA.

LACONES Imperatoribus suis, quos cum exercitu in bellum miserant, scripturi, quo occultiora forent eorum consilia, virgas duas pari crassitie, parique longitudine præparabant: quarum alteram retinebant Ephori (summi magistratus hoc nomen est apud Lacedæmonios) alteram Imperatori reddebant. Virgæ quam Ephori servaverant, tenuem, minimeque latam pelliculam applicabant, atque in longitudinem quæ volebant esse secretissima scribebant. Hanc pelliculam e virga exemptam, & in exercitum missam, Imperator virgæ suæ alligabat, decretaque Senatus perlegebat. Nam soluta in mille literas discerpebatur: neque a quoquam, nisi virgam huic Laconicæ similem habenti, legi poterat. Hanc virgam Scytalam Laconicam vocant eruditi: quam venustissimis versibus descripsit Joannes Tzetzes, homo plurimæ lectionis, atque (ut mea fert opinio) vir vere unicus in omni doctrinarum genere princeps. Hujus versus *Chiliade* IX. his verbis leguntur,

Οἱ Λάκωνες πρὶν μέλλοντες ἢ στρατηγοῖς, ἢ ἄλλοις
Βουλὰς μυστηριάτιδας ἐν γράμμασι σημαίνειν,
Ῥάβδον λαβόντες ὡντινοῦν τῷ μήκει βραχυτάτην,
Καὶ ἐπιμήκει δέρματι πάνυ γενῷ ὡς ζώνῃ,
Τὴν ῥάβδου ἐπιφάνειαν πᾶσαν εἱλοῦντες τούτῳ
Ἔγραφον, ἅπερ ἤθελον ἑλίξεσι τοῦ δέρους,
Ἃ καὶ ἀνεγινώσκοντο τοῦ δέρους εἱλιγμένου.
Τὸ σύμβολον ἀνάγνωσις οὐκ ἦν οὐδὲ τῶν γραμμάτων,
Ἂν ἐκ τῆς ῥάβδου τίς αὐτῆς ἀφείλιξε τὸ δέρμα,
Πάλιν δ᾽ ἀνεγινώσκοντο τῇ ῥάβδῳ τῇ ῥηθείσῃ,
Εἴπερ εἱλίχθη τὸ αὐτὸ δέρμα, καὶ προσηρμόσθη.

Lacones antequam vel ducibus vel alii
Consilia secreta per literas significaturi sunt,
Baculum sumentes spatio brevissimum,
Et oblongæ pelli, multiplici ut zonæ,
Baculi superficiem omnem involventes ea
Scribebant, quæ volebant, circuitibus pellis,
Quæ etiam legebant pelle circumvoluta.
Omnino autem non erat lectio horum scriptorum,
Si quis ex ipso baculo devolvisset pellem.
Rursus vero legebant baculo, quod dixi,
Si advolveretur ista ipse pellis, & aptaretur.

& quæ sequuntur.

Hunc nobilissimum authorem, cum Oporino meo communicavit Arnoldus Arlenius, homo in pervestigandis veterum authorum monumentis inenarrabili solertia: qui hoc unum molitur, ut in altissimo situ marcescentes libri, in lucem reducantur. Quod si semel, quæ in animum induxit, absolverit, Arabibus atque Indis omnibus erimus ditiores. Quod vero in Græcis scriptoribus Arlenius, idem facit in sacris Hebræorum voluminibus Paulus Fagius, vir integer vitæ, & in lingua sancta adeo exercitatus, ut cum doctissimis jure conferri possit. Magna sane laude dignus Arlenius, maxima Fagius: quorum ille ingenii, hic animi bonis nos opulentos reddere conatur. Sed ad diverticulum redeamus. Aristoteles in Ithacesiorum politia memoriæ scriptum reliquit, apud Spartanos eum morem inter contrahentes fuisse, aut audientibus testibus qua de re inter eos convenisset, palam faterentur. Tum scytalam in duas partes scindebant, in quas inter eos acta conscribebant. Harum alteram contrahentes retinebant, alteram testes. Quod scripti genus etiam hodie apud Germanos frequenter in venditionibus, emptionibus, locationibus, aliisque hujus generis contractibus usurpatur. Nam in scheda una semel atque iterum quæ gesta sunt scribuntur. Deinde eadem angulatim in duas partes scinditur, quarum una emptori, venditori altera traditur. Hanc schedam recte Laconicam scytalam appellabis. Sed ordo postulat, ut de Messenia nunc dicamus.

MESSENIA.

POST Tænarum promontorium, quod Peloponnesum instar caudæ muris acuminat, hoc est, *μυουρίζει*, ut dixit Apher *περιηγητής*, sequitur magnus sinus Messeniacus, a Messenia regione appellatus, quæ ab Oriente annexam attingit Arcadiam, ab Occasu mare Jonium, a Septentrione Elidem regionem, a Meridie sinum, quem diximus. In hac sententia est Strabo, adserens occiduum Peloponnesi latus, Eleos & Messenios incolere, quos Siculum allatret mare. Itaque juxta eundem Mes-
B senia sese paulo laxius ad Austrum Libycumque pelagus exporrigit, ad eum usque locum, quem *Θυρίδας* nominavere, Tænaro proximum: quemadmodum & Pausanias Tænarum promontorium *Θυρίδας* vocat. Nonnulli Messeniam Laconicæ partem fecerunt. Novennali enim bello devictam a se Messeniam Lacedæmonii inter se diviserunt, ut Tyrtæus poeta Lacon cecinit. Contra vero Strabo in VIII. Phærarum portionem fuisse Messeniam affirmat. Utrorumque & Messeniorum & Lacedæmoniorum finem terminumque, Gerusiam Pausanias in *Messeniacis* posuit. Sed de regionis situ ac finibus hactenus. Lelegis, qui tum in Laconia res administra-
C bat, duo fuerunt filii, Myles, & Polycaon. Myles natu grandior, juxta communem gentium morem, patre mortuo imperium suscepit. Polycaon natu junior, privatus mansit. Is Messenen Phorbantis filiam Argivam duxit uxorem: quæ patris sui potentia, tum authoritate, qua summa inter Græciæ populos pollebat, excitata, non passa est Polycaonem maritum regno spoliatum in egestate contemptuque vitam traducere. Imo maximis ex Lacedæmone atque Argis coactis copiis, in Messeniam exercitum adduxit. Ubi rebus ex animi sententia confectis, milites Messeniam a Messene Polycaonis conjuge nominaverunt. deinde pluribus in ea regione conditis urbibus, Andaniam totius regionis ca-
D put atque regiam constituerunt. Sed de ejus loci præcipua urbe Messene, quæ apud authores legendo inveni, commemorabo.

MESSENE.

PAUSANIAS refert, ante Leuctricam pugnam, qua inter Thebanos & Lacedæmonios armis animisque decertatum est, atque ante id tempus quo incoluere Messeniani homines, ad suam usque ætatem, nullam in ea ejus nominis urbem ex-
E titisse. Atque hoc Homeri tanquam jurati testis authoritate comprobat, qui in *Catalogo* locis oppidisque pluribus in hac regione enumeratis, nullam prorsus Messenes urbis mentionem fecerit. Nam illud in authoribus velut oraculum observatum invenio, si cujus rei non meminerit Homerus, utpote qui nihil intactum reliquerit, eam prorsus illius temporibus non fuisse, certo asseverent: rerum scilicet omnium antiquitatem ex doctissimo poeta, tanquam ex tripode, eruentes. Quo vero consilio, qua mente Epaminondas Thebanus urbem denuo reædificaverit, quibus admonitus oraculis, quibus sacris, quorum auxiliis, in progressu operis Pausanias di-
F ligentissime prosequitur. Hoc tamen singulari studio, quomodo locum urbi ex deorum jussu principio designaverit: deinde probato divino responso, artifices innumeros eo miserit, qui templa, muros, plateas, ædificia, porticus, omni cura & arte extruxerint. Quibus confectis, Epaminondas & Thebani, Arcadibus victimas suppeditantibus,

Baccho & Apollini Ismenio veteri ritu sacrificaverunt: Argivi Junoni suæ, & Nemeæo Jovi: Messenii Jovi Ithoniatæ, & Dioscuris. In his sacris & urbis dedicatione heroas omnes invocabant: in primis Messenen illam, de qua diximus. Eum diem in tripudiis, in lætitia, sacrisque commessationibus degebant. Ab hoc fortassis more atque ritu, & nostri in templorum consecrationibus, jocis, ludis, epulis, saltationibusque vacare consueverunt.

Inter multa egregia urbis ædificia, publicaque opera, Pausanias miris laudibus extollit murum: cujus hæc fere sunt verba. *Messenen murus circuit totus ex pulcherrimo lapide, mœnibus pinnisque elegantissime exornatus.* Et statim subjungit: *Babyloniorum vel Memnonis muros in Susis non vidi, neque ab aliis qui ipsi vidissent, quales essent, audivi. Eos vero qui in Ambriso urbe Phocica sunt, præterea qui in Byzantio & Rhodo, eos inquam vidi, mea certe sententia magnificos: sed Messenios & robore & elegantia præstantiores judico.*

Sunt in hac urbe illustria multa, ut templa, deorum simulacra, fons, forum, atque alia innumera. Unum tantum adjiciam, memoria & admiratione dignum, quod Stephanus Byzantius memoriæ prodidit. In inauguratione urbis, de qua diximus, inter deos cæterosque heroas cum primis invocabant Aristomenem. Cum enim inter Messenios & Lacedæmonios diuturnum atque atrocissimum bellum gereretur, in toto bello nullius virtus clarius enituit quam Messenii Aristomenis, utpote qui solus trecentos ex Lacedæmonibus occiderit, si Plutarcho in *Romuli Vita* credimus. Inter quos & Theopompus rex fuit, ut in IV. *Præparationis Evangelicæ* Eusebius scriptum reliquit. Quo tandem post res ab eo fortissime gestas, post frequentes victorias a Lacedæmoniis obtruncato, magno stupore occisi corpus intuebantur, secumque reputabant, quoniam præter aliorum hominum morem insignia ejus in hoc bello fuissent facinora, dubio procul in eo aliquid, præter communem mortalium sortem inveniri posse. Itaque hominem dissecant, viscera vident prodigiosæ magnitudinis, cor totum pilis instar sylvæ hirsutum. Stephanus hujus rei authores citat Rhianum, qui *Messeniaca* scripsit, Herodotum præterea & Plutarch. Valer. Max. *lib.* I. inter miracula paulo aliter historiam refert, & Atheniensibus tribuit, quod Stephanus Lacedæmonibus, sed nunc ad Elidem transeamus.

ELIS.

Eo ordine quem nos instituimus, utpote ab Oriente in Occasum profecti, Messeniam sequitur Elis, Elæa Ptolemæo dicta. Hujus situm Strabo *lib.* VIII. brevissime delineat. *Elæam*, inquit, *hodie omnem eam regionem nominant, quæ inter Messeniam & Achajam proprie dictam ad mare usque interjacet, mediterraneis sese ad Arcadiam juxta Pholoen montem Azanas & Parrhasios extendentibus.* Quem circuitum elegantissime describunt punctula, quæ inter Messeniam & Eliden, magno circuitu circa Hypanium & Tegæam ad Cyllenen usque, ultimam Elidis urbem, ducuntur. Ab Oriente igitur Arcadiæ jungitur, ut ex Strabone retulimus. Ab Occasu alluitur Siculo mari. Sed paululum ad Septentrionem versa, ἀντίπορθμος est Acarnaniæ, Cephaleniæ, Ithacæ & Echinadibus insulis. Cæterum Peneus fluvius, alius a Thessalico Peneo, ad Septentrionem: ad Meridiem vero Alphæus per Elidem fluit. Hic a Stymphalo exoriens, ille ex Pholoe monte, ut omnia pulcherrime pictura duce videbis.

De Alphæo flumine admiranda canunt poetæ, quemadmodum scilicet sub ipsis Siculi maris flucti-

A bus in Siciliam usque delatus, Arethusæ amato a se fonti commisceatur. Quam rem elegantissime Ovidius (ut solet) lib. v. *Metam.* depingit: & uno atque altero versu Lucanus *lib.* III.

—— Populisque per æquora mittens
Sicaniis Alphæus aquas.

Sed multo elegantius in *Sylvis* Papinius:

—— Tumidæ sic transfuga Pisæ
Amnis in externos longe flammatus amores,
B *Flumine demerso trahit intemerata canali:*
Donec Sicanios tandem perlatus anhelo
Ore bibat fontes. miratur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.

Eadem admodum venuste duobus versibus Silius *lib.* XIII.

Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat
Alphæon, sacræ portantem signa coronæ.

Sed audi quæso quam pulchre, quam belle, quam erudite Latini poetæ conveniant cum Græco authore Moscho, cujus *versus* subscripsimus, quod non
C tantum naturæ miraculum, sed etiam amoris vim atque potentiam elegantissime descripserit:

Αλφειὸς μετὰ, Πεῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύει,
Ερχεται εἰς Αρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ,
Εδνα φορῶν φύλλα, καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱρὰν,
Καὶ βαθὺς ἐμβαίνει τοῖς κύμασι. τὴν δὲ θάλασσαν
Νέρθεν ὑποτροχάει. κ'οὐ μίγνυται ὕδασιν ὕδωρ.
Α δ' οὐκ οἶδε θάλασσα διερχομένου ποταμοῖο.
Κῶρος δεινοθέτας, κακομήχανος, ἀλλὰ διδάσκων
Καὶ ποταμὸν διὰ φίλτρον ἔρως ἐδίδαξε κολυμβᾷν.

D *Postea Alpheus, quando Pisam comitatur ad mare,*
Venit ad Arethusam ducens populis fertilem aquam,
Dotem ferens folia, & flores, & sacrum pulverem,
Et profundus insanit undis. mare autem
Infra superfluit. nec miscetur aquis aqua.
Mare autem non percipit transeuntem fluvium.
Puer vexator, mali consilii, sed docens
Quoque fluvium per amoris vim Amor docuit urinare.

E Quo loco Moschus perquam eleganter Amorem, sive Cupidinem δεινοθέτην appellat, quod vix sit alius consultor perniciosior, quam si quis hunc potius, quam Temperantiam aut Pudorem in consilium adhibuerit. Sed ad Alphæum redeamus. Oritur ex Stymphalo monte, ut diximus, & juxta Pisam nobilissimam Elidis urbem in Siculum mare delabitur: quæ sane omnia perquam eleganter pictura demonstrat. In Alphæo (ut hoc tanquam auctarium pro Medicis adjiciamus) conchitis herba nascitur, quam elixam Medici mente captis præbere solent: qua pota, a furore liberantur. Hæc ex primo libro Ctesiæ *de Fluminibus* refert Plutarchus. In
F Elide sedecim urbes fuisse memorant, inter quas, & vicinos illis populos Pisæos, cum frequentes & diuturnæ fuissent contentiones, tandem ex singulis urbibus singulas elegerunt matronas, veluti judices (tanta in mulieribus tum erat sapientia) quæ lites atque controversias omnes mira dexteritate & prudentia sustulerunt. Inter has sedecim Elidis urbes, hæ fuerunt præcipuæ: Elis, Pisa, Olympia & Pylos. De Olympia, quoniam ejus apud authores multa & crebra fit mentio, pro re pauca dicemus.

OLYMPIA.

OLYMPIA civitas fere XXX stadiis ab Elide distat, quæ miliare Germanicum conficiunt, & paulo amplius. Olim dicta fuit *Pisa*, deinde *Arpina* ab Oenomai matre, ut ex Nicanore refert Stephanus. In hac urbe templum fuit vetustate & cultu nobile: atque ante templum lucus sylvestribus consitus oleastris, ex quibus victores connexis ramis coronabantur. Perraro enim in Græcia sine nemoribus tum templa reperiebantur, quod scilicet adeuntibus sacrata loca, religiosum quendam divinumque horrorem incuterent sylvæ. In hoc templo summa veneratione colebatur Jupiter, qui ab eo Olympius: & certamina illa quinquennalia, quæ in Jovis honorem celebrabantur, Olympia sunt appellata. Hyginus scribit, hoc templum a Pelasgo Triopæ filio conditum fuisse, quod hominum frequentia, potentissimorumque regum donariis adeo crevit, ut in tota fere Græcia nullum fuerit magnificentius, nullum clarius opibus. Confluebat eo quinto quoque anno ex tota Græcia ingens hominum multitudo, cum ob Jovem, quo nihil putabant in cœlo terraque sanctius atque augustius: tum certamen ipsum, quo inter quatuor illos Græciæ agones, nullus erat celebratior. Nam qui in Olympia victores a judicibus declarabantur (*hellenodicas* eos vocabant, de quibus mox dicemus) in hos omnes spectatores ora obvertebant sua. Ab his annis Olympiades cœptæ numerari, ante quas nihil certi in Græcorum historia scriptum esse certo nonnulli affirmant. Cypselus Corinthiorum tyrannus Jovem totum aureum Olympiæ consecravit. deinde Phidias Atheniensis simulachrum ejus Dei ex ebore & auro stupenda& insolita magnitudine erexit, utpote pedum LX. ut Hyginus prodidit. Sed enim in hoc opere illud ab aliis artificibus reprehensum, quod simulachri ad templum nulla esset proportio. Cum enim in eburneo throno sederet Jupiter, capiteque templi fastigium tholumque contingeret, necesse erat, si quando sedendo defatigatus eburneus ille deus surgere vellet, ut templi culmen una cum tecto dejiceretur. Sub Jovis pedibus inscriptio Græca Phidiam authorem indicabat, his verbis, Φιδίας Χαρμίδου ὑὸς Ἀθηναῖος μ' ἐποίησε. *Phidias Charmidæ filius Atheniensis me fecit*. Quo loco apud Strabonem doctissimum Geographum, typographi perperam pro *Charmide*, *Chermini* posuere. Sed hæc de templo.

De Olympico certamine, quo nihil est in Veterum libris proditum diligentius, non gravabor in hunc locum referre illustriora. Apud Græcos quatuor fuere sacra certamina (ἀγῶνας ipsi appellant) magno totius gentis studio frequentia: Olympia videlicet, Pythia, Isthmia, Nemea. Ex his Olympia, Isthmia & Nemea in Peloponneso, Pythia apud Delphos peragebantur: Olympia & Nemea in honorem Jovis, Isthmia Neptuni, Pythia Apollinis. Horum quatuor certaminum coronæ erant, oleaster, laurus, apium, pinus. Tametsi Græcum epigramma uno illorum loco μῆλα posuerit. Inter hæc, præcipuo in honore habitum Olympiacum, ob numinis templi, oraculique majestatem. Hæc sane agebantur plena luna, eratque initium dies mensis XI. finis XVI. qua dona victoribus decernebantur. De horum certaminum origine plura Strabo *lib.* VIII. Pausanias Herculem Idæum Olympici certaminis authorem fuisse, Olympicumque appellasse affirmat. Constituisse præterea, ut quinto quoque anno celebrarentur, quod una cum fratribus suis quatuor, ipse quintus esset. Idem Hercules in Olympia duodecim diis, quos Herodotus nominat, sex aras posuit, una semper ara duobus diis consecrata.

A Hujus certaminis authoritas longo tempore fuit apud Elæos. Atqui Pindari Interpres Elidem, Pisam, & Olympiam in unam contrahit.

Elæi quoque principio unum elegerunt judicem, quem Ἑλλανοδίκην nominaverunt: deinde duos, postremo novem: qui præstito sacramento, de victoribus sententiam ferebant. Aristodemus autem Elæus ex singulis tribubus, quarum apud Elæos decem erant, singulos Ἑλλανοδίκας elegit, ut ad verbum ex Harpocratione Suidas refert, & ex Aristotele in *Elæorum politia* Harpocration. Pausanias
B ait, *quinquagesima Olympiade ex omnibus Elæis, duos electos Hellanodicas, quibus commissa Olympiorum cura, quique duorum certatorum numerum observaverunt*.

Porro vicesima quinta Olympiade novem constituti sunt Hellanodicæ, quorum tribus equorum cursus, tribus quinque certaminum ludus, reliquis tribus præmiorum distributio demandabatur. Sequenti Olympiade electus decimus judex, veluti totius certaminis præses. Sed centesima tertia Olympiade ex duodecim tribubus (tot enim nominat Pausanias) duodecim elegerunt judices: quorum tamen
C numerus postea subortis inter Elæos & Arcades bellis, mutatus est. Hæc paulo diligentius exposuimus, usui futura (ut sperô) Demosthenis lectoribus. Primus omnium Hellanodices ab Hercule constitutus fuit Oxylas Ætolus. Deinceps qui justitia & virtute cæteros antecellere visus erat, is judex a populo eligebatur. De victoribus autem, quos Olympionicos scriptores nominant, si forte plura requiris, Pausaniam adeas, qui hæc atque alia plurima, pro more suo, diligentissime in *Eliacis* prosequitur. Nos ad Achaiam stylum vertamus.

D

ACHAIA.

ACHAIA statim ab Isthmo incipit, antea *Ægialos*, propter urbes in toto littore elegantissimas ordine collocatas, appellata. Αἰγιαλὸς enim Græcis *littus* significat. Atque hoc loco studiosum lectorem, si quis hæc forte captus amore legat, diligenter admonitum esse cupio, ut cum hac nostra descriptione atque aliis sedulo picturam conferat, visurus summa cum voluptate, & nonnullo etiam fructu, quam belle hujus littoris ductus, urbiumque positura cum authoribus, maxime Ptolomæo conveniat. Incipe in pictura a Dyma urbe Achaica,
E quæ statim Cyllenem, Elæorum navale, & urbium ejus regionis extremam sequitur: atque hinc proficiscere ad Sicyonem usque: videbis hoc ordine positas urbes, Dymen, Olenum, Patras, Junonis sacellum, Ægium, Ægiram. post hanc punctula, Achaiam a Sicyone discriminantia. Hæc Achaia proprie dicitur a Ptolemæo. nam alteram Achaiam illico post Epirum depingit, eamque Græciam vocatam fuisse contendit. Quamobrem & Theophrastus lib. IX. *de Historia plantarum*, discriminis causa, Achaiam Peloponnesi nominat. Strabo post Eleam (nam & ipse ordinem nostrum servavit) Achæorum gentem ponit, eamque Septentrionem
F spectantem, atque ad Corinthiacum usque sinum exporrectam, in Sicyone finiri scribit. Hos Achæos instar testudinis in ædicula sua, hoc est, Peloponneso contineri, ex Quintii sententia supra admonuimus. Inter Achaiæ urbes Bura & Helice, sublatis e terræ motu marinis fluctibus, submersæ sunt: earumque in pelago vestigia videri, Plinius *lib.* II. memoriæ prodidit. Fuit autem Bura ex duodecim urbibus Achaiæ, quas olim Iones, postea Achæi possederunt. Duodecim harum urbium nomina apud Herodotum ponuntur: quanquam in his mira sit authorum discrepantia. Aliter enim eos *lib.* II. nominat Polybius, aliter Herodotus. Buram Pausa-

nias ſcribit a Bura Jovis filia nuncupatam fuiſſe. Callimachi Interpres, quod illic Dexameni centauri bovilia fuerint, Buram dictam affirmat. Callimachi verſum ex *hymno*, qui *Delo* dedicatus eſt, ſubſcripſimus:

Βῦρά τε Δεξαμενοῖο βοόστασις Οἰνιάδαο.
Buraque Dexameni bovile Oenidæ.

De Pellene poſtrema Achaiæ urbe (id quod diſtincte & eleganter indicant punctula, Achaiam a Sicyone ſecernentia) dicemus, ſed breviter.

PELLENE.

HÆC urbs, ut eſt apud Pauſaniam, in excelſo atque prærupto colle poſita eſt, atque ea parte inhabitabilis. In planitie tamen nonnulli habitant, ſed rari. Strabo author eſt, Pellenem validum eſſe munitumque caſtellum, LX. ſupra mare ſtadiis. Pauſanias ex Pellenæorum ſententia refert, Pellenen a Pallante Titane nomen accepiſſe. Argivi vero longe aliter, qui ab Argivo quodam Pellene dictam arbitrantur: qui genus a Phorbante Triopæ filio, cujus ſuperius meminimus, duxerit. Inter hanc & Argæos ejuſdem nominis vicus eſt, a quo Pellenicæ chlænæ appellatæ, laudatiſſimæ quidem illæ, ut inquit Pollux, quæque athletis victoribus muneris loco dabantur: quemadmodum poſt Pollucem ex Ariſtophanis *Avibus* refert Euſtathius. Ariſtophanis Interpres, vir extra omnem controverſiam doctiſſimus, adde etiam ſi liber, diligentiſſimus: *Apud Pellenen*, inquit, *in certamine, quod in Junonis gratiam celebrabant, victori pro præmio chlænæ Pellenicæ donabantur, quod nuſquam præſtantiores chlænæ, quam in Pellene urbe texerentur*. Sunt qui dicunt, Mercurio hæc ſpectacula edita fuiſſe, propoſitis in præmium Pellenicis chlænis. Pauſanias adſerit, ad Pellenen euntibus, in via Mercurii ſtatuam cognomento Dolii, occurrere: quem qui invocent (proh Deum immortalem, quanta gentium vanitas, quanta ſuperſtitio!) quæcunque tandem petiverint, ea conſequantur. Sed de Pellene hactenus. nunc ad Sicyoniam ſtylum dirigamus.

SICYONIA.

ACHAIAM ſequitur Sicyonia, ad Aſopum uſque fluvium extenſa, ut vides. a Septentrione Sicyoniæ adjacet Corinthiacus ſinus: a Meridie Arcadia. Achaia, de qua paulo ante diximus, ad Occaſum: ad orientem ſolem, Corinthia. Strabo dicebat, Sicyoniam ad Achæos: deinde Sicyoniam & Corinthiam ad Iſthmum uſque recedere. Quod ſi in pictura oculos ultra mare deflexeris, videbis oppoſitam Sicyoniæ Phocidem: id quod etiam Strabo annotavit. Per Sicyoniam fluit Aſopus, Aſopiam regionem Sicyoniæ partem efficiens. Eſt autem hic Aſopus alius ab eo qui Thebas, Tanagram, & Platæas in Bœotia præterfluit. Nemea vero fluvius Sicyoniam a Corinthia dirimit, non ſignatus quidem in pictura (quis enim in tam exigua charta comprehendet omnia?) ſed tamen ſignatus a Strabone. Regionis hujus urbs præcipua Sicyon, de qua dicendum eſt.

SICYON.

HANC urbem nonnulli XX. ſtadiis abeſſe a mari aſſeverant, alii XII. in valido atque munito colle poſitam, ſacratamque Cereri. Strabo veterem Sicyonem navale fuiſſe affirmat cum portu, dictam Meconem, vel Ægialon: Stephanus etiam Trachiniam. In hac primus regnaſſe Adraſtus, a Papinio memoratur. Pauſanias in *Corinthiacis* prodidit, Laomedonta regem ſecum ex Attica in Sicyoniam duxiſſe Sicyonem, virum rebus geſtis & bellica virtute celebrem. Huic Zeuxippem filiam ſuam uxorem dedit, atque Ægialiæ (id tum erat nomen Sicyoniæ) præfecit: in qua cum aliquandiu regnaſſet, mutato Ægialiæ nomine, a ſe regionem Sicyoniam, urbem Sicyonem nominavit. Fuit autem Sicyon ille Menonis filius Argivi. Tametſi nonnulli genus ejus aliter deſcribant. Sed de hujus urbis ſitu atque nomine hactenus. Plinius ſcribit, Sicyonem urbem ante Athenas conditam fuiſſe: quod etiam Euſebii *Chronica* teſtantur, quæ pluribus annis Sicyonios Athenienſium regnum præceſſiſſe declarant. Ex Titane ad Sicyonem euntibus, deflectentibuſque ad mare, ad ſiniſtram ejus viæ, extructum eſt vetuſtiſſimum Junonis fanum, quod neque tectum, neque ſimulachrum habuiſſe fertur. Quæ res in tam ſuperſtitioſa gente admiratione digna, cum etiam minorum gentium diis & magnifica templa, & innumera idola conſecraverint.

Sicyonius fuit Lyſippus, nobilis ſtatuarius, Alexandri magni coætaneus, qui ſtatuas ex ære archetypo ſimillimas faciebat: cujus induſtria & ingenio adeo oblectabatur Alexander, ut ejus tantummodo manibus fingi voluerit. Itaque Lyſippus Alexandrum ad pectus uſque fecit, cœlum reſpicientem, tanta arte, tanta diligentia & cura, ut intuentes, non imaginem ſe, ſed ipſiſſimum Alexandrum Philippi filium intueri arbitrarentur. Huic tam abſoluto operi poeta quidam hos *verſiculos* ſubſcripſit,

Αὐδάσοντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος ἐς Δία λεύσσων.
Γᾶν ὑπ' ἐμὲ τίθεμαι, Ζεῦ σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.
Locuturo autem ſimile eſt æs ad Jovem reſpiciens.
Terram ſub me pono, Jupiter, tu vero Olympum tene.

Fuit autem Sicyon velut officina metallorum, ad quam artis gratia nobiliſſimi omnium artifices confluebant. Cujus rei exemplum ſi requiris, Plinium *libro* XXXVI. inviſe. Nos ad Arcadiam migrabimus.

ARCADIA.

IN media Peloponneſo, velut umbo, poſita eſt Arcadia, a mari longe remota, quam undique coronæ inſtar gentes quas enumeravimus, circumvallant & incingunt. Nam ab oriente ſole Argia & Laconica eam attingunt: a Meridie Meſſenia, ab Occaſu Elis, a Septentrione Achaia proprie dicta: quæ regiones Cenchræis Corinthiorum navali incipientes, in orbem redeunt apud Lechæum Peloponneſi finem. De qua re diligentiſſime ſcripſit Joachimus Camerarius in *ſecundam Homeri Rhapſodiam*, vir ob integritatem vitæ, ob ſingularem prudentiam, ob raram & incomparabilem eruditionem adeo mihi charus, ut neſciam an amicum habuerim unquam chariorem. Cujus hortatu laborem hunc, quem ipſe multo facilius, utpote fortioribus lacertis & humeris, abſolviſſet, aggreſſus ſum. Sed quoniam jubebat vir tantus, nolui ejus de me judicio per omnia refragari. quod ſi tam docti hominis opinioni conatus noſter non reſponderit, ipſe ſane culpam merebor: Joachimus amoris nimii errorem fatebitur. Sed ad diverticulum redeamus.

Arcadia dicta fuit prius Pelaſgia, & Arcades Pelaſgi. Poſtquam vero Arcas Jovis & Calliſtus filius, in his locis rerum adminiſtrationem adeptus eſt, regionem a ſe Arcadiam, & populos Arcades appellavit. Erat autem Arcas non regio ſolum ſanguine genitus, ſed etiam induſtria & ingenii magnitudine, cæteros ætate ſua principes longe excellebat. Cum enim glandibus veſcerentur homines, mitioribus eos cibis uti docuit. nam quo modo tundendæ fruges, quo pacto coagulanda farina, qua arte pinſendi panes, expoſuit. Ad hæc, cum pro ve-

ſtibus, arborum corticibus & frondibus, tum ferarum pellibus tegerentur, ipſe Arcas qua ratione paranda eſſet lana, quo modo diducenda figurandaque digitis, quo modo texenda fila, conſuendæque veſtes, civibus ſuis demonſtravit. Ob quas artes, atque ingentia beneficia, non ingrata vetuſtas, divinos illi honores decrevit, inque aſtrorum numerum & cœli ſodalitatem collocavit. Cujus oſſa Delphici oraculi juſſu ex Mænalo Arcadiæ monte in Mantiniam urbem honoris gratia, relata. Cæterum & Parrhaſia dicta eſt Arcadia, a Parrhaſio Philemone & Marte genito, qui a lupa cum fratre Lycaſto educatus, Arcadiæ regnum occupavit: ut ex Zopyro Byzantio vir doctiſſimus & alter Italiæ Tzetzes, Baſilius Zanchus in literas retulit.

Arcadia plena eſt pulcherrimis montibus, inter quos in primis celebrati ab authoribus Cyllene, Pholoe: atque his minores Lycæus, Mænalus, Parthenius. In his montibus quæ ſpectaculo & admiratione digna ſint, in libello de Græciæ montibus commodius, atque etiam copioſius, ſi nobis vitam Deus prorogaverit, diſputabimus. Nunc breviter de Megalopoli, præcipua hujus regionis urbe dicemus.

MEGALOPOLIS.

PICTURA Megalopolim egregie ſub oculos ponit, & Pholoe monti propinquam facit, ut vides. Cujus radices ad Piſanden uſque protenduntur. Dimidia hujus urbis pars *Oreſtias* dicta fuit, ut ſcribit Stephanus: quod aliquandiu in his locis verſatus ſit Oreſtes, a quo incolæ Oreſtii & Megalopolitæ ſunt nominati. Pauſanias ætate ſua Thisboam urbis partem fuiſſe affirmat, a Thisbe nympha Jovis nutrice ſic appellatam. Strabo Megalopolim urbem Arcadiæ longe maximam fuiſſe perhibet. Nam Epaminondas ille Thebanus, cum Arcadum res ſtabilire, eaſque firmiores & ampliores reddere cuperet, quicquid tenuioris fortunæ, pauperumque oppidorum in Arcadia fuit, in Megalopolim veluti coloniam deduxit. Nam ex his nonnulla continuis bellorum cladibus, aut deſerta cultoribus, aut alias ob cauſas derelicta fuerant. Ab hac hominum multitudine urbiſque incremento, veriſimile eſt urbi nomen inditum eſſe. Quanquam & ipſa (habent enim & urbes ſuos interitus ſuaque fata) procedente tempore multis variiſque caſibus labefactata, proverbio locum fecerit, *ἠρημία μεγάλη ἐςὶν ἡ Μεγαλόπολις*. *Deſertum magnum eſt Megalopolis*. Adeo fœda atque abominanda res eſt bellum, ex quo hominum cædes, agrorum vaſtationes, urbium etiam maximarum incendia & everſiones naſcuntur. Contra, nihil ſuavius, nihil blandius, imo nihil divinius ſanctiſſima pace, ut præclare & egregie dixerit vere eximius poeta Silius,

—— Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens.

Cujuſmodi theatrum, quales porticus, quam multa deorum dearumque ſimulachra Megalopolis olim habuerit, latiſſime atque mira cum jucunditate (ut ſolet) proſequitur Pauſanias. Nullum eſt enim uſpiam fanum, nullum ſacellum, nulla ara, nulla imago, nulla ſtatua, quam non una cum ſuis inſcriptionibus, Græcorumque poetarum epigrammatis accuratiſſime deſcribat. Dignus author, quem dies atque noctes atterant ſtudioſorum manus.

Megalopolis nobilitata eſt multis illuſtribus & æternitate dignis ingeniis. Fuit enim Megalopolitanus Cercides Mimijamborum poeta & legumlator: cujus meminerunt Stephanus & Stobæus. item Æneias philoſophus Peripateticus: Aceſodorus, qui

A libros *de Urbibus* ſcripſit, cujus verba de Eleuſine urbe Sophoclis Interpres in *Oedipo Coloneo* poſuit. Et Polybius, hiſtoricus mea quidem ſententia doctiſſimus, qui *libros* XL. ſcripſit, gravitate & eruditione ſumma plenos: quorum tamen quinque tantummodo extant, ex quibus velut ex unguibus, videre licet, qualis leo fuerit Polybius: quantum in eo veteris ſapientiæ, quanta peritia locorum, quam exquiſitus temporum rerumque geſtarum ordo, quam crebræ & illuſtres ſententiæ. Quem ſi integrum haberemus, divi boni, quem theſaurum, quas opes, quam cognitionem antiquitatis teneremus! Sed audi Dei incredibilem bonitatem. Nam hoc anno quo hæc commentamur, vere ſapiens &
B multa laude dignus SENATUS Auguſtanus, magno precio Græcorum librorum non exiguam copiam comparavit: in qua audio *Epitomen* XL. *librorum* Polybii contineri. O præclarum exemplum Vindelici Senatus, o factum ſempiterna gloria dignum! quod utinam principes noſtri, reliquæque Germaniæ urbes conentur imitari. Si enim tantopere in extruendis magnificis ædibus, in comparanda precioſa ſupellectili, in augenda re familiari, in coacervandis accumulandiſque divitiis evigilamus, cur non potius ad ingenii cultum, & æterna illa ſtudiorum monumenta animum adjicimus, quibus ſemper floruere, ſemperque florebunt recte
C beneque inſtitutæ Reſpublicæ? Horum librorum indicem mecum communicavit Caſpar Hedio, ſummi apud Argentoratum templi concionator, vir magna facundia & humanitate, tum amicus noſter vetus & ſingularis. In hoc indice velut amœniſſimo prato, cum paſſim pulcherrimos flores conſpicerem, etiam Polybii libros tanquam vernantes roſas, odorataque lilia deprehendi. O theſaurum, o ingens ornamentum vetuſtiſſimæ urbis Auguſtæ! Perge, perge beata urbs, & in totum Germanicum orbem a divitibus illis fontibus liquidiſſimos rivos effunde. Tu vero Jacobe Sturmi, decus noſtrum, aggredere tandem cum tuis collegis, ampliſſimis ho-
D minibus, opus illud, ut magnificum, ita & utiliſſimum futurum ſtudioſis adoleſcentibus. Para quæſo avidis hujuſmodi opum ingeniis armamentarium, quo non corporis, ſed animi arma conſerventur. Hæc erat olim potentiſſimorum regum cura: hæc olim ſollicitudo doctiſſimos viros inſomnes tenuit, ut monumenta, vigilias & labores illuſtrium ſcriptorum, inſcitiæ & ignorantiæ præſentiſſima pharmaca, diligentiſſime cuſtodirent. Hi ſunt illi muti magiſtri, qui ad ſe venientes placidiſſime excipiunt. Neque ulla eſt doctrina, ulla profeſſio vel diſciplina, quam non offerant ſua ſponte diſcere volentibus. Erudiunt imperitos, conſolantur mœrentes, erigunt animo dejectos: & quod
E mirere, præter has egregias dotes, maximis gaudiis, & incredibili voluptate perfundunt legentes. Neque ulla ſatietas eſt, ſi quis ſemel toto pectore, totiſque animi conatibus illis ſeſe magiſtris dediderit. Ut vere & prudenter dixerit Flaccus,

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Sed jampridem mihi perſuaſum eſt, Sturmium cum ſuis deſiderio noſtro non defuturum. Nos cum Megalopoli Arcadiæ & Peloponneſo finem imponemus.

Poſtquam de Græciæ veteris ſitu, de ejus nomi-
F nibus, atque regionibus, & in iiſdem celebrioribus aliquot urbibus pro temporis hujus & inſtituti operis modo breviter diſſeruimus, præterea & Peloponneſum ejuſdem Græciæ arcem eadem brevitate complexi ſumus, res poſtulat, ut qua ratione, qua via, non dictas tantum, ſed & reliquas omnes in pictura regiones, montes, promontoria, flumina, maria, inſulas, urbes invenire debeas, regulam canonemque noſtrum ſubjiciamus: ut ſi quando

do te (solet enim hoc etiam nonnunquam doctis contingere) memoria deseruerit, filium aliquod, ceu divinam virgulam habeas, quod in tam variis tamque perplexis itineribus sequaris.

SEQUITUR LOCORUM

IN

PICTURA SOPHIANI

INVENIENDORUM CANON.

IN Præfatione nostra demonstravimus, non solum summa cum voluptate, sed maximo etiam fructu, Historicorum, Poetarum, Geographorumque libros legi, si sedulo cum picturis Geographicis, & nostra descriptione conferantur. Cæterum quo facilius ea collatio a studiosis adolescentibus (horum enim causa laborem hunc suscepimus) fieri possit, magno certe conatu, omnes hujus picturæ locos, ut sunt maria, sinus, promontoria, flumina, montes, urbes, insulæ, in literarum ordinem digessimus, singulisque nominibus longitudinis ac latitudinis mensuram apposuimus. Cujus laboris & inventionis nostræ usum nunc declarabimus.

Principio compactis solicite octo foliis, seu paginis, ex quibus tota pictura constat, mensuram ejus longitudinis, quam paulo post subjiciemus, decies accipito, & in summitate descriptionis seu picturæ Sophiani, ab ea linea, ubi Bebii montes in Occasu terminantur, incipito: eamque ad finem picturæ, ad eam usque lineam, ubi Armenia oppidum ad Orientem positum est, deducito, atque singula spacia, quæ erunt numero centum, suis numeris, quos *Ciphras* vulgus appellat, diligenter & accurate signato. Quod si forte fortuna seu casu aliquo accideret, ut in his centum sectionibus, aut deesset, aut abundaret aliquid, quod facile ex typorum diversitate vel mutatione fieri poterit, non spero tamen, tam pusillum erratum per omnia te impediturum, quo minus observatio nostra tibi usui futura sit. Sed esto δὶς διὰ πασῶν nostra cum futuris typis discrepent, habes hic viam ac rationem, qua tu nova tibi spacia & novam divisionem longitudinis ac latitudinis tuo arbitratu figurare potes. Itaque longitudine in eum modum quem præscripsi ordinata, signatisque accuratissime centum spaciis, e vestigio tibi virgam ex buxo, piro, vel acere, sive quo firmior fortiorque sit, ex ære, cupro, vel electro parato. Qua virga hoc modo præparata, & ad summam æqualitatem composita, mensuram ejus latitudinis, quam priori longitudini subjectam vides, sexies accipito, & singulos numeros, ut in longitudine faciebas, ciphris in virgam, si lignea fuerit, scribito. Si vero ex ære, aut electro, γλυφίῳ vel tudicula imprimito. Qui numeri, sectiones seu spacia conficient LX. Hic rursus te præcepti, quod paulo antea de typorum diversitate, aut formarum immutatione posuimus, admoneo. Sed age, longitudine picturæ, & latitudine virgæ in sua segmenta seu spacia (ut diximus) divisis, faciamus nunc periculum in pictura, si forsan adjuvantibus Musis, conatus hic noster nobis ex sententia sit successurus.

Non est mihi dubium, quin ex optimorum authorum lectione cognitum tibi sit, quam vetus, quamque magnifica urbs fuerit Ephesus, quantopere a gentibus ob templi religionem & sanctitatem celebrata: postea vero Pauli Apostoli *Scripto*, multo reddita illustrior. Hæc urbs ubi locorum sita sit, si forte requiris, ad indicem nostrum accedito: statim videbis duos numeros, priorem longitudinis 77. alterum latitudinis 40. Accipe nunc virgam tuam, numeris, ut docuimus, inscriptam, & applica eam longitudinis numero 77. Deinde in virga descendito usque ad 40. numerum, & videbis Ephesum in littore Asiæ Minoris: supra se pulcherrimum sinum, & Caystrum fluvium: infra se, Mæandrum amnem habentem.

Sed hic iterum mihi monendus es, Lector, quoties virgam longitudinis numero apposueris, & ad latitudinis numerum in virga perveneris, semper ad Occasum oculos deflectas. Nam studio fecimus, ut statim quæsitus a te locus, a fronte virgæ tibi appareat. Sed ad rem.

Legisse te mihi persuadeo elegantissimum illud A. Gellii c.v. lib.XIII. *de judicio Aristotelis philosophi*, quod inter Theophrastum & Menedemum, Rhodium hunc, Lesbium illum, tulit, Lesbiumque vinum Rhodio ut suaviori prætulerit. Hic dubio procul scire cupis, ubinam gentium sit Lesbos illa, ubi Rhodus, insulæ duæ, multis eximiis rebus ab authoribus nobilitatæ. Quin etiam oblectatio aliqua subit animum tuum degustandi Lesbii vini, adeo ab argutissimo philosopho approbati. Invise indicem nostrum, quære Lesbum, & reperies longitudinis spacium 66. latitudinis 27. applica longitudini virgam, delabere ad 27. spacium in virga, & a fronte virgæ videbis Lesbum. Quod si Eressum quoque ejus insulæ urbem, & Theophrasti nostri patriam desideras, devola in virga ad 30. spacium, & apparebit Eressus. idem fac de Rhodo, si libet. Sed proficiscere tandem in Græciam, cujus nunc causam agimus.

Quid clarius est Athenis? a quibus humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, legesque ortæ, & in omnes terras distributæ putantur. hæ, inquam, ubi sitæ sint, scire desideras. indicem nostrum consule, invenies apud Athenas longitudinis spacium 53. latitudinis 42. adjunge 53. numero virgam, & ad 42. in virga spacium digitum (indicem puto) deducito, & extemplo se proferent veræ Atticæ Athenæ, cum Piræeo & Munychia, nobilissimis navium stationibus. Quod si urbis hujus æmulam Lacedæmona quæras, accipe longitudinis spacium 41. in virga 52. & ecce Lacedæmona, civitatem viris armisque validissimam. Sed ut finem faciamus, exemplo adhuc contenti erimus uno.

In omni Græcia vix fuit urbs alia Corintho, illustrium scriptorum monumentis illustrior, ob loci amœnissimi situm, ob civium locupletissimorum frequentiam, propter celebres duorum marium portus, Lechæum & Cenchreas, propter ingentem eo confluentium negociatorum multitudinem, atq; alias causas superius in Corintho a nobis recitatas. Hanc urbem Florus meus brevissime (ut ejus mos est) describit, cui descriptioni nisi picturam nostram apposueris, optimi scriptoris elegantissimus locus, magna rerum obscuritate obruetur. *Carthaginis ruinam*, inquit, *statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionium & Ægeum, quasi spectaculo exposita.* Accurre ad indicem, investiga longitudinis spacium 46. digito per virgam ad 44. sectionem pergito, & cernes juxta doctissimi Flori descriptionem, Corinthum inter Ionium mare quod est ad Occasum, & Ægeum pelagus, quod est ad orientem solem, pulcherrime positam: videbis & portus illos, Cenchreas atque Lechæum, utroque in latere picturæ extantes.

Ex his paucis locis, humanissime Lector, intelligis, quantum perspicuitatis, quantum præterea jucunditatis lectioni optimorum authorum allatura sit hæc cognitio. Imo in authoribus multa deprehendes & obscura, & intellectu difficillima, nisi in his geographicis literis ac picturis probe fueris instructus & exercitatus.

A

Nunc formulas longitudinis & latitudinis subjicimus, ut quilibet juxta harum descriptionem in sua pictura scite apteque compacta, numeros in ejus summitate & in virga annotare possit.

Quo loco studiosos adolescentes rursus admoneo, si qui numeri vel per me, vel per typographos (sumus enim homines) perperam, aut negligentius positi fuerint, non graventur, si quando errorem animadverterint, eum in pictura, aut indice nostro emendare. Nam in tanta locorum multitudine, in tanta rei insolitæ difficultate, aliquando aberrare a scopo, non malitiæ, sed humanæ adscribendum est imbecillitati. Ego sane viam studiosis ostendere volui, qua in hac aliisque ejusmodi picturis, cum utilitate & fructu, adde etiam ingenti cum oblectatione versari queant. Si quis alius meliora, magisque ad amussim elaborata invenerit, huic ab omnibus summas gratias agendas esse censeo. Studiosi, quibus laboravimus, multa fortassis in Indice, atque etiam in pictura ex collatione autorum in melius restituent. Ego, si vitam mihi Dominus prorogaverit, & aliquid quod oculos nostros fefellit, deprehensum a me fuerit, id libenter & ingenue emendatum cum studiosis communicabo. VALE.

Sequuntur mensuræ accipiendæ in pictura longitudinis, & latitudinis in virga, de quibus superius a nobis habita est mentio.

Hæc longitudo decies accepta, conficiet centum spacia.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

Hæc latitudo sexies accepta, conficiet sexaginta spacia.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

SEQUITUR
INDEX LOCORUM
OMNIUM IN
PICTURA SOPHIANI
DESCRIPTORUM.

Prior numerus longitudinem, posterior latitudinem indicat.

FINIS

IN

TABULAM GRÆCIÆ NICOLAI SOPHIANI

LEON. MARSUS.

En quota pars orbis, donum ſpectabile, lucet
Hic, ut in æthereo menſtrua luna polo.
Si totum, ut partem, Sophiane, effinxeris orbem,
Pars modo Lunæ inſtar lucida, Solis erit:

L. FABER PHAN.

Nicoleos Aſiam his chartis nunc explicat omnem,
Queis debet pulchri Græcia quicquid habet.
Cum vero Europam, & Libyam deſcribet, & aſtra,
Debebit quicquid maximus orbis habet.

ALIUD.

Terra potens armis, virtute potentior omni,
Ingeniis dives, moribus, imperio:
Cui par nulla fuit, nec erit, nunc Grecia languet
Tam ſpoliata bonis, quam viduata viris.
Picta brevi hac tabula eſt: quoniam generoſa receſſit,
Ne ſub barbarie viveret, orbe ſuo.

FAUSTINUS BUTURINUS
VERONENSIS.

Omnia mutantur, mutata eſt Græcia ſolers,
In faciem redigis quam Sophiane ſuam.
Nunc vera effigies: quam nec Jovis ira, nec eſtus,
Nec poterit poſthac ulla abolere dies.

JOAN-

JOANNIS LAURENBERGII

ENARRATIO

G R Æ C I Æ
A N T I Q U Æ,

T A B U L I S

GEOGRAPHICIS EXORNATÆ.

JOANNIS LAURENBERGII
DE
GRÆCIA ANTIQUA
DISSERTATIO.

*UI tam exiles quadrigas fabricaverat, ut eas musca alis contegere posset, partim visus acumen & manuum dexteritatem, partim imbecillitatem judicii & inane studium ostendit. Cum enim omnes artes vel ad corporis commodum, vel ingenii exercitium ac recreationem inventæ sint, quid prodest illi operi incumbere, e quo ob inutilitatem neque artifici, neque possessori ullum provenire potest emolumentum? aut cui usui constructus est currus, quem pulex auriga agitaret, & cui acarus animalculum minutissimum vector insideret? Multo sane æquius arbitror honorem laudemque mereri, qui non minus exili proportione, longe autem majore commodo, universum mundum, aut magnam ejus partem tabulis includunt portatu facilibus, & vel una manu occultandis. Neminem namque existimo eo processisse vesaniæ, ut periculis & laboribus refertum vitæ iter, præferre optet securæ & damni atque incommodorum experti vivendi rationi. Duce autem Geographia tellurem nobis peragrare licet nihil timentibus prædonum insidias, immensumque oceanum absque metu naufragii transmeare. Ut autem in enormis vastique colossi fabrica, postquam totius statuæ formam ruditer designavit Artifex, alius quidem caput elaborat subtilius, alius pectus, alius pedes: tum etiam aliquis æs liquefacit, aliquis rudiorem materiam perpolit, aliquis membra coagmentat: ita in Universi delineatione unusquisque portiunculam sibi arripit expoliendam, & in communem usum conferendam: eam, ut puto, ob causam, ut quando quidem Natura nos fecit mundi incolas, hujus nostræ civitatis faciem & constitutionem accurate cognoscere, & non tantum hodie florentem ejus venustatem, sed etiam pristinam & jam ætate marcidam speciem veluti revirescentem contemplari possimus. Idque maxime, ut rerum gestarum fides ad posteros transducatur, quæ absque Geographia non magis potest illæsa servari, quam, sanis licet oculis, objecta corporum simulachra in tenebris obscurissimis discerni. Meruerunt quidem & aliæ regiones ab interitu vindicari, inprimis tamen Græcia, e qua, quicquid reliqua regna & provinciæ splendoris & gloriæ obtinent, si quicquam obtinent, tamquam e speculo defluxit. In hac sapientiæ & literarum incunabula & domicilium: in hac contigit, quodcunque præclare & strenue a Græcis ac Barbaris, imo etiam Romanis gestum est. Prima enim expeditio memoriæ tradita, Colchica fuit, qua nobilissimi e Græcia juvennes ad aureum vellus a Barbaris repetendum profecti sunt. Successit huic famigerabile, & tam Oratoribus quam Poetis decantatum bellum Trojanum, ex eo ortum, quod Alexander Priami filius adolescens mollis & effœminatus, in urbem Spartanam trajiciens, Helenam, insigni præ aliis pulchritudine conspicuam, abripuisset, cumque magno thesauro in suam abduxisset patriam. Hinc radix & semina belli irreconciliabilis. Arma capit omnis Græcia: Reges in Aulide congregantur: traducuntur copiæ navales ad Ilium. Everso Priami regno Cyrus Persarum Rex Græciam recuperata libertate lascivientem sibi subdidit, & vectigalem fecit, servitutis jugum imponens effreni & procaci huic genti. Non longo post tempore Xerxes Darii filius immensa militum multitudine impressione in Græciam*

facta, navibus Hellespontum operuit, & tanquam ponte stravit: cumque prope Abydum in clivo considens, immodicam exercitus sui magnitudinem e sublimi esset contemplatus, vidissetque Abydenorum campos armatis militibus repletos, & Hellespontum classibus contectum, primo quidem ob tantam potentiam beatum se prædicavit: deinde vero animo perpendens, post annos centum e tam inenarrabili hominum multitudine ne unum quidem superstitem fore, humanæ miseriæ condolens affatim lacrymari cœpit: felix si consideratis prius iis, quæ ante pedes erant, cupiditates in tam longinquum non diffudisset. Post hæc multis præliis superati, variisque bellorum cladibus affecti a Persarum Regibus, recuperatis viribus, mutuis inter se odiis & seditionibus flagrantes, bello Peloponnesiaco omnium periculosissimo sese implicuerunt; duabus urbibus, Athenis & Lacedæmone, de primatu inglorie decertantibus. Lacedæmoniis subsidio veniebant omnes intra Isthmum, præterquam Argivi, & utriusque partes secuti Achæi; è quibus tamen Pelleænses primo, mox omnes Peloponnesii, a Lacedemoniis stabant, unaque cum ipsis Megarenses, Locri, Bœoti, Phocenses, Ambraciotæ, Leucadii, Anactorii. Atheniensibus adhærebant Chii, Lesbii, Platæenses, Naupactii, pleraque Acarnanum pars, Corcyræi, Zacynthii, cæteræque insulæ ad orientem inter Peloponnesum & Cretam sitæ, Cyclades omnes, exceptis Thera & Melo: similiter & Thraces cum Hellespontiis, & ex Asiaticis populis Cares, Dorienses, Iones. Hisce auxiliis instructi Græci, cum intestinis bellis seipsos contererent, Philippus Amyntæ, Macedonum Rex, tanquam è sublimi specula occasionem captans, illos inter se invicem diffidentes inopinato oppressit: primo quidem imbecillioribus contra potentiores auxilia subministrans, deinde vero utrosque sibimet implicatos suæ potestati subjiciens. Denique universæ Greciæ imperium ad Romanos devolutum est, sub Perseo ultimo Macedonum Rege. Postremo divisa in partes duas Romanorum monarchia gloriosissimam coacta est servire servitutem. Ubi nunc splendor ille universam Tellurem illustrans? ubi libertas illa & potentia, qua suopte arbitrio usa vicinis & longe dissitis dominabatur? æterna nocte exstinctum est mundi lumen: robustissimi leonis vires barbari canis rabies superavit. Et tu, o homo, angustum vitæ terminum audes deflere, & sub putri Parcarum fuso volvi ævum tuum indignaris: cum expertus sis terram, imo & cœlum caduca esse & fato obnoxia, regna mutari, ætate consumi regiones & populos, illustrem throni imaginem deleri, & nec vestigia nec nomen confracti sceptri permanere. Fuit quondam Græcia: fuerunt Athenæ: nunc neque in Græcia Athenæ, neque in ipsa Græcia Græcia est. Sic pulcherrimi flores excellentem venustatem præcoce & propero fato luunt. Quod si ex ossium compagine proceritas adeoque concinnitas hominis cognoscitur, veniam mihi polliceor, si sepultæ & pene putridæ Græciæ cadaver erutum in lucem protrahens ex antiquorum scriptorum monumentis redivivam ejus imaginem ante oculos posuero. Quis vero audaciam animo meo infundet, ut neque metuam, neque exhorrescam ad intuitum tam terribilis spectaculi? quis extergebit mihi lacrymas, quas invito excutit pristinæ, qua olim Græcia floruit, felicitati, & hodiernæ miseriæ recordatio? Imo & manuductore opus est, cujus moderammine obtritas & ruinis confusas atque obliteratas vias ingredi, & singula exactius rimari mihi liceat. Animum igitur mihi addat Apollo; præibunt, semitamque prætensa manu sternent Alexandrinus senex, & Cappadox facundiæ structor, quorum ille aquilæ instar immensa Græciæ spatia mediocri volatu percurrens, fundamentum locavit hujus structuræ; hic vero ceu formica singula accurate perreptans, insigni varioque ornatu illam perpolivit.

GRÆ-

GRÆCIA
UNIVERSALIS.



T A comparatum est, ut semper aliquid novi Fatum operetur: ipsaque Fors Fortuna tam vegeta quam caduca, tam in ortu emergentia, quam quæ in occasu deficiunt, pro suo arbitrio inevitabili Necessitatis violentia rotet versetque. Intuere Mycenas, primatum apud Græcos in bello Trojano adeptas, & Ninum Regiam quondam Assyriorum, & Thebas Bœoticas ad summam apud Græcos dignitatem evectas: istæ quidem funditus eversæ sunt: Thebæ autem solo nomine superstites, Ad arcem unam & inquilinos paucos sunt redactæ. Parem senserunt sortem Thebæ Ægyptiæ, opulentia olim excellentes, & Orchomenus Minyæus, totiusque Græciæ commune emporium Delus: Illæ privati hominis non usque adeo divitis fortunas vix attingunt, Delus autem, si præsidiarios istic in tutelam constitutos excipias, civibus & indigenis penitus destituitur. E Babylone autem, qua Sol majorem non aspexit, vix quicquam superest. In Carthagine fortuna vires majores, magisque admirabiles, quam quæ in urbium felicitatem aut calamitatem cadere solent, ostendit. Atque has quidem urbes fatalis vicissitudo in nihilum redegit. alias vero hodie aut heri conditas, in amplissimam beatitudinem, amplexum quasi & dextram illis A offerens Fortuna evexit. Quis, quæso, non novit maximam quondam Græciæ potentiam? hæc in extremam imbecilitatem & infirmitatem redacta, & a fato membratim lacerata, pristinum imperium amisit. Argos certe urbs tempore Heroum cum ad maximam pervenisset potentiam, una cum regno ad Dorienses translato favore fortunæ plane excidit: gentem autem Atticam, postquam a bello Peloponnesiaco tanquam a morbo lethali animum recepisset, ac denuo enatasset, Macedoniorum [1] vires non longo post tempore pessumdederunt. Thebas Bœoticas Alexandri furor ex Macedonia proruens, quasi fulmine percussit. Lacedæmoniis autem Epaminondas Thebanus, & post eum Achæorum arma B exitio fuerunt: qui quidem Achæi tanquam ex arbore detruncata vixdum in Græcia regerminantes, quo minus sensim adulti crescerent, Imperatorum improbitas, & bonorum virorum inopia obstitit. In Philopœmene autem desiit Græcia bonos progenerare viros. Miltiades quidem Cimonis filius, Barbaros in Marathonem descendentes, & Medorum exercitum fundens, factus est primus. Philopœmen autem Craugidis [2] filius postremus Græciæ universæ assertor. Qui vero ante Miltiadem res gestas ostenderunt, Codrus Melanthi filius, Po- C lydorus Spartanus, Aristomenes Messenius, & si quis præterea; suæ quisque patriæ videtur fuisse emolumento, non universæ Græciæ consu-

1. Potuit dicere *Macedonum*.

2. Plutarcho dicitur Κραύγις.

consuluisse. Post Miltiadem Leonidas Anaxandridæ, & Themistocles Neoclei filius, Xerxem Græcia expulerunt, hic quidem gemina pugna navali, ille prælio in Termopilis. Aristidæ vero Lysimachi. & Pausaniæ Cleombroti imperium in Platiensi[1] tenenti prælio, huic quidem perpetrata obstabant facinora, quo minus Græciæ vocaretur benefactor, illi autem quod Græcis Insulas incolentibus vectigalia imponeret: quorum immunis fuerat ante ipsa Græcia. Præter hos jam memoratos qui in bello Peloponnesiaco impigram navarunt operam, jure quis, non servatores Græciæ, sed parricidas potius, ac submersores vocarit. Græcia sane sæpe nomen suum immutans certissimum dare videbatur præsagium immutandæ potentiæ, & imperii ad finem tendentis, quæ ante ex minima gente in tam amplum accrevit

A numerum, tantamque multitudinem, ut cum proprii regni finibus & terminis comprhendi non posset, in totum terrarum orbem dissiparetur, multasque urbes conderent legibus & præclaris institutis instructas. In Italiam enim Græci coloniam deducentes, utrumque occuparunt litus, & oppida Crotonem, Brundusium, Tarentum, & Locros exstruxerunt. In Gallia itidem Phocæorum colonia est Massilia. In Libya Duce Batto Cyrenen condiderunt. Athenienses indigenis aucti divitiis, Peloponnesum rerum & fortunarum suarum sedem ceperunt: eamque terram primum Aigialiam vocatam, Ioniam appellarunt. At Heraclidæ cum istuc descendissent, eorum socii Achæi Athenienses ejecerunt, qui Duce Androclo in Asiam commigrarunt. B

ACHAIA,
QUÆ
HELLAS.



ANNEXA Epiro, Macedoniæ, & Isthmo Corinthiaco regio, Achaia & Hellas vocatur. Comprehendit ea Atticam, illiusque partem Megarida, Bœotiam, Phocida, & Locrorum Opuntiorumque præfecturas. Ipsa Attica ab Atthide Cranai filia nomen obtinuit: cum prius Actæa nominaretur. Accæum[2] in hac ditione primum fuisse Regem memoria proditum est. Illi defuncto Cecrops Actæi gener in regno successit, cujus filiæ Erse, Aglaurus, & Pandrosus, filius Erisichthon. Hic, cum ante patrem decessisset, imperio non est potitus, sed Cranao avitum regnum reliquit. Amphi- C

ctyon vero Cranaum socerum suum vi expulit, ipseque vicissim ab Erichthonio ejusque conjuratis regno exuitur. Hunc Erichthonium a nemine mortalium fuisse progeneratum ajunt, sed parentes ejus fuisse Vulcanum & Terram.

Fluvii in Attica labuntur Elissus & Celtico cognominis Eridanus in Elissum se effundens: hic est ille Elissus, in cujus ripa Orithya sese oblectans a Borea rapta, ipsique matrimonio juncta memoratur, quamobrem ob affinitatem cum Atheniensibus multas Barbarorum triremes a Borea fuisse pessundatas. Athenienses autem religionis sanctita- D

1. Veteres dicunt *Platæensi*.

2. Voluit *Actæum*.

te & Deorum cultu supra reliquas gentes excelluerunt. Primi enim Minervam Erganen, & mutilatos Mercurios, & Genium bonorum hominum divinis honoribus affecerunt; unde factum, ut Dii in prælio ad Marathonem & Salaminem ipsis præcipue opitularentur. Quod autem pietatis studio cæteros populos superarint, argumento est, quod expugnato Jovis Olympici templo in urbe Syracusis, nec donarium quicquam absportarint, nec adversus eorum custodem, sacerdotem Syracusanum, injuriose sese gesserint. In Democratia, sive populari Reipub. statu, non novimus ullam gentem plus profecisse, quam Athenienses. Hi namque in isto regimine eximios fecerunt progressus, prudentia peculiari Græcos superantes, & legibus a se latis sanctissime obsequuti. Atheniensibus aliisque Atticæ partibus finitimi sunt Bœoti. Hi cognomentum suum adepti sunt a Bœoto, ex Ithono & nympha Melampa progenito: Ithoni autem pater Amphictyon fuisse perhibetur. Tenuerant etiam Bœoti olim Thessaliæ partem, atque istic Æolenses vocabantur. At vero qui desolatam Thebanam terram incolebant, veriti ne Athenienses denuo Thebas coloniam deducerent, in societatem cum ipsis coire recusarunt; sed Macedones pro virili sategerunt adjutare. Thebani autem prælio ab Atheniensibus superati, cum suppetias ferrent Platæensibus, de terminis regionis decertantibus; denuo etiam clade affecti sunt ad Platæam: ausi nimirum postpositis Græcorum, partes Xerxis sequi. Veruntamen ipsi quoque Thebani feliciorem belli eventum experti sunt, victoria potiti adversus Athenienses ad Delium Tanagræorum oppidum. Deinceps autem gemina pugna ad Corinthum & Cheronæam [1] a Lacedæmoniis fusi, mutata belli alea, eminentissimam quam unquam antea a Græcis Græci habuerant, in Leuctris obtinuerunt victoriam. Denique etiam bello Phocico, quod

1. Imo *Chæroneam*.

A sacrum appellarunt, Græci decem integris annis militiæ socii interfuerunt. Sed mox sequutura pernicies divinitus illis fuit significata: nam in fano Cereris Thesmophoriæ, præsagia viderunt omnino contraria illis, quæ contigerant circa tempus Leuctrici conflictus: tum enim araneæ ad templi fores candidas telas texuisse deprehensæ sunt: at vero invadente terram Alexandro & Macedonibus, nigro opere araneæ vestibulum operuerunt. Phocicam regionem, quæ circa Delphos & Tithoream est, priscam nomenclaturam certum est accepisse a Phoco, viro Corinthio, Ornytionis filio. Elapsis vero non multis annis classe Æginetarum, B Duce Phoco Æaci filio, in terram Phocicam appulsa, usus obtinuit, ut universæ regioni nomen Phocidos tribueretur. Hujus terræ solum, præcipue circa Cephissum fluvium, eximie tum arborum consitura, tum segetum proventu & ubertate pascuorum luxuriat: ac proinde hic terræ tractus impensius colitur. Usurpatum a Græcis proverbium, *Phocica desperatio*, quo denotantur temeraria & projectæ audaciæ consilia, exinde originem traxit. Cum adverso Marte bellum gererent Phocenses contra Thessalos, Celonem cum velitibus trecentis, hostium castra speculatum emiserunt: hi omnes una cum Duce occubuerunt. C Tantum clades illa terrorem incussit universo exercitui, ut & mulieres & pueros & quæcunque aut vehere aut portare quisque posset, tum & vestes, & aurum argentumque una cum Deorum simulachris in unum congererent, ingentique rogo extructo, viros triginta istic relinquerent, serio mandantes ut si contingeret Phocenses in prælio cadere, tum primo mulieres & infantes jugulatos, deinde congregatam supellectilem igni accenso injecto cremarent, seque ipsos mutuis vulneribus confoderent, aut ultro in Thessalorum equitatus morituri irruerent.

MACEDONIA.



AD summum pene Majestatis fastigium quondam ascendit Macedonia, tum peritia rei bellicæ, tum fortunæ favore adjuta: Atque hanc potentiam sub Philippo Amyntæ filio acquisitam, sub alio Philippo, ultimo ejus nominis, perditum iri Sibylla divinitus vaticinata est hoc oraculo:

Gens Macedo, Argeadum sceptro quæ stulta superbis,
Et lucrum & damnum veniet tibi, Rege Philippo:
Ille prior, Reges populis atque urbibus amplis
Præficiet; priscum extremus delebit honorem,
Hesperio simul atque Eoo a milite victus.

Huic, quem dixi, Philippo Amyntæ ad Macedonicum imperium amplissimasque vires perveniendi, non exiguo adjumento fuit simultas Arcadum adversus Lacedæmonios. Cæterum Pyrrhus cum Macedoniam superiorem, Thessalosque sibi subjecisset, Jovi in templo Dodonæo Macedonum spolia & clypeos consecravit cum hac inscriptione:

Quæ dites Asiæ potuere evertere terras,
Et tibi mancipii, Græcia, ferre jugum.
Nunc Jovis in templo pendent affixa columnis
Tetrica devictæ Scuta Macedoniæ.

Thessali a Phocensibus multa adversa & contumeliosa passi sunt. Nam circa Hyampolin, ubi regionem suam Thessalos invasuros suspicabantur, hydrias testaceas defodientes, easque terra clanculum operientes, equitatum Thessalorum in insidiis præstolabantur. Hi non animadvertentes astutiam hostium, equos super hydrias imprudenter egerunt, a quibus saucii equites, humum prolapsi occubuerunt. Alium etiam dolum contra Thessalos machinatus est Eleus Thellias. Cum enim in ipso Phocidis aditu hostilia castra constitissent, electi milites quingenti, observato plenilunii tempore,

A postquam tum seipsos tum arma gypso candido oblevissent, Thessalos noctu adoriebantur. Hinc ingentem Thessalorum cladem memorant exortam, quod arbitrarentur, non tam hostium versutia, quam divinitus immisso portento speciem hanc apparuisse. Quamvis autem multa præclare fortiterque in bello gesserint Macedones, non tamen patriis legibus concessum ipsis fuit tropæa erigere. Nam neque Philippus Amyntæ filius de hostibus in Cheronæa [1] fusis, aliisve seu Græcis seu barbaris a se devictis ullum statuit tropæum. Ipsi Macedones asserunt, Caranum Regem suum superato pugna Gisseo, in contermina regione imperante,
B Argivorum consuetudinem secutum, tropæum de victoria erexisse: a leone vero ex Olympo monte proruente istud subversum & penitus fuisse abolitum. E quo facto Caranus se sibi male consuluisse intellexit, quod barbaris circumaccolis ansam præbuisset irreconciliabilis erga ipsum odii & inimicitiarum, multoque satius esse, neque ab ipso Carano, neque a successoribus in regno Macedonico ullum erigi tropæum: ut eo facilius ad reconciliationem & benevolentiam allici ac pertrahi possent accolæ. Certum hujus rei argumentum est, quod Alexander neque de Da-
C rio, neque de Indicis victoriis tropæa voluerit statuere.



1. Iterum *Chæronea.*

EPIRUS.



ROMANIS, reliquas gentes bello lacessere consuetis, inter Græcos omnium primos Epirotas, arma intulisse novimus. Diomedes enim ipsumque sequuti Argivi, adversus Æneam hostiliter sese non gesserunt. Atheniensibus autem tum alias regiones, tum universam Italiam invadere in animo habentibus, Syracusana clades obstitit, quo minus cum Romanis belli aleam experirentur. Alexander vero Neoptolemi filius, e genere ipsius Pyrrhi, sed ætate eo superior, prius in Lucania obiit, quam cum Romanis potuerit signa conferre. Pyrrhus igitur Epirotarum Rex primus inter Græcos ultra Ionium mare contra Romanos arma traduxit. Atque hi Epirotæ etiam capta jam Troja, neque classibus magna ex parte instructi fuerunt, neque salis usum habuerunt cognitum, cujus rei testimonium præbet Homerus *in Odyssea*,

——— ——— ——— viri nec navibus uti,
Nec sale permiscere cibum aut condire periti.

Epiri incolis, & Ætolis, finitimisque eorum Acarnanibus multa quidem præsto sunt spectatu digna, inprimis autem Templum Jovis in urbe Dodona, & sacra ejus Dei quercus, unaque ex ea arbore vaticinantes Columbæ. Quod si lubitum est ex narratione Græcorum enumerare vetustissimas, & jam a multis seculis virentes arbores, antiquissima omnium vitex est in fano Junonis enata apud Samios; proxima huic ætate Quercus Dodonæa, & Olea in Arce, & ea quæ est in Delo.



A Tertium autem locum vegetæ antiquitati merito sibi vendicabit laurus in Syria. Præter has enumeratas, omnium vetustissima est Platanus in urbe Caphyis. Columbas autem has fatidicas ajunt fuisse Sibyllas, atque inter mulieres primas decantasse hos versus:

Ante fuit, nunc est, erit & post Jupiter idem,
Quæ fructus profert, hanc Matrem dicite, Terram.

Atheniensibus quoque, ætate Aphidantis a Jove Dodonæo oraculum his versibus redditum fuit, B quo significatur nefas esse supplices non revereri.

Curia sit Martis curæ tibi, & ara sororum
Eumenidum; namque huc aderunt cum supplice voto
Spartani, bello domiti: hos ne confice ferro,
Neu viola: merito supplex Sacrosanctus habetur.

In terra Thesprotia palus est Acherusia dicta, & fluvius Acheron: labitur etiam istic Cocytus, a- C quam habens insuavissimam: quæ intuitus Homerus, tum alia de rebus apud inferos poemati suo inferere ausus est, tum etiam nomina fluviorum infernalium a fluviis in Theosprotia desumpsit. Ambraciotas & Anactorios colonos Corinthiorum, Imperator Romanorum Augustus traduxit in coloniam Nicopolis, prope Actium. Hi ipsi Ambraciotæ Minervæ apud Delphos asinum æneum dedicarunt, cum pugna nocturna Molossos vicissent. Insidias quidem ipsis noctu statuerant Molossi, asinus autem cum forte ex agro istoc ageretur, asinam insecutus ac lasciviens, incondita voce, & gravi ruditu inclamare cœpit: simulque D agaso per tenebras horrendum vociferans, tanto terrore Molossos perculit, ut insidiarum stationem desererent. Ita Ambraciotæ, detecto hostium dolo, Molossos noctu aggressi prælio eos superant.

PELOPONNESUS.

MARI undique cingitur universa Peloponnesus, præterquam qua ad Corinthicum Isthmum continenti adnectitur. Hic Isthmus, ab altera parte Mare prope Cenchreas, ab altera prope Lechæum attingit. Peloponnesum vero in insulam redigere aggressi, omnes, antequam opus perficerent, ab incepto desistere coacti sunt. Ubi fossionem inchoarunt, satis adhuc conspicuum est; ad saxosa autem loca non pervenerunt. Primus omnium Demetrius Rex perfodere conatus est: deinde Julius Romanorum Imperator, ac post eum Caligula per Claudium præidem. Nero autem cum exordium faceret hujus operis, tuba signum dedit militibus, ipseque erutam terram canistris exportavit. Cnidos vero isthmum jam fodientes Pythia inhibuit: Usque adeo difficile est homini vim rebus inferre divinis. Figura Peloponnesus non absimilis est folio platani, in multos [1] cuspides procurrens: unde *Dionysius:*

——— ——— ——— Pelopis tunc insula præsto est,
Quæ platani ut folium sinuatur cuspide crebro.

Ad Isthmum primi habitant Corinthii: His ad mare vicini sunt Epidaurii: Epidaurus, Troezen, & Hermione, aliæque Argiæ urbes ad sinum sitæ sunt E Argolicum. Hanc regionem attingunt circumaccolæ Lacedæmoniorum, iisque finitima Messenia, quæ ad mare usque procurrit versus Methonen, Pylum & Cyparissios. Porro ad Lechæum Corinthiis contermini sunt Sicyonii, extremi Argolidis regionis. Hos sequuntur Achæi, maritimas oras tenentes. Ex adverso Echinadum insularum, alterum Peloponnesi latus incolunt Elei: quorum limites Messeniam attingunt circa Olympiam, & Alphei fluminis ostia. Atque hi quidem populi jam enumerati maritimi sunt. Arcades vero penitus a Mari seclusi mediterranea incolunt. Unde & Homerus eos asserit ad Trojam profectos ab F Agamemnone naves accepisse, cum propriis destituerentur. E Taygeta monte tota Peloponnesus conspicua est, quod & Stasimus indicat *in Cypriis:*

——— ——— ——— ——— Illico Lynceus
Taygeti adscendit pede festinante cacumen,
Unde oculis sese spectandam præbuit omnis
Insula Tantalidæ Pelopis.

Templorum omnium quotcunque in Peloponneso sunt, si exceperis id quod Tegeæ est, excellentissimum judicatur, tum operis structura, lapidum,

1. Voluit *multas*. Sic enim in Laconica Meridiali habet *cuspides imbutas*.



A que precio, tum concinnitate & harmonia Apollinis Epicurii in urbe Cotylio. Tegeatis sane Templum Minervæ Aleæ primitus fecerat Alceus; postea autem, cum illud subito igne conflagrasset, aliud Tegeatæ illi Deæ exædificarunt, ingens & spectatu dignum, cum Diophantus annuum apud Athenienses magistratum gereret. Hujus templi primus ornatus Doricus est, alter Corinthiacus: extra templum columnæ surgunt operis Jonici. Architectus eorum Scopas Parius perhibetur, qui plurimas statuas antiquitus in Græcia fecit. In testudinis anteriore latere venatio apri Caledonii, aliaque artificiosissime effecta cernuntur. De decem B præcipuis in Peloponneso urbibus Apelles scripsit; quæque in iis visu digna occurrunt, ea Callimachus Batti & Mesatines filius memoriæ mandavit.



ÆGÆI MARIS INSULÆ.

C Si quando capram hædulis hinc inde cinctam, aut torquem gemmis atque unionibus ornatum circa collum virginis vidisti, eadem specie dices apparere insulas Cycladas procul adventantibus, modico a se invicem separatas intervallo. Inter eas est Parus Archilochi Poetæ patria. Parii urbem Parium condiderunt, & Thasum insulam Ægæi maris. Andrus sita est ex adverso Ephesi, vocata prius Cauron, & Antandros, deinde Epagris & Hydrusa. Memorant Andrii, solenni Liberi patris festo, e templo Dei fluere vinum spontaneum. Fidem hic Græcis si quis largiatur, non erit ei D absurdum etiam id credere, quod in re pari Æthiopes, qui sunt supra Syenem, de mensa Solis narrant: quin & apud Eleos (qui & ipsis Græci) idem contingit. Hi enim peculiari cultus sanctitate Dionysium [1] venerati, certo prodiderunt, Deum hunc quotannis in festivitate Thyorum ad ipsos adventare. Locus ubi id agitur festum, octo circiter stadia ab urbe distat. Istuc tres sacerdotes totidem deportant lagenas, vacuasque deponunt præsentibus tum civibus, tum, si qui forte adsunt, peregrinis. Tum annulis suis Sacerdotes, & alii, quibuscunque volupe fuerit experiri, fores domicilii obsignant. Postero die reversi, sigilla illæsa recognoscunt, & ingressi reperiunt vino repletas

1. Ita & mox *Dionysii*. Sed voluit *Dionysum* & *Dionysi*.



lagenas. Hæc ita ſe habere tum Eleorum civium A honoratiſſimi, tum peregrinorum fide digniſſimi interpoſita jurisjurandi ſanctitate, confirmarunt. In Mycono ultimos Centaurorum ab Hercule interfectorum jacere ajunt, unde proverbium natum, *Omnia ſub una Mycono*: &, *Myconii calvi*: quandoquidem frequens eſt & oppido familiare incolis calvitiei incommodum. Tenus urbem habet non admodum amplam, extra urbem nemus viſitur, inque eo delubrum Neptuni ſpectatiſſimum: in quo lacunaria magni pretii, indicium facientia tum religioſæ pietatis, tum celebritatis & ampliſſimi conventus hominum iſtuc ad ſacram B feſtivitatem confluentium. Siphnus inſula aurifodinas quondam tulit, e quarum proventu Deus decimas juſſit Delphos deferri; hi theſaurum exſtruxere, & mandato obſequuti decimas ſacras obtulerunt: poſtquam autem inſatiabili avaritia faſcinati, debitam oblationem intermiſerunt, ſuperveniens maris eluvies omnes metallorum fodinas intervertit, penituſque deſtruxit. Naxus, inque ea urbs cognominis, vinearum feracitate nobilis; unde in ejus numiſmate expreſſa cernitur effigies Dionyſii barbati, & Sileni poculum geſtantis: hoc nomine Satyros appellant ætate provectiores. C De Satyris, ut aliquod addam, ſcriptum invenimus Euphemum Carem, cum in Italiam navigaret, tempeſtate & ventorum adverſis flatibus aberraſſe a via, & in extremas Maris oras navigantibus incognitas delatum. Illic non paucas eſſe inſulas ab hominibus agreſtibus habitatas. Nautæ vero non conſultum eſſe arbitrati iſtuc appellere, cum de iis fando accepiſſent, & inhabitantium indolem non ignorarent, vi tamen adactos appuliſſe, Satyridas nautæ has vocant inſulas: incolæ rufi ſunt colore, caudas equinis non abſimiles, nec minores, e clunibus exſertas trahentes. Hi concurſu in navem facto, nulla emiſſa voce, in mulieres magno impetu irruebant. Veriti autem nautæ, ne quid deterius eveniret, mulierem barbaram in littus expoſuerunt, in qua Satyri non tantum conſueto modo & loco, ſed per omnes corporis partes libidinem exercuerunt. In Seripho Dictes ciſtellam e mari extraxit, cui incluſi erant Perſeus & Danae.



ATTICA.



MEDIUM mundi locum obtinet Græcia, medium Græciæ Attica, medium Atticæ, omnium urbium urbs illustrissima, Athenæ. Acte prius regio hæc vocabatur, & Ogygia, & Ionia, particula Isthmi attingens Megarida. Iones cum Corinthiis de limitibus, & præcipue ad Crommyoniam sitis, concertantes, hac ratione litem hanc inter se composuerunt, ut columna in Isthmo erigeretur, mutuæ reconciliationis inscriptionem ferens: sculptum autem erat in uno columnæ latere:

Hucusque Peloponnesus, haud Ionia:

in altero:

Hucusque haud Peloponnesus, ast Ionia.

Opimæ & gloriosæ inclytæ Athenæ Græciæ propugnaculum, inquit Pindarus; cui propterea a Thebanis gravissima fuit multa irrogata. Verum Athenienses hanc pro Pindaro mulctam exsolverunt. Inter Sunium & Eleusinem sitæ sunt Athenæ, totius Græciæ receptaculum, insularum choro redimitæ, brachium protendentes accedentibus, in Phalerum portum eos excepturæ. Piræus antiquitus municipium erat, non navale: sed Phalerum (nam hic ut minimum distat urbs a mari) navale habebant. Hinc, ut perhibent, Mnestheus cum classe ad Trojam solvit, & ante eum Theseus; Minoi pœnas daturus de cæde Androgei. Themistocles autem cum Reipubl. præesset, animadvertens Piræum commodiore loco situm navigantibus, utpote qui triplici portu pro uno Phalero esset instructus, illis navale hic paravit, portumque construxit quadringentarum navium capacem: ne-

A que enim pauciores in bellum naves emittebant Athenienses. Habent præterea portum Munichiam, a quo nomen obtinuerunt sacra Munichia, & mensis Munichion: De hoc portu *Epimenides Phestius Athenienses* præmonuit,

Si, quantum sit Munichia
Athenienses nossterent,
Hanc panis instar, dentibus,
Sit præbitura damnum
Discerperent minutim
Totamque devorarent.

Marathonem oppidum famigerabile facit Victoria Atheniensium: illic enim trecenta Medorum millia a viris vix decem millenis fusa occubuerunt. Audiuntur etiamnum eo loci nocturni hinnientium equorum & militum præliantium tumultus,


B eorumque spectra apparent: si quis autem de industria & sponte sua ista spectatum iverit, illi infeliciter cedit hæc curiositas: at invitus & fortuito qui in ista inciderit, illi ex ira Manium nihil evenit adversi. Summo religionis cultu Marathonii venerantur eos, qui in prælio ceciderunt, Heroas vocantes, potissimum tamen Marathonem, a quo nomenclaturam sumpsit istud municipium: tum etiam Herculem, cui primos se divinum exhibuisse honorem gloriantur. Narrant incolæ, accidisse in ea pugna, ut vir quidam tum specie tum habitu rusticus appareret, qui barbarorum quamplurimos

C aratro interemit, posteaque disparavit. Sciscitantibus oraculum Atheniensibus, Deus nihil respondit aliud, quam ut Heroem Echetlæum, quasi Aratricum, colerent. Exiguo intervallo a mari supra Rhamnuntem delubrum est Nemesis, quæ Dea præ omnibus aliis Diis infensam & implacabilem maxime se ostendit hominibus sceleratis: ac verisimile est


Tarentum
ATHENAE Pag
Thebae · Pag

ultrice indignatione barbaros Marathonem invadentes fuisse cæsos & repulsos. Etenim cum sibi non posse resistere Atheniensium vires arbitrarentur, per ludibrium secum apportarunt Parium marmor, e quo tropæum, tanquam victis jam hostibus posset parari. Ex eo marmore Phidias simulachrum Nemesis fabricavit, gestans in capite coronam cervis & victoriæ exiguis sigillis intextam: sinistra tenet ramum mali silvestris, dextera phialam, cui sunt insculpti Æthiopes.

MEGARIS.



FINITIMA Atticæ est Megaris, & ipsa prius Atheniensium subdita imperio, quod hæreditaria successione a Pandione Pylas acceperat. Codro autem regnante, Peloponnesii bello Athenienses adorti, cum nihil præclari suoque nomine digni gessissent, domum reversi sunt, Megaram tantum a se occupatam, Corinthiis aliisque belli sociis inhabitandam relinquentes. Hoc modo Megarenses mutatis moribus & dialecto, Dorienses facti sunt. Urbem, hoc nomen adeptam arbitrantur, Care Phoronei filio in hac regione imperium tenente: tunc enim primo Cereri Megara exstructa; qua voce templa appellabantur. In urbe fons est a Theagene exædificatus, ob magnitudinem, ornatum, & columnarum numerum insignis & dignus spectatu; in quem influit aqua Sythnidum nympharum. Asserunt Megarenses, Sythnidas nymphas sibi esse indigenas, & cum earum una Jovem concubuisse, e qua & Jove susceptus Megarus, diluvium quod Deucalionis tempore contigit, effugisse dicitur: cum scilicet in verticem montis Geranii enatasset, gruum sequutus clangorem istic prætervolantium: unde & nomen Geranii a geranis seu gruibus monti inditum. Monstratur præterea focus Deorum Prodomeorum, sive Præstructorum, & non procul inde lapis, in quem deposuisse dicitur Apollo citharam, cum in exstruendis muris

B Alcathoo adjumento esset; hic lapis ab aliquo forte calculo percussus, sonum extemplo edit pulsatarum citharæ fidium sono non absimilem. Mirum quidem hoc est auditu, multo tamen mirabilius, quod in colosso in urbe Thebarum Ægyptiarum contigit, ubi trajectus est Nili ad Syringas seu fistulas ita dictas. Ibi statua est, Eleus Memnon vulgo appellata: Iste vero Memnon idem esse creditur, qui Ithmandes apud Ægyptios, cujus opus Labyrinthus Memnonius. Statua hæc quotidie oriente sole resonantem tinnitum edit, quem æqualem esse dixeris ruptæ, cum nimium tenditur
C lyra, chordæ. Exstruxerunt Megarenses Jovi Olympio thesaurum, in quo præter alia donaria dedicarunt animalcula cedrina, auro elaborata, & Herculis cum Acheloo luctam. Megaris Reipubl. formam mutavit: Hyperio enim Agamemnonis filius, ultimus Megarensium Rex cum a Sandione ob avaritiam & improbitatem trucidaretur: inconsultum rati Megarenses unius imperio subesse, electitium magistratum prætulerunt, ut per vices sibi invicem & imperarent & obedirent. Eam ob causam Æsymnus, nemini inter Megarenses auctoritate secundus, ad oraculum Delphicum
D profectus, sciscitatus est, qua ratione felici progressu Respubl. uti posset; cui Deus tum alia, tum hoc quoque responsum dedit, tum demum Megarensibus

proſpera omnia eventura, ſi plures adhibituri eſſent in conſilium. Hoc illi effatum de mortuis interpretati, curiam exſtruxerunt, ita ut intra ejus ambitum Heroum ſepulchra clauderentur. Niſæa Megarenſium navalis eſt ſtatio, cruribus utrinque protenſis urbem attingens. Prope illam Scironia ſaxa viam circa littus intercludunt: adeo enim propinqua eſt via his ſaxis, ut propter imminentem montem pedibus nequeat uſurpari. Hic geſta dicuntur quæ de Scirone Pityocampte prædone a Theſeo interem- A pto populari fabula narrari ſolent. Eleuſis Megaridem finitimam habet. Græci antiquiores, quantum ad religionem & divinum cultum pertinet, ſacra Eleuſinia tanto exiſtimarunt reliquis honoratiora, quanto Dii Heroibus præcellunt. Gargaphius regiuncula eſt in confinibus Bœotiæ, ubi Actæonem fama eſt vidiſſe Dianam in fonte lavantem, ac propterea a canibus dilaceratum. Veriſimile autem eſt, canes furore, & immiſſa divinitus rabie efferatos, hanc cædem perpetraſſe.

BŒOTIA SUPERIOR.



B IN Bœotia quam maxime celebris eſt Helicon mons, Muſis ſacer, omnium Græciæ montium feraciſſimus, arboribus undique circumveſtitus. Ajunt ejus accolæ, nullam iſtic herbam virulentam, nullam radicem hominibus lethalem germinare: quin imo ſerpentibus, ſi qui illic paſcuntur, venenum imminui aut obtundi: & ſi quis ab aſpide demorſus herbis hic natis utatur, eum mortis periculum effugere, non aliter quam ſi Pſyllos, e Lybica [1] gente, aut aliud præſentiſſimum adverſus virus medicamentum adhibuiſſet. Primi Ephialtes & Otus Muſis in Helicone rem divinam feciſſe memorantur, montemque Sacrum appellaſſe. Eos etiam Aſcram extruxiſſe, de qua re Hegeſinous *in poemate Atthis* vocato, ita loquitur:

Aſcræ concubitu fruitur Neptunus amatæ,
Ipſi quæ peperit circumlabentibus annis
Oeoclum Aloeiadis ſocium, cum conderet Aſcram
Irriguam ſcatebris, imas Heliconis ad oras.

C



In Helicone ſimulacrum eſt Euphemes Muſarum nutricis, & Lini in ſcientia Muſica maximam adepti gloriam, tam inter eos qui ſuo tempore, quam qui ante eum floruerunt. Ibidem Apollo æ-

1. Docti ſcribunt *Libyca*.


Pag 30.
MEGARA


Delphi. Pag 31.


AMPHISSA.
Pag. 33

neus visitur, Mercurius cum eo de cithara certans; A nec non Thamyris etiamnum cœcus, Lyram confractam palpans, & insidens Delphino Arion: tum & Hesiodus citharam in genibus tenens, pluresque aliæ effigies hominum in Musica excellentium. Superat autem reliqua omnia in hac regione conspicua Trophonii atrum & Oraculum. Hoc qui consultum veniunt, ritus istiusmodi eos observare convenit. Postquam alicui constitutum fuerit in Trophonii antrum descendere, primum aliquot dies conclavi in ædificio Bono genio bonæque fortunæ consecrato includitur, illic aliquamdiu commoratus, tum alia recipit expiationum genera, tum a calidis lavacris arcetur: sed fluvio tantum B abluitur Hercynna: carnes ipsi e victimis affatim conceduntur. In singulis sacrificiis præsto est aruspex, cæsarum victimarum cadavera inspiciens, atque exinde vaticinans ingressuro, an jam placatus & propitius Trophonius illum sit suscepturus. Hac vero serie rituque descendit. Primum noctu ad Hercynnam deducitur a pueris duobus, in oppido natis, tredecim circiter annorum, (Hermas eos vocant:) ab his oleo perungitur, ac lavatur: Illinc non continuo ad Oraculum, sed ad aquæ fontes illum comitantur sacerdotes, ubi bibere jubetur oblivionis, ut appellant, aquam, cujus vi rerum omnium, de quibus ante fuerat sollicitus, oblivio ipsum incessit: deinde etiam aquam Reminiscentiæ haurit, ut quæ intus contigerunt, possit memorare. Postquam contemplatus fuit simulacrum (quod Dædalus fabricasse creditur, nec cuiquam monstratur a sacrificulis, præterquam iis, qui Trophonium adituri sunt) cum religiosa votorum conceptione ad Oraculum accedit, toga linea, quam tæniæ circumcingunt atructus [1], & crepidas pro more regionis indutus. Descendenti occurrit cavernula inter pavimentum & laqueare, latitudine duarum spithamarum, altitudine, ut conjicitur, unius spithamæ; quo cum perventum est, inclinat sese humum, massas ferens melle subactas, tum pedes cavernulæ inserere, genuaque intrudere, & ipse una insequi conatur: extemplo totum corpus vi attractum cum genibus intro abripitur, non aliter ac maximus & rapidissimus fluvius, vorticibus suis correptum hominem e conspectu subducit.

1. Intellectum id forsan fuit auctori & editori, non lectoribus. Pausanias dicit χιτῶνα ἐνδεδυκὼς λινοῦν, ϗ ταινίαις τ χιτῶνα ἐπιζωσθεὶς.

BŒOTIA INFERIOR.



DÆDALA festum celebrant Bæoti, & Junoni C Desponsatæ rem sacram faciunt, cujus statuam in Platæensium urbe, sedentem fabricavit Callimachus, cognominis origo ex hoc eventu nata est: Juno aliquando Jovi irata in Eubœam secessit: Jupiter cum eam non posset placare, Cithæronem adiit, tunc temporis Platæensibus imperantem, nemini sapientia & versutia secundum. Hic Jovi con-

filium dedit, ut ligneum fimulachrum ploftello impofitum, & veftimentis contectum, a bovibus juberet circumagi, dictitans Platæam effe, Afopi filiam, quam ducturus effet in matrimonium. Hoc Cithæronis monitum cum exfequeretur Jupiter, eaque res ad Junonis credulæ aures perveniret, ipfa extemplo accurrit, & juncta plauftro, vefte fimulacri confciffa, poftquam loco novæ nuptæ ligneum fimulachrum reperiffet, læto animo fe deceptam intellexit, & cum Jove illico rediit in gratiam. In memoriam hujus reconciliationis Dædala feftum celebrant; nam lignea figilla antiquitus vocabantur Dædala.

THEBÆ BŒOTICÆ.

Thebaidem regionem primo incoluiffe Ectenas ajunt. Eorum autem Regem fuiffe Ogygium, virum indigenam, a quo Thebæ apud nonnullos Poetarum Ogygiarum cognomentum fibi acquifivere. Cadmus autem oppidum ab ipfo Cadmeam vocatum condidit. Accrefcente vero urbe, ad inferiores Thebarum partes Cadmea Arx eft conftituta. Amphion autem & Zethus urbi nomen impofuerunt Thebæ, propter affinitatem cum Theba Promethei filia. Huic fententiæ aftipulatur Homerus *in Odyffea*:

Turribus hi primum & porta feptemplice Thebas
Cinxerunt; neque enim fuerant fine turribus aufi
Incolere han , quamvis præftantes viribus, urbem.

Quod autem Amphion mœnia ad lyræ cantum extruxerit, ejus rei *Homerus* nullam facit in operibus fuis mentionem. Excelluit fane Amphion Muficæ gloria, & Lydorum harmoniam eo tempore quo Tantalus floruit, ab ipfis didicit Lydis, & tres infuper chordas a fe inventas prioribus quatuor adjecit. Thebanis in circuitu mœnium veterum portæ erant feptem, quarum hæc recenfentur nomina: Electrides, Prœtides, Neitæ, Hypfiftæ, Cenæa, Ogygia, Homoloides. Quod autem Thebis Apollini Polio tauri immolabantur, de ea re hæc eft Thebanorum narratio. Cadmo Delphis in terram Phocenfium eunti, Bos facta eft Dux itineris. Bovem autem illam a Pelagontis bubulcis precio redemptam in utroque latere ajunt fuiffe infignitam nota candida, Lunæ imagini, cum circulum fuum explevit, non abfimili. Fatale autem fuit Cadmo, ejufque fociis, ex oraculi monitu, eo locorum confidere, ubi bos e laffitudine procumbens mugitum edidiffet. Ab illa bove dicunt regioni nomen inditum Bœotiæ. *Euphorion* autem aliam hujus appellationis originem addit, cum ita inquit:

Ut cum Bœoti natis oracula pandat,
Quem compreffa olim Neptuno protulit Arne,
Idque recens nato nomen tribuere bubulci,
Quem patrio expofitum forte invenere fimeto.

Zetho & Amphioni commune monumentum in exiguo terræ tumulo conftitutum eft: hinc Tithoreæ in Phocide cives, quotannis particulam furripere laborant, eo anni tempore, quo Sol fignum Tauri percurrit. Tum enim fi glebam inde fublatam Antiopes monumento circumfuderint, ager Tithorenfium


CALYDON. Pag 34


ACTIVM.
Pag. 35.


Argos Amphilochicum. Pag 36.

sium fœcundior redditur, Thebanorum sterilior. ac ita evenire ex Bacidis oraculo sibi persuasum habent, quod est hujusmodi:

Cum sibi vota dari Tithorensi a cive videbit
A *Zethus & Amphion, tumoloque piamina ferri.*
Sol ubi siderei percurrit cornua Tauri,
Tunc urbi caveas fata impendentia, sortemque
Adversam.

PHOCIS.



M**EMORABILIUM** in Helicone rerum explicatio, Parnassi etiam memoriam Musis excitavit. Agite Deæ, amicissima mihi Numina, in Corycium antrum me introducite, antrum divinitate & excellentia stupendum, supra omnia antra illustre, quotquot aut Tellus sustinet aut Oceanus fluctibus suis circumdat, seu inter barbaros sint seu inter Græcos. Si spectes antrum Steanos vocatum, ad flumen Peucellam in Phrygia situm, si id quod Themisones ostentant, si quod est apud Hylas Magnetum: omnia hæc nominis fama superat antrum Corycium. Ingresso hoc antrum, absque face aut lucerna longissimo tractu licet progredi. Amplum satis est & prolixum spatium inter imum solum & superiorem fornicem, multique manant e fontibus suis rivuli scaturientes, plus tamen aquæ e laqueari delabitur, passim apparent destillantium guttarum vestigia. Parnassi accolæ sacrum esse Nymphis Coryciis, inprimis Pani asseverant. Sed in Prædis vestri domicilium descendamus, o Musæ, umbilicum & medium terræ jugum. Stupet animus consideranti sanctitatem Templi, humana voce explicari invalidam, ac fide pene majorem, & donariorum affluentiam. Crœsus Lydorum Rex clypeum aureum hic dedicavit Minervæ Pronœæ: idem mille lateres e solido auro Delphos misit, e quibus aurea ara Apollini exstructa. Communi au-

B tem impensa a Platæensium manubiis Græci consecrarunt aurem tripodem, draconi insistentem æreo. Fertur & Themistocles Delphos profectus e spoliis Medorum Apollini sacrum obtulisse munus: inquirenti an intra Templum collocari vellet, serio id prohibuit Pythia, sed extra templum auferri mandavit. Oraculi versus hi sunt:

Ne pulchra intuleris nostro donaria templo
Exuvias Persei: quin omnia protinus aufer.

Audi etiam magnæ libidinis donarium. Phrynes meretricis simulachrum deauratum adolescentes libidine corrupti Delphis dedicarant: hoc confecerat Praxiteles, ipse etiam rivalis, & amator mulieris. C Erat autem Phryne tam eximiæ pulchritudinis, ut ab ea nuda exemplar ceperint tum Apelles, cum pingeret Venerem e mari emergentem, tum Praxiteles cum sculperet Venerem Gnidiam. Inscriptio simulachri est, PHRYNE EPICLIS F. THESPICA. In vestibulo templi leguntur utilia humanæ vitæ monita & sententiæ conscriptæ a viris, quos Græci Sapientes vocarunt; hi Delphos profecti Apollini dedicarunt hæc passim decantata Dicta, Nosce te ipsum, & Ne quid nimis, aliaque similia. Est præterea istic Homeri statua, D æreæ insistens columnæ: & ipsi datum oraculum,

Felix atque miser, nam fors te ad utrumque creavit;
Tu patriam quæris; tibi matria, patria non est;

Insula Ios matris patria est, quæ lumine cassum
Excipiet: sed tu puerorum ænigma caveto.

Videtur sane multorum insidiis & depeculationibus sceleratorum hominum expositum fuisse Templum Delphicum. Nam & Eubœensis latro Crius, & postera ætate gens Phlegyarum, tum etiam Pyrrhus Achillis filius sacrilegas ipsi manus intulerunt, similiterque magna pars copiarum Xerxis, & Phocensium Magnates, qui maxime omnium & diutissime diripiendis Dei divitiis incubuerunt; & Gallorum exercitus, aliique plures sacrilegium perpetrare ausi sunt; quos inter Nero quoque numeratur, nullum scelus intentatum relinquens, & Apollini subtrahens quingentas statuas æreas tam Deorum quam hominum. Attingit Phocidem re-
A gio Locrorum cognomento Ozolarum, cujus nominis origo hæc esse dicitur: Oresthi [1] cum Deucalion his in oris teneret imperium, canis fœta loco catuli lignum enixa est, quod cum Orestem in terram defodisset, ex eo, Vere ineunte, progerminavit vitis, a cujus ozis seu ramulis, gens illa adepta est cognomen Ozolarum. Diversus est aliorum de hac re sermo; quod nimirum primi indigenæ, ignari artis textoriæ, ferarum pellibus crudis & nondum subactis ad propulsandam frigoris sævitiam se operuerint, hirtam ac villosam partem venustatis causa exterius convertentes: unde contigit, ut fœtidus paulatim putrescentium pel-
B lium odor etiam corpori gestantium impertiretur. Hinc Ozolæ, ac si dicas, Olidi sunt vocati.

1. Sic illi heroes: sed doctis dicitur *Oresti*, & *Orestes*.

CORINTHIA
ET
SICYONIA.



SUBORTA inter Neptunum & Solem contentione de dominio terræ Corinthiacæ, electus utrinque arbiter Briareus sententiam tulit, ut Isthmus, & quæ sunt citra Istmum, Neptuno cederent: arx autem, & reliqua supra urbem, Soli assignarentur. Ephyram Oceani filiam in hac terra primitus habitasse perhibet Eumelus Amphilyti filius, in commentatione Corinthiaca, quæ Bacchiades inscribitur. Postea autem Marathon Epopei filius, Aloei nepos, Solis pronepos, improbitatem & contumeliam a patre illatam fugiens, in maritimas Atticæ regiones concessit: defunctoque
C Epopeo redux in Peloponnesum, distributo in filios imperio, remigravit in Atticam, quæ tum a Sicyone Asopiæ, sed a Corintho Ephyrææ, nomen adepta est. Corinthii autem in Achæorum concilium recepti, belli contra Romanos consortes facti sunt, quod Critolaus Achæorum Imperator electus, illis indixit. In Corinthiaca terra præter alia etiam Crommyon est, in quo enutritum ajunt Pityocampten Thesei: & circa illum pinus reperi-
D tur prope littus: inque ipso Isthmi introitu locus ostenditur, quem occupaverat Sinis, latro famosissimus, qui vi deflexis ad terram duarum pinorum


DODO
Pag 37.
THESSALONICE.
Pag (38.)
Pag (40.)
TEMPE

ramis, pugna superato, alligare solitus est: mox cum in suam naturam reversæ arbores violento impetu sursum ferrentur, neque vincula usquam cederent, sed utrinque arctissime adhærerent, alligatus ad eas arbores crudeliter discerpebatur. Verum eodem supplicii genere a Theseo Sinis fuit sublatus. Spectatu digna in Isthmo occurrunt Theatrum, & stadium seu curriculum e candido marmore: ibidem est & adytum, in quo descensus datur in cavernam subterraneam, ubi absconditus est Palæmon: Si quis vel Corinthiorum vel peregrinorum istic pejeravit, nulla arte effugere potest perjurii pœnam. Cum Græci, tempore belli Persici a Xerxe gesti, crebros in Peloponnesum excursus facerent, tutiores se fore ab irruptione Persarum rati, communi calculo decreverunt utrumque mare connectere. Atque huic labori cum innumeri homines assidue ac perseveranter incumberent, intra paucos dies murus exstructus fuit, quem Examilium vocarunt. Isthmici ludi neque eversa a Mummio Corintho cessarunt, sed quamdiu urbs erat deserta, Sicyoniis Isthmica agere injungebatur; ea autem redintegrata, pristinis incolis & civibus honor iste fuit restitutus. Corinthiorum duo navalia Lechæum & Cenchriæ appellantur. Existimant eos esse genitos e Neptuno & Pirene Acheloi filia. Veruntamen in poemate Magnæ Eœæ inscripto, Oebali filiam fuisse legimus Pirenen. Sicyoniorum Corinthiis finitimorum de sua ditione popularis est opinio, Ægialeum indigenam primum illam inhabitasse. Propinquus Sicyoni fons est in antro, cujus aqua non terra scaturit, sed ex antri culmine defluit, & pro-

A pterea fons vocatur stillans. Sunt & alia in illa urbe eximia ac memoranda, inprimis tamen templum Apollinis Lycæi, nomen istud ex ejusmodi eventu adepti. Cum lupi crebro in greges irruerent, adeo ut nulla ex ipsis proveniret fœtura, Apollo aridum lignum civibus monstravit, cujus corticem inunctum una cum carne bestiis illis objecit, quæ ut escam gustaverant, protinus ex ejus esu interierunt. In Sicyonia regione mons est, ubi Titanem primo habitasse, ipsumque Solis esse fratrem, & ex ipso regionem Titaniam vocari perhibent accolæ. Mea certe opinione Titan peritissimus fuit in observandis Anni ætatibus, oppidoque gnarus, quo tem-

B pore Sol semina atque arbores ad incrementum, fructus ad maturitatem perducit: exinde arbitror Solis fratrem vocatum. Descendentibus ex hoc monte Ara occurrit Ventorum, in qua statuta nocte quotannis Sacerdos solemniter Ventis sacrificat, nonnulla ad quatuor foveas arcana peragens, iisque Medeæ incantamenta quædam admurmurans, placaturus his sacris ritibus Ventorum sævitiam. Non procul ab urbe Phliasiorum est nemus cyparissinum, & fanum in eo antiqua religione venerandum, consecratum Deæ Ganymedæ, quam postera ætas, Heben vocavit: huic Deæ tum alii præstantur hono-

C res, tum potissimum ad supplicum tutelam pertinentes: quicunque enim huc supplices confugerint, illis impunitas conceditur. Captivi autem vinculis exsuti, compedes arboribus istius silvæ cum voto appendunt. Celebrant etiam ferias annuas, quas ab hederarum succisione Cissotomas appellant. Eumelus Annales Corinthiacos conscripsit.

ARGIA.



ILLUSTRE Pietatis in matrem, & in fœmina generositatis exemplum nobis præbet Argia: Nam.

Effœtam matrem Cleobisque Bitonque trahentes
Subdiderant sacro propria colla jugo,
Templa ad Junonis. Populi hanc dixere beatam,
Ipsaque gavisa est de pietate parens.
Dii facite, exclamans, ut felicissima natos,
Quæ possunt hominem fata beare, beent.
Sic factum. In somnis animam efflavere jacentes.
Non poterant majus Dii dare nempe bonum.

Horum fratrum imagines in templo Apollinis Delphici suspenderunt Argivi, & in urbe Argis e marmore fabricatæ eorum statuæ cernuntur, trahentium ad Junonis templum rhedam, cum insidente matre. In eadem urbe Telesilla, quæ cantica composuit, columnæ insistens ostenditur. Ad pedes ejus libri jacent projecti: ipsa ad galeam oculos vertit, quam manu prehensam capiti imponere velle videtur. Celebre nomen est Telesillæ, tum ob præclaras virtutes, tum etiam ob excellentiam in Poetica; Generosi animi specimen edidit, cum Argivi majore, quam verbis enarrari potest, clade essent afflicti a Cleomede Anaxandridæ filio, & Lacedæmoniis, nonnulli eorum in pugna occubuerunt, nonnulli in Argi lucum confugerant supplices, quorum quidam ad pacis conditiones accipiendas egressi, seipsos ultro stiterant, qui immaniter fuerunt violati & occisi: reliqui, subdole secum agi cum comperissent, lucum ac seipsos una concremarunt. Ibi tum Lacedæmonii exercitum ad urbem Argos civibus vacuam & virili robore destitutam, duxerunt. Telesilla autem tum incolas servos, tum impuberes & decrepitos, & quicunque per ætatem armis ferendis essent inhabiles, ad urbis muros ablegavit occupandos; ipsa ex ædibus civium ac templis arma comportans, fœminas omnes integra ætate & robore iis armavit, & ea parte collocavit, qua hostes invasuros urbem suspiciebatur. Lacedæmonii jam impressionem facientes, cum animadverterent mulieres clamore bellico minime exterritas, sed virili animo pro patria præliantes, secum perpendere cœperunt, si fœmineo sexui cladem intulissent, plenam invidia hanc fore victoriam: Si vero ipsi superarentur, cum dedecore se discessuros, a conflictu cum mulieribus maluerunt abstinere. Hoc militare facinus Pythia jam pridem

A prædixerat his aut similibus versibus, ab *Herodoto* consignatis:

Imbelles generosa viros cum fœmina vincet,
Et celebrem quondam Argivis extinguet honorem,
Multæ Argivarum lacerabunt unguibus ora.

Mycenas Perseus condidit. Hic Argos reversus cum puderet infamis homicidii in Promethorem[1] commissi, cum Megapenthe Prœti filio egit, ut regna inter se commutarent. Accepto igitur hic illius regno Mycenas exstruxit; Istic enim ipsi exciderat B myces seu gladii capulus, quod ipsi datum fuerat augurium condendæ urbis. Audivi alios memorantes, Perseum cum siti premeretur, myceta seu fungum humo sustulisse, ac mox inde erumpente aqua jucunde refectum, nomen loco illi dedisse Mycenas. Epidaurus ab incunabulis Æsculapii famam laudemque meruit. Sunt quidem qui in Messenia Deum illum natum asserunt, sed longe illi a veritate aberrant. Apollophani enim Arcadi Delphos eunti, ac Deum sciscitanti, genitusne esset ex Arsinoe Æsculapius, & an civis esset Messeniorum, Pythia hoc dedit responsum;

C *O magnum Asclepi auxilium mortalibus ægris,*
Quem peperit sociata meo Phlegyeis amori,
Asperæ apud cives Epidauri, pulchra Coronis.

Trœzenis splendidissimum est Apollinis Thearii templum, a Pitthæo exstructum, quod quidem omnium, quantum mihi constat, templorum est antiquissimum: quamvis enim vetustissima sint templa, tum Minervæ apud Phocenses, in Ionia, quod Harpage Medus igne concremavit; tum apud Samios Apollinis Pythii, tamen longe serius ædificata sunt quam illud Trœzeniorum. In hac urbe etiam stadium visitur Hippolyti, & supra istud Vene- D ris Catascopiæ seu speculatricis delubrum, quo loco Phædra Hippolytum in curriculo se exercentem, conjectis in illum oculis desuper adspectabat. Adnata illis myrtus folia fert perterebrata; cum enim Phædra amore insaniens nullum malo suo levamen reperiret, transfixis crinali acu myrti foliis, libidinem suam fœda imaginatione solabatur. Insula est ad Trœzenios pertinens propinqua continenti, ut pedibus ad eam transiri possit, Sphæria prius vocabatur, postea vero Hiera seu Sacra: In illa templum Minervæ Apaturiæ seu deceptricis constituit Æthra.

1. An sic illi exprimunt Latine φρομήτορα?

ACHAIA PROPRIA.

ACHAJA, præter templorum sanctitatem, & E salubrem aeris temperiem multa habet præclara, ob quæ merito potest commendari. Hoc autem nomine vocatur regio Peloponnesi, inter Elidem sita & Sicyonem, ad mare orientem versus protensa. Antiquitus Ægialia fuerat appellata, & incolæ ejus Ægialenses, propterea quod Ægialeus (ut Sicyonii referunt) in eorum terram regnum aliquando tenuisset, Non desunt, qui arbitrantur a situ suo regioni nomen datum: pleraque enim ejus pars littoribus est & Oceano propinqua. Ætate Agamemnonis, ejusque ad Trojam expeditionis, dum adhuc Lacedæmonem & Argos incolerent, gloriosa Græci nominis pars æstimabantur F Achæi. Xerxe vero & Medis Græciam invadentibus, neque Leonidæ ad fauces Thermopylarum, neque Atheniensium Imperatori Themistocli in navali ad Eubœam & Salaminem prælio suppetias

tulerunt: nulla namque eorum fit mentio in catalago auxiliarium copiarum Laconico aut Attico. Præterea neque in pugna ad Platæas præsto fuerunt: idque exinde liquet, quod in donario a reliquis Græcis in Olympo suspenso, Achæorum nomen non recenseatur. Mea quidem opinione, unusquisque eorum domi sese continuit, patriam suam seorsim tutaturus, universim autem ambitione ducti ob res in bello Trojano præclare gestas, Lacedæmoniorum imperio, utpote Doriensium, subesse indignum existimatione sua arbitrati. Patris ante delubrum Cereris fons cernitur; ad hunc, qua templum spectat, exstructa est Silicea maceria, exterius vero descensus, ubi oraculum maxime veriloquum, quod certa fide non de omnibus rebus, sed tantum de morborum eventibus sciscitantes hac ratione instruit: Speculum tenui funiculo suspensum demittunt, ita illud librantes, ne fontis


Larissa. Pag 4
LAMIA . Pag 42
CORINTHUS
Pag: 49



aqua immergatur, sed orbe suo extimam duntaxat superficiem attingat. Qui ergo vota Deæ faciunt, incenso suffitu speculum inspiciunt, in quo hominis imago occurrit vivi aut defuncti. Dianæ quoque Laphriæ annuos dies festos agitant Patrenses, in quibus patrio ritu hunc in modum rem sacram peragunt. Circum altare in coronam statuunt ligna etiamnum viridia, sedenum singula cubitum: intra altare siccissima disponunt: quo tempore sacra peragenda, adscensum ad aram moliuntur, aggesta ad gradus argilla, tum pompa magnificentissima virgo sacrificula in bijugo curru a cervis tracto ultima omnium adest: Postero die ingenti pietatis zelo, splendidissimoque apparatu, tum publice universa civitas, tum privatim civium quisque suam erga religionem studium ostendit. Nam & aves edules & omnis generis sacrificio accommoda animalia, tum & apros, cervos, nonnulli etiam luporum & ursarum catulos, nonnulli adultas feras aræ injiciunt: addunt insuper hortensium arborum fructus. Tum demum ignem immittunt lignis. Hic cernas aut ursum aut aliam feram ad primum flammarum impetum foras prorumpere: quæ autem viribus usæ effugerint, eas denuo in rogum conjiciunt: neminem tamen a bestiis illis vulnerari aut lædi perhibent. In littore maris campus est, ubi quondam fuit urbs

A Helice, & in ea templum Neptuni Heliconii ab Ionibus summa veneratione culti. Achæi autem cum supplices ad se confugientes templo ejectos interfecissent, non effugerunt vindicem Neptuni iram. Nam repente superveniens terræ motus, & quasi fulmine in regionem ipsorum detonans, non tantum ædificiorum structuram, sed una etiam ipsius urbis fundamenta penitus evertit, sic ut a posteris locus urbis vix ignoscatur. Magnis opibus preciosior esset hominibus Selemni amnis aqua, si quæ de ea fabulantur, fidem mererent. Ajunt enim ea se aqua

B abluentibus oblivionem Amoris oboriri. Sermo de ea popularis est istiusmodi. Selemnus juvenis formosus hic locorum armenta pascebat. Argyra autem una Nympharum marinarum, amore ejus capta, ad illum commeabat e mari descendens, ejusque congressu in ripa fluminis fruebatur. Non longo post tempore cum adolescentuli venustas defloruisset, ad eum porro venire Nympha desiit. Ille ab Argyra desertus, & vi amoris contabescens, in amnem a Venere fuit mutatus. Non procul a Selemno promontorium in mare excurrit, ubi Sa-

C turnum fama est falcem projecisse, cum Cœli patris virilia exsecuisset. Eam ob causam promontorio nomen datum Drepani, hoc est, Falcis.

E L I S.

MULTA quidem apud Græcos tum visu tum auditu jucunda occurrunt, præcipue tamen circa Olympica certamina ipsis etiam Diis singularis fuit cura & delectatio. Quod ad istos attinet ludos, Viri antiquitatum periti memoriæ

D prodiderunt, Saturnum primum in cœlo regnum obtinuisse: huic in Olympia fanum constituerunt homines Aurei, ut vocant, seculi. Nato in lucem Jove, infantuli curam & custodiam Rhea mater commisit Dactylis Idæis, ex Ida monte Cretæ istuc




profectis, qui alio nomine etiam Curetes appellantur, fueruntque Hercules, Pæonæus, Epimedes, Jasius & Ida. Horum natu maximus Hercules, reliquis fratribus cursus certamen proposuit, victoremque oleastri ramo coronavit. Proinde quinto quoque anno ab Hercule certamen istud fuit redintegratum, quandoquidem quinque numero ipsi erant fratres. Ex eo tempore continua serie ludorum celebritas secundum Olympiadum calculum ad nostram memoriam deducta est. Cursus primum omnium fuit certamen. Deinde Olympiade XIV. additus fuit Diaulus, sive duplicis stadii curriculum. Olympiade XVIII. pentathlii seu quinquertii, & luctæ: B Dehinc Olymp. XXIII. cæstuum pugna: at Olymp. XXV. perfectæ ætatis equorum cursura. Octava post illam Olympiade, nempe XXXIII. pancratiastæ, seu toto corpore certantes, & equi desultorii primum fuere propositi. Puerorum autem certamina ab antiquis non meminimus usurpata, sed pro arbitrio suo Elei illa protulerunt. Cursus & luctæ præmia XXXVII. Olymp. data: at XLI. Olymp. pueros ad cæstuum pugnam provocarunt. Dehinc LXV. Olymp. armatos pedites cursu concertantes consultum fuit producere, ut hoc exercitio ad militiam adsuescerent. Duorum equorum perfectæ ætatis cursura, synoris vocata, C incœpit Olymp. XCIII. Pullis equinis currui junctis placuit primo certare Olymp. XCIX. mox his additæ bigæ pullorum, & pullus desultorius. Multo post Olymp. CXLV. proposita etiam pueris fuerunt pancratii præmia. Apenes vero, seu vehiculi mularis cursura, & Calpes sive bigis equarum gressus glomerantium, illa quidem Olymp. LXX. hæ autem proxime insequenti fuerunt instituta: verum Olymp. XXCIII. publico per præconem edicto utrumque abrogatum fuit, vetitumque ne hoc certamine in posterum uterentur. Ad Calpen adhibebantur equæ, e quibus in extremo curriculo desilientes sessores, prehenso suæ quilibet equæ freno, una cum equabus decurrebant. De Agonothetis seu certaminum judicibus, non eadem semper fuit constitutio. Iphitus enim a se editis certaminibus solus præfuit; deinde Duumviri electi ad Olympiorum curam. Post hæc Hellanodicæ, seu Judices novem designati, quibus mox decimus adjunctus est Præfectus. Circa Olymp. CIII. in duodecim tribus distributi Elei, e singulis tribubus suum sibi quæque tribus elegit Helladicam [1], seu ludorum designatorem. Jovis Olympii simulachrum, altitudine pedum sexaginta, e manubis Pisæis dedicarunt Elei: Artificem ejus fuisse Phidiam, inscriptio testatur ante Jovis pedes posita, PHIDIAS CHARMIDÆ FIL. ATHENIENSIS ME FECIT. Elidem Alpheus fluvius perlabitur, qui sub mare decurrens, in Arethusam Siciliæ fontem redundat, de quo *Moscus*:

Egressus Pisa Alpheus, pelagusque pererrans,
Frondiferam ad fontes Arethusæ dirigit undam,
Dona ferens Sponsæ flores, cineresque sacratos.
Sub gelidis calefactus aquis mare permeat amnis
Advena, nec fluctu confunditur hospite fluctus,
Nec lymphæ dulces latice incestantur amaro.
Quo non tendit Amor? didicit te, sæve, magistro
Longum urinator fluvius natitare sub æquor.

1. An de industria sic mutarunt?

ARCADIA SUPERIOR.



IN terra Arcadia Pelasgum natum esse, & ab eo regionem hanc Pelasgiam vocatam ajunt: Fuit Pelasgus hic robore corporis, & formæ venustate præ reliquis insignis: de quo etiam *Asii* hoc legitur carmen:

Dignum proceris in montibus atra Pelasgum
Terra dedit, patriæ ut ferret primordia genti.

Hic Pelasgus imperium tenens tuguria ædificari docuit, ut frigoris, & pluviarum incommoditatem & æstus fervorem hoc remedio possent propulsare. Præterea quercinis fructibus vesci, non quidem omnibus, sed glandibus e fago lectis, primus instituit: quæ victus ratio etiam apud posteros ejus usurpata fuit, ita ut Pythia, cum Lacedæmonios a terra Arcadica abstinere juberet, hos proferret versus:

Glandivori opponent sese tibi, in Arcade terra,
A me nulla tuis aderunt obstacula cœptis.

Postero tempore Arcadia cœpit appellari hæc regio, ab Arcade Callistus filia, cujus ossa e Mænalo monte huc translata sunt, jubente id Oraculo Delphico:

Mænalia est tellus horrens Aquilonibus: Arcas
Hic jacet, Arcadiæ posuit qui nomina genti:
Huc lætum te ferre pedes; atque Arcadis ossa
Sublata egregiam jubeo traducere in Urbem,
Quæ trivia & quæ quadrivia est, & quinque viarum,
Hic lucum statue, & sacros fer Arcadi honores.

Regiunculam autem hanc, in qua Arcadis est monumentum, Solis vocant Aras. Cyllene mons A omnium in Arcadia excelsissimus, in vertice suo habet Mercurii delubrum, quo loco a reperta testudine lyram fabricavit Mercurius. Multa tenet præclara & admiranda Arcadum regio, inprimis tamen Stygis aquam, cujus nomen operibus suis infert *Homerus*, tanquam quæ apud inferos flueret, & per quam ipsi Dii conciperent jusjurandum. Destillat hæc aqua e prærupta rupe, vicina Nonacri fonti: & primum in excelsum saxum guttatim delabitur, deinde saxum hoc perrumpens, in Crathin amnem influit. Lethalis hæc est aqua, & tum hominibus, tum aliis animalibus subitam infert mortem. Præterea vasa omnia, cum crystalli- B na, tum murrhina, & lapidea, infusa Stygis aqua dissiliunt: cornea autem & fictilia atque ossea, quin imo & ferrum, & æs, similiterque plumbum, stannum, argentum, electrum, cæteraque metalla, adeoque etiam ipsum aurum ea aqua solvuntur. Sane abjectissimis rebus vim & indolem stupendam Deus ingeneravit, ut res pietosissimas, & maximi apud homines æstimii arcana vi superent. Exemplo sunt uniones, qui ab aceto dissolvuntur: tum & adamas lapis, cum sit duritiei invincibilis, ab hircino sanguine emollitus contabescit. Idem in Stygis aqua contingit: quæ reliquorum victrix, ab C equina ungula vincitur, qua sola illæso vasculo potest contineri. Cum vero Stygis aqua in perniciem Arcadibus videatur a Natura constituta, ex adverso in Cynæthaensium finibus fontem ipsis largita est salutare ad salutem subsidium, ut ita

æqua lance vitæ mortisque momenta librentur. Fontem hunc ab effectu Alysson appellant. Si cui enim a morsu rabidi canis aut vulnus inflictum, aut alia oborta fuerit periculosa malignitas, ei præsentissimum est remedium hausta ex hoc fonte potio. Megalopolis non tantum Arcadiæ, sed universæ Græciæ urbium est recentissima, si eas exceperis, A in quas post cladem a Romanis acceptam, coloniæ deductæ sunt. In dextra Alphei sita est Heræa, ab Heræo Lycaonis filio acclivi in loco condita, quam præterlabitur Ladon fluviorum omnium tam Græcorum quam barbarorum pulcherrimus. Adsita quoque illi est Tegea.

ARCADIA
INFERIOR.



SAPIENTUM nomen ac famam qui apud Græcos meruerunt, hos arbitror de industria olim obscuris verborum involucris narrationes suas implicuisse, neque sine ambagibus eas nobis voluisse exhibere. Plura quidem alia ab ipsis proposita, Græcam sapientiam dilucide ostendunt, tum & illa quæ de Arna fonte, ad australem Arcadiæ partem in hanc sententiam referuntur. Rhea Neptunum enixa, infantem in ovile abdidit, una cum agnis ab opilionibus enutriendum: (unde nomen fonti arnæ, id est, agnæ, quod circa eum agni pascerentur) pro puero autem Rhea equinum pullum, quem se peperisse simulabat, Saturno dedit devorandum: quemadmodum etiam postea pro C Jove lapidem obtulit fasciis involutum. Alius est in Lycæo monte fons, Hagno vocatus, ejusdem indolis cum Istro seu Danubio, qui parem aquæ molem, tam hyberno tempore quam æstivo conservat. Quod si diuturniore siccitate tellus affligatur, atque exinde segetes & arbores exarescant, tum sacerdos Jovis Lycæi ad fontem hunc vota & supplicationes dirigens, cæsis legitime hostiis, ra- B mulum e quercu in aquam mittit, non profunde immergens, sed ita ut superficiem extimam contingat. Commota repente aqua, halitus adscendit, nebulæ non absimilis: qui cum pauxillum exspiravit, in nubem mutatus, ac mox copiosiore nubium appulsu aucta, pluviam [1] penetrat, Arcadicum solum largis inbribus reficientem. Hic ipse mons Lycæus alia quoque habet memoranda. Delubrum ibi Jovis Lycæi, quo nemini conceditur ingressus: si quis autem contempta religionis lege istuc introierit, nulla ratione effugere pœnam potest, quin intra anni curriculum mortem oppetat: Hoc quoque de eodem delubro narratur, eos qui inscii sunt ingressi, sive homines seu animalia, nullam ex sese projicere umbram: qua ex causa, ubi fera aliqua in illud confugerit, non audet eam persequi venator, sed foris consistens, intuitusque feram, nullam ex ejus corpore emitti umbram animadvertit. Non procul a monte Lycæo urbs jacet Mantinea, quam allabitur Ophis nomine fluvius. Agesipolis Pausaniæ filius, cum Lacedæmoniorum exercitu terram Man-


1. Obscurum satis. Pausanias dicit [illegible].

Mantineæ invadens, manu conserta Mantinenses intra mœnia fugere adactos circumclusit; mox urbem etiam non obsidione & solita armorum violentia, sed bellica astutia occupavit: quippe Ophin amnem vi, retorto alveo, muris immisit e crudo latere ædificatis. Ut enim machinarum bellicarum impulsum facilius sustinet structura lateritia, quam lapidea (hæc namque tormentis quassata confringitur, & e compagibus suis dissilit) ita lateritia tantæ ruinæ non est subjecta; veruntamen humore diluitur, solviturque, ac veluti cera a flammis liquescit. Sanctissimum est in Mantinensium urbe fanum Neptuni Hippii, quod exstructum ajunt ab Agamede & Trophonio, ex elaboratis, & inter se firmiter coagmentatis quernis trabibus: nemini hominum eo ingredi permittitur: nullo quidem sepimento cingitur introitus, sed laneo tantum filo obtenso: sive quod eo seculo sola religionis veneratio metum incusserit violandi sanctitatem loci, sive quod arcanas funiculo inesse vires opinarentur: cujus rei documentum præbet Ægyptus Hippoli filius: qui neque transiliens funiculum, neque subtus prorepens, sed illud conscindens, ut primum ingressus est fanum, & contra sacrorum leges impia quædam perpetrasset, subito excæcatus fuit ab illapsa in oculos ejus unda, sive columnæ particula, ac mox diem suum obiit. Non longe ab urbe Mantinea est nemus Pelasgus nomine, ubi accepto vulnere expiravit Epaminondas, militari scientia & rebus præclare gestis apud Græcos clarissimus, vocis dubio significatu deceptus. Ipse

A enim jam ante Delphico oraculo fuerat monitus, a Pelago sibi sedulo ut caveret; ideoque nulla ratione potuit persuaderi, ut triremem aut onerariam aliamve navem conscenderet: at vero Pelagus illud non Mare, sed nemus, intelligi voluit Deus. Istiusmodi vocum ambigue pronuntiatarum similitudo etiam Athenienses fefellit: hos enim oraculum Dodonæum jusserat in Sicilia colonos ducere. Est autem Sicilia propinquus urbi collis exiguus; At illi præpostere interpretati divinum effatum, transductis extra terminos armis, in Syracusanos bellum infeliciter moverunt. Prope Neptuni ædem sepulchra visuntur filiarum Peliæ: has ajunt Mantinenses
B istuc commigrasse parricidii ignominiam effugituras. Quamprimum enim Medea Jolcum venisset, insidias Peleo [1] struere cœpit; reipsa quidem connivens Jasoni, verbis tamen ei se inimicam simulans. Promittit igitur Peliæ filiabus, earum consensu effecturam sese, ut jam decrepitus pater a senectute ad juvenilem ætatem & robur reducatur. Proinde arietis vetuli sponte mactati carnes una cum venenis coxit in lebete: & mox eundem coctum arietem, agnum jam factum e lebete vivum eduxit. Similiter etiam Peliam minutim concisum, & in veneficiis infectas lebetis undas immissum, tandiu elixavit, ut nec quicquam quod sepul-
C chro condi posset, filiæ reperirent. Facinus hoc impium puellas coegit in Arcadiam exsules fugere, ubi defunctis monumenta ex aggesta in tumulum terra constructa sunt. Nomina earum Micon Pictor imaginibus inscripsit, Asteropeam & Antinoen.

1. Potuerunt etiam hic scribere *Peliæ*.

LACONICÆ
PARS SEPTENTRIONALIS.



PRomptiores magisque solertes sunt Græci, exterrarum gentium res in majore habere æstimio, & admiratione, quam proprias: quandoquidem Viri in Historiis scribendis apprime periti Pyramides Ægyptias accuratissime exposuerunt. Ærarium vero Minyæ, & muros Tirynthi, levi calamo vix attingentes, ne minimam quidem eorum fecerunt mentionem, cum non minus quam illa admirationem & famam mereantur. Muri hi, opus Cyclopum, e rudi lapide exstructi, tantæ sunt molis, ut ne minimus illorum lapidum a bigis mulorum loco possit moveri: lapilli autem illis concinne infarcti sunt, ut eorum adminiculo ingentes lapides validiore coassatione constringantur & cohæreant. Ad Isthmum Trœzenium oppidulum est, a quo non procul absunt calidarum aquarum lavacra: emanasse ea primum ajunt Antigono Demetrio[1] filio Macedonicum imperium tenente: neque subito profluxisse, sed primo copiosum e terra ignem exæstuasse; sopitis deinde paulatim flammis, tum demum cum impetu prorupisse aquam calidissimam & vehementer salsam. Balneis hisce qui lavantur, non est in propinquo aqua frigida: neque vicino mari se immergere licet absque periculo; nam id tum alias belluas, tum canes marinos præbet plurimos. Quod vero Methanis admiratione non caret, adscribam. Africus ventus e Saronico sinu erumpens, cum vineas perflat, novella earum germina exurit. Id cum evenit, spirante adhuc vento viri duo gallum gallinaceum, pennas per totum corpus albas habentem bipartito distrahunt, ac continuo, ferente secum utroque partem galli dimidiam, vineas circumcurrunt: reversi ad eum locum, unde cursura fuerat incepta, illic gallum defodiunt. Hoc illis contra noxios Africi flatus inventum est efficax remedium. Insulas exiguas ante continentem sitas, novem numero, Pelopis appellant: quorum una etiamsi largissimi imbres decidunt, a pluvia negant irrigari, quod an ita se habeat, mihi incompertum est, Methanes[2] tamen accolæ id asseverant. Ad fontem Amymonis platanus enata est, sub qua Hy- A dram ajunt enutritam: sane belluam illam magnitudine reliquas antegressam, ac tam venenatam fuisse, ut etiam Hercules felle ejus sagittarum suarum cuspides imbutas intoxicaverit, facile adducor ut credam: at caput unicum non plura opinior habuisse. Pisander vero Camirensis, ut fera ista terribilior videretur, ipseque carminibus suis plus auctoritatis conciliaret, plura illi capita affinxit. In his Laconicæ partibus monstratur etiam fons Amphiarai, & stagnum Alcyonium, per quod Argivi ajunt Liberum Patrem ad inferos descendisse, cum inde Semelen esset reducturus: atque hanc ipsi viam monstrasse Polymnum. Stagni ejus adeo B immensa est profunditas, ut nemo mortalium ad fundum ejus ullis machinis potuerit pertingere: Periculum ejus rei facturus Nero, connexis ad multorum stadiorum longitudinem funibus, alligatoque ipsis plumbo, & quæcunque ad experimentum excogitari poterant instrumentis adhibitis, terminum tamen profunditatis non potuit reperire. Addi hoc quoque non est injucundum. Aqua stagni quieta & tranquilla intuentibus apparet; ejus tamen est naturæ, ut si quis externa specie deceptus innatare ausus fuerit, is illico in profundum abreptus deorsum trahitur: Ambitus stagni unius circiter stadii trientem occupat, C margines ejus herbis & junco circumvestiuntur. Quæ autem circa hoc stagnum Libero Patri peraguntur nocturna sacra, ea effari & in vulgus proferre religio prohibet. In Nauplia fons est Canathus nomine, in quem ajunt singulis annis Junonem descendere, & ejus aspersu virginitatem recuperare: promanavit hic sermo ab arcanis sacris Junoni fieri solitis, quæ nefas est propalare. Hermionensibus delubrum est Veneris Ponticæ, & Limeniæ, seu Marinæ, & Portuanæ; inter cæteros honores Deæ etiam iste habetur, quod virgines ac viduæ in conjugium ituræ, antequam viro congrediantur, D Deæ rem divinam faciant. Istic quoque templa sunt Cereris Thermessiæ, & Liberi Melanægidis.

LACONICÆ
PARS MERIDIONALIS

RIvales inter se fuerunt in amore dominandi Attica & Laconica, ambientibus imperium Lacedæmone & Athenis, & sibi quisque supremam potestatem desponsari cupientes. Utraque certe digna, regni sceptrum tenere non tantum in indigenas, sed in universum terrarum orbem: promeruerunt Athenæ omnibus imperare præterquam Lacedæmoni: promeruit Lacedæmon nemini esse subjecta præterquam Athenis. Collisæ autem inter sese, una confractæ sunt ambæ, neque in alios tenere, neque proprium conservare potuerunt dominatum. Terra ipsa prius Lacedæmon erat appellata, urbs Sparta, progressu autem temporis Urbs quoque Lacedæmonis nomen accepit. Perlustraturis urbem occurrit Forum, & in illa Seniorum Curia, & Ephororum ac Nomophylacum & Bideorum prætoria: sed maxime illustris est porticus Persica, e manubiis Medorum structa. E foro via ducit Aphetais vocata. Nominis hæc refertur ratio: Icarium ajunt Procis Penelopes certamen cursus proposuisse: in eo Ulyssem fuisse victorem non est dubitandum. Emissos autem cur- E sores per viam Aphetaida. Ad hanc viam cernuntur Booneta, quod denotat, bobus empta: domus quondam Polydori Regis: quo defuncto ab uxore ejus empta fuit precio boum: nondum enim in usu erant auro argentove signata numismata: sed mos antiquus ferebat mutatione mutua, bobus, mancipiis, auro & argento rudi & infecto, quæ quisque vellet mercari. Hic Polydorus Alcameni filius in tam sublimem auctoritatis gradum adscendit, ut magistratus & rerumpubl. præfecti quicquid publice significandum aut indicendum duxerant, id Polydori imagine obsignaretur. Diana Orthia, seu Erecta, barbarorum olim statua fuerat. Accidit forte, ut cum Limnatæ Spartiatarum, & Cynosurenses, & Misoæ ac Pithanæ cives, F Deæ sacrificarent, inter ipsos primo dissidium, mox etiam cædes oriretur; multis autem eorum in ipsa ara trucidatis, reliqui superstites immisso divinitus morbo, repente exstinguebantur; super quod factum consulentibus oraculum responsum fuit, aram sanguine humano esse imbuendam. Cum igitur is, quem sors tetigerat, ad aram im-

1. Sic placuit illis rhythmus. Sed alius scriberet *Demetrii.*
2. Aut tunc debuerunt *Methanorum* scribere, aut supra oportuit mutari. Sed Pausanias dicit τὰ Μέθανα: qui quidem sic potuit scribere, εἰ δὲ τοιοῦτον ἐστιν οὐκ οἶδα: ut hodiernus aliquis scribat ex sua velut persona, *quod an ita se habeat, mihi incompertum est*, illepidum prorsus.

ARGOS

Pag (53)

Pag 54)

LACEDAEMON.

ΜΕΣΣΗ

ΜΝΕΣΩΝ ΟΣ

Pag (56)

MESSENE

LACONICÆ pars MERIDIONALIS.

molaretur, Lycurgus cruentum hoc ſacrificium ad Epheborum plagas tranſtulit: nihilo enim minus ſanguine humano ara inficitur. Sacrificula illis, qui cæduntur, aſtat, ſtatuam tenens, leviculam alias ob exiguitatem: ſi vero, qui flagris inferendis operantur, ſegnius agant, propter ephebi vel formam, vel generis claritatem, eiſque parcant, tunc ſtatua adeo fit gravis, ut propter ponderoſitatem Sacerdos eam ſuſtinere aut portare impos ſit: quæ in lorarios cauſam confert, eorumque culpa nimio ſe onere gravari conqueritur. Hanc ipſam Deam non tantum Orthiam, ſed etiam Lygodeſmam appellant, eo quod in viticum fruticeto reperta ſit, ita vitice undequaque obvoluta, ut erecta ſtare cogeretur, (unde illi nomen Orthiæ ſeu Erectæ.) Propinqua urbi eſt regiuncula Plataniſtas vocata, ab arboribus platanis denſe admodum & in ſublime circumcirca enatis. Hæc regiuncula, in qua adoleſcentibus pugna ludicra proponitur, Euripo, non aliter quam Mari inſula ambitur, ponticulis duobus introitum ad eam præbentibus; in quo-


A rum altero Herculis ſimulachrum, in altero Lycurgi effigies eſt appenſa. Ante pugnam utraque turma in Ephebæo rem divinam faciunt, immolantes Marti Enyalio catulum canis: atque interea dum hæc ſacra peraguntur, adoleſcentes in pugnam committunt apros cicures. Utrius autem turmæ aper arte vicerit, illa plerunque in Plataniſta alteram ſuperare ſolet. Poſtero die ante meridiem per pontes ſe conferunt ad regiunculam jam memoratam: qua vero parte ingrediundum ſit cuique catervæ, ſuperiore nocte, ſorte ducta illis fuit oſtenſum. Pugnant autem tum pugnis cæſim, tum calcibus inſultantes, & dentibus morſicantes,

B & oculos mutuo elidere non impigri. Ad hunc modum jam vir viro congreditur: jam turmatim ſeſe invadentes facto agmine ſe invicem in flumen propellere ſtrenue laborant. Eſt hic etiam Morphus Veneris ædes, in qua ipſa ſedet reticulo redimita, & crura ligata compedibus; quibus vinculis firmitudo & conſtantia in amore & fide conjugali denotatur.

LACONICÆ
PARS ORIENTALIS

OBLIVISCERE amicorum, o bone Vir; ad Maleam enim navigabimus. Difficile eſt, & benignioris fortunæ favor, ſine periculo effugere fluctuum iſtorum rabiem. Scito igitur, quod promontorio huic perpetuo inſurgens tempeſtas adeo furibunde æſtuet, tantiſque procellis exaſperetur, ut terrorem incutiat navigantibus, nec niſi

C circumflexo curſu e longinquo tranſmitti poſſit. Non ſufficit effugiſſe primo, ſed cum ſe periculo defunctos arbitrantur, & jam metu omni ſolutos, tum demum ex inſidiis ipſos adoritur, & inopinatos in extremum conjicit vitæ periculum. Nos exuti omni timore, maritima Laconicæ littora circumnavigabimus, & Onugnathon, ſeu Aſini ma-



xillam præterlabentes, ac [1] Bœoticum ſinum ingreſſi, illi adjacentem Bœam perluſtrabimus. Hanc Bœus condidit, unus e poſteris Herculis, deducta e tribus civitatibus, Ethiade, Aphrodiſiade, & Side, colonia. Duæ harum urbium antiquarum, conditæ dicuntur ab Ænea, cum in Italiam fugiens, in iſtum ſinum eſſet delatus. Ethiada autem ab Æneæ filia, Siden a Danai filia Side fuiſſe denominatas. Ex his civitatibus profugi, cum oraculum interrogarent, quo loco fas eſſet ſedem figere, reſponſum acceperunt, Dianam ipſis oſtenſuram, ubi urbs eſſet condenda. Egreſſis in terram lepus ſe obtulit, quem ſequuti, Ducem itineris ſibi tenuerunt. Cum verò lepus in cavum myrti arboris truncum ſe penetraſſet; ubi myrtus ſteterat, illic urbem ædificarunt, arborem divinis honoribus afficientes, & Dianam appellantes Sotiran ſeu Servatricem. Bœotorum limites attingit Epidaurus Limera. Fama eſt non Lacedæmoniorum eſſe coloniam, ſed Epidauriorum in Argolide, nam e publico emiſſi Oratores in Coon inſulam ad Æſculapium, cum in hanc Laconicæ terræ partem appuliſſent, ſomniis moniti hic domicilium locarunt: draconem præterea ajunt ex Epidauro ſecum deportatum, & e navi elapſum, non procul inde in cavernam ſeſe immerſiſſe: proinde tum inſomniorum monitu, tum draconis prodigio confirmatos iſtic urbem exædificaſſe: ubi autem anguis ſpecum ſubierat, aras Æſculapio dedicarunt, oleis ſponte iſtic enatis circumſpectas [2]. Pro-

A pinqua huic loco eſt aqua Inus nomine, amplitudine exiguam paludem æquans, profunditatis autem immenſæ. Solemni Inus feſtivitate in hanc aquam maſſas farina ſubactas projiciunt: Si injectas aqua retinuerit, dextrum id augurium eſſe projicienti confidunt; ſi vero rejecerit, ſiniſtra putant portendi. Similis etiam augurii vis tribuitur crateribus Ætnæ montis, in quos aurea & argentea vaſa, omniſque generis ſacratam ſupellectilem immittere ſolent: hæc ſi ignis deorſum abripuerit, lætum hoc eſt, & felicitatem portendens ſpectaculum: Si vero flammæ averſatæ ea abs ſe propulerint, adverſam fortunam eo ipſo cre-
B dunt nuntiari. Braſia extrema urbs eſt Eleutherolaconum, Mari adſita. Cives ejus quædam fabulantur a nullo Græcorum pro veris accepta. Semelen ſcilicet, cum Bacchum a Jove conceptum peperiſſet, deprehenſam a Cadmo una cum infante ciſtellæ incluſam: hanc ciſtellam vi tempeſtatum & maris æſtu in Cyphantem terram ejectam. Semelen quidem in arca illa ſuffocatam magnifico apparatu terræ mandatam, puerum autem enutritum: ex eo eventu Urbem, quæ prius Oreatæ vocabatur, Braſeæ nomen accepiſſe, propterea quod ciſtella iſtuc fuerat ejecta: nam æſtu marino
C in terram expulſa etiamnum ἐκβεβρᾶσθαι vulgo dicuntur. Cyphantes gelidarum aquarum fontem oſtentant, e rupe ſcaturientem: ajunt Atlantem cum venatui indulgeret, ac ſiti premeretur, rupem lancea percuſſiſſe, e quo impulſu aqua illa erupit.

1. Plane Bœoticum eſt id gentile, quaſi deductum ab Bœa: tamen & *Bœotorum* ſequitur, ut pateat eos in hoc firmos fuiſſe.

2. Verba Pauſaniæ ſunt: *βωμοί τε εἰσὶν Ἀσκληπιοῦ καὶ ἐλαῖαι περὶ αὐτοὺς πεφύκασι.*

MESSENIA.



FREQUENTI & acerbissima clade Messenii affecti fuerunt: inviolabili Fatorum decreto ad ultimas urbis oras, & maxime dissitas Peloponnesi extremitates dissipati: tandem tamen ad proprias sedes reversi ac conservati. Messene illis est Metropolis, ad imum Ithomes pedem. Ejus sane nullam facit *Homerus* mentionem in enumeratione earum, quæ ad bellum Trojanum copias eduxerant, quamvis Arnæ, & aliarum urbium non oblitus; unde conjecturari licet, ante prælium, quo Thebani cum Lacedæmoniis conflixerunt ad Leuctra, nullam civitatem Messenes nomen habuisse. In ea urbe famigerabile est Curetum sacrum palatium, ubi omnis generis animalia immolant, factoque a bobus & capris sacrificii exordio, descendunt ad aves, easque flammæ injiciunt. Aristomenem maxime honorant Messenii, cui & divinos honores tribuunt, & in dedicatione urbium nomen ejus invocant; utpote qui in bello Messeniaco virtute & animi generositate supra omnes reliquos excelluerit. Ipse enim sua manu Theopompum Regem, & cum eo Lacedæmoniorum trecentos interemit, ac tandem plenus gloria ac tropæis in prælio cecidit. Stupefacti omnes in defuncti cadaver oculos conjecerunt, arbitrati, quandoquidem præter morem humanum singularia perpetrasset facinora, peculiare etiam aliquid & insolitum in visceribus ejus repertum iri: aperientes igitur præcordia, intestina invenerunt in molem stupendam excrevisse, cor autem hirsutum esse, & pilis undequaque obsitum. Rem divinam illi hoc ritu faciunt. Immolandum taurum ad aram deductum, columnæ alligant prope sepulchrum stanti. Ille

A tumultuans & subsiliens, quippe ferox & vinculorum inadsuetus, si columnam faciat commoveri, faustum id est Messeniis augurium; si vero immota perstiterit columna, sinistrum aliquid & calamitosum portendit. In Leuctrica etiam pugna Aristomenem, quamvis inter homines esse desiisset, Thebanis præsto fuisse ajunt, eisque opitulatum ingentis cladis Lacedæmoniorum auctorem se præbuisse. Conveniunt Messeniorum sermoni, quæ a Thebanis narrantur. Accincti jam & parati ad prælium Leuctricum Thebani; tum alia oracula consultum miserunt, tum & ejus qui apud Lebadienses colitur Dei, responsa se accepisse memorant ab Ismenio & Ptoo, nec non ab Abis & Delphis: Trophonium autem his versibus senariis vaticinatum:

B

Ne pugnam tentate prius, quam sacra tropæa
Sint erecta, meoque ornatus addite scuto,
Quod mihi Aristomenes fixit Messenius: hostem
Ipse ego propulsabo, & castra inimica repellam.

Accepto hoc oraculo Epaminondas a Xenocrate precibus efflagitasse dicitur, ut scutum Aristomenis ipsi concederet, quod cum impetrasset, illud
C ad tropæi splendidiorem ornatum in locum constituit, unde a Lacedæmoniis eminus posset conspici. Victores Thebani, Trophonio suum restituerunt donarium. Anniversarium festum, Ithomæa vocatum, celebrant Messenii: Ludos etiam & certamina musica instituisse priscis temporibus, indicio sunt Eumeli versus in sacro cantico, quod in honorem Deli composuit:

Ducis Ithomatæ fuit oblectatio Musa,
Deliciæque Iovi, quæ puro est libera cantu.

Mothone urbs, antequam auxilia Græcorum adversus Trojam cogerentur, ipso etiam belli Trojani tempore Pedasus vocata, mutato pristino nomine a filia Oenei appellationem assumpsit. Oeneo enim post expugnationem Ilii, cum Agamede in Peloponnesum commigrante, natam ajunt e pellice filiam Mothonem. Mea autem conjectura nomen sibi adscivit a scopulo Mothon dicto, cujus situ commodior efficitur portus: angustiorem enim A reddit navium ingressum, & paullulum e mari prominens, impedit fluctuum concitatiorem impetum, simulque aggeris loco est, cujus objectu æstus maris violentior frangatur. De Messeniorum redintegranda potentia Bacidis celebrantur carmina, qui Nympharum numine afflatus, tum de aliis Græciæ populis, tum de Messeniis hoc edidit vaticinium:

Tum flos Spartanæ marcescet splendidus urbis,
Messeneque iterum florebit cive perenni.

INSULÆ MARIS IONII.



JONII Maris insulæ tum aliæ sunt, tum præcipuæ Cephalenia, Corcyra, Leucas, Icaria, Zacynthus. Cephalenia ex adverso jacet Acarnaniæ, dissita a Leucade stadiis L. Mons in illo excelsus Ænus, in quo structum Jovis Ænesii templum. Existimarunt nonnulli hanc eandem esse cum Dulichio, nonnulli cum Tapho: & Cephalenios esse Taphios ac Teleboas: Cephalumque ajunt societate cum Amphitryone inita, in hac insula bellum gessisse, & subactam a se Cephalo concessisse, qui a se nomen insulæ imposuit. Hæc non sunt consentanea *Homeri* scriptis: Cephaleniam enim Ulyssi, Taphum Mentæ subditam memorat:

Mentes Anchiali soboles ego glorior esse,
Sceptra gero in Taphios, remos impellere gnarus.

Sed neque Dulichium est Cephalenia, ut arbitratur Hellanicus. Dulichium enim una cum reliquis Echinadibus sub imperio Megetis dicit fuisB se *Homerus*. Corcyra appellationem sumpsit a Corcyra Asopi filia, quam Neptunus a se raptam in hanc insulam deportavit. Hic Phæacus natus est, a cujus nomine, cum prius Scheria diceretur, Phæacia cœpit vocari, fertilissima, teste *Homero*, regio, & virorum felicium, reique nauticæ peritissimorum genitrix, ita enim ait:

Hi ratibus fisi, dubiis dare carbasa ventis
Neptuno ductore, sciunt, atque ire per æquor,
Navibus, Æolios cursu superantibus Austros.

& iterum:

C *Phæacas nemo superat, vada salsa peritos*
Currere: fœmineæ laudem meruere catervæ
Suspensas agili percurrere pectine telas.
Hanc illis artem dedit, & cata pectora, Pallas.

Leucas olim fuit peninsula Acarnaniæ, eamque littus continentis vocat *Homerus*: ad quam etiam Ne-



Olympia. Pag. 59



Pag. 16



Megalopolis Pag. 63

ritus pertinet; hanc se sibi subjecisse gloriatur Laertes;

Solus ego cepi præclaram Neriton urbem
Littus ad Epiri, Cephalenia sceptra gubernans.

Corinthii autem a Cypselo & Gargaso emissi, hoc littus in suam redegerunt potestatem, & ulterius progressi, perfosso Chersonesi Isthmo, e Leucade insulam effecerunt; Neriton appellantes Leucada, a Leuca, seu candida rupe, ante insulam conspicua: in qua Apollinis Leucadii templum exstructum, & locus ostenditur saltus istius, quo finem amoris factura Sappho, in mare se dedit praecipitem. At vero accuratius res antiquas investigantes, non Sapphoni hoc contigisse asseverant, sed Caphalo, cum Pterelæ Dionei filiæ amore correptus in furorem esset actus. Ithaca Ulyssis fuit patria, & ditio hæreditaria, ut ipse de se profatur:

Patria mi sedes Ithaca est, ubi Neritus ingens
Tollit ad astra caput: circum sese insula monstrat
Multa, frequensque viris, parvo discrimine distans,
Dulichiumque, Sameque, & silvis densa Zacynthus.

Cæterum hæc *Homeri* verba: Αὐτὴ μὲν χθαμαλὴ A πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται, contraria sibimet esse videntur: neque enim humilis simulque sublimis esse potest; crebro etiam κραναὴ appellatur, quod est aspera.

Scabra nimis via, jumentisque incommoda agendis.

atque alibi:

Descendens portu ingreditur salebrosa viarum.

Hæc, inquam, & similia dexteriorem requirunt interpretationem, nam χθαμαλὴ non denotat humilem ac depressam, sed Epiro aut terræ firmæ propinquam, neque ὑπερτάτη excelsissima significat, sed extrema, ad Boream nimirum. B Insularum Ulyssi subjectarum una fuit Zacynthus, paululum magis ad occidentem vergens a Cephalenia: tum & Echinades, in quarum numero etiam Dulichium, & quæ Thoæ appellantur, Oeneadibus & Acheloi fluvii ostiis prætensæ. Nonnullæ harum insularum terræ continenti prius adhærebant, sed maris æstus & eluvies eas inde abscidit ac secrevit, alias autem longiuscule prius in Mari excurrentes limus superior littoribus adnexuit. Istiusmodi eluviones ne porro istic contingerent, Hercules Acheloi fluminis exundantem fervorem ductis scrobibus & vallorum obicibus coercuit.

THRACIA.



THRACIAM nonnulli Græciæ annumerant, præcipue partes ejus mari adsitas: in quibus quoque est Γραικία dicta, Græciæ finitimae nomen suum largita. Sane illæ Thraciæ regiones, quæ Macedoniæ limites attingunt, & sub imperio fuerunt Alexandri, & ante eum Philip- C pi, & in Græcorum nomen & jura sunt cooptatæ, atque hæ non exigua erant Thraciæ portio. Obtenditur Thraciæ Hellespontus; ab Helle ita denominatus: quam Athamantus [1] cum jugulare decrevisset una cum Phryxo, Jupiter insontium miseratus, in auxilium ipsis misit arietem aureo vel-

1. Hic quadrupedans poterat in tripedem mutari sine damno auctoris, sed placeat ille cum *Sestim & Abydam.*

lere vestitum, quo adjuti destinatum sibi exitium effugerunt. Hellespontum, qua strictissimum est freti inter Sestim & Abydam intervallum, ponte superducto instravit Xerxes, omnibus Medorum & Persarum post ipsum Regibus potentia & magnificentia longe superior. Thracica gens priscis temporibus apprime fuit ingeniosa, & in Deorum cultu non parca neque infrequens. Sunt inter Thraces non pauci, qui uxores plane aversantur, cælibem agentes vitam: hos Ctistas appellant, & sanctos esse arbitrantur, qui etiam ab esu rerum omnium, quæ vitæ fuerunt participes, penitus abstinent, lacte duntaxat vitam tolerantes & caseo: atque inde nomen obtinuerunt Theosebes & Capnobatæ, ac si dixeris Dei cultores, & Suffumigatos. *Homerus* hos innuit, ita loquutus:

——— sua lumina deinde seorsum
Ad Thraces convertit (Jupiter) *equos frenare peritos,*
Quas Mysus terras, quasque incolit Hippomolgus,
Aspiciens, Abiumque agros & Glactophagorum.

Abios (ἀβίους) dixit, quandoquidem uxoribus carent, cælibem vitam pro semiperfecto reputans: quemadmodum etiam Protesilai domum, ipso defuncto, semiperfectam & dimidia sui parte spoliatam ait:

Cui Phylacæ rellicta fuit tristissima conjux,
Dimidioque sui domus imperfecta.

Thracum Metropolis Byzantium, quæ & Constantinopolis, symboli loco usurpans delphinem anchoræ circumvolutum. Terræ firmæ præjacet Tenedos insula, a Tenna nomen adepta hanc ob caussam. Cycnus a Neptuno genitus regnum tenuit in Colonis, quæ urbs in Troade ex adverso est insulæ Leucophrii. Habuit hic Cycnus filiam Hemitheam, filium Tennen ex Proclea Clytii filia, sorore Caletoris, quem ab Ajace interfectum memorat Homerus *in Iliade*, quod naves Protesilai injecto igne combussisset. Defuncta Proclea, alteram uxorem duxit Cycnus, Craugasi filiam Philo-
A nomen. Hæc incesto erga privignum amore accensa, cum eo potiri non posset, calumniose apud maritum intentati sibi stupri Tennen insimulavit. Falsæ huic criminationi fidem adhibens Cycnus, Tennen una cum sorore cistæ inclusos in mare abjici mandavit. Hi vero cum incolumes in littus insulæ exponerentur, cui antea Leucophris nomen fuerat, Tennes de suo nomine Tenedum illam appellavit. Posthæc, quandoquidem occultari non poterat fraus tam insignis, quin tandem detegeretur, Cycnus ad filium navigat, illi se purgaturus de commisso ex ignorantia crimine, & scelus hoc deprecaturus. Cum igitur ad insulam appulisset, & na-
B vem ad saxum arboremve religasset, a Tenne navis retinacula securi abscindente, ab ingressu fuit prohibitus. Id factum proverbio originem dedit, ut, cum quisquam strenue quid negat, & præfracte impedit, id Tenedia bipenni abscidisse dicatur. Præclaris & fama decantatis viris incunabula dedit Thracia: Tereo Prognes marito, & Orpheo, de quo Poetæ fabulantur, quod ipso ad citharam cantante, dulcedine harmoniæ delinita animalia sponte sint sequuta, quodque ipse Orpheus magicæ artis fuerit peritissimus. His pluribusque aliis veritati parum consentaneis Græci fi-
C dem largiri non dubitant. Ego certe suspicor Orphea carminum suavitate & ornatu cæteros ante ipsum longe superasse, & Deorum religiosam invocationem, scelerumque commissorum expiationes hominibus primum ostendisse.





CRETA.

PROLIXUM foret, & perquam difficile, omnes recensere populos, qui apud se Jovem, & natum & eductum gloriantur. Nam & Messenii hac se laude efferuntur, affirmantes Ithomen & Nedam Jovis fuisse nutrices: & ab illa montem, ab hac fluvium sua accepisse nomina. Ab his duabus Nymphis asseverant Jovem a Curetibus clandestino surreptum, ob metum patris Saturni, in Clepsydra fonte ablutum, & ab eo furto aquæ nomen impositum: quam ob causam haustam ex eo fonte aquam quotidie portant in templum Jovis Ithomatæ. Multo autem æquius Creta sibi Jovis incunabula & educationem vendicat, quod ipsum in ore est omnium. Nec minus id quod de Minotauro passim proditum est, sive is homo fuit, seu fera; nam multo insolentiora monstra, nostri etiam seculi mulieres sunt enixæ. At vero taurum Marathonium ajunt Cretenses sibi a Neptuno immissum, quod Minos imperium maris Græciam alluentis obtinens, nullo singulari honore Neptunum prosequeretur. Hunc Taurum dicunt e Creta in Peloponnesum natando pervenisse, atque unum fuisse de duodecim Herculis laboribus. Postquam vero in Argivorum agros penetrasset, per Isthmum Corinthiacum in Atticam, ejusque municipium Marathonem profugit; ubi inter alios sibi obvios, etiam Androgeum Minois filium interemit. Minos graviter hoc casu percussus, cum existimaret Athenienses conscios fuisse cædis erga filium suum perpetratæ, non destitit in extremas eas conji-
D cere angustias: sic ut cum eo pacisci cogerentur, quotannis se pueros septem totidemque puellas in Cretam missuros ad Minotaurum Gnossico Labyrintho inclusum. In eodem Labyrintho etiam Dædalus detentus una cum filio Icaro, cum esset capitalis criminis accusatus a Minoe, effugium quæsivit fabricatis sibi & filio exiguis navigiis, quibus a se tum primo inventa vela addidit, ut hac arte Minois classem, remigio tantum instructam, secundo adjuti vento præverterent. Sic quidem incolumis evasit Dædalus: Icari vero navis imperitia gubernatoris undis obruta fuit, ac penitus eversa: Submersum Icarum æstus Maris in insulam Pergamo propin-
E quam ejecit, tunc temporis nomine carentem. Hercules forte fortuna in ea loca delatus, agnitum Icari cadaver sepeliit, aggesto terræ exiguo tumulo, in promontorio, quod in Ægæum mare protenditur. Ab hoc Icaro tum insula, tum Mare ipsam alluens, suam accepit denominationem. Cretenses leges suas a Minoe sibi traditas profitentur, easque non inconsulto Deo latas, *Homerum* de hac legum a Minoe traditarum sanctitate aliquid innuisse arbitror his versibus:

Cnossus in hac, urbs ampla, novem quam rexerat annis,
Cum Iove cui sermonis erant commercia, Minos.

F Describit idem *Homerus* Cretam, ejusque incolas:

Creta jacet medio tellus circumflua ponto,
Aspectu formosa, & fertilis ubere glebæ,

No-



Nonaginta illic variis cum gentibus urbes,
Permixti sermone viri. Hic cernuntur Achæi,
Magnanimique Eteocretes, validique Cydones,
Gensque Tricbaices Dorum, divique Pelasgi.

Insulas autem circa Cretam ita describit:

——— ——— ——— Cretæ direxit ad oras:
Incolit hancce Cydon, & Iardanus irrigat amnis,
Hic circumfuso pulsatur ab æquore cautes,
Præruptum tollens, Gyrtonis ad extima culmen.
Ad Phæstum hinc pellente Noto cum murmure fluctus,

A *Ingens exiguo constringitur obice Nereus.*

In prioribus versibus *Homerus* nonaginta civitatibus habitatam ait Cretam. At in navium enumeratione eandem vocat Hecatopolin, hoc est, centum urbes comprehendentem.

Dux erat Idomeneus Cretensibus, inclytus armis,
Qui Cnossum & muris validam Cortyna colebant,
Lyctum, Miletumque & terra albente Lycastum,
Phæstumque Rytiumque, insignes civibus urbes.
Atque alii centena habitantes oppida Cretæ.
His erat Idomeneus Dux fortibus inclytus armis.

EUBOEA
INSULA.

Rerum humanarum fortunæ, locis etiam antea obscuris & pene incognitis, famam ex eventu aliquo solitæ sunt conciliare. Psyttaliam enim, insulam prope Salaminem, ex eo quod istic Medorum exercitus fere omnis fusus sit ac deletus, nomen sibi acquisivisse novimus. Et Sphacteriam clades Lacedæmoniorum, Cannas oppidulum, Romanorum interitus celebres fecit, & omnibus decantatas. Similiter Caphareus Eubœæ promontorium famigerabile adeptum est nomen a Græcorum cum Agamemnone ab excidio Ilii redeuntium istic facto naufragio. Etenim Argivi, quotquot terram attingere poterant, frigore & inedia prope omnes enecti, fusis votis precati sunt, ut Deorum aliquis in tantis angustiis sospitator illis dignaretur adesse. Parum progressis Liberi patris sese antrum obtulit: & in illo Dei istius simula-

B chrum: fuerant autem in isto antro plures capræ silvestres, ut se a tempestate defensarent, congregatæ. Ex his mactatis, tum carnes ad cibum, tum pelles ad corporis tegumenta frigori propulsando sibi pararunt. Cessante tempestate, navibusque reconcinnatis, reduces in patriam simulachrum istud ex antro secum deportarunt. Philippus Demetrii filius tres urbes castellis & præsidiariis munivit, ut ipsi adversus Græcos propugnacula essent, easque urbes ex superbia & contemptu Græci nominis injuriosa voce appellavit Claves Græciæ. Fuerunt istæ urbes ad coercendam Peloponnesum Corinthus; ad Eubœam & Bœotiam ac
C Phocenses Chalcis, Euripo adsita; ad Thessalos & Ætolorum gentem reprimendam, Magnesia sub Pelio monte. Ea de causa Chalcenses [1] arbitror in patrio numismate symbolo usos compedum.

1. Hi antiquis *Chalcidenses*. Alii sunt Χαλκεῖς apud Græcos.



A Quod autem tam miserabili ad Caphareum clade Græci fuerunt affecti, ejus exitii auctorem ajunt fuisse Nauplium Neptuni filium. Hic enim ulturus mortem filii Palamedis, quem Græci lapidibus obrutum interfecerant, ipsis cum tempestate conflictantibus ignem e Caphareo ostendit, ad quem classis tanquam ad portum vela dirigens, ad scopulos illecta, magna ex parte collisa periit. Cæterum hunc quem dixi Palamedem, non lapidibus obrutum, sed a Diomede & Ulysse mari submersum esse, cum piscatui operam daret, in carminibus legi, quæ Cypria vocantur. Eretriæ Triphylicarum Eretriarum colonia potens admodum fuit olim civitas; poteratque in bellum emittere armatos B equites sexcentos, & currus bellicos sexaginta: imperium tenens in insulas Tenedum, Andrum & Chium. Celebris etiam fuit Eubœa ob religionis curam, & Templorum Diis dedicatorum sanctitatem: Dianæ Amarynthidis, Dianæ Eubœæ Apollinis Selinuntii, Oraculi Oropici, Neptuni exadversum Sunio siti. Eretrii symbolo utebantur, Diana: Istiæi, Neptuno, marino pisci insidenti. Eubœensium Homerus meminit *in Catalogo*:


Quique Eubœam habitant, Mavortia pectora, Abantes.




SAMUS ET RHODUS.

C In Athleticis certaminibus, & præliis navalibus inter omnes Jones palmam obtinuerunt Samii. Urbs Samus supra Mycalen Jonum sita est: de ea Asius Amphiptolemi filius, e Samo oriundus hæc suis caminibus inseruit. Leogoro Proclis filio, regnum Samiorum, defuncto patre, obtinenti, Ephesii bellum intulerunt Duce Androclo: victoria potiti Samios insula expellunt, criminati eos una cum Caribus insidias Jonibus struxisse. Superstites e bello Samii, patria profugi, partim in insulam D concesserunt Thraciæ propinquam, quam deducta istuc colonia Samothraciam appellarunt, cum prius vocaretur Dardania: partim cum Leogoro circa Æneiam ex opposita terræ continenti parte arcem exstruxerunt. Decimo post anno Samum adorti Ephesios inde ejecerunt, ac denuo incoluerunt patriam insulam. Junonis delubrum quod apud Samios est ab Argonautis structum nonnulli existimant, ac simulachrum Deæ ex urbe Argis istuc devectum. Samii ipsi apud se natam Junonem asserunt, prope flumen Imbrasum, sub vitice, quæ in Hereo seu Junonis templo sponte sua pullulavit. Unde manifestum est delubrum istud inter antiquissima templa merito censendum: cujus etiam aliquod apparet in ipso simulachro indicium. De simulata Samiorum assentatione, Jonum est in eos dicterium: Duos parietes una fidelia dealbare solitos. Nam cum Alcibiades trire-





mes Athenienſium circa Joniam ad prælium inſtructas haberet, multi Jonum ipſi adulantes, ac præcipue Samii, ſtatuam Alcibiadis æream in templo Junonis, prope Deam erexerunt. Capta vero ac diſſipata a Lyſandro Athenienſium claſſe ad Ægoſpotamos, iidem Samii Lyſandro in Olympia ſimilem erexerunt ſtatuam; Prioris hæc eſt inſcriptio:

Quæ pietas Samiæ ſacravit publica plebis,
In templo magni, ſtant monumenta, Iovis.

Hæc inſcriptio eos, qui dedicarunt, oſtendit: altera vero laudem continet ipſius Lyſandri:

B *Quod patriam Lyſander, Ariſtrocritumque [1] parentem*
Ornaſti, æterno nomen honore geris.

Id quod Samii fecerunt, reliquis etiam hominibus pene omnibus familiare eſt, & prope perpetuo uſurpatum, ut potentioribus aſſentiantur, & palpum obducant iis, quos aut metuunt, aut a quibus aliquid ſibi profuturum exſpectant. De Jove cecinit *Homerus*:

Supremo multas a culmine diruit urbes.

C Hoc ut de aliis pluribus, ita de Rhodo etiam non incommode aliquis dictum arbitraretur. Sicyoniorum oppidum violenter irruens terræ motus, incolis pene vacuam reddidit: ingentem quoque civitates circa Cariam & Lydiam ab eodem infortunio calamitatem ſunt expertæ. Rhodus certe tam enormiter a terræ motu conquaſſata eſt, ut pluri-

A ma admiratione digniſſima prorſus interierint. Imperator autem Antoninus miſere laceratam reficere ſategit, tum regio favore ac benevolentia, tum impenſarum abundantiſſima largitione reſtaurationem ejus promovens. Celebratiſſimi ſunt Rhodiorum muri, ut & Babylonii, & Memnonii in Suſa Perſidis: nec non Ambryſii in Phocide, & Byzantini. Adverſus Rhodios Antigonus miſerat Demetrium cum immenſo exercitu, & claſſe copioſa: ſpe ductus ſi in ſuam poteſtatem redigere poſſet expugnatam inſulam, ea ſe uſurum tanquam propugnaculo contra Ægyptios. Ipſi autem Rhodii generoſa alacritate, & induſtre [2] paratis machinamentis fortiter reſiſtebant obſidentibus, adjuti ſimul a Ptolomæo totis viribus eis ſuppetias ferente. Præter virtutem bellicam Rhodios etiam in exercitiis gymnaſticis ſolertes ſe dediſſe, argumento ſunt imagines & ſtatuæ Rhodiorum in Jovis Olympii templo dedicatæ: Diagoræ, ejuſque nepotum. Diagoras hic cum filiis Acuſilao & Damageto ad Olympica certamina deſcendit; Victores adoleſcentes, per medium ſpectantium cœtum humeris patrem portabant, quem univerſus populus floribus conſperſum felicem prædicabat ob filios. Erecta ibidem eſt & ſtatua Piſodori, Diagoræ ex filia nepotis, qui in puerorum certamine palmam obtinuit, quam mater viri Athletæ habitum induta ad ludos Olympicos ipſa exercuerat.

1. Voluit *Ariſtocritum*.

2. Pro *induſtrie*.

CHIUS ET CIA
INSULÆ.

ION Tragœdiarum ſcriptor in Hiſtoriarum ſuarum monumentis recitat, Neptunum in deſertam aliquando veniſſe inſulam, atque illic cum nympha congreſſum: qua parturiente, copioſam ex aere nivem prolapſam, & ab ea nive nomen puero inditum Chius: eundem Deum ex alius nymphæ complexu filios progeneraſſe, Aggelum & Melana. Poſtero tempore Oenopionem adductis ſecum filiis Talo, Evante, Melane, Salago & Athamante in Chium navibus appuliſſe: ſub cujus imperio etiam Cares & Abantes ex Eubœa in Chium venerunt. Defuncto Oenopione & liberis, ſucceſſit in regno Amphiclus, qui itidem oraculo monitus iſthuc devenerat ex urbe Heſtiæa Eubϧæ. Longo poſt tempore Hector Amphicli abnepos, ipſe etiam Rex Chiorum, Abantes & Cares, inſulæ inquilinos bello adortus, magnam eorum partem prælio fudit, ſuperſtites pactis conditionibus in exilium abire juſſit: Sopito bello, compoſitiſque inter ſe diſſidiis, Hector recordatus, æquum eſſe, ut concordi voto cum Jonibus commune ſacrum offerretur in Panionio, ſeu Jonum conventu. Id cum eſſet factum, ipſe ab univerſo Jonum concilio, fortitudinis ſuæ & virtutum præmio tripode fuit donatus. Hæc ſunt quæ de Chiis retulit Ion. Ad Chii inſulæ celebritatem non parum momenti adfert pium Ariſtæi factum, quem Apollo juſſerat in Chium navigare: Cum enim Græcia omnis peſte infeſtaretur, Ariſtæus pro Græcis ſacrificia & vota obtulit: quibus effectum, ut Græci ea calamitate liberarentur. In ea inſula etiam eſt vini proventus, abundantia & generoſitate apprime nobilis & commendabilis. Neque minorem famam ei conciliavit fanum Veneris: & Harpyjæ a Calai & Zete profligatæ, Boreæ & Orithyjæ filiis: quo argumento Chii in numiſmate patrio Harpyjarum imagine utebantur. Oſtenditur etiam in hac inſula Homeri ſepulchrum, quem a Clymene genitum Ietæ aſſeverant. At vero Cyprii Homerum apud ſe natum eſſe ſerio contendunt, ejuſque matrem nominant Themiſto, fœminam indigenam: de ejus etiam ortu ajunt Euclum fatidicos edidiſſe verſus:

Producet vatem pelago circumſona Cyprus,
Quem fauſto pariet nixu Heroina Themiſto,
In campis, locuplete procul Salaminis ab urbe.
Hic patriam linquens, vectus per cærula ponti,
Carmine Græcorum clades & funera cantans
Æternum peraget, cartis immortuus, ævum.

Fuit Chiis ingens cum Erythræis contentio de ſimulachro Herculis. Hoc certe ſimulachrum nulla parte ſimile eſt aut Atticorum vetuſtiſſimis, aut iis, quæ vocantur Æginæa: Sed ſi exquiſitius perpendas, omnino Ægyptium poteſt cenſeri. Inſiſtit Deus ſchediis, ſive rati temere & ſubito compactæ, ſuper quam ipſe e Tyro Phœniciæ iſtuc delatus memoratur; qua autem de cauſa ipſis Erythræis non eſt compertum. Appulſa fuit ad littus Jonum ratis, prope Templum Junonis Meſſatæ: medio loco ſitum navigantibus e portu Erythræo

ad Chium insulam. Cum vero promontorio adhæsisset, utrique tum Chii, tum Erythræi, summis viribus contenderunt ad se pertrahere simulachrum; quod cum frustra conati essent, homo quidam Erythræus (Phormio ipsi nomen) e mari & piscatu victum quærere solitus, sed e morbo oculis captus, in insomnio sibi detectum consilium civibus aperuit: scilicet, si Erythrææ mulieres sibi capillitium detonderent, atque ex eo viri plecterent funiculum, fore ut eo ratem ad se possent pertrahere. A Cives quidem fœminæ non poterant persuaderi, ut somnio fidem habentes, comam sibi abscindi paterentur; a Thracibus autem mulieribus, quæ, licet ortu ingenuæ, spontaneis tamen servitiis victum quærebant, impetratum fuit, ut tondendam sibi comam præberent: atque ita in Erythræorum potestatem simulachrum devenit. Ipse etiam piscator cæcitate liberatus, reliquo vitæ suæ tempore oculis probe usus dicitur.

DELUS ET ICARIA.



DELUS totius Græciæ olim fuit emporium, sola Numinis Divinitate incolis securitatem præbens: Menophanes autem Dux exercitus Mithridatici, sive religionis contemptu, sive regio mandato impulsus, (homo enim soli lucro inhians quæstui divina omnia postponit) hic, inquam Menophanes insulam nec mœnibus cinctam, nec armorum præsidio munitam triremibus invasit, cæsisque tum exteris hospitibus, qui istuc peregre venerant, tum ipsis incolis jugulatis, pleraque negotiarum mercimonia diripuit, donaria sacra abstulit, conjuges liberosque civium in servitutem redegit, ipsamque urbem solo æquavit. Dum ita vastatur diripiturque urbs, Barbarorum aliquis simulacrum Apollinis contumeliose in mare projecit, quod ab æstu impulsum in Bœotorum regionem delatum est, eaque regiuncula inde appellationem Epidelii obtinuit. In Delo Apollinis & Latonæ templa maxime sunt celebria. Supra urbem mons est sublimis & asper Cynthius, ipsamque insulam Inachus fluvius perlabitur. Hæc jam a pri- B scis temporibus gloriosam famam exinde meruit, quod prima dedisse incunabula memoretur Apollini & Dianæ. In ipsa Delo neque sepeliri mortuum fas erat, neque rogo cremari: sed in Rheniam cadavera efferebantur portui prætensam, in qua etiam Deliorum monumenta & sepulchra. Sed neque canem nutriri in insula religio concessit. Quod autem Diana non Latonæ, sed Cereris filia fuerit, Æschylus Euphormionis filius ex Ægyptiorum opinione Græcos docuit. Sed hoc veritati non videtur consentaneum. Certe Apollo & Diana a Deliis impense coluntur, & utriusque matri Latonæ Argivi Templum consecrarunt, unaque Apollini simulacrum opera Praxitelis elaboratum. Quæ C prope Deam cernitur, virginis imaginem Chlorin appellant, eamque Niobes fuisse filiam, atque ab initio Melibœam vocatam asserunt. Confixis autem ab Apolline & Diana Amphionis liberis, hanc & Amyclam e reliquorum fratrum ac sororum numero solas fuisse conservatas, eo quod Latonam essent deprecatæ. Melibœam vero præ terrore

A confestim invasit pallor per totam illi vitam inhærens, cujus coloris argumento loco Melibœæ Chloridis nomen adepta est. Has ajunt Argivi primitus matri Latonæ delubrum exstruxisse. At vero ego *Homeri* versibus & auctoritati plus quam reliquis tribuens nullum arbitror e Niobis liberis superstitem mansisse. Testimonio mihi est versus Poetæ:


Hos omnes illi duo confecere sagittis.

Apollo vero & Diana dicuntur ubivis locorum gravissimas sumpsisse pœnas de iis, qui Latonam cum uterum ferret vagabundam, & ad ipsos accedentem contemptim repulissent. Cum autem Dii jam memorati in Tegeatarum venissent regionem, Scephrus Tegeati filius clandestinum cum Apolline sermonem contulit. Limon vero, unus itidem Tegeati liberorum, suspicatus arcanum hoc colloquium sui calumniam esse, impetu in fratrem facto, cum interfecit. Sed meritam cædis ultionem Limon illico expertus est, Dianæ sagittis confixus.



B Tegeates & Mœra Deum sacrificio placant. Exorta deinde ingenti sterilitate, ex oraculo Delphico jussi sunt Manibus Scephri lugubria ferre parentalia.

TEMPE THESSALA.



AUREA *Thessaliæ loca, felicesque recessus,*
Et picturatos æterna Jaspide campos
Ingrediar. Phœbo stat amicas cernere sedes,
Et castam viridi contectam cortice Daphnen.
Est locus Æmonii medio sub sidere cœli,
Qua surgente jugo Pellæas despicit arces,
Arvaque Pierium sublimi culmine Olympus.
Miratur longe positam decrescere terram
Sideribus vicinus apex, & vertice firmo
Tardigradæ patitur pulsantia cornua Lunæ.
Non ille irati surgentia flamina Cauri,
Suppositosve timet commista grandine nimbos.

C *Ara tenet culmen, superum quam cana vetustas*
Constituit Patri, meritosque adolevit honores:
Inferius tractas nubes, cœlique furorem
Ridet, & ista suæ molis monumenta relinquit,
Non ullam inspersos cineres fecisse lituram.
Haud procul, adverso qua surgit tramite clivus,
Ossa supercilium nimbosaque culmina cœlo
Tollit, inaccessa renuens vestigia rupe:
Quæ, postquam Enceladus cœlo fera prælia miscet,
Terruerat superos dextra jaculata Typhœi.
Et nunc apricum terris avertere Solem
Æmoniis conata, minas ac fulmina tollit.

Sed frustra hic fervet furor: immutabile Fatum A
Non sinit ut lætis obnubilet invida rebus.
Hæc inter gemini divortia dissita montis,
Tenditur in planum campus, Peneius amnis
Quem rigat, & medium placidis interluit undis:
Accola gens TEMPE *vocat. Unus nomina laudum*
Mille capit locus, & Phœbeia carmina poscit.
Non illi artificis ficto simulamine dextræ
Quæritur exter honos: humanæ negligit artis
Obsequium, tantoque labor conamine torpet,
Natura superante manus: licet omnia prendens
Subsidia, intendat totas Industria vires.
Consuluit Natura diu. mersosque profunda
Explicuit sub mente lares, cum sedula tantum B
Moliretur opus. Jocus illi ac blanda Voluptas
Adstiterunt, jecitque alacer fundamina Risus,
Et Charites, niveusque Lepos, & grata Voluptas
Condita perpetua decorarunt arva juventa.
Mollities longe Divum vestigia servans,
Furtivosque procul tardans Petulantia gressus,
Deliciis habiles lucos, luxuque fluentes
Struxerunt roseosque thoros, & cespite vivo
Formarunt faciles, nativa cubilia, lectos
Sublimes inter quercus, interque cupressos
Coniferas, humiles serpunt in valle myricæ.
Extendens late sua brachia laurus, obumbrat C
Intortas buxos: hederarum flexilis ordo,
Per casulas variis hinc inde amplexibus errans
Contectas operit vivo velamine scenas.
Omnis concordi fluit huc vicinia cursu,
Instauratque epulas. Positos sine lege catinos
Accumulant: genio juvat indulgere, per herbam
Lancibus instructis, strataque in gramine mappa.
Fit levis epoto generosa fidelia Baccho,
Dum bene me, bene te, bene nostram Phyllida,
votum
Intonat, & crebras circumfert obba salutes
Admotos labris calices animare jubetur
Fistula, concentusque lyræ, citharæque susurrus, D
Atque omnes superans vocis dulcedine chordas
Virgineo lente vibratus gutture cantus.
Harmoniæ huic sese dependula ab arbore Aedon
Jungit, & incesti scelus exitiale tyranni
In varios modulata sonos nova gaudia menti
Ingenerat. Glomerantur aves, gaudentque ma-
gistram
Audire, & doctæ sociant sua guttura voci.
Illa melos torquet, nullaque imitanda Camœna
Carmina: nunc fervens attracta sibilat aura,
Nunc brevia immensis singultibus ilia tendit:
Et modo Mœonias imitantia flamina buxos
Ingeminat, modo Threiciæ vaga murmura chordæ: E
Plebs stupet, ac dubia in partes distenditur ambas:
Ora tenent epulæ, demulsæ vocibus aures
Aere pascuntur. Sæpe inter pocula, ramo
Ityn Ityn resonante, animo dum pendet ab ore
Alitis, incautus dextram conviva remisit
Paulatim, & labente sinus sibi proluit auro.
Postquam exempta fames epulis, effunditur omnis
Ad lusum pubes: passim permista juventus
Virgineo cœtu, nexis ex ordine dextris
Alterno pede quassat humum, numeroque rotati
Circumeunt pueri: sequitur vestigia virgo. F
Ille repercussam violento robore sursum
Jactat ad astra pilam: juvat illum ludere disco,
Inque gyrum loris agitare volubile buxum,
Aut cursu celeri, aut lucta superare sodalem.
Ast alius nimium lymphis fluvialibus æstum
Excutit, & calidos quos Sirius ejicit ignes
Egelidis refringit aquis, ac brachia jactat
Sub fluvio, gratam platanis præbentibus umbram:
Contemplaturæ juveniles corporis artus
E mediis tollunt Nymphæ Peneides undis
Tempora, & irriguo rorantes imbre capillos.

Hic Paphiæ miles, furtivum pectus amatæ
Virginis accessum, molli sua gaudia dextra
Dum tenet, aut pressis delibans oscula labris,
Aut latebras tentans tenui queis mammula filo
Castigata sedet, nodumque occultat eburnum;
Dum timet, intuitu crescentem exasperat æstum,
Et nimia quæritur properatæ limina lucis
Festinare fuga: quantum est de Sole relictum
Respicit, ac currum Phœbi tardasse precatur,
Aut volucres labi rupto temone jugales.
Haud longe, ducto constringitur aggere stagnum,
Illimesque ostendit aquas, gratoque sapore
Allicit ad dulcem sitientia guttura potum.
Bœbein dixere viri: nunquam arduus illis
Juncus abest ripis, non unquam mollis arundo.
Solstitium aereo pecori Solesque calentes
Defendit cognata salix: Stabulantur in ulva
Sturnus inops, mergusque levis, fulicæque palustres,
Et clamosus anas, & gaudens carmine cygnus.
Hic aliquis viridante sedens in margine ripæ
Abscondensque cibis uncum fallacibus hamum,
Piscosas populatur aquas: Jam fertur ab imo
Perca vorax fundo: Jam sursum ducitur hærens
Mullus, qui tremula motam sub arundine caudam
Vibrat, in assuetos nec perfert aeris haustus.
Illic squamigeræ pecudis, turbæque natantum
Prædones volucres major prædator adacto
Per costas telo transfigit, & illice cantu
Deceptam, aut pedicis, viscataque amite prædam,
Exiguæ portat non empta obsonia cœnæ.
Parte alia surgunt solido perfecta metallo
Templa Jovis magni: cedro laquearia splendent.
Ære graves portæ, Pario sola lævia saxo.
Primum palma virens, sterilisque oleaster inumbrat
Vestibulum: patulæ procero stipite laurus,
Et nunquam duris detonsa bipennibus ilex,
Et platani umbrosæ, & tunc non funesta cupressus
Stant circum, ac densis obnubunt atria ramis.
Hæc sedes Jovis; hæc veteris penetralia luci,
In queis solemni peragit sacra feria ritu
Deliciis pridem ludisque operata juventus,
Et jam fessa jocis: petulantis crimina facti
Tollere lustralis properans aspergine lymphæ,
Aut pecudum fibris, aut larga cæde bibentum.
Ecce bovem nivea succinctus veste Sacerdos,
Fronde coronatum querna, multumque superbum
Cornibus auratis, sacram deducit ad aram:
Quem postquam prostravit humi, jugulumque re-
solvit,
Olli nudato salientes pectore fibras
Inspicit, & Phœbum mediis spirare sub extis
Indicat, inque vagos trepidantia viscera fluctus
Porricit, irriguis Elicon ubi volvitur undis.
Adstant nobilium creti de stirpe parentum
Imberbes pueri, quos miro Delphica tellus
Miserat huc luxu, postquam labentibus annis
Sponderet gravidam trieteris tertia messem.
Hi plena portant Panchæum munus acerra,
Libamenta Diis: Phœbi quibus ignibus ara
Incaleat, magnique Jovis delubra vaporent.
At Calathos, sancti textos e vimine Pindi,
Vertice, devoto stipatos munere, gestant.
Unde Salat florum omne genus, fragrantia Veris
Germina, & hortorum quondam ornamenta, de-
cusque,
Nunc sacras aras, & pulvinare supremi
Ornatura Jovis: ferrugineis hyacinthis
Purpura vernantum, nitet intertexta Rosarum,
Narcissusque, Crocusque, & suave rubens Ama-
ranthus,
Et violis saliunca comes, & lutea caltha,
Et quondam a Nympha nomen sumptura Tulippa
Lilia, quam specie at nulla virtute decoram
Ambibant proceres: cujus pretiosa cupido

Insanire facit stultos post secla nepotes. A
Tu quoque Thessalico laudem famamque dedisti
Phœbe pater, campo: tua per dispendia crevit
Huic decus & celebris felici gloria terræ.
Hic contemptus Amor cæso Pythone superbum
Te domuit, fregitque suis tua tela sagittis,
Cum castum trepidare novo sub cortice pectus
Sentires, gelidoque dares vana oscula libro.
Nam quæ maternæ succrescit plurima ripæ
Laurus, quæ patriis succumbit fronde fluentis,
Virgo fuit quondam: vidit Peneius amnis
Mutatæ faciem Daphnes, novaque ora puellæ,
Et nunc, illa tuos ubi virgo elusit amores,
Aereas humilis LAURI MONS *surgit in auras:*
Unde petunt Clario cingendi tempora serto
Præmia virtutum, & doctrinæ insignia, Vates.
Quis decus Æmonii fando, quis gaudia campi,
Exæquet? nimio fessæ mihi pondere vires
Deficiunt; vox fracta gravi sub mole fatiscit:
Nec tenui augetur tantarum gloria rerum
Carmine, nec crescit Titan face, linea puncto

CORINTHUS

CORINTHIORUM urbs multa habet præclara & memoratu dignissima. In foro visuntur Dianæ cognomento Ephesiæ, & Liberi Patris lignea simulachra duo, præter faciem omnino deaurata: alterum Lysium appellant, alterum Baccheum. De his lubet hæc adscribere. Pentheus cum multa in Bacchum contumeliose & injurie fecisset, ausus etiam fuit Cithæronem montem adire, arcana mulierum sacra speculaturus. Ea cum ex adscensa arbore esset intuitus: deprehensum fœminæ, facto impetu vivum dilacerarunt, & membratim discerpserunt. Facinus hoc exsequutæ a Pythia divinum monitum acceperunt (Corinthii ita narrant) ut arborem illam quærerent, & ex inventa confici curarent simulachra, eaquê divinis prosequerentur honoribus. A propylæis paullulum recedentibus occurrit Hercules æneus: a quo ingressus datur ad Pirenes aquam. De hac Pirene fabulantur, quod cum impense lugeret filium Cenchriam, a Diana non sponte, sed per incuriam in- B teremptum, tantum effuderit lacrymarum, ut e Nympha in fontem fuerit conversa. Fons ille candido marmore exornatus, exstructas habet cellulas in modum speluncarum factas, e quibus in castellum seu labrum sub dio positum, acqua defluit gustatu jucunda; in qua etiam æs Corinthium candens demergitur: neque alterius generis ære Corinthii utuntur. Ad fontem Pirenen Apollinis etiam est signum; & septum, in quo depicta sunt Ulyssis in procos facinora. Retro euntibus recta ad Lechæam via, Mercurius cernitur æreus, cui adstat Aries: eam forte ob causam, quod præ reliquis Diis curam pecoris gerat Mercurius, & gregum fœturam promoveat: quo etiam respexit Ho- C merus in *Iliade:*

Hic pecorum dives Phorbantis filius, Hermes,
Quem supra reliquos coluit, gregibusque beavit.

Quæ de Mercurio & ariete in magnæ Matris mysterio dicuntur, lubens prætereo. Calida lavacra apud Corinthios reperiuntur non pauca, partim

partim publici usus & sumptu publico exstructa, partim ab Adriano Imperatore ædificata. Omnium autem celeberrimæ sunt balneæ Neptuni fano propinquæ, opus Euridis Spartiatæ, lapidibus hæ sunt exornatæ tum aliis, tum præcipue in Laconicæ vico Crocæ vocato, excisis. Fontes passim per urbem disperguntur, cum jugi & locupletissima aquarum copia abundent: sed maximæ æstimationis est fons ab Adriano Imperatore, aquæductu a Stymphalo facto in urbem delatus: nec minus celebris est fons Glauces, in quem, ut fama fert, sese præcipitavit Glauce, salutarem rata eam aquam fore adversus Medeæ veneficia. Supra illum fontem ædificatum est Odeum, & prope, monumentum erectum Medeæ filiis, quorum nomina Mermerus & Pheres: lapidibus eos fuisse obrutos ajunt Corinthii, propterea quod insidiosa matris munera Glaucæ attulissent. Quandoquidem vero insontes nec merita morte perierant, infantuli Corinthiorum nefas hoc, immisso ipsis lethali morbo, luere sunt coacti, usque dum ex Oraculo sacra interemptis annua facerent, & Pavoris statuam dedicarent, in speciem mulieris, terribili admodum forma effictam. Ab hoc monumento non procul abest Chalinitidis, seu Frenatricis, Minervæ delubrum: Minervam enim ajunt præ reliquis Diis auxilio fuisse Bellerophonti, eique Pegasum obtulisse, quem ipsa perdomuerat, & sua manu frenum imposuerat. Propinquum huic delubro est nudum Herculis signum Dædali arte elaboratum. Quæcunque vero fabricavit Dædalus, aspectu quidem rudia, nec admodum speciosa apparent, inest tamen illis aliquid divini, & Numinis afflactum spirans. Acrocorinthus prærupta est rupes urbi imminens, quam ajunt Briareum arbitrum Soli adjudicasse: Solem autem eam concessisse Veneri. Ascendentibus Acrocorinthum fanum est Veneris, & pone illud fons, quo Sisyphum Asopus donavit, Sisyphus enim raptam a Jove Æginam Asop. filiam non ignorans, non potuit adduci ut Jovi indicium faceret, ante quam ipsi aquam indulsisset in Acrocorintho: quam cum a Jove impetrasset, fons ille cœpit scaturire: hujus vero indicii pœnam (si cui ita credibile videtur) apud inferos luit Sisyphus. Memorant nonnulli eundem fontem Pirenen esse, & ex eo aquam defluere in urbem. Asopum autem fluvium Phliasii & Sicyonii affirmant advenam & peregrinum, non indigenum esse amnem, Mæandrum enim e Celænis ortum per Phrygiam & Cariam in mare juxta Miletum exire, illinc autem sub mare occulto meatu in Peloponnesum prorumpere, atque ibi fieri Asopum. Simili modo etiam Delii profitentur Inopum e Nilo, arcano per oceanum itinere in Delum pervenire: adeoque ipsum Nilum esse Euphratem, qui a paludibus absorptus supra Æthiopiam demum erumpat, atque istuc Nilus fiat. At vero hic Asopus ex agro Phliasiorum primum scaturiens Sicyoniam perlabitur, & in mare exit Sicyonium. Diversus ab hoc est Asopus Bœotius, cui peculiariter a natura indultum est proceros admodum, & insigni magnitudine juncos producere.

F I N I S.

INDEX TABULARUM.



FINIS.



UBBONIS EMMII

FRISII

Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ Profeſſoris in Academia Groningana

VETUS GRÆCIA.

Opus diſtinctum in tomos tres:

QUORUM

I. Deſcriptionem habet Regionum a Græcis habitatarum, cum adjunctis Inſulis:

II. Complectitur Res Geſtas Græcorum:

III. Repræſentat Statum ac Formam præcipuarum ejus Gentis Rerumpublicarum: Itemque Judicium Amphictyonicum, & Solemnes Ludos, ſtatis temporibus apud Græcos recurrentes.

Nobilitate ac dignitate amplissimo viro, virtute & doctrina præstantissimo,

D. ABELI COENDERS AB HELPEN,

Domino in *Eusum*, Toparchæ in *Middelszum*, *Faen*, *Cantes*, &c. inclytæ Reipubl. Groninganæ *Consuli* prudentissimo, Academiæque Provinciæ hujus *Curatori* vigilantissimo;

Mœcenati suo plurimum colendo.



UM *multa a* DEO *Opt. Max. cælitus nobis tributa sunt, nobilissime atque amplissime Domine, tum nihil præclarius, post vere divinum illud & summum, animarum nostrarum salutem æternam, & quæ circa eam versatur sacram Theologiam, quam quod eosdem & rationis lumine exornavit, & variarum artium ac disciplinarum capaces fecit; ut toti literas humaniores tractando, & antiquorum dicta factaque sapienter contemplando, suavissimo eruditionis ductu atque vi honestati adhæreamus. Ex omnibus vero disciplinis, quæ ad eruditionem pertinent, nullam esse, cujus & fructus uberior sit ad vitam in*

ſocietate civili bene prudenterque agendam, & uſus in omni ſtudiorum genere latius dominetur, & quæ ipſa ſua novitate ac varietate rerum caſuumque delectabili homines ad ſui ſtudium magis alliciat, quam Hiſtoriarum cognitionem, excellentium judicio & rerum uſu virorum conſtans ſemper fuit ſententia. Eximia omnino & plane ſingularis laus hæc eſt Hiſtoriæ: vera tamen, ac debita, & quæ nihil quicquam habet vanitatis. Etenim duabus fere partibus ſapiens vitæ honeſtioris gubernatio conſiſtit, Doctrina & Exemplis. Doctrina quidem Oeconomicæ, Ethicæ, Politicæque præceptis, & honeſtis legibus continetur. Hanc autem ita Hiſtoriarum lumen illuſtrat, ut tum demum dextre intelligi, viva, efficax atque penetrans videri poſſit, cum commemoratio antiquitatis & exemplorum prolatio accedens & authoritatem præceptis adferat & fidem; ſine ea vero conſiderata, quaſi præſidiis ſuis deſtituta, obſcura, languida & pene mortua videatur. Atque hæc cauſa eſt e multis non poſtrema, cur Philoſophiæ magiſtri literis ſuis quibus hominum mores informant, parum dextre parumque ſolide ſe præcepiſſe putant: niſi quæ tradunt, exemplis, tanquam indubitato veritatis teſtimonio, confirmarint. Fecit enim nos imitatores maxime natura. Hinc illi, quibus mens recta eſt, bonis aliorum exemplis ad ſtudium ſimilium virtutum multo efficacius, quam legibus, excitantur: cæteri quoque erroribus aliorum magis, quam ſapientum monitis & præceptis, redduntur cautiores. Et qui fit, cur publica ſumantur ſupplicia de iis, qui ſceleribus ſe contaminarunt, niſi, qui legibus retineri nequeunt, exemplis aliorum coerceantur? Quam vero illuſtria in utraque parte exempla nobis, actionum humanarum ſpeculum, Hiſtoria proponit? Pulcherrimas ibi virtutum ſpecies intueri licet: ibidem & vitiorum fæda barbaries & deformitas depictæ, ſpectandæ nobis propoſitæ ſunt, ut eas contemplantes honeſtatem amplectamur. Recte igitur M. Tullius, *acer & verus rerum æſtimator, Hiſtoriam* lucem veritatis *&* vitæ magiſtram *appellavit. Vidit hoc homo ingenio & rerum uſu longe maximus, & Hiſtoriam velut in loco ſublimi & ſpeculo illuſtri exempla proponere maxime inſignia, ut ab omnibus & vitiorum turpitudo & virtutum eximium decus videri queat; neque vero imaginem ſolum virtutis exprimere, verum neſcio qua arcana quadam naturæ vi ſpectatores ſuos in actores transformare, atque ita uno eodemque actu facta gemina elicere. Eſt namque Hiſtoria ſpeculum quidem, ſed vivum atque ardens, cujus oppoſitu in animis excelſis flamma æmulationis accenditur, quæ ut plurimum cauſa vera eſt, & quaſi fomes dictorum factorumque maxime memorabilium. Adhæc Hiſtoria, quam nihil in rebus humanis ſtabile fixumque ſit, graphice depingit. Illa Reges & Principes modo in ſellis aureis ſublimes, inſigni majeſtatis ſuæ fulgore conſpicuos, ſeſe ſtolide ſumme beatos deprædicantes; modo de ſummo rerum faſtigio dejectos, pullatos, miſerrimam ſuæ fortunæ conditionem deplorantes introducit. Illa ingentes claſſes, numeroſiſſimos exercitus, urbes, regna, imperia, quæ adamantinis credebantur radicibus eſſe fundata, uno die, hora, momento concidiſſe commemorat. Humanæ igitur conditionis, hoc eſt, fragilitatis pluſquam vitreæ teſtis fidelis eſt Hiſtoria, perpetuo inculcans, ut & nos ſortis humanæ ſem-*

per memores modestiæ studeamus. Magnus est legum usus, & veneranda earum majestas; quia justitiam administrant. Historiæ vero legitime scriptæ an minor erit laus, quæ & ipsa suum cuique æquali ratione tribuit? Legum minæ externa pœna mulctant eos, qui sceleribus se polluerunt: Historiarum vero munus infamia eosdem plectit, & perpetua ignominiæ nota condemnatos ad omnem posteritatem transmittit. Illæ virtuti debitos tribuunt honores: hæ æternitati consecrant laudes eorum, quotquot virtutem coluerunt. Itaque quod legum executione sæpe negligitur, Historiæ severitate & fide compensatur; quod ex legibus debito caret honore, per Historiæ beneficium sua gloria non defraudatur. Insignis erat apud Romanos omni virtutum genere Scipio ille Africanus: excellebat inter æquales modestia, imperatoria virtute cedebat nemini, frugalitate vincebat multos, justitiæ cultor erat singularis, mansuetudinis amator eximius, castitatis vero laude plærosque omnes superabat. Pulcherrima sunt ea, quæ de hoc juvene in veterum monumentis celebrantur. Quæ si quis leget, annon tacita approbatione atque amore insignem juvenem cum insigniore virtute prosequetur? Neronem vero ex eadem gente oriundum, qui sceleribus infinitis se contaminabat, perpetuo infamiæ dedecore Historia tanquam Justitiæ ministra denotavit. Cujus facinora ab Historiographis descripta cum cognoscimus, merito hominem facinorosum cum suis flagitiis tacito judicio damnatum possumus odisse. Itaque hodie etiam Scipio virtutis suæ præmia habet: alter ille longas suorum scelerum pœnas toti posteritati persolvit. Quorum utriusque facta nisi conservasset Historia, hodie, injustissima certe ratione, pari in conditione fuissent. Non ergo frustra rerum gestarum seriem tanta cum diligentia tot sæculis custoditam ad nos transmisit Deus, sed ut illustre in ea sui judicii testimonium superesset, & perpetua in societate humana sonaret concio, Discite justitiam moniti. *Satis de eo, quid quantumque in actionibus nostris in vita quotidiana recte informandis præstet Historiæ cognitio: videamus quoque quid utilitatis eadem adferat iis, qui rempublic. domi militiæque gerunt. Hoc certe extra controversiam est, Prudentiam Politicæ animam, & scientiæ militaris Reginam esse, & in utraque ita dominari, ut qui ab hac non probe instructus fuerit, hoc est, qui causas & eventus rerum, ac discrimen inter bona & mala, utilia & noxia, salutaria & exitiosa, modumque, quo res geri quæque sive a togatis sive a sagatis oporteat, non norit, qui imminentes tempestates non præsentiat, & calamitatum, quibus succumbere respubl. solent, præcurrentes rationes non animadvertat, eum neque rempublic. neque bella unquam bene prudenterque esse administraturum. Nequaquam enim ille aut consilio suo impendentem ruinam antevertere poterit, aut rebus jam prolapsis solertia sua subvenire. Quæ vero res ad hanc provinciam instructiores reddet sive civium sive militum rectores, quam studium & cognitio Historiæ? Historia enim res hominum, mores, instituta, rerumque causas, eventus & modum, omniumque quasi temporum ac locorum acta memorabilia, bona, mala, secunda, adversa recenset; omnia denique velut in speculo contemplanda ob oculos ponit, quæ in scena hujus mundi aguntur, argumentis fabularum fere recurrentibus iisdem. Eadem quippe est hodie, eritque inposterum, quæ fuit olim, hominum natura, idem ingenium, eadem studia, desideria; hinc eadem quoque recoquuntur consilia, & ex iisdem consiliis iidem relabuntur eventus; &* redit actus in orbem Ludus in hac mundi scena pene unus & idem. *Homines tantum singuli mutantur, & variant circumstantiæ locorum ac temporum. Unde sequitur necessario, eum, qui in memoria rerum studiose versatur, intuentem exempla similia priorum temporum, aut re-*

gionum aliarum, si animo sagaci sit, prudentius domi forisve res administrare, & declinare casus adversos posse, quam poterit is, qui hac scientia rerum anteactarum fuerit destitutus. Mihi certe Polybianum hoc, scriptoris scilicet sapientissimi & rerum humanarum peritissimi, oraculi instar esse videtur, cum in operis sui initio dicit. Nulla est mortalibus ad proficiendum via expeditior, quam nosse res anteactas: *& paulo post,* Id vere demum est instituere & exercere animum ad rempublicam gerendam, operam in discenda Historia ponere; *nec dubitavit idem Historiam appellare efficacissimam imo unicam magistram, sine offensione aut detrimento docentem quid quaque in re quovis loco & tempore facto sit opus, ac quomodo utraque fortuna sapienter conveniat uti. Gravissimi senatoris & πολιτικωτάτου Consulis,* M. Tullii *vox est,* Unde facilius, quam ex Annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis Reipubl. disciplina cognoscetur? *Ecquis nosse desiderat, quibus institutis parva respubl. fieri magna queat? quibus moribus, quave ratione civitates, regna, imperia labefactari, decrescere, interire soleant? Historia est, quæ rectius ista, quam usus, aut ullus Philosophus doceat. Expressum quippe in Annalibus est, quæ consilia, mores, instituta, quos sortita sint eventus, quæ mala respublicas everterint, quæ virtutes regna ad fastigium usque evexerint atque propagarint. Ecquis scire cupit, quæ hanc vel illam rempubl. fata maneant? Historia est, quæ tradit artem divinandi tam innocentem quam non vanam. Ostendit enim & causas calamitatum & interitus rerumpubl. & consiliorum eventus, adeoque longe præcurrentia procellarum signa demonstrat. Quapropter si eos homines præ cæteris prudentiores arbitramur, quos usus & rerum experientia peritos reddidit; iisdem sane vel pares, vel non multum impares putabimus hosce, qui variis ac prope infinitis actionibus hominum Historiæ beneficio spectatores non oscitabundi interfuerint. Est quidem, fateor, illa, quæ longo rerum usu & crebris actionibus comparatur, experientia & certior & efficacior: sed hoc bonum quot & quantis pensatur incommodis? Etenim quantulum quæso est, quod agere nobis & experiri licet? quantis temporum angustiis in hac brevi & incerta vita premimur? quam variis, quam sæpe anxiis curarum fluctibus jactamur, quæ animum vel maxime intentum a perfecta rerum meditatione aut distrahunt aut avocant? Quam raro, quam paucis contingit, res tractare magnas? Principem in republ. in exercitu tenere locum, aut Principum virorum regere consilia? Quot interim, quantæque exantlandæ ærumnæ? quot adeunda sæpe præsentissima vitæ pericula? Et quando tandem ista longo usu parta & confirmata prudentia dabitur uti? tum, credo, cum corpus senio, curis, laboribus, languore confectum, rebus agendis parum aptum est, vitaque linquenda homini, qui usu longo sapere vix didicit. Quid vero prudentia illa, quæ ex multiplici & diligenti meditatione Historiarum percipitur? Facile his malis caret omnibus. Ei enim, qui in evolvendis veterum monumentis multam posuit operam, haudquaquam difficile erit, usque ab ipsius orbis initiis consilia & facta in utramque partem insignia, regionum situs, oportunitates locorum, mores gentium atque instituta, & his similia in promptu habere; quæ a summis, quæ a multis per universum terrarum orbem gesta fuerunt, uno quasi obtutu intueri, repetitaque memoria in paucissimos dies unamque mentem conclusa recognoscere, & ad usum revocare; idemque prope in otio & umbra tuto, sine periculo aut ullo incommodo consequi tum, cum mens sana est in corpore sano: quod vix per multos annos, magnosque labores, & summa vitæ ac for-*

tunarum discrimina industria nobis nostra comparatur. Memorabile omnino est, & vel solum indubie ostendens, vim eam esse Historiæ, quam dixi, quod de L. Lucullo veterum scripta testantur. Is, posteaquam adolescentiam in forensi opera, & ætatem reliquam in pace & otio traduxisset, consulatum nactus, ad bellum Ponticum a senatu Romano missus, quum totum iter & navigationem consumpsisset partim in percunctando a peritis, partim rebus gestis legendis, tam admirabilis in Asiam factus Imperator venit, qui erat Roma profectus rei militaris rudis, ut Rex Mithridates hostis, (quantus & ipse belli Dux!) hunc a se majorem Ducem cognitum, quam quenquam eorum, quos legisset, fateretur. Aliud addo. Historia, posteaquam, ut magna possimus conari, effecit, efficit ut velimus. Habet enim acres ad virtutem stimulos aliorum, qui cum laude res præclaras gesserunt, per Historiæ meditationem accensa æmulatio. Hinc Scipio ille Africanus, omnis memoriæ clarissimus Imperator, Xenophontis Cyropædian perpetuo secum circumtulit, ut ad Cyri exemplar, qui a Xenophonte depictus eo libro est, totum sese suaque omnia conformaret. Alexander quoque Magnus, qui totum, qua longissime patet, Orientem victoriis peragravit, Homeri Iliada nunquam non in manibus habuit, eamque ἐφόδιον πολεμικῆς ἀρετῆς appellavit; non modo ut virtutes eas legendo cognosceret, sed usu etiam imitaretur. Sed nec illud prætereundum, nullum pene studii genus esse, in quo, ut res feliciter cedat, Historiæ opera non requiratur. Nam haud alia res tantum adauget judicium hominis, sive Theologi, sive Jurisconsulti, sive Philosophi, quam Historiæ cognitio, quæ tanquam altera quædam experientia titubantis vestigia confirmat. Divino quippe Theologia studio deditum, quam multis in locis Scripturæ hæsitantem instruit, dirigit errantem, lapsantemque erigit Historicus temporum & rerum ordo? Distingue tempora, & conciliabis Scripturas, habet axioma in scholis theologicis decantatum. Nosse doctrinam rerum divinarum a Deo ad suam gloriam & hominum salutem revelatam, est id quidem vere θεολογεῖν: sed nescire Historiam Ecclesiæ & certaminum ejus, id vero fuerit in theologia semper esse puerum. De Jurisprudentia idem asserere, est asserere rem certam ac indubitatam. Quomodo enim aut ipsius juris civilis, juris item municipalis rectum sensum tenebit Jurisconsultus, aut eundem quomodo docebit alios, qui res atque mores civium Romanorum, qui, quæ sunt municipalium instituta, quis status, quæ fortuna eorum, nunquam didicit? Ethicorum vero & Politicorum præcepta qua ratione aut ipsus percipiet Philosophus, aut explicabit eadem aliis, si Historiæ cognitione non fuerit imbutus? næ ille ad quemlibet fere locum hærebit, cæcutietque exemplorum copia, quibus ea declarantur, non instructus. Quid de eo dicam, qui ad oratoriam facultatem & legationes obeundas aspirat? quantis ille ad sustinendam personam suam destituetur præsidiis, nisi probe multumque in veterum monumentis perscrutandis versatus fuerit? quod si fecerit, erit profecto non judicio solum confirmatus, sed & agendi dexteritate & dicendi copia insigniter etiam locupletatus. Itaque quoscunque altius evexere artes ingenuæ & eruditio, eosdem hac scientia Historica instructos fuisse, & hujus potissimum subsidio emersisse accepimus: hoc autem scipione qui vestigia sua non firmarunt, in avidissimo cursu lapsi sunt, aut certe infelicius, quo tenderant, pervenerunt. Est enim Historia tanquam oculus omnium scientiarum, ut qui reliquas perceperit, hanc autem non eodem labore notam sibi fecerit, nihilominus imperitus esse videatur. Oratorem audiamus, Nescire, inquit, quid, antequam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quo quid magis indignum liberali ac

ingenuo ingenio dici, eſſeve poteſt? præſertim cum ex omnibus diſciplinis, quæ ad eruditionem pertinent, nulla ſit minus obſcura, intricata, difficilis; magis autem perſpicua, plana, facilis; nulla ſit minus anxia, magis autem ſuavis & jucunda, quam haec, de qua agimus, Hiſtorica diſciplina, quae quidem ipſa ſua novitate ac varietate rerum caſuumque delectabili homines in ſtudium ita allicit, ut omnis labor, qui in hoc ponitur, fere nuſquam ſentiatur; ita detineat, ut ægre lectorem induſtrium a ſe dimittat. Quis enim non toto animo geſtiat totius mundi fabulam ita depictam contemplari, ac ſi rebus geſtis coram ipſe adfuiſſet? Atqui Hiſtoria hanc velut in tabella deſcriptam uno obtutu nobis conſpiciendam ſubjicit, ut omnium populorum, omnium ætatum res geſtas, velut noſtri ſæculi, noſtræque patriæ acta, ſine ullo noſtro periculo, maximo tamen cum ſapientiæ profectu contemplari poſſimus.

Verum enimvero cum omnis Hiſtoria cognitu perutilis ac ſuavis ſit, tum vero poſt ſacram ac Romanam, Græca eſt longe utiliſſima, cum pari ſuavitate conjuncta. Gens quippe Græca non ſolum perantiqua fuit, ſed etiam inter Europæas cultu ingenii ac morum, legibus & inſtitutis, boniſque artibus, denique rerum geſtarum claritudine, urbiumque celebritate, uſque ad tempora Romana, multo præſtantiſſima. Sola namque pene plura illuſtria ſapientiæ, eruditionis, prudentiæ, fortitudinis, juſtitiæ, temperantiæ exempla edidit ad inſtruendos animos eorum, qui in re publica, privataque adminiſtranda verſantur, quam reliquæ gentes omnes. Quin tantæ æquitatis, tantæque ſapientiæ jus coluit, ac inſtitutis uſa eſt tam præclaris, ut ipſi Romani & leges & reipubl. ſuæ inſtituta optima, ingenuaſque artes & diſciplinas liberales e Græcia petere non dubitarint. Adhæc res Græcorum non vi ſubita, ac uno quaſi fortunæ impetu, quod quibuſdam Regibus ac populis evenit, ad ſummum faſtigium evectæ ſunt, ſed ſenſim cum progreſſu temporis invaluere, uſque dum ad eam potentiam, gloriam, autoritatem pervenerunt, quæ merito ſummos Monarchas ac potentiſſimos Reges aut timore percelleret, aut in ſui admirationem & venerationem verteret. Hoc ſcilicet Græcis Deus & ipſorum virtus tribuit. Nec vero eadem potentia cum gloria repente rurſus concidit, ſed duravit diutiſſime, quanquam ſummis viribus externis ſæpe oppugnata, ſæpe internis quoque motibus quaſſata fuerit. Quid, quod Græcæ linguæ uſus, creſcente potentia, non per vicinas ſolum, ſed & procul remotas orbis partes, præſertim poſt victorias Alexandri Magni, quam latiſſime ſe diffuderit, præcipuumque dignitatis locum inter cæteras linguas omnes, extra anguſtos terrę ſanctę terminos, per multa ſęcula obtinuerit? Quibus hoc quoque accedit, quod gens Gręca, licet diverſi in ea populi diverſis reipubl. adminiſtrandę formis atque inſtitutis uterentur, vere tamen libera, ſuique plane juris fuerit; nec cujuſquam Domini aut ſuperioris imperium, ante poſtrema Philippi Macedonis, Alexandri patris, vix univerſa agnoverit. Ob hanc gentis hujus & Hiſtorię ejuſdem pręſtantiam, operę ſe pretium facturum putabat, poſtremis vitę annis, pię feliciſque memoriæ parens meus, UBBO EMMIUS, *ſi ſtudii aliquid in illuſtranda veteri Græcia poneret, eamque ex variis authoribus in unum volumen non magnum ordine concinno collectam, ad vivum ſtilo ſuccincto quidem, ſed facili & quam maxime plano delineatam antiquitatum iſtarum ſtudioſis repræſentaret. Quod ut faceret, quanquam res facilis non eſſet, vireſque corporis ætate, vigiliis, curis, laboribus aſſiduis fractæ non grave negotium, ſed otium ac requiem ſuaderent, tamen bonum publicum, quo nihil ei antiquius, nihil carius unquam fuit, reique honeſtas, bene de ſocietate humana mereri ſemper cupientem impu-*

lerunt. Nam cum eas olim fuisse res veteris Græciæ non nesciret, ut iis si non simillimas, non multum tamen dissimiles esse hodie res, instituta ac fortunam hujusce Belgii nostri; haud parum e republica, nostra præsertim, futurum existimavit, si in ea plurimi, & ante omnes, qui ad clavum reip. sedent, antiquitates Græcorum probe cognitas haberent; indeque vetusta Græca cum nostris recentibus domi militiæque comparare, vitia cum vitiis, virtutes cum virtutibus conferre; effecta ac eventa ex his secuta tenere, & secutura solerter præsagire in commodum reipubl. possent. Quo autem uberius fructus ille ex hoc suo labore ad lectorem attentum redire queat, placuit volumen hoc in tres tomos distinctum in lucem emittere. Eorum primus, velut εἰσαγωγὴ *in reliquum opus, continet accuratam descriptionem chorographicam regionum & insularum à Græcis quondam habitatarum. Secundus Historiam ejusdem Gentis, sive perpetuam seriem rerum gestarum maxime memorabilium, & inprimis, quo tempore, quo modo Græcorum libertas cæperit, adoleverit, pene illabis steterit, oppugnata defensaque fortiter sit, vitia traxerit, in se versa, suisque viribus quassata ac labefactata tandem conciderit, ex* Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, *aliisque contextam recitat. Tertius vero dein diversos Rerumpubl. status, quibus diversi populi ac civitates in Græcia usæ sunt, quæque deinceps earundem fortuna fuerit, repræsentat.*

Hoc opus paternum, quod author manu sua scriptum ipsus ante annum & amplius typographo, viro optimo, excudendum tradidit, & ob difficultatem temporum jam primum, paulo scilicet post ejusdem authoris ex hac vita in meliorem abitum; lucem aspicit, hoc, inquam, opus, Mecœnas multis nominibus mihi colende, Ampl. tuæ jure meritoque inscribo, dedico, consecro. Nam cum hujusmodi inscriptiones eo potissimum spectent, ut, qui prodeunt libri, eorum, quibus dicantur, benevolentia & authoritate contra Zoilorum malevolentiam muniantur, quo tutius se publico committere, & fidentius ire huc illuc possint; cui rectius hosce patris mei labores dedicarim, quam nobilissimo nomini tuo? Nemo quippe mortalium vivit hodie, qui τῷ μακαρίτῃ, *ejusque familiæ, tam multa benevolentia, multis beneficiis, multo tempore cognitus fuit, atque tu, vir amplissime, qui plus sæpe ei tribuisti, quam verecundia animi ejus ausa fuit desiderare. Quod ut ille vivus libens agnoscebat & publice testabatur; ita nos, quos ille superstites reliquit, libenter profitemur ac prædicamus. Sic enim sentimus; turpissimum ingratitudinis crimen esse, beneficia accipere & accepta dissimulare, ac silentio quasi obruere: a quo vir bonus debet esse alienissimus. Voles igitur tu tui semper esse similis, hoc est, eodem animi affectu, vultuque benigno & hunc fœtum ingenii amici tui intimi excipere, fovere, quo alia ejusdem scripta antehac & excepisti & fovisti. Et quis ipso te, melius eundem fovere ac contra invidorum morsus tueri quoque possit? Eo namque fastigii, Deo Duce & Comite virtute, conscendisti, ut inter omnes hujus provinciæ Proceres ingenii dexteritate, prudentia, doctrina, fide, dignitate, authoritate (absit verbo invidia) hodie sis primus, nulli certe secundus: Hovetmannus, Academiæ Curator, inclytæ hujus urbis Consul non unius anni, sed quoties bonum atque fidum Judicem, patronum Musarum eximium, virum consilio magnum respublica quæsivit. Summum honorum in republ. fœderati Belgii culmen est collegium Generalium Ordinum vere illustre, Regibus & Principibus summis*

venerabile, maximorum & gravissimorum negotiorum theatrum; in eo Assessor per XIIII. *annos continuos (quod rarum, quod inprimis honorificum, quod insignis virtutis tuæ argumentum insigne est) patriæ tuæ clarissimæ vere clarum & nobile sydus fuisti. Tua in Ecclesiam, in Rempubl. in pias & bonas literas merita & multa & maxima libens silentio prætereo; norunt ea præsentes, agnoscet ea quoque ac celebrabit grata posteritas. Unum hoc solum addo, non fieri mihi dubium, quin pro summa tua humanitate, & in* UBBONEM EMMIUM *affectu gratam sis habiturus hanc dedicationem, & ejus, quem vivum amasti, coluisti, magnifecisti, opus hoc sereno vultu suscepturus, tanquam ipsius authoris* ἄγαλμα, *meæque erga te observantiæ monumentum perpetuum, &* EMMII *nomen, scripta, hæredes, ut fecisti hactenus, porro tuo patrocinio complexurus: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Sic Ampl. tuam, vir nobilissime, Deus Opt. Max. protegat & incolumem conservet diutissime; Amen. Groningæ, die* XVI. *Januarii Juliani, anno æræ Christianæ* MDCXXVI.

Ampl. tuæ

Observantiss.

WESSELUS EMMIUS.

UBBO-

UBBONIS EMMII
DE
GRÆCIA VETERI
LIBER PRIMUS.

Breviculus; generalia quædam præmittens de lingua & institutis veterum Græcorum; de regionis totius, & partium ejus, situ; de gentis, & populorum ejus, antiquitate: velut εἰσαγωγὴ in reliquum opus.



GENS Græca sane perantiqua fuit, quamvis multis Orientalibus in majore Asia, atque adeo Ægyptia quoque non paulo recentior, ex quibus conditores plerosque suos ipsa petit. Inter Europæas cultu ingenii ac morum, legibus & institutis, bonisque artibus, denique rerum gestarum claritudine, urbiumque celebritate usque ad tempora Romana præstantissima. Ipsi se communi nomine Ἕλληνας, Romani Græcos vocarunt: lingua usi una Ἑλληνικῇ dicta, sed in varias dialectos aut ἰδιώματα distincta, quibus alii ejusdem gentis populi aliis usi sunt: quemadmodum & gentibus ac linguis aliis accidit. Regio eorum, quam habitarunt, quæ propria ac patria eorum sedes fuit, Europæ pars duobus potissimum maribus, Ionio ab occidente & meridie, Ægæo ab oriente, quo ab Asia dirimitur, clauditur. Divisa in partes maximas duas angusta terræ cervice inter maria duo interjecta, quam Isthmum vocant, connexas: quarum altera extra Isthmum versus septentrionem sita est, eaque major, altera intra Isthmum versus meridiem, undique pelago, nisi qua Isthmus est, circumflua, unde & Cherronesus, ac proprio nomine a Principe Pelope, qui late in ea dominatus est, Peloponnesus, nuncupata veteribus fuit, priore multo minor. Et his partibus insularum multitudo accedit: quarum multo maxima Creta longo spacio mari Ægæo ab austro prætexta, in longum porrecta: dein Eubœa continentis litori objacens: Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, in Ionio pelago litoribus appositæ: cæteræ fere extra numerum. Hinc Græcorum regioni a septentrionibus imminent, Macedonia inter Thraces & Græcos media, mari Ægæo contigua, & Illyricum cum Epiro, quæ mixti juris est inter Græcos & Barbaros, Ionium spectans. Tota divisa fuit iis fæculis, quibus res Græcorum floruere, in regiones minores præcipuas & celebriores has: Thessaliam Macedoniæ confinem, lateque patentem, Locros Epicnemidas & Opuntios, Bœotiam, terram Atticam cum Megarensi secundum mare Ægæum, & sinum Saronicum: deinde Phocidem, Locros Ozolas, Ætoliam, Acarnaniam ad mare Ionium, & sinum Corinthiacum, seu Crissæum, qui Ionii pars est: & in mediterraneis, Doridem regionem non amplam: omnes extra Isthmum: intra Isthmum vero, Achaiam adsi num Corinthiacum porrectam, Megaridi, parti Bœotiæ, Phocidi, Locris Ozolis, Ætoliæ oppositam, & in Boream reliquæ Peloponneso vergentem, tum Elin, Messeniam, Laconiam A fluctibus Ioniis verberatas, Argolidem Ægæo pelago expositam & in Achaiæ fines redeuntem, denique Arcadiam mediterraneam, nusquam mare attingentem, reliquis jam dictis in media Peloponneso circumfusam: omnes Peloponnesi nomine communi comprehensas. Hæ partes Græciæ in continenti. Verum hæc gens extra patriam suam non finitimas solum regiones alias, sed etiam longe, dissitas præsertim oras maritimas, Macedoniæ, Thraciæ, Epiri, Illyrici, Siciliæ insulæ amplissimæ, & post Britannicas Europæarum longe maximæ, frontis Italiæ, quæ ex eo magna Græcia B dicta fuit, Campaniæque in Europa: præterea Ponti, Bithyniæ, Phrygiæ, Lydiæ, Cariæ, Lyciæ, Pamphiliæ, Cypri insulæ, in minore Asia, Ægypti, Marmaricæ, terræ Punicæ in Africa, demum insulas diversis litoribus objectas coloniis suis opplevit, & per has genus, instituta, usum linguæ suæ longe lateque propagavit. In insulis Asiæ vicinis & ei accensis, eminuere Lesbus, Chius, Samus, Cos, Carpathus, & clarissima Rhodus; juxta Thraciam in Ægæo Lemnus: in latere Epiri & Acarnaniæ, quas ante dixi. Hæ sedes Græcorum. Urbes maximæ & clarissimæ in ipsa vetere Græcia, Athenæ in terra Attica, Sparta, C quæ & Lacedæmon, in Laconia, Argos & Corinthus in agro Argolico, Thebæ in Bœotia, Megalopolis in Arcadia, quæ reliquas fere, si quando diffidebant, in partes traxere. Extra veterem Græciam inter colonias caput extulere Miletus & Ephesus in Ionia Asiatica, Mitylene, Chius, Samus, Rhodus in insulis Asiæ proximis, Byzantium in Thraciæ litore ad Bosporum, Olynthus, Amphipolis in mediterraneis, Corcyra in insula cognomine, Tarentum, Sybaris, Croton, Locri, Rhegium in ora Italiæ: Syracusæ, Agrigentum, Gela, Leontium, Catana, Messana, Egesta, Selinus in Sicilia, Cyrene in Africa. Omitto re- D centiores jam labentibus rebus Græcorum a Macedonibus conditas, Alexandriam in Ægypto, Antiochiam in Syria, Seleuciam juxta Tigridem in Chaldæa. Universa Græcorum gens exosa dominatum, ac servitutem, libertatis & αὐτονομίας semper amantissima studiosissimaque fuit. Sed non unum & idem genus libertatis omnibus placuit. Alii enim statu populari, in quo penes populum, aut maximam populi partem summa rerum erat, alii statu optimatum, in quo pauciores & potiores rempubl. moderabantur, gaudebant. Illum δημοκρατίαν, quæ Atheniensibus maxime placebat, hanc ἀριστοκρατίαν, aut ὀλιγαρχίαν, quæ ex instituto Lycur- E gi apud Spartanos valebat, nuncupabant. Et fere fiebat, ut qui in tutela aut arctiore fœdere, aut sub principatu imperiove erant Atheniensium, aut eorum coloni censebantur, populari statu uterentur: qui vero patronos agnoscebant Spartanos, eorumve autoritatem sequebantur, a paucioribus regerentur. Uterque enim populus cupidus sui status apud alios etiam propagandi ac promovendi, quippe quem altero meliorem censeret. Accidebat etiam plerumque, ut si quam civitatem armorum vi in potestatem redigerent Athenienses aut Spartani, eam in formam reipubl. suæ concedere cogerent: quanquam interdum mutarent nihil. Qui

vero in idem fœdus coibant, non tamen propterea in eandem reipub. formam quoque concedebant, sed ὀλιγαρχικοὶ ὀλιγαρχίαν suam, δημοκρατικοὶ δημοκρατίαν retinebant. Coloni autem conditorum suorum instituta sequebantur. Et quidem plurimis populis popularis status, ut liberrimus arrisisse videtur: quo e majoribus civitatibus præter Athenienses, usæ etiam sunt Argos, Thebæ, Corinthus, & hujus coloniæ Syracusæ, & Corcyra. Nec ad hanc rem quicquam faciebat, Dorici essent generis an Ionici, in quæ duo genera ac idiomata potissimum gens Græca distincta credebatur, quanquam dialecti linguæ essent plures: sed ex his aliæ Ionismo, aliæ Dorismo propius accedebant, & accensebantur. Ionici generis antiquitus principes fuere Athenienses, licet peculiari Atticismo suo uterentur, a diœcesibus Ionicis abhorrente, qui Ionas in Asia condiderunt. In Dorico genere agmen duxere Spartani: & cum Spartanis in eo fuit pars maxima Peloponnensium, inprimis Corinthii, Argivi, Messenii, Arcades omnes.

De antiquitate horum populorum sic accepimus. Antiquissimæ in tota Græcia res fuere *Sicyonis*, civitatis Argolicæ Corintho vicinæ, haud procul litore sinus Corinthiaci sitæ ad ipsum confinium regionis Achaicæ. Hujus Reges aut Principes complures ante Inachum primum Argivorum Regem & conditorem recensentur a Chronologis, sed recensentur tantum, res eorum nullæ memorantur. Primus ejus Rex Ægialus initia Inachi antecessisse traditur annis CCXXXII. Claritudine autem priscis illis sæculis antecelluere res *Argivæ* in eadem regione Argolica, initium ducentes ab Inacho urbis Argorum conditore jam dicto: quem regnare cœpisse tradunt anno periodi Iulianæ bis MDCCCLVI. Abrahamo Israeliticæ gentis archego annum ætatis jam agente centesimum quadragesimum quartum, filio ejus Isaaco quadragesimum quartum, annis ante Cecropem primum Regem Atheniensium quasi CCC. & ante excidium Trojæ DCLXXIIII. ante Olympiadum Iphitearum principium MLXXXI. Ab hoc *Inacho* descenderunt clarissimæ familiæ Principum Græciæ, eorum præsertim, qui in Peloponneso floruere. Post Argivos emersere, & principem gloriæ locum tenuere *Athenienses*; quorum primus Rex Cecrops cognomento διφυὴς ex Ægypto oriundus, Inacho annis CCCI. recentior, initium duxit ab anno periodi Iulianæ ter millesimo centesimo quinquagesimo octavo, ante Trojæ excidium CCCLXXIII. ante Olympiadum exordium DCCLXXX. In hac civitate regnum tenuere Reges XVII. per annos CCCCLXXXVII. in quibus ante alios claruere Erichthonius, Pandion, Erechtheus, Cecrops alter, Pandion alter, Ægeus, & reliquos celebritate nominis & actorum superans Theseus secundus Athenarum conditor, amicus & prope individuus Comes Herculis Græcorum fortissimi ac maxime inclyti, Regum in ordine decimus. Postremus vero fuit Codrus, qui bello Doriensi pro patria se devovit, & occubuit tempore Saulis Regis Israelitarum, anno periodi Iulianæ ter millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quinto. Post quem Archontes perpetui imperium Atticum tenuere per annos CCCXV. numero XIII. & ab hisce Archontes decennales VII. per annos LXX. Cum quorum fine cœpit in civitate Attica popularis libertas anno periodi Iulianæ quater millesimo vicesimo sexto, a primi Cecropis initio DCCCLXVIII. post Olympiadum initium LXXXIII. exeunte. Creati tum pro uno Archonte novem annui pari potestate, quorum unus anno nomen dabat, ut bini Consules apud Romanos. Atque hic status popularis duravit diutissime ad ultima civitatis istius tempora, maximeque floruit iis sæculis, quorum historiam *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Diodorus*, *Polybius* suis scriptis complexi sunt. Cui statui leges dedere Dracon & Solon. De quibus plura in descriptione *reipubl. Atticæ*.

Post Athenarum & Cecropis primi initium a Cadmo Agenoris Phœnicum Regis filio conditæ feruntur *Thebæ* in Bœotia, decima, ut ajunt, generatione ante Herculem (certus enim annus non traditur) tempore Erichthonii quarti Regis Attici, & Danai decimi Regis Argivi, a quo Cadmea arx nomen accepit: cui hoc singulare, quod primus literas & earum usum in Græciam intulisse perhibeatur. Ante quem in Bœotia & regione Thebana Ogyges, sub quo diluvium ingens ac toti viciniæ calamitosum contigit, dicitur regnum tenuisse, & post eum quoque alii. Ex Cadmo descenderunt, Polydorus, Labdacus, Laius, Oedipus Regum miserrimus, & duo ejus filii ex incesto nefario geniti, Eteocles & Polynices, atque ex hoc Thersander, Tisamenus. Autesion hujus stirpis Regum ultimus ex oraculo regnum relinquens concessit ad Dorienses. Cujus filia Argia soror Theræ nupta Aristodemo Heraclidæ mater fuit Eurysthenis & Proclis, qui duas familias Regum Laconicorum progenuere. Post Autesionem Thebis regnarunt Damasichton, Ptolomæus, Xanthius. Quo in monomachia a Melantho Atheniensi interempto, regnoque abrogato, polyarchia Thebis est instituta annis LVII. ante finem regnandi apud Athenienses. Polyarchiam denique excepit popularis libertas, quæ florentibus Græcorum rebus viguit, quamdiu Thebæ stetere.

Corinthus ad Isthmum Peloponnesi sita, quondam Ephyra nuncupata, diu ante & post bellum Trojanum paruit Regibus Argivis, & Mycenæis. Deinde Bacchiadæ illic imperium oligarchicum tenuere; & horum dominatu tandem abrogato, Prytanibus ex eodem genere respublica commissa. Quibus demum oppressis Cypselus Eetionis filius tyranidem invasit, moriensque filio Periandro uni ex septem Græciæ sapientibus, Cyro Persarum & Crœso Lydorum Regibus coævo eam reliquit. Eo mortuo & extincto quoque paulo post fratris ejus Gordiæ filio, tyrannis excussa, & libertas restituta est, eaque perennavit, quamdiu Græcia fuit incolumis.

Fuit & *Arcadum* genus longe vetustissimum in media Peloponneso, multis sæculis Regum imperio subjectum usque ad bellum secundum inter Lacones & Messenios gestum: cujus belli anno tertio ob insignem perfidiam potestate exutus Aristocrates locum populari libertati dedit: fuitque ab eo tempore, quod congruit cum septimo anno libertatis Atticæ, una communis *Arcadum* respublica, quanquam sæpe dissensionibus agitata, in qua supremum concilium velut magnus senatus erat virorum X. millium ex civitatum delectis conflactum, penes quod rerum summa fere solet esse; ut ex Xenophonte & Pausania discimus.

Fuit & *Messeniorum* regnum in Peloponneso, Arcadiæ confine, sane antiquum, eversum a Lacedæmoniis, populusque in servitutem redactus: quod suo loco dicemus.

Similiter *Elei*, qui ab Ætolis genus se ducere videri avebant, atque agrum optimum colebant, & per eum sparsim habitantes vita rustica magis quam urbana delectabantur, longo quoque tempore sub Regibus aut Principibus olim egere. E quorum numero Iphitus Praxonidæ filius ludos Olympios toti communes Græciæ, a Pelope quondam &

Hercule inchoatos, sed postea neglectos instauravit auxitque, & meliorem iis ordinem dedit, cum regula temporis: qui deinceps nunquam sunt intermissi, quolibet quadriennio absoluto recurrentes. Sed & hic dominatus tandem in libertatem quoque desiit.

Quæ Elidem secuta est regio secundum mare Ionium sinumque Corinthiacum longo tractu porrecta, antiquissimo ævo Ægialea sive a littore, sive a Rege suo Ægialeo nuncupata, deinde ab Ionibus ex Attica quondam profectis Ionia appellata, demum ab *Achæis* Ionum cognatis, per Heraclidas & reliquos Dores in Peloponnesum revertentes Laconia pulsis *Achaia* dicta, diu quoque Regum suorum imperio paruit. De cujus rebus scripsi prolixius in explicatione *repub. Achæorum*, quæ posterioribus temporibus fuit clarissima. Quo lectorem cognitionis hujus avidum remitto.

Sed omnes Peloponnesi civitates non tam antiquitate quam rerum gestarum magnitudine, & institutorum morumque præstantia *Lacedæmon* superavit. In ea Reges Dorici generis ante Heraclidas dominati sunt decem numero, sibi mutuo succedentes: quorum ultimus Tisamenus Orestis filius, Agamemnonis, cujus auspiciis bellum contra Trojanos gestum fuit, nepos. Hoc regnante Heraclidæ quondam Peloponneso ab Eurystheo Herculis persecutore ejecti in Peloponnesum redierunt annis LXXX. post Trojæ excidium, CCCXXII. ante Olympiadum Iphitearum initium. Cætera, quæ huc pertinent, in libello *de republica Lacedæmoniorum* quoque exposui.

Ætolorum etiam, qui extra Peloponnesum in ora maris opposita sedes habuere, res fuere pervetustæ, jam ante Troica tempora valde celebres. Apud eos regnum diu tenuit Oeneus, duobus filiis ac filia ex se genitis inclytus. Filiorum major ex Althæa uxore fuit Meleager, qui aprum Calydonium peremit, non minus famosum, quam leo ille Cleonæus ab Hercule interemptus. Cujus Meleagri germana soror fuit Deianira Herculis uxor, Hylli mater, ex quo prognati sunt, qui apud Lacones per multa sæcula regnarunt. Minor Oenei filius ex alia matre Ætolici generis natus Tydeus Heros inclytus, Poetis decantatus. Qui accepta uxore Deiphile, Adrasti potentissimi Regis Argivorum filia, cum Polynice gloris suæ marito (duxerat enim Polynices alteram Adrasti filiam Argiam) Oedipi filio ad bellum Thebanum profectus reliquos omnes belli illius duces fortitudine dicitur superasse, ibique pugnando in conferta hostium strage mortem oppetiisse. Ex hoc natus Diomedes rerum in *Ætolia* potitus est, cum ob raptum Helenæ bellum a Principibus Græcorum contra Trojanos est susceptum. Cujus expeditionis ipse socius, & Ulyssi Ithacensi virorum callidissimo conjunctissimus multa fortiter patravit, & ingentem gloriam ibi meruit. Domum vero reversus non solum apud *Ætolos* suos clarus & potens fuit, sed in Argolide quoque, ex qua non minus quam ex *Ætolia* copias ad Trojam duxerat; hæres quippe ex parte opum Adrasti avi sui multa possedit, atque adeo colonias in Italia etiam condidit, & longe lateque in mari Adriatico dominatum sibi constituit. Sed cum morte ejus gloria familiæ istius concidit. Mature vero post regium imperium *Ætoli* in libertatem se asseruerunt, eique inhæserunt constantissime. Sed certum tempus assertæ libertatis edere non licet tacentibus actorum monumentis. Hoc vero de *Ætolis* his dicere licet; si tantum sapientiæ habuissent, quantum habuere ferociæ & virium corporis, haud facile quis libertatem iis adimere potuisset. Reliqua gentis hujus validissimæ, cum de republ. ejus agemus, explicabimus. Et addemus ibidem de Acarnanibus ei in ora eadem finitimis, in Epirum usque extensis.

Locrorum, qui ab altero latere Ætolos quoque attingunt, prisco ævo obscurior fama & vires minores fuerunt. Ajacem tamen Oileo genitum, Opuntium, *Locrorum* Regem comparata non parva classe cum Agamemnone ad Trojam profectum esse, & *Locros* istuc duxisse, non *Homerus* solum sed etiam *Dictys Cretensis* & *Dares Phrygius* scriptores antiquissimi prodiderunt. Ut de Patroclo taceam summo Achillis amico, Heroe clarissimo, ab Hectore in pugna interfecto, quem iidem omnes scriptis suis celebrant, Strabo autem ex *Homero* ex eadem gente, eademque urbe ortum duxisse affirmat. Maxime vero *Locrorum* nomen illustravit colonia in ora Italiæ constituta, quæ opibus & populi frequentia nulli civitatum magnarum in eadem illa ora quondam cessit: cujus principium, si vera sunt quæ libro III. de ea recitat *Pausanias*, Ephorum, uti existimo, secutus, bello Trojano antiquius fuisse statuendum.

De *Phocide* porro quid dicam, regione Græciæ celeberrima, Locridis, Doridis, Bœotiæ, Thessaliæ finibus clausa, sinuique *Corinthiaco* austrino latere adsita? Cujus antiquissimas res tribunal Amphictyonicum toti Græciæ quondam commune, & oraculum Delphicum fama inclytum, & Græcis exterisque summo in honore habitum, quibus ipsa sedem præbuit, abunde arguunt. Nam & oraculum & tribunal Trojano bello aliquot sæculis vetustius fuisse satis constat.

Thessalorum autem natio quemadmodum inter omnes Græcas maxima olim & potentissima fuit in varios populos distincta, ita de summa antiquitate dubitationem non admittit. Cognoscitur ea ex nationis hujus Rege clarissimo Deucalione, sub quo diluvium ingens toti regioni quam maxime calamitosum accidit. Accidisse id autem regnante apud Athenienses Cecrope primo, annis ante Trojam excisam CCCXLIX. chronologicæ rationes ostendunt. Quo tempore Ἑλλάδος & Ἑλλήνων, hoc est, Græciæ & Græcorum, ut & Ionum & Dorum & Achæorum, nomina nondum erant nata: postea vero heic primum orta, alia universam gentem & regionem quam Græcam & Græciam dicimus, alia per amplissimas ejus nationes diffusa celebrari cœperunt. Nam Deucalionis hujus filius Hellen regni sedem in Thessalia inter Peneum & Asopum fluvios, circa Phthiam habuit, ac regno illi Ἑλλάδος, regnicolis Ἑλλήνων nomen ex se dedit, quibus sequenti ævo Phthiotidis, & Phthiotarum appellationes a posteritate sunt tributæ. Hellen vero regno hoc Helladis filiorum suorum maximo tradito, reliquos ad quærendas sedes alias dicitur dimisisse. E quibus Dorus juxta Parnassum montem fertur constitisse, & regionem Dorida, populumque Doriensem appellasse: unde universum genus Doricum sequenti tempore fuit propagatum. Xuthus ejusdem Hellenis filius in terram Atticam profectus, ut a majoribus traditum est, Erechthei Regis filia conjugio sibi juncta, colonos Oenoæ, Marathone, Probalinthi, Tricorythi constituit. Hujus filiorum alter e filia Erechthei natus Achæus, ob cædem a se inconsulto patratam, profugus in Peloponnesum concessit, & sede in vicinia Lacedæmoniæ posita, habitatores ejus loci de nomine suo Achæos vocitavit. At alter Xuthi filius Ion Ionum nomen terræ Atticæ primum intulit. Unde cum nimia populi frequentia regio hæc non satis fertilis laborare sensim inciperet, colonia in Pe-

loponnesum quoque emissa fuit, quæ tractum illum, quem insedit ad mare, Joniam nuncupavit. In eadem *Thessalia* antiquissimis temporibus Pelasgi, populus vagus ex ea regione, quæ *Arcadia* posteris dicta fuit, profectus, durus, & vi armisque promptus, consederunt, & partibus ejus in potestatem redactis, & ab se denominatis, ex ea sede se diffuderunt, ac loca varia occuparunt. Unde factum, ut e more ætatis suæ *Homerus* identidem voce Pelasgorum quosvis Græcos affecerit.

Hactenus generalia de gente, regionibus, lingua, institutis, antiquitate Græcorum strictim. Nunc situm & ordinem singularum regionum, & earum urbes & loca memoria digna, potissimum ea, quæ ad illustrandam historiam faciunt, plenius & planius exponemus.

LIBER SECUNDUS.

Regionum Peloponnesi descriptionem chorographicam complexus.

PEloponnesus Græciæ pars in meridiem maxime vergens inter duo maria Ægæum & Ionium, quæ ipsa dirimit, propter angulosos recessus, & prominentia promontoria, quibus in ambitu quasi laceratur, platani folio assimilata a *Mela*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, sex regiones majores complexa olim fuit. Eæ sunt *Argolica* Isthmo Corinthiaco contigua, *Laconica*, *Messene*, *Elis*, *Achaja* in Argolicam desinens, omnes mari expositæ, & *Arcadia* sola mare nusquam attingens, prioribus undequaque cincta. Ora Peloponnesi promontoriis octo majoribus in maria procurrit. Quorum primum, post Isthmum versus ortum brumalem in Ægæum se porrigens, Scyllæum; alterum, quod Maleam vocant, navigantibus periculosum, Cretam spectans: post quod Tænarum in meridiem projectum, tum Acritas in occasum brumalem vergens, Ichthys, Chelonates, Araxus, zephyro exposita, Rhium denique in septentrionem se efferens. Atque his promontoriis sinus etiam majores, qui totam Peloponnesum cingunt, disterminantur: ab Isthmo quidem ad Scyllæum Saronicus, qui pars est maris Myrtoi Atticam alluentis, & minoribus aliquot promontoriis scinditur: a Scyllæo ad Maleam Argolicus, a Malea rursum ad Tænarum Laconicus: inde ad Acritam Messenius, quem Asinæum etiam vocant: ab Acrita ad Ichthyn Cyparissius, & hinc ad Araxum Cyllenius, ab Araxo ad Rhium Patrensis, a Rhio denique Corinthiacus in Isthmum impingens. Et horum sinuum primus Saronicus terræ Atticæ oblique obvertitur, alter Argolicus Cretam & ortum brumalem spectat, Laconicus & Messenius in Austrum patent, Cyparissius brumali occasui objicitur, Cyllenius & Patrensis occasum æstivum, & Zacynthum ac Cephalenen insulas intuentur, postremus Corinthiacus Peloponnesum a septentrione claudit. In *Argolide* regione, quæ ab intima parte sinus Corinthiaci secundum litus incipit, ubi Sicyon urbs antiquissima est modice a litore recedens, & ultra Isthmum progrediens juxta sinum Saronicum totum & longum tractum Argolici extenditur, urbes illustres permultæ olim fuere. *Sicyon* ambigui juris, a quibusdam veterum Achaiæ, cui finitima fuit, ab aliis Argolicæ accensa: cujus ager a finibus Ægiræ Achaicæ in fluvium Asopum versus ortum desiit. Ab ea introrsum in ventum austroafricum non longo intervallo sita celeberrima *Phlius* cum agro Phliasio haud angusto. Trans Asopum fluvium ad finem Isthmi nobilissima & pulcherrima *Corinthus*, Peloponnesi decus, & contiguus ei mons Acrocorinthus in altitudinem stadiorum trium cum dimidio perpendicularem assurgens: e cujus vertice non solum urbs subjecta despicitur, sed etiam duo maria, Corinthiacum versus occidentem, & Saronicum in orientem sub aspectum cadunt, excelsæ & validæ arcis instar urbi imminens a meridie. Corintho vero utrimque adsita oppidula duo cum duobus præclaris portubus in ora utriusque maris: quorum Lechæum in intimo angulo sinus Corinthiaci ad occidentem, Cenchrea in latere ortivo ad sinum Saronicum posita, tanquam duo urbis emporia, duobus cruribus stadia XII. longis urbi juncta, per quæ commercia ei in orientem & occidentem commodissima patebant. Ipse vero *Isthmus* ab urbe in septentrionem se efferens maximam partem agri Corinthiaci portio est, latitudinem habens, qua angustissimus est, stadiorum quinque, ubi in ora orientali fuit portus Schœnus a Cenchrea in boream remotus stadiis XLV. ut tradit *Strabo*; in cujus latere zephyrum versus quasi in dorso Isthmi medio fanum Neptuni; & juxta, locus ludis Isthmiis dicatus. Ultra Schœnuntem in eadem maris ora celebris vicus fuit Crommyon ditionis quondam Megaricæ, postea Corinthiis etiam accensus. At in latere occiduo ejusdem Isthmi post Lechæum erat vicus Acroa Junoni sacer, & supra eum Holmia, ac longius supra Holmiam in septentrionem Oenoa in sinu, quem promontorium inter hanc & Holmiam ab Isthmo in occasum non longo spacio procurrens efficiebat, juris Corinthii ea parte ultima. Cætera in boream Megaridis fuere. Ut Isthmus saxosus, ita reliquus ager Corinthiorum asper ut plurimum, atque inæqualis, collibus obsitus. In eo Tenæus vicus non obscurus non procul urbe, ex quo plurimi coloni Archiam conditorem Syracusarum secuti feruntur in Siciliam, & alter Ornæa dictus in via Sicyonem ducente. In litore vero post Cenchream versus euroaustrum occurrebat Bucephalum portus obscurus, dein portus alius, quem Piræum *Thucydides*, Anthedonem *Plinius* nuncupant, & proxime post eum promontorium Spiræum *Ptolemæo* dictum, in confinio agri Epidaurii. Hinc post agrum Corinthium in ora simul & introrsum sequitur inter meridiem & orientem reliqua regio Argolica: in qua secundum mare post portum Piræum proxima fuit *Epidaurus* urbs insignis & ampla, stadiis haud minus quam quinquaginta in ambitu patens, & a tergo perpetuo monte a litore in litus velut muro vallata, Æsculapio sacra, liberi quondam juris: tum Cherronesus in mare procurrens, in cujus Isthmo oppidum bene munitum Methone agri Trœzenii, & mox clarissima *Trœzen* paululum a litore recedens, ædificiis publicis privatisque egregia: cujus portui ex obliquo præjacet insula Calaurea, non magna, cum fano Neptuni, in quo Demosthenes orator exul sumpto veneno semet interemit. Trœzenem excepit Hermione cum Halieis piscatui deditis ad Scyllæum promontorium, ubi finis sinus Saronici & initium Argolici. In hoc post Halieas complura loca maritima, sed minus celebria, *Naupliam* usque portum & navale Argivorum in interiore ejus recessu. At intus Corintho venientibus, in via quæ Argos ferebat, Cleonæ occurrebant, urbs modica, sed elegans, & populo frequens, Corintho distans stadiis LXXX. Argis CXX. Unde duplex via ad urbem Argivam ducebat, altera, ut ait *Pausanias*, expeditis commodior, & compendiosior, altera ad Tretum, curribus & vehiculis magis apta, quanquam hæc quoque inter montes satis angusta. Qui-

bus in montibus dextrorſum, qua Phliuntem iter erat, ſpecus Leonis, & ſylva Nemea, atque in ea vicus aut oppidum ejuſdem nominis, ubi ſacra Jovi faciebant Argivi, & trieterici ludi tempore hyberno peragebantur. Hinc intervallo ſatis magno ſequebatur *Argos* totius regionis Metropolis quondam, præpotens & ampla, excidio vicinorum aliquot oppidorum non parum aucta, vetuſtate etiam præcellens, ad quam ex Arcadia veniens ſinuoſo meatu per ſaxoſas convalles deferebatur, & deinde in mare exibat fluvius Inachus a primo Rege nomen ſortitus. Ab hac autem Metropoli in eam plagam, qua in Lacones ibatur, intra ſtadia L. aberant *Mycenæ*, de claritudine cum cæteris Peloponneſi urbibus certantes ævo Agamemnonis, qui ſedem regni illic habebat; ſed invidia Argivorum juvantibus etiam Cleonæis & Tegeatis, aliquot annis poſt bellum Xerxæum funditus deletæ, incolumi tantum relicto inclyto fano Junonis ad decimum ſtadium via Argiva inde remoto. Quod idem Tiryns quoque eadem in vicinia paſſa, & plura oppida alia, oræ maritimæ pleraque propinquiora, quæ conſulto omitto, ut & Lernam paludem famoſam agro Argivo & Mycenæo contiguam non procul mari. Ultima vero regionis Argolicæ, & Laconicæ contermina fuit *Thyrea* oppidum cum agro, quæ cauſam diſſenſionis & armorum non ſemel finitimis dedit.

Ultra eſt regio *Laconica* ſecundum mare principium habens in eodem ſinu Argolico, introrſum ſecundum confinia Argolidis in Arcadiæ partem ſeptentrionalem porrecta, & toto latere occiduo, quod longiſſimum eſt in mediterraneis, eadem Arcadia terminata, ab ortu & meridie fluctibus maris longis quoque ſpaciis verberata. Quondam centum oppidis, ut eſt apud *Strabonem*, habitata, atque inde ἑκατόμπολις, ſicut & Creta, tunc vocitata. Sed fuere ea oppida vere πολίχνια, tandemque contracta in numerum urbium aut oppidorum XXX. pari inter ſe jure ac libertate, niſi quod imperii & conſilii ſedem ac Metropolim agnoſcerent Spartam, omneſque habitatores communi vocabulo Lacedæmonii dicti. Regio quondam inſigniter populoſa, hic illic in montes aſſurgens, verumtamen campis ſpacioſis & convallibus frugum feracibus etiam abundans. In ora ſinus Argolici primum fuit oppidum Praſiæ, dein Cyphanta portus cum oppidi veteris ruinis, tum Zarax, & longius in auſtrum vergens Epidaurus cognomento Limera a portus commoditate, in peninſula non magna condita. Poſt hanc vitibus nobilem ſecundum oram portuoſam promontorium *Malea* longe in pelagus procurrens contra euroauſtrum navitis formidabile. A quo promontorio ad alterum in occidentem ſequens, & maxime in auſtrum porrectum eſt ſinus Laconicus recurvus; in cujus ora ad *Maleam* poſita fuit Bœa urbs cum agro cognomine; a quo non lato freto disjungitur clari nominis inſula *Cythera* Laconici juris cum urbe ejuſdem etiam nominis, & Spendæa oppido ac portu egregia. Poſt Bœam faux Aſini, deinde Aſopus, Acria, & ex intervallo modico, oſtium Eurotæ fluvii, qui prope Spartam lapſu hic exit in mare, & Helos oppidum quondam exciſum juxta terram paluſtrem, unde Heilotæ Lacedæmoniorum ſervi publici nomen habuere. Dehinc *Gytheum* oppidum cum nobili & amplo navali Lacedæmoniorum, tum Las x. ſtadiis a mari remotum, ſtadiis vero XL. Gytheo in occidentem recedens, & Teuthrone, quam Amathuntam videtur appellare *Strabo*, & Cænopolis in ipſa ora prope Tænarum, promontorium cum fano Neptuni finiens ſinum Laconicum. Ultra *Tænarum*, unde incipit ſinus Meſſenius ſive Aſinæus, aliquot oppida & loca regionis Laconicæ ignobilia, in litore aut littori vicina: in quibus Meſſa, Oetylus, Thalamæ, Pephnus: ultima vero hac parte in ora Leuctra Laconica Meſſeniæ finitima, & introrſum ſupra hæc Gerenia, quondam juris Meſſenii. In mediterraneis partibus Metropolis *Sparta* ſeu *Lacedæmon*, cum Attica civitate de principatu totius Græciæ certans, vicina monti Taygeto, juxta flumen Eurotam. Nec procul ab ea disjunctæ *Amyclæ* olim a Teleclo Rege Spartano funditus deletæ, ſed poſtea renatæ: Exciſæ quoque ab eodem in eadem vicinia Pharis & Geronthræ, & paulo ante Ægys, propterea quod cum Arcadibus, quibus erant propinqui, facere crederentur. Laconicæ quoque urbs *Sellaſia* Arcadiæ finitima, clade Cleomenis Regis Spartani nobilitata, & Caryæ ad ejuſdem Arcadiæ fines vicus celebris. Oppidorum vero Laconicorum XXIV. maxime maritimorum poſteris ſæculis Cæſarem Auguſtum αὐτονομίᾳ donata juri Spartanorum exemiſſe ſcribit *Pauſanias*: & *Strabo* dicit, ætate ſua totam regionem, excepta Metropoli Sparta, pene pro deſolata haberi potuiſſe, ſi cum fortuna priorum temporum compararetur. Id ſcilicet debuit primum diſſenſionibus inteſtinis, deinde tyrannis, quibus aliquandiu cum urbe Metropoli ſerviit; demum infelicibus bellis, quibus cum Achæis conflictata fuit. Laconicam excepit regio *Meſſenia*, ſinui ſui nominis, qua meridiem ſpectat, adjacens uſque ad Acritam promontorium, atque inde in boream aſcendens Cypariſſio ſinu ab occidente alluitur, quoad ad Alpheum fluvium perveniat, quo ab Elide dirimitur in boream: ad ortum autem partim Laconica, partim Arcadia terminatur. Regio anguſtior, ſed bonitate cœli & ſoli felicior Laconica: quæ cauſa calamitatum ex invidia Laconum ei fuit. Habuit ſecundum litus in ſinu *Meſſenia* urbes memorabiles, Coronem, & Aſinen promontorio Acritæ proximam; in altero ſinu, qua occidentem videt, Colonem, Methonem, Pylum, Cypariſſum, unde ſinui nomen datum: interius a mari Amphæam, Andaniam, Oechaliam, Iram caſtellum in monte, Ithomen ad montis cognominis radicem, a Lacedæmoniis dirutam, & in hujus ruinis ab Epaminonda Thebano poſt victoriam ad Leuctra extructam, reliquas omnes claritate ſuperantem, *Meſſenen*. Cum hac inſtaurata fuit *Meſſeniæ* libertas excuſſo duriſſimo ſervitutis jugo, quo per annos quaſi CCCXX. preſſi a Lacedæmoniis *Meſſenii* jacuerant.

Trans Alpheum fluvium longo tractu ſecundum mare Ionium in boream ſe efferebat *Eleorum* regio uſque in Achæos boreum latus ejus claudentes. Ortivum latus oblique incadens Arcadia finiebat; Occiduum vero Ionio quam maxime expoſitum ſinuoſum fuit, a quo longiſſime in zephyrum & pelagus prominebat promontorium, quod Chelonates vocarunt. Hac regione in univerſum nihil amœnius, nihil mitius, nihil omni fructuum genere uberius fuit per totam Peloponneſum. Quapropter habitatores ejus vita ruſtica potius quam urbana delectati, & per agrum vicatim ſparſi raras urbes condidere, pacique magis, quæ agricolis commodiſſima, quam bellis dediti fuere. Et quia Olympiis ludis, quibus univerſa Græcia ſolebat uti, ſedem regio eorum præbebat, eadem velut ſacra & inviolabilis habita diu ab omnibus fuit. Incolæ ab Epeo Endymionis filio, qui rerum illic potitus fertur, priſcis ſæculis etiam ante Trojana tempora Epei vocati, poſt mutato nomine ab Eleo Elei nuncupati dicuntur. Diuque apud eos valuit utra-

que appellatio. Eorum Rex olim fuit Augeas Elei, ut creditur, filius, armentis & gregibus insigniter dives, cujus stabulum purgasse accepta mercede Hercules in fabulis perhibetur. Post bene longum deinde tempus *Oxylus Ætolus* propinquitate junctus Heraclidis, cum propter inconsultam cædem sponte cedere patria constituisset, & ad Heraclidas primum concessisset, his & cæteris Doriensibus Ducem se præbuit in Peloponnesum redeuntibus assumpta bene firma Ætolorum manu. Dicitur vero eos ita duxisse, ne Eleorum regionem felicissimam intrarent, atque ita dulcedine ejus caperentur: ipse vero fertur, cum Heraclidis satis fecisset, istuc deflexisse, & sine prælio alio, sola monomachia per Pyræchmen Ætolum superato Degmeno Elo, imperium sibi illic constituisse, & Ætolos Comites suos novos colonos Eleis veteribus indigenis miscuisse. Hinc causa perpetuæ benevolentiæ etiam apud posteros inter Ætolos & Eleos. Ex hujus Oxyli posteris fuit *Iphitus* Praxonidæ filius gentis Princeps, qui ludos Olympios jam ante a Pelope inchoatos, & sæpe deinde ab aliis refectos, & demum ab Hercule celebriores redditos, verum vetustate rursum collapsos, majore apparatu & celebritate instauravit, & certiorem ac meliorem ordinem iis dedit annis ante Romam a Romulo conditam XXIIII. Atque hoc Olympiadum principium fuit. Cui instituto numquam postea omisso custodiam temporis sui sartam, & plurimarum rerum actarum memoriam certam certo ordine digestam Græci debuere. Nam inter alias instituti partes hoc quoque fuit, ut Sacerdotes, quibus cura illa demandabatur, in perpetuos commentarios referrent non solum Olympionicarum nomina, & quæ alia ad ludos pertinebant, sed etiam quæ cæteroqui memorabilia singulis pentaeteris periodis acciderent. Nec ulli ludi Olympici ab eo tempore facti sunt, ad quorum πανηγύρεις non excitaretur tota Græcia. In quam rem propter celebritatem & ejus utilitatem digressus paulo longius, ad propositum nostrum nunc revertor. Eleum litus post Alphei fluminis inclyti ostium, Messeniæ terminum, in fines usque Achæorum, zephyro & Ionio mari expositum, importuosum fere fuit, quanquam heic illic exiles amnes in mare emitteret. Quapropter præter paucula vix quicquam memorabile habuit. De Pylo quondam heic sita, diversa ab ea, quæ fuit in Messenia, disputat quidem *Strabo*, sed nihil certi potest concludere: & si qua heic fuit, ea florentibus Græcorum rebus jam dudum perierat. Nec sibi hac in re constat *Pausanias*. Samicum vero memoratur oppidulum vel castellum in ora ista regionis Triphyliæ, quam permeat Alpheus, & paulum inde recedens ejusdem regionis oppidum Lepreum in Historiis celebre, a Minyis, ut vult *Herodotus*, conditum: Deinde in litore prominens promontorium magnum, cui Pheæ nomen, & ibi minutus portus objectu parvarum insularum: & supra Pheam longius in boream promontorium alterum multo majus, & longissime contra zephyrum in Ionium procurrens, Chelonates, & ei etiam adjacentes insulæ minutæ, quem Pisææ & Elidensis oræ terminum statuit *Strabo*. Ulteriusque in ora versus boream amnis Peneius ab urbe Elide ex oriente veniens, & gymnasium ejus allapsus in mare effunditur. Et rursum ultra hoc ostium in plagam eandem vergens fuit *Cyllene*, nobile navale Elidensium cum portu commodo in sinus recessu, quod oppidi speciem habebat, totius oræ istius oculus. Atque hinc litus porro progrediebatur in promontorium Araxum contra circium ventum in fluctus porrectum: ubi finem habebat ora Eleorum, & incipiebat Achæorum. Interiora regionis pulcherrimæ & felicissimæ, ut dixi, vici & villæ habebant, præter *Triphyliam* regionem circa Alpheum fluvium: quæ quia ambigui juris videbatur inter Eleos & Messenios, quorum in finibus erat, & ab Arcadibus quoque, quos parte quadam sua attingebat, in partes trahebatur, quanquam vere Eleorum esset, frequentia oppida & loca munita ob circumstantia pericula habebat. Sed erant fere omnia exiguæ fortunæ, & obscuri nominis, præter *Lepreum*, quæ obiter recenset *Xenophon*, bellum Lacedæmoniorum contra Eleos de *Lepreo* exponens, scilicet Phrixam, Epitalium, Leprinam, Macistum, Amphidolos, Marganos, & quædam alia, quorum pleraque nisi ille nominasset, vix unquam fuisse ea nos sciremus. Adde Scillunta, quam *Xenophon* non nominavit, quanquam ea pro sede aliquandiu ipse sit usus, cum patria exulans a Lacedæmoniis, quibus se dederat, agri illius parte honoris ergo donatus esset. Sed celebritatem regioni Eleorum dedere *Pisa* urbs quondam egregia ac perantiqua, Oenomai primum, in Peloponneso magnas opes tenentis, deinde generi ejus Pelopis, qui Peloponneso nomen dedit, domicilium, & *Elis* priori multo recentior, *Homeri* ætate vici formam adhuc habens, paulatim vero vicinorum ex agro huc commigrantium multitudine & opibus aucta, Pisa in boream distans stadiis CCC. si numerus recte notatus est apud *Strabonem*, in ortum vergens a navali Cyllene, atque ab ea remota introrsum stadiis quasi CXX. si vera tradit *Pausanias*. Hujus autem incremento sensim decrevit Pisa, & armis quoque cum eadem collisa, & victa pressaque prorsus tandem defecit, ut de loco, quo steterit quondam Pisa, quæsitum fuisse ætate sua *Strabo* testetur. Idem ait, post bella Persica demum Elidem urbem potissimum emersisse, & caput regionis esse factam: quanquam prima ejus incrementa alter autor *Pausanias* ad Oxylum Ætolum Persicis temporibus multo priorem referat. Cætera vero omnia hujus regionis loca vicit celebritate nominis *Olympia* in agro Pisæo ad Alpheum fluvium, receptis compluribus amnibus insigniter illic auctum, & ad exitum properantem. Erat ibi *Templum Jovis Olympii*, quondam oraculis, post autem ludis solennibus toti Græciæ communibus, qui juxta id quolibet circumacto quadriennio fiebant, & operibus ac donariis innumeris percelebre. Cujus altitudinem a solo ad fastigium pedibus LXVIII. latitudinem XCV. longitudinem CCXXX. *Pausanias* metitur: foris cinctum perpetuo columnarum ordine: situm ad lucum Iovi quoque sacratum, quem proprio nomine Ἄλτιν pro ἄλσος antiquitus appellarunt. In eo stadium erat, & locus certaminum variis ædificiis insignis, ut urbis instar videretur. Locum totum *Olympiam* vocarunt, & ludos, qui ibi peragebantur, Olympicos, atque ipsas πανηγύρεις, Olympiadas. Omnia circum circa & in luco & extra lucum fanis, aris, statuis, ac signis aliis & substructionibus plena: tota quoque vicinia, & loca quæ illinc in urbem Elidem ducunt, ut amœna, ita sacris ædificiis obsita. De *Olympia* decertatum diu inter Pisæos & Elidenses: & cum primum multo tempore fuisset in ditione Pisæorum, iis bello demum fractis, transiit in jus Elidensium. Horum erat gymnasium ingens urbi vicinum, progymnasmatis omnis generis destinatum, magnifici operis, triplici ambitu cinctum, & in eo Curia communis Eleorum, in qua ludorum præfecti, quos Hellanodicas, hoc est, controversiarum cognitores ac judices dicebant, maximam anni partem agitabant. Erant autem Ἑλλανοδίκαι diversis temporibus numero diverso. Nam quandiu sub Principe uno velut Domino Elei degebant,

solus Princeps ex posteris Oxyli ludis præsidebat. A Post duo suffragiis lecti præerant, deinde IX. mox X. demum etiam XII. Audiebant autem Elei justitiæ amantes & incorupti. Ipsa urbs Elis, etiamsi populo frequens, ædificiis splendida, spacio magna esset, parum tamen munita, eamque ob causam hostium incursui ac violentiæ erat obnoxia; quod ipsa bello Laconico fuit experta. Sed ipsa prisco mori magis quam mœnibus fidebat. Nam ob ludos sacros, quibus tota Græcia utebatur, & honorem tribuebat, non urbs solum ista, sed universa regio Elea velut sancta habebatur, & injuriis armorum infestari non solebat. B Quod ipsum etiam vitæ rusticæ studium Eleis auxit. Atque ea causa fuit, ut ante etiam dictum, ut præter oppida pauca, reliqua regio satis ampla vicatim habitaretur, & tota villis esset operta.

Post Araxum promontorium Eleæ finem *Achaia* cœpit, atque inde secundum Ionium mare & interiorem sinum Corinthiacum longo tractu in occidentem ad fines Sicyonios, initium nostrum in describenda Peloponneso, porrecta fuit: toto eo latere boreo fluctibus verberata, Ætoliæ & C Locris Ozolis & Phocidi, & angulo Bœotiæ opposita: ad meridiem Elide & Arcadia terminata, in ortu agro Sicyonio, ut nunc dictum, finita. Hæc post Ionum excessum ab Achæis habitata urbibus plus minus XII. partim maritimis, partim a mari dissitis. Maritimarum prima in occidente Dyme urbs egregia, secunda Olenus fortunæ tenuis, tertia Patræ illustres, ubi Glaucus fluvius in mare exit, stadiis fere LXXX. ab Oleno distantes; post quas ex intervallo stadiorum quasi XL. promontorium *Rhium* contra boream in fluctus procul procurrens, in modum falcis modice curvatum, ex quo D Drepani quoque nomine afficiebatur. Cui ab adverso Ætoliæ litore ocurrens promontorium aliud Antirrhium nuncupatum mare arctat, & fauces interioris sinus Corinthii efficit vix quinque stadiis patentes. Post Rhium portus egregius, Panormus nomine erat, XV. stadiis ab eo distans, quem Erineum *Thucydides & Ptolemæus* videntur appellare. Deinde in ora Helice erat, urbs quondam felix, atque ante cæteras eminens, sed terræ-motus & fluctuum vi hausta biennio ante pugnam Leuctricam Lacedæmoniis funestam: & post hanc ad stadia quasi XL. Ægium fuit, ad exitum Crathidis amnis ex Arcadia defluentis, E Ægæ ab *Herodoto & Strabone* dictum, post cladem Helices diu gentis totius caput, & conventuum sedes: ac denique post Ægium ultima ad oram Ægira, XII. stadiis a navali suo, quod erat in littore, recedens, finibus Sicyonis proxima. Intus fuere Pharæ Patrensibus & Dymensibus conterminæ: nec procul inde versus ortum Tritæa non ex infimis, tum Carynea, seu Ceraunea, (utraque enim forma legitur apud *Polybium*) quam Carineam *Pausanias* indigitat, ad fines interiores Helices loco sublimi sita, & juxta hanc Bura etiam in monte, terræ-motu eodem tempore cum Helice afflia, sed tamen *Polybii* ævo quasi renata: item Rhypes *Herodoto*, F *Straboni*, *Pausaniæ* nominata, sed omissa a *Polybio*, qui pro ea Leontium recenset: Postrema vero ad ortum & a mari remotissima jugo montis insistens Pallene, qua Achaiæ, Sicyoniæ, Argolidis fines concurrebant, ab Argura, ut ait *Pausanias*, CXX. a navali suo, quod Aristonautas dicebant, atque inter Arguram & extremos terminos Sicyoniæ positum erat, LX. circiter stadiis disjungebatur, eratque tota illa ora amnibus in mare exeuntibus plena. De Achæorum studio in conservanda libertate, & omni fortuna & statu, scripsi alibi, rempubl. eorum exponens.

Reliqua est in Peloponneso *Arcadia* undique a mari seclusa, hisce vero quas exposui, regionibus ab omni parte cincta, magnitudine nulli fere priorum secunda. Terra montibus aspera, qui in ea se attollunt: gens dura, solo & cœlo aspero nata. Hanc primus a vita fera ad cultiorem traduxisse Pelasgus perhibetur, & a suo nomine Pelasgiam appellasse: cultum deinde vitæ longius apud eam promovisse fertur Pelasgi filius Lycaon, & sacra instituisse, fuisseque πολύπαιδα. Filios vero hujus tradunt studuisse condendis variis oppidis, id est, ut ego arbitror, multorum oppidorum prima fundamenta jecisse: ex filia autem ejusdem Lycaonis Callistho natum Arcada, & regno avito potitum ex suo nomine regnicolas *Arcadas*, & regionem *Arcadiam* nuncupasse. Regio deinde in multas partes scissa plures simul Regulos multo tempore habuit. Quorum dominatu tandem excusso libertas sumpta. Montes in *Arcadia* præcipuos recenset *Strabo*, Cyllenen maximum & altissimum, Pholoen, Lyceum templo Jovis Lycæi insignem, Mænalum, Parthenium. Quibus *Plinius* addit, Artemisium, Lampeum, Nonacrin Stygia aqua stillantem, præter alios, ut ait, octo minores. In his fuit Erymanthus cum fluvio & oppido cognomine, ad Eleam vergens. *Strabo* affirmat, Cyllenem circiter stadia XX. aut secundum alios XV. ad perpendiculum assurrexisse. De Nonacri vero scribit *Pausanias*, ejus crepidinem in tantam altitudinem se extulisse, ut testetur nusquam se locum altiorem conspexisse. Inter montes campi jacuere spaciosi, in longum ac latum porrecti, frugum feraces & pecore abundantes: Sylvæ quoque cum montibus plerisque feris plenæ: fontes quoque & amnes & stagnantes aquæ & paludes frequentes. Oppida vero habuit hæc regio plurima, alia in excelsis locis condita, alia in planicie sita. Horum nomina ad XXX. recitat *Plinius*, quanquam fuerint olim etiam plura: primordia, situm, fortunam, casus prolixe exponit *Pausanias*: omnia fere in solitudinem redacta fuisse, ac quædam vix tenues reliquias ac ruinas ostendisse ætate sua, & Arcadiam pene desertam jacuisse, cum *Pausania* testatur geographus diligens *Strabo*. Verum celebriora, & quæ ob Historiam veterem memorari conveniat, hæc fuere: Psophis, Stymphalis, Pheneum, Palantium, unde Evandro Æneæ socero [1] origo, Parrhasiæ, Cynætha, Caphyæ, cum vico Caryarum vicino, Methydrium, Clitor, & ante cætera *Orchomenum*, Heræum Eleæ finibus propinquum, *Tegea* pervetus, & diutissime inter omnes incolumis, *Mantinea* variis casibus agitata, & denique urbium Arcadicarum non solum maxima, sed etiam recentissima *Megalopolis*. Harum duarum prior Mantinea in Historiis vetustis celebris, a Spartano Rege Agesipoli, ingenio magis quam vi capta, ac tota pene diruta, & in vicos varios per agrum vicinum sparsa: sed haud diu post, indignantibus nequicquam Lacedæmoniis, adjutantibus vero aliis Arcadibus, pristinæ fortunæ restituta. Altera Megalopolis, hortante & opem ferente Epaminonda Thebano, qui circiter idem tempus Messenen ad frangendas Lacedæmoniorum vires in agro Messenio condiderat, conferentibus operam ac studium suum pene omnibus Arcadibus & certatim huc commigrantibus, velut arx & præsidium tutum totius regionis contra eosdem Lacædemonios libertati Arcadum perpetuo imminentes, ac res eorum quoties commodum erat, agentes ac ferentes, extructa est: alterum scilicet frenum coercendis Lacedæmoniis ab eodem Epaminonda impositum. Atque

1. Quis id præter Emmium scipserit?

hac deinceps velut communis reipubl. & imperii sui sede Arcades sunt usi: huc ad comitia, quum de republ. aliquid statuendum, convenerunt, heic communem curiam, ædificium ingens capiendo senatui numerosissimo decem milium, ut prodit *Pausanias*, habuerunt: cujus fundamenta sua adhuc ætate visenda fuisse idem *Pausanias* significat. Ut de theatro nihil dicam ibidem structo, omnium eorum, quæ universa Græcia quondam habuit, maximo, deque operibus cæteris & ornamentis ejusdem urbis innumeris, a *Pausania* quoque recitatis. Hæc urbs societati Achaïæ posteris temporibus addita diu quasi funem in ea duxit, & insignes viros multos, inprimis Philopœmenem, Lycortam, Polybium Historiæ scriptorem progenuit. Hactenus de Peloponneso. Jam reliqua Græciæ, quæ extra Isthmum sunt, usque ad Macedoniæ & Epiri fines, simili modo exponemus.

LIBR TERTIUS.

Complexus Megarica, Attica, Bœotica, Phocica, Locros utrosque.

QUÆ post terminum agri Corinthiaci in Isthmo, & deinceps extra Isthmum sequebantur in boream, ditionis Megaricæ erant. Megaris autem quondam pars Atticæ censebatur: deinde ab Attica avulsa armis Doriensium, qui coloniam illic sui generis collocarunt, & urbem munitionibus vallarunt, sui juris facta fuit. Ab hujus ora in ortum terra Attica secundum litus in Sunium extremum ista parte promontorium porrigebatur. Ab occasu eadem Megaris ultima parte Bœotiæ, in sinum Corinthiacum extensa, claudebatur. Post quam in eandem plagam occidentalem Phocis, Locri Ozolæ, Ætolia, Acarnania ad Epirum barbaris gentibus quondam habitatam, denique Epirus ipsa, itidem secundum mare, ad Acroceraunios montes in fluctus procurrentes, continuo extendebantur. Quod litus ab Acrocerauniis ad Sunium finibus & promontoriis heic illic laceratum & solo Corinthiaco Isthmo interruptum, primum ab occidente in orientem hybernum, deinde in æquinoctialem procedens, atque austro potissimum obversum totius Græciæ, etiam Epiro dempta, est multo longissimum. A Sunio vero modice se litus orientem spectans in septentrionem attollebat: mox sensim contra ventum circium e regione insulæ Eubœæ incedebat, & paulo post plane in occasum se retrahebat ad intima sinus Maliaci: inde rursum in boream, qua Thessalia erat, in Magnesiæ promontorium, inæquale ac sinuosum sese erigebat, rursumque ad initia Macedoniæ & sinum Thermaicum in occasum se referebat. Hic terminus ad mare Ægæum, quod Asiam ab Europa disjungit, veteris & veræ Græciæ fuit. Et litus hoc Thessaliam cum Hellade, Locridem, Bœotiam, partem terræ Atticæ orienti obversam finiebat. Ultra Thessaliam quæ erant in boream, ad Macedoniam veterem pertinebant. Macedoniam vero Thracia excipiebat in eadem ora, regio late patens, diversas gentes amplexa; & litore recta in orientem flexo, post Cherronesum in Hellespontum, Propontidem, Bosporum, Pontum Euxinum excurrebat. Ab occasu Macedoniam, Thessaliam & partem reliquæ Græciæ, Illyricæ gentes Adriatici maris accolæ & Epiroticæ claudebant. Nunc ad Isthmum, unde cœpimus, revertamur. In ejus latere occiduo in sinum modice se curvante post Oenoam Corinthiaci juris, sequebantur in boream Pagæ in ipsa ora oppidum ditionis *Megarensis*, ad confinia Bœotiæ, & Ægosthena oppidum alterum Pagis proximum, utrumque ad montium radices, qui se istic dimittunt ad mare. *Megaridis* hujus latus boreum a Bœotia longo montium tractu, quos Oneos Vetustas vocabat, secludebant: orientale Attica regio, cujus ipsa *Megaris* quondam pars fuerat, terminabat: austrinum, nisi qua Isthmus erat, mare idem, quod Atticam, alluebat. Solum regionis asperum, & cultorum labori ac voto non respondens, magnam partem montibus obsitum, qui illic ab Oneis derivantur. Post Crommyona in Isthmi latere ortivo sitam, de qua supra dictum, ex ipso litore surgebant Scironia saxa prærupta latrociniis quondam infamia, & ab ora litorali procurrebant etiam introrsum tanquam in occursum montium Oneorum, relicta in latere angusta & difficili via in Atticam ducente: fuitque in eadem vicinia quondam castellum munitum, quod Sidunta dicebant: longiusque istinc non procul a finibus Atticæ ipsa *Megara*, urbs egregia & magna ac populosa, a Doribus habitata, XVIII. stadiis recedens a litore: in litore vero proximo Nisæa portus & emporium Megarensium, oppidi instar munitum, & duobus longis muris velut cruribus urbi junctum ad tutos inter utrumque locum commeatus. Reliquus ager præter vicos nihil habuit. Mons in agri medio cæteris celebrior Geranea, militari viæ ex Bœotia venienti & ad Isthmum ducenti impositus. Extrema agri Megarici excepit regio *Attica*, quæ inter Bœotiæ montes a Septentrione imminentes, & pelagus Myrtoum ab austro alluens, in orientem porrigebatur, cujus finis Sunium promontorium cum angusta fronte orienti & Cycladibus insulis obversa. Nam cum Sunio litus se flectebat in boream frontem hanc faciens: & mox in zephyrum primum revertens, deinde in circium inclinans, ex adverso Eubœæ ad confinia maritima Bœotiæ procedebat. Inde vero montana in occidentem recurrentia ad Cithæronem montesque eos quos Oneos vocatos diximus, a parte septentrionis Atticam claudebant, & a Bœotia separabant. Tota regio oppidatim olim habitata fuit, & singula oppida suas curias, suos magistratus habuere, quibus Rex unus præerat. Eminebant vero inter ea *Athenæ*, sedes regia, non procul litore sitæ, conditæ primum a Cecrope partim in colle edito & modice lato, quæ pars postea arx Athenarum fuit cum templo Minervæ, partim in planicie colli subjecta versus Boream: deinde a Theseo Rege decimo plurimum auctæ, primoribus oppidorum reliquorum cum curiis ac magistratibus istuc traductis, ac in unam urbem contractis. Quo sane tempore Athenæ factæ sunt amplissimæ, sed eædem postea quoque, præsertim parta libertate, in eum modum crevere, ut magnitudine sua reliquas omnes urbes totius Græciæ superarent. Et accessere suburbia illustria ac amœna, nec ædificiis infrequentia, quorum celeberrima, Academia, Lyceum, Ceramicus. De gloria rerum gestarum cæterisque civitatis hujus laudibus summis quicquam addere hoc loco, supervacaneum. Reliqua vero regionis persequemur. In confinio terræ Megaricæ & Atticæ ad mare duo colles fuere in mare prominentes, quos duo cornua appellarunt, quibus famam Xerxes dedit. Eum enim perhibent illic sella aurea sedentem, e loco sublimi pugnam Salaminiam spectasse. Post quos ager Eleusinius, & ipsa *Eleusis* oppidum, celebre fano Cereris & occultis ejus sacris, mari accubans; & ei proximus campus & δῆμος Thriasius. Δῆμους enim vocabant populos post translationem autore Theseo factam in agro Attico reliquos, rus colentes. Dein promontorium non magnum, sed longe

ge in fluctus procurrens, Amphiala, unde trajectus stadiorum duorum in insulam Salaminem his littoribus objectam, quem ingesta terra opplere, & insulam continenti jungere ad traducendas istuc copias Xerxes constituerat. Tum Corydalus δῆμος, & Furum portus, & post eum portus *Piræus* longe nobilissimus, Atheniensium proprius, magnarum classium capax, ædificiis & populo frequens, in morem oppidi muro clausus, & duobus longis muris velut cruribus firmissimi operis stadiorum XL. ut ait *Thucydides*, urbi junctus, intra quos justo intervallo inter se distantes liber erat & periculi expers hinc inde commeatus: & mox *Munychia* portus alter, itidem ædificiis & habitatoribus frequens, communi muro cum Piræo clausus: & hinc brevi intervallo distans portus Atheniensium tertius *Phalerus*, qui e tribus antiquissimus, & brevissimo ab urbe spacio remotus, stadiorum nimirum XXXV. ut affirmat idem *Thucydides* autor summæ fidei, quanquam XX. tantum stadia numeret *Pausanias*, & *Plinius* passuum millibus quinque id spacium metiatur, quod a *Thucydidis* sententia propius abest. Locus hic quoque velut forum celebre, hominum domorumque frequentia insignis, atque inter populos Atticæ numeratus, munitionibus cinctus fuit, & similiter muro longo urbi annexus. Interius e Bœotia agroque Platæensi venientibus ea parte, qua Attica Megaridi sub Cithærone monte jungebatur, prima occurrebat *Oenoe* e numero populorum Atticæ, muro quondam clausa ad initium belli Peloponnesiaci, ab Archidamo Laconum Rege illac Atticam invadente frustra oppugnata, sed post aliquot annos dolo Aristarchi Corinthii tradita: quo loco posteri scriptores, *Strabo*, *Plinius*, *Pausanias*, *Eleutherienses* etiam collocant ad radices ejusdem montis, nomen sortitos a sacris Jovis liberatoris, quæ Pausanias Cleombroti filius, pugnaturus contra Mardonium Persarum Ducem, istic vovisse, & parta victoria illustri, qua liberata Græcia a servitute Persica fuit, etiam persolvisse dicitur, quondam Bœotis, post Atheniensibus accensos. Atque hinc via ea, quæ recta Athenas ducebat quasi in tervallo medio, loco felici *Acharnæ* erant, castellum totius Atticæ ex iis quæ δῆμοι nuncupabantur, maximum, ut ait *Thucydides*, tribus civium Atticorum millibus habitatum, obsidione ab eodem Archidamo tentatæ: & post has *Decelea* multo longius in ortum vergens, Alcibiadis exulis instinctu occupata a Lacedæmoniis auspiciis Agidis Regis, anno belli Peloponnesiaci XIX. surgente, munitaque & castrorum in modum infessa, ad importationem commeatuum ex Eubœa in urbem Atticam reddendam difficiliorem, & fauces urbis quasi premendas, Athenis dissita stadiis CXX. totidemque a finibus Bœotiæ, ut idem *Thucydides* testis optimus docet. In iisdem etiam Atticæ mediterraneis castellum *Phyle* fuit, Athenis distans ad stadia centum: ex quo Thrasybulus Thebis adveniens & XXX. tyrannos aggressus, occupato quoque Piræo, dominatum eorum solvit. Est etiam Aphidna *Straboni* & *Plutarcho* memorata, sed situs ejus non expositus. Et rursus in ora maris post Phalerum *Alimusii* cum fano Veneris Coliadis, & Æxonenses, & Zoster promontorium longum in pelagus projectum: & ab eo Alaenses, Anagyrasii, Thorenses, Astypalea promontorium sinum cum Zostere incipientem finiens: tum rursum Lamprenses, Ægilienses, Anaphlystii cum alio Veneris Coliadis templo, Azenenses, Laureus mons argentifodinis dives, mari adjacens, denique *Sunium* promontorium in ortum hybernum prominens, extremus angulus agri Attici. Totum vero hoc litus a Phalero ad Su-

A nium importuosum erat, aliquot insulis exiguis velut scopulis hic illic protectum. Distabat Sunium a Piræo, ut notat *Strabo*, stadiis CCCXXX. Piræus porro a Schœnunte in Isthmo CCCL. a Pagis CCCLX. Ita universum litus ab Isthmo in Sunium mensuram stadiorum quasi DCLXXX. complectebatur. Id autem ad Isthmum & Megaridem in sinum se curvabat: a Megaride in ortum pergens leniter in austrum declinabat. A Sunio promontorio, ut ante dictum, litus se vertit in boream, sed mox in occasum revertens Atticæ eam partem bimarem in angustum cogebat. Verum modice in boream rursum se flectens eandem introrsum latiorem efficie-

B bat, atque in speciem lunæ curvatum ad fines oræ Bœoticæ connexa fronte procedebat, Eubœæ insulæ parti meridionali oppositum. A primo autem litoris hujus flexu post promontorium *Sunius* populus insignis, muro septus, in ipsa ora se offerebat; & ab eo proximus Thoricus: quibus objecta erat insula deserta secundum litus in longum porrecta, cui nomen Helene. Tum rursus prope oram eandem in boream Potamus δῆμος & Sterea; atque ulterius Brauron in ora: dein *Marathon*, supra omnes Atticæ populos clade Persarum & tropæo Miltiadis nobilitatus, tantumdem Athenis quan-

C tum Caristo Eubœæ distans, ut vult *Pausanias*, plusculum a litore recedens, caput regiunculæ, quam tetrapolim nuncupabant. Mox *Rhamnus* in litore, stadis LX. si verum prodit *Pausanias*, Marathone disjunctus, ubi præcipua religione colebatur Nemesis Dea arrogantiæ vindex. Postrema in ora eadem qua Bœotia initium capiebat, erat *Oropus* urbs mari accubans, limitanea utriusque regionis, & diu inter utramque regionem controversi juris, ac in agro ejus vicus Psaphis. Intus vero e regione Marathonis & Rhamnuntis, Tricorythus populus, & Probalinthus, & utroque borealior atque occidentalior *Oenoe* altera, diversa ab

D ea quæ prius est dicta, qui tres postremi populi cum Marathone tetrapolim Atticam conficiebant. Omnes autem populos Atticæ mediterraneos recensere, ob multitudinem longum esse ait *Strabo*; & nobis ordinem eorum ac situm exprimere est impossibile. In congerendis iis secundum seriem literarum initialium optimam operam aliquot ante annos præstitit doctissimus & clarissimus vir Joannes Meursius. Fuisse universos tota regione sparsos magnos & parvos numero CLXXIIII. *Strabo* significat, & ex eo Eustathius *Homeri* commentator. Ut Megaris, ita Attica regio soli fuit parum felicis ad fruges, & magnam partem montosa:

E sed eadem ingeniis magnis & excellentibus gignendis ante omnem reliquam Græciam longe felicissima. Montium præcipui, & cæteris majores, celebrantur a *Strabone*, Brilessus, Lycabettus, Hymettus marmore & melle inclytus, Parnes, Corydallus. Pro postremis duobus *Plinius* nominat Icarium & Ægialeum. Amnium prope inops Attica fuit. *Strabo* duos modo recenset, Cephissum & Ilissum, utrumque juxta ipsas Athenas in mare defluentem. Quorum priorem ait in Trinemiis ortum, & plana quædam emensum, (concitatum, qua Eleusinium agrum, ut vult

F *Pausanias*, permeabat,) cæteroqui magna sui parte torrentis instar decurrentem, & diebus æstivis pene deficientem, denique per muros longos, quibus Piræus cum urbe connectebatur, penetrantem in pelagus ad Phalerum exisse: alterum Ilissum, quem solum *Plinius* memorat, breviori cursu e partibus supra Agram & Lyceum, loca urbi Atticæ vicina, venientem, & per amœna lapsum, ab altera urbis parte per litus idem in mare se effudisse. Et hunc quidem Plato *in Phædro* suo verbis Socratis quantumvis tenuem immortalitate do-

navit, & Muſis ſacrum fuiſſe *Pauſanias* teſtatur. Inſulas *litori Megarico & Attico* objectas, has accepimus: Prima ab occidente poſt Iſthmum Minoa erat haud magna, ſæculo *Thucydidis* undis adhuc circumflua, quanquam continenti proxima, portui Niſææ objecta: *Strabonis* vero ætate in peninſulæ formam jam redacta, promontorii inſtar portum eundem protegens. Deinde aliæ quinque in ortum ſequentes minutæ & ἀνώνυμοι. Poſt quas *Salamis* clariſſimi nominis ad ſtadia quaſi LXX. in longum porrecta, incipiens e regione Megaridis, ſed majore ſui parte Eleuſino litori ditionis Atticæ oppoſita, freto anguſto ab Amphiale promontorio ſejuncta, cum urbe cognomine, quondam in auſtrino latere, quod Æginam intuetur, poſita, deinde in latus adverſum contra Atticam tranſlata: de qua Salamine longa lis fuit, & armorum contentio inter Athenienſes & Megarenſes, utriſque ſub jus ſuum eam trahentibus, victricibus tandem, quia viribus ſuperabant, Athenis. Poſt Salaminen erant exiles inſulæ duæ Pharmacuſæ in latere curiæ Corydaliæ. In Pſyttalia ab omni cultu humano deſerta, & ſaxis aſpera, portui Furum proxima, & non procul ab ea Atalanta, atque item alia Pſyttaliæ ſimillima. Omnes hæ ante Piræum. Ultra Piræum autem juxta Æxonenſium litus Hydruſa, & ad promontorium Zoſteris Phaura, atque ad ſequens promontorium Aſtypaleam Eleuſſa, vix dignæ, quæ memorentur. De Helena jam ante dixi, ad Sunii flexum: cui vicina alia perexigua, olim ſine nomine, poſt a Patroclo Ægyprio indigitata. Reliqua eſt *Ægina* longius a litore remota, & pelagi medium fere tenens, quod Atticam Argolicam regionem disjungebat; ſtadiis circiter centum ab ora Epidauria & totidem ab Attica diſtans, in boream aut circium Salamina intuens, in circuitu habens ſtadia quaſi CL. & urbem ejuſdem ſecum nominis, Æaci, ex quo Æacidæ, patria, opibus & claritudine Salamina ſuperans, de maris imperio cum Athenienſibus olim contendere auſa: bello Xerxeo maxima claſſe poſt Athenas, inter omnes Græcos, inſtructa. Denique fracta armis Atticis omnes opes perdidit. Nec longe ab hac continentem verſus inſulæ minores aliquot, ſed obſcuræ famæ; una longius disjuncta atque in pelagus vergens Belbina, cæteris quoque major, ſed proprie non hujus cenſus.

Atticam in ora maris Euboici orientem ſolſtitialem intuente ſequebatur *Bœotia*, regio etiam, ut Attica, multo longior quam latior, faſciæ panſæ inſtar ob ortu in occaſum porrecta, ac duo maria procul inter ſe diſſita extremis finibus ſuis contingens: Atticæ & Megaricæ a ſeptentrionibus pariter incumbens, perpetuis fere montium jugis ab iis ſeparata, quæ terminum auſtrinum ei conſtituunt: ab ortu mari Euboico jam dicto clauſa, ad ſeptentrionem orientalibus Locris oram maris ejuſdem tenentibus, ad occidentem Phocenſibus potiſſimum finita: & quoniam in eam plagam ultra Megaricos fines procurrebat, parte quadam ſui a Pagis Megaridis uſque in Phocidis litoralis initium, oram ſinus Criſſæi, ſive Corinthiaci, meridiem adſpiciens, obtinebat. Regio fortunata quondam & potens, his terminis multas urbes inſignes complexa, ſoli uberis, ſed ſe rendis ingeniis Atticæ valde diſpar, quæ hebetiora fere & ſegniora producebat, quamvis audacia in periculis non deſtituta, cum Attica ferret lætiſſima, & imperii gloriæque avidiſſima. In ora Euboici pelagi ab Oropo progreſſis ad ſtadia XX portus ſacer Delphinius occurebat, & poſt eum *Delium* fanum Apollinis cum oppidulo, & hinc portus Magnus, cui Profundo quoque nomen erat, & ab hoc *Aulis* loco ſaxoſo, vicus aut oppidum exiguum, unde Agamemnon claſſem ſolviſſe, Trojanos bello petiturus, dicitur, a Delio diſtans ſtadiis XXX. ditionis quondam Tanagræorum, ut & Delium. Huic Aulidi e regione reſpondebat Chalcis urbs Eubœæ maxima & feliciſſima, in ora procul in pelagus prominente ſita, anguſto admodum freto ab hac dirempta; quod fretum ponte διπλέθρῳ, hoc eſt, cc. pedes geometricos longo, utramque oram connectente, junctum fuiſſe, cum turribus duabus pontem hinc inde claudentibus, ætate ſua, ut eſt etiam nunc, quod florentibus Græciæ rebus ante Macedonum imperium ſecus erat, *Strabo* teſtatur. Et ibi omnium veterum ſcriptis decantatus ille *Euripus*, qualibet die & nocte fluctus ſuos ſepties reciprocans: a quo ad Sunium agri Attici Strabo computat ſtadia LXX. Ut vero Chalcis Aulidi, ita Eretria vetus, civitatum Euboicarum quondam maxima, a Perſis deleta, Delphinio portui, & Eretria nova Oropo e regione poſitæ fuere, hæc quidem trajectu ſtadiorum XL. illa LX. Poſt Aulidem quædam in litore, plura prope litus oppida locaque alia fuere parum celebria, nobis heic non memoranda, præter Mycaliſſum & Harma. Iis vero clarior fuit *Anthedon* in litore cum portu non incommodo, Locrenſibus maritimis appropinquans; & *Larymna* Opuntiorum quondam, poſt auctis Thebanorum rebus Bœotiæ addita; cum qua finis illic Bœotiæ Locridis principium. Mediterranea hujus regionis ab expoſito litore in occaſum vergentia in planiciem concavam porrecta fere jacebant, ab auſtro montibus Atticis, a borea Phocicis præcincta uſque ad *Cithæronem* montium hujus plagæ celeberrimum; qui ab Oneorum dorſo, qua Attica & Megarica confines erant, initium ducens oblique bonam Bœotiæ partem permeabat, & non procul Thebis ſenſim deſinebat. In hac planicie modice a mari recedens, & proxima jam expoſitis, magna & illuſtris urbs fuit *Tanagra*, cui Aulis & plæraque vicina contribuebantur: & adhuc interius *Thebæ* multo majores & & rebus geſtis clariores, totiuſque Bœotiæ caput Herculis & Poetæ Pindari patria, quæ Duce Epaminonda cive ſuo viro ſummo ad imperium Græciæ adſpirare auſæ ſunt, & rurſum poſt has via, quæ Athenas & Megara ducebat, ſub Cithærone monte cladibus ſuis nobilitatæ *Plateæ*, Thebis diſtantes ſtadiis LXX. ob ſocietatem Athenienſium perpetuo Thebanorum odio preſſæ. Quarum Thebarumque agrum intermedium Aſopus fluvius ſecabat, juxta quem non procul Platæis cum univerſo exercitu ſuo cæſus fuit Mardonius Perſa, Gobriæ filius Xerxis ſorore natus. Tum magis in occaſum & ſeptentrionem ingens lacus *Copais* ab adſito oppido Copis nomen ferens, ſtadia in ambitu complexus CCCLXXX. in quem influebat fluvius Cephiſſus ex Phocide veniens. Circum hunc lacum quondam, cum res Græciæ florerent, complures urbes velut in orbem ſitæ fuere: e quibus *Copæ* in ora ejus borea poſitæ: dein Acræphia, Phœnicus, Oncheſtus, *Haliartus* cæteris major & potentior, Ocalea, Alalcomenæ Palladi conſecratæ, & bellorum immunes, Tilphoſium edito loco ſedens, denique *Coronea* Heliconi monti vicina, *Homero* quoque memorata. E prioribus vero *Oncheſtus*, ut *Strabo* docet, ſedes quondam cætus Amphictyonum fuit: & prope Coroneam agebantur olim *Pambœotia*, feſtivitas ſolemnis Bœotorum omnium. Haliartus urbs, ut dixi, ampla & locuples, arcto loco inter imminentem montem & lacum Copaidem, nec procul a lacu alio minore, & Permeſſo oppido; bello Macedonico contra Perſea Regem, cujus partes foverat, prorſus deleta a

Romanis, ut tempore *Strabonis* nihil Haliarti superesset. Et fuere antiquitus in eo tractu Therapnæ ac Teumessus juris Thebani.& Glisas in monte Hypato,& Ptoum similiter in monte altero Ptoo. Deinde situ remotiore a lacu Copaide versus occasum & meridiem, qua in Phocidem iter erat, urbes haud incelebres, *Chæronea* Phanotidi Phocensium finitima, mixtim Bœotis & Phanotensibus habitata, Atheniensium sociorumque clade ingenti, ac victoria illustri Philippi Macedonis Alexandri Magni parentis notata, *Lebadia* inter Chæroneam & Heliconem montem posita, *Leuctra* Bœotiæ, pugna nobili, qua cecidit cum robore exercitus sui Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex, & jacta fundamenta sunt potentiæ Thebanæ, illustrata, sita in via, quæ Platæis Thespias ducebat, item *Orchomenum* Minyeium ipsis quondam Thebis potentius, haud procul Chæronea disjunctum, in cujus vicinia exercitus Mithridatis postero tempore a Romanis est concisus, & Orchomeno proxima *Aspledon* urbs *Eudeielos* a posteris nominata. Et eodem hoc tractu *Helicon* mons fuit Musis sacer, Poetisque decantatus, Parnasso Phocidis latere occiduo & boreo finitimus, ambitu & sublimi vertice, & nominis celebritate eo haud inferior, saxosus, arboribus ac fructibus & salubribus herbis obsitus, in meridiem sensim se demittens, atque ex eo decurrens fluvius ejusdem nominis iisdem quoque Musis dicatus, post aliquot stadia terra absorptus. Ad radices vero montis versus meridiem clari nominis urbs *Thespiæ*, cum ipso monte a septentrionibus sinui Crissæo incumbens: cui navale celebre fuit cum portu *Creusa* in ipso litore, Pagis Megaridis proximum, & Creusæ in eodem litore porro succedens in zephyrum Thespiis in eandem plagam recedens Phocidem versus eidem monti Heliconi subjecta urbs non magna *Thisbe*, mari quoque propinqua, colle tantum uno, & valle ab eo remota. Fuitque in eodem illo tractu *Ascra* vicus, Hesiodi Poetæ sedes, aspero loco sub Helicone etiam sita, stadiis XL. ab urbe Thespiarum, cœlo quoque horrido. Atque hæc altera illa ora Bœotiæ erat mari contigua, procul ab ea, quæ Euboico pelago alluebatur, remota, meridiem intuens & trans Crissæum sinum Sicyonis oram spectans, secundum litus navigaturis satis incommoda, ob vada & brevia litus obsidentia, ab oriente in occidentem se porrigens haud longiore spacio, quam quod inter Pagas Megaridis, & Mychum primum portum Phocidis in intimo sinus illius recessu, intererat.

Sed magna rerum conversio facta in Bœotia, cum primo Macedones, deinde Romani in Græcia invaluissent. Nam diligens & fidus scriptor *Strabo* affirmat, ex omnibus urbibus ejus quondam tam felicis regionis præter Tanagram & Thespias, nullam ætate sua fuisse incolumem, Haliartum, quod & ante dictum, bello Macedonico a Romanis eversam funditus, vix vestigia sui monstrasse.

Ultima Bœotiæ versus occidentem *Phocis* excepit, hinc secundum eundem sinum Crissæum sive Corinthiacum in fines Locrorum occiduorum, quos Ozolas dicebant, porrecta & ab iisdem quoque Locris in orientem se referentibus parte quadam sui a septentrione clausa: quondam etiam in ortum usque in fluctus Eubœæ vicinos extensa, cum *Daphnus* urbs in litore illo posita juris Phocici adhuc censeretur, quæ post funditus deleta Phocidis fines ea parte breviores fecit & a mari istic submovit. Ita in oriente quoque terminum a Locris Orientalibus accepit. Ad sinum Crissæum, Mychus portus initium fuit Phocidis, a recessu sic dictus. Post quem intervallo modico versus occidentem promontorium Pharygium cum statione navium, dein *Anticyra* ejusdem nominis cum altera quæ erat in sinu Maliaco ad Oetam montem in finibus Thessaliæ, utraque hellebori ferax: tum *Crissa*, ex qua sinus denominatus, quondam bello Thessalico afflicta: demum *Cirrha* postrema Phocidis, proxima Locris in litore, emporium Delphensium. In mediterraneis prima post Chæroneam Bœotiæ occurebat *Phanotea*, quam Panopeam apud posteros nominatam *Strabo* indicat, ambitu stadiorum VII. clausa, XX. stadiis tantummodo a Chæronea distans, nec ab Orchomeno, quam ex obliquo intuebatur, procul remota, locum inter urbes Phocidis in publicis conventibus tenere solita, quamvis nec prætorium, nec gymnasium, nec theatrum, nec publicum fontem ullum haberet, ut ait *Pausanias*, patria Epei, qui Trojanum equum struxisse perhibetur. Et in eadem vicinia *Hyampolis* ab Hyantibus Bœotia ejectis olim condita, & *Lebadea* urbs inter paucas egregia, & *Elatea* urbium Phocicarum maxima, sita ad fauces, per quas aditus in Phocidem & Bœotiam patebat, ut, qui eam teneret, aditum ipsum commodissimum in hasce regiones e Locride & Thessalia haberet in potestate: qua subito occupata Philippus Macedo Amyntæ filius omnes vicinos in maximum terrorem dedit. Fuere etiam ibidem *Parapotamii* celebris atque ingens vicus, ita dictus, quod fluvio Cephisso assideret, Chæronea dissitus stadiis XL. Tum ab omnibus his magis ad occidentem remota *Lilæa*, ubi Cephissus fluvius ortum habuit, atque inde progresus per agrum Bœotiæ in lacum Copaidem se effudit, unde longissimum iter Delphos ducebat per stadia quasi CLXXX. in radicibus Parnassi montis: & a Lilæa *Charadra* castellum disjunctum stadiis XX. in rupe præcelsa: & ab eadem Lilæa *Amphicla* urbs, Amphicæa *Herodoto* dicta, belli sacri tempore Ophitea vocata, stadiis remota LX. Atque hinc ad stadia XV. *Tithronium*, ad stadia vero circiter LXXX. *Drymea*, & *Neon* in aspretis Parnassi, a posteris mutato nomine Tithorea nuncupata. Rursnm Phanoteæ in occidentem proxima urbs *Daulis*, sedes quondam Terei Thracis, Procnes Atticæ mariti, civium robore magis quam magnitudine sui inclyta, unde in Parnassum ascensus erat longior quidem sed multo facilior quam ex urbe Delphensi. Inter hanc & Delphos ædes erat, cui nomen *Phocica*, substructionibus admodum ampla, destinata conventibus ordinum totius Phocidis; in quos conventus singulæ urbes nominis Phocici homines suos potestate instructos mittebant, quoties de re communi aliquid erat deliberandum statuendumque. *Delphi* tum ob templi religionem & oraculum longe celeberrimum, tum ob Amphictionum conventus, qui juxta templum agebantur, quos Pylæas nuncupabant, summam autoritatem per totam Græciam in cognoscendis & judicandis controversiis olim habentes, urbs Phocidis præcipua, thesaurorum templi custos, sita in occidua regionis parte, quæ Locros Ozolas attingebat, proxime sub Parnasso monte in meridiem declivi. Sedem habebat loco petroso editiore theatri in modum assurgente, in cujus parte summa templi septum cum templo ipso urbem velut despectans: ambitus urbis erat stadiorum XVI. quæ olim supra templum fuerat loco, cui Lycorea apud posteros nomen, deinde infra juxtaque templum ad fontem *Castalium* exstructa. Templum anathematis pretiosis omnis generis refertum, & totius Græciæ longe ditissimum: unde oracula non a Græcis solum, sed & a multis gentibus barbaris petebantur. De *Amphictyonum* concessu & munere dictum a nobis alibi.

Ex urbe & templo adſcenſus in Parnaſſi verticem brevis erat, ſed arduus & difficilis. Porro infra urbem auſtrum verſus erat Cirphis mons præruptus cum ſaltu intermedio, & ei adhærens urbecula, ut *Strabonis* verba præ ſe ferunt: & a Cirphi in eundem auſtrum Cirrha in ipſo littore, navale & portus Delphenſium, ante etiam dicta, Achaiam ex adverſo intuens trans mare: urbs olim præclara, ſed ob occupatum vicinum agrum Apollini Delphico dedicatum bello petita autoribus Amphictyonibus & graviter afflicta tempore Solonis Athenienſis: agerque Cirrhæus mari contiguus ſuaſore Solone Apollini rurſum ſacratus, ad fines Locrorum perveniens. Cirrha Delphos adſcendebatur itinere ſtadiorum LXXX. *Parnaſſus* mons excelſus, aſper, arboribus fruticibuſque horrens, duplici vertice ſe tollens, totus ſacer, a tergo Delphorum in boream ſurgens, latus Phocidis eo tractu claudens, & a Locris diſterminans, Poetarum carminibus paſſim celebratus. Præter urbes jam memoratas aliæ quoque fuere in *Phocide* haud paucæ, Marathon Anticyræ appropinquans, Abæ oraculo inclytæ, bello ſacro intactæ, Ambryſus, Trachin Theſſalicæ cognominis, Erachus, Medeon, Thracis, Echedamia, Ledon, Phlygonium, Sterchis [1]. Urbium vero multæ ab exercitu Xerxis vaſtatæ & incendio conſumptæ, plures decenni bello ſacro everſæ, aut in vicorum formam redactæ. Quo de bello toti Græciæ exitiali in rebus Philippi Macedonis dicetur. Phocidem a tergo ad occaſum & ſeptentrionem velut faſcia oblonga, circa Parnaſſum quaſi in angulum ſe curvans *Locris* terminabat. Ea duplex erat, occidua & orientalis, diſtincta jugo montis Parnaſſi in ſeptentrionem porrecti, & quadam Doridis parte. Illa *Locrorum Ozolarum*, hæc Opuntiorum & Epicnemidiorum nuncupata. Ozolæ ſinus Corinthiaci accolæ intra extraque fretum, ab eo ad meridiem alluebantur, & Phocidis latus occiduum claudebant juxta Cirrham & agrum Cirrhæum, atque ipſam urbem Delphorum montemque Parnaſſum, ipſique viciſſim ab Ætolis ad occaſum, & quadam parte ad ſeptentrionem claudebantur. Cæteri in orientem vergentes, & ad mare Ægeum atque Euboicum porrecti, ſecundum litus ab ortu in occaſum procedens a Thermopylis in fines Bœotiæ expanſi rurſum diſtinguebantur in regiones duas. Quarum altera Bœotiæ finitima & orientalior *Opuntiorum* dicebatur ab *Opunte* Metropoli, altera Theſſaliæ vicina & occidentalior a Cnemide monte illic ſe erigente *Epicnemidiorum* nomen habebat, & cum Thermopylis & Theſſaliæ initio finem capiebat. A Bœotiæ termino principium ſumebat ſinus modice introrſum litus ſubmovens a populo & urbe proxima *Opuntius* nuncupatus, ſtadiis quaſi XL. in longum patens, quem Cynus portus cum promontorio ad occaſum terminabat. Ab hujus ſinus litore introrſum recedebat ad ſtadia XV. *Opus* Metropolis Patrocli ab Hectore cæſi patria, & ſedes regni Ajacis Oilei: inter quam & Cynum planicies ſoli felicis porrigebatur, cui e regione in Eubœa objecta erat Ædepſus trans mare ſtadiis CLX. illic patens: & in ſinu Atalanta inſula Atticæ ὁμώνυμος. Poſt Cynum continuo ſequebatur ſinus alius *Maliacus* multo celebrior in plagam eandem vergens, in cujus intimo receſſu fuere Thermopylæ fama inclytæ. In ejus ſinus tractu mons Cnemus erat, attollere ſe incipiens a Cyno intervallo ſtadiorum L. Ab eodem ſinu in ora erant Alope, & urbs *Daphnus* quondam ditionis Phocenſium, dirimens Opuntios ab Epicnemidiis, ſed poſt excidio data & Locridi adjecta, ſolo portu reliquo, qui Cyno diſtabat ſtadiis XC. ſecundum litus, & Eleatea Phocidis CXX. itinere mediterraneo. A Daphnunte porro poſt ſtadia XX. *Cnemides* ipſæ, oppidum natura munitum: cui oppoſitum erat in Eubœa promontorium inſulæ extremum in occaſum, & ſinum Maliacum ſpectans, Ceneum nomine, freto a Cnemidibus disjunctum ſtadiis XX. lato. Atque hæc omnia poſt Opuntios Epicnemidiorum erant: ibique tres inſulæ parvæ Lichades dictæ, itemque aliæ obſcuriores litori vicinæ. Poſt Cnemides etiam intervallo ſtadiorum XX. portus erat, a quo pari ſpacio interius diſtabat oppidum *Thronium*: juxta quod labens Boagrius torrens potius quam fluvius occidentem verſus exibat in mare, interdum ſiccis pedibus tranſitum præbens, nonnumquam ad duo jugera in latitudinem ſe diffundens. Dein *Scarphe*, ſtadiis X. a mari, XXX. ab oppido Thronio diſſita, loco edito, cui ager adhærebat frugibus & arboribus lætus. Scarphem vero ſecuta ad vigeſimum ſtadium *Nicæa* caſtellum intra anguſtias Thermopylarum, *Herodoti*, *Thucydidis*, *Xenophontis* ſæculo recentius, a Macedonibus ſine dubio ſtructum, atque ipſæ demum *Thermopylæ*: cum quibus hac in ora finis fuit Locridis: ulteriora Theſſaliæ fuere. *Thermopylæ* autem anguſtum fuere litus in intimo receſſu ſinus Maliaci, hinc mari limoſiſque vadis, inde excelſa & prærupta montis rupe conſtrictum, duobus locis ita arctatum, ut ſingulis tantumodo plauſtris iter præberet. Quæ vero utrimque ad anguſtias ducebant viæ, crebris amnibus impediebantur, qui in ſinum Maliacum prope ipſas anguſtias effluebant, & plurimum limum in proxima brevia ejiciebant. At mons, qui anguſtiis imminebat, prælatus & aſper, quem Oetam illic appellabant, perpetuis jugis ſublimibus & aſperitate horridis ac inviis longiſſimo iſtinc tractu in occidentem ferebatur ad interiora uſque ſinus Ambracii, Acarnanes ab Epirotis ſeparantis: eratque continua illa montis extenſio velut vallum gentes Theſſalicas a reliquis ſecludens. Mons vero hic illic variis nominibus ab accolis afficiebatur. Ad Locros Ozolas revertor. Hi urbes olim habuere præcipuas *Naupactum* & *Amphiſſam* agro Cirrhæo terræ Phocidis finitimam: quarum prior Locri quondam adempta ab Athenienſibus, & Meſſeniis donata, deinde a Spartanis poſt debellatas Athenas ejectis Meſſeniis Locrorum ditioni reddita, ac demum, ut ait *Strabo*, Ætolis a Philippo Macedonum Rege Amyntæ filio attributa. *Amphiſſa* urbium hujus Locridis maxima, Delphis diſtans ſtadiis LX. ſi credimus *Æſchini* Oratori, ob occupatos Apollini ſacratos agros ab Amphictyonibus damnata, & armis in ordinem coacta. Præter has duas Locrorum quoque fuit *Molycria* urbecula, ut ait *Strabo*, Antirrhio proxima. *Antirrhium*, ut ante dictum, in extrema parte promontorii a latere ortivo Ætoliæ in pelagus procul procurrentis ſitum caſtellum, quod ob viciniam Molycriæ etiam Rhium Molycrium eſt dictum: cui velut in occurſum ſe ferebat Rhium Achaicum Caſtellum & promontorium alterum: inter quæ vix quinum jugerum ſpatio patentes fauces mare Ionium in ſinum Criſſæum ſeu Corinthiacum immittebant. Adjicit his etiam in Locride hac idem auctor *Strabo* Myoniam edito loco poſitam remotamque a mari, & Oeantheam mari vicinam prope Naupactum, quam *Ptolemæus* Euanthiæ nomine videtur afficere: omnia cum aliis poſtea Ætoliæ accen-

1. Hæc ſumpta ex Pauſaniæ Phocicis pag. 613. ubi non *Sterchis* legitur, ſed *Sterris*; nec poſtquam nominata eſt *Trachin*, ſubjicitur *Trachis* quaſi diverſa urbs. Ea duplicatio hujus ſcriptoris eſt. Viri docti ſatisfecerunt illi loco monentes legi debere τραχίς τε ἡ φωκική.

ſa. Amphiſſa Delphis diſtabat ſtadiis cxx. eadem Myonia aberat ſtadiis xxx. ut notavit *Pauſanias*, diſſidens heic ab *Æſchine*, qui intervallum quod eſt inter Delphos & Aphiſſam, ad ſtadia LX. contraxit, ut ante eſt a me notatum.

LIBER QUARTUS.

Complexus deſcriptionem Ætoliæ, Acarnaniæ, Epiri, cum generalibus Illyridis, item Doridis & Theſſaliæ.

Locros Ozolas in occidente ſecundum mare Ionium excipiebat *Ætolia*, de qua prolixius diximus cum explicatione ſitus in deſcriptione reip. *Ætolorum*: mari terminata ad meridiem, Acheloo flumine ex monte Pindo ac ſeptentrione decurrente ad zephyrum, quo ab Acarnania dirimebatur: a borea Amphilochis, Athamanibus, Perrhæbis, Ænianibus Oetæ accolis finita. Urbium hujus regionis præcipuas Geographi recenſent, *Calydonem* ad Euenum fluvium, *Pleuronem* caput ante alias exerentem, *Macyniam*, *Chalcidem*, *Pylenen*, *Halyſarnam*; Reliqua vici quondam tenuere, nullis mœnibus clauſi, quidam amplitudine & populi frequentia urbibus pares: quorum in numero *Therme* ſolennibus comitiis totius gentis celebris. Deinde *Ætolorum* repub. vires majores nacta urbium numerus quoque crevit. Regio variis populis habitata, diviſa etiam in *Ætoliam* veterem & novam ſive acquiſitam, illam occidentalem Acarnaniæ finitimam ab Acheloo fluvio ad urbem Calydonem, hanc orientalem Locris Ozolis vicinam. Fluvius regionem lapſu vario permeans Euenus infra Calydonem mari Ionio ſe miſcuit. Ingenium toti genti ferox, turbidum, ad arma promptum, libertatis tuendæ cupidum, audaciæ quam ſapientiæ plus habens. Ætoliam in occidente clauſit *Acarnania*, ab Acheloo ſecundum idem Ionium pelagus in eandem plagam occiduam porrecta ad ſinum uſque Ambracium anguſto ore terras ingredientem, & ſubmotis utrimque oris longo latoque ſpacio in borream ſe efferentem, quo Epirus ab Acarnania ſeparabatur. Ei a ſeptentrione incumbebant Amphilochi gens quondam barbara, ſed magnam partem Græcis moribus ſenſim imbuta, & ſupra hos Dolopes Græci, Dorici generis, ad Pindum montem habitantes. In hac urbes fuiſſe accepimus, *Anactorium* intra ſinus Ambracii fauces in peninſula oræ occiduæ, non longe ab Actio promontorio, quo fauces ſinus ab oriente arctabantur, diu fortuna incolumi, ad conditam ab Auguſto Cæſare Nicopolim; *Leucada* in inſula Ionii maris ad fretum anguſtum ponte ſtratum, quo urbs cum inſula continenti jungebatur; & his potiorem ac clariorem *Stratum* ad ſuperiora Acheloi fluminis, a qua ſecundo flumine amplius quam per cc. ſtadia ad mare deſcendebatur; tum Æneam veterem pari ſpacio a Strato & mari diſtantem, jam olim deſolatam, novam vero Acheloo quoque adſitam, ſtadiis quaſi LXX. a fluminis oſtio disjunctam, tempore *Strabonis* adhuc incolumem; & præter has *Palærum*, *Alyziam*, *Argos* Amphilochicum. Harum Alyzia xv. ſtadiis a mari aberat ad orientem Leucadis, & ibidem in litore portus Herculis cum fano ejuſdem. Et erant porro poſt hunc portum Cithrota promontorium, ac Echinades inſulæ ſeu ſcopuli, & urbs Aſtacus, demum Oeniadæ, & terminus regionis Achelous fluvius. Ora hæc omnis portuoſa, & lacubus heic illic obſita. Regio interior aliquot locis in montes aſſurgens, ut & Ætolia. Vicorum Acarnaniæ ingens multitudo. Trans ſinum Ambracium verſus occi-

A dentem eadem in ora maris Ionii, & introrſum ſedes tenebant *Epirotæ*, in varias gentes diſtincti, omnes ſanguine & lingua a Græcis diverſi: quorum ultimi in occaſum Chaones Illyrios finitimos habebant. In cæteris Theſprotii & Moloſſi eminebant. Maritima tenebant Chaones, Theſprotii, Caſſopæi ab Acrocerauniis ad os ſinus Ambracii, quod intervallum *Strabo* metitur ſtadiis MCCC. In mediterraneis erant Moloſſi primi Æacidis ex Achille deſcendentibus parentes, Athamanes, Æthices, Tymphæi, Oreſtæ, Pharoræi, Atintanes, alii Macedoniæ, quidam Ionio mari propinqui. Urbium prima in occidente fuit
B *Oricum* juxta litus, Illyrico finitima ad montes Ceraunios, *Polybio*, *C. Cæſari*, *Livio*, *Plinio*, *Appiano*, *Ptolemæo* ſic nuncupata, Oreum a *Strabone* vocata, & quia in latere boreo Cerauniorum montium erat, non Chaonibus ad quos pertinebat, ſed Illyrico adſcripta cum navali Panormo. Montes enim Ceraunii per occiduam partem Chaonum in Ionium pelagus porrigebantur. Poſt hanc reliqua ora maritima Epiri ſic habuit in ipſis Cerauniis montibus in mare prominentibus, qui Acroceraunii dicebantur: mox portus alius On-
C chimus occiduis partibus Corcyræ prominentibus oppoſitus, rurſumque alius, cui Caſſiopa nomen, a quo Brunduſium uſque per mare ſtadia numerabantur MDCC. Tum promontorium Phalacrum Caſſiopa auſtralius totidem ſtadiis Tarento diſtans. Oppidum vero poſt Onchimum in Theſprotiis *Poſidium*, & *Butrotum*: & hoc quidem colonia Romana poſtea auctum, ſitum in ingreſſu portus limoſi loco peninſulam referente: ubi & Sibota minutæ inſulæ, continenti admodum vicinæ, juxta extremam partem Corcyræ verſus orientem; tum aliæ inſulæ parvulæ litori Epiri proximæ memoratu indignæ: & poſt has Cheimerium pro-
D montorium, & Glycys portus, ac ſinus aquæ dulcis, in quem exibat *Acheron* fluvius ex Acheruſia palude defluens, & cum eo alii, atque in his Thyamis. A portu vero hoc & ſinu introrſum recedens *Ephyre* urbs in paluſtribus, ut ait *Thucydides*, Theſprotiorum, Cichyrus a poſteris appellata. Cui propinquum oppidum Caſſopæorum *Buchætium*. Tum aliæ urbes in mediterraneis, Phœnice prope Buthrotum, Elaria, Pandoſia, Batiæ in Caſſiopæis, quorum regio incipiebat ſtatim poſt ſinum & portum aquæ dulcis Glycyn. Hunc vero in ora ſequebantur duo portus alii: quorum
E prior & minor, cui Comaro nomen, qui Iſthmum faciebat ſtadiorum LX. prope ſinum Ambracium, & Nicopolim ab Auguſto conditam, urbem magnam & illuſtrem, ex reliquarum ruina opibus auctam; alter major & remotior ac melior prope os ejuſdem ſinus Ambracii, Nicopoli diſtans ſtadiis XII. Ipſum ſinus os latitudinem habebat ſtadiorum paulo plus quatuor: ambitus vero ſinus cenſebatur ſtadiorum ccc. ubique fere portuoſus. Urbs *Ambracia* ab intimo ſinu in boream paulum recedebat, colonia Corinthiorum, juxta quam labebatur Arachthus fluvius in ſinum ſe effundens, commodus ſubvehendis rebus in urbem.
F Hæc quondam regia fuit Pyrrhi, mirifice ab eo exornata, urbium Epiroticarum maxima & ſplendidiſſima. Auxit gentis celebritatem *Dodonæ* fanum cum oraculo Iovis famoſiſſimo, quondam ditionis Theſprotiorum, ſed aucta Moloſſorum potentia ob Reges ex genere Æacidarum Moloſſidi aſſcripta. Reges *Æacidæ* ex Pyrrho Achillis filio progeniti primum apud ſolos Moloſſos quondam regnarunt, cum reliquæ gentes Epiroticæ ſingulæ fere ſui generis Reges aut Principes haberent. Verum cum lapſu temporis accidit, ut Æacidæ freti robore Moloſſorum ſuorum & in-

A sita sibi virtute toti Epiro se Reges imposuerint. Quorum longe clarissimus fuit *Pyrrhus* ille castrametandi peritissimus, qui a Tarentinis in auxilium vocatos Romanos magnis cladibus affecit, Siciliam sui juris fecit, Macedoniam occupavit; Argis dum urbem eam armis invadit, jactu tegulæ e loco edito a fœmina, uti fertur, ictus occubuit. De tota familia ejus, & de posteris ac fortuna eorum alio loco a nobis dictum. Post Epirum & Acroceraunia, ubi litus in septentrionem primum, deinde in eurum se flectit, sedes tenuere *Illyrii* variis nominibus & institutis inter se distincti secundum mare Adriaticum, quo *Illyricum* ab Italia sejungitur, B in longum extensi usque in Istros ac Venetos. Tota vero hæc ora *Illyrici* portuosa est, & insulis plurimis magnitudinis diversæ obsita, secus quam habet opposita ora Italiæ, quæ portubus idoneis præter perpaucos destituitur. Quam ob causam Græci qui rebus maritimis pollebant, potentiæ suæ proferendæ avidi colonias in eandem *Illyrici* oram deduxerunt. Quarum prima post Oricum & Acroceraunia fuit *Apollonia* a Corinthiis & Corcyræis condita prope Aoum fluvium, a quo dissita erat stadiis X. a mari LX. optimis, ut ait *Strabo*, formata legibus. Post hanc *Epidamnus* a C Corcyræis exstructa in peninsula, mari accubans, cum portu commodissimo, *Dyrrachium* nuncupata a Romanis, urbs clari nominis, ad quam facillimus & brevissimus ex portu Brundusino Italiæ trajectus. Dein *Lissus*, Rhizinum in sinu sui nominis, Epidaurus, Corcyra nigra in insula, item Pharus: quæ distincte dicere non est instituti nostri. Hujus autem Illyridis pars, quæ est a Lisso ad initia Epiri, a Philippo Macedonum Rege, & filio ejus Alexandro armis domita, in jus & nomen Macedoniæ transiit. Ad ipsam Græciam redeo. Ætolis & Locris Ozolis finitimi in mediterraneis fuere Perrhæbi, Oetæi, Orestæ, D Thessalici generis: tum *Doris*, quam a quatuor urbibus tetrapolim vocabant, Phocidi etiam & Parnasso monti parte quadam confinis; regio aspera & montibus pressa, antiquissima, ut creditum, Dorum patria, populis aliis ob asperitatem non appetita: ideoque indigenæ sui tantum generis, & alieni sanguinis expertes, ac linguæ quoque illibatæ. Hanc regionem Hyllus, Herculis, a Rege indigena, quem ab aliis pulsum Hercules in regnum reduxerat, beneficii memore adoptatus, possedisse a morte adoptantis, & ad liberos suos transmisisse, traditur: dicunturque posteri ejus Heraclidæ cum Doribus regionis hujus in- E digenis in Peloponnesum rediisse, Duce & adjutore Oxylo Ætolo, quem cum Ætolis suis inter Eleos consedisse, & reliquas Peloponnesi regiones, Argolidem, Laconicam, Messeniam, arbitrio Heraclidarum ac Dorum permisisse, in describenda Peloponneso ostendi. Urbes Doridis quatuor has fuisse *Strabo* prodit, *Erineum*, *Boium*, *Pindum*, *Cytinium*: quas quondam licet haud magnas, & solo quoque infelice sitas, tamen aliquo in pretio fuisse ait: sed easdem bello Phocensi, & armis Macedonum, Ætolorum, Athamanum, ita dicit fuisse afflictas, ut mirum vi- F deri merito possit ad Romanos aliqua eorum vestigia pervenisse. Quod idem etiam dicit evenisse *Ænianibus* vicinis: hos enim ab Ætolis contra Acarnanas bellum gerentibus, deinde defatigatis iis, ab Athamanibus, gente Epirotica, conjunctis cum Amynta Macedonum Rege copiis, esse deletos. Fuere autem Ænianes Oetæ montis accolæ. Ad quem montem pertinuere etiam *Malienses* ad mare Ægeum pertingentes, a quibus sinus celeberrimus Maliacus oram eorum & litora curvans nomen fuit sortitus. In horum regione, quam Μηλίδα & Μηλιάδα promiscue *Herodotus* appellat, accurateque describit, inter Locros Epicnemidos ac Thessalos mediæ fuere Thermopylæ ante a nobis descriptæ. Extra Thermopylas ac trans montium juga inde in occidentem ad sinum Ambracium porrecta, *Thessali* regionem tenuere septentrioni obversam, maximam Græcarum omnium, atque alteram quasi Græciæ universæ partem, perpetuis illis jugis montium velut muro quodam a parte reliqua jam exposita seclusam. Ea a variis populis quondam habitata, uno tamen nomine *Thessalorum* comprehensis, ab omni plaga præcelsis montibus fuit vallata theatri in modum; habens in ortu oraque maritima Pelium & Ossam; a septentrione editissimum & fama celeberrimum, vertice supra omnes nubes, ut ajunt, assurgentem, & in longum protensum Olympum, Macedoniæ limitem; ab occidente Pindum; in austrino latere Othrym, & juga Oetæa a Thermopilis venientia. Valuitque opinio apud veteres, universam regionem devexam, montibus undique clausam, velut caveam Theatri, ob amnium copiam a montibus decurrentium, nec exitum reperientium, aquis tectam ingentis lacus speciem habuisse: post terræmotus vi, velut rupto aggere viam aquis patefactam inter Olympum & Ossam, quorum partes extremæ demissiores contiguæ fuerant, regionisque superficiem desiccatam hominum cultui idoneam sese præbuisse: & paulatim soli bonitate comperta frequentes colonos in eam immigrasse, terramque antea vastam, longe cultissimam & felicissimam fecisse. In qua describenda mirum videri potest, optimos authores cum primis prolixos ac operosos fuisse, & tamen quasi vacillantes, ac sibi adversantes lectorum animos heic illic perplexos & incertos reliquisse. Cujus causam conjectare magis, quam certo dicere possum. In populis quondam regionem habitantibus fuisse ex *Strabone* discimus *Pelasgos* gentem antiquam, ex Arcadia profectam, & in varia loca dispersam, armis inclytam: & *Æoles* istis priores, qui Æolico idiomati in Græca lingua originem dederunt, & colonias aliquot seculis ante Ionas in Asia ac insulis condiderunt: tum Hellenes, Achæos, Myrmidones ex Ægina Peleum Achillis patrem sponte secutos, Dolopes Pindi accolas, Dores Oetæis montibus finitimos, Dryopes, Perrhæbos, Lapithas, Phlegyas, Centauros, Estiæos, quorum alii alios sedibus expulerunt & alias in partes migrare coegerunt. Trojani belli tempore, si *Homero* credimus, & hujus fidem secuto *Straboni*, Thessaliæ partibus imperarunt Achilles Pelei filius omnium latissime, & Pelei beneficio Phœnix Achillis moderator, tum Eurypylus, Protesilaus, Eumelus, Polypætes, Podalirius & Machaon Æsculapii liberi, Philoctetes. Montes præter eos, quos jam diximus, qui regionem cingunt, multi alii feruntur, sed minores, & minus celebres; inter quos Nymphæum in Phthiotide dicit *Plinius* quodam topiario naturæ opere fuisse spectabilem. Fluvii plurimi e montibus decurrentes, & regionem rigantes: Princeps vero & cæteris major celebriorque *Peneus* Pindo monte ortus, & totam pene Thessaliæ longitudinem emensus, & reliquorum omnium, qui in hunc se exonerabant, aquis auctus, ac demum per amœnissima *Tempe* (sic nemorosam & aspectu delectabilem convallem nuncupabat) placido viridique alveo delatus inter Olympum & Ossam via sibi aperta, post modicum spacium tumido patuloque ore in sinum Thermaicum Ægæi maris abscessum se effudit. De quo tacere non possum, quin elegantissima Plinii verba lib. IV. cap. 9. adscribam. *Ante cunctos*, ait,


TEMPE
Delineatum et Editum Auctore

claritate Peneus, ortus juxta Gomphos, (*oppidum Pindo vicinum,*) *interque Ossam & Olympum nemorosa convalle defluens quingentis stadiis, dimidio ejus spacio navigabilis. in eo cursu Tempe vocantur, quinque millibus pass. longitudine, & ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra lævaque leniter convexis jugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu.* Hactenus *Plinius*. Et de eodem sic Solinus cap. 8. *De omnibus*, inquit, *Peneus est clarus, qui præter Ossam Olympumque decurrrens, collibus dextra lævaque molliter curvis, nemorosis convallibus Thessalica fecit Tempe, undique apertior Macedoniam & Magnesiam interluens in Thermæum sinum conditur*. In hunc influebant cum alii, tum *Apidanus* Enipeo auctus, qui ab Erythra veniens Pharsalum urbem clarissimam præterlabebatur, item Onochonus, Pamisus, Amphrysus, campum Crocium secans, & urbem Alon quondam alluens. In mare vero exibant prope Thermopylas, *Sperchius* Anticyram oppidum prætervectus, Dyras, Melas veteri Trachini vicinus, *Asopus* ejusdem cum Bœotio nominis, receptis prius Phœnicis aquis, amnis non magni. Et sunt in Thessalia *lacus* quoque insignes duo, quorum alteri majori Nesonis, alteri minori & oræ maritimæ propinquiori Bœbis vocabulum erat. Regio ipsa multò longior quam latior, a litore maris Ægæi quod orienti expositum erat, versus occasum in confinia Epiri gentiumque Epiroticarum extensa: Æmonia olim dicta, & Hellas, Achaia, Pelasgia, a nominibus illustriorum populorum, qui eam habitabant: unde Ἑλλάδος & Ἑλλήνων vocabula ad totam Græciam & omnes Græcos defluxere: & Achæorum nomen ad eos, qui sedes in Peloponneso tenebant, manavit. Sed invalvit demum omnibus illis populis qui regionem colebant, communis Thessaliæ appellatio, ne nunc quidem obliterata. *Strabo* partes ejus secundum mundi plagas distinguit, vocatque maritimam & Pelio monti vicinam orientalem, Oetæis montibus subjectam austrinam, ad Pindum appropinquantem occiduam, Olympo & Ossæ adjacentem ac Macedoniæ proximam septentrionalem. Paulò post aliter eam, eodem partium numero retento, partitur, & propriis nominibus singulas partes efficit, secutus credo rationes sæculi sui, cum omnia longè lateque Romanis parerent. Earum primam Phthiotidem, alteram Estiæotidem, tertiam Thessaliotidem, quartam Pelasgiotidem nuncupat. *Phthiotide* complectitur regionem omnem Thermopylis proximam, ortivæ partem, in qua Malienses, & quicquid inde in occasum vergebat secundum montes Oetæos cum Dolopum sede usque ad Pindi radices, in latitudinem se pandens ab Oetæis jugis ad urbem Pharsalum camposque Pharsalicos, quos Thessalicos quoque dicebant, victoria C. Cæsaris, & clade Cn. Pompeii nobilitatos. Hoc proprium regnum Achillis Græcorum ad Trojam militantium fortissimi, nomen ferens a Metropoli Phthia, & latus Thessaliæ austrinum obtinens. *Estiæotide* comprehendit tractum Thessaliæ occidentalem, qui inter montem Pindum & superiorem Macedoniam pandebatur: cui in zephyrum confines erant gentes Epiroticæ. Nomen ejus deducit ab Estiæis Euboicis, a Perræbis patria sede ejectis, & illuc traductis. *Thessaliotidi* assignat ea, quæ Olympo monti, & inferiori Macedoniæ vicina erant, & Phtiotidem longo spacio ad meridiem contingebant; in qua Pharsalus urbs inclyta, & campi Thessalici, & Larissa Peneo fluvio adjacens, erant. Denique *Pelasgiotidi*, in qua quondam fuerat Argos Pelasgicum, Pelasgorum caput, imputat reliqua post Penea fluvium in eam se partem flectentem, qua inter Olympum & Ossam erumpebat, & ad exitum in mare ferebatur. A quo flexu fluminis Pelasgiotis ad mare pertinebat, & maritimam oram Orienti obversam complectebatur. Cujus pars *Magnesia* erat, ad quam Thermaicus sinus ex patulo mari in terras se inferebat, & latus ejus boreum usque in Penei fluminis ostia alluebat. Magnesiæ proxima erat *Pieria* cum Piero ponte Musis sacro: unde principium sumebat ea parte ad mare vetus Macedonia. In priscis Thessaliæ populis post Phthiotas clarissimi fuere, & latissimè regionem coluere, plurimasque urbes tenuere *Perrhæbi* in Pelasgiotide circa Peneum fluvium ad ostia jam euntem, & juxta Olympum montem, locaque prope Tempe: & post Perrhæbos *Lapithæ* heic illic mixtim cum his ipsis habitantes, populus bellicosus: deinde *Centauri* in Pelio monte & juxta Pelium sedem tenentes, gens in primis fera. Sed *Lapithæ* invalescentes, suborta dissensione, Perrhæbos primum armis superatos, Duce Ixione & filio ejus Peirithoo, sedibus ejecere, & in montana, locaque Pindo proxima concedere coegerunt: deinde *Centauros* quoque adorti, Peirithoo ductore, occupato Pelio monte extorres fecere, quos inter Æthices in extrema Estiæotide consedisse ex *Homero* Strabo affirmat. Loca vacua victores Lapithæ pleraque insederunt. Relicta a Perrhæbis soli fertilissimi juxta Peneum Larissæi vicini, & qui ipsis confines, occuparunt, & aggeribus structis contra inundationes, quod ante neglectum fuerat, etiam cultiora reddiderunt. Ora vero maritima Thessaliæ, ut eam describit *Strabo*, sic habebat. Post Thermopylas, quod erat regionis initium, & a Cenæo promontorio extremo Eubœæ insulæ distabat stadiis LXX. Superchius fluvius inter Trachinem veterem & Lamiam lapsus ad stadium decimum exibat in mare: inde post stadia XX. sequebantur Phalara, a quibus in mediterranea recedebat intervallo stadiorum L. locus, quem Quindecim urbium dicebant. Post Phalara confectis navigatione stadiis quasi C. occurrebat in litore Echinus urbs: a qua introrsum vergebat *Larissa* pensilis alio nomine Pelasgia nuncupata, a mari remota stadiis XX. Tum juxta oram insula perexigua Myonnesus: mox in litore *Antron* oppidum, & Demetrium Cereri sacrum, Pyrasus quoque dictum, cum commodo portu. A quo versus mediterranea, declinantes *Thebæ Phthioticæ* distabant stadiis XX. juxta quas campus Crocius introrsum ad fines montis Othryos pertingens, Amphrysso amne irriguus, & supra eum campum Iton cum fano Itoniæ Minervæ: dein Phillus & Ichnæ oppida obscura. Antronem in litore sequebatur castellum nominatum asinus Antronis, & ab eo Pyrrha promontorium, duæque minutæ insulæ, Pyrrha nimirum & Deucalion. Atque ibi finis Phthiotidis ad mare. Eam continuo excipit Pelasgiotis & Magnesia, cum campo Pelasgico per stadia CLX. inde ad montem Pelium porrecto. In ea ora fuere *Pagasæ*, navale urbis Pherarum, distantes a Pheris spacio stadiorum XC. ab Iolco vero, quæ ad idem litus quondam fuerat, XX. & juxta eas in litore locus Aphetæ dictus. Pagasæo portu solvit olim navis Argo cum delectis Heroibus Argonautis, Duce Iasone Thessalo Æsonis filio, ad petendum vellus aureum. Illic posteris temporibus ob portus commoditatem condita fuit a Demetrio Poliorcete Antigoni filio, Macedonia potito, *Demetrias* urbs illustris & magna: quo præcipuo portu naviumque statione usi sunt deinceps Reges Macedoniæ: in cujus incrementum conditor convertit multa oppida vicina in vicos redacta, ejusque juri subjecit Tempe & u-

trumque montem Pelium & Offam. Et licet accifæ contractæque res ejus fint imperantibus illic Romanis, ut docet *Strabo*, tamen ipfa cæteris omnibus urbibus Magnefiæ manfit major. Totum vero hoc litus, in quo Demetrias fuit, ex urbe vetere prius ibidem fita, olim quidem felice atque ampla, fed feditionibus inteftinis labefactata, *Iolci* nomen retinuit, finuofum, inæquale, promontoriis horrens: in quo vicus Cafthanæus fub monte Pelio pofitus, & Hypnus & *Sepias* quondam oppidum & promontorium. Quo loco ftationem habens Xerxis claffis exorta tempeftate a vento fubfolano disjecta, ac in fcopulos heic illic illifa fædum naufragium fecit, ut prodit *Herodotus*, & breviter notat *Strabo*. Et eft tota circa Penei oftia navigatio per ftadia LXXX. ut ait idem *Strabo*, afpera, quemadmodum & circa montem Offam fpacio pari. Ultima ad Peneum in mare exeuntem Theffaliæ ac Magnefiæ urbs fuit *Gyrtone*, juris quondam Perrhæborum, qui tum Phlegyæ illic dicebantur. Oræ autem Magnefiæ proximo in mari objectæ fuere infulæ complures: quarum præcipuæ Sciathus, Peparethus, Icus, Alonefus, Scyrus, cum fingulis urbibus eorundem nominum: quas a fe occupatas Philippus Macedo Alexandri Magni parens, poft redactos in poteftatem fuam Magnetes, & adjunctos fibi reliquos Theffalos æmulatione Athenienfium, quibufcum de imperio maris certabat, reddidit illuftriores. *Ptolemæus* eandem hanc Theffaliæ oram fic defcribit: (libet enim verba ejus, fed ordine inverfo, ut ordini, quem fecutus eft *Strabo*, refpondeat, heic adiicere:) *In Phthiotide Sperchii fluvii oftia*, (hunc enim velut terminum regionis ponit, Thermopylas non nominat,) *deinde Thebæ Phthiotidis*, *Sperchea*, *Echinus*, *Lariffa*, *Pofidium promontorium*, *Demetrias*, *Pagafæ*: *tum in Pelafgiotide Iolcus*, *Æantium*, *Sepias promontorium*, *Magnefia promontorium*, *Penei fluvii oftia*. Hactenus *Ptolemæus*. Urbes in Theffalia ab autoribus memorantur multæ. Sed ante alias claræ fuere, in Phthiotide, *Trachin* non procul Thermopylis, & Superchio fluvio; & juxta hanc exolefcentem a Spartanis condita tempore belli Peloponnenfis *Heraclea*, ftadiis XL. a Thermopylarum anguftiis XX. a mari diftans; & ibidem *Anticyrrha*; & *Lamia* Lamiaco prælio inter Antipatrum Macedonem & Athenienfes a morte Alexandri pridem nobilitata, & bellis Romanis quoque celebrata: tum Thebæ Phthioticæ; *Alos* ad finem montis Othryos, irrigua amne Amphyffo; Echinus, Erineum, Coronea Bæticæ [1] cognominis, Melitæa, Thaumachum, Proerna, ac reliquas opibus & claritate fuperans *Pharfalus* ad confinia Theffaliotidis in mediterraneis & latiffimos campos Theffaliæ pofita, *Eretria* nominis ejufdem cum Euboica Paracheloitæ Acheloi fluvii non magni in hoc tractu accolæ. In Eftiæotide *Tricca*, *Ithome* loci conditione munita, *Metropolis* e pluribus oppidis conftans, *Polinna*, *Gomphi* Penei fluvii fontibus propinqui; omnes hæ non procul Pindo monte: item *Pharycadon* in confluente Penei & Curalii. In Theffaliotid' *Atrax*, *Lariffa* nobilis ad Penei ripam, diverfa ab ea quæ Penfilis dicebatur; unde jam receptis pluribus amnibus ad Tempe Peneus meabat, & inde inter Olympum & Offam enitens, Magnetefque a Macedonibus porro dirimens, ad mare ferebatur. Quo tractu vetuftiffimis etiam temporibus *Oechalia* fuerat, & *Ormenium* inclyti Phœnicis patria, *Afterium*, & *Arna*: a quibus Ormenium fub Pelio monte cum Iolco oppidifque aliis ortu Demetriadis pene defolatum, folo vico reliquo a Demetriade diffito ftadis XXVII. itinere terreftri, in quo itinere ruinæ jacebant veteris Iolci ab Ormenio diftantes ftadiis XX. a Demetriade VII. quæ iam Pelafgiotidis erant: tum Bœbe in eadem vicinia, e qua *Bœbeis* lacus quondam celebris nomen traxerat, a Demetriade quoque abforpta; & *Methone*, diverfa ea quæ in Thracia, & quæ in Peloponnefo; Clariffimæ vero *Pheræ* tyrannorum fedes, urbs bene munita, fplendida, ampla, populofa, in cujus foro fons celebris Hyperia, a Pagafis longo fpatio introrfus recedens. Dein Peneo vicinæ *Argiffa*, Orthe, Elone & *Gonni* utraque fub monte Olympo, item Olooffon; & quam ante jam dixi, ad Penei oftia Gyrtone, *Homero* notæ Troicis temporibus, Polypœtæ parentes; omnes in folo veterum Perrhæborum. Demum *Scotuffa* oraculo clara, Cranon, Mopfium, oppida Atraci appropinquantia, & quæ alia fuere juxta Neffonida & Bœbeida paludes feu lacus. Prope Scotuffam tumuli erant editi anfractuofi, a fimilitudine Κυνὸς κεφαλαὶ nominati, ad quas Philippus Macedoniæ Rex Perfei pater ingenti prælio a Romanis Duce Tito Flaminio [2] victus pacem petiit.

LIBER QUINTUS.

Habens defcriptionem oræ Macedonicæ & Thraciæ fecundum mare Ægæum, Hellefpontum, Propontidem, Bofporum, Pontum Euxinum, cum reliqua ora & ambitu ejus maris Pontici.

HActenus Græcia vetus vere libera, qualis erat ante tempora Philippi & Alexandri Regum Macedoniæ, quibus regnantibus ingens facta mutatio eft. De infulis, quæ continentem Græciæ incingunt, quæque alibi a Græcis habitantur, poft dicemus. Nunc reliqua continentis extra folum veteris Græciæ breviter exequemur. Theffaliam in ora maris Ægæi feptentrionem verfus excipiebat *Macedonia* olim arctioribus terminis finita, fenfim vero, prout fortuna Regum ferebat, ampliata. Quam inde *Thracia* fequebatur juxta idem mare, quæ flexo in orientem litore in Cherronefum, quæ & ipfa Thraciæ pars erat, & per eam ad Hellefpontum Europam ab Afia dirimentem procurrebat: ac deinde rurfum in boream fe tollens, & in ortum æftivum inclinans, fecundum Propontidem & Bofporum Thracium ad Ponti Euxini latus occidentale ufque ad Scythiæ Europææ initia pertinebat. Hæc omnis ora Græcorum coloniis frequentibus infidebatur, de quibus ftrictim dicemus. Poft Magnefiam Pieriamque, Macedoniæ latus fecundum mare Ægæum in feptentrionem affurgens, ad Strymonem fluvium, qui terminus Macedoniæ olim erat, admodum inæquale & anfractuofum fuit, propter finus & peninfulas prominentes. Sinus fuere quatuor, tribus peninfulis inter fe dirempti: quorum primus *Thermæus* magnus, & longe in terras fe inferens, a Therma civitate quondam celebri & ampla, in intimo ejus receffu pofita, nomen nactus, duobus promontoriis ad mare Ægæum finitus, Magnefio Sepiadi vicino, & Canaftræo in Pellene. Alter *Toronicus* a Torone urbe nuncupatus, peninfula Pellene a primo feclufus, eo multo minor. Tertius *Singiticus*, cui Singus civitas nomen dedit, quem Cherronefus, in qua Torone urbs nobilis fuit, a fecundo disjungit. Quartus *Stymonicus*, ingens quoque & late fufus, monte Atho longe in pelagus excurrente a Singitico feparatus; a Strymone fluvio inclyto, Macedoniæ & Thraciæ olim terminatore, qui in eum fe effundit, appellationem

1. voluit *Bœoticæ*.

2. Vulgaris error pro *Flaminino*.

tionem adeptus. Et hæ penisulæ tres ab isthmis suis recta in ortum se porrigunt. Ad sinum Thermæum fuit quondam *Dium* oppidum nobile in numero primariorum regni Macedoniæ, septem stadiis litore remotum ad radices montis Olympi, primum post Penei fluvii ostia, & Pharibi, quem illic *Ptolemæus* collocat, se offerens. Dein post Dium *Haliacmon* fluvius magnus totam latitudinem Macedoniæ emensus in eundem hunc sinum exit: a cujus ostio quæ sequitur ora litoralis in boream procedens ad Axium flumen Pieria dicta fuit: in qua urbs *Pydna* litori accubans, ad quam postremus Regum Macedoniæ Perseus ingenti pugna patenti in campo victus a Romanis, auspiciis Æmilii Pauli, regnum amisit. Tum *Methone* & Alorus oppida. Ad hanc Methonem Macedonicam Philippus Rex Alexandri Magni parens, sagitta e mœnibus ictus ab Astere quodam emissa oculum alterum amisit. Distabat Methone a Pydna stadiis XL. *Alorus*, quæ in agro erat Bottiæo, LXX. Deinc *Pella* magis ab ora recedens prope amnem Ludiam a lacu erumpentem, exigua olim, sed a Philippo Alexandri patre, qui in ea natus & educatus fuerat, in immensum aucta, factaque regni sedes. Tum *Axius* fluvius Haliacmone haud minor, post Bottiæam regionem & Ampaxitin diremptas, recepto Erigone amne alio memorabili, inter Chalestram & Thermam in sinum quoque eundem sese exonerans. Chalestra obscuri nominis. Sed *Therma* urbs nobilis, ut ante dictum, quæ sinui nomen ex se dedit, a Cassandro Macedoniæ Rege, Antipatri filio, qui Olympiadem Alexandri Magni matrem, & totam hujus domum regni causa sustulit e medio, multo etiam major facta, vicinis aliquot oppidis, Chalestra, Ænea, Cisso, atque aliis, in eam traductis, & ex nomine uxoris Thessalonica nuncupata. Post eam nihil fere memorabile in hoc sinu usque ad isthmum peninsulæ *Pallenes*, præter Æneam isthmo propinquam: cum qua quæ ab *Herodoto* recensentur oppida, dum iter Xerxis proximum ante Thermam exponit, Lipaxus, Combræa, Lissa, Gigonus, Camsa, Smila in regione Cressæa, nec in ora, nec originis Græcæ fuere. In isthmo autem Pallenes *Potidæa* colonia Corinthiorum, celebris famæ apud *Herodotum*, *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Diodorum*, Phlegra primitus dicta, ac Macedonum tempore a Cassandro eodem, qui opes ejus auxit, *Cassandrea* appellata; quo nomine ad ætatem *Strabonis*, *Melæ*, *Plinii*, *Ptolemæi* clara mansit. In ipsa porrò Pallene quanquam angustis finibus clausa, urbes insignes fuere *Scione* Pallenensium, qui Peloponnesum habitant, *Menda* Erythræorum colonia: item Aphytis & *Sane*: quibus *Herodotus* adjecit Neapolim, Ægeam, Thorambum, minus nota nomina. Scione & Menda historia *Thucydidis* celebratæ. Pallenen versus orientem hybernum finiit *Canastræum* promontorium Magnesio oppositum. In sinu Toronico *Torone* fuit in Cherroneso proxima, urbs clara Chalcidici generis. Cherronesus hæc in fronte, qua orientem aspicit, duo promontoria habet, quorum alterum, cui Derris nomen, sinum Toronicum terminat, alterum Ampelos a vite nuncupatum sequentem sinum Singiticum finit in latere austrino, cui Nymphæum in latere boreo ab Atho monte in pelagus procurrens respondet. In hujus sinus intimo recessu versus occasum sita fuit *Singus* urbs, ex qua sinui nomen datum, in ea regione, quæ a Chalcide Euboica coloniarum illic collocatarum Metropoli, Chalcidicæ nomen accepit. Regio hæc *Chalcidica* in ora maritima amplexa fuit Cherronesum Toronæam, sinum Singiticum, radices montis Atho continenti

A obversas, eumque tractum, per quem Xerxes fossam transmittendæ classi suæ depressit. In qua præter Toronen & Singum, quas diximus, urbes, *Olynthus* a Bottiæis Thracibus quondam habitata, dein Xerxeo tempore ab Artabazo Persa expugnata, & Chalcidicis tradita, factaque Chalcidicarum omnium longe maxima & celeberrima, a litore remota, diversis bellis, & actionibus Demosthenicis illustrem famam apud posteros consecuta, tum Mecyberna in litore, quo velut emporio aut navali Olynthii diu usi fuere, item Sermyla, Galepsus, Lecythus: quam regionis partem Thraces Sinti olim tenuerant ante colonos Chalcidenses. Deinde in sinu Singitico Assa, Pidorus, Sarga, & his major clariorque *Acanthus* Andriorum colonia, Atho monti vicina,
B omnes præter Lecythum ab *Herodoto* in exponendo itinere Xerxis nominatæ, *Arnæ* a *Thucydide* in Historia Brasidæ memoratæ, quas a litore absuisse non absre existimo. *Athos* mons inclytus sinum Singiticum a borea tegebat ingens & sublimis, attamen cultum hominum haud respuens, peninsulæ instar ob occasu in ortum contra Lemnum in pelagus Ægæum procurrens. Ejus isthmus, quo velut cervice exili cum continente cohærebat, angustus erat, inter hunc & sinum Strymonicum compressus, XII. stadiis non latior, ubi uterque sinus quam maxime in spacium se diffundebat: & erat ipsa peninsula, id est, Atho monte, multo humilior.
C Nam hæc cum procursu in pelagus simul assurgebat sensim in altum, simul utrimque sese dilatabat. In hoc monte quinque oppida collocant *Herodotus & Thucydides*, ac horum autoritatem secutus *Strabo*, Thyssum, Claonas [1], Olophyxum, Dium & in vertice montis positum Acroathon, quas mixtim a diversis barbaris, & Græcis Chalcidici generis ac Pelasgis e Lemno, utriusque linguæ gnaris, habitatas fuisse *Thucydides* perhibet. Atque has ajunt Xerxem, cum fossa montem a continente abscinderet, cum ipso monte insulanas fecisse: sextam vero urbem *Sanen*, quam superioribus annumerant,
D quamvis ab Andriis conditam, sitam prope fossam sinui Singitico appropinquantem, insula exclusisse. Totum Athon in mare prominentem, & in cacumen sensim se efferentem, mammillæ assimilat *Strabo*, & in eam altitudinem assurgere sibi persuadet, ut e vertice ejus Solem diu ante verum ortum conspici posse affirmet: quod tamen sine dubio fabulosum. Ima ejus in ambitu, maxime in fronte, asperis saxis horrent, & circumnavigationem periculosam habent: præsertim cum proximum pelagus ob montis altitudinem repentinis ventorum verticibus ac procellis obnoxium sit. Quam ob
E causam Xerxes, qui classis unius jacturam illic jam ante fecerat, alteram, cum qua ipse in Græciam tendebat, legendo litus ac montem circumeundo, quod cæteroqui instituti ejus erat, eidem periculo objicere ausus non fuit, ideoque traducendæ classi fossam illam famosam ad peninsulæ cervicem labore & impendio maximo deprimi curavit. Ultra Athon in sinu Strymonico cum aliæ erant urbes, tum natalibus Aristotelis Philosophorum coryphæi inclyta *Stagirus*, itinere stadiorum CCCC. ab Acantho disjuncta se offerebat, & post eam Argilus, utraque Andriorum colonia in ipso litore sitæ. Et has sequebatur *Eione* in ostio Strymonis fluvii a
F Mendæis structa; atque ad eundem fluvium superius posita intervallo stadiorum XXV. ab ostio & Eione illustris & priores rerum omnium copia ac magnitudine populique frequentia superans *Amphipolis*, in Hedonum regione ab Atheniensibus condita. Locus olim Novem-viæ dictus, ut ex *Herodoto* & *Thucydide* discimus: quem primus habitandum cepit Aristagoras Milesius iram

1. *Cleonas* appellant auctores.

Darii Persarum Regis fugiens: sed is ab Hedonibus cum novis colonis interemptus victoribus locum reliquit. Nec diu post Xerxes Strymonem ponte ibi junctum cum copiis suis transiit, transitumque diro sacrificio signavit. Deinde Athenienses anno post Aristagoræ casum XXXII. ut ait *Thucydides*, locum condendæ coloniæ delegerunt, colonis quasi X. millibus partim ex suis, partim aliis voluntariis istuc missis. Sed & his ad Drabescum oppidum Thraciæ a Thracibus occisis, iidem Athenienses post annos ab hoc eventu XXIX. sexennio ante principium belli Peloponnesiaci, quod loci commoditas mirificè arrideret, novos colonos eodem misere Duce Agnone Niciæ filio: a quibus per mare Eionem (ea tum in potestate Atheniensium erat) advectis locus ejectis Hedonibus occupatus, & urbs structa: cui nomen Amphipolis ex re datum ab Agnone. Nam fluvius Strymon pene in gyrum ibi decurrens locum urbis utrimque cingebat, & quod ad claudendum eum deerat, id longo muro repente excitato, & a ripa in ripam extenso clausum a colonis fuit. Et huic proximus erat locus alius ad eundem fluvium, quem condendo novo oppido Histiæus Milesius a Dario Rege Persico ob fidem ipsi e bello Scythico revertenti præstitam, vitamque cum exercitu conservatam, acceperat: sed antequam opus confectum haberet suasore Megabyzo Sardes revocatus, & in aula Regis manere jussus fuerat.

Atque hactenus ora marittima Macedoniæ a Penei fluvii ostiis ad Strymonem in mare exeuntem, quibus finibus juxta Ægæum pelagus regnum hoc terminabatur usque ad Philippum Regem Amyntæ filium: qui victricibus armis ab omni latere fines regni ampliavit. Sed finibus illis priscis etiam ante Philippum haud pauci populi comprehendebantur, qui a sanguine veterum Macedonum erant alieni, quamvis illorum imperio parerent. *Macedonum* enim regnum ab incunabulis suis angustum fuit, a Thessalis incipiens, & mari propinquans, ubi urbes Dium, Pydna, Pella, Ægium, primum Regum Temenidarum ab Hercule ortorum domicilium. Cætera paulatim accrevere. In populis autem illis plurimi fuere Thraces, nominibus & institutis, ac quondam imperiis quoque divisi, plerique conditionis libertati proximæ, ut Bottiæi, Mygdones, Bisaltæ, Sintici, Hedones. Quæ post Strymonem in ora fuere usque in amnem Nessum, Philippus Rex Alexandri Magni parens Thraciæ adempta Macedoniæ suæ adjecit. Ora hæc cum sinu Strymonico statim a fluvii ostio se flectens ab occasu in ortum fertur. Intervallum inter utrumque fluvium *Ptolemæus* metitur gradu uno cum dimidio in parallelo latitudinis gradus XLI. & scrupulorum XXV. qui gradus cum dimidio stadia efficit quasi DXLIIII. Oppida illic recensentur, Drabescus prope Strymonis ostium, Gapselus, Oesyma, ambæ coloniæ Thasiorum, memorata a *Thucydide*: Pergamum, Niphrages, Pisfyrus, ab *Herodoto* nominata. A recentioribus, *Strabone Mela, Plinio*, adduntur, Datus in regione felicissima, Apollonia, Neapolis, Pastes juxta oram, & intus *Philippi* oppidum a Philippo Rege conditum, ubi prius erant Crenides auri & argenti fodinis celebres, ob quas potissimum Philippus Rex regionem invasit, ut hinc paratam perpetuo pecuniæ copiam habere posset solvendo militibus stipendio, & gerendis, quæ meditabatur, bellis. Crenidibus a septentrione imminebat & toti regioni prætexebatur mons *Pangæus* auri argentique venis dives, inter quem & litus oppidaque maritima Xerxes cum exercitu iter faciebat in Græciam tendens. Et erat totus ille tractus a Strymone ad Nessum metallorum cumprimis ferax, aliisque rebus copiosus. Ob quam caussam *Thasii* vicini coloniis illic collocatis, & opera in exercendis officinis & fodinis posita, opibus magnis aucti invidiam sociorum suorum Atheniensium in se moverunt, & in contentionem cum iis prolapsi arma eorum provocarunt: quibus fracti imperata tandem facere necessum habuere, quod fortunæ ipsorum plurimum minuendæ fuit. Reliqua trans Nessum regio in orientem procedens etiam apud posteros *Thraciæ* nomen retinuit ad finem usque Europæ. In ea maritimæ urbes Græci generis, *Abdera*, Democriti Philosophi patria, ubi quondam vetus oppidum Thracum fuerat, a Teiis extorribus natali solo ejectis Cyri Persæ tempore condita; tum Dicæa, *Maronea*, Stryma Thasiis quoque originem suam debens: inter quam & Maroneam lacus famosus Ismaris, quemadmodum alter Dicææ contiguus Bistonis. Et post has Samothracum castella, quorum primum in occasu Mesembria Strymæ vicina, & *Doriscus* murus inclytus recensione copiarum Xerxis, litori adjacens, cui Darius Xerxis pater in Scythas ducens præsidium Persicum imposuerat, & eodem nomine campus spaciosus secundum litus extensus, per quem *Hebrus* fluvius ingens ex adverso insulæ Samothraces in mare defertur; eoque in litore *Sala* oppidum Samothracum & Zona oppidum alterum: tum *Ænos* urbs Æolica, ubi Polydori sepulchrum, cum Stentoride lacu ac portu: denique fluvius *Melas* in sinum nigrum, cui a fluvio nomen, decurrens, cujus aquam bibenti exercitui Xerxis non suffecisse *Herodotus* perhibet. Nec procul inde *Isthmus*, quo *Cherronesus* nobilis velut angusta cervice cum reliqua Thracia cohæret. Ea cervix ad septentrionem penisulæ pertinens qua maxime arctabatur inter duo maria, ut idem prodit *Herodotus*, lata erat stadiis XXXVI. ipsa vero peninsula seu *Cherronesus* a cervice in austrum extensa longitudinem habebat stadiorum CCCCXX. latitudine inæquali, tribus maribus cincta, a septentrione Propontidis parte, quod latus sensim in austrum declinabat, ab ortu Hellesponto Asiam ab Europa illic dirimente, ab austro & potissimum ab occasu pelago Ægæo & ejus portione sinu nigro. Tota soli felicissimi, a Thracibus Doloncis olim habitata, & simul coloniis Græcis in ora non infrequens. Quæ qnomodo in potestatem Miltiadis Atheniensis, Cypseli filii, devenerit, Crœso apud Lydos regnante, & ei Stesagoras, frater hujus Cimone natus, ac Stesagoræ Miltiades frater in dominatu successerit, Herodotus lib. VI. accurate exponit. Urbes in ea claruere florentibus Græcorum rebus, *Cardia* & *Pactya* in peninsulæ cervice, latitudinem ejus utrimque finientes, illa ad sinum nigrum, ab occidente, hæc ad Propontidem in oriente: quas Miltiades Cypseli filius, qui coloniam novam civium Atticorum in Cherronesum deduxit, perpetuo muro repente excitato junxit, ad prohibendos Absinthiorum vicinorum, qui Doloncorum hostes erant, in regionem incursus. Quo eodem loco, postero tempore, Lysimachus Macedo e numero successorum Alexandri ingentem urbem *Lysimachiam* e nomine suo dictam condidit, utramque priorem ea complexus, utriusque nomine etiam cum fortuna perempto. Cardia oriundi fuere, Eumenes illustris belli Dux sub Alexandro & post eum, ab Antigono proditione Argyraspidum eversus, cujus res peculiari libello *in parallelis* Plutarchus espofuit; & Hieronymus Historiæ sui temporis scriptor celebris. A Cardia in latere peninsulæ occiduo meridem versus portus duos recenset *Plinius*, Panthormum & Cœlon: & hunc quidem *Mela* quoque memorat, & clade Laconicæ classis ab Attica illic superatæ notatum fuisse dicit:

miniſſe nuſquam reperio. In fronte, quæ auſtro maxime obvertitur, *Elæus* urbs Græca fuit non ignobilis generis Æolici, antiquiſſimis ſcriptoribus, *Herodoto*, *Thucydidi*, *Xenophonti*, & recentioribus, *Straboni*, *Melæ*, *Plinio*, *Ptolemæo*, nominata. Et juxta eam verſus ortum turris & delubrum Proteſilai, oſſibus hujus ſacrum, ab indigenis magna religione cultum, ab Artaycte Perſa improbe & petulanter bello Xerxeo violatum. Deinde Κυνὸς σῆμα (ſic dicebant locum, in quo Hecuba ſepulta) promontorium editum acuto angulo procul in pelagus prominens, ad quod claſſis Attica cum Peloponnenſium claſſe difficili prælio decertavit anno belli Peloponneſiaci XXI. victoriamque tandem obtinuit. Poſt Cynoſſema recentiores, quos dixi, *Mela*, *Plinius*, *Solinus*, *Ptolemæus*, memorant *Maſtuſiam* promontorium, nulli vetuſtiorum, qui nunc extant, nominatum: ſed de ſitu non videntur unum & idem ſentire. De *Strabone* non liquet geographo diligentiſſimo, quia pars illa apud eum, quæ eſt de Thracia & Macedonia, integra ad nos non pervenit. Plinii lib. IV. cap. II. verba de hoc tractu ſic habent: *Dein* (ſcilicet poſt Seſton & Helleſponti anguſtias verſus meridiem) *promontorium Cherroneſi Maſtuſia adverſum Sigæo, cujus in fronte obliqua* (Maſtuſiam intelligit) *Cynoſſema, ita appellatur Hecubæ tumulus, ſtatio Achæorum, turris & delubrum Proteſilai; & in extrema Cherroneſi fronte quæ vocatur, Æolium oppidum Elæus. Dein petenti Melanem ſinum portus Cœlos & Panhormus, & ſupra dicta Cardia.* Hactenus *Plinius*. Solus *Mela* inter Cynoſſema & Elæuntem collocat Macidon [1]. Cum his locis, cum quibus litus ſe ſenſim flectit a parte Europæ, pelagus *Helleſpontium* cœpit, quemadmodum cum Dardanio promontorio aut Sigeo aut litore Rœteio a parte Aſiæ. In Cherroneſo poſt Cynoſſema & Maſtuſiam in aquilonem proxime ſequitur locus, ubi Helleſpontus maxime in anguſtum cogitur, ſeptem ſtadia in latitudine non ſuperans; quo loco Xerxes ad traducendas copias pedeſtres & equeſtres ponte eum ſtravit, ora in pelagus peninſulæ cujuſdam minoris inſtar prominente; & prope eum fuit *Seſtus* civitatum Cherroneſi præcipua & munitiſſima, habens portum cum ſtatione navium oportuniſſimum, colonia Æolica, Patria Herus amicæ Leandri Abydeni, natatu Helleſpontum per noctem ad amicam trajicere ſoliti; cui ex obliquo Abydus in litore Aſiæ reſpondebat cum portu quoque egregio, declinans paulum ad auſtrum a pontis loco, ut Seſtus ad boream. Ipſæ civitates inter ſe diſtabant, ut ait *Strabo*, e portu in portum ſpacio ſtadiorum fere XXX. Poſt Seſtum deinde & turrim Herum ex intervallo ſatis longo circiter CLXX. ſtadiorum, in eandem plagam aquilonarem in eodem litore Cherroneſi quondam erat *Callipolis* oppidum Græci generis in pelagus prominens; cui ex adverſo in Aſia oppoſita fuit Lampſacus, nulli in iſta ora poſt Abydum opibus & celebritate inferior, a Callipoli disjuncta trajectu ſtadiorum XL. ſecundum *Strabonem*, quamvis plus quam dimidio anguſtiorem illic Helleſpontum ætate ſua fuiſſe *Xenophon*, rem ad flumen Ægos geſtam deſcribens, oſtendat. Callipolis haud dubie *Herodoti*, *Thucydidis*, *Xenophontis* ætate recentior, quia ſilentio ab iis tecta. Inde vero levi flexu litus ſe torquens in eorum [2] Propontidem aperit, ubi Ægos flumen in pelagus exiit, inſigni clade claſſis Atticæ a Lyſandro oppreſſæ nobilitatum, qua fortuna omnis Athenienſium concidit: ipſæque Athenæ paulo poſt terra marique obſeſſæ, & deditione captæ

A finem belli Peloponneſiaci dedere. Solus *Plinius*, quod ſciam, flumini Ægos Ciſſam apponit, ſeu oppidum ſeu forum aut caſtellum, adjungitque in eadem ora Propontidis Crithoten & Tyriſtaſin Pactyæ appropinquantem. *Xenophon* oppidum *Chidriam* in interioribus Cherroneſi non procul a loco cladis ad flumen Ægos confugium victis Athenienſibus fuiſſe ſcribit. *Ptolemæus* Cyllam Seſto vicinam inducit. Extra Cherroneſum in ora Propontidis, quæ poſt Pactyam & longos muros in aquilonem ad Boſporum uſque Thracium aſſurgit, urbes olim fuere *Biſanthe*, *Perinthus* Samiorum colonia, ante Heraclea & Mygdo- B nia nuncupata, in anguſta cervice peninſulæ exiguæ ſita, *Selybria*, denique *Byzantium* in ipſo Boſpori initio, Megarenſium opus e regione cæcorum, qui ex eadem oriundi civitate loco multo deteriore trans Boſporum in ora Aſiæ, cum locus uterque vacaret, Chalcedonem paulo ante condiderant. Sedet Byzantium in promontorio editioris ſoli, tribuſque maribus tribus a lateribus alluitur, a meridie Propontide, ab ortu Boſporo, a borea ſinu Ceratino ob ſimilitudinem cornu cervini ſic nuncupato, qui occaſum verſus ad longitudinem ſtadiorum quaſi XXVI. ex Boſporo in ter- C ras ſe infundit: Is portum efficit commodiſſimum, quo hodie urbes ab oppido minore, cui olim Galatæ, hoc tempore Peræ nomen eſt, dividitur. Quartum urbis latus in mediterranea verſum, & ſolem occidentem adſpiciens, ſublimi & valido muro clauditur. Ex lateribus vero his duo, quæ Propontidi & Boſporo expoſita ſunt, ita inclinata ſe porrigunt, ut in unum latus incurvum abire videantur, eaque ratione trilatera potius quam quadrilatera urbs dici queat. Quam urbem qui tenet fauces Propontidis & Ponti Euxini obſidentem, commercia maritima utriuſque maris in poteſtate habet. Condita primum, ut dixi, a Megarenſibus D oraculi monitum ſecutis; aucta a Spartanis, Principe Pauſania poſt fugam Xerxis e Græcia; & ſæculis ſequentibus major etiam facta; demum a Septimio Severo Romanorum Imperatore irato poſt longam obſidionem & varios labores capta & exciſa; ſed a Conſtantino M. multo tempore poſt eodem loco inſtaurata, & ex ipſius nomine Conſtantinopolis novaque Roma appellata, ſedes propria Imperatorum Romanorum, qui rerum in oriente potiebantur; ab hac inſtauratione jam multo amplior, illuſtrior, magnificentior, quam fuerat unquam ante. Situm ejus commodiſſimum & E totam formam cum magnitudine, poſt *Strabonem* & alios, proxima memoria accurate deſcripſit *Petrus Gyllius* Gallus αὐτόπτης, & diligens admodum ejus obſervator. Nunc Turcarum Imperatori, a quibus anno Æræ noſtræ MCCCCLIII. expugnata eſt, intus fœde affecta, & ut plurimum privatis ædificiis vilibus obſita, cum infamia Chriſtiani nominis ſedem præbet. Boſporus ex ſpatio Propontidis latæ ad urbem hanc in arctum coactus in modum freti aut marini brachii Europam & Aſiam hac parte diſterminans, Byzantium, & ſinum, quem dixi, prætervectus, relictis a dextris Chalcedone in litore Aſiæ, ex adverſo Byzantii ſita, F in occaſum æſtivum ventumque circium ſeſe incitat, & emenſus in univerſum ſtadia CXX. ut apud *Herodotum* legitur (licet *Strabo* brevius id ſpatium repræſentare videatur,) per anguſtas fauces in Pontum Euxinum exit. Ori vero ejus præjacent inſulæ duæ minutæ Cyaneæ dictæ, quarum altera extremo promontorio ceu angulo Europæ, altera Aſiæ appropinquat, disjunctæ inter ſe ſtadiis XX. & pari intervallo a duobus templis, quæ erant in utriuſque continentis litore, alterum Byzantiorum, alterum tamen locorum auctores vetuſtiores me-

1. *Madyton* vocavit Mela. 2. Vitium in ſcriptura.

terum Chalcedoniorum, distantes. Ab extimo autem ore introrsum ad stadia decem promontorium haud magnum a parte Europæ prominens Bosporum tantopere arctabat, ut ultra quatuor stadia, secundum *Herodotum* & *Plinium*, aut stadia quinque, secundum *Strabonem*, non pateret. Quo loco Darius Persarum Rex, Xerxis pater, in Scythas ducturus Bosphorum ponte stravit, perque eum copias suas septingentis armatorum millibus non minores ex Asia in Europam traduxit, atque inde per Thraciæ fines ad Istrum similiter ponte junctum cum iis pervenit, eoque etiam transmisso in hosticum duxit. Ab hoc pontis loco ad portum Ficus in eadem Bospori ora *Strabo* numerat stadia XXXI. & ab eo ad initium sinus, qui ad boream Byzantium tegit, atque a Pera secludit, stadia quinque. Quibus omnibus si quis adjecerit sinus latitudinem, qua terras incipit ingredi, ac totum latus urbis Byzantinæ, quod ingens est, conficiet totam Bospori, secundum mentem *Strabonis*, longitudinem ab Euxino mari ad Propontidem. Pontus Euxinus, mare ingens, post exitum Bospori modice litus Thraciæ submovet in occidentem, mox secundum idem litus in septentrionem erectum se fundit ad citimum os Istri fluminis, quod pluribus ostiis ceu brachiis in Pontum effluit. Eo litore non pauca oppida quondam fuere, partim Græca, partim barbara, in quibus *Phthinopolis* Bosporo proxima, *Andriaca*, *Salmydissus*, *Anchiala* castellum Apollinatum, *Mesembria* primitus colonia Megarensium, deinde tempore Darii Regis Persarum a profugis Byzantinis & Chalcedonensibus classem Phœniciam adventantem formidantibus aucta, supra quam mons Æmus in litus maris Euxini procurrebat: tum *Naulochus* trans Æmum, castellum structum a Mesembrianis; hinc *Odessus* Milesiorum opus, Crulii, *Apollonia* insignis Milesiorum colonia, partim in litore, partim in insula structa; *Bizona* terræmotibus afflicta; *Calatis* colonia ab Heracleensibus, qui in ora Ponti fuere, deducta, longo intervallo ab Apollonia remota; *Tomi* Getica urbs, apud quos Ovidius Poeta jussu Augusti Cæsaris exulavit, & obiit; denique *Ister* oppidum a Milesiis conditum. Post quod *Ister* fluvius ostio sacro, quod citimum in Pontum effundebatur; ac deinde cætera magis borealia, quæ insulas aliquot lapsu suo efficiunt: Et post ea litus porro in eundem boream longo spacio progrediens ad ostium fluvii *Tyræ*, adeoque ulterius etiam: deinde ingenti flexu in ortum sensim se vertens ad egressum maximi ac uberrimi fluvii *Borysthenis* pervenit, ad quem interius stadiis quasi CC. ab egressu urbs ejusdem cum fluvio nominis, condita a Milesiis, quam *Olbiam* etiam dixere ob fortunæ ingens incrementum, amplum sane Græci nominis emporium. Mox Borystheni vicinus fluvius *Hypanis*, juxta quem animalcula nasci ἡμερόβια, id est, unum tantummodo diem viventia, *Aristoteles* tradidit, in exitu aquas suas cum ostio Borysthenis confundens. Qua in ora Græcos quoque habitasse *Herodotus* nos docet. Ibi insula utriusque jam dicti fluvii ostio objecta, quam Borysthenem etiam nuncuparunt. Tum in litore *Argos* Oresticum, regio Hylæa, a qua in mare procurrit angusto collo continenti connexa peninsula, quam δρόμον *Achillis* vetustas dixit, ora Tauroscytharum, oppidum *Tamyraca* in sinu, qui terras illic ingreditur & littus curvat, & *Carcina*, ex quo sinui nomen datum, unde litus a borea in austrum rursum descendit, & occursu litoris alterius isthmum efficit, quo ingens *Cherronesus* Peloponneso non multo minor, si *Geographis* priscis credimus, *Taurica* aut Scythica iis dicta, continenti connexa fuit. Hæc ab Isthmo in meridem vergens laceris & anfractuosis litoribus incincta, & hic illic in promontoria vaste diducta multo maxima sui parte Euxino ponto circumluitur, *Carciniten* sinum, qui portio Euxini est, in circium ventum aspiciens ab occasu hyberno; a meridie, ab hyberno ortu patulo pelago Euxino verberata; ab ortu æquinoctiali *Bosporo Cimmerio*, rursumque post Bospori initium boreale usque ad Isthmum a parte borea palude Mæotide terminata. Tota plana, & soli frugum feracissimi, excepto montano tractu uno, qui Cimmerius fuit dictus, juxta Theodosiam: unde magni frumenti copia quotannis in Græciam vectari solet. Promontoriorum præcipua & maxima sunt Parthenium post sinum Carciniten in occidentem longissime procurrens, peninsulamque minorem cum isthmo efformans, & κριῦ μέτωπον, id est frons arietis, versus meridiem in Pontum procul se efferens, & occursu Carambis promontorii ab ora Paphlagoniæ Pontum haud parum coarctans. Oppida quæ per ambitum ejus in ora olim fuere, perplexe a *Strabone*, *Plinio*, *Mela* exposita sunt, ut quid fere sequare, haud reperias. Nomina pleraque orginem Græcam redolent.

In Carcinite sinu *Eupatorium* recensetur, Mithridatis Eupatoris, qui his locis rerum potitus est, nomini dicatum: *Cherronesus* urbs insignis in peninsula minore, quam dixi, a qua Parthenium promontorium virgini sacrum in pelagus procurrit, posita prope ejusdem isthmum, colonia Heracleotarum illorum, qui in ora regni Pontici floruere; quam eandem urbem Megaricem quoque dictam *Plinius* significat, quondam liberi juris, & libertate rursum a Romanis post debellatum Mithridatem donatam: dein urbs ejusdem nominis diruta, & *Lampas*: post quam promontorium, quod κριῦ μέτωπον vocarunt; mox *Charax*, *Lagæa*, & a longo intervallo a sinus minoris recessu *Theodosia* urbium Cherronesi Tauricæ clarissima, cum portu uberrimo centum navium capace, & agro frumenti feracissimo; ex qua Regem Leuconem (Reges enim peculiares omnis hæc regio habuit usque ad Mithridatem Eupatora, cui postremus Rex a barbaris pressus sponte Mithridati Regum ejus ætatis potentissimo regnum tradidit) multas myriades medimnum frumenti Atheniensibus misisse perhibetur. Hanc eruditi hujus sæculi *Cafam* esse credunt, proximis temporibus nobile Genuensium emporium. *Plinius* distitam eam fuisse a fronte Arietis millib. pass. CXXII. ab urbe Cherroneso CLXV. affirmat. Atque hic terminus fuit Tauricæ regionis: ulteriora Bosporanorum fuere soli undique lætissimi ad exitum Bospori in Pontum Euxinum, qua parte oppida vicique frequentes. *Bosporus* ab ortu Cherronesum claudens longitudinis modicæ, latitudinis variæ; e vasta palude Mæotide veniens, & alveo suo Asiam ab Europa dividens, fundi cænosi, latissimus ab initio sui, arctior qua in Pontum egreditur. Ad mediam ejus longitudinem *Panticapæum* fuit oppidum inclytum atque amplum in tumulum erectum, recto itinere a Theodosia distans stadiis DXXX. Metropolis regni Bosporani, ambitu complectens stadia XX. ab ortu portum commodum in ipso Bosporo habens XXX. navibus recipiendis idoneum, & arcem Milesiorum opus. Cui e regione in Asia in ripa ejusdem Bospori respondebat *Phanagorea*, intercedente freto illic maxime in arctum coacto stadiorum, ut tradit *Strabo*, LXX. Prope exitum Bospori in Ponti litore nominatur a Geographis *Nymphæum* cum portu oppidum egregium, & *Acra* in ipso Bospori exitu, superius autem prope Bospori ejusdem initium in ora Mæotidis paludis *Myrmecium*, & *Parthenium*, & his in Asia oppositum *Achilleium*.

A Alia loca hujus plagæ omitto, quæ plura recensentur. Bosporanum regnum Bosporo assitum majore sui parte in Cherroneso & Europa fuit, reliqua minore in Asia. Post quod Ponti litus longissimo tractu ut plurimum contra Solem orientem procedens, demumque molliter in euroastrum obliquans, denique in austrum vergens, ingenti flexu in occidentem revertitur, donec tandem immania spacia emensum ad Bosporum Thracium, de quo supra dictum, recurrat. Habitarunt in hoc vasto ambitu Ponti Euxini, præter eas, quas jam diximus, variæ nationes Barbaricæ litus attingentes, sed Græcis notiores *Colchi* ab oriente Pontum B terminantes, per quod aurifer fluvius *Phasis* juxta urbem ejusdem nominis in mare deferebatur: quorum Rex Æeta, Medeæ parens, ad auferendum aureum vellus a Poetis celebratum a Iasone Thessalo & cæteris Argonautis bello petitus, & a Medea filia proditus fertur: gens ditissima, sed veneficiis & magicis artibus infamis: cujus initium a borea *Dioscurias* urbs, finis ad meridem *Trapezus* Cappodociæ accensa in ipso litoris flexu versus occidentem. Tum Cappadoces late regionem tenentes, & Paphlagones, & Mariandeni [1] & iis mixti post Gallorum in Asiam influxum Galatæ, & gentes aliæ Ponticæ, & demum Bithy- C ni Thracum cognati, qui ad Bosporum Thracium & Propontidem pertingunt. Totius autem maris Pontici longitudinem a litoribus Thraciæ aut ostiis fluminis Istri, quæ sunt in termino occiduo, usque in Colchos orientalis litoris accolas, *Herodotus* æstimat stadiorum undecim millibus & centum, latitudinem, ubi ea maxima est, tribus millibus & ducentis. Alii aliter. *Strabo* longitudini detrahit stadiorum tria millia & amplius, latitudini etiam mensuræ modum non parvum; ambitum universi hujus maris definit stadiorum XXV. millibus, nisi numeri a librariis vitiose scripti sint. D In ora hac Ponti austrina civitates illustriores sunt, *Heraclea* finibus regni Pontici ascripta, copiosa & illustris, colonia Milesiorum; diu libera & sui juris: colonias alias ex se genuit, deinde tyrannorum imperium passa. Dein post Parthenium fluvium in mare Ponticum exeuntem in eodem Pontico regno *Amastris*, quam struxit & ex suo nomine vocavit Amastris uxor Dionysii Heracleæ tyranni, nata ex fratre Darii ultimi Persarum Regis; tum oppidum *Carambis*, a quo promontorium procul in pelagus procurrit, deinde *Sinope* urbium in litore hoc Pontico præstantissima, a Milesiis quoque condita, rebus maritimis ante alias E potens, posita ad cervicem peninsulæ, quæ forma pene circulari in mare illic prominet, difficilesque ob asperitatem petrarum accessus in circuitu habet, portus autem duos juxta cervicem, alterum in latere ejus occiduo, alterum in latere ortivo, per quos recipiendis classibus idoneam eam efficit: urbs inprimis bene munita & ædificiis publicis ac privatis splendens, multo tempore libera, nec ulli Principi aut Domino parens, sed tandem a Parnace II. Ponti Rege, cujus parens bello aliquandiu eam fatigaverat, vi capta in potestate Regum Ponticorum permansit, quoad regnum illorum F incolume stetit. Natus in ea fuit & educatus Mithridates Magnus, cui cognomen εὐπάτωρ, Parnacis II. nepos, Rex potentissimus, qui eam propterea excoluit impense, & regni sedem sui fecit. Aberat Sinope a fano Dianæ in intimo angulo agri Chalcedonensis ad principium Bospori Thracii sito stadiis ter millibus quingentis, ab Heraclea bis millibus; a Carambe DCC. Patria hæc fuit *Diogenis Cynici* Philosophi fama inclyti, & aliorum doctrina florentium.

1. Mariandyni.

Post hanc longius in ortum vergens *Amissus* & ipsa urbs in ora Ponti illustris, trans Halym fluvium inclytum, qui Paphlagoniam a Cappadocia dirimebat, opibus & operibus egregia, populoque quondam frequens, colonia Milesiorum, aucta a Principe Cappadocum, novisque colonis locupletata ab Atheniensibus Duce Athenocle, novumque ei nomen Piræi tributum, postremo incrementum eidem dedit Mithridates Eupator urbe nova adjecta, & ex nomine suo Eupatoriam nuncupavit. Quo regnante Amisus post Sinopen a Lucullo Romanorum Imperatore capta: deinde varia fortuna usa, a Stratone tyranno graviter afflicta, denique ab Octaviano Cæsare Augusto post Actiacam victoriam libertati reddita. Amisum porro *Themiscyra* secuta, campus planus miræ felicitatis mari adjacens, in quo Amazones coloniam posuere; per quem Iris fluvius e variis amnibus concurrentibu collectus, & post eum *Thermodoon* priore clarior, in mare decurrerunt. Deinde in ora oppidum probe munitum *Pharnasia* a conditore nomen ferens, eique pene cohærens Cerasus ab *Arriano* pro oppido uno cum Pharnacia accepta: demum *Trapezus* in ipso flexu litoris ad Colchidis initium, a quibusdam Colchidi, ab aliis Cappadociæ quæ illic terminata fuit, attributa, urbs ampla & insignis, sed clarior facta ultimis his temporibus ob alteram sedem imperii orientalis illic collocatam; dissita ab Amiso stadiis bis mille ducentis, a Phaside, quæ in Colchica erat, mille quadringentis. Sic ambitus oræ Ponti Euxini absolutus: quem peculiari volumine, cui περίπλȣ nomen dedit, *Arrianus Nicomediensis* accurate enarravit. Multæ quoque in his regionibus urbes Græci nominis a litore longius remotæ, sed pleræque omnes a barbaris olim habitatæ, & sæculis posterioribus demum in Græcum morem atque usum Græcæ linguæ traductæ, cum jam Macedones in Asia regnarent, non paucæ etiam a Macedonibus aut Romanis primum conditæ. De quibus post commodior erit dicendi locus. Nunc venio ad eas, quæ sunt ad Bosporum Thracium, Propontidem, Hellespontum, mare Ægæum, Lycium, Pamphylium, Cilicium, usque in Syriam Palæstinam.

LIBER SEXTUS,

Exponens maritima Bithyniæ, Trojadis, Æoliæ, Ioniæ, Cariæ, Lyciæ, Pamphyliæ, utriusque Ciliciæ, admixtis etiam passim quibusdam interioribus, & adjectis quoque nonnullis Syriæ, Palæstinæ, Ægypti, ac vicinæ Africæ.

PRIMA a Bospori faucibus & Euxino Ponto regio, *Bithynia* fuit, a Thracibus Bithynis habitata; in qua post fanum Dianæ prius dictum, *Chalcedon* urbs clari nominis Bosporo apposita, e regione Byzantii, paulo ante Byzantium a Megarensibus loco minus commodo extructa, diu stetit incolumis; & huic proxima *Chrysopolis*, oppidum aut vicus. Inde sinus orientem versus ex Propontide in regionem influens, Astacenus ab oppido Astaco in recessu ejus posito dictus. Oppidum id a Megarensibus & Atheniensibus conditum, deletum a Lysimaco Macedone post mortem Alexandri Regis: Cives ejus post a Nicomede Rege *Nicomediam* haud procul inde ab ipso constructam urbem eximiam translati. Et huic sinui Astaceno alius contiguus longius intra terras in ortum penetrans; cui accubabat *Prusa* in solo Cii oppidi vetusti a Philippo Macedoniæ Rege Persei patre eversi, a Prusia Rege receptatore Annibalis excitata: cui imminuit

mons *Olympus*, diverſus ab Olympo Myſiæ; ad quem urbs alia ejuſdem quoque nominis ſita fuit, hac multo antiquior, quippe ſæculo Crœſi Lydiæ Regis exſtructa: *Apamea* quoque ad Propontidem. Confines fuiſſe hoc tractu, ſed finibus valde incertis & confuſis, Bithynos, Myſos, Phrygas, Dolionas, qui Cyzico urbi propinqui erant, Mygdones, Troas, veteres tradunt, ut regionibus certis diſtingui facile non poſſent. In mediterraneis Bithyniæ *Strabo* ait Bithynium oppidum fuiſſe, & *Nicæam* urbem Bithyniæ primariam ad Aſcaniam paludem, ab Antigono primo conditore Antigoniam, deinde a Lyſimacho, qui eam auxit, ex nomine uxoris ipſius Nicæam vocitatam, ut vult *Strabo*, quanquam alii aliam nominis hujus rationem in medium adferant. Urbs fuit formæ quadratæ, in ambitu habens ſtadia XVI. juxta quam in campo gymnaſium illuſtre formæ ejuſdem.

A B

Poſt Bithynos olim *Myſi* fuere & *Phryges*, utrique Threiciæ quoque originis, utrique etiam in minores & majores diſtincti: & poſt hos *Mæones*, *Lydique & Cares* ſecundum mare in auſtrum porrecti uſque in pelagus Carpathium, & oram hujus Aſiæ meridionalem: populi heic illic mixtim, & ſedibus incertis habitantes, ut difficile fuerit etiam veteribus eorum regiones definire, & diſtincte dicere: quibus Cilices quoque & Caucones & Leleges ac Pelaſgi, aliique Græci generis, *Homeri* ſæculo & temporibus Trojanis admiſti erant. Fines eorum & ſedes ſæpe mutatæ cum alii alios loco ſubmoverent, & ſubmotorum loca occuparent, quibus jus in manibus & armis erat. Omnium vero latiſſime Phryges majores introrſum regionem tenuerunt ad Piſidiam & Lycaoniam uſque verſus meridiem pertingentes. De quibus ſingulis explicatius agere non eſt ſcopi noſtri, nobis vero oram parti Propontidis, quæ eſt poſt Bithyniam, deinde Helleſponto, & maxime mari Ægæo, Carpathioque & Lycio ac Pamphylio adjacentem breviter delineare eſt propoſitum. In ea poſt Troica tempora fuere *Myſia* minor, & *Troas*, tum *Myſia* major, & *Æolis*, & *Jonia*, & *Caria* pars cum *Doride*, omnes a ſeptentrione in meridiem porrectæ uſque ad litoris flexum, ab occidente recta in orientem. Poſt quem flexum Cariæ pars altera, & *Lycia* & *Pamphylia*, *Ciliciaque*, ad *Syriæ* initia vaſto tractu ſeſe extendebant, a meridie maribus pulſatæ. Harum quoque omnium non ſemper iidem termini fuere, nec in iis definiendis omnium autorum veterum conſenſus ubique ſibi conſtat. Nos heic ſequemur conſenſum plurium, & eorum potiſſimum, qui cæteris accuratius de his ſcripſerunt, & regionum rerumque vetuſtarum certiorem notitiam habuerunt: inſiſtemuſque iis præcipue, quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam Græcorum florentium maxime pertinent. Romani poſt Bithyniam & fluvium Rhyndacum inchoabant Aſiam ſuam, regnum ſcilicet Pergamenum ſive Attalicum, ab Attalo Rege teſtamento ſibi donatum, extendebantque in Lyciam uſque verſus auſtrum, atque in mediterranea ad Taurum montem. Sed id ad Græcorum veterum inſtituta & traditiones nihil facit, qui eam partitionem tenuere, quam paulo ante poſuimus ex *Strabone*. Rhyndacus fluvius amplus, terminator Bithyniæ & Aſiæ Attalicæ, ex Azanitide & Olympo monte veniens, & regionem Miletopolitarum, Apolloniatum, Mygdonum, Dolionum veterum emenſus, ac minoribus amnibus pluribus auctus, ex adverſo inſulæ Besbici in Propontidem effluebat. Juxta eum *Daſcylitis* regio erat cum oppido Daſcylio regia Pharnabazi Perſæ, & lacu ab oppido hoc nomen ferente: ad ipſum vero fluvium Apollonia,

C D E F

& huic vicina Miletopolis, oppida obſcura a *Strabone* memorata, & his *Plinius* in auſtrum a Rhyndaco addit Scylacem, Aricam, Placiam, iſtis etiam obſcuriora. Tum *Cyzicus* omnibus autoribus dicta, urbs antiqua & illuſtris, a Mileſiis condita, quæ cuivis urbium Aſiæ hujus magnitudine, elegantia, legum bonitate comparari potuit. Romanorum tempore a Mithridate Ponti Rege potentiſſimo denis caſtris & claſſe maxima arcte & diu obſeſſa, & graviſſime oppugnata, ſed admirabili conſtantia ſua, & ſingulari virtute L. Luculli, Romani Imperatoris, ſervata, ac magnis beneficiis tunc a populo Romano affecta. Sita fuit in inſula Propontidis, continenti vicina, & pene contigua ob freti anguſtiam, duobuſque pontibus, ut ait *Strabo*, ei annexa juxta urbem, in ambitu ſtadiis fere D patente, ſoli fertiliſſimi. Urbs portus habuit duos, qui claudi poterant, cum navali ampliſſimo recipiendis ſub tectum navibus pluribus quam CC idoneo, ſedens ex parte in planitie, parte alia monti adjacens, qui mons Urſorum dicebatur; cui imminebat alius uno cacumine aſſurgens Dindymus, in quo fanum Dindymenes Deorum matris ab Argonautis, ut ajunt, dedicatum. Forma reipublicæ in ea fuit præclara ad pacem & bellum juxta comparata, haud diſſimilis inſtitutis veteribus Carthaginienſium, Rhodiorum, Maſſilienſium. Poſt Cyzicum *Artace* cum portu, *Plinio*, & *Zelia* urbs *Homeri* ſæculo florens in mediterraneis cum agro late porrecto verſus mare, ſub pede boreo montis Idæ, *Plinio* pariter & *Straboni* dicta. Tum *Æſepus* fluvius *Homero* celebratus, a quo *Æolis* cœpit late accepta, Phrygiam minorem cum Troade, & Myſiam complectens, (diverſimode enim initium Æolidis ab autoribus diverſis capitur,) finem autem habuit cum fluvio *Hermo* ad auſtrum. *Ida* mons, poſt Olympum Bithyniæ, a ſeptentrione in meridiem ſe porrigens, ſcolopendræ forma multis pedibus hiſpidus latere occiduo, totam Troada a tergo contra ortum tegebat in mediterraneis. Incipiebat juxta Æſepum, ubi pede boreo in occidentem & mari vicina procurrebat, & arcuatim incedens ad Lectum promontorium, Troadis terminum, pedem auſtrinum extendebat. Maritima Troadis coloniis Græcorum obſita ſic habebant. Poſt Æſepi oſtium tumulus Memnonis Herois antiqui, Tithono orientis Rege geniti, oſtendebatur juxta vicum Memnonium. Inde *Granicus* amnis per Adraſteæ campos lapſus, prima Alexandri Magni victoria Aſiatica & clade inſignis Perſarum nobilis, in mare exibat, ad quem Sidena civitas quondam ſita fuerat. Tum Priapus oppidum Mileſiorum, aut, ut alii crediderunt, Cyzicenorum, cum portu agro Cyziceno confine: dein Adraſtea olim, & Pithyeia: mox *Parium* oppidum clarum, in litore habens portum percommodum, a Mileſiis & Erythræis & Pariis conditum, gratia vero Regum Pergamenorum auctius factum. Atque his in Propontide objecta jacebat insula *Proconneſus* cum oppido ejuſdem nominis, colonia Mileſiorum, a Cyzicenis quondam afflicta. Poſt Parium vero Pæſus urbecula cum fluvio, Mileſiorum quoque opus, jam olim in ruinis ac ruderibus jacens. Mox circiter initia Helleſponti, per quem Propontis in mare Ægæum enititur, *Lampſacus*, urbs inſignis cum portu optimo, Callipoli in Cherroneſo Thracia ſitæ oppoſita, diſtans ab ea ſtadiis LX, ut vult *Strabo*, quæ fuit illic freti latitudo, aut, ut eſt apud *Xenophontem*, ſtadiis tantummodo XVI. ſtructa, ut *Mela* videtur dicere, a Phoceis a Xerxe quondam in uſum vini, quo ager ejus abundabat, Themiſtocli donata, nuncupata Pituyſa: a cujus tergo in mediterraneis *Colonæ* Mileſiorum colonia: in ora vero *Abydus* ab iiſdem Mileſiis etiam

condita tempore Gygis Lydorum Regis, cujus permissu id factum *Strabo* significat, longe lateque, per Asiam tum regnantis; Lampsaco clarior, angustias Hellespontí obsidens, quas Xerxes ponte olim stravit, stadiis septem latas, paululum versus austrum ab urbe distantes: Sesto Cherronesi e regione respondens; excisa a Philippo Demetrii filio, Macedoniæ Rege, sed instaurata; disjuncta a Lampsaco stadiis CLXX. ab Æsepo flumine, si quis litorum anfractus metiatur, DCC. recta vero navigatione paucioribus. Post Abydum erat promontorium Dardanium, juxta quod *Dardanus* civitas stadiis LXX. ab Abydo remota, Æneæ olim parens, tempore belli Mithridatici nondum penitus deleta: nam illic Sylla cum Mithridate collocutus primum bellum cum eo finiit. Inter Dardanum & Abydum *Rhodius* amnis in mare exiit, contra cujus ostium in Cherroneso fuit Cynossema, Hecubæ sepulcrum. Secutum deinde litus *Rhœteium*, & oppidum tumulo impositum, atque ei contiguum Æanteium, Ajacis monumentum cum statua, & deinceps litus *Sigeium* cum oppido cognomine, ante *Strabonis* tempora ab Iliensibus vicinis diruto, & juxta id fanum & sepulchrum Achillis, ad quæ a Rhœteio numerata fuere recto cursu stadia LX. e quorum regione in Cherroneso Thracia erant Protesilai fanum & Eleusa aut Elæus urbs. In eodem litore Sigeio fuerant Achæorum portus & Achaica castra, e quibus Ilium a Græcis oppugnabatur, ibidemque Scamander fluvius recepto Simoente in mare aquas multo limo mixtas egerebat. Quo factum, ut perpetua limi adluvie ostio fluminis sensim oppilato litus stagnare illic cœperit. Huic vero litori præjacebat *campus Trojanus*, area prælio rum inter Græcos ac Troas belli Trojani tempore, a mari ad montem Idam patens, in quo *Ilium* vetus stetit, regia Priami, conditum ab Illo Rege Priami avo. Ilium hoc dum staret, a proximo litore recedebat versus orientem & montem Idam circiter, stadia XLII. ab Ilio novo in eandem plagam stadia XXX. quod aberat ab ipso litore & portu Achæorum stadia tantum XII. Vetus illud a Græcis excidio datum, ubi *Strabonis* ætate vicus Iliensium solummodo fuit: novum ajunt ab Alexandro Macedone post felicem ad Granicum pugnam inchoatum eo loci, ubi vicus etiam ejusdem nominis cum fano exiguo Minervæ tum forte erat, vicum que urbis nomine honoratum, ac jussu ejusdem a procuratoribus ipsius ædificiis ornatum: simul libertate & immunitate a conferendis tributis donatum, & ampliora insuper ab eodem Alexandro post debellatos Persas ei promissa. Post mortem vero Alexandri ferunt curam illam Lysimachum suscepisse, temploque magnifico structo urbem muro clausisse, qui in ambitu habuerit stadia XL. Cæterum haud constantem hujus Ilii novi fortunam fuisse, idem, qui priora tradit, *Strabo* nos docet. Affirmat enim, quo tempore Romani primum in Asiam venerint, & Antiochum Magnum coegerint in ordinem, Ilium hoc vici pene speciem rursum habuisse, teste *Demetrio Scepsio* scriptore probatissimo & diligentissimo, in ea regione nato & educato, ac eodem quoque sæculo cum Antiocho vivente & autopta. Secuta deinde ætate, cum ferveret bellum Mithridaticum, ut ibidem *Strabo* notat cum *Appiano* consentiens, Fimbria copiarum Romanarum ductor a L. Sylla diffidens invasit oppugnatum cepit, captam graviffime afflixit, mœnia solo æquavit, domus sacras & profanas diruit, cives magno numero crudeliter occidit, denique in eo fuit, ut Ilium denuo penitus excideret. Sed superveniens Sylla, everso Fimbria, & Mithridate humiliato, Ilienses rursum erexit, beneficiisque variis affecit ideo, quod Romanæ gentis autores esse dicerentur. Et postea C. Julius Cæsar ab Julo Trojano, ut credi volebat, oriundus, ampliore libertate & immunitate donatos, pluribus etiam beneficiis honoribusque eos ornavit: in eoque statu Ilienses adhuc fuisse ætate sua *Strabo* testatur. In parte campi Trojani, quæ Idæ suberat, oppidum fuit vetus *Astypalæa* ad *Simoenta* fluvium Rhœtio respondens: deinde *Cebrene* & ager Cebrenius ad Scepsium agrum porrectus, a quo Scamandri fluvii alveo separabatur: tum urbeculæ & amnes plures obscuræ famæ e mediterraneis profluentes. In litore vero *Achæium*, & ei quasi connexa *Larissa*, *Colonæ* diversæ a prioribus, *Chrysa* loco saxoso & edito ad mare sita; denique *Hamaxitus* *Lecto* promontorio, quod Troada in ora finiebat, subjecta. Contra Achæum *Tenedus* insula erat in mari proximo, ubi Hellespontus jam in spacium exibat, in ambitu habens stadia LXXX. a continente Asiæ remota stadiis XL. In ea urbs quondam celebris Æolici generis, cum portu gemino, & fano Apollinis Sminthei. Et insulæ minutæ complures circum Tenedum. Eidem Achæio pene contigua fuit *Alexandrea* urbs clara prioribus omnibus recentior, ab Antigono Macedone Philippi filio, mortuo jam Alexandro Magno, structa, contractis in eam vicinorum oppidorum civibus, & Antigonia primum nuncupata, deinde a Lysimacho aucta, & in honorem Alexandri Alexandrea appellata. Post Lecti promontorii flexum finemque Troadis cœpit sinus *Adramyttenus* terras ingrediens, complectens etiam sinum alterum, velut partem sui, *Elaiticum*, dictus etiam alio nomine Idæus, propterea quod dorsum a Lecto ad montem Idam se porrigens primis sinus partibus immineat: desiit ad Canas promontorium ex longo intervallo Lecto oppositum. Ejus ora & regio interior multis ac non vilibus civitatibus Æolicis obsitæ fuere florentibus adhuc Græcorum rebus. Interius quidem *Palæscepsis* olim steterat sub Ida monte, qua is celsissimus est, supra Cebrenem: deinde eadem urbs ab eo loco editiore ad stadia XL. translata deorsum *Scepsis* dicta, imprimis clara & elegans, Milesiorum colonia, varias fortunæ vices experta, semper a vicinis Cebreniis diffidens, paucorum potestati olim parens, deinde colonis Milesiis admissis populari imperio gubernata, nonnumquam & tyrannidem passa, multorum clarorum ingeniorum genitrix: in quibus excelluit Demetrius ille, qui regionem omnem vicinam diligentissime descripsit, identidem laudatus a *Strabone*, & post hunc Metrodorus vir disertus, summæ gratiæ apud Mithridatem Eupatora, ab eo legatus ad Tigranem Armeniæ Regem missus; quæ occasio ruinæ ejus fuit. Plane urbem civibus exhausit Antigonus, cum Antigoniam conderet, & istuc Scepsios, Cebrenios, Næandrios, aliosque e vicinis oppidis migrare cogeret. Sed hos Lysimachus, cæteris in urbe nova retentis, aliisque etiam additis, domum redire permisit. Post Scepsin fuere *Andeira*, *Pionia*, *Gargaris* & jam prope litus *Assus* urbs Æolica, natura sua & muro bene munita, a mari portuque paulum submota loco altiore; portus ejus magno aggere præcinctus. Hæc patria fuit Cleanthis Philosophi Stoici, qui Zenoni Citieo in schola successit, & successorem habuit Chrysippum Solensem. Apud Assios dominatum aliquandiu tenuit Hermejas eunuchus, Platonis & Aristotelis auditor Athenis, cum in fortuna minore esset: cum quo Aristoteles & Xenocrates Athenis ab eo evocati, & magno in honore habiti ad tempus aliquod vixerunt, Aristoteles etiam e fratre ejus genitam uxorem accepit: ipse Hermeias a Memnone Rhodio Persarum Regi militante per fraudem

captus ſuſpendio vitam finiit. Condita fuit Aſſus a Methymnæis Æolenſibus dictis, Metropolis Gargarorum. Omnem hunc agrum poſt Scepſim temporibus Troicis habuere *Leleges*: quibus proximi fuere ſecundum idem litus Cilices ab *Homero* nominati uſque ad Caici fluvii oſtia, Eetioni & Myneti parentes; quorum tum urbes Theba, & Lyrneſſus, e quibus Chryſeis & Briſeis in captivitatem erant abductæ, & juxta has obſcuriores Chryſa & Cilla. Quarum omnium deletarum loco ſucceſſere ſequenti ævo *Adramyttium* urbs nobilis, cum portu egregio & ſtatione navium, colonia Athenienſium, ex qua ſinus, cui imminet, nomen accepit; *Atarneus*, *Pitana Arceſilai* Academici patria, duobus portibus oportuna, *Eveno* fluvio adjacens: poſt quam ad trigeſimum ſtadium *Caicus* fluvius in ſinum Elaiticum ſe effundebat. Trans Caicum ad ſtadia quaſi XII. Elæa erat urbs Æolica, ut & priores, ſinui vicino nomen dans, navale Pergamenorum, ſtadiis CXX. a Pergamo in interioribus poſito diſtans. Hinc intra C. ſtadia fuit Cana promontorium Lecto oppoſitum, ſinumque efficiens Adramyttenum, cujus pars erat Elaiticus. In agro Canæo, a quo promontorium procurrebat, urbecula fuit *Canæ* quoque nomine, Locrorum Cynenſium colonia, maxime auſtrali parti inſulæ Lesbi reſpondens: Canæus autem ager ad *Arginuſas* inſulas exiguas ſcopulis ſimiles, continenti proximas, pertingebat, & promontorium iis incumbens, quod *Ægan* dixerunt: quo nomine etiam totus mons, quem ætate ſua Canen aut Canas nuncupatum *Strabo* ait, affectus fuit, in ſe ſatis contractus, ſed in mare inclinans, quod ab eo Ægæum putatur appellatum. Circum eum verſus meridem & occaſum mare alluebat; ad ortum campeſtria Caici, ad boream regio Elaitica erant. Interius ab his urbibus proxime dictis fuit *Teuthrania* a Teuthrante Cilicum & Myſorum Rege Telephi collega aut ſocio appellationem ſortita, ad ſtadia LXX. ab his recedens. Caicus fluvius e campo ortum habuit ſub monte Temno, qui & iſtum & campum alterum, cui Aſiæ nomen, diſterminabat: e monte amnis alius Myſius profluens Caico ſe miſcebat, & una cum eo in ſinum Elaiticum ſe exonerabat. Juxta Caicum vicus fuit Gergetha, in quem Attalus Gergethios Troadis, oppido eorum ibi deleto, traduxit. Et huic regioni a Lecto promontorio uſque in promontorium Canas objecta fuit in mari occidentem verſus nobiliſſima inſula *Lesbos*, de qua in deſcriptione inſularum diximus, tantundem a Tenedo atque etiam Lemno, quantum a Chio diſjuncta, altera mater urbium Æolicarum. Verum præter eas jam expoſitas fuiſſe quoque duas alias urbes Æolici generis, *Strabo* tradit, ſitas ſub tractu montano, Cumanorum, Phocæenſium & Smyrnæorum regioni imminente, Ægas & Temnum, incunabula Hermagoræ Rhetoris, non procul diſtantes Magneſia, quæ ſub Sipylo dicebatur, illuſtri victoria Romanorum de Antiocho Magno Syriæ Rege nobilitata, cujus nomen etiam Æolicam originem redolere videtur. In ora deinceps fuit *Cuma* Æolicarum urbium in continente Aſiæ maxima atque optima, & e vetuſtiſſimis etiam una, condita ab iis, qui e Locride profecti in hanc regionem appulerant, altera mater generis Æolici per Aſiam longe lateque ſparſi. Hinc ortum ſe ait Heſiodus Poeta, & cum patre Dio commigraſſe in Bœotiam velut patriam majorum ſuorum, ut teſtatur *Strabo*. Et ante Heſiodum illic conceptum fuiſſe Homerum, quanquam nec natum ibidem, nec educatum, autor vitæ ejus ſive *Herodotus* ſive quis alius ſcriptor priſcus tradit. In eadem vero civitate Cumana natus & altus fuit clariſſimus Hiſtoriæ & antiquitatum ſcriptor Ephorus. Non procul Cuma introrſum fuit

A priſco ævo *Lariſſa* Troicis temporibus florens cognomento Phriconia, quo etiam Cuma notabatur, incertum an a Lariſſæis olim orta. Contra quam Cumæ conditores cum primum locum urbis ſuæ cepiſſent & muniviſſent, affluentibus eodem pluribus ex Græcia colonis oppidum iſtud exſtruxere, eique nomen novi *Muri* dedere, vix ſtadiis XXX. inde diſſitum, inter Æolica oppida *Homeri* & *Herodoti* tempore non obſcurum. Siquidem ab hoc inter XII. urbes vetuſtiores & primarias Æolici generis in Aſiæ continente recenſetur. Poſt Cumam non longo intervallo in ora anfractibus lacera ſequebatur *Phocæa* accubans ſinui non amplo extra Æolidis fines in B ipſo aditu Joniæ, ad quam Hermus fluvius peramplus, aliorum amnium aquis auctus, patulo profundoque ore in mare ſe egerebat, *Æoliæ* & *Joniæ* terminator: urbs quondam opibus & populo valida, & firmiſſimo muro cincta, rebus maritimis dedita; demum Cyri Perſarum Regis tempore ab Harpago Medo gravi obſidione preſſa, deſertaque a civibus ſervitutem Perſicam averſantibus & in naves ſe cum omni ſupellectile conferentibus ab eodem capta & male mulctata. Cives profugi poſt varios caſus in oram Galliæ delati loco illic capto Maſſiliam urbem clariſſimam condiderunt. Phocæa in Aſia reſurrexit fortuna mediocri, & inter C XII. urbes Joniæ, (tot enim antiquitus fuere) quæ Panionium conficiebant, numerata fuit. Eam ſequebantur Leucæ oppidulum occupatum & infeſſum ab Ariſtonico regnum Aſiæ contra Romanos ſibi afferturo. Deinde *Smyrnæ* veteris ſedes in ſinu exiguo, & mox in ſinu alio Smyrna recentior, XX. ſtadiis a vetere recedens. De primordiis & antiquis rebus Smyrnæis variant veterum ſcriptorum narrationes. *Autor vitæ Homeri* Cumanis initia ejus tribuit, & juxta eam ad fluvium Melen mænia urbis alluentem Homerum fuiſſe natum, ac propterea Meleſigenis nomine appellatum D a matre tradit. *Herodotus* Æolicis urbibus eam accenſet, (quod cum origine a Cumanis congruit) & a Colophoniis ob ſeditionem domo pulſis, atque a Smyrnæis in urbem receptis, obſervata occaſione ſolemnis ſacri, quod extra urbem Smyrnæi peragebant, per fraudem excluſis civibus jam olim occupatam, atque ita a ſocietate Æolum avulſam eſſe & Jonibus adſcriptam, in quorum ſane ſolo quoque erat, affirmat. Nam cum in auxilium ſociorum urbe excluſorum accurriſſent Æoles, & occupatores Jones expugnare niterentur, & his ſuppetias reliqui ferrent, ait ſic tandem conveniſſe, ut rebus, quas Æoles Smyrnæi in urbe E habuerant, reſtitutis, urbs Jonibus redderetur. *Strabo* diligens antiquitatum inveſtigator, ſcriptorum priorum veſtigia ſecutus, ab Jonibus originem traxiſſe demonſtrat. Nam Epheſinæ urbis partem ab Amazone fæmina Smyrnam dicit olim fuiſſe vocatam, idque nomen diu in ea parte etiam ætate ſua hæſiſſe: deinde partis ejus habitatores Epheſios, qui ſe Smyrnæos ex habitationis loco nominabant, ſeceſſione a reliqua civitate facta Epheſo profectos locum cepiſſe, quem tum Leleges tenebant, iiſque deinde ejectis urbem novam condidiſſe ad Meletem fluvium, & ex ſuo nomine Smyrnam eam appellaſſe. Atque hos poſtea ab Æo-F lenſibus ait inde pulſos Colophonem confugiſſe. An vero Colophonii, eo modo, quo *autor vitæ Homeri* memorat, Smyrnam receperint, & Æolenſes eam miſſam facere adjuti a cæteris Jonibus coegerint, id non dicit, ſed totum iſtud ſilentio præterit. Hoc vero affirmat, a Lydis accolis *Smyrnam* fuiſſe everſam, & ab eo tempore in vicos ſparſam jacuiſſe per annos CCCC. ac demum per Antigonum prius, & poſt a Lyſimacho, utroque Alexandri Magni ſucceſſore, eſſe refectam, ſed diſtan-

stantem xx. stadiis a loco Smyrnæ veteris. Verum in numero annorum CCCC. vitium obrepsisse codicibus *Strabonis* dubitari non potest, cum constet ex *Herodoto*, temporibus Regum Lydiæ & Cyri Persæ adhuc incolumem urbem Smyrnam stetisse, atque ab initio Cyri ad mortem Alexandri M. annos tantummodo fluxisse circiter CCXLII. Antigonum vero periisse a morte Alexandri anno XXII. Lysimachum post Antigonum anno XVII. Cæterum *Smirnam* instauratam docet *Strabo* parte quadam in monte fuisse, reliqua parte majore sedisse in planicie ad portum peregregium, ita comparatum, ut claudi posset: eam incolumem mansisse etiam sæculo suo, & fuisse inter omnes illius tractus urbes pulcherrimam, vicos habuisse, quantum res ferebat, directos ad angulos rectos, vias lapidibus stratas, porticus magnas quadrangulas locis planis editisque, fanum magnæ Deorum matris, gymnasium, bibliothecam, Ὁμήρειον, id est, porticum angulorum quatuor, cum fano & simulachro Homeri; (nam & Smyrna cum civitatibus aliis de natalibus Homeri contendit:) unicum vero hoc vitium, cætera præclaram, hanc urbem habuisse, quod culpa architectorum cloacis subterraneis ad educenda sordes, & præstandam mundiciem caruerit. Deformata est a Cornelio Dolabella, capto ibi & interfecto Trebonio cædis C. Cæsaris Dictatoris participe. Proxime sequens litus valde anfractuosum, promontoriis, peninsulis, finibus horrens & scissum. In cujus initio quondam fuerant *Clazomenæ* urbs Ionica, & huic objectæ insulæ minutæ VIII. urbis locus postea Chytrium dictus, ut ait *Strabo*. Is in altero fuit isthmi latere versus boream, a quo isthmo peninsula spaciosa in mare contra occasum procurrebat: cui in latere adverso austrum spectante opposita erat *Teos*, & ipsa Ioniæ urbs insignis portui adsita, patria Anacreontis Poetæ, & Hecatæi Historiographi, a Cyri Regis præfecto internecioni fere data, civibus profugis Abderam Thraciæ profectis, sed aliquandiu post nonnullis veterem patriam repetentibus sensim fortunæ restituta. In ipsa vero peninsula fuere *Erythræ*, haud obscuræ inter urbes Ioniæ cum celebri portu, quem tegebant insulæ quatuor, quas ἵππους dicebant. Erythris sedem habuit Sybilla fatidica, ex loco Erythræa cognominata. Isthmi latitudo erat stadiorum L. a Clazomenis ad Teon, a quo Mimas mons altus in peninsulam procedebat; sed peninsulæ circumnavigatio stadiis æstimabatur supra M. *Plinius* ait Alexandrum Magnum fossa per isthmum ducta peninsulam a continente abscindere, & duos sinus introrsum jungere voluisse. Ad isthmum vicum Chalcidensem fuisse ostendit *Strabo* Teiis vicinum, Alexandro Macedoni sacrum, & in eo certamina solennia in honorem Alexandri ab Ionibus celebrata. In eadem peninsula a *Strabone* recensentur Cybellia vicus, cum promontorio Nigro, Argennum promontorium Erythræorum, Poseidio promontorio Chiorum maxime appropinquans, *Corycus* mons sublimis: litusque *Corycium* cum portubus duobus, prædonibus mercatores observantibus, quos Corycæos ea etas dicebat, infame: unde omnes observatores hujusmodi postea Corycæi nuncupati: tum Geræ oppidum exiguum, & Teium Teo propinquum. A Teo *Lebedus* clara Ioniæ urbs se offerebat in litore, & post ea *Colophon* clarior copia navium & equitatu præstantissimo, qui proverbio ortum dedisse creditur, quo dicitur, Colophonem addere, id est, difficilia cœpta ad finem perducere; ante quam lucus Apollinis Clarii. Inter Teon & Lebedum Aspis erat insula, item *Myonnesus* peninsula, collis editus metæ in modum assurgens, & promontorii instar in mare procedens Samum versus; inter Lebedum & Colophonem mons Coracius ac insula exigua Dianæ sacra. Distabat Colophon Lebedo stadiis CXX. Post Colophonem ubi litus in sinum se curvabat, mons Gallesius, tum *Caystri* fluvii exitus in mare, portum Ephesinis efficiens, limosus, & ipsa *Ephesus* cum celeberrimo Dianæ fano, olim a Caribus & Lelegibus habitata, ab Amazonibus munita, post colonia Atheniensium & Ionum, Principe Androclo, Codri postremi Regis Attici filio, aucta, inter urbes Ioniæ post Miletum multis sæculis maxima, ditissima, potentissima, Asiæ totius intra Taurum montem emporium nobilissimum. Sedes ejus post Alexandri Macedonis mortem loco pristino paulum mota a Lysimacho, ad cives istuc traducendos ingenii solertia uso. Portu fuit commodo, sed succedente tempore ab Attalo Rege, cum eum meliorem facere vellet, pene corrupto per limum in ostio Caystri coarctato subsidentem; habuitque locum fabricandis navibus inprimis aptum. Civitati præerat senatus conscriptus, qui cum epicletis, quos vocabant, cuncta regebant. Templi Dianæ sacerdotes ex lege eunuchi erant, advenæ sacrum id munus ambientes, & si digni videntur, eo ornati, quos Megabyzos dicebant, habebanturque summo in honore, sociisque ac symmystis in facienda re sacra utebantur non nisi virginibus. Asyli jus, quod templo olim competebat, & locis templo proximis, Cæsar Augustus abrogavit. [1] Supra urbem lucus fuit memorabilis Ortygiæ nomine, a mari paulum submotus, & ei imminens mons Solmissus, locus fanis & Deorum simulachris frequens. In ora post Ephesum *Pygela* oppidulum vetus, dehinc *Neapolis*: inde *Panionium* tribus stadiis a litore, locus celebrandis statis conventibus omnium Ionum, qui id jus habebant, (erant, ut dixi, XII. primariæ civitates,) & peragendo sacrificio Neptuni Heliconii, cui sacro præerant ex more Prienenses vicini; & mox promontorium a Mycale monte in mare se efferens & fretum conficiens VIII. stadiorum, quo Samus insula, quæ huic tractui objacet, a continente sejungitur. Promontorium illud cum proximo litore Trogilium indigitabatur; tum litus Prienense, & urbs *Priene*, paulum litore distans, cui mons Mycale imminet. Ea Biantem sapientia inclytum edidit. Deinc ostia *Mæandri* fluminis flexuosi, & per varias ambages a fontibus ad exitum per camporum spacia labentis: ad quem XXX. stadio ab ostiis *Myus* fuit sita, quondam civibus frequens, & felix, sed post ob habitatorum raritatem Mileto adscripta, Inde Tymbria vicus Carum, Prienæ vicinus, & juxta hunc *Avernus*, spelunca sacra, pestiferis exhalationibus infamis; tum longius hinc remota versus Mæandrum *Magnesia* urbs illustris, colonia Thessalorum & Cretensium. Et rursum in ora a Mæandri ostiis ad stadia quasi L. *Pyrrha*, & post Pyrrham ad stadia C. *Heraclea* in sinu Latmio sub *Latmo* monte, prope quem dicitur fuisse Endymionis sepulchrum; post Heracleam vero a stadiis aliis C. *Miletus*, primitus a Cretensibus, ut quondam placuit Ephoro Cumæo, ad mare condita Duce Sarpedone, ejectis inde Lelegibus veteribus incolis, postmodum ab Atheniensibus & Ionibus eo loci, ubi per multa sæcula deinceps floruit, extructa, Principe coloniæ novæ Neleo Codri Regis filio, Androcli, qui Ephesi coloniam posuit, frater, Ionicarum civitatum in Asia longe maxima & potentissima, portubus prædita quatuor, quorum vel unus classi recipiendæ erat sufficiens. Milesii multis operibus & rebus gestis claruere, maxime vero, ut ait *Strabo*, multitudine co-

1. Videtur non satis bene intellexisse Strabonem, qui quod de Antonii prolata immunitate, noster de toto asyli loco & jure accepit.

Ioniarum deductarum: quarum sane & numerus tantus, & plerarumque tanta fortuna fuit, ut fidem pene res superet. Interim urbs variis jactata casibus a Persis olim capta maleque mulctata, ab Alexandro quoque Macedone ob præclusas ipsi portas expugnata & male habita. Genuit viros doctrina præstantes, quorum agmen duxit Thales sapientia inclytus, rerum naturalium, & motuum cælestium scientia admirabilis: & hunc secutus Anaximander discipulus, & Anaximandrum excipiens Anaximenes, & hoc ætate minor Hecatæus Historiæ scriptor coævus Dario Hystaspis Persarum Regi, ab *Herodoto* memoratus: quos omnes *Strabo* recenset: præter quos fuere quoque alii, sed brevitatis causa heic prætereundi. In re militari vero claruere ante alios hujus civitatis, Histiæus & Aristagoras, quorum acta exposuit *Herodotus*, Hecatæo coætanei, & Dario Regi. Urbi Mileto objecta fuit insula Lade, & circum Tragæas aliæ minusculæ, prædonum confugia. A Mileto deinde non longe aberat olim oraculum Apollinis Didymæi in Branchidarum agro, stadiis XVIII. remotum a litore, a Xerxe incendio datum, ut templa omnia illius regionis, inquit *Strabo*, excepto Ephesino. Sed post eodem loci templum aliud extruxerunt Milesii majus cæteris omnibus, cujus ambitus vici magnitudinem æquabat, ob quam tecto quoque claudi non potuit. Ubi & lucus pretiosus, extra & intra templum, & fana minora. Templum donariis antiquorum artificum plurimis ornatum. Hinc porro Posidium seu Neptunium Milesiorum, Ioniæ maritimæ terminus, & initium *Doridis* seu *Cariæ*. De universa hac ora Ionica *Pherecydem Syrum* scriptorem veterem tradidisse notat *Strabo*, a Lelegibus & Caribus antiquitus eam possessam, ab his a Posidio hoc Milesiorum ad Caystrum fluvium, ab illis reliqua omnia ad Phocæam & terminum Æolidis: utrosque autem tum Cares tum Leleges ab Ionibus submotos concessisse in Cariam. Interiora vero, quod extra controversiam fuit, Lydi tenuere Caribus mixti. Singularum etiam coloniarum deductarum Principes Athenis profectos *ex eodem Pherecyde Strabo* nominat. Numeri quibus mensura seu longitudo oræ Ionicæ notatur, vitiosissime apud *Strabonem*, culpa sine dubio non autoris, sed librariorum, scripti sunt, & secum pugnantes. Et *Plinius* heic nos deserit. Ex mente *Ptolemæi* differentia latitudinis ab initio Ioniæ ad finem ejus fuerit gradus unus & paulo plus, qui versus in stadia respondet stadiis CCCCLXXX. paulo amplius, si stadio cuilibet imputaverimus passus geometricos CXXV. & bis mille passibus stadia XVI. aut communi milliari Germanico, quod vulgo fieri solet, stadia XXXII. Sed nec hæc mensura veritati est consona. Quare missa facienda hæc cura: & reliqua oræ hujus Asiaticæ dicenda. Juxta Posidium Milesiorum incepit sinus Iassius, in quo *Iassus* prima urbs Cariæ ejus tractus lautæ fortunæ, quam *Strabo* ætate sua insularem fuisse, *Thucydides* in ora continentis sitam belli Peloponnesiaci tempore, & a Peloponnesiis expugnatam fœdeque direptam esse scribunt, piscatu inprimis dives: tum Corianda palus, & ejusdem nominis insula, & mox Bargylia oppidum. Deinde extra unum *Myndus* urbs cum portu, ac promontoria tria, Zephyrium, Astypalea, Termerium, ab agro Myndio in pelagus extensa: quorum ultimum Scandariæ promontorio insulæ Coorum occurrebat, diremptum ab eo stadiis XL. Postea *Halicarnassus* urbs vetus & præclara, quæ edidit Herodotum Historiographorum δαδῦχον, & Dionysium ætate multo inferiorem, condita ab Argivis Trœzeniis, in intimo recessu sita juxta isthmum, a quo Doris peninsula procedit; ubi si-

A nus a *Mela* & *Plinio Ceramicus* nominatur. Ea diu sedes fuit Regum Cariæ, per quos a societate reliquarum civitatum Doricarum est avulsa, etiam ante tempora Herodoti, celebris monumento Mausolæo, quod in memoria fratris sui & mariti seu Mausoli Artemesia Cariæ Regina struxit sumtuosissime, inter septem mundi miracula olim numeratum. Post Halicarnassum Bargasa oppidulum in litore eodem, & *Ceramus*, unde sinui vicino nomen datum. Tum *Cnidus* urbs Dorica in cornu peninsulæ, ut loquitur *Mela*, id est, in extimo angulo aut promontorio Doridis posita, libertate gavisa sub Romanis, antea nobilitata ingenti prælio
B maritimo, quo Athenienses a Persis adjuti, Duce Conone, victores maris imperium recuperarunt, & fractis Peloponnensium viribus, urbis suæ mœnia a Lysandro & Laconibus & sociis eversa instaurare cœperunt. Ejus pars *Strabonis* tempore in continente, pars altera in insula erat aggeribus continenti annexa, in ambitu habente stadia septem excelsa, & theatri formam præferente, per quam bini portus urbis quasi tegebantur recepiendis triremibus commodi; quorum alter claudi contra vim hostium poterat. Hæc Ctesiam genuit medica
C arte, quam in aula Artaxerxis Memoris Persarum Regis factitavit, & scripta Historia Persica & Syriaca celebrem, Herodoto valde iniquum: genuit quoque Eudoxum Mathematicæ disciplinæ peritissimum Platoni coævum, aliosque non paucos. Post Cnidum, cum Nisyrus insula vicina in mari objacet, litus a Chalcedone & Ponti ora in meridiem descendens recta in ortum se vertit. A quo flexu continuo secutum fuit Κυνὸς σῆμα quod vocabatur, & insula Syme, tum *Loryma* oppidulum, litusque asperum, & mons præcelsus, in cujus vertice castellum *Phœnix*, ejusdem cum monte no-
D minis: initium agri Rhodii in continente, cui objecta erat insula Eleusa haud magna, quatuor tantum stadiis a litore dissita, a Rhodo vero remota stadiis CXX. dein *Physcus* urbecula & portus, cum luco Latonæ. Postea *Caunus* urbs portu quoque commodo prædita & navalibus; ac in vicina Calbis fluvius profundus, navium ac subvectionum patiens; atque in medio horum Pisilis. Et supra Caunum in conspectu erat castellum Imbrus. Aer ejus regionis, ait *Strabo*, per æstatem & autumnum æstuosus, & minus salubris, hominesque ob abundantiam, quæ illic provenit, pomorum, ut plurimum morbidi. Feruntur Caunii, ut ait idem,
E cum Caribus ὁμόγλωττοι fuisse, advenæ ex Creta, & suis usi esse legibus, Romanorum tempore diu Rhodiis subjecti, & cum propter asperius imperium ab iis defecissent, ad obsequium rursum compulsi. A Cauniis porro ad ortum Latonæ lucus, supra eum introrsum a mari ad stadia LX. urbs *Calymna*, & a Latonæ luco Artemisium promontorium cum fano Dianæ, tum Glaucus sinus portuosus, ac demum *Dædala* Rhodiæ regionis versus ortum finis. De Rhodo insula, quæ mari non lato ab hoc ex posito litore dirimitur, *in descriptione insularum & rerumpublicarum* egi abunde. Post Dædala Rhodiorum continuo excipiebat mons ejusdem nomi-
F nis litori quoque imminens, quem Dædala Lyciæ vocitabant, cum quo initium capiebat *Lycia* in orientem porrecta, secundum mare cui Lycio nomen, desinens ad radices Tauri montis a septentrione in meridiem descendentes ad mare usque. Inde regiones maritimæ extra Taurum, Pamphylia monte hoc dirempta a Lycia, ac post eam vergens in eandem plagam Cilicia aspera ejusdem naturæ cum duabus prioribus, finita ad Solos civitatem quondam celebrem, quam Cn. Pompejus debellatis piratis Cilicibus Pompejopolim postea nominari voluit: a qua cepit Cilicia altera campestris in plani-

ciem & campos diffusa, & secundum sinum Issicum ad Syriæ initia pertingens, ubi finis maris mediterranei a columnis Herculis, quæ in occidente sunt, hucusque in orientem fluctus suos explicantis. Utraque vero Cilicia versus austrum objectam in mari habuit insulam *Cyprum*, in longum ab occidente in orientem porrectam, de qua diximus in insularum enarratione. Nunc ad oram *Lyciæ* redeundum. Ejus longitudo fuit, teste *Strabone*, stadiorum MDCCXX. portuosa quidem, verum soli valde asperi, ut & Pamphyliæ ac prioris Ciliciæ Solos usque, ut jam dictum. Sed ingenia Lyciorum mitiora, & justi observantiora quam Pamphyliorum & Cilicum, ut dicetur paulo post. A Dædalis Lyciæ oppidulum erat *Telmissus* tempore *Strabonis*, & promontorium oppidulo ὁμώνυμον, & portus: tum *Anticragus* mons præceps, ad quem castellum in convalle haud magna Carmylessus: dein *Cragus* mons major in vertices VIII. assurgens, & urbem habens ejusdem nominis. Huic monti, ait *Strabo*, fabula Chimæræ affingitur, neque procul inde convallis Chimæræ nomen ferebat, a litore sursum tendens. Crago subjacebat *Pinara* una ex maximis Lyciæ urbibus. Deinde *Xanthus* fluvius in mare se effundens, quondam Sirbos nuncupatus, lemborum patiens: ad quem X. stadiis ab ostio Latonæ fanum erat, & supra fanum hoc stadiis aliis LX. *Xanthus* urbs totius Lyciæ maxima, duobus gravissimis casibus, simillimis inter sese, sed longo sæculorum intervallo disjunctis, insigniter memorabilis, utroque illustre exemplum singularis fortitudinis & obstinatæ constantiæ in tuenda patria libertate complexo, altero tempore Cyri primi Persarum Regis premente eam Harpago Duce, altero a morte C. Cæsaris Dictatoris oppugnante eandem M. Bruto. Post Xanthum *Patara* ipsa quoque urbs magna, portu & templis multis insignis, condita a Pataro quodam, aucta postea a Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege. Deinde *Myra* in excelso colle, stadiis XX. a mari remota. Tum Limyri amnis ostia, & introrsum totidem stadiis a litore urbecula Limyra. Et in hac ora jam dicta complures erant portus, & insulæ parvulæ ei objectæ multæ: quarum maxima *Cisthene* cum urbe cognomine. In mediterraneis autem fuere *Phellus* & *Antiphellus*. E rursum in ora post Lamyri ostia sacrum promontorium, & Chelidoniæ insulæ asperæ numero tres, magnitudine fere æquales, dissitæ inter se stadiis quinque, a continente distantes stadiis sex, quarum una navium quoque appulsui non incommoda: nobiles fœdere inter Artaxerxem Persarum Regem Xerxis filium, & Athenienses eorumque socios inito post illustres victorias Cimonis, Miltiadis filii: quo cautum fuit inter alia, ne Persæ navem longam haberent toto mari inter has insulas Chelidonias, & eas, quæ Cyaneæ dicebantur, in Ponto Euxino ori Bospori Thracii imminentes. Ab his ad Canopum Ægypti trajectus per mare erat stadiorum, ut dicit *Strabo*, quatuor millium. Verum a sacro, quod dixi promontorio ad Olbiam primam Pamphyliæ urbem in finibus ejus positam Lyciæ litus adhuc extendebatur ad stadia circiter CCCLXVII. In quo intervallo erant *Crambusa*, & *Olympus* urbs maxima, & mons, qui etiam Olympus, & a nonnullis Phœnicus fuit dictus: dein Corycum litus, tum *Phaselis* insignis civitas, cui portus fuere tres, & adjacens lacus. Urbi huic imminebat Solyma mons, & *Termessus* civitas Pisidica, angustiis montium assidens, per quas in Milpadem regionem Pamphyliæ transibatur, atque ideo excisa ab Alexandro Magno, ut illac transitum sibi aperiret. Erant & apud Phaselidem angustiæ ad ipsum mare, quas Climax mons mari Pamphylio incumbens, a Tauro monte derivatus, efficiebat: per

A quas Alexander exercitum suum non sine difficultate traduxit. Erat enim arcta semita sub monte juxta mare, quæ tranquillo mari nuda & iter facientibus pervia, sed mari eodem tumente & fluctus ciente, aquis tegebatur. Alexander autem cum in hyemem mediam incidisset, & properaret, solitus pleraque fortunæ committere, maximam exercitus sui partem istac ita traduxit, ut omnes umbilico tenus per aquas incendentes toto die iter facerent. Hæc urbs Phaselis ultima Lyciæ erat, sita ad confinia Pamphyliæ, sibi consulens, nec cum societate Lyciorum quicquam habens commune. Eam proxime secuta fuit *Olbia* in solo Pamphyliæ, B & post hanc Catarractes fluvius torrentis instar ex alto se præcipitans cum fragore ingenti longe lateque exaudibili: deinde *Attalea* urbs ab Attalo Philadelpho nomen ferens. Inter quam & Phaselidem monstratas olim reliquias Thebæ & Lyrnessi, quarum incolæ Cilicia Troadis ejecti bello Trojano in Pamphyliam concesserint, teste *Strabone* Callisthenes tradidit. Deinceps *Cestrus* fluvius in mare exiens, ad quem stadiis LX. ab ostio & mari *Perga* urbs Pamphyliæ præcipua, & prope eam sublimi loco fanum Dianæ, annuo conventui sacro dicatum. Inde versus mare ad stadia XL. urbs sublimis Pergæ conspicua, atque ingens lacus C Capria. Tum fluvius Eurymedon, duplici clade Persarum & victoria Atheniensium uno eodemque die ab his parta Duce Cimone nobilitatus, navium & subvehendarum ac devehendarum rerum patiens: cui ad LX. stadium assidebat urbs inclyta *Aspendus*, populo frequens, Argivorum colonia: & supra hanc *Petnelissus*. Deinde fluvius alius, & complures exiguæ insulæ litori objectæ. Tum *Side* celebris Cumæorum colonia, piratarum sedes & emporium, cum æde Minervæ, & ei vicina minorum *Cibyratarum* ora maritima: dehinc Melas fluvius cum statione navium appellentium, & post D eum urbs *Ptolemais*. Deinde Pamphyliæ finis, & initium asperæ Ciliciæ. Longitudinem totius oræ Pamphyliæ *Strabo* æstimat stadiis DCXL. *Ciliciæ* asperæ ora maritima angusta, nullum aut admodum rarum locum planum habuit, Tauro monte pressa male habitato, usque ad latus boreum Isauris vicinum, & juxta Homonadeas Pisidiæ proximos. Hujus Ciliciæ primum castellum post Pamphyliam fuit *Coracesium*, qua belli arce usus est Diodorus [1] Tryphon Regum Syriæ hostis infestus, primus Cilicibus autor occipiendæ & exercendæ piraticæ vexandis Syris, demum ab Antiocho Demetrii filio eversus. Sed Cilices prædationibus jam E insueti, & earum dulcedine capti, ut canes ab uncto corio, depelli deinde ab iis nisi gravi bello contra ipsos suscepto a Romanis non potuerunt. Coracesium deinde excepit *Sydra* urbs, mox *Hamaxia* oppidulum in colle cum portu recipiendis navibus commodo, qua plurima materia ad fabricandas naves devectabatur, & fere cedrina, cujus generis ardore loca vicina videbantur abundare: quæ causa fuit M. Antonio, ut Cleopatræ suæ tractum illum tribueret, ut haberet copiam construendæ classis. Deinde *Laertes* castellum itidem in colle situm cum portu aut navium statione, & porro F Selinus fluvius atque urbs ejusdem nominis, in qua obiit Imperator Trajanus, tum alia minoris momenti usque ad promontorium *Anemurium* longissime in mare extensum contra Cyprum insulam, a cujus promontorio opposito distat stadiis CCCL. Post quod oppida alia: in quibus Arsinoe, Celenderis, Holmus, cujus cives posteriore tempore Seleuciam Ciliciæ ad Calycadnum fluvium non procul Holmo in Mare labentem, translati. *Seleucia* hæc urbs fuit insignis, forma sua superans mo-

1. Diodotus aliis.

dum reliquarum urbium aſperæ Ciliciæ & Pamphyliæ, Athenæi & Xenarchi virorum eruditiſſimorum genetrix. Ante oſtium Calycadni erat promontorium Sarpedon, & poſt illud Zephyrium promontorium alterum, ac poſt Zephyrium aliud Anemurium, diverſum ab eo quod prius eſt dictum, & Crambuſa inſula obſcura, & promontorium *Corycum*, ſupra quod introrſum ad ſtadia viginta antrum Corycium, in quo optimus naſcitur crocus, cujus antri memorabilis deſcriptionem accuratam adjicit *Strabo*. Deinde poſt promontorium Corycum inſula erat *Eleuſa* litori propinqua, exculta ab Archelao Ciliciæ aſperæ Dynaſta Romanorum cliente, *Straboni* coævo, regia illic fixa. Dehinc *Latmus* fluvius cum cognomine vico, terminus huic Ciliciæ aſperæ. Poſt quem *Soli* urbs egregia, prima in ſolo Ciliciæ alterius ſecundum ſinum Iſſicum porrectæ, ab Achæis & Rhodiis e Lindo condita, bello piratico prope deſolata, ſed reſtituta a Cn. Pompejo, Cilicibus venia dignis ibi collocatis, & Pompejopolis appellata. Diſtabat a fine Pamphyliæ ſtadiis MCCCXX. quæ erat longitudo litoris aſperæ Ciliciæ. Solenſes fuere Chryſippus inclytus Philoſophus ſectæ Stoicæ, patre tamen natus Tarſenſi, qui Tarſo Solos commigraverat, Philemon Poeta Comicus, Aratus aſtrorum ſitum ac formam, & tempeſtatum ſigna verſu complexus. Poſt Solos verſus Zephyrium promontorium aliud, dein *Anchiala* paulum a mari recedens, a Sardanapalo ultimo Aſſyriorum Rege, ut quidam voluerunt, extructa cum monumento & ſtatua ipſius, ac elogio Aſſyriis literis ſcripto, tali Rege digno. Supra Anchialen *Quinda*, caſtellum validum, conditorium theſaurorum Macedonicorum, quos ſuſtulit Eumenes ab Antigono deficiens, & interius in montanis *Olbus* cum ditione Teucri, a Teucro Salamino nomen ferente, & ſacerdotio opimo. In litore poſt Anchialen *Cydni* celeberrimi fluminis oſtia, qui *Cydnus* in Tauro monte ortus, & per profundam convallem lapſus, Tarſum urbem magnam inclytam perluebat, ac per paludem ſtagnantem in mare ſe effundebat, ubi Tarſenſium erant navalia. *Tarſus* in campo ſita ab oſtiis Cydni ſtadiis tantum quinque, (ſic habent verba apud *Strabonem*, mihi merito de mendo ſuſpecta: Longius enim intervallum inter urbem & oſtia fuiſſe videtur,) a termino boreo Ciliciæ CXX. autores primos habuiſſe dicitur Argivos, cum Triptolemo Argivi Regis filiam Io in Ægyptum profectam quærentes, ante Trojana tempora: populoſa præ cæteris, & potens, ac Ciliciæ hujus quaſi Metropolis. Cui hoc elogium tribuit *Strabo*, fuiſſe tam ſtudioſam diſciplinæ Philoſophicæ, & omnis rei literariæ, ut ipſas Athenas, & Alexandriam in Ægypto, & quamvis urbem aliam in hoc genere ſuperaret: genuiſſe eruditos viros plurimos, Romæ & alibi celebres: in his Antipatrum, Archedamum, Neſtorem, duos Athenodoros, omnes ſectæ Stoicæ; ex Athenodoris alterum M. Catonis familiarem fuiſſe, & apud eum eſſe mortuum, alterum erudiendo Cæſari, qui poſtea dictus Auguſtus, præfuiſſe, & ab eo ſummos honores eſſe conſecutum, eundem ſenem in Patriam reverſum reipublicæ ſtatum peſſime habentem mutaſſe, & rediddiſſe meliorem, eamque cum laude adminiſtraſſe: in Academicis multis Neſtorem C. Marcelli Octavia Cæſaris Auguſti ſorore nati, Auguſto cariſſimi, præceptorem, cum itidem in patriam rediiſſet, in regenda republica Athenodoro ſucceſſiſſe: denique Romam ætate ſua ut Alexandrinis ita Tarſenſibus doctrina celebribus fuiſſe plenam. Ipſi Tarſenſes ſingulari in C. Cæſarem, & poſt eum in Auguſtum Imperatorem affectu urben ſuam Iuliopolim vocitarunt, ut ſcribit *Dion Caſſius*, Cydnus amnis urbem, ut dixi, perluens, non ille quidem magnus, ac longo ſpacio decurrens, ſed amœnus minimeque turbibus, celer tamen ac profundus, & inprimis frigidus: quem cum lavandi cauſa ingreſſus eſſet Alexander Magnus ex itineris labore calens, ſtupore correptis omnibus ejus membris, ſpiritu oppreſſo, in ſummum vitæ diſcrimen incidit. Cæteroqui aquæ fluvii hujus limpidæ & medicamentoſæ hominibus & beſtiis nervorum craſſitie & podagra laborantibus ſalutares fuiſſe perhibentur. Id vero non omittendum hoc loco, omnes urbis hujus cives indigenas doctrina claros Paulum Chriſti ſervatoris noſtri Apoſtolum, præcipuam ſacri Euangelii tubam, gentium omnium doctorem, genere Judæum, vera gloria & nominis claritudine procul ſuperare. Poſt Cydni oſtia orientem verſus *Pyramus* alter fluvius Ciliciæ nobilis in mare exiit, ſtadiis D. ab urbe Solenſi & fine Ciliciæ aſperæ diſtans, ut voluit *Artemidorus a Strabone* allegatus. Prope eum erat *Mallus* urbs vetuſtiſſima ab Amphiloco & Mopſo viris Argivis, e bello Trojano iſtuc delatis, ut credidit vetuſtas, loco edito condita. Deinde *Ægææ* oppidulum cum navium ſtatione; hinc portæ Amanides, in quas ad mare mons Amanus a Tauro deſcendens & Ciliciam ad orientem terminans atque a Syria ſecludens deſinebat: juxta quas etiam navium ſtatio. Et poſt Ægæas *Iſſus* fuit oppidum exiguum ad Pindum amnem, navium quoque ſtationem habens, & ſinui Iſſico nomen tribuens, ad quod oppidum Alexander cum Dario difficili pugna conflixit. In ſinu illo cum quo litus ſe curvat, & angulum faciens in auſtrum convertitur, Rhoſus urbs, & Myriandrus, & Alexandria, & Nicopolis, & Mopſi lares, quam Mopſueſtiam poſteriores dixerunt, & Pylæ, hoc eſt, portæ nuncupatæ, ubi Cilicia deſinebat, & incipiebat Syria. In *Syria* ſecundum litus ſe offerebat *Seleucia Pieria* a Macedonibus munita & exculta; deinde *Orontis* fluvii illuſtris eruptio in mare, ſtadiis XL. a Seleucia diſtans: ad quem fluvium in mediterraneis ſita erat totius Syriæ clariſſima & maxima *Anthiochia* regia Syromacedonum. Deinde ad litus Heraclea, Laodicea, Gabala, *Aradus* in inſula continenti vicina, aliæque obſcuriores uſque ad oſtia amnis Eleutheri, unde initium duxit *Phœnicia* Syriæ maritimæ pars: in qua Tripolis, Byblus, Berytus, & cæteris multo nobiliores & potentiores *Sydon* ac *Tyrus* clariſſimis coloniis celebres, tum Eclippa [1], Ptolemais, Sycaminus, mons Carmelus, Dora, omnes juxta mare. Deinde *Iudæa* regio, quæ Phœniciæ pars a nonnullis cenſetur, cui Palæſtinæ quoque nomen; caput vero ejus *Hieroſolyma*, tum ampla, tum templo & ſede Regum illuſtris, introrſum poſita: in ora autem poſt Doram Cæſarea, Stratonis turris ante dicta, Apollonia, Ioppe, Azotus, Gaza paulum recedens a litore, Aſcalon, Antedon. Regionem mediam perfluebat *Jordanis* fluvius duobus fontibus in finibus Phœniciæ ortus, & ingreſſus in lacum Genereſeth amœnum & amplum, eundemque rurſus egreſſus, tandem in majorem lacum ex copia bituminis aquæ innatantis Aſphaltitem nominatum atque alio vacabulo mare mortuum nuncupatum ſe infundebat, eoque abſorbebatur. Sed hæc poſt Amani portas & Ciliciæ finem dicta, quia ad veteres res Græciæ parum aut pene nihil faciunt, aliena a propoſito, & pro non dictis haberi poſſint. Quanquam ſi poſteriora tempora ſpectemus, quibus Macedones rerum in Aſia & Oriente ac Ægypto potiti ſunt, ignotum non ſit, per hos, qui per ſe Græcis moribus & lingua imbuti erant, & Græcos plurimos ſecum ducebant ac circum ſe aſſiduo habebant, eo-

1. voluit Ecdippa.

rumque disciplinis & institutis delectabantur, per A eafdem illas regiones Græcæ linguæ usum longe lateque propagatum esse, gentis hujus mores passim admissos, plurimas urbes Græcissantes conditas, Alexandrias, Seleucias, Antiochias, Heracleas, Ptolemaides, Laodiceas, Apamias, Berrhœas, Pellas, Larissas, Apollonias, Lysiades, Megaras, Tripoles, Heliopoles. Et res ipsa docuit, Asianos cæterosque ob elegantiam cupide arripuisse Græcanica, & potissimum literas ac linguam in usum suum vertisse. Unde porro factum, ut secutis temporibus passim non per Asiam solum cis Taurum, sed etiam per reliquum Orientem & Ægyptum populi a viris sanctis, Apostolis & Episcopis, de Christi religione B lingua Græca docerentur. Antiquissima in Ægypto Græcorum colonia fuit *Naucratis* in Saitica regione juxta Nili brachium Bolbitinum, condita a Milesiis sub finem regni Cyaxaris Medi, aut initio Astyagis ejusce filii, cum Milesii mari potentes essent, & Inarum Regem Ægypti navali prælio superassent: celebre quondam emporium, patria *Athenæi*, qui de dipnosophistis libros scripsit. Eorundem Milesiorum opus fuit τὸ τεῖχος Μιλησίων dictum, paulo ante Naucratim ad idem ostium Nili loco inferiore structum, cum contra Psammitichum Milesii bellum gererent, regnante apud Medos C Cyaxare, ut ait *Strabo*. Verum longe maxima ac splendidissima Græcissantium urbium in Ægypto fuit *Alexandria* a magno Alexandro ad ostium Nili Canopicum cæteris omnibus occidentalius in regione Mareotide commodissimo loco structa, ubi insul Pharus portum insignem efficiens litori erat objecta amplissima sedes Regum Ptolemæorum, qui a morte Alexandri conditoris ad tempora Cæsaris Augusti in Ægypto regnarunt, originis Macedonicæ. Urbs ut mœnium ambitu ingens, ita populo multo abundans, cujus latus boreum sinuosum inter duo promontoria fluctibus maris mediterranei, quod illic Ægyptiacum dicebatur, alluebatur: alterum latus D meridem spectans imminentem lacum Mareotim vastæ magnitudinis habebat, quem patere in latitudine stadia CL. in longitudine minus quam CCC complexum insulas aliquot, emissario seu fossa lata ostio Nili Canopico junctum, *Strabo* scripsit. *Plinius* tradit XII. pass. millibus ab Canopico remotam fuisse, in parte Africæ sitam juxta Mareotim lacum: & addit, metatum eam esse Dimocharem [1] Architectum pluribus modis memorabili ingenio, XV millibus pass. laxitate infessa, ad effigiem Macedonicæ Chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque anguloso procursu, jam tum tamen quinta situs parte regiæ dicatam [2]: Mareotim lacum a me- E ridiana urbis euripo e Canopico ostio missum esse mediterraneo commercio, insulas plures amplexum, XXX. millibus pass. trajectu, DC. ambitu. Distantiam urbis a Canopo oppido, quod ostio Canopico incumbebat, *Strabo* metitur stadiis CXX. idemque affirmat longam eam fuisse stadiis quasi XXX. latam juxta mare & lacum stadiis VII. aut VIII. distinctam plurimis viis ad equos & currus transmittendos idoneis, duabus vero maximis jugeri latitudine, ad angulos rectos sese secantibus: Regias ait complures eam habuisse, singulas a singulis Regibus extructas, portui contiguas, tertiam quartamve totius ambitus par- F tem occupantes, (*Plinius* ad quintam restringit;) regiarum loco cohæsisse Museium sedem rei literariæ, qua floruerit Alexandria abundans viris eruditis in omni disciplinarum genere celebribus: plenam fuisse urbem ædificiis illustribus ac magnificis tum publicis tum privatis, sacris & profanis: emporio claruisse copiosissimo ob portum geminum, per quem fuerit importatio mercium & exportatio: ad ostium portus orientalis, qui altero major, in caute ex undis prominente turrim a Rege Ptolemæo impendiis maximis (talentis, ut prodit *Plinius*, DCCC.) e saxo albo structam, ingenio singulari Sostrati Cnidii architecti præclari, tabulatis pluribus in altum surrexisse, ex summo nocturnis ignibus cursum navium dirigentem, ex nomine insulæ portum utrumque tegentis Pharum nuncupatam: portum a portu separatum fuisse aggere pontis instar ab urbe in insulam Pharum porrecto, duobus tantum meatibus ex portu in portum pervio, qui veris pontibus superne strati fuerint, eumque aggerem ædificiis fuisse coopertum. Habitata fuit diu *Alexandria* a tribus hominum generibus, ut ex *Polybio* optimo teste, qui præsens id cognovit, idem *Strabo* nos docet. Primi horum indigenæ Ægyptii dicuntur fuisse; secundi satellites Regum, milites scilicet stipendia merentes, numero multi & dissoluti, ac fere peregrini, qui ob Regum istius sæculi ignaviam magis regnabant, uti scripsit *Polybius*, quam Regibus parebant; tertii proprie dicti Alexandrini, origine, sermone, institutis, moribus Græci, sed aliarum gentium turba mixti, obtriti demum & pene deleti, immissis aliquoties in eos tumultuantes militibus a Ptolemæo Physcone tyranno immani. In his magnam multitudinem Judæorum fuisse ex *Josepho* & *libris Maccabæorum* cognoscimus. Populus universus ex hujusmodi colluvie conflatus discors in sese, factionibus deditus, seditiosus, dicax, vanus, in luxum profusus: in quo natus Arius famosæ & pestiferæ sectæ conditor, qua turbatus totus Oriens est, & multæ Occidentis partes, Christianæ religionis corruptor teterrimus. Sed & nati ibidem sunt Alexander Episcopus urbis orthodoxus Ario adversans, & ejus successor magnus Athanasius. Alexandriæ hinc pene pares fuere amplitudine & celebritate duæ aliæ Macedonicæ quoque originis, sed a mari procul distantes, *Antiochia* in Syria ad Orontem fluvium paulo ante a me memorata, & Seleucia in Chaldæa, irrigua emissario ex Tigride in Euphratem derivato; utraque a Seleuco Nicatore, ex successoribus Alexandri Magni longe lateque in Orientis partibus dominante, condita: quarum illi e Seleuci patre Antiocho nomen datum, huic ex ipso Seleuco. Utraque etiam Græcissans, & populus utriusque mixti quoque generis. Antiochia sedes propria Regum Syriæ: *Seleucia* plusculum Græci moris retinuit, ad exhauriendam Babylonem vicinam a conditore structa, ut ait Plinius. De qua sic Tacitus *in Annalibus*. *Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis: & quoties concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem adversus omnes valescit. Id nuper accideret Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu. Nam populi imperium juxta libertatem, paucorum dominatio regiæ libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum Regum honoribus, & quos recens ætas largius invenit: simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cætera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit.* Hactenus verba Taciti annalium libro VI. Ad oram Ægypti unde sum digressus, revertor. Finis Ægypti fuit Carabathmus, ut dixi, vallis devexa, & civitas ejusdem nominis. Catabathmum ad occidentem excipit Africa: cujus pars prima secundum litus ad confinia majoris Syrtis extensa Pentapolitanæ ac Cyrenaicæ nomen habit. Hujus caput

1. Sufficit *Dinocharem*.
2. Plinius *dicata*, qui etiam in proximis jam restitutus est

A *Cyrene fuit*, colonia Græca a Theræis insulanis Lacedæmoniorum colonis deducta primum, conditaque Principe Aristotele cognomento Batto circiter Olympiadem XLI. regnante in Media Cyaxare Astyagis patre: eademque accitis novis e Græcia colonis sæpius aucta in eam magnitudinem & opes excrevit, ut inter maximas & potentissimas civitates Græcas, quæ extra solum veteris Græciæ claruere, censa quondam fuerit. Incrementi tam felicis causa perhibetur tum soli bonitas, in quo stetit, tum rectorum civiumque solertia. Sita vero fuit aliquot passuum millibus a litore in campo edito, unde procul a navigantibus e mari conspi-
B ci potuit. Ab exortu suo Principes habuit, quos Reges a plerisque scriptoribus dictos esse video, per annos quasi CC. ex Batto conditore descendentes. Quorum qui finis fuerit ævo Cambysis Persarum Regis, & Darii, qui post occisos Magos Cambysi successit, prolixe recitat Herodotus *in Melpomene*. Post quos crevit Cyrenæorum libertas, quæ tenuior sub Principibus fuerat, quamquam tributo Persarum Regibus Ægyptum tenentibus manens obnoxia. Extincto Persarum imperio paruit Cyrene Ptolemæis Ægypti Regibus ad usque tempus regni Epiphanis, qui quintus in ordine fuit, primi nimirum Ptolemæi adnepos. Is
C natu majori filio cum regnum Ægypti assignasset, minori, cui Physconis cognomen, Cyrenen cum regione vicina dedit addito regni titulo: & hic, defuncto post aliquot annos fratre majore sine liberis maribus, Ægypti Rex factus Cyrenen filio ex concubina sibi nato, Ptolemæo Apioni, testamento legavit. Apion postquam diu regnasset, discors cum agnatis Ægypti Regibus moriturus populum Romanum hæredem scripsit anno urbis Romæ DCLVIII. Romani regno potiti Cyrenæos libertate donarunt. Quam cum a tyrannis turbatam, & refectam a Romanis bene ferre non pos-
D sent, aliquandiu post adempta libertate formam provinciæ cum vicinis accepere. Floruit Cyrene doctrinæ studiis, & viros eruditione præstantes multos produxit. Quorum ἐνδοξοι fuere Aristippus Socraticus Cyrenaicæ Philosophiæ princeps & autor, & hujusce filius patri cognominis, & Annicoris. Tum Poeta eximius Callimachus ex posteris Batti, & Philosophus ac Mathematicus excellens Eratosthenes, apud Ægypti Reges in summa uterque gratia, & Academicorum coryphæus Carneades. Genuit etiam non paucos Olympionicas, & viros alios aliis in rebus præstantes. Ex hac porro nata sunt & cætera Cyrenaicæ regionis oppida,
E quæ cum Metropoli nomen pepererunt Pentapoleos, *Berenice* in occidentem maxime vergens, Syrti majori & aris Philænorum vicina, *Teuchira* post nuncupata Arsinoe, *Barce* in Ptolemæi honorem Ptolemais a posteris dicta, *Apollonia* Catabathmo ac Ægypto appropinquans. Quibus *Ptolemæus* in tabulis suis Neapolim adjicit. Apolloniæ conjunctum fuit navale Cyrenes circiter stadia LXXX. ab urbe dissitum, quo naves ejus solent appellere. Tota Cyrenaica trans mare mediterraneum Peloponneso opposita fuit.

F

LIBER SEPTIMUS.

De insulis, quas Græci nominis populi tenuere.

RES poscit, ut de insulis, quæ Græciæ continentem cingunt, quæque a Græcis habitantur, pauca addamus. Earum aliæ majores sunt, aliæ minores: quædam litoribus Græciæ vicinæ, quædam Epiro, Macedoniæ, Thraciæ, oræ Asiaticæ objectæ: aliæ in orbem stipatæ, quas ex eo Cycladas vocarunt, aliæ hic illic in mari dispersæ, Sporades dictæ. Inter majores maxima fuit Sicilia in occidentem remota, mare Tyrrhenum ab Jonio separans, promontorio uno Italiæ parti pene contigua: deinde Creta Ægæum pelagus a Libyco secludens, Cyprus in intimo mari mediterraneo Ciliciæ litori opposita, Eubœa secundum oram Atticam & Bœoticam extensa, Lesbus Asiæ vicina: tum mediæ magnitudinis eidem Asiæ proximæ Chius, Samus, Rhodus, & in occidua plaga in mari Jonio, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus: reliquæ minores & in his quædam minimæ. Nos ab iis, quæ in Jonio sunt, & plaga occidua, incipiemus, *Sicilia* insularum totius maris mediterranei longe maxima, formæ triangulæ, sed laterum inæqualium: in totidem promontoria, quot sunt anguli, procurrens, ex quibus Trinacria & Trinacris olim dicta est. Promontorium extimæ oræ Italiæ Brutiisque proximum Pelorum, Carthaginem spectans Lilybæum, orienti & mari Libyco obversum Pachynum nuncupabant. Laterum maximum est a Peloro ad Lilybæum, in gibbum leviter se curvans, septentrioni expositum, quod *Posidonius* teste *Strabone* mensus olim est stadiis MDCCXX. ab eodem Peloro ad Pachynum, orientem intuens, laterum minimum ex mente ejusdem *Posidonii* stadia numeravit MCXXX. tertio a Pachyno ad Lilybæum in meridiem verso mediæ longitudinis stadia imputata fuere MDC. Totius insulæ ambitus secundum *Posidonium* complexus fuit stadia quater mille quadringenta. *Thomas Fazellus Siculus* tribuit lateri boreo stadia CCLXXXI. austrino CXCIII. orientali CLX. diligentissimus Siciliæ descriptor, proximo ævo florens. Hujus insulæ oræ, præsertim quæ austrum & orientem spectant, civitatibus Græcis oblitæ quondam fuere. Quarum maxima, splendidissima, potentissima, celeberrima *Syracusæ* conditæ a Corinthiis & colonis ex reliqua Peloponneso auctæ, Metropolim, & reliquas Peloponnesi urbes opibus superavit, in ortivo latere sita. De qua abunde nobis dictum *in descriptione reipublicæ ejus*. Post Syracusas *Agrigentum* in ora austrina, solis his amplitudine, splendore, opibus, populi frequentia quondam cedens, aut ne cedens quidem. Nam aliquando ducentis millibus virorum habitatum fuisse, & divitiis abundasse *Diodorus Siculus* rerum Siciliensium peritissimus affirmat. Conditum Agrigentum a Gelois vicinis, civitate Græca Doricæ originis, ad fluvium Acraganta, ex quo urbs nova Græcis Acragas fuit appellata. Initium ejus annis CLIII. recentius initio Syracusano, cum Romæ regnaret Tarquinius Priscus Rex. V. Civitas multo tempore libera: bis tyrannide pressa, prius a Phalaride tyranno immiti, tyrannicu populi tandem trucidato; rursum post tempus longum a Therone, & filio ejus Thrasydæo. Quo ob crudelitatem nimiam everso restituta libertas. Cætera Agrigentina dixi *in opere Chronologico libro* v. *capite, cui titulus est, Tempora Agrigentinorum.* Tum in eodem latere austrino, paulo orientalior *Gela*, Agrigentinorum Metropolis, ad amnem ejusdem nominis, Lindiorum & Cretensium colonia, dominos passa Clearchum Patareum, & fratrem ejusce Hippocratem sua ætate Principum Siciliæ potentissimum, multis victoriis potitum, tandem vero in prælio cæsum ad Hyblam. Cujus filiorum defensionem professus Gelon armorum Dux dominatum urbis ipse invasit, & haud diu post reductis in patriam exulibus Syracusanis non invita civitate Principem se Syracusis imposuit, Xerxi coævus, multis victoriis illustris, moderatione animi & justitiæ laude singularis, totius insulæ res pene pro arbitrio administravit. Quæ alibi etiam a me dicta. Et rursus in eadem ora

Segesta quondam opibus illustris, & *Heraclea*, paulum a litore recedentes, Agrigento magis occiduæ, & *Selinus in Historia Thucydidis* celebris. Demum *Camerina* inter Gelam & Pachynum promontorium annis cxxxv. post Syracusarum initium a Syracusanis condita, clari nominis, palude vicina infamis. Sed in ora ortiva præter Syracusas complures urbes Græci nominis claruere egregiæ & amplæ: *Megara* conditorum nomen referens, Hybla prius dicta: *Leontium* modice a litore recedens, Naxiorum Siciliensium generis Chalcidici colonia antiqua, præpotens, Gorgiæ oratoris disertissimi patria: *Catana* in ipso sita litore ad extremas Ætnæ montis spatiosi, sublimis, ignivomi radices in ortum vergentes, gravia sæpenumero incommoda ab incendiis Ætnæis perpessa, a Naxiis vicinis Chalcide oriundis condita: ipsa *Naxus* antiquissima Græcarum urbium in Sicilia, mari accubans, ortum suum Chalcidensibus Euboicis, ut jam monstratum, debens: *Tauromenium* his omnibus recentius oppidum Principe Andromacho Timæi Historiæ scriptoris patre ex reliquiis eversæ Naxi excitatum, dominante Syracusis Dionysio juniore, qui Naxum excidio dederat. Denique *Zancle* Peloro promontorio proxima & freto non lato a Rhegio Brutiorum urbe Italiæ disjuncta, cum portu percommodo, primos conditores sortita Cumæos Italiam habitantes, accessione Chalcidensium ex Eubœa evocatorum, ad quos originem Cumæi quoque referebant, plurimum aucta. Dein casibus variis agitata, fraude Anaxilæ Messenii Rheginorum principis, a Messeniis patria extorribus, quos Anaxilas in eum finem e Græcia accersiverat, occupata, funditusque deleta: sed mox translata materia in locum proximum vix mille passibus inde dissitum, qui commodior sedi urbis esse videbatur, urbs nova eodem authore Anaxila extructa, & a Messeniis Messene, aut *Messana*, ut fert Dorica dialectus, nuncupata est. Ea Anaxilæ studio, qui Rhegio relicto istuc commigraverat, singulari felicitate ad fortunam majorem brevi tempore provecta, & post aliquot annos per Timoleontem Corinthium deleta tyrannide in libertatem asserta ita cum temporis lapsu crevit, ut inter fortunatissimas Siciliæ censeretur. Postremo a Mamertinis, genere hominum barbaro, qui sub Pyrrho Epiri Rege stipendia fecerant, per summum scelus oppressa & nomen aliquandiu mutavit, & primo bello Punico inter Romanos & Pœnos causam dedit: At posterius prisco nomine Messanæ resumpto, minutis sensim opibus Syracusanis, ipsa augescens in Siciliæ urbibus ad hoc usque tempus, post Panorum sedem regiam, principem locum tenet. In ora quoque lateris tertii, quod Tyrrheno pelago expositum est, a Græcis structæ & habitatæ urbes aliquot fuere. *Mylæ* in peninsula in pelagus ad tria passuum millia procurrente sitæ non longo spatio post Pelorum, conditæ, ut boni autores perhibent, a Zanclæis Chalcidensibus, belli arx usurpatæ quondam a Sex. Pompejo contra Octavium & Antonium. *Himera* circiter lateris istius longitudinem mediam, urbs populosa & valida, genere quoque Chalcidensi, quippe a Mylensibus quos Zanclæi condiderant, extructa habitataque: quam tamen solam Græci nominis in eo latere fuisse tempore belli Peloponnesiaci Thucydides libro vii. videtur dicere, forte quia cæteras opibus suis tunc obscurabat. *Tyndaris* inter Mylenses & Himeræos posita, civitas nobilissima a *Cicerone* vocata, Laconum opus. Lilybæo vicinum *Drepanum* in peninsula sedem habens, a forma falcata litoris, cui adsidet, nomen adeptum. In mediterranea regione *Enna* tanquam in meditullio insulæ fuit, loco præcelso, Syracusanorum colonia, quam umbilicum Siciliæ solent dicere: *Engyum* Cretensium opus, ab iis constructum, qui mortuo Minoe Rege in Sicilia manserant. Cæteras Siciliæ urbes in hunc censum non refero, vel quia obscuriores, vel quia originis Græcæ non fuere. Quarum præcipua *Panormus* cum pluribus ejusdem viciniæ Phœnices autores præfert, sita in litore, quod circium intuetur, inter Drepanum & Himeram, sed huic quam illi multo propior: clara olim, sed temporibus posteris multo clarior, diu Regum Siciliæ sedes, atque etiam nunc totius regni caput, ubi cum senatu regio domicilium habet is, qui pro Rege regnum administrat, amplitudine, splendore, opibus reliquas omnes insulæ urbes superans

Lateri Siciliæ, quod pelago Tyrrheno alluitur, non procul Peloro promontorio objectæ sunt insulæ aliquot minores, quas *Vulcanias* aut Æolias dixit vetustas, Ætnæ in modum ignem sæpe vomentes, olim vii. numeratæ, nunc x. recensentur. Harum maxima & clarissima *Lipara*, xviii. pass. millia in ambitu metiens, urbem habuit olim, & etiam nunc habet, ejusdem cum ipsa insula nominis, haud vilem, Græco quoque nomini prisco sæculo inscriptam, in prærupta rupe positam, varia non semel fortuna usam, aluminis proventu nobilem. Cæteræ urbibus carent. Lilybæo vicinæ sunt in mari Libyco *Ægusæ Polybio*, *Ægates Livio* & scriptoribus Romanis dictæ, scopuli verius quam insulæ, numero tres: ad quas pugna navalis gravissima inter Pœnos & Romanos commissa, fractis Pœnorum viribus bello Punico primo finem dedit.

Est & in Libyco pelago *Melita*, Pachyno promontorio respondens, remota ab eo pass. mill. centum, in circuitu numerans pass. millia LX. tota plana, sed saxosa, attamen frumenti satis valde ferax & copiosa, portubus commodis non infrequens, urbe cognomine vetusta insignis, vicis & villis plena: hodie Malata nominata.

Cosyram Melitæ vicinam omitto, quia nihil facit ad Historiam Græcam.

Epiri latus maritimum magnam partem, qua Thesprotii fuere, tegit *Corcyra* insula nobilis, in longum porrecta ad passuum millia xcvii. ut *Plinius* ait, quæ stadia faciunt DCCLXXVI. si millibus passuum singulis octo stadia imputentur, latitudine inæquali, & nonnunquam angusta: sinuosa & concava, qua continenti obvertitur, qua pelago, incurva ac specie gibbera, promontorio, quo in circium vergit, continenti vicina, Phæacia antiquissimis temporibus & Scheria dicta: amœna admodum, arboribus pomiferis omnis generis & vitibus læta, proventu mellis copiosa, vicis & villis frequentibus undique obsita. Urbs ei una insignis & rebus maritimis quondam potens, a Corinthiis condita, sita eo latere quod continentem spectat, inter duos maris in terram se insinuantes recessus, cum statione navium ac portu commodissimo & capacissimo; diu liberrimi juris, etiam cum Metropoli bello contendere ausa: deinde seditionibus jactata, & demum tyrannos passa, postremo cum reliquis Græcis Romanorum imperio subjecta, & ab his libertate donata. Nunc Venetæ reipublicæ ab annis multis parens. Cætera in *descriptione reipublicæ Corcyrææ* diximus.

Post Corcyram eadem in ora ex intervallo bene longo ab Acarnaniæ litore procedebat olim *Leucas* peninsula, Neritus ante nuncupata, angusto & brevi isthmo continenti annexa, sed Corinthiorum opera perfosso isthmo ab ea abscissa, & mare, qua isthmus fuerat, admissum: & tamen, si *Plinio* credimus, tempore ejus ventorum vi arenis invectis, fretum illud, quod ponte jugari poterat, ut *Strabo* lo-

A quitur, rursus oppilatum, ac Leucas peninsula iterum facta. Verum vicissitudine quadam, sive humano opere, sive fluctuum vi, secutis temporibus freto denuo aperto insularum censui restituta. Oppidum quondam habuit Leucadis nomine, isthmo fretoque adjacens. Nunc insula mutato nomine S. Mauri vulgo dicitur. Ab hac in idem pelagus Ionium longius a litore submotæ insulæ aliæ tres prisco ævo celebres, Cephallenia, Zazynthus, Ithaca, atque his multo minores, & famæ obscurioris, Ætoliæ litori appropinquantes Echinades, proprium regnum Ulyssis. Harum maxima *Cephallenia*, quondam tetrapolis, ut *Thucydides & Strabo* B docent, e locis continentis Acarnaniæ proxima, disjuncta a litore ejus stadiis quasi L. aut, ut quidam volunt, XL. tantum, a Peloponnesi proximo promontorio remota stadiis circiter LXXX. si recte habet numerus apud *Strabonem*, a circio vento in euroaustrum extensa, oblonga, in circuitu stadia CCC. complexa, incolis frequens, quamquam passim in montes se erigens: quorum editissimus Ænus cum fano Jovis Ænesii: juxta quem ob sinus maris litus submoventes insula fit angustissima, & maxime depressa, ut etiam marinis C fluctibus tempestate tumescentibus non raro reddatur pervia. Civitatum ejus nobilissima Same fuit ab altitudine nomen hoc sortita, (Samos enim altum significat,) posita juxta litus, quod orientem spectat, unde in Ithacam trajectus erat, a Romanis jam ante ætatem Strabonis deleta. Tum Palenses & Cranii, utrique angustiis jam memoratis vicini: denique Pronæi, ut eos vocat *Thucydides*, aut Pronesii, ut legitur apud *Strabonem* Hoc tempore urbem tantum unam ab insula nomen ferentem habet, eo loco, ubi quondam Same fuit, & in Venetorum est potestate.

D *Zacynthus* in euroaustrum sequitur, Peloponneso vicinior quam Cephallenia, distans ab hac stadiis LX. ambitur stadiis CLX. nemorosa quidem, sed eorum quæ ad hominum victuum pertinent, inprimis ferax. Et hinc urbs quoque una eodem cum insula nomine. Venetis hodie etiam parens. *Ithaca* in orientem vergens a Cephallenia, freto bene lato ab ea dirempta, stadia quasi LXXX. ut *Strabo* vult, in circuitu patens, cum urbe vocabuli ejusdem: ubi natus & educatus fertur Ulysses, & solium regni sui tenuisse: insula soli non infelicis. *Echinades* autem Ætoliæ litori proximæ, cum E prioribus Ulyssi quoque subjectæ, pleræque, præter Dulychiam caput inter eas efferentem, perangustæ & steriles: prope quas anno Christiano MDLXXII. postrid. Non. Octob. maxima Turcarum classis a Venetis & Hispanis est deleta. Cæteras hujus tractus maris Ionii insulas exiguas, quod momenti fere nullius sint, consulto prætereo.

Ad *Cretam* venio, earum, quæ a primævis sæculis Græci juris fuere, maximam. Siquidem longitudinem ejus bis mille & trecentis stadiis ex *Sosicrate* autore optimo *Strabo* metitur, quamquam latitudine satis angusta, si longitudini comparetur, eaque non ubique eadem: totum autem ambitum definit stadiis quinque millibus. Quidam tamen F de dimensionibus his aliquid detrahunt. *Plinius* latitudinem ejus nusquam L. millia pass. excedere, eamque maximam circa insulæ medium esse, longitudinem CCLXX. pass. millia implere, ambitum DLXXXIX. millia numerare scribit. Porrigens vero se ab occasu in ortum mare Ægæum, quod late inter Europam, & Asiæ minoris frontem diffunditur, a Libyco velut agger interjectus separat. Incipit fere ab angulo Peloponnesi, qui in euronotum maxime prominet, & juxta Doridem Asiaticam, quæ ab austrina Asiæ ora in zephyrum effertur, desinit, sed utroque illo angulo paulo est australior.

Finis ejus occidentem aspiciens latitudinem habet stadiorum CC. ut ait *Strabo*, in duo promontoria diductam: quorum id quod australius est, *κριῦ μέτωπον*, Arietis frontem, borealius Cimaron veteres dixere. Orientalis finis tractu angusto in acutum definit cum promontorio Samonio, insulis, quæ in mari Carpathio & Rhodio sunt, appropinquans. Potens quondam ante auctas reliquorum Græcorum res, & mari late imperans, cum Minoi & domui ejus pareret: centum urbibus tum habitata, unde ἑκατόμπολις nomen accepit. Partem ejus Orientalem habitasse olim Dorienses advenas e Thessalia profectos, occiduam Cydonios, austrinam Eteocretas, utrosque indigenas, apud *Strabonem* legimus. Diu antiquissimis legibus floruit, quorum Minoem Regem plerique, quidam Rhadamanthum ejus fratrem autorem fuisse perhibent: quæ ut sanctius colerentur, ex consilio DEI latas esse fuit vulgatum. Harum fama motum Lycurgum Spartanum ajunt in Cretam se contulisse, & eas illic edoctum aptas usui Laconico transcripsisse in leges suas. Multo autem tempore, cum maxime illustres essent res reliquorum Græcorum, quas *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Polybius*, *Diodorus* descripsere, parum se miscuit rebus illorum, nisi quod stipendiis exteris conductos sagittarios & funditores, quo telorum genere Cretenses excelluere, emittere soleat. Sed interim intestinis dissidiis laborans, & vires suas in se vertens, cum potentiores occasionibus usi inermiores opprimerent, urbium suarum numerum non parum minuit. Quinetiam libertate hic illic oppressa tyrannis aliquandiu serviit, & ex eorum cupidine maria infesta habuit. Postea Cilicum piraticam factitantium societati se junxit, aut libidini paruit. Quos cum Romani armis persequerentur, Creta quoque subacta in victorum potestatem demum venit. Per hos legum veterum reliquiæ prorsus sublatæ. Insula omni fere sui parte in montes se attollit, & sylvis frequens est, convallibus vero ad omne genus annuorum fructuum fœcundissima, vini genorosissimi, frumenti, arborum pomiferarum, cannarum ex quibus saccarum conficitur, his præsertim posterioribus sæculis, feracissima. Montes in occasum vergentes, in longitudinem stadiorum CCC. porrecti, ab albedine Leucorum nomen habuere apud veteres, ut docet *Strabo*, Taygeto Laconiæ non humiliores. Altissimus montium est *Ida* in insulæ medio, rotundus, circuitu amplexus stadia LX. Urbium veterum plurimæ tum prioribus armis intestinis, tum belli piratici sæculo interciderant, vicorum formam sortitæ. Superfuere tamen non paucæ etiam *Strabonis* ætate, ut ipse testatur, imperante Cæsare Octaviano Augusto. Eminuere in his potissimum tres, ut est apud eundem, Cnossus, Gortyn, Cydonia: duæ priores a mari longius remotæ, litori tamen boreo quam austrino multo viciniores: tertia prope litus boreum, recedens ab eo vix stadiis XL. in parte occidua, Laconicæ regioni vicina, a Cnosso & Gortyne pari fere spacio stadiorum DCCC. distans. *Cnossus* quondam regia sedes Minois, regnique caput, inter Gortynem & Lyctum, urbem etiam non ignobilem, planicie posita, ab illa stadiis disjuncta CC. ab hac CXX. ambitu antiquo complexa stadia XXX. post rebus insulæ turbatis jure & dignitate diminuta, jusque & dignitas ad Gortynios & Lyctios translata; sed eadem, ut ait *Strabo* rerum Creticarum peritissimus, postmodum Cnosso reddita. Huic potestate & dignitate proxima, fuit *Gortyn*: quæ si cum Cnosso concors ageret, nulla aliarum lacessere quietem publicam audebat: at si hæ discordia laborarent, totam insulam in partes scindebant: utri autem parti *Cydonia* se jungebat, ad eam maximum omnino momentum affe-

A afferebat. Cnosso nobile navale erat in litore boreo Heracleum. Gortyn olim muro hostili vi nudata multo tempore sine mœnibus mansit usque ad Ptolemæum Philopatorem in Ægypto regnantem, qui murum quidem instaurare cœpit, sed opus inchoatum non absolvit. Distabat Gortyn a mari Africo, ad quod portum habebat, stadiis quasi XC. ut & Cnossus, & flumine Lebene perluebatur. Præter tres has urbes principes, erant etiam non ignobiles aliæ, *Lyctus* jam ante dicta cum portu, cui nomen Cherronesi; *Prasus* in Eteocretibus in medio Samonii promontorii & Cherronesi, a mari remota stadiis LX. Gortyne distans stadiis CLXXX. deleta, ut perhibet *Strabo*, ab Hie- B rapytniis, in qua fuerat Iovis Dyctæi fanum celebre; *Aptera* Cydonia dissita stadiis LXXX. a mari proximo XL. In occidente *Polyrrhenii* Cydoniatarum vicini, apud quos Dyctynnæ fanum, a mari remoti stadiis XXX. a Phalasarna LX. vicatim olim habitantes, dein aucti colonis Achæis & Laconibus locum natura munitum muro clauserunt, in meridiem versum: *Phæstus* ex numero earum quas civibus frequentiores reddidit Minos, a Gortyniis diruta, dissita Gortyna stadiis LX. a mari XX. ab altero Gortyniorum navali Metallo XL. a- C ger ejus a Gortyniis occupatus: ita *Rhytium* quoque eorum factum, ut & *Olyssa*. Memorat etiam *Strabo* urbes Milyttum & Lycastum jam ante sua tempora excisas, & agros eorum a potentioribus infessos. Hactenus ex *Strabone*. *Plinius* urbes Cretæ recenset in hunc modum. *Oppida ejus*, inquit, *insignia, Phalasarne, Elæa, Cysamum, Pergamum, Cydon, Minoum, Apteron, Pantomatrium, Amphimalla, Rhitymna, Panormum, Cyteum, Apollonia, Matium, Heraclea, Miletus, Ampelos, Hierapytna, Lebene, Hierapolis*: & *in mediterra-* D *neis, Gortyna, Phæstum, Gnosus, Polyrrhenium, Myrinum, Lycastus, Rhamnus, Lyctus, Dium, Asum, Pylorus, Rhytium, Clatos, Pharæ, Holopyxos, Lasos, Eleutbernæ, Therapne, Marathusa, Cytinos, & aliorum circiter* LX. *oppidorum memoria, extat. Memoria*, inquit *Plinius*, *oppidorum exstat*: ergo ipsa ejus sæculo non extabant. Plurimæ enim bellorum injuriis jam dudum perierant, eratque urbium Creticarum numerus ad paucitatem redactus. *Volaterranus* suo sæculo x. fuisse Cretæ urbes cum præsulibus scribit, quatuor fortuna integra, Candiam Metropolim, sedem prætoris Veneti, (Venetis enim jam a multis annis insula paret) ex qua tota insula Candia nunc dicitur, E Caneam, Retenium, Sitiam: cæteras semidirutas, Chisanium, Arium, Milopotamum, Arcadiam, Cherronesum, Hierapetram, omnia fere nova nomina. *Bellonius* qui de insulis scripsit, tres tantum incolumes refert, quartam Sitiam omittit. Montes insulæ *Plinius* recenset Cadiscum, Idæum, Dictæum, Coricum Distare promontorium ejus, cui nomen frons Arietis, a promontorio Cyrenarum Phycunte, fretus authoritate Mutiani, millibus passuum CCXXX. Cadiscum a Malea Peloponnesi LXXX. Sammonium promontorium ab insula Carpatho LX. in favonium ventum, quæ inter Cretam & Rhodum interjacet, idem ait. Insulas minutas, vix insularum F nomine dignas, Cretæ litori proximas, peneque ei contiguas libens hoc loco silentio transmitto. Porro aperto in mari, quod supra Cretam est versus septentrionem, ex adverso Peloponnesi, agrique Attici, post flexum Sunii promontorii, & simul partium quarundam Eubœæ, complures sunt insulæ velut in orbem stipatæ, quas Cycladas propterea vetustas nominavit, & aliæ in ortum aut austrum magis vergentes, atque Asiæ Cretæve viciniores, heic illic per mare sparsæ, quæ ex eo *Sporades* sunt dictæ. De quibus dicendi locus erit paulo post. Cretæ magnitudine proxima est *Eubœa* oræ Atticæ post promontorium Sunium, itemque Bœoticæ & Locrensi & Maliensi objecta, & pelago non lato ab iis dirempta. Cujus longitudinem metitur *Strabo* a Cenæo promontorio ad Geræstum stadiis MCC. Plinius passuum milibus CL. uterque latitudinem pro longitudinis modo angustam esse docet, eamque inæqualem, hoc est, diversis partibus diversam. *Strabo*, ubi maxima sit, stadia L. non excedere ait: alter nusquam majorem esse pasuum millibus, nusquam minore viginti affirmat: circuitum vero totius insulæ passuum millibus CCCLXV. confici dicit. Porrigitur a coro vento, ubi Cenæum promontorium est, in euroaustrum, obvertitque latus, quod apertum pelagus spectat, plagæ inter boream & orientem mediæ: finem vero in euroaustrum desinentem expandit in promontoria duo, ut ostendit *Plinius*, Caphareum scilicet Hellespontum boreamque aspicientem, & Geræstum in terram Atticam vergentem. *Cenæum* promontorium, quod dixi, occasum Solis respiciens, in Maliacum sinum protensum, & Cnemidibus Locridis oppositum, disjunctum ab his fuit trajectu stadiorum fere XX. Ei proximum fuit in ora, quæ continentem intuetur, litus *Artemisium* a fano Artemidis sic nuncupatum, in *Historia Herodoti* celebre, ad quod Xerxeo bello classis Græcorum stationem habebat angustias maris custodiens, usque ad Leonidem Regem cum suis in Thermopylis cæsum, qui ad viam exercitui Xerxis terrestri præcludendam illic collocatus fuerat. Qua cæde cognita jam nullis rationibus Themistocles inhibere Corinthios & reliquos Peloponnesios poterat, quo minus deserta Eubœa in maria Peloponneso viciniora properarent. Eidem Cenæo proximum fuit oppidum *Dium*, Metropolis Canarum Æolidis, & *Athenæ Diades* ab Atheniensibus conditæ ad fretum Cenæo conjunctum. Ejusdem quoque viciniæ fuere *Ellopia*, *Histiæa*, *Oreus*, quæ tres in urbem tandem unam coivere. Nam Ellopienses primum ad Histiæenses habitatum concessere: deinde Pericles bello Euboico victor, Histiæensibus quibus erat iratior, patria excedere jussis, atque in Macedoniam, ut ex *Theopompo Strabo* notat, amandatis, novos colonos ex civitate Attica ad bis mille substituit, coloniaque ex situ (nam excelso loco posita erat juxta montem Telethrium ad Callantem fluvium in Ægeum pelagus exeuntem) Oreus & coloni Oreitæ nomen tenuere. Sic quidem ille. Sed *Thucydides* ætate sua Oreum & Hestiam (sic enim nomen hoc ab eo scribitur) velut duas civitates diversas nominat, utramque in societate Atheniensium. Unde verisimile mihi fit, sensim deficientibus Histiæensibus post *Thucididis* demum tempora Oreum solum possessionem nominis & formam urbis retinuisse. At *Strabo* in eodem tractu recenset porro oppida hæc: *Periadem*, *Cerinthum*, *Ædepsum*, *Orobias* cum oraculo Apollinis Schinuntii. Cerinthum nominat πολίδιον maritimum, ad amnem Budorum. Ædepsum ait sinui Opuntio in Locride oppositam fuisse, & Locridis ora diremptam pelago stadia CLX. lato. Orobiis dicit vicinas fuisse *Ægas* Euboicas, sitas e regione Antedonis in ora pene ultima Bœotiæ Locridem versus, & Ægis adhæsisse Neptuni Ægæi fanum celebre in edito monte. Reliqua Eubœæ apud eum sic habent. Insulæ hujus mons altissimus est Ocha, unde aliquando tota insula nomen mutuata est. Sub eo monte fuit *Carystus* urbs, & prope eam *Styrorum* oppidum, & *Marmarium* nobile lapicidinis, e quibus excidebantur columnæ Carystiæ, & templo Apollinis Marmarini, a quo trajectus ad Alas Araphænidas. Nascebatur quoque apud Carystios lapis, qui in fila duci texique poterat conficiundis mantilibus,

quæ sordidata lotionis loco in ignem conjecta mundabantur. Styra bello Maliaco ab Atheniensibus eversa Duce Phædro: ager eorum ab Eretriis occupatus. Fuerant his ex tetrapoli Marathonia, istuc deducti coloni, ut vulgo creditum. Sed ante Carystum, quod *Strabo* omisit, ex *Plinio* vero, *Melaque* ac *Solino*, & *Ptolemæo* satis patet, *Caphareus* fuit promontorium excelsum, in boream se efferens, ubi classis Græcorum Ilio revertens fœdum naufragium quondam fecisse perhibetur: & ante Capharea tractus ille litoris introrsum se retrahens, quem *Cava Eubœæ* vocarunt, juxta quem Xerxeæ naves ad invadendos a tergo Græcos ad Artemisium hærentes circum insulam missæ, exorta forte gravissima tempestate periere: quanquam non desint, qui Cava hæc longius etiam ad sequentia litora sinuosa extendat. Post Carystum Geræstus oppidum cum commodo portu, & promontorium nominis ejusdem, Sunium agri Attici intuens, quod idem album quoque litus dicebant: e quo in Sunium navigatio erat stadiorum CCC. Oppidum ipsum fuit populo frequens, Neptunique fano istis locis celeberrimo insigne. Deinde secuta est eadem ora in occidentem retracta *Eretria* urbs inter omnes hujus insulæ, excepta Chalcide, maxima & potentissima, mari assidens, Atheniensium colonia vetus, ante excidium Trojæ primum condita, ut & Chalcis, & mox post idem excidium una cum Chalcide ab iisdem Atheniensibus instaurata, ac non semel aliis quoque colonis deinceps aucta, quondam Andriis, Teniis, Ceis & insulanis pluribus istius viciniæ imperans, multarumque coloniarum mater, sita e regione Sacri portus in Bœotia, Oropo vicini, cui Delphinio nomen: a quo portu in urbem Eretriam trajectus erat stadiorum LX. portus Oropo distabat stadiis XX. Eretria hæc ab exercitu Darii Regis Persarum paulo ante pugnam Marathoniam, proditione suorum capta, direptione ac incendio fœde vastata, uti & Carystus. Eretriensis populus in captivitatem abductus ob ea quæ Sardibus acciderant: cui a Dario exilii sedes in Susiana data. Ab hac Eretriam novam in eodem litore dissitam fuisse ætate sua florentem *Strabo* significat, non Delphinio Bœotiæ, sed Oropo directe oppositam, distantem ab hac trajectu stadiorum XL. *Thucydides* vero affirmat, fervente bello Peloponnesiaco trajectum ab Eretria ad Oropum fuisse stadiorum LX. quod de vetere post cladem Persicam refecta intelligendum esse, apud me dubium non est, quanquam aliud sentire *Strabo* videatur, ubi hanc a Persis deletam esse scribit. In agro hujus fuit quondam vicus non incelebris *Amarynthus* stadiis septem ab urbe remotus, apud posteros etiam non obscurus. Fuit & *Oechalia* urbs olim ab Hercule diruta, reliquiæ vici instar conservatæ. Ab Eretria porro in occidentem hybernum se obtulit *Chalcis* urbium omnium totius insulæ princeps ad Euripum posita, ad quem litus post Eretriam in austrum se sinuans, occurrentem modico flexu oram Bœotiæ habet, in qua stetit olim Aulis, Agamemnoniæ classis statione famosa. Inte quam & Chalcidem compressu litorum pelagus arctatum in fretum hoc constringitur, quod *Euripum* vetustas dixit. De hujus fluctuum reciprocatione stata & constanti, cujus a me *in descriptione Bœotiæ* facta mentio est, quoniam diversum a cæteris autoribus sensit T. Livius, facere non possum quin ejus verba huc pertinentia ex decadis tertiæ libro VIII. heic adscribam. Sunt enim illustria. *Ex patenti*, inquit, *utrimque coactum in angustias mare, ut speciem intuenti primo gemini portus in ora duo versi præbuerit. Sed haud facile alia infestior classi statio est. Nam venti ab utriusque terræ præaltis montibus subiti ac procel-*

A *losi decidunt, & fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur. Ita nec nocte nec die quies navibus datur.* Quæ si *Livius*, ut pleraque alia, præsertim de rebus Græciæ, ex *Polybio* descripsit, non solius *Livii*. sed etiam *Polybii* viri summi hæc fuerit sententia. Idem vero *Livius* loco alio Chalcidem ab Aulide distare trium millium spacio affirmat. Unde colligimus paulo propius coivisse extrema litora, quam ipsa hæc oppida, cum διπλέθρῳ ponte litus litori connexum fuisse *Strabo* doceat. Pons freto primum impositus esse videtur post *Herodoti*, *Thu-*
B *cydidis*, *Xenophontis*, tempora, cum Macedones Græciæ rebus se miscere, & potentia crescere cœpissent. Quod *Livius* non obscure significat, cum ait, ævo ante Persei Regis casum, insulam ponte continenti fuisse junctam. Eodemque collimat etiam Srabo libro X. sic scribens. Quo tempore Alexander in Asiam transiit, Chalcidenses mœnia urbis suæ etiam auxere, intra murum Canetho & Euripo receptis, & turribus ponti impositis, muroque ac portis. Unde conjectare porro licet, jam sub Philippo Alexandri patre, qui primus se Ducem Græciæ imposuit, bellumque contra Persas paravit, pontem hunc fuisse. Eum deinde sub imperio Romano mansisse, & sæculo suo durasse, *Strabo*, *Plinius*, *Solinus* testantur. Chalcis hæc, ut ante o-
C stendi, colonia quoque Atheniensium fuit perantiqua, eodem quo Eretria deducta & instaurata tempore: multarum illustrium coloniarum posteris sæculis ipsa mater, quemadmodum & Eretria hujus quasi soror. Utraque per colonos genus suum in Macedonia late propagavit: Chalcis in ea parte, quæ ex ipsa Chalcidica nomen sortita est, cujus caput erat Olynthus, urbs clara, varias perpessa fortunæ vicissitudines: Eretria in Pellene peninsula, & circa montem Athon. Et de Chalcidicæ originis coloniis in Sicilia quoque a nobis dictum,
D & dicetur suo loco etiam de aliis in ora Italiæ. Addit *Strabo*, testem ferens Arist. has tam frequentes colonias in exteras regiones deductas esse, cum *Hippobotæ*, primores scilicet civitatis ex censu lecti, optimatum modo, rerum apud eos potirentur. Horum vero imperium destructum esse, & ipsos patria ejectos a Pericle, quando is Eubœam in rebellionem versam armis ad obsequium reduxit, annis circiter XIV. ante commotum bellum Peloponnesiacum, ex Plutarcho *in vita Periclis* cognoscimus. Et hæ quidem civitates duæ Eretria & Chalcis, vicinæ & cognatæ, ut est apud *Strabo-*
E *nem*, ut plurimum concordiam inter se coluere, quod augendæ ipsarum fortunæ fuit: & si quando soluta concordia ad arma venere, uti accidit, cum de finitimo Lelanto contenderent, ita tamen ea moderatæ sunt, ut sorores se esse meminisse viderentur. *Plinius* totam Eubœam Bœotiæ avulsam esse ait, tam modico interfluente euripo, ut ponte jungatur: promontorium ejus Capharea abesse ab Hellesponto millibus passuum CCXXV. quondam urbibus claram fuisse Pyrrha, Porthmo, Neso, Cerintho, Oreo, Dio, Ædespo, Ochea, Oechalia; nunc, suo scilicet ævo, Chalcide ex adverso Aulidis in continente, Geræsto, Eretria, Carysto, Orita-
F no, Artemisio, fonte Arethusa, flumine Lelanto, aquisque calidis Hellopiis nobilem, notiorem tamen marmore Carystio. Ultra Eubœam in septentrionem e regione Thessaliæ & Macedoniæ in mari Ægæo memorantur a veteribus insulæ multæ minores, verum ceteris clariores, & propter Historiam magis noscendæ, ad latus Magnesiæ Sciathus, Peparethus, Cicynetus, Icus litori viciniores, Scopelus, Scyrus, Alonesus, longius in pelagus pro-

jectæ: omnes fere urbibus singulis ejusdem nominis habitatæ. Tum longius in terram e regione montis Atho versus Solem orientem, nec procul litoribus Thraciæ, *Lemnus* haud paulo prioribus major (passuum quippe CXXII. millibus patens in circuitu) quondam ab Amazonibus, deinde a Minyis Argonautarum posteris, post a Pelasgis Attica profectis insessa, oppidis duobus Ephæstia & Myrina clara, ab Atho distans LXXXVII. passuum millibus ut tradit *Plinius*: cujus montis vertex umbram solstitio projicit in Myrinæ oppidi forum. Et supra Lemnum *Thasus* cum urbe insigni auri argentique proventu e fodinis vicinæ continentis dives, litori Threicio proxima, qua Nessus fluvius in mare Ægæum se effundit: urbs condita primum a Thaso, ut vulgo creditum, Agenoris Phænicum Regis filio ad quærendam Europen sororem a patre emisso, deinde colonis Græcis e Paro aucta, & cum fortuna secunda floruisset aliquandiu, in invidiam tandem sociorum Atheniensium delapsa, & armis commotis humiliata ab his, tributoque subjecta. Dehinc *Imbrus* in ortum a Lemno recedens, medio fere situ inter hanc & Cherronesum Thraciam, Lemno paulo minor, urbe quoque culta, ejusdem cum insula vocabuli, cum portu haud incommodo. Et ultra hanc in boream, Thraciæ litori propiorem, ex adverso oris Hebri mare subeuntis *Samothrace*, Imbro magnitudine haud par, ab ea remota, si fides *Plinio*, passuum millibus XXXII. quondam Pelasgorum quoque sedes: tota religioni sacrata, asyloque celebris: in quam cum ab Æmilio Paulo Imperatore Romano ad Pydnam victus Perseus ultimus Macedoniæ Rex confugisset, a Cn. Octavio Æmilii legato ne violata quidem regione ibi captus, & ad Æmilium victorem abductus fuit. Post has in ipso Hellesponti aditu, atque in conspectu Troadis sita est *Tenedus* non magna quidam, sed fama celebris, oppidoque egregio olim ornata; & in Propontidis initio extra Hellesponti angustias prope litus Asiæ *Proconnesus* clari nominis: oppido quoque insignis, a vicinis autem Cyzicenis male quondam mulctata: & juxta eam minutæ complures, obscuræ, preciique non magni. Ponticas extra Bosporum Thracium omitto ad Græciam non pertinentes. At in Ægæo pelago in austrum vergens ab Hellesponto, oræ Asiæ vicina, ei que longo tractu prætensa *Lesbus* jacet, magnitudine soli Eubœæ per universum hoc pelagus, quod latissimo spacio Asiam ab Europa sejungit, concedens, a septentrione in meridiem porrecta, multo longior quam pro latitudinis modo, objectu suo sinum maris, quem ex urbe Asiæ in ora sua Atramyttenum scriptores veteres vocarunt, inter promontoria duo, Lectum Troadis & Canæum Æolidis se fundentem protegens. In hanc Græcos Æolici generis coloniam deduxisse, & insulam occupasse ferunt, Principe Grao Archelai filio, Penthili nepote, Orestis pronepote, Agamemnonis, quo summo Duce bellum a Græcis ad Trojam gestum, abnepote. Eum namque ajunt, cum in Asia perficiendo & longius proferendo cœpto patris avique (hi colonos ex Græcia in Asiam Propontidi proximam traduxerant) degeret, magnamque populariuim suorum manum secum haberet, occasione motum inde in Lesbum trajecisse, & Asiatici generis incolis oppressis eam sibi subjecisse, & hominibus suis colendam tradidisse: tum loca idonea muniendis oppidis esse capta, eaque incrementis crebris aucta, cum identidem alii post alios, quorum res domi angustæ erant, ex Græcia istuc confluerent. Fuisse quondam in hac insula urbes VIII. *Plinius* dicit, sed ex his Arisben, Agameden, Hieram interiisse, Antissam Methymnæ, cui fuerat vicina, adscriptam, & in eam traductam: Pyrrham mari haustam: reliquas mansisse Mitylenen, Methymnam, Eressum, & quod de Pyrrha maris violentiæ supererat. De insulæ mensura certa incertum lectorem relinquit. *Strabo* urbes recenset has, *Methymnam* totius insulæ maxime septentrionalem, & Asiæ litori proximam, *Antissam* quondam exigua insula clausam, dein Lesbo adjectam, Methymnæ apprime vicinam, in plaga sitam eadem: Pyrrham in litore occiduo quondam positam, tempore *Strabonis* jam eversam, remanente tamen suburbio ejus cum portu: *Eressum* post Pyrrham in eodem insulæ latere in colle structam, patriam Theophrasti Philosophi clarissimi, & Phaniæ, discipulorum Aristotelis: denique *Mitylenen* omnium celeberrimam ac maximam in latere insulæ ortivo, quod Asiam spectat. Promontorium Lesbi maxime in aquilonem projectum, cui Methymna assidere solet, Sigrium a *Strabone*, Singrium a *Ptolemæo* nuncupatum, freto stadiorum LX. a proximo Asiæ litore disjunctum fuit. Malia alterum promontorium in austrum longissime procurrens, duplo fere majore spacio, stadiorum scilicet CXX. ab ora Asiæ recessit. Intervallum promontorii utriusque tantum fuit, quanta erat totius insulæ longitudo. Illud Tenedo abfuit stadiis quasi D. hoc Chio totidem. Inter Metymnam & promontorium Maliam Mitylene fuit, sed huic quam illi multo proximior. Inter Mitylenen autem & Methymnam, juxta vicum agri Methymnæi, cui Ægeiro nomen, insulam ait *Strabo* fuisse arctissimam, a mari ad mare tantitum illic habentem stadiorum XX. cum reliquis partibus plerisque latitudo ejus multo esset largior, verum inæqualis, ut ferebant litorum recessus aut processus. Fuere enim litora heic illic anfractuosa. Solum insulæ in universum fœcundum, vini generosi, frugum, arborum, fructuum aliorum valde ferax, aer quoque salubris, ager pecude abundans. Mitylene portus habuit duos insignes, quorum alter in austrum vergens, inquit *Strabo*, triremibus claudebatur, alter boreus magnus & profundus aggere septus: ante utrumque vero insula erat exigua, a parte civitatis habitata, euripo a reliqua civitate disjuncta. *Diodorus Siculus* ait, hanc insulam pusillam antiquissimam sedem civitatis Mitylenææ fuisse, sed posteris temporibus eam, quæ in opposito litore Lesbi fuit, priori illi esse adjectam: inter hanc autem & illam euripum angustum intercessisse, eumque urbem munitiorem reddidisse. Fuit urbs omnibus rebus optime instructa, ac diu potens, ædificiis operibusque aliis elegans, institutis & legibus præclaris florens, libertatis amans, Mithymnæis ut plurimum adversa velut æmulis. Quæ quantum in discrimen venerit, cum relictis Atheniensium partibus ad Spartanos defecisset, atque armis ac fame rursum ab Atheniensibus domita esset, fervente tum bello Peloponnesiaco, *Thucydides* prolixe exponit. Conservata vero eo tempore, quanquam mulctata graviter, sensim se recollegit, & diutissime mansit incolumis, magnoque in honore temporibus secutis apud Romanos fuit, reliquiasque fortunæ prioris ad proxima nobis sæcula transmisit. Viros olim genuit sapientia & doctrina præstantes complures, quorum agmen duxit *Pittacus* inter septem Græciæ sapientes numeratus. Cujus tempore factionibus agitata civitas in paucorum dominatum incidit, libertatisque suæ jacturam fecit. Sed Pittaci fide & virtute singulari, id quod hujus amiserat, recepit. Nam is cum in numero illorum esset, qui imperium in populum usurpabant, hoc operam dedit, sensim, usus solertia sua, ut imperium omne in se solum verteret. Quod assecutus tandem factionibus extinctis & republica constituta, præter omnium opinionem deposita sponte po-

teſtate, integram libertatem civitati reddidit. Ei coævus fuit in eadem civitate natus *Alcæus* Poeta celebris, & *Sappho* fœmina Poetria excellenti ingenio. Et multis ſæculis poſt alii doctrina clari, quos memorat *Strabo*: in quibus excelluit & reliquorum laudem ſuperavit *Theophanes* Hiſtoriæ ſcriptor, amicus intimus Cn. Pompeii Magni, expeditionumque ejus comes aſſiduus, curarumque & conſiliorum ejuſdem particeps, Romanorum quoque ſcriptis celebratus, patriæ ſuæ amantiſſimus; quem denique omnium Græcorum iſtius temporis præſtantiſſimum *Strabo* non veretur nuncupare. Ait vero idem *Strabo* filium reliquiſſe ex forma Romana M. Pompejum dictum, a Cæſare Auguſto Aſiæ procuratorem conſtitutum, & a morte hujus amicitia præcipua Tiberii Imperatoris florentem. Methymnæus vero fuit *Arion* nobilis ille citharœdus, non ſine fabula ab *Herodoto* celebratus; & in eadem arte clarus *Terpander*, qui primus ex τετραχόρδῳ ἑπτάχορδον lyram dicitur feciſſe. Lesbius quoque fuit & *Hellanicus* Hiſtoriæ ſcriptor *Herodoto* prior, & Callias, quem carmina Sapphus & Alcæi interpretatum *Strabo* ſignificat. Inſulam hanc Lesbum cum Cuma, quaſi communem matrem fuiſſe cæterarum coloniarum Æolicarum in Aſia conditarum numero non minore quam XL. *Strabo* affirmat. Idem ait, circum Lesbum, maxime vero in pelago anguſto, quod inter eam & Aſiam fluit, inſulas parvulas numeratas eſſe XX. a Timoſthene etiam XL. uno nomine ab Apolline, quem Hecatum veteres appellabant, Hecatonneſos nuncupatas. In his cenſas eſſe etiam Arginuſas tres, Aſiæ pene contiguas, juxta Canas, e regione Mitylenes, a qua abſunt ſtadiis CXX. prælio maritimo inter Athenienſes & Peloponneſios famoſas, mihi haud dubium videtur. Sed illuſtris & in numero majorum poſt Lesbum ſequitur in auſtrum *Chius*, ſtadiis ab hac CCCC. remota ex mente *Strabonis*, paſſuum millibus LXV. ſecundum *Plinium*, litori Aſiæ vicina juxta Erythras, ab Argenno promontorio agri Erythræi freto ſtadiorum LX. dirempta, ambitu ſuo complexa ſtadia quaſi DCCCC. ſi numerus bene apud *Strabonem* eſt conceptus, paſſuum millibus CXXV. ut ex veterum ſententia, aut CXXXIV. ut ex *Iſidoro* eſt apud *Plinium*. Littus ejus heic illic anfractuoſum, maxime quod orienti eſt obverſum, ubi urbs eſt ejuſdem cum inſula nominis, perelegans, ampla, re maritima diu potens, cum portu egregio, & ſtatione navium ſpacioſa, colonia Jonici generis. Inſulæ ſolum frugibus, arboribus, aliis fructibus lætum, inprimis parte quadam generoſiſſimarum vitium ferax, marmor etiam gignens nobile, artificibus & locupletibus expetitum. Inſula tota amœna, vicis, villis, ædificiis aliis obſita, præter urbanum portus quoque alios habens, ſed urbano impares, multis inſulis exiguis & obſcuri nominis cincta, ipſa oblonga a borea in auſtrum porrecta. Poſt Chium in eandem plagam auſtralem vergens, & eidem oræ Aſiæ proxima jacet *Samus*, magnitudine quondam Chio cedens (ambitum enim ejus ſtadiis DC. metitur *Strabo*, paſſuum millibus LXXXVII. aut ex mente *Iſidori* C. *Plinius*) ſed claritudine pene par ob civitatem illuſtrem, eodem etiam nomine dictam, ejuſdem cum Chio generis Jonici, deditam quoque ſtudio maritimo, & claſſibus pollentem. Inſula Chio diſtat paſſuum millibus XCIII ut tradit *Plinius*, ſita e regione montis Mycales non procul Epheſo clariſſima Joniæ urbe, promontorio orientali Poſidio, in quo fanum Neptuni, a pede Mycales ſeparata freto perangusto ſtadiorum ſeptem, atque inde in longum protenſa verſus occidentem, Junoni ſacra: cum urbe accurate deſcripta a *Strabone*: de qua, ut & de Chio, prolixius

A ſcripſi alibi, ſtatum reipublicæ fortunamque earum exponens. A longo deinde intervallo poſt Samum meridiem verſus offert ſe peninſula *Doris*, ab angulo Aſiæ, quem ora ejus porro in eandem plagam meridionalem deſcendens, atque inde recta in orientem ſe vertens efficit, procul in mare contra ſolis occaſum procurrens: ad cujus initium & iſthmum Halicarnaſſus, in extremo fine Cnidus quondam fuere. Poſt quam peninſulam ad latus Aſiæ meridiei obverſum, ubi modice ſe curvans ſinus ſpeciem reddit, *Rhodus* jacet utramque priorem, Samum & Chium, tum amplitudine, tum claritate & potentia, rebuſque geſtis ſuperans. Habuit olim in ambitu ſtadia DCCCCXX. ut *Strabo* affirmat, millibus B paſſuum CXXX. aut, ex ſententia *Iſidori*, CIII. ut tradit *Plinius*: primitus a barbaris, deinde ab Æolenſibus Græcis, demum a Doribus colonis habitata: præter vicos plurimos a Troicis temporibus ad Xerxis Perſarum Regis ætatem tribus urbibus, Lindo, Cameiro, Jalyſo clara: e quibus tandem quarta extitit toti inſulæ cognominis, condita poſt Xerxis e Græcia diſceſſum, cujus creſcentis opibus & gloria reliquæ ſenſim ſunt obſcuratæ. Harum ſitum *Strabo* ſic delineat. *Naviganti a Rhodiorum urbe, quæ in ortivo inſulæ litore eſt non procul a latere ejus boreo, inſulamque ad dextram habenti prima*, inquit, *occurrit Lindus in monte poſita, in meridiem ſe porrigens, maxime verſus Alexandream (templum hoc erat Minervæ Lindiæ perilluſtre a* C *Danaidibus ſtructum) unde ortus Cleobulus inter ſeptem Græciæ ſapientes computatus. Deinde Ixia regio, & Mnaſyrium: tum Atabyris mons illius tractus editiſſimus, in quo templum Jovis Atabyrii. Poſtea Camirus, inde Jalyſus vicus, & huic imminens arx ſeu ſuperior civitas, ex re* Οχύρωμα *dicta: atque hinc poſt ſtadia circiter* LXXX. *Rhodiorum urbs. Deinceps promontorium Thoantium in Sporadas vergens*. Hactenus *Strabo*. Cætera de Rhodo dixi agens *de ſtatu & republica ejus*. Hinc porro in orientem ſecundum Aſiæ litus complures D inſulæ exiguæ, obſcuræ: in quibus *Chelidoniæ* tres aſperæ juxta promontorium ſacrum & confinia Lyciæ ac Pamphyliæ. Demum ad latus Ciliciæ in longum porrecta *Cyprus*, ſola Creta minor, reliquis omnibus poſt Cretam expoſitis major: cujus circuitum, ſi ſinus quoque menſus fueris, numerare ſtadia ter mille quadringenta viginti, *Strabo* ait, longitudinem vero ab Acamante promontorio maxime occiduo ad Cleidas in oriente extremas, itinere pedeſtri habere ſtadia mille quadringenta. Cleides, id eſt, claves, ſunt inſulæ duæ exiguæ, Phæniciæ ſuprema ſpectantes, E poſtremo angulo Cypri prope contiguæ. Latitudo ejus eſt multo minor, & propter ſinus & prominentia promontoria, quibus latera ſcinduntur, valde inæqualis: omnium vero minima, qua poſt ingentem ſinum a meridie terras ſubmoventem longo tractu peninſulæ inſtar in orientem ad Cleidas procurrit, ad quas in angulum acutum deſinit. Inſula nulli, ut ait *Strabo*, cedit præſtantia, vini, olei, frugum valde ferax, metallis abundans, præſertim ære laudatiſſimo. Hanc ideo hoc quoque loco memoro quamvis longiſſime a Græciæ oris remotam, quod aliquot etiam habuerit Græcorum colonias, qui Græcæ linguæ uſum & inſtituta iſtuc F inter medios indigenas barbaros introduxere. Coloniarum Græcarum celeberrimæ & antiquiſſimæ fuere *Salamis* & Paphus. Illa a Teucro Ajacis Telamonii fratre, fugiente iram patris Telamonis, ſtatim poſt everſam Trojam condita in ea inſulæ parte, quæ in ortum vergit, ad intimum ſinum unde peninſula incipit ad Cleidas procurrens, a Salamine Teucri patria Atticæ terræ vicina nomen ſortita: in qua principatum ſive regnum tenuere poſteri Teu-

cri conditoris per multa sæcula usque ad tempora Artaxerxis Mnemonis Persarum Regis: quo in Asia regnante Evagoras adhuc adolescens per tumultum principatu dejectus in Ciliciam fugit, sed occasione observata auxilio amicorum Salaminem rediit, & oppressis expulsisque adversariis, recuperatoque principatu, non contentus fortuna præsente, in hoc fuit, ut totam Cyprum sibi subjiceret. Verum recusantibus imperium ipsius urbium nonnullis, & Persas in auxilium vocantibus ipse variis jactatus casibus in ordinem a Teribazo Persarum Duce redactus, vix Salaminem sub conditione tributi retinuit, & filio suo Nicocli, cui amicus Isocrates orator fuit, reliquit. Is Principum istius stirpis ultimus perhibetur. *Paphus* eadem, qua Salamis, ætate ab Agapenore Arcade, quo Duce Arcades ad Trojam militaverant, cum is domum repetiturus cum popularibus suis vi tempestatis in Cyprum abreptus esset, in ora insulæ occidua extructa & habitata, Veneri dicata: a qua aberat stadiis circiter XXX. Paphus altera, vetus dicta, eidem Deæ quoque sacra, stadiis X. ab ora recedens, ex qua posteriori nomen inditum. Præter has, *Soli* Atheniensium colonia, a Phalero & Acamante deducta, in ora boreali posita: *Lapathus* Laconici generis, in eadem ora; tum in litore austrino *Curium* Argivorum opus; *Citium* urbs nobilis Græca, patria Zenonis Philosophi, Stoicæ sectæ Principis, cum portu commodissimo; item *Amathus* urbs celebris, metallis dives, Veneri sacrata; Arsinoe recentior prioribus, Macedonas in Ægypto regnantes autores habens. Reliquas, quas *Strabo* recenset, omitto, minus ad institutum nostrum pertinentes. *Plinius* in universum oppida in hac insula recenset XV. & in his hæc, quæ ex *Strabone* recitavi; mensuram diversimode notat, lectoremque heic quoque incertum relinquit.

Nunc ad insulas minores nobis redeundum, quæ in Cretico sunt Ægæoque mari. Eas in duas classes distinxisse veteres ante ostendi, Cyclades scilicet & Sporades. In Sporadum numero fuere ii *Plinio* credimus, quamquam seorsim eas velut Cretæ viciniores recitet *Strabo*, *Thera* Metropolis Cyrenarum in Africa, ipsa colonia Lacedæmoniorum, Cnossiorum litori objecta, oblonga, stadia in ambitu habens CL. primitus Calliste dicta, & huic proximæ *Anaphe* & *Therasia*, & hæc quidem, ut ait *Plinius*, a Thera cui cohæserat, avulsa: a quibus pari fere intervallo aberat *Ios* parvula insula, in qua crediderunt quidam Homerum esse sepultum: tum ab hac in occasum vergentes Sicinus, Lagusa, Pholegandus, obscuræ omnes, atque his propinqua *Cimolus*, in cujus conspectu *Siphnus*: dein Cimolo & Cretæ propinquior, cæterisque memorabilior *Melus* insularum, ut ait *Plinius*, rotundissima cum urbe insigni, cujus puberes omnes tempore belli Peloponnesiaci ob contumaciam necatos esse ab Atheniensibus *Thucydides* memorat, impuberes cum fœminis in servitutem redactos, in insulam novos colonos missos. Et hæ quidem, inquit *Strabo*, in mari Cretico. In Ægæo magis ad septentrionem e regione Atticæ & Eubœæ *Cyclades*, in quarum medio clarissima *Delus*, quamvis ambitu exigua, passuum millibus quinque cincta, ut *Plinius* vult, sed religione Apollinis ac Latonæ matris ejus mercatuque celebris, cum urbe in plano sita, cui mons excelsus & asper Cynthus imminebat: quondam ærarium commune Græcorum, cui locus fanum Appollinis; diu Atheniensium ditioni subjecta, aucta mercatu & opibus, Corintho a Romanis deleta, sed a Ducibus Mithridatis Ponti Regis vehementer afflicta. Hanc in orbem cinxere reliquæ numero quondam XVI communibus sacris & conventibus in Delo usæ: quibus postea plures accensæ. Delo proxima fuit *Rhene* perparva, Deliorum sepulturæ dicata, quoniam in Delo quenquam mori ac sepeliri fas non erat. Reliquarum celeberrimæ fuere, *Andrus* Geræsto Eubœæ proxima, *Ceos* Helenæ, quæ Attico litori inter Thoricum & Sunium objacet, ut ante in *enarratione locorum Atticæ* est dictum, vicina, quatuor oppidis quondam culta, Iulide, Carthea, Caresse, Præcessa [1], tempore *Strabonis* duobus posterioribus jamdudum deletis, prioribus incolumibus; e quibus Iulis eminuit in monte posita, stadiis XXV. remota a mari, in litore portu oportuna, Simonidis Poetæ Lyrici, & Bacchylidis ac Erasistrati Medici celeberrimi, aliorumque in literis clarorum virorum patria: tum *Parus* optimo marmore celebris, Thasiorum Metropolis; *Naxus* Paro propinqua, Atheniensium vetus colonia. Post quas Syrus, in qua natus Pherecydes, Siphnus, Cythnos, Tenus, Seriphnus, Scyrus, Myconus: addunt his quidam Præpesinthum, Olearum, Gyarum, sed *Strabo* eas in hunc censum non admittit. Singulæ Cyclades sui nominis oppida fere habuere sed alia aliis potiora. Quæ præterea toto hoc maris Ægæi tractu orientem & meridiem versus insulæ fuere, in *Sporadum* numero sunt habitæ: ut *Amorgus* grandiuscula Paro vicina, Lebinthus, Leria, *Patmus*, Corassia, *Icaria* non procul Samo remota in occasum, a qua mare vicinum Icarium est nuncupatum; in quo præter alias fuit *Cos* cum civitate non ignobili, in qua natus Medicorum coryphæus Hippocrates, Scopiadi promontorio Asiæ prope Myndum ultimam urbem Ioniæ ad austrum haud procul litore opposita, & ab hac in occidentem hybernum *Nisyrus* edita & saxosa, copia molarium lapidum abundans, urbe quoque culta; *Astypalæa* Cnido Doridis objecta in mari Carpathio: & post hanc eodem in mari in ortum hybernum multæ, inter quas *Telus* juxta Cnidiæ litus in longum porrecta, sublimis, angusta, in circuitu numerans stadia circiter CXL. *Chalcia* cæteris obscurior & vilior; *Syme* a *Thucydide* & *Ptolæmeo* memorata, & magis in meridiem vergens *Casos* inter extremum Cretæ promontorium Samonium, & insulam Carpathum, quam ad ortum intuetur, media, sed huic quam illi propior. Denique *Carpathus* Sporadum maxima, ambitu complectens stadia CC. in austrum sita a peninsula Doride, quæ Icarium mare ab eo, quod ab hac insula Carpathium dicitur, & a Creta in Rhodum usque se fundit, longo spacio separat. Habuit Carpathus olim quatuor oppida, quorum unum eodem nomine, quo insula Nisyros, dictum: alterum *Ptolemæus* nominat Posidium: reliquorum appellationes cum ipsis oppidis obliteratæ perierunt. Insula est ob altitudinem late conspicua; cujus promontorium, quod in boream effertur, Larymnam urbem maritimam Doridis, in eandem plagam boream ex intervallo non longo adspicit: latus vero ejus orientale Rhodo obversum est, in quam aperto mari hinc navigatur per passuum millia L. si *Plinio* credimus. Plures, quas hoc tractu *Strabo* & *Plinius* recitant, insulas obscurioris famæ, mihi recensere non libet, ne fiam prolixior, atque immorer iis, quæ ad lucem aliquam Historiæ veteri dandam non faciunt. Quapropter hic finis de insulis Græci nominis esto.

LIBER OCTAVUS,

Quo exponuntur primum interiora quædam minoris Asiæ, deinde frons Italiæ, magna Græcia quondam cum Sicilia dicta, & nonnulla alia Italiæ

1. Mirifica aberratio ab vera Præcessa.

maritima, a Græcis habitata, pauca etiam mediterranea. Accidit heic in parte priore, ut nonnulla, sed pauca admodum, libro VI. obiter dicta, ob cohærentiam regionum & locorum repetantur.

EXPOSITA omni maritima regione minoris Asiæ, ultra propositum, quasi appendicem, ϰ̀ ὥσπερ παρέργως, quædam de mediterraneis ejus strictim subjicere libet. Quæ quamvis ἐκτὸς ἐλαιῶν ferri videbuntur, tamen non ingrata futura lectori existimo: maxime ob hanc causam, quod a quo tempore Macedones rerum illic potiti sunt, hæc quoque interiora in morem linguamque Græcorum iverint. Regiones in hac Asia, præter eas, quæ mari Pontico adjacebant, fuisse dixi, duas Phrygias minorem & majorem, duas quoque Mysias eodem distinctas modo, Mæoniam, Lydiam, Cariam, & has a Lelegibus gente vaga, Caribus, Lydis, Mysis, Phrygibus, aliisque mixtim olim & finibus incertis habitatas: Pisidiam præterea monti Tauro contiguam, & Isauriam hujus partem, & Lycaoniam Cappadociæ vicinam, tum post Cares ad mare, quod inter Asiam hanc & Africam cum Ægypto fluit, Lyciam, Pamphyliam, Ciliciam duplicem. In horum mediterraneis urbes præ cæteris memorabiles fuere præter jam antea dictas, Azanis, Midæium, Dorylæum in Phrygia minore. *Pergamus* in latere ortivo sinus Eleatici, quem alterius sinus in majoris Adramytteni partem fuisse ostendi, sedes Regum & caput regni Attalici, a Regibus insigniter exculta auctaque, loci natura & operibus valde munita, nobili quoque bibliotheca, magno Regum impendio instructa, celebris, ab Elea oppido in sinus litore posito, quo portu & navali Pergameni solent uti, disjuncta stadiis CXX. Mysiæ majori accensa: patria Galeni Medicorum principis. Deinde in *Phrygia majore*, regione late patente, a minore, quam Epictetum etiam veteres nuncuparunt, & iis, quæ Bithyniæ & regno Ponti erant proxima, ad confinia Pisidiæ extensa, prima *Pessinus* juxta Galatas, fano & religione Cybeles magnæ Deorum matris inclyta, Galatis a nonnullis adscripta: dein *Amorium*, Eumenea, Synnada: tum *Apamea* cognomento *Cybotus* illustre emporium Asiæ, Ephesino celebritate proximum, sita ad amnem Marsyam paulo post in Mæandrum influentem, Celænæ quondam dicta, pauloque superius ad fontem Marsyæ posita, ab Antiocho Sotere loco mota, & novo nomine ex Apame Antiochi matre indigitata: & cum ea *Laodicea*, quondam non magna, sed post magnis incrementis aucta, quanquam bello Mithridatico a Rege arma circumferente quassata graviter, posita sub Cadmo monte, vicinaque Lyco flumini & ab eo cognomen trahens, qui Lycus ex Cadmo defluens cum altero, cui Caper nomen, haud procul inde in Mæandrum se exonerabat; urbs agro inprimis felix alendis ovibus nigris, quarum lanæ non solum Milesias mollicie, sed corvos quoque atredine vicisse feruntur. Atque hæ quidem duæ urbes Apamea & Laodicea reliquas omnes totius hujus Phrygiæ magnitudine superabant. Circum vero & juxta hos fuere aliæ minores, *Aphrodisius*, *Colossa*, quæ quondam etiam magnæ, testante *Herodoto*, ad ripam ejusdem Lyci fluvii Themisonium, Sanaus, Metropolis, Apollonias, Carura, & longius remoræ Peltæ, Tabeæ, Eucarpia, Lysias: tum Phrygiæ ejusdem tractus montanus, in quo dorsum altius ab occasu in ortum ferebatur, juxta quod duo oppida in planicie, *Philomelium* a parte septentrionis, *Antiochia* ad austrum juxta Pisidiam, Magnesiorum ad Mæandrum colonia colli imposita. Adjicit iis omnibus *Herodotus* *Anavam* & *Cydra* in Phrygiæ Lydiæque finibus. In Mæonia autem & Lydia, quæ latere occiduo mare attingebant, Pergamo & agro Pergameno digressis ad orientem occurrebat *Apollonia* loco edito posita, ad meridiem vero offerebat se dorsum editum, quo superato *Thyateiram* coloniam Macedonum veniebatur, itinere, quod Sardes ducebat, a nonnullis Mysiæ tributam, in confinibus jacentem: huic a dextris erat *Apollonis*, ab Apollinia diversa, stadiis XXX. a Pergamo, totidemque a Sardibus disjuncta: post quam Hermi fluvii campus, & trans Hermum *Sardes*, urbium Lydiæ princeps, Regum & rectorum Provinciæ ejus sedes, ingens, antiqua, quanquam Troicis temporibus recentior, arcem habens bene munitam, Regum & præsidum proprium domicilium. Juxta urbem *Tmolus* mons auri venis scatens, urbi imminens, ex quo *Pactolus* amnis defluens, & auri ramenta copiosa deferens, cum Hyllo amne altero in Hermum devolvebatur, fluvium magnum in monte Dindymenæ sacro prope Doryleum oppidum Phrygiæ ortum, & cum receptis amnibus pluribus ad Phocæam in mare exuntem. Tmolus in vertice exedram habebat e candido marmore factam a Persis speculæ instar, unde campestria omnia circumjacentia, maxime quæ prope Caystrum fluvium, longe lateque conspici poterant. Campi vero circum Sardes & Tmolum amœni ac felices atque inter se contigui, erant Sardianus, Hermæus, Caystrius. Deinde urbes aliæ, *Philadelphia* Mysorum terræ motibus quassata, *Hypæpa* sita in descensu a Tmolo ad prata Caystria, *Hierapolis* ex adverso Laodiceam Phrygiæ intuens, ubi aquæ calidæ cum ore Plutonio, de quibus admiranda prodit *Strabo* αὐτόπτης. Post Hierapolim inclytus fluvius *Mæander*, qui prope Celænas Phrygiæ cum Marsya caput tollens, & Phrygiam aliquamdiu secans, pluribus amnibus haustis, deinde per amœnos ac planos campos flexuosus ambagibus leniter placideque labens, ut diverbio locum dederit, quo amnes sinuosi ambages Mæandri dicuntur, & Lydiam, Cariamque aliquousque disterminans, demum per Ioniam inter Prienem & Miletum, ut ait *Strabo*, in mare se effudit. Inter hunc vero & Hermum *Cayster* nec ipse ignobilis fluvius in Cilbianis jugis, ut *Plinius* perhibet, ortus a confinibus Phrygiæ per mediam Lydiam lapsus variis amnibus auctus Epheso paulo septentrionalior, in idem mare exibat, uterque limum multum secum trahebat, atque alveum supergressus campos circumvectus fœcundabat. Inter utrumque fluvium in Mediterraneis *Tralles* erant, urbs eximia & illustris, civibus opulentis valde frequens, proximum a Sardibus locum inter urbes Lydiæ tenens, situ editiore, condita, ut veteres credidere, ab Argivis & Thracibus quibusdam: posterioribus temporibus, Mithridate Asiam turbante, tyrannide aliquandiu pressa a Cratippi cujusdam filiis, sed eadem rursum liberata: intermedio Caystro a Sardibus semota, & ager ab agro separatus. Nec longe a Trallibus aberat *Nysa* urbs etiam egregia, sub monte Mesogide sita, torrentis alveo lato velut convalle profunda quasi in urbes duas divisa, quæ ponte jungebantur, cum aliis operibus tum insigni theatro fastigiis duobus clauso spectabilis, originis ipsa, ut vulgo creditum, Laconicæ. In agro ejus vicis obsito multa memorabilia a *Strabone* exposita, ex quo in Cares proximos, Mæandro adsitos, ibatur. Præter has in Lydia clarebant *Magnesiæ* duæ Magnetum Thessalicorum & Cretensium coloniæ: altera juxta Mæandrum fluvium, ab eo cognomen trahens, non procul a litore; altera sub monte Sipylo, priore borealior & magis in mediterranea vergens, ad quam Antiochus Magnus a Romanis victus Asiam cis Taurum amisit. Prior in via quæ Epheso Antiochiam atque ad Mæandrum ducebat,

ut *Strabo* docet, in qua & Tralles erant; prima post Ephesum, remota ab ea passuum millibus xv. Trallibus ccc. passibus amplius, Thessaloca olim nominata, ut affirmat *Plinius*, dicta quidem ad Mæandrum, propior tamen Lethæo amni ex Pactya Ephesiorum monte in Mæandrum defluenti, in campo sita sub monte Thorace, quondam insigni & vetusto templo Dindymenes magnæ Deorum matris ornata, deleta vero a Treribus gente Cimmeria, sed instaurata a Milesiis, traductaque in locum proximum: ex qua civitate ortus fuit *Hegesianax* Asiatici styli prolixitatis odiosæ in dicendo scribendoque primus autor. Altera Thyatiræ vicina, haud procul ab amne Phrygio, qui e Phrygia veniens inter hanc & Thyatiram labebatur, monti Sipylo, ut dictum, subjecta (in eo oppidum quoque quondam fuit ejusdem nominis, sed tenue) a qua itinere brevi poterat perveniri, magis Antiochi clade, & Romanorum illustri victoria, quam ex sese nobilitata. Tum *Antiochia* ad Mæandri partes Phrygiæ propinquans in occasum magis vergens, urbs Lydiæ mediocris, ubi fluvius Mæander ponte junctus erat, cum agro felicissimo ab utroque fluvii latere, tempore *Strabonis* Cariæ attributa. Versus meridiem vero *Cibyra* erat cognomento magna (nam minor quoque erat in Pamphylia Sidæ vicina,) & *Sinda*, & *Caballis* regio in Lyciam & Taurum procurrens: ubi Solymos quondam fuisse ex *Homero* quidam conjectarunt. In his Cibyra a Lydis Caballensibus olim habitata, dein occupata a Pisidis finitimis, & in locum alium optime munitum, in ambitu habentem stadia c. translata, legibus egregiis instituta, & ob eas aucta, cum agro opimo latoque, a Pisidia in Lyciam porrecto, atque ad Rhodiorum terram pertingente. Cui additæ tres urbes vicinæ *Bubon*, *Balbura*, *Oenoandrus* temporibus Romanis tetrapolim constituerunt, in cujus conventu ipsa Cibyra ferebat suffragia duo, reliquæ singula tantum. Potens quippe erat ac populosa, quæ armatos emittere poterat pedites ter decies mille, equites bis mille: tyrannis diu obnoxia, a quibus eam C. Murena liberavit: Bubon vero & Balbura ab eodem Murena Lyciæ vicinæ adscriptæ: & tamen in maximis Asiæ præfecturis Cibyratica mansit, ait *Strabo*. Hi Cibyratæ, ut ait idem, quatuor linguis vulgo sunt usi, scilicet Pisidarum, Solymorum, Græcorum, Lydorum: quorum postremorum linguæ ne vestigium quidem superfuisse ætate sua *Strabo* affirmat in ipsa reliqua Lydia. Juxta fuit *Milyas* regio montana ab angustiis Termessi, per quas Taurus trajiciebatur, ad Sindam extensa, Salagassumque & Apamenam regionem attingens. Cariæ mediterraneæ urbes fuere præ cæteris claræ *Mylassa*, *Stratonicea*, *Alabanda*. Quarum prima in campo posita opimo sub præcipiti monte lapicidinis celebri, in quibus lapides candidi magna copia cæsi materiam præbuere struendis in urbe præclaris operibus publicis ac privatis, quibus urbs insigniter nituit: viaque ab urbe hac ad fanum Jovis militaris strata, stadiis quasi LX. longa, ducendis sacris pompis. Heic nati sunt duo clari Oratores cum Strabone viventes, Euthydemus & Hybreas, cujus dicacitas in Labienum juniorem urbi magno malo fuit. Stratonicea Macedonum colonia, urbs quoque operibus eximiis Regum studio structis egregia: ex qua Menippus fuit orator summus, a *Cicerone* supra cæteros, quos audierat, laudatus. Alabanda tumulis quoque subjecta, scorpionum copia cum tota vicina regione infamis: infamis quoque civibus luxui & gulæ deditis, & psaltriarum quas alebat, multitudine. Genuit præter alios doctrina præstantes, *Apollonium* & *Molonem*, qui patria relicta Rhodum commigrarunt. His urbibus aliæ minores, ceu castella, circumjectæ fuere, Amyzon, Heraclea, Euromus, Chalcetor, ingloriæ omnes a *Strabone* memoratæ, a *Plinio* quoque aliæ. In Lycia, quæ Cariæ latus ad ortum claudebat, *Strabo* urbes fuisse viginti tres scribit distinctas in classes quasi tres, maximas scilicet, medias, & minimas, easque omnes unam communem constituisse & curasse rempublicam conventu suo, velut ordinum collegio ac senatu de communibus negociis ac rerum summa deliberasse & statuisse: ordine usas esse optimo, & jure æquissimo: sua curasse & defendisse, aliena non appetivisse, piratarum vicinorum societate & commercio omni abstinuisse, justitiæ fuisse studiosissimas, atque ideo Romanorum & populorum aliorum quiete gaudentium amorem facile meruisse. De quo alibi forsan plura. Urbes vero maximas *Strabo* ait fuisse sex, easque recenset: reliquas, paucissimis exceptis, silentio transmittit. Maximæ fuere hæ: *Xanthus* omnium princeps ad cognominem fluvium, LXX. stadiis ab ejus ostio posita; *Patara* portu gaudens, studio ac opera Ptolemæi Philadelphi aucta; *Pinara* Gago monti subjecta; *Olympus* etiam prope montem ejusdem nominis, quem Phœnicunta quoque vocarunt; *Myra* sublimi in colle structa, a mari disjuncta stadiis xx. Pinare proxima; denique *Tlos* Cibyris vicina. Ex reliquarum numero *Strabo* tantum nominat *Termessum* Pisidiæ finitimam, a multis huic quoque accensam, & *Limyram* in ripa fluvii Limyri, stadiis xx. quoque distantem ob ostiis: item Phellum & Antiphellum, & Carmylessum, in convalle ad Anticragum montem, atque his addit Phaselidem urbem insignem in litore ad Pamphyliæ fines, in solo quidem Lyciæ, sed expertem communis Lyciorum reipublicæ, sibi vero seorsim consulentem. *Plinius* Xanthum affirmat ad cognominem fluvium xv. millibus passuum, quod intervallum Straboniano majus est, a mari abfuisse, Lyciam olim oppida LX. sua ætate tantum XXXVI. habuisse: oppida vero præter ea, quæ *Strabo* recenset, ab eodem referuntur hæc: Andriaca, Apyre, Pyrrha, Canas, Candyba, Podalia, Choma ad fluvium Adesam, Cyane, Ascandalis, Amelas, Noscopium, Telandrus, Hephæstium, Gage, Corydalia, Rhodopolis: & adduntur quædam quæ Cariæ ascribit *Strabo*. Adjicit etiam alia nonnulla *Ptolemæus*, nec *Straboni* nec *Plinio* nominata. Montes Lyciæ præcipui Olympus, Cragus, Anticragus, & fabulosa Chimæra. De Pamphylia & Cilicia utraque satis a nobis dictum in explicanda ora maritima. Has clausit a septentrione Taurus mons, inter Lyciam & Pamphyliam in austrum ad mare descendens. In eo, juxtaque eum *Pisidæ* habitarunt, & *Isauri*, Lyciæ Phrygiæque majori confines, tum *Homonades* & *Lycaones*, qui Halatas & Cappadoces Leucosyros attingebant. Pisidia urbes habuit *Selgam* a Calchante primum, ut creditum fuit, deinde a Lacedæmoniis conditam, dein libertate diu gaudentem, & suo viventem jure, civibus tam frequentem, ut aliquando viros armare possent ad xx. millia, cui ager in altissimis montibus Tauri, & tamen mire ferax: præterea Cremnam, Salagassum, Sidam, Aspendum, Petnelissum, Pityasum, Ambladam, Anabaram, Sindam, Arasum, Termessum, quam Lyciis quidam, & in his *Plinius*, qui Telmessum vocat, tribunt; quæ omnes vel in Tauri montibus, vel in montium radicibus aut convallibus sitæ fuere. *Plinius* & *Ptolemæus* Pisidis etiam attribuunt Antiochiam, quam Phrygiæ majori adscribit *Strabo*. Isaurorum, qui, ut *Plinio* placet, inter Ciliciam asperam & Pamphyliam in Tauro medii intervenere, oppida fuere, *Isaura* gentis caput, *Clibanus*, *Lalassus*: eratque in Isauriæ latere juxta

Cappadociam *Derbe*, sedes Antipatri Derbæi, ab Amynta interfecti. Homonadum urbs erat *Homona*. Lycaonia late patuit, in qua tetrarchia Galatiæ contermina, oppida complexa fuit XIV. teste *Plinio*, & in his Iconium perelegans & civibus frequens cum agro satis læto, & præter tetrarchiam oppida alia, Tambasam in Tauro, Sindam, ut *Plinius* vult, ad fines Galatiæ & Cappadociæ. De Milyis, quos Thracum sobolem vocat idem *Plinius*, & a latere Lycaoniæ supra Pamphyliam collocat, ante ex *Strabone* diximus. *Galatæ*, seu Gallogræci, Gallorum soboles, qui Duce Leonorio ex Europa in Asiam transierunt, trifariam divisi, Trocmi, Tectosages, Tolistobogi, regionem tenuere Paphlagoniæ & Ponti regno ad austrum vergentem usque in Lycaones & Pisidas Tauri accolas. Horum Trocmi Cappadociæ & ponto proximi erant, Tectosages Phrygiæ majori, & ejus emporio Pessinunti erant finitimi, Tolistobogi in occasum maxime vergentes Bithyniam & Phrygiam minorem attingebant. Singuli horum regionem suam in partes quatuor dividebant, & earum partium unamquamque tetrarchiam vocabant, ut essent tetrarchiæ omnes XII. Cuilibet vero tetrarchiæ præerat Tetrarcha unus, & ei suberat judex quoque unus & exercitus custos seu præfectus unus, & subpræfecti duo. Duodecim autem Tetrarchæ senatum communem habebant virorum CCC. cujus conventui locus erat dicatus nomine Drymœneti. Is judicabat de cædibus: reliqua Tetrarchiæ & judices expediebant. Hæc postea mutata, totaque regio tandem devoluta in potestatem unius Deiotari: cui Amyntas successit. Nullæ in ea celebres urbes, sed castella multa bene munita: quorum maximum & celeberrimum *Ancyra* in Tectosagibus, *Tavium* in Trocmis. Populos Galatarum fuisse CXCV. *Plinius* perhibet. Cappadocia sub Persis olim, deinde & sub Macedonibus duplex, minor ad Pontum Euxinum, major ad Taurum montem: ab Haly fluvio quondam, atque etiam Romanorum temporibus usque ad Euphratem pertingens. Tota vero sub Regibus & Romanis distincta in præfecturas decem, quarum quinque ad majorem, totidem ad minorem pertinebant: quibus undecimam additam esse a Romanis Ciliciæ ademptam scribit *Strabo*. Regio imperio ita assueta, ut ne oblatam quidem a Romanis libertatem, vacante throno regio, recipere voluerit. De maritimis ejus satis dictum ante. In mediterraneis urbes olim celebres & minutæ paucæ: e quibus non procul ab ora *Amaseia* perelegans ac munitissima, patria *Strabonis* Geographi, ad flexuosum fluvium Irim in Phanarœam deinde exeuntem sita: dein *Tyana* Tauro vicina caput Tyanensis præfecturæ, nobilitata alumno suo *Apollonio* Philosopho, magiæ peritissimo, cujus vitam prolixe *Philostratus* descripsit: clarissima vero & maxima *Mazaca* in regionis universæ pene medio, in ea præfectura, quæ Ciliciæ nomine afficiebatur, gentis Metropolis, ut ait *Strabo*, altissimo monti Argæo superne perpetuis nivibus tecto assidens, loco cæteroqui circum circa plano, sed arenoso & sterili, per quem amnis Melas defluens, & heic illic restagnans, ac in paludes diffusus, intervallo stadiorum XL. urbem prætervehebatur, & deinde longum spacium emensus versus orientem prope Melitenen in Euphratem fluvium magnum exibat. *Strabo* hanc urbem Mazacenam a Ponto in meridiem dicit abfuisse stadiis quasi DCCC. ab Euphrate spacio paulo minus duplo, a Ciliciis portis itinere sex dierum, usamque fuisse legibus Charondæ Thurinorum Nomothetæ, afflictam vero graviter a Tigrane Armeniæ Rege Cappadociam percursante & vastante, & Cappadocum ingentem numerum sedibus ejectorum in Mesopotamiam transferente, partemque eorum in nova urbe ab se condita Tigranocertis, quæ caput majoris Armeniæ erat, collocante. Sed hos ait idem, ut prolixius etiam *in vita Luculli* Plutarchus exponit, Luculli beneficio, captis Tigranocertis, postliminio, quotquot vellent, domum rediisse. Hæc est illa urbs, quæ deposito prisco Mazacorum nomine in honorem Cæsaris Augusti *Cæsarea* Cappadociæ appellata est: cujus Episcopus posteris temporibus fuit Basilius Magnus, celeberrimi nominis Theologus, orthodoxæ fidei contra hæreticorum corruptelas assertor acerrimus, scriptis suis supra æthera notus, ob quem prolixius hæc *de Mazacis* scripsi. *Comana* Cataoniæ præfecturæ sita erat in convallibus Antitauri montis, urbs memorabilis, cum inclyto fano Bellonæ, maximum numerum θεοφορήτων, hoc est, numine afflatorum, item sacrorum servorum habens: quos suo tempore, cum istuc venisset, supra sexies mille fuisse viros fœminasque *Strabo* perhibet. Qui urbem habitabant cives, Cataones erant, Regi quidem subditi, sed simul etiam sacerdoti parentes, qui fani & sacrorum servorum maximam partem habebatur dominus, soli Regi in Cappadocia honore cedens, & ut plurimum ejusdem cum Rege generis. Perluebat urbem hanc *Sarus* fluvius, qui per Tauri convalles enisus in Ciliciam atque inde in proximum pelagus deferebatur. Præter has tempore quidem *Strabonis* aliæ urbes Cappadocum nullæ fuere, sed ut dixi, castella haud pauca & oppida bene munita. Castellorum celeberrimum *Mora* memoratur, in quo Eumenes Cardianus ab Antigoni exercitu diu obsessus constantiæ insigne exemplum edidit, in confinibus Cappadociæ & Lycaoniæ positum. *Antitaurus*, ut istuc redeam, ad finem Ciliciæ, a Tauro in boream, & modica inclinatione in ortum procurrebat, desinens tandem in mediterranea Cataoniæ: quemadmodum adversam in partem *Amanus* versus austrum & occasum ibidem ab eodem Tauro divertebat, pertingebatque ad subjectum mare hoc modo, ut sinum Issicum camposque omnes Ciliciæ includeret, & secluderet a Syria. Cætera de Tauro & Antitauro, & Amano trans Euphratem, montibusque aliis, qui a Tauro derivantur, & per majorem Asiam totumque orientem longe lateque sparguntur, Strabo lib. XI. prolixe & accurate exequitur: quæ procul a scopo nostro remota nobis heic dicenda non sunt. Extrema in ortum Cappadociæ præfectura secundum *Strabonem Melitena* fuit in Euphratem desinens, Cataoniam habens ab occasu, Comagenen Syriæ partem Euphrati etiam adjacentem, in meridiem, Armeniam minorem ad septentrionem contiguam fluvio eidem. Atque hic terminus nobis dicendi de urbibus Asiæ mediterraneæ, ad quas obiter lustrandas extra fines instituti nostri digressi fuimus, esto.

Redeundum vero in occidentem. Siciliæ, de qua diximus, proxima est ora Italiæ, quæ ob frequentes Græcorum colonias, quas habuit, *magna Græcia* olim dicta fuit. Hanc alii aliis terminis definiverunt: nos frontem Italiæ orienti expositam, a Calabris veteribus & Salentinis usque in Brutios & Alicem fluvium patentem, & quæ his proxima, hac voce denotamus. Initium capimus a Brundusio, urbe insigni, in finibus Apuliæ & Calabriæ ad mare sita cum portu longe nobilissimo, ex quo brevissimus & commodissimus trajectus erat in oppositam Macedoniæ ac Epiri oram. Hunc portum ait *Strabo* intus multifidum uno clausum ore multos sinus velut portus minores a fluctibus tutos habuisse, specie similem cornu cervino, urbemque portui cohærentem caput cervi cum cornu repræsentasse.

Brundusini primam originem suam putantur debuisse Cnossiis Cretensibus cum Theseo ad ea loca appulsis, quod *Strabo* tradit, aut Ætolis, Diomedis comitibus, quod vult *Pomponius Mela*. Utraque origo fuerit pervetusta. Sed mansit aliquandiu fortuna tenuis ob infestas vicinas gentes Regumque imperio quoque pressa. Post vero Romanorum gratia, quorum in fide constans temporibus dubiis perstitit, tum soli quoque bonitate, portusque rara commoditate crevit insigniter, ac diutissime ad proxima usque sæcula mansit. Post Brundusium *Calabrorum* & *Salentinorum* terra, quæ & Messapia olim audiit, multo longior quam latior, procurrit in ortum hybernum inter mare Adriaticum & sinum Tarentinorum, finiturque promontoriis duobus Leuca & Iapygio. In hujus terræ litore ad mare Adriaticum non procul a fine urbs *Hydrus* fuit modicæ fortunæ tempore *Strabonis*, sed posteriore ævo major facta, Salentinorum opus, quos colonos e Creta profectos fuisse creditum est: proavorum nostrorum memoria a Turcis imperante Mahomete Magno capta, sed ab Alfonso Aragone Neapolitani Regis Ferdinandi filio recuperata, firmiusque munita. Inde porro *Leuca* promontorium quod dixi, & in eo quondam oppidulum ejusdem nominis jam dudum funditus deletum. Ibi maxime in arctum coiit mare Adriaticum, inter Italiæ finem & Epirum, in cujus medio insula Sasona jacuit utrimque passuum millibus quasi L. a continente distans. A Leuca, unde vera frons Italiæ cœpit, in meridiem inclinans litus in Iapygium desinit, procul in pelagus projectum. A *Iapygio* frons illa in duos sinus majores scissa ad Leucopetram promontorium agri Rhegini freto Siculo proximum per varios anfractus in Libonotum descendit. Prior *sinus Tarentinus* in occasum quasi æstivum se incitans terras intrat, & austrinum litus Salentinorum longo spacio radens late se fundit, Lacinioque promontorio ingenti, quod Iapygio in meridiem objicitur, terminatur. In eo urbes claræ post flexum promontorii Iapygii Gallipolis Senonum, ut loquitur *Plinius*, qui suo tempore Anxam quoque eam vocatam dicit, in peninsula velut promontorio continenti cohærente olim, nunc in scopulo mari circumfluo, sed ponte continenti connexo insidens, Græcos mores in ritibus sacris etiam hoc sæculo retinens: *Tarentum* in intimo sinus angulo magna ex parte in peninsula situm, quam portus efficiebat amplissimus & commodissimus, contraque tempestates ac hostes pariter tutissimus, quo bona pars urbis circumluebatur, velut sinus quidam minor, ambitu stadiorum C. faucibus profundis, quæ portus ipsius os erant, cum sinu majore connexus, juxta quas fauces arx urbis prævalida surgebat, sinui majori quoque imminens, urbs priscis temporibus perampla & præpotens, originis Laconicæ, a Partheniis, quos vocabant, primum condita Duce Phalantho circiter Olympiadem xx. post finem primi & ante initium secundi belli Messenii in Peloponneso gesti: post regio imperio aliquandiu parens, cum apud Persas rerum potiretur Darius Hystaspis filius, & Crotone floreret Milo athleta fortissimus: deinde paucorum potentiæ facta obnoxia: quibus per bella contra vicinos Italos e medio fere sublatis, assumpto statu populari vehementer crevit, & opibus viribusque plurimum aucta ad culmen fortunæ pervenit, ut jam Græcarum urbium in ea ora facile princeps censeretur, ambitu ingens, ædificiis & operibus splendida, populo frequens, re maritima præstans, reliquosque vicinos omnes procul superans. Si bellandum erat, peditum ad xxx. millia, equitum tria millia, & quos ὑπάρχους vocabat, mille poterat emittere. Quo

A tempore *Archytas* e Principibus civium Pythagoræ Samii discipulus, doctrina illustris diu autoritate & consiliis suis civitatem rexit. Inter publica urbis ornamenta erant gymnasium elegantissimum, forumque amplissimum, & in eo Iovis colossus ex ære, soli Rhodio magnitudine cedens, interque forum & portus os arx, quam dixi, munitissima, paulo editior quam ipsa urbs, mari etiam exteriori accubans, Herculis statua ingens ænea, Lysippi opus, theatrum ex quo in mare prospectus, signa & tabulæ plurimæ, quibus æmulari Syracusas Tarentum videbatur. Sed, ceu fieri solet, opes & fortuna secunda luxuriem peperere. Inde in deteriora B civitas lapsa sensim sibi ipsi viam ad exitium struxit. Nam re militari, honestaque disciplina neglecta, voluptati & deliciis dedita totos dies in theatris sedebat, ludis dabat operam, pluresque omnino dies festos toto vertente anno quam alios agebat. Hinc fiebat, ut bellum si esset gerendum externis uterentur Imperatoribus: exemplo sunt *Archidamus* Agesilai Regis celeberrimi filius Spartanus contra Messapios vocatus, & post eum *Alexander* Molossorum Rex Alexandri Magni Macedonis avunculus contra eosdem Messapios & Lucanos, uterque C in Italia peremptus: tum *Cleonymus* Spartanus, & *Agathocles* Syracusanus: demum *Pyrrhus* contra Romanos accersitus. Et fere sic accidit, ut quos belli Duces contra hostes accersiverant, iis parere recusarent, eoque modo eos offenderent. Quam ob causam Alexander irritatus facere quoque cœpit, quæ ipsorum animis asperandis essent: atque huic simultati mutuæ infelix, qui insecutus est, eventus etiam fuit imputatus. Romanorum arma non alia re quam proterva insolentia civitas in se vertit. Contra quæ cum Pyrrhum Epiri Regem in D Italiam vocasset, magnis quidem cladibus per eum Romanos primis annis affecit, sed post fortuna belli conversa, Pyrrho Italia decedere coacto, Carthaginiensibus nequicquam in auxilium sollicitatis, tandem armis domita se suaque populo Romano dedidit. Tum arma ei omnia adempta, naves victoribus traditæ, muri urbis diruti, ornamenta multa ablata, potentia incisa, opes diminutæ, splendor detractus, tributum irrogatum, αὐτονομία tamen relicta. Sed bello Punico secundo, cum ad Annibalis partes se leviter contulisset, & Duce Fabio a Romanis armorum vi recepta esset, multo majus detrimentum accepit, pluribusque E ornamentis exuta fuit: quod partim Pœnis, partim Romanis debuit. Et ab hoc tempore urbis pars exterior qua isthmus peninsulæ erat, paulatim deserta est, ambitusque mœnium contractus, sic tamen, ut quæ ostio portus & arci proxima erant, haud parvæ urbis speciem *Strabonis* ævo retinerent. Quin etiam portus os ingenti ponte clausum tum fuisse, ejusdem *Strabonis* verba significare videntur. Verum & hæc fortuna qualiscunque postmodum in deterius lapsa tota pene concidit. Nam labante Romano imperio cum Gothi, Vandali, Saraceni, Normanni Italiæ incumberent, & de imperio plerique tum inter se, tum cum Italis & F Græcis decertarent, Tarentina res attrita, urbs exhausta, loci facies sensim mutata fuit, cadaver urbis potius quam urbs ad nos pervenit. Quod reliquum de urbe est, id in tænia oblonga sed angusta, qua portus a sinu maris dirimitur, sedem jam habet, non ædibus illustribus splendens, sed piscatorum habitaculis confertum: spatium portus exesa humili ora ampliatum, ostium ejus ingentibus saxis in profundum mersis obturatum, relictis tantum meatibus angustis, superne accurato opere tectis, reciprocando aquarum fluxui, per quos non nisi parvis navigiis aditus in portum & exitus patet. Piscatus ibi hoc tempore dives, & ex eo

censsus piscatoribus qui oppidum habitant, haud exiguus. Et tamen in hac fortuna humili locus principatus illustris titulum etiam nunc obtinet. Ager urbis circumjectus Brundusino, qui felicissimus est, paulo deterior, quanquam ovium velleribus nobilissimis vicinos antecellens. Inter Brundusium & Tarentum isthmus est, itinere unius diei expedito patens, a quo tota Messapia seu Calabria inter Adriaticum mare & sinum Tarentinum, uti ante est dictum, in ortum procurrit. In eo isthmo *Rudiæ* fuere Ennii Poetæ celeberrimi patria, urbs Græca, & Thyræi in isthmi medio, & Lupiæ, ut docet *Strabo*. A Tarento vero post flexum litoris ab occasu in meridiem ad angulum quasi rectum occurrebat *Metapontum* urbs etiam celebris & magna in ipso litore constructa primum a Pyliis cum Nestore e bello Trojano domum repetentibus: deinde deleta a Samnitibus instaurata dicitur ab Achæis Laconia olim expulsis, diu bello vexata a Tarentinis vicinis & æmulis, sæpe memorata scriptoribus veteribus, *Thucydidi*, *Polybio*, *Livio*, *Melæ*, *Straboni*, *Plinio*, *Solino*, *Appiano*, *Ptolemæo*; in Annibalis partes post Tarentum concessit, mansitque in iis quamdiu Annibal in Italia mansit. Post reversa ad Romanos, castigataque, dein bello servili a Spartaco fœde direpta, tum stante Imperio Romano ipsa quoque stetit, & fortunam suam qualemcunque sustentavit: demum funditus eversa vix vestigia sui jam reliqua monstrat. A Metaponto deinceps eadem in ora in mare effluentes a Geographis veteribus celebrantur navigabiles amnes duo *Siris* & *Acyris*, ad quorum priorem ferunt antiquissimis temporibus stetisse urbem amni cognominem originis Trojanæ, ut creditum argumento simulachri Palladis Iliacæ illic culti, & ibidem *Heracleopolin* fuisse nonnihil a litore recedentem, Sirin vero oppressis indigenis ab Ionibus Asiaticis Lydorum jugum fugientibus occupatam habitatamque: & procedente tempore missam istuc a Tarentinis coloniam, atque hinc bellum iis ortum contra Thurinos Sirin sibi vendicantes, idque demum sic inter eos compositum, ut locus quidem promiscue ab utraque parte habitaretur, attamen colonia Tarentinorum censeretur: & hanc postea Heracleam cœpisse vocari, non nomine solum, sed urbis loco quoque mutato. *Plinius* Heracleam inter Sirin & Acyriam amnes collocat, Heracleopoli silentio præterita: *Strabo* ad mare eam positam Heracleotarum emporium seu navale fuisse, & intervallo stadiorum XXIV. ab Heracleopoli fuisse remotam affirmat. Hanc secuta fuit *Lagaria* castelli formam tenens, Epei & Phocensium opus, vino præstanti celebrata, ac post hanc *Sybaris* urbs quondam inclyta, media inter Sybarim & Crathida amnes non obscuros, fundata primitus a Trœzeniis Peloponnensibus Duce Sagari Ajacis Locri filio, ut scriptum reliquit *Solinus*, aut, ut *Strabo* tradit, ab Achæis Principe Iselicæo, Græcæ utique originis, forsan ab illis inchoata, ab his vero aucta, aut exolescens instaurata, a Crotone urbe maxima, de qua mox dicemus, disjuncta stadiis CC. ipsa stupendæ felicitatis, eousque progressa, ut Sybaritæ in gentes quatuor, urbes XXV. imperium tenuisse, trecenta armatorum millia in bellum educere potuisse, ad Crathida fluvium ambitum stadiorum L. domiciliis complesse perhibeantur. Verum felicitas ista cum opibus immodicis in proterviam & luxum eos egerunt. Luxus cum deliciis adeo invaluit, ut variis proverbiis apud posteros locum dederit. Hinc & virorum robora in muliebrem molliciem versa, & fortuna in præceps acta, denique nominis illa prosperitas cum semel moveri cœpisset, quasi momento temporis cum extrema miseria commutata. Nam plebs lasciviens suasore Telye viro factioso, & populari gratia valido, ad tyrannidem viam sibi sternente, cives quingentos autoritate & opibus præcipuos urbe ejecit, eorumque res ærario adscripsit. Hi extorres Crotonem urbem vicinam se contulere, supplicesque in aris sedentes misericordiam Crotoniensium implorarunt. Quod cognitum ægre ferens Telys e suis Crotonam misisse dicitur, qui aut dedi exules poscerent, aut id si negaretur, bellum a Sybaritis denunciarent. Ad quæ variantibus Crotoniensium sententiis, & ob metum potentiæ comminantium in deditionem inclinantibus, Pythagoram ait *Diodorus Siculus*, cui hanc totam Historiam debemus, tum temporibus illic forte degentem, persuasisse populo, preces supplicum ne negligerent: atque ita animatos Crotonienses Sybaritarum trecentis millibus contra se venientibus, armatis suorum quasi centum millibus Duce Milone Athleta robore animi & corporis longe maximo, occurrisse, pugnaque valida commissa multo plurimam exercitus hostilis partem obstinatis ad latissimam cædem faciendam omnium mentibus trucidasse, reliquos fugientes dissipasse, urbem Sybarim occupatam evertisse. Quem eventum colligimus ex *Diodori* rationibus incidisse in fluentem Olympiacam τετραετηρίδα LXVII. qua & Hippias Pisistrati filius Athenis pulsus, & Reges Roma ejecti fuere. Sybarim in ruinis jacentem, ut idem scribit *Diodorus*, Thessali istuc venientes assumptis Sybaritarum reliquiis post annos ab excidio LVIII. erigere rursum cœpere, sed vix quinque exactis annis a Crotoniatis coacti deserere eandem, & desolatam relinquere necessum habuere. At Sybaritæ iterum extorres missis in Græciam legatis opem Athenienses & Spartanos rogarunt. Rejecti a Spartanis, ab Atheniensibus in subsidium impetrarunt naves decem milite & colonis completas: & his adjuncti præconio invitati, avocatique ex Peloponneso voluntarii in societatem coloniæ novæ cum communione possessionum. Qui omnes in eam oram appulsi, eoque loci coeuntes, ubi Sybaris fuerat, reperto in vicinia fonte, quem oraculum consultum designaverat, cui Thuriæ nomen erat, ibi considerunt, ac locum rite dimensi novam urbem condiderunt, eamque ex fonte *Thurium* appellarunt. Facta hæc *Diodorus* prodit Archonte Athenis Callimacho, qui erat Olympiadis octogesimæ tertiæ annus tertius, Lampone & Xenocrito ex civitate Attica coloniæ deductoribus. Urbs proxime juxta ruinas Sybaris extructa effloruit cito, opesque nacta est in solo felicissimo: sed qui e Sybariensibus erant, æqua mente secundam fortunam diu ferre non potuerunt. Nam ambitione & πλεονεξίᾳ stimulati præcipuos magistratus ac honores, agrosque optimos & commodissimos in se studuerunt vertere, colonos novos velut plebem vilem infra se ducere, in eos onera publica conjicere, immunitatem sibi vendicare. Quæ cum hi ferre non possent numero viribusque potiores, motu concitato illos omnes interemerunt. Tum pluribus coloniæ sociis e Græcia accitis, quoniam agro abundabant, agroque in capita diviso, ordine novo in civitatem inducto, statu populari instituto, populo in tribus X. exemplo Atheniensium, distincto, pace & amicitia cum Crotoniatis sancita, res suas feliciter auxere. Demum Charondam virum sapientia præstantem delegerunt, qui leges civitatis fortunæ accommodatas conscriberet. Quibus probatis riteque latis, atque in usum receptis, Thurium diu incolume & fortunatum perennavit. Sed post influxum barbararum gentium in Italiam tandem concidit, atque hoc seculo præter rudera vix quicquam reliquum ostendit. Hæc est illa urbs, in qua *Herodo-*

tus patria relicta, Historiam suam scripsisse creditur a multis, in quibus est *Plinius*, & eo recentior *Suidas*, qui ibidem sepultum quoque tradit. Distabat ab Heraclea stadiis CCCXXX. si recte notatus est numerus apud *Strabonem*. Post Sybarim intervallo stadiorum cc. sequebatur *Croton* urbs clarissima, condita a Græcis Principe Myscello circiter idem tempus, quo ab Archia Corinthio, a quo adjutus Myscellus putatur, Syracusas in Sicilia coloniam constituit, ut ex Antiocho recitat *Strabo*; quanquam alii, ut idem scribit, longe antiquius principium ejus faciant, Trojanis temporibus proximum, *Dionysius* vero *Halicarnassæus* id conjicit in annum Numæ Romanorum Regis quartum, qui Syracusano initio annis circiter XXIIII. posterior est. Ea in eodem Tarentino sinu ad litus posita, ædificiis egregia, cœlo tam salubri, ut proverbii loco dictum vulgo sit, *Crotone salubrius*: unde extitisse putatur illud corporum robur & validorum athletarum tanta ex hac urbe frequentia ut res in admirationem devenerit, notatumque in tabulis publicis sit, una Panegyre Olympiadica septem Crotoniatas stadio reliquos vicisse. Inter athletas eminuit *Milo* toto orbe ob prodigiosas vires corporis celeberrimus, cujus aliquoties jam facta mentio, Pythagoræ Philosophi discipulus. Et ut certaminum hujusmodi athleticorum similiumque studiosa Croton fuit, ita tractandis armis & militiæ artibus multum dedita, & disciplinis Pythagoræis delectata: spacio tam ampla, ut ante Pyrrhi adventum muro stadiorum XCVI. aut, ut verba habent *Plinii*, passuum XII. millium, clausa fuisse dicatur. Bis ingenti clade pene in exitium demersa: prius pugna famosa ad fluvium Sagram, contra Locros & Rheginos, qua incredibilem civium numerum amisit; iterum Pyrrhi bello, quo tantum vastitatis eam accepisse *Livius* perhibet, vix ut pars ejus dimidia habitaretur, & flumen quod medio oppido ante fluxerat, extra frequentia tectis loca præterflueret muros, procul iis, quæ inhabitabantur. Accessit calamitas tertia bello Annibalis, cum prodita a cive suo Aristomacho plebis Duce a Senatu diffidentis in potestatem Brutiorum, qui Annibalis erant socii, devenit. Quem casum accurate descripsit Livius decad. III. lib. IV. Fuit & arx Crotone altera sui parte mari imminens, altera in agrum versa, sola loci natura prioribus sæculis munita; post suadente rerum usu, muro quoque septa. In hanc reliqua urbe ab Aristomacho prodita optimates se receperunt, in eaque se defenderunt, donec a Locris vicinis persuasi arce relicta in Locrensem agrum concesserunt, ut apud eundem *Livium* legitur. Mansit incolumis urbs, coloniamque paulo post a Romanis accepit, pervenitque ad ætatem usque nostram, sed & contractior qua fuit ante, & populo rarior; Marchiæ titulo nunc honorata. Genitrix quondam multorum celebrium ingeniorum. Sed ante Crotonem, Thurium versus duos amnes recenset *Strabo*, Neæthum Crotoni propiorem, *Plinio* quoque nominatum, quatuor passuum millibus, ut *Albertus Leander* notat recens scriptor, Crotone distantem, & Æsarum cum portu, obscuros quidem, sed hodie quoque nomina prisca conservantes. Quæ si sic habent, errat *Scholiastes Theocriti*, qui Æsarum per mediam Crotonem fluxisse in mare affirmat. Crotonem dein in ora olim sequebatur inclytum & mira religione a multis populis cultum, & opibus ac donariis nobile *Iunonis Laciniæ* templum, ab urbe dissitum passuum millibus sex, ut est apud *Livium*, columna ex solido auro maxime ornatum: Dehinc ipsum promontorium *Lacinium* longissime in mare porrectum, sinum Tarentinum incipientem a Iapygio promontorio finiens. Inde tria quæ vocabant Iapygum

A promontoria minora, tum *Scylletium* oppidum quod sinui vicino nomen dedit, Atheniensibus Rege Mnestheo ortum debens, Scylacium dictum *Melæ*, *Strabonis*, *Plinii*, *Ptolemæi* sæculo. Sinus *Scylleticus* a Lacinio promontorio incipiens, in Zephyrium, aut, ut *Plinius* vult, in Leucopetram promontorium alterum XII. passuum millibus longius remotum desinebat. Post Scylletium *Caulonia*, olim Aulonia nuncupata a valle propinqua, ab Achæis condita. Mox *Sagra* fluvius proverbio vetusto celebris, quo de rebus certis, quibus tamen fides derogatur, solet dici, *veriora esse iis, quæ ad Sagram*. Nam cum ad hunc fluvium Crotoniatæ
B numero CXXX. ut ex *Trogo* Justinus l. XX c. 3. refert CXX. millium a Locris & Rheginis, qui quindecies mille non excedebant, magna strage affecti succubuissent, eaque res eodem illo die in Elide Peloponnesi, ubi tum forte ludi Olympici celebrabantur, stupenda quadam celeritate nunciata esset, & difficulter primum fidem inveniret, deinde veritas rei esset comperta, proverbium id, quod dixi, contra incredulos circa res tales usurpari cœpit. Post Sagram in sinu eodem fluvius alius *Alex* Brutios ista parte a Locris disterminans, *Plinio* & aliis Cæcini nomine affectus, prope quem olim in Brutiorum agro interius *Mamertum* oppidum fuit, un-
C de Mamertini orti, qui in Sicilia Messanam tenentes, occasionem primi belli inter Romanos & Pœnos dederunt. Deinde *Locri Epizephyrii* dicti ex situ, urbs & potens quondam, & illustris, colonia Locrorum Ozolarum ab Evanthe deducta in supercilio quodam posita cum portu ab occasu venientibus percommodo. Ex his, qui Ozolas coloniæ autores statuunt, Eustathius Thessalonicensis, explicans verba *Dionysii Alexandrini in descriptione orbis*, quem enarrat, parum honestam ei originem tribuit. Ait enim cum belli causa domo abessent Locri Ozolæ, servos eorum dominas
D suas stuprasse, ac metu pœnarum sub reditum dominorum, quos atrociter læserant, fugæ se dedisse, & plerasque stupratas metuentes sibi similiter ab iratis maritis una cum istis profugisse, & in hac, de qua agimus, Italiæ partem navigiis appulisse. Accedit augendæ infamiæ horum novorum colonorum, quod *Polybius* scribit, audisse se frequenter jactantes ipsos Locros, cum primum advenissent istuc majores ipsorum, loca illa tenuisse Siculos, & utrosque mutuo metu consternatos in fœdus amicitiæ inter se de pace tenenda & injuriis non faciendis consensisse, fœdusque jurejurando sanxisse: sed dolose advenas Locros jurasse, &
E cum primum occasio ferret, incautos Siculos subita vi oppressos decedere regione coegisse: instaurata tamen cum Siculis post id tempus fœdera Locris esse, sed cum iis, qui Locrorum nomine in Græcia censerentur, amicitiam & societatem ipsis nullo tempore intercessisse. Quod argumentum esse memoriæ veterum odiorum & injuriarum, quis dubitaverit? Et ex his talibus majoribus & hujusmodi rerum primordiis sobolem laudabilem progenerari, & civitatem illustrem constitui potuisse, quis non miretur? Apud *Strabonem* legimus hos colonos primum in Zephyrio promontorio consedisse, &
F illic quadriennio esse commoratos: dein ope Syracusanorum sedem transtulisse istuc, ubi deinceps per multa sæcula urbs Locrorum optimis institutis floruit. De origine vero & primordiis coloniæ certiora teneremus, si *Aristotelis* libri de variis rebuspublicis, quos scripsisse & edidisse eum constat, ab injuria temporum conservati ad nos pervenissent. In his enim de hujus quoque coloniæ initiis & primis institutis eum scripsisse *ex Polybii fragmentis* cognoscimus. Sed fluctuavit apud hos civitatis status usque ad νομοθεσίαν Zaleuci. Hic

clara familia in civitate Locrorum natus, Pythagoræ Samii Philosophi, qui tum in ista Italiæ parte illustrem scholam habebat, discipulus ingenio & sapientia summus, integritate ac vitæ sanctimonia admirabilis. Quæ cum autoritatem & venerationem ei conciliassent, delectus est a populo, ut legibus novis civitatem formaret. Qui munere in se recepto, oculis in aliarum civitatum bene constitutarum leges conjectis, id inprimis egit, ut in legum, quas scribebat & civitati ferebat, exordio, mentes civium ad pietatem in DEUM, juris & justitiæ omnis originem, cœli rerumque omnium dominum ac rectorem, probitatis & æquitatis remuneratorem, nequitiæ & iniquitatis osorem & vindicem exsuscitaret. Tum leges tulit præclaras, ac toti posteritati laudatas, non tam multas numero, quam accuratas, complexas ea, quæ ad justitiam tuendam, & delicta comprimenda, concordiamque & tranquillitatem conservandam in societate civili, atque avertendum rerum novarum studium, denique ad ipsas, quas ferebat leges perennandas, & mutationes earum prohibendas quam maxime videbantur facere. Quas leges dum servarunt Locrenses, (servarunt autem diu) incolumis ill's fortuna publica stetit. Reliqua de νομοθεσία Zaleuci dicemus alibi. Nunc casus alios civitatis hujus perstringemus. Circiter id tempus, quo Galli Romam cepere, Dionysius Syracusanus augendi imperii sui avidus armis in Italiam translatis Locrorum quoque potitus est. Sed moderate fortuna hac usus, summa imperii potestate contentus αὐτονομίαν civitati illibatam reliquit. Verum filius ejus Dionysius junior ob flagitia Syracusis discedere coactus, cum Locros se recepisset, & benigne illic exceptus esset, in omnem se nequitiam effudit. Nam cum præsidium militare circum se haberet & arce potiretur, tyrannorum perditorum more omnibus injuriis viros, omni contumeliarum genere, quas dictabat petulans libido, virgines æque ac matronas affecit. Coactaque est infelix civitas per aliquot annos ad scelera tam immania obmutescere. Verum cum tyrannus vocante fortuna in Siciliam rediisset, eadem civitas frenum mordens, ejecto ejus præsidio, totaque libertate resumpta, omnem illam injuriam in uxorem ejus & liberos insigniter ulta est, paremque ei, aut majorem etiam dolorem reposuit. Tempestate deinde armorum Pyrrhi leviter quassata, ac bello Annibalis variis casibus jactata, tandem gratiæ Romanorum restituta, libertateque donata fuit. Postremis sæculis exolescente fortuna ita sensim evanuit, ut jam vix tenuia ejusce vestigia compareant. Ex ruderibus Locrorum pervenitur porro ad promontorium *Zephyrium* in mare prominens, quod ante dixi, unde Locri Epizephyrii promontorio proximi nomen tulere. Post cujus flexum promontorium alterum, cui Herculii nomen, cum portu, veteris Oenotriæ finis. Inde *Leucopetra* sequitur sinum totum, qui cum Lacinio incipit, claudens, promontorium magnum, in quod desinit mons Apenninus totam Italiæ longitudinem ab Alpibus maritimis hucusque emensus. Hinc *Rhegium* Brutiorum ex clarissimis hujus oræ urbibus in ipso litore ad initium freti Siculi, conditum primum a Chalcidensibus per Zancleos evocatis Principe Antimnesto: quibus accessere etiam coloni alii e Messeniis extorribus per seditionem patria ejectis, ut autoritatem *Antiochi* scriptoris vetusti secutus tradit *Strabo*: quanquam non nesciam alios aliter de his sentire. Et addit ex *Antiocho* Strabo, Principes coloniæ hujus Rheginæ semper ex Messeniis delectos fuisse, velut nobilitate potioribus, idque durasse usque ad Anaxilam, qui rempublicam in tyrannidem vertit. Sed hic tyrannide usus est moderate, eoque dein e vivis sublato, Rhegium libertati redditum. Verum post in seditionem exitiosam prolapsum, a præsidio Himeræo in auxilium a parte altera evocato oppressum, & utriusque factionis cives trucidati. Ex qua calamitate resurgens sensim, & fortunæ non abjectæ restitutum, a Dionysio magiore ob denegatam petiti honesti conjugii conditionem, oblatam vero conjugii turpis, longa obsidione pressum, fameque tandem domitum: cum in potestatem ejus venisset, pene excisum, omne vero crudelitatis genus in armorum Rheginorum Ducem Phytonem effusum. Sed movit rursum civitas alas, ex parte restaurata a Dionysii filio Dionysio minore, coaluitque in justæ civitatis modum: bello Pyrrhi fida Romanis, sed perfidia Campanæ legionis, quæ præsidio ei a Romanis imposita erat, fœde afflicta & pessundata post Pyrrhi abitum; obsessa recuperataque a Romanis cum cæde Campanorum, libertasque infelici civitati reddita, ccc. Campani e cæde superstites exempli causa Romam ducti, omnesque securi percussi. Exin Rhegium mediocri fortuna in fide Romanorum perstans nequicquam tentatum ab Annibalis Ducibus, paulo ante bellum Marsicum terræmotibus vastatum, a C. Cæsare Augusto instauratum, & ex ejus nomine Rhegium Julium nuncupatum, fortuna mediocri ad proximum sæculum nostrum pervenit, sed hominum frequentia & rerum copia ac splendore nequaquam cum fortuna prisci ævi comparandum, præsertim post annum Æræ nostræ MDXLIII. quo a Turcica classe capta & direpta fuit. Intuetur etiam nunc ex adverso Messanam Siciliæ in recurvo sinu, qui portus instar est, positam. Dissitum fuit Rhegium, ab urbe Locrorum, ut docet *Strabo*, stadiis DC. a Leucopetra L. A Rhegio magis magisque fretum arctatur, fabulis *Scyllæ* & *Charybdis* celebre, usque in locum, quo ætate *Strabonis* columna stetit Rheginorum, stadiis C. Rhegio distans, id est, passuum millibus XII. & quingentis, ut *Plinii* verba habent, quæ prorsus paria sunt; ubi fretum est perangustum, quasi stadiorum sex, & paulo citerius, ubi est angustissimum, & trajectus brevissimus, semper ultro citroque commeantibus navigiis quasi oblitus. Unde non procul scopuli, Scylla ad litus Italiæ, & Charybdis juxta Siciliam. Post columnam, quam Posidonium quoque vocat *Strabo*, *Cænys* erat promontorium Italiæ extimum, in occasum procurrens, oppositum Peloro Siciliæ, sed ab eo velut aversum, cum hoc in ortum æstivum porrigatur. Post Cænyn Scyllæum saxum sublime, peninsulæ instar, isthmo humili & appulsui navium utrimque idoneo annexum continenti: quem locum olim Anaxilas Rheginus muro munierat contra prædones fretum mariaque cætera infestantes, a *Plinio* oppidi nomine affectum. Tum flumen Metaurus cum navium statione ejusdem nominis, & mox Medama, quam Meduam *Plinius* vocat, oppidum Locrorum, vicinumque navale, cui Emporio nomen, quod portum Orestis *Plinium* dicere arbitror. Atque his quidem litoribus insulæ Æoliæ oppositæ sunt, stadiis quasi cc. inde remotæ. Dein Hipponium a Locrensibus conditum, a Brutiis occupatum & his ademptum a Romanis novo nomine Vibo Valentia nuncupatum, in sinu situm, quem ex urbis nomine Hipponiatem dixerunt: inter quem & Scylletium isthmus quidam stadiis centum & sexaginta patens, quem excitato muro sæpius Dionysius major sepire, & peninsulam in fretum Siculum desinentem a reliqua Italia sejungere, Siciliæque suæ adjicere conatus quondam fuit. Deinde introrsum recedens *Cosentia* Brutiorum Metropolis insignis, & non procul ea *Pandosia*; ad quam Alexander Molossorum Rex periit. Temesa,

Tempsa a Latinis dicta, primitus ab Ausonibus extructa, deinde ab Ætolis Duce Thoante occupata, & colonis novis aucta. Hinc *Laus* fluvius in mare exiens, Brutios a Lucanis dirimens. Lucani deinde secundum oram ad ostium *Silaris* fluvii introrsum late mediterranea tenentes. Post quos in ora *Picentini* ex Piceno istuc a Romanis traducti in parte Campaniæ veteris ad sinum Posidoniatem, seu Pæstanum, usque in fluvium *Sarnum*. A Sarno porro ad fluvium *Lyrim* Campania reliqua, & a Lyri in Tyberim Latium, & trans *Tyberim* ad *Arnum* fluvium nobilem & hinc porro ad *Macram* Hetruria regio maxima & potentissima, denique post Macram *Liguria* ad Alpes *Varumque* amnem & Gallos porrigebatur. Atque hæc omnia post frontem Italiæ & magnam Græciam ad mare inferum seu Tuscum. Similiter ad mare superum seu Adriaticum post Brundusium, undæ hæc cœpimus, *Apuli* longo tractu ad flumen *Fiternum*, deinde *Frentani* cum *Pelignis* ad fluvium *Aternum*, tum ab Aterno ad *Æsim* amnem ignobilem *Piceni* gens valida, & post omnes Senones vel ager Gallicus, Picenorum quondam pars, in Rubiconem usque fluvium, initium hac parte proprie sic dictæ Italiæ. Quod vero ultra *Rubiconem* versus septentrionem & Alpes erat, *Gallia Cisalpina* Romanis dicebatur. In qua juxta oram trans Rubiconem erant *Boii* & *Cenomani* finibus confusis: deinde natio magna *Veneti*, post Venetos *Carni* & *Histri*, qui peninsulam habitant, Illyriis quondam accensi, ab Augusto Cæsare Italiæ attributi. Mediterranea Italiæ, quorum tractum omnem longissimum mons *Apenninus* a maritimis Alpibus in mare Siculum pererrabat, varii & validi populi indigenæ olim tenebant. Post Lucanos & Brutios mediterraneos maxima & fortissima gens Samnites, Marsi, Marrucini, Peligni, Vestini, Umbri, Vilumbri, Sabini, Æqui, Æquicolæ; e quibus omnibus soli Umbri parte una angusta mare superum olim attigerunt. Et in *Gallia Cisalpina*, quam Padus secat, & in Cispadanam ac Transpadanam partitur, interiores Cenomani, Insubres, Taurini, Rhæti, Taurisci, Salassi, Lepontii, Centrones. In maritimis vero ad utrumque mare non paucæ Græcorum coloniæ claruere: ad superum quidem post Brundusium, Tranum vel Trinium, Salapia, Sipuntum, oppida ad Diomedem Ætolum Tydei filium temporaque Trojana ortum suum referentia, & his clarior *Ancon* colonia Dorica, a Syracusanis condita, *Ariminum* ab Herculis comitibus, ut *M. Catoni* placuit, structum, *Ravenna* Thessalis originem suam debens, Hadria, a qua mare Hadriaticum nomen accepit: Ad inferum seu Tyrrhenum post Tempsam Buxentum, a Siculis Messanensibus primitus positum, deinde Velia, quondam Hyela, originis Phocaicæ, *Pæstum*, quæ & Posidonia olim, Pæstano sinui nomen tribuens, a Sybaritis Doriensibus fundatum, *Surrentum* Græci quoque generis oppidum, Capreas insulam vicinam intuens, tum clarissima *Neapolis*, tota moris Græcanici etiam florentibus Romanorum rebus, Parthenope quondam nuncupata ex Sirenum una, ut ajunt, eo loci sepulta, condita vero a Cumanis vicinis Chalcidici generis ex Asia quondam profectis, dein cladem pene internecinam a conditoribus suis perpessa, & a novis colonis ejusdem generis instaurata novaque civitas vocabulo Græco dicta, amœna, elegans, ampla, opibus florens, Romanorum otium quærentium gratissimus secessus, demum post collapsum Romanum imperium facta Metrapolis novi Regni in Italia, & Regum procerumque regni sedes, ob frequentium nobilitatis ibi commorantis *Nobilis* cognominata, situ commodissima, & pulcherrima, in sinu Cratere ipso in litore posita, sed jam arcibus tribus validis, & invisis præsidiis ab Hispanis dominis pressa: dein *Puteoli* in eodem sinu, Dicæarchea a conditoribus Græcis vocitata ob exactam justitiæ administrationem, *Baiæ* felicitate soli & cœli celebres, *Cumæ* colonia Chalcidensium Euboicorum & Cumæorum Asiaticorum longe antiquissima, diu ante urbem Romam nata, juxta quas Sibyllæ Cumanæ antrum & domicilium, *Caieta* incertæ originis, *Formiæ* Lacedæmoniis autoribus principium sui tribuentes, *Palatium* in parte urbis Romæ ad Tiberim fluvium aliquot passuum millibus supra ostium, Evandri Arcadis opus & habitaculum, *Cære*, Agylla olim, constructa a Pelasgis e Thessalia advenientibus, Pyrgi emporium Cæretanorum cum fano Lucinæ a Pelasgis extructo, postea portus Herculis & Telamonis ingenti promontorio & Cherroneso divisi, tum *Pisæ* inclytæ ad fluvium Arnum structæ quondam a Pisæis Peloponnensibus, Pyliisque Nestoris comitibus e bello Trojano reversis, ante aliquot ætates re maritima præpotentes, æmulæ Venetiarum & Genuæ. Hæc fere in ora utraque. Sunt etiam non pauca ab ora recedentia.

UBBONIS EMMII VETERIS GRÆCIÆ

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS RES GESTAS GRÆCORUM

RERUM VETERIS GRÆCIÆ

EX

HERODOTO

Breviter expositarum

LIBER PRIMUS,

Cum præmissa συνόψει quarundam principio perpetuæ Historiæ Herodoti antiquiorum.

AUCTORE

UBBONE EMMIO FRISIO.

Σύνοψις rerum Græcarum maxime memorabilium, quæ antecessere id tempus, a quo Herodotus perpetuam seriem historiæ suæ est exorsus.



A Post initia *Inachi* primi Regis Argivorum, quibus initiis nihil fere habemus antiquius in omnibus rebus Græciæ, (inciderunt ea in annum periodi Julianæ bis millesimum octingentesimum quinquagesimum sextum, mundi bis millesimum nonagesimum tertium, ante caput Æræ Christianæ vulgaris millesimum octingentesimum quinquagesimum septimum, cum in gente Hebræa floreret Isaac Abrahami filius (exactis annis trecentis duobus *Cecrops* Diphyes primus Atheniensium Rex cœpit Athenis regnare. Post quem longa Atticorum Regum series recitatur ad Codrum usque, qui fuit Regum ultimus, periitque pro patria dimicans regnante apud Hebræos Saule Rege eorum primo.

Anno post initia Inachi DIX. post Cecropis principium CCVII. *Pelops* Tantalo Paphlagonum Rege natus ex Asia venit in Græciam, & Peloponneso in qua sedem figebat, nomen dedit, pater Atrei & Thyestæ, avus Agamemnonis, Menelai, & Ægisthi: cujus familiæ res multam scribendi materiam Poetis dedere. Cum Pelope vixere Cecrops II. ejus nominis, septimus Atheniensium Rex, Thesei proavus, & Acrisius Rex Argivorum XI. pater Danaes, avus maternus Persei: ex cujus nepte Alcmena natus fuit Hercules Heroum Græcorum clarissimus. Post Pelopis adventum in Græciam annis LXXVI. delecti Heroes Græci, quos ab Argo navi *Argonautas* appellarunt, fama peregrinarum opum illecti suscepta expeditione longinqua, Duce Iasone Thessalo, Æsonis filio, in Colchidem regionem Asiæ, in orientali ora Ponti Euxini sitam, ubi Phasis fluvius in Pontum defluit, devenere; & superato Æeta Rege a filia Medea prodito, abreptum aureum vellus, ut est in Poetarum fabulis, hoc est, ingentem auri vim secum in patriam revexerunt. B Quos Medea patrem fugiens secuta venit in Græciam, & multis polluta nefariis facinoribus infamem vitam ibi traxit. Erat tum juvenis & expeditionis ejus comes *Hercules*, qui gloria virtutis suæ non Græciam solum, sed magnam orbis terrarum partem complevit, si Poetarum narrationibus fides habenda. Inter cætera clara facinora Trojam in Asia invasit & cepit, cæsoque Laomedonte Rege filio ipsius Priamo regnum dedit: Thesei Atheniensium Regis inclyti summus amicus. Eodem sæculo duo filii *Oedipi*, ex incesto nefando nati, Eteocles & Polynices, C quos paternorum scelerum Diræ urgebant, cum de regno Thebarum inter se contenderent, bellum atrox conflarunt, quo ante Troica tempora nihil habetur in rebus Græciæ memorabilius, multis paginis a Poetis decantatum, fabulis variis adspersum, δρᾶμα tragicis eventibus refertum. Laius Thebarum Rex fuerat Labdaci filius, Polydori nepos, Cadmi, qui Cadmeam condidit, & ex suo nomine appellavit,

ex Phœnicia advenæ pronepos. Is uxorem duxerat Iocastam Menœcei filiam, Creontis sororem ex eodem Cadmo genus trahentem, & ex ea prolem impense desiderans, oraculum Delphicum consuluerat, responsumque tulerat valde sinistrum: si prolem ex Iocasta susciperet, eam ipsi futuram exitio. Natum igitur filium, quem ex pedum tumore Oedipum appellatum ferunt, oraculi recordans, sibique metuens, curaverat exponi, ac in sylvas abjici. Sed famulus, cui id demandatum fuerat, clam Laio, infantem fœminæ notæ alendum tradiderat. Oedipus vir factus, cum forte Thebas iret, in via angusta obvium sibi Laium Delphos petentem, & insolentius se de via decedere jubentem, prorsus sibi tunc ignotum interemerat: deinde, ob Sphingem viciniæ illi infestam sublatam e medio, Iocastam, quam matrem suam esse similiter ignorabat, uxorem adeptus cum regno, filios ex ea genuerat duos Eteoclem & Polynicem, & totidem filias Antigonen & Ismenem. Post, cum verum de patre & matre cognovisset, in tantum dolorem inciderat, ut regni & lucis pertæsus sibi oculos erueret. Filii adultiores facti ex pacto regnaverant aliquandiu simul. Dein Eteocles major natu, excluso Polynice solus sibi regnum vendicaverat. Polynices in exilium profectus conciliatis sibi nuptiis filiæ Adrasti Argivorum Regis, & auxiliis a socero contra fratrem impetratis, priusquam vim moveret, ex consilio ejusdem soceri Tydea Ætolum, qui alteram Adrasti filiam conjugem duxerat, virum fortissimum Oeneo natum, patrem Diomedis, cum cæteris Argonautis e Colchide pridem reversum, ad Eteoclem miserat, & per eum jus suum a fratre repetierat, sed æqui ab illo impetrare potuerat nihil: quin imo Tydeus in regressu vix manus eorum, qui Eteoclis jussu ex insidiis in ipsum se intulerant, incolumis evaserat. Quapropter ex Argivis, Arcadibus vicinisque populis confecto non invalido exercitu, una cum socero & Tydeo, & proceribus aliis, quos in societatem militiæ sibi adsciverat, in Bœotiam tandem duxit, exercitumque Thebis admovit. Verum priusquam ad mutuas cædes ventum, rursum studio matris conciliatis induciis, compositio inter fratres colloquio congressos tentata, sed sine fructu, quod Eteocles propositi pertinax ne tum quidem quicquam æqui admitteret. Tum vero hostilia occœpta, pugnæ variæ ad mœnia commissæ, mœnia ipsa vi ab oppugnantibus tentata, sed acriter a propugnantibus, quibus auxilia a Phocensibus venerant, per vulnera & cædes defensa. In præliis proceres multi a partibus Polynicis & Adrasti ceciderunt: inter quos Tydeus Ætolus, nulli virtute secundus. Mox etiam Eteocles & Polynices ipsi inter se infestis animis & armis concurrentes mutuis vulneribus sese confecere: mater Iocasta ad pugnæ locum festinans, cum jam stratos peremptosque filios reperisset, dolore amens, se quoque rapto ab iis ferro interemit, ac super corpora cæsorum concidit. Tum in vindictam exardescens Adrastus, cum suis in Cadmeam impetum vertit: ortaque rursus difficilis & cruenta pugna: cæsi iterum multi, & in his præcipui proceres. Menœcus Creontis filius ex urbanis, Capaneus, Hippomedon, Amphion ex parte diversa: Amphiaraus vates in specum delapsus periit. Victoria urbanis cessit, sed valde cruenta; unde locus proverbio factus, *Cadmea victoria*, ut volunt quidam. Ex Principibus solus Adrastus fugiens vix evasit incolumis. Creon Iocastæ frater jam grandis natu regnum vacans per nefas rapuit: Oedipus senex, cæcus, doloribus fractus, omnium mortalium sui sæculi in Græcia miserrimus a Creonte in exilium actus, in eoque morte sublatus: filiæ quoque in illo calamitatum domus infelicis di-

A luvio nece periere. Exemplar sceleris infandi, quanquam inconsulto patrati, cum excidio lamentabili totius domus & cæde multorum mortalium expiati. Corpora cæsorum ad Thebas vix auxilio Thesei & Atheniensium ab inhumano Creonte ad sepulturam recepta. Incidisse putatur calamitosum hoc bellum circiter annum periodi Iulianæ termillesimum quadringentesimum primum, post Pelopis in Græciam adventum annis quasi CXVI. post Argonautica XL. ante Æram Christianam vulgarem surgentem M. CCXXXII. Post quæ ab Amphiarai filio Alcmæone, impulsu matris, quæ soror erat Adrasti, ut tradit *Diodorus*, novus exercitus

B contra Thebanos eductus, & prælio commisso victi Thebani, Thebæque perculso populo, suasu Tiresiæ vatis Thebani desertæ, atque ab hoste vastatæ, Thersandroque Polynicis filio traditæ. Hos motus non longo intervallo secutum est bellum Trojanum, in quod ob Helenam Menelai conjugem a Paride raptam frustraque repetitam, universa Græcia commota, conscripto ingenti exercitu, & classe mille navium, ut ajunt, parata exarsit. Cujus expeditionis summus Imperator fuit Agamemnon Atrei filius, Pelopis nepos, frater Menelai, Mycenarum Rex, ejusque auspicia secuti Principes reliqui Græciæ: in quibus Nestor Py-

C liensis senecta invalidus, prudentia & consilio ante alios pollens, Achilles Thessalus Græcorum fortissimus, Martis pullus, Ajax Telamonius Achillis patruelis, Ajax alter Oileus Locrensis, Diomedes Tydei Ætoli filius Argivorum Princeps, Ulysses Ithacensis Zacynthi ac Cephaleniæ dominus, vir versutissimus & facundissimus, Mnestheus Atheniensis Thesei æmulus & in regno successor, Thersander Thebanus Polynicis filius, Idomeneus Cretensis, Thoas, Ætolus, plures alii, quos in Iliade Homerus, Dictys Cretensis & Dares Phrygius in commentariis a se scriptis recensent. Castra in

D litore Rhœteo ad Trojam collocata, velitationes inter obsidentes & obsessos factæ. Ex Asia & Thracia auxilia Trojanis missa: quorum Rex tum erat Priamus ætate confectus, Paridis pater, fortissimus vero militiæ Dux erat & patriæ propugnator Hector Priami filius natu primus, & post eum Æneas Anchisa genitus. In sociorum numero Rhesus Thrax, Sarpedon Lycius, Telephus Mysius, Polydamus, Memnon, Pentisilea Amazon. Bellum tractum in multos annos, sæpe pugnatum ad castra Græcorum, ac mœnia Trojana, & campo intermedio, cæsi hinc inde multi, multa oppida Asiæ a Græcis capta & evastata, Sarpedon a

E Patroclo Achillis amico, armisque ejus tectus, & Patroclus in vicem ab Hectore, interea dum Achilles Agamemnoni succensens præliis abstinet, interempti. Hector in ultionem Patrocli ab Achille interfectus, cadaver ejus circum mœnia Trojæ raptatum, qui casus acerbus animos Trojanorum haud parum turbavit. Demum Achilles quoque ex insidiis ab imbelli Paride sagitta ictus occubuit: cui Rhœteo in litore sepulchrum factum. Paris a Philoctete eodem teli genere percussus interiit. Denique Palladio furtim e fano Ilienti per Diomedem & Ulyssem abrepto, & in castra Græco-

F rum translato, quod fatale pignus fortunæ suæ Trojani diu coluerant, per insidias nocturnas urbs Troja a Græcis capta, & funditus excisa est anno decimo, ut habet communis opinio, aut, ut *Dares Phrygius* affirmat, undecimo, ex quo obsideri cœperat. Priamus ad aram Iovis a Pyrrho Achillis filio juvenculo in ultionem necis paternæ Polyxena filia ejus ad sepulchrum patris mactati, Hecuba Priami uxor vetula in servitutem abducta. Congruit hic casus cum anno periodi Iulianæ termillesimo quingentesimo tricesimo primo, post cla-

dem domus Oedipi LI. ante natalem Christi MCLXXXII. Helenus Priamo etiam genitus cum Andromacha conjuge, quæ Hectoris ante fuerat, in Epirum devenit: *Antenor & Æneas*, quos cum Græcis pactos esse ferunt, patria relicta, ille in regionem Venetiæ, in qua Patavium putatur condidisse, hic in oram Latii, ubi filius ejus Ascanius Albam longam struxisse, regnumque ibi statuisse perhibetur, tandem fuere delati. Ex Ænea & Ascanio Romani posteris sæculis sunt orti. Multi Procerum Græcorum in reditu variis casibus interierunt. Menelaus Helenam suam domum reduxit. *Agamemnon* supremus belli Dux in patriam reversus dolo conjugis Clytæmnestræ adulteræ, quæ soror Helenæ erat, & ferro Ægisthi adulteri e patruo suo Thyeste geniti trucidatus est. Ulysses post longos errores in Ithacam remeans vix a suis agnitus, & a vi procorum Penelopes uxoris servatus fuit. Hic famosissimi hujus belli exitus, & Ducum plerorumque fuit. Post Trojæ excidium non semel liberi & posteri Herculis adjuti ab aliis in Peloponnesum reverti, ex qua ejecti fuerant, conati sunt, sed minus feliciter. Verum anno ab excidio eodem quasi LXXX. assumpta magna Dorici generis multitudine, & majore quam ante facto apparatu, usi Duce Oxylo Ætolo inter suos claro & potente conatum instaurarunt, eventuque desiderato tandem sunt potiti. Tres erant abnepotes Herculis, Aristomachi filii, expeditionis principes, Temenus, Cresphontes, Aristodamus: quorum hic in ipso apparatu Delphis fraude Pyladæ occisus filios duos habuit hæredes Eurysthenem & Proclem, qui cum patruis in Peloponnesum pervenerunt, & oppressis inimicis e Pelope oriundis res suas & Dorum ibi constituerunt. Temenus sedem Argis fixit, ex quo Macedonum Reges originem traxere. Cresphontes optimam Peloponnesi partem, Messeniorum regionem, non bonis artibus, ut fama tulit, suam fecit: Eurysthenі & Procli fratribus Lacedæmon cum regione vicina obvenit, quibus semper discordibus inter se duæ familiæ Regum Laconicorum similiter mutua æmulatione perpetuo laborantes longa serie extensæ descenderunt. Oxylus Ætolus apud Eleos cognatos constitit cum suis, & originem dedit illustri prosapiæ, quæ Iphitum Elidensium Principem edidit. Ab hoc Heraclidarum reditu in Peloponnesum anno circiter XXXVI. cecidit postremus Atheniensium Rex Codrus contra Dores dimicans, finemque dedit regno Attico. Pro Regibus vero Archontes perpetui illic creati, & post eos Archontes decennales, & post hos IX. Archontes annui: Ab Attici autem regni fine annos quasi XXVI. authoribus potissimum Atheniensibus, *Iones* frequentes in Asiam commigrarunt, & colonias illustres illic in ora partim novas condiderunt, partim jam ante conditas auxerunt. Unde Ionia in Asia nata. Quo novo exemplo (nam Æoles jam ante etiam præiverant) alii quoque populi Græciæ moti in eandem Asiam maritimam, Cyprum, Ægyptum, Africam atque alia parte in Thraciam, Macedoniam, Epirum, Siciliam, frontem & oram Italiæ secutis temporibus colonos emisere. Atque ea regione duplo major paulatim gens Græca facta, & linguæ usus longe lateque propagatus fuit. Interea a longo intervallo post constitutum ab Heraclidis regnum Laconicum, Lycurgus regii generis vir, per se ingenii magni, cum longa peregrinatione ac diligenti rerum, quas viderat & audierat, observatione prudentiam multo maximam consecutus, cum tutelam minorennis Regis ageret, leges Lacædemoniis tulit: & Carthago circiter idem tempus in litore Africæ illustrissima ac potentissima civitas universi istius tractus ad mare mediterraneum a Didone Phœnissa extructa est: & Sardanapalus ab Arbaco Medo & Phul Belocho Babylonio eversus casu suo latissimo & antiquissimo regno Assyriorum finem attulit. *Carthaginis* sedes ex insula Cothone continenti fere contigua, ubi septennio ante jacta ejus fundamenta erant, in continentem translata fuit anno periodi Iulianæ termillesimo octingentesimo tricesimo primo, post Inachi principium apud Argivos DCCCC.LXXIV, post conditas a Cecrope Athenas DCLXXIII. post excidio datam Trojam CCC. ante natalem Domini DCCCXLII. Elapsis dein annis CVI. *Iphitus* Praxonidæ filius Elidensis ex posteris Oxyli agonem Olympicum instauravit, & constituit ut quolibet exacto quadriennio idem repeteretur circiter æstatem mediam. Estque hoc deinceps perpetuo observatum in Græcia, quamdiu Græcia fuit incolumis, & post libertatem amissam sub imperio Romano quievit. Fuitque hæc series Olympiadum Elidensium fidissima custos temporum in rebus Græcis, & iis quæ cum Græcis cohærent. Nec fuit illustrior πανήγυρις in universa Græcia quam hæc ipsa quolibet quadriennio recurrens, ad quam ingens hominum multitudo ex omnibus Græciæ partibus & Græcorum coloniis confluere solebat, tum certandi, tum spectandi & audiendi gratia. Cohæret autem hoc caput æræ Olympiadicæ cum anno periodi Iulianæ termillesimo nongentesimo tricesimo octavo, qui est quadringentesimus octavus surgens post excidium Trojæ, MLXXXI. post initia Inachi Regis Argivi, ac DCCLXXX. post Cecropem regnum Atticum auspicantem. Antecedit vero caput æræ Christianæ vulgaris annos totos DCCLXXIIII. cum dimidio. Atque hujus æræ Olympiadicæ anno XXIII. secundum Catonem condita est *Roma* in Italia a Romulo, quæ se postea dominam magnæ terrarum orbis parti imposuit. Vigebant jam tum simultates veteres inter Lacones & Messenios populos in Peloponneso confines, & cognatos. Proceres enim utrorumque & qui regnum heic & illic tenebant, erant Heraclidæ, Cresphonte & Aristodemo fratribus Aristomachi filiis, Herculis pronepotibus orti. Simultatum causæ variæ recensetur a Pausania in Messenicis. Lacedæmonii querebantur, in divisione regionum occupatarum in Peloponneso majoribus suis fraudem fecisse Cresponthem, & ægris oculis aspiciebant Cresphontis posteros agrum possidere multo meliorem, cum ipsi se possessione ea digniores, & viribus plus posse judicarent. Accessit alia odii causa recentior, quæ diversimode a Laconibus & Messeniis exponitur, ut ex *Pausania* discimus: Lacedæmonii ajunt, Regem suum Teleclum, qui octavus fuit ab Eurysthene, ad solenne sacrum, quod utrique populo commune erat, cum virginibus Lacænis in regionem Messeniam ivisse, & ibi propulsantem a corporibus Lacænarum, quas ad stuprum rapiebant Messenii, a Messeniis esse occisum. Messenii credi volunt, Teleclum cupidine novandi res, ultro insidias proceribus Messeniis ad sacrum commune venturis, subornatis juvenibus ferro succinctis, sed habitu virginum tectis tetendisse, verum præoccupatum a Messeniis accurentibus fuisse cæsum, nec ejus cædis ergo quicquam tum a Lacedæmoniis fuisse motum. Et hæ quidem causæ belli, quod secutum est, longinquæ. Proxima hæc fuit. Regnante apud Lacedæmonios Alcamante Telecli filio, & ex familia altera Theopompo Nicandri filio, cui Ephororum principium adscribitur, Evæphnus quidam Lacon insigni fraude hospitem suum Polycharen Messenium, victoria Olympica nobilem, interversis bobus, quas ab eo pascendas acceperat, circumvenit, atque insuper filium ejusdem ad se missum interfecit. Qua de injuria maxima sæpius questus apud Lacedæmonios Polychares, & pœnas deposcens, cum ludibrio negligi se videret, in furorem

rem actus, Lacedæmonios ubicumque repertos trucidabat. Atque ad pœnam postulatus a Lacedæmoniis cum non dederetur, ob injurias priores illi illatas, & a deposcentibus neglectas, velut in iram exarserunt, qui jam dudum belli causam quærere putabantur. Mox dissimulato consilio arma clam parantes inter se conjurarunt, non ante bellandi finem contra Messenios se facturos quam eos subegissent. Omnibus vero paratis nocturno incursu Duce Alcamene Rege in oppidum Ampheam Laconicæ finibus proximum impetum repentinum & inopinatum fecerunt, & occupato eo crudeli cæde omnes ibi repertos trucidarunt: dein præsidium suum capto loco imposuerunt, ut pro belli arce eo in posterum uterentur. Accidit hoc, ut ait *Pausanias*, Olympiadis IX. anno secundo surgente. Hinc prædando magis quam præliando bellum a Lacedæmoniis gestum, cum præliorum copiam Messenii non facerent suadente eorum Rege Euphae Antiochi filio: oppida tamen aliquot oppugnata, sed nulla expugnata. Anno autem belli quinto, cum jam satis exercitatos in armis habere Messenios suos putaret Euphaes, & eosdem ira ardere contra Lacedæmonios animadverteret, exercitu educto ad flumen, quod patentem campum dirimebat, aciem ibi explicuit, & pugnæ copiam se facere demonstravit. Nec morati Lacedæmonii obvios se tulere, & commisso cum equitibus & levis armaturæ peditibus acri certamine, cum animadvertissent Messenios gravioris armaturæ per servos castra ibi communire, nec in pugnam descendere, retro pedem tulere. Domum deinde reversi, objurgati a senioribus majore vi anno sequente in Messeniam rediere, utroque Rege *Polydoro* Alcamenis nuper defuncti filio, & Theopompo exercitum ducente. Cum in hosticum ventum esset, & aperto in campo se objecissent Messenii, pugnatum est utrimque summa vi, & maxima animorum contentione, præsertim in acie media, ubi Mars dubius diu constitit. Nam in cornu altero Euphaes Theopompum pugnantem strenue in fugam se dare coegit: in altero Polydorus oppositos sibi Messenios superavit. Medias vero acies pertinacius præliantes nox tandem superveniens diremit. Postridie per inducias cæsi utrimque sepulchris conditi. Nec post hoc prælium proximis annis justis aciebus rursum dimicatum. Messenii propterea quod bellum in eorum regione gerebatur, multis rebus adversis premebantur, pecuniæ inopia, servorum transfugiis, morbo pestilente: consultantibus de rerum summa placuit tandem, desertis reliquis oppidis a mari remotis, *Ithomen* montem excelsum, præruptum, in cujus vertice oppidum erat non magnum sed pervetustum, insidere, & rebus necessariis omnibus communire. Quod cum fecissent & ex oraculo humana hostia litassent, visæ sunt res hostium in pejus sensim ire: certe segnius quam dudum res ab iis gestæ: bellum in longum extractum. Octavo demum post insessam Ithomen anno rursum summis viribus commissa acie certatum, juvantibus utrinque sociis, eventu eodem quo ante. Sed *Euphaes* Messeniorum Rex in Theopompi prætoriam cohortem vehementius invectus graviter vulneratus, & vix e manibus hostium a suis ereptus, atque in castra relatus post paucos dies ex vulneribus fato concessit. Tum de successione laboratum, quoniam ipse hæredem marem non relinquebat. Inter plures regni competitores e regio genere Aristodemus, cujus filia victima ante octennium volente patre mactata fuerat, suffragiis populi Rex factus, vir summus, si facinus in filiam excipias. Rursum vero lente ac remisse bellum administratum: populationibus res utrimque acta. Sed an-

A no regnantis *Aristodemi* quinto prælium iterum concurrit prope montem Ithomen, in quo cum Messeniis stetere Arcades, Argivi, Sicyonii, cum Lacedæmoniis soli ex Peloponneso Corinthii. Certamen pertinax fuit & diu anceps, virtus utrimque par, sed loci conditio Messeniis melior propter montem, quem a tergo habebant. Victi tandem Lacedæmonii terga verterunt. Cæsorum numerum *Pausanias* dicit ingentem fuisse, sed incertum. In parte victa Laconicæ militiæ flos periit. Ex quo tempore Lacedæmonii de belli fortuna pene desperantes consulto oraculo ad fraudes conversi in varias se formas mutarunt. Sed vigi-

B lante Aristodemo & ad omnia occurrente oleum & operam perdiderunt. Verum oportuit tandem fieri, quod fato erat destinatum. Itaque cum adesset jam belli hujus annus XX. Messeniorum res in deterius rursum labi, Ithome arctius obsideri, & commeatu prohiberi, multa frequenter accidere, quæ in omen lævum trahebantur, velut extremam cladem portendentia, eaque hominum animos turbare, Aristodemus quoque feralibus somniis terreri; quibus ille commotus, & jam de fortuna patriæ desperans, pro qua filiam unicam immolaverat, ad tumulum filiæ sibimet mortem

C conscivit, cum regnasset annos sex & menses aliquot. Hoc casu vehementer consternati Messenii perstitere tamen adhuc in defensionis proposito, quanquam fames quoque eos premere inciperet. Creatis itaque Ducibus, qui loco Aristodemi rebus præessent, ad eruptionem & prælium, velut de ultima fortuna dimicaturi, se pararunt, Sed diffisi viribus suis, & inedia atque omnium necessariorum inopia pressi, nec ullum afflictarum rerum exitum cernentes, ad ultimum consilium descenderunt. Itaque Ithome relicta, Lacedæmoniis se permisere mense v. post mortem Aristodemi, anno belli XX. jam fere exacto, cum flueret

D Olympiadis XIIII. annus primus. Lacedæmonii Ithomen solo æquarunt, urbes Messeniæ cæteras in potestatem suam facili opera redegerunt: reliqua pro arbitrio egerunt. Dedititiis has leges dixerunt, ut reversi ad sua agrum colerent, frugum omnium semissem tributi loco Spartanis solverent; jurejurando se obstringerent ad manendum in perpetuum in fide Spartanorum; denique ut tam viri quam fœminæ sumpta veste pulla Regum procerumque Laconicorum funera prosequerentur: secus facientes pœnas darent. Quibus hæ leges nimis graves videbantur, & jus hospitii apud Arcades, Argivos, Sicyonios, erat, istuc

E relicta patria se contulerunt. *Hic finis primi belli Messenii fuit.* Quievere deinde Messenii sub jugo hoc dolentes, & rixantes cum fortuna sua, sed necessitati Deæ sævissimæ parentes, per annos quasi XXXIX. ut affirmat *Pausanias*: quem heic potius quam *Justinum* aut *Trogum* sequimur.

Interea dum gereretur hoc bellum, anno ejus XI. fluente, qui erat primus Olympiad. XI. Syracusæ in Sicilia conditæ sunt a Corinthiis Principe Archia: quæ cum tempore sic crevere, ut colonia Metropolim amplitudine & opibus procul anteiret. Dehinc post annos circiter XXV. Olymp. XVII. ab iisdem

F Corinthiis re maritima potentibus, alia quoque colonia in insulam Corcyram litoribus Epiri objectam deducta est, quæ & ipsa paulatim res suas sic auxit, ut aliquot seculis post bello contendere cum Metropoli Corintho non dubitaverit. At paulo ante coloniam Corcyram deductam surgente Olymp. XVII. *Gyges* Merinnades occiso Rege & Domino suo Candaule Heraclide in Lydia regnare cœpit, Crœsi abavus. A quo Gyge Historiam suam inchoat *Herodotus*, dicitque regnasse eum annos

XXXVIII. belloque vexasse Miletum ac Smyrnam urbes Ioniæ, Colophonem etiam vi cepisse. Regnante eo, & durante adhuc quiete inter Spartanos & Messenios, Olympiade XXIII. surgente Athenienses plenioris libertatis desiderio, abdicato postremo Archonte decennali, qui ordine septimus fuerat, novem Archontes annuos crearunt, quorum unus anno nomen dabat, ac patriæ fastos signabat: quem eam ob causam *ἐπώνυμον* dicebant. Is tum fuit *Creon*. Atque hoc institutum mansit in republica Attica quamdiu qualiscunque libertas illic duravit. Creati suffragiis populi: constitutumque ut quotannis fieret idem, atque hoc modo omnis species monarchiæ, aut imperii unius abrogata, jactumque fundamentum status popularis cum statu optimatum mixtus, sed rudis adhuc & legibus nondum satis formatus. De quo dixi prolixius in descriptione reipublicæ Atticæ. Post IX. viros hos Athenis creatos anno octavo, qui erat Olympiadis XXIIII. annus quartus, Messenii præter conditiones duras & servituti proximas, contumeliis insuper variis ab insolentibus Spartanis diu pressi, ut aliquando se miseria illa liberarent, autore & hortatore Aristomene viro impigro in apertam defectionem a Spartanis erupere. Quam rem idem Aristomenes apud amicos vicinorum populorum, qui invisam potentiam Spartanorum habebant, & sibi quoque ab ea metuebant, jam ante clam præparaverat, & occultis pactionibus non paucos eorum obligaverat. Erant tunc Spartæ Reges *Anaxander* & *Anaxidamus*, ille Polydori nepos, hic Theopompi pronepos. Aristomenes Rex Messeniæ statim in primo belli ortu a suis dictus. Hic belli hujus molem solus pene sustinuit pro Messeniis, animi & corporis viribus præstans ac suspiciendus. Cujus ductu pugnatum cum hoste aliquoties, primum ad Deras vicum Messeniæ non magna vi, & fama obscura: deinde ad Apri monumentum magnis utrimque copiis & propriis & auxiliaribus, ubi superior fuit fortuna Messeniorum: tertio in agro Laconico ad Pharas oppidum non dispari eventu, sed victorum strage minore: quarto ad Fossam magnam in Messenia, ubi rursum concursum totis viribus sed fortuna diversa, fraude sociali. Nam *Aristocrates* Arcadum Dux, a Laconibus corruptus in ipso pugnæ initio, aciem cum suis, qui frequentes auxilio venerant, & consilii nefarii ignari erant, relinquens Messenios vehementer turbavit & Laconibus animos addidit. Itaque Messenii ingenti cæde correpti hostibus cedere, & fuga sibi consulere necessum habuerunt. A quo tempore fracti animis, desertis reliquis oppidis mediterraneis, solis Pylo & Methone in ora maris præsidio munitis, cæteri omnes recollecti, suasu Aristomenis, montem Iram, & oppidum in vertice ejus positum se receperunt. Inde frequentibus excursionibus & præliis minoribus certatum. Aristomenes cum cohorte non magna, sed valida, instar indomiti leonis huc illuc se inferens & audacter multa patrans bis in manus & vincula hostium incidit, & bis ex iis liberatus incolumis ad suos rediit. Postremo cum per indicium accepissent Lacedæmonii, propter tempestates & imbres præsidia quædam in crepidinibus Iræ deserta esse, rapta occasione, in montem enisi & vi summa munitiones & præsidiarios oppidi adorti, absente Aristomene, cæsis obviis quibusque Iram ceperunt. Factum id Olympiadis XXVIII. anno primo, cum durasset obsidio montis & oppidi annos XI. bellum gestum esset per annos XVI. Atque *hic belli secundi Messenii finis*. Victi qui ferro superarant, & patriam relinquere non volebant, duram servitutem subiere Heiloticæ similem. Erant autem *Heilotæ* servi Laconum publici, quorum patriam Helos in locis palustribus Lacedæmonii jam dudum exciderant. Hanc conditionem qui detrectabant, & qui Pylum & Methonem hactenus defenderant, ad Eleos se contulerunt, ut ex eorum ora classe profecti novas sedes quærerent. Qui accepti ab amicis & auxiliis pro præsenti fortuna benigne adjuti, Gorgo & Manticlo Ducibus ad Anaxilam tandem Rheginorum tyrannum vocantem venere in Italiam, & ex ejus voluntate Zanclen in Sicilia trans fretum e regione Rhegii occuparunt, & de patriæ suæ nomine Messanam appellarunt. Aristomenes juratus Spartanorum hostis, qui comitari cæteros & Ducem se præstare, quod rogabatur, recusabat, in hostes ruens mortem non procul Ira oppetiit. Regio Messenia Lacedæmoniis subjecta opera servorum culta, ut plurimum opes & potentiam eorum auxit, & in potestate dominorum eorundem mansit annos quasi CC. quamvis numerus Olympiadis apud *Pausaniam* aliud præferat, vitiosissime nimirum ibi scriptus.

Ante exitum belli hujus, Olympiadis XXVI. anno primo, *Gela* urbs in Sicilia nobilis ab Antiphemo Lindio ex Rhodo insula fertur esse condita, & anno sequente *Chalcedon* in Asia ad Bosporum Thracium a Cæcis Megarensibus: quemadmodum jam ante, Olympiadis XXIV. anno tertio, *Cyzicus* in Asia ad Propontidem, & *Locri* in fronte Italiæ, quæ magna Græcia dicitur, utraque civitas clarissima, coloniæ Græcorum.

Ejusdem etiam Olympiadis XXVI. anno III. Gyges in Lydia obiit, & filius ejus *Ardys* in regno successit regnavitque annos secundum *Herodotum* XLIX. Hic Prienen urbem Græcam in ora Asiæ, patriam Biantis bello cepit, & Milesios pressit: a Cimmeriis Asiam infestantibus graviter afflictus.

Zaleucus secundum *Eusebium* circiter Olympiadem XXX. Locrensibus in Italia leges scripsit valde laudabiles: quanquam alii, qui Pythagoræ discipulum eum fuisse perhibent, ad tempus multo posterius hoc ipsum referant, & quidem rectius. *Cypselus* vero Eetionis, Periandri parens, anno altero Olympiadis hujus XXX. dominatum Corinthi occupavit, tenuitque per annos XXX. Et quia Corcyra Corinthiorum colonia in obsequio conditorum suorum tunc erat, in eam quoque imperium usurpavit.

Byzantium, urbs celeberrima, Olympiadis XXX. anno tertio ad Bosporum Thracium e regione Cæcorum jubente oraculo, loco longe commodissimo conditum. Cæci autem intelliguntur Chalcedonenses, qui cum priores in ea vicinia urbem condere vellent, hoc loco neglecto alterum longe deteriorem ei condendæ elegerant. Conditores fuisse a quibusdam feruntur coloni eorundem Megarensium, qui Chalcedonem condiderant: quidam diversum sentiunt.

At Olympiade XXXI. anno ejus altero *Lampsacus* in ora Asiæ a Phocæensibus condita est, & *Abdera* in Thraciæ littore a Clazomeniis & Teiis instaurata.

Anno tertio ejusdem Olympiadis XXX. Selinus a Megarensibus condita in Sicilia. Sinope in Ponto a Milesiis, Lipara in insula Æoliarum maxima a Cnidiis Olympiadis XXXVII. anno incerto. Epidamnus seu Dyrrachium a Corcyræis Duce Phalio Corinthio in ora Illyrici, Olympiadis XXXVIII. anno tertio. De tempore Cyrenes in ora Africæ, quæ vergit versus Ægyptum, conditæ a Theræis colonis Lacedæmoniorum, urbis Græcæ maximæ & felicissimæ, valde variant autores, ut quid de eo certum statuas, scire non possis.

Interea *Cyaxares* Phraortæ, Deiocis nepos, Mediæ regnum iniit Olympiadis XXXVII. anno primo,

& id tenuit annos quasi xviii. cui bellum cum Alyatte Lydiæ Rege adscribit *Herodotus*. *Periander* vero Cypseli filius, unus ex septem Græciæ sapientibus, patri in dominatu apud Corinthios & Corcyræos successit Olympiade xxxviii. ineunte. De quo, ut & de patre, multa habet idem *Herodotus*, & nos non pauca in descriptione reipublicæ Corinthiæ & Corcyræ: quæ hoc loco consulto omittimus. *Sadiattes* autem Ardys filius Lydiæ Rex mortuo patre regnare cœpit Olympiadis ejusdem XXVIII anno tertio, & regnavit annos xii. Hic Miletum armis infestavit annos vi. bellumque non confectum filio Alyatti, ut ex *Herodoto* discimus, reliquit.

Interea *Draco* Archon Athenis leges tulit sanguine scriptas, ut dicebat Demades, id est, severas ac duras, Olympiadis xxxix. anno primo: quarum multas postea sustulit Solon.

Dehinc *Alyattes* Sadyatte natus Lydiæ regnum, quod cum patre vivente & volente totum quinquennium jam tenuerat adhuc juvenis, a patris morte solus iniit Olympiadis XLI. anno tertio, & ab hoc obitus paterni tempore vitæ & regni compos mansit totos annos LII. a regnandi vero principio quasi LVII. ut tradit *Herodotus*. Hic bello, quod a patre acceperat, Milesios in Ionia diu vexavit, omnibus sociis præterquam Chiis destitutos. Sed fortitudine & solertia Trasybuli, qui tum Princeps ejus civitatis erat, amicus Periandri Corinthii, quique Thalete familiariter utebatur, actum omnino egit. Quinetiam eo tandem devenit, ut rebus suis expedire putaret fœdus & amicitiam cum Milesiis & Thrasybulo jungere: quod & fecit. Idem a patris morte Cimmerios, qui avo regnante Asiam invaserant, eamque diu ferro flammaque vexarant, regno suo feliciter ejecit, Smyrnam urbem Ioniæ armis cepit, Clazomenas etiam bello petiit, sed sine successu dimittere eas coactus fuit.

Eodem regnante Alyatte *Athenienses* & *Mitylenæi* in Troade bello inter se contenderunt de Sigeio oppido agri Iliensis. De quo alia alii scriptores veteres memoriæ prodiderunt. *Strabo*, a quo *Diogenes Laertius*, *Polyænus*, *Eusebius*, *Suidas* non discrepant, tradit, contra Athenienses Phrynone Duce Troadem invadentes, quam Lesbii sibi vendicabant, a Mitylenæis cum classe & milite missum fuisse Pittacum e primoribus civitatis virum sapientia celeberrimum, ac septem Græciæ sapientibus adscriptum: & hunc variante aliquandiu fortuna rem contra hostes gessisse, socio armorum parum felice Alcæo Poeta, & aliquando vix fuga e discrimine pugnæ adversæ elapso, clypeo quoque, ut volunt quidam, amisso: tandem autem ex provocatione ad singulare certamen re devoluta, a Pittaco Phrynonem arte circumventum & telo trajectum occubuisse: sed ne sic quidem bello finito cum persisterent in armis Athenienses, intercessisse Periandrum Corinthium utriusque partis amicum, & bellum composuisse. At *Herodotus* multo antiquior istis, & temporibus rei gestæ proprior, nec Pittacum Mitylenæum, nec Phrynonem Atheniensem memorat, Alcæum solummodo infeliciter hoc bello pugnasse amissis etiam armis affirmat; verum Pisistrato Duce Athenienses de Troade contra Mitylenæos armis ait contendisse, Pisistratumque victorem Sigeio potitum Hegesistratum filium non justo matrimonio ex Argia fœmina sibi natum ei imposuisse: Mitylenæos autem quiete hunc possidere Sigeium non sivisse, sed bello continuato hostiliter eundem infestasse: postremo Periandri Corinthii studio bellum fuisse diremptum: leges pacis dictas esse has, ut quæ tum Mitylenæi, tum Athenienses eo tempore in potestate habebant, ea retinerent, cæteris abstinerent. Quæ ne discrepent inter se, ad diversa tempora sunt referenda: scilicet bellum cœpisse Athenienses Imperatore Phrynone, eo vero interempto rem porro esse gestam Duce Pisistrato tum nondum tyrannidis domi potito: demum Periandrum pacis autorem intervenisse, Sigeiumque mansisse in potestate Atheniensium ac familiæ Pisistrati, ut ostendit *Herodotus*, & post eum *Thucydides*. Phrynonis Attici Ducis interitum Chronologi conjiciunt in annum octavum Alyattis in Lydia regnantis, qui concurrebat cum Olympiadis XLIII. anno tertio.

Septennio post eventum hunc cum in Peloponneso celebraretur Olympias XLV. ipsorum ludorum tempore *Cylon* Atheniensis, vir priscæ nobilitatis, & Olympionica non incelebris, gener Theagenis tyranni Megarensis, stimulatus dominandi cupidine, & adjutus a socero conjuratisque factiosis civibus arcem urbis Atticæ repente occupavit, & re inopina totam civitatem turbavit; primus qui res novare, & libertatem popularem premere post IX Archontes annuos in civitate creatos, conatus est. Sed a civibus & Archontibus in arce obsessus, fameque & siti pressus ipse quidem cum fratre fuga tacita evasit, verum socii contra fas aut locis sacris supplices abstracti, aut in ipsis altaribus sedentes ab iratis civibus interempti sunt. Hinc civitas piaculo gravi obligata. Unde magni motus postea rursum extitere. *Herodot.* & *Thucyd.* Circiter idem tempus inter duas vicinas civitates, *Atticam* & *Megarensem*, diu armis certatum erat de jure Salaminis insulæ, sitæ ad oram, ubi utriusque civitatis fines concurrebant. Fueratque certamen illud pertinax, multisque cladibus Atheniensium vires exhauserat, ut tandem necessitas hos cogeret, bello abstinere & Salaminem Megarensibus relinquere. Quinimo lex quoque Athenis lata erat, ut capitale ei esset, qui in posterum de bello rursum movendo ad repetendam Salaminem ferre ad populum auderet. Vivebat autem tum Athenis, & opinione sapientiæ florebat *Solon* opibus modicus, nobilitate primus, ad Codrum Regem ex mente *Plutarchi* genus referens. Huic dolori erat, nobilem insulam cum urbe, in potestate Megarensium esse, quam juris Attici esse credebat, & sciebat, idque non ferendum arbitrabatur. Itaque hac cura aliquandiu tortus, ut & civitati consuleret, & periculum capitis declinaret, ingenio vafro utendum sibi putavit. Simulavit quippe insaniam, & insani habitu progressus in publicum, ac gestu, voce, sermone personam hujusmodi fingens, circumfuso populo & verba ejus observante, velut œstro correptus carmina in hunc finem a se composita recitabat, quibus ad arma sumenda pro recuperanda Salamine multitudo stimulabatur. Movitque multitudinis animos, quos jam ante istuc inclinare, & solo metu legis, a dicenda sententia absterreri noverat: & accessit Pisistratus audacia insignis, multitudini gratus, Soloni familiaris & sanguine junctus. Conclamatumque, legem turpem, ac civitate indignam abrogandam. Quo facto bellum decretum: Solon cum Pisistrato rei regendæ Dux designatus: ab his dolus viribus junctus, Salamis in potestatem redacta. Sed non quiescentibus Megarensibus & omnia moventibus alternatisque cladibus, tandem controversia judicio Lacedæmoniorum ab utrisque permissa. A quinque viris Lacedæmoniis ad hoc delectis, Solonis potissimum opera ac ingenio secundum Athenienses sententia lata. Sic in potestate Atheniensum Salamis mansit.

Olympiadis XLVI. anno tertio surgente idem *Solon* Athenis Archon ἐπώνυμος creatus volente civitate, novis scribendis & ferendis legibus, inductis

A plerisque legibus Draconis, durante magistratu suo operam dedit, civitatemque turbatam ob æs alienum & causas alias tranquilliorem constituit: eam in quatuor classes secundum census aut facultates divisit, σεισάχθειαν in gratiam fœnore ac debitis oppressorum induxit, Senatum universæ reipublicæ curandæ virorum CCCC. annuum, in quem singulæ tribus, quæ quatuor ex vetere instituto erant, centum conferrent, ordinavit. Et quanquam, ut erat sapientissimus & optimus, sapientiæ & æquitatis laudem hac νομοθεσίᾳ sua meruerit & invenerit apud bonos & æquos cum præsentes tum posteros, tamen hoc ei accidit, quod ipse dicere consueverat, in magnis scilicet rebus B administrandis difficillimum esse omnibus placere. Nam in σεισαχθείᾳ constituenda divites pariter & pauperes creditores & debitores offendit, aliisque etiam in rebus procerum & hominum plebeiæ sortis non paucis non satisfecit. Quamobrem invidia gravi oneratus, impetrata a civitate copia, ut se multis & variis inde nascentibus molestiis liberaret, discedens patria in decennem peregrinationem abiit, sperans interea temporis leges suas novitate nunc offendentes usu & consuetudine civibus fieri posse gratiores.

Solone in Ægypto & Cypro peregrinante *Astyages* Cyaxaris filius in Media regnare cœpit C Olympiadis XLVII. anno primo, celebrior ac in Historia notior majoribus suis ob fortunæ vicissitudinem. Hic ut regnum sic & bellum cum Lydis velut per manus a patre accepit, & per aliquot annos vario eventu, modo secundo, modo adverso gessit. Finem dicemus paulo post. Anno autem Astyagis quarto, qui ultimus erat Olympiadis ejusdem XLVII. commissum est in magna Græcia, quæ Italiæ pars est ad Sagram fluvium memorabile illud prælium inter Locrenses & Crotoniatas vicinos, in quo XV. millia Locrensium fu- D disse CXX. millia Crotoniatarum memoriæ proditum est. Unde proverbium ortum de re pene incredibili ἀληθέστερα τ' ἐπὶ Σάγρᾳ. Pugnatum esse hora matutina, & diei ejusdem vespera fama de eo Athenas, Corinthum, Lacedæmonem pervolasse vetustas tradit.

Anno autem ab hoc proximo, qui fuit Olympiadis XLVIII. primus, *Periander* Corinthiorum tyrannus, ex numero VII. Græciæ sapientum, Corinthi obiit, cum dominatum a morte patris tenuisset per annos XL. & simul rerum apud Corcyræos Corinthiorum colonos potitus esset, Prin- E ceps magis immitis quam sapientem decebat: qui Thrasybuli Milesii amici sui mystico monitu eos, qui in civitate eminebant, tollebat e medio, aliaque patrabat laude non digna: amicus Alyattæ Regis Lydiæ. Eo mortuo dominatus quoque apud Corinthios paulo post expiravit, & populi libertas revixit. Interim Astyages Medus & Alyattes Lydus bello inter se contendebant. Cujus belli ac regni Astyagis anno septimo id accidit, quod perperam regno Cyaxaris ab *Herodoto* est adscriptum. Quod ut cum autoribus aliis statuamus, flagitant rationes astronomicæ. Res vero sic habet. Cum starent u- F trimque ad dimicandum paratæ acies, & sibi mutuo imminerent, aut, ut habent verba *Herodoti*, jam inter se pugnam cœpissent committere; victoriaque adhuc hæreret anceps, ecce sol defecit, & tenebras tantas terris induxit, ut dies in noctem mutari repente videretur. Qua re inopina tanquam prodigio consternati omnes pugnare utrimque desierunt, & in diversa pedes retulerunt. Defectum hunc accidisse astrorum leges docent Olympiadis XLVIII. anno tertio, periodi Julianæ quater millesimo centesimo vicesimo nono, die XXVIII. mensis Maii, eo scilicet momento, quo Thales Milesius Solem obscuratum iri Ionibus suis aliquandiu ante prædixerat. Mox cum belli satietas utrosque cepisset Medos Lydosque, & intercederent etiam Reges vicini, Babylonius & Cilix, pax inter Astyagem & Alyattem composita fuit, atque ad eam firmandam tum jusjurandum mutuum datum, ritusque alii istis gentibus solennes usurpati; tum Alyattis filia Ariane, Crœsi soror, matrimonio Astyagi juncta. Ita qui hactenus hostes infensi fuerant, affines & amici facti.

Olympiadis deinde XLIX. anno tertio Alcetas Æropi filius ex Heraclidarum genere post patrem in Macedonia regnare cœpit, nulla regesta celebris.

Olympiade LII. surgente *Phalaris* ex Creta ortus Agrigenti in Sicilia tyrannidem occupavit crudelitate infamis. Quamdiu vero tyrannidem tenuerit, incertum, variantibus plurimum veterum sententiis. Periit lapidibus obrutus a populo Agrigentino, Duce & multitudinis concitatore Telemacho. A quo tempore populus Agrigentinus dicitur libertatem conservasse per annos plus minus CL.

Et circiter hoc tempus post Olympiadem L. *Pythagoras* Samius putatur in Italiam venisse, & sedem istic fixisse, & doctrina sua multos erudiisse, qui ex nomine ejus Pythagoræi sunt nuncupati.

Olympiadis vero LII. anno quarto, *Amasis* in Ægypto everso per fraudem domino suo, Rege Aprye, regnum invasit, idque tenuit per annos XLIIII. usque ad annum V. Cambysis Persiæ Regis.

Haud diu post Amasis principium, cum jam Solonis legibus florerent Athenæ, sed populus in partes rursum scinderetur, & litorales Megaclem Alcmæonis filium, Ducem haberent, campestres vero Lycurgum Aristolaide genitum, utrumque in civitate potentem, *Pisistratus* Hippocratis in occasionem id vertens, civis nobilissimus, & Soloni diu carus, tertiam ipse factionem excitavit in qua multi erant fortunæ tenuis & angustæ, eique sese caput imposuit. Hoc deinde successu fretus, ut erat potentiæ cupidus, & ingenio vafer, egregie viam sibi munivit ad dominatum in civitate invadendum; quanquam objiceret se omnibus modis Solon domum reversus, & primores æque ac cæteros impense moneret, ut a blanditiis & insidiis viri versipellis caverent, quin imo armis quoque indutus se Ducem contra eum offerret. Etenim in agro cum esset, vulnerans semet & jumenta, quibus vehebatur, velut e manibus inimicorum elapsus in urbem venit, ac per medium forum vectus deque periculo questus, ut erat sanguine turpatus, paucos corporis sui custodes a populo petiit impetravitque: mox eorum numero pari arte adaucto per eos arcem urbis occupavit, denique eo pervenit, quo voluit, cum jam flueret annus secundus Olympiadis LIII. Audiit vero omnium tyrannorum optimus & mitissimus, vel ipsius Solonis testimonio. Nam neminem occidit, nec quenquam in exilium egit, nullius fortunas rapuit, neminem alia injuria aut contumelia affecit, non fœminas, non mares per libidinem violavit. Leges quoque Solonis cum aliis civitatis institutis integras conservavit, magistratuum ordinem, qualis esse solet, reliquit, Solonem maxime adversantem sibi in honore habuit, & abiturientem benignissimis verbis in urbe retinere studuit, sola potestate legibus majore contentus. Quam ob causam *M. Cicero* suo tempore C. Cæsarem eidem semitæ insistentem Pisistratum solet appellare. Verum *Pisistratus* ne sic quidem conservare dominatum diu potuit. Nam nondum triennio elapso cum iniisset Olympias LIIII. ab æmulis Megacle & Lycurgo conspirantibus civitate est ejectus. Adoleverat interea in Persia imperio maximo destinatus divinitus *Cyrus* Cambysis Persæ filius, Astyagis Mediæ

A Regis ex filia unica Mandane nepos. Hunc adhuc infantulum recens natum avus Astyages somniis turbatus, quæ nepotem regno Orientis potiturum dicebantur portendere, ideoque sibi ab eo metuens, Harpago procerum suorum fidissimo necandum tradiderat. Harpagus autem dirum facinus, & sibi periculo futurum apud infantis matrem sceptri paterni hæredem, pecoris regii custodi evocato exponendum in sylvis, ut illic vel fame, vel laniatu ferarum periret, demandaverat. Sed frustra fatis, id est, destinationi divinæ obsistebatur. Nam pecorum custos domum cum infante reversus, cui interea, dum ipse abfuerat, uxor Spaco filium pepererat, in ipso pariendi labore extinctum, desiderio & consilio conjugis puerperæ obsecutus re-
B gium puellum forma egregium pro suo alendum & educandum illi permisit: suum fasciis regalibus involutum, & cistulæ eidem, quam secum ab Harpago acceptam attulerat, impositum alterius loco supposuit: omnia denique ita comparavit, ut Harpago fidem faceret, mandato ejus se paruisse, & Harpagus porro Regi. At Cyrus inter pastores enutritus cum in ludo puerorum æqualium jam decennis consensu omnium propter insignem, quæ in eo jam tum elucebat, indolem Rex forte creatus esset, & pro officio regio ex subditis puerum collusorem magnatis Medi filium ob non præstitum obsequium a ministris cædi verberibus jussisset, querelæ hac de re velut contumelia familiæ nobili irrogata ad Regem Astyagem delatæ fuere. Qua oc-
C casione cum in negocium totum inquisitum esset diligentius, agnitus ab avo Cyrus est, totaque fabula ab avo detecta: Harpagus ob neglectum mandatum Regis in summum periculum delapsus, comestis velut ferinis carnibus filii sui, quem Rex propterea clam ipso mactari curaverat, vix regiæ iræ potuit satisfacere. Ipse Cyrus, cum vates interrogati affirmassent, jam casu illo, quem somnia portendebant, eum plene defunctum esse, nec superesse metum ullum ex regno ejus alio, ab avo ad
D parentes in Persiam fuit missus. Ibi cum ætate gratia quoque crescens, & authoritatem nactus inter suos, nec jam privata fortuna contentus, atque interea per occultas literas ab Harpago etiam contra avum stimulatus, animatis ad audendum Persis, quos imperii Medici jam dudum tædebat, ab avo cum iisdem defecit, & regnum sibi constituit. Id factum cum flueret Olympiadis LV. annus primus, concurrens parte sui priore cum anno periodi Julianæ quatermillesimo centesimo quinquagesimo quarto, urbis Romæ conditæ centesimo nonagesimo quarto, ante caput æræ Christianæ quingentesimo quinquagesimo tertio. Tulit id indigne avus,
E & missis in Persiam legatis a cœpto dimovere eum conatus fuit. Verum cum hoc frustra esset, arma sumpsit, & infelicissimo consilio Harpagum iis præfecit, immemor contumeliæ summæ, qua ipsum olim affecerat: cujus contumeliæ dolor quamvis egregie fortiterque a læso erat dissimulatus, tamen alta mente repostus eum perurebat. Itaque cum acies essent collatæ, fraude Ducis Medorum copiæ statim dissipatæ fuere: multi etiam ex his ab Harpago jam ante persuasi cum ipso ad Cyrum transiere. Durius enim non solum Persis, & reliquis regno Medico subjectis, sed ipsis quoque Medis A-
F styages jamdudum imperaverat, qua generosi animi sine dolore possent ferre. Hic casus gravissime perculit animum senis Regis, & maximo dolore velut telo eum transfixit. Et quanquam vindictæ cupido senem stimularet, tamen metus majorum malorum, siquid rursum armis moveret, præsertim cum suis jam ipse diffideret, ad tempus quiescere eum, ac res domi componere coegit. Vates autem, quorum responsis fretus Cyrum in Persiam dimiserat, comprehensos, & patibulis suffixos pessima morte perdidit. Cyrus interea res suas firmavit. Nondum quadriennium exierat post primos Cyri motus, & regnum apud Persas initum, cum Crœsus Alyattis filius, defuncto patre, regnare in Lydia cœpit sub exitum Olympiadis LV. ille qui tempore regni sui audiebat ditissimus, & haberi volebat beatissimus: qui Græcis civitatibus in continente minoris Asiæ omnibus potitus est, & cum se ad insulanas quoque invadendas struenda classe pararet, persuasus a Biante Prienæo proposito destitit. Anno autem post Crœsi initium proxime sequente, qui erat primus Olympiadis LVI. *Chilo* Lacon e numero VII. sapientum Græciæ, Ephorus Spartæ fuit, putaturque ex ἐπωνύμοις primus fuisse. Eodem anno, cum ii qui conjuncta opera Pisistratum Athenis ejecerant, in discordiam veterem relaberentur, de primatu inter se certantes, alter eorum Megacles stipulatus nuptias filiæ suæ, quam redux Pisistratus duceret, concinnato insigni sed æque ridiculo dolo, Pisistratum in urbem revocavit. Verum ille in integrum restitutus, filiæque Megaclis matrimonio junctus, ut filiis e priore conjuge sibi natis jam adolescentibus res suas integras relinqueret, nec domum suam piaculo contaminaret, matrimonii lege abusus, ne sobolem ex nova nupta tolleret, offenso vehementer socero, ejusdem opera urbe totaque regione decedere rursum coactus fuit, cujus ope in eam redierat.

At vero *Amyntas* Alceta mortuo regnum Macedoniæ iniit, ut vult *Eusebius*, Olympiadis ejusdem LVI. anno quarto: quo nemo diutius apud Macedonas regnavit. Sceptrum enim tenuit annos L. Alexandri Magni atavus, Philippi abavus, Amyntæ II proavus.

Anno proxime sequente, qui erat primus Olympiadis LVII. *Astyages* exitium molitus Cyro nepoti suo, armis tandem resumptis captus in acie regno & vita exutus est. Is finis regnandi apud Medos fuit; regnum ad Cyrum & Persas translatum. Et eodem fere temporis tractu, aut paulo post Crœsus, id quod ante factum ab eo dixi, urbes Ionicas Æolicasque in minore Asia sibi parere coegit. Ad quem rebus secundis florentem, & sibi plaudentem, majoraque animo versantem venit invitatus & benigne exceptus Solon Atheniensis. Qui cum fidentem fortunæ blandienti, & opes suas ostentantem cerneret, & magnifice quoque loquentem audiret, de vanitate atque incertitudine rerum talium, ac sortis humanæ inconstantia gravissimis verbis eum monuit; dixitque felicitatem istam in annos, menses, dies esse mutabilem, & plerunque eos, qui illi fidunt, maxime fallere, sed surdo, quod ajunt, fabulam. Nam qui ridentis vultum hactenus tantum viderat, eam lubricam & fallacem esse, persuaderi facile non poterat. Itaque persuasione hac dementatus, & fortuna velut ebrius post Solonis abitum viam sibimet struxit ad ruinam. Volens enim Astyagis sororii sui sortem ulcisci, & simul majoribus rebus inhians, Delphis Apollinem, de quo bene se meritum putabat (nam ἀναθήματα magnifica & ingentis pretii haud parvo numero missa dudum ei dicaverat) per legatos sciscitatus est, quem belli successum expectandum haberet, si ad oppugnandum Cyrum Halym fluvium terminum regni sui (eousque enim omnia sibi in Asia jam subjecerat) cum exercitu transiret. Ad quod responsum hujusmodi tulisse perhibetur. Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Quod ille fretus felicitate sua pro se interpretatus ad Halym transmittendum, & regnum Cyri invadendum se paravit alacriter. Oraculum hoc lubricum redditum ei traditur Olympiadis LVIII. anno secundo.

Dein cum ſatis ſe rebus omnibus inſtruxiſſet, & Haly ſuperato in hoſticum tranſiſſet Olympiadis LIX. anno primo, ingenti prælio victus a Cyro celeri fuga in regnum ſe recepit. Et cum copias ibi inſtauraſſet, a perſequente victore in Lydia denuo ſuperatus, ac Sardibus obſeſſus, urbe ſolio regni ſui capta in poteſtatem victoris venit. Ita repente omni fortuna priore exutus, & demum ob bellum injuſte ac petulanter motum, ut vivus uſtularetur, rogo impoſitus fuit. Tum miſer in extrema hac calamitate recordatus monitorum Solonis alta voce clamare cœpit, o Solon, Solon, Solon. Id cum Cyrus accepiſſet, intellexiſſetque, quid vox ea ſibi vellet, commotus animo, & fortunæ ingenium expendens, cum interea largus imber cœlo forte delapſus flammam comprimeret, Crœſum e rogo juſſit tolli, & apud ſe in honore, ac numero eorum, quorum conſilio maxime utebatur, habuit in poſterum, quoad vixit. Et Crœſus hoc caſu ſuo doctus multo factus fuit ſapientior, uſurpavitque de ſe hoc, τὰ παθήματα τὰ ἐόντα ἀχάρισα, μαθήματα μοὶ γεγόνεε. Cui & iſtud *Herodotus* tribuit. Κύκλος ἐςὶ τῶν ἀνθρωπηΐων πρηγμάτων, ὁ περιφερόμενος ἐκ ἐᾷ αἐὶ τὰς αὐτὰς εὐτυχέειν.

Interea *Piſiſtratus* in Græcia e patria profugus & Eretriæ in Eubœa commoratus ſequens conſilium Hippiæ filii majoris de dominatu repetendo, corraſis undique pecuniis, & amicorum ſubſidiis, & ex inſula in continentem trajiciens Marathonem primum occupavit oppidum agri Attici, & illic factionis ſuæ hominibus ex urbe & agro collectis, qui ad ipſum confluebant, prælium commiſit cum Athenienſibus urbe eductis, qui pro libertate faciebant, victoriaque parta Athenas denuo rediit, ac tum firmius quam prius dominatum ſtabilivit, attamen ἀναίμακτον, eumque deinceps ad finem vitæ conſervatum filiis ſuis reliquit. Alcmæonidæ vero cum Megacle & cæteris, ejuſdem factionis dominatus impatientes, forſan etiam ſibi metuentes, ſponte in exilium abiere. Solon ſenio jam feſſus domi manſit, nihil a Piſiſtrato paſſus, imo honore præcipuo ab eo cultus.

Et circiter idem tempus, ut notat *Herodotus*, ob Tyream agri Argolici partem, quam occupaverant Lacedæmonii, ex conventione inter CCC. Lacedæmonios & totidem Argivos, pertinaciſſime ad internecionem uſque, ut tres tantum ex ſexcentis incolumes ſupereſſent, pugnatum eſt: dein cum victoria videretur incerta, totis exercitibus concurſum, ſecunda Spartanorum fortuna. Lydia cum Crœſo ſubacta Græci Aſiatici a Cyro victore ſibi metuebant. Itaque communi conſilio Iones atque Æoles legatos ad eum Sardes miſerunt, qui deditionem ultro offerrent, ſi iiſdem, quibus Lydi, conditionibus reciperentur. Verum Cyrus alienius legatis reſpondit, per apologum exprobrans iis, quod non recto pede incederent. Se enim ſignificabat, cum in Crœſum bellum gereret, per legatos ſollicitaſſe Ionas, ut a Crœſo deficientes ad amicitiam ipſius ſeſe conferrent: ſed Ionas ipſo rejecto conſtanter partibus Crœſi inhæſiſſe, ac nunc demum illius rebus prolapſis ad victorem venire, & ante rejecta ſibi offerre. Quæ cum legati ad ſuos retuliſſent, conſternati omnes, & ad muniendas urbes ſuas ſinguli converſi, Iones quidem in Panionio, quod erat commune nationis ejus concilium (exceptis Mileſiis, qui jam ante bonis legibus cum Cyro tranſegerant) & Æoles in Panæolio deliberandi gratia coiverunt. Ibi Ionibus placuit, qui in continente ſedes habebant, & ſe periculo proximos exiſtimabant (inſulani, quoniam loco ſe tutiores rebantur, ab hoc conſilio ſe ſegregabant) legatos de ſocietate & ope Spartam mittere. Æolibus viſum, præterquam inſulanis, idem quod Iones ejuſdem conditionis ſentientibus, Ionum conſilium in omnibus ſequi. Legati igitur utrorumque Spartam ocyſſime profecti in concilio omnium Laconum hanc ob rem convocato, verba faciente Pythermo Phocæenſi mandata ſuorum expoſuere, diligenterque & prolixe ea concioni commendarunt. Sed de auxiliis, quod caput negocii erat, impetrarunt nihil. Myoparon tantum, genus navigii minoris eſt piraticæ aptum, vectoribus idoneis inſtructus a Spartanis comes datus legatis ad exploranda Cyri conſilia & ſucceſſus. Qui Phocæam cum appuliſſent, *Lacrines* illuſtris inter ſuos Sardes miſſus eſt, qui Cyrum moneret, ut ab injuriis Græcorum abſtineret. Hujus ſermone audito, Cyrus percontatus circumſtantes Græcos perhibetur, quinam homines, & quot numero eſſent Lacedæmonii, quorum nomine verba faceret & mandata perferret Lacrines. Et de re edoctus Lacrini dixiſſe dicitur, nunquam ſe metuiſſe id genus hominum, qui in media urbe ſua locum haberent vacuum, in quo frequenter coeuntes juramentis ſe mutuo fallerent: ſe, ſi incolumi ſibi eſſe liceret, effecturum, ut ii neceſſum habeant non Ionum, ſed propria incommoda ſua deplorare: verba hæc torquens, ait *Herodotus*, in omnes Græcos, quibus in more ſolet eſſe, fora in urbibus habere, & in iis emendi vendendique gratia prope aſſiduo verſari, cum nihil tale in uſu eſſet apud Perſas. Verum tunc Cyrum curæ aliæ majores in orientem redire compulerunt. Ionum cura & vicinorum populorum aliorum Ducibus aliis ab eo commiſſa: maxime cum Lydiæ res a *Pactya Lydo*, quem Sardibus diſcedens theſauris præfecerat, turbari ſibi in itinere cognoviſſet. Qua re commotus vehementius[1], & ira non in Pactyam ſolum ſed & in univerſos Lydos incenſus, & de iis perdendis conſilia animo jam verſans, ſed a Crœſo captivo, quem ſecum in orientem ducebat, mitigatus, ejuſque conſilio vafro ad effœminandos potius quam exſcindendos Sardenſes Lydoſque obſecutus Mazarem Medum in Lydiam cum imperio remiſit. Ab hoc Sardes, quas Pactyas occupaverat, receptæ, Pactyas profugus ad Cumæos primum, deinde ad Mitylenæos, demum ad Chios, a quibus omnibus eum Medus arma minitans repoſcebat, vendentibus ſupplicem Chiis, in poteſtatem redactus, & cuſtodiæ traditus. Mox arma ab eodem contra adjutores & ſocios Pactyæ ſumpta, Priene afflicta, alii in Lydia caſtigati: cum his Mazares fato eſt functus. Huic a Cyro ſurrogatus Harpagus Medus etiam natione, ſingulari fide & beneficiis ipſi jam olim cognitus. Is telam, quam prior cœperat, pertexere majore vi exorſus civitates Græcas in Aſiæ ora exercitibus cinctas, ductis ad mœnia aggeribus expugnavit. Initium fecit a Phocæa urbe ad mare optime munita: cujus cives cum impares viribus ſe Harpago & Perſis cernerent, & tamen ſervitutem ferre nollent, tempus unius diei velut deliberandi cauſa cum hoſte pacti, cum conjugibus & liberis rebuſque aliis conſcenſa claſſe, quam paratam habebant, in Chium trajecerunt: inde in Tyrrhenum pelagus enavigantes in Corſica inſula aliquandiu ſubſiſtere: & illinc quoque ejecti, & variis heic illic jactati caſibus, ac malis confecti maximam partem periere. Qui reliqui fuere, ad Galliæ litus tandem appulſi illic urbem condiderunt Maſſiliam apud poſteros inclytam. Hos imitati ſunt ex Ionibus ſoli Teii in eadem ora maritima ſiti, ſimiliter ab Harpago operibus & vi circumventi ſuperatique, ſed fortuna meliore. Nam odio dominatus Perſici naves etiam ingreſſi relicta patria Abdera Thraciæ, petiere coloniam Clazomeniorum, ſed pulſis colonis Græcis a Thracibus vicinis vaſtatam, ibique ſedibus poſitis

eam, quæ diu post inter alias illius litoris floruit, urbem in ruinis prioris instauratam statuerunt. Cæteri Iones in continenti, uti & Æoles, vi ac necessitate coacti imperio Persico se subdiderunt, exceptis Milesiis, qui, ut ante dictum, mature, citra vim, conditione meliore cum Cyro pacti fuerant. Tum insulani quoque perculsi animis, sponte sua idem imperium subierunt. Atque hæc, ait *Herodotus*, altera fuit, quam Iones subierunt, servitus. Post quæ exercitus ab Harpago in Doridem, reliquamque Cariam & Lyciam ductus. In Doride Cnidii urbem suam peninsularem perfodiendo isthmo insularem facere aggressi, cum adhuc in Ionia occupatus esset Harpagus, sed primum prodigio territi, deinde oraculo moniti a cœpto destitere, ac sine certamine advenienti Harpago se permisere. Et ut Dores reliqui, sic etiam Cares, præterquam Pedasii & pauci vicini Halicarnasso finitimi, & Caunii, qui resistere ausi fuere, fortunæ quoque, nulla defensione tentata, cessere. In Lycia Xanthii, quorum maxima erat ejus regionis urbs, post infelicem pugnam in urbem se recipientes, inaudito ad id tempus facinore, in extremo suo casu conjuges, liberos, familiam reliquam, & quicquid præterea carum habebant, ab injuria & violentia hostis vindicarunt: ipsi in hostem rursum euntes, devotis obstinatisque in mortem animis, omnes fortissime præliando occubuerunt. Sic omnis hic Asiæ inferioris tractus ab Harpago sub imperium Cyri coactus fuit. Interea Cyrus ipse in superiore Asia populos diversos armorum vi sibi parere coegit. Tum in Nabonidum, quem Labynitum *Herodotus* vocat, & falso Nitocreos Reginæ celeberrimæ filium esse existimat, Darium Medum a Daniele Propheta nuncupatum, Babylonis & Chaldææ totius atque Assyriæ Regem potentissimum, Crœsi quondam amicum, summis viribus se vertit, acieque victum Borsippam fugere compulit circiter mediam Olympiadem LIX. Eo fugato Babylonem urbem longe munitissimam & ma-

A ximam, ac toto orbe clarissimam cœpit obsidere, obsessamque tandem Olympiadis LX. anno primo consilio magis quam vi redegit in potestatem. Dein paulatim reliquum latissime patentem orientem non sine difficili labore subegit, & Monarcham se constituit, Nabonidum quoque ad se confugientem recepit in gratiam, ac gentem Judaicam ex captivitate Babylonica domum redire permisit.

Post hæc, ut tradit *Herodotus*, Cyrum cupido incessit, Massagetas, gentem Scythicam trans Araxem fluvium habitantem, cui tum Regina erat Tomyris, imperio suo subjiciendi. Itaque cum frustra prætextu nuptiarum redigere eos in potestatem B tentasset, ducto illuc ingenti exercitu, & flumine Araxi pontibus juncto, secutus consilium Crœsi flumen transiit, tertiamque gentis partem a Regina cum filio præmissam, astu circumventam partim cecidit, partim vivam cepit, & in his ipsius Reginæ filium Spargapisem. Deinde frustra a Regina monitus, ut proposito absisteret, cum ea ipsa totam reliquam gentem ducente difficillimo prælio congressus, cum magna exercitus sui parte pugnans occubuit, cum regnasset annos, ut *Herodotus* vult, XXIX. ut alii tradunt, XXX. Cujus caput a trunco recisum Tomyris victrix in utrem humano sanguine repletum jussit C demergi, cum hoc elogio: *Satia te sanguine, quem sitivisti:*

Heic finit Herodotus Historiæ suæ librum primum, multa præter hæc complexum, quæ ad seriem rerum actarum, præsertim Græcarum, proprie non pertinent, ideo consulto a nobis heic omissa. Quæ proxime sequuntur apud eum, descriptio videlicet Ægypti prolixa, & series eorum, qui in ea regnarunt usque ad occupatam eandem a Persis, complent totum librum secundum, ea etiam nos in hoc opere contracto præterimus, & de Cambyse, D quæ istis subjiciuntur Herodoti libro tertio, libri nostri secundi initio constricta breviter persequemur.

RERUM VETERIS GRÆCIÆ FLORENTIS ex HERODOTO

LIBER SECUNDUS.



CYRO perempto filius *Cambyses* successit Olympiadis LXII. anno tertio, patris dissimillimus, sævitia & sceleribus variis apud posteros infamis, facinore excoriati injusti judicis, & filii ejus in tribunal corio parentis instratum collocati commendatus. Is cum duas sorores suas Atossam & Meroen, matrimonio sibi junxisset contra morem patrium, multaque alia insolenter gessisset, ad invadendam Ægyptum, in qua Amasis tum adhuc regnabat, cui ob negatam matrimonio suo filiam ipsius infensum se profitebatur, cum revera causam contra ipsum quæreret, exercitum ingentem ex Græcis pariter & barbaris collectum comparavit. Quo jam parato, anno regni sui quinto ineunte, iter ingressus per Arabiam in Ægytum contendit, Amasi jam mortuo, & filio ejus Psammenito recens locum defuncti adepto. Eo ad Pelusium acie pri-

E mum victo profligatoque, deinde in urbe Memphi obsesso, captoque, atque interim vicina Africa cum Cyrenæis & Barcæis in deditionem quoque accepta, nullo porro negocio totius Ægypti potitus est. Tum Psammenitum cum proceribus Ægyptiis spectaculo miserrimo liberorum cruciatum, ob commodum responsum de re mira, in gratiam recepit: mox molitionis novarum rerum insimulatum mori coegit. Amasis etiam corpus in urbe Sai sepulchro extractum & variis contumeliis affectum igne cremari jussit. Dein rebus Ægyptiis vicinisque constitutis, exercitu trifariam diviso ternas expeditiones simul F suscepit, contra Carthaginenses, Ammonios, Æthiopas. Quarum prima statim evanuit, Phœnicibus quibus eam potissimum destinaverat, contra cognatos suos bellum gerere recusantibus, eorumque exemplum sequentibus Cypriis: altera exercitu universo per deserta & arenosa loca iter faciente, arenis quas venti commoverant, obruto, infelicem exitum sortita est; tertia, cui ipse præfuit, cum exercitus in itinere per solitudines commeatu desti-

tutus, & fame confectus ac ad nefandas cædes & pastus necessitate adactus, progredi nec posset, nec vellet, etiam in fumum abiit. Sic omnia adversa expertus cum Memphim revertisset, velut efferatus sævitiæ habenas laxavit: post violatam Ægyptiorum religionem cæde Apis, somnio offensus, per Prexaspem in Persiam missum unicum fratrem germanum Smerdem occidit: sororem, eandemque conjugem Meroen, quam secum in Ægyptum duxerat, ob cædem fratris dolentem & lachrymas fundentem interemit: Prenaspis fidissimi ministri de temulentia minuenda benigne monentis filium spectante parente sagitta trajecit, & nefario facinori verba nefaria addidit; Crœsum quoque iræ furentis impetum fuga declinantem interfici jussit: id jussum frustrantes mala morte affecit, aliaque patravit similia. Quæ cum modum non haberent, rumor advenit Smerdem in Persia regnare. Quo commotus, & aspere in Prexaspem invectus, existimans eum fratri Smerdi pepercisse, & vix ei alia omnia affirmanti dolumque in Persia concinnatum confessione nuncii istinc a regnante missi redarguenti placatus, ex Ægypto in Persiam, quam potuit celerrime contendit, Smerdem, quicumque is esset, ulturus. Sed cum Ecbatana Syriæ urbem pervenisset, insiliens in equum suomet gladio vagina excusso graviter vulneratus, ac de vita desperans, primoribus Persarum ad se vocatis ultione demandata ibidem exspiravit, anno regni octavo fluente, qui fuit Olympiadis LXIII. tertius.

Hic annus qui proxime antecessit, septimus scilicet regni Cambysis, insigni charactere cælesti notatus est a Ptolemæo lib. V. μεγάλης συντάξεως per eclipsim Lunæ Babylone observatam, quam accidisse notat Nabonassareæ æræ Chaldæorum anno CCXXV. die XVII. Phamenoth mensis Ægyptiaci, qui dies tum concurrit cum die 16. Julii in anno periodi Iulianæ 4191. Hæc nota vacillare tempus regni Cambysis non sinit.

Cambyse in Ægypto agente Lacedæmonii auxilium rogati a Samiis exulibus, quos Polycrates Samum tyrannide a multis jam annis premens, prodigiosa felicitate celebris, domi sibi suspectos, honesta specie, velut Cambysi in Ægyptum eunti subsidio classiario futuros, sed nunquam in patriam redituros, re cum Cambyse composita, ablegaverat, Samum cum Polycrate bello petiere. Verum fortiter resistente Polycrate, cum XL. dierum obsidione & oppugnatione urbem tum longe florentissimam & opibus ac operibus validam pressissent, re infecta domum rediere. Hanc primam fuisse expeditionem a Doribus Spartanis adversus Asiam susceptam *Herodotus* affirmat. Exules Samii conatu hoc frustrati post varios casus tandem in Cretam se contulere, atque illic Cydoniam urbem condiderunt. Polycrates vero, haud diu post vivente adhuc Cambyse, sed in extremis versante, ab Orœte Persa Sardium præside, nulla re ab se læso fraudulenter circumventus, Magnesiæ in crucem actus tetra morte periit, miserrimo exitu longam & stupendam felicitatem terminans, tyrannorum sui sæculi magnificentissimus ad imperium maris, & dominatum Græciæ adspirare animo ausus, Regum & Principum magnorum & multorum quondam amicus. Quem exitum somnio filiæ ejus præsago conformem fuisse *Herodotus* dicit. Orœtem vicissim & hujus & aliorum facinorum similium autorem brevi post ultus est Darius Rex, qui eum statim initio imperii sui per Bagæum Persam Artontis filium Sardes missum indicta causa nec opinantem trucidari curavit. Mors utriusque & Polycratis & Orœtæ incidit in Olympiadem LXIIII. fluentem, sed in annos diversos. Ad Smerdem in Persia regnantem redeundum.

A Is genere Medus, secta Magus, cum a Prexaspe Cyri filius ejusdem nominis Susis esset interfectus, eaque cædes adhuc paucis innotuisset, instigatus a fratre, quem Cambyses in Ægyptum iturus domui suæ procuratorem dederat, mentiens personam interfecti, cui non cognominis solum, sed & vultu persimilis erat, sed quondam a Cyro ob maleficium auriculis truncato, absente Cambyse Persis jam perquam inviso, regnum sibi sumpserat. Simul missis nunciis ac literis tum in alias provincias, tum in Ægyptum, ubi Cambyses cum exercitu agebat, publicari curaverat, se, Smerdem Cyri filium regnare, Camysem ob flagitia regno indignum pro Rege amplius non esse B habendum. Ad hunc ulciscendum, ut ante dixi, Cambyses reditum in Persiam acceleraverat. Principes Persæ suscepto, quod a Cambyse moribundo injunctum acceperant, vindictæ negocio, in Persiam profecti, detecta per Otanis filiam, unam e numero concubinarum regnantis, Magorum fratrum fraude, confestim conjurantes ad eos perdendos sese accinxere. Erant autem Principes illi septem: qui in arcem regiam telis occultis succincti cum se intulissent, & per vim in ipsum conclave, in quo erant Magi, submotis custodibus penetrassent, utrumque trucidarunt. Tum capitibus cæsorum ostentatis, & re tota populo exposita, quicumque Magorum sectæ ibidem erant, a multitu- C dine concitata & fremente sunt interempti. Rebus deinde pacatis iidem Principes de constituendo Persarum imperio feruntur deliberasse. In eo actu scribit *Herodotus* Otanem damnata unius potestate, ex qua nimium proclivis in tyrannidem esset lapsus, popularem statum ob æqualitatem juris liberis ingeniis maxime convenientem, commendasse: Megabyzim sententiam dixisse pro regimine optimatum multo meliore: Darium, Hystaspis filium Achæmenidem qui manu sua regnantem Magum pugione transfixerat, laudasse imperium unius, & reliquos in sententiam suam tra- D xisse. Tum de Rege designando ait esse deliberatum: convenisse, ut postridie sub ortum solis Principes sex, (nam Otanem jure suo ultro cessisse) equis insidentes ex arce in suburbana veherentur, & cujus equus primus hinnitum esset editurus, ei regnum cederet: denique Darium solertia equisonis sui ex conventione Regem esse declaratum: reliquos ex equis suis desilientes regium cultum prompte ei præstitisse. Sic Cyri somnio, quod parantem se contra Massagetas turbaverat, ut est apud *Herodot.* sine domus illius injuria satisfactum. *Darius* in solio Cyri & Cambysis collocatus Olymp. LXIIII. anno III. Hic ut regnum sibi firmaret, E statim duas Cyri filias Atossam viduam, Cambysi fratri ac Mago ante nuptam, & Artystonam virginem, ejusdemque Cyri neptem Parmidem Smerde natam, & cum his quartam, Otanis septemviri filiam, in thalamum suum adscivit. Dein ordinatis provinciis, quas Satrapias Persæ dicebant, in singulos annos tributa singulis descripsit, quæ in universum summam XIV. millium quingentorum sexaginta talentorum argenti Euboicorum conficiebant, exceptis Persis, qui erant immunes, & Arabibus qui erant socii ac amici, & munera voluntaria mittebant. Inter hæc Intaphernes ex F septemviris principibus qui Magos exitio dederant, importunitate sua offenso novo Rege, ejusdem jussu cum liberis & familia est interemptus, conjuge & hujus fratre, ac filiorum maximo, quos conjugis lamentis Rex condonavit, exceptis.

Circiter idem tempus in Græcia Platæenses regionis Bœotiæ, quibus raro bene cum Thebanis vicinis conveniebat, assiduis horum injuriis vexati, ut se malis istis liberarent, clientelæ ac societati Lace-

dæ-

dæmoniorum, quorum tum præcipua autoritas & potentia inter Græcos erat, sese obtulere. Verum cum hi longius se ab illis remotos esse, nec satis tempestive auxilia contra vim posse ferre dicerent, suasu eorundem ad Athenienses multo propiore, & viribus non invalidos se contulerunt, & cum his societatem ac fœdus consciverunt Olympiadis LXV. anno primo, qui fuit regni Darii annus secundus. Hæc societas sudes in oculis Thebanorum, & qui eorum partes in Bœotia sequebantur, multo tempore fuit. Haud multo post Darius venationi operam dans cum ex equo forte improvide desiliret, luxato pedis talo, in eoque ab imperitis Medicis male vexato, in maximum dolorem incidit, qui totos dies septem, totidemque noctes somno eum prohibuit. Octavo die audiens de Democede viro Græco Crotoniata artis istius probe perito, qui inter captivos e familia Orœtis Sardibus istuc translatus erat, ei ad sese adducto, pannis obsito, & compedibus illigato curandum se tradidit, curatusque in summo eum honore habuit. Deinde ejusdem Democedis opera Atossa filia Cyri, Darii Regis uxor, generosi ac vere paterni ingenii fæmina, periculoso ulcere in ubere correpta felicissime persanata fuit. Qui factum est, ut plurimum apud hanc quoque gratia Democedes valeret. Atossa autem a Democede edocta, qui hac via reditum in patriam, cujus summo tenebatur desiderio, quærebat, Darium hortata est, ad parandam gloriam, ac augendam potentiam, excitandamque otio segnescentem Persarum virtutem, exemplo majorum arma caperet, & Græciæ potissimum regioni inclytæ bellum inferret. Cui aures commodans Rex ad speculandum regionem Persas viros spectatos & solertes xv. misit, & his Ducem dedit Democedem multis muneribus & pluribus promissis oneratum, reditum ejusce ad se impense stipulatus. Hi vero e Phœnicia solventes, & in Græciam vecti cum hanc perlustrassent, in Italiam porro cum Democede trajecerunt, ut ejus quoque res cognoscerent, & de iis ad Darium referrent. Ibi Democedes Crotonem reversus desertis Persis, & invitis iis, ac nequicquam reducere eum secum connixis, in patria substitit, Regique per eos significavit, se in patria manere, & uxorem ducere Milonis Crotoniatæ luctatoris filiam, qui Regi ex fama erat notissimus. Persæ comites ejus varia fortuna usi in Persiam tandem sunt reversi. Atque hi primi fuere istam ob causam a Persis in Græciam missi.

Post hæc, ait *Herodotus*. Otani ex numero VII Principum Persicorum, per cujus filiam Magi erant detecti, mandavit, ut Sylosontem fratrem Polycratis Samo exulantem in patriam reduceret, & ejecto Mæandrio occupatore injusto, qui Polycratis minister vicarius quondam fuerat, Samum ei incolumem restitueret. In qua conficienda re conscripto exercitu cum esset Otanes, malevolentia & astu Mæandrii accidit; ut clade inopina irritatis Persis, Samus caperetur quidem, Mæandrio jam clam fuga elapso, sed occidione occisis civibus sine sexus & ætatis discrimine miserrimum in modum direpta & vastata, civitatum Græcarum ea tempestate florentissima, quasi desolata Sylosonti redderetur. Mæandrius cum thesauro Spartam veniens & corrumpere cives conatus, a Cleone Rege & Ephoris istinc quam primum discedere, & sua sibi habere jussus fuit. Samus auxilio Otanis priorum pœnitentis frequentari rursum habitatoribus cœpit.

Eodem tempore, quo occupandæ, & Sylosonti restituendæ Samo intentus erat Otanes, Babylon omnibus ad sustinendam obsidionem paratis, a Dario & Persis defecit. Ad quam domandam cum se instruxisset Darius, & jam in ea obsidenda, & oppugnanda ob rerum necessariarum in ipsa urbe sufficientem copiam, & mœnium firmitatem annum mensesque septem perdidisset, tandem memorabili erga se studio ac fide, astuque insigni Zopyri, Megabyzo geniti, qui fuerat ex VII. Principibus Persicis Magorum eversoribus unus, primum semet ipsum fœde deformantis, deinde transfugium simulantis, & ad oppugnandos Persas operam obsessis offerentis præstantisque, post alios fere duos menses eam recepit circiter annum secundum Olympiadis LXVI. qui coincidit cum anno regni ipsius septimo. In pœnam rebellionis muri captæ urbis passim diruti, portæ omnes destructæ, primorum civium tria millia patibulis suffixa. Sic Babylon, cui Cyrus victor ante annos XXV. pepercerat, a Dario est humiliata. Præfectus ei datus perpetuus cum immunitate a tributis hic ipse Zopyrus: ejusdemque fides prolixe ac magnifice laudata a Rege, & donis insignibus honorata quotannis. Ex hoc genitum, ait *Herodotus*, Megabyzum, Ducem exercitus in Ægypto contra Athenienses & eorum socios, & Megabyzi istius filium fuisse Zopyrum, qui a Persis transfugerit ad Athenienses.

Hic finit Herodotus Historiæ suæ librum tertium. Libri vero quarti parte longe maxima statim post initium complectitur descriptionem Scythiæ Europææ, & rerum Scythicarum, cum institutis ac moribus ejus gentis, & domo Regum proximi ævi, in qua natus Anacharsis tum alibi tum apud Græcos peregrinatus, Soloni coævus, Græca doctrina imbutus; quod ei domum reverso exitio fuit. Ea omnia nos, ut & alia cum his connexa consulto in hoc opere contracto heic omittimus.

Anno sequente, qui tertius erat ejusdem Olympiadis LXVI. Athenis *Hipparchus* Pisistrati filius secundo-genitus patre dudum defuncto, fratre autem Hippia natu majore tyrannidem tenente, ob sollicitatum instanter pudorem Armodii juvenis decori & contumelia affectam ipsius sororem, ut tradit *Thucydides*, ab eodem Armodio, & ejusce amatore Aristogitone, in festa celebritate magnorum Panathenæorum in Leocorio loco publico, interea dum Hippias in Ceramico cum satellitibus suis adornandæ Pompæ intentus esset, tanquam tyrannidis particeps trucidatus fuit. Ipsi vicissim statim occisi.

A biennio, qui erat primus annus Olympiadis LXVII. *Darius* omnibus paratis in Scythas Europæos trans Istrum degentes, ubi nunc Moldavi, Walachi, Podoli, Lituani, Russi, Muscovitæ habitant, exercitum eduxit, & per pontem Bosporo Thracio impositum prope Chalcedonem ex Asia in Europam transit. Dein per Thraces & Getas itinere facto; illis sponte se dedentibus, his bello subactis ad Istrum fluvium fines Getarum & Scytharum disterminantem, nondum in diversa ostia divisum venit, ubi cum ponte etiam jungi a Græcis Asiaticis classe istuc præmissis curaverat. Ibi in solum Scythicum traducto exercitu, Græcis ex consilio Cois Mitylenæi viri inprimis prudentis ad custodiam pontis relictis, cum Scythas consulto cedentes, & per varias itinerum ambages eum sequentem ludificantes ad prælium secum ineundum compellere non posset, & tandem labore, & rerum inopia fatisceret, recipere se & non sine dedecore, fugientis instar, ad pontem Istri properare coactus fuit, idque non sine maximo suo & totius exercitus sui discrimine. Nam Scytharum pars, breviore via, eodem eum præverterant, & Græcos hortati erant, ut si liberi esse quam Persis servire mallent, optima hac occasione rapta pontem rescinderent, atque ita itinere præcluso Persas Scythis conficiendos relinquerent: præsertim cum salva fi-

A de, qua Dario devincti videbantur, tempore, quod ab ipso Dario definitum illis erat, jam dudum elapso hoc facere possent. Et sane abiissent in eam sententiam Græci suadente Miltiade Atheniense Cimonis filio, Chersonesi Thraciæ Domino, qui postea ad Marathonem Persas cecidit, nisi Histiæus Milesius inter Ionas authoritate prævalens, Dario nimium tunc fidus, magno nixus argumento obstitisset. Ejus igitur beneficio ponte ad transitum Persarum conservato, Darius exercitum incolumem in Getas & Thraces reduxit, & relicto cum copiarum parte in Europa Megabyzo præcipuæ gratiæ viro, ipse cum cæteris ingressus naves Sesto in Asiam Hellespontum transmisit. Inde Sardes in Lydiam se contulit gratulans sibi de periculo superato. Illic B Histiæo Milesio, & Coi Mitylenæo, utrique de se in ista expeditione bene merito gratiam retribuit.

Hoc loco rursum a proposito digreditur Herodotus in commemorationem prolixam de veteribus Minyis, & de Cyrene civitate Græca a Batto Theræo in ora Africa condita, & de Barca Cyrenæorum colonia in eadem Africæ ora; atque interim de variis nationibus Punicis, deque Nasamonibus, Psyllis, Garamantibus aliisque gentibus interioris Africæ: Tum de Aryande Ægypti præside ex voluntate Cambysis, C quem postea insimulatum malæ fidei Darius interemit: cujus ope Barca, obsecrante Pheretima Cyrenes Regina, ob interfectum illic Arcesilaum Regem ipsius filium, a Persis obsessa, & per fraudem capta; Barcæi cædis autores crudeli supplicio a Pheretima affecti, fœminis ubera abscissa & circa muros appensa: vulgus in Bactra abductum: denique Pheretima ob crudelitatem divinitus punita, vivens vermibus esca facta.

HERODOTI LIB. V.

D INterea *Megabyzus* cum alia in Thracia egit, tum Perinthum portas sibi claudentem armorum vi aperuit, aliasque urbes cepit, totamque adeo Thraciam Regi suo pacatam reddidit. Inde in Pæoniam transgressus, jussu Regis Pæonas subactos in Asiam transtulit. Mox missis in Macedoniam ad Amyntam Regem jam senem legatis septem primæ dignitatis viris cum comitatu insigni, qui terram & aquam pro Rege Persico ab eo peterent. Quos benigne & honorifice convivio exceptos & lascivius fœminas regias, quas introduci in convivium, deinde & juxta se collocari augendæ gratia hilaritatis petierant, contrectantes, E *Alexander* Amyntæ filius generosi animi juvenis, ut violatores moris Macedonici, & hospitii jus petulantia fœdantes ulcisci statuit. Itaque grandævo parente lasciviam hospitum quidem indigne ferente, sed ob potentiam Persarum obsistere non audente, quam modestissime e convivio ad capiendam quietem amandato, dissimulata ira Persas humanissime affatus, & ad indulgendum hilaritati genioque exhortatus, non invitis iis, fœminas tanquam loturas, & comptiores mox redituras ex convivio abduxit: earum vero loco totidem juvenes imberbes, muliebri veste indutos, ac F pugionibus sub veste armatos, præceptisque instructos paulo post in convivium reduxit, hospitibusque velut fœminas assidere jussit. Ab his petulce rursum agere incipientes Persæ, & præter alia concubitum quoque petentes vino bene madidi ferro sunt interempti: ac statim totus eorum comitatus temulentus similiter est trucidatus. Dein re per inquisitores a Megabyzo istuc missos comperta, indignantes Persarum animi & ultionem parantes, ab eodem Alexandro consiliis prompto, data ultro in matrimonium Bubari inter eos primario Gygea sorore sua, pacati, totaque res silentio obruta.

Per eadem vero hæc tempora magna mutatio Athenis est facta. Nam *Hippia* tyrranno cæde fratris asperato, & sævius quam antea dominante, impensius quoque civitas Attica de excutienda tyrannide cœpit cogitare. Alcmæonidæ etiam & socii exules spe & conatu recuperandæ patriæ, & restituendæ libertatis prius frustrati, nunc alia via tentandam sibi rem putarunt. Delphis quippe extruendi templi novi gratia commorantes Pythiam dicuntur clam pecunia corrupisse, atque istuc induxisse, ut quotiescunque ad consulendum oraculum quacunque de re Spartani Delphos venirent, consulentes monerentur, placere Deo, ut Spartani Athenas tyrannide liberent. Quod cum aliquoties a Pythia esset factum, quanquam aliud consulentes quærerent, persuasi tandem sunt Spartani, ut crederent, hoc ipsum a se divinitus requiri.

Itaque bis istuc missis copiis prius Duce Anchimolio, deinde auspiciis Regis Cleomenis res ab iis tentata, sed inani opera. Verum interceptis paulo post Pisistratidarum liberis, qui ob belli pericula extra regionem Atticam a suis erant amandati, in eam necessitatem devenit *Hippias* cum suis, ut illorum redimendorum gratia intra quintum diem cogeretur ex terra Attica discedere. Discedens vero in Sigeium abiit partem agri Phrygiæ, quondam a patre suo armis assertam, sitam ad litus, e regione Tenedi insulæ, qua Scamander fluvius in mare effertur. Ibi familia relicta Lampsacum ipse se contulit ad filiæ Archedices socerum Æantidem Lampsacenorum tyrannum, apud Darium Persarum Regem gratia potentem. Ab Æantide ad ipsum Darium in Persiam profectus est, & ab eo in Sigeium reversus. Sic reparata Atheniensibus libertas. *Herodotus* ait hoc factum, cum tyrannis Pisistratidarum stetisset Athenis annos XXXVI. sed unde duci velit tyrannidis illius initium (fluctuavit enim per multos annos) incertum. Thucydides lib. VI. exactius tempus repræsentans id conjicit in annum XX. ante pugnam Marathoniam, cui senex Hippias, Persarum tum ductor, interfuit, & in annum quartum post cædem Hipparchi, Hippiæ fratris. Quod tempus sine dubio pertinet ad annum secundum Olympiadis LXVII. in cujus ejusdem annum tertium incidit finis regnandi apud Romanos, & initium libertatis popularis.

Pulsis tyrannis, & Alcmæonidis cæterisque exulibus in urbem Atticam reversis inter duos viros principes civitatis gravis æmulatio & contentio extitit de primatu, *Clisthenem* Megaclis Alcmæonidem, & *Isagoram* Tisandri, utrumque genere & opibus validum. Ex his *Clisthenes* cum superatum se iri metueret, totum se populo dedit, & quod gratum populo noverat, & augendæ potentiæ ejus esse non ignorabat, ex quatuor tribubus, in quas hactenus semper divisa civitas fuerat, decem fecit, & totidem tribuum præfectos, ac Senatum quadringentorum annuum a Solone institutum adjectis centum aliis auxit, ut essent omnes quingenti, L. scilicet ex qualibet tribu sorte quotannis designatis. Ita in certamine victus *Isagoras* ad opem Cleomenis Regis Spartani hospitis sui se contulit. Is præmisso caduceatore Clisthenem cum sociis ejusdem generis, velut ἐναγεῖς, id est piaculares, cæde Cylonianorum contaminatos civitate exire jussit. Et ipse mox Athenas veniens Clisthene jam egresso, non pauciores quam DCC. familias militares, ut scribit *Herodotus*, easque ab Isagora monstratas quasi scelere inquinatas civitate expulit. Mox conatus quoque senatum abrogare, & trecentis ex factione Isagoræ rempublicam tradere, obsistente senatu, & commotis iis, qui diversarum partium in urbe erant, cum Isagora arcem occupavit. Sed in ea biduum a civi-

bus obsessus die tertio conditiones abeundi pactus cum Isagora & Spartanis suis tota regione decessit. Athenienses, qui eum juverant, in vincula conjecti necatique. *Clisthenes* cum DCC. familiis militaribus a Cleomene ejectis, in patriam revocatus. Tum missi ab Atheniensibus, iram & vim Cleomenis veritis, legati ad Artaphernem Darii Regis fratrem, Sardium & totius Lydiæ præsidem, Sardibus tum commorantem, qui de societate cum eo agerent. Novum vero hoc Artapherni visum, societatem Persicam peti ab iis, de quibus, quinam essent, ubi sedem haberent, ne fando quidem hactenus quicquam audivisset. Percontatus igitur, & verum edoctus respondit, ut ait *Herodotus*, ingenue, juncturum se societatem, si terram & aquam Regi fratri darent: cæteroqui nihil minus facturum. Illi societatis jungendæ valde cupidi cum daturos se annuissent, domumque ab Artapherne revertissent, in gravem populi offensam incurrerunt. Contra Cleomenes indignissime ferens verbis & factis ab Atheniensibus se lædi, collectis ex omni Peloponneso copiis, dissimulato tamen consilio suo, cum jam paratus esset, societatemque cum Bœotis & Chalcidensibus qui sunt in Eubœa, clam junxisset, ipse repente Eleusinen agri Attici oppidum invasit, socii vero alia a parte in fines Atticæ incurrerunt. Verum cum Corinthii conscientia moti socios desererent, & alter Spartæ Rex Demaratus, qui eodem cum copiis aliis venerat, dissentire a Cleomene cœpisset, reliquus quoque exercitus est dilapsus: Athenienses autem Bœotos & Chalcidenses graviter sunt ulti. Ab hoc tempore civitatis Atticæ tyrannide nuper liberatæ res plurimum sunt auctæ. Thebani primatum in Bœotia tenentes, ultionis cupidi Æginetas mari tunc pollentes, veteres Atheniensium inimicos, sibi socios adsciverunt. Sed bello inchoato impedimentum a Spartanis injectum. Nam hi superiore fraude Pythiæ cognita, dolentes tum hospites Pisistratidas a se læsos, atque Athenis ejectos esse, tum ab Atheniensibus malam sibi gratiam referri, & oraculis commoti, quæ præcinebant, ab Atheniensibus aliquando ipsos mala multa passuros, adeoque etiam æmulatione civitatis crescentis stimulati, Hippiam Sigeio evocarunt. Quo jam Spartæ præsente, convocatis sociis persuadere conati sunt, ut communi ope & opera Hippiam secum Athenas reducerent. Verum cum nec cæteri socii hoc consilium probarent, tum omnium maxime & vehementissime ei contradixit *Sosicles* Corinthius acerbissimis verbis in universum genus tyrannidis invectus. Cujus orationi cum reliqui quoque assensissent, coacti sunt Lacedæmonii totam eam rem missam facere, & *Hippias* Sigeium est reversus. Inde vero Sardes ad Artaphernem profectus ei persuasit ad subjiciendas Persico imperio Athenas [1] ut consilia & studia sua referret. Eo per indicium accepto Athenienses missis rursum Sardes legatis ad abducendum ab ea mente Artaphernem, omnem operam impenderunt. At hic asperius respondens dixit, si salvi esse vellent, opus omnino esse, ut Hippiam in civitatem reciperent. Id vero prorsum abnuentibus Atheniensibus dicentibusque malle se arma contra Persas sumere quam Hippiam admittere, atque hac cura æstuantibus commodum accidit, ut *Aristagoras* civitatis Milesiæ Princeps Sparta Athenas veniret, & rem istam, de qua tum agebatur, præcipitaret. Quo de Aristagora repetenda quædam paulo altius. Erat is cognatus & gener Histiæi Milesii, qui conservato Istri ponte Darium Regem ex Scythia fugientem præstiterat incolumem: quem Darius Myr-

1. Herodotus tanutum dicit, ποιέων ἄπαντα, ὅκως αἱ Ἀθῆναι γενοίατο ὑπ᾽ ἑαυτῷ καὶ Δαρείῳ.

A cino, loco commode in Thracia ad Strymonem fluvium cum copia condendæ novæ urbis donaverat, sed paulo post instructu [2] Megabyzi Persæ ad se evocatum honestissima specie volentem nolentem Sardibus in Persiam secum duxerat. Istam vero quamvis splendidissimam servitutem, amicitiæ nomine velatam, vir magni & liberi spiritus non ferens secretissima ratione Aristagoræ significaverat, ut quoque posset modo res suas compararet ad bellum Persis movendum. Hac enim sola ratione sperabat, ad suos redire se posse. Aristagoras autem eo tempore, cum ante auspiciis Artaphernis ad Naxum, aliasque insulas Cyclades

B Persis subjiciendas arma tulisset, iniquitate Megabyzi Persæ offensus sponte sua consilia deficiendi a Persis coquebat. Accepta igitur voluntate Histiæi summopere connixus Ionas primum ad excutiendum Persarum imperium concitavit. Deinde Spartam profectus, & a Cleomene Rege rejectus, atque istinc sine mora discedere jussus, eo, quo dictum, tempore, Athenas venit, & eadem ibi differens, quæ apud Cleomenem dissernerat de maximis divitiis regni Persici, quæ victoribus essent cessuræ, de facili expeditaque victoria, si bellum susciperetur, nullo fere negocio effectum dedit, ut populus jam ante

C Persis iratus auxilia Ionibus ferenda esse decerneret. Decretæ sunt naves XX. militibus & reliquo apparatu instructæ: & his additæ ab Eretriensibus Euboicis triremes V. Quibus in Ioniam appulsis, & copiis Ionum prope Ephesum congregatis, quibus Charopinus Aristagoræ frater, & Hermophantus, præerant, omnes inde secundum Caystrum iter facientes superato Tmolo monte Sardes invadunt, capiunt, incendio vastant, civibus & Persis in foro se tuentibus, Artapherne in arce se continente. Mox cum audissent Persas & Lydos in se venire, ad maritima se subito recipientes; cum hostibus persequentibus non procul Epheso congressi accepta clade in fugam vertuntur. A quo tempore

D Athenienses frustra rogati ab Aristagora a ferenda Ionibus ope abstinuere. Nec tamen propterea *Iones* animos abjecere, sed in Hellespontum & Propontidem delati ejus oræ urbes a Persis averterunt, Caunum aliaque in Caria loca sibi junxere, Cyprios denique in partes suas traxerunt.

At Darius Persarum Rex cognitis, quæ Sardibus acciderant, vehementissime commotus, & ira incensus in vindictæ cupidinem sese effudit. Tradit *Herodotus*, famam fuisse, arcum poposcisse eum & sagitta in cœlum excussa dixisse: *o Deus, da*

E *mihi ulcisci Athenienses*: præterea famulo domestico mandasse, ut quotidie cœnanti sibi acclamaret, *Domine memento Atheniensium*. Deinde, ut est apud eundem *Herodotum*, Histiæo Milesio ad se vocato, hoc sibi ab ejus procuratore Aristagora, forte non sine Histiæi conscientia esse factum exprobravit. Cui sic respondens solertissimus Histiæus occurrit, ut amplissimo promisso facultatem desideratissimam redeundi in Ioniam ab eo impetraverit. Inter hæc bellum a Persis & Phœnicibus contra Cyprios & Ionas, qui Cypriis cum classe auxilio missi erant, fuit gestum: in quo Cyprii terra a Persis, Phœnices classe ab Ionibus

F victi sunt: quo summi Duces Artybius Persa, Onesilus Salaminius defectionis Cypriorum præcipuus autor occubuere. Cyprus imperio Persarum rursum subjecta: Iones auxiliares domum incolumes reversi. Mox Persarum arma contra Ionas versa: urbes pleræque Hellesponticæ Ionum sociæ a Daurise Darii genero captæ: Cares cum Ionibus fœdus habentes prælio magno superati, & vicissim Persæ ab his per insidias gravi clade

2. *Instinctu* voluit.

affecti: alio autem loco urbes Æolicæ Troadis confines ab Hymee Persarum Duce ejusdem Darii genero subactæ; victorque in Troade vita defunctus. Ab Artapherne vero Darii fratre, & Otane genero Ionia & Æolia huic vicina infestatæ, Clazomenæ Ionum, & Cuma Æolum in potestatem redactæ. Mileti ob motum imminentis belli diversæ sententiæ ab Aristagora mente moto, & Hecatæo Hegesandri λογοποιῷ in publico jactatæ. Aristagoras cum voluntariis relicta patria in Thraciam profectus, cum illic arma moveret, ab indigenis cum suis est interemptus. Histiæus cum Sardes venisset, in colloquio cum Artapherne de Ionum rebellione, qui jam ante compererat non sine eo Aristagoram hos motus concivisse, ab eodem Artapherne negationem ejus redarguente audivit, *hunc calceum tu quidem consuisti, Aristagoras vero sibi induit*. Quo consternatus animo Histiæus proxima nocte Sardibus in Ioniam se proripuit. Illic Ducem se contra Persas professus, & a Chiis Miletum reductus, sed a Milesiis odio dominatus repudiatus, Chiumque reversus, inde Mitylenen se contulit, atque ibi confecta classe non magna, quam impetrare a Chiis non potuerat, Byzantium petiit, & Bospori fauces obsedit. Interim Persæ maximis copiis terra marique confectis ad expugnandam Miletum se accinxerunt. In classiariis copiis erant Phœnices, Cyprii, Ægyptii, Cilices vecti navibus DC. Quibus cognitis Milesii & socii miserunt legatos ad concilium Panionii: in quo decretum, ut omisso apparatu terrestri mari tantum res ab omnibus Ionibus ageretur contra Persas, quibus Ionibus Æoles quoque accessere Lesbum colentes. Confectaque ab omnibus classis est triremium bene armatarum CCCLX. quarum centum a Chiis, LXXX. a Milesiis, LXX. a Lesbiis, LX. a Samiis, reliquæ ab urbibus aliis datæ, eæque ad Ladam insulam Mileto objectam convenere, paratæ ad pugnam quam primum cum Persis committendam, ibique ante Persarum adventum per aliquot dies utilissimo consilio & opera Dionysii Phocæensis viri industrii ac prudentis labore assiduo exercitæ. Sed classiarii laboris pertæsi obsequio post dies VIII. recusato occasionem Samiis dederunt ineundorum pravorum consiliorum. Ii enim sollicitati jam ante a Persis per Aeacem Samo profugum (id quod & cæteris acciderat) contracto navali prælio, in ipso discrimine deserentes socios suos domum repetivere, exceptis triremibus decem, quæ in prælio cum sociis perstitere, quarum præfecti claram memoriam apud posteros sunt consecuti. Eo casu turbati Lesbii, qui Samiis proximi in acie erant, se quoque prælio subduxere, & post Lesbios alii præter Chios, qui soli diu in hostem fortissime pugnantes tandem multitudine superati amissis suorum non paucis sese etiam ex pugna receperunt. Tum *Miletus* summis viribus a Persis terra marique pressa, & demum expugnata, fœdeque direpta & desolata: viri, qui fuga eripere se non potuere, cæsi; fœminæ cum liberis in prædam hostium versæ, ac in servitutem abductæ. Res gesta anno sexto, ut ait *Herodotus*, ab initio rebellionis Milesiorum Principe Aristagora: quod tempus congruit ad finem Olympiadis LXX. ad annum vero Darii in Persia regnantis XXV. Qui cædi supererant Milesii, in Persiam ducti non inclementer habiti a Rege, juxta Tygrim fluvium in mare exeuntem colendi agri causa collocati. Solum Milesium Persis datum. Casus hic nullis Græcorum majori dolori fuit quam Atheniensibus. *Samii* interea, qui lautioris fortunæ erant, & Ducum suorum, qui socios deseruerant, consilium neutiquam probabant, & dominatum Aeacis civis sui, quem reducere Persæ statuerant, ferre non poterant, rebus suis in naves impositis, cum Milesiorum nonnullis, qui ex clade patriæ evaserant, invitati in Siciliam navigarunt, atque ita ab Anaxila Rhegino adjuti Zanclen occuparunt, habitaveruntque. Ab his Samus deserta, recepto Aeace tyranno, sola ex urbibus Ioniæ, quæ a Persis defecerant, a direptione & incendio hostili servata fuit. Cæteræ graviter afflictæ. Cares quoque subacti, & castigati. Histiæus Milesius, relicto Bosporo, post varios casus, & Chios ex clade nupera navali infirmos a sese subactos, ac Thasum frustra aliquandiu obsessam, ex Lesbo cum paucis trajecit in Asiam: ibique in Mysia captus ab Harpago Persa, ac Sardes ad Artaphernem perductus, dum veniam sperat, non consulto Dario, in crucem actus est, Dario dolente & mortuo honorem habente. Circiter idem tempus navales Persarum copiæ hybernis prope Miletum actis anno proxime sequente, qui fuit Darii XXVI. insulas Chium, Lesbum, Tenedum cum urbibus in potestatem redegerunt, & quicquid in iis hominum erat, instituta σαγηνεύσει ceperunt. Reliquas quoque in continenti urbes Ionicas & socias occuparunt, delerunt [1], templa quoque cremarunt. Ex hominibus captis formosissimos quosque pueros castrarunt, virgines speciosas in Persiam miserunt. Hanc tertiam dicit *Herodotus* servitutem irrogatam Ionibus esse: primam scilicet a Lydis, alteram a Cyro Persa, hanc tertiam a Dario. Inde in Hellespontum & Propontidem profecta classis quicquid ad lævam in Europa erat urbium, subjugavit, in quarum numero erant Perinthus, Murus Thracius, Selymbria, Byzantium, & huic in ora Asiæ opposita Chalcedon: quarum duarum habitatores ne expectato quidem hostium adventu in Pontum enavigantes locum in litore ejus occiduo capientes Mesembriam condiderunt. Dein Proconneso & Artace igne perditis, classiarii iidem Cherronesum Thraciam rursum invadentes, ejus urbes omnes excepta Cardia suæ potestatis fecere. Harum Princeps eo tempore erat *Miltiades* Cimonis filius Atheniensis, qui principatum a fratre Stesagora, Stesagoras a patruo Miltiade Cypseli filio, Æacida, Ægina oriundo acceperat. Qua occasione *Herodotus* familiam Miltiadis fere integram & varios ejus casus hoc loco exponit. Miltiades cum ad Tenedum appulisse Phœniciam classem audivisset, temerarium existimans vim ejus expectare, cui imparem se esse norat, Cardia solvens cum quinque triremibus quibus res suas, quæ auferri poterant, imposuerat, Athenas navigavit, Metiocho filio cum triremium una in manus hostium persequentium delapso, & Susa ad Regem misso, atque ab hoc benignius quam ab hoste expectari poterat, excepto habitoque. Et hunc fuisse sextum annum notat *Herodotus*, ex quo a morte Stesagoræ in Cherronesum cum imperio venerat. His rebus gestis quod reliquum ejus anni erat, quiete a Persis transactum, nec porro in Ionas sævitum: quinimo fœdera inter eos autore Artapherne inita, lites compositæ, vectigalia ordinata, itinera descripta.

Anno proximo, qui fuit Darii XXVII. Olympiadis LXXI. tertius, ineunte vere, aliis Ducibus a Rege exautoratis *Mardonius* Gobryis filius ex Darii Regis sorore, & ejusdem Darii gener nuper factus, opido adhuc juvenis cum imperio & exercitu peramplo maritimo & terrestri missus, cum in Ciliciam venisset, cæteris itinere terrestri ad Hellespontum contendere jussis, ipse cum classe in Ioniam navigavit, & illic in urbibus statum popularem mirantibus multis constituit. Inde in Hellespontum progressus de Atheniensibus & Eretriis bello potentibus

1. Est verbum otiosum. Vide Herodotum VI. 32.

sermones spargebat: revera quascunque posset, Græcas civitates imperio Persico Cimonis subjicere cogitabat. Quapropter Thasum urbem insulanam prædivitem Thraciæ litori objacentem invasit & oppressit: & in Macedones eos, qui nondum Persis parebant, (nam qui interiora regionis illius colebant, jam ante imperium subierant) exercitum pedestrem immisit, eosque etiam Regi suo subjecit. Sed cum classis ejus oram legens circum Athon montem in mare procurrentem vela faceret, ingenti coorta tempestate, quod iis locis frequenter accidit, ingens naufragium fecit, navibus trecentis ad cautes & scopulos illisis, ac hominum millibus viginti variis casibus e medio sublatis. Accessit clades terrestribus copiis a Brygis Thracibus noctu repente in ipsum Mardonium in Macedonia irruentibus, & vulnerato Mardonio, non paucis ex exercitu cæsis, illata. Quibus consternatus Dux juvenis, ac imperitus, etsi Brygos ultus sit, tamen progredi ulterius ausus non fuit, ingloriusque ipse cum exercitu & classe reliqua in Asiam se recepit.

Anno deinceps sequente Darii jussu muri Thasiorum, quos fama insimulabat de defectione consilia agitare, dejecti, naves Abderam abductæ. Ad hæc legati a Dario in Græciam missi, quorum alii alio ire jussi, petitum terram & aquam ad explorandos civitatum animos: inventæque civitates non paucæ, quæ darent, quod petebatur. Inter has & Ægina fuit. Quæ res Athenienses vehementer pupugit, arbitrantes in odium sui id ab Æginensibus esse factum, ut juncti cum Persis adoriri Athenas possent. Itaque Spartam euntes, Æginenses velut proditores communis libertatis Græciæ accusarunt. A Spartanis rem eam perniciosam existimantibus Cleomenes Rex, cujus permagna erat per Græciam autoritas Æginam est missus; ut exitialis consilii præcipuos autores comprehenderet, sed astu Demarati alterius Regis supplantatus id effectum dare non potuit. Domum vero reversus *Demaratum* collegam vitiosorum natalium insimulatum regno exuit, & patria expulit, ac Leutychidem agnatum ejusdem ei surrogavit. *Demaratus* quanquam patriæ amantissimus ad Persas confugit. Tum *Cleomenes* cum Leutychide, quem ad hoc pactione devinxerat, Æginam rediens reos criminis comprehensos abduxit, & apud Athenienses Æginensium inimicissimos, ut certius custodirentur, deposuit. Sed de Demarati natalibus res paulo altius cum *Herodoto* nobis heic repetenda. Fuerat ei pater Ariston ex posteritate Proclis, omnium ante se, ut ait *Herodotus*, Regum Laconicorum vir laudatissimus; qui cum ex duabus conjugibus liberos non genuisset, easque propterea repudiasset, ut populi votis satisfaceret, qui sobolem masculam ex eo impense desiderabat, ad tertiam ducendam animum appulit forma & fœcunditate probatam, nuptam tum temporis viro ex omnibus Spartiatis sibi amicissimo. Ea igitur callida pactione a marito ad ipsum traducta, accidit, ut post exactum septimum novarum nuptiarum mensem eidem Aristoni pro more Regum inter Ephoros sedenti per famulum domesticum nunciaretur, filium ei ex conjuge esse natum. Quo nuncio inopino turbatus, ob tempus a concubitu cum conjuge brevius quam communis ratio ferret, temere juratus, affirmavit, filium illum ex se non esse genitum. Id vero tum spretum ab Ephoris, & Ariston postea pœnitens præcipitis ac temerariæ vocis, ac aliud jam sentiens, pro suo natum infantem habuit, educavitque, nomenque ei ex re dedit Demaratum appellans, quia publicis populi votis esset expetitus. Hinc calumnia illa contra Regem laudatissimum, etiam coronam Olympicam in panegyre, quod nulli Regum Laconico-

A rum ante eum contigerat, meritum, a Cleomene collega æmulo petita, & in eum contorta. Adjectum ad conflandam majorem invidiam, quod præmature exercitus ab eo Eleusine ex Attica nuper esset abductus. Suffragatus Cleomeni fuit Leutychides, qui locum Demarati ambiebat, & privatas quoque simultatis causas ex re uxoria exortas in eum habebat. Cum contentio hæc civitatis animos in diversa distraheret, tandem ad oraculum Delphicum consulendum de natalibus Demarati sententiis est inclinatum. Cleomenes autem ne proposito suo excideret, per amicum, quem Delphis habebat, virum summæ illic autoritatis, Pythiam corrupit,
B persuasitque, ut contra Demaratum responderet. Sic fabula nequiter & malitiose cœpta per fraudem nefariam demum peracta fuit. Attamen Demaratus per injuriam regno amotus amare patriam propterea non desiit, sed manens in ea minores honores sibi demandatos gerere non est dedignatus: donec tandem injuriæ facti insignis verborum contumelia accessit. Nam cum magistratu præditus spectaculo gymnico puerorum forte interesset, Leutychides, qui in dignitate regia ei successerat, insultandi deridendique causa per ministrum ex eo quæsivit, quomodo placeret ac saperet ei præfectura post regnum. Quibus verbis gravissime offensus sic
C respondit, ut indignationem animi non dissimularet: statimque e spectaculo domum abiens, & facto Iovi sacrificio cum matre, quæ adhuc in vivis erat, de nativitate sua locutus, & ab ea in sententia de ortu suo legitimo confirmatus urbe exiit, velut Delphos profecturus. Sed Elidem cum venisset, metu insidiarum in Zacynthum insulam inde contendit, & Zacyntho porro ad Regem Persarum se contulit, frustra a Zacynthiis eum deposcentibus æmulis Spartanis. In Persiam vero veniens perbenigne a Rege exceptus, & summo in honore habitus fuit. Verum non diu Cleomenes hoc facinus tu-
D lit impune. Nam detecta fraude sua judicium metuens in Thessaliam primum profugit: atque inde in Arcadiam reversus, rebusque illic novandis, & Arcadibus contra Spartanos incitandis, ac jurejurando sibi devinciendis intentus, a suis quidem vim ipsius formidantibus Spartam revocatus est, & dignitati regiæ restitutus: sed mox in insaniam delapsus, jam antea non satis mente sibi constans, cum a propinquis compedibus ligneis indutus esset, per preces & minas impetrato a custode gladio ipse sibi carnifex teter factus est. Nam a suris exorsus
E carnes suas in longum secuit, & a suris ad fæmora, a fæmoribus ad superiora progressus, cum jam ventrem scinderet, animam efflavit, nulla sobole relicta, exemploque toti Græciæ fuit, quam non sine atrocibus pœnis sequentibus atrocia delicta committantur. Cleomene mortuo, Leutychides alter Rex poscentibus Æginetis, & de injuria conquerentibus a Spartanis traditus est, ut per eum cives suos apud Athenienses depositos recuperarent. Sed frustraneum Æginensibus id fuit. Quapropter Leutychide dimisso, alia utendum ratione rati sacram Atheniensium navem stato tempore Delum quotannis commeare solitam, qua vehebantur complures primorum civitatis Atticæ, Sunio per
F insidias abreptam abducunt, vectoresque in vinculis habent. Hoc facinus ulturi Athenienses occasione arrepta (erant enim jam ante, ut dictum, malo in Æginetas vicinos animo, & vindictæ cupidi) consilio Themistoclis instructa classe navium LXX. quarum XX. a Corinthiis tum temporis civitatis suæ amicissimis minimo redemptas precio acceperant, insidiis paratis non succedentibus, aperto bello Æginam invadunt, & commisso navali prælio Æginetas piaculo recenti obnoxios superant. Hi clade accepta Argivos veteres amicos

A & in Græcia præpotentes, sed nuper a se offensos, auxilia rogant, verum repulsam publice ferunt, privatim voluntarios mille auxiliares impetrant: Tum certamine repetito cladis aliquid Atheniensibus incomposito tum forte agentibus reponunt. Quid vero præterea eo bello, & quo eventu sit gestum, quomodo ac quando finitum, *Herodotus* non tradit. Hoc solum, cum res Xerxis recitat, affirmat, bellum hoc ipsum contra Æginenses, toti Græciæ saluti fuisse: occasionem quippe Atheniensibus dedisse conferendi se ad studium rerum maritimarum; quibus fracta postea est potentia & vis Persarum, quæ videbatur esse insuperabilis. Ut B autem idem testatur, durante bello Æginæo, Darius adhuc æstuans dolore ab Atheniensibus & Eretriis ante aliquot annos accepto, imperio militari Mardonio ob res male gestas abrogato, Duces alios duos ad bellum his inferendum emisit Datim genere Medum, & Artaphernem, fratris sui Artaphernis, qui hactenus Lydiæ præsederat, filium, maximis copiis & apparatu omnis generis terra marique instructos. Hi omni exercitu & apparatu triremibus sexcentis, & aliis navibus hippagogis in ora Ciliciæ imposito, cum Samum venissent, inde non secundum litus, ut a Mardonio C nuper erat factum, itinere longiore Hellespontum & Thraciam Macedoniamque petiere, sed recta navigatione per mare Ægæum, & medium insularum Cycladum, quæ Græciæ objacent, in Eubœam Atticæ terræ proximam delati sunt. Ibi expugnatis primum Carystiis, juxta quos cum classe appulerant, deinde Eretriam Eubœæ urbium maximam contenderunt, ejus opprimendæ & diripiendæ cupidissimi. At Eretrienses quanquam ab Atheniensibus subsidium armatorum quater millium, quod rogaverant, accepissent, tamen ancipites animis, nec satis inter se concordes, ut solet in summis periculis fieri, vehementer in consilio D fluctuabant. Demum pugna quidem abstinendum, ad quam non satis virium sibi esse contra tantum exercitum hostilem videbant, sed urbem tamen contra vim oppugnationis defendendam sibi existimabant. Itaque admota undique hostili vi, per sex totos dies mœnia urbis egregie & fortiter tutati sunt multis hinc inde cadentibus. Septimo vero die quorundam suorum proditione admissis hostibus in potestatem eorum venere. Tum sacra & profana direpta, urbs vastata, templa igni data; in ultionem eorum, quæ Sardibus dudum contigerant: Eretrienses omnes in servitutem tracti. Hinc E Persæ mari angusto trajecto in oppositam regionem Atticam irruerunt, ductuque Hippiæ tyranni Attici, qui studio recuperandæ patriæ & dominatus cum ipsis venerat, in campum Marathonium, ob patentem planitiem committendis præliis maxime idoneum, se contulerunt. Ad quem locum etiam Athenienses suas copias eduxere, numero, ut alii autores perhibent, decem millium: *Herodotus* numerum non notat: quibus supervenere, auxiliares Platæensium circiter mille. Illic cum per aliquot dies opposita castra habuissent, tandem Athenienses ductante Miltiade Cimonis filio, cujus eo die summum imperium erat (per vices enim decem Duces, qui in exercitu erant, impe- F rabant) optime explicata acie, in adversam Persarum aciem cursu se incitarunt, pauci in multo plurimos, & pugna validissima fortissimis animis commissa mirantibus audaciam eorum hostibus & haud segniter repugnantibus, clarissimam victoriam reportarunt, cæsis hostium sex millibus & quadringentis, amissis suorum centum nonaginta duobus, toto hostili exercitu, quem scriptores alii trecentorum, alii ducentorum decem millium fuisse produnt, in fœdissimam fugam compulso. Victoria potissimum singulari virtuti Miltiadis adscripta cum perpetua nominis ejus gloria. Hostes trepidi in naves se recepere, quarum septem in Atheniensium venere potestatem. Reliquæ in Asiam redierunt. Post pugnam & victoriam partam bis mille Lacedæmonii ante plenilunium peractum domo proficisci ex superstitione patria non ausi, properato itinere, ut subsidio Atheniensibus essent, Athenas advenere, & Marathonem usque spectandorum cæsorum studio progressi, collaudata Atheniensium virtute domum sunt reversi. Occubuit in ea pugna fortissime dimicans polemarchus Atheniensium Callimachus, & e Ducibus Stesileus Thrasyli, & cum his Cynægyrus Euphorionis filius navem Persicam retentans. Hippiam Pisistrati, Atheniensium quondam tyrannum, pro Persis præliantem periisse posteriores produnt, sed nec *Herodotus* nec *Thucydides* id memorant. *Herodotus* vero de scuto Persis ostentato calumniam sparsam contra Alcmæonidas prolixe refutat: & hinc sumpta occasione res familiæ Alcmæonidarum recenset. Darius autem adductos ad se captivos Eretrienses, aspectu in misericordiam versus habuit clementer, ac sedem iis in regno suo ad ostia Tigridis in mare erumpentis tribuit: quam retinuisse eos etiam sua ætate affirmat *Herodotus*. Pugnatum esse ad Marathonem annos quinque ante mortem Darii Regis. & initium Xerxis, ex serie rerum & temporum, quæ est apud *Herodotum*, licet colligere. *Thucydides* id refert ad annos quasi XX. completos post Hippiam Athenis ejectum & ex Sigeio Susa profectum, ad X. vero annos ante susceptam a Xerxe expeditionem in Græciam. *Dionysius Halicarnass.* huic eventui imputat annos XVI. post mortem M. Bruti primi Romanorum Consulis. Quæ tempora notata eodem fere collimant. *Dionysii* nota congruit ad annum secundum Olympiadis septuagesimæ secundæ, in quem hoc gestum quoque conjicit in canone Chronico Eusebius Cæsariensis: quod ego etiam in canone meo cum magno Scaligero sum secutus.

Miltiades gloria jam & civium suorum gratia florens petitis & impetratis a populo triremibus bene armatis LXX. dissimulato consilii sui scopo, tantum professus se magno commodo civitatem aucturum, in Parum enavigat, ac urbem obsidet oppugnatque. Sed dum de maceria forte desilit, femur graviter lædit, coactusque est propterea omisso cœpto domum cum classe ac milite reverti. Ob hanc rem parum prospere gestam ab æmulis gloria ejus ægrescentibus graviter traductus fuit, & a Xanthippo Periclis patre æmulorum acerbissimo, die dicta apud populum velut reus læsæ ac circumventæ civitatis est accusatus, ut capite pœnam daret. Cui cum respondere non posset ipse ob vitium fæmoris lecto affixus, fecerunt hoc pro eo amici, qui detrimento huic maxima ejus in rempublicam merita, inprimis Lemnum occupatam & reipublicæ Atticæ traditam, ac nuperam victoriam Marathoniam opposuere. Populus mediam viam ingressus pœna capitis remissa in quinquaginta talentorum mulctam reum condemnavit. Quæ priusquam exsolvi posset, reus Miltiades ex putrefacto fæmore vita decessit. Mulctam dictam pro patre defuncto Cimon filius exsolvit. Sic *Herodotus*, Scriptores alii sæculi posterioris carcerem rei, & alia perquam iniqua addunt. Illustre exemplum fortunæ inconstantis, & varios ludos in rebus hominum facientis: ac δεῖγμα gratiæ popularis lubricæ, etiam erga optime meritos, facileque exolescentis, & si quid vel in minimo offenderis, in odium se vertentis. Xanthippi autem & Miltiadis æmulatio & simultas transit utrimque ad hæredes.

Morti Miltiadis *Herodotus* ſubjicit narrationem de Pelaſgis ex Attica quondam ejectis, poſt Lemno potitis, atque ex ea Athenienſes graviter ultis, ac A demum a Miltiade tum temporis Cherroneſi Thraciæ domino e Lemno expulſis.

Cum his finit Herodotus librum VI.

RERUM VETERIS GRÆCIÆ FLORENTIS ex HERODOTO

LIBER TERTIUS.

HERODOTI LIB. VII.



POST pugnam Marathoniam quies Græciæ Europææ fuit proximis annis a Perſis. Nam quamvis Darius cognita ſuorum clade in terra Attica majore quam ante iracundia in Athenienſes exarſerit, & dedecus acceptum ulciſci ſtatuerit, tamen in parandis rebus tanto bello neceſſariis (majore enim exercitu & apparatu, quam quibus uſus erat prius, ſibi opus eſſe videbat) totum triennium impendit. Quarto vero anno nunciatum ei eſt Ægyptum ab imperio Perſico defeciſſe: atque ita nova, & quidem priore non minor, aut potius haud parum major cura ei eſt injecta. Et ſimul vehemens contentio inter filios ejus diverſis matrimoniis, & diverſis temporibus natos de ſucceſſione in regnum ipſo jam ſe neſcente fuit exorta. Nam qui ex matrimonio priore ipſi adhuc privato erant nati, propter ætatem ſibi deberi ſucceſſionem contendebant, in quibus natu maximus erat Artabazanes. Qui vero illi jam Regi ex filia Cyri Atoſſa poſteriore conjuge erant geniti, quorum maximus erat Xerxes, tum propter natales regios, tum propter matrem Cyri filiam, qui regnum Perſis paraverat, ſe potiores prioribus exiſtimabant. Lis a patre ſecundum Xerxem, ex ſententia Demarati Spartani apud Darium tum degentis, qui id Spartæ obſervari perpetuo dicebat, data fuit, Xerxeſque Rex vivente adhuc patre eſt declaratus. Anno autem proximo poſt defectionem Ægypti Darius e vita deceſſit, cum ſex & triginta annos regando compleſſet. Ei ſtatim Xerxes filius ſucceſſit, quum flueret Olympiadis LXXIII. annus tertius.

Novum Regem Mardonius cognatus cum primis ſtimulavit, ne bellum, quod in Athenienſes & Græcos pater paraverat, ullo modo negligeret. Nam elati animi juvenis ſperabat, ſubacta Græcia & proximis quibuſque Europæis devictis (id enim & ſibi & Regi pollicebatur) ſe magnis imperiis illic præfectum iri. Accedebant ſuaſores Alevadæ e Theſſalorum regio genere, ob libertatem Græcis infenſi, & Piſiſtratidæ Athenienſes oleum camino huic affundebant ſtrenue, in aula Perſica obverſantes, operaque in hanc rem ſortilegi hominis vaniſſimi vaticinia profitentis abutebantur. Nec Xerxes ſtimulis habebat opus: per ſe enim deſiderio belli hujus ardebat. Sed prior eum cura urebat recuperandæ Ægypti, in quam omnia a patre jam parata habebat. Itaque rebus regni ſui conſtitutis, anno, qui mortem patris ſecutus eſt, iſtuc vires ſuas vertit, Ægyptumque non longo tempore imperium Perſicum rurſus ſubire coegit, dureoreſque ei conditiones dixit, quam quibus uſa hactenus fuerat: & B præſidem ei dedit Achæmenem fratrem ſuum, ab Inaro Libye poſteris temporibus interemptum.

Recuperata Ægypto concilium ſuorum ſibi adeſſe juſſit velut de bello adverſus Græcos deliberaturus, revera quid quiſque ſentiret cogniturus, haudquaquam autem a ſententia ſua quam animo conceperat, deceſſurus. In eo mentem ipſe ſuam primus expoſuit oratione vanitatis pleniſſima. Cui ſuccinuit Mardonius, & utrem per ſe tumentem magis inflavit, atque ita diſſeruit, quaſi ſpiritu ſuo Græcos omnes diſſipaturus. At Artabanus Xerxis patruus non ætate ſolum, ſed prudentia quoque gravis, & longo uſu rerum humanarum rationem edoctus, C oratione ſua in alia omnia ivit. Oſtendit enim quam vana ſit potentiæ humanæ fiducia, quam fragilis ac incerta fortuna: quid patri Regis dudum contra Scythas, & nuper adeo contra Athenienſes acciderit: Marathoniam cladem argumento eſſe, non eſſe imbelles Græcos: rem, quam moliri ſe diceret Rex, eſſe periculoſiſſimam: etiam atque etiam de ea cogitandum, & preſſe deliberandum, priuſquam occiperetur: ſi quis quavis in re ſimili ſecus faceret, eum ſine dubio, ſive adſpiraret ei fortuna, ſive reflaret, temere facere, nec recte conſilium capere: experientia notum eſſe, eminentia maxime D a Deo fulminibus feriri: *φιλέειν γὰρ τὸν θεὸν πάντα τὰ ὑπερέχοντα κωλύειν*: hinc adeo fieri, ut maximæ ſæpe copiæ volente Deo a parvis profligentur, & viribus ſuis freti potentes in inopinatas calamitates incidant: *θε' γὰρ ἐᾷν ἄλλον μέγα φρονέειν τὸν θεόν, ἢ ἑαυτόν. Ἐπειχθῆναι μὲν νυν πᾶν πρῆγμα τίκτειν σφάλματα, ἐκ τῶν ζημίας μεγάλας φιλέειν γίνεσθαι: ἐν δὲ τῷ ἐπισχεῖν ἐνεῖναι ἀγαθά, εἰ μὴ παραυτίκα δοκέοντα εἶναι, ἀλλ' ἀνὰ χρονόν*, inquit, *εὕροι τις ἄν*. Atque hæc ad Regem. Dein ad ſolum Mardonium converſus ferocia juvenili ſtolidum, increpuit vanitatem ejus in traducendis & temnendis Græcis: & conditionem ei tulit verbis graviſſimis ad retundendum animum ejus, E atque a ſententia feroce revocandum: quam niſi admitteret, ac nihilominus in conſilio temerario perſiſteret, ominatus eſt eidem infeliciſſima quæque, quæ eum poſtea prehenderunt. Sed monitis ſapientiæ locus non eſt, ubi animos ſtolida ferocia occupavit. Itaque Xerxes improperans patruo ignaviam animumque degenerem, hanc ei pœnam inertis ſententiæ dixit, ut iners domi manens glorioſæ expeditionis particeps ne fieret. Paulo poſt autem velut pœnitens priorum, coacto rurſum Perſarum conſilio, laudata patrui Artabani ſententia, mutare ſe propoſitum profeſſus eſt, gaudioque concilium affecit. Verum a malo dæmone nocturnis F ſomniis agitatus, ad priora relapſus, ut facto locus daretur, expeditionem infauſtam indixit. Tum rurſus non ſubito, ſed ut inſtructior omnibus rebus hujuſmodi bellum aggrederetur, alterum quadriennium a recuperata Ægypto, ut ait *Herodotus*, parandis exercitibus & claſſibus ac rebus neceſſariis incubuit, ac quinto demum

anno iter ingressus in Græciam contendit. Motus autem hic tantus fuit, ut tota quasi Asia moveri sedibus suis videretur. Interea vero, ut classis periculum, cujusmodi ante aliquot annos sub imperio Mardonii in circumnavigando monte Atho acciderat, declinaretur, jussu Regis Athos, sedes quinque oppidorum, in mare magni promontorii instar post sinum Strymonicum, qua Macedonia Thraciæ conjungitur, procurrens, lata & profunda fossa, per quam binæ triremes e latere sibi junctæ commeare, & remis impelli poterant, a continente abscissus, & in insulæ modum redactus fuit: per quam fossam tota classis postea cum istuc fuit ventum, est traducta. At Xerxes cum Halym fluvium, qui quondam Cyri & Crœsi imperium terminabat, cum exercitu transiisset, & superata Phrygia Lydiæque parte Sardes venisset, atque ibi, quod reliquum hyemis, exegisset, legatosque rursum Athenas & Spartam ad petendam ex more terram & aquam misisset, ac simul per hyemem eandem Hellespontum ponte jungi præcepisset, primo vere cum omni exercitu terrestri pene innumero ex variis conflato nationibus Hellespontum petiit stupentibus omnibus per quos transibat. Nec enim tantus exercitus a quoquam mortalium ante visus fuerat, qui bibendo totos fluvios exhauriebat, & siccos reddebat. Ut cætera itineris ejus omittam, Abydi, ubi Hellesponti angustiæ ponte ex navibus confecto stratæ erant, Xerxes desiderio suo satisfacturus ex sublimi prætorio non procul litore in patenti campo erecto utrumque exercitum terrestrem & maritimum cum tota classe oculis suis lustravit, & prædicata beatitudine sua, qui tantarum copiarum dominus esset, paulo post in lachrimas se effudit. Et cum ab Artabano patruo, quem hucusque secum duxerat, interrogatus esset, quid id sibi vellet, hoc dolere se dixit, quod ex tanta hominum multitudine intra annos centum nemo esset in vivis futurus. Quem cum ex miseria vitæ humanæ quantumvis brevis solatus esset Artabanus, incidit cum eo in aliud prolixum colloquium sapientia plenum, fuse ab *Herodoto* recitatum; post quod Artabanus a Rege Susa remissus est. Eo digresso exercitus pedestris equestrisque per pontem instauratum firmiusque connexum, (nam ante commoto fluctibus Hellesponto solutus fuerat, & Xerxes ob injuriam flagris cædi Hellespontum, & compedes ei injici contumeliæ causa jusserat) ex Asia in Europam spacio dierum septem traductus est, & ad Doriscum Thraciæ numerus ejus initus: omnes rursum oculis Xerxis subjecti; classisque lustrata. Hæc διάβασις facta est sine dubio Olympiadis LXXIIII. anno quarto, vere jam maturo.

Adjicit his *Herodotus* catalogum exercitus Xerxei, in quo inventa dicit decies septies centena millia capitum terra militantium, atque in his equitum octoginta millia, præter eos qui camelis utebantur, & curribus. In classe numeratæ sunt triremes mille ducentæ & octo, præter biremes & actuaria navigia cum hippagogis ad numerum trium millium. In classiariis copiis recenset quinque triremes Artemisiæ Lygdamis filiæ Halicarnasseæ sponte militantis, ejusque encomium recitat. Mox subjicit colloquium Xerxis cum Demarato Rege Spartano apud ipsum exule, memorans superbissima Persæ quæsita, & liberrima Spartani responsa, tuentia nomen & decus Græcorum, inprimis Laconum cum prædicatione disciplinæ & fortitudinis eorum: qui licet liberi sint, dominam tamen, ait, habere LEGEM, atque huic præstare eos obsequium promptius & accuratius, quam Persæ præstent Xerxi: Et hos sine dubio non esse formidaturos hanc adventantem multitudinem exercitus Xerxis, sed fortissime in eam pugnaturos. Sed dicit, cum risu Demaratum velut fatuum a Xerxe dimissum. Post quæ *Herodotus* iter Xerxis per Thraciam & Macedoniam describit ad Thessaliæ initia, unde incipit Græcia. At Græci cum certiores essent facti, tantos in Asia apparatus non contra Athenienses solum, & qui cum his facerent, quod fama ferebat, sed contra totam Græciam fieri (primus hoc Demaratus per occultas literas Spartanis suis, incertum quo animo, significaverat, Spartani Atheniensibus & reliquis Græcis denunciaverant) non omnes eodem modo fuere affecti. Erant enim non pauci, qui terram & aquam, deditionis tesseras occulto legatis Persicis jam ante dederant: quorum præcipui fuisse feruntur Thebani cum Bœotis reliquis, exceptis solum Thespiensibus & Platæensibus qui Atheniensium partes sequebantur: multi etiam Thessali ab Alevadis persuasi, itemque alii ex reliqua Græcia: non pauci quoque in consilio nutabant. Melius sentientes concilio coacto ad Isthmum, & deliberatione de salute communi præmissa, juramentum in hanc sententiam sibi mutuo dederunt, *arma contra Persas se conjuncturos, & libertatem Græciæ communibus viribus defensuros: atque in hunc finem simultates & inimicitias intestinas ad tempus se deposituros, pecuniasque debitas invicem sibi remissuros: eos etiam Græcos, qui non cogente necessitate Persis se dedissent, decimaturos Delphis, id est, decimum quemque Apollini devoturos, mortique daturos*. Et aut tunc, aut non multo prius bellum inter Athenienses & Æginetas, quod diu tractum sæpe recruduerat, demum compositum. Cujus belli occasione, uti ante dictum, Athenienses cœperunt rei nauticæ incumbere impensius, classem, & classiarium militem, remigesque auxere plurimum, autore potissimum Themistocle Neoclis, ingenii solertissimi viro, quo suadente pecunia ex re metallica Lauriensi, quam alii captandæ popularis gratiæ ergo in capita puberum viritim distribuendam censebant, struendis pluribus navibus est impensa, ut earum numerus jam ad ducentas fere accederet. Quæ res in hac tempestate belli Persici non solum Athenas, sed universam quoque Græciam servavit. Circiter idem tempus cum Atheniensibus de re sua merito sollicitis (his enim potissimum minabatur Persa) oraculum Delphis redditum esset, solos civitati muros ligneos saluti futuros, idque alii aliter in re trepida exponerent, idem Themistocles tum primum ad famam emergens solerter de classe interpretatus est, contenditque victoriam navalem Atheniensibus promitti ad Salaminem. Atque hanc sententiam velut optimam civitas fuit secuta, omneque studium ab eo tempore ornandæ augendæque classi adhibitum. Tum quoque a Græcis, quibus animus erat libertatem & patriam tueri, legationes decretæ in Siciliam, Cretam, Corcyram ad petenda contra communem omnium Græcorum hostem auxilia. Missi quoque ad Argivos legati, qui eos quoque excitarent ad socia arma cum reliquis Græcis jungenda, qui aut frigere, aut in communi periculo quiescere velle videbantur, a nonnullis etiam, quasi tacite cum Persis facerent, & cum iis compositam rem haberent, insimulabantur. Sed omnia hæc irrita fere fuere. Nam Argivi odio Sprtanorum, a quibus vehementer dissentiebant, hujusmodi societatis conditiones ferebant, quæ a Spartanis admitti non possent, & Spartanos sociosque gravius offenderent. Et Gelon Syracusanus, qui tum temporis totam Siciliam in potestate habebat, & non minus navium & reliquarum copiarum, quam omnes in Græcia socii, possidere dicebatur, primum totius belli Ducem contra Persas crea-

creari se poscebat, deinde classis imperium sibi dari postulabat. Quarum conditionum primam cum Spartani, alteram Athenienses recusarent, Gelon facessere legatos ex Sicilia, & suis renunciare jussit, ver ex anno illis exaruisse, id est, præcipuas vires ob rejectas conditiones, & non coeuntem propterea societatem, Græciæ decessisse. Idem tamen cum Xerxem in Europam transiisse cognovisset, sibi quoque ab eo metuens, præsertim bello Punico Siciliæ tum imminente, Cadmum quendam Coi quondam tyrannum pecunia & mandatis instructum in Græciam misit, qui motum fortunæ observaret, & Xerxem victorem nomine suo promisso obsequio demereretur, victum non curaret, sed cum pecunia in Siciliam reverteretur. Corcyræi, qui plurimum rebus maritimis in Græcia poterant, legatis amplissima polliciti sunt, fassi suam fortunam a Græciæ fortuna pendere, sed alia omnia ac polliciti sunt, in animis habuere. Nam cum discrimen a Xerxe ingrueret, naves quidem LX. probe instructas emisere, velut auxilio Græcorum classi futuras, sed eas ad Laconiæ oram hærere jusserunt, donec appareret, quo fortuna belli esset inclinatura: si contingeret vincere Xerxem, ut ei se ostentarent, tanquam in ipsius obsequium emissæ, quod magnæ gratiæ sibi futurum apud eum Corcyræi sperabant: sin alio fortuna concederet, ejus se motui accommodarent, moræ vero causam in ora Laconica prætexerent quam possent speciosissimam. Quod & factum ab iis est cum feliciter a Græcis ad Salaminem esset pugnatum. Nam accusantibus eos Græcis, quod contra promissa auxilii nihil in discrimine tulissent, responderunt, sibi quidem paratam voluntatem fuisse, & triremes LX. in auxilium misisse, sed eas propter flatum etesiarum promontorium Laconiæ Maleam superare non potuisse, ideoque ad Salaminem præsto non fuisse. Tam proclivia semper sunt hominum malorum ingenia ad colores perfidiæ suæ obducendos. Cretenses vero rebus navalibus præpotentes oraculi Delphici prætextu, cujus sciscitandi causa e suis quosdam miserant, opis nihil rebus communibus præstiterunt, & quantum in se fuit Græciæ salutem tempore difficillimo prodiderunt. At interea Athenienses & Spartani, quibus potissimum ab eorum exulibus stimulatus succensebat Xerxes, obfirmati animis pro tuenda libertate satagebant: qui legatos Darii ad se missos terram & aquam flagitantes cum verborum contumelia in barathra & puteos præcipitaverant. Cujus noxæ eluendæ gratia Spartani a Talthybii sacerdote moniti duos e civibus suis bono loco natos sponte se ad id offerentes Susa ad Xerxem miserant, ut pœnas pro republica penderent. Sed hi a Xerxe, qui obnoxios criminis manere, quam noxa solvi Spartanos malebat, incolumes domum remissi. Athenienses nihil hujus tunc fecere. At iidem cum sociis, quum Xerxes jam Sardes venisset, speculatores in castra ejus misere: quos detectos & ad se adductos Xerxes non solum pœna nulla affecit, sed etiam circumduci per castra, & omnia contemplanda oculis eorum subjici jussit, existimans hoc ad terrorem Græcis injiciendum, non ad metum demendum, cum visa sibi speculatores retulissent, facturum esse. Postmodum autem Xerxe ad Hellespontum jam progresso, ac ad transeundum in Europam, parato, cum Thessali intelligerent in se primum tam formidabilem hostem esse venturum, ad Græcorum concilium, capiendi consilii gratia, ad Isthmum tum rursum congregatum quosdam e suis ablegarunt petitum auxilia ad tantum hostem excipiendum repellendumque idonea: quæ nisi acciperent mature, significarunt, infirmitatem suam

A satis sibi necessitatis futuram ad imperium Persarum subeundum. Quapropter Græci optimum esse rati in ipso primo Græciæ aditu hosti occurrere, & Græciam integram potius, quam magnis partibus mutilatam tueri, statim decem armatorum millia navibus imposita in Thessaliam misere sub Ducibus duobus Euæneto Carini Spartano, & Themistocle Neoclis Atheniensi, qui cum equitibus Thessalis conjuncti ingressu regionis, qua Peneus fluvius inter Ossam & Olympum montes sublimes satis angusto tramite defluit, Persas prohiberent. Sed paulo post a nunciis Alexandri Macedonis quem Græcorum amantem esse constabat, persuasi tum ob exercitus adventantis magnitudinem, tum quod alii

B quoque in Thessaliam aditus paterent, relicto loco ad naves se receperunt, & ad Isthmum, unde missi erant, rediere. Sic Thessali deserti a Græcis se Persis dediderunt. Post hæc iterata ad Isthmum deliberatione decretum de Thermopylis insidendis loco Thessaliæ finitimo, & ad tuendum multo magis quam prior ille ad Peneum fluvium idoneo. Destinatæque illuc copiæ pedestres ad sex mille e variis civitatibus confectæ, earumque Imperator designatus Leonides Rex Spartanus Cleomenis frater princeps longe fortissimus. Res maritimæ Atheniensibus præcipue & Æginetis paucisque aliis

C commissæ; placuitque ut classis ad littus Artemisium se conferret Thermopylis quam maxime vicinum, quod supra oram Histiæotida in Eubœa versus boream porrigitur, ubi pelagus spaciosum a Thracia veniens post angustum trajectum, qui est inter litus Magnesiæ & insulam Sciathum, oppositis Eubœæ & continentis oris se infundit. Igitur cum auditum fuit Xerxem cum exercitu & classe Thessaliæ appropinquare, & jam Thermæum litus tenere, copiæ Græcorum terrestres & navales ad loca sibi assignata festinæ venere, & simul Xerxes cum suis ad proxima Thermopylarum, quæ sunt

D in sinu Maliaco, accessit. At classis Græcorum casu trium navium suarum ad Sciathum territa ad interiora inter Eubœam & Bœotiam, qua Euripus fluit inter Chalcidem ac Aulidem se recepit. Verum audito naufragio classis Persicæ ad Sepiada Magnesiæ promontorium ex tempestate subito coorta, quo naves cccc. cum magna hominum multitudine & pecuniarum copia periisse tradit *Herodot.* & hanc primam Xerxi cladem in hac expeditione accidisse ait, eodem post aliquot dies rediit. Xerxes interea cum omni exercitu terrestri, quem multis millibus Europæorum auxerat, ad Thermopylas delatus, cum speculatorem emisisset, & per eum

E cognovisset, qui essent & quid agerent, qui cum Leonide angustias illas, quas portas vocabant, custodiebant (ludis autem gymnasticis se Spartani ccc. qui tum forte in excubiis ante munitionem agebant, velut per otium sineque metu exercebant, aut comas pectebant) vocato ad se Demarato, quid hoc sibi vellet, percontatus audivit, ad periculum pro patria adeundum, ac, si necesse esset, mortem oppetendam eos se parare: verum vanitatem verborum horum, ut ipse rebatur, ludibrio habuit, non dubitans, quin paulo post sine pugna in fugam essent abituri. Sed cum falli se, & nihil præter rem dixisse Demaratum comperisset, quinto

F demum die post colloquium jussit Medos primum in eos pugnare: dein his post multam suorum cædem pedem referentibus, Persarum fortissimos, quos quasi insuperabiles, immortales nuncupabat, in certamen submisit. Sed & istis quanquam haud ignave agentibus, & sub oculis Regis (Rex enim spectator in solio sublimi sedebat) in discrimen audacter se inferentibus, atque omnia expertis, idem certaminis eventus fuit, attonito Rege, & de universo exercitu suo jam sollicito. Et tamen po-

ſtridie prælium fortiter inſtauratum, verum fortuna non meliore quam pridiana fuerat. Barbarorum quippe ingens ſtrages in anguſtiis, ubi ſe explicare multitudo & in hoſtem pugnare non poterat, a paucis Græcis edita, & recedentium terga denſim cæſa. Xerxes conſternatus vehementer, & conſilii inops. Quod animadvertens Epialtes Trachinius locorum illorum gnarus adiit eum, & Ducem ſe profeſſus eſt viæ difficilis quidem, & anguſtæ aſperæque, ſed qua tamen eniti copiæ regiæ in montem, ſi contentio adhiberetur, & ex eo deſcendentes a tergo circumvenire Leonidem & Græcos, alia omnia opinantes, poſſent. His verbis exhilaratus Rex promptiſſimos quoſque ſub Præfecto Hydarne ſequi Epialtem præcepit: & hi tranſmiſſo Aſepo amne per nocturnas tenebras in montem eniſi, & jam, dejecto, quod illic excubias agebat, Phocenſium præſidio, deſcendere breviore & faciliore via cœperant, cum id a transfugis nunciatum Græcorum animos vehementer turbavit. Qui in re deſperata deſerto loco, non nolente Leonide ſine mora in diverſa dilapſi fuere. Leonides, cui deſerere ſtationem ſibi commendatam turpe videbatur, cum ſolis Spartanis trecentis, & Theſpienſibus ſpontaneis, Thebanis autem invitis (nam & hi a cæteris Græcis volentes nolentes ad Thermopylas ducti fuerant, ut obſides potius fidei ſuorum quam pugnatores eſſent) per noctem devotis in mortem animis ad pugnam ſe pararunt. Sole vero exorto, & Xerxis exercitu in aciem exeunte, cum adhuc in deſcenſu cæteri Perſæ laborarent, non jam in anguſtiis, ut prius, ſe continuere, ſed in patentiora progreſſi in adverſam multitudinem hoſtium irruerunt, & multo plures quam pro numero ſuo ceciderunt, ac demum feſſi, & multitudine obruti in turba cadentium ipſi frequentes quoque cum Leonide Rege occubuere: reliqui in anguſtias regreſſi ab iis, qui cum Epialte e monte ſe jam demiſerant, occupato tumulo fortiſſime pugnantes ſunt interempti. Perſarum in his præliis ceciderunt ad xx. millia. Thebani ſoli ſcutis ſublatis invitos ſe iſtuc veniſſe, & in Perſas pugnaſſe clamantes, & Xerxis ſubditos ſe eſſe ſignificantes, nihilo minus partim occiſi, partim capti, ſed ignominiæ ergo ſtigmatis inuſti ſunt. Leonidæ corpus in crucem ſublatum: trecentorum ſepulchro adſcriptum paulo poſt, Perſis e Græcia profligatis, epitaphium hoc:

Dic, hoſpes, Spartæ, nos te heic vidiſſe jacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Tunc Xerxes agnovit verum ſibi a Demarato dictum. Et tamen etiam tum conſilium ejus utiliſſimum ad debellandos Spartanos de navibus in oram Laconicam mittendis ſprevit. Hæc res ad Thermopylas geſta eſt æſtate media, cum ludi Olympici in Peloponneſo celebrarentur, ut docet *Herodotus*. Fuit autem iſta Olympias ſeptuageſima quinta, ineunte anno ejus primo, quo Archon Athenis fuit Calliades, ut notat *Diodorus Siculus*, cujus Hiſtoriæ pars ea ſecundum annos digeſta, quæ nunc extat, ad hac narratione principium ducit.

Et hic deſinit Herodoti liber VII.

Stabat tum adhuc Græcorum claſſis ad Artemiſium, velut vallum pro Eubœa; velut ex voluntate ſociorum Imperator præerat Eurybiades Spartanus; qui cum, poſcentibus cæteris, abducere inde claſſem, & ad interiora Græciæ traducere vellet, aſtu Themiſtoclis Ducis Attici ab Eubœenſibus exorati tantiſper illic retenta eſt, donec Eubœenſes res ſuas cum liberis & conjugibus in tutum aſportare poſſent. Interea claſſis Perſica, quæ cladi naufragæ ad Sepiada ſupererat, non ſatis adhuc recreata ex eo loco ad Aphetas in ea-

A dem Magneſiæ ora devenit, atque ibi cognita paucitate navium Græcarum, quæ ad Artemiſium in anchoris erant, libido claſſiarios Perſicos inceſſit invadendi eas. Sed quia metuebant, ne motu ſuo animadverſo fugam eæ ſtatim capeſſerent, priuſquam ipſi ſe commoverent, delectas naves ducentas, relicta ad meridiem & dextram Sciatho inſula Magneſiæ litori objacente, in apertum pelagus vela facere, ne conſpici a Græcis poſſent, & Eubœam circumnavigare, ac poſt Gereſtum ſuperatam quam celerrime Euripum, quo anguſto freto Eubœa ab Bœotia ſeparatur inter Chalcidem & Aulidem oppida, occupare juſſerunt: ita

B futurum rati, ut ne una quidem navis Græcorum, via a tergo præcluſa, fuga ſe eripere e manibus oppugnantium poſſet. Verum aliud Numini humana gubernanti viſum. Nam Græci per transfugam virum Scionæum urinatorem edocti tum de magnitudine cladis Perſarum ad Sepiada acceptæ, tum de navibus Eubœam circumire juſſis, ipſi quoque ſe ad certamen contra eos, qui a tergo venturi erant, præpararunt, ſolventeſque media nocte in occurſum eorum contenderunt. Cum vero neminem ex adverſo ſe ferentem conſpicerent, prima luce converſo curſu ultro in claſſem hoſtilem ad Aphetas hærentem magnis animis ſe intu-

C lerunt quanquam numero navium & hominum multo hoſtibus inferiores: Contractumque validum certamen & diu anceps: donec nox ſuperveniens id diremit. Tum Græci ad Artemiſium, Perſæ ad Aphetas reverſi, & hi quidem certamen experti multo difficilius, quam erant opinati. Atque eadem nocte exorta a monte Pelio horrenda tonitrua, & denſiſſimi ac diuturni imbres, & aquarum impetus e fluminibus decurrens, cadavera & tabulas naufragas a Sepiade in claſſem deferens, claſſiarios diurno labore pugnæ feſſos ad Aphetas vehementer turbarunt, ac metu attonitos reddide-

D runt. Eadem vero tempeſtas naves illas ad vela circum Eubœam facienda emiſſas prope concava iſtius inſulæ deprehendens in petras tam graviter illiſit, ut ex ducentis ne una quidem incolumis evaſerit: quæ ingens rurſum plaga claſſi Perſicæ a tempeſtate illata fuit, numerumque navium hoſtilium vehementer minuit. Paulo poſt venere LIII. naves novæ ab Athenienſibus miſſæ, quibus Græcorum claſſis ad Artemiſium eſt aucta, quæ ſimul lætum nuncium attulere de navium Perſicarum ad litora Eubœæ interitu. His rebus animoſiores facti Græci poſtridie in naves Cilicias a cæteris forte disjunctas impetum fecere, iiſque

E gravi damno affectis, ad Artemiſium denuo ſe receperunt. Id indigniſſime ferentes qui claſſi Perſicæ præerant, in diem ſequentem ad invadendos Græcos ſe pararunt, cunctiſque rite inſtructis lunato agmine in claſſem Græcorum ſe intulere. Nec Græci ſibi defuere. Ita rurſum pugna atrox totis claſſibus ad litus Artemiſium commiſſa, viris & navibus exitioſa, pari fere Marte tandem dirempta. Nam quamvis Perſæ numero navium longe ſuperiores eſſent, nec ſegniter pugnarent, tamen ipſa multitudine in conflictu ſibi mutuo impedimento erant, navibus in naves illiſis, &

F inter ſe implicitis: & Græci obſtinatiſſimis animis pro libertate & fortunis ſuis dimicabant. In quibus eminebant tunc & fortiſſime pugnabant Athenienſes, & in his reliquos virtute anteibat Clinias Alcibiadis pater, cujus ætate proxima clarum nomen fuit. Apud Perſas eo die ante alios laudem meruiſſe feruntur Ægyptii. Hæc omnia mari ſunt eodem triduo geſta, quo terra ad Thermopylas eſt certatum: utrobique anguſtis in locis ad Perſas aditu interioris Græciæ prohibendos. Græci per ſpeculatorem ſuum iſtinc reverſum de caſu Leonidæ ac

A sociorum edocti Artemisio discedendum sibi, & classem prioribus præliis non parum afflictam ad interiora abducendam putarunt. At Themistocles priusquam discederetur duobus consiliis juvare fortunam communis patriæ conatus est. Primum suasit & persuasit, ut Euboicorum pecorum ad mare compulsorum, quantum quisque vellet, mactaret, mactataque navibus imponeret: melius quippe esse in suorum usum ista cædere, quam usui hostium relinquere. Deinde hoc commentus est, ut Ionas cum Caribus si posset, vel abduceret a Persis, vel suspectos iis redderet. In saxis scilicet ad mare, & ad aquationum loca, quo veniendum classiariis Persicis noverat, prægrandes literas incidebat, quibus Ionas appellans monebat, ne contra matrem

B suam Græciam, ex qua originem traherent, amplius pugnarent: impium enim id esse, præsertim, cum propter ipsos hoc bellum esset conflatum, transirentque potius in Græcorum partes, pro cognatis contra communes libertatis hostes pugnaturi: aut si id facere jam non possent, saltem medios se gererent, idemque Caribus persuaderent: sin ne hoc quidem ipsis integrum esset, id quod extremum erat, consulto saltem segnius in pugna se gererent. Secundum hoc litus Artemisium Eubœæ relictum, discedentibus primis Corinthiis, postremis velut agmen claudentibus Atheniensibus, superatoque Euripo in oram Atticæ classis adducta, ac petentibus Atheniensibus ad insulam Salaminem statu-

C ta. Græcis ad Artemisium classis Persica successit, oramque Histiæotida vicinam occupavit. At Xerxes Thermopylas cum exercitu pedestri transgressus, Ducibus Thessalis veteribus Phocensium inimicis, & nupero detrimento exacerbatis, per Doridem regionem angustam, in Phocidem contendit, ejusque loca ab habitatoribus fere deserta longe lateque vastavit, iræque indulgens nec sacris nec profanis pepercit. Et cum Panopæas ejusdem regionis oppidum pervenisset, agmine bipartito in reliquam Græciam invasit. Partem exercitus ma-

D gnam Delphos ad diripiendum templum tota Europa famosissimum & ditissimum misit, quam templo jam imminentem sine ope humana fulmina & fulgura subito exorta, & avulsi a Parnasso duo vertices vicini maxima clade affecerunt, & reliquos ex clade vehementi pavore stratos in fugam abire compulerunt: in quos Phocenses Parnasso decurrentes, in quem metu Persarum se receperant, magnam insuper eorum cædem ediderunt: cædi superstites ægre ad suos in Bœotiam se trepidi receperunt. Alteram partem multo maximam ipse Xerxes in Bœotiam sibi amicam du-

E xit, inde regionem Atticam & urbem Athenas petiturus. Interea classis Græcorum ad Salaminem Atheniensium rogatu subsistens, & navium numero, quæ ad oram Trœzeniam convenerant, aucta, ægre illic continebatur. Nam Peloponnenses in hac rerum perturbatione pro sua potissimum regione solliciti, terram Atticam & reliquas extra Peloponnesum pro deploratis habentes, in Isthmo muniendo & operibus sepiendo erant occupati, & istuc traducere classem, ex qua etiam prælio victa receptus in Peloponnesum vicinam esse posset, studebant. Quod videntes Athenienses turbati animis re inopina (nam Peloponnenses

F speraverant pro defensione terræ Atticæ & sociorum, uti erat æquum, exercitum esse educturos, & cum sociis aliis contra Persas dimicaturos) hoc precibus contenderunt, ut tantisper ad Salaminem classis retineretur, donec ipsi consulere rebus suis domi possent. Quo impetrato Salamine in continentem profecti proposito edicto jussere, ut qua quisquam ratione posset, liberos & familiam suam servaret. Statimque plurimi horum Trœzenen, quæ in Peloponneso est, alii Æginam aut Salaminem in urbes proximas cum rebus carissimis missi, pauculis spontaneis aut ob egestatem, aut alias ob causas in patria relictis. Erant vero eo tempore in classe Græcorum ad Salaminem naves armatæ, præter biremes, numero CCCLVIII. in quem numerum soli Athenienses contulerant, triremes CLXXX. Corinthii XL. Æginenses XXX. quæ erant præcipuæ velocitatis, Megarenses XX. Chalcidenses totidem, sed datas ab Atheniensibus armatas a sese. Reliquas alii minore numero: in quibus fuere etiam Chii, Naxii, Melii, Seriphii insulani. At a classis præfectis, quorum Princeps erat Eurybiades Spartanus totius classis Imperator, dum deliberatum fuit, ubi hostilis vis potissimum esset expectanda, & prælium navale committendum, fama nunciavit, Barbarum in Atticam jam venisse, eamque igne, & ferro vastam facere. Is enim solis in Bœotia Thespiensium & Platæensium oppidis & vicis (ipsi enim patriam reliquerant) instinctu Thebanorum incendio datis, Athenas festinaverat, & omnia obvia in terra Attica pessundederat. Venit autem, ut ait *Herodotus*, in Atticam post tres menses quam omnibus jam per Hellespontum traductis iter per Europam facere cœperat, Athenasque desertas sine labore occupavit: arcem vero a paucis, quibus animus non fuerat patria excedere, infessam defensamque fortiter, tandem etiam expugnavit, trucidatis omnibus quos vivos in ea capere potuerat: templum ipsum arcis, Minervæ sacrum, cremavit. Hoc nuncio de captis Athenis in castra Salaminia allato plerique Duces ne expectato quidem concilii decreto ad naves properarunt, istinc discessuri, reliqui etiam ad Isthmum navigare constituerunt: quod perdendæ sine dubio universæ Græciæ futurum erat. Sed in ea extrema fortuna Themistocles a Mnesiphilo cive Attico excitatus solertia ac virtute sua universis saluti fuit. Nam hinc ad Eurybiadem Imperatorem in navem prætoriam jam ingressum properavit, acceptaque dicendi copia, hoc ab eo obtinuit, ut concilium rursum cogeretur. In eo ipsum Eurybiadem sermone antevertens ita causam egit, nequicquam obloquente Adimanto Corinthio & quod patriam jam non haberet objiciente, silentiumque idcirco imperari ei ab Eurybiade postulante, ut refutato abunde & increpito Adimanto, memorata magnitudine solius classis Atticæ, quæ reliquam totius Græciæ procul superaret, & adjectis minis, nisi ab abeundi consilio a sociis discederetur, se cum Atheniensibus & eorum conjugibus ac liberis, desertis sociis, Sirim Italiæ, Attici juris oppidum, esse petiturum, ibique sedem positurum, ut, inquam, Eurybiadem minis maxime motum a sententia priore discedere compulerit. Itaque de manendo illic, & ad Salaminem prælii fortuna tentanda decretum. Et jam classis Xerxea supplementis novis sarta & non minor, ex mente *Herodoti*, quam ante naufragium ad Sepiada fuerat, ad Phalerum portum Atheniensium devenerat, ad quem Xerxes ipse Athenis descendit. Ibi in consessu Procerum, & classis Præfectorum, in quo ipse præsedit, per Mardonium singulorum sententias exquisivit, præliumne navale esset ineundum, an non. Et cum omnes affirmassent, præeuntibus Sidonis & Tyri Regibus primis in consessu, sola Artemisia Halicarnassea, fœmina fortissima & prudentissima, allatis gravissimis sententiæ suæ rationibus prælium dissuasit; suasit autem, ut cum exercitu pedestri iretur in Peloponnesum; id scilicet toto bello quam ocyssime conficiundo, & solvendæ Græcorum classi esse futurum. Sed quanquam Artemisia collaudaretur a Xerxe, tamen, ceu fieri solet, plurium sententia deterior vicit melio-

rem. Igitur decreto navali prælio statim classis Xerxea sublatis anchoris Salaminem versus promota, aciesque directa. Sed nox ingruens non sivit eo die Salaminem pertingere, manumque cum Græcis conserere. Interim rursus Peloponnesios patriæ suæ timentes impetus quidam corripuit Salamine discedendi, & ad Isthmum cum classe se conferendi. Quibus cum vehementer quidem contradicerent Athenienses cum Æginæis & Megarensibus sed proficerent nihil, Themistocles clam digressus e concilio hominem fidum præceptis a se instructum ad primores classis Xerxeæ misit: per quem persuasi illi Græcos ad Salaminem fugam meditari, sine mora ad occupandos eos & a fuga excludendos se accinxere, occupataque subito Psytalea insula exigua inter Salaminem & continentem sita, omnique vicino mari navibus incincto, per noctis tenebras sinistrum classis suæ cornu versus occidentem sic extenderunt quasi Salaminem circumventuri. Eadem nocte Aristides Lysimachi Atheniensis, cui *Iusti* cognomen erat, ostracismo ad decennium ex urbe relegatus, amore ingratæ patriæ flagrans, cui diu cum Themistocle simultas fuerat, vix inter stationes barbarorum transgressus ex Ægina in Salaminem venit, evocatoque ex concilio Ducum inter se tum forte de abeundo manendove vehementius contendentium Themistocle, ei exposuit, quid agerent hostes, quanto in periculo omnes, qui Salamine essent, versarentur, velut indagine a classe Persica cincti: frustra nunc de discessu disceptari, cum discessus non pateat: ad pugnam omnia paranda, ex eaque sola salutem petendam. Cumque ex Themistocle accepisset, eandem ipsius quoque mentem esse, imo ab ipso concinnatum hoc ipsum esse, quod a Persis fieret ad avertendos a pessimo consilio abeundi Peloponnenses, rogatus ab eo eadem in concilio quoque disseruit, & comperta se exponere affirmavit. Aristide digresso cum vacillarent adhuc Peloponnenses, nec satis fiderent iis, quæ erant dicta, commodum appulit navis Tenia ab hostibus transfugiens, & dictis prioribus plenam fidem fecit. Tum jussi omnes quam citissime ad pugnam se parare. Cum illuxisset, a Temistocle ad viriliter pro patria, pro libertate, pro parentibus, conjugibus, liberis, & quæ singulis cara essent, agendum, gravissima oratione exstimulati in naves se contulere, sublatisque anchoris in apertum sunt progressi. Nec mora facta a barbaris in occursum se concitantibus, consertumque prælium acerrimum, summis viribus utraque parte de rerum summa dimicante, cujus spectator ipse Xerxes fuit, sedens loco celsiore in litore e regione Salaminis, varieque animo fuit affectus, ut varii in oculos ejus incurrebant inter præliandum eventus. Quod scientes classiarii ejus singuli virtutem suam & fidem probare ei voluere, dimicaveruntque fortissime. Sed profuit Græcis, non solum quod exercitati essent optime, & pro patria dimicantes magnis animis rem gererent, sed etiam meliore ordine in angusto pelago dimicarent: Persis plurimum obfuit, quod in tanta navium multitudine, & vario hominum genere minus composite, minusque consulte agerent, sæpe etiam sese mutuo impedirent. Post longum certamen variosque labores, cum utrimque non paucæ, multo plures tamen Persarum naves perirent, Græci plerique eversis navibus suis nando se servarent, Persæ nandi imperiti aquis haurirentur, multi Duces quoque cum cæteris classiariis occumberent, tandem universa classis Persica pertinaci Græcorum virtute superata in fugam se dedit, fremente & vicem suam suorumque dolente ac deplorante Xerxe. In fugam versas pressere vehementer & multas earum perdidere Athenienses: elapsas,

A & Phalerum petentes in maris angustia excepere Æginetæ, bene merendi, ac fortiter agendi studio cum Atheniensibus certantes, quotquot earum poterant, everterunt. Quæ manus Æginetarum & sociorum evadere potuerunt, Phalerum se, portum agri Attici, ad exercituum pedestrem receperunt. Occubuere in prælio Persarum multi illustres, illustrissimus vero Ariabignes Xerxis frater: Græcorum pauci. Egere fortissime tum Æginetæ tum Athenienses: & his præcipua rei bene gestæ, tantæque victoriæ paratæ gloria tributa, Atheniensium autem præstantissimus existimatus Themistocles. In Persica classe, primam fortitudinis laudem tulit, ipso Xerxe judice, Artemisia Halicarnassea: de qua
B Xerxes laborum spectator dixisse perhibetur, *Viri mihi fœminæ sunt facti, & fœminæ viri*. Ipsa casu servata Phalerum rediit. Aristides Atheniensis, quanquam exul, assumptis Atheniensibus qui ad Salaminem excubabant, inclinante ad Græcos victoria, in Psytaleam contendit, & Persas illic repertos omnes interemit. Græci rebus naufragis universis potiti sunt. Hac clade ingenti consternatus Xerxes de fuga ex Europa, & receptu maturo in Asiam consilium clam agitabat, metuens ne ab Io-
C num aliquo pons Hellesponto impositus solveretur, transitusque sibi præcluderetur. Verum ut consilium fugæ dissimularet, quod suos quoque volebat latere, novum opus moliri cœpit, aggerem jaciens in opposito Salamini litore, velut insulam continenti juncturus. At Mardonius, ingenii Regis gnarus, suspicatus id, quod res erat, & sibi quoque velut temerarii consilii autori metuens, eum adiit, & omnibus quibus potuit rationibus est solatus, jacturamque acceptam impensissime extenuavit: fortunam ac vim Regis Persarum non in lignis ac navibus esse sitam, sed in viris & equis: hos
D incolumes esse: si quid culpa commissum, id totum ad Phœnices, Ægyptios, Cyprios, Cilices, pertinere: a Persis nihil admissum, & horum vires esse integras: itaque animum non dejiceret, aut a subigenda Græcia ullo modo absisteret: duceret in Peloponnesum aut statim, aut cum placeret: Quod si ipse redire in Asiam mallet cum exercitus parte, assignaret sibi ad trecenta delectorum bellatorum millia, sese sine periculo Regis abunde ulturum Græcos, & in servitutem redacturum. Quæ etsi congrua essent menti ipsius, tamen velut ambiguus animo & hæsitans dixit ad
E concilium Procerum se esse rem relaturum, & ejus sententiam secuturum. Statimque Proceribus convocatis jussit quoque adesse Artemisiam: atque huic velut prudentissimæ fœminæ seorsim cæteris rem proposuit. Ea censuit, ex consilio Mardonii in Asiam ipsi quam primum esse redeundum, & bellum in Græcos Mardonio committendum: eum Regi, si res bene cederet, victurum; si secus accideret, sine magna Regis & regii honoris jactura, esse succubiturum: Regem gloriæ suæ, captis & vastatis Athenis, qui expeditionis fuerat scopus, abunde satisfecisse. His verbis delectatus Xerxes, mox ipsam Artemisiam, cum liberis suis,
F quos ex Persia secum in Græciam duxerat, Ephesum præmisit, Mardonioque permissa ei facultate deligendi ex omni exercitu, quas & quantas cuperet copias, bellum in Græcia pertexendum commendavit. Quæ omnia eodem die acta sunt, quo ad Salaminem est pugnatum. At ea, quæ secuta est nocte, reliquiæ classis regiæ, Regis jussu trepidantius quam decebat, Phalero solverunt, & litore Attico relicto, festinanter fugientium ac paventium more, ad custodiam pontis in Hellespontum cursum intenderunt. Quo abitu cognito, postquam diluxisset, Græci classiarii sine mora sublatis anchoris fugientes sunt secuti. Sed cum Andrum venissent, quæ Cycladum insula-

rum in numero est, nec visu consequi præcedentes se posse deprehenderent, in Andrum societatis Persicæ ream descenderunt. Ibi consultatione instituta in concilio Ducum, cum suaderet Themistocles, recta in Hellespontum eundum esse, & pontem solvendum, ne trepidus hostis fugiens in Asiam posset evadere, Eurybiades autem totius classis Imperator ob multas & graves rationes ab *Herodoto* recitatas id dissuaderet, & animos cæterorum permoveret, alio consilio inito Themistocles Athenienses suos adiit persequendi & intercipiendi hostis longe avidissimos, & oratione sua ab ista mente abducere annixus, obtinuit quod voluit. Nam plus cæteris videre, prudentiaque omnes superare, ob ea quæ hoc bello acciderant, putabatur. Ille vero ut sibi consuleret, & si quid ab ingrato & instabili populo Attico, multorum capitum bellua, (norat enim ejus ingenium) sibi forte imposterum accideret, fortunæ suæ ad Persicam gratiam viam firmiorem muniret, ut erat vir solertissimus, id ipsum fecit. Quamobrem confestim eodem domestico suo, cujus opera ante usus apud Persas fuerat, clam emisso, Xerxi in terra Attica cum copiis terrestribus adhuc commoranti, simulata erga eum singulari benevolentia, & prædicato studio suo in avertendis a consilio persequendi ejus Græcis, suasit, ut omni mora abjecta servandi sui causa festino itinere in Hellespontum se conferret, priusquam pons, quod propediem futurum putaret, abrumperetur. Xerxes magis hoc indicio consternatus cum omni exercitu ex Attica per Bæotiam eadem qua venerat via in Thessaliam contendit: atque ibi traditis Mardonio trecentis armatorum ex universo exercitu delectorum millibus ad conficiendum bellum, aliisque quæ volebat constitutis, cum comitatu exiguo atque obscuro ut celerius iter facere posset, præcedens, cæteris sequi jussis, fugienti simillimus per Macedoniam & Thraciam ad Hellespontum properavit, eoque diebus XLV. pervenit: Et cum ventorum vi solutum pontem reperisset, conscensis navibus Abydum in Asiam trajecit, ille qui nuper, cum in Europam contenderet, ob potentiam superbia tumescens demensque mari compedes injecerat, flagellis id ceciderat, ac stigmatis inusserat. Reliquus exercitus sequens in via variis incommodis, fame, peste, dysenteria vexatus & attritus magna ex parte periit: Qui vero superstites mansere, lentiore itinere, nec tamen sine detrimento cum Xerxe Sardes tandem pervenere.

RERUM VETERIS GRÆCIÆ FLORENTIS ex HERODOTO

LIBER QUARTUS.



INTEREA Græci classiarii Principe Themistocle, cujus maxima erat in classe autoritas, Andrios & alios insulanos, qui cum Persis senserant, inprimis Parios, & Carystios Eubœenses, pecuniam flagitabant, duobus numinibus validis eos terrentes, Suadela & Necessitate, eaque hic illic urgente metu extorta, Andriis vero qui munitionibus suis fidebant, recusantibus & duo numina alia prioribus non minus, ut dicebant, valida, inopiam & impossibilitatem opponentibus, indignantes Andrum obsidione premebant, sed in eo oleum & operam perdebant. Andro igitur relicta, Salaminem reversi ante omnia Diis primitias ex omni præda secrevere, & harum ex triremibus Phœnissis unam apud Isthmum, alteram apud Sunium terræ Atticæ, tertiam Salamine dedicarunt. Dein reliquam prædam inter se partiti, ex hac quoque partem deceptam, & in statuam x. cubitorum formatam, Delphis inter templi ejus anathemata reponendam curarunt. Tum ad Isthmum se contulere decreturi præmium ei, qui de Græcia hoc bello optime putaretur esse meritus. Ibi singuli e Ducibus primas meritorum per tabellas scriptas aræ Neptuni impositas sibi ipsis tribuerunt, omnes vero uni Themistocli secundas. Quod vere tantumdem valuit, ac si primas eidem tacita confessione detulissent. Et licet Ducum livore gloria Themistoclis pressa fuerit, tamen is vulgo per universam Græciam habitus celebratusque est Græcorum omnium longe prudentissimus. Atque idem ab Isthmo Lacedæmonem cum esset profectus, judicio ejus civitatis rei bene gestæ quidem Eurybiadi, verum solertiæ & dexteritatis Themistocli prima laus fuit assignata, utrique autem corona oleagina donata: & quod ante nulli mortalium ab eadem civitate datum erat, Themistocles Sparta discedens, honoris causa a trecentis equitibus Spartanis ad fines usque Tegeaticos est deductus. At domum reversus ab inimico homine Belbinitano Timodeno obscuræ notæ ob iter illud Laconicum exagitatus, atque audire sæpius coactus, non ipsiusmet, sed civitatis Atticæ respectu a Spartanis esse honoratum, ei finem importunæ vexationis non facienti tandem respondit: *o homo, ita res habet, neque ego si Belbinitanus essem, sic a Spartanis honoratus fuissem, neque tu si esses Atheniensis*. Inter hæc Artabazus, vir apprime inter Persas illustris, Dux copiarum, quæ Xerxem ad Hellespontum properantem erant comitatæ, ex Thracia regrediens cum deprehendisset Potidæatas, qui in Macedonia sunt, post turpem Regis fugam a Rege defecisse, eorumque exemplum imitatos esse reliquos Pallenenses in eadem vicinia, & metueret idem facturos quoque Olynthios Bottiæi generis in finibus Thraciæ, utrosque obsedit, & capta Olyntho, Bottiæisque habitatoribus trucidatis, eam urbem Critobulo Toronæo origine Chalcidensi regendam tradidit: a quo tempore Chalcidenses Olynthum tenuere. Mox arctius Potidæam pressit, & cum Timoxene Scionæo consilia iniit per proditionem sibi urbis hujus tradendæ. Sed casu per literas sagittæ alligatas proditione detecta, & maris insuetata eluvie, exercitum Artabazi tres totos menses obsidioni inhærentis, graviter affligente, & maximum militum numerum absorbente, multis etiam nando servare se conantibus per Potidæatas adnavigantes occisis, obsidionem solvere coactus copias post cladem superstites ad Mardonium in Thessalia, & proximis Macedoniæ locis hybernantem reduxit. At Xerxeæ classis reliquiæ e clade Salaminia elapsæ atque in Asiæ oram reversæ partim Cumæ, partim, sed minore numero, Sami

hyemarunt: Verè autem appetente ad Samum omnes coiere, in quibus epibatæ qui militabant, Persæ & Medi plerique erant, occidentem solem summopere formidantes. Additæ vero ad cæteras Ionicæ naves trecentarum numerum jam explebant. Hæ autem omnes ut in occidentem navigare non audebant, ita Græcos in se venturos non arbitrabantur, propterea quod a persecutione sui abstinuissent, & adhuc Mardonium Græciæ imminentem formidare cogerentur. Interea ad Asiæ oram excubantes Ioniam nutantem in fide Regis continebant. Interim Græci de futuris solliciti exercitum quidem pedestrem, quem Mardonio opponerent, nondum cogebant, sed in colligenda classe ad Æginam erant occupati, quo jam convenerant naves armatæ cx. quibus summus Navarchus & classis Imperator præerat Leutychides ex familia regia Lacedæmoniorum a Procle oriunda: Atheniensium autem, quorum plurimæ erant naves, præfectus erat Xanthippus Ariphronis filius, is, qui Miltiadem ante aliquot annos reum majestatis fecerat, Periclis oratoris pater. Ad hos Æginæ agentes venere sex Chii, qui nuper in Chiorum tyrannum Strattem conspiraverant, sed conspiratione detecta periculum fugientes Spartam se receperant, enixe rogantes, ut ad liberandam Ioniam classis in Asiam duceretur: eorumque precibus importunis datum, ut cum classe Delum iretur. Longius vero ut tenderent, a Ducibus impetrari non potuit. Nam & Græcorum animos, rerum Asiaticarum tunc ignaros, metus aliquis a Persis occupaverat: atque ita utramque partem, ne se mutuo invaderent, formido distinuit. Quo tempore Mardonius jam prope ex hybernis Thessalicis moturus, post oracula consulta, eaque silentio tecta, Alexandrum Macedoniæ Regem, Amyntæ filium, de quo ante in Historia Darii dictum, propter sororem Gigæam Bubari nuptam, Persis carum, legatum ad Athenienses misit, ut si posset, eos a societate reliquorum Græcorum sejungeret. Hos enim cladis Salaminiæ præcipuos autores fuisse sciebat, putabatque iis conciliatis facilem de reliquis sibi futuram victoriam. Qua de legatione cum ex rumore accepissent Spartani, metu correpti, ne societas inter Persas & Athenienses toti Græciæ exitiosa futura coiret, sine mora ad eosdem Athenienses, post victoriam Salaminiam atque abitum Xerxis in patriam reversos, etiam ipsi legatos misere, qui ab ea mente civitatem averterent. Atque hi tempestive satis priusquam audiretur Macedo (nam consulto concionem Athenienses, quod cuperent Spartanos, quos venturos esse existimabant, actioni interesse, distulerant) Athenis adfuere. Concione vero data Alexander in hanc sententiam verba facit. Mardonium a Rege Xerxe nuncium & mandata accepisse, ut Atheniensibus significaret, Regem injurias omnes priores iis remittere: velle, ut regio omnis iis adempta restituatur, & alia insuper pro ipsorum arbitratu addatur: libertas ipsis integra maneat: quin etiam templa eorum hoc bello exusta sumptu regio reparentur, si fœdus inire cum Rege non recusent: atque ad hæc omnia facienda, regiæque voluntati morem gerendum promptum esse Mardonium, modo per ipsos liceat: quinimo monere eundem, ne pergant insanire, & cum Rege tam potente bellum gerere, cui viribus nullo modo queant esse pares: nosse ipsos Regis copias & opes, nec posse ignorare, quantus & quam validus exercitus secum in Græcia sit relictus: quem si contigerit vinci a Græcis, nihil tamen id profuturum, cum exercitus alius major ei sit successurus: quapropter consulerent in tempore rebus suis, & uterentur occasione pulcherrima nunc se offerente, neu persistendo contra Regem sese solo patrio omnique fortuna exuerent: amplecterentur societatem tanti Regis sine dolo malo ultro oblatam & semel se infinitis incommodis & periculis liberarent. Hæc ajebat Alexander Mardonii nomine ac jussu se dixisse: His se addere sua: notam jam pridem ipsis esse suam in civitatem Atticam benevolentiam: rogare se, ut Mardonio morem gerant: non posse ipsos semper Persarum viribus resistere: quod nisi notum haberet, non fuisse se hanc legationem suscepturum, & his verbis apud ipsos usurum: Videre se Regis hujus vires supra hominem esse, & manum prælongam: quod ni assentiantur propere tam ampla pollicentibus, & æquum fœdus offerentibus, non posse se non metuere ipsis, qui ex omnibus sociis maxime velut in via habitent, & soli regionem teneant inter duas quasi acies positam, atque ideo semper præcipuam aliquam cladem accipiant: itaque inducendos ipsis animos ad admittendum hoc quod maxime futurum sit ex ipsorum dignitate: solis quippe ipsis ex omnibus Græcis maximum Regem injurias omnes condonare, & amicitiam ultro offerre. Hactenus Alexander: quo conticescente, statim legati Spartanorum accepta dicendi copia sic locuti sunt. Venimus nos a civitate nostra huc missi, oratum vos, Athenienses, ne quid in detrimentum totius Græciæ decernatis, agatisve, nec a barbaro proposita admittatis. Nequaquam enim id justum, nec conveniens aut decorum ullis Græcis, minime vero omnium vobis ob causas multas. Vos enim hoc bellum primi commovistis etiam nobis nolentibus: & ob imperium vestrum certamen est susceptum quod nunc totam Græciam involvit: vos ejus præcipui autores fuistis, & in hæc incommoda intentatamque servitutem Græcos conjecistis. Res nullo modo toleranda. Et vos Athenienses, quod satis constat, semper inde usque a prisco ævo in more habuistis alios mortales in libertatem vindicare, multosque re ipsa in libertatem asseruistis. Cur jam a more majorum & vestro vos convertetis in contrarium? Equidem fortunam vestram præsentem dolemus ex animo, qui jam bis proventu frugum vestrarum privati estis, & domuum ab hoste dirutarum usu caretis. Cujus cladis sublevandæ causa Lacedæmonii cæterique socii promittunt, se uxores vestras reliquamque familiam bello inutilem esse alturos ad belli hujusce finem. Videte ne vos Alexander Macedo seducat poliens Mardonii orationem. Facit quippe ille, quod decet personam ejus. Tyrannus enim tyranno operam præstat. Vobis aliud faciendum, si sapitis, cum sciatis, nec fidem, nec veritatem inesse barbaris. Utrisque auditis Alexandro responderunt Athenienses. Scimus per nos Xerxem potentiorem esse nobis, nec eo exprobrato nobis opus fuit. Nec tamen eo minus in tuenda contra illum libertate persistemus, quoad poterimus. Ut vero socii barbaro fiamus, nec tu persuadere nobis tenta, nec nos, si tu tentaveris, persuadebimur unquam. Tu Mardonio renuncia, Athenienses dicere, quandiu sol servabit solitum cursum suum, sed nunquam cum Xerxe societatem inituros, sed arma ejus armis repulsuros, ope Numinum freti, quorum ille impius templa incendit. Te vere monitum volumus, ne posthac cum mandatis hujusmodi Athenas revertaris, neu suadere nobis coneris, ut ob emolumentum aliquod nostrum nefaria ac turpia in nos recipiamus. Nam ingrati aliquid a populo te pati nolumus, qui hospes nobis es atque amicus. Tum ad Spartanos conversi in eandem sententiam ipsis quoque responderunt: nihil dicebant, tam preciosum, tam carum sibi esse, ob quod cum barbaris sociari & defensionem libertatis Græcorum deserere cupiant: quam enim turpe, cum iis fœdus facere, qui templa & simulacra Deorum everterunt, quos persequi & ultum ire

maxime Athenienses deceat? quam nefarium, cum Græci omnes ejusdem sanguinis & linguæ sint, eorundem morum & sacrorum, eorum proditores fieri eosdem Athenienses? Apagete ista, inquiebant: quamdiu vel unus nostrum supererit, nunquam cum Xerxe fœdus tale nobis est coiturum. Vestra nobis benevolentia, quam nostris promittitis, merito est grata. Nos tamen sic ea utemur, ne vobis oneri aut molesti simus. Quo modo cum nos animis comparati simus, vos date operam, ut quamprimum vestras copias bene instructas emittatis. Existimamus enim barbarum, accepto hoc nostro responso, non diu tardaturum, sed quamprimum contra nos & regionem nostram advolaturum: expedierit vero, antequam huc pervenire possit, nos in Bœotia ei occurrere.

Finit liber VIII. *Herodoti.*
Sequitur IX.

Mardonius cum Atheniensium responsum ex Alexandro Macedone ad se reverso cognovisset, ira commotus statim cum exercitu e Thessalia se movit, ac citato itinere Athenas contendit, Duce Thorace Larissæo, qui Xerxi fugienti itineris quoque Dux fuerat. Quum Thebas venisset, Thebani ei autores fuere, ne progrederetur longius, sed illic subsistens loco oportunissimo sine prælio Græciam debellaret: nam eam concordem nulla vi subigi posse. At nos si audies, dicebant, pecuniam mittes ad eos, qui in suis civitatibus autoritate & potentia prævalent: hoc modo Græciam in partes scindes & factionibus implebis: quo facto, illos qui tecum non sentient, admotis armis facile expugnabis, & Græciam totam Regi subjugabis. Sed Mardonius aliud sentiens recta in Atticam cum exercitu profectus est, sperans ignibus per insulas excitatis, quam primum Xerxi Sardibus adhuc commoranti indicium se facturum, Athenas a se rursum teneri. Athenienses quippe cum frustra aliquandiu domi manentes ex Peloponneso auxilia promissa expectassent, ut cum iis in Bœotiam progressi illic hosti se objicerent, intereaque audiissent hostem Athenas festinantem in Bœotiam jam pervenisse desperato tempestivo sociorum adventu, relicta rursum patria cum iis, quæ efferre poterant, denuo Salaminem se receperant. Athenas vero Mardonius venit decimo mense jam exacto post id tempus, quo antea Xerxes eos occupaverat; ut testatur *Herodotus*. Unde conficitur, vernante anno primo Olympiadis LXXV. id accidisse. Idem Mardonius recuperatis Athenis confestim Murichidem hominem Hellespontium Salaminem ad Athenienses misit, & per eum omnia denuo iis obtulit, quæ ante per Alexandrum Macedonem obtulerat, sperans ipsos rursum extorres ferociam esse posituros, & tam amplis optandisque conditionibus tandem assensuros. Sed spe sua iterum falsus est. Nam audito in senatu Murichide, non solum rejecta sunt ab eo proposita, sed etiam Lycidas Senatorum unus, quem Cyrillum Demosthenes vocat, propterea quod censuisset voce sua, non repudianda esse quæ offerrentur, sed ad totum populum referenda, ab indignante Senatu & populo lapidibus est obrutus, & a fœminis uxor quoque ipsius, ac liberi. Murichides tamen incolumis dimissus. Simul Athenienses stomacho concepto legatos cum Megarensibus & Platæensibus Lacedæmonem misere expostulatum de non præstitis promissis, & patria sua rursus hostium libidini prostituta, unaque denunciatum, nisi rectius fides coleretur a sociis, & in tempore mitterentur auxilia, necessum sibi fore separatim rebus suis consulere: nec enim adhuc sibi aditum ad societatem cum hoste esse præclusum. Qui legati cum Lacedæmonem venissent, viderentque populum Hyacinthia celebrare, & ludis in festo eo consuetis vacare, atque insuper cognoscerent, universos Peloponnesios muniendo Isthmo studia sua impendere, & quasi hoc unum agere, reliquorum in Græcia securos, eosque velut pro derelictis habentes, accepta apud Ephoros dicendi potestate, liberrima oratione usi sunt, ostenderuntque, quam sincera fide in tuenda communis Græciæ salute ac libertate, & temnendis optimis ab hoste oblatis conditionibus ac posthabenda utilitate sua hactenus egerint, & adhuc agant Athenienses; & contra quam mala fide ipsis responderint hucusque Spartani, qui nuper magno metu consternati ob ea, quæ a Mardonio agebantur cum Atheniensibus, Isthmo nondum communito amplissima omnia promiserint: nunc repudiato ab Atheniensibus Mardonio, & Isthmi munitionibus fere absolutis, Athenienses ac eorum socios turpiter deserant: rem vero d'cebant poscere, ut jam saltem faciant Spartani, quod facere eos æquum sit, & ad pugnandum in Attica contra communem hostem auxilia mittant, quandoquidem in Bœotia nunc id fieri nequeat. Ephori, polliciti quidem postridie se responsuros, tamen in diem alterum, ex eo in tertium, ex tertio, in quartum, atque ita deinceps usque in decimum responsum distulere, donec quod reliquum erat muri in Isthmo perficeretur. Pridie vero quam responderetur, Tegeata quidam, cui nomen Chileus, vir maximæ autoritatis, & gratiæ apud hospites Lacedæmonios ad Ephoros accedens, quid moramini, dixit, o Ephori? cur legatos sociorum differtis? Si defecerint a nobis Athenienses, & barbaris se junxerint, frustra Isthmus muro septus fuerit, foresque quam latissime ad ingressum Peloponnesi barbaris patebunt. Quibus commoti verbis Ephori confestim, clam legatis Atheniensium, silentio noctis quinquies mille Spartiatas cum septem millibus Heilotarum Pausaniæ Cleombroti filio, Plistarchi Regis pueri agnato & tutori (is paulo ante patri copias ab Isthmo reducenti in tutela hac successerat) ex urbe Sparta educendos dederunt. Cujus rei ignari legati, simul ac illuxisset, Ephoros rursum adeuntes velut ad suos sine mora jam redituri, pleni stomacho sic locuti feruntur. Dum vos Spartani Hyacinthia domi per otium agitis, & ludis datis operam, Athenienses a vobis læsi & proditi cum Persis transigent; quo facto, & hostili exercitu sociorum viribus aucto, tum demum vos experiemini, quid cunctatione hac effeceritis. Ad quos Ephori, nos vero jurati vobis affirmamus, copias nostras jam in itinere esse contra barbaros tendentes. Tum illi de re omni edocti, quam celerrime præcedentes Spartiatas sunt secuti, & cum his quinquies mille alii & e finitimis Laconicæ delecti.

Quibus omnibus ad Isthmum properantibus res ab Argivis, qui jamdudum cum Persis faciebant, Mardonio per celerem cursorem est enunciata. Eo nuncio inexpectato consternatus nonnihil Mardonius, qui hactenus spe aliqua de Atheniensibus sibi conciliandis sustentatus nihil detrimenti agro Attico intulerat, quod reliquum erat murorum urbis, & ædificiorum sacrorum ac profanorum, publicorum & privatorum, id omne diruit, quæque igni obnoxia erant, incendit, atque ita Athenis excessit, agrumque totum Atticum vastatum cum exercitu reliquit, ob inæqualitatem equitatui inidoneum, & egressui, si quæ fortuna adversa accideret, difficilem, ideoque periculosum. Sed in itinere, cum Bœotiam regionem planam, & equitibus commodam, Thebasque sibi amicas peteret, certior factus

A Spartanos mille Megara contendere, cursum reflexit, ut eos si posset, opprimeret, & per equitatum præmissum totam regionem Megarensem percursavit. Rursumque cum audisset, Græcos jam in Isthmo cum exercitu esse, converso itinere Decelæam regressus, indeque Tanagram Bœotiæ agrumque Thebanum petens ad Asopum fluvium in eodem agro castra communiit, multumque detrimenti incolis ejus viciniæ quamvis amicis ac sociis cogente necessitate, quia iis, quibus opus erat, destituebatur, intulit. Quo tempore cum Mardonius cum L. Persarum honoratissimis splendido convivio ab Attagino Thebano in ipsa Thebarum urbe exceptus esset, memoratur Persa quidam sublatis mensis in colloquio cum Thersandro Orchomenio ejusdem mensæ consorte in sermonem incidisse de eventu hujus belli, & omnia accuratissime prædixisse cum lacrimis, quæ paulo post evenere; & cum moneretur, ut Mardonio ista exponeret, respondisse, frustra id se facturum, nec sine periculo suo: nam nec vera dicentibus fidem adhiberi, & decreta divinitus esse inevitabilia: pluresque Persarum hæc nosse, & tamen Mardonium sequi: miserrimum vero in talibus esse, quod, qui plurimum sapiant, minimum possint. Et hæc affirmat *Herodotus* ex ipso Thersandro se audivisse, & Thersandrum multis eadem narrasse ante pugnam ad Platæas commissam. Ibidem *Herodotus* recenset imperterritos animos mille Phocensium Thebas ad Mardonium venientium, & Mardonii jussu patenti in loco, ab equitatu Persico circumfusorum non secus ac si omnes essent telis conficiendi; & virtutem eorum a Mardonio esse insigniter collaudatam. Interea cum Spartani jam castra ad Isthmum haberent, eorumque æmulatione cæteri Peloponnenses incitati eodem venissent, consultis extis simul omnes Eleusinen profecti sunt, atque ibi ad eos Athenienses relicta Salamine venere. Istinc itum in Bœotiam, & castra e regione castrorum hostilium ad radices montis Cithæronis collocata. Quo cum misisset Mardonius omnem equitatum suum, turmatim validi assultus facti sunt, & Græcis muliebris ignavia objecta: mox pugnatum acerrime in Megarenses loco iniquissimo tendentes. Quibus labore fractis, cum successissent, cæteris recusantibus, trecenti delecti Athenienses, exorto certamine vehementiore, Dux equitum Masistius inter Persas eximius ac illustris, pugnæ se inferens, excussus ab equo vulnerato, ac multorum telis petitus tandem occubuit. Tum circa corpus ejus novo prælio enato, inferente se isthuc universo equitatu, & eodem accurrente toto Græcorum exercitu, multi rursum ceciderunt. Demum Persæ Duce orbati relicto cadavere e prælio se recepere, & re deliberata ad Mardonium rediere, Græci cadaver forma & statura armisque spectabile plaustro in castra vectum per omnes suorum stationes circumtulere. Apud Persas ob Masistii necem ingens luctus excitatus, ejulatus commotus, homines, equi, jumenta tonsi. Græcis animus auctus, castraque ab his in agrum Platæensem promota. Illic de statione inter Athenienses & Tegeatas contentio est orta, utrisque honorem tenendi alterius cornu (nam alterum Lacedæmoniis sine controversia concedebatur) sibi vendicantibus & laudes meritaque sua in argumentum advocantibus. Sententia a Lacedæmoniis quibus judicium permissum, magno consensu pro Atheniensibus lata. Tum exercitus omnis recensus: maximus fuit numerus Lacedæmoniorum, quibus præerat Pausanias, totius quoque exercitus Imperator: proximus Atheniensium, quorum Dux summus erat Aristides Lysimachi filius cognomento Iustus, dein Corinthiorum, & post Corinthios Sicyoniorum. Erantque omnes gravis armaturæ XXXVIII. millium & septingentorum, levis armaturæ LX. millium & quingentorum: universi utriusque armaturæ CVIII. millium ac ducentorum, præter Thespienses mille octingentos, quibus arma defuere. Atque huc castra quoque Persarum a Mardonio translata, castrisque Græcorum opposita: in quibus militabant, ut ait *Herodotus*, barbarorum ad CCC. millia, Græcorum circiter millia quinquaginta. Nec tamen ab his aut illis quicquam proximis aliquot diebus tentatum actumve: aruspices tantum utraque a parte consulti, & transfugia Græcorum Persis militantium ab equitatu Persico repressa, & Græci ab eodem equitatu incursante frequenter molestia affecti. Undecimo demum die cum animadverteretur affluxu plurium Græcos indies augeri, ac Persas ipsa multitudine gravari, angustiusque tendere, convocato primorum consilio consultandi causa, Mardonius totius exercitus Persici Imperator, & Artabazus Pharnacis filius genere & virtute inter Persas clarus, cui statim ab initio consilia Mardonii & datum ei exercitus imperium displicuerant, cœperunt inter se sententiis dicendis dissidere, & contendere. Suadebat enim *Artabazus* discrimen prælii esse declinandum, cum exercitu ad mœnia Thebana concedendum, cum alias ob causas, tum ob frumenti pabulique copiam, qua illic abundare possent: Ibi sedendo & aurum argentumque Persicum in præcipuas Græciæ civitates ad eos, qui plurimum inter suos valerent, mittendo, bellum posse geri ac confici. Cum cujus sententia congruebant etiam Thebani Persis addictissimi. Verum *Mardonius* & ætate ferocior, propositique pertinax præliari omnino cupiebat, nec ab eo consilio dimoveri sese patiebatur. Suum enim exercitum jam potiorem esse rebatur, ideoque prælium maturandum contendebat priusquam Græcis plus roboris quotidiano incremento accederet. His addebat, quæ ad eludenda oracula Persis minitantia pertinebat. Cui cum contradicere fere nemo ob supremum, quod penes eum erat, imperium, auderet, de hostibus prima luce sequente invadendis prælioque conferendo est decretum. Quo commotus Alexander Macedo concubia nocte castris egressus ad excubias Atheniensium adequitavit, petiitque facultatem sibi fieri colloquii cum Ducibus copiarum Atticarum: qui de re edocti cum isthuc accurrissent; primum obtestatus est eos, ne, quæ dicturus esset, cuiquam aperirent, præterquam Pausaniæ Imperatori: nam in eo verti discrimen vitæ suæ: hoc vero discrimen in se recepisse compulsum sollicitudine de salute Græciæ veteris patriæ suæ, quam liberam mallet quam servam videre. Quod autem indicatum ipsis venisset, hoc esse, Mardonium cum exercitu suo litare non posse: alioqui jamdudum pugnæ periculum fuisse facturum: nunc vero constitutum habere, missis sacrificiis proxima luce oritura Græcos non opinantes adoriri, timentem, copias eorum quotidiano sociorum affluxu plusquam Persis expediat auctum iri: in hanc rem ut parati sint, ipsorum sine dubio interesse: Quod si mutata forte mente pugnam Mardonius sit dilaturus, bene tamen facturos esse Græcos, si castra istinc non moverint: certum enim sibi esse, brevi commeatuum inopia Persas laboraturos: Et si contigerit felicem belli exitum Græcos sortiri, æquum fore, eos aliquando fidei hujus ipsis a sese cum summo discrimine suo præstitæ reminisci: se vero esse Alexandrum Macedonem. Quibus dictis confestim ipse ad locum stationis suæ se recepit: Athenienses ad Pausaniam properarunt. Hic sermone eorum perculsus cum iisdem egit de commutando cum ipsis stationum loco: Persas enim Spartanis tunc oppositos Atheniensibus arma eorum ad Ma-

Marathonem expertis esse notiores, & Spartanos belli cum Bœotis & Thessalis, qui nunc e regione Athenienſium tenderent, esse multo peritiores: facilesque ea in re Athenienses Pausanias invenit. Verum frustra id fuit. Nam ut fere in bello intestino nihil secretum est, cum per Bœotos id Mardonius cognovisset, ipse quoque Persas suos cum Bœotis & Thessalis loca commutare jussit: Pausaniasque eo animadverso Spartanos, & Mardonius vicissim Persas in stationes priores reduxere. Tum *Mardonius* multis per caduceatorem probris in Pausaniam ac Spartanos jactatis, ignaviaque iis objectata, qui fortes vulgo audirent, re ipsa nihil essent minus, & nec pauci cum paucis, nec universi cum universis Persis (nam hoc quoque frustra obtulerat) confligere auderent, ante victoriam triumphum cecinit,& equitatu emisso omnem Græcorum exercitum sagittis infestatum molestia affecit, turbavitque, inprimis vero aquandi facultatem ei reddidit impeditam. Qua necessitate adacti Græci in insulam amne circumfluam, & mœnibus urbis Platææ vicinam, aquationique commodissimam, nec commeatui importando incommodam, ipsoque amne & urbis vicinitate tutam, nisi forte toto prœlio a Persis eo die præoccuparentur, secunda noctis vigilia per tenebras se conferre constituerunt. Die autem illo solorum equitum assultibus consumpto, noctu motis castris, plerique non in insulam, de qua convenerant, sed ad fanum Iunonis via Platæensi situm, cursum intenderunt, atque ad fanum castra posuerunt. Hos sequi confestim jussis a Pausania Spartanis, mora ac quædam confusio injecta est ab Amomphareto Pitanetarum cohortis tribuno viro fortissimo, qui negabat, congruum esse disciplinæ Laconicæ, hostem fugere, existimabatque haud ausurum Pausaniam cæterosque Spartanos sese & cohortem suam deserere, atque ideo commovere se non volebat: unde ad rixam indecoram perventum: tandem sub auroram fracta pertinacia Amomphareti, præcedente cum cæteris Spartanis Pausania, persequentibus Persarum equitibus, simul omnes ad fanum Cereris Eleusiniæ Moloenti amni additum contenderunt. Tum rursum Mardonius sole jam orto apud tres Larissæos fratres, Spartanæ fortitudinis prædicatores, de abitu hoc probrosis verbis Spartanos invectus, & Artabazum acriter ob dictam ab eo sententiam criminatus, trajecto Asopo fluvio, qui castra utraque hactenus diremerat, cum universo exercitu velut fugientes Græcos est insequutus: cœpitque totus ejus equitatus terga Spartanorum & cum his junctorum Tegeatarum non procul fano Cereris premere. Exortaque est gravis inter eos pugna, & simul prœlium consertum inter Athenienses in auxilium Spartanorum laborantium, ut rogati erant, tendentes, & Græcos Persis militantes. Pugnæ initium contra Persas factum a Tegeatis: in qua post varios labores, & ingentem cadentium cædem Mardonius ex equo albo dimicans, cinctus globo mille delectorum ac præstantissimorum Persarum in magna strage occubuit, sub Aimesto Spartiatarum fortissimo. Quo interempto barbari jam confusis ordinibus maximo numero trucidati: reliqui in fugam præcipitem effusi, disjectique. Res ad fanum Cereris, de quo dictum, gesta. Artabazus cum XL. millibus, quos seorsum ducebat, conspecta Persarum disjectorum fuga in tutum se recepit, Hellespontum repetiturus. Græci quoque Persicarum partium ab Atheniensibus superati, & in fugam acti, pertinacissime ac diutissime resistentibus Bœotis, omniumque maxime Thebanis, e quibus ceciderunt CCC. fortissimi quique. Corinthii, Megarenses, Phliasii ad fanum Junonis castra metati cum

A victoriam suorum audiissent, ad pugnæ locum ipsi quoque nullo ordine festinarunt: Corinthii per colles itinere recto, reliqui per camporum planiciem via obliquiore, qui ab equitibus Thebanis circumventi & concisi sunt. Persæ ex strage suorum elapsi in murum ligneum, quem sibi in usum castrorum jam ante extruxerant, confertim confugerunt. Quos persecuti Spartani oppugnare murum summa vi adorti, sed a Persis fortiter se defendentibus rejecti, donec supervenientibus Atheniensibus oppugnandorum murorum peritioribus acrior instaurata oppugnatio, horumque virtute murus captus. Ibi a Tegeatis avidissime irrumpentibus interceptum ac direptum Mardonii tentorium cum

B præsepi æreo, & cædes Persarum sine modo ac numero rursum facta. Quæ tanta fuit, ut cum iis, qui pugna ipsa ad fanum Cereris ceciderant, ex trecentis millibus Mardonio a Xerxe attributis, exceptis illis, quos Artabazus servavit, ne tria quidem millia superfuerint. Ex Græcis Spartani XXXI. Tegeatæ XVI. Athenienses LII. periere, quos prolixe recenset *Herodotus*. Mantinei & Elei, post prœlium commissum partamque victoriam in castra venientes pudore suffusi, ac sibi irati cum domum rediissent, Duces suos, quorum id culpa dicebant accidisse, in exilium egerunt. Laudatus

C Pausanias. Victoria illustris, omniumque maxima, quæ Græcis in Græcia ex barbaris unquam parta, clarum nomen Pausaniæ Imperatori peperit. multorum quoque aliorum fortitudo celebrata. Laudatus Pausanias, qui instigatus ab aliis in ultionem Leonidæ patrui sui violare cadaver Mardonii noluit. Præda ditissima capta inter socios ex æquo & bono divisa: decimæ ejus Apollini Delphico, & Diis aliis sacratæ. Persarum luxus ostentatus & derisus a Pausania, & eorundem dementia subsannata. Tum sepulturæ suorum cæsorum a victoribus cura impensa. Hinc habita

D consultatione Thebas agmen ductum decimo post pugnam die. Thebani obsessi: ab iis armorum vi adactis pessimorum consiliorum & societatis Persicæ auctores dediti, excepto Attagino, qui clam aufugit: cæteri Corinthum abducti a Pausania, ibique supplicio affecti. Attagini liberis auctore *Pausania* ignotum. Hæc cum in Bœotia gererentur, classis Græca, cui summus Dux præerat Leutychides Rex Spartanus, ad Delum commorabatur. Ad quam venere e Samo legati tres, viri spectati, auxilia contra barbaros & tyrannum Samo impositum rogantes. Horum princeps Hegesistratus verba faciens ostendebat æquum

E esse, ut Græci Græcos a servitute barbarorum liberarent: affirmabatque rem difficultate esse carituram: quod si contingeret conspici modo classem ab Ionibus, sine dubio Ioniam a barbaris esse defecturam, & Persas fuga sibi consulturos, aut certissimæ prædæ futuros: si de fide legatorum dubitaretur, paratos se esse obsides in classe manere. Leutychides nomen dicentis in omen vertens, accepto a legatis jurejurando de voluntate Samiorum, præmissis duobus reliquis, Hegesistrato solo retento, cum rite litasset, postridie e Delo Samum navigavit. Persæ classiarii, qui Sami erant, cognito classis Græcæ adventantis cur-

F su, metu perculsi, dimissis solis navibus Phœniciis, reliquas omnes ad continentem reduxere, non ut illic cum Græcis certamen navale inirent, sed ut naves subductas & vallo trabium munitas sub præsidio peditatus Persici in ea ora agentis tutas sisterent. Peditatus autem iste erat armatorum LX. millium a Xerxe illic relictus ad tutandam, ac in officio continendam Ioniam: cui Dux erat datus Tigranes Persarum omnium specie ac statura maxime visendus. Navibus igitur non procul

templo Cereris Eleuſiniæ ad radices montis Mycales ſubductis, & vallo ſtipitum ſaxorumque præſeptis ſupervenere Græci ad pugnam navalem parati. Verum cum, quid rei eſſet, didiciſſent, Leutychides navem litori admovens per præconem alta clamantem voce Ionas vel alienare a Perſis, vel iis ſuſpectos reddere, exemplo Themiſtoclis ad Artemiſium conatus eſt. Quo facto Græci omnes litori ſuccedentes in terram deſcenderunt, ſeque ad tentandam prœlii terreſtris fortunam pararunt. Tum directa jam acie, cum tenderent in barbaros, qui Samiis ut ſuſpectis arma ademerant, & Mileſios ad cuſtodiam compitorum in cacumina montis Mycales ducentium e prœlio amandaverant, irentque conſertis gerris ſuis velut teſtudine ſe tegentes, ecce rumor repente per univerſum Græcorum exercitum diffuſus advolavit, Mardonium cum copiis ſuis in Bœotia eſſe cæſum: qui rumor animos omnium de fortuna patriæ ſollicitos plurimum erexit, & ad committendam pugnam reddidit alacriores. Eam vero alacritatem ſpes ex omine felici quoque auxit, quod ad Cereris Eleuſiniæ fanum heic etiam depugnandum viderent, quemadmodum in Bœotia decertatum fuiſſe audirent. Ivere autem in hoſtes bipartito, Athenienſes cum Corinthiis, Sicyoniis, Trœzeniis per planiciem ſecundum litus, Lacedæmonii cum ſociis per montes & confragoſa: Per quæ dum hi conniterentur, Athenienſes & cæteri jam manus cum Perſis haud ſegniter reſiſtentibus conſeruere: dein ſe mutuo cohortati, ut victoriæ laudem Lacedæmoniis præriperent, acrius incubuere, & impulſis hoſtilibus gerris majore vi in Perſas ſtrenue adhuc pugnantes ſeſe intulere: tandem cum terga eos dare, atque intra murum ſe recipere coegiſſent, una cum iis in ipſa caſtra perrupere. Tum reliqui pugnæ immemores in pedes ſe conjecere, ſoli vero Perſæ adhuc præliantes perſtitere. Sed cum adveniſſent interea quoque Spartani cum ſociis, etiam illi ſtrati magno numero periere. Duo ex claſſiariorum Ducibus fuga ſe ſervarunt, duo in ſtrage occubuerunt, & cum his copiarum terreſtrium Imperator Tigranes. Periere quoque e Græcis non pauci, in quibus Perilaus Sicyoniorum Dux. In hoc certamine Samii licet exarmati Græcos juvere, & horum exemplo Iones alii etiam in barbaros arma verterunt. Mileſii vero ad Mycales cuſtodiam collocati diverſa via in eoſdem irruentes ingentem eorum cædem fecerunt. Ita *Ionia* a Perſis avulſa, Græcis rurſum fuit conjuncta. Pugna hæc commiſſa, & victoria a Græcis parta, ut poſt eſt compertum, eodem ejuſdem anni & menſis die ſub veſperam, cum primo diluculo matutino prœlium ad Platæas fuiſſet inchoatum. Itaque celebris & lætus hic dies etiam apud poſteros toti Græciæ fuit, quartus ſcilicet Boedromionis Attici ſurgentis, qui cum menſe Septembri Juliano in anni ratione Romana ut plurimum concurrit. Meruere ad Mycalen primam laudem Athenienſes: poſt hos Corinthii, deinde Trœzenii & Sicyonii. Ex Athenienſibus fortiſſimum ſe præſtitit Hermolycus Euthæci pancratiaſtes celebris. Græci hoſtibus cæſis fugatiſque, muroque everſo, naves eorum omnes incendio perdidere, & præda divite diviſa Samum rediere. Ibi deliberatum de Ionibus in Græciam transferendis, & certa iiſdem ſede aſſignanda, quam Græci in poteſtate haberent. Nec enim poſſe rebantur tuendis in Aſia Ionibus ſemper ſe in armis eſſe, nec ſpem eſſe ſine defenſione hujuſmodi in Aſia manentes diu defectione a Perſis eos gaviſuros. Addebant Spartani, cenſere ſe, Græcos eos, qui cum Xerxe ſenſiſſent, ſedibus pellendos, pulſorumque regiones Ionibus eſſe donandas. Sed diſſenſere ab his Athenienſes, negantes rempublicam Ionum ſolvi oportere, nec fas eſſe dicentes, Spartanos conſiliis ſe miſcere, quæ ad colonias Atticas pertinerent. Ceſſeruntque Peloponnenſes Athenienſibus pro ſententia ſua acrius contendentibus. Ita Samii, Chii, Leſbii, & inſulani cæteri, qui Græcis ſe junxerant, armaque jam induerant, fœdere fuere adſcripti, fœduſque, dato ab iis ſanctiſſimo jurejurando, firmatum. Quibus rebus expeditis ad ſolvendum pontem in Helleſpontum eſt itum. Quem cum jam ſolutum reperiſſent, deliberatum de claſſe in Græciam reducenda, quod ſuadebant, urgebantque Spartani: contra vero Athenienſes cenſebant, invadendam eſſe Thraciam Cherroneſum vicinam, Perſis tunc parentem. Sed Spartanis a ſententia ſua non decedentibus Peloponneſii cum his domum repetivere. Athenienſes & ipſi tenaces propoſiti Helleſponto ex Abydo trajecto Seſtum oppidum Æolicum in Cherroneſo obſederunt. In hoc oppidum ad primam famam adventantium in Helleſpontum Græcorum, quippe quod erat totius Cherroneſi munitiſſimum, quo armamenta pontis ſoluti fuerant traducta, confluxerant tum Artayctes a Xerxe Cherroneſo Præfectus, tum Perſæ alii, Perſarumque ſocii, ſed neceſſariis rebus ad ſuſtinendam diu obſidionem, quam haudquaquam expectaverant, non parati. Quod Athenienſium Duces cum cognoviſſent, etiam pene invitos & dimiſſionem flagitantes claſſiarios ſuos in caſtris ad oppidum poſitis in ſerum uſque autumnum retinuere: quo factum, ut obſeſſi graviſſima fame laborantes, fugæ conſilio capto, noctu per obſidentium caſtris murorum partem ſe præcipitantes, oppidum deſeruerint. Ejus rei indicio accepto Athenienſes alii oppidum per portas patefactas ingreſſi ſunt, alii fugientes perſecuti eorum multos ad Ægos flumen occupatos repugnanteſque occiderunt, reliquos vivos ceperunt, Seſtumque perduxerunt: inter quos erat ipſe Artayctes cum filio. Eum Xanthippus claſſis Atticæ Imperator fruſtra pecuniæ magnam copiam pollicentem in litore Helleſponti, filio ſub oculis ejus lapidibus obruto, ſuſpendio peremit ob violatum Proteſilai iis in locis religione celebris ſepulchrum ac fanum. Tum claſſis Attica quoque cum Xanthippo domum profecta, prædis bene onuſta cum pontis Helleſpontiaci armamentis. Nec quicquam amplius a Græcis eo anno geſtum, qui fuit ut dixi Olympiadis LXXXV. annus ſecundus. Atii, qui ex clade ad Mycalen Perſæ evaſerant, enixi in montis verticem Sardes, ubi tum Xerxes adhuc agebat, ſe recipiebant. In itinere eo cum ignaviam pluſquam muliebrem Artayctæ Duci copiarum ad Mycalen Maſiſtes frater Xerxis objectaret, idque ægre Artayctes ferret, jurgium inter eos ortum, in quo in vitæ diſcrimen ab altero Maſiſtes venit, ſed a Xenagora Halicarnaſſæo fuit ſervatus. Interea *Xerxes* in amorem incidit uxoris Maſiſtis: ſed ab ea rejectus filio ſuo Dario deſpondit filiam ejus ac Maſiſtis, cui nomen erat Artayntæ, atque in hujus amorem ab amore matris ſe vertit, jam Suſa Sardibus reverſus. Cum qua conſueſcens, & concubitu ejus potitus, ex promiſſo neceſſe habuit amiculum multa arte ab Ameſtre uxore ſua confectum, poſcenti ei donare. Ex quo cognitus Ameſtri Xerxis inceſtus in exitium toti domui Maſiſtis ceſſit. Nam conjux ejus arbitrio Ameſtris odio ardentis a Xerxe tradita, miſerrimum in modum ab ea excarnificata, domumque ad maritum remiſſa ipſo ſui conſpectu ita animum ejus turbavit, ut ſtatim vindictæ ſtudio conſilium ceperit cum liberis & familia in Bactrianem, cujus ipſe erat præſes, ſeſe conferendi, ac res novas illic & apud Sacas, quibus erat cariſſimus, contra fratrem movendi. Verum in itinere a copiis Xerxis, qui rem per indicium acceperat, cum liberis & toto comitatu fuit trucidatus.

Heic finis Hiſtoriæ Herodoti.

SERIES RERUM PRÆCIPUARUM ex THUCYDIDIS LIBRO PRIMO,

Post prælia ad Platæas & Mycalen usque ad initium belli Peloponnesiaci, quod temporis spacium annos habet XLVIII.

AUCTORE UBBONE EMMIO FRISIO.



PERSIS terra marique in Græcia victis, & ex Europa profligatis, iisque qui in Asiam navibus profugerant, ad Mycalem deletis, Leutychides Spartanus qui Græcorum illic summus Dux fuerat, cum sociis Peloponnensibus domum repetiit. Athenienses vero cum Ionibus & Hellespontiis Sestum, quam Persæ occupaverant, per hyemem obsederunt, & in potestatem redegerunt. Tum ab his quoque omnibus domum discessum.

Athenienses reductis domum conjugibus & liberis murum urbis suæ ampliore quam ante fuerat ambitu cœperunt instaurare, eumque insigni Themistoclis astu, deceptis Lacedæmoniis, quibus id opus cum multis aliis invisum erat, festinato omnium, qui in urbem redierant, labore perfecerunt. Quod tacito dolori, quem profiteri erubescebant, Lacedæmoniis fuit. Ejusdem Themistoclis suasu ad extruenda reliqua muri circum Piræum, qui multo ante ipso Athenis Archonte inchoatus erat, studia quoque rursum versa. Primus quippe ipse Atheniensibus suis pridem auctor fuerat capessendæ rei maritimæ, utilissimæ ad parandum aliquando imperium: ad eamque rem maxime idoneum rebatur locum illum tres portus nativos habentem. Murum autem ejus firmissimum struebat tantæ crassitudinis, ut in eo currus duo lapidibus onusti mutuo sibi occurrentes commeare possent. Sed altitudinem ultra medium ejus, quam destinaverat, non perduxit. Pausanias Lacon victoria Platæensi illustris, supremus classis Græcorum Dux, naves ducens Peloponnesias XX. Atticas XXX. & aliorum sociorum permultas Cyprum bello invasit, oppida ejus multa cepit: deinde Byzantium, quod a Persis tenebatur, expugnavit. Verum cum gravis in imperio eo sociis esset, & tyranno quam Duci similior videretur, culpareturque de multis, domum a suis ad dicendam causam revocatus est. Et quamvis potissimorum criminum, inprimis studii gratiæ Persicæ, convinci tunc non potuerit, tamen ad classem non est remissus, sed pro eo missus Dorcis cum quibusdam aliis. Verum hic a sociis, qui jam ad Athenienses modestissime se tum gerentes contulerant, eorumque se curæ ac protectioni commiserant, receptus non fuit. Classis, imperio non invitis aut obnitentibus Spartanis, ad Athenienses translato, qui & re maritima plurimum valebant, & ob æquitatis laudem gratissimi tum sociis erant, sociorum descriptio facta est, constitutumque ab iis, quas civitates pecuniam conferre, quas naves præbere oporteret in usum belli contra Persas, quos ulcisci ob acceptas ab iis injurias decretum fuit. Tum auctoribus Atheniensibus Græciæ Quæstores instituti, qui tributum caperent curarentque, cujus tum summa ad CCCCLX.

A talenta excurrebat: ærarii sedes Deli posita: conventuum locus templum ibidem designatus: conventus vero erant populorum liberorum, sui juris, & in his de rebus communibus consultabatur. Quibus constitutis iidem Athenienses Eionem Thraciæ oppidum ad Strymonem fluvium quam Persæ tenebant, obsessam captamque libertate privarunt, Duce Cimone Miltiadis filio. Dein Scyrum Ægæi maris insulam Dolopibus pulsis sui juris fecerunt, & colonos isthic suos constituerunt. Bellum etiam contra solos Carystios in Eubœa non parentes gesserunt, & transactione finierunt. Post quos Naxios desciscentes bello petivere, & obsidione pressos ad deditionem compulerunt. Hæc prima civitatum sociarum contra pacta servituti subjecta: B deinde & aliæ, ut res ferebat. Deficiendi causæ iis fuere tum aliæ, tum præcipuæ, quod justum modum tributi aut navium non præstarent, aut militare nollent, cum res posceret: Athenienses autem severe exigerent, quæ erant constituta, & detrectantibus necessitatem adferrent. Et alioqui etiam iidem obliti prioris mansuetudinis, & æqui commilitii imperiosius cum sociis agebant, cum cogere eos in ordinem jam possent. Cujus rei ipsi sibi auctores socii fuere. Nam fuga laborum plerique eorum pecuniam potius quam naves præstabant: unde Atheniensibus qui C naves sufficiebant, & in promptu semper habebant, vires crescebant, ipsi autem, si quando desciscerent, imparati ad bellum deprehendebantur. Inter hæc *Pausan.* quod posteriore loco recitat *Thucyd.* sine auctoritate publica impendio suo in Hellespontum reversus telam consiliorum pessimorum contra patriam totamque Græciam, quam jam ante exorsus erat, pertexere cum Persarum Rege Xerxe conatus fuit. Sed cum insolentius se gereret, & patriam fastidiens more Persico vitam institueret, sensim magis ac magis detectus, per caduceatorem accepta ab Ephoris scytala domum denuo redire necessum habuit. Ibi vero dum in D reatu est, de sollicitatis servis publicis delatus, & demum ab Argilio quodam, amasio quondam suo, cui maximam fidem habebat, & literas ad Artabazum Persam Regis nomine secum agentem cum aliis, quæ ad ipsum Regem in Persidem transmitterentur, ferendas commiserat, ob sinistram suspicionem resignatis literis, & ad Ephoros delatis proditus, & porro manifesti sceleris ab Ephoris convictus fœdum vitæ exitum sortitus est, quem prolixe sub finem libri primi *Thucydides* exponit. Post supplicium de Pausania sumptum, a Spartanis ejusdem criminis apud Athenienses etiam insimulatus est *Themistocles*, qui tum Argis, ob E nimiam, quam domi habere videbatur, potentiam, ostracismo finibus Atticis ejectus exul degebat. Nam in excutiendis Pausaniæ rebus deprehensum fuerat, commercia literarum inter ipsum Argis agentem & Pausaniam intercessisse. Quam accusationem cum temere nimis arriperet popu-

lus Atticus ab æmulis ejus agitatus, quanquam crimen liquidum nondum esset, absentem frustraque se purgantem capitis damnavit, & neci destinavit. Qua necessitate circumventus, tota Græcia cedere, & ad Molossorum Regem Admetum confugere, atque ab hoc monitus, ut tutior esset, in Asiam se conferre ad Persas coactus fuit. Illic post anni moram, ut petierat, discendæ linguæ Persicæ gratia, ad ipsum Regem Artaxerxem qui tunc defuncto jam patre regnabat adductus, & cum eo sine interprete collocutus, multaque ei pollicitus & vicissim amplissimis ab eodem muneribus affectus cum Magnesiam rediisset, quam sedem domicilii acceperat, morbo correptus vitam finiit. quanquam sint, qui dicant, ut fatetur *Thucydides*, desperantem, posse se præstare, quæ Regi promiserat, sumpto sponte veneno decessisse.

At *Cimon* Atheniensium Dux, quo tum potissimum res Attica & sociorum videbatur niti, (octennio post cæsum ad Platæas Mardonium) ad Eurymedontem Pamphyliæ fluvium uno & eodem die navali terrestrique prœlio Persas late cecidit. Utraque victoria illustris fuit. Triremes Phœnicum CC. captæ. Gloria magna Cimoni & Atheniensibus parta. Posthæc *Thasii* ab iis desciverunt orta contentione ob emporia in opposita continente & auri argentique prædivites fodinas. Eos Athenienses istuc vecti, navali prœlio superarunt, deinde in insulam descendentes obsidione presserunt. Eodem fere tempore ad decies mille cives & socii ab Atheniensibus in coloniam missi ad fluvium Strymonem, habitaturi oppidum tunc Novem viarum nomine nuncupatum, postea Amphipolim dictum, ex quo Edoni Traces fuerant ejecti. Sed hi in Thraciam longius egressi ab Edonis sunt concisi. Interim Thasii obsessi missis legatis Spartanos rogarunt, ut abstrahendis a Thaso Atheniensibus impressionem in terram Atticam facerent: fecissentque hi, (clam enim promiserant) nisi terræmotu exorto absterriti fuissent. Eo terræmotu, quo afflicta fuit civitas Spartana, audaciores facti Helotes, servile genus ex posteris veterum Messeniorum, concitata seditione cum vicinis Ithomen in agro Messenio occuparunt. Quo bello domestico occupatis Spartanis post triennii obsidionem Thasii permittere se potestati Atheniensium & duras subire conditiones coacti sunt. Bello vero ad Ithomen Spartanis lente admodum procedente, ab Atheniensibus rogatis auxilia haud infirma iis missa: sed eadem, ob suspiciones sinistras, ab iis intempestivius domum remissa: quod animos Atheniensium ignominiam non ferentium (ignominiam enim interpretabantur) graviter momordit. Secutumque inde mutuum odium & simultas inter eas civitates, multorum malorum scaturigo. Athenienses quippe mox a reditu suorum relicta societate Spartanorum contra Persas dudum inita, cum Argivis eorum hostibus fœdus percusserunt: & hi utrique in idem fœdus & armorum societatem Thessalos quoque sibi obligarunt. Ii vero, qui Ithomæ obsessi erant, longo bello tandem fracti anno obsidionis suæ decimo Spartanis se dediderunt, pacti incolumem vitam, sed hac addita conditione, ut statim tota Peloponneso excederent, nec unquam in eam redirent, ni servi eorum, in quorum manus essent deventuri, vellent fieri. Hos patria extorres odio Spartanorum Athenienses cum uxoribus & liberis benigne receptos foverunt, ac Naupactum, nuper Locris Ozolis ereptum, habitandum tradiderunt. Dein & alia facta est rebus Atheniensium accessio cum detrimento Spartanorum. Nam Megarenses Atheniensium vicini,

[A] Spartanorum socii a Corinthiis finitimis bello petiti ob fines controversos, Atheniensibus se junxere, Athenienses que Megaris pariter & Pagis (emporio Megaris proximo) potiti sunt & ab his longi muri a Megaris in Nisæam mari adsitam extructi præsidiumque Atticum iis impositum. Atque hoc principium gravissimi odii Corinthiorum in Athenienses fuit. Tum & Inarus Afer ex Mareotide Ægypto proxima, Psammetichi filius, majorem Ægypti partem a Persarum Rege Artaxerxe, qui jam post patrem regnabat, aversam sibi subjecit, & Athenienses eo tempore in Cypro bellum gerentes, navibus partim suis partim [B] sociorum CC. instructos, in Ægyptum ut venirent, invitavit. Hi relicta Cypro, ac transmisso mari Nilum fluvium subvecti duabus partibus maximæ urbis Memphidis occupatis, tertiam quam Persæ & Ægyptii tuebantur oppugnarunt. In Græcia Athenienses ad Halias Trœzenæ vicinas in ora Peloponnesi cum Corinthiis & Epidauriis pugna commissa victi, sed rursum ad insulam Cecryphaleam cum Peloponnesiis congressi victoria potiti sunt. Dein orto inter Æginetas & Athenienses bello ingens prœlium navale prope Æginam contractum est inter hos & illos, ac utrorumque socios, [C] victoriaque penes Athenienses stetit: captæque ab iis ex hostibus sunt naves LXX. & exscensione in insulam facta, urbs ipsa Ægina obsessa Duce Leocrate Stræbi filio, obsessis CCC. armati a Peloponnensibus auxilio missi. At Corinthii cum sociis suis in agrum Megaricum copias interea duxerunt, existimantes haud posse Athenienses bello Æginetico & Ægyptio implicitos Megarensibus succurrere, aut oportere, si his opem ferre vellent, Æginam dimittere. Sed secus quam putarant, factum. Nam Athenienses relicto ad Æginam exercitu, Duce Myronide emissis ex urbe, qui & supra & infra ætatem militarem erant, in subsidium Megaren-[D]sium, & congressione facta, & prope æquo Marte dirempta, pugnaque post aliquot dies ob tropæum iterata, victoriam retulere. Corinthii clade insigni correpti domum rediere. Eo tempore civitas Attica longos muros ab urbe sua in Piræum & Phalerum porrectos mare tenus excitare cœperunt. Tum armis commotis inter Phocenses & finitimos Dorienses, e quibus ortum Spartani olim traxere, incendium belli longius prolatum. Nam a Spartanis & sociis justus exercitus, in quo erant undecies mille & quingenti milites, auxilio Doriensibus missus; qui cum re confecta compressis Phocensibus in Peloponnesum rediturus Atheniensium me-[E]tu nec mare Crissæum tentare, nec per Isthmum iter facere auderet, in Bœotia consedit occasionem expectaturus: præsertim cum ex ipsa urbe Attica non deessent viri popularis status osores, qui mansionem suaderent, sperantes exercitus hujus ope populi potestatem solvere & longorum murorum extructionem impedire se posse. In hunc exercitum Athenienses, qui domi erant, quasi viritim egressi, & cum his Argivi mille, & reliquorum sociorum magnus numerus, ut universi essent haud pauciores quatuordecim millibus, non expectato ejus motu in Bœotiam contende-[F]runt: & illic Thessali quoque equites auxiliares ad eos cum venissent, nullius fidei viri, (quippe qui in ipso discrimine desertis sociis ad Lacedæmonios transiere) ad pugnam ventum est juxta Tanagram cum primis cruentam. Qua tandem victores facti Lacedæmonii cum sociis, in Megarensem agrum profecti omnibus ibi succisis arboribus per Isthmum domum repetivere. Verum LXII. ab hoc prœlio die Athenienses cladem Bœotis reposituri, rursum in Bœotiam eductis copiis Duce Myronida, late occurrentes eos strave-

runt, occupataque Bœotia ac Phocide Tanagram mœnibus nudarunt, & Locros Opuntios obsides sibi dare c. ditissimos quosque coegerunt: & eodem quoque tempore muros illos longos perfecerunt. Post quæ Ægina quoque Atheniensibus dedita: muri ejus diruti, naves ademptæ, & tributum in futurum tempus irrogatum. Tum & Tolmides Atheniensium Dux cum classe Peloponnesi oram circumvectus, navale Lacedæmoniorum Gythium incendio dedit, Chalcidem Corinthiorum oppidum cepit, & in terram descendens Sicyonios prœlio superavit. Sed minus prospera iisdem Atheniensibus fortuna in Ægypto fuit. Nam cum prima iis feliciter fortuna cessisset, & pene tota Ægyptus in eorum potestatem venisset, Artaxerxes Rex primum cum magna pecunia Megabazum quendam Persam Lacedæmonem misit, ut Lacedæmoniis expeditionem in terram Atticam persuaderet: & cum hoc frustra esset abnuentibus Lacedæmoniis, alius ab eodem Rege Megabazus cum exercitu copioso in Ægyptum est missus: a quo Ægyptii, qui defecerant superati, & Græci Memphide ejecti, atque in insula Prosopitide per totos menses XVIII. obsessi, in arctumque redacti, ac demum anno sexto post primum ingressum tota Ægypto cedentes, pauci numero, qui supererant, per Africæ partem proximam Cyrenen delati incolumi vita domum sunt reversi. Inarus Rex captus in crucem est actus. Tota Ægyptus præter partem paludibus obsitam, quam Amyrtæus quidam tenebat, ad Persas rediit. Sub idem tempus triremes Atheniensium & sociorum L. horum omnium nesciæ in ostium Nili Mendesium appulsæ a militibus ab ora rejectæ, & a classe Phœnicia in mari oppugnatæ majore sui parte demersæ, paucæ fuga elapsæ. Iidem Athenienses ab Oreste Thessalo exule, viro inter suos principe, exorati ad eum restituendum, assumptis Bœotiorum & Phocensium auxiliis in Thessaliam ad Pharsalum exercitum duxerunt, sed præter agrorum direptionem nulla re memorabili gesta domum se receperunt. Paulo post eorundem mille armati ad Pagas, quæ tunc in Atheniensium ditione erant, conscensis navibus Duce Pericle Xanthippi filio in oram Sicyonis trajecere, & egressi in terram occurrentes Sicyonios pugna vicerunt. Inde adjuncta sibi Achæorum manu longius cum classe progressi Oeniadas Acarnanes bello petitos obsederunt, sed re non succedente domum quoque istinc repetierunt. Hinc post triennium induciæ factæ inter Athenienses & Peloponnesios in annos quinque. Ita in Græcia quidem quievere Athenienses, sed in Cypro bellum gessere Duce Cimone, cui naves aderant CC. partim Atticæ, partim a sociis acceptæ: e quibus LX. petenti Amyrtæo Regi in Ægyptum missæ. Cum cæteris Citium Cypri oppidum oppugnatum. Sed Cimone e vivis illic sublato, & fame suborta, relicto Citio cum supra Salaminem Cypri veherentur, contra Phœnicas, Cyprios & Cilices, prœlium navale pariter & pedestre commissum, ac victoria utrobique a Græcis parta; classisque tota tam ex Cypro quam ex Ægypto domum reversa. Dehinc a Spartanis, suscepto bello sacro, templum Delphicum in potestatem redactum, & Delphensibus traditum: sed idem ab Atheniensibus receptum Phocensibus est restitutum. Post quæ cum ab Atheniensibus defecissent Bœotii, ii indignantes armata manu suorum, & adscitis sociis Orchomenum ac Chæroneam ac quædam alia Bœotiæ oppida bello invaserunt Duce Tolmida: captaque & præsidio firmata Chæronea, cum se reciperent, in hostes inciderunt, Orchomeno egressos, & prœlio facto pars eorum cæsi, reliqui capti sunt. Eo casu consternati

A Athenienses ut captivos reciperent pactione inita, tota Bœotia cesserunt, exulesque Bœoti, Locri, Eubœenses ad sua redierunt. Nec multo dein tempore elapso universa Eubœa ab Atheniensibus defecit. Ad quam recuperandam missus cum exercitu Pericles. Cui vix in insulam transgresso nuncius supervenit, Megara defecisse, Peloponnenses parare se ad invadendam Atticam, præsidiarios Athenienses a Megarensibus esse cæsos, exceptis iis qui Nisæam confugerant. Defecerant vero Megarenses freti Corinthiis, Sicyoniis & Epidauriis, quos sibi adsciverant. Itaque Pericles confestim ex insula reduxit exercitum: nec mora, Peloponnesii

B Atticam ingressi, & usque Eleusinem campumque Thriasium depopulati sunt Duce Plistianacte, Rege Laconico: sed ulterius non progressi ad sua se receperunt. Tum Pericles in Eubœam reversus eam universam rursus subactam pacavit. Solos Hestiæos sedibus ejectos agris exuit, eosque Atheniensibus suis tribuit. Recepta Eubœa fœdus in annos XXX. inter Athenienses & Spartanos eorumque socios percussum, quo Nisæa, Achaia, Pagæ, Trœzene parti alteri dudum ademptæ, ab Atheniensibus sunt dimissæ restitutæque. (Fœderi huic ad-

C scriptum fuit, licere cuivis civitati Græciæ, quæ socia isto tempore non esset, ad utram partem vellet, accedere. Quo capite usi postea Corcyræi fœderis & societatis copiam sibi ab Atheniensibus non negandam esse demonstrarunt.) Anno deinde sexto bellum inter Milesios & Samios commotum ob Prienen, in quo cum inferiores essent Milesii, Athenas profecti graviter accusarunt Samios, iisque multi Samiorum, qui in magistratu non erant, & reipublicæ statum mutatum cupiebant, suffragati sunt. Quibus moti Athenienses, missis istuc navibus armatis XL. popularem statum Sami con-

D stituerunt, obsidesque Samiorum pueros L. & totidem viros acceptos apud Lemnios deposuerunt, Samum ipsam præsidio custodiendam commiserunt. Sed Samiorum nonnulli, qui patria relicta in continentem se receperant, inita cum potentissimis civium, qui in urbe manserant, conspiratione, adjunctoque sibi Pissuthna Persa Sardium præfecto, & collecta manu auxiliarium septingentorum, noctu Samum trajecerunt, statimque populum adorti maximam ejus partem superarunt, receptisque furtim ex Lemno obsidibus in apertam rebellionem versi, præsidium Atticum cum prætoribus qui Sami erant, Pissuthnæ tradiderunt.

E Mox Byzantiis quoque in societatem pertractis, Miletum bello petierunt. At Athenienses his cognitis sine mora naves LX. Samum misere, quarum XVI. in Cariam navibus Phœnicibus obviam se tulere, paucæ e Chio & Lesbo evocatum auxilia ivere: cum cæteris XLIIII. Pericles & collegæ IX. Miletum petentes cum classe Samia navium LXX. e quibus XX. milite erant onustæ, ad insulam Tragiam congressi victoria potiti sunt. Deinde navibus aliis XL. quæ Athenis auxilio veniebant, atque insuper ex Chio & Lesbo XXV. advectis, in insulam Samum copiis expeditis occurrentes Samios fuderunt, compulsosque in urbem tribus castellis a

F terra, & classe a mari clauserunt. Quibus constitutis cum Pericles assumptis navibus LX. in occursum classis Phœniceæ, quæ ad opem Samiis ferendam adventare ferebatur, Carinum & Cariam versus exiisset, Samii observata occasione rariorum stationum subito erumpentes e portu proximas naves profligant, reliquas aciem objicientes superant, totoque mari vicino potiti per dies XIIII. important in urbem & exportant, quæ volunt. Sed reverso Pericle, & eodem LX. quoque aliis navibus cum clari nominis Ducibus a civitate Attica, ac XXX. e Chio & Lesbo submissis,

arctius rursum Samus clausa, nono demum mense ex quo obsideri cœpit, bello fracta hosti se dedit: Leges dictæ sane duræ, ut muros demoliretur, obsides daret, naves traderet, sumptus belli certis pensionibus refunderet. Byzantii quoque hoc casu territi ad obsequium prius reversi.

Haud diu post extitere motus illi, quos ante hæc jam memorata recitavit *Thucydides*, quosque semina fuisse belli Peloponnesiaci *idem* demonstrat. Hi sic habent. Epidamnus colonia Corcyræorum, quæ post Dyrrachium nuncupata fuit, in litore Illyrico, quondam opibus & populo florens; deinde seditionibus civilibus & armis finitimorum barbarorum diu vexata multum fortunæ & potentiæ amiserat: demum discordia domestica rursum agitata Principes civitatis urbe ejecerat. Hi barbarorum vicinorum ope, ad quos confugerant, civitatem terra marique variis incommodis afficiebant. Civitas malis pressa Corcyræos conditores suos, re maritima tum potentes (triremes enim CXX. instructas habebant) & opibus nulli civitatum Græcarum ea ætate impares, auxilium rogat: sed ab his spreta, Corinthiis, quos pro alteris conditoribus habebat (nam coloniæ a Corcyræis deductæ princeps fuerat Corinthius ex Herculis progenie, & ipse partem aliquam Corinthiorum Corcyræis addiderat) fit supplex, præsidiumque ac novos colonos ab iis accipit. Id vero ægre ferentes Corcyræi, qui Corinthiorum erant coloni, existimantes atrocem sibi injuriam a conditoribus suis fieri, qui coloniæ Epidamniæ jus interceptum ipsis irent, Epidamnum bello petunt, & simul Corinthios majora auxilia tum sua, tum sociorum Epidamniis parantes ad disceptationem juris apud arbitros æquos provocant. Sed rejecti ab iis, cupidius quam par erat bellum hoc capessentibus (quippe qui non eum honorem a Corcyræis opum fiducia tumentibus haberi sibi, qui a colonis Metropoli debetur, indignissime ferebant, tumoremque eorum compressum summopere cupiebant) majoribus quam ante viribus obsessos premunt. Corinthii autem contractis undequaque amicorum auxiliis, confecta classe navium LXXV. & imposito bis millium armatorum exercitu in Corcyræos feruntur. Quibus cum navibus LXXX. quam celerrime armatis, relictis aliis XL. ad obsidendam Epidamnum, Corcyræi ad promontorium Actium occurrunt, prœlioque navali commisso victoriam referunt: eodemque die Epidamnum quoque deditione capiunt. Victores mari longe lateque potiti, & secunda fortuna ferociores facti, Leucadis fines diripiunt, aliosque hostium amicos affligunt. Tum rursum ut suis laborantibus succurrant, Corinthii classe instructa & exercitu aucto in eas oras delati castra in Actio figunt, iisque castra sua Corcyræi opponunt. Sed ingruente hyeme ne tentato quidem prœlio domum utrique discedunt. Toto autem eo anno post pugnam navalem, & anno quoque sequente Corinthii ira in Corcyræos ardentes instruendis navibus & conficienda per Peloponnesum reliquamque Græciam remigum copia fuere occupati. Quam ob caussam solliciti Corcyræi nullis tum fœderibus muniti, nec vel Lacedæmoniorum, vel Atheniensium societati adscripti, legatos Athenas petendæ societatis & opis gratia miserunt. Quo cognito, eodem suos quoque misere Corinthii, qui petitioni illorum se objicerent. Auditique primum a populo Attico Corcyræi prolixe dicentes, deinde Corinthii etiam prolixius. Re bis a populo in deliberationem missa, tandem societas defensiva Corcyræis addicta in hanc sententiam, ut sibi mutuo uterque populus auxilio esset, si hic aut ille armis ab hoste impeteretur;

A ad oppugnandum auxilium negatum, ne quid in fœdera priora peccaretur. Sic faciendum censuere Athenienses, quod jam tum bellum sibi fore cum Peloponnesiis prospicerent: in quem eventum Corcyræos rebus maritimis potentes malebant sibi adjunctos, quam Corinthiis: & profuturum fortunæ suæ rebantur, si Corinthii & eorum socii ante bellum istud venturum cum Corcyræis collisi attererentur, infringerenturque: nec parum eos movebat, quod non nescirent, Corcyram trajecturis in Italiam & Siciliam situ percommodam esse. Itaque statim decretæ sunt triremes X. quæ auxilio Corcyræis irent, si iis periculum crearetur, B Ducesque dati tres, in quibus erat Lacedæmonius Cimonis filius, Miltiadis nepos, Atheniensium nobilissimus, sed Pericli ob æmulationem cum patre ejus invisus, & calumnia gratiæ Lacedæmonicæ ab eo petitus, ut tradit hanc rem exponens *Plutarchus*. His Ducibus mandatum, ut quantum possent, declinarent in prœliis congressum cum Corinthiis fœderum causa, nisi Corcyram ipsam aut aliud eorum oppidum armis peti ab iis viderent: tum vero ut iisdem occurrerent totis viribus, præceptum. Atque hæ naves confestim Corcyram missæ. Corinthii autem, paratis jam ad expeditionem C omnibus, educta classe navium armatarum CL. quarum LX. socii dederant, reliquas XC. ipsi instruxerant, exercituque ei imposito recta Corcyram petiere, Duce præcipuo Xenoclide Euthyclidis filio, cumque Leucadem venissent, ea relicta, ad oram Thesprothidis, quæ Epiri pars, & Corcyræ objacet, appulere, ibique non procul ostio Acherusiæ paludis in mare exeuntis castra fixerunt. Contra hos a Corcyræis naves instructæ, & remige ac milite completæ atque eductæ CX. & his X. Atticæ additæ: classesque utrinque in altum eductæ ad pugnam, & explicatis agmine triplici aciebus, concursu facto, certamen aperto in mari initum inter D Corcyram insulam & litus Thesprotidis, & confertim confertis navibus in longum porrectis, sine arte ac scientia, solo animorum ac virium robore, velut statario in terra prœlio dimicatum pertinaci nisu: quod prœlium prolixe & accurate exponit, ac velut penicillo depictum lectoribus ob oculos ponit *Thucydides*, dicitque nunquam ad id usque tempus tantis viribus tam magno navium numero Græcos cum Græcis concurrisse. Athenienses memores mandatorum domi a suis acceptorum, ubi res poscebat, terrendo magis quam pugnando & invehendo in oppositos Corinthios diu rem gerebant, & Corcyræis opem ferebant: At in eo E cornu, in quo collocati ipsi erant, superatis & in fugam versis Corcyræis, tum demum ne muneri deessent suo, in Corinthios fortiter invecti manus cum iis conseruere, victoriamque eorum ea parte turbarunt. Vicere in hoc congressu hostium cornu dexterum Corcyræi, fugatosque oppositos ibi Megarenses in terram usque persecuti sunt, ibique locata eorum castra diripuerunt: sed in cornu altero latissime victi sunt a Corinthiis, magnumque numerum navium ibi amiserunt. Atqui eodem die, utrimque recollectis, quæ superant, navibus in sese rursum ferebantur. Et jam classica canebant, cum inopinato a Corinthiis F conspectæ suntnaves Atticæ XX. post priores X. domo sociis submissæ: quarum conspectu territi, metuentes scilicet plures etiam subsequi, retrocedere cœpere, mirantibus Corcyræis, adventus navium istarum adhuc ignaris, simulque nox ingruit, ob quam sine prœlio classes tum reductæ: naves Atticæ XX. per stragem navium hominumque vectæ Leucimnam oræ Corcyrææ, quo se Corcyræi receperant, venere, Hæ cum aliis X. quæ pugnæ priori interfuerant, & Corcyræis, quotquot earum

A adhuc integræ supererant, postridie ad Sybota, portum Tesprotidis, quo Corinthii concesserant, evectæ, ostentata acie ad pugnam hostes provocarunt: & hi educta quidem in pelagus classe, & acie instructa quiescebant tamen, non utique pugnaturi, nisi ab adversa parte coacti; atque hoc propter incommoda, quibus se premi sentiebant, diversa, omninoque magis ad redeundum domum, quam ad pugnandum animis inclinabant. Verum metuentes pro rupto jam fœdus Athenienses esse habituros; ad tentandos eorum animos, paucos suorum navigio actuario impositos sine caduceo ad eos præmisere. Ii ad Atheniensium classem adve- B cti ita locuti feruntur, inique facere Athenienses, qui priores armis in socios Corinthios sumptis, & fœdere rupto eosdem Corinthios persequi hostes suos non siverint: quod si constitutum habeant porro eos vel in hostem, vel quovis alio euntes prohibere fœdusque post habere, facerent sane, & sese, qui se offerent, pro hostibus haberent, ac more hostium tractarent. Ad quæ Athenienses, quanquam clamarent statim Corcyræi, qui e proximo verba Corinthiorum audierant, occidendos eos esse; At nos, inquiunt, nec bellum cœpimus, nec contra fœdus quicquam facimus, sed ut Cor- C cyræis sociis nostris contra vim opem feramus, huc venimus; quapropter si alio navigare cupitis, per nos id facere licebit: sin Corcyram invadere, aut quemlibet locorum ejus, arcebimus pro viribus. Quo responso audito, statim ad abeundum domum Corinthii cum suis se accinxere, excitato ad Sybota tropæo: vicisse quippe videri volebant. Sed Corcyræi collectis tabulis naufragis & cæsorum corporibus quæ varie sparsa ventus isthuc compulerat, uti victores non procul inde & ipsi tropæum erexerunt. In pugna cædes ingens utrimque facta: pugnatum enim acerbis animis: demersæ Corinthiorum naves ad xxx. Corcyræorum ad LXX. & capti ex his circiter mille, abductique Corinthii D in regressu, Anactorio per fraudem occupato, quod est in ore sinus Ambracii, atque ibi colonis constitutis domum repetunt. Illic e captivorum numero, qui servilis conditionis apud Corcyræos fuerant, ad DCCC. sub hasta vendunt: reliquos CCL homines liberos, & in his non paucos civitatis primores in custodia servant benigneque habent, ut si quando hi domum redirent, beneficii hujus ergo, Corcyram ipsis conciliarent. Hoc modo quasi victrix facta Corcyra, navesque Atticæ domum dimissæ. Atque hæc prima causa fuit Corinthiis movendi belli contra Athenienses, quod pro Cor- E cyræis contra ipsos prœlio navali dimicassent. Hanc statim excepere aliæ, quæ non Corinthios solum, sed cæteros quoque Peloponnesios in Athenienses exacerbarunt. Erat Potidæa, in Isthmo peninsulæ Pallenes sita, colonia Corinthiorum, socia vero & vectigalis Atheniensium. Eam Athenienses ab iratis Corinthiis sibi metuentes, (nam vindictæ cupidine eos ardere animadvertebant,) diruere murum suum Pallenen versus jusserunt, atque insuper obsides dare, & magistratus eos, quos quotannis mittere istuc Corinthii solebant, ejicere, nec quenquam hujusmodi in posterum admittere. Id vero ideo imperarunt, quod vererentur, F Corinthios una cum Perdicca Macedonum Rege, quem etiam ex amico inimicum sibi fecerant, Potidæatas ad defectionem esse sollicitaturos, idque exemplum reliqua quoque ejus plagæ oppida societate secum juncta tracturum. Prior Perdiccas, in cujus perniciem Athenienses fratrem ipsius Philippum ac Derdam armaverant, ira tumens, misso Lacedæmonem legato eam civitatem cum Peloponnesiis aliis ad bellum contra Athenienses capessendum incitat: Potidæam in gratiam Corinthiorum ad deficiendum invitat: Chalcidenses quoque qui in Thracia sunt, & Bottiæos ad idem sollicitat. Quorum cum nihil lateret Athenienses, ut defectioni oppidorum sociorum tempestive occurrerent, præfectis navium xxx. quas jam ante cum mille armatis militibus in eam oram forte emiserant, demandant, ut quæ ante dicta sunt, Potidææ fieri curent, & reliquarum civitatum, ne in prava consilia abripiantur, diligentem rationem habeant. At Potidæatæ hominibus suis Athenas missis, ne quid apud se novetur, impense precantur, & simul per alios legatos, assumptis etiam Corinthiis conditoribus suis, in eventum auxilia Lacedæmonios rogant. Cumque ab Atheniensibus nihil impetrarent, & ab eorum classe istuc missa hostilia metuerent, confisi promissis magistratuum Laconicorum, qui receperant in Atticam exercitum se missuros, si Athenienses in Potidæatas invaderent, conspiratione cum Chalcidicis oppidis & Bottiæis inita, una cum iis ab Atheniensibus deficiunt, stimulante etiam Perdicca. Atque is autor fit oppidis maritimis, ut dirutis desertisque sedibus suis commigrent Olynthum, eamque auctam muniant: multis etiam sedes alias, agrosque colendi causa in mediterraneis ex suo, durante bello Attico assignat; ejusque consilio mos geritur. Interea naves Atticæ, quas diximus, audita oppidorum defectione ex Thracia, quo appulerant, recto cursu in Macedoniam feruntur, & se cum Philippo ac Derda hostibus Perdiccæ jungunt. Corinthii vero Potidæatis suis timentes exercitum gravis armaturæ mille & sexcentorum partim voluntariorum ex civitate sua, partim ex Peloponneso mercede conductorum, & cccc. leviter armatos Duce Aristæo Adimanti filio Potidæatarum studiosissimo istuc mittunt: & hi die XL post defectionem Potidææ in Thraciam deveniunt. Ab Atheniensibus quoque, cum de his omnibus nuncios accepissent, duo millia armatorum, & naves XL. missæ Duce præcipuo Callia Calliadis filio, additis ei collegis quatuor. Qui cum in Macedoniam appulissent, cognoscunt, priores copias istuc missas Thermam jam in potestatem redigisse, & oppugnandæ Pydnæ esse intentas. Quo cum se quoque contulissent, ut suos juvarent, cogente re ob periculum a Potidæa & Aristæo, pacem & societatem cum Perdicca a Macedone reficiunt. Mox relicta ea Macedoniæ parte, tentata frustra ex itinere Berrhœa, Potidæam omnes via terrestri contendunt, aucti etiam magno sociorum numero, & equitibus Macedonibus DC. quos Philippus & Pausanias ducebant, dieque tertio demum Gigonum perveniunt, atque illic castra figunt: eodem tempore classis Attica navium LXX. oram legens istuc etiam se contulit. At Aristæus Corinthius cum suis & Potidæatis castra in Isthmo, qua Olinthum spectat, metatus erat, forumque rerum venalium extra urbem collocaverat adventum Atheniensium operiens: atque ipse ex voluntate sociorum peditatui præerat, equitatui vero Perdiccas Rex, qui rursum ab Atheniensium societate ad partes Potidæensium defecerat. Hoc autem consilio Aristæus ibi consederat, ut, si ipsum oppugnatum venirent Athenienses, Chalcidensium & sociorum aliorum exercitus cum equitatu Macedonico Olynthi hærens horum tergis se inferret, atque ita in medio conclusos hostes ancipiti periculo circumveniret. Callias vero & collegæ equitibus Macedonicis cum parte aliqua sociorum Olynthum versus missis, qui istis se objicerent, cum reliquo exercitu Potidæam iter intendunt, & Isthmo appropinquantes, cum viderent in acie stare hostes, ipsi quoque explicata acie in eos sine mora vadunt: confertaque pugna in cornu altero, ubi Aristæus cum

delectis Corinthiis constiterat, fusi fugatique sunt Athenienses, in altero Atheniensibus victoria cessit, victique ea parte Potidæam confugerunt. At Aristæus a persecutione fusorum reversus, cum videret cornu suorum alterum stratum succubuisse, dubius aliquandiu, quo se reciperet, Olynthumne an Potidæam, tandem cum suis recollectis sumpta audacia per difficillima loca & tela hostium Potidæam, quæ proxima erat, cursu sese intulit, paucis suorum amissis. Qui vero Olynthi erant, accepto exeundi signo, cum progressi aliquousque essent, & occurrere sibi contra se missos sentirent, & simul fama superveniret, pugna Potidæatas succubuisse, confestim unde exierant, rediere. Ab Atheniensibus post pugnam tropæum erectum; cæsi Potidæatæ paulo minus quam CCC. Athenienses CL. & in his ipse Dux Callias. Victores contra urbem, Isthmum versus vallum excitarunt, eique præsidium imposuere: ab altero vero latere Pallenen spectante diffisi paucitati suæ idem facere non potuere. Sed haud diu post supervenientibus novis copiis armatorum MDC. quæ Athenis submittebantur, ductore Phormione, etiam illa parte Potidæa vallo clausa fuit, cœpitque mox ab omni latere terra marique oppugnari. Aristæus, post alterum consilium suum quod fortius erat ab obsessis contemptum, observata venti commoditate, deceptis custodibus Atticis, per mare fuga se eripuit, & ad Chalcidenses delatus multa illic pro Potidæatis movit; & eum secutus Phormio cum copiis suis, vallo jam confecto, conatus ejus impediit. Et hæ quidem irarum atque odii causæ Corinthiis sociisque Peloponnesiis contra Athenienses, & Atheniensibus vicissim contra illos fuere ob Corcyram & Potidæam, utramque Corinthiorum coloniam, quarum priorem a conditoribus suis offensis pressam Athenienses contra vim tuendam in societatem receperant, posteriorem Atheniensium sociam & vectigalem Corinthii & eorum socii ad mutandam fidem cum oppidis aliis impulerant. Clausa igitur obsidione Potidæa tum ob ejus tum ob civium suorum, qui illic inerant, periculum non amplius cessandum rati Corinthii socios omnes Lacedæmonem convocarunt, ibique vehementer in Athenienses ut fœderum ruptores, & injuriarum in Peloponnesios auctores invecti fuere. His, quanquam metu Atheniensium palam legatos non mitterent, clam tamen succinuere Æginetæ, graviter conquerentes contra fœderis leges sibi liberis esse non licere. Tum a Lacedæmoniis vocatis in concilium sociis, & facta cuivis, qui contra Athenienses alliquid haberet, dicendi potestate, cum multi alii in medium progressi crimina in Athenienses conferebant, tum Megarenses præter alias injurias acerbe inprimis querebantur, quod contra fœdus & pacta conventa portubus imperii Atheniensium, & usu fori Attici prohiberentur. Postremi vero Corinthii, qui consulto Lacedæmoniorum animos in Athenienses per alios exacerbari siverant, *cæteris prolixius & acerbius in eosdem dicentes, tum crimina & injurias eorum asperarunt, & periculum ab iis imminens exaggerarunt, tum Lacedæmonios ipsos ob lenitudinem in vindicandis sociorum & amicorum injuriis castigarunt, ostenderuntque, nisi causam hanc, uti par esset, agendam suspicerent, alias sibi societates esse quærendas*. Erant tum forte Lacedæmone ob alia negocia legati Atheniensium: qui cognitis his petita impetrataque a Lacedæmoniis dicendi copia, oratione apud eos usi sunt moderata & prudentiæ plena: *Non esse mentis suæ, causam istic velut apud judices dicere: nec enim aut reos se, aut illos judices cognoscere, Tantum monitos illos velle, ne præcipitem rem, bellumve inimicorum criminationibus incitati temere decernant, pacemque Græciæ turbent, sed verum prius cognoscant: Res semel turbatas, non facile componi ac restitui quieti posse. Multa belli mala, multa pacis commoda esse: injuriam civitati suæ inimicorum criminationibus fi ri, qui fortunam ejus, & qualemcunque potentiam æquis oculis intueri non possint: principatum quem teneat, virtutis suæ premium tenere, probantibus ipsis sociis; ita enim bello Medico meritam esse de tota Græcia ad Marathonem, ad Salaminem, ut gloria, dignitas, potentia parta invidiæ ei esse non debeat; tam moderate vero imperium gesisse, ut merito quisquam queri de ea non possit. Imperium, dicebant, datum nobis auxisse nos fatemur: id vero naturæ hominum congruum, ut bene parta augeant, & imbecilliores potentioribus pareant, modo id sine aliorum injuria, quanquam non sine vi fiat. Sine vi enim ajebant teneri imperia non posse: sic ipsos facere, & fecisse ac facturos esse in similibus casibus Lacedæmonios. Lenitate nimia sæpe plus dedecoris quam laudis ac commodi sibi acquisisse: sic ubi severitate sunt usi in deliquentes, magis necessario quam libenter id fecisse: nam aut utendum ea, aut imperium dimittendum fuisse. Non præcipitandum igitur consilium: belli enim res incertas, & plurimis malis obnoxias esse: id qui cupide occipiant, prius incommoda gravia fere incidere, quam rationem in judicium adhibere queant. Denique Deos fœderum vindices de innocentia sua & quietis studio testati finierunt*. Lacedæmonii utrisque auditis, semotis omnibus ipsi seorsim de re consultatione instituta, Athenienses injuriarum variarum auctores, quam primum bello ulciscendos esse, consentientibus in id plurium suffragiis decrevere. Tum surgens Archidamus Rex, qui prudentis & moderati ingenii esse existimabatur, oratione gravissima non a suscipiendo pro salute sociorum, sed a præcipitando bello Lacedæmonios est dehortatus, comparatis Atheniensium, & Lacedæmoniorum viribus præsentibus: opus esse demonstrans temporis spacio ad faciendos apparatus, conquirenda auxilia non Græcorum solum, sed & barbarorum, conficiendam pecuniam & classem: temerarium esse inchoare bellum imparatos, hostemque paratum irritare, eoque procedere, ut si maxime velis, sine dedecore arma ponere non queas: Athenienses vastatione agri Attici debellari haud quaquam posse, cum commeatuum aliorumque necessariorum parandorum copiam sufficientem habeant in promptu: præstare igitur, ad tempus ut res differatur, intereaque bellum sedulo instruatur: fortasse, eo animadverso, Athenienses, quod optandum maxime, meliorem mentem sumpturos, & postulatis sine armis satisfacturos: nec hanc cunctationem probro verti Lacedæmoniis posse: secuturos enim exempla majorum suorum, & quo tardius arma sumpserint, eo celerius & felicius jam paratos bellum esse finituros. Sed dissentiens ab eo Sthenelaides, qui Ephororum in numero tum erat, & ultimus verba faciebat, pariter & Atheniensibus & Regi Spartano contradixit, usus oratione non tam prolixa, quam acri & nervosa, atque arma statim in Athenienses fœderum ruptores sumenda suasit & persuasit. Cumque populus ex more suffragia viva voce ferret, incertumque sibi esse Sthenelaides diceret, utra pars numero superaret, assentientium sibi an contra sentientium, idem pro potestate quam gerebat, jussit eos, qui fœdus ab Atheniensibus ruptum esse, & injurios in socios fuisse censerent, in locum monstratum secedere, reliquos in locum alium se conferre. Quo facto repertus est priorum numerus multo major numero cæterorum. Tum sociis vocatis, quo sua ierint suffragia, aperuere: Velle vero dixerunt, ut & socii omnes, quid faciendum putarent, declararent, ut si communi voluntate de-

cre-

A cretum bellum occiperetur, communibus quoque viribus gereretur. Tum omnes ad suos reversi sunt, ut quid eorum voluntas ferret, inquirerent. Simulque Atheniensium legati confecto negocio suo domum rediere. Factum hoc, ait *Thucydides*, anno XIIII. fœderis in annos XXX. percussi bello Euboico confecto. Ut vero bellum hoc decernerent Spartani, non tam sociorum verbis persuasi sunt, quam metu crescentis potentiæ Atheniensium impulsi, quam sibi periculosam futuram arbitrabantur. Sed priusquam progrederentur longius, statim post Athenienses violatorum fœderum & injuriarum reos declaratos, Delphos miserunt oraculum B de eventu belli sciscitatum. Unde cum responsum quale optabant, retulissent, evocatis rursum sociis, & denuo re proposita; cum alii alia dissererent, & in Athenienses jactarent, & plerique bellum in eos maturandum censerent, Corinthii, qui etiam ante hunc conventum hoc idem per legatos egerant metu amittendæ Potidææ, iterum postremo loco acerbe in Athenienses locuti, demonstrata & causæ summa æquitate, & virium ad gerendum bellum sufficientia, omnes per se bellandi jam cupidos oratione sua magis quoque incenderunt. Tum perrogatis sententiis unanimi consensu bellum in Athenienses rursus decretum. C Verum quoniam expedire non videbatur, ut imparati bellum ordirentur, jussi sunt omnes, ut domum reversi singuli pro viribus bello necessaria pararent. Eique apparatui annus tributus est haud integer. Interea legati Athenas missi, & per eos postulata proposita, ut si quid horum negaretur, justior bello causa prætenderetur. Et prima quidem legatione postularunt Lacedæmonii, ut in Deum commissum olim facinus Cylonium expiaretur, quod quale fuerit, prolixe hoc loco a *Thucydide*, & ante *Thucydidem* ab Herodoto libro V. expositum est. Id vero pertinebat D ad Periclem, qui per matrem piacularem familiam attingebat, virum ea tempestate in civitate Attica maximum, Athenis expellendum: quo expulso, levius sibi bellum futurum esse Lacedæmonii rebantur. Sed rejectum ab Atheniensibus fuit, & regestum in Lacedæmonios, qui & Heilotas nuper ex æde Neptuni in Tænaro abstractos supplices trucidaverant, & Pausaniam reum in fano Palladis Chalciœcæ, in quod confugerat, fame necaverant. Qua occasione *Thucydides* crimen Pausaniæ, & vitæ ejus exitum prolixe exponit: ac statim Themistoclis summi viri casus postremos, & mortem quoque subjicit. Postea per E legatos poposcerunt iidem Spartani Athenas rursum missos, ut Athenienses Potidæa abstinerent, & Æginam liberam dimitterent; inprimis vero flagitarunt, ut decretum contra Megarenses inducerent, quo illi usu portuum ditionis Atticæ, & urbis Atticæ foro prohibebantur, sine quo inducto bellum omnino ipsis esse expectandum. Sed nec in ullo horum mos gestus ab Atheniensibus: imo accusati ab iis Megarenses, quod agrum Eleusiniæ Deæ sacrum indefinitumque exercerent, & servos fugitivos receptarent. Tertia demum legatione Ramphius & collegæ ejus duo missis prioribus F postulatis hoc tantum dixere, Lacedæmonios pacis servandæ cupidos esse: ei vero locum fore, si Athenienses suo jure Græcos uti, id est, vere liberos esse finerent. Quibus auditis Athenienses convocata concione censerunt de universa re deliberatione instituta semel liquide esse respondendum: & potestate dicendi cunctis, qui vellent, permissa, cum multi in utramque partem pro bello & pace disseruissent, assurgens demum Pericles ea ætate dicendo & agendo longe præstantissimus Atheniensium, ac fari exorsus ita sensim eloquentia sua, qua fulgurare & fulminare in concionibus a Poetis ejus sæculi dictus fuit, populum commovit, ut eum universum in sententiam suam abriperet. In hæc autem potissimum oratio ejus exarsit: *Plusquam iniquos & injuros esse Lacedæmonios, qui hæc talia non poscerent modo, sed & imperarent, qualia ab ipsis siquis postularet minime omnium ea vellent admittere jamdudum illos malignis oculis & livida mente crescentem fortunam civitatis Atticæ adspexisse, & invidia ægrescentes prava consilia in perniciem ejus coxisse: & nunc ope oratorum sociorum fretos bellum in eandem parare, ut de gradu fortunæ dejectam humilient. Sed obviam eundum animose, nec de viribus desperandum: habere civitatem multo plura ad gerendum ac sustinendum bellum commoda, & majores vires, quam illos ac illorum socios: inprimis nervum belli pecuniam illis deesse ad ferendos sumptus diuturnos: valere eos impetu, sed mora fatiscere, plerosque belli artium ex longa quiete rudes, nec laborum castrensium patientes: contra multo jam tempore in bello exercitos Athenienses, & pecuniæ nervo magis instructos: agro istorum vastato nihil iis reliquum esse, quo bellum sustentent, imo unde domi necessaria parent: agro Attico afflicto ac pessundato superesse civitati regiones alias defectui supplendo sufficientes: imperium maris cum copia navium & rerum navalium ac remigum, atque urbe bene munita, rem esse maximam & ad diuturnum bellum sustinendum validissimam*: Et similias his alia multa. Sententiam vero, commoto jam populo, dixit hanc; *placere, refigi decretum de Megarensibus, si modo Spartani vicissim non interdixerint usu urbis suæ peregrinis tum Atheniensibus tum sociis eorum: dimissum iri civitates liberas, quæ liberæ fuerint, cum fœdera inirentur, si Spartani quoque, quas teneant, liberas pari modo dimiserint, propriisque institutis, non institutis Laconicis uti siverint: denique paratos esse Athenienses, de controversiis omnibus judicia secundum fœderum conventa subire, nec priores bellum moturos, sed illatum fortiter depulsuros*. Sententiæ autem dictæ hæc subjecit, *& justa esse ista, & dignitati civitatis congrua, si in hunc modum respondeatur: simul vero sciendum, necessum esse, bellum gerere; quod si ultronei Athenienses susceperint, minus graves hostes esse sensuros: ex maximis discriminibus maximos honores & publice civitati, & privatim singulis solere existere: sic factum a patribus bello Medico, cum minor adhuc fortuna civitatis esset, atque id bene civitati cessisse, indeque ad tantum imperium, quantum nunc haberet, ipsam pervenisse: eos imitari æquum esse, & partum ab iis imperium non diminutum posteris relinquere*. Qui cum perorasset, decretum ex ipsius mente est scriptum: responsumque Lacedæmoniis ad singula, uti ipse suaserat, universe vero, nihil facturos Athenienses eorum, quæ ipsis imperarentur, sed ad diluenda crimina, secundum fœderum præscriptum in judicio æquo ac communi paratos esse. Sic tum domum reversi legati, nec ii postea reversi. Atque hæ quidem causæ & controversiæ utrisque fuere bellum præcedentes, principio ducto ab iis, quæ Epidamni & Corcyræ acciderunt, quibus durantibus commerciorum mutuus usus utrisque mansit sine caduceatore, sed non sine suspicione. Nam ea, quæ fiebant, non erant sine fœderum confusione, & vere belli præludium sapiebant.

THUCYDIDIS

LIBER II.

Annus belli Pelopon. primus surgens.

POST debellatam rursum Eubœam, initumque tricennale fœdus anno fluente decimo quinto, mense sexto a pugna ad Potidæam commissa (inquit *Thucydides*) cum Ephorus Spartæ esset Ænesias, & Archon Athenis Pythodorus, duobus mensibus antequam hic magistratus exiret, ineunte vere, Thebani paulo plures trecentis a conjuratis Platæensibus adjuti ductu duorum Bœotarchorum Pithangeli & Diempori noctu Platæam Atheniensium sociam per reseratas portas intrarunt, Principe totius rei Eurymacho Thebanorum potentissimo. Prævidentes enim Thebani, bellum omnino esse futurum, statuerunt Platæam semper sibi adversam ante arma commota, cum publica adhuc pax esset, intercipere. Quo etiam facilius isti clam in urbem penetrarunt, nullis dum excubiis ante portas dispositis. Positis vero in foro armis morem non gesserunt conjuratis Platæensibus qui eos introduxerant, quorum erat voluntas, ut statim invadentes domos inimicorum cædem eorum facerent: sed constituerunt secum, præconiis commodis rem agere, & ad conventionem & amicitiam civitatem invitare: simulque præconis voce denunciarunt populo, ut qui Bœotiorum omnium more patriæ societatem colere vellent, arma sua juxta ipsos ponerent. Existimabant enim hoc modo facile se populum suarum partium esse facturos. Platæenses autem postquam cognovissent, Thebanos in urbe esse, & urbem velut in potestate habere, perculsi animis, rati multo plures esse eos quam erant (nam nox conspectum adimebat) conditionem admiserunt, quieveruntque, præsertim cum in neminem quicquam novi statui animadverterent. At cum intelligerent, non esse eos tanto numero, qui superari haud difficulter possent, (vulgus enim Platæensium non nisi invitum diffidebat ab Atheniensibus) placuit rem tentare. Itaque omnibus quæ istuc pertinebant, summa celeritate procuratis, communibus domorum parietibus perforatis, ut coitiones facere non prodeuntes in publicum possent, & plaustris ad claudendas vias murorum vice passim locatis, nocturnisque excubiis diligenter actis, priusquam dilucesceret, e domibus erumpentes impetum in eos fecerunt. Id enim tempus idoneum putarunt, ut tenebris pariter & luto implicitos, ac hærentes (multa enim pluvia ea nocte ceciderat) regionibus urbis ignotis, atque ita timidius acturos, invaderent, armisque premerent. Extititque pugna atrox & varia. Nam Thebani cum sensissent, quid rei esset, obfirmatis animis globo facto perrumpere, & viam sibi ad salutem per vim aperire conati sunt, sed bis terve rejecti tuebantur se ut poterant. Exorto vero horrendo clamore & strepitu invadentium & aliorum utriusque sexus ululantium, tegulasque & lapides e domibus jacientium, animis concidentes, variis casibus magno numero perierunt pugnantes, fugientes, dispalati heic illic, e mœnibus sese projicientes: Reliqui in ingens ædificium publicum juxta muros forte delati, atque illic conclusi, & quotquot per urbem errabant, cum aliud non possent, potestati Platæensium se permiserunt. Interea plures Thebanorum, qui priores hos per noctem secuti erant, ut si quid accideret, laborantibus auxilio essent, tardati fœda pluvia, & transitu Asopi fluvii, qui aqua pluviali intumuerat, mediusque inter Thebas & Platæam decurrebat, sero venientes, quum comperissent, quæ fortuna suorum esset, substiterunt: dubii, an Platæenses per agrum sparsim in villis agentes, ac eorum res invaderent, ac per eos redimerent suos Platææ in vincula conjectos. Quod suspicati qui in urbe erant, ut periculo suos illos eriperent, extemplo caduceatorem ad Thebanos emiserunt, qui diceret, improbe eos facere quod durante fœdere conati sint Platæam occupare, denunciaretque, ni ab injuria per agrum abstinerent, se eos, quos in vinculis vivos adhuc haberent, esse interempturos: eosdem vero reddituros, si sine maleficio ex agro Platæensi discederent. Et hæc quidem ajunt Thebani, adduntque, eadem jurejurando ipsos confirmasse. Verum negant id Platæenses, dicuntque non promisisse, statim se captivos reddituros, sed ita demum, si colloquio præmisso aliquid in eo conveniret: jurasse autem haud quaquam fatentur. Recito verba *Thucydidis*. Abiere vero ex agro Thebani nemine læso. At Platæenses raptim rebus suis omnibus rure in urbem comportatis, captivos neci dederunt, qui numero erant CLXXX. & in his Eurymachus totius fabulæ hujus concionnator præcipuus. Hac re gesta confestim misso nuncio Atheniensibus eam significant, & Thebanis interemptorum corpora ad sepulturam ex more restituunt. Tum protinus Athenienses Bœotis omnibus qui in agro Attico forte erant, comprehensis præconem Platæam mittunt denunciatum, ne quid illic novi in captivos statuatur, nisi re ante Athenis quoque deliberata. Nam de nece eorum adhuc nihil inaudiverant. Mox vero de omnibus exactius edocti iidem Athenienses per nuncios priori submissos, exercitu educto frumentum Platææ inferunt, & imbelli atque inutili turba utriusque sexus ex urbe amota, præsidium ibi constituunt. Ita fœdere jam aperte rupto, utraque pars & Athenienses & Lacedæmonii cum sociis bello se pararunt: utrique legatos ad Regem Persarum & barbaros alios a quibus commodi aliquid expectare se posse sperabant, destinarunt, & adsciscendis sibi novis sociis, civitatibus Græcis hactenus secum non junctis, studuerunt. Lacedæmonii quidem negocium dedere iis, qui suarum partium erant in Italia & Sicilia, ut quam maximum possent numerum navium conficerent ad quingentas usque, & certum modum pecuniæ conferrent in belli usum, cætera quiescerent, Athenienses interea nisi una sola nave vectos ne admitterent. A parte altera Athenienses operam dabant recognoscendis civitatibus sociis, & legationibus mittendis ad Corcyræos, Cephallenios, Acarnanas, Zacynthios, rati, si hos amicos haberent, tutius se circum Peloponnesum bellum gesturos. Utrique magna animis concipiebant, & tota mente totisque viribus instruendo bello ferebantur, ut solent homines in initiis rerum esse ferventiores. Inter hæc, oracula, & vaticinia, & omnia multa in ore vulgi erant velut præsaga futurorum. Magis vero propensi erant hominum plurimi in benevolentiam erga Lacedæmonios, maxime propterea quod hi Græciæ libertatis patronos se profiterentur: studebantque singuli eos adjutare, quacumque re possent, existimabantque nihil recte administratum iri, cui ipsi præsentes non essent adfuturi. Adeo plerique oderant Athenienses, alii quod imperio eorum liberari cuperent, alii quod impositum id sibi iri metuerent. In Lacedæmoniorum partibus tunc erant, & armorum socios se profitebantur omnes Peloponnesii, exceptis Argivis & Achæis, quibus cum parte utraque amicitia constabat, nisi quod ex Achæis soli Pellenenses Lacedæmoniis adhærerent statim ab initio; cæteri vero postea etiam iisdem partibus ac-

A cessere. Tum extra Peloponnesum earundem partium Laconicarum erant Megarenses, Phocenses, Locri, Bœoti, Ambraciotæ, Leucadii, Anactorii. Classem vero præbebant Corinthii, Megarenses, Sicyonii, Pellenenses, Elei, Ambraciotæ, Leucadii: equitatum Bœoti, Phocenses, Locri: peditatum civitates cæteræ. Cum Atheniensibus faciebant Chii, Lesbii, Platæenses, Messenii Naupactum habitantes, Acarnanes plerique, Corcyræi, Zacynthii, & civitates aliæ tributariæ in tot gentibus, Cares ad mare siti, Dores his finitimi, Ionia, Hellespontus, Thraciæ oppida & loca non pauca, insulæ intra Peloponnesum & Cretam ad solem orientem vergentes, Cyclades quoque omnes aliæ præ- B terquam Melus ac Thera. Horum Chii, Lesbii, Corcyræi naves conferebant, cæteri militem & pecuniam. Sic *Thucydides*: qui cur in hac recensione Eubœam & Samum nominatim non memoraverit, præsertim inter eas civitates aut insulas, quæ naves Atheniensibus suffecere, quibus hæ abundabant, cum sociæ utique essent, ignorare me fateor. Et Lacedæmonii quidem statim post ea, quæ Platææ acciderunt, denunciarunt sociis intra extraque Peloponnesum, ut in expeditionem paratas copias habeant, instructas rebus bello necessariis, ducendas in Atticam: omnesque ad diem dictum juxta Isthmum præsto fuere, duæ nimirum partes tertiæ ex C singulis civitatibus. Tum Archidamus Lacedæmoniorum Rex totius exercitus Imperator, convocatis militiæ præfectis, & civitatum primoribus, gravi oratione eos hortatus est, *ne virium præsentium fiducia (nam exercitum istum & apparatum majorem esse dicebat, quam quisquam eorum, etiam ætate provectiorum, ante vidisset) negligentius aut securius agerent, & hostes velut metu prostratos temnerent. Novisse se Athenienses nec tam infirmos viribus, nec tam dejectos animis, ut non sint urbe exituri, & pugnæ periculum facturi, quemadmodum nonnulli putarent: ancipitem esse bellorum for-* D *tunam, & ex parvo magna sæpe existere, & a paucioribus plures aliquando superari, cum illi omnibus modis ad subeundum discrimen erecti, hi ex hostium contemptu minus parati ad pugnam veniunt: inprimis in hostili terra militantes non magni solum sed etiam circumspectis, & omnia suspecta habentibus animis esse oportere, ne inopinata aliqua clades incautos occupet: essent omnes expediti & prompti ad ea, quæ imperarentur, exsequenda.* Vix hoc soluto concilio Rex Melesippum Spartanum Athenas misit exploratum, an non aliquid civitas, cognoscens hostem magnis copiis paratum jam in itinere esse, & sibi imminere, de E ferocia priore, quod ipse futurum sibi persuaserat, esset remissura. Sed alia omnia evenere. Nam Athenienses, quod sententiæ Periclis obsecuti decretum jam scripsissent, neque legatum, neque caduceatorem Lacedæmoniorum, si ab armatis, & urbe jam egressis veniret, admittendum esse, Melesippum nec in senatum, nec in urbem admissum, nec auditum remiserunt, jusseruntque finibus Atticis eodem illo die eum excedere, ac suis dicere, si quid vellent, ut in sua reversi legatos emitterent. Et insuper comites ei addidere, qui euntem deducerent, & a secretis col- F loquiis cum regionis incolis prohiberent. Is vero ad fines terræ Atticæ cum venisset, discessurus a comitibus dixisse dicitur: *Hic dies principium ingentium malorum Græcis dabit.* Quo in castra reverso, Archidamus de animo responsoque Atheniensium certior factus continuo motis castris in hosticum duxit, & pariter Bœoti partem copiarum suarum, reliquis ad Peloponnenses amandatis, in agrum Platæensium misere, eumque sunt depopulati. Interea cum foris hæc fierent, & in itinere essent Peloponnenses, necdum terram Atticam ingressi, Pericles Xanthippi filius, de quo jam sæpius antea dictum, tum temporis cum aliis IX. belli Dux designatus, prævidens invidiæ & calumniæ sibi fore apud cives, si Archidamus cum exercitu adventans, quo cum hospitii jus habebat, aut sponte sua, aut jussu Lacedæmoniorum, quibus ipse velut sudes in oculis erat, fundis ac villis, quas in agro possidebat, parceret, ad amovendas omnes sinistras suspiciones convocata concione professus est, reipublicæ se eas donare: simulque hortatus rursum omnes est, quemadmodum fecerat prius, ut ad bellum se expedirent, & res suas ex agro in urbem transferrent, atque abstinentes ab excursu in hostes intra urbem se continerent, eamque tuerentur: inprimis vero rem nauticam curarent diligenter, qua pollerent plurimum, nec sociorum res negligerent, a quibus pecuniæ copiam ad sustinendum bellum abunde habere possent: consilio enim & pecuniæ nervo res belli bene geri dicebat, affirmabatque, ex solo sociorum tributo, præter census alios talenta sexcenta quotannis civitati provenire: in arce vero signati argenti esse sex millia talentorum ex decem millibus & [1] trecentis, post sumptus omnes in propylæa arcis, & substructiones alias, & in bellum Poridæare [2] factos, reliqua: & præter eam summam superesse aurum argentumque non signatum publice privatimque conditum, sacraque vasa in usum pomparum & certaminum, atque insuper spolia Medica, aliaque hujusmodi non minoris æstimata talentis quingentis, nec non cæteris in fanis non exiguam certo esse pecuniæ vim, qua uti liceret: esse quoque auri puri ad XL. [3] pondo talentorum, quo circumdatum sit Palladis simulacrum quod tolli sine violato simulacro, & pro salute patriæ in usum belli verti, & bello confecto aliunde refectum pari pondere reponi posset. Præterea disserebat, in promtu esse civitati tredecim millia militum gravis armaturæ, præter eos qui in præsidiis ac propugnaculis agerent, sedecim millibus non pauciores. Et revera tot erant initio belli, cum adventarent & terram Atticam invaderent hostes, in excubiis, ex senioribus & junioribus & inquilinis, qui arma ferebant, inquit *Thucydides*. Nam Phalericus murus per stadia XXXV. porrigebatur usque ad urbis ambitum, & ipsius ambitus pars ea, quæ excubiis opus habebat, erat stadiorum XLIII. Pars enim illa ejusdem ambitus, quæ inter Phalericum murum, & muros longos ad Piræum intercedebat, excubiis carebat. At longi muri ad Piræum pertinentes stadiorum erant XL. quorum exteriora custodiis tenebantur. Universus vero Piræi cum Munychia circuitus erat stadiorum LX. cujus dimidium excubitoribus carere non poterat. Equites autem in armis esse dicebat mille ducentos cum aliis, qui ex equis utebantur arcubus, & sagittarios pedites mille sexcentos: triremes quoque haberi ad navigandum paratas trecentas. Et hæc non minus magnifice quam vere disserebat Pericles: (omnia enim hæc, nec pauciora civitati in promptu erant, cum in Atticam primum invasuri essent Peloponnenses) addebatque alia, ut utique demonstraret bello superiores fore Athenienses recte his utentes. Quibus auditis persuasi iidem omnia sua ex agro in urbem comportabant, liberos, fœminas, supellectilem: quinetiam lignea cuncta quæ in ædibus erant, auferebant: pecora jumentaque in

1. Sed apud Thucydidem libro II. legitur τριακοσίων ἀπο δέοντα μύρια.

2. Mira derivatio. apud Thucydidem est ἐς Ποτίδαιαν. Et Floro dicitur *bello Fidenate*, quod in primo casu fuit *bellum Fidenas*.

3. In Thucyd. est τεσσαράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσίου ἀπ[illegible]

Eubœam & insulas circumjectas mittebant. Quæ A demigratio quanquam gravis ipsorum plerisque esset, propter inveteratam a Regum primorum usque temporibus descendentem consuetudinem agendi in agris, tamen consilio ac suasioni Periclis mos ab iis gestus. Verum postquam migratum in urbem fuit, paucis copia domorum suppetiit, nonnulli hospitio apud amicos & necessarios usi sunt. Plurimi vero in vacua & desolata urbis loca commorandi ergo se receperunt, atque ipsa etiam fana & Heroum monumenta omnia, a quibus singulari religione, quæ pauca erant, non prohibebantur, insederunt. Denique in murorum turribus, & ubi quisque poterat, quod domicilii loco esset, aliquid sibi struebant. Et cum urbs sola tantam immigrantium multitudinem capere non posset, necessum fuit multos deinceps partito in longos muros, & magnam Piræi partem habitatum concedere. Simul vero quæ ad bellum facerent, haud segniter capessebant, sociorum auxilia cogebant, classem centum navium, quæ Peloponnesum invaderet, armabant. Hæc Athenienses. Exercitus autem Peloponnensium progrediens cum ad Oenoen venisset, quod castellum Atticæ est, in confinibus hujus & Bœotiæ situm, qua intrare in regionem constituerant, & muro & præsidio Attico munitum, ibidem hærebat parandi machinis ad oppugnandum murum, & rebus aliis istuc pertinentibus intentus. Cui rei cum tempus longius impenderetur, cessit hoc in invidiam & obtrectationem Archidamo. Videbatur enim & ferebatur in conflando bello remissior, Atheniensiumque studiosior mox ab initio fuisse, & non magnopere bellum suasisse, & postquam jam coivisset exercitus in Isthmo moram traxisse, ac in reliquo progressu fuisse tardior. Et jam, quod vel maxime traducebatur, ad Oenoen hærere dicebatur, atque ita tempus dare Atheniensibus sua omnia in urbem transferendi: ea namque universa Peloponnenses potestatis suæ facere potuisse, si sine mora isthuc ire ipsis licuisset. At Archidamus hos fremitus perpetiens dum ad Oenoen sedit, fore putabat, ut ferebatur, Athenienses regione sua a belli injuriis adhuc illæsa, consilium mutaturos, & non permissuros sua agi, ferri, vastari: atque ideo moram trahebat. Postquam autem oppugnata summa vi Oenoe, & tentatis omnibus nihil se proficere, & expectatione adventuri ab Atheniensibus caduceatoris frustrari cerneret, castra istuc [1] movit die circiter LXXX. post id tempus, quo CCC. Thebani Platæam intrarunt, matura jam æstate, & frumento adulto, & in Atticam ingressus castris positis Eleusinem primum, campumque Thriasium depopulatus est, equitesque Athenienses ad Rhetos qui sic nominabantur, in fugam dedit: deinde longius progressus, relicto ad dextram Ægialeo monte per Cecropiam pervenit Acharnas castellum regionis Atticæ maximum. Ibi cum exercitu considens, castris communitis vicina diu vastavit. Fama fuit, eum hoc consilio juxta Acharnas exercitum velut ad prœlium instructum tenuisse, nec in campum apertum ea expeditione descendisse, quod speraret Athenienses juventute bello idonea tum magis quam unquam prius abundantes ex urbe erupturos esse, & regionem affligi ab hoste non passuros; in quo cum ad Eleusinem & in campo Thriasio spe sua falsus esset, certo sibi pollicitum ad Acharnas saltem id esse successurum: nam & locum istum castris habendis esse perquam idoneum, & Acharnenses Athenis plurimum posse (non enim tribus millibus gravis armaturæ pauciores eos censeri:) nec vero simile videri, hos rerum suarum devastationem esse neglecturos,

[1] Voluit *istinc*, ut in Thucydide ὁρμήσαντες ἀπ' αὐτῆς.

sed potius omnes urbe exituros, & reliquos cives secum quoque tracturos: quod si heic etiam secus quam spe conciperet, eventurum forte esset, futuro saltem tempore fidentius a se campestria longe lateque percurri, & obvia diripi, atque adeo ad urbem ipsam pedes inferri posse: Nam Acharnenses exutos omnibus suis haud æque promptos fore ad subeundum discrimen pro rebus aliorum, & hinc in discordiam cives ituros. Hæc mens Archidami ad Acharnas, ait *Thucydides*. At Athenienses in urbe, qui speraverant, ultra Eleusinem campumque Triasium exemplo Plistoanactis Regis Laconici, qui ante annos XIIII. eodem progressus inde B pedem retulerat, hostem nunc quoque non esse progressurum, cum viderent circa Acharnas exercitum jam sedere non longius LX. ab urbe stadiis, & quasi sub oculis suis, ut vero simile, regionem vastari, quod juniorum nemo, imo nec seniorum quisquam post bellum Medicum viderat, id ferendum non putantes, tum alii tum maxime qui fervente ætate erant, urbe egredi, & hostem ulcisci ardebant. Simul coitionibus factis in diversa distrahebantur, cum alii erumpendum dicerent, alii id prohiberent: & accederent vates futura præcinentes, qui C alios alio impellebant. Præ cæteris autem Acharnenses, qui sibi videbantur non temnenda pars civitatis esse, quorum ager pessumdabatur, egressum ex urbe urgebant. Omnis vero æstuabat & tumultuabatur civitas, & plurimorum ira in Periclem ferebatur, immemorum, quid ille faciendum, quid perferendum jam pridem eos præmonuerat. Quinimo hoc criminabantur, stomachabanturque, quod cum Dux ipse jam esset, armatas copias in hostem non educeret, eumque omnium, quæ paterentur, auctorem esse censebant. Sed Pericles videns commotos eos esse, & perin- D digne præsentia ferre, atque in errore versari, neque in concionem eos vocavit, neque ullius cœtus faciendi occasionem cuiquam dedit, ne quid ira æstuantes sopita ratione congressi delinquerent: urbi autem custodiendæ, & servandæ quam maxime quieti curam impendit. Interea tamen equites emittebat assidue, qui hostem a diripiendis urbi vicinis prohiberent. Commissaque fuit pugna equestris a turma Attica & Thessalis quibusdam auxiliaribus contra Bœotos: quæ tamdiu æquata manebat, donec tandem equitibus Bœotis pedites subsidio venirent. Tunc in fugam versi Athenien- E ses cum Thessalis, amissis suorum aliquot in urbem rediere: Cæsi eodem die ad sepulturam sine pace sequestra redditi. Tropæum postridie a Peloponnesiis erectum. Thessali, quos diximus, ex vetusta societate Atheniensibus auxilio venerant, Larissæi, Pharsalii, Parrhasii, Cranonii, Pirasii, Gyrtonii, Phoræi cum Præfectis suis ex civitatibus singulis. At Peloponnenses, cum animadverterent ad pugnam elicere se Athenienses non posse, relictis Acharnis abiere, in itinere loca alia Atticæ inter Parnethum & Brilessum montes depopulati. Quibus adhuc in Attica hærentibus emissa ab Atheniensibus est classis illa c. navium probe instru- F ctarum, impositis ei gravis armaturæ militibus mille, & sagittariis quadringentis, Ducibus Carcino, Protea & Socrate Antigenis filio, quæ oram Peloponnesi infestaret. Qua in altum profecta Peloponnenses deficiente paulatim commeatu ex Attica via alia, quam qua venerant, in Bœotiam redierunt, prætereitaque Oropo Bœotis finitima regionem Peraicen, quam Oropii Atheniensibus parentes colebant, depopulati, per Bœotiam in Peloponnesum reversi in suas quique urbes abiere. Tum Athenienses velut per otium præsidiarias excubias terra marique disposuerunt, quæ quamdiu bellum duraturum erat, loca sibi commissa cu-

stodirent. Adhæc ex omni pecunia, quæ in arce erat, desumpta talenta mille seposuerunt, decretoque sancierunt, ne eam movere liceret, aut in alios impendere usus, quam si navalibus [1] urbem Atticam hostes adorirentur, eaque defensione haberet opus. Quod si quis de pecunia ista in usum alium vertenda facere verba, aut ferre suffragia auderet, ei pœna mors esset: belli vero sumptus ut e reliqua pecunia fierent. Triremes etiam delectas centum ex omni numero optimas quasque instrui placuit quotannis, & designari trierarchos, quarum triremium idem omnino usus esset, qui pecuniæ jam dictæ, si eadem necessitas posceret, nec ullus alius. At qui in c. illis navibus in maritima Peloponnesi emissis erant Athenienses, quique in L. auxiliaribus Corcyræi, & quidam alii eorum locorum socii, præter detrimenta alia heic illic oræ Peloponnesi illata, ad Methonen Laconiæ in terram egressi eam urbem muro tunc invalidam & præsidio hominum destitutam invaserunt, occupassentque eam, nisi Brasidas Tellidis filius Spartanus opportune ei succurrisset. Is enim cum in ea vicinia cum præsidio aliquo militum forte ageret, & de periculo Methones cognovisset, assumptis militibus armatis c. loco laboranti subsidium laturus magno animo per medios Athenienses dispalatos, ac in murum urbis conversos, submotis obstantibus, & paucis suorum, dum sese infert, amissis, in ipsam urbem penetravit: atque ita & Methonem servavit, & fortissimi viri ante omnes hoc bello militantes apud suos invenit [2]. Athenienses in naves regressi, & inde per mare in Elidis oram progressi, occupata illic Phia urbe totum biduum populationibus indulserunt, & trecentos ex cana [3] Elide auxilio oppressis venientes, & his alios associatos commisso prœlio superarunt. Atque interim tempestate exorta, & navibus ad oram importuosam varie jactatis, & vix in portum Phiæ delatis, cum majores copiæ Elidensium contra eos concurrissent, longius abeuntes, proxima quæque, in quæ appellebant, graviter afflixerunt. Eodem tempore alia classis navium xxx. cum Præfecto Cleopompo Cliniæ filio ad infestandos Locros, tutandamque Eubœam e portu Attico profecta Locridis oræ graviter incubuit, loca quædam vastavit, Thronium oppidum cepit, obsides abduxit, apud Alopen Locros occurrere ausos per classiarios cecidit. Æstate eadem Æginetæ cum liberis & uxoribus sedibus suis ab Atheniensibus ejecti sunt, propterea quod præcipua belli causa ipsis imputaretur. Accessit & altera causa, quod Athenienses tutius arbitrarentur Æginam Peloponnesiis opportunam a se per colonos suos, quos istuc paulo post habitatum misere, quam ab illis teneri. Eos vero extorres Lacedæmonii partim ob priora eorum in se beneficia tempore terræmotus, & belli servilis, partim odio Atheniensium benigne exceperunt, iisque habitandam Thyream, agrumque Thyreatem, qui Laconicam regionem ab Argiva dirimit, ac ad mare usque porrigitur, colendum dederunt: Qui eorum plures erant, quam oppidi & agri hujus angustia capere posset, passim per Græciam sunt dispersi. Ista quoque æstate sol tam grave deliquium passus est tempore novilunii, quo solo putatur, ait *Thucydides*, id posse accidere, statim post meridiem, ut stellæ aliquot conspiciendas in cœlo se dederint: idemque ex lunari specie totum orbem suum rursum complevit. Rursum æstate eadem ab Atheniensibus per Nymphodorum Abderitam antehac pro inimico habitum, sed tum hospitii publici jure recens ipsis devinctum, cujus

1. Νηΐτῃ στρατῷ
2. Deest *laudem* vel *famam*. In Thucyd. est πρῶτος ἐπῃνέθη.
3. Imo *cava*, κοίλης.

A soror cum Sitalce Thrace Teris Odrysarum Regis potentissimi filio nupta erat, & ipse gratia plurimum apud eum valebat, vocatum in urbem amicitia & societas cum eodem Sitalce, sic volente ipso, inita est, & Sadocus Sitalcis filius jure civitatis Atticæ donatus. Statimque ut promiserat Nymphodorus, auxilia equitum & peditum scutatorum e Thracia Atheniensibus bellum illic habentibus a Sitalce missa fuere: & Perdiccas quoque Macedoniæ Rex, Alexandri filius, quod desideratum maxime fuit, amicus & socius, restituta ei Therma urbe maritima, per eundem conciliatus est, & ab eo Phormioni Duci Attico arma Chalcidensibus inferenti subsidia præstita: Utrumque civitati gratissimum & utilissimum per Nymphodorum tum B confectum. Interea classiarii Athenienses classe illa c. navium Peloponneso prioribus diebus infesta in Acarnaniam delati, Solion oppidum Corinthiorum ibi captum & direptum solis Acarnanum Palirensibus cum agro colendum tradidere. Mox Astacum quoque oppidum alterum regionis ejusdem, quam tum temporis tyrannide Enarchus premebat, vi expugnatum ejecto tyranno societati suæ junxerunt. Inde Cephalleniam insulam Acarnaniæ & Leucadi objectam, quatuor urbibus habitatam invadentes sine prœlio in potestatem redegerunt. Quibus rebus confectis classis Athenas repetiit. Autumno ingruente Athenienses una cum inquilinis suis Duce Pericle viritim in Megaridem sibi finitimam excurrerunt: & hos statim re cognita C secuti sunt classiarii, quos diximus domum repetiisse, qui tum forte in Æginam appulerant, seque reliquis adjunxere. Fuit is maximus Atheniensium exercitus, in quo numerabantur decem millia peditum gravis armaturæ, præter eos, qui ad Potidæam militabant, & totidem millia inquilinorum armis bene instructorum, aderantque insuper magnæ leviter armatorum copiæ. Nam tum stragem a peste civitas nondum acceperat. Qui omnes cum universum Megarensium agrum hostium in mo-D dum afflixissent, domum rediere. Atque hoc sequentibus [4] similiter factitatum, donec tandem Nisæa ab iis est occupata. Autumno autem eodem Atalante insula Locrorum Opuntiorum litori objecta, hactenus cultus hominum expers, ne receptaculum præberet prædonibus e Locris Eubœam infestaturis, excitato muro ab Atheniensibus communita est, præsidiumque ei impositum. Per hyemem, quæ autumnum eum excepit, Corinthii ab Euarcho tyranno exorati, armatis navibus quinquaginta & in eas militibus quingentis impositis, atque Astacum missis, ur-E bem hanc captam tyranno restituerunt, Euphamida, Timoxeno, Eumarcho Ducibus. Qui cum alia quoque Acarnaniæ oppida maritima tentassent, conatu frustrati domum se receperunt. In quo receptu dum Cephalleniam præternavigant, ad oram Craniorum classem admoventes, & in terram egressi a Craniis pacifica simulantibus partim cæsi, partim fugati, & in naves compulsi rem infectam reliquerunt: qui superstites evaserunt, domum sunt reversi. Eadem hyeme Athenienses repetito patrio instituto funus publice fecerunt iis, qui primi hoc bello mortem pro patria oppetierant. Id fiebat hoc modo. Erecto primum F tabernaculo defunctorum ossa per triduum sub eo proponunt, & quilibet, cui lubet, suis aliquid tanquam inferias infert. Dein cum efferuntur, singulæ tribus suorum tribulium ossa singulis arcis cupressinis inclusa, & curribus singulis imposita producunt; additurque lectus unus stratus, sed inanis, eos repræsentans, qui in cæsorum numero non fue-

4. Deest *annis*. πολλαὶ ὕστερον κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐσβολαί.

rant reperti. Efferunt autem promiscue cives & inquilini, qui volunt, adsuntque juxta sepulchrum fœminæ propinquitate junctæ ejulantes: condunt vero in sepulchro publico, quod est in pulcherrimo urbis suburbio, cui Ceramico nomen, ubi sepelire omnes in bello pro patria cæsos mos vetus habuit, solis exceptis, qui in prœlio Marathonio occubuere, quibus propter excellentem virtutem ibidem, ubi occubuerant, sepulchrum factum. Humatione peracta mox aliquis a civitate ad id delectus vir prudens, & dicendi peritus & dignitate conspicuus sepultorum laudes meritis eorum competentes oratione celebrat. Quo facto disceditur. Hic mos Athenis solemnis. Isto vero tempore id munus obiit ex voluntate civitatis Pericles: qui ossibus conditis a sepulchro in editum suggestum conscendens, ex quo a plurima multitudine circumfusa audiri posset, illustri oratione funebri sepultos ornavit, quæ & prolixissima & floridissima inter omnes *Thucydideas* habetur. Scopus orationis non alius fuit quam demonstrare, æterna memoria & laude dignos esse jam terræ mandatos, qui pro patria sanguinem ac vitam profuderant, & alios superstites ad similem quærendam gloriam excitare atque incendere. Factum hoc, ait *Thucydides*, hyeme, cum cujus fine exierit primus belli Peloponnesiaci annus. Et hujus quidem anni acta, quia ad omnia toto hoc bello gesta rectius intelligenda maxime faciunt, prolixius etiam quam pro reliqua brevitate hujus operis a nobis recitata sunt. Sequentia in *quintum* usque *librum* hujus auctoris exponemus strictius.

Annus belli Pelopon. II. *surgens.*

Peloponnenses Duce eodem Archidamo Spartæ Rege paribus rursum copiis terram Atticam invadunt. Simul pestis famosa repente exorta Athenas & viciniam depopulatur, prolixe a *Thucydide* descripta. Qua sæviente Peloponnenses Atticam passim diripiunt, affligunt, vastant. Tum rursum Pericles ad prius consilium conversus, inhibita civium erupturientium cupidine, curat armari classem navium C. Atticarum, & L. sociarum ex Chio, & Lesbo, & cum ea, impositis quatuor millibus peditum, & CCC. equitibus, ipse Imperator tendit in Peloponnesum, ejusque maritima infestat, ac graviter affligit. Peloponnenses vero, partim ut sua domi tuerentur, partim contagionis pestilentis metu, maritimis Atticæ etiam vastatis, priusquam Pericles domum rediret, ex Attica discessere, cum ibi commorati essent dies XL. Pericle reverso, exercitus idem Atticus, quo ille usus in Peloponneso erat contra Chalcidenses & Potidæam missus est Ducibus Agnone & Cleopompo: quem ad Potidæam hærentem pestis sæviens valde minuit. Agnon prioribus copiis in castris ibi relictis, cum militibus MD qui ex quatuor millibus reliqui erant, domum revertit. Plebs Attica pestis pariter ac belli malis pressa, & Pericli belli hujus suasori irata, ab eodem ad concionem vocatam gravi ac libera oratione corripitur. At ista verum quidem eum dixisse, & recta monuisse agnoscens, sed privatis incommodis plurimum mota, iræque suæ indulgens pecunia eundem mulctat: & tamen haud multo post, ut est vulgi natura instabilis, belli Ducem cum potestate amplissima ipsum reficit, virum pace ac bello vere magnum & admirabilem, qu multitudinem regebat, se vero ab ea regi non patiebatur: quem post inchoatum hoc bellum annos vixisse duos cum dimidio, & cum morte decessisset, tum maxime gloriam ejus crevisse. *Thucydides* eodem hoc loco scribit. Monuerat enim ille, ait idem, qua ratione superare hostes suos civitas posset, quæ sequenda, quæ vitanda essent: quibus neglectis a morte ipsius, cum civitatis primores ambitione & avaritia laborantes, atque inter se contendentes populi gratiæ quærendæ se darent, res pessum ivisse: illum autem dignitate, consilio, integritate conspicuum, inprimis a pecunia incorruptum cum auctoritate populo præfuisse, libereque verum ei dixisse, nec iræ ejus cessisse, conscium quippe sibi, recta via sine malis artibus ad eam quam habebat, eminentiam se pervenisse: eundem intempestive temereque ferocientem & sibimet fidentem populum, & in perniciosa pronum oratione compressisse, ac in metum conjecisse, viceque versa trepidantem, cum opus non esset, dicendi vi erexisse: denique illo florente, nomine tenus popularem statum in civitate fuisse, re ipsa virum hunc unum principatum tenuisse.

Tempus mortis ejus secundum *Thucydidem* congruit cum exeunte æstate anni sequentis, qui fuit belli Peloponnesiaci tertius, quo vernante Archidamus Spartæ Rex cœpit oppugnare & obsidione premere Platæam Bœotiæ: quanquam turbet hic aliquid *Diodorus Siculus*, perperam trajiciens utrumque eventum in annum belli hujus quartum: de quo dicemus alio loco. *Plutarchus* tempus non designans affirmat peste epidemia correptum non subita ejus vi, sed lente corpus conficiente interiisse: atque interea visendi ergo propinquos & amicos, viros summos ad eum ventitasse: accidisse vero horum quosdam ei assidere morti jam vicino: & inter sese, velut ipso jam sensibus destituto ac non intelligente, colloqui, & recensere prœlia ac victorias ejus, erectaque tropæa, in his laudum ejus apicem ponentes: illum autem auscultantem & intelligentem omnia interrupisse sermonem eorum, & dixisse, mirari se, hæc sua ab iis potissimum celebrari, memorarique, quorum partem fortuna sibi vendicet, & quæ multis belli Ducibus jam obtigerint: silentio vero præteriri, quod pulcherrimum sit & maximum: neminem enim Atheniensium omnium propter se atram vestem induisse, hoc est, in reatu fuisse. Cui dicto applaudens *Plutarchus* sic subjicit, admirabilem hunc virum non solum multis in negociis, & inimicitiis gravibus lenitatem & mansuetudinem re ipsa servasse, sed etiam in virtutibus suis hoc præstantissimum censuisse, in tanta potentia sua invidiæ aut iræ haudquaquam se indulsisse, ullive inimico fuisse implacabilem: denique summæ laudi datum Pericli, quod in summa potestate vitam egerit innocentem & incruentam. Hactenus de Pericle.

Ea quoque æstate classis Peloponnesia navium C. Duce Cnemo Spartano Zacynthum insulam Atheniensibus tum addictam invasit, eaque direpta, cum aliud non posset, domum rediit. Æstatis extremo Peloponnensium legati ad Regem Persarum petendi auxilii gratia euntes, & pariter ad Sitalcem Thraciæ Regem de societate ineunda mandata habentes, ab Atheniensibus tum forte apud Sitalcem Thraciæ Regem amicum & socium agentibus, in Thraciæ parte juxta Hellespontum juvante Sadoco Sitalcis filio, cive Attico, intercepti, & Athenas abducti, indicta causa ad rependendam Spartanis vicem, qui cives Atticos negociatores eorumque socios juxta Peloponnesum captos pari modo occiderant, necati. Quo tempore & ab Ambraciotis bellum motum contra Amphilochos & Acarnanes: his rogantibus auxilia ab Atheniensibus missa Duce Phormione, vecta navibus XXX. Tum Ambraciotæ compressi: inter Athenienses & Acarnanes societas firmata, odium vehemens in animis Ambraciotarum contra Amphilochos ob cives suos apud eos servituti man-

cipatos accensum. Cum his æstas exiit. Hyeme sequente naves Atticæ xx. cum Phormione Naupactum missæ ad custodiam freti, quo Peloponnesus ab Ætolia dirimitur, & aliæ sex in Cariam Lyciamque ad conficiendam pecuniam cum Præfecto Melesandro, qui prœlio illic initio cum copiarum suarum parte occubuit. Potidæa etiam, desperata jam a Peloponnesiis ope, longa fame domita, in qua ad esum humanæ carnis erat deventum, tandem Atheniensibus dedita. Qui in ea obsessi fuerant, mares cum singulis, alterius sexus cum binis vestimentis, & exiguo viatico dimissi. Urbs vacua novis colonis è civibus Atticis data: Impendia obsidionis hujus duobus talentorum millibus æstimata. His omnibus gestis annus belli secundus finitus.

Annus belli Pelopon. III. *surgens.*

Archidamus Lacedæmoniorum Rex cum exercitu ad Platæam venit eam obsessurus. Ad quem cum legati Platæensium deprecatum venissent, ipse duras admodum conditiones eos poposcit, ut desertis Atheniensium partibus urbem & sua omnia Spartanis traderent tenenda ad belli præsentis finem, & interea alio habitatum concederent, recepturi cuncta sua sine vitio, cum bellum esset patratum. Platæenses pacti breves inducias, per quas rem ad Athenienses socios referre possent, audito horum alia omnia monentium responso, obfirmantes animos ad ferenda, quæ fors belli esset datura, nunciarunt Archidamo, a fide recedere Atheniensium non posse, non velle. Tum hostiliter agendi per agrum Platæensem ab Archidamo factum initium, urbs obsidione cincta, opera ingentia utrinque ad oppugnandum & defendendum pari industria excitata, laborque omnis generis oppugnationi pariter & defensioni impensus, a Spartanis incendio quoque res tentata. Demum post varios conatus frustraneos, per vim expugnandæ urbis spe jam sibi disperuente: Peloponnesii & Bœotii ad eam perpetuo muro in ejus circuitu extructo, fossa duplici depressa, velut indagine claudendam sunt versi: opereque hoc confecto, & apposito locis idoneis præsidio, reliquus exercitus domum reductus. A Platæensibus vero, antequam clauderentur, omnis turba imbellis Athenas erat emissa. Eadem æstate media exercitus ab Atheniensibus in Thraciam contra Chalcidenses & Bottiæos fuit missus, & res illic vario eventu, majore tamen Atheniensium quam hostium detrimento gesta. Et paulo post Ambraciotæ & Chaones evocato auxilio Laconico Duce Cnemo, additisque navalibus copiis Peloponnesiis Acarnaniam invaserunt, eamque totam ab Atheniensibus avertere sunt annixi. Sed Phormione Atheniense, qui cum classe tum forte Naupacti erat, opem sociis ferente, variã fortuna cum in Acarnania ad Stratum, tum in Ætolia ad Rhium & Antirrhium, mox ad Naupactum, rursusque ad Rhium atque Antirrhium in faucibus sinus Corinthiaci, submissis utrimque majoribus subsidiis, terra marique res gesta. Phormio præcipuam laudem meritus. Peloponnenses domum reversi Piræo sunt insidiati: timor maximus ex incendio Salaminio Athenis & Piræi commotus.

Initio hyemis Sitalces Thrax Perdiccam Macedonem Alexandri filium bello petiit: vastataque bona Macedoniæ parte, & acri prœlio ambigua fortuna commisso, pressus angustia annonæ, a Scuthe [1] fratris filio persuasus exercitum in Thraciam reduxit. Scuthes sororem Perdiccæ, operæ navatæ præmium, uxorem accepit. Durante adhuc eadem hyeme Phormio Athenienses Naupacto di-

1. *Seuthe & Seuthes* voluit, ut Thucydidi Σεύθης.

A gressus Acarnanas dubiæ fidei affixit: Naupactum cum classe & captivis reversus sub primum ver Athenas rediit, annusque tertius belli Peloponnesiaci exiit.

THUCYDIDIS

LIBER III.

Annus belli Pelopon. IIII. *surgens.*

B TERTIA Peloponnensium & sociorum impressio facta in terram Atticam, Duce rursum eodem Archidamo, adulto jam frumento, agerque late vastatus, quoad commeatus supperiit. Interea Lesbus tota, excepta sola Metymna, ab Atheniensibus defecit; cujus occasione & causæ expositæ. Missus istuc cum classe navium XL. Cleippider Atheniensis, bellumque denunciatum Mitylenæis, nisi naves omnes traderent, & urbis suæ muros demolirentur. Quibus negatis, belli principium factum, & fugatis Mitylenæorum navibus portus obsessus. Mox petito colloquio induciæ obsessis datæ, copiaque facta legationis Athenas mittendæ, acturæ de conditionibus pacis. Verum C interim legatio alia clam Lacedæmonem ab iisdem missa de fœdere auxiliisque quæsitura. Quo tempore classis navium XXX. Asopio Phormionis filio Duce ab Atheniensibus in Peloponnesum emissa, oraque Laconiæ per eam direpta: dein Asopius assumptis navibus XII. reliquisque cum præda domum redire jussis, Naupactum vectus, atque inde in Acarnaniam progressus illic res gessit. At legati Mitylenæi, ut Spartani jusserant, Olympiæ se sistentes ipsorum ludorum solennium tempore, ubi tum conventus sociorum erat, causam suam egerunt, ac nomine suorum in fœdus recepti sunt, promissaque iis parata auxilia. D Tum expeditio indicta in Atticam. Verum cum Spartani cum apparatu suo Isthmum se stitissent, segnius autem socii agerent, & Athenienses ingentem tum classem expedirent, ac Peloponneso minitarentur, illi de clade Laconiæ quoque certiores facti domum etiam redierunt. Tunc a Peloponnensibus in Lesbum pro Mitylenæis classis navium XL. expedita Duce Alcida Spartano; sed ei multo major classis Attica navium centum opposita. Athenienses enim tunc navium armatarum copia inprimis abundabant, haud pauciorum quam CCL. in quas ingentia impendia faciebant, quæ ut E suppeterent, tum primum ipsi tributa conferebant, itemque a sociis exigebant, haud sine invidia. Inter hæc, cum ad Isthmum castra haberent Spartani, a Mitylenæis & reliquis Lesbiis bello petiti sunt Metymnæi in fide Atheniensium persistentes. Quo cognito, Athenienses ingruente jam autumno, misso istuc cum novo milite summo Duce Pachete Mitylenæos intra urbem conclusos, excitato per circuitum ejus muro, & præsidiis dispositis in arctum redegerunt. Simul hyemes cœpit. Per quam Platæenses obsessi jam penuria commeatuum laborantes, & de auxiliis Atheniensium desperantes F consilium ceperunt per hostium munitiones, quibus valde validis & superatu difficillimis cincti erant, perrumpendi, ac in tutum evadendi. Verum cum propter periculum summum multi animum mutarent, trecenti in proposito perstitere, & observata obscura, ac imbribus ventisque horrida nocte, urbe egressi audaci admodum cœpto ducenti duodecim feliciter perruperunt, cæteris in urbem regressis, iique Athenas incolumes pervenerunt. Vergente autem hyeme Salæthus Lacedæmone missus cum Pyrram appulisset, per occulta viarum Mitylenen est ingressus, & obsessorum animos spe

auxiliorum mittendorum, & promisso expeditionis A sociorum in agrum Atticum erexit. Cum his exiit annus hujus belli Peloponnesiaci quartus.

Annus belli Pelopon. v. *surgens.*

Anni initio Peloponnenses missis XL. navibus in Lesbum Duce Alcida, ut subsidio Mitilenæis essent, ipsi cum exercitu Ductore Cleomene Pausaniæ Regis adhuc impuberis patruo, Atticam rursus invasêrunt, & affixerunt gravissime. Sed cum ex Lesbo nihil audirent, quod cuperent, & frumentariæ rei angustia premerentur, in Peloponnesum rediere. B At Mitylenæi jam famescentes volente nolente magistratu Pacheti Imperatori Atticæ sese dediderunt, judicium populi Attici subituri. Classiarii Peloponnenses audita hac deditione priusquam in Lesbum appulissent, in maritima Asiæ delati, agitatis illic variis consiliis, nec ulla re memorabili confecta ex sententia Alcidæ Peloponnesum repetivere, Pachete frustra eos, cum rem cognovisset, aliquandiu persequente. A qua persecutione reversus Paches reli qua pro arbitrio suo in Lesbo constituit, Salæthum Laconem Mitylenæ deprehensum cum iis, qui defectionis auctores fuerant, & legatis Mitylenæorum pro populo intercessuris, Athenas mittit; ipse, quid C jussurus sit populus Atticus, expectat. Salæthus statim Athenis necatus. De Mitylenæis populus consultus, oratione Cleonis asperatus non modo eos, qui Athenas vecti erant, sed universos puberes mortis damnavit, impuberes & fœminas servituti addixit: idque decretum sine mora per triremem Pacheti missum, ut heic id ipsum exequeretur. Sed idem populus postero die, velut pœnitentia præcipitis judicii ductus deliberationem eadem de re instauravit, rursumque Cleon homo vehementis asperique ingenii, & magnæ apud populum gratiæ suasit in sententia esse persistendum. Contra vero contendit Diodotus mitioris ingenii vir, qui pridie quoque D diversum suaserat, & exæquata fere sententiarum lance, vix paucis suffragiis Cleonem superavit. Missa igitur celeri triremi, & remigibus summa contentione festinare jussis, si qua ratione antevertere triremem priorem, & pestem a Mitylenæis avertere possent, Pacheti nunciatum, ut supplicio supersederet. Et prævertit quidem prior triremis, quippe quæ toto die ante alteram solveret, sed dum decretum asperius legit Paches, & se ad exequendum illud parat, supervenit altera, atque exhibito decreto posteriore, vitam populo servavit. Tantulo momento ab exitio tunc Mitylenæi abfuere. Cæteri tamen, quos Paches Athenas miserat, ceu E totius mali auctores, populi jussu occisi plures numero quam mille. Mitylene nudata, & naves ademptæ: Lesbiis omnibus præter Methymnæos conditio dura irrogata, ager universis possessoribus ereptus, pars ejus decima Diis dicata, reliquus civibus Atticis distributus, cultura ejus cum onere gravissimi tributi Lesbiis relicta: oppida Mitylenæorum in continente sita sub imperium Atheniensium redacta. Lesbo recepta eadem æstate ab Atheniensibus Duce Nicia insula Minoa litori Megarico & portui Nisæo objecta, occupata munitaque, oraque illa tutior ipsis in omnes eventus F facta.

Interim illi, qui Platææ reliqui erant, fame domiti se urbemque Peloponnesiis permiserunt: conditio iis dicta, ut judicium Lacedæmoniorum subirent. Missi quinque Lacones, auditis Platæensium oratoribus, & eorum inimicis Thebanis, crudeli sententia omnes sine discrimine necari jusserunt: & mox Plateænses circiter cc. Athenienses, qui in urbe quoque fuerant, xxv. occisi, fœminæ servituti addictæ. Exulibus aliquot ad tempus habitanda urbs concessa: deinde vix anno evoluto eadem a Thebanis funditus excisa, ad fanum Junonis diversorio ex ruinis urbis extructo, & fano ipso ampliore forma instaurato: ager omnis ærario Thebano adscriptus. Hic rerum Platæensium finis, cum in societate Atheniensium stetissent annos XCIII.

Inter quæ a Peloponnesiis, sociisque classis aucta, & ad invadendam Corcyram tum forte gravi seditione laborantem missa. Quo loco auctor *Thucydides* prolixe exponit occasionem, causas, initia, progressum, incrementum seditionis Corcyræ omnium sævissimæ istius sæculi: qua civitas opibus potens in partes duas scissa in sese ferebatur, quarum partium altera Atheniensium, altera Peloponnensium subsidiis fidebat. Bis inter ipsos cives in urbe pugnatum, cum istuc forte missus ab Atheniensibus ad sopiendam seditionem juvandasque partes popularium Nicostratus Naupacto solvens, a Peloponnesiis vero eodem navigare jussi Alcidas summus classis Imperator, & ejus collega Brasidas vir fortissimus, uterque Spartanus, levisque pugna in conspectu Corcyræ inter eos commissa. Dein submissus ab Atheniensibus in subsidium laborantium Eurymedon classem ducens navium LX. Cujus adventantis conspectu Peloponnesii perculsi in tutum se receperunt. Populares Corcyræi novis his subsidiis freti in adversarios crudeliter sævierunt, nec supplicibus nec aras tenentibus in ipsis fanis pepercere, nec parentes a liberis manus abstinuere. Et hæc seditio passim per universam Græciam in exemplum postea tracta, civitatesque in optimatum & popularium studia divisæ. Huic porro narrationi auctor faciem rerum miseram, qualis in seditionibus existit, velut penicillo depictam subjicit: locus lectu dignissimus. Eurymedonte cum suis digresso alas rursum movit factio optimatum non in urbe, sed extra eam in vicinia.

Eodem tempore Græcæ urbes in Sicilia diffidebant inter sese, quarum aliæ Doricæ factionis, aliæ Ionicæ erant: illarum Princeps erant Syracusæ, harum Leontium, quæ duæ bellum inter se gerebant. A Leontinis auxilium Athenienses rogati, non solum ejusdem Ionicæ originis, sed prisca etiam societate cum ipsis juncti: & ab iis sub finem æstatis naves XX. in Siciliam missæ, non tam ut opem sociis ferrent, quam ut frumenti exportationem ex Sicilia in Peloponnesum impedirent, & periculum facerent parandi imperii alicujus in Sicilia.

Cum ingruisset jam hyems, Athenienses & cum his Rhegini socii, instructi navibus armatis XXX. ex Sicilia insulas Æolias vicinas invasere, & dedere se recusantes vastarunt, ac Rhegium sunt reversi. Eodemque tempore hyberno pestis rursum apud Athenienses se commovit, ac magnam militum, multo majorem reliquæ plebis neci dedit. Simul annus belli hujus quintus exiit.

Annus belli Pelopon. VI. *surgens.*

Æstate ineunte Peloponnesii cum sociis ad Isthmum exercitum rursum duxere sub imperio Agidis Regis Spartani, ut in terram Atticam rursum invaderent, sed terræ motibus frequentibus territi re infecta domum redierunt. Interea bellum varie gestum inter urbes Siciliæ, non sine Atheniensibus; in quo Laches, mortuo jam collega, Mylas primum, mox & Messanam deditione cepit. In Græcia ab Atheniensibus eodem tempore duæ classes emissæ, altera XXX. navium Duce Demosthene cum Procle collega ad infestandam Peloponnesi oram, altera navium LX. Duce Nicia ad invadendam Melum insulam, imperiis contumacem. Sed cum Melii popula-

latione vexati in proposito persisterent, a Nicia in Bœotiæ oram classis admota: classiarii recta Tanagram ducti aucti copiis ex urbe Attica missis; commissa pugna cum Tanagræis & Thebanorum auxiliis, parta victoria tropæoque erecto, hi in urbem, illi ad naves reversi. Classis ipsa, vexata Locridis ora a Nicia domum reducta. Tum quoque Heraclea colonia in solo veteris urbis Trachiniæ a Spartanis condita muroque cincta, situ opportuna ad mare, portuque commoda, rogantibus Doribus & ipsis indigenis, opportuna belli sedes contra Athenienses. A Demosthene alterius classis Atticæ Ductore impetus in Leucadios Peloponnensium amicos factus: sed mox his missis rogantibus Messeniis, qui Naupactum habitabant, vires in Ætolos versæ. Ibi res primum feliciter gestæ, multa loca occupata: dein commisso ad Ægitium prœlio valido, & diu ancipiti, tandem victi & magna strage correpti Athenienses ob sylvarum invia: qui incolumes evasere cum sociis, Naupactum, atque inde cum classe Athenas rediere. Demosthenes iram populi metuens Naupacti mansit. At Ætoli victores accepto a Corinthiis & Spartanis novo auxilio, cui præerat Eurylochus, Naupactum occupare conati, ob præsidium Acarnanum repente in urbem immissum opera Demosthenis, spe sua exciderunt. Deinde iidem Peloponnenses ab Ambraciotis sollicitati contra Amphilochios & Acarnanes ivere, æstate jam exeunte. Hyemis initio Athenienses, qui in Sicilia erant, res gessere non magnas. Tum & Delus ab Atheniensibus solemni ritu expiata, sepulchra omnia ex insula summota: vetitum, ne quis imposterum in ea vitam finiret, neque mulier ibidem pareret: festum quoque quinquennale institutum. Mox evocatis utrinque sociis, hinc Peloponnesiis & Ambraciotis, inde Acarnanibus Amphilochis, Atheniensibus bellum magnis viribus concurrit in Amphilochia. Post primam pugnam infelicem deserti a Peloponnesiis Ambraciotæ, iterumque ac tertio prœliantes victi sunt, virtute Demosthenis Ducis Attici. Tum Demosthenes sarta gratia & auctoritate cum aliis Athenas repetiit. Paulo post inter Acarnanes Amphilochosque victores, & Ambraciotas victos pax inita, fœdus in annos C. percussum. Rursum res in Sicilia ab Atheniensibus actæ: Lacheti successor missus, majorque classis sub novis Ducibus Eurymedonte & Sophocle ad oppugandos Syracusanos istuc destinata, hyeme jam exitura. Cum cujus fine Æthna ignis rivum effudit in agri Catanensis partem anno L. postquam hoc postremo contigerat. Sic exiit annus belli Peloponnes. VI.

THUCYDIDIS
LIBER IV.

Annus belli Peloponn. VII. *surgens.*

MESSANA in Sicilia ab Atheniensibus & Rheginorum societate deficiens dedit se Syracusanis & Locris Rheginorum hostibus. Peloponnenses Atticam rursum invadunt sub imperio Agidis Spartani Regis, Archidamo nati, eamque populantur, Nova classis quadraginta navium in Siciliam destinata in itu rationem Corcyræorum, qui adhuc ab exulibus suis montana tenentibus infestabantur, simulque a navibus Peloponnensium LX. istuc missis in metu erant, habere jussa. Demostheni vero præfectura navium, quæ Peloponnesi oram premebant, demandata. Hæ naves omnes cum oram Laconicam prætervehrentur, suasit Demosthenes acerrimi ingenii vir

A Pylum, veteris Messeniæ locum tum desertum, esse occupandum, muroque cingendum: sed cæteri Duces Eurymedon & Sophocles Corcyram festinantes ab eo dissenserunt: cum interim tempestas in mari exorta classem Pyli litora subire coegit. Ibi cum hærerent, & Demosthenes consilium prius rursum urgeret, nec tamen quicquam proficeret, miles classiarius mora illectus, & opportunitatem portus percommodi conspicatus ad muniendum locum animum subito convertit, miroque studio certatim laborans murum qua necesse erat, intra dies sex perfecit. Tum classis relicto illic ad loci tutelam cum navibus quinque Demo-
B sthene, Corcyram & Siciliam petit. Eo nuncio turbati Peloponnenses, qui in Attica erant, auctoribus præcipue Spartanis de periculo domestico sollicitis, & aliis quoque incommodis moti, præmature post quintum decimum adventus sui diem ex Attica domum discessere. Tum vires ad oppugnandam Pylon contractæ, naves Peloponnenses LX. ex ora Corcyræa evocatæ appulsæque. Sphacteria insula inculta, stadia XV. in longum patens, ori portus sic objacens, ut & portum tutum, & os ejus bifidum faciat, occupata, atque a selectis Spartanis per vices custodita, ipsæ quoque portus
C fauces navibus obseptæ contra ingressum navium Atticarum, reliquo litore totius illius tractus importuoso. Omnibus jam paratis, Pylos a terra & mari simul summis viribus oppugnata, Demosthene contra cum paucis suis fortissime eam defendente, Brasidas Laconum fortissimus cum navarchis aliis a mari in eam invadens & audacter in terram descendens gravi vulnere sauciatus, pene exanimis in navim relatus. Pugna acris, iteratis conatibus in diem alterum continuata, tum velut a fessis ad recolligendas vires ab oppugnantibus intermissa, & ad novos conatus quædam parata. Interim naves Atticæ XL. ad quas jam dudum nuncios mise-
D rat Demosthenes, & his adjunctæ nonnullæ a sociis, istuc advectæ, ad pugnam patulo in mari se offerentes. Verum intra portum se continentibus navibus hostium, impetus datus in ipsum portum, hostiumque naves in fugam compulsæ, dissipatæ, quædam male mulctatæ, quædam captæ: aliæ a propugnatoribus desertæ, ac in terram impactæ. Quas cum manibus injectis abducere Athenienses victores occiperent, Spartani dolore stimulati, præsertim ob eos, qui in insula Sphacteria erant, quos amissis navibus in Atheniensium potestatem venturos prospiciebant, ut erant armati, in ipsas aquas procurrentes, retentare naves ac defendere
E conati sunt: indeque pugna varia & difficilis pertinaxque exorta: quædam naves a Spartanis conservatæ, reliquæ cum naufragis Atheniensium potestatis factæ. Sphacteria insula cum custodibus suis a classe Attica victrice cincta, & obsessa. Tum consilii causa Lacedæmone in castra evocati civitatis magistratus: decursum ad extremum remedium ad conservandos obsessos. Scilicet colloquium cum hoste petitum, quo impetrato induciæ factæ certis legibus ab hoste dictatis, per quas legati Spartani Athenas irent vecti trireme ab Atheniensibus data; de pace cum populo acturi. In legibus i-
F stis fuere hæ, ut Peloponnenses Atheniensibus naves omnes reliquas, tum quæ illic, tum quæ in ora Laconica, traderent, restituendas iisdem, si pax non coiret: ut durantibus induciis dimensi aliquid in cibum obsessis daretur, utque arma utrinque cessarent, ut reditus legatorum induciarum finis esset. Qui horum quippiam violaret; violatarum totarum induciarum reus esset. Spartani legati Athenas venientes, concione iis data, de animis in re prospera moderandis, fortunaque secunda recte utenda, de fallacia & lubricitate ejus sapienter populum

monuere; pacemque æquam ut secum iniret utrisque utilem, civitati Atticæ magis honestam & gloriosam, suaserunt. Sed quo minus pax coiret, Cleon orator vehemens, populique gratia potens ac temerarius, turbulentis concionibus effecit. Itaque arma utrinque ad Pylum resumpta, navium LX. quas initio induciarum ex pacto ab hoste acceperant, prætextu non servatarum ab eo legum, quæ utrinque placuerant: restitutio ab Atheniensibus negata: Sphacteria insula ab iisdem quamvis magna difficultate laborantibus diligentius obsessa: sed quod ob singularem Laconum industriam res lentius spe succederet, populusque domi recusatæ pacis pœnitentia quadam tangeretur, & Cleoni auctori mali consilii subirasceretur, impulsore Nicia Cleon alios culpans, proque vanitate ingenii sui se jactans, coactus est volens nolens cum imperio novisque copiis Pylon ire ad temeraria promissa & vanitatis manifesta, quibus se venditaverat, præstanda. Sed priusquam is appelleret, Demosthenes, quem sibi in imperio collegam Cleon delegerat, insulam ipsam invadere, ac in custodes ejus Spartanos vim vertere jam constituerat, & ad eam rem omnia parata habebat. Cleone vero adveniente, cum deditionis conditionem per caduceatorem oblatam aspernati essent Spartani, qui in continente castra habebant, ab utroque Duce copiæ in insulam expositæ, præsidiarii armis Atticis pressi & in arctum redacti, laboribusque fessi, a fronte & tergo circumventi, frustraque se defensantes, multis suorum jam amissis, ex consensu suorum, qui erant in vicina continente, positis armis vivi hostium potestati se permisere. Res confecta industria & virtute Demosthenis. Qui dediti sunt, fuere numero CCXCII. & in his Spartiatæ CXX. (hi nobiles inter suos habebantur) reliqui e plebe Spartana. Cæsi pugnantes in insula CXXVIII. Ex Atheniensibus pauci desiderati. Pylo Messeniorum Spartanis infestorum præsidium ab Atheniensibus impositum, ad vexandam vicinam Laconicam. Captivi Spartani Athenas vecti, & custodiæ arctæ ibi mandati. A Lacedæmoniis hac fortuna consternatis & domi graviora metuentibus legati Athenas missitati, ad liberandos captivos & Pylum recipiendam: sed hi sæpius rejecti nihil impetrarunt. Inter hæc priusquam Sphacteria cum præsidio capta fuit, in Sicilia inter Athenienses eorumque socios Rheginos Leontinosque & horum hostes Syracusanos varia fortuna ad Messanam, & agrum Rheginum aliisque in locis terra marique pugnatum. Deinde ab Atheniensibus arma mota in Corinthios: classis in eorum oram missa navium LXX. cum exercitu duorum millium domesticorum, & aliquot copiarum a sociis acceptarum, Duce præcipuo Nicia Nicerati filio. Prœlium commissum in Isthmo acre & vehemens, in quo victi Corinthii: tropæum ab Atheniensibus statutum: mox Methone in ora inter Trœzenem & Epidaurum ab iisdem victoribus capta & præsidio infessa. Eodem tempore ductu Eurymedontis & Sophoclis classis Attica in Siciliam tendens cum Corcyram appulisset, auxilio Corcyræis fuit ad exules & inimicos eorum, qui montana insidebant, evertendos: in quos in potestatem redactos rara crudelitate usi sunt Corcyræi. Is finis motuum Corcyræorum: classis Attica in Siciliam profecta. Anactorium quoque ab Atheniensibus Naupacti morantibus & Acarnanibus sub finem æstatis istius captum, oppidum Corinthiorum in faucibus sinus Ambracii positum. Hyeme sequente a Duce Attico Aristide Artaphernes Persa a Rege suo cum literis ad Lacedæmonios missus prope Eionem in Thracia interceptus, & Athenas ductus, literæ resignatæ & lectæ nihil secreti prodentes: ipse Ephesum cum legatis Atticis ad Regem ituris dimissus. Illic cognitum Artaxerxem Regem Persarum circiter id tempus e vita decessisse. Itaque legati reliquo itinere omisso Athenas sunt reversi. Chii Atheniensibus suspecti, jussu eorundem novum murum sunt demoliti. Cum his exiit annus VII. belli Peloponn.

Annus belli Peloponn. VIII.

Anni hujus initio Sol ex parte defecit, secutusque est terræ motus. Exules Lesbii Rhetio in Asia occupato, & restituto, Antandrum capiunt, aliaque parant contra Athenienses. Athenienses a Milesiis aliisque sociis adjuti, Duce præcipuo Nicia, classe Cytheram insulam Laconicæ regioni proximam & toti illi oræ imminentem invadunt, oppidum portui appositum, & urbem ipsam Cytheram Spartanorum coloniam occupant, præsidiumque huic ad tempus imponunt, oram Laconicam vicinam infestant & diripiunt, Spartanis magnum terrorem incutiunt. Dein relicta insula Cythera, & coloniis Spartani inde abductis Thyream in confinibus Laconiæ & Argolidis, ab Æginetis beneficio Laconum habitatam invadunt, capiunt, diripiunt, incendio dant. Æginetas captivos faciunt, cum his & Cythera abductis Athenas repetunt. Ibi Æginetæ capitis damnati, Cytheræi per insulas distributi, cæteri in insula Cythera relicti, tributo gravi subjecti. In Sicilia Gelenses bellum cum vicinis Camarinæis initis induciis finierunt; secutusque statim conventus legatorum ex omnibus Siciliæ civitatibus Gelam missus, in quo de dissidiis componendis & generali concordia constituenda actum. Cumque multi vehementius agerent in rixas prolapsi, assurgens Germocrates Syracusanus ita disseruit, ut oratione ejus moti omnes pacem inter se consciscerent. Cui cum etiam Atheniensium socii assensissent, Athenienses necesse habuerunt tota insula excedere. Eorum Duces cum classe domum reversi: iniquissimo populi judicio, duo in exilium pulsi, tertius pecunia gravi mulctatus. Eo tempore Megarenses ancipiti periculo, hinc ab Atheniensibus veteribus hostibus, inde ab exulibus suis, qui Pagas tenebant, diu pressi, ut saluti suæ consulerent, de exulibus reducendis sermones cœperunt jactare. Quod ut senserunt, qui in magistratu erant, intolerabile id sibi futurum judicantes (ipsi enim exilii eorum auctores erant, ut merito ab iis in integrum restitutis sibi metuerent) conspiratione facta, clam cum Ducibus Atticis Hippocrate & Demosthene egerunt, & urbem iis se prodituros sunt polliciti. Itaque re cum iis comparata, noctu per insidias insigni astu portis reclusis ingressus in urbem Attico militi patefactus, & juvantibus conjuratis ingens tumultus in urbe commotus, Peloponnesiis præsidiariis, qui in urbe erant, perculsis, existimantibus ipsos etiam Megarenses contra se conspirasse, atque ideo in muros longos, qui a Megaris ad Nisæam Megarensium portum, munitionibus clausum, quem ipsorum socii tenebant, per stadia octo porrigebatur, atque inde porro, crescente metu, in ipsam Nisæam, se recipientibus. Venissetque urbs haud dubie in Atheniensium potestatem, nisi a conjuratis quibusdam mentem mutantibus in ipso discriminis æstu impedimentum callide fuisset injectum. Quo animadverso Athenienses occupata longorum murorum parte; & subito opere transverso muro contra urbem præsepta in circumvallanda quam celerrime Nisæa omni se studio verterunt, non dubitantes, quin ea in potestatem redacta, ipsa quoque Megara facilius esset victoribus cessura. Et Nisæa quidem opinione citius operibus novis fossa muroque clausa, destituta commeatu, quo ex

urbe quotidie suppeditato solet uti, perculsis præsidiariis, Atheniensibus statim dedita, his conditionibus ut armis traditis singuli reliqui præsidiarii certa pecunia dicta captivitatem redimerent: soli Lacedæmonii cum præfecto suo, arbitrio Atheniensibus relinquerentur. Nisææ perruptis longis muris a Megara seclusæ præsidium Atticum impositum. Ad reliqua dum se parant Athenienses, Brasidas Spartanus interveniens consilia eorum turbavit. Is suorum jussu exercitum in Thraciam ducturus, tum forte cum eo juxta Corinthum & Sicyonem agebat: audiens vero de periculo Nisææ & Megarorum, evocatis quoque in auxilium Bœotis, cum delecta parte exercitus istuc contendit, sperans Nisææ deditionem se anteversurum. Sed in itinere cognoscens eam Atheniensibus jam esse deditam, cæteris subsequi jussis ipse cum CCC. quanta potuit festinatione, ut famam adventus sui anteverteret, Megaram petiit, sperans & Nisæam se recuperaturum, & Megarensium animos [1] esse firmaturum. Sed præter spem a Megarensibus quanquam in diversa studia inter se scissis, cum pars utraque haberet quod ab ejus ingressu sibi metueret (integros enim se victoribus futuris reservare cupiebant) urbe exclusus, retro pedem ferre ad suos est coactus. Ad quem cum etiam Bœoti venissent, essentque omnes ad sex millia armatorum, Bœoti equites evecti in velites Atheniensium, eosque palantes ad mare usque persecuti, cum se iis equites Attici objecissent, prœlium commissum æquo fere Marte diremptum fuit. Deinde Athenienses ad muros longos tanquam in occursum hostium progressi, & ad pugnam aperto in campo se offerentes, si quis se inferret, nec tamen priores lacessere, ac in hostes incurrere certi, cum nec moverent se Megarenses, & Peloponnesii quoque ac Bœoti quanquam in acie velut pugnaturi starent, non tamen in pugnam descenderent, tandem priores ipsi, cum se quod satis esset, fecisse putarent, Nisæam recesserunt; Peloponnesii vero & Bœoti plerique in sua redierunt. Megarenses autem, qui exulum partibus favebant, animis erecti Brasidam præfectosque militiæ alios in urbem vocarunt. Illic firmatis partibus suis, Brasidas ad exercitum in Peloponneso relictum, reliqui ad sua se receperunt. Tum domum quoque reversis Atheniensibus, qui cum ipsis senserant Megarenses, metu perculsi clam fuga sibi consuluere. Exules oblivionem injuriarum & curam tuendi boni publici sancte polliciti, dato in id jurejurando Pagis revocati, & in integrum restituti: sed potestatem nacti, cum arma lustrarent, & cohortes civium locis destinatas haberent, obliti jurisjurandi, vindictæ cupidine promissi religionem superante, viros quoquo modo sibi suspectos ad centum ex omni numero curarunt prehendi, damnatosque judicio populi haud spontaneo aut libero necarunt, arbitriumque reipublicæ præcipuum in se verterunt, ex quo tempore res Megarensis in potestate paucorum diu mansit: ut ait *Thucydides*. Tum exules Mitylenæi Antandrum nuper a se occupatam munire cœperunt: sed a Præfectis duobus Atheniensibus qui tum in Hellesponto curabant, Aristide & Demodoco infestati, & prœlio conserto fusi Antandrum amittunt. Sic ea Atheniensium potestati reddita. Lamachus Navarchus Atheniensis in Ponto classem navium X. vi decurrentis fluminis amisit: ipse cum militibus itinere terrestri per Bithyniam Chalcedonem Megarensium coloniam rediit. Quo tempore studium novandarum rerum in Bœotia multos incesserat. Erant enim qui civitatum suarum res in statum popularem, qualis apud Athenienses vigebat, trans-

[1] Thucydides ait τὴν τῶν Μεγαρέων πόλιν ἐσελθὼν βεβαιώσασθαι.

A mutare desiderabant. In quibus eminebat tanquam consilii princeps Ptæodorus Thebanus e patria exulans, & fervebant in iisdem partibus Orchomenii exules, nec alieni ab iis erant Phocensium nonnulli. Et in eam rem quidam Chæroneam in confinibus Bœotiæ & Phocidis sitam, alii Siphas agri Thespiensis in sinu Crissæo positum oppidum, tradere adjutoribus constituerant. Debebant vero ex conventione Athenienses eodem die, quo hæc facienda erant, Apollinis templum Delium agri Tanagræi e regione Eubœæ invadere ad distrahenda Bœotiorum consilia & studia. Hoc fundamento bene jacto, reliqua non male successura ii, qui in partibus erant, sibi pollicebantur. B Ad has res promovendas Demosthenes classis Imperator statim post receptum ex agro Megarensi cum navibus XL. Naupactum petiit, ut corrogatis ex Acarnania, & regione vicina copiis Siphas, quarum proditio promissa erat, ad diem præstitutum subito invaderet, eodemque tempore Hippocrates alter Atheniensium Dux alia a parte cum copiis urbanis in Bœotiam incurreret. Hæc illis tum constituta. Interea Lacedæmonii ultro invitati a Perdicca Macedonum Rege, & Chalcidensium nonnullis promisso quoque stipendio consilium cepere mittendi copias in Macedoniam & Thraciam ad distrahendas Atheniensium curas & vires, a quibus non pauci in iis regionibus metu crescentis potentiæ eorum incipiebant animis alienari. C Et in eam expeditionem Ducem destinarunt Brasidam virum compertæ virtutis & integerrimi nominis. Quo tempore facinus ab iis patratum sane illaudabile. Nam quoniam passim ferme fortuna adversa premerentur, metuerentque sibi a servis suis Helotibus ne quid in hac fortunæ Laconicæ adversitate in ipsos & rempublicam molirentur (nunquam non enim sollicitos eos servi habebant suspecti dominis ob numerum & robur, duramque servitutis conditionem) ut nervos iis inciderent, occasione hujus expeditionis præconio vulgarunt, quicunque eorum ad arma maxime essent idonei, & animis parati ad fortiter pugnandum in hostes, ut hos ipsi seligerent tanquam libertate donandos. D Quod quidem eo fecere consilio, ut cognoscerent, quibus potissimum audentiæ esset occipiendi aliquid, quique ante alios libertate se dignos arbitrarentur: hos enim putabant præ cæteris etiam ad res novas maxime promptos esse futuros. Fuere vero, qui tales se profiterentur selecti a cæteris circiter bis mille: qui velut manumissi pro more coronati templa circumivere. Verum hi, ut ait *Thucydides*, non multo post e medio sublati sunt, nec quisquam novit, quo quisque modo perierit. E Armavit tamen civitas ex hoc hominum genere ad DCC. & Brasidæ ducendos cum aliis mille ex Peloponneso stipendio conductos attribuit. Is vero cum copiis his Macedoniam & Thraciam petens rogata, & a quibusdam accepta pacati itineris copia, dum alii, qui partibus Atheniensium erant addicti, cunctarentur, amicorum Thessalorum suasu festinatione usus Thessaliam transiit. Dein volente & juvante Perdicca Rege ad Dion Perdiccæ oppidum Thessalis proximum & Olympo monti subjectum Macedoniam ingressus est. Tum junctis cum Perdicca copiis suis ad fines Lyncestarum, qui in Macedonia Thraciæ maxime vicini sunt, Thracumque cognati, quorum Regem Arrhibæum communibus armis debellatum Perdiccas cupiebat, progressus, non F ante armis quicquam agere contra Arrhibæum voluit quam cum eo in colloquium venisset, & causam, ob quam bellandum erat, ex ipso quoque cognovisset, nequicquam indignante propterea Perdicca. Erat enim Brasidas ut fortissimus vir, & pru-

A dentia egregius, ita justi & æqui omnibus in negociis observantissimus. itaque cum Arrhibæo congressus post finitum colloquium finibus ejus intactis discessit: quod vehementer ursit Perdiccam. Exin adjunctis sibi jam Chalcidensium auxiliis sub tempus vindemiæ Acanthum adortus est, Andriorum coloniam, eamque non armorum vi, quam paratam habebat, sed orationis suada, cum solus in oppidum admissus esset, ab Atheniensium societate in partes suas traduxit, statumque civitatis, uti promiserat, sine vitio conservavit. Acanthi exemplum Stagirus quoque, quæ & ipsa Andriorum erat colonia, statim est secuta. At hyemis initio cum Demosthenes rebus omnibus bene instructus, uti convenerat, Siphas esset advectus, B consilio per indicem detecto, Siphisque & Chæronea præsidio valido Bœotorum ante ejus adventum communitis, re infecta abscedere coactus fuit. Ita reliqua quoque per Bœotiam, quæ ad novandas res pertinebant, quievere. At Hippocrates Dux alter paulo post universa multitudine non civium solummodo, sed etiam inquilinorum & peregrinorum Athenis educta templum Delium petiit, positisque ibi castris festinato labore templum fossa valloque cinxit. Valli imum fuit terra e fossa egesta: juxta quam tigni erecti, dein materia omnis generis, ligna, lateres, saxa, aggesta, & in altum educta: turres quoque ligneæ, ubi commodum erat, exstructæ. In hunc usum & vineæ vicinæ excisæ, & C ædificia proxima destructa. Opus tertio die, ex quo inchoatum fuit, magna ex parte absolutum. Tum exercitus inde ad x. stadia domum versus abductus, velites numero plurimi recto itinere statim Athenas remissi; reliqui, qui gravis erant armaturæ, illic armis positis, ad tempus morati. Hippocrates ipse ad fanum subsistens custodiis constituendis, & propugnaculis, quæ operi adhuc deerant, perficiundis intentus fuit. Interea Bœoti copiis undequaque ad Tanagram coactis de ulciscendis Atheniensibus consilia agitantes, cum audiissent eos jam e finibus Bœotiæ in agrum Atticum rediisse, animis hæsere. Nam cæteri Bœotarchæ, qui numero erant xi. ob eam causam, D quod non amplius intra Bœotiæ terminos exercitus illorum esset, in pugnam non esse descendendum putabant; Pagondas autem Thebanus eorundem collega, cujus eo tempore imperium erat, cum Arianthide omnino in hostem eundum, eumque ubicumque locorum deprehenderetur, prœlio invadendum esse contendebat, pœnasque ab eo poscendas ob injuriam Bœotis in ipsa Bœotia illatam, ac simul libertatem patriæ, quam is evertere moliretur, omnibus modis asserendam defendendamque. Qui cum in assensum reliquos traxisset, Tanagra in hostem ductus exercitus, in quo E erant septem millia militum gravis armaturæ, velitum plusquam decem millia, equites vero mille, cum cetratis quingentis. Hic, cum in hostis conspectum deventum esset, sic in aciem digestus a Ducibus est, ut dextrum cornu cum sociis suis Thebani tenerent, medium Haliartii, Coronæi, Copæenses, aliique paludis accolæ, sinistrum Thespienses, Orchomenii, Tanagræi: equites cum velitibus utrinque ab latere cornibus adhærebant. Et Thebani quidem vicenis quinis viris ordines suos densabant: cæteri, ut res dabat. At Athenienses gravis armaturæ numero hosti ejusdem armaturæ pares ita dispositam aciem habebant, ut octonis or- F dinibus spissitudo ejus constaret: equites utrinque cornibus prætexerentur. Levis autem armatura eorum jam discesserat domum repetens, numero multo major hostili. Tum Bœotis se primum moventibus mutuo incursu avido acies collisæ, & post grave certamen sinistrum cornu Bœotorum cum clade in fugam actum: dextrum, in quo Thebani erant, in fugam dedit Athenienses sibi oppositos. Et cum duæ equitum alæ a Pagonda laborantibus Bœotis submissæ in conspectum se dedissent Atheniensibus victoribus hi novas copias hostiles adesse suspicati, ac in timorem conjecti se quoque in fugam effuderunt. Ita tota Atheniensium acies profligata aliis alio, quo evadendi spes erat, diffugientibus victoriam integram Bœotis reliquit. Fugientium plurimos a vi persequentium nox superveniens servavit. Victores lectis spoliis & præsidio in loco pugnæ relicto Tanagram sunt reversi. Ibi de Delio recuperando, cui validum præsidium Atheniensium inerat, consultatum. Mox caduceatores utrinque missi, Bœotus ad Athenienses questum de injuriis & sacris violatis, & postulatum, ut Delium restitueretur; Atticus ad Bœotos, de restituendis ad sepulturam cæsis. Disputatum argute de jure vel injuria, argumentaque argumentis opposita & elisa. Denique nihil impetratum. Tum Bœoti copiis auxiliaribus ex Thessalia, Peloponneso, Megaride aucti ad Delium vi expugnandum se verterunt: multisque non feliciter tentatis, instrumento demum ad ciendum incendium constructo, & ad vallum admoto, cui multa materia concipiendæ flammæ inerat, vi ignis propugnatores a vallo submoti, munitioque cum fano capta. Præsidiariorum quidam cæsi, ducenti capti, reliqui naves ingressi domum revecti sunt. Delium a Bœotis receptum xvii. post pugnam commissam die: in qua pugna Bœotorum periere pauciores quam quingenti, Atheniensium infra mille, cum Duce Hippocrate: velitum & calonum magnus numerus. Cæsi misso rursum caduceatore tum sine contradictione Atheniensibus ad humandum redditi. Post pugnam hanc Demosthenes in agrum Sicyonium invectus a Sicyoniis cum clade rejectus. Et Sitalces Thrax Triballos bello petens in prœlio occubuit, eique fratris filius Seuthes in regno successit. Eadem hyeme in Thracia Brasidas Amphipolim Atheniensium coloniam insignem ad Strymonem fluvium sitam armis appetiit. Hunc locum Aristagoras Milesius patria pulsus a Dario Rege Persarum, sedem sibi ceperat. Sed is ab Edonis inde est ejectus. Dein post annos xxxii. Athenienses decem millia suorum civium & aliorum, quibus voluntas erat, habitandi causa istuc miserunt: qui a Thracibus ad Drabescum concisi periere. Rursum post annos xxix. ab Atheniensibus novi coloni eodem missi Duce Agnone Niciæ filio, qui pulsis Edonis locum occuparunt, Novem vias prius vulgo nuncupatum: quem novo nomine Amphipolim ex re Agnon tunc appellavit. Quippe Strymon fluvius utrinque urbem amplectebatur, & qua terra se insinuans intercurrebat, ea longus murus ad claudendam urbem a flumine in flumen ab Agnone ductus fuit. Infra vero urbem distantia stadiorum xxv. Eion erat ad ostium fluminis sita, quo emporio maritimo Athenienses utebantur indeque ad novam urbem ferebantur, mari terraque conspicuam. Ad istam igitur urbem Brasidas proficiscens cum exercitu, ab urbe Chalcidica Arnis sub occasum Solis Aulonem & Bromiscum, qua Bolbe palus in mare exit, pervenit. Ubi cum cœnatus esset, per noctem tempestate & nivibus fœdam pergens & accelerans, ut famam adventus apud Amphipolitanos anteverteret, ad Argilios primum Andris quoque ortos pertigit: & ab iis intra oppidum receptus, jamdudum Amphipoli, cui male volebant, insidiantibus eorum aliorumque quos jam dudum Perdiccas cum Chalcidensibus corruptos odio Amphipolitanorum incenderant, opera adjutus proxime pontem flumini instratum, priusquam illucesceret, exercitum per-

duxit. Pons vero modice ab urbe distabat, nec muri, qui nunc sunt, ad pontem tum erant, sed custodia tantum non magna apposita: qua nullo negocio oppressa, adjutus a tempestate pariter, & proditoribus Argiliis, inexpectatusque incurrens pontem Brasidas occupavit & transmisit, atque omnia quæ Amphipolitanorum erant extra urbem, suæ potestatis fecit. Hoc transitu ejus, & inopino casu, cum multi ab eo capti essent, alii in urbem confugissent, vehementer consternati fuere Amphipolitani, præsertim cum ipsi se mutuo suspectos haberent. (Erant enim non pauci in urbe, qui cum Brasida facerent, inprimis Argilii.) Et vulgo ferebatur, si Brasidas militem in rapinas effusum statim ad urbem duxisset, potuisse eum ea potiri. Occasione vero hac prætermissa, dum prædis agendis per agrum indulgetur, cum nihil interea etiam in urbe ex conventione moveretur, ipse quoque quievit. Nam potiores numero qui Atheniensium rebus bene volebant, ab aperiendis confestim portis proditores divertebant, & cum Euclee præfecto Attico, qui præsens aderat, mittebant, ad alterum militiæ Atticæ præfectum in Thracia Thucydidem Olori filium, hujus Historiæ scriptorem, Thasi tum agentem (ea in [1] insula est, Pariorum colonia, Atheniensibus parens navigatione diei dimidiæ Amphipoli dissita.) petitum ab eo subsidia. Is re cognita, sine mora, cum navibus VII. quas præsentes tum forte habebat, istuc festinans hoc studii habebat, ut Amphipolim, priusquam ea hosti traderetur, perveniret: sin minus, ut Eionem præoccupatam conservaret. At Brasidas metuens subsidia navium e Thaso, atque audiens Thucydidem in ea Thraciæ vicinia auri officinas possidere, ideoque multum posse inter primores illorum locorum, summopere contendit, ut ante adventum ejus Amphipolim in potestatem redigeret. Verebatur enim si præverteret ille, Amphipolitanos fiducia præsentis ipsius, cui nec a mari nec a terra auxilia essent defutura, quibus tueri se possent, deditionem esse recusaturos. Quapropter æquissimis conceptis conditionibus per præconem denunciavit, quisquis Amphipolitanus ac Atheniensis vellet salvis retentisque omnibus rebus suis æquo ac pari jure ibi vivere, ei manere licere: qui nollet, ei liberum fore exportatis secum rebus suis spacio dierum quinque discedere. Quibus auditis, magna facta animorum conversio: præsertim cum pauci essent cives generis Attici, plures e convenis mixti, & in his multi propinqui eorum, qui foris erant capti: & quia metu occupati omnes existimabant haud iniquas esse, quæ ferebantur, conditiones, Athenienses quidem, vel hanc ob causam haud gravatim urbe exituri, quod majore in discrimine se quam reliquos futuros, & auxilia sero ventura esse arbitrarentur, reliqua vero multitudo, quia æquo vivendi jure potestatem sibi fieri, & periculis se liberari intelligerent. Quo animorum motu animadverso, cum etiam viderent, ne audiri quidem præfectum Atticum, liberius omnino ii, qui Alcidæ [2] partes fovebant, quid sentirent professi sunt, applaudentes conditionibus oblatis, cæterosque in assensum traxerunt. Factaque statim conventio, & Brasidas in urbem receptus. Eodem vero die quo hæc Amphipoli acta, Thucydides sub serum cum navibus Eione appulit. Quod ni factum fuisset, Brasidas cui propositum erat a capta Amphipoli Eionem statim invadere, cum prima luce sine dubio cepisset. Ille autem & paravit quam ocyssime omnia, quæ ad tuendum in præsens oppidum, si mox ingruere contingeret Brasidam, & ad depellenda in futurum pericula pertinebant, & eos quibus placebat ex conventione Amphipoli discedere, excepit. Et paulo post cum classe minorum navium, & copiis pedestribus adfuit Brasidas, Eionemque e flumine & terra cœpit oppugnare: sed repulsus abscessit. Tum rebus Amphipoli constitutis vicina oppida tria, Myrcinum Edonicæ gentis deditione spontanea, Gapselon [3] & Oesymen Thasiorum colonias vi cœpit, & has quidem Perdiccæ Regi præsenti præsidio firmandas reliquit. Capta Amphipolis in magnum metum Athenienses conjecit propter magna, quæ ex ea percipere solent, amissa commoda. Nam & copiam lignorum ad ædificandas naves, & proventum pecuniæ ea solet sufficere, & jam transitus liber contra socios suos permittentibus Thessalis apertus esse Lacedæmoniis videbatur, qui ponte Strymonis nondum occupato, & flumine supra pontem late stagnante, ac triremibus ad Eionem excubantibus impeditus iis fuerat. Verebantur igitur, ne socii ad defectionem pellicerentur. Brasidas enim quemadmodum aliis in rebus moderatum se præstabat, ita ubique omni in sermone profitebatur, ad liberandam Græciam missum se adesse. Itaque civitates Græcæ imperio Attico subditæ cum audiissent, quid actum Amphipoli, quam eximia sit mansuetudine & æquitate Brasidas, quam maxime animis erectæ sunt ad res novandas, missisque clam caduceatoribus hortatæ eum sunt, ut maturaret ad se venire, pollicitæque singulæ ante alias se ad eum defecturas. Credebant enim sine periculo hoc se facere posse, falso sibi persuadentes, non esse tantas Atheniensium vires, quantæ posterius sunt compertæ, plusque cæcæ cupidini suæ in hac re judicanda quam certæ providentiæ tribuentes. Consuevere enim homines in id, quod concupiscunt, inconsiderata spe ferri; quod vero aversantur, liberrima ratione velut pro arbitrio suo repudiare. Simul fidentiores eos faciebat tum clades Atheniensium recens in Bœotia illis illata, tum alliciens magis quam vera Brasidæ oratio, dicentis, non ausos fuisse Athenienses ad Nisæum cum solo exercitu suo pugnam inire, plane ut crederent, contra se exercitum nullum esse venturum. Id vero vel maximi momenti erat, quod & præsenti desiderio novandi titillarentur, & tum primum Lacedæmoniorum sponte sua cupideque se offerentium periculum essent facturi, ideoque omni modo ad subeundum discrimen incitabantur. De quibus certiores facti Athenienses, præsidiarios ut temporis brevitas & hyems permittebant, in urbes mittere satagebant. Ipse vero Brasidas Lacedæmonem misso legato exercitum sibi submitti poscebat, & in Strymone struendis navibus sese parabat. Sed Lacedæmone tum temporis actum egit, partim quod primores gloriæ ejus inviderent, partim quod civitas suos ex insula recuperare, & bellum dissolvere mallent. Eadem hyeme Megarenses longos muros suos, quos Athenienses nuper occuparant, receptos solo æquarunt. Brasidas vero fretus sociorum auxiliis Acten bello invasit, introrsum a fossa regia prominentem, a qua Athos mons excelsus in Pelagus Ægæum procurrit. In ea oppida septem habitata a gentibus inter se mixtis barbaris bilinguibus, in quibus etiam Chalcidici quidam generis, sed pauci, plurimi vero Pelasgici, qui Lemnum quondam & Athenas originis Tyrrhenæ coluere, item Bisaltæ, Crestones, Edoni per viculos ibidem dispersi. Oppidorum pleraque Brasidæ imperium accepere: duo restitere, Dium & Sana Andriorum colonia posita juxta fossam mare Euboicum spectantes. Quas cum populatione agrorum movere non posset, ut se dederent, abdu-

1. Sed Thucydides dicit ὄντα περὶ Θάσον, ἔστι δὲ ἡ νῆσος Παρίων ἀποικία.

2. Unde hoc nomen? quod certe non memoratur ab Thuc.

3. Satis constat Galepson appellari debere, ut etiam fit in libro quinto Thucydidis, ubi in Emmio male editur *Galospus*.

ctum inde exercitum contra Toronen urbem Chalcidicam Atheniensibus parentem vertit, non longe distantem, in peninsula in mare procurrente sitam, vocatus a paucis Toronæis. Quo cum per noctem facto itinere ante lucem venisset, atque ad templum Castoris ac Pollucis tribus ab urbe stadiis cum exercitu consedisset, ignaris plane Toronæis præter admodum paucos, nec quicquam minus opinantibus nesciente etiam præsidio Attico, quod exiguum in urbe erat, a nonnullis consilii consciis, clam ex urbe in occursum egressis exceptus illic fuit. Ab his septem viri audaces ex ejus exercitu, solis pugionibus succincti ad urbem deducti præeunte Lysistrato Olynthio, & horum opera, B cum intra extimum murum ad mare penetrassent, excubitores in summa rupe urbi imminente trucidati: mox scutati centum submissi a Brasida paululum progresso; per eos juvantibus civibus proditoribus tacita vi portæ reclusæ & irruptio diversis ex partibus in urbem facta, & ad signum igne datum subsequente mox Brasida exercituque reliquo, sublato ad terrorem ciendum ingenti clamore urbs capta, stertentibus adhuc in foro præsidiariis Atheniensibus civitate attonita, simul summa urbis loca a Brasida, ut tutius eam possideret, occupata: reliqua militum turba per cæteras urbis partes C diffusa; præsidiarii somno exciti, cæsis suorum paucis fuga se in Lecythum castellum, quod Athenienses tenebant, velut verticem urbis in mare protensum, angusto Isthmo seclusum, contulerunt servaruntque: eodem se etiam cives Toronæi Atheniensibus fidi receperunt. At die orto Brasidas misso istuc caduceatore denunciat Toronæis, si vellent, licere ipsis salvis in urbem redire, suaque possidere, & more solito in republica versari: Atheniensibus vero mandat ut fide publica Lecytho decedant, quæ juris Chalcidensium sit, sua vero secum auferant. Hi respondent locum se deserere nolle: sed petunt inducias unius diei, cum copia D sepeliendorum cæsorum. Ille autem dies iis concedit duos, per quos utrinque funus cæsis factum. Interim Brasidas advocata Toronæorum concione oratione apud eos usus est ad conciliandos inter se discordium civium animos, tollendasque e civitate factiones, atque ad commendandam suam suorumque Laconum æquitatem ac moderationem quam maxime accommodata & efficaci, qua ante quoque apud Acanthios, ut ait auctor, fuerat usus. Et cum biduum illud exisset, statim Lecythum adortus, quamquam animose ac viriliter eam defendentibus Atheniensibus & munitionum E debilitatem egregia virtute compensantibus, adjutus inopinato casu, qui in terrorem propugnatores dedit, postridie quam vim admovere cœperat, occupavit, paucisque, quos illic reliquos reperit, (plurimi enim casu illo inopinato perterriti fuga sibi consuluerant) cæsis, totum Lecythum diruit, solumque Palladi, cujus ibi fanum erat, dedicavit. Reliquum hyemis firmandis locis captis, iisque, quæ nondum ceperat, insidiis struendis impendit. Cum hyeme vero exacta exiit annus belli hujus octavus.

Annus belli Peloponn. IX. surgens F

Ineunte proximo vere Lacedæmonii & Athenienses suis utrique causis moti in annuas inducias consensere, hi potissimum, ut Brasidam ab occupatione plurium locorum in Thracia tantisper donec ipsi vires recolligerent, averterent, atque ut, si placerent induciæ, in tempus longius pacisci possent: illi vero haud ignari, quid angeret Athenienses, ratique eosdem dulcedine quietis illectos longiorem pacem desideraturos, atque ita redditis captivis, quorum recipiendorum ipsi erant cupidissimi, fœdus secum in tempus longius esse percussuros. Induciarum verba integra recitata a *Thucydide*: cujus capita præcipua hæc: *ut parti utrique templi & oraculi Delphici secundum ritus patrios liber usus esset & commeatus tutus, atque ut in hoc quoque Phocenses &* Bœoti *assentirentur, Lacedæmonii misso ad eos caduceatore procurarent: ut vindicandæ injuriæ, quæ pecuniæ Delphicæ illata erat, pars utraque curam haberet: ut utrique ea quæ jam haberent, quiete ad finem usque induciarum tenerent: ut caduceatoribus legatis, & eorum comitibus de pace ineunda ac judicio petendo hinc inde commeaturis itus & reditus tutus esset terraque marique: transfugæ utrinque non reciperentur: judicia æqua alteri alteris mutuo præstarent: controversias jure non armis dirimerent. De usu maris etiam aliquid cautum. Hæ induciæ ad annum durarent*. Hæc Athenis ad populum relata, scivitque populus, tribu Acamantide prytaneatum gerente, scriba Phænippo, Niciade Epistata, die XIIII. ἐλαφηβολιῶνος mensis Attici (is fere respondet nostro Martio) pronunciavitque Laches: Quod felix & faustum sit Atheniensibus fiant induciæ, ut placet Lacedæmoniis eorumque sociis. Additum rursum expresse, ut interea per legatos & caduceatores hinc inde ituros de integra pace ageretur: ut prytanes & militiæ præfecti concionem convocarent, in qua præmissa deliberatione de pace statim de designandis in eam rem legatis decerneretur. In hæc jusjurandum utrinque datum coram legatis: comprehensi assensique utriusque partis socii omnes: adscriptus dies XII. Gerastii mensis Laconici: subjectaque sponsorum diversorum nomina. Atque his durantibus induciis sæpius habita colloquia de pangendo fœdere ampliore. Iisdem diebus Scione urbs in Pellene peninsula Thormaico sinui adjacens ab Atheniensibus ad Brasidam sponte sua defecit, jactans se origine Peloponnesia. Ad quam cum vocatus noctu navigaret Brasidas, ut tutius istuc perveniret, præire jussit triremem, ipse celoce minore pone secutus est hac mente, ut si in celocem forte incurreret navigium majus, statim triremis ei subsidio posset esse: sin triremis inimica occurreret, eam existimabat in triremem, non in celocem incursum facturam, ac interea se celoce vectum in tutum sperabat evasurum. Scionen vero delatus in concione civium repetitis primum iisdem, quæ in medium apud Acanthios & Toronæos attulerat, dein collaudata civitate, quod hactenus necessitati paruerit, jam autem oblata occasione ultro ad assertores libertatis accesserit, testatus est confidere se, fortissima quæque etiam deinceps ausuram, seque eam in fidissimis sociarum civitatum esse habituram. Quibus verbis elati animis Scionæi omnes sine discrimine ad sumenda arma promptos se demonstrarunt, & cum alia honoris causa in Brasidam contulerunt, tum corona aurea eum publice tanquam Græciæ liberatorem redimiverunt, privatimque velut athletam victorem salutatum adierunt. Ille vero relicto illic qualicumque præsidio Toronem reversus, conscriptis hic majoribus copiis ad tentandam quoque Mendam & Potidæam ejusdem viciniæ urbes animum intendit, festinavitque, ut Athenienses, quos existimabat subsidio suis venturos, anteverteret. Et jam cum conjuratis cœperat agere, cum inexpectato supervenere Aristonymus Atheniensis & Athenæus Spartanus, nuncium ei ferentes de initis induciis. Quas cum reciperent omnes per Thraciam Spartanorum socii, Aristonymus Scionæos pactis induciarum non comprehendi contendit, quoniam ex temporum ratione comperiret, post confectas inducias eos defecisse. Ve-

rum contra dicente Brasida, nec Scionem dimittere volente, Athenienses ab Aristonymo certiores facti sine mora ad bello repetendam eam sese accinxere. Spartani autem Brasidæ suo credentes missis ad eos legatis ostenderunt, violaturos ipsos pacta conventa, nisi proposito desisterent: & tamen ad disceptationem juris hac de re sese obtulerunt. Sed ea repudiata Athenienses, utpote in re minime ambigua, in parando bello perrexere. Clarum enim faciebant, biduo post initas inducias Scionæos fidem mutasse. Simul ira stimulati, auctore Cleone, mortis damnarunt omnes Scionæos, ad terrendos alios: totique in hanc rem unam incubuere. Atque hoc ipso tempore Menda quoque ab iis defecit, urbs in Pellene sita, Eretriensium colonia, eaque in fidem a Brasida etiam est recepta. Existimabat enim ille, haud injuste se facere, si reciperet eos, qui stantibus induciis sponte sua descíscentes partibus accederent: habebatque, de quo culparet Athenienses violatæ pactorum fidei. Mendenses autem exemplo Scionæorum impulsi, & prompta, quam animadvertebant, Brasidæ voluntate, ad hæc mutuo metu incitati, præcipitata a paucis ad assentiendum multitudine a fide recessere. Quo nuncio magis turbati animis Athenienses, atque ira vehementius incensi in utramque urbem se pararunt. At Brasidas fœminas pariter & pueros ex utraque urbe Olynthum Chalcidis, transtulit: Scionæis vero & Mendensibus præsidium misit quingentorum Peloponnensium gravis armaturæ, cum trecentis cetratis Chalcidici generis sub Præfecto communi Polydamante. Tum ipse cum Perdicca Macedone Rege rursum conjunctus, cum exercitu profectus est contra Arrhibæum Lyncestam, ingressique regionem ejus commisso prœlio victoriam retulere. Dein Perdicca Illyrios auxiliares, quos stipendio conduxerat, expectante ad reliqua belli conficienda, Brasida vero, qui Scionæis & Mendensibus a vi Atheniensium metuebat, mature discedendum putante, adveniunt quidem Illyrii, sed mutata mente ad Arrhibæum se conferunt. Tum in receptum consensere ambo; sed ob simultatem diversis viis cum discederent, Macedones velut Panico terrore correpti ex incerto rumore ingruentium hostium, repente per noctem sine jussu Regis fugientibus similes abiere, eosque ne compellato quidem Brasida Perdiccas est secutus. Brasidas orta jam luce desertum se cernens, dispositis recte suis, leviterque armatis in medium receptis, quadrato agmine discedere quoque sine fugæ specie constituit, ipse postremum agmen cum trecentis delectis notæ fortitudinis clausurus. Dein omnes ad fortitudinem cohortatus, cum movere agmen cœpisset, incursantibus in eum hostibus a quibus fugere putabatur, animose illos aliquoties repressit. Et cum pars illorum festino cursu prægressi angustias, per quas ex regione Arrhibæi exeundum erat, occupassent, ut & iter Brasidæ præcluderent, & a fronte pariter ac tergo circumventum premerent, ipse eodem accedens, præmissis trecentis illis suis, quam celerrimo cursu collium alterum, qui utrinque angustiis imminebant, invadere, & ex eo hostes deturbare jussit. Quo feliciter expedito fugatis hostibus exitus patuit, exercitusque in tutum per fines Perdiccæ est reductus. In quo itu Græci Macedonibus irati ob discessum eorum, a rebus eorundem non abstinuere. Atque hinc hostilis odii Perdiccæ in Brasidam & Peloponnenses principium fuit: sensimque sarta ei cum Atheniensibus gratia. Hac durante expeditione classis navium L. quarum X. Chiæ erant, cum modico exercitu contra Scionæos, & Mendenses ab Atheniensibus missa fuit, Ducibus Nicia ac Nicostrato. Ab his ad Mendam primum res tentata parum prospere, dein Scionæorum suburbio capto, agroque vastato, quum se, qui in urbe erant, non commoverent (nam intestino dissidio distinebantur) in Mendam rursum exercitus versus, ex qua CCC Scionæi ob motum domesticum discesserant. Cui cum Athenienses imminerent, ob vim civi Mendensi intentatam a Polydamante præsidii præfecto, tumultus in urbe exortus, & impetus in præsidiarios Peloponnenses, & eos, qui cum ipsis faciebant, a plebe urbana factus, præsidiarii cum suis in fugam versi, multi cæsi, alii in arcem recipere se coacti: a civium nonnullis portæ Atheniensibus apertæ. Per has Athenienses, advolante Nicia in urbem cum irrupissent, quia nulla conventione facta res hucusque erat prolapsa, urbs fœde direpta est, vixque Ducum studio manus militum a cæde civium inhibitæ. Tum Mendenses jussi more solito rempublicam administrare, ac de auctoribus defectionis supplicium sumere. Qui vero in arcem confugerant, muro sunt clausi a mari ad mare ducto, præsidiumque appositum. Rebus Mendæ confectis, exercitus Scionen rursum ductus, primoque accessu tumulus urbi præjacens, sine quo circumvallari ipsa non poterat, felici pugna dejectis, qui eum insederant, Scionæis & Peloponnesiis, occupatus, & castris in eo positis, ad claudendam urbem opus grande occeptum. In quod dum intentus est exercitus, auxiliares, qui in arce Mendensi obsidebantur, per custodes ad mare excubantes noctu via vi patefacta elapsi, majoreque numero fuga Scionem delati per castra hostilia in eam pervaserunt. Atque interea misso in hunc finem ad Duces Atticos caduceatore, ob conceptum in Brasidam odium fœdus cum Atheniensibus a Perdicca rursus percussum, & conciliandæ fidei causa copiæ Laconicæ Duce Ischagora ad Brasidam euntes transitu Thessaliæ & Macedoniæ opera ejusdem prohibitæ: quanquam Ischagoras ipse cum collegis duobus Aminia & Aristea ad inspiciendas ejus regionis res missus, ac adjunctis ephebis Spartiatis, qui urbibus occupatis præficerentur, ad Brasidam penetraverit. Ex juvenibus ephebis Clearides Amphipoli, Epitetides Toronæ præsides sunt dati. Eadem æstate muri Thespiensium a Thebanis, crimen iis Atticismi objectantibus sunt diruti: quod dudum ab iisdem animo destinatum, tunc autem occasione cladis nuperæ bello Attico acceptæ, quo flos civitatis istius periit, opere ipso est confectum. Templum etiam Iunonis in urbe Argiva, incuria Chrysidis sacerdotis conflagravit: ob quod ipsa sacerdos iram Argivorum verita nocte eadem Phliuntem confugit, cum durante hoc bello Peloponnesiaco annos octo ac dimidium sacerdotio præfuisset: Cui statim Argivi aliam surrogarunt ex lege patria Phacinidem nuncupatam. Sub finem vero æstatis hujus murus claudendæ Scionæ ab Atheniensibus fuit consummatus, & relicto ad ejus custodiam præsidio, reliquus exercitus inde abductus. Hyems sequens quiete ab Atheniensibus & Spartanis ob inducias exacta. Sed inter Mantinæos & Tegeatas armis certatum ad Laodiceam in Orestide, pugnatumque ancipiti Marte, & ambigua victoria, tropæumque ab utrisque erectum. Cum hyemis exitu autem, appetente jam vere Potidæa per insidias nocturnas tentata a Brasida, sed conatu frustraneo. Simul hyems finem habuit, & annus belli nonus.

THUCYDIDIS

LIBER. V.

Annus belli Peloponn. x surgens.

ÆState proxima annuæ induciæ exiere ad Pythia: quibus durantibus Delii ex insula sua submoti sunt ab Atheniensibus propterea quod putarentur veteri piaculo esse obnoxii; per quod rite sacrificare non possent, nec satisfactum rei existimaretur expiatione priore. His vero exterminatis sedes in Asia tributa Atramytteum. At Cleon persuasis Atheniensibus suis finito induciarum tempore cum classe navium XXX, & copiis militum Atticorum MCC. equitum CCC, ac sociorum plurium in Thraciam vela ventis dans Scionen tum adhuc obsessam primum appulit, assumptisque illic militibus pluribus petitoque portu Colophonio Toronæ vicino, cum ex transfugis ibi cognovisset, nec satis præsidio munitam esse Toronam, & abesse Brasidam, ad eam invadendam exercitum rapuit itinere terrestri, simulque naves decem ad urbis portum circummisit. Primum vero incurrens in murum novum, quem urbi nuper circumdederat Brasidas ad suburbium cum urbe conjungendum, sublato ea parte muro vetere, causam dedit præsidii Laconici præfecto, ut istuc ei occurreret, murumque tueretur. Sed is cum fortiter ab Atheniensibus submoveretur, & pariter a navibus in portum circumvectis timeret urbi milite præsidiario, quem secum traxerat, nudatæ, metueretque ne circumventus in potestatem hostium veniret, subito recurrit in ipsam urbem, sed jam a classiariis occupatam. Quapropter cum a tergo quoque premeretur ab iis, qui in suburbium jam penetraverant, & nunc per dirutum murum veterem in ipsam etiam urbem irrumpebant, & repugnantes Lacedæmonios Toronæosque cædebant, cum multis aliis captus ab iisdem est. Brasidas cum subsidiariis accurrens cum non longe abesset, de re gesta certior factus rediit illuc, unde accurrerat. Fœminæ Toronæorum cum pueris in servitutem a Cleone redactæ, ipsi cum Lacedæmoniis, & Chalcidensibus numero DCC Athenas missi E quibus Lacedæmonii ex legibus fœderis postea dimissi, reliqui per Olynthios permutatione captivorum instituta liberati. Tum Anactum Atheniensium castellum in confinibus positum, per proditionem a Bœotis interceptum. Cleon vero Toronæ præsidio relicto, quasi Amphipolim petiturus Athon montem circumvectus est, & tres legati, in quibus Phæax, in Italiam & Siciliam ab Atheniensibus missi. Leontini quippe post abitum Atheniensium ex Sicilia in seditionem intestinam fuerant versi: plebs divisionem agrorum meditans, a primoribus auxilio Syracusanorum, urbe pulsa, & varie per insulam dispersa: primores cum Syracusanis pacti, relicta patria Syracusas migraverant, dein plerique pœnitentia ducti in agro Leontino loca quædam munita occupaverant, & confluentes ad se plebeios exules receperant, ac armis vicina infestabant. Hinc magna rerum in Sicilia perturbatio. Ad has igitur res componendas a suis missus Phæax, & ad Siculos, si posset, contra Syracusanos ad nimiam potentiam aspirantes concitandos, cum Camerinam & Agrigentum venisset, his quidem, quod voluit persuasit, a Gelois autem tale responsum tulit, ut de reliquo profectu desperans inde Catanam recta redierit, ac Catana Italiam repetiverit. Ibi civitatibus nonnullis de amicitia Atheniensium appellatis, & Locren-

A sibus conciliatis, haud multo post Athenas rediit. Interea Cleon Eionem pervectus Stagirum haud procul inde distitam Andriorum coloniam invasit, sed spe sua falsus Galopsum coloniam Thasiorum petiit, eamque cepit, evocansque ex Macedonia ac Thracia copias auxiliares, Eione interea, dum illæ venirent, consedit. Quæ audiens Brasidas, & ipse, copiis suis ex Thracia & Edonibus ac Myrciniis & Chalcidica regione ita, ut res tum dabat, auctis, Cerdylium insedit. Locus is est trans fluvium editus in agro Argiliorum non procul Amphipoli situs, ex quo omnia oculis in ea vicinia subjecta erant, ut ne quidem castra movere igno-

B rante Brasida Cleon videretur posse. Arbitrabatur autem Brasidas, cum solis his, quas tum præsentes habebat, copiis contemnentem copias Laconicas Cleonem Amphipolim esse progressurum. Ipse vero quamvis numero militum fere æquaret exercitum Atticum, tamen viribus se imparem illi esse rebatur. Nam non promiscuam turbam secum eduxisse Cleonem, sed ex solis civibus Atticis constantes ordines, & his robur ipsum Lemniorum ac Imbriorum junxisse noverat. Quos autem e Thracibus & vicinis ipse repente conflaverat, magis ut sinebat necessitas, quam res poscebat, armati in-

C structique erant. Itaque arte ac ingenio utendum sibi hoc tempore existimabat. Cum igitur ex Cordylio, ubi cum mille quingentis delectis, velut in specula erat, reliquis omnibus cum Clearida Amphipoli locatis, Cleonem a militibus ignaviæ ejus, uti præ se ferebant, pertæsis, & vix dignum judicantibus qui sibi imperaret, incitatum Eione se movere conspexisset, confestim loco relicto Amphipolim cum suis sese intulit. Atque illic videns, in tumulo urbi vicino editoque castra Cleonem habere, & securum agere (is enim animo ferox, qui successum rerum ad Pylum sapientiæ suæ imputabat, & nunc prodeunte nemi-

D ne, præ metu hostem intra mœnia se continere credebat nihil minus quam in aperto pugnandum sibi esse eo tempore arbitrabatur, & speculando urbis situi, qua in Thraciam vergit, contemplandisque fluvii Strymonis restagnationibus intentus maxime erat, eamque ob causam tantum illuc se venisse præ se ferebat, expectare vero se dicebat copias majores, non ut tutius contra hostem pugnaret, sed ut urbem corona cinctam cum ipso hoste invaderet) id in occasionem egregie vertit. Censebat autem si non universas copias simul statim oculis hostium subjiceret, atque ita infirmitatem suam nudaret, sed paucis primum raptis secum viris for-

E tibus inopino incursu ceu procella inexpectata hostes turbaret, mox cæteros etiam in eos turbatos immitteret, id sibi ad victoriam profore. Quare delectis CL sibi adscitis, cæteris vero Clearidæ tributis statuit erumpere, & hostes nec opinantes priusquam istinc discederent aut auxiliis augerentur, invadere. Prius vero quam hoc faceret, advocata militum concione, oratione præsenti rei accommodatissima ad fortiter agendum omnes est cohortatus: eaque oratione finita, confestim dispositis omnibus ad erumpendum sese paravit. Quibus per speculatorem Cleoni annunciatis, & ab ipso Cleone ex

F edito loco conspectis, is sine mora inde regressus, tum quod visum se iri metueret, tum quod omnino nollet ante adventum auxiliorum pugnare, protinus ad abeundum signum dari jussit. Simul præcepit iis, qui in lævo cornu erant, ut quasi id solum liceret, Eionem se referrent; ipse vero cum tardius hoc fieri animadverteret, dextrum cornu convertens nudumque se hosti exponens exercitum cœpit abducere. Quod eminus observans Brasidas, en, in fuga jam sunt hostes, ait. Nam quæ conspicimus, non pugnare volentium, sed in fugam

cum-

cuntium sunt signa. *Agite igitur, portas mihi sine mora has, quas jussi, aperite, ut quam celerrime fidentes in hostem feramur*. Et cum dicto per portas vallo proximas ac longi muri primas erumpens concitato gradu, in medios Athenienses, tum confusione sua, tum illius audacia turbatos ac perterritos recta impetum vertit. Mox & Clearidas, ut ei erat præceptum, portis Thraciis egressus in eosdem sese intulit: acciditque inexpectato subitoque illo incursu utrinque Athenienses turbari, & lævum cornu eorum, quod & ante cesserat, & a reliquis statim erat avulsum, Eionem versus in fugam effundi. Tum Brasidas in cornu dextrum se inferens vulneratus fuit graviter, collapsusque, non animadvertentibus id hostibus, a suis, qui proximi steterant, e pugnæ loco est elatus. Et dextrum quidem agmen Atticum constitit diutiuscule, sed Cleon, qui ab initio constituerat non persistere, confestim fugæ se dans a milite Myrcinio occupatus & interemptus est. Milites ejus armaturæ gravis in tumulum conversi conglobatique bis terve Clearidem irruentem sustinuere, nec prius cessere, quam a Myrcinio & Chalcidensi equitatu, peditibusque cetratis circumfusi, & jaculis eorum pressi, terga tandem verterunt. Tum universi fuga arrepta dispalati salutis quærendæ causa per varias vias montana cursu petiverunt, & qui eorum in primo conflictu, aut in fuga a persequentibus cæsi non sunt, Eionem repetiverunt. Brasidas spirans adhuc in urbem relatus cum suorum victoriam cognovisset, exspiravit. Exercitus reliquus cum Clearida Duce a persecutione reversus, cæsorum hostium corporibus spoliatis tropæum erexit. Post quæ omnes socii armis induti Brasidam sepulcro condiderunt ante urbis forum hodiernum: dein Amphipolitani septo monumentum ejus cinxerunt, variosque ei honores tanquam Heroi habuere, sacrificia & certamina anniversaria memoriæ ejus dicarunt: coloniam etiam suam nomini ipsius velut conditoris inscripserunt, ædificiaque Agnonis, & si quæ illius monumenta quasi coloniæ auctoris extabant, demoliti sunt, tum ut Brasidam servatorem suum agnoscere se demonstrarent, tum ut ob metum, quem ex Atheniensibus habebant, Lacedæmonios demererentur. Sic enim expedire rebus suis præsentibus existimabant. Cæsi tamen Atheniensibus ad sepulturam sunt redditi, qui numero fuere DC. cum e victoribus tantum cecidissent septem. Nec enim justum id prœlium fuit, in quo cædes facta. Sub idem tempus vergente jam æstate supplementum in Thraciam a Spartanis est missum militum DCCCC. Duce Rhamphia cum collegis duobus. A quibus in itinere, quæ Heracleæ Trachiniæ vitiose habebant, rectius sunt constituta. Factum ipso prœlii tempore: cum quo æstas illa finem habuit. Initio hyemis Ramphias cum collegis & copiis suis Pierium usque montem Thessaliæ progressus, cum illic Thessali itineri ejus se objecissent, & nuncius de morte Brasidæ eidem venisset, accedentibus quoque causis aliis, in quibus maxima erat, quod Spartanos suos ad pacem spectasse, cum domo proficisceretur, non nesciret, recta domum repetiit. Pars utraque bellum gerentium, velut fessi malis post rem ad Amphipolim gestam, & Ramphiæ reditum, quieti jam ad pacem inclinabant, movebanturque utrique multis & magnis rationibus quas prolixe & erudite recenset *Thucydides*, de rebus gravissimis lectorem monentes. Athenienses quidem clade ad Delium nuper, & nunc iterum ad Amphipolim correpti, non æque ac prius viribus & felicitati suæ didicerant fidere: ideoque qui ante nullam æquam conditionem admittere voluerant, tanquam de victoria certi, jam animis mutati erant,

A pœnitentia etiam tacti, quod opportunissima occasione post res ad Pylum gestas ab bellum bonis & honestissimis conditionibus finiendum non essent usi: Et metuebant hac adversa fortuna sua stimulatos elatosque socios plures a sese esse defecturos. Contra Lacedæmonii, qui speraverant brevi tempore vastando agro Attico hostes se fracturos, & bello finem maturum imposituros, experiebantur spe sua falsos se esse: Et calamitatem in insula nuper acceptam habebant ob oculos, & populatione agrorum suorum ex Pylo & Cythera, & transfugio Helotarum nupero haud parum angebantur. Quin & cæteros Helotas exemplum B priorum aliquando esse imitaturos, perpetuo metuebant. Adhæc quoniam fœdus suum cum Argivis prope in exitu erat, ne illi repudiata fœderis ejusdem prorogatione, cum Atheniensibus societatem coirent, valde timebant, quorum conjunctorum vires ob potentiam Argivorum, vicinorum suorum, sibi nimis graves futuras esse arbitrabantur: Nec satis fidebant sociis suis in Peloponneso, verentes eos quoque Argivis, si bellum existeret, esse accessuros: quod post factum. Sed nulla re magis incitabantur ad pacem faciendam, quam desiderio liberandi captivos suos ex insula abductos, quorum plerique C civitatis suæ primores erant, ac primoribus aliis sanguine juncti. Quæ eadem causa eos moverat, ut statim post cladem illam actionem de pace offerrent, quanquam tum studio inani, ob Atheniensium ex fortuna secunda sumptam ferociam. Quibus ad Delium nonnihil humiliatis inducias annuas cum iis fecerant, per quas sperabant ad pacem æquam perveniri atque ita captivos a se recipi posse. At victis demum ad Amphipolim Atheniensibus & Cleone ac Brasida e vita sublatis, qui maxime pacem distinuerant, hic vere pullus Martis, gloriam e bello quærens, ille vir animi turbidi, & latebras vitiorum suorum in bello aucupans; duo alii D suarum civitatum Principes per se quietis amantes Plistoanax Spartæ Rex, & Nicias Atheniensis, jam magis studia sua procurandæ paci intendebant, Quorum Nicias adhuc adversæ fortunæ expers eandem felicitatem, quod in pace quam in bello proclivius erat, conservare, & civitatem laboribus & periculis levare, atque ejus rei gloriam ad posteros transmittere cupiebat. Plistoanax vero obtrectationibus, & convitiis, quibus in bello, si quid adversi accideret, impetebatur, maxime movebatur. Habita itaque per hyemem colloquia de pace frequentia, & propinquante jam vere Lacedæmonii, E ut percellerent Athenienses, ac pacis avidiores redderent, de invadenda cum omnibus sociis regione Attica, & castello in ea muniendo famam quam latissime sparserunt. Tandem multis conventibus hujus rei gratia habitis pax inter partes convenit. Cujus princeps conditio fuit, ut quæ quisque hoc bello hosti eripuisset, ei restitueret, præ-„ ter Nisæam quam Athenienses ademptam Mega-„ rensibus retinerent, & Platæam, quam Platæen-„ sibus reddere Thebani recusabant: captivi etiam „ utrinque liberi sine pretio dimitterentur, Fœdus „ duraret in annos L. ac integre sincereque colere-„ tur terra marique. Interea vis omnis abesset: si „ F quid controversiæ existeret, id jure disceptaretur, „ & judicio determinaretur. Templorum & sacro-„ rum usus omnibus liber esset secundum ritus pa-„ trios. Quas civitates Spartani Atheniensibus essent „ reddituri, earum civibus abeundi inde cum o-„ mnibus rebus suis potestas integra permitteretur: „ a civitatibus tributum penderetur quod iis Ari-„ stides descripserat: cæteroqui *αὐτονομία* iisdem „ relinqueretur, nec arma inferrentur, si tributum „ descriptum solverent. Civitates recensentur hæ, „ Argilus, Stagirus, Acanthus, Scolus, Olynthus, „

„Spartolus. Hæ neutrius partis essent sociæ, nisi „sponte sua jungere se Atheniensibus vellent. Me-„cybernæi, Sanæi, Singæi, eodem essent jure, quo „Olynthii & Acanthii. De Scionæis & Toronæis „& Sermyliis statuere Atheniensibus quod vellent, „liceret. Peloponnesiis vero & aliis Spartanorum „sociis Scionæ obsessis discedendi potestas daretur. „Adjecta etiam conditio ut si qua neglecta esse forte „viderentur, aut in iis mutandis si quid minus com-„mode scriptum putaretur, ex partium communi „consensu sine læsione fœderis jus liberum esset. Et „addita his similia alia. In hæc omnia juratum est „solemniter ab Atheniensibus & Spartanis horum-„que sociis, exceptis Bœotis & Corinthiis & Eleis „& Megarensibus quibus fœdus hac forma non pla-„cebat. Decretum ut quotannis juramentum repe-„teretur, columnæque in Olympiis, Pythiis, Isthmo, „item Athenis in arce; Lacedæmone in Amyclæo „erigerentur. Tempus signatum, Ephoro apud „Spartanos Pleistola, mensis Artemisii die XXVI. Ar-„chonte Athenis Alcæo, mensis Elaphebolionis die „XXIIII. Demum subjecta leguntur eorum [1], qui „nomine suarum civitatum in fœdus hoc jurarunt, „& spoponderunt. Congruit hoc tempus, ait *Thucydides*, cum hyemis fine & veris initio, statim post Bacchanalia urbana, evolutis jam annis integris X. & diebus paucis a prima impressione hostium in terram Atticam, ac principio hujusce belli. Cum forte Spartanis obvenisset, ut prius captivos dimitterent, & occupata restituerent, de captivis statim fecerunt, quod debebant, sed in restituendis oppidis, quanquam ipsorum prompta esset voluntas, tamen Amphipolis in mora fuit, quam reddi Atheniensibus nec cives Amphipolitani volebant, nec Chalcidenses, nec socii alii permittebant, atque in Chalcidensium gratiam etiam ipse Clearidas Præfectus Spartanus primum in eo tergiversabatur. Et quanquam Spartani præsidium suum, ut quantum in se esset, ad fidem pactorum præstandam promptos se demonstrarent, parante Clearida ex urbe eduxerint, & multa istuc pertinentia alia fecerint, tamen Amphipolis ad Athenienses tum non rediit. Interea vero socii Lacedæmoniorum, quibus fœdus non placebat, Lacedæmone erant, & postulati subscribere conventis, negarunt rursum, hoc se facturos, nisi ea in nonnullis refingerentur. Quapropter iis dimissis Lacedæmonii prudenti cautoque consilio ad solos sese Athenienses retulerunt, ut hos ab Argivis & cæteris Peloponnesiis sejungerent, (nam istos cum his in societatem alioqui, quam sibi sine dubio perniciosam futuram rebantur, coituros haud immerito metuebant) habitisque cum his separatim colloquiis in fœdus annorum L. cum iisdem convenere. Fœderis leges præcipuæ fuere, *ut societas esset inter utramque civitatem, duratura in annos L. ut civitates hæ domi, hoc est, in regione patria bello pressæ a quovis hoste, sibi mutuo auxilia ferrent totis viribus injuriasque illatas vindicarent, & non nisi simul arma ponerent: nominatim si quis a servis Lacedæmoniorum contra dominos motus existeret, Athenienses Lacedæmoniis omni ope assisterent: hæc omnia bona constantique fide ac sine ulla fraude servarentur. Eadem juramentis quoque firmarentur: & sanctio horum renovaretur quotannis, a Lacedæmoniis Athenas euntibus ad Bacchanalia, ab Atheniensibus Lacedæmonem profectis ad Hyacinthia, tum columna ab utraque civitate statueretur, Lacedæmone ad Apollinem in Amyclæo, Athenis in urbe ad Minervam: his liceret addere aut demere quod videretur, ex consensu partis utriusque*. Subjecta dein nomina eorum qui jurarunt. Societas hæc arctior inita statim post fœdus commune. Ac tum Athenienses eos, quos in insula captos in custodia habebant, Lacedæmoniis restituerunt, cum initio scilicet æstatis cum qua surgebat surgens annus belli hujus undecimus, Ephoro apud Spartanos Plistola, Archonte Athenis Alcæo. Et pax quidem inter eos, qui pacti erant, constabat: Corinthii vero & quidam in Peloponneso alii turbandis pactis dabant operam; ac statim alia quoque commotio sociorum contra Spartanos extitit, atque adeo cum progressu temporis, cum quædam facerent Spartani pactis conventis non satis congrua, in sinistram suspicionem Atheniensium etiam ipsi incurrerunt. Et totos quidem sex annos, & menses decem eatenus pacta ab utrisque servata sunt, ut ab incursu mutuo in regiones suas abstinerent, sed interea alibi sibi invicem quam maxime infestæ fuerunt: donec tandem cogente jam re post decem annos rupto fœdere, in apertum bellum rursum ivere, cujus finis fuit imperii Attici eversio annis a belli initio exactis XXVII. Quæ quomodo acciderant *Thucydides* eodem ordine, quo priora, exposuit. Icto fœdere cum sociorum legati, qui Lacedæmone coierant, domos repeterent, Corinthii ex itinere Argos deflectentes, infensi Lacedæmoniis pessime fœdus eorum cum Atheniensibus infestissimis hactenus hostibus, apud quosdam civitatis ejus primores traduxerunt, demonstraruntque id percussum esse ad opprimendam libertatem Peloponnesi: ejus vero defendendæ curam ad Argivos potissimum pertinere; necessum esse ab his decretum scribi, ut civitates Græcæ, quæ velint, quæque liberæ ac sui juris sint, cum Argivis societatem ineant mutuæ opis præstandæ gratia: in hunc autem finem eligendos esse viros paucos cum potestate plena, nec statim referendam rem ad populum, ne emanet in vulgus cum periculo eorum, qui hæc agitant: Sine dubio multos huic societati odio Spartanorum esse assensuros. Corinthiis domum digressis res primum ad eos, qui in Magistratu erant, dein ad ipsum populum relata ita placuit, ut statim delecti sint viri XII. quibus potestas data feriundi fœderis cum quavis civitate, exceptis Spartanis & Atheniensibus, cum quibus non liceret nisi consulto & jubente toto populo Argivo. Fecere hæc eo pronius Argivi, quod & prospicerent, bellum sibi fore cum Spartanis, fœdere cum iis paulo post expiraturo, & sperarent principatum Peloponnesi sibi cessurum. Nam ut Lacedæmon eo tempore pessime audiebat, & ob clades acceptas contemptui erat, ita hi belli hujus Attici expertes, & parti utrique fœdere juncti, rebus suis interea non parum auctis, secunda fortuna florebant. Primi vero omnium Mantinei in Arcadia in fœdus cum Argivis convenere, metu belli a Laconibus, a quibus partem regionis Arcadicæ durante bello Attico aversam ad se traduxerant; quod non neglecturos illos rebantur: moti quoque potentia civitatis Argivæ perpetuo a Spartanis diffidentis, & statu ejus populari, quo & ipsi utebantur. Mantineorum exemplo excitati reliqui Peloponnenses, quod hos putarent plus se scire, & cæteroqui Spartanis succenserent, jactatis rumoribus eodem se quoque ferri indicia dabant. Offendebantur vero maxime, quod in fœdere Laconum cum Atheniensibus scriptum esset, licere salvo jurejurando ex consensu utriusque civitatis addere ac demere fœderi, quæ ipsis viderentur. Hæc enim verba ad servitutem Peloponneso ope Atheniensium imponendam spectare suspicabantur: dicebantque æquum omnino esse, si quid mutandum esset, ut id ad omnes socios, quorum interesset referretur. Atque hoc metu impulsi multi ad Argivos se contulerunt, & singulæ civitates sensim fœdus cum iis pecussere. Hac fama gliscente per Peloponnesum, & Corinthios rei auctores ferente, atque eosdem cum Argivis quoque in fœdus ituros perhibente, Lace-

1. Deest vox *nomina* aut simile.

dæmonii, ut rem istam anteverterent, legatos Corinthum misere, qui expostularent de eo, quod factum jam erat, & perjuros futuros Corinthios dicerent, si relicta societate Laconica Argivam amplecterentur, eosdemque jam nunc injurios esse eo ipso, quod fœdus cum Atheniensibus initum non admitterent, cum jam olim convenerit, id oportere ratum esse, quod plurimi sociorum decernerent, nisi a Diis aut Heroibus impedimenti aliquid obstaret. At Corinthii præsentibus sociis aliis, qui fœderibus etiam refragabantur, (hos enim jam ante advocaverant) regerebant, generatim quidem, nec ipsos Lacedæmonios fœdus implesse (non enim ademta Corinthiis loca curarant restitui) speciatim vero, non posse se socios in Thracia deserere. Nam quo tempore illi cum Potidæatis primum deficerent, a se privatim jusjurandum iis datum, & post quoque fidem suam se iisdem rursum obligasse: itaque juratam societatem se non violare, recusando fœdus Atheniensium. Nam per Deos juratam fidem cum sociis dederint, non posse se sine perjurio eos nunc prodere. Pactum quippe in fœderibus prioribus esse, nisi quid impedimenti sit a Diis aut Heroibus. Hoc vero, quod dictum jam, manifestum a Diis impedimentum sibi esse. Ad societatem Argivam quod attineret, se re cum amicis deliberata, facturos quod justum videretur.

Cum his domum repetivere Lacedæmonii. At Argivi, qui ibidem præsto erant, de fœdere secum feriundo & posthabenda dilatione, monuere Corinthios: & hi responderunt, ut ejus rei gratia in proximo concilio Corinthi se sisterent. Post eodem quoque venere ab Eleis legati, & societate primum cum Corinthiis inita, mox Argos ivere, & illic etiam cm Argivo populo fœdus conscivere. Nam Elei quoque ob Lepreum ad fines ipsorum situm, de quo contentio ipsis cum Lacedæmoniis extiterat, & ea contentione ad arma deventum fuerat, a Lacedæmoniorum vi sibi metuebant. Eleos statim in jungenda cum iisdem societate Corinthii & Chalcidenses in Thracia sunt secuti. Bœoti vero & Megarenses licet eadem de Lacedæmoniis quererentur, nec quicquam querendo proficerent, tamen nihil hujusmodi fecere. Nam cum paucorum imperio ipsi regerentur, utiliorem sibi Lacedæmoniorum societatem, quam Argivorum, qui statu populari utebantur, esse existimabant. Circiter idem æstatis istius tempus Scionæi tandem expugnati ab Atheniensibus sunt & puberes omnes necati, impuberes cum fœminis in servitutem redacti, ager totus colendus Platæensibus datus. Ab iisdem memoria cladium priorum stimulatis, & oraculo insuper Delphico monitis Delii in Delum reducti. Simulque bellum inter Phocenses & Locrenses coortum. At Corinthii cum Argivis Tegeam profecti urbem magnam Arcadiæ, qua sibi juncta sperabant omnem suis partibus Peloponnesum accessuram, summo studio conati sunt eam ad deficiendum a Lacedæmoniis inducere. Sed cum actum agere se comperissent, de aliorum quoque Peloponnesiorum defectione desperantes ad Bœotos se converterunt. Ab his petierunt, ut Athenas secum profecti efficerent, ut illæ decem dierum induciæ, quas ipsi statim post confectum fœdus L. annorum cum Atheniensibus pacti erant, Corinthiis quoque concederentur. Et hoc si abnuerent Athenienses, ut ipsi etiam Bœotii induciis istis nuncium remitterent, nec imposterum cum iisdem Atheniensibus paciscerentur sine Corinthiis. Ad hæc responsum a Bœotis, quod de societate Argiva posceretur, id se in aliud tempus differre. Athenas autem cum Corinthiis venientes de induciis dierum decem nihil impetrarunt, dicentibus Atheniensibus

A cum Corinthiis pacisci se non posse, nisi iidem Lacedæmoniorum essent socii. Et cum nihilominus induciis illis non renunciarent Bœoti, indignantes Corinthii, & querentes contra promissum id fieri, abierunt, ac sine pactione quietem cum Atheniensibus tenuere. Eadem æstate ob Parrhasios tumultuantes, & castellum in Cypselis contra Mantineos, quorum subditi erant, discordes Parrhasii, arma a Lacedæmoniis Ductore Plistoanacte Rege sumpta, & assertis in libertatem Parrhasiis, castelloque in Cypselis everso, posita. Helotæ quoque, qui sub Brasida in Thracia militaverant, Duce Clerida domum reversi libertate donati sunt, & paulo post cum aliis civibus novis, B orta jam cum Eleis dissensione in oppido Lepreo, quod in finibus Laconiæ & Elidis erat, collocati. Qui vero e Sphacteria insula captivi abducti fuerant, postliminio domum reversi, metu ne quid rebus gerendis admoti in republica turbarent, hac nota Spartæ sunt affecti, nec aut magistratus inire, aut emere vendereve quicquam iis liceret. Post tamen in integrum iidem sunt restituti. Tum quoque Thyssus in monte Atho Atheniensium socia a Dityiensibus [1] capta. Tota vero æstate commerciis inter se Athenienses & Peloponnesii sunt usi: quanquam statim post inita fœdera, ut dictum, mutuis suspicionibus sinistris cœperint laborare ob loca ex pactis hinc inde non restituta. Nec enim Lacedæmonii, qui priores redde- C re debebant, Amphipolim oppidaque alia restituerant Atheniensibus, nec efficiebant, ut socii per Thraciam, Bœotique & Corinthii fœderibus subscriberent, quamvis identidem dicerent se communi opera eos ad subscribendum esse adacturos, & tempus certum, sed sine syngrapha, præfinirent, intra quod, nisi subscriberent, profitebantur utrosque pro hostibus esse habendos. Quorum cum fieri nihil viderent Athenienses, suspicati sunt, dolo secum agere Spartanos, eamque ob causam nec Pylum poscentibus ipsis reddebant, & restitutorum captivorum, quos ex Sphacteria abduxerant, pœnitentia cœperant duci, retinebantque alia quoque oppida, donec facerent Spartani, quod ex pactis D facere tenebantur. Contra Spartani, facta jam esse a se, quæ facere potuerint, ajebant; captivos enim Atheniensibus reddidisse, ex Thracia milites abduxisse, nec omisisse quicquam, quæ suæ potestatis fuerint: Amphipolim vero reddere non esse potestatis suæ: De Bœotis & Corinthiis, deque Anacto & captivis in Bœotia se facturos promittebant, quod poscebatur. Pylum vero sibi restitui flagitabant, aut saltem Messenios & Helotas inde abduci, & locum custodiæ ipsorum Atheniensium, si vellent, committi. Denique post E multa colloquia postremum hoc obtinuere, Messeniique cum Helotis & transfugis Laconibus inde in insulam Cephaleniam sunt traducti. Sic æstas ista pacata Atheniensibus & Lacedæmoniis exiit. Hyeme sequente, cum alii jam apud Spartanos Ephori magistratum iniissent, diversi ab iis, sub quibus fœdera erant percussa, & quidam quoque eorum fœderibus adversi, venere Lacedæmonem sociorum legati præsentibus tunc ibidem quoque Atheniensibus & Bœotis ac Corinthiis, multisque utrinque jactatis re nulla confecta domum rediere. Tum Cleobulus & Xenares, qui ex Ephoris præcipue dissolvendis fœderibus incumbebant, privatis F colloquiis cum Bœotis & Corinthiis institutis summo studio eos hortabantur, ut Bœoti se primum cum Argivis sociarent, deinde operam darent, ut & ipsi & Argivi Lacedæmoniis fœdere jungerentur. Sic enim futurum, ut minime necessum habeant

1. Anno xv. vocat *Dictydienses*. Sed in Thucydide legitur Δικτιδιῆς : altera lectio per y tantum in margine.

Bœoti Athenienſium fœderi accedere: non dubitaturos eſſe Lacedæmonios inimicitia Athenienſium & diſſolutione fœderum, redimere amicitiam & ſocietatem Argivorum: noſſe ſe nihil magis in votis habere civitatem ſuam, quam in ſinceram ſecum amicitiam coire Argivos, exiſtimantem hoc modo non futurum difficile bellum extra Peloponneſum. Petebant vero, ut Bœoti Panactum Lacedæmoniis traderent, ut ipſi pro eo recepta ſi poſſent Pylo, facilius bellum Athenienſibus inferrent. Cum his Xenaris & Cleobuli, aliorumque, qui cum illis faciebant, mandatis Lacedæmone digreſſi Bœoti & Corinthii, ut ea ad ſuos referrent, in itinere occurrentes habuere duos longe Principes civitatis Argivæ, qui eos in via præſtolati fuerant, congreſſique ſermone cum iis hortati Bœotos ſunt, ut exemplo Corinthiorum, Eleorum, Mantineorum ſocietatem ſecum conſciſcerent: quo facto, facile fore concordibus vel bellum gerere vel fœdus ferire, ſi velint ſive cum Lacedæmoniis, ſive cum quovis alio. Grata hæc oratio Bœotis fuit congrua ſcilicet cum iis, quæ Lacedæmone ab amicis in mandatis acceperant. Quo animadverſo Argivi receperunt, ſe legatos hujus rei cauſa in Bœotiam eſſe miſſuros. Bœoti domum reverſi Bœotarchis ſuis, quæ Lacedæmone, quæ ab Argivis mandata acceperant, expoſuere. Bœotarchæ & probarunt hæc, & multo erectioribus animis propterea fuere, quod intelligerent eadem, quæ amici, quos Lacedæmone habebant, deſiderabant, impenſe quoque ab Argivis peterentur. Neque multo poſt adfuere illic Argivorum legati eadem illa ſolicitantes roganteſque: quos collaudatos Bœotarchæ domum remiſere, polliciti legatos ſe, qui de ſocietate jungenda agerent, Argos eſſe miſſuros. Interea viſum Bœotarchis, & Corinthiis, ac Megarenſibus, legatiſque ex Thracia, ex re communi eſſe, ut mutuo ſe jurejurando obligarent ad ferenda auxilia ei, qui petiturus, iiſque opus eſſet habiturus, deque bello non movendo finiendove aut pactione non facienda niſi ex communi voluntate & conſenſu, atque ita demum Bœoti & Megarenſes cum Argivis fœdus ſancirent. Verum priuſquam jusjurandum hoc daretur, Bœotarchæ de eo ad quatuor conſilia Bœotiæ, penes quæ ſumma rerum poteſtas erat, retulerunt, hortati eos qui in conſiliis ſedebant, curarent, ut jusjurandum hoc daretur civitatibus omnibus quæ in mutua auxilia conjurare vellent. At qui in conſiliis Bœotiæ erant aliud omnino cenſuere, metuentes offenſum iri Lacedæmonios, ſi cum Corinthiis, qui ab illis deſciverant, talis conjuratio iniretur. Non enim aperuerant iis Bœotarchæ, ſuaſiſſe hæc ipſos Lacedæmoniorum Ephoros, & amicos in ea civitate alios, ut ſcilicet cum Argivis & Corinthiis prius fieret a Bœotis conſociatio, ac deinde ſocietas jungeretur cum Lacedæmoniis: arbitrati nimirum, etiam ſine iſtis expoſitis conſilia aliud non eſſe decretura, quam quod ipſi jam cenſuiſſent, & porro ſanciendum iis commendaſſent. Quod ubi ſecus evenit, Corinthii & qui ex Thracia, re infecta diſceſſerunt. Bœotarchæ autem, qui antea, ſi iſta perſuaderent conſiliis, tentaturi fuerant ſocietatem jungere cum Argivis, jam non amplius de Argivis ad conſilia retulere, nec legatos, uti promiſerant, Argos miſere: ſed incuria quædam, & cunctatio aut ſegnities eorum animis inſedit. Eadem hyeme Mecyberna, cui præſidium Atticum inerat, ab Olynthiis ſubito incurſu fuit occupata, & de reſtituendis locis, quæ nondum reſtituta erant, inter Athenienſes & Spartanos aſſidua colloquia ſunt habita. Sperabant vero Lacedæmonii, ſi Panactum reciperent a Bœotis Athenienſes, eoſdem ſibi Pylum eſſe reſtituturos. Quapropter miſſis ad Bœotos legatis petiere in hunc finem ſibi Panactum cum captivis Athenienſibus. Sed recuſarunt iis morem gerere Bœoti, niſi Spartani peculiare ſecum fœdus percuterent, quale cum Athenienſibus percuſſum habebant. Hoc reſponſo commoti Spartani, quamvis ſcirent ſine injuria Athenienſium id ſe facere non poſſe, cum cautum in fœdere eſſet, ne alteri ſine alteris aut paciſcerentur, aut bellum moverent, tamen deſiderio ardentes accipiendi Panacti, & per id recuperandæ Pyli, & ſimul ſtudio eorum impulſi, qui turbare fœdus Atticum cupiebant, cum Bœotis ſocietatem pepigere hyeme jam in ver deſinente, Bœotique confeſtim Panactum diruerunt, annuſque exiit belli hujus undecimus.

Annus belli Peloponn. XII. *ſurgens.*

Surgente jam vere Argivi cum nec legati Bœotorum uti promiſſum erat, venirent, & de Panacto exciſo, ac fœdere inter Lacedæmonios & Bœotos ſeparatim percuſſo fama loqueretur, veriti ſunt, ne ſoli a cæteris relicti videre cogerentur omnes cæteros in ſocietatem Lacedæmoniorum ſeſe conferre. Exiſtimabant enim a Lacedæmoniis perſuaſos Bœotos & Panactum excidiſſe, & in fœdus illud Attico ſimile conſenſiſſe, & hæc non neſciis Athenienſibus eſſe facta, ut ne ad fœdus quidem Atticum jam aditus pateret, cum ſpem prius foverent ex iſtorum diſſenſionibus, ſi fœdus cum Laconibus ſibi non prorogaretur, receptum ſe ad ſocietatem cum Athenienſibus habituros. Perplexi igitur, & metuentes omnium ſe bello ſimul petitum iri, qui prius animis elatis ſpreto Laconico fœdere totius Peloponneſi principatum ſibi promiſerant, quanta poterant feſtinatione legatos Lacedæmonem mittebant Euſtrophum & Æſonem, quos ſciebant illi civitati eſſe gratiſſimos. Hoc vero idcirco ab iis factum, quod ſperarent, ſi paciſci cum Lacedæmoniis poſſent, quomodocumque etiam res caderent, quietis ſibi vivere licere. Cumque ad colloquium ventum, contentio de Cynurio agro, vetere litis inter has civitates materia, conſenſionem aliquandiu diſtinuit. Ager is in confinibus utriuſque regionis ſitus erat duobus oppidis Thyrea & Anthena inſignis, quem colebant Lacedæmonii, ſibi vero deberi contendebant Argivi. Et licet initio ne audire quidem de eo quicquam vellent Lacedæmonii, tamen cum Argivos ei conſtantius inhærere viderent, eſſentque amicitiæ cum Argivis eo tempore cupidiſſimi, tandem conditionem de eo ſibi latam accepere, fœduſque inſtaurarunt in annos L. Conditio lata fuit hæc, ut durante fœdere, tempore commodo, quo neutra civitas bello aut morbo premeretur, de agro iſthoc prœlio decertaretur certa lege, agerque victoribus relinqueretur. Argivi juſſi ſunt domum redire, & de conditione ad populum referre: eaque a populo probata reverti Lacedæmonem ad Hyacinthia, & jusjurandum præſtare. Atque ita diſceſſum. Inter hæc legati tres a Spartanis miſſi ad Bœotos ad Panactum ab iis cum captivis Athenienſibus accipiendum, uti convenerat: traditique ipſis captivi, ut & Panactum, ſed dirutum; cui color a Bœotis prætenſus, quod dicerent ex antiquo pacto Panactum neutrorum eſſe, ſed commune parti utrique. Et captivos quidem, uti eos acceperant, legati Athenas adductos civitati reddiderunt, Panactum vero dirutum affirmarunt, atque hoc modo id quoque ſe reddere videri voluerunt, cum nihil inde hoſtile deinceps metuendum Athenienſibus eſſet. Hi vero iſtis dictis vehementer animis commoti & ira incenſi fuere. Putabant enim duplici injuria gravi ſe affici a Lacedæmoniis, tum quod everſum redderent Panactum, quod integrum reddere debebant, tum quod ſeorſim in fœdus coiiſſent cum Bœotis, (id e-

nim etiam jam cognoverant) cum antea polliciti essent, communi opera se eos, qui fœderi priori non assentirentur, ad assensum esse adacturos. Simul expendebant alia, quibus & fœdera a Lacedæmoniis violata, & se ab iis circumventos esse censebant. Atque has ob causas cum minime placido responso legatos dimisere. Id in occasionem vertentes, qui Athenis non bene fœderi Laconico volebant, ei turbando statim animum adjecerunt. Inter hos Alcibiades Cliniæ filius, juvenis ille quidem, sed dignitate majorum in primis illustris, non solum magis probabat fœdus cum Argivis, sed etiam elatione animi & contendendi libidine se Lacedæmoniis objiciebat. Nam concoquere non poterat, quod hi contempta ætate sua, & non habito honore vetusti juris hospitalis, quod ab avo suo repudiatum, ipse officiis in captivos e Sphacteria insula abductos instaurare sategerat, per Niciam potius & Lachetem fœdera pangere voluerant. Omnino vero id ad diminutionem honoris sui pertinere ratus, tum primum palam adversarii iis cœpit, clamavitque, nihil fidei in Lacedæmoniis esse: ideo eos cum Atheniensibus fœdus fecisse, ut Argivos pessundarent, deinde ab iis pessundatis in solos Athenienses verterentur. Simul, exorta forte dissensione inter Argivos & Spartanos, confestim privato nomine mittit Argos homines idoneos, monens ut Argivi quantocius possint, cum Mantineis & Eleis ad ineundam cum Atheniensibus societatem Athenas advolent: nam id jam maxime esse oportunum, & se omni studio ipsos adjuturum pollicetur. Iis auditis Argivi, cum etiam cognoscerent, adversa mente Atheniensium pactos esse cum Bœotis Lacedæmonios, gravemque inter istas civitates discordiam esse coortam, neglecta legatorum suorum cura, qui Lacedæmone ad conficiendum fœdus degebant, ad jungendam cum Atheniensibus societatem magis inclinarunt. Nam hanc civitatem a priscis etiam temporibus sibi amicam fuisse, & eodem secum reipublicæ statu populari uti cogitabant, & si bellum contra se existeret, eandem terra marique potentem sociam sibi contra hostes futuram reputabant. Nec mora, missi ab iis sunt Athenas ad jungendum fœdus legati, itemque ab Eleis & Mantineis. Eodemque festinantes venere a Lacedæmoniis Philochares, Leon, Endius Atheniensibus cum primis amici, veriti, hosce ira incitatos cum Argivis societatem esse juncturos: simul petituri pro Panacto reddito Pylum sibi restitui, & de fœdere Bœotico civitatem suam purgaturi, quod id in fraudem Atheniensium ictum non esset. Quæ dum in senatu agerent, dicerentque se cum plena potestate adesse componendi omnes controversias, Alcibiadi timorem injecere, ne si eadem in concione quoque jactarent, populum in sententiam suam pertraherent, atque a societate Argiva alienarent. Igitur hic insigni dolo eos ludificatus populo invisos fecit, & pessime traductis ipsis & ipsorum civitate, Argivorum causam & Eleorum ac Mantineorum eidem populo in concione comendavit. Sed terræ motu forte interveniente, priusquam ad suffragia deventum, nihil eo die est confectum. Postera concione Nicias ad dicendum progressus adhibitis omnibus rationum machinis a sententia Alcibiadis populum abduxit, persuasitque ut dilato tantisper Argivo negocio, ipse cum legatis aliis Lacedæmonem mitteretur, percontando, & serio urgendo cogniturus illic, quæ Lacedæmoniorum mens esset, an haberent in animo, Panactum ita, uti debebant, restituere, Amphipolimque & societatem Bœotorum missam facere; nisi forte Bœotii ex condicto accedere societati vellent, scilicet fas ne esset, nisi ex mutuo consensu cum quoquam pacisci: Dicturus etiam, sibi siquidem injuste voluissent agere, jam nunc cum Argivis societatem constare potuisse, quorum legati hujus rei gratia etiam tum Athenis morentur: & si qua alia hujusmodi. Missusque cum aliis Nicias accepta Lacedæmone dicendi potestate, ut reliqua omnia libere edisseruit, ita hic demum desiit, nisi Lacones Bœotis societatem renunciarent, persistentibus in recusando fœdere communi, se quoque cum Argivis & eorum amicis societatem inituros. Ad hæc responsum a Lacedæmoniis, ex sententia Xenaris Ephori, & reliquorum, qui cum eo sentiebant, (ea enim in conflictu vicerat) a fœdere cum Bœotis non se recessuros: rogante tamen Nicia, jusjurandum est renovatum. Metuebat enim Nicias, si nihil omnino eorum, quorum causa erat missus, conficeret, calumniis in reditu se petitum iri, (id quod etiam accidit) quia ipse auctor fœderis cum Laconibus audiebat. Eo vero domum reverso, cum intellexissent Athenienses, nihil Lacedæmone confectum, in iram versi, quod injuria se affici a Lacedæmoniis arbitrarentur, statim cum Argivis & eorum sociis, Eleis & Mantineis, qui adhuc præsentes erant, præcipuo studio Alcibiadis, fœdus & societatem consciverunt in annos centum: cujus formulam prolixam recitat Thucydides. *In ea cautum præcipue, ne se invicem fœderati læderent vi dolove: ut contra aliorum vim ac injurias, mutuam sibi opem ferrent pro viribus, atque in persequendis & vindicandis injuriis illatis adessent, nec cum hoste injuriarum auctore nisi ex voluntate & consensu communi bellum finirent: nec per fines suos transitum cuiquam armato bellum moventi similiter sine communi omnium consensu concederent: auxiliis stipendia solverent mittentes a die, quo ea venerint ad rogantes, in dies* XXX. *in reliquum tempus, si diutius uti iis voluerint, eadem penderent rogantes, pediti cuivis diurnos obolos Æginæos ternos, equiti vero drachmam Æginæam: imperium militare esset penes civitatem bello petitam & auxilia rogantem: sin alicubi communiter bellum esset gerendum, imperium quoque esset commune & æquale sociis omnibus. Reliqua formulæ sunt de modo, ac tempore & loco præstandi jurisjurandi, de fœdere columnis inscribendo in urbibus fœderatorum, demum de conditionibus aliis ex consensu sociorum omnium fœderi deinceps, si quæ ex usu ejus futuræ viderentur, addendis.* Hoc fœdere percusso nihil tamen derogatum fœderi, quod inter Athenienses & Lacedæmonios antea erat ictum. Corinthii autem, quanquam Argivorum essent socii, adscribi huic fœderi novo non voluerunt, quemadmodum nec in fœdus prius inter Argivos, & Eleos, ac Mantineos initum de communi bello ac pace habenda juramentum dedere, sufficere sibi dicentes priorem conventionem de mutuis auxiliis ferendis, nequaquam autem bello cuiquam cum aliis inferendo. Atque hoc quidem modo desertis his sociis ad Lacedæmonios rursum animos inclinarunt. Hac eadem vero æstate ludi Olympici sunt celebrati, in quibus Androsthenes Arcas pancratii primam palmam tulit; Lacedæmonii vero ab Eleis templo & sacrificiis & certamine sunt prohibiti ob non solutam mulctam bis millium minarum, in quam ex lege Olympiaca ab Eleis erant condemnati, propter militem in Phyrcum castellum suum, & Lepreum oppidum a Lacedæmoniis tempore induciarum Olympiacarum immissum. At Lacedæmonii per missos legatos protestati sunt, non juste se condemnatos esse contendentes: quippe nondum denunciatas sibi inducias fuisse, cum militem mitterent. Id vero inficias ire Elei, affirmareque jam tum inducias constitisse: ac Lacedæmonii

rursum contra niti, Elei autem suam sententiam tueri, & conditiones certas de Lepreo ac multa Lacedæmoniis deferre, hi vero eas non recipere: postremo cum finis contendendi alius non esset, persistentes in proposito Elei Lacedæmonios templo, sacrificio, certamine arcuerunt, Lacedæmonii domi sacrificarunt, reliqui Græci spectacula obiverunt, exceptis Lepreatis. Interim veriti Elei, ne forte vi utentes Lacedæmonii sacra facerent, armata juventute sua templo custodiam posuere, accessereque ei mille Argivi, & totidem Mantinei, & equites Attici qui Argis festum præstolati fuerant. Totam vero hanc panegyrin ingens terror invasit a Lacedæmoniis, ne hi armis sumptis accurrerent; in primis postquam contigisset Licham Lacedæmonium in ipso solemni certamine a lictoribus verberibus cædi tuentem [1] honorem suum in jurgio de victoria bigarum, quam aurigæ suo qui pro ipso decurrerat, deberi contendebat. Sed quiescentibus Lacedæmoniis sine alio motu festum ludricum est finitum. Post festum hoc Argivi, & eorum socii Corinthum venere sollicitaturi civitatem, ut in partes suas concederet: sed quod præsto essent Spartani legati, multis de re jactatis sermonibus commota forte terra, domum omnes repetivere. Nec quicquam amplius ea æstate actum. Hyeme secuta arma ab Ænianibus, Dolopibus, Meliensibus, & parte Thessalorum contra vicinos Heracleotas Trachinios sibi invisos & in detrimentum suum a Spartanis illic collocatos, quosque fere pro anniversariis hostibus habebant, rursum sunt mota: & pugna conferta victi sunt Heracleotæ, multique eorum cæsi, & in his eorundem præfectus Xenares Lacedæmonius. Exiitque hyems, & belli hujus annus duodecimus.

Annus belli Peloponn. XIII. *surgens.*

Æstatis sequentis principio Heraclea eadem ex clade recenti ægra, ejecto Hegesippida Lacedæmonio, velut non bene res administrante, a Bœotis est occupata. Hi quippe metuere se præ se ferebant, futurum ut Lacedæmoniis rebus Peloponnesi distractis urbs hæc ab Atheniensibus interciperetur Quod quamvis speciose diceretur, non tamen efficere potuit, quin factum Lacedæmoniis displiceret, ac eorum iram mereretur. Per eandem æstatem Alcibiades auspiciis Atheniensium, assumtis non magnis copiis Atticis, iisque opera Argivorum sociorum in itinere auctis, pervadens Peloponnesum cum Patras venisset cum Patrensibus egit de muro istinc ad mare usque excitando, ipseque de muro alio ad Rhium Achaicum extruendo secum constituerat. Sed in auxilium concurrentibus Corinthiis & Sicyoniis atque aliis quibus noxii futuri muri erant, res est impedita. Mox & in Epidaurios ex consilio Alcibiadis ob levissimam causam ab Argivis, prætextum modo quærentibus, bellum est paratum. Nam Epidauro in potestatem redacta tutiores a Corinthiis eo latere futuri Argivi videbantur, & ad submittenda auxilia breviorem ex Ægina Athenienses habituri trajectum, Scyllæi circumnavigatione jam non necessaria. A Lacedæmoniis etiam sub imperio Agidis Regis universus exercitus versus Leuctra Laconiæ eductus, ignorantibus omnibus etiam iis qui in commilitio erant, quo ducerentur. Sed quia litari recte in finibus regionis non poterat, exercitus domum est reductus; sociis vero indictum, ut post instantem Carneum mensem Doriensibus ob festa frequentia sacrum ad expeditionem rursum parati essent. Iis domum regressis, Ar-

1. Et obscurat narrationem Thucydides, & veram præcipuamque causam omittit; Græca clara sunt: ὅτι νικῶντος τοῦ ἑαυτοῦ ζεύγους καὶ ἀνακηρυχθέντος Βοιωτῶν δημοσίου, κατὰ τὴν οὐκ ἐξουσίαν τῆς ἀγωνίσεως προσελθὼν ἐς τὸν ἀγῶνα, ἀνέδησε τὸν ἡνίοχον, βουλόμενος δηλῶσαι ὅτι ἑαυτοῦ ἦν τὸ ἅρμα.

A givi die XXVII. mensis ejus, qui Carneum præcedit, quamvis sibi festivo ex urbe sua egressi in agrum Epidaurium incurrerunt, eumque populationibus assiduis vastarunt. Epidaurii hoc modo pressi, socios poposcerunt auxilia. Sed horum alii mensem festum prætexebant, alii ad confinia accedentes illic quietem agebant. Quæ dum hic fierent, legationes civitatum Mantineæ coierant procurantibus Atheniensibus. Ubi cum multa sermonibus jactarentur, Ephamidas Corinthius sermones istos dixit cum factis non congruere: nam de pace verba in consessu præsenti fieri, at Epidaurios sociosque & Argivos in acie stare oppositos: itaque dimittendos primum B istos utriusque partis exercitus, & tum de pace rursus differendum. Atque ita factum: exercitus Argivus ex agro Epidaurio statim abductus: rursumque legati civitatum congressi, sed incassum de componendis rebus ab iis laboratum. Itaque Argivi in agrum Epidaurium reversi, agerque late iterum vastatus. Et rursum Spartani in expeditionem egressi ad Caryas, sed ob eundem litandi defectum denuo domum sunt reducti. At Argivi evastata tertia agri Epidaurii parte ad sua quoque se recepere: idemque fecere Athenienses mille auxiliares cum Duce suo C Alcibiade, cum Spartanos ex itinere regressos esse, nec sua jam amplius opera opus esse Argivis cognovissent. Et cum his æstas ista exiit.

Hyeme secuta, a Lacedæmoniis trecenti præsidiarii Duce Agesippida frustratis Atheniensibus per mare in urbem Epidaurum, sunt immissi. Quod indigne ferentes Argivi, graviter Athenienses incusarunt, quod cum cautum fœdere esset, de transitu per fines sociorum hostibus non concedendo, ipsi per mare curæ suæ commissum transire præsidium hostile sivissent, dixeruntque injuste eos facturos, nisi Messeniis rursum & Helotis Pylum insidendam D traderent. His moti Athenienses, suadente maxime Alcibiade, & columnæ Laconicæ subscripsere, a jurejurando recedere Lacedæmonios, & e Craniis evocatos Helotas Pyli in præsidio constituerunt, qui vicina prædarentur. Cæteris vero ea hyeme quietis, solis vero Argivis & Epidauriis in bello perseverantibus nulla quidem ex proposito & præcedente apparatu pugna commissa est, sed insidiis & incursibus mutuis, ut fors ferebat certatum, & quidam hinc inde cæsi. At hyeme extrema ingruente jam vere, Argivi, putantes nudatam præsidio Epidaurum, eam admotis scalis repente adorti, sperantes E vi se eandem expugnaturos, frustrati conatu suo se receperunt. Cum hoc exeunte hyeme finem etiam cepit decimus tertius hujus belli annus.

Annus belli Peloponn. XIIII. *surgens.*

Æstate, quæ secuta fuit, jam adulta, Spartani cernentes Epidaurios socios suos cum fortuna conflictari adversa, reliquaque Peloponnesi aut defecisse, aut male esse affecta, veritique, ni quam celerrime anteverterent, omnia in deterius esse itura, universi ipsi & Helotæ in Argivos arma sumpsere Duce Agide Archidami filio Rege: cum iis vero in F expeditionem iere Tegeatæ, cæterique Arcades Lacedæmoniorum socii. Alii earundem partium intra extraque Peloponnesum, Phliunte in agro Sicyonio conveniebant. Quorum Bœoti erant quinquies mille gravis armaturæ, & totidem armati levius, equitesque quingenti, totidemque qui equos non habebant: Corinthii bis mille armis gravibus instructi: alii pro virium modo. Phliasii vero quia in ipsorum regione exercitus coibat, omnes in armis erant. Argivi autem & ante præsentientes hæc, & tum maxime, cum jam Lacedæmonii Phliuntem peterent, ut se cum cæteris conjungerent, suas quoque copias expedierunt. Auxilio ipsis erant Man-

tinei cum sociis suis, & Elei ter mille graviter armati. Progressi igitur Lacedæmoniis occurrunt ad Methydrium Arcadiæ. Ibi ab utrisque colle occupato, Argivi ut solos Lacedæmonios invaderent, ad pugnam se parabant: sed Agis noctu motis castris hoste non animadvertente Phliuntem contendit. Quo intellecto cum prima luce Argivi Argos festinant, deinde ea via, qua Spartanos cum sociis iter habituros putabant, Nemeam petunt. Agis vero posthabita via ea, denunciataque voluntate sua Lacedæmoniis & Arcadibus ac Epidauriis, itinere alio asperiore in campestria Argivorum descendit. Corinthii quoque & Pellenenses ac Phliasii diversa via editiore incedebant. Cæterum Bœotis ac Megarensibus & Sicyoniis mandatum erat, ut qua Nemeam itur, proficiscerentur, ubi Argivi consederant, ut si hi contra Lacedæmonios in campestria irent, ipsi equitatu immisso eos persequerentur. His hoc modo constitutis Agis, campestria jam tenens, proxima quæque cœpit invadere. Argivi vero hoc edocti ad ferendam opem rebus suis properantes, cum jam illuxisset relicta Nemea incurrerunt in Phliasios & Corinthios, pugnaque contracta, Phliasiorum non multos occiderunt, a Corinthiis ipsi non multo majore numero cæsi sunt. Et Bœoti quidem, ac Sicyonii, Megarensesque ut erant jussi, Nemeam contenderunt, sed digressos jam Argivos ibidem non invenere. Hi vero cum sua agi, ferri, vastari viderent, in plena [1] jam demissi acie directa ad pugnam se accinxerunt: idemque ex adverso fecere Lacedæmonii. Mirum vero, tum quod accidit. Argivi quippe undequaque ab hostibus cincti in eorum medio claudebantur. Nam Lacedæmonii cum suis ab urbe eos discludebant, superne Corinthii, Phliasii, Pellenei, a Nemea Bœoti, Sicyonii, Megarenses coercebant. Et erant iidem Argivi equitibus destituti. Soli namque sociorum Athenienses nondum advenerant. Et tamen Argivorum sociorumque vulgus non tam grave censebat præsens periculum, quin imo præclaræ occasionis esse rebatur, Lacedæmonios in regione sua, & ad urbem suam prœlio invadere. Verum cum ab utroque exercitu jam tantum non concurreretur, ecce viri duo ex Argivorum acie progressi, Thrasyllus e quinque Ducibus unus, & Alciphron Lacedæmoniorum hospes, petito Agidis colloquio, ei suasere, ne sineret pugnam committi: nam Argivos ad omnia æqua danda ferendaque esse paratos, si quid requirerent Lacedæmonii, cupereque deinceps inito fœdere pacem servare. Et hæc quidem illi ex se injussu vulgi: Agisque admissa hac oratione, neque re cum pluribus neque secum ipso satis consultata, adhibitoque in consilium tantum uno e militiæ Proceribus in inducias quadrimestres consensit, quibus durantibus istos præstare oporteret, quæ jactaverant. Statimque inde exercitum abduxit cum nemine omnino sociorum locutus. At Lacedæmonii sociique imperio quidem ejus ob metum legis obsequebantur, sed inter se mussantes gravissime eum criminabantur, quod cum percommodam copiam pugnandi secum hostes fecissent, iidemque ab omni parte peditatu equitatuque circumdati essent, tamen nulla re gesta tanto apparatu digna abscederetur. Nam exercitus ille omnium speciosissimus & instructissimus e Græcis coiverat ad istam usque memoriam: præsertim cum in Nemea stativa haberet. Nam illic universæ copiæ erant Laconicæ, & Arcades, Bœoti, Corinthii, Sicyonii, Pellenei, Phliasii, Megarenses: & hi quidem omnes ex singulis civitatibus delecti validissimi quique, qui pares esse posse, non solum, ut cum Argivis, eorumque sociis,

A sed etiam cum adjunctis quibusvis aliis decertarent, viderentur. Itaque digressi dilapsique omnes ad suos stomachi pleni in Agidem. Major vero etiam Argivorum fremitus fuit in suos illos, qui sine jussu & voluntate reliquorum hujusmodi sponsionem iniissent. Arbitrabantur enim nunquam oportunius oblatos sibi Lacedæmonios e manibus suis evasisse, utpote ad ipsam urbem suam cum sibi sociisque non multis solum sed & fidis ac fortibus pugnandum contra eos fuisset. Itaque ad urbem reversi, in Charadre, ubi militaria judicia antequam urbem ingrederentur, solebant exercere, Thrasyllum lapidibus cœperunt petere: mortique B eum sine dubio dedissent, nisi ipse ad aram vicinam confugiens periculo se exemisset. Attamen bona ejus ab iratis sunt publicata. Post vero cum supervenissent auxiliares Athenienses mille pedites gravis armaturæ, & trecenti equites, quos Laches & Nicostratus ductabant, Argivi, quibus animus erat, qualiacumque pacta cum Lacedæmoniis inita servare, discedere eos jusserunt, ne populi quidem conveniendi potestate iis concessa, priusquam Mantinei & Elei, qui adhuc aderant, intercedentes precibus suis eam extorsissent. Tum illi admissi, præsente etiam Alcibiade, civitatis suæ lega-C to, Argivis sociisque demonstrarunt, ea, quæ inita essent pacta, haud recte inita esse: & nunc, quia ipsi in tempore adsint, bellum esse resumendum. Nec irrita eorum oratio fuit. Nam ab omnibus statim Orchomenum Arcadiæ itum est, exceptis solis Argivis: qui & ipsi tamen paulo post cæteros sunt secuti. Mox universi castris ibi positis Orchomenum obsidione cinctam oppugnabant, cupientes inprimis eam in potestatem redigere, tum alias ob causas, tum quod Arcadum obsides illic a Spartanis depositos esse nossent. Orchomenii vero infirmis muris suis diffisi, & hostium multitudine in timorem dati, & priusquam quisquam ip-D sis succurreret eversum se iri metuentes, pacti societatem cum hostibus, obsides [2] dedere Mantineis, & quos illic deposuerant etiam tradiderunt. Tum inter socios deliberatum, quo jam primum ducendus esset exercitus, itumque in diversas sententias, Eleis Lepreum, Mantineis viciniorem Tegeam deposcentibus. Quorum postulatum cum vicisset, indignati Elei relictis sociis domum repetivere. Cæteri Mantinei ad invadendam Tegeam se accinxere, præsertim cum spes ipsis fieret proditionis in urbe a Tegeatarum nonnullis paratæ. Lacedæmonii interea post exercitum Argis abductum ira in Agidem sævierunt, quod tam præ-E claram oportunitatem occupandæ urbis Argivæ neglexisset, tantis talibusque copiis auxiliaribus instructus, quales reparari haud facile possent. Orchomeni vero deditione nunciata, magis adhuc animis commoti, iraque incensi, præter morem civitatis statuerunt, domum ejus demoliri, & in centies mille drachmarum mulctam eum condemnare. At illo deprecante, & promittente, insigni se facinore commissum id esse correcturum, dicentique, ni promissum præstaret, integrum populo fore decretum hoc idem exequi, utrumque quidem remissum ei tum fuit, sed lex nova roga-F ta est, de decem Spartiatis designandis, quorum consiliis ille semper uteretur, sine quibus nec exercitum ex urbe educere fas ei esset. Quæ dum Spartæ fiunt, nuncius Tegea advolat, in periculo summo rem esse, ne civitas hæc in partes Argivorum sociorumque concedat, nisi quam celerrime ei succurratur. Statimque Lacedæmonii assumptis in commilitium Helotis populatim [3] exeuntes, majore festinatione quam unquam alias, auxilia expediunt: Arcades suarum partium coire, & Ore-

1. Voluit *plana* καταβάντες.
2. Apertiora sunt Græca, ὁμήρυς σφῶν τε αὐτῶν δοῦναι, ἢ Μαντινεῦσι καὶ οὓς κατέθεντο Λακεδαιμόνιοι, παραδοῦναι.
3. Πανδημεὶ, & mox ἐρέσιον.

A ſtium Mænaliæ, quo ibant ipſi, ſequi ſe jubent. Et cum veniſſent omnes, partem copiarum ſextam conſtantem ex iis, qui ætate majores ac minores erant, domos remittunt, ut illic in præſidiis eſſent: cum reliquo exercitu Tegeam contendunt. Simul ad Corinthios, Bœotos, Phocenſes, Locros mittunt, poſcuntque ut ſine mora & ipſi in auxilium Mantineam venire properent. Sed cum id inopinato ipſis ſignificaretur, non potuit quidem hoc expediri tam celeriter, propterea quod colligi ipſos, & ſe mutuo præſtolari, atque ita conjunctos per hoſtium fines intermedios tranſire oporteret, attamen quanto potuit ſtudio res eſt ab ipſis maturata.
B Interea Lacedæmonii cum ſociis Arcadibus agrum Mantineum ingreſſi, caſtris ad fanum Herculis locatis, proxima quæque iſtius regionis populationibus affligunt. Quos conſpicati Argivi, & qui erant cum iis, occupato loco edito, & acceſſu difficili, aciem velut ad pugnam parati inſtruunt. Statimque in eos quoque euntes Lacones, cum non longius jam, quam lapidis telive jactu abeſſent, e ſenioribus aliquis videns in locum arduum ſuos contendere, Agidem inclamat, dicitque an animus ei ſit, malum malo ſanare? innuens ſcilicet, infamem ab urbe Argiva diſceſſum intempeſtiva hac & temeraria audacia penſare.
C At Agis ſive increpatione hac, ſeu qua alia cauſa motus ſine mora, ante manus conſertas exercitum retrahit, & in Tegeæ fines regreſſus aquam ſtagnantem in agrum Mantineum derivat, materiam litis & belli inter Tegeatas & Mantineos, valde noxiam nimirum iis, in quorum regionem incumbit. Id vero conſilii hac in re ſecutus eſt, ut ſi prohibendi cauſa hoſtis hoc audiens e loco arduo deſcenderet, in plano ſecum pugnare eum cogeret. Atque ipſe quidem eo loco, ubi aquæ decurſui via aperiebatur, totum illum diem conſtitit. Sed Argivi cum ſociis repentino illo Laconum regreſſu primum obſtupefacti, &, quid is ſibi vellet, plane ignari, dein
D cum ii ex conſpectu procul abiiſſent, ipſique etiam non perſecuti eos quieti ſeſe dediſſent, tum vero in Duces ſuos rurſum cœpere ſtomachari: iſtos ſcilicet qui nuper ad Argos pulcherrimam concidendorum Laconum occaſionem e manibus ſibi elabi ſiverint, nunc eoſdem Lacones fugæ ſe dantes haud perſequi, ſed otium agendo iſtos quidem præſtare incolumes, ſeſe vero fortunamque communem prodere. At Duces perculſi primum, dum calebat indignatio militum, dein e colle, quem inſederant, exercitu deducto, cum in planiciem deveniſſent, caſtra ibi poſuere, velut hoſtem invaſuri. Poſtridie acies ab iiſdem explicata, ut ſi copia daretur, pugnam cum hoſte
E committerent. Lacedæmonii vero a loco, ubi aqua derivabatur, in caſtra priora ad fanum Herculis reverſi cum conſpicerent iſtos repente ex colle digreſſos, & jam in acie ac pugnæ procinctu ſtantes, tanto terrore correpti ſunt, quantum nunquam ante ipſi meminerant. Nam parandi ſeſe ac inſtruendi tempus non habebant, cogebanturque ſine mora ſuo quique loco conſiſtere, Agide omnia Imperatoris munia, uti lex jubebat, obeunte. Nam cum Rex Lacedæmonius exercitum ducit, omnia imperio ejus parent: ille polemarchis, id eſt, ſecundis in exercitu
F Ducibus quod facto opus, præcipit, hi ordinum ductoribus, iſti porro quinquagenum Præfectis, quinquagenum denique Præfecti Decurionibus, Decuriones vero ſinguli decuriis ſuis. Atque hoc modo imperia celerrime ad omnes perferuntur. Namque totus fere Lacedæmoniorum exercitus ex Ducum Ducibus ſive præfectorum præfectis conſtat, & cura eorum, quæ agenda ſunt, ad multos omnino pertinet. Tunc autem cornu ſiniſtrum *Sciritæ* (ſic appellabatur prætoria cohors ſexcentorum lectiſſimorum militum) ſibi ſumpſerant, qui ſoli Lacedæmoniorum eundem illum locum obtinere ſolent. Juxta hos milites, qui in Tracia ſub Braſida meruerant, & cum iis noviter civitate donati conſtiterant. Dein porro Lacedæmonii ipſi ordines obtinebant: tum Arcades Heræenſes, & poſt hos Mænalii. In dextro vero cornu Tegeatæ ſtabant, & pauci Lacedæmonii extrema tenentes: Equites utrumque cornu claudebant. Hæc *Laconum* acies. Ex adverſo cornu dextrum Mantinei obtinebant, quia in agro ipſorum res gerebatur. Juxta eos Arcades ſocii; dein Argivi mille delecti, quos civitas ſumptu publico ad res militares exercitos præbebat, & his proximi reliqui Argivi, ac ſecundum eos eorum ſocii Cleonæi & Orneatæ: dehinc Athenienſes poſtremi lævum cornu occupantes, & juxta ipſos collocati equites Attici. Hujuſmodi utriuſque aciei ordo atque inſtructio erat. Et Laconum quidem exercitus major apparebat. Numerum vero dicere horum aut illorum, aut omnino univerſorum in acie utraque, fuerit difficile. Laconum namque multitudo ex inſtituto civitatis, quæ occulere ſua gaudet, ignorabatur: illorum autem qui ferebatur numerus ob inſitam hominum ingeniis ſua augentium jactantiam, fidem non inveniebat. Veruntamen hac ratiocinatione ad ineundum numerum Lacedæmoniorum, qui tum in eo exercitu erant, quodammodo licet pervenire. Nam præter Sciritas, qui numero erant ſexcenti, cohortes ſeptem in pugna verſabantur: in qualibet vero cohorte ordines quinquagenum erant quatuor, & in quolibet horum ordinum manipuli quatuor, & ſingulorum manipulorum rurſus manipulares quatuor in primo jugo conſiſtebant. Sed manipulorum omnium profunditas non ſemper aut ubique eadem erat, ſed pro arbitrio eorum, qui ſingulis cohortibus præerant. Ut plurimum vero octonis profunditas iſta conſtabat. Univerſa autem aciei frons in longum porrecta, exceptis Sciritis, milites habebat quadringentos quadraginta octo. Cumque jam jam confligendum eſſet, ſinguli Duces ſuos ad fortiter gerendam rem exhortabantur, Mantinei, Argivi, Athenienſes, alii aliis rationum ſtimulis uſi excitandis ſuorum animis maxime accommodatis. At Lacedæmonii haud ignari, plus eſſe momenti in uſu & exercitatione aſſidua, quam in brevi verborum cohortatione, ipſi ſe mutuo ad virtutem ſecundum leges militares exſuſcitabant. Mox acierum concurſus factus, ab Argivis quidem ac ſociis vehementius & cum animorum fremitu: a Lacedæmoniis vero ſedatius & ſecundum modulamen tibicinum multorum, ex præſcripto legis per aciem diſpoſitorum, non religionis gratia, ſed ut ad eorum modulos æquis gradibus incedentes milites non confuſis ordinibus quod alioqui in magno exercitu difficile eſt, in hoſtem irent. In ipſo autem acierum congreſſu hoc conſilii iniit Rex Agis. Solet in omni congreſſu hujuſmodi fere fieri, ut cornua dextra ultra modum oppoſitorum ſibi cornuum ſiniſtrorum ſe extendant, eaque ab latere amplectantur. Nam dum ſinguli ſibi timent, partem ſui nudam, quam poſſunt maxime, ſcuto ejus, qui proximus a dextra adſiſtit, applicant, exiſtimantes ſcilicet, denſitatem hujuſmodi, qua mutuo ſibi latera claudunt, ad tegendum ſeſe contra hoſtium vim multo eſſe aptiſſimam. Hujus vero initium proficiſcitur ab eo, qui in cornu eodem primum locum occupat, dum connititur latus ſui nudum oppoſiti hoſtis ictui quam maxime ſubducere; cæteri autem eandem ob cauſam faciunt idem. Ac tum quidem Mantinei porrecto cornu ſuo haud parum Sciritas excedebant; multo vero magis Lacedæmonii & Tegeatæ Athenienſes ſibi adverſos, quo nimirum majores copias iſti habebant. Veritus igitur *Agis*, ne ſiniſtrum cornu ſuum a Mantineis ultra id porrectis circumdaretur, dato ſigno Sciritas & Braſidianos [1] ju-

1. Βρασίδειοι vocat Thucydides.

jubebat diducere atque extendere sese usque dum Mantineos exæquarent: complendo vero loco vacuo præcipiebat duas cohortes e cornu dextro a polemarchis duobus Hipponoida & Aristocle traduci. Arbitrabatur quippe cornu dextrum nihilominus adversos exsuperaturum, & sinistrum contra Mantineos futurum firmius. Quod ipsi & exercitui prope vertit in exitium. Nam cum in ipso procursu mandatum hoc ad polemarchos deferretur, hostesque etiam incurrendo eos anteverterent, ii tempore destituti facere id noluere (quod postea ignaviæ eorum imputatum exilii causa iis fuit) & Sciritæ non venientibus illis jubente eodem, in locum suum redire non potuere. Conflictu igitur facto Mantinei in dextro cornu fuderunt Sciritas & Brasidianos, & iidem cum sociis suis & Argivorum mille delectis in luxatam partem aciei hostilis impetum vertentes Lacedæmonios stravere, circumventosque ad usque curruum vallum eos persecuti multos seniorum in præsidio ibi positorum ceciderunt. Verum parte reliqua exercitus, maxime media in qua Agis ipse cum cohorte regia versabatur, Lacedæmonii in robur exercitus Argivi, & Orneatas, Cleonæosque & Atheniensium nonnullos illic locatos impetu facto, in effusam eos fugam statim dederunt, ut resistendi causa pene consisteret nemo. Qui vero in extimo cornu sinistro stabant Athenienses, a dextro cornu hostium, in quo Lacedæmoniorum pars & Tegeatæ agebant, circumventi, atque ab latere pressi, in summo periculo quoque versabantur: fuissentque sine dubio maxima clade præ omnibus in toto eo exercitu affecti, nisi ab equitatu proximo iis succursum fuisset. Accessit, quod Agis intellecta fuga & strage suorum, qui sinistrum cornu tenuerant, illico signo dato victrices copias suas omnes ad ferenda iis auxilia properare jusserit. Quo factum, ut nullo jam amplius premente pene sine labore Athenienses incolumes evaserint, & cum iis, qui proximi steterant, Argivi. Mantinei autem, & Argivorum mille delecti, paulo ante victores, supervenientibus victoribus Lacedæmonii, cedentes jam fortunæ terga quoque verterunt: cæsique sunt Mantineorum complures, Argivi vero plerique salvi abiere. Et hæc fuga nec concitata nec longa fuit. Lacedæmonii enim durante pugna & diu & valide in hostes incumbunt; in fugam autem versos nec diu nec vehementer persequuntur. Hæc est, ait *Thucydides*, pugna illa nobilis, qua nulla major inter Græcos, & quidem inter maximas & clarissimas Græciæ civitates multis seculis commissa fuit. Cædes tamen valde magna non est facta. Ex Argivis, Orneatis, Cleonæis ceciderunt DCC. Mantinei CC. totidem Athenienses & Æginetæ, cum utroque Duce suo. Lacedæmoniorum socii non multi periere: de ipsis Lacedæmoniis incertum: feruntur tamen occubuisse circiter trecenti. Victores tropæum statuere, spoliisque collectis cæsos victis reddidere ad sepulturam; ex sua vero parte peremptos Tegeam comportatos ibi sepulchris mandarunt. Plistoanax Regum Laconicorum alter e senioribus & junioribus auxilia suis adducens cum Tegeam jam pervenisset de victoria certior factus, domum repetiit. Similiter copiæ auxiliares aliæ a Corinthiis, & iis, qui extra Peloponnesum degunt, submissæ, ex itinere ad suos quoque remissæ. Ipsi Lacedæmonii domum reversi, dimissis sociis, festum Carneorum, cujus tum tempus advenerat, egerunt: iidemque ignaviæ probrum, ob calamitatem in insula acceptam, & simul imprudentiæ tarditatisque opinionem, uno hoc facto apud omnes Græcos diluerunt, existimatique sunt fortunæ iniquitate fuisse afflicti, animos tamen retinuisse eosdem. Pridie hujus prœlii, Epidaurii viritim [1] urbe sua egressi in agrum Argolicum defensoribus nudatum incurrerunt, & præsidiarios ab Argivis domi relictos, & in occursum se ferre ausos non parvo numero morti dedere. At Elei ter mille in subsidium Mantineis post prœlium submissi, itemque Athenienses mille præter eos, qui prœlio interfuere, juncti cum sociis cæteris simul omnes Epidaurum contenderunt, interea dum Lacedæmonii celebrandis Carneis vacarunt, distributisque inter se operis circumvallandi urbem, cessantibus reliquis soli Athenienses opus muniendæ arcis Junoniæ, quod ipsis obvenerat, absolverunt: eique imposito ab omnibus præsidio, singuli domos suas concesserunt: simulque æstas ista finem accepit. Initio hyemis sequentis, Lacedæmonii Carneis jam confectis in expeditionem ivere, & cum Tegeam pervenissent, miserunt Argos, qui de componendis controversiis commodos sermones proponerent. Erant autem in populo Argivo quidam jamdudum Spartanis amici, & mutandi status popularis in urbe percupidi, qui prœlio jam facto efficacius de paciscendo cum multitudine agere poterant. Horum mens erat, prius pacem facere cum Laconibus, dein fœdus cum societate pangere, & tum demum popularem statum abrogare. Venit autem Argos a Lacedæmoniis missus Lichas Arcesilai, hospes Argivorum, duas conditiones ferens, belli, si bellum vellent, aut pacis, si eam mallent. Et cum contentio vehementior orta esset (aderat enim forte Alcibiades Spartanis adversus) ii, qui cum Spartanis faciebant, jam apertius loqui ausi ad admittendas conditiones pacis a Spartanis propositas Argivos suos induxerunt. Conditionum formula hæc fuit. Placet concilio Lacedæmoniorum cum Argivis pacisci hoc modo. *Restituant Argivi obsides Orchomeniis, Mænaliis, Lacedæmoniis qui apud Mantineos sunt in custodia: Epidauro exeant, murumque ibi extructum demoliantur: si Athenienses Epidauro non decesserint, hostes habeantur Argivis & Lacedæmoniis & utrorumque sociis: si quos obsides pueros habeant Lacedæmonii, eos quoque civitatibus iis ad quas pertinent, reddant. Epidauriis permittatur, ut jurent per Deum suum, & ab aliis vicissim juramentum accipiant. Civitates in Peloponneso tam parvæ quam magnæ liberæ sint, secundum instituta patria: si quis eorum, qui extra Peloponnesum sint nocendi causa Peloponnesum fuerit ingressus, ei communi consilio, ea ratione quæ æquissima Peloponnesiis videbitur, resistatur: qui extra Peloponnesum socii sunt Lacedæmoniorum, eodem jure sint cum sociis utriusque civitatis Laconicæ & Argivæ, loco manentes suo: Hæc sociis suis significent Argivi, quibus si placuerint, pax sanciatur; sin minus, domum id referatur.* His primum ab Argiva civitate admissis, exercitus Laconicus domum est reductus. Post commerciis jam utrinque liberis, intercedentibus iisdem viris sic convenit, *ut Argivi dimissa societate Mantineorum, Eleorum, Atheniensium, fœdus & societatem jungant cum Lacedæmoniis, Factumque hoc in hanc sententiam. Placuit Lacedæmoniis & Argivis fœdus & societatem inter se habere in annos quinquaginta his conditionibus, ut æqua & convenientia judicia exerceantur secundum leges patrias: ut cæteræ civitates in Peloponneso huic fœderi & societati assentientes, liberæ sint & sui juris, suumque agrum singulæ teneant, more majorum, judiciisq; æquis & convenientibus locum dent: socii Lacedæm. extra Peloponnesum eodem jure sint, quo ipsi Lacedæmonii; similiter & Argivorum, quo Argivi, agrumque suum teneant: sicubi communi opus fuerit militia, Laced. & Argivi consultent statuantque, quod societatis ratione justissimum esse judicabunt: si quæ civitates intra extrave Pelo-*

[1] Iterum in Græco πανδημεί.

connexum de terminis aut quavis re alia inter se dis- A *senserint, id judicio definiri sinant: si qua civitas socia cum civitate alia litem habeat, ad civitatem aliquam se conferat, quæ utrique parti litiganti censebitur esse æqua: ut sociis jus dicatur secundum leges institutaque majorum.* Et hoc quidem modo inter istos lites, bellorum materiæ, quicquid alioqui controversum, fuere extincta. Iamque communibus rebus consulentes decretum fecerant, nec caduceatorem nec legatum Atheniensium esse admittendum, nisi ii relictis munitionibus Peloponneso decederent: nec paciscendum, bellandumve, nisi conjunctim. Et cum alias in res, tum in loca Thraciæ curas verterunt: & utrique legatis mis- B sis ad Perdiccam Macedonem, eum sibi socium conjuratum conciliare statuerunt. Sed is non protinus assensus est, quanquam ad Argivos respiceret, a quibus antiquitus originem generis sui ducebat. Simul etiam cum Chalcidensibus vetusta juramenta renovabant, & alios sibi obligabant. Tum missi quoque ab Argivis ad Athenienses legati postulatum ut Epidauria munitione decederent. Hi scientes, plures aliorum sociorum quam suos in præsidio illic esse, Demosthenem istuc miserunt, qui quovis modo eductis reliquis præsidiariis munitionem in suam potestatem redigeret, id- C que ille dolo insigni usus effecit. Athenienses vero postea restituto Epidauriis castello vetus cum iis fœdus instaurarunt. Mantinei etiam, cum Argivi a communi fœdere recessissent, primum quidem obnitentes, post tamen cum sine Argivis pares se non esse sustinendo bello intelligerent, etiam ipsi cum Lacedæmoniis pepigerunt, urbiumque quod tenuerant imperium dimiserunt. Tum & a Lacedæmoniis milites mille, totidemque ab Argivis Sicyonem adducti, ibique opera potissimum Lacedæmoniorum populi potestas in paucos est translata. Post quæ Argis etiam studio eorundem popularis status infractus, & imperium civitatis ad D paucos, quod statui Laconico erat congruentius, est traductum. Et cum hyeme desinente ver cœpit, exiitque annus belli hujus decimus quartus.

Annus belli Peloponn. xv. *surgens.*

Proxima æstate, Dictydienses, qui sunt in Atho monte, ab Atheniensibus ad Chalcidenses descivere, & Lacedæmonii in Achaia, quæ illic non recte ex commodo ipsorum habebant, in statum sibi utiliorem redegerunt. Populus vero Argivus, quem conditionis præsentis pœnitebat, sensim coitionibus factis, & resumpta fiducia, observatoque commodo tempore, quo Lacedæmonii exercendis E liberis suis corpore nudo decertantibus occupabantur, in paucos illos suos imperium tenentes insurrexere, & prœlio in ipsa urbe conserto victor extitit, & trucidatis aliis, alios urbe ejecit. Lacedæmonii autem ab optimatibus in auxilium vocati, in tempore adesse non potuere, quamvis suspenso certamine, quod in manu erat, ad opem ferendam se accingerent, & viæ se darent. Sed Tegeam ubi venissent, ibique de adversa optimatum fortuna facti essent certiores, nequicquam rogantibus iis, qui effugerant, progredi noluere, & domum reverii certamina solennia peregere. F At post cum eodem venissent tum ex urbe Argiva legati, tum ex ea profugi, & adessent quoque socii, multis ab utraque parte jactatis, judicatum quidem est, injuste facere populum Argivum, expeditioque in eum decreta, sed cunctando & differendo mora tracta. Populus vero Argivus a Lacedæmoniis sibi metuens, sarta rursum cum Atheniensibus priore societate, muros longos ab urbe ad mare porrectos, id quod magno sibi commodo futurum rebatur, cœpit extruere. Existimabat enim si terra prohiberentur, hoc modo mari commercia cum Atheniensibus & commeatuum importationem constare sibi posse. Et erant hujus rei consciæ etiam quædam in Peloponneso civitates, & in opere hoc construendo laborabant certatim omnes Argivi, viri, fœminæ, servi: veneruntque Athenis in idem opus fabri, lapicidæque, Et cum his æstas ad finem decurrit. Sequente hyeme Lacedæmonii cum cognovissent in extruendo muro satagere Argivos, educto exercitu & suo & sociorum, exceptis Corinthiis, qui se non moverunt, sub imperio Agidis Regis Argolicam invasere. Et habebant in ipsa urbe, quos subservituros conatui suo sperabant. Verum cum id non succedere animadverterent, in murum versi, totum id quod extructum erat, diruerunt, atque insuper Hysias, castellum Argolicæ, occuparunt, cunctosque ibi liberæ conditionis mares captos neci dederunt: moxque singuli domos suas redierunt. Deinde & Argivi in Phliasios exercitu ducto agrum eorum depopulati, ob exules suos, qui frequentes apud eos consederant, pedem quoque inde retulerunt. Eadem etiam hyeme Athenienses Perdiccam Macedonia exclusere insimulatum conjurationis cum Laconibus & Argivis contra se initæ & non præstitæ fidei ex fœderis lege, cum ipsi exercitum Duce Nicia contra Chalcidenses & Amphipolin in Thraciam mitterent, totiusque expeditionis istius, culpa ejus, in nihilum prolapsæ, ut non immerito pro hoste ipsis haberetur. Cum his hyems exiit, & cum ea annus belli hujus decimus quintus.

Annus belli Peloponn. xvi. *surgens.*

Æstate proxima, ab Alcibiade navibus xx. Argos vecto, ccc. ejus urbis cives, quos Laconismi suspicio gravabat, capti, & ab Atheniensibus in vicinas insulas ipsis parentes deportati, ibique custodiæ mandati sunt. Tum ab Atheniensibus in Melum insulam quoque occepta expeditio missa istuc classe navium suarum xxx. Chiarum sex, Lesbiarum duarum, eique armati impositi e civitate Attica MCC. sagittarii ccc. ex equo sagittis utentes xx. ex sociis vero & insulanis gravis ut plurimum armaturæ MD. Erant autem Melii Lacedæmoniorum coloni. Itaque Atheniensium imperio, ut insulani cæteri, subdere se nolebant: primoque quieti neutrarum partium se ferebant: dein, cum vi cogere eos agrorum populatione instituta Athenienses ordirentur, in apertum bellum incurrerunt. In id missi cum his copiis Cleomedes & Tisias Atheniensium Duces, positis in insula castris, priusquam vim facerent, legatos ad eos qui verbis eorum animos tentarent miserunt. Quibus cum concionem populi dare Melii recusarent, apud magistratus & optimates solos cujus rei causa advenissent exponere eos jusserunt. Secutaque est in isto consessu prolixa dissertatio de æquitate & jure partium, & quid utrisque expediret, prolixe a *Thucydide* recitata, velut ex commentario actorum publicorum verbotenus descripta, quam nos consulto heic prætermittimus. Ea finita, cum persistere in proposito Melios legati renunciassent, ad arma Athenienses & socii extemplo versi, & urbs in ambitu castellis cincta, iisque præsidia imposita, & classis pars ad portum relicta: reliqui domum reversi. Eodem fere tempore Argivi rursus in Phliasium agrum incurrentes, insidiis Phliasiorum & exulum suorum excepti, circiter LXXX. a suis amiserunt. Athenienses vero Pylum insidentes ex agro Laconico prædam ingentem abegerunt; nec tamen propterea Lacedæmonii velut soluto fœdere, arma rursum in eos cepere: sed tantummodo per præconem pronunciari jusserunt, ut si qui suorum vellent, vicissim Athenienses deprædarentur: Corinthii etiam ob controversias quasdam privatas Atheniensibus arma intulerunt, reliqua Peloponneso quiescente. In Melo

quoque nocturna eruptione obsessorum cladis aliquid obsidentibus Atheniensibus illatum, obsidentesque ad diligentiorem munitionum suarum custodiam hoc casu excitati. Per hæc æstas exacta. Hyeme sequente Lacedæmonii in Argivos exercitum ducturi cum in finibus suis rite litare non possent, pedem retro tulerunt. Argivi autem illis moram nectentibus quosdam suorum in urbe, quos suspectos habebant, comprehenderunt; quidam fuga sibi consuluerunt. Rursumque Melii parte alia erumpentes castellum Atticum raro custode munitum cepere. Post novo exercitu Attico Duce Philocrate advecto, urbs Melus summa vi oppugnata, & cum accederet etiam proditio aliqua, Atheniensibus tandem est dedita, arbitrioque eorum permissa. Ab his puberes omnes, quos comprehendere potuere, necati, pueri cum fœminis in servitutem redacti: locus desolatus ab ipsis victoribus habitatus, colonis illuc quingentis missis.

THUCYDIDIS

LIBER VI.

EADEM hyeme Athenienses majore quam ante apparatu & exercitu in Siciliam rursum trajicientes imperio eam insulam subjicere constituere. Atque heic sequitur apud *Thucydidem* Siciliæ descriptio: & quanta ejus magnitudo, a quibus gentibus fuerit habitata, quæ & a quibus ac quo tempore conditæ in ea Græcorum coloniæ, succincta expositio. Deinde notatæ ab *auctore* causæ, quæ Athenienses ad tantum suscipiendum bellum, Peloponnesiaco haud multo minus, impulerint. Earum vera & præcipua fuisse dicitur proferendi imperii, & totius insulæ subigendæ libido: prætextus vero velandæ libidini & color honestus, studium juvandi amicos sociosque, injuria aliorum pressos, qui opportune ab Egestanis tum iis fuit datus. Horum quippe legati eo tempore Athenis erant impense auxilium rogantes contra Selinuntios hostes suos, qui auxiliis Syracusanorum fulciebantur. Hi freti fœdere priore cum Lachete nuper inito, naves in subsidium ab Atheniensibus petebant. Ad id vero impetrandum hac potissimum oratione utebantur, *si permitterentur Syracusani oppressis Leontinis, reliquos quoque socios opprimere, eos totius Siciliæ imperium invasuros: eo occupato metuendum etiam atque etiam esse, aliquando Dorienses Doriensibus Peloponnesiis, colonosque conditoribus suis magnis suffultos viribus auxilio esse venturos, & Atheniensium imperium eversuros: virorum prudentum esse, adhuc incolumibus sociis quibusdam, una cum iis sese Syracusanis objicere, & Egestana pecunia, qua civitas sua abundet, ad eam rem uti.* Quæ cum tum a legatis tum ab eorum fautoribus omnibus in concionibus jactarentur, visum populo mittere Egestam legatos, qui & de pecunia jactata, & de belli Selinuntii fortuna cognoscerent. Eadem hyeme a Lacedæmoniis & sociis exercitu in agrum Argolicum ducto, pars agri direpta, frumentum avectum, pecorum numerus aliquis abactus, Orneæ exules Argivi locati; & induciis ad breve tempus inter Argivos & Orneatas constitutis exercitus domum reductus. Verum cum Atheniensium naves XXX. & gravis armaturæ milites DC. paulo post istuc venissent, & his se Argivi viritim [1] egressi junxissent, Orneæ fugientibus novis habitatoribus receptæ, & ab Argivis dirutæ; Athenienses que domum reversi. Mox ab iisdem Atheniensibus Methonem Macedoniæ urbem finitimam equitibus & exulibus missis regiones Perdiccæ infestatæ, & Chalcidenses a Lacedæmoniis ad ferenda Perdiccæ auxilia ob inducias, quas cum Atheniensibus habebant, frustra excitati: simulque hyems cum anno belli hujus Peloponnesiaci XVI. exiit.

Annus belli Peloponn. XVII. *surgens.*

Principio veris domum ex Sicilia reversi legati Attici cum Egestanis LX. talenta argenti non signati secum tulere, menstruum stipendium in naves LX. quas petebant; vocataque concione cum audiisset populus, non ab Egestanis solum, sed a legatis quoque suis quanquam haud vere affirmari, permagnam pecuniæ vim tum in fanis tum in publico Egestæ paratam esse, erecti animis in bellum Siculum, statim naves LX. Ducibus Nicia, Alcibiade, Lamachoque cum maxima potestate in auxilium Egestanis decrevere mittendas: iisdemque Ducibus mandarunt, ut Leontinos, si fors in bello faveret, restituerent, aliaque facerent, quæ maxime ex usu reipublicæ arbitrarentur. Quinto post die cum rursus in concionem coiisset populus ad decernenda ea, quæ in expeditionem istam necessaria essent, Nicias quamvis expeditionis Dux esset designatus, tamen quia temere agere populum, & sub specioso colore quæsito imperium Siciliæ affectare non nesciret, ad dicendum progressus magna orationis vi & copia, rationibusque validis a proposito populum abducere nitebatur, libereque loquens difficultates, pericula, fortunæ vices varias, infelices conatus virium modum superantes, infaustam affectationem imperii alieni, longinqui, magnis viribus firmati ponebat ob oculos. Sed erant in primoribus populi non pauci, qui Niciæ contradicerent, & expeditionem Siculam decretam urgerent, nec deerant, qui cum Nicia facerent; demum Alcibiades belli illius cupidissimus, ingenio maximus, sensus supra conditionem privatam gerens, de Sicilia & Carthagine triumphum mente agitans, conscenso suggesto oratione Nicianæ opposita cupiditatem populi in præceps egit; præsertim cum accederent Egestanorum legatorum & Leontinorum exulum, fidem jurejurando firmatam memorantium, preces. Verum Nicias ne sic quidem proposito absistens rursum progressus via alia exaggerando magnitudinem apparatuum viriumque & sumptuum, qua sibi collegisque opus esset in hanc expeditionem, si se Duce bellum geri vellent, & eventum non infelicem desiderarent, eodem se perventurum speravit, sed actum, quod ajunt, egit. Nam edere exacte numerum navium & copiarum in concione jussus nihil edidit, quod non statim ex ipsius mente decerneretur. Decretæ triremes Atticæ centum optime instruendæ, præter eum numerum, quem socii erant daturi, & præter onerarias, & quæ milites armaque & cætera veherent. Tum missi ad socios, qui ex formula curarent naves, militem, arma parari. Omniaque in urbe summo studio parata, miles exquisite armis, veste, rebus aliis instructus, certatim cuncta curata, stipendium diurnum classiariis assignatum Attica drachma. Inter hæc Hermæ omnes (statuæ Mercuriales erant in vestibulis sacrarum & profanarum ædium passim dispositæ) una nocte per totam urbem fuere violati, & maximam partem ora truncati, ignotis auctoribus, quanquam propositis præmiis magnis in eos inquireretur. Raptumque hoc in religionem, & expeditionis omen sinistrum, aut portentum conjurationis rerumque novandarum, abolendive status popularis. Suspicio in Alcibiadem ob mores ejus elatos, & a popularibus abhorrentes ab æmulis ejus conferebatur; sed Alcibiades indicia præsens facile

[1] Πανστρατιᾷ.

diluebat, & ſe judicio offerebat ante abitum, ut ſi ſons deprehenderetur, pœnas daret, ſi inſons, cum imperio dimitteretur: obteſtabaturque ne calumniis in abſentem darent locum, ſed ut, ſi quid tale deliquiſſet, præſentem morte afficerent, dicebatque imprudenter facturos, ſi tanti criminis ſuſpicione gravatum cauſa non cognita tanti exercitus Imperatorem in expeditionem mitterent. Ita æmuli gratiam ejus apud populum & militem veriti, & invidiam extimeſcentes (multos enim Alcibiades etiam extraneos in commilitium expeditionis hujus non parvo reipublicæ commodo pertraxerat) remiſſa contentione ſua in præſens, ſubmiſſis oratoribus aliis effectum dedere, ut Alcibiades jam juberetur cum exercitu diſcedere, reſervaretur vero judicio ad certum diem cum domum rediiſſet. Nam in abſentem ſe poſſe facilius crimina congerere, & calumnias jacere putabant, & inopinantem revocatum judicio obruere. Et jam media æſtas ingruerat cum ad ſolvendum e Pyræo claſſi Atticæ in Siciliam ituræ cuncta parata fuere. Sociorum vero navibus longis, ut & frumentariis aliiſque omnis generis magnis parviſque, quæ comitaturæ claſſem erant, jam ante denunciatum fuerat, ut Corcyram ſe conferrent, atque ibi collectæ iſtinc ad Iapygiam [1] Italiæ promontorium mare Ionium trajicerent. Cumque tempus ſolvendæ claſſis jam adeſſet, ad diem præfixum vix prima exorta luce vectores omnes in naves deſcenderunt. Cum his autem tota fere civitas Attica, & non parva multitudo peregrinorum ex urbe effuſa in Pyræum deſcenderat, alii ut amicis, cognatis, filiis in longinquam militiam abituris illic valedicerent, alii ut illuſtrem eam claſſem ex portu in mare euntem ſpectarent, ſpectaculoque eo animos paſcerent. Erat enim vere ſpectabilis illa claſſis non tam numero navium quam magnifico apparatu, & delecto, optimeque armato milite, qualem ab una aliqua civitate Græca inſtructam iſta ætas non meminerat. Accedebat admiratio longinquæ expeditionis haud parvis periculis expoſitæ: unde fiebat, ut cum vaſta ſpe ingens quoque metus in illo diſceſſu miſceretur, ac lætis comprecationibus & votis dolores ac fletus intercurrerent; quaſi ea, quæ poſt acciderunt, animi jam tum præſagirent. Nam iſto abitus momento plura iis obverſabantur, quam tum cum bellum hoc ſuffragiis in concione decernerent. Demum tuba ſonante ſilentium indictum, ac tum præeunte verbis præcone vota ſolemnia per univerſam claſſem nuncupata, ſtatutiſque crateribus & poculis aureis argenteiſque a Ducibus pariter & militibus libatum: ſimul omnia hæc felicibus votis ſuis, qui e terra ſpectabant, ſunt proſecuti: claſſiſque Æginam verſus, velut in cornu ſe ſinuans, curſum direxit. Atque inde Corcyram, quo præierant naves ſociorum, accelerata navigatione ſe contulit. Interea Syracuſis audita claſſis hujus fama varie accepta fuit. Nam in ſe eam venire credebant, dicebantque, alii diverſum ſentiebant, & in partem utramque in concionibus differebatur. Inter hos, qui contra civitatem ſuam hæc omnia parata eſſe perſuaſi erant, erat Hermocrates Hermonis filius, idem ille, qui dudum rebus inter Geloas & Camarinæos per inducias ad quietem deductis, concordiæ ſtudium Siculis omnibus ſuaſerat, in concionem progreſſus, & quid ſentiret, populum edocuit, & quos apparatus contra venientes faciendos, quas ſocietates adjungendas, & qua ratione bellum adminiſtrandum, pariterque quid de Athenienſium viribus ſtatuendum, eas nimirum nec metuendas nimium, nec temnendas, demonſtravit.

1. Ita non ſatis commode conſiderat verba Thucydidis ἐπὶ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν. Melius poſtea dicit *Iapygio promontorio ſuperato*.

A Verum oratione ſua haud ſane multum eo tempore profecit, cum diſcrepantia ſententiarum eadem in populo maneret, atque adeo contentio magis magiſque effterveſceret. Demum ſurgens Athenagoras tribunitia poteſtate tum præditus & gratia eloquentiaque eximius, dicta ab Hermocrate vehementius, quam neceſſe erat confutavit, invectuſque in ſententiam ejus fuit velut falſam ſine dubio ac vanam; nec tam ſtultos æſtimandos eſſe Athenienſes oſtendit, ut rebus in Græcia adhuc turbatis Siciliam inſulam tam magnam, & viribus valentem, imprimis Syracuſas ipſis Athenis potiores bello velint petere, increpitiſque rumorum talium
B auctoribus affectati dominatus crimen iis impegit, & ab eo abſterrere eoſdem verbis gravibus conatus eſt. Poſtremo quid faciendum Syracuſanis ſit, ſi in ipſos forte venerint Athenienſes expoſuit. Atque hæc contentio ne iret longius, & rixando tempus perderetur, ex reipublicæ Ducibus vir ſapiens interceſſit, & ad paranda conſtituendaque neceſſaria in eventum populum admonuit. Et jam claſſis omnis in Siciliam tendens Corcyram venerat; ibique rebus omnibus ordo datus, & miles luſtratus. Erant in claſſe univerſa tam Attica quam ea quæ a ſociis erat data triremes CXXXIV. & Rhodiæ duæ ingentes remigum quinquagen. præter onerariarum
C aliarumque navium multitudinem: e triremibus vero Atticæ C. reliquæ ſociorum: milites ea vehebantur gravis armaturæ MC. Præmiſſis autem in Italiam ac Siciliam navibus exploratoriis tribus, reliquæ omnes Corcyra ſolventes Iapygio promontorio ſuperato, ſecundum Italiæ frontem Rhegium uſque littus legerunt, averſis ubique civitatum in ea ora animis, uſque adeo, ut præter aquam nullius rei copia ipſis fieret, & hæc quoque a Tarentinis Locriſque negaretur. Ad Rhegium ſubducta claſſe & caſtris extra urbem in fano Dianæ poſitis reditum navium ſpeculatoriarum Egeſta præſtolabantur, Rheginoſ-
D que in ſocietatem belli pro Leontinis nequicquam ſollicitabant. Simul Syracuſani de claſſe Rhegium delata certiores facti ſerio ad bellum depellendum ſeſe parare, legatos huc illuc ad civitates mittere, præſidia idoneis locis diſponere, arma equiteſque luſtrare, omnibus rebus ut poterant, in repentino motu proſpicere. Interea ſpeculatoriæ naves ad claſſem reverſæ, de opibus Egeſtanis alia omnia, ac factum a legatis inſigni dolo deluſis fuerat, retulerunt. Quod Duces & univerſum exercitum vehementer turbavit, ac in diverſas ſententias Duces diſtraxit, cum aliud Niciæ, aliud Alcibiadi, aliud etiam Lamacho placeret. Sed vicit tandem
E aſtipulante jam Lamacho id quod cenſuit Alcibiades: cujus erat fervidiſſima ſententia. Tum Alcibiades navi ſua trajecto freto Meſſanam ingreſſus, civitate nequicquam ad arma ſecum jungenda invitata Rhegium rediit. Dehinc armatis ibi LX. triremibus, relicto ibidem cum reliqua claſſe Ducum uno, ipſe cum collega altero Naxum petiit: receptuſque a Naxiis Catanam ſtatim perrexit: ſed urbe prohibitus quorundam ſtudio, qui Syracuſanis favebant, ad Teriam fluvium progreſſus, ibique noctem cum claſſe moratus poſtero die ſervato percommodo ordine Syracuſas navigavit, præmiſſis
F tamen navibus X. quæ portum urbis ejus magnum ſubirent, & an quid navium deductum eſſet, ſpecularentur, urbique appropinquantes præconio e navibus facto Leontinos excirent, quorum cauſa adeſſent Athenienſes amici & cognati, ut eos in patriam reducerent. Dein omnibus viſu diligenter ibi luſtratis, & urbe ipſa & portibus & regione, ex qua oppugnari urbem oporteret, cum ad reliquam claſſem rediiſſent, Catana ab omnibus repetita. Illic cum, excluſo exercitu, ſoli Duces, in urbem admiſſi eſſent, ut dicerent, ſi quid

vellent, & verba in concione faceret Alcibiades, populo in dicentem intento, militum pars per infirmam portulam velut mercandi gratia in urbem penetravit, conspectaque ab iis, qui Syracusanas partes fovebant, in pavorem eos dedit, ut furtim ex urbe se proriperent. Quibus egressis cæteri in societatem cum Atheniensibus consenserunt. Iis advectis, & jam castra metantibus nunciatum est Camarina, tum si venirent isthuc, urbem ipsis esse accessuram, tum Syracusanos navibus suis militem imponere. Itaque statim sublatis anchoris cum universis copiis recta Syracusas petierunt: sed cum nullas illic naves deductas reperirent, sine mora Camarinam contenderunt, applicataque ad littus classe, & caduceatore ad Camarinæos misso, cum alienum & elusorium responsum tulissent, re infecta retro abiere, atque in eo regressu, leviter tentata parte agri Syracusii, datoque & accepto aliquo incommodo, rediere Catanam. Ibi missam Athenis reperere navem Salaminiam, qua ad dicendam causam liber & sine vinculis revehi in patriam Alcibiades jubebatur, & cum eo quidam alii e militum numero, qui pollutorum mysteriorum publicorum, & violatorum Hermarum insimulabantur. Athenienses quippe profecta jam classe ab æmulis Alcibiadis, qui quoquo modo eversum eum cupiebant, stimulati ac dementati non destiterunt in causam illam inquirere, ac si totius reipublicæ salus in eo verteretur. Et quidem hoc in negocio tam calide ac imprudenter versati sunt, ut quibusvis indicibus etiam nullius fidei hominibus admissis, eorum nixi testimoniis cives optimæ notæ in vincula darent: male sana mente existimantes, utilius esse acrius in hanc rem inquiri, & quæstiones exerceri ad verum aperiendum, quam delatum quemquam, quamvis optimæ famæ ac existimationis, propter indicis improbitatem causa non discussa, elabi. Erat enim populus Atticus in iis, quæ ad libertatem integram conservandam, & res novas avertendas pertinebant, valde suspiciosus, & non parum affectibus suis indulgebat, & incomperta pro compertis admittebat. Quod *Thucydides* hoc loco, prolixe commemorato casu liberorum Pisistrati tyranni, qui sanguine ipsum attingebant, demonstrat. Dein ad rem revertens, ait, populum tunc omnia, quæ audiret, suspecta habuisse, & crimen mysteriorum pollutorum libenter ad conjurationem contra libertatem popularem contulisse. Ita factum dicit, ut ab iratis non pauci viri præstantes in vinculis haberentur, & ut cum tempore non remitteretur iste inquisitionis rigor, sed intenderetur potius. Inter hæc ab aliquo, qui in iisdem erat vinculis, persuasum fuit vinctorum uni, in quem vel maxime suspicio criminis cadebat, ut ob indicium, sui servandi spe pene certa, vera falsave confiteretur: (nam quid veri falsive in re ista fuerit, ait *auctor*, ne nunc quidem quisquam dicere potest) ita enim facientem & sibi consulturum, & civitatem suspicione liberaturum. Cui cum morem gessisset ille, populus indicio ejus exhilaratus quasi rei veritate jam comperta (sic enim credebat) & ipsum indicem, & quoscunque ipse non nominaverat, missos fecit, nominatos vero judiciisque traditos, quos in potestate habebat, neci dedit, reliquos fuga elapsos, necis damnavit, & in capita eorum percussoribus præmium constituit. Et reliquæ quidem civitati hoc modo tum consultum fuit: sed qui suppliciis affecti sunt, juste an injuste affecti sint, etiam nunc, ait denuo Historiæ hujus scriptor, ignotum manet. Alcibiadi vero vehementer populus succensuit ab ipsius inimicis incitatus, & cum de Hermis rem nunc certam per indicem habere se arbitraretur, multo magis verosimile putabat, quod de pollutis mysteriis & conjuratione contra statum

A libertatis ei impingebatur. Ac simul ex suspicionibus crimina alia huc pertinentia hinc illinc in eum colligebat, ideoque emissa navi Salaminia, ut est dictum, ex Sicilia ad dicendam causam, & pœnas capite dandas domum eum revocavit, consilio sane quam maxime dementi, & reipublicæ toti perniciosissimo: ut post docuit stultorum magister eventus. Alcibiades Catanæ jussu populi accepto, dissimulata mente sua, velut non invitus ad subeundum judicium Athenas iret (nam jussio, ut dixi, tantum ad diluendum crimen revocari eum, uti mandaverat populus ob metum tumultus militaris, præ se ferebat) usus nave sua una cum Salaminia,
B maritimo itineri se dedit. Sed Thurium urbem magnæ Græciæ in ora Italiæ cum pervenisset, clam se cum sociis subduxit, & conscensa triremi recta in Peloponnesum enavigavit. Spartamque se contulit, demonstraturus populo suo, quem virum iniqui judicii metu patria relicta ad hostes concedere compelleret. Eum vero Athenienses absentem, ac judicium subterfugientem, ut & socios ejus, capitis statim damnarunt. Eo digresso collegæ ejus Nicias & Lamachus cum classe & copiis Siciliæ latus legentes Tusco mari expositum Egestam ac Selinuntem petentes, & Himeram delati ibique urbis ingressu prohibiti transverso itinere per mediam Siciliam
C cum pedestribus copiis Catanam repetiere, navibus cum præda per mare redire jussis, unde venerant. Ab Egestanis, quos adiit Nicias, pecunia confecta; major vero ex divenditis prædis conflata, Hybla quoque frustra tentata, hyeme jam ingruente. Tum omnia ad invadendos Syracusanos parata: sed a Syracusanis animus, contra ea sumptus, Atheniensesque contempti, adeo ut plebs Syracusana educi se contra eos Catanæ hærentes postularet. Eo in commodum suum verso callidi Athenienses, emisso homine idoneo Sinonii ingenii, patria Catanensi insigni dolo tota plebe Syracusana longissime ab ur-
D be abstracta, celeriter conscensa classe sua ex portu Catanensi in portum magnum Syracusanum per tenebras noctis contendunt, atque illic impediente nemine in terram egressi commodissimo & tutissimo loco ad urbem Syracusas castra ponunt ac muniunt: statimque Catana domum reversi Syracusani, castra castris opponunt. Dein provocantibus Atheniensibus acies utrinque eductæ, pugnatum totis copiis: victi Syracusani, sed sine magna clade, amissis circiter CCLX. Post quam victoriam Athenienses Catanam & Naxum in hyberna reversi ob equitum defectum. Syracusani vero ab Hermocrate animati, & ab his novi Duces desi-
E gnati, in quibus ipse fuit Hermocrates. Ab iisdem legati Spartam & Corinthum missi ad fœdus & auxilia petenda: novæ circum urbem munitiones institutæ, excursio quoque populariter Catanam usque facta, ager vastatus, castrorum Atticorum pars ad Catanam, quæ milite vacua erat, direpta & incendio data: simul legatio a parte bellantium utraque Camarinam missa societatis & auxiliorum quærendorum ergo: certatum ibi orationibus prolixis ab Euphemo Atheniense, & Hermocrate Syracusano Principe civitatis suæ: neutris auxilia a Camarinæis promissa. A Syracusanis omni studio arma parata: ab Atheniensibus Siculæ civitates
F sunt sollicitatæ, quarum haud paucæ, præsertim mediterraneæ, iis se junxerunt: reliquarum quædam vi ab iis occupatæ, quædam incommodis affectæ. Eadem hyeme triremis quoque ab iisdem Atheniensibus Carthaginem missa conciliandæ amicitiæ gratia. Tyrrheni littoris urbes in societatem tractæ: Sicilia omnis diversis studiis in Athenienses & Syracusanos divisa. At Corinthii, auditis, qui ad eos venerant, Syracusanorum legatis, sat promptos in decernendis auxiliis se præbue-

re, legatosque suos cum Syracusanis, qui idem a Spartanis peterent, Spartam misere. Spartani hærentes aliquamdiu cum Alcibiadem, qui fide publica accepta Spartam jam venerat verba facientem, & Atheniensium consilia pandentem, idemque cum Corinthiis ac Syracusiis suadentem audiissent, in eandem sententiam ivere. Decretæque ab iis auxiliares copiæ sunt, quæ Duce Gylippo in Siciliam trajicerent: & placuit consilium ab Alcibiade suggestum de Decelea in agro Attico, resumpto rursum bello, munienda. Eodem tempore cum triremis Attica e Sicilia a Ducibus emissa Athenas appulisset, de pecuniis & equitibus in Siciliam mittendis decretum promptissimis animis a populo factum. Per hæc hyems ista, & annus belli decimus septimus exiit.

Annus belli Pelopon. XVIII. *surgens.*

Initio veris Athenienses, qui in Sicilia erant navibus Catana digressi agrum Megarensem primum Syracusanis parentem, deinde loca alia eorundem ditionis diripuere. In Peloponneso autem Lacedæmonii Argivos & Argivi vicissim Lacedæmonios armis petierunt. Circiter idem tempus copiæ omnes Atticæ equitibus novis auctæ noctu relicta Catana ad premendam urbem Syracusanam enavigarunt, expositisque ad Leonem idoneo loco peditibus, classiariis ad peninsulam Tapsum stare jussis, celsas Epipolas, aliaque proxima Syracusis loca invaserunt. Ibi tunc utrinque in occupandis & muniendis commodis locis tum ab Atheniensibus & sociis, qui ad eos accesserant, tum a Syracusanis varie laboratum, pugnæque aliquot ad munitiones commissæ, meliore Atheniensium quam hostium fortuna. Mox classis Attica in magnum portum Syracusanum subvecta: Lamachus Ducum Atticorum alter suis in certamine periclitantibus dum succurrit, cæsus, Syracusani ad recuperandas Epipolas urbi imminentes a Nicia repressi: urbs ipsa duplici muro hostili ab Epipolis ad mare clausa. Tum majora subsidia a sociis hinc inde ad castra Atheniensium missa, commeatusque advectus. Syracusani a fortuna destituti, nulla dum adhuc e Peloponneso apparente ope, colloquii causa velut pacturi cum Nicia congressi: Duces priores ab iis abdicati, novi designati. Gylippus interea cum suis est in itinere, hæretque ad Tarentum, a Nicia ob paucitatem contemptus. Arma rursum in Græcia commota: dum Spartani Argivos premunt, & Argivis suppetias XXX. navibus ferunt Athenienses, & in loca ditionis Epidauri incurrunt, fœdus inter hos & Spartanos hactenus fluctuans aperte jam ruptum, & bellum interquiescens resumptum, majore, ut arbitratur *Thucydides*, Atheniensium quam Spartanorum culpa.

THUCYDIDIS

LIBER VII.

INTEREA Gylippus cum Pythena Corinthio Himeram in Sicilia appulsus, excitatis illic sociis, & confecto aliquo exercitu, terrestri itinere Syracusas contendit, eumque triremis Corinthia antevertens nunciato ejus adventu animos civium obsessorum, & de rebus suis jam desperantium, deque deditionis conditionibus deliberantium recreat: mox ipse Gylippus superveniens eodem loco, quo antea Athenienses, in Epipolas pervadit, Niciam muro duplici, quem ab Epipolis ad mare utrinque ducebat, claudendis Syracusis cum exercitu intentum, turbat, opera ejus jam prope confecta dissipat, denique fortunæ totius vices mutat. Nec tamen propterea studium remittit, animumve cum suis despondet Nicias; Plemmyrium promontorium urbi in austrum objectum, portus magni fauces arctans, muro sepit: bellum navale meditatur, quo præstare Athenienses videbantur: interim vero ab utrisque variæ res actæ, pugnæ confertæ alternante fortuna, victores victi, naves Corinthiæ, Leucadiæ, Ambracioticæ numero XII. frustratæ classem Atticam in occursum missam Syracusas advectæ. Reliquum æstatis augendis copiis, & accersendis undequaque auxiliis ab utrisque datum. In Thracia ab Atheniensibus & Perdicca Amphipolis bello petita. Per hyemem Athenienses excitati epistola Niciæ istuc missa apparatus novos faciunt, Demosthenemque & Eurymedontem collegas Niciæ creant; & hunc statim cum navibus X. & bona pecuniæ summa ipso brumæ tempore in Siciliam præmittunt, Demosthenem reliquis parandis in primum ver præficiunt: XX. navium classi custodiam oræ Peloponnesi commendant. Quibus cognitis Spartani & Corinthii, evocatis, & parare se jussis sociis ad exercitum in terram Atticam ducendum, & ea facienda, de quibus eos Alcibiades monuerat, se accingunt. Cum his hyems, & annus belli XVIII. exit.

Annus belli Pelopon. XIX. *surgens.*

Surgente primo vere a Peloponnesiis Duce Agide Rege Laconico exercitus in Atticam ductus, regio vastata, Decelea, quod præcipuum monitorum Alcibiadis erat, CXX. stadiis ab urbe Attica, & totidem a finibus Bœotiæ dissita, occupata & muro festinatis operibus munita, premendis Athenarum faucibus. Ab Atheniensibus contra XXX. naves Duce Charicle Argos, & in oram Peloponnesi emissæ, & aliæ LX cum quinque Chiis sub Præfecto Demosthene ad eundem in Siciliam armatæ, ex itinere cum cæteris Laconicam oram infestaturæ: quod & factum, captusque locus e regione Cytheræ parvæ peninsulæ similis, muro munitus, receptaculum transfugis servis, & latronibus paratum. E Peloponneso vero a Spartanis milites DC. a Corinthiis D. a Sicyoniis CC. & ex Bœotia CCC. a Thebanis aliisque ad opem ferendam Syracusanis in Siciliam missi, quibus ut tutius irent, triremes Corinthiorum ad Naupactum excubantes, auxilio esse jussæ sunt. Interea Gylippus, qui conquirendorum auxiliorum gratia Siciliam obierat, cum Syracusas rediisset, mox ipso & Hermocrate auctore ad ineundum prœlium navale simul & terrestre cuncta parata: & paulo post ad Plemmyrium gemino prœlio mari terraque pugnatum: quorum illo victi primum in portus faucibus Athenienses, mox victoria potiti, hoc Gylippus cum magno Atheniensium detrimento victor factus, tria castella expugnata, totidem tropæa erecta. Hæc omnia in Græciam enunciata. Rursum ad vallos ad urbem Syracusanam in portu depactos eruendos ab Atheniensibus laboratum: multæ quoque ac variæ machinationes ibidem hinc inde institutæ. Interea Laconiæ littoralibus afflictis, Demosthenes cum classe sua Siciliam, Charicles cum sua domum petiit. In agro Attico Decelea communita, & tota regione direpta ac pessundata Athenæ in arctum redactæ. Sed animi Atheniensium indomiti, nec gemini belli malis fracti, imo pervicaciores facti omnium admirationem in se verterunt. A Thracibus qui sero Athenas venerant, ex voluntate Atheniensium domum repetituris, in itinere Tanagra Bœotiæ subito incursu oppressa, & miserrime habita: præter alia facinora pueri in ludo literario docentibus operam dantes ab iis trucidati. Iidem

Thraces in receptu ab equitibus Thebanis supervenientibus insigni clade correpti. Post relictam Laconiæ oram Demosthenes Corcyram progressus, & in Zacynthum ac Cephaleniam & Acarnaniæ loca maritima profectus hic illic milite assumpto se parabat. Atque ibi ad eum venit Eurymedon e Sicilia appellens; collega Demostheni jam a populo datus. Ab his Conon Naupacto cui præfectus erat, adveniens naves celerrimas x. accepit, ut instructior esset ad pugnam contra Corinthios cum classe Naupacto imminentes. In Sicilia interim auxiliaribus Syracusanorum Syracusas petentibus a Siculis Niciæ amicis insignis clades ex insidiis irrogata, cæsis in eo DCCC. reliqui MDC. Syracusas venere. Post quæ tota pene Sicilia, præter Agrigentinos, qui neutrarum partium se ferebant, præcipuo Gylippi studio, partibus Syracusanis accessit. At Demosthenes & Eurymedon suppletis copiis suis trajecto mari Ionio cum Iapygium promontorium tenuissent, Metapontinos primum, deinde Thurinos in societatem belli pertraxerunt. Quo eodem tempore pugna navalis ad Erineum Achaiæ inter Diphilum Atheniensem Naupacto venientem decem triremibus a Demosthene auctum, & Polyanthem Corinthium naves viginti quinque ducentem atque in Siciliam contendentem commissa, victoria dubia. Demosthenes vero & Eurymedon post Thurinos secundum reliquum frontis Italiæ progredientes a Crotoniatis agro prohibitis, vitata Locrorum ora, Petram agri Rhegini venere. Horum adventantium fama accepta Syracusani ad subeundum rursus prœlium navale ante eorum adventum se parant, & in ejus finem navium suarum formam mutant. Cumque jam parati essent, Gylippus consilio callido, ut a certamine maritimo animos Atheniensium averteret, tumultuariam pugnam ad munitiones Atheniensium orditur. Cui cum intenti essent Athenienses, Syracusani classem repente in eos educunt. Et in hos vicissim se inferunt classiarii Atheniensium, navibus vecti LXXV. cum Syracusanorum naves essent LXXX. inchoatumque certamen incurrendo & recedendo satis quidem prolixum, sed neutri parti valde damnosum, & quod velitationis potius quam pugnæ justæ speciem haberet. Postridie quiescentibus Syracusanis, Nicias suos diligentius instruit, & ad iterandum prœlium cuncta disponit. Die sequenti conflictus terra marique rursum initus: In quo Syracusani astu usi post longum certamen Athenienses fractos fame & continuo labore tandem superant, & non parvo detrimento afficiunt, erectoque duplici tropæo fortunæ afflatu elati ad repetenda certamina sese parant. Quo tempore Demosthenes & Eurymedon cum classe navium LXXIII. bene instructarum, & non parvis armatorum copiis in Siciliam appellunt. Ex his Demosthenes damnato consilio Niciæ, qui non statim cum in Siciliam venisset, Syracusas, belli caput, invasisset, sine mora vires in hostem vertendas existimavit: tentataque inutiliter muri hostilis oppugnatione, qui magno Atheniensibus impedimento erat, & Nicia, reliquisque præfectis in sententiam suam adductis, & omnibus quæ istuc pertinerent, paratis, assumpto in quinque dies commeatu, totum fere exercitum in Epipolas, locum editum atque asperum nocte intempesta, quo facilius hostes lateret, cum duobus collegis Eurymedonte & Menandro quam celerrime duxit, Nicia cum copiarum parte ad muros relicto. Et cum prima recte successissent, deinde progredientibus Bœoti, qui præter alios pro Siracusanis illic in præsidio erant sese primi objecissent, mox & cæteri cum ipso Gylippo accurrissent, exorta est pugna gravis & incerta propter noctis tenebras, cum hostes a sociis discerni haud possent, & ferirentur, quicunque occurrerent, lucente quidem Luna, sed lumine non tam claro, ut ad dignoscendos homines ab hominibus sufficeret, & accederet plurimorum idem idioma. Et cum caderent multi, essentque deteriore conditione Athenienses, quorum maximus numerus, præsertim qui recens advenerant, locorum, per quæ pugnantes aut terga dantes errabant, prorsus erat ignarus, victoria tandem ad Syracusanos inclinavit. Victi & dispalati in fuga vaga, passim in locis asperis & inæqualibus, nonnusquam etiam præcipitibus hærentes aut ruentes in caligine nocturna magno numero cæsi sunt. Cæteri trepidi & periculo elapsi, qua quisque poterat, saluti suæ consuluere. Prœlium inprimis terribile fuit. Orta prima luce non pauci etiam ab equitibus Syracusanis oberrantes trucidati fuere. Ab hac victoria Gylippus fortuna usurus ad conquirenda auxilia per Siciliam discurrit. Verum Attici Duces in adversa re consilii capiendi ergo congressi non ejusdem sententiæ fuerunt. Demosthenes, qui suasor hujus infelicis prœlii fuerat, censuit, quando quidem periculum fortunæ in Sicilia factum sit, & omnia heic acciderint adversa, atque interea patria armis hostilibus domi prematur, ex insula cum omnibus copiis statim discedendum & domum repetendum. Contra Nicias ab initio belli Siculi dissuasor vehementissimus, & invitus pene in eam expeditionem missus, alia omnia suasit, multisque rationibus ostendit, cur manendum illic, & obsidionem Syracusarum continuandam, idque ex honore & bono patriæ futurum esse arbitraretur. At Demosthene nihilominus in sententia persistente, dicenteque, si utique injussu civitatis patriæ e provincia non sit discedendum, id quod dixerat Nicias, tamen Syracusis relictis in Tapsum aut Catanam, locum tutiorem & rebus præsentibus commodiorem statim abeundum, & illic patriæ mandatum expectandum, & huic assentiente etiam Eurimedonte, non tamen a proposito dimotus fuit Nicias: atque ita quasi suspensa mansit res, aut certe tardius expeditus discessus; donec tandem cognitum, cum novis copiis ex Sicilia & Peloponneso adesse Gylippum. Tum labante Nicia, data opera est, ut & quam primum, & quam maximo cum silentio castra istic moverentur. Acciditque, ut cum jam velut in procinctu essent, LUNA DEFICERET. Quod in omen a plerisque versum, ut consistendum arbitrarentur; tum vero Niciam divinationi rebusque talibus plus satis tribuentem adeo commovit, ut diceret ante exactos ter novenos dies a vatibus jactatos, de movendis castris nihil se decreturum. Ita consilium abeundi rursus mutatum concidit. His omnibus cognitis Syracusani animis elati, qui se jam superiores omnibus in rebus existimarent, ante abitum pugna navali eos occupare, & vires eorum incidere, abeundique facultatem, castraque alio loco in Sicilia figendi adimere constituerunt. Itaque classe quam optime instructa, quæ navium erat LXXVI. post aliquot dierum quietem, cum jam commodum esset, nonnullis militum suorum in muros Atheniensium emissis, & certamine illic terrestri contracto, versisque in fugam, qui portis egressi occurrerant, & parte eorum concisa hoc velut præludium majoris prœlii fecere. Postero autem die educto rursum, & ad munitiones Atheniensium promoto toto peditatu suo; integram quoque classem explicuere ad prœlium accincti: prodeuntibusque etiam contra eos Atheniensibus, quorum naves armatæ erant numero LXXXVI. ad prœlium in ipso portu magno deventum fuit: in quo Eurymedon dextrum cornu tenens, dissipata jam acie suorum media, cum haud parvo numero commilitonum eodem loco pugnantium occubuit.

A Deinde varie dimicatum non solum in profundo portu, sed ad oras quoque ejus, & in ipso littore ad portus fauces, ubi exultantem cæde Gylippum Tusci Atheniensium socii superarunt. Demum victoria navalis maxime pro Syracusanis stetit: quanquam Athenienses etiam tropæi aliquid ob superatum Gylippum erexerint. Attamen hi animis consternati ob clades diversas tunc serio cœperunt pœnitentia duci consiliorum priorum, quod civitatem armis petiissent tam potentem amplamque, (erant enim Syracusæ Athenis non minores) & eadem secum instituta popularia sequentem, oligarchiæque inimicam. Contra Syracusani magis & magis animati, atque in spem erecti parandæ maximæ gloriæ B & gratiæ apud omnes Græcos, quos partim servitute, partim servitutis metu devictis Atheniensibus essent fortibus factis suis liberaturi, claudendis majoris portus sui faucibus ne per eas elabi furtim classis hostilis posset, sese dederunt.

Hoc loco Thucydides digressione utens qui populi e Græcia, qui e Sicilia, Atheniensibus; qui item Syracusanis auxiliares copias hoc bello Siculo dederint, quantisque viribus utrinque res gesta sit, exponit. Deinde ad narrationem revertitur.

C Athenienses portum claudi cernentes, & commeatuum inopia pressi, consilio Ducum Præfectorumque coacto, quid in hac rerum angustia occipiendum deliberarunt: statueruntque desertis munitionibus spaciosioribus locum arctum juxta naves muro claudendum, illic impedimenta cum ægrotis deponenda, præsidiumque addendum, & prœlium navale summis viribus denuo tentandum: quo si vincerent, Catanam se conferrent; sin vincerentur, navibus omnibus desertis & incensis, terrestri itinere, qua brevissime possent in locum aliquem D idoneum sibique amicum evaderent. Nec mora, navibus omnibus contractis, quæ erant ad cx. omnis generis milites, qui viribus erant integris, eas conscendere jubent. Prius vero quam conscenderent, Nicias consternatos cernens accurata oratione ad fortiter agendum, quod ab eo prœlio omnium salus penderet, ipsos exsuscitat. Nec eo contentus singulos tetrarchos appellat, & quæ monenda putabat, eos monet. Idemque a Gylippo & Syracusanis factum. Tum moventibus se Atheniensibus & per fauces portus obsessas perrumpere conantibus & in hos sese incitantibus Syracusanis E prœlium inchoatum, non solum ad portus fauces, sed in ipso quoque medio portu: in quo cum navibus fere premerentur ob earum multitudinem in angusto spacio, tanta animorum obstinatione utrinque dimicatum est quanta nunquam prius: actum omni telorum missilium & aliorum genere: clamores ingentes sublati, fragoribus collidentium inter se navium aer repletus, cædes ubertim factæ. Atque hoc prœlium adhuc anceps utriusque partis exercitus terrestris in ora consistens oculis subjectum habebat, & iisdem animorum motibus quibus qui in navibus pugnabant, agitabatur, sperabat, metuebat, clamore & gestu suos F inaniter juvabat. Post longum & pertinax certamen tandem victa classis Attica, & in fugam versa, nullo ordine ad suos littore stantes, & casum suorum lamentantes, se effudit. Omnia istius partis dolorum & lamentationum plena: alia vero omnia apud victores, quanquam pauciores ipsis naves e prœlio integræ quam victis Atheniensibus superessent: quam ob caussam a Demosthene persuasus Nicias censebat, rursus eruptionem per portus fauces tentandam. Sed classiariis consternatis adversa fortuna, & in naves redire nolentibus omnia ad nocturnam profectionem itineri terrestri parata. Quæ si statim occepta fuisset, bono id fuisset exercitui. Sed insigni dolo Hermocratis circumventi tertio demum die iter sunt ingressi.

Discessus ille, ex castris, & totus abitus fuit dolore, planctu, miseria omnis generis longe plenissimus, multis verbis ad vivum a *Thucydide* depictus, quem sine commiseratione legere nemo potest. Abeuntes vero eo die, submotis impedimentis ab hoste præmisso objectis, ad stadia L. assultante interim & carpente hostili equitatu & levi armatura, progressi, atque ibi tumulo occupato per noctem morati, postridie eodem modo pergentes, & deinceps per varia discrimina & labores, ab hoste, Duce præcipuo Gylippo, a tergo, a lateribus, interdum & a fronte circumfusi ac pressi, inopia quoque cibi potusque conflictati, tandem converso itinere non Catanam versus, quo hactenus contenderant, quam viam hostem insedisse comperiebant, sed in austrum, qua Camarinam & Gelam itur, per noctem pedes direxere. Quo postridie intellecto Gylippus & Syracusani se quoque eodem vertentes ex satis longo intervallo antegressos celeriter sunt secuti, disjunctos jam inter se, & Demosthenem posterius agmen tardius, & confusius ductantem assecuti, circumventum & oppugnatum diu, malisque fractum, pollciti omnibus vitam, si arma traderent, ad deditionem compulerunt, omnesque captivos Syracusas statim miserunt. Mox Niciam quoque persecuti longo locorum spacio prægressum, & jam flumen Erineum transgressum, & in loco editiore deprehensum ad similem cum Demosthene deditionem faciendam sollicitarunt. Sed cum ille per caduceatorem conditiones alias posceret, easque haud impetraret, telis undique petitus ad vesperam usque, cum nox advenisset, per tenebras ejus se movens quanquam omnibus incommodis affectus ad fluvium Asinarum pertigit. In quem cum sitibundus exercitus se conjecisset, ab hoste circumventus, & ab utraque ripa editiore infestatus, ac multis cædibus in ipso amne diminutus, miserrimeque habitus fuit. In hac maxima rerum angustia Nicias fidei Gylippi & Spartanorum, quæ major apud eum quam Syracusanorum erat, se dedit & a cæde Atheniensium aliorum abstineri postulavit. Capti hi, & multi hinc qui diffugerant, conquisiti, omnesque Syracusas pertracti: non pauci per Siciliam clam dispersi, & reliqui Catanam delati. Syracusani captivos cæteros in lapicidinas dederunt, tutam & duram custodiam. Niciam & Demosthenem, invito & frustra obnitente Gylippo, qui suæ gloriæ & gratiæ apud Spartanos haud parum interesse putabat, præter alia decora sua duos hos hostium Duces summos, alterum ob perpetuum virtutis studium laudatissimum, & propter dimissos e custodia eos, qui in insula Sphacteria capti fuerant, conciliatumque simul fœdus studio præcipuo ipsius Spartanis suis gratissimum, alterum hostem horum acerrimum, captivos Spartam se adducere, urgentibus maxime Corinthiis, necarunt. In lapicidinas conjecti durissime habiti, labore, æstu, frigore, odore tetro, fame quoque & siti, loco depresso & arcto afflicti, numero supra septem millium, & in hac extrema miseria omnes retenti per dies LXX. Tum præter Athenienses, & Siculos atque Italicos, qui Atheniensibus militaverant, cæteri ex custodia hac educti velut servi venditi. Eventus hic victoribus splendidissimus, victis calamitosissimus, qui omnibus amissis, præter miserias reliqui nihil habuere.

THU-

THUCYDIDIS

LIBER VIII.

NUNCIIS cladis ob magnitudinem ejus, Athenis primum fides non habita. Dein ubi res certius cognita, indignatio in suasores belli Siculi versa a populo, qui ipse bellum decreverat. Simul mœror, metus, consternatio totam civitatem pervasit, videntem classe, milite, pecunia aliisque ad tuendam rempublicam necessariis se orbatam & exutam, timentem venturos cum classe victores ex Sicilia, ad Piræum oppugnandum. Sed resumptis mox animis omnia ad quæ sustinendam hostium vim pertinebant pro copia rerum præsentium summo studio parata: magistratus quidam seniorum designatus, qui de præsentibus ut tempus ferebat, præconsultaret, quæ populus metu perculsus mature exequeretur. Cum his æstas illa exiit. Per hyemem sequentem ex ingenio hominum qui motum fortunæ fere sequuntur, tota Græcia ob cladem hanc Atheniensium animos erexit. Qui neutrarum partium fuerant hactenus, ultro ad oppugnandos Athenienses a quorum fortuna secunda sibi metuerant, se obtulere: Lacedæmoniorum socii majori studio jam arma in eos parabant. Atheniensium imperio subjecti ante omnes velut ad excutiendum jugum armis correptis rebellionem movebant. Denique Lacedæmonii ipsi hisce freti, sine mora & majore vi ad gerendum bellum ferebantur. Itaque mox per hyemem eandem Rex eorum Agis cum parte exercitus Decelea profectus in Thessaliam in usum extruendæ classis pecunias exegit, obsidesque cepit. Classis c. navium instituta, opera per civitates socias distributa. Idem studium ædificandæ classis Athenienses habuit. Ab iisdem Sunium ad tutandos navigantes munitum: munitiones in Peloponneso tempore expeditionis Siculæ excitatæ, jam sponte desertæ: sumptus non necessarii contracti. In his rebus primi omnium Eubœenses missis occulte ad Agidem legatis, mox & Lesbii, ad deficiendum ab Atheniensibus se obtulerunt: idemque missa clam legatione ad ipsam civitatem Spartanam a Chiis & Erythræis factum. Cum Chiis Spartam quoque venit legatus Tissaphernis Satrapæ Persici, commeatuum copiam offerens: & eodem fere tempore missi istuc viri duo a Pharnabazo altero Satrapa Persico circa Hellespontum curante, in eundem finem. Chiorum & Erythræorum auxilio statim XL. naves procurante Alcibiade Endii Ephori amico in gratiam Tissaphernis decretæ, sed omnia hæc secrete acta, ne innotescerent Atheniensibus. Chii ipsi tunc LX. navibus fuere instructi. Annus exiit belli Peloponn. XIX.

Annus belli Peloponn. XX.

Naves sociorum Chium mittendæ poscentibus Spartanis ex sinu Corinthiaco per Isthmum traductæ in oppositum sinum Atticam alluentem: quarum navigatio tardata est a Corinthiis propter Isthmia instantia. Quibus celebratis, cum illæ tandem Cenchræis, portu Corinthiorum, numero XXI. solventes in altum venissent Duce Alcamene, & obviam classem Atticam habuissent in hoc emissam, fuga in Piræum portum agri Corinthii desertum, Epidauriis finitimum se recepere, una in pelago amissa. Ibi ab Atheniensibus persequentibus oppugnatæ, & vehementer afflictæ ac laceratæ, & Alcamenes Dux interemptus. Deinde aliquot Atticæ ad eas premendas relictæ: reliquæ ad insulam parvulam ei loco vicinam subductæ, majoraque auxilia contra adven-

A tantes Corinthios & alios finitimos, qui opem laturi erant navibus obsessis, Athenis evocata. Hoc infelici initio turbati Spartani, cum de auxilio Chiis mittendo consilium inciperent abjicere, ab Alcibiade rursum sunt erecti: & ab eodem operam suam promittente ad abducendos ab Atheniensium fide Ionas expeditio cum Chalcideo Lacone suscepta est in Ioniam: cui in eam rem datæ naves quinque studio Endii Ephori, æmuli Agidis Regis. Per idem tempus Gylippus in itinere a classe Attica circa Leucadem in periculum adductus cum navibus XVI. e Sicilia Corinthum rediit, una tantum nave amissa. Alcibiades cum Chalcideo in Ioniam cum
B venisset, inopinato Chium ingressus oratione sua civitatem totam ab Atheniensibus avertit: mox Erythræos quoque & Clazomenios. Quibus Athenas enunciatis, civitas metuens exemplo Chiorum alios quoque socios defecturos, seque in magnum discrimen venturos, mille talenta toto belli tempore intacta (lege enim vetitum erat) urgente jam periculo deprompsit, & in usum belli, præsertim struendæ armandæque classis, vertit. Tum Strombichides ad confirmandam & in fide retinendam Ioniam cum navibus octo Athenis missus Samum venit, atque inde Teum: sed veniente
C istuc cum classe multo majore Chalcideo a Chiis sumpta, & militem secum ducente, ipse Teo profugit. Mox idem Chalcideus & Alcibiades armatis navibus Chiis XX. Miletum profecti eam quoque opera præcipua Alcibiadis, cui necessitudo erat cum primoribus Milesiorum, ad defectionem induxerunt, cum brevi temporis spatio Thrasiclem Atheniensem eo cum XII. navibus ex patria contendentem & Strombichidem antevertissent. Tum prima quoque societas Lacedæmoniis cum Rege Persarum Dario per Tissaphernem & Chalcideum in pernicem Atheniensium coiit, fœdusque scriptum in hanc sententiam. *Quas regiones & urbes*
D *Rex jam habet, & majores ejus ante habuerunt, eæ Regis sunto. Ex iis ne quid pecuniæ, neu quid aliud, uti ante solent, Athenienses accipiant imposterum, pars utraque prohibeto: utrique bellum communi opera contra Athenienses gerunto, nec id nisi communi consensu finiunto. Si quia a Rege defecerint, ii Lacedæmoniis eorumque sociis hostes sunto: item ab his si qui defectionem fecerint, eos Rex vicissim pro hostibus habeto.* Deinde recitantur res in ora Ioniæ a Chiis & Peloponnesiis contra Athenienses & ab Atheniensibus vicissim contra istos gestæ. Tum Sami popularium seditio orta contra primores: horum CC. qui potentissimi erant, occisi, CCCC. in exi-
E lium acti, eorum omnium bona inter populares divisa: facta hæc auxilio Atheniensium, qui tum aderant, & abrogato primorum imperio popularis status institutus, & auctoritate Atheniensium confirmatus. Quo tempore etiam naves Peloponnesiæ in portu Piræo agri Corinthiaci ab Atheniensibus obsessæ eruptione facta Atticas superarunt, & earum quatuor captas abduxerunt, reverteruntque Cenchræas. Ibi classis redintegrata, & sub præfectura Astyochi Spartani missa in Ioniam. Interim Chii in partibus fervidi & industrii sollicitatis variis civitatibus cum classe navium XIII. Lesbum petunt.
F Methymnam primum, deinde relictis illic navibus quatuor, Mitylenem ad deficiendum ab Atheniensibus impellunt. Sed post dies non multos cum supervenisset classis Attica navium XXV. cui præerant Leon & Diomedon, navali & terrestri prœlio ad portum superati Mitylenen rursum amittunt: quanquam in eandem insulam eodem die advectus Astyochus Spartanus ad restituendam rem adesset, & Pyrrham, Eressum, Antissam cepisset, multaque conaretur, efficere tamen non potuit, quin bevi tota insula in potestatem Atheniensium rediret. Astyo-

cho Chium reverſo Athenienſes rebus Lesbii conſtitutis, Clazomenas profecti, reductis ex continente civibus qui iſtuc Athenienſium metu conceſſerant, eas quoque recipiunt: Simul qui circa Miletum erant Athenienſes cum navibus xx. in ora illa in terram egreſſi Chalcideum Ducem Laconicum obviam ſe cum armatis ferentem occidunt. Leon vero & Diomedon viribus aucti, ex Lesbo & Oenuſſis inſulis, locisque aliis Chios infeſtantes, & in inſulam eorum deſcendentes, victoſque eos aliquot prœliis evaſtato feliciſſimo inſulæ agro in extremam anguſtiam, peneque ad deſperationem redigunt. Vergente æſtate alia claſſis Attica præcipuo Duce Phrynicho, qua vehebantur copiæ armatæ tum Athenienſium tum ſociorum ſatis validæ, emiſſa fuit ad oppugnandos & ſub imperium reducendos Mileſios, Mileſiique ab his terra marique preſſi: & pugna terreſtri conſerta, in qua pro Mileſiis ſtetere Alcibiades & ipſe Tiſſaphernes Perſa, & Peloponnenſes aliquot, victi quidem Argivi Athenienſium ſocii a Mileſiis nimium ſiſi viribus ſuis, ſed victoria præcipua penes Athenienſes fuit. Qua freti hi erecto tropæo Miletum in peninſula ſitam obſidere parabant: ſed adventantis claſſis Siculæ & Peloponneſiæ nuncio turbati, hæſitanteſque ſuaſore Phrynicho, antequam pauciores a pluribus opprimerentur, aut ad iniquum prœlium ineundum compelli poſſent, in Samum ſe recepere. Claſſis adveniens, aucta navibus aliquot Chiis, ſub Duce Aſtyocho, petente Tiſſapherne Jaſum invaſit, receptaculum Amorgis Regi Perſico rebellis, eamque cum Amorge vi captam diripuit ac cum omnibus captivis Tiſſapherni tradidit. Inde Miletum victrix reverſa eſt: & ſimul æſtas finem habuit. Per hyemem Tiſſaphernes ipſe Miletum veniens pecuniam ex fœdere Spartanis & ſociis ſolvit, drachmam Atticam menſtruam in ſingula capita. & in futurum tempus de certo ſtipendii modo convenit. Athenis autem nova claſſis, in qua naves erant trigintaquinque, venit Samum: & his additæ naves aliæ, Chio & aliunde evocatæ: Duceſque inter ſe ſortiti diviſis bifariam copiis & navibus quidam in Chium rediere, alii cum navibus ſeptuagintaquatuor Sami manſere, Mileto imminentes. Dein varia tentata in litore Ionio a Peloponneſiis Duce Theramene Spartano ad Pteleum, Clazomenas, Phocæam, Cumam, ubi tum erat Aſtyochus maris iſtius præfectus. Ad quem miſſis legatis ſuis Lesbiorum quidam rurſus inſulæ deditionem ſi auxilia promitterentur, ei obtulere. Sed Corinthiis ob priora recuſantibus tum nihil porro actum. Aſtyochus Chium eſt profectus. Quo cum rurſum veniſſent Lesbii legati idem offerentes, res ad Chios & Pædaritum urbis illius præfectum eſt relata. Sed & iiſdem alia omnia ſentientibus Aſtyochus Miletum repetiit, non ſatis bene erga Chios affectus. Alia etiam acta minuta Erythris & ad Chium. Cnidus ab Athenienſibus oppugnata & prope expugnata. Tum rurſum inter Lacedæmonios ſocioſque, & Regem Darium, ejuſque filios & Tiſſaphernem conventio facta, præſente Theramene Spartano, ut ſocietas & amicitia inter eos eſſet, his conditionibus. *Quæcunque regiones ac urbes Regis Darii ſunt, aut patris ejus aut majorum fuere, in haſce nec belli gerendi, nec ullius mali inferendi cauſa Lacedæmonii eorumve ſocii ingrediuntor, nec tributa ab his exigunto: viciſſim Rex, quive ſub imperio Regis ſunt, nec Lacedæmonios, nec eorum ſocios bello, ullove modo alio lædunto. Si quid Lacedæmonii aut eorum ſocii Regem rogaverint, aut Rex viciſſim illos, atque illi huic, hic illis perſuaſerint, recte id fieri, id ipſum faciunto. Bellum contra Athenienſes pars utraque communi opera gerito, & ſi ſolvendum videbitur, communi quoque conſenſu ſolvito. Quantuſcunque in provincia aliqua Regis exercitus erit, quem Rex auxilio ſibi mitti petet, in eum Rex ſumptus præſtato. Quod ſi qua civitatum cum Rege ſociatarum regionem aliquam Regis invaſerit, reliqui id arcento, Regique pro viribus auxilium ferunto. Et ſi quis e provincia Regis, aut in qua Rex imperium habet, in loca Lacedæmoniorum, ſociorumve invaſerit, Rex id prohibeto, & quantam poterit opem iis ferto.* Hoc fœdere patrato Theramenes, claſſe Aſtyocho tradita, in celoce abnavigans e conſpectu abiit. Athenienſes ex Lesbo in Chium transvecti Delphinium in inſula locum opportunum, & urbi vicinum, portuque commodum muniunt, atque omnia Chiis difficiliora faciunt. Cumque nec Chii ſatis inter ſe concordes eſſent mutuaque diffidentia laborarent, ab Aſtyocho Mileti agenti ſubitum auxilium flagitant. Quod cum ille priorum memor negaret, Pædaritus id non ſine accuſatione Aſtyochi Lacedæmonem perſcribit. Circiter tempus idem cum Pharnabazo altero Perſico præfecto, qui circa Helleſpontum Regis ſui res curabat, & legatos Spartam miſerat, negocium ob quod legati venerant, Spartæ confectum, armatæque in Peloponneſo naves xxvii. & eæ circa brumam in Ioniam vectæ ſub præfecto Antiſthene cum Spartiatis aliis xi. qui a conſiliis eſſent Aſtyocho. His in mandatis datum ut naves has ſive plures ſive pauciores ex Ionia in Helleſpontum mitterent ad Pharnabazum Duce Clearcho Ramphii, qui una navigabat, utque Aſtyocho qui ſe ſuſpectum fecerat, a claſſis præfectura amoto, ſi ipſis ſic videretur, Antiſthenem ſurrogarent. Ab his navibus in trajectu ad Melum inſulam x. naves Atticæ deprehenſæ, & earum tres captæ, cæteræ fuga elapſæ ſunt: a quibus nunciatum Athenienſibus qui Sami erant, adventare iſtas ex Peloponneſo. Quod veritæ Peloponneſiæ recto curſu declinato Cretam atque inde Caunum Cariæ petiere, de adventu ſuo eos, qui ad Miletum erant ſocii, certiores fecere.

Inter quæ Aſtyochus inſtantibus & urgentibus Pædarito & Chiis, idemque flagitantibus cæteris ſociis, pene invitus ad ferendam laborantibus opem ſe paraverat. Sed nuncio accepto de claſſe Peloponneſia Caunum advecta, quæ occurri ſibi poſcebat, rapta hac occaſione, quæ ſe offerebat, neglectis Chiis, Caunum vectus fuit, & in curſu Con invadens urbem muris tum carentem, & cum ea totam inſulam diripuit. Unde progreſſurus, & Cnidum appellens Cnidiorum monitu feſtinavit ad occurrendum navibus Atticis, quæ indicio accepto e Samo in pelagus Rhodo vicinum ſe contulerant, & Peloponneſias, quæ Cauni jam erant, obſervabant. Ad quas cum perveniſſet, inter ipſius & Athenienſium claſſem per partes pugnatum: Athenienſes illata primum non magna, deinde accepta majore clade Halicarnaſſum ſe recepere. Victores Cnidum rediere. Ibi rurſum ab Athenienſibus claſſe majore auctis e Samo oſtentata hoſtibus acies, ſed pugna non contracta: demum Samus repetita. A Peloponneſiis tota claſſis Cnidi contracta: quo venit & Tiſſaphernes. Illic cum eo locuti de vitiis fœderis xi-viri Spartiatæ & ea corrigi poſcentes (nam utroque ex fœdere prius percuſſo oportebat inſulas omnes, & Theſſaliam, & Locros, & Bœotiam, quæ antea in poteſtate Perſarum fuerant, in eorundem poteſtatem redire: quod indignum Laconibus videbatur, vindicationem Græcorum in libertatem contra oppreſſores Athenienſes profitentibus) offenderunt eum graviter. Quo cum ſtomacho re infecta digreſſo, ipſi cum univerſa claſſe navium XCIIII. Rhodum a nonnullis vocati contenderunt, totamque inſulam ab Athenienſibus averſam non armis, ſed oratione in ſocietatem ſuam traxere. Quod ne fieret, ſero atque ideo fruſtra ſe moverunt Athe-

nienses ex Samo, & post Rhodios armis infestarunt. Peloponnesii subductis navibus per reliquum hyemis XXXII. talenta tributi nomine a Rhodiis exegere. Hoc vero successu freti (erat enim Rhodus præpotens) fidentius Persarum societatem & pecuniam sprevere. Interea Alcibiades a morte Chalcidei, pugnaque ad Miletum, in suspicionem sinistram adductus apud Peloponnenses, & jam ante invisus Agidi Regi, præsertim cum de eo interficiendo Sparta mandatum ad Astyochum, ut ferebatur, esset missum, metuens sibi ad Tissaphernem secessit, ipsis vicissim inimicus. Nam & statum rerum Peloponnensium Tissapherni aperuit, & minuendi stipendii quod his a Persis dabatur, auctor eidem fuit, ut scilicet pro drachma diurna tres tantum oboli, exemplo Atheniensium, qui rei nauticæ peritissimi totidem obolos solummodo classiariis suis numerarent, darentur, & ut eorum obolorum pars aliqua semper insoluta maneret, obses futura fidei classiariorum. Dein & in aliis opera ab eo Tissapherni navata, & callida consilia illi suggesta: inprimis, ne sineret Athenienses opprimi a Spartanis, nec hos ab Atheniensibus, sed utrosque retineret in æquilibrio, & permitteret eos mutuis sese armis atterere, si res sui Regis salvas esse vellet; pluscculum tamen Atheniensibus quam Spartanis indulgeret, quia illi maris imperio ex parte occupato contenti sint futuri, nec ituri ulterius, hi quieturi non sint, nisi toto maris imperio rapto, & Græcis omnibus, etiam in Asia, in libertatem contra Regem Persarum assertis. Et in his omnibus fides a Tissapherne ei habita, ac mos gestus. Itaque promissum de classe Phœnicia cum Peloponnesia jungenda non præstitum, & vires florentissimæ classis sociorum, subtracto stipendio, enervatæ. Nam Alcibiadi jam invaserat desiderium redeundi in patriam, quo reverti non poterat, nisi ea incolumi servata. Itaque & ad primores Atheniensium, qui Sami erant, scripsit de hoc desiderio suo, & de consiliis quibusdam cum Tissapherne a se agitatis; sed ostendit sub statu populari sibi inimico, (a populo enim in exilium actus erat) redire se non cupere, cupere autem, si in oligarchicum videret eum mutatum. Quod cum plerisque primorum in Samo haud displiceret, statim ab iis consilia concepta status popularis in patria antiquandi. Quidam etiam eorum non nolentibus cæteris, nec adversante multitudine ad Alcibiadem ipsum profecti, & cum eo de omnibus locuti prolixius, atque ab eo persuasi redierunt ad suos, affirmaruntque certo, Alcibiadis opera Tissaphernem ipsumque Regem Atheniensibus conciliatum iri, si Athenis paucorum potestas, cui Rex magis quam potestati populi fideret, instituatur, & Alcibiades restituatur in integrum. Atque hæc apud militum vulgus quoque jactata, idque in eandem sententiam spe stipendii Persici, quod promittebatur, pertractum. At procerum multi animis fluctuantes magis tamen in partes Alcibiadis inclinabant. Verum Phrynichus præcipuus Dux diversum sentiens omnibus modis contra nitebatur: & cum verbis nihil proficeret, sibi metuens ob ea, quæ liberius contra Alcibiadem erat locutus, si se in potestatem ipsius pervenire contingeret, sumpto audaci consilio, quid ab Alcibiade ageretur, clam Astyocho hostium Duci per literas enunciavit. Astyochus de Alcibiade perdendo curam posthabens, quippe quem in potestate sua jam non haberet, ad eum cum Tissapherne in Magnesia agentem statim profectus, utrique, quid a Phrynicho accepisset, exposuit, nec ipse satis fidus patriæ, a Tissapherne pecunia seductus. Alcibiades nihil cunctans, quid a Phrynicho esset factum in magnam patriæ fraudem, ad eos, qui Sami erant, perscripsit, postulavitque ut patriæ tam manifestum hostem morte mulctarent. Quo cognito Phrynichus, in extremo se positum discrimine videns, animo vehementer turbatus, ac in Astyochum ira æstuans, temeritatem temeritate, ut in rebus desperatis fieri solet, cumulans, denuo ad eundem Astyochum literas dat, eumque proditi secreti accusat, & tamen paratum se etiam nunc esse profitetur, exercitum omnem Atheniensium Sami degentem cum ipsa Samo Laconibus tradere; idque sibi factu esse facile docet, cum Samus muro jam careat, nec vitio sibi verti in tanto periculo a capitalibus inimicis suis versanti idipsum oportere, cum in casibus hujusmodi omnis ratio honesta sit expediendæ salutis. Sed & hoc ad Alcibiadem detulit Astyochus. Quod præsentiens Phrynichus & in improbitatem hominis secum stomachans, alio statim animum subito vertit. Antevertens literas Alcibiadis, quas adfuturas paulo post non dubitabat, exercitui ipse indicium facit, hostes constituisse Samum muro carentem exercitu & classe invadere, mandatque pro imperio, quo præditus erat, ut quam celerrime muro Samum claudant, custodiasque diligentes agitent. Statimque mos ei gestus. Et quamvis paulo post supervenerit ab Alcibiade epistola, rursus pessima consilia Phrynichi prodens, tamen fides ei non est habita, utpote a Phrynichi inimico infensissimo profectæ, imo firmandæ fidei ejus contra quem erat scripta, ea ipsa fuit versa. Post quæ Alcibiades annititur, ut Tissaphernem Atheniensibus conciliet, jam tum sibi a Peloponnensium crescente maritima potentia, qua Athenienses videbantur superare, metuentem, & nihilominus istuc consilia referentem sua, ne fidei omnis, qua valuerat hactenus apud Peloponnesios, jacturam faciat, præsertim post controversiam sibi motam de nupero fœdere, cujus Princeps ab ista parte fuerat Theramenes. In quo dum esset Alcibiades, legati Principe Pisandro, Samo Athenas missi, quod in mandatis acceperant, cum populo agunt de abrogando statu populari, & Alcibiade restituendo, demonstrantes eam unicam esse rationem conciliandæ sibi societatis Persicæ, & victoriæ contra Peloponnenses parandæ. Et quanquam se opponerent multi, tum retinendi status popularis percupidi, tum restituendi Alcibiadis valde impatientes, cujus exilium perpetuum per diras execrationes sancitum esse dicebant, tamen contentione Pisandri qui aut pereundum civitati, aut ista admittenda qua privatim, qua publice demonstrabat, ostendebatque, hoc modo declinato jam imminente exitio, si post mutati status pœniteret, posse civitatem ad instituta prisca reverti, hoc tandem est effectum, ut populus necessitate circumventum se cernens, postulatis annueret. Statimque ex populi decreto Pisander cum collegis X. missus ad Tissaphernem & Alcibiadem, ut de certis conditionibus quas maxime ex usu patriæ esse putarent, quasque obtinere possent, cum iis transigerent. Phrynicho vero præfectura classis abrogata, & in Leontem ac Diomedontem translata. Et hi accepto imperio Rhodiis & classi Peloponnensi apud Rhodios hybernanti ex ea vicinia armis molesti fuere. Chii etiam tentato armorum periculo, post primos successus victi ab Atheniensibus, amisso quoque in conflictu Pædarito Præfecto, in majores quam ante angustias sunt redacti. At cum Pisandro & collegis a Tissapherne & Alcibiade quibuscum in colloquium venerant, actum lubrice, a Tissapherne quidem occulto metu de Laconibus occupato, atque ideo ne Alcibiadi quidem se prorsus aperiente, aut certam ei spem faciente, ab Alcibiade autem timente, ne existimationem gratiæ & potentiæ, quam apud Tissaphernem Persasque habere putabatur, quaque se venditaverat, apud Athenienses suos amitteret. Itaque

cum animadverteret, Tissaphernem transigendi ani- A mum non habere, sed velle partem utramque, id quod ipse prius suaserat, amplius adhuc collidi, & se mutuo atterere, callide usque eo, cum pro Tissapherne, ipso Tissapherne assistente verba faceret, progressus est sensim, ut posceret, quæ Athenienses non admissuros esse sciebat. Quibus recusatis velut nimium iniquis, quæ velut æqua postulabantur, culpam rei non confectæ in ipsos Athenienses, qui æquis conditionibus non acquiescerent, conjecit. Sic re infecta cum stomacho Atheniensium in Alcibiadem ludificatorem discessum. Tissaphernes autem suas res agens haud multo post, eadem adhuc fluente hyeme, ut id quod propositum habebat collidendis inter se Græcis, promoveret, B veritus si stipendium diutius Peloponnesiis subtraheret, fore ut necessariis destituti, & ab Atheniensibus ad pugnam descendere forte coacti, in pugna succumberent, atque ita Athenienses etiam fine se voto suo potirentur, & simul regiæ provinciæ direptionis periculo exponerentur, forsan etiam, ne quos jam amicos aut pacatos haberet, hostes sibi faceret, in Cariam profectus Peloponnesiis se obtulit, & post colloquium in novum fœdus prioribus æquius cum iis coiens promissa stipendia exsolvit, & auxiliatricem classem Phœniciam pollicitus est. Fœderi annus Darii Regis decimus tertius, & Ephorus Spartanus ἐπώνυμος Alexipidas [1], & locus ad Mæandrum fluvium præscripti fuere: adscriptaque nomina Tissaphernis & Hieramenis C liberorumque Pharnacis. Ipsa pactorum verba sic habuere. *Regiones Regis quæ in* ASIA *sunt, Rex teneto, & de regionibus suis, ut volet, consilium capito. Lacedæmonii & socii in regiones Regis, ut iis male faciant, ne veniunto, neque Rex in regiones illorum. Quod si quis Lacedæmoniorum aut sociorum id fecerit, Lacedæmonii ac socii cæteri id avertunto: & si quis e regione aliqua Regis in regionem Lacedæmoniorum & sociorum nocendi ergo incurrerit, Rex probibeto. Navibus, quæ jam præsentes sunt, Tissaphernes ex pacto stipendium præstato, donec naves Regis advenerint: quæ ubi præsto fuerint, Lacedæmonii & socii, si volent, classem illam suam alunto & sibi habento; quod si a Tissapherne eam ali volent,* D *Tissaphernes id facitò: Lacedæmonii vero ac socii bello finito pecuniam illam integram, quantam ab eo acceperint, Tissapherni refundunto. Postquam naves Regis advenerint, eæ simul cum navibus Lacedæmoniorum & sociorum in hostes bellum gerunto, quatenus Tissapherni & Lacedæmoniis sociisque videbitur. At si componere bellum cum Atheniensibus placuerit, pariter componunto.* Fœdere percusso Tissaphernes id operam dabat, ut tum alia de quibus convenerat, tum id quod erat de navibus Phœniciis, re ipsa præstare velle videretur. Ver- E gente hac hyeme Oropus in confinibus Bœotiæ & terræ Atticæ ad mare sita e regione Eretriæ Euboicæ, conspiratione & ope quorundam Oropiorum & Eretrientium imperio Atheniensium a Bœotis est erepta: per quam sperabant Bœoti universam Eubœam ab Atheniensibus esse aversuros, quo inclinabant potissimum Eretrienses Eubœæ potentissimi. In quem finem statim missis Rhodum legatis, Peloponnenses rogati sunt, ut in Eubœam quam primum veniant. Verum cura de Chio id facere Peloponnenses non sivit: in cujus subsidium classem quidem expediverunt, sed cum Athenienses mare vicinum navibus obtinerent, classis illa ul- F tra Miletum tunc non est progressa: Atticæque naves Samum sunt reversæ. Καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα ἔτος, καὶ εἰκοστὸν ἔτος ἐτελεύτα τῷ πολέμῳ τῷδε, ὃν Θουκυδίδης συνέγραψε.

1. In Thucydide scribitur Ἀλεξιππίδα.

Annus XXI. *belli Pelopon. surgens.*

Ineunte vere Dercylidas Spartanus Mileto itinere terrestri profectus in Hellespontum cum manu non magna missus Abydon Milesiorum coloniam nullo negocio a fide Atheniensium avertit, quemadmodum & Lampsacum vicinum biduo post. Interea & Chii accepto novo Præfecto Leonte, & Mileto missis navibus XII. cum urgeret prope necessitas, egressi urbe navibus instructi XXXVI. Atheniensium naves XXXII. invasere: & cum fortiter utrinque dimicatum esset aliquandiu, sera cum vespera æquo fere Marte e prœlio digressi in urbem se recepere. Cum vero percrebuisset fama de iis, quæ in ora Hellesponti acciderant, festinus venit isthuc ex Co insula, ubi classem habebant Athenienses, Strombichides Dux Atticus cum navibus XXIIII. confligensque cum Lampsacenis victoria potitus Lampsacum statim recepit muris orbam, rebusque ibi constitutis Abydum aggressus, sed ab Abydenis fortiter se tuentibus rejectus, Sestum e regione sitam in Europa trajecit, ibique præsidium ad tutelam totius Hellesponti collocavit. Circiter idem tempus atque etiam paulo ante status popularis Athenis est solutus. Nam a Pisandro & collegis a Tissapherne Samum reversis, hortantibus quoque Samiorum plerisque, quibus displicere populi potentia cœperat, consilia inita sunt, Alcibiade neglecto, cui res cordi non esset, de mutando Atticæ reipublicæ statu, deque bello sustinendo, & conferenda ultro in eum usum ex censibus privatis pecunia rebusque aliis quibus sit opus. Dicebant enim, ut se mutuo stimularent, non pro aliis, sed pro semetipsis onera ista subeunda. Quibus præparatis & constitutis Pisander cum collegarum parte media missus fuit Athenas, ut & illic & quibus in civitatibus Atheniensium imperio subjectis possent, res istas conficerent. Reliqui collegæ in alias regiones Atheniensibus parentes earundem rerum gratia ablegati. Diotrephes etiam, cui Thracia curanda erat assignata, tum circa Chium hærenti, in provinciam suam ea propter ire jussus cum Thasum venisset, abolita statim Democratia Oligarchiam istic constituit. A cujus abitu mense altero Thasii occasione prehensa urbem suam muro clauserunt, & Atheniensium imperio valedixerunt, spe freti, auxilio Peloponnensium, apud quos exules sui ab Atheniensibus olim patria ejecti ob studium partium meliorum degebant, plenam libertatem sese recuperaturos. Atque hoc exemplo multæ civitates aliæ, quæ sub specie ac titulo libertatis Atheniensibus hactenus servierant, videntur imitatæ. Pisander vero cum collegis, qui passim in urbibus Democratiam in Oligarchiam, ut mandatum ei erat, convertit, assumptis hinc inde armatis subsidiis cum Athenas venisset, reperit pleraque jam a consilii ejusdem sociis esse confecta. Id sic accidit. Erat Athenis in statu populari præpotens, & status ejus defensor acerrimus & populo gratissimus Androcles, quo auctore præcipuo Alcibiades erat patria expulsus. Hunc juniores quidam conspirantes clam trucidarant, tum ut Alcibiadem ac Tissaphernem demererentur, tum ut factionis popularis Ducem innovando statui impedimento futurum submoverent e medio: similiterque alios quosdam ejus generis secreto interemerunt. Tum oratio ab iisdem hujusmodi jactata, non esse cuiquam mercedem pendendam nisi militanti, nec potestatis publicæ participes admittendos præter quinquies mille, eosque potissimum, qui pecunia & corporibus prodesse reipublicæ possint. Speciosa hæc, & commoda iis, qui hæc agebant. Nam mutatione hac in se potestatem reipublicæ derivaturi erant. Interea tamen & populus & senatus more solito coibant; sed nihil statuebant, nisi quod conjuratis pla-

ceret, quorum magnus jam erat numerus. Et ex his erant etiam ii, qui verba ad populum faciebant; qui nihil proponebant aut dicebant, nisi de quo inter ipsos conspirantes convenisset.

Atque his nemo omnino contradicere audebat. Nam qui extra horum consortium erant, omnes in metu erant, & sibi mutuo diffidebant, nec audebant inter se aut conqueri de iis, quæ videbant fieri, aut inter se consilia conferre, adeo ut ne amicis quidem amicis tuto se fidere posse putarent. Nam etiam ex iis quidam in partibus istis cernebantur, qui Oligarchias solent odisse: & si quis contra ea, quæ dicebantur, aut fiebant, vel hisceret, is interimebatur, nec quisquam in percussores inquirebat, aut contra suspectos quicquam agebat, omnesque silentium tutissimum sibi præsidium esse arbitrabantur. Et quanquam conspirantium numerus bene magnus esset, tamen major etiam quam erat, esse credebatur. Quæ cum sic haberent, Pisander & collegæ ipsius in urbem veniunt, & reliqua peragunt. Hi primum omnium vocato ad concionem populo sententiam dicunt, viros x. designandos ξυγγραφέας αὐτοκράτορας, id est, scribas cum summa potestate, qui concipiant & conscribant ea, quæ ad civitatem quam optime constituendam putabunt facere, eademque ad diem certum, ad populum referant. Ubi dies dicta advenit, populi concio habetur non in urbe sed extra eam loco commodo stadiis x. ab urbe disjuncto. Illic scribæ hi hanc sententiam promulgant: Licere Atheniensium cuivis quam velit sententiam dicere: si quis dicentem violatarum legum propterea accuset, aut quovis modo alio lædat, gravibus pœnis afficiatur. *Tum claris verbis pronunciant, nullum magistratum ex instituto pristino capessendum gerendumve, nullam rei gerendæ causa mercedem accipiendam: quinque vero præsides deligendos, qui viros centum designent, & horum singuli tres porro sibi cooptent, ut omnes fiant* cccc. *Hi* cccc. *in curia congregati, summa potestate præditi* (αὐτοκράτορες) *decernant & statuant, quod ipsi optimum judicabunt: quinque autem illa millia convocent cum ipsis videbitur.* Et hanc rogationem (ait *Thucydides*) præcipue tulit Pisander in abrogando statu populari perquam gnavus: sed qui eam concepit, totumque negocium consilio suo direxit, fuit Antiphon, cuncta jam ante præmeditatus, vir sui sæculi in civitate optimus, ingenio & facundia præstantissimus (ut ait idem *Thucydides*,) sed a regenda republica & negociis agendis alienissimus. Post Pisandrum Phrynichus quoque in hac scena fuit ex actoribus præcipuis non amore ac studio Oligarchiæ sed metu Alcibiadis, quem Sami sciebat perniciem sibi struxisse, & sub Oligarchis putabat nunquam in patriam esse rediturum, vir contra pericula insurgens. Et cum his eximium se præstitit in hoc negocio Theramenes Agnonis filius mente & lingua validus. Res hæc ardua quidem, sed tamen confecta. Arduum quippe erat, populum Atticum centum jam annis post exactos tyrannos assuetum legibus suis, nec solum nullius imperio parentem, sed diutius etiam quam annis L. aliis imperantem, libertate illa ac potestate illustri exuere. Cum igitur rogationi dictæ in concione nemo se opposuisset, cccc. illi solemni modo, succincti ipsi sub veste pugionibus & armatis stipati in curiam sunt deducti, & pristino senatu e curia dimisso, soluto ei salario quod solvi solet, designatis ex sui medio Prytanibus totius collegii Principibus, & sacris rite peractis, consulere reipublicæ & potestatem exercere cœpere, sed non sine sanguine, carceribus & exiliis. Misere quoque caduceatores Deceleam ad Agidem Regem Spartanum de pace verba facturos, quæ felicius secum quam cum mobili & inconstante populo esset coitura. Sed Agis fidem his rebus non habens, & populum ad instituta priora facile rediturum existimans, sine responso eos domum remisit, evocatoque e Peloponneso majore exercitu Decelea infestus ad urbem accessit, sperans rebus hoc modo commotis, nec satis adhuc compositis, ostentato ingenti exercitu, & vi admota, urbe aut dedita, aut expugnata se potiturum. Verum spe frustratus, resistentibus fortiter Atheniensibus & excursu insuper facto in eum pugnantibus, dimisso novo exercitu, cum copiis reliquis Deceleam regressus est. Post quæ a cccc-viris denuo missi de pace legati ad Agidem, & hi eo monente ex voluntate suorum Spartam sunt profecti. Sed quis legationis istius fuerit eventus, non a *Thucydide* expositum. Missi quoque ab iisdem cccc-viris mox a statu reipublicæ mutato viri alii x. numero Samum ad nauticum exercitum, ut eum docerent, non civitatis aut civium malo, sed maximo bono mutationem istam esse factam: nec solos cccc-viros rempublicam gerere, sed præter eos quinquies mille potestatis esse consortes, supra quem numerum nunquam etiam prioribus temporibus in expeditionibus & negociis extraneis soleant Athenienses consilii causa convenire, & simul dicere alia, quæ ad rem pertinerent. Metuebant enim a classiaria multitudine Oligarchiæ impatiente, ne motus aliquis illic concitatus, & inde in urbem se porrigens exitio esset ipsis futurus: id quod accidit. Etenim Sami a statu populari opera maxime Pisandri & Atheniensium aliorum, qui cum ipso faciebant, respublica reciderat denuo in paucorum potestatem. Verum eodem fere tempore, quo Athenis conversio status publici est facta, absente jam Pisandro, res rursus novandi, id est, a trecentis, quibus respublica Samia erat tradita, ad populum iterum eam transferendi studium multos invaserat. Qui cum propterea in periculo se versari viderent, (nam cædibus in nonnullos popularis status studiosos erat animadversum, malumque jam pluribus paratum,) Ducibus Atticis Leonti & Diomedonti, qui a populo honoribus ornati non libentes Oligarchiam ferebant, & præter hos Thrasybulo, ac Thrasyllo, quorum ille trierarchus, hic gravis armaturæ præfectus erat, tum etiam aliis, quibus invisa maxime factio illa esse videbatur, id significabant: eosque rogabant, ne se morti destinatos, ne Samum in periculo recedendi a societate Atheniensium versantem, per quam solam imperium eorum hactenus incolume stetisset, neglectui haberent. Ab his statim appellati singuli milites, & causa hæc illis commendata: inprimis actum cum Paralis hominibus ingenio liberis, civitate Atheniensibus, osoribus status oligarchici, quibus maxime fidebant Leon & Diomedon; qui si quando aliquo navigarent, curam tuendorum popularium Samiorum tum cæteris omnibus quos illic relinquebant, tum præcipue his, qui Paralo navi vehebantur, contra vim trecentorum demandabant. Quo modo factum, ut succurrentibus his repressi sint conatus violenti trecentorum, & xxx. ex iis cæsi, tres nocentissimi in exilium pulsi: reliquis vero venia data, & popularis status civitati Samiæ redditus. His factis Paralos navis cum Chærea præfecto tum a Samiis tum ab Atheniensibus quam celerrime Athenas missa ad nunciandum ea, quæ Sami erant acta. Necdum enim tunc cognitum his erat, Athenis rempublicam esse mutatam. Venit ergo hæc navis valde invisa cccc-viris, & vectorum ejus duo tresve ab iis in vincula conjecti, reliqui in aliam translati navem in Eubœam, tuendæ insulæ, amandati sunt. At Chæreas statim se abdens, & aliquandiu latitans in urbe, cum didicisset, quæ ibi fierent, Samum reversus, retulit suis quæ Athenis cognoverat, omniaque in majus auxit, eos scilicet, qui jam rempublicam tenerent, verberibus omnes

mulctare, atque tanto in metu tenere, ut nemo jam iis contradicere audeat: conjuges & liberos eorum contumeliis afficere: constituisse omnium in Samo militantium, ac a se diffidentium, propinquos comprehensos in vinculis habere, ut si ipsis assentire milites nolint, vinctos occidant; & alia plura veris falsa addita. Quibus auditis milites ira incensi statuerunt impetum vertere non solum in præcipuos Oligarchiæ Athenis inductæ auctores, sed etiam in omnes, qui ejus sint participes, eosque neci dare. Sed interventu aliorum inhibiti, & edocti, sine dubio id, hostibus infesta classe imminentibus, toti patriæ exitio futurum, ab ea mente tum destiterunt. Post quæ Thrasybulus & Thrasyllus, qui præ cæteris in restituendo statu populari ferventes fuerant, cum vellent eum jam illustri modo ac ritu stabilire, cum cæteros milites omnes, tum eos maxime, quos Oligarchiæ norant studiosos, maximum jurare juramentum adegerunt, scilicet facturos se pro statu populari, & idem cum ipsis sensuros, bellum contra Peloponnenses impigre gesturos, cccc-viros Athenis dominantes pro hostibus esse habituros, nec quicquam per caduceatores cum iis acturos. Idemque jusjurandum dederunt Samii omnes, qui justam ætatem habebant. Nam cum his omnia sibi negocia, omnia certaminum eventa communia esse milites voluerunt, existimantes hanc unicam ad expediendam salutem & sibi & ipsis rationem esse reliquam, omnibusque pariter pereundum, si aut cccc-viri illi, aut hostes Peloponnenses Mileti nunc agentes victoriæ compotes fiant. Iidem etiam milites in concionem coeuntes, plerosque priorem Ducum, inprimis autem eos, quos suspectos habebant, munere amoverunt, aliosque his tum triremium Præfectos, tum belli Duces surrogarunt: in quibus Thrasybulus & Thrasyllus fuere. Tum mutuo sese hortati sunt ad bene sperandum, ac rem forti animo capessendam variis in id rationibus usi: urbem ab exercitu, non vero exercitum ab urbe defecisse: se & plures esse numero, & pluribus rebus abundare: penes se totam classem esse, & per eam posse se civitates omnes Attico imperio subjectas æqua ratione tributo adigere, non minus quam si Athenis venirent: quippe tenere se Samum civitatem haud infirmam, quæ cum civitate Attica de maris imperio armis olim contenderit, & non procul a victoria abfuerit: sibique facultatem majorem esse parandæ commeatuum copiæ, qui naves in potestate habeant, quam illis: & se facilius usu maris eos, qui jam Athenas teneant, exclusuros & in arctum redacturos, ni rempublicam restituant, quam sibi hoc ab ipsis expectandum: exiguum quoque illis præsidium esse in eo, quod urbe Attica potiantur, pecuniis & rebus aliis jam exhausta, ac sano consilio, quo reipublicæ conservatio potissimum nititur, destituta: esseque illos non parvo piaculo violatarum & pessundatarum legum patriarum obligatos, quas leges ipsi, qui in exercitu sint, in honore habeant, secumque statuerint, ad has easdem restituendas summa ope illos etiam compellere: sibi adfore Alcibiadem, si ei securitas, & reditus in patriam promittetur, & Tissaphernem, ipsumque Regem Persarum in partes secum tracturum; denique, si reliqua deficiant, facultatem non defuturam, tanta classe & milite classiario instructis, alicubi reperiendarum & ponendarum non incommodarum sedium. Quibus dum se mutuo exsuscitant atque animant, simul etiam ea quæ ad bellum gerendum pertinebant, non minus curabant. At x. legati, qui a cccc-viris ad eos ire jussi erant, cum Delum venissent, & de his certiores essent facti, ibi substitere. Interea Mileti sinistri & tumultuosi clamores in exercitu Peloponnesi commoti contra Astyochum & Tissapher-

A nem, quod neglectis feliciter pugnandi occasionibus optimis, & differendis promissis, & non solvendis stipendiis fortunam sociorum everterent. Atque etiam pugna tunc flagitata, dum inter se diffiderent Athenienses: tandemque classis ab Astyocho flagitationibus victo educta versus Mycalen navium CXII. pedestresque copiæ eodem ductæ. Sed pugnandi copia ab Atheniensibus non est facta. Nam hi cum classem haberent navium LXXXII. ad Glaucam Mycales stantem, viderentque numero navium se vinci, quo navibus aliis, quæ in Hellesponto aberant, juncti vincere poterant, Samum B se recepere: Peloponnesii vero cum sociis copiis terrestribus ad Mycalen castris positis, postridie Samum petentes cognovere naves ex Hellesponto cum Duce suo Strombichide istuc reversas: eoque nuncio consternati subito Miletum repetivere. Quos secuti Athenienses jam habentes armatas naves CVIII. explicata acie ad pugnam navalem se paratos ostenderunt. Verum non prodeuntibus hostibus Samum sine pugna rediere. Post quæ Peloponnesii animadvertentes, ne cum universa quidem classe sustinere se robur classis Atticæ posse, nec habere se, unde tot classiariis stipendia solverent, præsertim Tissapherne maligne promissa præstante, Clearchum C Ramphii filium cum navibus XL. ad Pharnabazum in Hellespontum, ultro invitantem, & stipendia prompta pollicentem, aliaque studia offerentem mittunt. Verum is longius a conspectu hostium cursu instituto deprehensus a tempestate, classe disjecta, cum navium parte Delum compellitur, indeque Miletum revehitur, reliqua classis parte cursum tenente. Mileto vero Clearchus itinere terrestri in Hellespontum profectus, recepta illic classe, & Byzantio admota eam urbem in partes trahit. Qua re audita Athenienses, qui Sami erant, misso istuc aliquo navium numero, quæ Hellesponto præsidio essent, & levi pugna juxta Byzan- D tium commissa, octonis utrinque navibus congressis actum agunt. Interea Thrasybulus semper Alcibiadis in patriam reducendi cupidus Sami frequenti in concione persuadet exercitui, quod cupiebat, scriptoque decreto, quo reditus indemnis ei promittebatur, ipse suscepta ad Tissaphernem navigatione, Alcibiadem secum Samum rediens adduxit. Ibi Alcibiades, data sibi concione, questus de inimicorum injuriis & exilii sui incommodis, ac prolixe de republica locutus in maximam spem omnes erexit: simul supra modum suam apud Tissaphernem gratiam potentiamque prædicavit, tum ut iis, qui Athenis jam rerum potiebantur, metum E ex se injiceret, conspirationesque eorum discuteret, tum etiam, ut obtrectandi libidinem, qua agebantur Peloponnenses in Tissaphernem, magis magisque incenderet, atque ita effectum daret, ut ii omni spe sua exciderent. Enimvero amplissimis verbis affirmabat, pollicitum sibi Tissaphernem, a se nunquam defore Atheniensibus stipendia, quamdiu aliquid in rebus suis haberet, usque ad venditionem strati sui; navesque etiam Phœnicum, quæ jam Aspendi paratæ essent, non Peloponnesiis sed Atheniensibus se adducturum: Verum hac solummodo ratione Atheniensibus se fidem habiturum, si ipse reversus pro iis sponsor fieret. His illi F & similibus aliis auditi, confestim Imperatorem Alcibiadem creatum prioribus addiderunt, rerumque summam ipsi commiserunt, tanta repente spe concepta tum de salute sua tum de supplicio CCCC.-virum, ut profiterentur freti his promissis, contempto hoste vicino recta se in Piræum navigaturos. Sed obstitit Alcibiades negans occipiendum, quod temeritatem haberet, dixitque quoniam sibi imperium esset commissum, se ad Tissaphernem iturum, & cum eo de rebus agendis constiturum. Nec

A moratus ad eum contendit tum ut faceret, quod dixerat, tum ut ei quoque se venditaret imperio jam præditus, qui & prodesse & obesse ipsi jam posset. Atque ita effecit vir versutus, ut Tissaphernem in metu haberet ab Atheniensibus & Athenienses a Tissapherne. Quin & illud statim hinc extitit, quod intenderat Alcibiades. Nam Peloponnenses cognito ejus reditu, quanquam jam ante diffiderent Tissapherni, tamen tunc multo magis eum criminabantur. Dolebant quippe, post detrectatam nuper prope Miletum pugnam navalem, segnius sibi a Tissapherne stipendia esse soluta: & nunc magis ob ea, quæ ab Alcibiade sunt dicta, indignabantur.
B Fremebantque in congressibus non solum militum vulgus, sed etiam primorum quidam, quod neque integrum acciperent stipendium, neque continuo tempore; dictitabantque, nisi prœlio navali decerneretur, aut iretur alio, ubi commeatuum copia haberi posset, futurum certo, ut naves ab hominibus desererentur: omnesque in Astyochum culpam conferebant, qui privati commodi gratia cum Tissapherne colluderet. Atque inter hæc accidit, ut a Syracusanis & Thurinis hominibus liberis stipendium audacius flagitantibus, cum ferocius iis Astyochus responderet, ac Dorieo quoque militibus astipulanti
C fustem intentaret, concitato tumultu Astyochus in vitæ discrimen veniret, periturus sine dubio, nisi ad aram repente confugisset. Tum quoque rebus commotis, castellum, quod Mileti Tissaphernes extruxerat, a Milesiis clam impetu facto occupatum, præsidiumque ejectum: & id a sociis reliquis probatum, maxime a Syracusanis, solo improbante Licha; qui dicebat videri sibi, comiter parendum Tissapherni moderate imperanti non Milesiis solum sed & aliis, qui in solo Regis sedem tenerent, donec bello felix finis imponeretur. Quam ob causam indignati Milesii eum paulo post mortuum sepeliri in urbe sua, cum id peterent Lacedæmonii, non sunt passi.
D Ea durante discordia Lacedæmone supervenit Mindarus successor Astyocho missus: moxque Astyochus tradito ei classis imperio domum navigavit, eique adjunctus a Tissapherne legatus Gauletes e Caria oriundus, qui & Milesios de castello accusaret, & ipsum Tissaphernem contra eorum, & Hermocratis, qui eodem ibant, delationes tueretur. Qui dum Peloponnesum petunt, Alcibiades a Tissapherne Samum redit: & eodem veniunt e Delo legati cccc-virorum, de quibus ante dictum. His concione data acclamatum a militibus audire eos nolentibus vociferantibusque neci dandos, qui statum popularem sustulissent: mox æstu illo sedato, & silentio
E facto locuti sunt ea, quæ in mandatis acceperant: nec in exitium civitatis aut cujusquam civium mutatum statum reipublicæ, sed in salutem: nec solos cccc-viros rerum potiri, sed quinquies mille potestatis publicæ participes esse: nec in mentem iis venisse, rempublicam hostibus prodere; quod factu ipsis proclive fuisset, cum in urbem hostes nuper incurrere: nec cuiquam domi vim contumeliamque illatam, aut molestiam creatam, Chæreæque criminationes mera mendacia esse. Sed apud milites nihil ab iis profectum: dictæque variæ sententiæ: maxime vero clamatum, petendum Piræum. Tum vero Alcibiades præ cæteris patriæ saluti consuluisse videtur.
F Nam si factum id fuisset, in quod tunc magno impetu ferebantur Athenienses, qui Sami erant, tota Ionia & Hellespontus in potestatem hostium statim venissent. Id vero ipse inhibuit, nec quisquam alius tum fuit, qui impetum illum multitudinis sistere posset: itemque inhibita navigatione ista, etiam eos, qui privatim ira ferebantur in legatos, graviter increpitos repressit: legatis vero ipse respondit sic: Quinque millibus imperium retinere licere; quadringentis vero jubere, ut abdicata potestate restituant senatum quingentorum, quem exauctoraverant: *si quid ad sumptus superfluos accidendos statuissent, quod alendis commodius militibus faciat, hoc se laudare: hortari, ne curam conservandæ reipublicæ dimittant, nec hosti cedant: nam incolumi urbe, magnam se spem habere restituendæ inter partes concordiæ: ea autem amissa, aut rebus Sami perditis, ne futuros quidem, qui in gratiam cum alteris redire queant.* Cum hoc responso legatos illæsos domum remisit. Et cum adessent forte etiam ab Argivis legati cum Paralis Atheniensibus istuc advecti, offerrentque auxilia contra cccc-viros, eos quoque collaudatos benigna oratione dimisit. Parali autem missi a cccc-viris fuerant, ut Eubœam lustrarent, & legatos tres Lacedæmonem veherent in partibus oligarchicis ferventissimos. Verum illi Argos vecti, legatos invisos Argivis tradiderant, atque hi inde Athenas redire veriti cum legatis Argivis Samum contenderant. Eo tempore Tissaphernes, incertum quo animo ac consilio, Aspendum ivit ad classem Phœnissam, uti quidem præ se ferebat, ut apud Peloponnesios se purgaret de calumniis, assumpto secum Licha Lacedæmonio, & Tamo interea legato suo misso, qui absente se stipendia Peloponnesiis exsolveret. Sed nec ipse ultra Aspendum classem, ut ex fœdere debebat, promovit, inania causatus, nec Tamus ex fide stipendia numeravit. Quæ res de mente ipsius varias hominum conjecturas commovit. Mihi, ait *Thucydides*, maxime verosimile videtur, constitutum ei fuisse, suspensos tenere Græcorum animos, & neutris accedendo, utrosque paribus viribus inter se commissos atterere: cui si classem suam movere, & ad alterutros adducere libuisset, potuisset sine difficultate brevi tempore bellum hoc totum conficere, & his aut illis victoriam dare. At Alcibiades dum ex fama cognovisset Aspendi Tissaphernem esse, ipse quoque cum navibus XIII. istuc se contulit, pollicitus suis, aut classem Phœniciam se in auxilium rebus Atticis adducturum, aut hoc saltem effecturum, ne ea Peloponnesiis accederet. Verisimile quippe, scivisse ipsum, Tissaphernem movendi classem consilium non habere. Hoc vero potissimum quærebat, ut sua illa & Atheniensium suorum familiaritate & amicitia cum eo magis magisque Peloponnensium bilem & calumnias commoveret, cogeretque ob eam causam Tissaphernem arctius se Atheniensibus conjungere. Verum enim vero cum x. legati a quadringentis Samum missi Athenas rediissent, & ab Alcibiade sibi mandata exposuissent, statim multos, qui in partibus oligarchicis erant, &, si tuto possent, explicatos se iis cupiebant, in eo proposito firmarunt. Et jam coitiones factitabant, ac de rerum statu querebantur, ducesque habebant principes ipsos in concilio quadringentorum, Theramenem Agnonis, Aristocratem Sicalii [1], aliosque, qui funem apud eos ducebant; quorum sermo erat, metuere se exercitum Samium & Alcibiadem: mandabantque legatis, qui Lacedæmone erant, ne qua re sine voluntate plurium in civitatem peccarent, neu studerent in nimis paucos res ejus conferre, sed id potius operam darent, ut quinque millibus non nomine sed re ac facto potestas in ea esset, ac reipublicæ forma æquabilior constitueretur. Et erat quidem hic ad rationem civilem speciosus ipsorum sermo, sed non pauci in iis ex ambitione sua in id incumbebant, quod paucorum potentiæ, quæ ex statu populari nata fuit, exitio maxime solet esse. Nam in ea dignitatem consecuti vel eodem die, quo eam consecuti sunt, non cupiunt pari cum aliis loco esse, sed singuli statim desiderant plurimum præ aliis posse, ac pri-

1. Σικελίου.

mum locum tenere. In statu autem populari, cum fit electio, facilius quis ea, quæ accidunt, fert, quod credat eminentiores aliqua re sibi esse prælatos. Verissime vero eis animum addebant Alcibiadis vires in Samo, & quod existimabant non fore stabilem hanc paucorum potentiam. Annitebatur igitur quisque excellere, & princeps fieri in populo. At e cccc-viris, quibus maxime invisa forma reipublicæ istiusmodi erat, & qui inter suos præsidebant, Phrynichus Alcibiadi inprimis obnixus, cum in Samo exercitui præessent, & Aristarchus ante alios jamdudum statui populari inimicus, Pisander quoque, & Antiphon, atque alii in factione potentissimi, etiam ante, cum primum Oligarchiam iniissent, & post, cum Sami in Democratiam res versæ essent, legatos suos Lacedæmonem mittebant, & præ cæteris firmandæ paucorum potentiæ dabant operam, atque in loco, cui Eetioneæ nomen, murum extruebant. Hæc vero etiam magis festinabant, postquam ipsorum legati e Samo rediissent, & ipsi cernerent suorum non paucos, & in his quoqe eos, quos antea fidissimos esse putaverant, mutari; ablegabantque quam celerrime Phrynichum & Antiphontem, decemque alios, cum ex ipsis Athenis, & e Samo sibi timerent, mandantes, ut quacunque ratione tolerabili cum Lacedæmoniis paciscerentur: simul autem opus muri in Eetionea adhuc urgebant. Scopum vero hunc ædificandi ejus muri habebant, ut ajebat Theramenes, & alii cum ipso facientes, non ut eos, qui Sami erant, si violenti venirent, Piræo excluderent, sed ut hostium copias classiarias pedestresque cum vellent, illic reciperent. Nam labrum Piræi est Eetionea, & juxta eam recta adnavigatio, ut qui murum istum novum mari magis expositum cum muro vetere continentem spectante teneat imposito non magno armatorum præsidio, os portus & ingressum ejus in potestate habebat. Extruxerunt ibidem & porticum maximam, vicinam ei, quæ est in Piræo, exponendo illic & condendo frumento, tum eo quod jam præsens erat, tum quod advehebatur, ibidemque distrahendo. Atque hæc quidem jampridem tumultuosius jactaverat Theramenes; sed cum Lacedæmone rediissent legati re nulla confecta, tumultuatum multo magis, dictitatumque periculosum hunc murum esse, & exitio ipsi urbi futurum. Nam sub idem tempus XLII. naves e Peloponneso ab Eubœensibus accitæ, partim Tarentinæ & Locrenses, partim Siculæ, secundum oram Laconicam se commovebant, Duce Hegesandride Spartano, velut Eubœam petituræ: quas dicebat Theramenes, non tam illuc ituras, quo fama ferebat, quam ad eos, qui murum in Eetionea excitabant; & nisi caveretur diligenter, nec opinantes illos, qui incolumem rem Atticam cuperent, per naves eas esse occubituros. Nec ista omnino dicebantur de nihilo, nec meræ erant calumniæ. Nam quadrigenti isti plerique maxime cupiebant rerum potentes in urbe, etiam in socios imperium tenere: id vero si non possent, munitiones saltem & naves in potestate retinentes sui arbitrii manere: sin ne istud quidem, vocatis demum hostibus, dimissis quoque navibus & muris, pacisci cum iis, & incolumi vita partem aliquam urbis habere nec committere, ut restituta populi potestate primi ipsi per eum perimantur. Atque hanc ob causam murum illum portulas admittendis hostibus habentem cum studio extruebant, & celeri opere prævertere discrimen imminens satagebant. Et initio quidem minuti & secreti hi sermones ferebantur. At vero cum Lacedæmone Phrynichus legatus revertisset, ab excubitore quodam in foro hominibus pleno per insidias percussus, ac paulo post curia digressus subito expiravit, percussore fuga elapso. Adjutor autem hujus vir Argivus in vincula datus, tortus jussu qua-

A dringentorum hoc tantum fassus est, scire se, coitiones hominum multorum in ædibus præfecti excubitorum, atque alibi fieri, nullius autem nomen, cujus jussu facinus esset commissum, prodidit. Cumque nihil aliud inde sequeretur, Theramenes & Aristocrates, cæterique qui cum iis faciebant, tum ex concilio quadringentorum, tum concilii istius non participes, audentius negocium sunt aggressi. Jam enim naves istæ Laconicam circumvectæ, & Epidaurum appulsæ, incursionibus Æginam infestaverant. Tum Theramenes haudquaquam verisimile dicere, naves Eubœam petentes Æginæ sinum subire, atque inde Epidaurum repetere, nisi vocatæ B venirent ab iis, quos ipse accusare non desinebat: nec quiescere diutius licere præ se ferebat. Denique multis, & quidem seditiosis suspectisque sermonibus jactatis ad rem ipsam ab iis ventum. Nam gravis armaturæ milites, qui in Piræo muro Eetioneio struendo occupabantur, in quibus erat & Aristocrates ordinem ducens & pro se vigilans, comprehendunt Alexiclem inter principes factionis Oligarchicæ eximium, istarum partium studiosum, eumque custodiæ tradunt. Simulque aliis etiam manum injiciunt, inprimis vero Hermonem excubias Munychiæ agentium Præfectum. Et quod maximum erat; to- C ta militum turba in id consentiebat. Quod cum nunciatum fuit quadringentis, in curia tum forte considentibus, confestim paratos se tulere, exceptis quibus eorum consilia non placebant, ad arma capienda, Therameni & quotquot cum eo sentiebant, minitantes. Is vero sese purgans promptum se profitebatur ad eundum cum ipsis, ad captivum custodiæ eripiendum, assumptoque e Ducibus uno, quem non ignorabat secum sentire, in Piræum discedebat, eratque ei auxilio Aristarchus & equitum juniores. Simulque existebat tumultus ingens & terribilis, cum ii, qui in urbe agebant, Piræum jam occupatum, & captivum occisum esse arbitraren- D tur, & qui in Piræo erant, urbanam multitudinem in se jam venire putarent. At senioribus vix eos, qui in urbe discurrebant, & in arma ferebantur, inhibentibus, & Thucydide Pharsalio, qui tum civitatis hospes aderat, singulis se objiciente, vociferanteque, ne cum hostis ex proximo urbi immineret, patriam ipsi perditum irent, tandem quiescentes a mutua inferenda vi sibi temperarunt. Theramenes autem, qui & ipse e Ducibus erat, ubi in Piræum venit, elata voce quidem milites increpabat, sed Aristarchus & qui cum eo multitudini adversabantur, serio indignabantur. Milites vero maximo numero confertim urgendo operi se inferre, nec ista quicquam E curare: interim Theramenem rogitare, quid ipsi de muro videretur, expediretne eum extrui, an satius esset, eundem destrui. Et cum is responderet, siquidem ipsis placeret eum dirui, sibi quoque non displicere, confestim illi, & simul magna hominum multitudo e Piræo, in murum conscendentes eum demoliri: simul audiri voces vulgum hortantes, si qui cuperent, quinquies mille potius quam quadringentos rerum potiri, hos oportere ad festinandum hoc opus accurrere. Occultabant enim adhuc sub nomine quinum millium mentem suam, metuentes, F si nomen populi profiterentur, dicerentque plane, si quis cupiat populum imperare, atque interea vere essent in civitate, qui ad imperium illud quinque millium adspirarent, ne forte in eorum aliquem inciderent, & imprudenter aliquid proferentes, offendentesque in discrimen se conjicerent, & hanc ob causam ipsi quoque quadringenti, quamvis nollent illos quinquies mille cum imperio esse, tamen hoc ipsum, quod vere jam non essent, cupiebant ignorari. Arbitrabantur enim tam magnum civium numerum administrandæ reipublicæ participem constituere, id esse sine dubio, palam populo adem-

ptam

ptam poteſtatem reddere: ſin occultum hoc ſit, in metu omnes futuros. Poſtridie vero idem CCCC. quamvis animis turbati tamen in curiam conveniebant. Qui vero in Piræo erant gravis armaturæ milites, Alexicle e cuſtodia dimiſſo, muroque diruto ad theatrum Bacchi prope Munychiam progreſſi, poſitis illic armis in concionem coivere, & ex decreto communi ſummam urbem petierunt, atque ibi in Anaceo arma iterum depoſuerunt. Ad quos cum quidam ex quadringentis delecti veniſſent, & ſinguli ſingulos affati, ut quemque æquum placidumque cognoviſſent, ſuadebant, ut & ipſi quieſcerent, & alios quoque quietos facerent: dicebantque quinque millia ſe deſignaturos, & ex his quadringentos per vices futuros, ab ipſis quinque millibus delectos: interea vero rogare, ne ullo modo urbi exitio eſſent, aut ad hoſtem concedere eam cogerent. His quæ a multis & ad multos jactabantur, militum vulgus mitius factum, ac de tota republica maxime ſollicitum id demum conceſſit, ut ad certum diem concio haberetur in fano Bacchi de concordia ineunda. Cum vero dies is adeſſet, & vixdum dicto loco concio eſſet coacta, ecce nuncium venit, naves illas XLII. cum Hegeſandride Duce Spartano ex ora Megarica Salaminem curſum tenere. Ne quiſquam erat illorum militum, qui coiverant, quin exiſtimaret, hoc illud eſſe, quod jam ante Theramenes ſuis prædixerat, nimirum ad murum Ectioneum naves iſtas tendere, murumque bono reipublicæ eſſe everſum. Forſan autem ex conventione hujuſmodi Hegeſandrides circa Epidaurum, locaque vicina hæſit: veroſimile tamen, occaſione ſeditionis præſentis, ne quid opportunum rebus ſuis negligeret, ibidem moram traxiſſe. Iſto vero nuncio commoti Athenienſes, quod putarent, bellum ab hoſte majus domeſtico haud procul, ſed ad ipſum portum jam adeſſe, ſine mora citato gradu univerſi in Piræum contenderunt: horum alii naves, quæ aderant, conſcendebat, alii naves alias iſtuc deducebant, alii in muros, & portus fauces, ut eas tuerentur, ſe conferebant. Verum claſſis Peloponneſia prætervecta, circumvectaque Sunium inter Thorium Praſiaſque curſum tenens, Oropum tandem appulit. At Athenienſes feſtinato ſubſidio opus eſſe rati, & qualibus poterant claſſiariis uti neceſſum habentes, civitate motu inteſtino turbata (in ſola enim Eubœa iis ſpes erat, Attica ſecluſa) Thymocharem Ducem naveſque Eretriam mittunt. Quæ naves junctæ iis, quæ jam ante in Eubœa erant, numero omnes XXXVI. ſtatim pugnare coactæ ſunt. Quippe Hegeſandrides, ſumpto prandio, ſignoque ab Eretrienſibus accepto, Oropo ſolvit, Eretria ſtadiis LX. per mare diſſita; eoque adnavigante, Athenienſes fraude Eretrienſium, qui rerum venalium forum non ita, ut debebant, paraverant, deluſi & tumultuarie, & tardius quam par erat, dum cibaria longius petunt, naves conſcendunt, & ingruenti hoſti, ut poterant, non bene inſtructi occurrunt, pugnaque ab eo excepti ad portum Eretrienſem, brevi temporis ſpacio ſuperati, & in fugam acti, ad terram perſequente hoſte compelluntur. Qui eorum Eretriam velut ad urbem amicam ſe recipiunt, peſſima fortuna uſi ab Eretrienſibus cæduntur: qui vero in caſtellum, quod Eretriæ ipſi habebant, incolumes evadunt, ut & naves, quæ Chalcidem delatæ ſunt. Peloponneſes XXII. navibus Atticis captis & claſſiariis partim occiſis, partim abductis tropæum ſtatuunt. Mox totam Eubœam præter Oreum, ab Athenienſibus alienatam in ſocietatem ſuam trahunt, aliaque in ea vicinia conſtituunt. Quæ ut nunciata ſunt Athenis, maxima trepidatio, perculſis omnium animis, in urbe extitit, ut nulla unquam gravior. Nam nec calamitas in Sicilia accepta, quanquam & ea tunc viſa fuit graviſſima, nec ullus priorum caſuum tantum terrorem civitati incuſſit. Nam exercitu Samio a civitate diſſidente, nec aliis jam navibus nec viris, qui naves conſcendere queant, reliquis, ipſis etiam in ſeditionem domi nunc verſis, & ejus fine adhuc incerto, cum tanta hæc clades accidit, in qua & naves amiſſe, & quod maximum, Eubœa averſa, ex qua plus quam ex ipſa Attica commodorum civitas ſolebat percipere, quomodo non merito fuerint cives animis conſternati? Auxitque conſternationem hanc Eubœæ tanta vicinitas, cum metus eſſet, ſi hoſtis victor ſtatim ſe commoveret, & Piræum navibus deſtitutum invaderet (quod facturum eum exiſtimabant, imo jam forte adeſſe ſibi imaginabantur) omnia in ſummo diſcrimine futura. Et profecto ſi paulo audacior hoſtis fuiſſet, facili negocio iſta potuiſſet efficere. Qui ſi urbem quoque manens in Attica obſediſſet, næ ille magis ac magis eam in ſeditionem egiſſet, coegiſſetque claſſem ex Ionia, quantumvis poteſtati paucorum inimicam ſuppetias ei venire: atque eo ipſo ſine dubio Helleſpontum, ac Ioniam, & inſulas, omniaque in Eubœam uſque, atque adeo univerſum imperium in ſuam poteſtatem redegiſſet. Verum non in hoc ſolum caſu, ſed in multis quoque aliis Spartani gerendo bello Athenienſibus percommodi fuere. Nam cum utrique moribus ac natura multum differrent, illi celeres, hi cunctabundi, illi in re aggredienda audaces, hi ſubtimidi, maxime vero in tractando imperio navali, Athenienſibus Lacedæmonii opportunitates præbuere. Documento fuere Syracuſani, qui cum moribus iiſdem cum Athenienſibus eſſent, quam optime contra eos bellum geſſerunt. Attamen Athenienſes in hac trepidatione accepto tam triſti nuncio naves armarunt & milite compleverunt XX. convocatoque populi concilio in Pnyce, uſitato habendis concionibus loco, de republica deliberarunt. In quo concilio Quadringentis imperium abrogarunt, idque quinque millibus tradendum cenſuerunt: in his vero ut eſſent, qui in reipublicæ uſum arma præberent: utque nemo ullo in magiſtratu mercedem caperet: qui aliter faceret, eum voluerunt execrabilem eſſe. Poſt hanc concionem aliæ quoque frequentes habitæ, in quibus & legum latores deſignati, & alia de civitatis ſtatu decreta. Et tum quidem primum mea ætate, inquit *Thucydides*, Athenienſes mihi videntur quam optime rempublicam conſtituiſſe, moderato ſcilicet & æquabili temperamento inter poteſtatem paucorum & totius populi introducto. Atque hoc ipſum in rerum iſta adverſitate fortunam civitatis prolapſam ſuſtinuit erexitque. Decretum quoque factum de Alcibiadis & cæterorum, qui cum ipſo erant, in patriam reditu: miſſique ad eum & exercitum Samium nuncii, cum mandato de capeſſenda republica. In hac rerum mutatione ſtatim Piſander & Alexicles, & quicunque Oligarchiæ adhærebant, Deceleam in hoſtium caſtra potiſſimum confugerunt. Solus eorum Ariſtarchus, qui e Ducum numero erat, aſſumptis repente ſagittariis nonnullis, hominibus maxime barbaris, Oenoen ſe proripiebat, Athenienſium caſtellum in confinibus Bœotiæ. Eam vero tum Corinthii ob cædem ſuorum Decelea domum ſe recipientium a præſidiariis iſtius loci factam obſidebant cum voluntariis Bœotis. Cum iis igitur qui Oenoæ in præſidio erant ex obſidentium conſenſu collocutus Ariſtarchus inſigni fraude eos circumvenit. Dixit enim civitatem Atticam jam cum Spartanis tranſegiſſe, ac inter cætera conveniſſe, ut Oenoe Bœotis tradatur. Quod credentes illi, utpote affirmante eo, qui Dux eſſet, ipſi vero obſeſſi rerum omnium eſſent ignari, ac-

A cepta fide exierunt, Oenoenque relictam Bœoti suæ potestatis fecere. Simul paucorum potentia Athenis, unaque seditio finem sortita est. Inter hæc, eadem adhuc fluente æstate, in Ionia & Hellesponto diversæ quoque res acciderunt. Dum Peloponnenses cum classe Mileti hærent, nemo eorum, quibus id a Tissapherne Aspendum eunte mandatum fuerat, stipendium classiariis solvebat, nec promissa Phœnicum classis, nec ipse Tissaphernes istuc veniebat: scripserat vero Philippus Lacon, qui cum Tissapherne erat, missus in Ioniam cum Mindaro, & idem significaverat Hermocrates Syracusanus Phaselide agens, neque venturam classem Phœniciam, B neque justi quicquam a Tissapherne esse expectandum: Contra vero Pharnabazus, qui ad Hellespontum res Persicas curabat, omnem benevolentiam iisdem ostentabat. Nam ultro eos sollicitabat, & accepta ab iis classe cupidum se declarabat reliquas præfecturæ suæ civitates ab Atheniensibus avertere (quod ipsum quoque Tissaphernes præ se ferebat) sperans hoc modo res suas sese aucturum. Hisce commotus Mindarus summa cura instructis navibus LXXIII. proposito subitaneo edicto, ut magis hostem in Samo lateret, cum iis Mileto solvens in Hellespontum cursum direxit: quo aliæ quoque naves jam ante concesserant, & C partes quasdam Cherronesi Thraciæ infestaverant. Sed a tempestate exceptus necesse habuit ad insulam Icariam appellere, & ob navigandi difficultatem per dies quinque aut sex istic commoratus, tandem in Chium devenit. Thrasyllus vero, cum audiisset Mindarum relicta Mileto Hellespontum petere, quanta potuit celeritate e Samo cum navium LV. classe eodem contendit, ut si posset, eum anteverteret. Dein audiens eum Chii esse, & existimans ibidem aliquandiu hæsurum, speculatores constituit tum in Lesbo, quo jam ipse pervenerat, tum in opposita continente, ut si ex Chio se naves moverent, ipso inscio istac transire D non possent. Ipse vero Methymnam vectus, farinam aliaque, quæ usui futura erant, expediri jussit, ut si pluscululum temporis illic esset trahendum, in Chium incursus facere ex Lesbo posset. Simul & Eresum, quæ ad hostem defecerat, invadere, & si daretur facultas, recipere habebat in animo. Nam exules Methymnæi non postremæ conditionis, assumptis Cumanorum circiter L. armatis, additisque mercenariis ex continente conductis, ut essent omnes ad CCC Duce Anarcho Thebano cognatione sibi juncto, Methymnam primum adorti fuerant, sed a præsidio Attico, quod Mytilena istuc accurrerat, rejecti, & rursum prœlio foris excepti victique, trajecto monte, E Eresum desciscere compulerant. Istuc igitur profectus cum classe Thrasyllus in Eresum facere impetum constituit, invenitque ibi Thrasybulum, qui audito exulum Methymnæorum transitu, sine mora cum navibus quinque ex Samo Metymnam contenderat, sed post rem istic gestam adveniens, Eresum se contulerat. Accesserant autem & duæ ex Hellesponto naves domum repetituræ, & aliæ Methymnææ, eratque jam numerus navium LXXVII. Jamque se parabat exercitus classiarius, ut machinis & quocunque possent modo, Eresum invaderent caperentque. Inter quæ Mindarus & naves Pelo- F ponnesiæ re frumentaria per biduum procurata, & acceptis a Chiis in singula capita quadrigenariis [1], (nummi hoc genus est Chiis usitatum) tertio die Chio solventes, atque in altum cursu directo, ne in classem ad Eresum stantem inciderent, Lesbo ad sinistram relicta continentem petiverunt: & appulsi in portum Phocaidis in Crateriis, atque ibi pransi prætervecti deinde oram Cumæam, in Arginusis terræ continentis e regione Mytilenes cœnant: inde profunda adhuc nocte enavigantes, & Harmatuntem venientes, quæ in continente ex adverso Methymnæ posita est, sumpto raptim prandio, porro Lectum, Larissam, Hamaxitum, locaque ejus tractus, Rhœteium usque, ubi jam initium Hellesponti est, deveniunt ante mediam noctem: quædam etiam naves Sigeum oramque vicinam delatæ sunt. At Athenienses, qui cum navibus XVIII. Sestii erant, ab excubitoribus ex speculis per signa moniti, & ipsi frequentes in hostico collucere ignes videntes senserunt Peloponnenses jam istuc venisse, & eadem nocte quam potuerunt celerrime legentes oram Cherronesi Elæuntem petivere, ut in latum mare classem hostium anteverterent. Et fefellere quidem eas, quæ ad Abydum stabant, hostium naves XVI. quanquam præmonitas ante de adventu classis sociæ cum Mindaro, jussasque diligenter naves Atticas, si quæ se commoverent, observare. Atticæ vero prima luce, conspecta Mindari classe adventante, statim fugæ se dederunt, quanquam omnes eripere se hostium manibus non potuerint. Nam major quidem earum pars in continentem ac Lemnum elapsa fuit, sed quatuor postremæ in cursu prope Elæuntem circumventæ sunt, quarum una ad fanum Protesilai in litus impingens cum vectoribus intercepta, duæ sine vectoribus captæ, quarta vacua juxta Imbrum exusta. Mox eo ipso die, conjunctis jam omnibus Peloponnensium navibus tum Abydi quæ fuerant, tum cæteris, ut essent jam numero LXXXVI. oppugnata ab iis est Elæus, sed inani opera, statimque tota classis Abidum vecta. Interea Athenienses falsi spe sua de speculatoribus, haudquaquam arbitrati se nesciis classem hostilem in Hellespontum præternavigaturam, ideoque oppugnationi Eresi vacantes, ubi, quid factum, sensissent, e vestigio relicta Ereso, ad auxilia ferenda in Hellespontum festinarunt: quasque naves Peloponnesias in persequendis Atticis fugientibus fidentius in pelagus evectas interceperunt. Postridie Elæuntem vecti, receptis ex Imbro navibus profugis, totos quinque dies parandis se ad pugnam navalem istic impenderunt. Post ad pugnam deventum pugnatumque hoc modo. Athenienses in cornua dispositi juxta terram petebant Sestum. Id cum sensissent Peloponnesii, etiam ipsi Abydo se moventes obviam illis ibant. Et cum viderent utrique prœlium commissum iri, classes in cornua extendebant, Athenienses quidem juxta Cherronesum ab Idaco usque Anchinas [2], habentes naves LXXXVI. Peloponnesii autem ab Abydo ad Dardanum, quorum naves erant LXVIII. Atque hi in dextro cornu habebant Syracusanos, in sinistro ipsum Mindarum cum navibus ad cursum celerrimis. Apud Athenienses in sinistro cornu præerat Thrasyllus, in dextro Thrasybulus. Cæteri Duces ut cuique locus erat assignatus. Peloponnesii invecti, tum ut priores prœlium consererent, tum ut sinistro cornu suo, dextrum cornu Atheniensium ultra quod ipsi extendebantur, a copia efferendi se in apertum excluderent, si possent, medium vero aciei hostilis in terram, quæ haud longe aberat, impellerent. Athenienses contra, cognito hoc eorum consilio, qua parte circumvenire & claudere ipsos adversarii parabant, istuc contra eos se inferentes, navium celeritate superiores evadebant: sinistrum vero eorundem cornu jam promontorium superaverat, quod Canis sepulchrum vocant. Quæ cum sic accidissent, media acies restabat navibus constans maxime infirmis & laceris [3], & numero quoque paucioribus. Ac regio circa Canis sepulchrum quoniam acutum & in anguli formam prominentem circuitum habebat, accidebat, ut quæ ab altera ejus parte gerebantur, a reliquis cerni non possent. In hanc

1. Τρεῖς τεσσαρακοστὰς Thucyd.

2. Μέχρι Ἀρριανῶν.

3. Διεσπασμέναις dicit Thucydides, id est, non confertis, sed distractis.

A igitur mediam aciem impetu facto Peloponnenses in ficcum propulere, atque in terram egressi illic quoque late victores fuere. Nec vero his in media acie laborantibus aut Thrasybulus e dextro cornu ob multitudinem navium hostilium sibi incumbentium succurrere poterat, aut Thrasyllus e cornu sinistro: nam res gerebatur extra conspectum ipsius ob prominentem illum angulum ad sepulchrum Canis: & Syracusani etiam aliique numero navium non inferiores eum premebant. Tandem vero Peloponnesii secunda hac fortuna freti, dum alii aliam navem velut cura soluti persequuntur, cœperunt B hic illic ordines suos solvere. Tum Thrasybulus & qui cum eo erant, animadvertentes naves sibi oppositas agere remissius, ipsi quoque circumactione cornu sui omissa & cursu verso in hostes insigniter eos ulti sunt, atque in fugam agunt, & nacti partem navium Peloponnensium, quæ hactenus vicerat, jam dispalatam, earum alias male mulctarunt, plerasque vero sine pugna in terrorem dederunt. Syracusani etiam cernentes alios fugere, etiam ipsi Thrasyllianis cessere, atque adeo in fugam se conjecerunt. Hac fortunæ conversione facta, & Peloponnesiis maxime ad flumen Pydium fuga primum effusis, deinde & in Abydum, Athenienses quidem paucas naves hostiles cepere ob angu- C stiam Hellespont, quæ brevia effugia hostibus præbebat, sed victoria pugnæ navalis oportunissima sunt potiti. Tunc enim tandem eo metu, quem habebant ex classe Peloponnesia, tum ob alias clades intra breve tempus proxime acceptas, tum ob calamitatem Siciliensem, abjecto, de se ac viribus suis queri, easque temnere, & hostes in rebus nauticis suspicere desierunt. Verum enim vero naves quoque ex hostibus hoc prœlio has cepere; Chias VIII. Corinthias V. Ambracioticas duas & Bœoticas totidem, ex Leucadiis, Laconicis, Syracusanis, Pellenæis singulas. Suarum XV. amisere. D Erecto vero in promontorio sepulchri Canis tropæo; & collectis naufragii tabulis, mortuisque ex pacto ad sepulturam hosti concessis, nunciam victoriæ triremem Athenas miserunt. Ea cum appulisset, cives Attici auditis rebus prosperis pene insperatis, ex dolore cladis Eubœensis, & seditionis intestinæ animos vehementer erexerunt, arbitrantes jam, si impigre agerent, posse se bello superiores fieri. Quarto vero a pugna die, Athenienses qui Sesti erant, refectis festinata opera ac instructis navibus suis Cyzicum petierunt, quæ nuper ab iis defecerat, conspicatique in hoc cursu ad Harpagium & Priapum naves VIII. quæ Byzantio venerant, istuc impetu facto, ac prœlio victis, qui E in terra erant, eas in potestatem redegerunt: mox Cyzicum progressi, eam quoque muro tum carentem recepere, pecuniaque mulctarunt. Eodem tempore Peloponnesii Abydo profecti Elæuntem venere, & naves suas captivas, quæ incolumes mansefant, recuperarunt, (cæteras quippe Elæuntii incendio consumpserant) aliasque ex Eubœa, missis istuc Hippocrate, & Epicle, evocarunt. Inter hæc quoque Alcibiades e Cauno & Phaselide cum navibus XIII. Samum appulit, nuncium ferens, effecisse se, ne classis Phœnicia auxilio Peloponnesiis veniat, & Tissaphernem amiciorem etiam quam hactenus fuerit, Atheniensibus reddidisse. Mox additis ad priores suas navibus insuper IX. Halicarnasseos ad pendendam magnam pecuniæ vim adegit, & Con muro circumdedit. Eo absoluto, constitutis ibidem magistratibus sub autumni initia Samum rediit. Tissaphernes vero cum audiisset, classem Peloponnesiam Mileto in Hellespontum abiisse, Aspendo relicta festinus in Ioniam contendit. At Antandrii, civitas Æolica, dum Peloponnesii Hellesponto degunt, Abydi milites gravis armaturæ acceptos pedestri itinere per montem Idam in urbem suam introducunt, ob injurias, quas ipsis Astacus Persa a Tissapherne isti oræ præfectus intulerat. Qui idem Astacus occultato odio suo, quod in Delios Atramyttium ex eo tempore, quo ab Atheniensibus Delum lustrantibus patria ejecti fuerant, incolentes conceperat, sub amicitiæ ac societatis specie optimos quosque Deliorum in expeditionem evocatos, cum prandentes observasset, & militibus suis circumdedisset, jaculis confecerat. Quam ob causam Antandrii similia ab eo metuentes, & onerum impatientes ab eodem sibi impositorum, præsidium ejus ex arce sua ejecerunt. Hac re accepta commotus Tissaphernes, præter ea, quæ Mileti & Cnidi acciderant, (istic enim etiam præsidiarios ipsius expulerant Peloponnesii, & magna ab illis contumelia se affectum, ac gravibus calumniis petitum esse arbitrabatur) plura ab iisdem mala sibi metuens, dolens etiam Pharnabazum breviore tempore, & minore sumptu iisdem sibi adjunctis majore profectu contra Athenienses rem gesturum, constituebat secum ad Peloponnenses in Hellespontum ire, ut eos de re Antandria argueret, & contra calumnias de classe Phœnicia, aliisque similibus quam posset commodissime præsens purgaret. Cumque Ephesum primum venisset, sacra Dianæ fecit. Et hyems hanc æstatem excipiens cum exierit, finem quoque habebit annus belli hujus vicesimus primus.

Heic finis Historiæ Thucydidis.

XENOPHONTIS RERUM GRAECARUM
LIBER PRIMUS.

F INDE post paucos dies venit paucis instructis navibus Timochares [1], rursumque prœlium navale inter Lacedæmonios & Athenienses est commissum, quo vicere Lacedæmonii Duce Hegesandride. Paulo post vero Dorieus Diagori filius Rhodo profectus cum navibus XIV. in Hellespontum venit cum dilucesceret, ἀρχομένε χειμῶνος. Quo viso speculator Atheniensis signum Ducibus dedit, illi deductis confestim navibus XX. in Dorieum contenderunt. Dorieus arrepta fuga in litus Rhœteium reductis triremibus ibidem eas subduxit. In quem cum inveherentur Athenienses, ille cum suis e terra pariter ac navibus pugnam contra eo sustinuit, quoad tandem hi nihil se proficere cernentes abducta classe Madytum rediere ad reliquum exercitum. At Mindarus pugna hac ex Ilio, ubi sacrum Minervæ tum forte faciebat, conspecta, clamore sublato properavit ad mare, deductisque triremibus ad naves Do-

1. In Xenophonte legitur Θυμοχάρης, aliique mox genitivum Διαγόρε interpretantur *Diagoræ*.

riei contendit, ut iis aſſumptis in Athenienſes ſe inferret. Athenienſes vero obviam ſe ei ferentes ad litus juxta Abydum prœlio eum exceperunt ancipiti; ab hora matutina in veſperum durante; cum ecce Alcibiades claſſem ducens navium XVIII. eodem adnavigavit. Tum metu correpti Peloponnenſes Abydum fugæ ſe dantes abiere. Illic auxilio iis fuit Pharnabazus Perſa, qui ipſe pugnam ciens equum ſuum in mare adegit, quouſque potuit, & equites peditesque exemplo ſuo ad idem faciendum excitavit. Peloponneſii etiam e navibus & terra in hoſtem pugnarunt. Tandem Athenienſes captas hoſtium naves XXX. vacuas, & quas ipſi ante perdiderant, Seſtum omnes pertraxere. Ibi relicti XL. navibus cum cæteris, alii alio extra Helleſpontum ad exigenda tributa ſunt profecti. Unus e Ducibus Thraſybulus [2] Athenas navigavit, ea quæ acciderant nunciaturus, militemque & naves in ſupplementum claſſis petiturus. Poſt quæ Tiſſaphernes in Helleſpontum venit: ad quem Alcibiades navi una vectus, ut dona ei afferret, captus ab eo, & Sardes in vincula miſſus eſt. Præ ſe ferebat enim, mandatum ſibi eſſe a Rege Perſarum, ut bellum Athenienſibus inferret. In vinculis vero iſtis cum Alcibiades fuiſſet dies XXX. cum Mantitheo quodam in Caria capto, equos nactus nocturna fuga Clazomenas ſe contulit. At Athenienſes qui Seſti erant, cum cognoviſſent, Mindarum cum claſſe navium LX. in ſe eſſe venturum, per noctem Cardiam ſe contulere. Quo eodem & Alcibiades Clazomenis advenit cum triremibus V. & oneraria navi una. Illic edoctus Peloponnenſium claſſem Abydo Cyzicum petiviſſe, ipſe pedeſtri itinere Seſtum profectus, claſſem Atticam eodem ſe conferre juſſit. Quo cum ea appuliſſet, & ipſe jam ad prœlium navale ſe pararet, advenit etiam ex Macedonia Theramenes naves ducens XX. & ſimul Thraſybulus naves habens totidem ex Thaſo inſula, uterque ab exactione tributi revertens. Cum his Alcibiades Parium contendens, habens jam in claſſe naves LXXXVI inde poſtero die cum omnibus circiter prandii horam in Proconneſum venit, certiorque factus, Mindarum cum claſſe Cyzici eſſe, itemque Pharnabazum cum exercitu pedeſtri, eo die ibidem ſubſtitit. Poſtridie advocata concione demonſtravit, ob pecuniæ inopiam, qua abundarent hoſtes, opus eſſe ut parati ſint tum ad ineundum prœlium navale, tum ad confligendum cum exercitu terreſtri, tum ad oppugnandos quoque muros. Id vero operam dederat, ut naves omnes cujuſvis generis in unum coactas circum ſe haberet, ne quid de numero navium enunciaretur, edictoque vetuit, pœna capitis propoſita, ne quis inde in ulteriorem ripam ſolveret. Mox a concione velut prœlio navali decertaturus Cyzicum contendit, ingenti pluvia ſuborta. Cumque Cyzico jam appropinquaret, redeunte ſerenitate & ſole refulgente, vidit Mindari naves longiuſcule a portu ſeſe exercentes, peneque a portu ſecluſas numero LX. Quæ conſpecta claſſe Attica navium numero multo majore quam fuerat ante, & eadem portui jam propinqua, recta ad terram confugerunt, atque ibi coactæ in unum pugna exceperunt in ſeſe invehentes. Tum Alcibiades cum navibus XX. circumvectus in terram deſcendit: idemque id videns fecit Mindarus, ac prœlio contracto occubuit: cæteri qui cum ipſo erant, in fugam abiere. Athenienſes hoſtium naves omnes occupatas in Proconneſum abduxere præter Syracuſias, quas ipſi Syracuſani incendio dederunt. Inde Athenienſes victores Cyzicum poſtridie ſe retulerunt, iiſque Cyziceni a Peloponneſiis & Pharnabazo deſerti ſeſe dediderunt. Atque ibi hæſit Alcibiades per dies XX. exactaque a Cyzicenis ingenti pecunia, ac nullo alio incommodo civitate affecta, rediit in Proconneſum. Inde Perinthum & Selybriam vectus, a Perinthiis quidem cum exercitu in urbem fuit miſſus [1], a Selybriis autem urbe excluſus pecuniam accepit. Inde victores in Boſporum delati Chryſopolim Chalcedoni vicinam muro cinxerunt, ſedeque vectigalis ibi conſtituta decimam ab omnibus navibus e Ponto venientibus exegerunt: ſimul præſidio ibidem navium XXX. collocato præfectos dederunt Theramenem & Eubulum, qui ejus oræ curam haberent & quacunque re poſſent hoſtibus nocerent. Cæteri Helleſpontum repetiverunt. Interea ab Hippocrate Mindari legato ſcriptæ literæ & Lacedæmonem miſſæ ab Athenienſibus interceptæ & Athenas delatæ ſunt. Eæ ſic habuerunt. Bona periere: Mindarus cecidit: viri fame laborant: dubii ſumus, quid nobis faciendum. At Pharnabazus verbis ſuis exercitum Peloponnenſium, & Syracuſanos affatus, non eſſe ob naves ligneas amiſſas animos abjiciendos oſtendit, cum lignorum abundans copia ſit in regionibus regiis, dummodo ſalvi ſint homines: ſimul veſtem ſingulis & bimeſtre ſtipendium dedit. Adhæc armatis nautis præſidia conſtituit per univerſam oram maritimam curæ ſuæ commiſſam: & civitatum triremiumque præfectis convocatis naves novas apud Antandrios extruere juſſit totidem quot erant amiſſæ, largituſque eſt in hunc uſum pecunias, materiamque ex Ida monte, quanta eſſet opus, ſumere permiſit. Id vero opus dum fervebat, Syracuſani cum ipſis Antandriis muro Antandrum circumdederunt, locumque illum munitiſſimum reddiderunt: cujus beneficii gratia Syracuſani ab Antandriis civitate ſunt donati. His rebus confectis Pharnabazus Chalcedoniis ſuppetias tulit. Triſte vero nuncium Ducibus Syracuſanis allatum, eſſe ipſos domi a populo exilio damnatos. At Hermocrates e Ducibus unus, vir ſummo ingenio & virtute, convocatis militibus nomine ſuo & collegarum conqueſtus primum de iniquitate judicii, dein hortatus eſt omnes, ad retinendam priſtinam virtutem & promptitudinem obſequii militaris erga præfectos. Adhæc monuit, ut eligerent, qui ipſis præeſſent, donec novi Duces domo advenirent. Sed heic obſtrepuere omnes, juſſeruntque ipſos imperium retinere, maxime triremium præfecti, gubernatores, claſſiarius miles. Duces vero id recuſantes dixere, non eſſe obnitendum voluntati civitatis: verum ſi contingat a quoquam accuſari ſeſe, tum oportere ipſos cauſam Ducum tuendam ſuſcipere, & quod optime & veriſſime poſſent teſtimonium ferre de rebus terra marique Ducum virtute & ipſorum audentia feliciter geſtis. Quod cum probaretur ab omnibus, imperium illi retinuere uſque in adventum ſucceſſorum. Plurimi vero trierarchorum jurati promiſere, ſeſe Syracuſas reverſos, reditum illis quoque procuraturos, ſimulque abeundi copiam iis permiſere quocunque luberet, & laudibus proſecuti ſunt tum omnes, tum maxime Hermocratem ob inſignes quas in eo prædicabant, virtutes, inſignemque erga omnes, qui eo uti familiarius voluerant, humanitatem atque affabilitatem. Quibus rationibus ſane ſummam ſibi auctoritatem & caritatem cum opinione prudentiæ apud univerſos conciliaverat. Deinde idem ad Pharnabazum veniens, priuſquam quicquam peteret, pecunia ab eo adjutus, paratis peregrinis militibus & navibus ad reditum in patriam ſeſe accinxit. Interea ſucceſſores Ducum dimiſſorum venere Miletum tres, Demarchus, Myſcon, Potanus e Gnoſo oriundus, imperiumque claſſis & exercitus ſuſcepere. Eodem tempore Thaſi quoque coorta ſeditio fuit, per quam Eteonicus Spartanus Harmoſtes cum Laconiſſantibus inde eſt ejectus.

2 Sed is Xenophonti dicitur Θρασύλος vel Θρασύλλος. Thraſybulus alius mox ſequitur.

1. Εἰσεδέξαντο εἰς τὸ ἄστυ, ut videatur ſcripſiſſe *admiſſus* ex aliis interpretibus.

Ob quam rem Pariſippidas[1], qui ejus auctor fuiſſe opera Tiſſaphernis putabatur, Spartæ accuſatus exilioque mulctatus fuit. Ad claſſem vero, quam ille a ſociis confecerat, miſſus fuit Cratiſippidas, eamque hic in Chio accepit. Tum quoque cum Agis Rex Spartanus populatione inſtituta Decelea ad ipſa Athenarum mœnia progreſſus eſſet, Thraſybulus[2] tum forte præſens eductis Athenienſibus ſuis & aliis, qui præſto erant, aciem ei ad Lycæum gymnaſium oppoſuit, velut pugnaturus, ſi ille propius accederet. Qua re turbatus Agis, celeriter pedes retro tulit, paucis ſuorum, in quos velites impetum dederant, amiſſis. Hoc tantum gratiæ Thraſybulo apud populum Atticum peperit, ut ad ea, quorum cauſa venerat, haberet eum promptiorem: decretique ei ſunt gravis armaturæ pedites mille, quos ipſe ſibi deligeret, & equites centum, cum triremibus L. At Agis Decelea proſpectans, videnſque navigia non pauca frumento onuſta Pyræum deferri, circumſtantibus ait, nequicquam tempore tam longo a terra obſideri Athenas, niſi a mari quoque ſubvecto frumento prohiberentur. Itaque Clearchum Rhamphii filium ſine mora Byzantium & Chalcedonem civitates hoſpitii jure devinctas [3] ire juſſit, confectaſque apud Megarenſes & ſocios alios naves militares XV. eidem attribuit. Atque ille in Helleſpontum delatus amiſſis illic navibus tribus, quas Atticæ IX. perpetuo illic in excubiis degentes oppreſſerant, cum cæteris Seſtum elapſus eſt: atque inde Byzantium incolumis evaſit. Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει, inquit *Xenophon*, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐννενηκοστή, ᾗ προστεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ηλείου, τὸ δὲ στάδιον Εὐβότας Κυρηναῖος, ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Εὐαρχίππου, ἄρχοντος δ' ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος, Athenienſes quidem Thoricum muniverunt, Thraſylus vero acceptis navibus ſibi decretis, & quinque millibus nautarum in modum peltaſtarum armatis, quos cæteris peltaſtis adjungeret, Samum navigavit ἀρχομένου τοῦ θέρους: atque ibi triduum moratus in oram Pygelenſem vela ventis dedit, evaſtatoque illo agro in ipſum oppidum impetum vertit. Cumque e Mileto quidam ſubſidio Pygelenſibus veniſſent, & palantes Athenienſium leviter armatos premerent, reliqui Athenienſes ſuis ſuccurrentes ceciderunt Mileſios paucis exceptis, ducentiſque ſcutis cæſorum potiti tropæum ſtatuerunt. Poſtridie Notium navigarunt, atque inde bene jam inſtructi Colophonem petierunt, quæ ſtatim iis ceſſit. Superveniente autem nocte Lydiam ingreſſi ſunt, adulto jam frumento: multi ibi vici ab iis incenſi, pecuniæque captæ, homines in ſervitutem cum multa præda alia abducti: prædatores a Perſa loci illius præſide levi clade correpti: exercitus inde ad mare a Thraſylo reductus velut Epheſum invaſurus. Atque is quidem bifariam diviſus die XVII. a prima impreſſione ad urbem raptus: ſed a Tiſſapherne Perſa, qui mature auxilia adeſſe juſſerat, cum clade gemina repreſſus. Ex auxiliaribus vero Syracuſani præcipue, & Selinuſii ob promptitudinem præmiis & honore ab Epheſiis affecti. Tum Athenienſes receptis corporibus cæſorum ſuorum repetito Notio, atque ibi iiſdem terræ mandatis in Leſbum & Helleſpontum enavigarunt. Cumque in portu Methymnæ urbis Leſbiæ hærentes XXV. naves Syracuſanorum, qui prope Epheſum perinfeſti ipſis fuerant, ad mare ſulcantes conſpexiſſent, impetu in eas verſo quatuor earum cum vectoribus in poteſtatem redegerunt: cæteras in fugam datas Epheſum uſque ſunt perſecuti. Thraſylus captivos omnes Athenas miſit, præter Alcibiadem Alcibiadis propinquum, & exilii ſocium, quem interemit. Inde Seſtum ad reliquas copias Atticas contendit, & Seſto cum univerſo exercitu Lampſacum tranſmiſit: ſimulque hyems cœpit, qua fluente Syracuſani captivi in lapicidinas Piræi conjecti perforato ſaxo per noctem elapſi, alii Deceleam, alii Megaram ſe abripuere. At Lampſaci coacto ab Alcibiade univerſo exercitu veteres milites cum Thraſylianis jungi non voluere, invicti ſcilicet hactenus, cum iis qui victi fugatique venirent. Attamen in iiſdem hybernis illic agentes omnes Lampſacum muniverunt, & Abydum armis prementes Pharnabazum cum equitatu haud parvo Abydenis ſuppetias ferentem pugna ſuperatum in fugam compulerunt, Alcibiade in multam noctem eum perſequente. Hac victoria parta milites inter ſe conciliati, Thraſylianique a reliquis ut commilitones ſalutati ſunt. Eadem hyeme in Aſiæ continentem excurſionibus aliis quoque factis regionem Regi parentem diripuerunt. Tum & a Lacedæmoniis Helotæ, qui ex Malea in Coryphaſium transfugerant, ex pactione dimiſſi. Et Heracleæ Trachiniæ coloni ab Achæis indigenis proditi ſunt Oetæis communibus hoſtibus, eorumque DCC. cum præfecto Laconico Labota trucidati. Annuſque iſte deſiit, quo Medi, qui a Perſarum Rege Dario defecerant, ab eodem ad obſequium ſunt reducti, in cujus exitu, initioque ſequentis templum Palladis in urbe Phocæa fulmine tactum conflagravit. (*Annus in textu Græco in editionibus vulgatis vitioſe notatus eſt, ut docet ſchema canonis chronici: recte autem heic eſt repræſentatus. Idem tenendum de annis duobus proxime ſequentibus.*) Hyeme ea finita, & ſurgente vere, exactis jam annis belli hujus XXIV. cum Pantacles apud Spartanos Ephorus, Antigenes vero Athenis Archon eſſet, Athenienſes cum toto exercitu & claſſe in Proconneſum, hinc Chalcedonem & Byzantium delati ad Chalcedonem caſtra locarunt. Quorum adventum præſentientes Chalcedonii, quicquid prædarum habebant, id apud Bithynos Thraicii generis vicinos ſuos depoſuere. Alcibiades autem aſſumpta militum parte cum equitatu iſtuc profectus, & navibus eodem quoque re juſſis res omnes eorum depoſcens, & arma minitans, niſi pareretur, a Bithynis recepit: atque ita fide ab iiſdem accepta, in caſtra reverſus, univerſi exercitus opera ac labore Chalcedonem a mari ad mare, & ipſum flumen muro ligneo clauſit. Qua re motus Hippocrates Lacedæmonius, qui oppido præerat, eductis copiis ſuis, pugnæque poteſtate facta cum parte Athenienſium, quos ducebat Thraſylus, conflixit, fortuna diu ambigua, donec tandem Alcibiade cum peditum equitumque ſubſidiis accurrente cæſus eſt Hippocrates, copiæque victæ in oppidum refugere ſunt coactæ. Pugna vero hac durante Pharnabazus parte alia extra munitionem Atticam cum pedeſtribus & equeſtribus copiis validis ſe inferens perrumpere ad opem ferendam Hippocrati cum fruſtra conatus fuiſſet, in Heracleum Chalcedonenſium, ubi caſtra munita habebat, ſeſe recepit. At Alcibiades ab hac parta victoria in Helleſpontum & Cherroneſum ad conficiendam pecuniam contendit. Reliqui vero copiarum Duces de Chalcedone convenere cum Pharnabazo, ut daret Athenienſibus talenta XX. & legatos Atticos deduceret ad Regem: mutuoque juramento ſe obſtrinxere Duces & Pharnabazus in hanc ſententiam, *ut Chalcedonenſes tributum non minus quam ſolent, Athenienſibus penderent, quæque jam debebant, ea quoque ſolverent: interea Athenienſes arma non inferrent Chalcedonenſibus, donec legati a Rege rediiſſent.* Atque his pactionibus non aderat tunc Alcibiades, ſed Selybrianis imminebat. Quorum urbe capta Byzantium venit ducens ſecum firmam manum militum ex Cherroneſiis & Thracibus

1. Xenophonti Πατιππίδας.
2. Ut paulo ante dixit Thraſylum iviſſe Athenas, ita nunc quoque Xenophon Θρασύλον appellare pergit.
3. Id de ſola Byzantio teſtatur Xenophon.

conscriptam, ac equites plures trecentis. Illinc autem Chalcedone expectatus a Pharnabazo, qui cum quoque jusjurandum poscebat, postquam istuc venisset, jurare renuit, nisi sibi vicissim ab illo juramentum daretur. Quod statim etiam factum: deditque jusjurandum Alcibiades duobus a Pharnabazo missis Chrysopoli, Pharnabazus totidem ab Alcibiade deputatis Chalcedone, quo cautum, ne se mutuo offenderent. His ita factis statim Pharnabazus discessit, jussitque legatos ad Regem iter habentes Cyzici sibi occurrere. Missi vero in hanc legationem ab Atheniensibus fuere Dorotheus, Philodices, Throgenes, Euryptolemus, Mantitheus: & his adjuncti ab Argivis Cleostratus & Pyrrholochus: ibantque etiam cum iisdem Lacedæmonii Pasippides atque alii, idemque Hermocrates & frater ejus Proxenus Syracusani exules: omnes a Pharnabazo ad Regem deducti. Athenienses vero Byzantium circumvallatum obsidebant, & velitationes atque incursus ad ipsos urbis muros factitabat. Erat in urbe Clearchus Lacon Præfectus, & cum eo quidam ex accolis, & tyronum haud multi, Megarensesque & Bœoti, utrique cum prætoribus suis. Athenienses autem cum per vim nihil possent proficere, cum civium Byzantinorum nonnullis egerunt de urbe prodenda. At Clearchus haud arbitratus quenquam id commissurum, omnibus recte dispositis, & Helixo Megarensi, Cœratadi Spartano cura rerum urbanarum commendata ad Pharnabazum se contulit, ut cum eo de militum stipendiis ageret, deque navibus, quæ in Hellesponto ex classe Pasippidæ reliquæ excubabant, quæque ad Antandrum erant, & quas in ora Thraciæ Hegesander sub Mindaro antehac militans habebat, & si quæ aliæ constructæ reperirentur. Quibus in unum coactis sperabat se Atheniensium socios clade aliqua affecturum, & exercitum Byzantio abstracturum. At cum ex urbe exiisset Clearchus, proditores omnibus ad rem comparatis, noctu apertis portis, quibus Thraciarum nomen erat, Alcibiadem cum exercitu in urbem recepere. Erat in proditorum numero Anaxilaus, qui post ob proditionem hanc Lacedæmone capitis arcessitus, judicio absolutus fuit, propterea quod non videretur prodidisse sed servasse urbem, cum cerneret pueros & fœminas fame perire, & ipse non Lacedæmonius sed Byzantinus esset. Clearchum enim, quod reliquum frumenti fuerat, id militibus Lacedæmoniis tribuisse, & hanc ob causam, non autem pecunia corruptum, aut odio Lacedæmoniorum ductum hostes se in urbem recepisse. Helixus autem & Cœratades ignari eorum, quæ a proditoribus erant acta, ad forum quidem cum omnibus suis auxilii ferendi gratia concurrerunt, sed cum omnia ab hoste jam teneri, & frustra se niti deprehenderent, se quoque potestati hostis permisere. Et hi Athenas statim missi: e quibus Cœratades in turba descendentium e navibus in Piræo clam elapsus Deceleam incolumis evasit. Harum rerum, quæ Byzantii acciderant, nuncius ad Pharnabazum Gordii Phrygiæ cum legatis, quos ad Regem deducturus erat, hybernantem pervenit. At veris initio, cum jam in itinere essent ipse & legati ad Regem ituri, occurrentes habuere legatos Spartanos, quorum princeps erat Bœotius nomine. Ab his accepere, omnia quæ pro Lacedæmoniis petita erant, a Rege impetrata esse, & Cyrum Regis filiorum alterum rei maritimæ a patre esse Præfectum, jussumque Lacedæmoniis in bello adsistere, eundemque ferre secum literas a patre signatas ad omnes hæc loca habitantes, quarum argumentum tale. Mitto Cyrum summum Imperatorem eorum, qui ad Castolum congregati. Quibus auditis legati Atheniensium, ipsoque Cyro viso vel maxime avebant ad Regem proficisci: sin minus, do-

A mum redire. Cyrus vero Pharnabazo præcepit, ut aut sibi legatos traderet, aut domum eos remitteret, nolens scilicet scire Athenienses, quæ agebantur. Verum Pharnabazus detinens interea legatos, jam ad Regem se eos deducturum, jam domum dimissurum, ne in reprehensionem incurreret, profitebatur: atque ita suspensos in potestate habuit per triennium. Quo elapso, petita a Cyro ejus rei copia, quod se jurejurando obligatum iis esse diceret, quoniam ad Regem ducere non liceret, per Ariobarzanem in Cium Mysiæ eos curavit deduci ad mare: inde ipsi ad exercitum Atticum enavigarunt. B Alcibiades interea desiderans cum manu militari patriam repetere, recta Samum se contulit, atque in sinum Ceramicum, qui apud Cares est, navibus xx. vectus collectis illic talentis centum Samum rediit. At Thrasybulus cum classe navium xxx. in Thraciam profectus, ibi tum loca alia Spartanarum partium, tum Thasum bello, seditionibus, fame, peste graviter affectam redegit in potestatem. Thrasylus cum exercitu reliquo Athenas navigavit. Ante cujus adventum Athenienses designarunt tres belli Duces, Alcibiadem exulem, Thrasybulum absentem & Cononem præsentem. Alcibiades e C Samo cum pecunia navibusque xx. transmisit in Parum insulam, indeque evectus recta Gytheum, navale Lacedæmoniorum, ad observandas naves, quas ibi instrui numero triginta audiebat, & capessendam navigationem in patriam, de cujus erga se affectione erat sollicitus, animum intentum habebat. Quam cum sibi benevolam intelligeret, seque Ducem electum esse cognosceret, & privatim quoque ab amicis & familiaribus accerseretur, in Piræum navibus se intulit eo die, quo civitas Plynteria celebrabat clauso Palladis delubro, quod quidam infaustum & ipsi & civitati esse ominabantur. Isto D namque die Atheniensium nemo opus ullum serium aut momentosum attingere ausus fuerat. Adnavigante vero illo magna hominum multitudo tum ex Piræo tum ex ipsa urbe ad naves confluens admirabatur, & videre desiderabat Alcibiadem: Sermone autem ferebant, civium eum fortissimum esse, ei soli voce publica denunciatum, injuste ipsum exulare, circumventum fraude hominum viliorum, & nequiorum, & ad quæstum suum rempublicam gerentium: illo interea tum privatis suis, tum civitatis viribus promovendo bono publico intento, & judicium de se tum statim flagitante: cum E res, de qua accersebatur, esset recens: sed inimicorum studio & potentia causam fuisse dilatam, & absentem damnatum patria excidisse: quo tempore consilii & opis inopem & desperantem coactum esse obsequi hominibus inimicissimis, quotidie cum discrimine capitis conflictantem: videntem autem errare & delinquere amicissimos cives & cognatos, totamque adeo civitatem, tamen succurrere iis & opem ferre propter exilium non potuisse: qui si similes ipsi fuissent, non opus futurum ipsis fuisset, res novare ac mutare: nam in populo auctorem sibi fuisse, ut inter æquales emineret, inter seniores nulli posterior censeretur. At Alcibiades oræ appel- F lens non statim egressus est e navi veritus inimicos suos, sed in navis parte suprema stans circumspexit, an amici istic adessent. Visoque Euryptolemo Pisianactis sobrino suo, aliisque familiaribus ac amicis, e navi in terram descendens, stipatus illorum frequentia, ut tutior iret, in urbem adscendit. Illic in senatu & concione de innocentia sua, & injuria ab inimicis sibi illata ita locutus est, adstipulantibus quoque aliis, contradicente vero nemine, ut eadem in concione Dux generalis cum potestate summa sit designatus: perinde ac si ipse posset civitatem restituere in eum statum fortunæ ac potentiæ, in quo antea fuerat. Primum itaque my-

steria Atheniensium Eleusinia, quæ ob bellum hactenus non nisi mari traducta fuerant, ipse educto omni exercitu attonitis hostibus terra rursum traduxit. Deinde confectis copiis, in quibus erant pedites gravis armaturæ MD. equites CL. & instructa classe navium centum, post reditum suum, mense tertio, Andrum, quæ ab imperio Attico defecerat, petiit, & suffultis duobus Ducibus aliis Aristocrate & Adimanto Andrios occurrere ausos prœlio vicit, erectoque tropæo victor Samum inde transmisit, ut ex ea tanquam belli arce arma in hostem moveret. Paulo vero ante Spartani, cum imperii maritimi tempus Cratisippidæ exiisset, Lysandrum ei surrogarunt. Hic Rhodum cum venisset, acceptis ibi navibus Con primum, dein Miletum, hinc Ephesum se contulit. Illic classem jam habens navium LXX. Cyrum Sardes venturum præstolatus est. De cujus adventu factus certior, cum legatis Laconicis ad eum profectus incusato multum Tissapherne Cyrum ad bellum acrius capessendum precibus incitavit: Cyrusque amplissima quæque ei promptissime promisit, affirmans sic sibi a patre esse mandatum: nec studium, nec pecuniam defore ostendit. At Lysandro petente, ut classiario militi stipendium diurnum drachmam Atticam constitueret ad classiarios hostium minus stipendium merentes ad transfugia concitandos, respondit, contra præcepta patris Regis sibi facere non licere: cum autem constituisse in singulas naves minas XXX. menstruas, arbitrio autem Lacedæmoniorum reliquisse, ut quot vellent, naves instruerent. Ad quæ conticescente tum Lysandro, Cyroque a cœna ad eum veniente, dicenteque qua maxime re gratum ei facere posset, ait Lysander, si nautæ cuilibet ad solitum stipendium obolum adjeceris. Ex quo tempore stipendium quod trium obolorum esse solet, factum est obolorum quatuor. Quin etiam quod jam ante debebatur id totum Cyrus militi tunc exsolvit, atque insuper stipendium menstruum ante tempus dependit, atque ita exercitum universum multo quam ante erat alacriorem reddidit. His cognitis Athenienses ægrescentes animis, legatis ad Cyrum missis, sed ab eo non admissis actum egere, frustra pro iis intercedente Tissapherne, & quid ex consilio Alcibiadis a se sit factum hactenus, commemorante, qui suasisset, nullam Græcarum partium ad potentiam promovendam esse, sed omnes sine viribus relictos inter se committendos. Tum Lysander his rebus constitutis Ephesum reversus, ibique quietem agens, naves XC. quas illic habebat in siccum subductas, refecit. Alcibiades autem audiens Thrasybulum Hellesponto egressum Phocæam munire, ad eum per mare contendit. Antiocho gubernatori suo classis cura interea commendata, cum expresso præcepto, ne quid contra Lysandrum ejusque classem occiperet. Sed is præcepti immemor ab Alcibiadis abitu assumptis duabus triremibus in portum Ephesinum invectus hostiles naves irritans provocavit. In quem Lysander paucis primum deductis immissisque navibus, dein cum Antiocho aliæ succurrerent naves Atticæ, pluribus submissis, demum ipse cum universa classe invectus est. Et cum in subsidium suis reliqua quoque classis se inferret, prœlium justum conflatum est, sed partium ratione dispari. Nam Lacedæmonii servato ordine, Athenienses sine ordine, & dispersi rem agebant: ideoque hi post breve certamen, amissis triremibus XV. in fugam abiere: virorum, qui in triremibus istis pugnaverant, plurimi fuga servati, reliqui vivi capti sunt. Lysander erecto in Notio tropæo Ephesum rediit. Athenienses Samum se recepere. Eodem paulo post Alcibiades quoque reversus stomacho plenus confestim cum omni classe ad portum Ephesinum avectus ante portus os aciem instruit ad pugnam paratum se ostendens, si quis copiam ejus facere vellet. Sed Lysandro minorum virium sibi conscio certamen detrectante, eodem rediit unde venerat. Nec diu post in Thracia a Lacedæmoniis Delphinium & Eion captæ. Athenienses in urbe de pugna ad Ephesum certiores facti Alcibiadi irati, cujus culpa putabant cladem illam qualemcunque acceptam, Duces alios decem crearunt: In quibus fuere Conon, Diomedon, Pericles Periclis filius, Thrasybulus, Leon, Aristocrates. Quapropter Alcibiades videns exercitui quoque minus se esse gratum, una accepta triremi in Cherronesum se contulit in munitiones suas. Post quæ Conon naves secum ducens XX. ex decreto populi Attici Antandro Samum ivit ad classem cum exercitu qui illic erat: eique apud Antandrios successit Phanosthenes: qui illic cum esset cum triremibus duabus circumvectus Thuriam occupavit, ubi cæteris, qui illic deprehensi, in vincula conjectis, Dorieus Rhodius eorum Dux olim a Rhodiis fuit & Atheniensibus in exilium actus, & ab his quoque cum cognatis capitis damnatus, ex misericordia etiam sine lytro dimissus. At Conon cum Samum venisset, classiarium militem reperit male affectum, & e navibus pluribus quam centum, quæ ante fuerant [1], vix LXX. complevit, easque inde solvens una cum cæteris Ducibus alias atque alias hostium regiones diripuit. Καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγε quo Carthaginenses cum classe CXX. triremium, & pedestri exercitu CXX. millium Siciliam invadentes Agrigentinos prœlio superatos, dein septimestri obsidione pressos, fameque domitos ad deditionem compulere. Anno sequente, quo LUNA vespertina defecit, & Athenis templum Palladis vetustum conflagravit, Pitea apud Spartanos Ephoro, Archonte Athenis Calliade, a Spartanis Lysandro, cum exiisset jam imperii ejus tempus, & bellum hoc durasset annos XXV. successor ad classem missus fuit Callicratidas. Cui cum classem traderet Lysander, dixisse perhibetur, parta navali victoria, maris imperium se ei tradere. Quæ verba ut refutaret Callicratidas, jussit illum, ut sinistrorsum lecta Sami ora, ubi classis erat Attica, Epheso Miletum naves circumageret, ibique eas traderet, atque ita reipsa ostenderet, mari se potiri. Contra Lysander, non velle se in alienum munus invadere, cum alius jam classi præesset. Accepta igitur, quam Lysander tradebat, classe, Callicratidas naves alias e Chio & Rhodo locisque aliis, numero quinquaginta ei adjecit. Cumque jam universam classem collectam haberet, in qua naves erant CXL. ad manus cum hoste conferendas se paravit. At cum intellexisset invidiam conflari sibi ab amicis Lysandri, qui non solum minus prompti obsequiis essent, sed & per civitates sermone frequenti jactarent, male rebus suis consulere Lacedæmonios mutandis identidem classis Ducibus, cum sæpe inidoneos, & tum primum ad nautica accedentes, & qui hominibus uti nescirent, rerumque maritimarum imperiti essent, & ignari eorum, quæ istuc pertinent, pro melioribus mitterent, atque ideo in discrimen fortunam suam darent, convocatis Lacedæmoniis illic præsentibus sic ad eos est locutus. Ego libens domi mansero, & si vel Lysander, vel quisquam alius rei nauticæ videri velit peritior, eum ego non impediero, quantum attinet ad me. Verum quoniam me ad præfecturam classis misit civitas nostra, quid habeo aliud, quam ut faciam pro viribus meis id, quod mihi est mandatum? Cum itaque & ego vehementer id cupiam, quod desiderat civitas vestra, quod & vos scitis, agite dicite mihi, quid optimum vobis videatur me facere, hiccine manere, an domum redire, & quomodo

1. Ita distingui jubet Xenophon, quod ante sic corrumpebatur *fuerant vix LXX. complevit*.

res heic habeant, illic exponere? Ad quæ cum nemo auderet reſpondere aliud quam obtemperandum civitati, faciendaque ea, ob quæ iſtuc veniſſet, ſtatim ad Cyrum ſe contulit, petitum ſtipendia nautis. A quo cum juſſus eſſet expectare biduum, moram indigne ferens, & janitoribus ſuccenſens dixit, miſerrimos eſſe Græcos, qui barbaris pecuniæ gratia adulentur, profeſſuſque eſt, ſi incolumi domum redire ſibi contingat, ſe pro viribus eſſe annixurum, ut in mutuam gratiam inter ſe redeant Athenienſes & Lacedæmonii. Simulque Miletum repetens, triremibus Spartam emiſſis, ad petendam pecuniam, B vocatiſque ad concionem Mileſiis, eos hortatus ſummopere eſt, ut ante alios bello huic gerendo ſuppetias ſibi ferrent: eſſe enim ipſos barbaris maxime vicinos, & plurima ab iis mala eſſe perpeſſos: id æquum eſſe facere eos, & reliquis ſociis exemplo præire, interea dum triremes petendæ cauſa pecuniæ Spartam miſſæ reverterentur: invide feciſſe Lyſandrum, qui Cyro pecuniam, quam adhuc habebat, velut ſuperfluam reddiderit: ſe quidem ad Cyrum fuiſſe profectum, ſed dilationibus ſuſpenſum ab animo ſuo impetrare non potuiſſe, ad fores illius obverſari & præſtolari diutius: ipſis autem promittere ſe, ſi quid in tempore beneficii jam in ſe C ac civitatem ſuam conferrent, dignam ſe gratiam ipſis repenſurum, & volentibus aliis demonſtratum barbaris, etiam ſine auxilio eorum ſe ſociosque hoſtem ſuperare poſſe. Atque hac oratione effectum dedit, ut Mileſii recuſare non auſi pecuniæ copiam conferrent. Qua accepta, aliaque apud Chios confecta ſtatim drachmas v. cuilibet claſſiario militi exſolvit: indeque in Lesbum tranſmittens Methymnam præſidio Attico inſeſſam, & Athenienſium partibus adhærentem, portaſque ſibi claudentem invaſit, expugnavitque. Urbs diripienda militi data: mancipia juſſu Callicratidis in forum congregata. Poſcentibus vero ſociis, ut Methymnæi cives quoque in ſervitutem darentur, reſponſum a Callicratida, ſe Im- D peratore, non paſſurum quenquam Græcorum, quantum in ſe eſſet, venundari: omneſque liberi poſtridie dimiſſi, ſed præſidiarii Attici cum reliquis mancipiis pretio venditi. Cononi autem idem Callicratidas denunciavit, ut mari decederet. Cumque vidiſſet eum illuceſcente die, e portu in mare ſe conferre, perſecutus eum eſt, volens navigationem in Samum ei intercludere. Sed Conon vi lectiſſimorum remigum & navium celeritate fretus cum collegis duobus Leonte & Ereſinide in portum Mytilenæum confugit, perſequente Callicratida uſque ad portus initium, inſtructo navibus CLXX. Sed ille a Mytile- E næis urbe prohibitus, neceſſum habuit in ipſo portus aditu cum hoſte pugnare: in quo conflictu naves amiſit XXX. propugnatoribus in terram fuga elapſis, reliquas XL. ad muros urbis ſubduxit. Callicratidas victum premens in ipſum portum invectus eſt, ut ejus exitum haberet in poteſtate, & Methymneis omnibus viritim itinere pedeſtri evocatis, exercituque e Chio tranſportato, obſidionem urbis inſtituit, ac ſimul pecuniam opportune a Cyro accepit. At Conon a terra & mari obſeſſus, & frumenti copia omni a parte excluſus, urbe interim hominum multitudine repleta, nec Athenienſibus, horum omnium ignaris, auxilia non ferentibus in tanta rerum difficultate, ex univerſo navium ſuarum F numero celerrimas duas deductas, remigibus optimis e tota claſſe delectis, & propugnatoribus inſtrumentoque neceſſario intra alveos abditis implevit. Atque hæc per tenebras, ne ab hoſte conſpicerentur, adminiſtravit. Die quinto remiges modice pranſi in ipſo meridie, cum qui in ſtationibus erant negligentius agerent, quidam etiam ſopiti eſſent, ſumma vi conniſi e portu eruperunt; navium altera in Helleſpontum contendit, altera in apertum pelagus ſe incitavit: quarum hæc a perſequentibus, qui quam celerrime reſectis ancoris in eas ferebantur, occidente jam Sole cum vectoribus capta eſt, illa in Helleſpontum fugiens elapſa Athenas pervenit, & obſidionem Mytilenes nunciavit. Interim Diomedon cum navibus XII. ad opem Cononi obſeſſo ferendam accelerans in Euripum Mytilenæum cum veheretur, Callicratidas in eum ſubito invectus X. ejus naves cepit: reliquæ duæ cum Duce ipſo vix fuga ſe ſervarunt. At Athenienſes accepto obſidionis nuncio ſine mora naves ex auxilio mittendas decrevere, eaſque ſpacio dierum XXX. viris, ſine diſcrimine liberorum & ſervorum, qui in ætate erant militari, nec paucis equitibus completas atque inſtructas in mare remiſere. Hæ Samum appulſæ, & X. Samiis, quæ ex fœdere debebantur, auctæ, præter iſtas ſupra XXX. hinc inde adſcitas ſibi adjunxere. Contra hanc CL. navium claſſem, cum eam Sami jam eſſe audiiſſet, ſe parans Callicratidas, relicto ad obſidendam Mytilenen cum navibus L. Eteonico, ipſe cum reliqua claſſe navium CXX. Maleam promontorium Lesbi, oppoſitum Mytilenæ, ſe contulit, ibique cœnam ſumpſit. Eodem vero die accidit forte, ut Athenienſes quoque in Arginuſis cœnarent. Sitæ autem ſunt Arginuſæ regione Lesbi, qua promontorium Maleæ eſt, ex adverſo Mytilenes. Conſpectis vero per noctem ignibus, & nuncio accepto Athenienſes illic eſſe, circiter mediam noctem Lacon claſſem movit tanquam ſtatim conflicturus. Sed largo imbre cum tonitru incidente progredi haud potuit. Ac cum finem jam imber haberet, ac ſimul diluxiſſet, ad Arginuſas contendit occurrentibus lævorſum per pelagus Athenienſibus optimo ordine inſtructis, ne hoſtium incurſu tranſverſum ſcindi perrumpive poſſet. Erant enim Atticæ naves ad motum tardiores, Laconicæ vero ſingulæ ad incurrendum & circumveniendum ob celeritatem magis comparatæ. Erat in harum dextro cornu Callicratidas, monebaturque ab Hermone gubernatore ſuo, ut ſe reciperet, propterea quod Athenienſes numero navium ſuperarent. At ille contra, me occumbente nihilo deterius Sparta habebit: fugere vero turpiſſimum eſſe. Ita pugna concurrit: pugnatumque longo tempore, primum quidem confertis agminibus, deinde ſparſim. Sed poſtquam per impetum incurrentis navis Callicratidas in mare decidens evanuit, dextrum cornu ejus a Protomacho & reliquis Athenienſibus qui in ſiniſtro cornu verſabantur, victum eſt; ſecutaque eſt Peloponnenſium fuga Chium ac Phocæam verſus. Athenienſes Arginuſas repetentes etiam in conflictu naves amiſere XXV. cum ipſis viris, exceptis paucis, quibus fuga in terram ſaluti fuit. E Laconicis decem periere IX. reliquarum ſociarum plures quam LX. Decretum vero a Ducibus Atticis fuit, ut Theramenes ac Thraſybulus trierarchi, & cum iis quidam alii ordinum ductores acceptis navibus XLII. properarent ad naves merſas, & earum vectores: reliqui vero Mytilenen feſtinarent contra Eteonicum. Sed omnes vehementi vento ac tempeſtate exorta id facere ſunt prohibiti, excitatoque tropæo illic hærere neceſſum habuerunt. Interea Eteonicus per celocem de clade ſuorum edoctus: qua ſubito recedere juſſa, & ſilentio vectoribus imperato, confeſtim eodem eos redire mandavit coronatos clamanteſque, viciſſe navali prœlio Callicratidam, omneſque omnino Athenienſium naves periiſſe. Quo facto ipſe ob lætum nuncium ſacra peregit, & milites cœnare juſſit: ſimul mercatores caſtra ſecutos ſilentio res ſuas navigiis imponere, & Chium contendere curavit. Conon digreſſis hoſtibus deductis navibus ſuis, & ſecundante vento, Athenienſes ab Arginuſis occurrentes de Eteonico fecit certiores. Atque hi cum Mytilenen navigaſſent, inde Chium petiere, nec ulla

lare illic confecta Samum contenderunt. At civitas Attica Ducibus his omnibus excepto Conone, imperium abrogavit, Cononique duos collegas dedit, Adamantum ac Philoclem. Ex eorum numero VII. domum reversis, (duo enim emansitarunt) Erasinides in judicium vocatus accusante Archidamo Athenis tum armorum præfecto & Deceleæ curam agente, ob pecunias publicas ex Hellespонto interversas, & male administratum imperium militare, jussu judicum in custodiam datus. Cæteri sex in senatu de pugna, de tempestatis magnitudine oratione habita, cum dignos eos censuisset Timocrates, qui vincti populo traderentur, ex senatus decreto in vincula sunt conjecti. Concione deinde convocata accusati sunt cum ab aliis tum maxime a Theramene. Is contendit rationem eos reddere oportere, cur naufragos non sustulissent: & cum nullo alio argumento vincerentur, epistolam testem produxit. Arcessiti vero tum apud senatum, tum apud populum, nihil aliud causati sunt præter tempestatem. Deinde breviter singuli pro se ad diluendum crimen locuti (nec enim permittebatur iis secundum legem verba facere) rem gestam exponebant, docebantque, se quidem in hostem contendisse, naufragorum vero tollendorum curam trierarchis viris idoneis, & præfectura militiæ jam ante functis Therameni & Thrasybulo aliisque similibus demandasse: & si qui de neglecta ista re accusandi sint, non alios, quam hos ipsos, quibus ea demandata, accusari oportere: nec hæc accusandi gratia se dicere, mendacii enim sesemet alligaturos, sed hoc affirmare, tempestatis magnitudinem impedivisse, quo minus naufragi e mari sint sublati: provocabantque ad testimonium gubernatorum, aliorumque, qui rei actæ interfuerant. Atque ita dicentes populo persuadebant, ut multi surgentes e privatorum numero ad sponsionem se pro reis offerrent. Sed visum, rem in concionem proximam differre: (tenebræ enim vespertinæ ingruebant, ut manus amplius dispici non possent,) interea vero senatum præconsultare, & ex decreto suo deinde ad populum ferre, quo modo rei sint judicandi. Post quæ inciderunt Apaturia, coieruntque inter se parentes cognatique eorum, qui perierant. Et Theramenes homines alios quoque subjecit, qui atrati, lugentium in morem, tanquam mortuorum propinqui isto in festo se populo ingererent. Quin etiam Callixenus ab iis est persuasus, ut in senatu Duces accusaret. Post quæ, concione rursum convocata, sententia senatus recitata est, auctore Callixeno scripta: scilicet hæc, ut auditis jam superiore concione accusationibus & defensionibus Ducum, Athenienses omnes suffragia nunc ferrent per tribus: *utque in singulis tribubus binæ statuerentur urnæ, pronunciareturque per præconem, ut quicunque censerent culpæ affines esse Duces, quod eos, qui in prœlio navali perierant, non sustulissent, calculum in urnam priorem inferrent: qui secus, in posteriorem: & rei, si culpæ affines judicarentur, morte plecterentur, traderenturque undecemviris rerum capitalium præfectis: bona vero eorum publicarentur, decimaque Minervæ sacraretur.* Prodiit quoque tum in concione quidam, qui ferebat, vase farinario se enatasse, imperatumque sibi esse a pereuntibus, ut si salvus evaderet, nunciaret populo, optime pro patria rem gerentes a Ducibus esse neglectos. Sed Callixenum contra leges sententiam istam scripsisse, Euryptolemus aliique nonnulli e populo censerunt, eumque hoc nomine arcessiverunt. Quod multitudo inique ferens indignum vociferabatur, populum prohiberi, quo minus faciat, quod velit: & jactante Lycisco, iisdem suffragiis cum Ducibus judicatum istos quoque iri, ni populum turbare absisterent, rursus tumultuata promiscua multitudo est, coegitque eos propositum dimittere. Sed Prytanibus dicentibus non se admissuros suffragationem legibus adversantem, rursus Callixenus suggesto conscenso de iisdem eosdem accusabat. Populus vero clamabat, citandos esse, qui judicium non admitterent. Tum Prytanes timore correpti cessere omnes præter Socratem Philosophum Sopronisci filium, qui in sententia perstabat, dicebatque nihil se nisi secundum legem facturum. Post quæ Euryptolemus, conscenso suggesto, pro Ducibus sapienti & gravi usus oratione populum serio monuit, ne quid hac in re ageret temere, quod faceret ad damnandos innocentes, & absolvendos sontes, unde infamia injustitiæ, aut imprudentiæ inscitiæve alicujus, ac paulo post sera pœnitentia sine dubio eum esset secutura: esse ei decreta & leges, quibus si pareret, futurum ut in nullum horum incurreret. Dein demonstravit rem sic gestam esse, ut nihil sit certius, quam crimen abesse, liqueat vero per tempestatem stetisse, quo minus id factum sit, aut fieri potuerit, quod a Ducibus nunc poscitur: iniquum esse etiam in adversa belli fortuna calamitatem Imperatoribus aut Præfectis imputari, si constet, officium eos fecisse: multo vero iniquius, in victoria, si quid præter votum acciderit, id culpæ eorum adscribi, qui ex mente sua corona quam pœna sint digniores. Atque his dictis decretum scripsit, æquum videri, ex præscripto decreti Canoniani (quod in oratione recitaverat laudaveratque) reos judicari singulos seorsim, & tempus iis dari ad defensionem sui saltem diei unius. Et hoc decretum populus tum suffragio suo probavit. Sed intercedente & per interpositum juramentum comperendinationem poscente Menocle, res fuit dilata. Et cum rursum in suffragia missus esset idem populus, mutata mente sanxit, ut ex senatus sententia, cujus auctor Callixenus fuerat, judicium haberetur. Atque ita judicio instituto damnati sunt Duces VIII. & ex his sex, qui præsentes erant, statim necati: in quibus Pericles fuit Periclis filius. Sed haud diu post pœnituit facti Athenienses, decretumque ab iis scriptum, ut qui populum hac in re decepissent, eos calumniæ arcessere liceret, & vades eosdem poscere in eventum litis: ex his Callixenum esse. Et huic additi quatuor, alii vadimonium dare coacti. Verum hi postea, orta forte seditione, qua periit Cleophon, ante judicium fuga sibi consuluere. Callixenus vero e Piræo in urbem reversus, exosus omnibus fame tandem confectus periit. Hic exitus infamis judicii.

XENOPHONTIS

RERUM GRAECARUM LIBER SECUNDUS.

MILITES Eteonici in Chio insula durante æstate dum suppeterent necessaria, quieti, cum advenisset hyems, inopia victus & amictus pressi, clam coitionibus factis, consilia de occupanda urbe Chio concepere. Quæ quibus placebant, signum consensus calamum gestabant, ut se mutuo nossent. Eteonicus gliscere conspirationem animadvertens merito multis nominibus anxius, invidiam, infamiam, summum detrimentum metuens, a conspirantium multitudine sibi timens, tandem sumpta audacia, cum in urbe occurrentem sibi unum, qui calamum gerebat, trucidasset, & facti causam rogatus dixisset, ob gestatum calamum id fecisse, reliquis perculsis, & calamum ex metu abjicientibus conjurationem dissipavit. Tum pecunia a Chiis sumpta, & menstruo stipendio militibus numerato,

dissimulata pravorum consiliorum scientia, erectisque spe & promisso militum animis, classem inde abduxit. Post quæ a Chiis & sociis aliis conventus actus Ephesi, deliberatumque de rebus præsentibus: missi Lacedæmonem decem legati, qui Lysandrum remitti ad classem cum imperio peterent, prioribus experimentis probe ipsis cognitum. Verum quoniam lex apud Lacedæmonios vetabat bis eundem classi præesse, Aracus classis Imperator designatus est, Lysander autem legatus ei datus. Traditæ Lysandro naves exactis jam belli hujus annis XXV. Hoc eodem anno Cyrus cognatos suos Autobæsacem, & Mitræum, quod manibus intra manicas non contractis sibi occurrentes ex more Persico honorem regium non exhibuissent, occidit. Quamobrem delatus apud patrem, ab eo morbum simulante evocatus est.

Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει ἐπὶ Ἀρχύτου μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δ᾽ ἐν Ἀθήναις Ἀλεξίου, Lysander Ephesum venit, Eteonicum cum navibus Chio evocat, alias naves undequaque contrahit, vitiatas reficit, novas apud Antandrios construi curat. Inde ad Cyrum profectus pecuniam ab eo petit. Qua ægre ab eo impetrata (demonstrabat enim Cyrus prioribus pensionibus liberalibus se exhaustum) trierarchos constituit, & debitum stipendium militibus solvit. Nec minus Athenienses ad prœlium navale Sami se parant. Interim venit ad Cyrum nuncius a patre, dicens patrem ægrotare, ac filii præsentiam desiderare, quamquam ille isto tempore in castris ageret contra Thamnerios Mediæ, Cadusiis finitimos, qui ab eo defecerant. Audito nuncio Cyrus Lysandrum accersit, agitque cum eo de ratione belli, monet ne prœlio rem committat nisi numero navium multo Atheniensibus superior; ad extruendam classem numerosam sibi & patri opes suppetere: ad hæc reditus omnes suos proprios, quos iis in partibus habebat, ei tradit, & quod pecuniarum reliquum erat: demum commemorata amicitia sua cum civitate Spartana publice, & cum ipso Lysandro privatim, ab eo iter arripit ad patrem. Quo digresso Lysander soluto exercitui stipendio in sinum Ceramicum qui in Caria est, vela dans, oppidum Atheniensibus confœderatum Cedrenense oppugnatum postridie vi expugnat, & servituti mancipat. Erant enim habitatores semibarbari. Hinc Rhodum vicinam petit. Athenienses autem Samo profecti regiones Regi parentes in ora Asiæ male mulctant, & vicina Chio ac Ephesο incursant, parantesque se ad prœlium navale Ducibus prioribus tres addunt Menandrum, Tydeum, Cephisodotum. At Lysander Rhodo solvens relicta a dexteris Ionia in Hellespontum cum classe contendit, prohibiturus illic navium exitus, & civitates, quæ defecerant, invasurus. Quo cum venisset, Abydo Lampsacum petit Atheniensium sociam, simulque pedestri itinere istuc se conferunt Abydeni & socii alii, quibus præerat Thorax Spartanus, omnesque urbem invadentes vi ea potiuntur, divitemque frumento, vino, & rebus aliis plenam diripiunt: homines liberos salva libertate Lysander dimittit. Athenienses, qui evitata continentis Asiæ ora, quæ ipsis hostilis erat, Chium pelagus sulcaverant, hostes pone secuti, cum Eleuntem Cherronesi urbem appulissent cum classe navium CLXXX. prandio illic intenti nuncium accipiunt de capta Lampsaco: statimque inde Sestum se conferunt, atque ibi frumentati confestim ad flumen *Ægos* enavigant, quod ex adverso Lampsaci est, ubi Hellespontus interfluens stadiis circiter XV. patet, ibidemque sunt cœnati. Lysander ea nocte circiter auroram signum suis dedit, ut jentati naves conscenderent: atque omnibus ad pugnam navalem paratis, objectisque pluteis denunciavit, ne quisquam ordine excederet. Verum Athenienses cum Solis ortu ad fauces portus acie instru-

A cta, & fronte in hostem versa ad pugnam se offerebant. Sed Lysandro suos continente, nec pugnæ copiam faciente, cum jam advesperasceret, ad flumen *Ægos* se retulere. Quos statim secutæ sunt jussu Lysandri navium celerrimæ, speculaturæ, quid agerent Athenienses, nec prius relinquere naves miles permissus, quam speculatoriæ rediissent. Atque hæc continuata eodem modo per dies quatuor. Alcibiades interea conspicatus e munitionibus suis, quas illic construxerat, Athenienses quidem stationem in maris litore habere, ubi nulla urbs, necessaria autem Sesto petere, & a navibus discedere ad stadia XV. hostes autem in portu & ad urbem o-

B mnia sua tenere, accedens ad Duces, dixit stationem valde incommodam iis esse; hortatusque est, ut Sestum concederent, ubi portum habituri essent, & futuri ad urbem, pugnaturique cum ipsis placuerit. Sed spretus a Ducibus maxime vero a Tydeo & Menandro, facessere istinc est jussus, dicentibus sibi jam, non ipsi imperium classis competere: atque ita ille sine mora discessit. At Lysander die quinto, cum rursum se reciperent Athenienses, præcepit speculatoribus suis, qui eos sequebantur, ut simul ac viderent ipsos relictis navibus dispersos ferri per Cherronesum more solito frumentandi gratia, Lysandrum jam temnentes, qui pugnam detrectaret, ip-

C si confestim rursum inde solventes in medio cursu clypeum attollerent. Quo ab iis facto, Lysander sine mora signo dato quam celerrime altum peti jussit. Conon conspicatus advenientes hostes classicum quidem cecinit ad opem navibus ferendam: sed classiariis late dispersis naves pene sine remigibus erant, cum bini aut singuli singulis in navibus, in quibusdam etiam nulli reperirentur. Sed quæ Cononis erat, & præter eam septem aliæ Cononi adhærentes, remigibus militibusque plenæ, & πάραλος, id est, navis sacra, sublatis ancoris solverunt. Reliquas omnes Lysander in littore stantes

D oppressit, virorum plurimos in terra intercepit. Quidam in Cheidria confugientes se servarunt. Conon cum navibus IX. in altum evectus cognita clade classis Atticæ Abarnidem promontorium Lampsacenum devenit, ablatisque inde majoribus navium Lysandri malis, assumptis navibus VIII. in Cyprum se contulit ad Evagoram: paralus Athenas petiit non lætæ rei nuncia. Lysander naves, homines captivos, cæteraque omnia Lampsacum abduxit, ex Ducibus præter alios Philoclem & Adimantum cepit: eademque die, qua victoria potitus est, Theopompum Milesium prædonem misit Lacedæmonem, nunciatum ea, quæ erant gesta. Atque is celerri-

E mo cursu diebus tribus pelagus emensus nuncium istuc pertulit. Post quæ idem Lysander socios convocatos de captivis quid statuendum sit, in medium consulere jubet. Ibi multa crimina congesta in Athenienses, scilicet & fecisse eos multa contra jus & fas, & constitutum habuisse, si victoria navali potirentur, captivis omnibus manum dextram amputare: captisque triremibus duabus, Corinthia ac Andria, vectores earum omnes in pelagus præcipites dedisse, Duce & auctore Philocle, collataque in eosdem alia quoque plura. Decretumque in concilio, capti-

F vos omnes quotquot Athenienses essent, esse necandos, excepto Adimanto, quia is solus decreto de præcidendis dextris contradixisset: quanquam sint qui ob proditas naves hoc ei tributum fuisse ferunt. At Philocles a Lysandro interrogatus, qua pœna dignus esset, qui primus contra leges exemplum tale adversus Græcos in mare præcipitatos edidisset, reddito responso animoso, jussu ejusdem trucidatus est. Rebus Lampsaci constitutis Lysander Byzantium & Chalcedonem profectus ab utraque civitate receptus est: præsidium Atticum sub pacto dimissum: qui Byzantium Alcibiadi prodiderant, in Pon-

A tum tunc fuga elapsi, dein Athenas profecti, atque ibi civitati adscripti. Præsidiarii Attici, & alii hic illic deprehensi Athenienses Athenas a Lysandro ire sunt permissi, nec quoquam alio: nusquam enim alibi tutos a vi futuros. Id ideo ab eo fiebat, quod sciret quo plures in urbe & Piræo stiparentur, eo citius inopia rerum necessariarum laboraturos. Tum Byzantii & Chalcedone Harmoste Lacone relicto Lampsacum ad reficiendas naves rediit. Interea navi paralo noctu portum subeunte ad primam cladis commemorationem planctus in Piræo repente exortus per longos muros celeriter in urbem percurrit, dum alii aliis rem memorant, ut ea nocte ob dolorem nemo dormitum concesserit. Nam enim solum eos, qui perierant deflebant, sed etiam sese eadem passuros esse, quæ ipsi Meliis Spartanorum colonis sibi deditis, quæque Histiæis, Scionæis, Toronæis, Æginetis aliisque Græcorum multis fecerant, metuebant. Postridie concione coacta decretum, portas urbis omnes esse obstruendas, omniaque denique paranda, quæ ad sustinendam obsidionem pertinerent. Atque hæc illi. Lysander ex Hellesponto in Lesbum venit classem ducens ducentarum navium, ibique cum alias ejus insulæ civitates, tum Mitylenen pro arbitrio suo constituit: Eteonicum cum triremibus decem in Thraciam misit, qui omnia illic in partes Laconum traduceret. Reliqua autem Græcia statim post prœlium navale ad Ægos flumen ab Atheniensibus defecerat, præter Samios, qui cæsis primoribus urbem tuebantur. Lysander vero missis hominibus ad Agim, & Deceleam & Spartam, denunciat, cum navibus ducentis sese advenire. Tum Spartani quasi viritim egressi, & cum iis Peloponnenses alii, demptis Argivis auspiciis alterius Regis Laconici Pausaniæ: omnesque conjuncti eodem Duce in Atticam profecti castra ad urbem posuere in Academia, quod gymnasium vocabant. At Lysander Æginam appellens Æginetas patria pulsos ab Atheniensibus quotquot eorum congregare potuit, patriæ restituit, iisque urbem tradidit: idemque de Meliis etiam atque aliis extorribus fecit. Mox Salamine evastata Piræum petiit cum navibus CL. & ingressum egressumque portus clausit. Sic Athenienses terra marique obsessi in magna fuere consiliorum perplexitate, ignari quid sibi faciendum, cum nec navium, nec sociorum, nec frumenti copia ulla jam ipsis superesset: obversabanturque animis eorum gravissimæ ac tristissimæ cogitationes, verentes haud alium rebus deploratis exitum jam patere, quam pati ac subire sortem eam, quam ipsi aliis in potestatem redactis irrogassent, cum non ulciscentes acceptam injuriam, sed indulgentes libidini suæ, ac velut contumelia miserorum gaudentes injustis pœnis afficerent infirmiores minorum urbium cives, haud aliam ob causam quam quod socia arma cum Lacedæmoniis gessissent. Quamobrem consilii melioris inopia pressi, ut quoquomodo sustentarent fortunam suam, homines viles & obscuros ad honores promovebant. Et cum complures in urbe fame extinguerentur, nulla tamen tentandæ transactionis fiebat mentio. Verum cum inedia cresceret, consumptumque esset, quicquid reliquum fuerat frumenti, tum demum legati missi sunt ad Agim, petitaque societas Lacedæmoniorum, salvis muris urbis cum Piræo. Sed ab Agide legati Lacedæmonem ire sunt jussi, quod diceret rerum earum potestatem se non habere. Itaque ad suos reversi iidem legati Lacedæmonem sunt missi. Qui cum Sellasiam venissent Laconicæ regioni confinem, mandataque sua Ephoris ibi exposuissent eadem, quæ Agidi Regi antea exposuerant, responsum ab his tulere, ut, si pacem cuperent, domum reversi, rectius re cum suis deliberata, redirent. Quibus domum relatis ingens animi dolor omnes rursum occupavit. Existimabant enim servitutem sibi esse subeundam, atque interea dum legati alii mitterentur, multis fame pereundum: murorum autem demolitionem suadere audebat nemo. Nam Archestratus cum in senatu dixisset, optimum esse, pacem, uti a Lacedæmoniis offerebatur, facere, in vincula conjectus fuerat. Illi autem conditionem ferebant, ut muri longi utrimque ad decem stadia dejicerentur. Decretumque tunc erat, ne cui liceret hujusmodi quicquam sententiæ loco in medium afferre. Quæ cum sic haberent, Theramenes in concione pro- B fessus est, si auctoritate publica mitteretur ad Lysandrum, se explorati aliquid domum relaturum, utrum civitatis in servitutem redigendæ ergo, an quod minus ei fiderent Lacedæmonii, muros dirui vellent. Missus vero istuc diutius quam per tres totos menses apud Lysandrum substitit, id temporis operiens, quo Athenienses destituti frumento admissuri essent ea, quæ ipsis qui esset propositurus. Reversus autem mense quarto, in concione affirmavit, hactenus a Lysandro se retentum, ac demum jussum esse, Lacedæmonem ire: nec enim se earum rerum, de quibus quæreretur, potestatem C habere, sed Ephoros. Post quæ idem ipse cum novem aliis legatus cum summa potestate designatus fuit, ut Lacedæmonem proficisceretur. At Lysander præter Spartanos alios Aristotelem exulem Atheniensem ad Ephoros misit, qui nunciaret iis, responsum se Therameni dedisse, pacis bellique potestatem penes ipsos esse. Theramenes & legati collegæ, cum Sellasiam venissent, interrogati quibus cum mandatis venirent, dixere, cum plena potestate de pace agendi se adesse. Tum ab Ephoris accersiti cum se Spartæ stitissent, vocato ad concionem populo obnitentes sibi habuere potissimum D Corinthios & Thebanos, dein & alios Græcorum non paucos, quorum sententia erat, non paciscendum cum Atheniensibus esse, sed excidio eos dandos. Verum ad hæc Lacedæmonii, haud esse mentis suæ, pessundare aut servituti addicere civitatem Græcam, quæ summis Græciæ periculis res inprimis magnas pro salute ejus gessisset. Nec morati diu pacem iniere cum Atheniensibus hac lege, ut diruerentur longi muri, & Piræus portus munitionibus nudaretur: ut traderent Athenienses naves omnes, exceptis XII. exulesque reducerent, & Lacedæmonios, quocumque hi ducerent, sequerentur terra marique, & eosdem cum his hostes ac ami- E cos haberent. Et hæc quidem Theramenes collegæque legati Athenas retulere: quos in ingressu urbis ingens hominum multitudo circumfudit, metuentium infecta eos re redire. Res enim dilationem non patiebatur ob multitudinem pereuntium fame. Postridie retulerunt legati, quibus conditionibus pax ipsis a Lacedæmoniis esset data: primus Theramenes procedens sententiam dixit, parendum sibi videri Lacedæmoniis, & muros diruendos. Nonnullis vero contradicentibus, multo autem pluribus in sententiam ejus euntibus, placuit pacem recipere. Secundum quæ Lysander Piræum cum F navibus subiit; exulesque reducti, murique ad tibiarum cantum magno studio diruti, cum arbitrarentur vulgo, diem istum initium dare libertatis toti Græciæ. Cum quo annus desinebat, circiter cujus medium Dionysius Hermocratis filius, Syracusanus, tyrannidem invasit, cum prius a Syracusiis prœlio victi essent Carthaginienses, Agrigentum autem frumenti penuria laborans, desertumque a Siculis cepissent.

Anno sequente, in quem incidit Olympias (erat ea XCIV. annus vero belli erat XXVIII.) stadium vicit Crocinas Thessalus, Eudico apud Spartanos Ephoro, Pythodoro Athenis Archonte, quem tamen

Athenienses, propterea quod constituta jam Oligarchia creatus sit, non nominat, annum vero istum ἀναρχίαν nuncupant. Cæterum Oligarchia, id est, paucorum dominatus hoc modo extitit. Visum populo viros eligere triginta, scribendis patriis legibus, secundum quas deinceps respublica esset administranda. Quibus designatis Lysander cum classe Samum petiit, Agis vero exercitu pedestri Decelea abducto, unumquemque ad patrios lares dimisit. Eo tempore circiter Solis eclipsin Lycophron Pheræus adspirans ad totius Thessaliæ imperium, adversantes sibi Thessalorum nonnullos, & in his Larissæos, cum aliis, prælio superavit, multamque eorum cædem edidit. Dionysius autem Syracusanus in Sicilia a Carthaginiensibus pugna victus Gelam & Camarinam amisit: & paulo post Catanenses, qui Syracusis cum cæteris ejus urbis civibus degebant, a Dionysio & Syracusanis deficientes in urbem suam se contulerunt: ad quos persequendos confestim equites Syracusani a Dionysio Catanam sunt missi. Interim ab omni parte obsidione a Lysandro pressi Samii, & consilii inopia laborantes, cum jam impetum in eos dare Lysander pararet, re subito deliberata, cum eo sic transegere, ut liberi singuli cum singulis vestibus discederent, cætera omnia victori traderent. Quibus factis a Lysandro civibus veteribus civitas cum omnibus quæ in ea erant, restituta, & decem Præfecti, qui res curarent, dati: dein dimissa sociorum classe ad suos, ipse cum Laconica repleta rostris captarum navium hostilium, cumque triremibus Piræi occupatis, præter XII. atque item coronis, quas a civitatibus dono pro se acceperat, & argenti CCCCLXX. talentis, quæ ipsi supererant ex censu a Cyro in belli usum contributo, & quæ alia bello acquisiverat, Lacedæmonem vectus est, atque ea omnia Lacedæmoniis suis tradidit exeunte æstate cum qua semestre XXVIII. anni bello Peloponnesiaco expiravit: quibus annis Ephori fuere, Ænesias, sub quo bellum cœpit, anno decimo quinto post captam ab Atheniensibus Eubœam & initium fœderum tricennalium, dein Brasidas, Isamor, Sostratides, Exarchus, Agesistratus, Agonides, Ononacles, Zeuxippus, Pityas, Plistolas, Clinomachus, Ilarchus, Leon, Chæridas, Patesiadas, Cleosthenes, Lycarius, Eperatus, Onomantius, Alexipidas, Misgolaidas, Isias, Aracus, Euarchippus, Pantacles, Pityas, Architas, Eudicus: sub quo, rebus istis gestis quæ jam memoratæ sunt, Lysander cum classe domum rediit. Sed Triginta-viri Athenis statim electi fuere, cum longi muri cum iis, qui Piræum ambiebant, essent everti. Verum electi, ut leges conscriberent, secundum quas respublica administraretur, earum tum scriptionem tum promulgationem semper differebant; senatum vero & magistratus alios pro arbitratu suo constituebant. Deinde primum omnium eos, quos omnes noverant in statu populari ex calumniis aut delationibus falsis victitasse, ac bonis honestisque viris graves fuisse, comprehensos capitis reos faciebant: atque hos senatus lubens damnabat, nec quisquam aliorum, qui sibi talium facinorum conscii non erant, id moleste ferebat. At ubi consilia coquere cœperunt, qua ratione pro placito suo uti civitate possent, tum primum ex numero suo Æschinem & Aristotelem misere Lacedæmonem, & per eos cum Lysandro egerunt, ut navaret ipsis operam in impetrando a Lacedæmoniis præsidio, quo niti possent, quoad improbis sublatis rempublicam constituissent: eique se alimenta præstituros receperunt. Lysander persuasus id effectum dedit, ut & præsidium & Callibius Harmostes mitteretur. Illi accepto præsidio Callibium omni cultu demulsum sibi devinxere, ut quicquid agerent ipsi, ab illo probaretur. Ex præsidiariis

A autem consentiente eodem, quos cupiebant, & assumptis comprehenderunt non jam improbos, & homines viles, sed eos potissimum, quos sibi maxime obstaturos, & actionibus suis obviam ituros, ac multorum concurrentium ope contra se usuros esse existimabant. Erat in numero Triginta-virum Critias, idem cum Theramene collega pridem sentiens, & amicitia cum eodem junctus. Is vero tunc cum præceps cœpisset ferri in cædem multorum (quippe qui a populo olim in exilium pulsus erat) objecit sese ei Theramenes, dicens, haud æquum esse interimi illos, quos honore dignaretur populus, quique in bonos injurii non essent: nam & ego, dicebat, B & tu multa diximus & fecimus, ut populo placeremus. At ille (nam adhuc familiariter utebatur Theramene) fieri haud posse respondit, quin, qui potentia eminere cupiant, e medio tollere necessum habeant eos, qui plurimum ipsis obsistere queunt. Quod si existimas idcirco, quod non unus, sed triginta sumus, minus nos de tuendo hoc imperio, quam de conservanda tyrannide sollicitos esse oportere, næ tu desipis. Post quæ multis injuste mortem oppetentibus cum multi palam coirent, & de republica quid futurum esset, admirantes inter se mussarent, rursum Theramenes, impossibile esse C dicebat, hanc paucorum potentiam durare diu, nisi tot potestatis consortes assumerentur, quot res posceret. Hinc in timorem dati Critias, atque alii ejus collegæ, inprimis vero Theramenem metuentes, ne forte ad eum cives confluerent, delegerunt ex omni civium numero ter mille, quos potestatis participes essent habituri: ac de his hanc legem tulere, ne horum quemquam nisi per sententiam senatus damnare liceret. Sed & hoc, velut absurdum, a Theramene fuit improbatum. Ajebat namque, ab initio professos eos fuisse, optimos quosque in societatem administrandarum rerum sese esse assumpturos: jam vero ter mille delegisse, perinde ac D si in eo numero necessitatis aliquid insit, ut nec extra eum boni, nec intra eundem improbi esse queant. Deinde duo eos facere dicebat maxime inter se pugnantia: imperium enim instituere violentum, & id viribus eorum quibus imperabitur, infirmius. Hæc ille. Ii autem cum seorsim in foro suos illos ter mille censuissent, cæteros extra hunc numerum alibi censos, dein arma induere jussos, per præsidiarios & cives secum facientes armis exuerunt, armaque ea arci illata in arcis fano seposuerunt. Quibus confectis, cum jam licere sibi, quicquid liberet, arbitrarentur, multos ob inimicitiam, multos quoque ob pecunias, quarum erant cupidi, interemerunt. E Ad hæc statuerunt, quo haberent, unde præsidio stipendia solverent, singuli ut singulos civium advenarum comprehenderent, necarentque, & pecunias eorum consignarent. Atque idem facere etiam Theramenem voluerunt. Sed is respondit, turpe sibi videri, eos qui optimi audire velint, pejora sycophantis facere: hi enim, ajebat, quos pecunia privant, vivere sinunt: nos vero occidimus nihil mali delinquentes, ut eorum pecuniis potiamur: quod quomodo non est facinoribus eorum multo injustius ac nequius? Tum hi maximo obstaculo sibi esse Theramenem censentes, quo minus pro libidine sua omnia agerent, insidias ei cœperunt struere, F privatimque apud Senatores, alius apud alium, a quibus ex lege judicari eum oportebat, eundem sunt calumniati, velut statum reipublicæ evertere satagentem. Dein accersitis juvenibus, quos maxime audaces esse rebantur, atque cum pugionibus, quos sub alis ferrent assistere sibi jussis, senatum convocarunt. Et cum in eo Theramenes quoque præsens adesset, assurgens Critias acerbissima & virulentissima oratione eum accusavit, & capitis arcessivit, *calumnias calumniis cumulans, excusataque ce-*

dium frequentia, quam necessitas mutatæ reipublicæ formæ posceret, dixit eum esse præsentis status calumniatorem & inimicum infensissimum, restituendæ reipublicæ popularis studiosissimum, hominem varium, inconstantem, in abroganda Democratia, & inducendo promovendoque imperio CCCC-*virum fervidum, ac rursum in evertendo horum imperio ac in populum iterum conferendo antesignanum, in omni statu turbidum, inquietum, rerum novandarum appetentem, nuper iniquum atque improbum accusatorem innocentium Ducum ob non observatos naufragos, cujus criminis ipse erat reus, facinorosum, indignum qui viveret diutius, cui si parsuri sint judices, sese & rempublicam esse eversuros*. Huic animo magno & intrepide respondit Theramenes, vere vir magnus, ac larva cæteris calumniis detracta, & criminibus in Critiam sociosque ejus retortis palam professus est, *nec exorbitantis popularis imperii, imæque plebis potentiæ vitia, nec exlegis paucorum dominatus violentas & injustas actiones unquam probare se potuisse, sed legitimo moderamini utroque in statu studuisse: denique ita se defendit peroravitque ut Senatus admurmurans haud obscura benevolentiæ signa edere videretur*. Quo animadverso Critias intelligens, si Senatui judicandi potestas de ipso permitteretur, eum evasurum, censensque id si fieret, sibi vivendum non esse, homo improbus, ad collegas Triginta-viros progressus, & breviter cum iis locutus e curia exiit, jussitque eos, qui pugionibus erant accincti, propius ad cancellos adsistere in conspectu Senatus: tum ingressus rursum oratione ad Senatum versa, *Ego existimo Senatores*, inquit, *eum recte præsidis munere fungi, qui vidente se amicos circumveniri non sinit, quod me præstiturum officium profiteor. Hi, quos assistere cernitis, ajunt non concessuros se, virum hunc paucorum imperium manifeste eversum euntem nos dimittere. Nostis autem in novis legibus a nobis perscriptum esse, ne quis ex ter millibus nisi sententiis vestris damnatus morte afficiatur: cæteros vero extra istum numerum arbitrio Triginta-virum relictos esse. Ego itaque*, ait, *Theramenem istum consentientibus omnibus vobis ex catalogo dispungo, eumque nos mortis damnamus*. Quibus auditis Theramenes in aram proximam insiliens, Ego vero, inquit, supplex peto a vobis, quod longe justissimum, Critiæ ne concedatur, ut neque me, neque quem velit vestrum deleat: sed ut secundum eam legem, quam hi tulerunt, de iis, qui in catalogo sunt, tum de vobis, tum de me judicium fiat. Et quidem, per Deos, inquit, haud ignoro hanc aram mihi nihil profuturam, sed ideo ad eam confugi, ut manifestum faciam, hosce non in homines tantum injustissimos esse, sed in Deos etiam quam maxime impios. De vobis autem viri præstantissimi, valde miror, vos vobis ipsis non consulere, cum optime sciatis, non meum nomen magis quam cujuslibet vestrum esse delebile. Tum statim Triginta-virum præco Undecem-viros rerum capitalium, ut ad Theramenem se conferrent, excivit: qui cum ingressi essent cum ministris Duce Satyro viro inter eos tum audacissimo, tum impudentissimo, dixit ad eos Critias, tradimus vobis Theramenem hunc secundum legem damnatum, vos eum prehensum abducite quo par est, & reliqua exequimini. Quibus dictis Satyrus & ministri ab ara abstractum abducebant. Theramenes, uti congruum erat, Deos hominesque, ut hæc inspicerent, obtestabatur. At Senatus non se commovebat, propterea quod ad cancellos stantes videret Satyro similes, & locum ante curiam præsidiariis plenum, nec ignoraret pugionibus eos succinctos esse. Cumque Theramenes per forum duceretur, altissima voce exposuit, quo pacto ageretur secum: Et cum interminans ei Satyrus diceret, pœnas daturum ni taceret; Quid igitur, respondit, si tacuero, an pœnas daturus non sum? Cumque jam mori cogeretur, cicutamque biberet, fertur reliquum in poculo effundentem in pavimentum sic ut sonitum redderet, dixisse, hoc pulchro Critiæ propinatum esto. Quod referre se *Xenophon* ait, quod admiratione dignum judicet, animum ejus in ipso mortis momento nec prudentia destitutum fuisse, nec jocandi morem missum fecisse. Atque is Theramenis vitæ exitus.

At Triginta-viri, perinde ac si jam sibi pro arbitrio tyrannidem exercere liceret, edixerunt omnibus qui catalogo non comprehendebantur, ne urbem ingrederentur, deinde eosdem finibus ejiciebant, ut agris eorum ipsi cum amicis suis potirentur. Qui cum in Piræum confugerent, atque inde quoque discedere magno numero a Triginta-viris cogerentur, Megara, & Thebas complevere.

Tum Thrasybulus, qui & ipse Thebis erat, ex ea urbe cum aliis circiter LXX. excurrens Phylen castellum validum occupat. Eo vero auxilii causa Triginta-viri, cum suis tribus millibus & equitibus ex urbe pergunt die insigniter sereno. Quo cum ventum esset, juniorum quidam cæteris audaciores in castellum impetum faciunt, sed nulla re peracta vulneribus confecti recedunt. Cum vero Triginta-viri muro claudere eos pararent, ut commeatibus prohibiti ad dedendi necessitatem adigerentur, nix densissima per noctem decidit, ut necessum habuerint nive oppleti omisso proposito in urbem reverti: in quos erumpens e Phyla manus calonum magnum numerum intercepit. Dein iidem Triginta viri, ut Phylen tenentes prædis ex agris petendis excluderent, ad extremos fines circiter XV. stadiis a Phyla dissitos, ut ibi in excubiis essent, omnes pene præsidiarios, quos a Lacedæmoniis acceperant, cum duabus equitum alis mittunt. Hi castris locum cepere arboribus densum, ibique excubabant. At Thrasybulus collectis jam circiter DCC. iisque secum sumptis noctu contra eos e Phyla descendit, positisque armis cum tribus quatuorve stadiis ab excubitoribus abesset, paulisper quiescebat. Dein cum jam dies appropinquaret, & hostes, qua quisque habebat opus, ab armis discessissent, & equorum curatores abstergendis equis strepitum ederent, tum Thrasybuliani resumptis armis cursu in ipsos contenderunt, & quibusdam ipsorum prehensis, cæteros omnes in fugam datos ad stadia sex septemve sunt persecuti. Cæsique ab his sunt e peditibus gravis armaturæ plures quam CXX. ex equitibus Nicostratus cognomento pulcher, ac duo alii in lectis deprehensi. Victores sese recipientes erecto tropæo, ac spoliis omnibus collectis Phylam rediere. Interea equites auxilii suis ferendi causa ex urbe Attica egressi, nemine hostium viso, tantisper vero illic ubi strages facta erat, subsistentes donec propinqui cæsos sustulissent, in urbem sunt reversi. Hinc jam Triginta-viri diffidentes rebus suis, redigendæ in propriam potestatem suam Eleusinis consilium cepere. Igitur accersitis, secumque ire jussis equitibus Critias & cæteri XXX. Eleusina concessere, ibique per equites lustratione oppidanorum instituta (quod se facere dicebant, ut quot numero essent, & quanto præsidio opus haberent, cognoscerent) describi eos omnes, & singulos nomina sua professos e portula ad mare ducente exire, mandarunt. Erant vero in littore hinc atque hinc equites dispositi: & ut quisque Eleusiniorum portula exibat, a lictoribus vinciebatur. Cum comprehensi omnes essent, Lysimacho equitum præfecto mandarunt, ut abductos eos traderet Undecemviris rerum capitalium. Postridie in Odeum vocarunt milites gravis armaturæ, qui catalogo comprehendebantur, equitesque alios. Apud quos Critias assurgens. *Nos* inquit, *non vobis minus quam nobis rempublicam constituimus. Par igitur est, que-*

madmodum honorum participes eritis, ita quoque periculorum vos fieri consortes. Sunt autem Eleusinii, quos in unum coactos habemus, communibus suffragiis condemnandi, ut communis hinc fiducia ac metus vobis ac nobis existat. Simul locum certum monstravit, in quo suffragia aperta oporteret ferre. Interea præsidiarii Laconici dimidiam Odei partem armati jam occupaverant. Atque hæc civibus quoque plerisque, quibus emolumenta & commoda propria tantum curæ erant, non displicebant. Secundum hæc Thrasybulus assumptis, qui Phylam jam confluxerant, ad mille, noctu in Piræum venit. Quod cum tyranni XXX. cognovissent, sine mora cum præsidio omni Laconico, & cum equitum peditumque gravis armaturæ copiis, auxilio suis ivere, viam secuti, qua currus ab urbe in Piræum commeare solent. Eos vero in munitiones scandere illi, qui Phyla venerant, prohibere conabantur. Sed cum amplus esset Piræi ambitus, qui defensorum magno numero opus habere videretur, atque ipsi paucitati suæ diffiderent, per cohortes densati in Munychiam, portum alterum vicinum ejusdem terræ Atticæ, se receperunt. At ex urbe profecti cum in forum Hippodamæum venissent, primum sic ordines suos struebant, ut viam complerent ducentem ad Dianæ Munychiæ fanum, ac Bendideum, agminisque densitas non minor L. scutatis esset; ac sic ordinati sursum progrediebantur. Thrasybuliani autem, qui Phyla exierant, & ipsi viam ex adverso complebant, sed ordinum densitate multo minore, quippe quæ denos gravis armaturæ non excederet. Verum post eos peltati ac leviter armati jaculatores, ac post hos funditores magno numero, qui istuc confluxerant. Atqui dum adventant hostes, Thrasybulus scutatis suis ponere scuta jussis, ipse quoque scuto suo posito, cæteris armis opertus, stans in medio, gravissima & efficacissima oratione milites suos ad prœlium magno animo ineundum cum certissima victoriæ spe est cohortatus. Mox pugna ex præscripto vatis commissa, ipso vate in ejus primordio, sicut ipse futurum prædixerat, cæso, victoria illustris ab exulibus & Thrasybulo est parta, hostes longe fusi fugatique victoribus ad planiciem usque terga eorum prementibus. Cecidere illic ex Triginta-viris Critias & Hippomachus, ex X. Ducibus qui Piræo præerant, Charmides Glauconis filius: reliquorum circiter LXX. nec quicquam iis præter arma detractum: nullus civium veste exutus. Cæsi sub sponsione victis redditi, atque hac occasione frequentes congressi inter se, mutuique sermones contracti. Et Cleocritus mystarum præco, viri insigniter vocalis, silentio impetrato sic loquutus fuit: *Cur vero, o cives, nos expellitis? cur neci dare vultis? nec enim nos ulla vos injuria unquam affecimus: quinimo sacrorum omnium, & festivitatum vobiscum participes semper fuimus, una alti & educati, iisdem in castris militavimus, varia pericula terra marique pro communi salute & libertate simul subivimus. Per ista igitur omnia, perque alia quæ vobis cara, ac nobiscum communia sunt, rogamus vos, ut Deos hominesque reveriti tandem desinatis in patriam peccare, nec morem geratis scelestissimis Triginta-viris, qui quæstus sui gratia plures pene Atheniensium octimestri tempore occiderunt, quam omnes Peloponnenses bellum gerentes toto decennio: qui cum pace frui nobis liceret, turpissimum hoc & difficillimum, & maxime nefarium, ac Diis hominibusque invisum & detestabile bellum inter nos conscivere. Sed & hoc certo scitote, eos, qui jam manibus nostris ceciderunt, non a vobis solum, sed & a nobis defletos esse.* Qui bus auditis cæteri magistratus turbati copias suas inde in urbem abduxere. At postridie Triginta-viri admodum dejecti jam animis, desertique in conventus sui loco consederunt, & de-

A lecti illi ter mille ubicunque essent inter se diffidebant. Nam qui violentarum actionum sibi conscii erant, metuque agebantur, vehementer contendebant, nihil iis, qui in Piræo erant, concedendum esse. Qui vero innocentiæ suæ fidebant, ii & ipsi recte sentiebant, & alios docebant, his malis carere eos posse, nec esse dicebant, cur Triginta-viris obsequerentur, nec cur sinerent urbem perire. Postremo decretum factum, imperium illis abrogandum, ac surrogandos iis alios. Electi sunt decem, singuli e singulis tribubus. Tum Triginta-viri Eleusi-

B nem abierunt. Decem-viri cum equitum Præfecto urbana valde turbata, & mutuæ diffidentiæ plenissima curabant: equites ipsi cum equis ac scutis in Odeio noctes agebant, & quia fidebant nemini, ab hora vespertina cum scutis muros obibant, a prima vero luce cum equis, semper metuentes, ne qui ex Piræo in ipsos impetum facerent. Hi autem numero multi, & omnis generis homines arma conficiebant, alii e ligno, alii e vimine, eaque dealbabant. Nondum vero peractis diebus decem, fide publica data denunciarunt, si qui in hoc bello se ipsis jungere vellent, etiamsi peregrini essent, tamen pari jure & conditione cum ipsis futuros: e-

C xieruntque multi tum gravis armaturæ, tum leviter armati milites, & cum his fuere equites circiter septuaginta: cumque pabulatum procedebant, lignis arborumque fructibus secum sumptis in Piræum reversi, illic pernoctabant. At qui in urbe erant, eorum cum armis exibat nemo: solummodo equites nonnunquam eos, qui prædatum Piræo egressi erant, invadebant, & eorundem phalangem infestabant. Contigit autem juvenum quosdam, qui extra urbem agebant, in proprios agros petendarum rerum necessariarum ergo profectos a Lysima-

D cho equitum urbanorum Præfecto intercipi, & multum frustra deprecantes, quanquam id moleste multi equites ferrent, trucidari; & vicissim ii, qui ex Piræo erant, Callistratum equo merentem e tribu Leontide, in agro deprehensum occiderunt. Nam hi tantos jam animos gerebant, ut ad muros usque urbis excurrerent. Erat tum in urbe, si id quoque dignum, ut memoretur, machinarum fabricandarum artifex; qui cum cognovisset, eos juxta locum e Lycæo se porrigentem machinas esse admoturos, jussit plaustra omnia ingentis molis saxa istuc vectare, & ubi quisque vellet, ea in semita illa abjicere. Ita semita ista perquam

E impedita commeantibus facta. Interea legati Eleusine a Triginta viris, atque ex urbe ab iis, qui in catalogo erant, Lacedæmonem sunt missi ad petendam opem, quasi populus jam a Lacedæmoniis defecisset. Lysander existimans celeriter expugnari eos, qui Piræum tenebant, posse, si terra marique commeatu intercluderentur, auxilio legatis fuit, ut talenta centum mutuo iis darentur, & ipse terrestrium Harmostes, frater autem Libys classis præfectus istuc mitterentur: egressusque ipse Eleusinem petiit, multosque in itinere Peloponnesios gravis armaturæ sibi adscivit: classis autem Præfectus a mari curam gerebat, ne quid rerum ne-

F cessariarum Piræo inferretur. Ita rursum brevi tempore magna rerum penuria Piræenses cœperunt laborare, & urbani Lysandro freti magnos animos sumebant. Quæ cum sic haberent, Pausanias Rex invidia contra Lysandrum stimulatus, quod is rebus istis confectis magnam sibi gloriam paraturus, & Athenas tanquam suas habiturus videretur, persuasis tribus Ephoris, copias eduxit: eumque socii omnes sunt secuti præter Corinthios & Bœotos. Hi enim ajebant, putare se, contra jusjurandum sese peccaturos, si adversus Athenienses arma ferrent contra fœdus nihil delinquentes. Id vero ideo faciebant, quod cognoscerent, Lacedæmonios in potestatem & fidem suam redigere agrum Atticum velle. Pau-

sanias autem castra locata habebat in loco, cui Halipedo nomen, prope Piræum, cornu dextrum ipse tenens, Lysander cum stipendio conductis sinistrum. Ac Pausanias missis ad eos, qui in Piræo erant, legatis, jubebat eos inde ad sua abire. Quibus non parentibus in ipsos impetum dedit saltem famæ concitandæ causa, ne palam fieret, bene se ipsis velle. Sed nulla re confecta ab oppugnatione regressus, postridie assumptis duabus cohortibus Laconicis, & tribus turmis equitum Atticorum ad portum mutum accessit, speculaturus, qua parte Piræus muro commodissime præcingi posset. Inde recedentem cum nonnulli ex Piræo accurrentes premerent, indignatus jussit equites in eos invadere, peditesque decimum pubertatis annum superantes, equitibus se adjungere; cum cæteris ipse sequebatur. Ab his circiter triginta levis armaturæ cæsi: reliqui in fugam versi: quos Pausaniani ad theatrum usque, quod in Piræo est, sunt persecuti. Ibi tum forte in armis parati stabant, peltati omnes, cum iis qui gravi armatura utebantur: isti quidem qui leviter armati, statim excurrentes jaculis, sagittis, fundis eos infestabant. Lacones vero frequentes vulnerati, graviterque affecti sensim pedem referebant. Tum autem illi multo magis eos prementes stragem aliquam ediderunt, in qua Chæron & Thibrachus, uterque Polemarchus, & Lacrates Olympionica occubuere, cum multis aliis, qui ante portas in Ceramico terra conditi sunt. Quæ cernens Thrasybulus, aliique e numero gravis armaturæ, suis opem ferebant, & celeriter ante alios octoni & octoni aciem instruebant Sed Pausanias valde pressus, ac ad stadia quatuor aut quinque versus tumulum quendam regressus, denunciavit Lacedæmoniis sociisque iis ad se ut concederent. Tum phalange prædensa instructa duxit in Athenienses: quam hi quidem primum cominus excepere, sed deinde alii in lutum in Halis protrusi, alii in fugam acti sunt. Cæsi eorum quasi CL. Pausanias statuto tropæo abscessit: & ne sic quidem succensuit iis, sed clam misit ad eos, qui in Piræo erant, non solum monens, ut legatos ad se & Ephoros præsentes mitterent, sed etiam docens, quibus legatos mandatis instruerent. Et hi quidem paruere ei: simulque idem Pausanias urbanos in diversa studia egit, præcepitque ut quamplurimi delecti ad se venirent, profiterenturque nihil opus sibi esse bello in Piræenses, sed cupere ut controversia cum iis composita utrique Lacedæmoniorum fiant amici. Et erant hæc Nauclidæ Ephoro quoque pergrata. Nam hic cum altero ex more Laconico, qui Ephoros duos Regi bellum gerenti adesse jubebat, præsens aderat, & uterque in Pausaniæ magis quam Lysandri sententiam ferebatur. Quam ob causam promptis animis eos qui in Piræo erant, cum summa pactionum Lacedæmoniis ineundarum Lacedæmonem misere, itemque ex urbanis viros privatæ conditionis, & cum his Cephisodorum ac Melitum. Quibus iter jam ingressis, misere etiam eodem publico nomine, qui rebus in urbe præerant, ut hæc dicerent, muros; quos in potestate habeant, & sese ipsos tradere se Lacedæmoniis, quibus uti pro arbitrio possint: æquum vero putare, ut, qui Piræum tenent, siquidem amicos se Lacedæmoniorum profiteantur, Piræum quoque & Munychiam iisdem dedere. Quos Ephori & ad concionem vocati Lacedæmone cum audiissent, confestim missi ab iis sunt Athenas viri XV. cum mandato, ut una cum Pausania, quam possent æquissime, rem componerent. Et ab his facta compositio conditionibus hujusmodi, ut pacem inter se haberent, ut singuli ad sua se reciperent, exceptis Triginta-viris, & Undecem-viris, ac Decemviris, qui in Piræo imperium tenuerant: quod si qui sibi metuerent ab urbanis, Eleusinem commi-

A grarent. Atque his ita transactis, Pausanias abduxit exercitum. Qui vero in Piræo fuerant, cum armis in arcem ascendentes Minervæ sacra fecerunt. At cum Duces ex arce rursum descendissent, Thrasybulus in concione verba fecit in hanc sententiam. *Vobis ego*, inquit, *qui in urbe mansistis, hoc consulo, ut vos ipsos noscatis. Optime autem vosmet noscetis, si vobiscum expenderitis, qua re freti tantum vobis tribuatis, ut in nos imperium vobis tenendum existimetis. An quod justiores nobis sitis? Atqui populus multo vobis egenior, neminem unquam vestrum opum vestrarum causa affecit injuria: vos autem cum ditissimi omnium sitis, multa etiam fœda lucri vestri gratia perpetrastis. Cum igitur ob justitiam nil tale vobis*
B *competat, agite, considerate, an ob fortitudinem animi vobis sint efferendi. At unde rectius de eo judicari poterit, quam ex hoc bello, quod nunc inter nos gessimus? Sed prudentia dicetis vos nobis præstare. Quomodo boc? qui murum & arma & pecunias habentes, & nixi societate Peloponnensium tamen huc decidistis. Verum ob societatem Lacedæmoniorum vobis animis latis esse licere arbitramini. Qui vero? cum his exemplo eorum, qui mordaces canes vinctos læsis tradunt, sic vobis populo huic injuria a vobis affecto traditis abeuntes discedunt. Non equidem a vobis postulo, cives, ut quicquam eorum, quæ jurastis, violetis, sed potius auctor vobis sum, ut ad reliqua decora vestra hoc quo-*
C *que adjicientes clarum faciatis, & juramentorum vos memores observantesque, ac ab impiis facinoribus puros esse. Hæc aliaque locutus, nihil esse dixit, cur turbentur: non enim res esse novandas, sed veteribus tantum legibus vivendum: id est, popularem statum esse restituendum.* Et cum his concionem dimisit. Et tum quidem magistratibus more solito creatis, respublica administrabatur. Paulo post vero, cum auditum esset, eos qui Eleusine erant, peregrinos milites conducere, viritim sumptis contra eos armis, cum eorum Duces in colloquium venissent, ii comprehensi occisique sunt. Cæteri vero ab amicis & necessariis ad eos missis persuasi cum urbanis transegere:
D ac dato mutuo juramento omnes, injuriarum memores se non futuros, etiam nunc, ait *Xenophon*, conjunctim rempublicam administrant, populusque qud juravit, in eo constanti fide persistit.

XENOPHONTIS
RERUM GRÆCARUM
LIBER TERTIUS.

E Ἡ μὲν δὴ Ἀθήνησι στάσις, ait *Xenophon*, οὕτως ἐτελεύτησεν. Ex hoc Cyrus bellum fratri Artaxerxi moturus, vicem gratiæ & beneficiorum rependi sibi a Spartanis petiit. Id quia æquum censebatur, ei præstitum ab his per Samum classis Præfectum, mandatis in hanc rem instructum. Is enim in oram Ciliciæ profectus ejus provinciæ præsidem Syennesim distinuit, ne Cyrum in fratrem copias ducentem morari in itinere posset. Totam vero hanc Cyri expeditionem, pugnamque ejus contra fratrem, ejusdemque mortem, atque etiam fortunam sociorum, qui ex Græcia eum
F secuti erant, ait *Xenophon* a *Themistogene Syracusano* descriptam esse. Ipse vero Xenophon, qui inter expeditionis Duces fuit, copiasque Græcas domum reduxit, omnia illa exactissime exposuit septem libris peculiaribus, quibus titulum dedit *ἀναβάσεως* Cyri junioris.

Tissaphernes, cujus studio & opera inprimis usus fuerat in bello hoc contra fratrem Artaxerxes, potens gratia jam ante apud Regem, tum vero Cyri pro-

vinciis præfecturæ ipsius adjectis insolentior, & A
Græcis civitatibus in Asia gravior esse cœpit. Qua
re motæ civitates Asiaticæ missis legatis opem La-
cedæmonios velut patronos libertatis Græcorum ro-
garunt. Missusque ab iis in hanc rem primus omni-
um fuit Thimbron Harmostes cum exercitu, in quo
erant mille novitiorum civium Laconicorum, qua-
ter mille Peloponnesii, equitesque Athenienses ccc.
quibus usi fuerant Triginta-viri, quos civitas Atti-
ca peregre perire, quam domi cum periculo manere
volebat. Atque his Thimbron cum in Asiam venis-
set, ex Græcis istius regionis urbibus plures addidit.
Exercitu vero hoc ipse caute initio usus est, satis ha-
bens, hostem populationibus prohibere. Sed ubi re-
liquiæ copiarum Cyri domum revertissent, & se ei
junxissent, jam fidentior factus in planiciem quoque
descendere, & ad prœlium se offerre Tissapherni au- B
sus fuit, & Pergamum, Theuthraniam, aliaque op-
pida ac loca ei ademit, & præsides quosdam Persi-
cos in partes suas traxit. Larissam, quam Ægyptiam
vocant, cum per vim aliquandiu frustra ursisset, jus-
su Ephororum inde in Cariam se contulit, eoque in
itinere Ephesi Dercyllidam cognomento Sisyphum,
virum solertissimi ingenii, domo missum successo-
rem accepit. Hoc rerum Laconicarum in Asia con-
tra Persas initium fuit. Thimbron domum reversus,
ibique a sociis ob frœnum licentiæ militari laxatum
accusatus, damnatusque in exilium abiit. Dercyl-
lidas accepto exercitu haud nescius Tissaphernem &
Pharnabazum summos Duces Persicos suspectos si- C
bi mutuo esse, & Pharnabazo ob ignominiam ab
eo dudum, cum sub Lysandro in Asia militaret,
acceptam, infensior, ut amplius eos disjungeret,
nec necessum haberet, cum utroque simul decerta-
re, colloquutus cum Tissapherne militem suum in
Æolidem Pharnabazo parentem, nullo sociorum
in itinere læso abduxit. Eam vero Æolidis partem
tum Midias, ut Satrapes connivente Pharnabazo
tenebat, homo nefarius, qui socrum suam Ala-
niam, virtutis eximiæ fœminam, Pharnabazo ca-
rissimam, cujus beneficio eandem illam Æolidis
regionem obtinuerat, cum adolescente filio, per
summum scelus occiderat, opesque ejus invaserat,
gravissime indignante, ac ultionem meditante D
Pharnabazo. Inter quæ supervenit Dercyllidas,
primoque adventus sui die Larissam, Hamaxitum,
Colonas, oppida Æolidis maritima, sponte se de-
dentia cepit: paulo post eodem modo Mæandrios,
Ilienses, Cocylitas sine vi admota in potestatem
suam redegit: Cebrenen etiam munitissimam ur-
bem, ostentata oppugnatione territam, ad deditio-
nem compulit. Dein recta Scepsin & Gergethen,
quæ potissimum Midias tenebat, contendit, Mi-
diamque qui & Pharnabazum & cives metuebat,
colloquii causa acceptis obsidibus sibi occurrentem, E
ac de societate verba facientem, secum retinuit,
eique ostendit nullam aliam esse rationem societa-
tis ineundæ, quam si cives liberos suis legibus vi-
vere permitteret: simulque cum Midia Scepsim per-
rexit, & in urbem ingressus, facto ibi Minervæ sa-
crificio, & Midiæ prætidio educto, cives ad resti-
tutam libertatem conservandam est cohortatus. De-
in cum eodem Midia Gorgethen cum exercitu pro-
fectus, nequicquam petente Midia, sibi eam relin-
qui, jussu ejusdem Midiæ portis apertis urbem il-
lam quoque intravit, & repertis ibi Maniæ fœmi-
næ ditissimæ thesauris, iisque militi in stipendium
promptum promissis, quo illum obsequentiorem & F
alacriorem haberet, Midiam exutum male partis
Scepsim ad privatam vitam ibi degendam habita-
tum dimisit. Ita spacio dierum octo novem urbi-
bus potitus secum consultabat, qua potissimum ra-
tione efficeret, ut neque socios hybernis premere
exemplo Thimbronis haberet opus, nec Pharnabazo
per equites, quibus abundabat, infestandi urbes
Græcas copiam faceret. Mox igitur ad Pharnaba-
zum misit percunctatum, utrum pacem an bellum
mallet. Is Phrygiæ suæ metuens, Æolidi finitimæ,
in qua Phrygia sedem domicilii ipse habebat, in-
ducias delegit. Eo successu gaudens Dercyllidas in
Bithyniam copias in hyberna duxit, non ægre fe-
rente Pharnabazo, cui molestiam sæpe Bithyni crea-
bant. Bithynorum res a Dercyllida impune primum
raptæ: deinde Odrysæ Thraces, qui auxilio Dercyl-
lidæ venerant, clade aliqua a Bithynis affecti, eam
populando & urendo regionem late Bithynis repo-
suere. Ineunte vere Dercyllidas Bithynia excedens
Lampsacum venit. Ibi ex tribus patriæ legatis intel-
ligit, imperium sibi in annum proximum esse pro-
rogatum. Ab iisdem legatis Ephororum mandato
verbis castigati milites, quod antehac sociis injurii
fuissent, collaudati quod hoc anno neminem læsis-
sent, monitique graviter, inposterum ut ab injuriis
abstinerent: alioqui impune id non laturos: respon-
sum a Præfectorum uno, milites quidem unos eos-
demque esse, sed diversos Duces diversos militum mo-
res fecisse. Dein Dercyllidas excitatus verbis quorun-
dam, qui cum legatis venerant, dissimulato consilio
suo, dimissis ex Asia legatis, rursum per nuncios
Pharnabazum percunctatus est, inducias continua-
re, an bellum habere mallet. Quo inducias bello rur-
sum præferente, statim transmisso Hellesponto Cher-
ronesi Isthmum opera militum, inter quos opus par-
titus erat, muro claudere contra incursus & popula-
tiones Thracum exorsus, propositis ad acuendam la-
borantium industriam præmiis, totum opus ante e-
xeuntem æstatem absolvit, magno commodo totius
Cherronesi regionis felicissimæ, quæ ante extructum
murum prædæ Thracibus fuerat. Inde in Asiam re-
gressus, visitatis urbibus, Aterna, receptaculo Chio-
rum exulum vicina longe lateque deprædantium,
obsessa, & spacio octimestri fame domita atque in
potestatem redacta, Ephesum adiit. Ibi mandatum
ab Ephoris accepit, ut in commodum civitatum Io-
niæ Tissaphernis provinciam Cariam, quocum Tis-
sapherne hactenus pacem coluerat, invaderet: si-
mulque Pharaci classis, Præfecto ab iisdem Ephoris
præceptum, ut in oram Cariæ naves duceret. For-
te eodem tempore Pharnabazus ad Tissaphernem
Imperatorem supremum jam recens designatum ve-
nerat, ut ei quanquam adverso animo, obsequia
deferret, & ad bellum in Græcos communi ope-
ra gerendum se paratum declararet. Atque hunc
primum Tissaphernes secum in Cariam ad rem ibi
constituendam duxit: mox cum eodem in Ioni-
am rediit. Et cum non procul Epheso ad ripam
Mæandri fluvii uterque exercitus, Græcorum &
Persarum cum Ducibus suis stativa haberent, ve-
lut pugnaturi, Tissaphernes contra Pharnabazi
mentem qui prœlium suadebat, missis ad Dercyl-
lidam nunciis, ad colloquium de pace res dedu-
cta est, datis utrinque obsidibus & exercitibus in
alia loca abductis. Postulatum a Dercyllida, ut
urbes Græcæ αὐτονόμοι, id est, liberæ & sui juris
esse permitterentur: a Tissapherne & Pharnaba-
zo, ut copiæ Græcæ e finibus Regis abduceren-
tur, & ex oppidis discederent Harmostæ Laconi-
ci. Placuit inducias esse tantisper, donec Dercyl-
lidas de his ad Lacedæmonios suos, Tissaphernes
ad Regem retulisset. Eodem vero tempore quo hæc
Dercyllidas in Asia gessit, Lacedæmonii & Elei
veteribus simultatibus & controversiis resuscitatis
agitati in bellum rursum exarsere, initio facto a
Lacedæmoniis urgentibus Ephoris. Ex quorum de-
creto Agis Rex in Eleorum agrum exercitum du-
xit; sed ad primum ingressum terræ motu, velut omi-
ne adverso turbatus, nulla re gesta exercitum redu-
xit. Anno vero sequente scito eorundem Ephoro-
rum

rum idem Rex Agis cum copiis eodem profectus fuit: cujus signa Athenienses etiam & socii alii præter Corinthios & Bœotios secuti sunt. Tum Eleorum aliquot oppida Agidi dedita: sacra ab eo in fano Jovis Olympii facta: urbs ipsa Elis, quæ caput regionis est, quamvis non munita, a vi immunis relicta: sed suburbia ejus & gymnasia extra urbem vastata, ager omnis populando, urendo, prædas abigendo misere afflictus, cum etiam Arcades & Achæi prædarum causa ad exercitum Agidis accurrissent. At exercitu Laconico ad Cyllenen, navale Elidis, hærente, Xeniæ cujusdam factio Laconissans, intra urbem Olympiam tumultu excitato, & cæde aliqua facta, gloriata est, Thrasydæum populi Ducem se in strage illa interemisse: id quod populum vehementer consternatum reddidit. Verum cum vivere & illæsum esse Thrasydæum paulo post compertum est, illo Duce urbe pulsi factiosi illi ad exercitum Laconicum se receperunt. Agis vero relicto in Elide præsidio cum Præfecto Lysippo domum reversus est. Reliquum æstatis cum hyeme sequente a Lysippo & præsidiariis diripiendo agro Eleo consumptum. Æstate proxima ingruente auctore Thrasydæo legati de pace Spartam ab Eleis bello fessis missi: paxque ex voluntate hostium composita: murus prope Patras dejectus, Cyllene dimissa, oppida quinque Spartanis, tria Arcadibus concessa: procuratio tantum templi Jovis Olympii Eleis relicta.

Post quæ Agis Rex Delphos profectus, in reditu morbo correptus, vixque æger Lacedæmonem reversus obiit. Natus ei fuerat domi Leotychides ex conjuge Timæa, conceptus eo tempore, quo Alcibiades Lacedæmone versabatur. Hunc etsi domi haberet tanquam filium, tamen ob consuetudinem Timææ cum Alcibiade, quam ex indicio domesticorum cognoverat, & propter conceptus tempus, quo sciebat, domo & a conjuge se abfuisse, atque adeo propter ipsius Timææ temeraria verba, quæ audientibus pedissequis filium genitum Alcibiadem sæpius quam Leotychidem vocitare solebat, eundem velut ex se non natum diu suspectaverat, & moribus Timææ offensus apud Ephoros dixerat, Leotychidem filium suum non esse, Timæamque ipsam domo ejecerat. Sed sub vitæ finem, cum liberis aliis careret, Herææ morbo correptus precibus & lachrymis Leotychidis hoc dederat, ut coram multis testaretur, pro suo Leotychidem se agnoscere. Igitur justis Agidi defunctis solutis, inter Agesilaum fratrem ejus altero quidem pede claudum, sed ingenio & virtute præstantissimum, & Leotychidem de successione contentio gravis extitit. E quibus hic Agesilaum lege dicebat excludi, quæ juberet, filium, si quis defuncto superesset, patri in sceptrum succedere: fratri autem locum heic non esse, nisi defunctus prole mascula careret. Et huic vates quidam præcipui nominis Diophites adstipulabatur, qui jactabat, veteri oraculo Apollinis moneri Spartanos, ut a Rege claudo sibi caverent: quod si non facerent, magnis calamitatibus rempublicam eorum afflictum iri: ut ne quidem Leotychide rejecto aditum ad regnum Agesilao patere debere videretur. At respondit Agesilaus, non se, sed Leotychidem regni jure per legem prohiberi. Nam Regis legitimus filius ego sum, ajebat. Is autem, dicebat Leotychidi, cujus tu te filium fers, filium te suum esse aliquando negavit, matremque tuam thalamo expulit. nec diffitetur etiam nunc, quæ optime rem novit eadem illa tua mater: & dubitationem omnem discutit tempus, haud fallax veritatis index, cum satis constet, post decimum demum mensem ex quo postremum cum matre tua fuisset Agis, te natum esse. Agesilaum vero firmabat Lysander au-

A ctoritate & gratia in civitate princeps, vatemque vanitatis coarguebat. Nam oraculum non de eo qui pede claudicaret, loqui, sed regnum claudum significare, si quando alienus a domo regia Heraclidarum, cujusmodi vere esset Leotychides, Rex designaretur. Quinetiam non parum pressit Leotychidem id quod jam dixi, quod ignotum non esset testantibus ancillis, Alcibiadem sæpius quam Leotychidem eum adhuc tenellum blandiente matre privatim esse vocitatum, quodque fama percrebuisset, Alcibiadem inter amicos confessum esse, non se contumeliæ inferendæ ergo cessisse amori pellicientis Timææ, sed ut ex se gigneret, qui B regnum Spartæ aliquando essent habituri. Vicitque in certamine hoc Agesilaus, Rex Spartæ declaratus. Hic cum intra vertentem primum regni sui annum Laconico more sacra pro republica faceret, nec litare rite posset, ter nequicquam repetito conatu, a vate, qui aderat, & exta inspiciebat, audiit, atroces ac validas insidias in ipsum & rempublicam comparatas, capitibus omnium jam nunc imminere. Nec fides dictis abfuit. Nam quinto die post, venit ad Ephoros index, qui conjurationem infandam & immanem in omnes qui rempublicam gererent, aut gerendæ ejus spem haberent, non in urbe solum, C sed etiam extra urbem, detexit, & totum insidiarum ordinem, ipse conscius & omnium probe gnarus, exposuit: principem vero ejus Cinadonem quendam hominem audacem, & corpore validum, fretum robustissimis conjurationis sociis edidit. Ephori singulari solertia usi in summo bonorum omnium periculo, re privatim ad eos, qui consilio reipublicæ præsidebant, relata, ac sententia eorum cognita, Cinadonem astu ab urbe velut mandata quædam executurum, amandarunt, & per ministros suos ad edendos socios adegerunt. Tum comprehensis etiam sociis capite destitutis, ipsum in urbem retractum, & collo manibusque vinctum, & D per urbem circumductum cum sociis fœde flagris cæsum, ac stimulis compunctum meritas pœnas morte dare coegerunt. Post supplicium de conjuratis sumptum venit Spartam Herodas Syracusanus e Phœnicia reversus, nuncians classem illic triremium ccc. a Tissapherne & Rege instrui, sed quo illa itura sit, dicens se ignorare. Eo nuncio commoti Spartani convocatis sociis, quid faciendum deliberabant. Agesilaus a Lysandro persuasus, qui vim navium Græcarum, virtutemque militum, & res omnes Asiaticas nosset, professus est, se, si suis placeret, acceptis a civitate triginta delectis Spartanis, quorum consilio & ope uti posset, & copiis bis millium e E novis civibus conscriptorum, ac sex millibus sociorum, in militiam Asiaticam contra Persas esse iturum. Hac re a populo probata, decretoque de ea facto, assignataque ituro in semestre annona, ipse sacris procuratis, reliquisque constitutis, cum Lysandro in numerum triginta delectorum adscripto (sic enim voluerat Lysander cupidus redeundi in Asiam) Aulidem petiit, ut inde exemplo Agamemnonis in Asiam enavigaret. Sed sacris illic a Bœotis ei turbatis, vehementer offensus, Deosque testatus conscensa triremi Geræstum delatus, collectis ibi copiis peramplis istinc Ephesum contendit. Quo cum devenisset, per internuncios a Tissapherne inter- F rogatus, quam veniendi causam haberet, respondit, ut in justam libertatem civitates Græcas, quæ in Asia sunt, exemplo civitatum, quæ in Græcia sitæ sunt, asseram. Cui rursum Tissaphernes: si lubebit inducias mecum inire ad tempus, quo possim ad Regem hoc referre, futurum puto, ut hoc quod postulas impetrato, domum redire si velis tibi liceat. Ille refert, id cuperem, ni me abs te deceptum iri vererer. Tum iterum Tissaphernes: licet fide data acceptaque inter nos pacisci de induciis sine dolo

servandis. Quod cum placuisset, Tissaphernes in manus Dercyllidæ cum duobus collegis hujus rei gratia ab Agesilao ad se missis juravit, ac vicissim jusjurandum ab iisdem accepit. Sed fuit in eo fluxa Tissaphernis fides. Nam gerendo bello statim copias suas auxit. Agesilaus vero quanquam id cognosceret, tamen inducias integre servavit, quietusque interea hæsit Ephesi. Turbatæ enim res urbibus Asiæ erant, cum nec statu populari ab Atheniensibus introducto; nec Decurionum potestate a Lysandro instituta regerentur. Ut enim per Decuriones, populi potestatem Lysander eliserat, ita Ephororum decreto, quo jubebant institutis patriis omnes vivere, Decurionum imperium, ægre id ferente Lysandro erat sublatum: cujus restituendi ergo potissimum Lysandrum redire in Asiam cum Agesilao desideraverat. Accidebat vero, ut qui ab Agesilao impetratum aliquid cuperent, ad Lysandrum maxime sibi notum se conferrent, eumque obtestarentur ut quæ desiderarent, intercessione ejus ab Agesilao consequerentur. Sic porro fiebat, cum magna hominum turba perpetuo Lysandrum sectaretur, ut Agesilaus privatus, Lysander Rex esse videretur: quod non solum Agesilaum momordit graviter, sed invidiam quoque reliquorum triginta delectorum commovit: qui adeuntes Agesilaum dicebant, in leges delinquere Lysandrum, eo quod regium statum fastu suo superaret. At callidus Agesilaus, cum cœpisset Lysander alios atque alios ad eum adducere, omnes ab eo adductos commendatosque re infecta dimisit. Quo animadverso Lysander nec sinere amplius turbam se comitari, & monere omnes, qui intercessionem ipsius petebant, ut ab eo abstinerent: suam enim intercessionem plus incommodi quam commodi ipsis allaturam: dein ad Regem accedens, ignominiæ dolore stimulatus: Tu-ne igitur Agesilae, ait, minuere semper amicos tuos nosti? profecto, inquit Rex, illos, qui me majores videri volunt. qui vero augendo honori meo studium impedunt, eos nisi vicissim honorare nossem, sane id pudori mihi esset. Tum Lysander, Fortassis tu me rectius heic facis: Veruntamen hanc mihi gratiam quæso facito, ut aliquo me ableges, ne vel conspecta gratiæ meæ apud te jactura pudefiam, vel tibi obsim. Ubicunque autem fuero, tuus ero. Assensitque ei Agesilaus, misitque eum in Hellespontum. Ibi cum comperisset Lysander, a Pharnabazo premi Spithridatem, pertractum ad colloquium ad deficiendum hominem impulit, statimque rebus ejus cæteris apud Cyzicum relictis, cum filio ad Agesilaum eum adduxit, id quod gratum Agesilao fuit, studiose ex illo de rebus Pharnabazi percunctanti. At Tissaphernes auctis novis a Rege copiis in superbiam elatus Agesilao bellum denunciavit, ni statim Asia excederet. Omnibus vero qui cum Agesilao erant, Lacedæmoniis sociisque dolore perculsis, quod judicarent copias suas, copiis regiis haudquaquam pares esse, ipse Agesilaus hilari vultu legatos renunciare Tissapherni jubet, magnam se gratiam ei habere, quod pejerando Deos sibi inimicos, Græcis vero amicos ac socios faceret. Mox ut ad expeditionem se pararent, militibus præcepit: civitatibus autem, quas in Cariam ducturus adeundas sibi sciebat, denunciavit, ut forum rerum venalium paratum haberent. Simul Ionibus, Æolibus, Hellespontiis significavit, ut copias auxiliares signa sua secuturas Ephesum ad se mitterent. Tissaphernes omnino existimans ob certissimas causas in Cariam Agesilaum moturum, omnem peditatum suum istuc traduxit, equitatum vero in campestria Mæandri fluvii circumduxit, existimans equitum suorum vi Græcos se protriturum, priusquam ad loca equitibus incommoda pervenire possent. Sed Agesilaus præter mentem ejus, omisso in Cariam

A itinere, statim in plagam contrariam versus, Phrygiam petiit, subactisque in itinere civitatibus inopina irruptione magnam opum vim cepit, tutusque ac sine periculo ad vicina Dascylii pervenit. Ibi equites ejus reliquum agmen præcedentes ab equitibus Pharnabazi excepti & in fugam compulsi aliquid incommodi accepere, donec succurrente peditatus parte hostes rejecti. Dein extis consultis turbatus Agesilaus versus mare iter convertit. Cognoscens vero sine equitatu sufficiente locis planis bellum se recte gerere non posse, huic conficiendo se dedit, effecitque brevi apud civitates consilio prudenti, ut ab hac parte nihil sibi deesset. Deinde

B appetente jam vere, exercitum universum apud Ephesios coegit: ibique tum equites tum pedites omnis generis armaturæ exercuit diligenter & ad munia militaria paratiores atque aptiores reddidit, fecitque ut durante hoc exercitio urbs Ephesina supra modum solitum spectatu digna videretur, velut belli quædam officina. Adjecit & alia ad animos militum spe bona erigendos, & alacriores reddendos comparata. Iamque annus exierat a discessu Agesilai e patria, regressique domum sunt triginta delecti cum Lysandro eorum principe, & alii totidem in decedentium locum principe Herippida sub-

C missi. Ex his alios aliis partibus copiarum Agesilaus præfecit: denunciavit etiam, confestim se ducturum rectissima via in munitissima regionis, ut tum corpora, tum animi militum inde ad pugnam præpararentur. Tissaphernes autem hæc ab Agesilao jactari ad se rursum fallendum arbitratus, in Cariam, quo revera ipsum irrupturum credebat, iterum cum peditatu ivit, equitatumque in campis Mæandri subsistere jussit. Sed non aliter fecit, quam dixerat Agesilaus, agmine in regionem Sardianam rapto, totoque triduo nullo hoste conspecto progrediens, copia rerum necessariarum abundavit. Die quarto prope Pactolum fluvium pugna primum per equites

D contracta: deinde aliis atque aliis copiis commissis, tandem totis viribus concursum: victi & fugati Persæ, victores Græci castris quoque hostium potiti: cetrati ad prædam versi. Agesilaus universa hostilia & amica copiis suis circumplexus inter alia in potestatem suam redacta, quæ LXX talenta pretio excedere comperit, camelos etiam cepit, quos postea secum in Græciam abduxit. Quo tempore pugna hæc commissa fuit, Tissaphernes Sardibus erat. Quam ob causam in crimen a Persis vocabatur, perinde ac si ille eos prodidisset. Et cum ipse Rex Persarum cognovisset, solius Tissaphernis culpa res suas malo loco esse, misso Tithrauste caput

E ei præcidit. Quo facto Tithraustes missis ad Agesilaum legatis, hæc ei dici jussit; Auctor belli hujus pœnam jam luit: Rex vero noster æquum censet, ut tu domum repetas, & Asiæ civitates recepta libertate vetus tributum ipsi pendant. Ego vero, respondit Agesilaus, nunquam hoc absque magistratuum, qui domi sunt, voluntate fecero. Igitur, refert ille, in ditionem Pharnabazi discede, donec de voluntate eorum fias certior: nam tuum hostem ego e medio sustuli. Et rursum Agesilaus, da igitur commeatum exercitui, donec istuc pervenero. Et acceptis a Tithrauste triginta talentis in

F Phrygiam Pharnabazo parentem contendit. In quo itinere cum in campestribus Cumæ esset, venit ad eum a magistratibus e patria missus cum mandato, ut classis non minus quam exercitus terrestris imperium susciperet, classique Navarchum daret, quem vellet. Id enim Laconicæ civitati ob graves causas sic placuit, inprimis ut exercitus uterque, quoties res postulatura esset, promptius sibi mutuo subsidia præstarent. Hoc mandato instructus celeriter cum publico civitatum, tum privato eorum, qui gratificari ipsi volebant, studio, classem

cxx. navium confecit, eique Pisandrum uxoris suæ fratrem præposuit, virum quidem laudis cupidum, & promptæ audaciæ, sed agendarum rerum minus peritum. Quo ad classem digresso, & Agesilao in Phrygiam porro eunte, Tithraustes ab eo rebus Regis sui metuens, ac sollicitus, Timocratem Rhodium tandem auro Persico egregie instructum in Græciam misit, ut fascinatos hoc philtro principes civitatum ad bellum Lacedæmoniis faciendum concitaret. Qui in Græciam veniens Thebis Androclidem, Ismenium, Galaxidorum, Corinthi Timolaum & Polyanthem, Argis Cyclonem & qui partium erant istius, hoc fascino implicuit. Athenienses vero etsi auri hujus acceperant nihil, tamen in hoc bellum propensi fuere, persuasi nimirum, suum in eo summum imperium esse futurum. Omnes autem auri hujus accepti participes Lacedæmonios impense cœperunt criminari, atque hoc effecere, ut maximæ civitatum inter se conspirarent. Et quidem primores civitatis Thebanæ, quod scirent, non facile a fœderibus discessuros Lacedæmonios, nisi priores armis lacesserentur, causam irritandi eos ex Locris Opuntiis subjecerunt. Nam hi in se iram Phocensium vicinorum, Phocenses in se Thebanorum provocarunt. A Phocensibus læsis Lacedæmonii auxilium contra Thebanos rogati non impigre arma in eos sumpserunt, stimulati causis vetustis. Memoria enim repetebant, Thebanos inique decimam Apollinis apud Deceleam sibi vindicasse, adversus Piræum cum cæteris ire noluisse, & Corinthios insuper ab ea illa expeditione dehortatos esse, nuper vero Agesilaum in Aulide sacra facere prohibuisse, denique militiam cum eodem Agesilao in Asiam eunte detrectasse: Occasionem igitur opportunam sibi nunc dari reprimendæ eorum insolentiæ, cum bellum nullum aliud in Græcia, & res secundas in Asia haberent. Ab Ephoris igitur copiæ in hoc bellum decretæ: Lysander Phocensibus missus, qui ipsos Phocenses, Oetæos, Heraclienses, Malienses, Ænianes armaret, & cum his præsto esset ad Haliartum, quo etiam Pausanias summus belli hujus Dux cum exercitu Laconico & sociali ad præstitutum diem se adfuturum condixerat. Lysander primo adventu suo Orchomenum a Thebanis avertit. Pausanias vero copias e Peloponneso operiens apud Tegeam moras trahebat. Interim a Thebanis legati Athenas missi nervosa oratione, quam recitat *Xenophon*, eam civitatem in belli societatem sollicitarunt, permoveruntque. Decretum ab Atheniensibus magno consensu factum, opem Thebanis esse ferendam: idque decretum responsi loco legatis a Thrasybulo recitatum, additumque ab eodem, quanquam Piræum nondum muro munitum haberent, tamen Athenienses contempto periculo suo plus gratiæ Thebanis repensuros esse quam beneficii ab iisdem accepissent. Nec enim vos, ajebat, nobiscum in acie contra hostes nostros stetistis: nos vero pro vobis, si vos hostis oppugnaverit, pugnabimus. Tum Thebani domum reversi, ad defendendos se, Athenienses ad opem iis ferendam, sese parabant. Nec morati diutius Lacedæmonii sunt, sed Rex eorum Pausanias cum Laconicis sociorumque e Peloponneso copiis, exceptis solis Corinthiis, qui se non movebant, in Bœotiam pergebat: atque interim Lysander cum Phocensibus Orchomeniis, vicinisque aliis ad Haliartum accessit, non expectato cum Pausania reliquo exercitu, ac moræ impatiens Haliartios monebat, ut relictis Thebanis in libertatem se assererent. Quod cum facere eos Thebani, qui in oppido erant, prohiberent, copias ad ipsa Haliarti mœnia admovit. Quo cognito, Thebani ex urbe sua cursim eodem contendentes ut auxilio sociis essent, in ipsum Lysandrum incertum ignarumne, an eos expectantem in-

A ciderunt, & prœlio contracto Lysandrum peremerunt, tropæo ad urbis portas excitato. Hic vitæ exitus Lysandri fuit. Eo occiso reliqui superstites ad montem proximum confugerunt, persequentibus acriter Thebanis, ac summitate montis jam occupata, cum ad angustias & invia deventum esset, pars fugientium gravis armaturæ in persequentes conversi, occisis eorum primum perpaucis, qui in fronte erant, dein majore vi ac magna animorum alacritate in cæteros se inferentes saxis per declivia devolutis in præceps eos impulerunt, eorumque resistere conantium cc. peremerunt. Itaque eo die minime gavisi sunt Thebani, existimantes non plus detrimenti se intulisse quam accepissent. Postridie
B vero cum cognovissent Phocenses & cæteros Lacedæmoniorum auxiliares per noctem domum se recepisse, majores animos resumpserunt. Rursum cum conspectus cum exercitu Laconico Pausanias fuit, in non parvo periculo se esse arbitrati animis conciderunt. At die sequente cum ad eos Athenienses venissent, copiasque copiis junxissent, atque insuper Pausanias cum exercitu non progrederetur, nec pugnam cieret, tum vero haud parva fiducia rerum suarum elati iterum fuere Thebani. Pausanias autem animi dubius convocatis militiæ Præfectis, pugnandumne esset, an induciis petitis Lysandri corpus & cæterorum, qui occubuerant,
C ad sepulturam deposcenda deliberabat: placuitque omnibus petendas inducias. Mentibus enim obversabatur, Lysandrum occubuisse, milites ejus victos fugisse, Corinthios militiam detrectasse, socios cæteros animis languere, hostes equitatum magnum, se exiguum habere, cæsorum corpora sub ipsis mœnibus Haliarti strata jacere, ut ne victoribus quidem sibi ea tollere invitis hostibus futurum sit facile. Postulata igitur per inducias corporum sublatio. Sed postulato non assensere Thebani, nisi reciperent Lacedæmonii, regione se discessuros. Itaque admissa non libenter conditione sublatis corporibus Lacedæmonii Bœotia excessere animis mæsti. Thebani autem insolenter fortuna
D usi, vel leviter in discessu moratos per villas trucidarunt. Expeditio Spartanis infelix. Pausanias domum reversus capitis est arcessitus. Crimini datum, quod Lysandro in tempore ex conventione præsto non fuisset: quod per inducias potius quam per pugnam cæsorum corpora repetivisset, quod Athenienses in Piræo captos dimisisset; denique quod præsentem judicio se non stitisset. Capitis damnatus Tegeam fugit, atque ibi morbo extinctus est. Hæc tum in Græcia gesta,

---

E XENOPHONTIS

RERUM GRÆCARUM

LIBER QUARTUS.

INEUNTE autumno Agesilaus Phrygiam ingressus Pharnabazo parentem urendo & populando regionem afflixit: urbes partim vi, partim spontanea deditione cepit. Deinde a Spithridate monitus Paphlagoniam petiit, id quod jamdudum concupi-
F verat, ut gentem eam a Persis alienatam sibi conciliaret. Nec ipsum spes fefellit. Nam cum illuc venisset, adiit eum Cotys Paphlagonum Rex, & societatem cum eo iniit. Quinimo idem Cotys persuasus a Spithridate, Agesilao attribuit equites mille, cetratos bis mille. Quem rerum successum Agesilaus Spithridati acceptum ferens, ut gratiam ei referret, (erat enim gratiæ amicis referendæ suopte ingenio valde cupidus ac studiosus) filiæ ejus nuptias Cotyis

Regis, antequam Paphlagonia discederet, conciliavit. Mox relicta Paphlagonia cum exercitu Dascylium contendit, ubi regia Pharnabazi erat, & circum eam vici frequentes, & magni, & commeatuum copia abundantes, cum venationum locis, quorum alii ceu horti cultissimi septis inclusi, alii sine septis aperti, sed peramœni. Circumfluebat & amnis omnis generis piscibus plenus, ac volucres copiosæ aucupiis commodæ. Ibi hyemavit Agesilaus, exercitumque pavit abunde. Sed cum aliquando milites diu nihil mali passi incautius popularentur, accidit forte Pharnabazum ducentem currus falcatos duos & equites cccc. in eos per aperta loca palatos incidere. In quos celeriter conspecto hoste conglobatos numero circiter DCC. Pharnabazus currus illos in fronte agentes primum immisit, globumque disjecit: deinde cum equitibus invectus, quasi c. prostravit: reliqui fuga se ad Agesilaum receperunt, non procul inde cum gravis armaturæ militibus agentem. Triduo ante aut quatriduo post per Spithridatem certior factus Herippidas, Pharnabazum peramplo in vico plus minus CLX. stadiis inde distante castra habere (nam is obsidionem Græcorum metuens Nomadum instar castra identidem huc illuc transferebat, eaque quam maxime occulta habere cupiebat) petitis & impetratis ab Agesilao bis mille militibus gravis armaturæ, totidemque cetratis, cum universo equitatu, si modo sequi ipsum vellent, sed vix dimidia parte ejus expedita, sub primas tenebras iter ingressus oriente jam die castra Pharnabazi invadit, cæsisque custodibus Mysis capit, ac diffugientibus Persis divite præda cum omni pretiosa Pharnabazi supellectile potitur. Sed inopinatus, & turpis casus fortunam hanc fœdavit. Nam cum in avehenda præda Paphlagones cum Spithridate essent, Herippidas dispositis militaribus præfectis, cuncta iis ademit. At illi injuriæ & contumeliæ hujus impatientes, convasatis rebus suis per noctem Sardes abiere ad Ariæum, quem & ipsum a Rege Persarum defecisse & bellum contra eum gerere credebant. Hac abitione Spithridatis & Megabyzi ac Paphlagonum nihil gravius tota hac expeditione Asiatica Agesilao accidit. Erat vero tum quidam Apollophanes Cyzicenus, cui jamdudum hospitii necessitudo cum Pharnabazo intercedebat, & qui jam recens cum Agesilao quoque simili necessitudine sese junxerat. Is Agesilao dixit, putare se opera sua posse Pharnabazum induci, ut cum ipso ineundæ amicitiæ ergo in colloquium descenderet. Atque hoc inducias fidemque pactus effecit, Pharnabazo ad locum condictum adducto. Ubi cum Pharnabazus Agesilaum humi in gramine cum xxx. delectis consiliariis discumbentem vidisset, ipse pretiosa admodum stola amictus, famulique pulvinos more Persico ipsi substernerent, pudore confusus conspecto tenui cultu Agesilai, ipse quoque sine pulvinis humi se reclinavit. Deinde dicta mutuo salute, datisque dextris, prior Pharnabazus natu grandior verba facere cœpit, ostenditque se durante bello Attico fidum & perpetuum amicum ac socium Lacedæmoniis fuisse, nec solum suggesta pecunia classem eorum firmasse, sed etiam ex equo in terra ipsum se pro iis pugnasse, hostemque in mare usque esse persecutum: nec unquam, exemplo Tissaphernis, ambiguum se verbis factisque erga eos præstitisse: pro eo indignam sibi gratiam ab ipsis relatam, exutum scilicet omnibus rebus suis, ædificiis hortisque paternis exustis, atque excisis vi ipsorum, vix reliquum habere in tota ditione sua, quod ad cœnam faceret quæ quomodo æqua & sancta sint, se non intelligere, paratum esse doceri ab ipsis, si ipsi intelligant. Hac oratione in ruborem datis xxx. consiliariis, & silentium servantibus tandem Agesilaus ei respondit, hospitii jus inter hospites diversarum civitatum in Græcia sacrosanctum haberi: attamen bello inter civitates exorto, hospites in hospites pro patria arma gerere, interdum etiam re sic ferente mutuo se occidere: Eadem ratione Lacedæmonios contra Persarum Regem bellum gerentes, necessum habuisse, omnia quæ illius essent, hostilia ducere, cupidos alioqui colendæ cum ipso Pharnabazo amicitiæ. Et tibi quidem, ajebat, si pro Rege domino nos domini sumendi essemus, ego talis consilii auctor esse tibi nollem. Nunc autem, si nostrarum partium fieri volueris, licebit tibi sine cujusquam humili atque abjecto cultu, sine agnito domino vivere, & rebus tuis frui. Liberum vero esse, id ego supra omnes divitias duco. Nec tamen nos cupimus liberum te & pauperem esse: sed nobis sociis utentem non Regis imperium, sed tuum augere, & subactos eos, qui tecum jam serviunt, tibi subditos habere: Atque si pariter & liber fueris, & divitiis affluens, quid quæso tibi ad summam felicitatem defuerit? Tum vicissim Pharnabazus: dicam vobis simpliciter, quid sim facturus. Si Rex meus successorem mihi miserit, cui me parere oporteat, volam vobis amicus & socius esse: sin me imperium habere jusserit, quemadmodum cupiditas gloriæ dictat, scitote, me pro viribus meis fortissime contra vos bellum esse gesturum. Rursum Agesilaus prehensa manu Pharnabazi, utinam, ait, vir optime, cum talis sis, amicus nobis fias: unum vero hoc scito, me, quam potero ocyssime, finibus tuis esse excessurum; ac deinceps, etiam si bellum fuerit, quamdiu copia nobis erit contra alium arma gerendi, in te, resque tuas nos non esse iturum [1]. Cum his finis colloquii istius fuit. Et jam conscenso equo Pharnabazus abibat, cum filius ejus egregiæ formæ Parapita natus, ad Agesilaum accurrens hospitii jus, datis & acceptis muneribus cum eo sanciit, & post a fratre per absentiam patris omni fortuna exutus exul apud Agesilaum in honore & gratia fuit. Ut vero verbis facta congruerent, confestim exercitus regione illa abductus est. Et jam ver appropinquabat, cum Agesilaus in campestria Thebes deveniens castra illic ad fanum Dianæ Astyrinæ posuit, ibidemque præter eas, quas habebat, permagnas copias undequaque collegit. Parabat enim sese ad iter in regiones superiores, confidens gentes omnes, quas esset a tergo relicturus, a Rege se aversurum. At Lacedæmonii, cum jam certo cognovissent, pecuniam Persicam in Græciam esse missam, maximasque civitates in bellum contra se conspirasse, existimantes in periculo rempublicam versari, ad arma se pararunt, simulque Epicydidam ad Agesilaum miserunt, qui eum ad opem patriæ ferendam domum revocaret. Hoc mandato accepto Agesilaus, quanquam animo turbatus, quod magna spe rei bene gerendæ dejiceretur, tamen parendum censuit: vocatisque ad concilium sociis & re iis exposita bono animo eos esse jussit, spemque maturi reditus sui, si fortuna faveret, iisdem fecit. Quos [2] illi cum lachrymis audientes ultro auxilia cum eo Lacedæmoniis mittenda censuere. His auxiliaribus ad iter se parantibus ipse Harmosten Asiæ Euxenum cum præsidio militum quater millium constituit. Ut tamen quam maxime validas copias in patriam secum adduceret, propositis præmiis & honoribus civitates & militum præfectos, de optimis peditum equitumque cohortibus instruendis, in æmulationem concitavit. Trajecto vero Hellesponto, & copiis omnibus in Chersoneso recensis eadem via progrediebatur, qua Xerxes olim Græciæ bellum inferens progressus fuerat. Inter quæ Ephori Lacedæmone præsidia contrahebant, & civitas ob puerilem Agesipolis ætatem, Aristodemum agnatum & tutorem pueri exercitui

1. voluit *ituros*. 2. voluit *quod*.

A præesse jussit. At hostibus de belli ratione consul-
tantibus Timolaus Corinthius in concilio suasit ad
ipsam Lacedæmonem exercitum esse ducendum,
atque ad urbem, aut non procul inde prœlio de-
certandum, in ejusque sententiam ab omnibus
itum: deinde de aciei modo, & phalangum den-
sitate disputatum, statutumque. Tum promotis u-
trinque exercitibus eodem tempore Corinthii cum
suis Nemeam, Spartani cum sociis Tegeatibus &
Mantineis aliisque Sicyonem venere: mox castra
castris in mutuo conspectu opposita, pauloque
post acies utrinque eductæ, in quibus a parte Spar-
tanorum amplius quam quindecim millia, ab al-
B tera supra xx. millia, atque in his sex millia Athe-
niensium gravis armaturæ, septem millia Argivo-
rum consistebant. Demum classicis canentibus
prœlium initum, quo victores Lacedæmonii, quan-
quam parum a sociis adjuti, non parvam cædem
hostium ediderunt amissis suorum non pluribus
quam octo. Hujus fortunæ nuncium per Dercylli-
dam apud Amphipolim ad Agesilaum, & hoc sua-
dente, mandanteque per eundem in Asiam ad ci-
vitates socias quam celerrime perlatum. Agesilaus
itinere suo Macedonia superata Thessaliam ingres-
sus ob infestantes ultimum agmen suum Thessalos
Bœotiis confœderatos necesse habuit ordinem ag-
C minis mutare. Nam hactenus peditum agmen qua-
dratum duxerat, mediamque equitum partem ter-
gum claudere, alteram partem frontem præcedere
jusserat. Nunc Thessalis equitibus postremum ag-
men prementibus totum equitatum, exceptis so-
lum iis, quos circum se habebat, ad protegendum
agminis tergum amandavit. Ita jam tutior ince-
dens, non solum incursantes Thessalos equestri di-
sciplina & gloria inclytos sustinuit egregie, sed et-
iam cæde non parva castigatos in fugam vertit, vi-
ctoriæ de iis partæ monumentum erexit: ac deinde
pacato itinere reliqua Thessaliæ pertransiit, atque
D ad fines Bœotiæ pervenit. In quos cum invaderet,
Sol corniculatæ Lunæ specie apparere visus fuit, &
simul nuncius advolavit infelix, in Asiæ litore na-
vali prœlio superatos esse Lacedæmonios, in eoque
Præfectum classis Laconicæ Pisandrum occubuisse:
nuncii summa erat, haud procul Cnido classes hinc
inde concurrisse: Pharnabazum navibus Phœniciis
summum Ducem præfuisse, Cononem Athenien-
sem navium Græcarum præfectum primam aciem
rexisse: Pisandrum vero ex adverso classem suam
duxisse, conspectoque numero navium Græcarum,
quæ cum Conone erant, multum superante nume-
rum earum, quas ipse ducebat, sinistrum cornu e-
E jus ex sociis constans statim fugisse: ipsum vero ex
triremi pugnantem contra hostes in terram fuisse
compulsum, & cæteros quidem omnes cum eo eo-
dem compulsos relictis navibus qua quisquam po-
tuisset, Cnidum versus, salutem sibi quæsivisse; ip-
sum autem in navi dimicantem periisse. Hoc nun-
cio Agesilaus primum tristitia affectus, post cum ex-
penderet, maximam exercitus sui partem gaudere
rerum secundarum allatarum communicatione, nec
necesse esse, si quid ipse rei adversæ cognosceret, id
statim militibus aperire, velut mutatus hilariore
vultu dixit, nunciari Pisandrum quidem cecidisse,
sed prœlio navali vicisse: simulque bobus mactatis
F sacra fecit, velut læti nuncii gratulatoria, partesque
victimarum multis in exercitu misit. Atque hoc
modo ad alacritatem majorem totum exercitum e-
rexit, ac in velitatione forte contracta victorem fe-
cit. Erant ibi tum Agesilao oppositi Bœoti, Athe-
nienses, Argivi, Corinthii, Ænianes, Euboici, &
utrique Locri. Cum Agesilao vero erant cohors una
major Lacedæmoniorum, quæ Corintho venerat,
& media [1] cohors ex Orchomeno: præterea ex no-
viciis civibus conscripti, qui cum ipso militaverant:
tum stipendiarii peregrini, quibus præerat Herippi-
das, & quos in Asia ex civitatibus Græcis, quosque
in Europa itidem ex urbibus Græcis, iter faciens
conscripserat. Atque his accessere ex locis, in qui-
bus tum exercitum habebat, gravis armaturæ pedi-
tes Orchomenii ac Phocenses. Cæterum cetrati
multo plures erant Agesilao, equitum utrisque nu-
merus fere par. Ab his omnibus prœlium commis-
sum cujusmodi nullum aliud eo sæculo. Coivere in
campum Coroneæ adsitum hinc qui Agesilao milita-
bant a Cephisso fluvio, illinc, qui cum Thebanis e-
rant, ab Helicone monte. Et Agesilaus quidem ip-
se dextrum cornu suum tenebat, Orchomenii extre-
mi erant in sinistro. Ex adverso Thebani in dextro
contra Orchomenios, Argivi in sinistro contra Age-
silaum stabant. Et silentes quidem initio in se mu-
tuo ibant, donec stadio non longius inter se abessent.
Tum clamore sublato cursim in adversos ferebantur
Thebani: & cum jam trium tantum plethrorum
intervallo distarent, vicissim, quos Herippidas duce-
bat, stipendiarii a parte Agesilai procurrebant, &
cum his Iones, Æoles, Hellespontii: cumque jam
ad hastarum ictus perventum esset, in fugam verte-
runt sibi oppositos. Nec Argivi vim eorum, qui pro
Agesilao pugnabant, sustinuerunt, sed in Helico-
nem fuga ferebantur. Jamque stipendiariorum pe-
regrinorum quidam cum in coronando Agesilao es-
sent, supervenit quidam nuncians Thebanos Orcho-
meniis cæsis ad impedimenta pervasisse. Tum Age-
silaus phalange explicata in eos sine mora duxit. At
Thebani socios suos ad Heliconem se recepisse vi-
dentes, ut ad eos pervaderent, per cohortes con-
globatas solida vi istuc contendebant. Ibi sine con-
troversia virum fortem se præstitisse Agesilaum licet
dicere, quanquam id, quod tutissimum erat, non sit
secutus. Nam cum posset eos, qui elabi studebant,
a tergo pressos cædere, id non fecit, sed a fronte eos-
dem illos invasit. Itaque collisis utrinque clypeis se
mutuo urgebant, pugnabant, occidebant, occide-
bantur. Tandem Thebani alii in Heliconem eva-
debant, multi in receptu perimebantur. Hac victo-
ria parta, cum Agesilaus ipse graviter vulneratus ad
phalangem relatus esset, quidam equis advecti expo-
nunt ei, circiter LXXX. ex hostibus cum armis fano
vicino se continere, quærunt quid facto de iis sit o-
pus. Ille quanquam multis vulneribus sauciatus,
tamen numinis non oblitus cujus templum pollui
nolebat, quo vellent abeundi potestatem eis fieri
præcepit, nec omnino lædi eos sivit. Ac tum qui-
dem (nam jam serum diei erat) cœnati somno ac
quieti se omnes dederunt. Postridie bene mane Gy-
lim Polemarchum exercitum disponere, tropæum-
que erigere, atque omnes in Dei honorem coronis
se ornare, & tibicines tibiis canere Agesilaus jussit.
Quæ dum fiebant, a Thebanis missi præcones cæso-
rum corporum ad sepulturam repetebant, impetra-
bantque. Sic induciis factis Agesilaus Delphos pro-
fectus prædæ decimas Deo consecravit, quæ haud
minoris quam centum talentis censebatur. At Gy-
lis Polemarchus cum copiis Phocidem ingressus, in-
de in Locros irrupit. Ac die alio milites supellecti-
lem frumentumque e vicis abripientes, cum sub
vesperam se reciperent, a Locris persequentibus
pressi telisque petiti, dein in persequentes versi in
fugam eos egerunt: ne vero longius tergis fugien-
tium inhærentes progrederentur, tenebræ ingru-
entes prohibuerunt. In receptu autem vicissim ab
hoste pressi cladem accepere: in qua Gylis Pole-
marchus, & eorum, qui circum ipsum erant, pri-
mores multi, & Spartiatæ XVIII. partim lapidibus
obruti, partim vulneribus confecti periere. Et si
ex castris a militibus jam cœnantibus suppetiæ iis
latæ non fuissent, in discrimen vitæ adducti fuis-

1. Ἡμιν μόρας ait Xenophon.

sent omnes. Post hæc milites in suas quique civitates dimissi sunt: Agesilaus ipse navigio domum repetiit. Verum Athenienses, Bœoti, Argivi aliique e sociis e Corintho erumpentes, Lacedæmonii autem cum sociis suis Sicyone excurrentes bellum ciebant. Sed Corinthii cernentes agrum suum vastari, multos suorum interimi, quod hostis perpetuo in vicinia esset, sociorum vero suorum agros ab injuriis belli esse immunes, plurimi atque optimi eorum pacem desiderarunt, & mutuo se in hanc rem exhortabantur. Quo cognito Argivi, Bœoti, Athenienses, inprimis vero Corinthii illi, qui auri Persici participes fuerant facti, quique ante alios bellum hoc suaserant, cœperantque, prævidere se putabant, Corinthum ad partes Lacedæmoniorum esse redituram, nisi e medio tollerentur illi, qui pacem quærebant. Quapropter ad cædes faciendas sese parabant. Et primum quidem hujusmodi consilium cepere, quod erat omnium maxime nefarium atque impium. Nam alii homines ne legitime quidem damnatum die festo occidunt. Isti vero postremum diem Euclæorum [1] (hi sacri sunt apud Corinthios) ad facinus sibi delegerunt, propterea quod arbitrarentur, plures se tum in foro deprehensuros, quos trucidarent. Itaque cum indicium factum esset rei consciis, quosnam trucidare oporteret, illi strictis gladiis suis alium in circulo stantem, alium sedentem, alium in theatro, alium etiam in tribunali causas cognoscentem percusserunt. Quod ubi innotuit, optimi quique confestim alii ad statuas Deorum in foro, alii ad aras confugerunt. Tum vero illi, homines scilicet maxime consceleratī, omnisque sensus recti expertes, tam qui mandabant, quam qui parebant, in ipsis locis sacris eos mactabant: ut jam nonnulli etiam eorum, qui non cædebantur, veruntamen legum observantes, cum viderent tantam impietatem, præ dolore animi pene exanimarentur. Ita multi seniorum, quia plures eorum in foro tum forte erant, occisi. Juniores autem, cum Pasimelus quidam id, quod futurum erat, suspicatus fuisset, frequentes in Cranio, gymnasio ad urbem Corinthum, quietos se continebant. At cum clamorem persentirent, viderentque quosdam e cæde elapsos ad se accurrere, relicto Cranio festinantes in Acrocorinthum conscenderunt, atque inde Argivos atque alios locum tuentes dejecerunt. Cumque iidem deliberarent, quid porro faciendum esset, capitellum columna decidit sine ulla terræ motus ventique vi. Ob hoc prodigium victima mactata, & extis inspectis moniti a vatibus locum illum quoque reliquerunt, & velut exulaturi agro Corinthio excesserunt. Mox tamen suasu amicorum, matrum, fratrum, quibusdam etiam e magistratu dato juramento promittentibus, nihil mali ipsis eventurum, quidam ex his domum rediere. Qui cum viderent eos, qui tyrannidem exercebant, animadverterentque urbem pessum ire, quia & limites revellebantur, & patria jam tunc pro Corintho Argos nominabatur, & ipsi ad jus civitatis Argivæ suscipiendum, quod non desiderabant, adigebantur, in sua vero civitate minus advenis se posse sentiebant, extitere ex iis quidam, qui existimarent, indignum esse, sic se vivere, conatumque faciendum restituendæ Corinthi in statum pristinum, ac libertatem, & ab improbis homicidis expurgandæ, administrationique ex præscripto justarum legum reddendæ: Quæ res si succederent, servatores se patriæ futuros: sin minus, ipso saltem conatu rerum pulcherrimarum & maximarum perpetuam laudem merituros, ac gloriosam mortem oppetituros. Sic viri duo Pasimeles atque Alcimenes periculo suscepto, torrenteque trajecto, ad Praxitam Polemarchum Lacedæmonium Sicyone præsi-

1 Εὐκλείων ait Xenophon.

A dii Laconici tum forte præfectum contendunt. Ei exponunt, posse se ipsi ingressum intra muros Lechæum versus porrectos patefacere. Atque is fidem habens duobus his jamdudum sibi a fide notis, omnibus in istum usum constitutis & paratis, cum cohorte sua præsidiaria, & Sicyoniis & exulibus Corinthiis ad condictum locum accedit, ubi tum forte iidem illi duo custodiendis portis præerant, atque exploratore in urbem præmisso, eorundem duorum opera introducto, atque ex urbe regresso, cum omnia recte habere cognovisset, muros Corinthi cum suis ingreditur. Deinde a paucitate suorum sibi metuens, excitato per noctem celeriter vallo fossaque se munit, quo tueri se tantisper posset, donec a sociis auxilia submitterentur. Erat vero ei a tergo in ipso portu Lechæo præsidium Bœotorum.
B Sed die eo, qui ingressum hunc nocturnum proxime fuit secutus, quieta mansere omnia. At postridie Argivi omnes exciti ad opem suis ferendam advolarunt. Quibus cum se Lacedæmonii, & qui cum ipsis erant, Duce Praxita objicerent, ventum ad prœlium est fortuna varium & difficile, multis hinc inde cadentibus: in quo tandem victoria illustris penes Lacedæmonios stetit, eaque eo admirabilior, quod pauci numero maximas hostium copias superaverint. Cædes ingens facta, ager cadaveribus oppletus: præsidium quoque Bœoticum in portu Lechæo interemptum. Corpora cæsorum per inducias victis reddita. Tum supervenere majora sociorum
C auxilia, Lacedæmoniis submissa. Quibus assumptis Praxitas partem murorum Corintho versus portum porrectorum primum subruit, ut aditus intra eos copiis pateret: Dein via Megarensi profectus, Siduntem, & post eam Crommyonem cepit; ac relicto utrobique præsidio, via eadem, qua venerat, domum repetiit. Post hæc, non nisi minutis copiis res acta: Corinthus solum & Sicyon submissis hinc inde præsidiis infessæ & defensæ: mercenarii tamen milites magna vi inter se collisi. Eo tempore Iphicrates Atheniensis Phliuntem invadens parva prædonum manu, quos in insidiis collocaverat, tantam multitudinem civium occidit, ut Phliasii clade illa perculsi, & exules suos metuentes, Lacedæ-
D moniis, quos hactenus intra mœnia admittere recusaverant, urbem arcemque suam defendendam traderent. Qua in re integerrima fides Phliasiis a Lacedæmoniis est præstita. At Iphicrates sæpe excursione cum copiis suis in Arcadiam facta tum prædas abigebat, tum ad ipsa oppidorum mœnia se inferebat: nec tamen quisquam ex oppidis pugnandi causa egrediebatur: tantus ipsis a cetratis Iphicratis metus inerat. Cetrati vero vicissim adeo Lacedæmonios gravis armaturæ metuebant, ut intra teli ja-
E ctum iis appropinquare non auderent, clade scilicet & captivitate ab iis correpti. Hinc porro factum, ut Lacedæmonii socios quoque suos, qui se a cetratis istis in fugam agi cædique paterentur, magis quam cetratos temnerent. Ipsi autem Lacedæmonii cum cohorte sua, & exulibus Corinthiis Lechæo egressi urbem Corinthum castris in circuitu premebant. Athenienses vero robur Lacedæmoniorum formidantes, ne ii per dirutos Corinthiorum longos muros in ipsos irruerent, populatim ex urbe cum cæmentariis fabrisque egressi, muros eosdem summo studio refecerunt, perfeceruntque paucorum dierum spacio, qua occasum spectabant: reli-
F quos versus orientem lentius velut per otium struebant. Et tum Lacedæmonii ægre ferentes Argivos domi florere, ac foris bello gaudere, in eos exercitum misere Duce Agesilao: qui evastata omni eorum regione, sine mora inde superatis intermediis angustiis Corinthum cum eodem exercitu contendit, murosque ab Atheniensibus refectos cepit. Venit vero ad eum cum triremibus XII. per mare Teleu-

A

tias frater, ut jam beata censeretur eorum mater, quod eadem die, qua ipsos pepererat, alter eorum muros hostium terra, alter naves & navalia mari occupasset. Atque his rebus gestis Agesilaus sociorum copias dimisit, urbanas vero domum secum reduxit. Post hæc per exules indices edocti Lacedæmonii, eos, qui Corinthum tum tenebant, pecora sua omnia habere in urbe, servareque eadem in portu Piræo (is est agri Corinthii) ac multos etiam ibidem nutriri, denuo cum exercitu istuc eunt, eodem Duce Agesilao. Is primum in Isthmum venit. Nam mensis tum erat, quo Isthmia celebrantur, & Argivi illic eodem tempore Neptuno sacra faciebant, perinde ac si Argos esset Corinthus. Verum cum hi

B

adventare Agesilaum cognovissent, & victimis & epulis relictis, via Cenchrensi in urbem trepidi se receperunt: quos quanquam conspiceret Agesilaus, non tamen eos est persequutus, sed in fanum divertens & ipse DEO sacrificavit, & ibidem mansit, donec Corinthii exules Neptuno sacra fecissent, & ludicrum certamen peregissent. Digresso autem Agesilao, Argivi Isthmia instaurarunt. At quarto post die Agesilaus cum exercitu Piræum perrexit: sed pransus illic, cum magno id præsidio teneri cognovisset, statim ad urbem recessit, velut spem habens per proditionem ejus potiundæ. Quam ob causam omnia

C

metuentes Corinthii Iphicratem cum maxima parte cetratorum sui muniendi gratia in urbem vocarunt. Eos cum noctu transiisse Agesilaus persensisset, cum prima luce rursum converso itinere Piræum cum suis repetiit: atque ipse quidem secundum thermas duxit, sed cohortem magnam in summum montis verticem adscendere jussit. Et ista quidem nocte ipse juxta calidas aquas castra posita habuit: cohors vero in montis cacumine occupato noctem egit non sine incommodo magno, usque dum Agesilai solertia ei succurrit. Nam quibus cibi in usum cohortis supportandi cura erat demandata, ignem secum ferre neglexerant. Unde frigore rigere milites cœ-

D

perant. Erat enim locus peraltus, & tempore vespertino pluvia cum grandine deciderat, & milites montem conscendentes amicti erant tela tenui, utpote tempore æstivo; ideoque frigore & tenebris pariter oppressi etiam cibum aversabantur. Ad hos Agesilaus haud pauciores quam decem submisit, qui per diversos calles in montem emissi, ignem in ollis secum tulere. Tum ignes & frequentes & magni, cum copia ligni non deesset, excitati, miles unctus, cœna a multis rursum sumpta. Eadem nocte fanum Neptuni arsit, sed incendii auctor fuit ignoratus. At ii, qui in Piræo erant, cum viderent summa montis occupata esse, dimissa defensionis cu-

E

ra sine discrimine sexus & conditionis cum maxima pecudum parte in fanum Junonis confugerunt. Et Agesilaus quidem cum exercitu secundum mare incedebat: cohors autem illa e monte descendens Oenoam, castellum muro clausum, cum omnibus quæ in eo erant, cepit: milites omnes magna commeatuum copia iis locis sunt potiti: qui in fanum Junonis se receperant, etiam Agesilai arbitrio se permiserunt: ille omnes cædium Corinthi patratarum reos, exulibus tradi, reliqua univer-

F

sa vendi jussit. Tum ad Agesilaum cum aliunde, tum ex Bœotia legati frequentes venere, cognituri quibus conditionibus pax refici posset. Sed Agesilaus animo valde excelso talem se tulit, ut ne adspicere quidem eos velle videretur, quanquam adesset iis Pharax hospitii jure cum iisdem conjunctus, ut ad Agesilaum eos adduceret. Considebatum Rex in ædificio circulari juxta portum, eaque quæ ex fano ducebantur, spectabat. Captivos autem comitabantur milites Lacones hastati custodiæ causa, qui omnium oculos in se vertebant. Sic enim fere fit, ut felices & victoria potiti spectatu digni vi-

deantur. Adhuc vero sedente Agesilao, & lætitiam ob res bene gestas præ se ferente advolat eques, equo ipsius sudore multo madente, & nusquam morari se passus, cum per circumfusos ad Agesilaum pertigisset, equo desiliens vultu tristis recentem cladem cohortis quæ in Lechæo fuerat, ei nunciat. Qua audita, statim e sella prosiliens correpta hasta per præconem Polemarchos cæterosque militum præfecto inferiores evocat, edicit, ut raptim tantulo cibi, quantum festinatio ferebat, sumpto se sequerentur: ipse impransus cum parte militum præcedit, stipatus satellitibus armatis & alacribus. Et jam aquas calidas prætererat, perveneratque in latum Lechæi campum, cum obviam ei fiunt equites tres nuncium ferentes, cæsorum corpora jam recepta esse. Tum inhibito cursu post modicam quietem, copias ad fanum Iunonis reducit. Postridie vendita mancipia: Legati Bœotorum vocati interrogatique, quæ ipsis causa esset veniendi, jam fidentiores facti nihil de pace dicere, aliud vero præ se ferre. At Agesilaus vicissim ad eos, compertum sibi, vanum esse, quod præferrent; veram causam esse, cupidinem videndi cladem præsidii Lechæensis. Ibitis igitur mecum, inquit, ego vos eo deducam, & copiam faciam videndi quod cupitis. Nec fides dictis defuit. Nam postridie facta re divina cum exercitu ad ipsam urbem contendit: & excisis in ejus conspectu arboribus ad provocandos, qui in ea erant, cum nemo prodiret, Lechæum petiit: legatos autem istos non sivit in urbem ingredi, sed per mare Creusin vehendos curavit. Cum ad locum cladis perventum esset, exercitus reliquus Agesilai ingenti dolore percussus fuit. quippe multo tempore tale nihil perpessus: soli vero cæsorum parentes, fratres, filii, velut parta victoria in calamitate domestica exultare videbantur. His subjicit *Xenophon* occasionem, modum, magnitudinem cladis istius Laconicæ, cujus auctor potissimus fuit Iphicrates cum cetratis suis Corintho cum Callia Hipponici, qui gravis armaturæ militibus Atticis præerat, egresso; pluresque conflictus, & congressus, accessus & recessus eo loco factos, quoad tota fere cohors Laconica occumberet, plus satis prolixe describit. Agesilaus dein reliquiis cæsæ cohortis assumptis, constitutaque Lechæi cohorte alia, discessit, exercitumque mæstum & lucens oculosque hominum quantum poterat, ob ignominiam cladis subterfugientem, domum reduxit. At Iphicrates Atheniensis victor, fortunam suam urgens Siduntem, Crommyonem, Oenoam, loca paulo ante a Praxita & Agesilao occupata & præsidiis munita, in potestatem redigit, Lacedæmonii autem cum sociis Lechæum præsidio tuebantur: Corinthiorum vero exules propter eandem acceptam cladem non jam amplius terra ex urbe Sicyone excurrentes, sed navigiis usi eos qui Corinthi erant, infestabant, & vicissim ab his infestabantur. Post quæ & Achæi, qui Calydonem ad Ætolos quondam pertinentem tenebant, & Calydonios in jus civium suorum adsciverant, urbem istam præsidio imposito tueri cogebantur. Nam ubi Acarnanes infesti erant, & cum his Athenienses & Bœoti quidam ob societatem se conjungebant. Ea propter Achæi ab hoste pressi poscendæ opis gratia legatos Lacedæmonem mittunt. Qui cum istuc venissent, injuriam sibi fieri a Lacedæmoniis querebantur. Nam nos, ajebant, a vobis exciti arma vobiscum gerimus, & quocunque ducitis, signa vestra sequimur. At vos nosmet bello ab Acarnanibus & eorum sociis Atheniensibus ac Bœotis pressos negligitis. Quam culpam nisi emendaveritis, nos quoque ut nobis consulamus, aut omittere hoc bellum in Peloponneso, & traductis copiis nostris bellare contra Acarnanes eorumque socios, aut pacem cum iis, qualem pote-

rimus, inire necessum habebimus. Qua oratione A audita Ephoris & populo placuit arma pro Achæis contra Acarnanes sumi: idque bellum Agesilao demandatum, eique duæ cohortes magnæ cum socialium copiarum parte attributæ, hisque Achæi omnes adjuncti. Hujus exercitus adventu turbati Acarnanes quotquot in agris degebant, in urbes confugiebant, pecora etiam, ne ab hoste caperentur, in loca remota abigebant. Agesilaus fines eorum ingressus misso suorum aliquo ad Acarnanum concilium Strati congregatum, denunciat iis, nisi a societate Atheniensium & Bœotorum discedant, se universum eorum agrum vastaturum, & iis monito B non parentibus statim orditur id quod erat comminatus. Sed quia lente procedebat, vix ultra decem aut duodecim stadia progrediens, securiores reddidit Acarnanes, pecora sua in tutiora semper propellentes. Die vero XV. aut XVI. ab adventu suo, mane sacris curatis iter ingressus, & ante vesperam CLX. stadia emensus, pervenit ad eum locum, ubi omnia fere Acarnanum pecora juxta paludem coacta erant. Quibus omnibus captis & postridie divenditis, superveniunt Acarnanes armati magno numero, & telis fundisque tendentem in monte Agesilaum in planiciem descendere cogunt, & ob ingruentem noctem se recipiunt. Postridie, cum u- C trique per noctem quievissent, Agesilaus ex ea planicie compascua stagnum ambiente exercitum cœpit abducere. Sed quia exitus e planicie angustus erat ob montes ipsam undequaque cingentes, Acarnanes occupatis montium jugis & crepidinibus omni telorum genere transeuntes desuper infestant: & quanquam vicissim in eos ferrentur Agesilai equites peditesque gravis armaturæ, actum tamen agebant. Nam Acarnanes cedentes celeriter ad loca tuta se recipiebant. Itaque nequicquam istac iter se tentare Agesilaus animadvertens, statuit flexo itu ad lævam invadere eos, qui ab ista parte suis incumbebant. Ibi enim mons ita declivis erat, ut facilior D in eum equitibus & peditibus ascensus pateret. Atque hanc in rem se parans dum sacrum facit, ab Acarnanibus tela jacentibus atque incurrentibus, in non parvum discrimen vocatur: sed animo haudquaquam fractus, ut constituerat, validiores peditum gravis armaturæ cum equitibus in eos immittit, ipse vero cum cæteris sequitur. Tum Acarnanes ii, qui e monte se dimiserant, & levibus prœliis Lacones incessebant, in fugam acti, ac in acclivibus concisi. At gravis eorum armatura, & cetrati magno numero in monte stantes instructi superne tela ac hastas in subjectos equites Lacones jaciebant, E non paucos etiam vulnerabant, equosque neci dabant. Verum cum in eos pedites gravis armaturæ se ingererent, & jam prope ad manus ventum esset, in fugam ipsi quoque sunt versi, cæsique eo die ex ipsis ad CCC. tropæum ab Agesilao erectum, mox totus ager hostilis ferro & flamma vastatus: oppida etiam quædam poscentibus Achæis, sed frustra tentata. Tum appetente jam autumno finibus hostium est egressus, nec exorari se ab Achæis sivit, ut tantisper maneret, donec sementem facere Acarnanes essent prohibiti. Respondebat enim orantibus, non expedire id, quod orarent. Nam in animo mihi est, inquiebat, anno sequente cum exercitu huc redire: F quam ob rem illi, quo majorem sementem fecerint, eo cupidius pacem expetent. Ita exercitu moto per Ætoliam iter fecit haud invitis Ætolis, qua alioqui via nulli patere poterat: sperabant quippe Ætoli ejus opera & ope Naupactum se recuperaturos. Demum Rhio in Antirrhium trajiciens per fretum venit in Peloponnesum, atque in patriam rediit. Hyeme vero exacta, uti Achæis promiserat, statim ineunte vere copias contra Acarnanas collegit. Quo cognito perculsi Acarnanes qui ob situm oppidorum suorum in regione mediterranea non minus corrumpendis segetibus, quam ponendis circum oppida castris hostilibus expugnari se posse censebant, legatos Lacedæmonem mittunt, pacemque cum Achæis, societatem armorum cum Lacedæmoniis paciscuntur. Hic finis rerum contra Acarnanas gestarum. Hoc bello defuncti Lacedæmonii, non satis tutum fore rati in Athenienses & Bœotos arma movere, relicta a tergo civitate Argiva tam magna & Lacedæmoni finitima, in hanc scribendas sibi esse copias statuunt. Quas cum sibi ducendas esse Agesipolis Rex intelligeret, inspectis & annuentibus extis, Olympiam contendit, quæsiturus Iovem, an fas sit, repudiatis induciis, quas offerebant, sed non sinceris animis, nec recto tempore, in ipso scilicet movendorum armorum momento, Argivi, bellum iis inferre. Et respondente Jove, fas esse, statim Delphos pergit ad consulendum Apollinem eadem de re, idemque illic responsum fert. Itaque inde Phliuntem profectus assumptis copiis, quæ ibi interea coactæ erant, per Nemeam in regionem hostilem irrumpit. Argivi impares se depellendo bello existimantes, caduceatores duos coronis redimitos more suo ad eum mittunt de induciis. Quibus rejectis, promotoque exercitu Agesipolis agrum omnem & ipsam urbem perturbatione replevit. Sed mox variis prodigiis ipse turbatus, quanquam audacter se inferret ad ipsa Argorum mœnia, & Agesilaum virtute & factis superare contenderet, maximisque detrimentis Argivos afficeret, coactus est re infecta exercitum rursus abducere. Atque hæc quidem terra gesta, ait *Xenophon*: nunc exponenda, quæ interea mari & maritimis in urbibus acta sunt majoris momenti, præteritis minoribus. Primum Pharnabazus & Conon, victis ad Cnidum prœlio navali Lacedæmoniis, navibus vecti ad insulas & urbes maritimas Harmostas Lacedæmonios ex iis ejiciebant, pollicebanturque nullas se arces ibi structuros, ac proprii juris se eas esse permissuros. Quibus vehementer delectati cives non solum ea laudabant, sed etiam hospitalia munera Pharnabazo mittebant. Atque hæc ex consilio fiebant Cononis. Is enim Pharnabazum monuerat, docueratque, si id consilii sequeretur, omnes civitates Græcas ipsius amicitiam esse amplexuras: sin secus ageret, & præ se ferret voluntatem redigendi eas in servitutem, singulas civitates sat virium habituras, ad negotium ipsi facessendum: quin etiam metuendum esse, civitates Græciæ se cum iis esse conjuncturas. Pharnabazus porro Ephesum profectus LX. [1] triremes Cononi tradidit, jussitque eum cum his ad Sestum sibi occurrere, quo ipse terrestri itinere, in provinciam scilicet suam, erat iturus. Etenim Dercyllidas vetus ejus inimicus, quo tempore ad Cnidum dimicatum fuit, Abydi erat commoratus, nec exemplo cæterorum Harmostarum ea excesserat, sed in potestate retentam conservaverat Lacedæmoniis: ad hæc oratione gravissima ad fidem in hac adversa fortuna, in qua potissimum spectari ea soleat, reipublicæ Laconicæ integram præstandam Abydenos exhortatus fuerat, effeceratque id, quod desiderabat. Itaque Abydum confluebant Harmostæ alii suis civitatibus ejecti, omnesque amicissime ibi excipiebantur: quinimo qui sponte non veniebant, ab Abydenis accersebantur. Inde Dercyllidas Sestum trajecit e regione in Europa sitam, non longius VIII. stadiis Abydo distantem, eamque etiam, & Harmostas ex oppidis Europæ profugos, ac quotquot beneficio Lacedæmoniorum in Cherroneso prædia possidebant, quos evocarat, ad similem fidei constantiam & in adversis magnanimitatem

cx-

1. Τετταράκοντα ait Xenophon, ut videatur voluisse XL. Neque Xenophon dicit Seston fuisse ejus provinciam, utpote Europæam.

A exsuscitabat. In hoc statu cum Sestum & Abydum Pharnabazus reperiret, denunciavit iis, nisi Lacedæmonios missos facerent, bellum se ipsis facturum. Cumque non parerent, Cononi præcepit, ut maris usu eos prohiberet: ipse Abydenorum regionem vastavit. Sed cum hoc modo nihil proficere se animadverteret, domum abiit, Cononi vero in mandatis dedit, ageret cum civitatibus Hellesponto proximis de classe quam posset fieri maxima in tempus vernum conficienda. Nam succensebat Lacedæmoniis ob vim ac injurias sibi illatas, nihilque magis desiderabat, quam invadere in eorum regionem, & vindictæ indulgere. Et his agendis rebus hyems exacta est. B Ἅμα δὲ τῷ ἔαρι magno navium numero armato & instructo, ac conducto insuper peregrino milite Pharnabazus, & cum eo Conon per medias insulas Medum [1], & ex Medo Lacedæmonem petiere. Et primum quidem Pheras delatus Pharnabazus agrum circumvicinum graviter afflixit: dein in alia quoque loca oræ maritimæ descendens iræ suæ ubique indulsit. Veritus autem sibi ab ora importuosa, & ab hostium concursu ad ferendam laborantibus opem, & frumenti penuria, ea ora quam primum relicta, in portum insulæ Cytheræ Phœnicunta cum classe transmisit. Civibus vero Cytheræ urbis metu violentæ expugnationis mœnia sua relinquentibus, eos sub pacto in Laconicam dimisit: C ipse mœnia urbis instauravit, & collocato illic præsidio Harmosten constituit Nicophœbum Atheniensem. His confectis ad Isthmum Corinthium navigavit: socios ad alacriter bellum gerendum & fidem partibus regiis servandam exhortatus, relicta iis pecunia omni, quam habebat, inde per mare domum repetiit. Apud hunc Conon, petito classis imperio, si id sibi daretur, professus est, ex insulis sese impendia in classiarios esse suffecturum, iturumque Athenas, & juncta cum Atheniensibus opera ac labore longos muros refecturum, ac simul murum quoque Piræum instauraturum: affirmavitque scire D se, una hac re nihil gravius accidere Lacedæmoniis posse: tum vero eadem opera Pharnabazum Atheniensibus auxilia esse præstiturum, & Lacedæmonios præclare ulturum: fructum quippe hisce multorum laborum sumptuumque momento esse periturum. Quibus auditis Pharnabazus prompta voluntate Cononem Athenas misit, & pecunia ad instaurandos muros juvit. Itaque hic domum veniens occepta re magnam muri partem restituit, atque in complementum operis impendia suffecit, fabrisque & cæmentariis mercedem solvit, denique quicquid præterea necessarium, præstitit. Quædam etiam muri Athenienses ipsi, & Bœoti, & civitates aliæ voluntariæ instaurarunt. At Corinthii E navibus ea pecunia, quam a Pharnabazo acceperant, instructis, & Agathino Navarcho iis designato in sinu intimo Achajam & Lechæum alluente, pelago potiti sunt. Contra hos Lacedæmonii quoque classem armarunt, Præfecto Polemarcho ei imposito: quo in conflictu interempto, ejusque legato etiam ex vulneribus mortuo, imperium classis ejusdem Herippidæ datum. Agathino Proænus Corinthius successit: hic Rhium cum reliquisset, id a Lacedæmoniis est occupatum. Post ad classem Laconicam Herippidæ successor missus Teleutias Agesilai Regis frater sinus Corinthiaci imperium recuperavit. F Lacedæmonii ad hæc certiores facti, Cononem muros Atheniensibus pecunia Regis reficere, & classem ejusdem impendio alentem insulas & continentis civitates iisdem Atheniensibus adjungere, putarunt, si de his Teribazum regium Ducem docerent, vel in suas partes se eum traducturos, vel effecturos, ne quid amplius ille in classem Cononis impenderet. Eo igitur decreto, Antalcidam mittunt ad Teribazum, tum ut hæc ei exponat, tum ut tentet, an pax civitati suæ cum Rege possit confici. Hoc autem sentientes Athenienses ad eundem legatos cum Conone etiam ipsi mittunt Dionem, Callisthenem, Callimedontem [2], simulque a sociis poscunt, ut & hi idem faciant: idque a Bœotis, Corinthiis, Argivis factum. Cum ad Teribazum ventum, Antalcidas in hanc sententiam ad eum est locutus: missum se ad pacem civitati suæ a Rege petendam, & quidem talem, qualem Rex cupiat: nam de civitatibus Græcis in Asia sitis Lacedæmonios cum Rege non contendere, sed contentos esse, si insulæ & reliquæ extra Asiam civitates liberæ, suique juris esse sinantur. Et his addidit, quæ ad persuadendum maxime facere videbantur. Placuere vero hæc vehementer Teribazo: parti adversæ haudquaquam. Nam Athenienses verebantur, si insulæ civitatesque liberæ, suique arbitrii esse permitterentur, ne Lemno, Imbro, Sciro sibi esset carendum. Thebani autem, ne cogerentur Bœotiæ urbes libertati restituere, metuebant. Argivi de Corintho conceptum desiderium sibi ponendum, si hujusmodi pactio ac fœdus fieret, arbitrabantur. Quapropter re infecta hi omnes domum rediere. Teribazus vero sine voluntate Regis se jungere Lacedæmoniis haud tutum quidem sibi rebatur: attamen occultò pecunias suggessit Antalcidæ ad armandam classem, ut hac ratione Athenienses eorumque socii pacis fierent cupidiores. Cononem quoque velut injuriosum in Regem, ac vere reum eorum, quæ de ipso Lacedæmonii detulerant, custodiæ tradidit. Tum statim ad Regem profectus est, expositurus ei a Lacedæmoniis proposita, & quid ac quare de Conone a se sit actum, deque his omnibus sententiam Regis quæsiturus. Cumque Teribazus ad Regem venisset, Rex Strutham in Asiam misit, rem maritimam curaturum, vehementer addictum Atheniensibus & eorum sociis: quippe qui meminisset, quantis malis affectæ essent regiones regiæ ab Agesilao. Lacedæmonii intellecto in se & Athenienses Struthæ animo, Thimbronem in Asiam emittunt ad bellum ei faciendum. Atque ita primum ex urbe Epheso & cæteris urbibus in campestribus Mæandri sitis, itemque ex Priene, Leucophrye, Achilleo excurrens res Regis fœde affligit ac diripit. Progressu temporis animadvertens Struthas, Thimbronem nullo ordine, nulla cura copias educere, equites in eum emittit, & per hos incurrentes ipsum primum, deinde Thersandrum tibicinem ipsi carum trucidat; reliquos in fugam agit, & fugientium tergis inhærens magnam eorum multitudinem concidit. Quidam in amicas urbes delati se servarunt: plures a tergo mansere, quod animadverterunt sero suppetias venturas. Venere circiter id tempus Lacedæmonem Rhodii quidam a populo in exilium acti, ostendentes indignum esse, Rhodum neglectam ab Atheniensibus occupari urbem tam potentem, tantasque vires iis accrescere. Ea monitione excitati Lacedæmonii, haud ignari, si populus rerum potiretur, totam civitatem Rhodum Atheniensium futuram: sin opulentiores, fore suam, instructas naves VIII. istuc ire jusserunt, iisque Præfectum dedere Ecdicum. Simul in iisdem navibus misere Diphridam cum mandato, ut in Asiam trajiceret, & urbes, quæ Thimbronem receperant, tueretur, utque collectis copiis e clade incolumibus, atque aliis, quantas posset, conscriptis bellum contra Strutham gereret. Paruit Diphridas, & inter alia a se gesta prospere, Tigranem Struthæ generum cum uxore Sardes euntem in itinere intercepit; & accepta ingenti pecuniæ vi e custodia eum dimisit, pecuniamque in solutionem stipendiorum militarium statim vertit. Erat enim hic vir Thimbrone non minus militibus gratus, & Dux

1. Μῆλον ait Xenophon, & ita hic bis corrigendum.

2. Et cur omittitur primus Xenophonti dictus Ἑρμογένην?

A ordinis multo observantior, & manu promptior vigilantiorque, ac voluptatibus corporis quam minimum indulgens, semperque cum studio id agens, quod agebat. Ecdicus vero Cnidum appulsus cum cognosceret populum Rhodi rerum potiri, & terra marique imperare, & classem habere duplo sua majorem, Cnidi quietem egit. Ea re moti Lacedæmonii, ut vires iis locis suas augerent, Teleutiam cum navibus XII. e sinu Corinthiaco evocatum ad Ecdicum se conferre, & eo dimisso, imperium sibi sumere, & Rhodiis partium Laconicarum studiosis auxilio esse ac inimicos premere præcepit. Qui cum in Samum venisset, aliquot ibi navibus auctus Cnidum petiit, dimissoque domum Ecdico ipse Rhodum contendit navibus instructus XXVII. B In hoc cursu incidit in Philocratem filium Ephialtæ Athenis cum navibus decem in Cyprum navigantem ad opem Euagoræ ferendam, atque hunc cum tota classe redegit in potestatem. Ita accidit, ut qui Persarum Regis hostis esset, clade afficeret eos, qui ad bellum gerendum contra eundem Regem proficiscebantur. Nam Euagoras Cyprius, cui Philocrates auxilium laturus erat, Persicis armis premebatur. Teleutias manubiis potitus ad eas divendendas Cnidum repetiit, & venditione ea peracta Rhodum rursum profectus amicis suppetias tulit. Verum Athenienses videntes Lacedæmonios mari rursum invalescere, Thrasybulum Styrensem C cum classe navium XL. contra eos emittunt. Is Athenis profectus Rhodo abstinuit, partim quod existimaret, haud facile sibi fore de amicis Lacedæmoniorum pœnas sumere, qui munitionem tenerent, & Teleutiam cum classe presentem haberent, partim, quod putaret, ne suarum quidem partium cives ab inimicis opprimi posse, qui & urbes possiderent, & numero multorum superarent & in pugna fuissent superiores. Cursum vero suum in Hellespontum cum vertisset, nec hostem illic ullum reperisset, aliud occepit, quod civitati suæ utilitatem allaturum ratus fuit. Nam bellum tum forte inter se gerentibus Amadoce Odyrsarum Rege, & Seuthe maritimæ Thraciæ Principe, eos D primum in concordiam redegit, & utrumque amicum ac socium Atheniensibus reddidit. Sic enim existimabat, civitates Græcas in Thracia sitas, hisce cum Atheniensibus amicitia junctis, magis in partes Atticas esse inclinaturas. His confectis, & urbibus Asiæ ob amicitiam Regis cum civitate sua sibi amicis, Byzantium navigans, decumanum vectigal e rebus ex Ponto devectis precio addixit, & rempublicam Byzantinam, quæ a paucis tenebatur, populo tradidit; eumque hac re majore gratia Atheniensibus devinxit. Cumque etiam Chalcedonenses sibi ac suis conciliasset; relicto Hellesponto E in Lesbum venit. Quam cum totam, sola excepta Mytilene, partibus Laconicis addictam comperiret, in nullam tamen civitatum quicquam molitus est, priusquam Mytilenæ e navibus suis delectos CCCC. & e civitatibus aliis profugos aut exules, qui illuc se receperant, in ordines militares descripsisset. Eo facto, & assumptis quoque Mytilenæorum validissimis quibusque animos omnium in spes maximas erexit, si modo ipsi conjunctis viribus & operis fortes ac strenuos in re gerenda se præstiterint. Mytilenæos totius insulæ principatum, exules optatum reditum in patriam, classiarios ingentia præmia & uberrimos fructus parata F victoria sperare jussit. Tum Methymnam primum duxit: cui Therimachus Harmostes Laconicus cum classiario, quem habebat, milite, & Methymnæis, & exulibus Mytilenæis ad fines ejus agri occurrit: & prœlio ibi commisso occubuit cum multis aliis: reliqui fuga saluti suæ consuluere. Exin urbium quædam ei deditæ, aliarum agri in prædam versi: ex præda militi stipendium solutum. Mox festino cursu Rhodus a victore Thrasybulo petita. Ubi ut similiter exercitus animos firmaret, cum ab aliis, tum etiam ab Aspendiis subvectus Eurymedontem fluvium pecuniam axegit. Verum cum soluta jam pecunia, militum ejus nonnulli nihilominus per agrum injuriosius agerent, efferati Aspendii per noctem irruentes ipsum Thrasybulum in tentorio ipsius interemerunt. Hic exitus fuit viri præstantissimi. Huic successor ab Atheniensibus missus Argyrius. Interea Lacedæmonii certiores facti de omnibus quæ a Thrasybulo Byzantii, Chalcedone, locisque vicinis erant acta, deque Pharnabazi & Atheniensium amicitia, nequaquam hæc sibi negligenda putarunt. Et quanquam de Dercyllida quod quererentur, non haberent, tamen Anaxibium ambientem, gratia Ephororum potissime nixum, Harmosten designatum Abydum miserunt, amplissima de se pollicitum, si modo classe & pecunia juvaretur. Datæ ei triremes tres, & stipendium constitutum in milites mille. Qui cum Abydum venisset, cum Pharnabazo arma leviter heic illic conseruit. Mox tribus navibus ad priores, quas secum abduxerat, Abydi additis, Athenienses eo mari utentes infestavit. Quapropter civitas Attica ad tuenda ea, quæ a Trasybulo erant constituta & acquisita, Iphicratem cum navibus VIII. & militibus cetratis MCC. domum tum forte ex bello Corinthio reversum, eo mittere. Is istuc profectus per emissos præcedens aliquandiu contra Anaxibium rem gessit. Deinde eundem securius iter facientem, dum Antandro ab se occupato Abydum contendit, insidiis exceptum, desperata salute fortiter pugnantem occidit, & cum eo præfectos urbium alios, qui istuc convenerant ad XII. Cæteros in fugam egit, nec paucos in fuga cecidit, in quibus L. Abydeni gravis armaturæ. Inde in Cherronesum se retulit.

XENOPHONTIS RERUM GRÆCARUM LIBER QUINTUS.

Hoc ipso tempore Eteonicus Lacon turbatis Atheniensium & Æginensium commerciis, quæ hactenus durarant, ex Ægina, ubi tum erat, probantibus etiam Ephoris, potestatem fecit cuivis, cui animus erat, prædas ex terra Attica agendi. Ita bello moto Athenienses vicissim copias gravis armaturæ Duce Pamphilo in Æginam mittunt, urbem terra marique obsident, ac muro cingunt. Hac fama excitus Teleutias, tum forte in insulis pecuniam colligens, cum classe sua in Æginam festinat, naves hostium X. numero urbem a mari prementes fugat: mox Hierace successore accepto, relicto militibus classiariis incredibili sui desiderio ac amore, ex Ægina in patriam discedit. Successor XII. tantum triremibus in Ægina relictis, cum cætera classe Rhodum ipse enavigat. Deinde Athenienses in obsidione ista magis jam pressi quam prementes jussu suorum mense post adventum quinto Æginam reliquerunt. Dehinc prædonum modo aliquandiu inter partes certatum: Hieraci Antalcidas a Lacedæmoniis in præfectura classis surrogatus, gratus Teribazo, isque Æginam statim, & inde assumpto comite Gorgopa Ephesum est profectus, Gorgopaque cum navibus X. Æginam remisso, legatum suum alterum Nicolochum cum classe reliqua ad opem Abydenis ferendam Hellespontum petere præcepit. Nicolochus ad Tenedum delatus agrum ejus totum depopulatus est, atque istinc cum præda Abydum porro se contulit. Eum autem Athenienses ex pro-

ximis insulis locisque maritimis, ut Tenediis auxilio essent, persequentes, cognito ejus abitu, ex Cherroneso in Asiam transvecti Abydo inclusum obsedere classem habentes navium XXXII. cum ille non plures quam XXV. naves haberet. Atque interim Gorgopas Ephesο Æginam repetens in Eunomum navibus Atticis præfectum incidit, eumque noctu se subducentem persecutus, in ipso littore Attico ad Zosterem promontorium, expugnatis quatuor ejus triremibus, reliquis fuga elapsis, cum captivis in Æginam se retulit. Sed hanc cladem suorum Chabrias in Cyprum ad ferendum Euagoræ auxilium cum valida militum manu iturus insigniore clade ei paulo post reposuit. Nam per noctis tenebras in litus Æginæ descendens, & partem militum loco idoneo abdens, Gorgopam cum classiario milite & Æginetis in se venientem, insidiis excepit, & cum iis, qui in primo agmine erant, repente obrutum interemit. Reliquos amisso Duce turbatos in fugam dedit. Ceciderunt ibi Æginetæ CL. ex aliis non pauciores CC. Ex hoc tempore Athenienses non secus ac si pax esset in ea vicinia libere mari usi sunt. Nam adversæ partis classiarii, quanquam cogere eos niteretur Eteonicus, conscendere naves, quia stipendium ipsis ab eo non solvebatur, nolebant. Quæ causa Lacedæmoniis fuit, ut rursum classi præfectum darent Teleutiam. Ejus vero adventu conspecto millites ingenti gaudio perfusi sunt. Quos ille ad concionem vocatos sic est affatus. *Ego quidem, milites, sine pecunia nunc ad vos venio: attamen, si volet Deus, & si vos promptos strenuosque vosmet præstiteritis, dabo operam, ut necessariorum nihil nobis desit. Hoc quidem scire volo, in votis mihi esse, ut, me hoc imperii in vos habente, non minus vobis, quam ipsi mihi vitæ necessaria suppetant. Et mirabimini forsan si dicam, malle me, vos potius quam me ista habere. Ego vero Deos testor, optare me, biduum potius sine cibo me esse, quam vos diem unum. Patuit antehac janua mea cuivis a me aliquid petenti: patebit eadem etiam nunc: adeo ut cum vos copia victus affluetis, tunc visuri sitis me quoque victu ut largiore. Verum si me frigus, calorem, vigilias perferentem conspicitis, arbitremini vobis eadem omnia esse perferenda. Nec enim horum quicquam vos facere jubeo, ut discruciemini, sed ut ex his boni aliquid ad vos redeat. Exemplo vobis sit, milites, civitas nostra, quæ ad hanc qua floret, felicitatem, non socordia, sed ex prompto studio obeundi labores & pericula, poscente re, pervenit. Vos quoque non nescio antehac viros egregios fuisse. Nunc vero conandum vobis, ut vosmet ipsos hac in parte superetis, ut libentes simul & labores obeamus, & gaudentes simul felicitate perfruamur. Quid enim jucundius ac felicius, quam non adulando cuiquam mortalium sive Græco sive Barbaro stipendium capere, sed sibi viribus suis id posse parare, & quidem inde, ut sit honestissimum. Credite vero mihi, ex hoste partam in bello rerum copiam non solum victum necessarium sufficere, sed gloriam quoque apud omnes homines egregiam conciliare.* Quæ cum dixisset, succlamatum ab omnibus, mandaret, quæ vellet, paratos habiturum ad mandata exequenda. Dein sacris forte peractis, rursus ait: agite vero milites, cœnate, uti habebatis in animo: tantum autem cibi præparatum habete in promptu, quanto opus erit in diem unum: post ad naves statim præsto este, ut, quo visum DEO, navigemus veniamusque in tempore. Cumque illi jam adessent, navesque ipso jubente conscendissent, per noctem cum iis portum Atheniensium petiit festinans lente XII. tantum triremibus instructus. Hoc vero ut facere auderet, cum sciret Atheniensibus multo plures esse naves, his rationibus movebatur: primum quod existimaret, interempto Gorgopa, Athenienses negligentius jam classem in portu habere: deinde ut

A etiam maximæ triremes aliquot in statione essent, nihilominus rebatur tutius pergi contra naves viginti, quæ essent Athenis, quam contra decem alibi: sciebat quippe, singulis in navibus peregre agentibus nautas cubare: quæ vero Athenis essent, earum præfectos dormire domi, nautas autem heic illic dispersos cubitum concedere. Cum jam quinque aut sex stadiis non longius a portu abesset, inhibito cursu paulisper quievit. Orto vero die præcedens progressus est, sequentibus cæteris: simul vetuit aut demergere aut violare naves onerarias, at triremes si quas deprehenderent, jussit ita mulctari, ut ad navigandum essent inutiles.

B Deinde & alia præcepta addidit: militesque naviter fecere, quæ præcipiebantur. Ita naves quædam onerariæ cum onere abductæ: ex navibus majoribus homines abstracti, triremes aliquot captivæ in Æginam missæ, alia fortiter facta. Quidam etiam Teleutianorum cæteris audaciores in Oigma [1], partem Piræi, ubi specimina mercium solent proponi, desilierunt, & negotiatores ac naucleros quosdam arreptos in naves suas abripuerunt.

Ex his haud parva perturbatio Athenis orta. Nam qui in urbe erant, cursu ex ea ferebantur, ut cognoscerent, quis iste clamor esset: qui extra eam agebant, alii domum ad capienda arma currebant, alii

C ad ea, quæ fama ferebat, nuncianda festinabant. Athenienses autem omnes ad ferenda auxilia se commovebant, pedites equitesque, non secus ac si Piræum hostis cepisset. At Teleutias navium aliqua parte cum triremibus captivis in Æginam remissa cum cæteris ipse litus Atticum legens cum portu exiisset, navigia complura tum piscatoria, tum ad trajiciendum ex insulis in continentem comparata, plena hominibus cepit. Ad Sunium vero vectus onerarias naves majoris generis partim frumento partim mercibus aliis onustas redegit in potestatem. Deinde repetita Ægina & manubiis ibi ven-

D ditis, stipendium menstruum præ manu [2] militibus dedit: rursumque huc illuc navigans, quicquid omnino poterat, diripuit: atque hoc modo agens tum alebat abunde classiarios, tum eosdem ad facienda imperata promptiores & alacriores reddebat. Interim cum Teribazo a Rege rediit Antalcidas, fœdus & societatem armorum cum eo pactus, si Athenienses & eorum socii pace uti nollent, quam ipse proponebat. Qui cum audiisset, Nicolochum Abydi obsideri ab Iphicrate & Diotimo, pedestri itinere istuc profectus, accepta inde classe, noctu in mare provectus rumorem sparsit, a Chalcedonensibus se accer-

E siri, sed delatus in Percopen ibi conquievit. Hac de re certiores facti quatuor navarchi partium Atticarum persequi eum qua Proconnesum itur, constituerant. At ille, cum jam hi prætervecti essent, converso cursu Abydum repetiit. Audierat enim cursum eodem tenere Polyxenum cum navibus Syracusanis & Italicis XX. quas jungere classi suæ cogitabat. Mox vero & Thrasybulus Atheniensis tribu Cotalytensis ex Thracia advenit habens secum naves VIII. ut se cum reliqua classe Attica conjungeret. Eas cum appropinquare ex speculatoribus cognovisset Antalcidas, naves celerrimas XII. quam ocyssime compleri milite classiario, & si quis deesset, ejus locum suppleri e navibus quæ ibibem relinque-

F bantur, jussit, atque eas quam occultissime in insidiis esse voluit. Cumque Atticæ jam præterveherentur, persequi has cœpit. Quod hæ videntes, fugæ statim se mandarunt. Sed celerrimæ Antalcideæ tardissimas Atticas ocyssime sunt assecutæ: præcepit autem celerrimis suis in fronte navigantibus Antalcidas ne invaderent hostium postremas, sed persequerentur antecedentes: quas cum cepissent, conspicatæ id posteriores, etiam ipsæ consternatæ

1. Voluit Digma, Δεῖγμα. 2. Προέδωκε.

a tardioribus Antalcideis captæ ſunt. Ita omnes illæ Atticæ in poteſtatem Laconicarum venerunt. Poſteaquam vero Syracuſanæ xx. & præter has quotquot Teribazo in Ionia parebant, ad Antalcidam perveniſſent, & his acceſſiſſent aliæ ab Ariobarzane, vetere ejus hoſpite inſtructæ, (Pharnabazus quippe a Rege vocatus jam in ſuperiorem Aſiam erat profectus, ubi & Regis filiam connubio ſibi junxit,) Antalcidas claſſem nunc habens navium amplius quam LXXX. totius maris imperio potiebatur: atque ita naves e Ponto Athenas petituras averſo curſu ad ſocios ſuos deflectere cogebat. Quocirca Athenienſes, quod hoſtes ſuos mari potentes eſſe cernerent, metuerentque ſimilem cum priori belli hujus exitum, præſertim Perſarum Rege jam Lacedæmoniis ſociato, & quod ex Aegina quoque a prædonibus infeſtarentur, pacis erant vehementer cupidi. Lacedæmonii vero, quia magno præſidio tenere Lechæum, nec minore etiam Orchomenum neceſſe habebant, item quia armato milite firmare urbes tum eas, quibus fidebant, ne ſibi perirent, tum cæteras, quibus non fidebant, ne ad hoſtes deficerent, cogebantur, & quia non levibus negotiis circa Corinthum etiam implicabantur, belli quoque jam pertæſi erant. Argivi autem gnari arma contra ſeſe jam decreta eſſe, ac ſolitos excuſationum prætextus parum ſibi profuturos, & ipſi ad pacem proclives ferebantur. Hinc factum, cum denunciaſſet Teribazus, ut qui vellent pacem admittere, quam Rex mitteret, præſentes ſe ſiſterent, ut omnes ad eum celeriter ſe conferrent. Quibus nunc præſentibus idem Teribazus monſtratis regiis ſigillis, quæ perſcripta erant, recitavit: quorum hæc erat ſententia. *Artaxerxes Rex juſtum eſſe cenſet, urbes, quæ in Aſia ſunt, ut & inſulas Clazomenas & Cyprum, ſui imperii eſſe: alias vero urbes Græcas tum parvas tum magnas* αὐτονόμυς, id eſt, *liberas relinqui, præterquam Lemnum, Imbrum, & Scirum: has enim, ceu fuere a priſco ævo, ſub imperio Athenienſium manere æquum judicat. Hanc vero pacem qui non recipient, eos ego cum cæteris, qui eandem amplectentur, bello ſum perſecuturus terra marique totis viribus.* Hæc audita legati civitatum domum profecti ſinguli ad ſuos retulerunt. Ac cæteri quidem omnes jurarunt hæc ſe ſervaturos. Thebani autem nomine omnium Bœotorum jusjurandum præſtare volebant. Ageſilaus vero contendebat, non eſſe juramenta admittenda, niſi ex formula a Rege perſcripta juraretur, ut tam parvæ quam magnæ civitates liberæ ſuique juris ſint. Ad quæ cum Thebani legati reſponderent, hoc ſe in mandatis non accepiſſe, rurſum Ageſilaus; ite igitur nunc, & hæc ad veſtros referte, ac ſimul nunciate, niſi hæc receperint, in fœdere locum ipſis non eſſe futurum. Iis digreſſis, Ageſilaus odio in Thebanos incitante nihil cunctatus, pertractis in ſententiam ſuam Ephoris rem divinam fecit, & annuentibus extis Tegeam contendit, atque inde ad finitimas urbes equitum nonnullos miſit, qui ad feſtinandum eas impellerent, itemque externorum militum ductores in urbes ſuas, qui idem facerent. Sed priuſquam moveret Tegea, adfuere rurſum Thebani, dixeruntque jam nunc ſe civitates Bœotiæ libertati ſuæ permittere. Quod & factum ſtatim, & Lacedæmonii confeſtim domum ſunt reverſi. At cum Corinthii adhuc præſidium Argivorum in urbe ſua retinerent, idem Ageſilaus & his & Argivis denunciavit, ni ſtatim hi præſidiarios dimitterent, illi vero eos inde revocarent, ſe utriſque bellum illaturum. Sic utriſque metu correptis Argivi Corintho educti, Corinthus ſibi ipſi relicta, auctores immanis cædis, & eorum adjutores peſſime ſibi conſcii Corintho ſponte egreſſi, exules priores a lubentibus civibus reliquis recepti. Quibus peractis, & jurejurando in conſervationem pacis regiæ a civitatibus dato, copiæ terreſtres navaleſque dimiſſæ: inter Lacedæmonios & Athenienſes eorumque ſocios poſt finitum prius illud bellum & muros Atticos dejectos pax prima hoc modo reſtituta. Lacedæmonii quanquam bello quoque iſto haud quaquam hoſtibus impares, tamen pace hac cui ab Antalcida nomen, haud paulo illuſtriores ſunt facti. Nam pacis hujus regiæ tutores, & patroni conſtituti, & civitates in libertatem aſſerentes, Corinthum in ſocietatem ſibi adſcivere, & Bœotiæ urbes imperio Thebanorum exemptas, id quod jam olim deſideratum ab his ipſis erat, prorſus liberas fecere, Argivos quoque Corintho abſtinere bellum comminati coegerunt.

Hoc rerum ſucceſſu freti, ut habet mos mortalium, longius etiam iverunt. Statuerunt etiam ex ſociis ſuis illos, qui bello huic operam impenderant, & hoſtibus quam Lacedæmoniis benigniores ſe præbuerant, caſtigare, atque eo redigere, ut diffidere deinceps neceſſum non haberent. Primum itaque Mantinæos, miſſis ad eos hominibus ſuis, juſſerunt murum urbis demoliri, dicentes ſine eo perſuaderi ibi non poſſe, cum hoſtibus eos non ſentiſſe. Animadvertiſſe enim ſe ajebant, frumentum ab iis ad Argivos, cum ipſi hos bello peterent, eſſe miſſum: induciarum etiam pretextu aliquando eos in bellum ſecum exire voluiſſe, & cum exiiſſent maxime, tamen rem ſegniter geſſiſſe. Ad hæc affimabant, non neſcire ſe, Lacedæmoniorum rebus proſperis eos invidere, adverſis lætari. Denique & hoc addebant, pacta ab ſe cum Mantinæis in annos xxx. olim poſt prœlium ad urbem eorum inita, hoc anno jam exiiſſe. Recuſantibus autem Mantinæis imperata facere, exercituque contra eos decreto, Ageſilaus Rex imperatorium munus eo in bello impenſe apud civitatem ſuam deprecatus eſt propterea, quod diceret, patrem olim ſuum prompta ac fida opera Mantinæorum bello Meſſenio eſſe uſum: tranſlatumque hoc munus in Regem alterum Ageſipolim, quanquam & parens ipſius Pauſanias primoribus populi Mantinæenſis peramicus quondam fuiſſet. Exercitu vero in fines eorum introducto, agroque evaſtato, cum ne ſic quidem ad diruendum murum induci Mantinæi poſſent, Ageſipolis foſſam cœpit circum urbem deprimere, media militum parte ante foſſores in ſtatione locata, reliquis in opere occupatis. Foſſa hac abſoluta, jam ſine periculo muros etiam ab exercitu per circuitum urbis excitatus. Verum cum Ageſipolis ob annonæ copiam, quam ex ubertate anni ſuperioris in urbe eſſe comperiebat, obſidionem diuturnam, & ſuis & ſociis moleſtam fore exiſtimaret, fluvium peramplum mediam urbem perlabentem tranſverſo aggere oppilatum obturavit. Quo facto reſtagnantes aquæ per urbem ſupra ædium ac muri fundamenta ſe extulere. Ita labefactatis operum imis partibus ſuperiores quoque initium fecere. Hinc murus rimis ſcindi primum, dein & in ruinam inclinari: Mantinæi vero tignis aliquandiu inclinantem fulcire, & machinis firmare, ne rueret. Sed ubi vi aquæ conatus ſuos ſuperari animadverterent, veriti ne muro ab omni parte prolapſo vi obruti mancipia hoſtium fierent, tandem in demolitionem muri conſenſere. Verum eo non contenti Lacedæmonii voluerunt inſuper in vicos diſpergi, ad eamque conditionem admittendam infelices Mantinæos tum adegererunt. Quæſtoribus autem urbis, & populi primoribus qui mortem metuebant, Ageſipolis a patre adhuc in exilio ſuperſtite exoratus vitam condonavit urbe diſcedere juſſis numero LX. Atque hi urbe exiere medii inter Lacedæmonios utrinque cum haſtis longo ordine perviam ante portas conſiſtentes: & quanquam valde exoſi

essent iis, inter quos progrediebantur, tamen nulla sunt injuria ab iis affecti: quod obsequii erga magistratum argumentum fuit evidentissimum. Tum murus urbis dirutus, & Mantinea in partes quatuor, ceu fuerat olim, dispersa.

Ac initio quidem peregre ferebant cives, quod ædes ipsi suas demoliri, novasque alias struere cogerentur. Verum cum plerique quibus opes ac possessiones erant, propius juxta fundos suos vicis vicinos habitarent, & statu Optimatum uterentur, atque a molestis factiosisque plebis ductoribus liberatos se sentirent, ultro etiam voluptate quadam ex iis, quæ evenerant, perfusi fuere. Misere vero ipsis Lacedæmonii non unum aliquem generatim, sed plures pro vicorum numero, cogendi milites curam habentes. Et ab hoc quidem tempore promptius vicatim cum Lacedæmoniis militarunt, quam dum in statu agerent populari. Atque hæc quidem cum Mantinæis acta: quæ merito homines alios faciunt prudentiores, ne per urbes suas flumina derivent. Hoc exemplo excitati Phliasiorum exules Lacedæmonem venere, atque ibi exposuere studia sua in rempublicam Lacedæmoniorum: nam quandiu ipsis patria frui licuerat, urbem semper Lacedæmoniis paruisse, & Phliasios signa Laconum prompte esse secutos: postea alia omnia accidisse; nec enim cives Laconum castra sequi voluisse, & solos pene omnium mortalium Lacedæmonios Phliunte fuisse exclusos. Qu bus auditis Ephori rem haud quaquam negligendam rati legatos Phliuntem miserunt, quorum hæc fuit oratio: exules Phliasios civitati Laconicæ amicos esse, eosque nullo merito exulare: petere igitur se, ut sponte potius in patriam redire, quam armata manu reduci eos paterentur. Phliasii arma Laconica metuentes, & multorum domesticorum hortatu & monitis stimulati (nam exulum cognati amicique plurimi in urbe erant: & accedebant, qui fere in urbibus plerisque reperiuntur, homines rerum novandarum cupidi,) pro recipiendis exulibus cum restitutione omnium facultatum decretum fecere. Sic exules gaudentes in patriam reversi. Hinc bellum in Thraciam translatum: cui occasio ab Olynthiis, & eorum sociis inter se tumultuantibus data. Venere namque Lacedæmonem eodem illo tempore Acanthiorum & Apolloniensium, quorum magnæ sunt in Thracia civitates, legati. Quos cum audiissent, & adventus caussam didicissent Ephori, concionem populi & sociorum iis dederunt. Ex his Cligenes Acanthius verba faciens, concioni ob oculos posuit perniciosa consilia & conatus, crescentemque potentiam Olynthiorum, sensim vicina omnia sub imperium suum trahentium: eos subactis minoribus oppidis proximis in civitates majores cœpisse jam manus injicere: multa Thraciæ, multa Macedoniæ nunc occupata tenere, Amyntam Macedonem toto pene regno paterno exuisse: jam Acanthiis & Apolloniensibus imminere: quibus oppressis, aut in societatem metu pertractis formidolosas eorum opes futuras: ac jam nunc consilia eos clam agitare cum Atheniensibus & Thebanis, quorum ipsi legatos domo discedentes reliquerint in Thracia, ac simul illic audiisse se, Olynthiorum legatos ad has civitates esse ituros. Videndum igitur Lacedæmoniis ac sociis, ne supra modum cum periculo totius liberæ Græciæ augeri vires Olynthiorum patiantur: posse adhuc eas facile reprimi in progressu, atque in ordinem cogi: ubi vero magis coaluerint, haud facile posse. Multaque alia in hanc rem locutus movit Lacedæmonios, ut quid faciendum videretur, statim socios præsentes consulerent. Hi magno numero bellum Olynthiis faciendum censuere, præsertim ii, qui gratificari Lacedæmoniis cupiebant: decretumque de decies mille militibus

A in utramque istarum urbium mittendis, jactati quoque atque admissi sermones, licere civitatibus volentibus pro milite pecuniam dare, triobolum scilicet Æginæum pro quolibet capite, pro equite vero quadruplum: si quæ civitates mittere in hanc expeditionem milites descriptos negligerent, fas fore, Lacedæmonios mulctam eas poscere, staterem in singula capita. Atque hæc omnia vehementer cæteroqui probantes ac laudantes Acanthii, ostenderunt ob tarditatem conficiendi totius exercitus perutile futurum, ut interea dum paratur integra expeditio, Dux aliquis cum præsidio qualicunque Laconico & sociali istuc mittatur: id facturum ad civitates

B nondum conjunctas cum Olynthiis confirmandas, & reliquas jam iisdem parentes segniores in præstando ipsis auxilio reddendas. Quo consilio probato Eudamidas a Lacedæmoniis Dux istuc missus cum militibus e novis civibus atque ex circumvicinis & Sciritis conscriptis ad duo millia. Is domo proficiscens ab Ephoris petiit, ut cum exercitu reliquo jam decreto frater Phœbidas submitteretur. Ipse vero in Thraciam cum pervenisset, civitatibus hoc petentibus præsidia misit: Potidæam autem societate cum Olynthiis jam junctam spontanea deditione cepit: atque inde progrediens bellum ita gessit, ut pro mo-

C do tenuium virium tunc poterat. Interea Phœbidas collectis jam copiis, quæ sequi Eudamidam debebant, iter cum iis ingressus cum Thebas pertigisset, extra urbem juxta gymnasium castra est metatus. Erant vero in factiones civiles inter se scissi Thebani, cum forte Polemarchi apud eos essent Ismenias & Leontiades, diversa sentientes, uterque factionis suæ Dux. Et Ismenias quidem ob odium, quod alebat contra Lacedæmonios, ad Phœbidam non accedebat: Leontiades vero omnibus officiis eum demerebatur. Cumque se in familiaritatem ejusce penitius insinuasset, his eum verbis est affatus. Potes tu hodierno die, Phœbida, quam

D maxime bene mereri de patria tua. Nam si me cum militibus gravis armaturæ secutus fueris, introducam te in urbis hujus arcem. Quod ubi factum, existima Thebas omnino in potestate Lacedæmoniorum, & nostrum, qui vobis amici sumus, esse futuras. Et nunc quidem, ut ipse vides, publico edicto vetitum est, ne quis Thebanorum tecum militatum eat contra Olynthios. Si vero tu adjutus a nobis hoc, quod dixi, perfeceris, mox haud parvas copias pedestres equestresque a nobis es habiturus. Ita fiet, ut valido cum exercitu fratri auxilio sis futurus, & interea dum ille Olynthum debellabit, tu Thebas sis occupaturus, urbem Olyntho

E longe majorem. Quibus auditis, Phœbidas animum statim erexit. Erat enim clari alicujus facinoris edendi quam vitæ cupidior, quamvis nec ingenii vi, nec prudentia multum valere crederetur. Deinde omnibus inter ipsos probe constitutis, cum senatus in fori porticu sederet, fœminis tum forte in arce Cerealia pro more celebrantibus, cumque maxima jam hominum in viis solitudo esset, æstivo tempore in ipso meridie, Leontidas equo vectus Phœbidam in procinctu jam agentem (sic enim convenerat) ab itinere avertit, & recta in arcem ducit. Quem cum istic cum militibus adjunctis stitisset, portarumque seras ei tradidisset, edixisset-

F que, ne quem nisi jubente ipso in arcem admitteret, confestim in senatum contendit. Et cum istuc venisset, in hanc sententiam locutus est. Ob arcem a Lacedæmoniis occupatam, nolite turbari, aut expavescere. Non enim adesse se dicunt animo in quenquam hostili, nisi quis ipsis hostis esse velit. Ego vero cum lex Polemarcho permittat comprehendere eum, qui digna morte committere videtur, Ismeniam hunc bellum molientem comprehendo. Vos igitur cohortium & inferiorum ordi-

num præfecti surgite, & prehensum ad locum vobis notum abducite. Atque ita ab iis, qui rei conscii erant, factum. Qui vero rem ignorabant, & factioni Leontidæ adversabantur, horum alii metu mortis statim ex urbe profugerunt, alii in ædes suas secontulere. Verum cum Ismeniam in arce Cadmea custodiæ traditum cognovere, quotquot ejus & Androclidæ partium erant, Athenas se receperunt, numero maxime CCCC. Tum Ismeniæ loco Polemarchus alius electus, & Leontiades Lacedæmonem profectus est. Quo loco hic Ephoros & plebem urbanam reperit graviter Phœbidæ succensere, quod injussu civitatis ista fecisset. Sed Agesilaus velut interponens sese, dicebat, pœna dignum Phœbidam videri, si quid reipublicæ Laconicæ noxium ab eo factum: at si quid factum utile, priscum in republica institutum esse, licere in talibus, quæ celeritate habent opus, etiam non exspectata reipublicæ auctoritate, confestim procedere. Considerandum heic igitur, quo loco habendum sit, in bono aut malo ponendum, quod a Phœbida gestum. Tum Leontiades in concionem progressus; An non ipsi, inquit, fatemini Lacedæmonii, Thebanos nostros inimico semper in vos animo fuisse, priusquam postrema hæc, de quibus jam quæritis, acciderunt? An non vidistis ubique hostibus vestris benignos, sociis & amicis malevolos ac inimicos se præstitisse? Atque hæc commemoratione multorum exemplorum verissima esse ostendit. Denique oratione sua effecit, ut a populo decerneretur, Cadmeam arcem a Phœbida occupatam in potestate retinendam, judicium in quo de causa Ismeniæ inquireretur, constituendum. Missi deinde judices ex Lacedæmoniis tres, ex singulis civitatibus sociis tam parvis quam magnis singuli. Qui cum Thebis in tribunalibus consedissent, accusatus apud eos Ismenias fuit de his criminibus: quod partibus barbarorum faveret: quod hospitii necessitudinem cum Persa, nullo bono Græciæ contractam haberet: quod pecuniæ regiæ ad corrumpendos urbium primores in Græciam missæ partem cepisset: quod ipse & Androclides turbarum omnium in Græcia motarum Principes fuissent. Respondit quidem ille ad singula, & ea diluit, sed efficere non potuit, quin magna & perniciosa tentasse crederetur. Quapropter judicum suffragiis damnatus, morte pœnam luit. A quo tempore res Thebana in potestate eorum, qui cum Leontiade faciebant, fuit, & ab his plura omnino in gratiam Lacedæmoniorum facta sunt, quam ab istis poscebatur. His rebus confectis Lacedæmonii multo alacrius in bellum contra Olynthios incubuere. Missusque illuc summus Dux Teleutias, & decretus jam ante decem millium militum numerus suppletus, ac per scytalas moniti socii, ut ex decreti prioris formula cum subsidiis Teleutiam sequerentur: sequutique eum libentes tum alii ob famam grati & benefici animi erga bene merentes, tum maxime Thebani, gratificari cupientes Agesilao Regis fratri. Teleutias autem iter ingressus sensim incedebat, ut copias majores in ipso itinere conficeret, & simul hoc operam dabat, ne socii ab se cum suis, qua ibat, ulla injuria afficerentur. Ad hæc Amyntam Macedonem præmonuit, ut & militem ipse conscriberet, & vicinos Reges pecunia inescatos in belli societatem pertraheret, si quidem recuperandi regni desiderio tangeretur. Derdam etiam Elimeæ Principem suscitavit, ut de tuendo principatu suo serio cogitaret: nec enim verisimile esse, Olynthios, qui Macedoniæ partem majorem subegerint, a minore manus temperaturos, nisi insolentiæ eorum iretur obviam. Inter hæc cum bene magno exercitu in regionem sociorum pervenit: ibique Potidæam ingressus ex ea in hosticum perrexit. Contendens vero ad ipsum belli caput Olynthum nec flamma nec ferro quicquam violavit, ne quid faceret, quod sibi ipsi in itu redituve incommodo posset esse: rectiusque facturum se putavit, si sternendarum arborum negotium in receptum suum reservaret ad morandos eos, qui se forte abscedentem essent a tergo pressuri. Et jam vix decem stadiis ab urbe aberat, cum gradu inhibito in armis constitit, ipse lævum agminis latus tenens, quod periculis erat proximum: in dextro phalanx sociorum constituta, & huic equitatus Laconicus, Thebanus, Macedonicus adjunctus: soli equites Derdæ circiter CCCC. cum ipso Derda in sinistro cornu a Teleutia, ut circum ipsum essent, retenti. Nam & Derdam colebat Teleutias, & equitibus ejus non parum tribueba: quod fortunæ totius exercitus bene cessit. Nam Olynthiis urbe egressis, & acie sub mœnibus structa, equites eorum globo facto in equitatum Laconicum, & Bœoticum impetum dedere, & Polycharmo præfecto Laconico ex equo in terram deturbato, graviterque vulnerato, aliis etiam nonnullis circum eum occisis, totum illum equitatum consternatum in fugam conjecere. Cum equitatu laborare cœpit pars peditum proxima. Erat res in periculo, ut universus ille exercitus pessum iret, nisi Derdæ singularis virtus obstitisset. Is enim cum equitatu suo, eo momento recta ad portam urbis festino cursu contendit, eumque Teleutias pone cum agmine suo secutus est. Quod conspicati equites Olynthii, veriti ne ab urbe intercluderentur, agmine verso quanta potuere celeritate ad suos se receperunt. In quo receptu multi a Derda, dum ipsum prætereunt, sunt interempti. Peditatus quoque Olynthiorum raptim ac tumultuarie in urbem pedem tunc retulit. Teleutias hac victoria potitus tropæum excitavit, & abscedens inde arbores per vias excidit. Et quia æstas his rebus gerendis jam exierat, copias Macedonicas & Derdæ dimisit. Per hyemem sequentem Olynthii excursionibus hostes suos vicinos prædando cædendoque afflixerunt. Cum veris initio eorundem Olynthiorum equites DC. in Apolloniensium agrum incursione facta circiter meridiem populationibus omnia fœdabant. Verum Derdas, qui forte eodem illo die Apolloniam cum equitibus suis venerat, prandio ibi sumpto armatisque equitibus, sed usque ad signum a se datum quiescere jussis, cum viderat populatores jam securius in suburbium usque, atque adeo ad ipsas portas se inferre, emisso repente equitatu in fugam eos dedit, & tergis eorum inhærens, ultimosque perpetuo cædens per stadia XC. ad mœnia urbis Olynthi est persecutus. Creditum est, non pauciores LXXX. in ea fuga equites a Derda cæsos fuisse. Ab hoc tempore parcius excurrerunt Olynthii, & agri pauxillum circum urbem coluere. Postea vero cum Teleutias rursum cum exercitu ad urbem eandem accederet, & omnia circum circa vastaret, equites Olynthii rursus urbe egressi, ac sine strepitu progressi, trajecto amne juxta urbem labente, servato silentio in hostes ibant. Quos ut vidit Teleutias, indigne admodum ferens eorum audaciam, sine mora Tlemonidam cum cetratis, quibus præerat, in eos citato cursu immisit. Illi vero velut sibi timentes placido gradu pedem retulere, & amnem rursum transiere. Quos cetrati avidius secuti trajecto etiam amne velut fugientes pressere. Sed Olynthii vertentes se impetu in eos dato, quos superare se jam posse rebantur, Tlemonidam ipsum cum multis aliis haud paucioribus quam C. trucidarunt. Quo viso Teleutias ira incensus correptis armis cum gravi armatura in hostes contendit, & jussit omnes cum cetratis & equitatu eos pariter invadere, nec usquam gradum remittere. Atque ita factum, sed infelici admodum eventu. Nam & inordinate ad

muros usque urbis Olynthios se recipientes persecuti sunt, & cum recederent, ex turribus defensorum telis petiti confuso agmine pedem retulere. Eo animadverso Olynthii primum equites suos, dein & cetratos in eos emisere: demum omnes gravis armaturæ secuti in phalangem se incitarunt. In eo conflictu Teleutias Dux fortiter pugnans occubuit, & proximi quique circum eum loco cedentes cæteros quoque secum in fugam traxere, ut jam pugnandi causa resisteret nemo: atque alii quidem Spartolum, alii Acanthum, quidam Apolloniam, nonnulli Potid eam fugientes contenderint. Olynthii vero omnium tergis per diversas vias inhærentes magnum eorum numerum, ipsumque adeo robur tanti exercitus conciderunt. *Hujusmodi cladibus*, inquit Xenophon, *erudiri homines existimo, ut sciant, ne in servos quidem per iram animadvertendum esse. Sæpe enim fit, ut irati domini, dum animadvertunt, plus sibi noceant, quam aliis. In hostes non ratione & consilio, sed ira ferri, nil nisi peccatum est censendum. Ira enim temeraria & cæca est: at ratio non minus ne sibi noceat quam quomodo hosti cladem inferat, considerat.* Lacedæmonii hac clade suorum cognita, e vestigio majoribus viribus rem illic agendam, & ad prolapsam fortunam instaurandam, & elatos hostium animos deprimendos esse censuerunt. Statimque Agesipolim Regem belli Ducem creatum istuc mittunt, & cum eo, sicut prius cum Agesilao in Asiam eunte, triginta Spartiatas. Sequebantur vero ipsum voluntarii multi e proxima urbis vicinia, viri virtute præstantes, multi e peregrinis. quos alumnos nuncupant, nec pauci e spuriis Spartanis, nec indole degeneribus nec institutorum civitatis ignaris. Et præter hos ei se sponte jungebant cum alii ex sociis civitatibus, tum equites Thessali, innotescere Regi cupientes. Quin & Amyntas & Derdas multo promptius quam ante in eam expeditionem ibant. Dum his occupabatur Olynthum proficiscens Agesipolis, freti absentia ejus Phliasii, haud arbitrati alterum etiam Regem belli causa urbe exiturum, multa insolenter & inique contra exules nuper in civitatem rursum admissos agebant. Quo fiebat, ut hi Lacedæmonem profecti de injuriis quererentur, & his quidam e numero cæterorum civium meliorum, qui eos comitati erant, suffragabantur. Qua re offensi Phliasii, eos qui injussu civitatis Lacedæmonem ivissent, mulctæ subjecere, mulctatique Lacedæmone mansere, crimina criminibus in Phliasios suos apud Lacedæmonios cumulantes. Demum Ephori arma in Phliasios resumenda censuerunt, non adversante Agesilao: quippe qui hospitii jure cum plerisque exulibus erat conjunctus. In hos igitur exercitum educens Agesilaus, cum ei variæ legationes occurrerent, deprecantes bellum, & ad omnia æqua prolixe verbis se offerentes, verbis sibi satisfieri ab iis, qui verba ante dedissent, non posse, sed opus esse fidei firmamento alio respondit, & id quid esset Phliasiis percunctantibus, arcem civitatis sibi tradi postulavit. Quo a Phliasiis recusato urbem eorum obsedit, & non solum vi sed etiam ingenio eos oppugnavit: cum interea Agesipolis penetrata Macedonia Olynthum cum exercitu pervenit, & ad ipsam urbem excurrens cum nemo prodiret, agrum ejus, & eorum qui cum ipsis faciebant, late vastavit, segetes protrivit, Toronem Olynthiorum sociam admoto exercitu vi cepit. Erat vero cum hæc gereret, æstas media, per cujus calorem morbo fervente correptus die septimo ab ejus initio juxta fanum Bacchi, cujus desiderio tenebatur, vitam finiit: corpusque ejus melle delibutum, domumque relatum regio sepulchro conditum est. Hujus mortem quanquam æmuli sui graviter tulit, & lachrymis

A prosecutus est Agesilaus, eodem contubernio domi, ut mos est Regum Spartæ, diu & familiariter usus. In defuncti locum Dux belli Olynthiaci missus fuit Polybiades. At Agesilaus adhuc in obsidione Phliuntis hærebat, diutiusque ea, quam ipse opinatus erat, trahebatur, pertinacibus Phliasiis a parco victu ex decreto magistratus contra famem ab Agesilao exspectatam remedium mutuantibus. Quippe soliti cibi dimidium edicente magistratu jam per multum temporis tantum sumpserant. Et accedebat pervicax animus Delphionis illustri loco inter Phliasios nati audacia pollentis, qui B adjunctis sibi trecentis ejusdem ingenii viris pacis consciscendæ nullam mentionem ferre poterat, & eos, qui pacificationi studebant, in vincula conjiciebat. Tandem vero omnibus absumptis fame domiti obsessi inducias ab Agesilao petierunt, per quas mittere legatos Lacedæmonem ad agendum cum Magistratu de deditionis conditionibus tuto possent. Agesilaus indigne ferens se in ista re præteriri & contemni, præmissis domum hominibus suis studio amicorum suorum effecit, ut sibi a Republica causa Phliasiorum permitteretur. Itaque legati Phliunte venientes Lacedæmone ad ipsum missi sunt. C Ipse sic statuit, ex exulibus L. & totidem ex reliquis esse deligendos, & primum his judicium permittendum de civibus, ut statuerent, quos vivere in civite, quos morte plecti æquum esset: deinde potestatem iisdem illis tribuendam scribendi leges, secundum quas civitas Phliasia deinceps regeretur. Atque hæc dum fierent constituerenturque ab illis, præsidium in urbe ab Agesilao relictum, totique huic negocio Phliasio menses xx. sunt impensi. Interea & Polybiades Olynthios fame fractos, ad quos jam nec terra nec mari quicquam importari poterat, istuc compulit, ut legatis cum plenissima potestate D Lacedæmonem missis pacem & fœdus peterent. Fœdus cum pace tributum iis est his conditionibus, ut eosdem hostes & amicos cum Lacedæmoniis haberent, horum signa, quocunque ducerent, sequerentur, essentque eorum socii. Atque hæc jurejurando legatorum firmata fuere. Hoc modo rebus omnibus e voto fluentibus videbantur Lacedæmonii imperium suum omni a parte probe firmiterque stabilitum habere. Sed aliud eventus, qui est secutus, docuit. Nam, ait *Xenophon*, quemadmodum multa ex Historia Græca & Barbarica commemorari possunt, quæ ostendunt, quod Dii non negligant eos, qui impia ac nefaria patrant, ita evidens E hujus rei exemplum propositum est in hac parte rerum Laconicarum, de qua jam agimus. Lacedæmonii enim qui juraverant, *αὐτονομίαν* se relicturos esse civitatibus & tamen Thebanam arcem in potestate sua retinebant, ab iis solis, quos injuria affecerant, haud levi pœna correpti sunt, cum ante id tempus a nemine mortalium fuissent victi. Ii vero e civium Thebanorum numero, qui Lacedæmonios in arcem duxerant, & civitatem suam in servitutem iisdem tradiderant, in eum finem, ut ipsi per eos rerum in patria potirentur, a solis exulibus septem sunt oppressi. Ea autem acciderunt hoc modo. Erat quidam Phyllidas, Archiæ & collegatum ejus F Polemarchorum scriba, in munere suo uti credebatur, fidus & gravis. Hic cum forte negocii alicujus causa Athenas venisset, incidit in colloquium cum Mellone exule Thebano ibidem tum agente, cui jam ante notus fuerat. A quo interrogatus de tyrannide, quam tum Archias & Philippus Polemarchi exercebant, cùm ita respondisset, ut satis significaret sibi non minus quam Melloni istum statum patriæ displicere, fide mutua data inter eosdem illos duos convenit, quid & quomodo restituendis rebus facto foret opus. Deinde Mello assumptis ex omni exulum numero sex ad hanc rem maxime idoneis,

cum iisdem cætera inermibus solas secum sicas ferentibus noctu in agrum Thebanum se intulit, ac die sequenti loco deserto aliquandiu moratus, sera vespera, cum operarii ex agro solent reverti, ad portas urbis pervenit, & urbem ingressus cum iisdem illis noctem diemque proximum clam apud Charonem quendam egit. At vero Phyllidas tum alia pro Polemarchis curabat, qui magistratu decessuri festum Veneris celebrabant, tum fœminas, quas jam dudum pollicitus erat, omnium Thebanarum splendidissimas & pulcherrimas se iis adducturum affirmabat. Polemarchi vero (erant enim homines tales) in expectatione erant noctis ejus jucundissime transigendæ. Cumque cœnam sumpsissent, & incitante Phyllida, vino se ingurgitassent, monuerunt Phyllidam, ut fœminas introduceret; ille egressus Mellonem sociosque adduxit, tres habitu dominarum, reliquos famularum indutos. Mox his expectare in conclavi Polemarchorum jussis, ipse ad Archiam & collegas ejus ingressus ostendit, ingredi fœminas ad eos nolle, nisi ministri omnes submoveantur. Ita ministris amandatis, & vino iis abunde, loco semoto, a Phyllida procurato, illi velut scorta introducti, singuli juxta singulos Polemarchos collocati: & ab his uti convenerat, rejecto muliebri velamine, Polemarchi ferro statim trajecti. Sic res gesta, ait *Xenophon*, memoratur a nonnullis. Alii, ait idem, narrant, Mellonem ac socios, ut comessatores ingressos, cædem Polemarchorum patrasse. At Phyllidas assumptis secum tribus ex eorundem numero ad ædes Leontiadæ perrexit, & pulsatis foribus esse quod jussu Polemarchorum ipsi exponendum haberet, significavit. Cubabat tum forte adhuc a cœna seorsim Leontiades, eique uxor lanificio operam dans assidebat. Ad quam cum Phyllidas, quippe qui fidus esse existimabatur, ingredi jussus esset, cæteri cum eo ingressi cubantem trucidarunt, uxorem vero metu conterritam silere coegerunt. Dein egressi fores occludi jusserunt, cum comminatione hac, si eas apertas reperirent, se omnes qui in ædibus essent, interempturos. Post quæ Phyllidas cum duobus ad carcerem contendit, carcerisque custodi persuasit, a Polemarcho se aliquem adducere carceri includendum. Is vero cum carceris fores aperuisset, mox neci datus est, & vincti omnes emissi, armisque e porticu detractis instructi, atque ad Ampheium deducti, ibique ulteriora mandata operiri jussi sunt. Mox per præconem equites omnes Thebani & gravis armaturæ pedites in publicum evocati, cum significatione tyrannos jam peremptos esse. Sed cives fidem his non habentes, quamdiu nox erat, quiescebant: orta autem luce cum jam oculis subjecta res gesta esset, prodiere omnes ad opem ferendam. Missi quoque equites ab exulibus reversis ad eos, qui in confinibus terræ Atticæ hærebant, & ad duos Atheniensium strategos: qui gnari negotii ob quod accersebantur, istuc se contulere. At Harmostes Laconicus, qui in arce erat, nocturno præconio cognito, statim Platæas & Thespias auxilia evocatum misit. Platæensibus accurrentibus occurrere equites Thebani, & plures eorum quam XX. occiderunt, reversique Thebas, adjunctis quoque sibi Atheniensibus qui jam e finibus advenerant, in arcem vim verterunt. Præsidiarii arcis pauci numero animadversa omnium oppugnantium egregia alacritate, quam augebant præmia proposita iis, qui primi in arcem essent conscensuri, metu consternati significarunt, arce se cessuros, si sine periculo armatis sibi abscedere liceret. Qua re a libentibus Thebanis sub publica fide impetrata abiere. Sed his immixti ex hostium numero, qui cogniti fuere, comprehensi nece pœnas luerunt: nonnulli tamen eorum ab Atheniensibus furtim subducti incolumes evaserunt. Thebani vero asperius agentes, etiam interfectorum liberos, quos nancisci potuere, neci dederunt. Omnibus his Lacedæmonem enunciatis, cum istuc Harmostes, qui non expectato subsidio præpropere arcem reliquerat, venisset, capitis damnatus morte pœnam luit. Nec mora, exercitus contra Thebanos scriptus. Agesilaus militiæ Dux designatus, excusatione ætatis usus, quod se pubertatem annis LX. excessisse diceret, quæ ætas immunitatem militandi extra patriam habere solet, domi manendi copiam impetravit. Nec tamen hæc vera ei causa erat, quam prætexebat, cur domi manere cuperet. Nam si imperium militare in se reciperet, non nesciebat jactaturos esse cives, opis tyrannis ferendæ ergo Agesilaum civitati negotium facessere. Voluit igitur arbitrio eorum libero hoc relinquere.

At Ephori ab exulibus Thebanis, qui post cædes profugerant, stimulati Cleombrotum Regem alterum emittunt, tum primum munus Imperatoris obiturum, hyeme jam ingravescente. Qui quia via Eleutherensis a Chabria Atheniensi cum cetratis erat infessa, via altera Platæas ducente ascendit: in quo itinere cetrati reliquum agmen antecedentes in montis jugo Thebanos illos, qui a Phyllida e carcere fuerant dimissi, atque ibi excubias agebant numero circiter CL. occidione occidunt. Ipse vero Cleombrotus Platæas, tum temporis adhuc amicas Lacedæmoniis, descendit, atque inde Thespias pergit. Thespiis porro ad Cynoscephalas Thebanis parentes progressus, illic castra locat, ibidemque dies XVI. moratus Thespias revertitur. Heic Sphodriam Harmosten cum tertia sociorum quorumvis parte relinquit, eique pecunias domo secum allatas tradit, & ut stipendio militem conducat, præcipit. Quod dum hic facere occipit, Cleombrotus via, qua Creusim itur, militem suum domum reducit, dubitantem bellumne an pax cum Thebanis esset: adeo parum detrimenti agro illorum fuerat illatum. In ipso autem discessu ex hostico ventus extitit vehementissimus, quem futuri aliquid portendere plerique ominabantur: cujus tanta vis fuit, ut ex montis summitate, qui mari imminebat, asinos non paucos cum sarcinis in præceps egerit, armaque in sublime sublata in mare detulerit, ac milites progredi cum armis haud valentes ab utraque verticis parte scuta sua supina lapidibus repleta relinquere coegerit. Et tum quidem Aegesthenis, oppido agri Megarici, milites cœnati sunt, ut potuerunt: postridie vero istuc reversi arma sua sustulerunt: ac deinde dimissi a Cleombroto domum quisque suam abierunt. Hac expeditione Laconum adeo consternati sunt Athenienses a viribus eorum sibi metuentes, ut strategos illos duos, qui conspirationi Mellonianæ contra Leontiadem se miscuerant, in judicium vocatos, alterum damnatum neci dederint, alterum judicium declinantem exilio mulctarint. Thebani vero sibi quoque metuentes, si soli contra Lacedæmonios belli molem sustinere cogerentur, astu quodam Athenienses in belli societatem pertraxere. Nam Sphodriæ, qui Harmostes Thespiis præsidebat, pecunia, uti tum suspicio erat, corrupto persuasere, ut in terram Atticam invaderet, atque ita Athenienses ad arma in Lacedæmonios sumenda incenderet. Quod ille facturus milites suos præmature cœnatos Thespiis eduxit, velut Piræum nullis tum adhuc portis clausum occupaturus, verbis præ se ferens, per noctem confecto itinere ante lucem se rem expediturum. Sed vix ad Thria pervenerat, cum dies est ortus, consiliumque ejus patefactum: in receptu hostilia patrata. Hujus rei nuncii cum Athenas advolassent, & affirmarent magnum exercitum adventare, Athenienses subito correptis armis tum equi-

equites tum pedites ad tuendam urbem se expedivere. Quo eodem tempore cum tres Lacedæmoniorum legati, Calliæ hospites, in urbe præsentes forte essent, velut consilii hujus conscii in custodiam sunt conjecti. Sed audita ipsorum defensione, & fiducia perspecta rursum sunt dimissi. Et ut hi futurum sine dubio prædixerant, Sphodrias confestim ad dicendam capitis causam domum ab Ephoris fuit revocatus. Verum accidit hac in re, quod multi non immerito sunt admirati. Nam vocatus ille haud abs re sibi metuens non paruit Ephoris, & tamen absens est absolutus, judicio sane, ut creditum fuit, injustissimo, & republica illa perindigno. Quod quomodo acciderit prolixe exponit *Xenophon*, non sine aliqua Agesilai, cæteroqui Regis longe optimi, nota. Nam, post bis terve rejectam Archidami filii pro Sphodria intercessionem, in gratiam Cleonymi amasii sui Sphodria nati, pro reo verecunde laborantis, ostendit tandem expugnatum censuisse, rectius fortem atque utilem militem patriæ conservari quam pudendi criminis manifestum tolli e medio. Hac re aspere graviterque traducta apud Athenienses, animi eorum ad sumenda alacrius arma in Lacedæmonios, & opem ferendam Bœotis exarsere: simulque festino opere Piræum portis clausere. At Lacedæmonii novis delectibus institutis Agesilaum rogatum exoratumque pro Cleombroto bello gerendo præficiunt. Is conciliatis sibi Cletoriis, qui tum in armis contra Orchomenios erant, & Orchomeniis a vi Cletoriis interim inferenda absterritis, per militem Cletoriorum montem Bœotiæ Cithæronem repente occupat, quod sine eo non facile in agrum Thebanum irruptionem fieri posse arbitraretur. Eo facto ipse per eundem Cithæronem cum exercitu suo Thespias pervenit, atque inde porro in fines Thebanos progreditur. Illic cum loca plana & alia præcipui momenti vallo fossaque præcincta reperisset, hic istic castra metatus ex iis regionem extra fossam vallumque sitam vastat: intra vallum objicientibus se hostibus penetrare non poterat. Quinimo dum se a vallo recipit, per valli tramites quosdam erumpentibus equitibus Thebanis, a tergo graviter interdum est pressus, & ad ipsa castra nonnunquam, cum minime expectaretur, excursiones & cædes tumultuariæ factæ. Eam ignominiam vindicaturus Agesilaus prima luce armatis, & quanta poterat celeritate eductis suis, valli partem maxime desertam perrumpit, omniaque intra vallum ad usque urbem Thebanam ferro & flamma vastat. Tum Thespias cum exercitu reversus oppidum hoc muro cingit, & Phœbida Harmoste ibi relicto, ipse Megara porro profectus socios dimittit, Lacones suos domum secum reducit. Ex eo tempore Phœbidas prædatorias manus emittens Thebanorum res agebat, ferebat, excursionibus assiduis agrum eorum miserrime affligebat. Id vero ulcisci volentes Thebani toto populo armato in agrum Thespiensium se inferunt. Quibus in eum jam ingressis Phœbidas cum cetratis suis occurrens ita incubuit, ut hos tamen a phalange longius discedere ac dispergi minime pateretur. Qua ratione factum, ut Thebani velut pœnitudine expeditionis hujus tacti maturius se reciperent; ac muliones quoque, abjectis, quas collegerant frugibus, domum properarent. Tantus exercitum terror tunc invasit. Phœbidas autem abeuntium tergis inhærebat audacter stipatus cetratis suis, agmine gravis armaturæ ordinatim subsequi jusso. Sperabat enim hostes se in hoc receptu dissipaturum, fretus viribus suis præsentibus ac Thespiensium robore, quos etiam sequi præceperat. At equites Thebani pedem referentes cum ad saltum invium delati essent, primum collegere sese, deinde & in hostem verterunt, quod transitus copia desti-

A tui se viderent. Tum Phœbidæ cetrati primi, diffisi paucitati suæ, ac metu correpti in fugam se conjecere: equites id conspicati, & quid rei esset, a fugientibus edocti, & ipsi quoque animis conciderunt. Ibi Phœbidas cum duobus aut tribus in hostem secum dimicantibus occubuit. Tum vero Duce amisso universi mercenarii milites fugæ se mandarunt. Et hi fugiendo in Thespienses gravis armaturæ cum incurrissent, istos quoque in eandem fugam traxere, quanquam antea magnis animis non cessuros se Thebanis sibimet persuasissent, nec quisquam fere jam esset, qui eos persequeretur: erat enim serum diei. Cecide-
B runtque eorum pauci, nec tamen prius fugam inhibuere, quam intra muros urbis suæ devenissent. Hinc res Thebanæ jam cœperunt reviviscere, ipsique Thebani in Thespienses, & urbes finitimas arma rursum moverunt, passimque ex bis frequens populus Thebas se contulit. Quippe in omnibus his dynastiæ a Lacedæmoniis fuerant constitutæ, perinde ac ipsa urbe Thebana. Quamobrem, qui in iis cum Lacedæmoniis faciebant, opem eorum implorare cogebantur. Et jam a Phœbidæ morte Lacedæmonii, misso istuc per mare cum valida militum cohorte Polemarcho, Thespias præ-
C sidio adhuc tenebant. At vere ingruente, rursum expeditio in Thebanos ab Ephoris decreta, ac Agesilaus denuo exoratus imperium militiæ in se recepit. Is vero etiam ante exta pro more consulta, confestim ad Polemarchum Thespiis agentem mittens occupari verticem viæ, quæ per Cithæronem ducit, imminentem, & in adventum suum præsidio teneri præcepit. Et cum eum jam ipse superasset, Platæas accedens, simulabat, Thespias statim se rediturum. Nam & forum illic parari, & legatos ibidem sese præstolari jubebat. Qua re moti Thebani tramitem Thespias ferentem validis copiis insederunt. At Agesilaus alia omnia cogitans, po-
D stridie cum prima luce sacris operatus, Erythram profectus est, tanta usus celeritate ut bidui iter die uno conficeret, & vallum id, quod ad Scolam est, prius superaret, quam ab eo loco, quo ante transierat, Thebani advenissent. Quo confecto cuncta ab urbe Thebana ad orientem porrecta depopulatus est usque ad confinia Tanagræorum. (Nam Tanagram tum adhuc Hypatodorus cum factione sua Lacedæmoniis amica tenebat.) Inde vero discedens murum urbis ad sinistram reliquit. Thebani autem supervenientes ad Vetulæ pectus (loco hoc nomen) aciem ei opponebant, ubi vallum
E fossamque a tergo habebant, recte facturos se existimantes, si eo loci discrimen prœlii subirent. Erat enim locus angustus atque aditu difficilis. Quo animadverso Agesilaus istuc exercitum non duxit, sed verso agmine ad ipsam urbem Thebas contendit. Thebani vero urbi suæ præsidio destitutæ timentes, relicto loco, quem insederant, via Potniensi, quæ tutior erat, cursu ad urbem ferebantur: Et tamen a Polemarchis nonnullis cum validis cohortibus dum prætervehentur, infestabantur: contraque Thebani in hos ex collibus hastas vibrabant, & Alypetum e Polemarchorum numero hasta trajectum occidebant: quamvis colles eosdem
F fuga desertos relinquere sint coacti. In eos vero Sciritæ cum equitibus quibusdam ex exercitu Laconico conscendentes extremos Thebanorum ad urbem properantium cædebant. Ubi autem ad urbis suæ mœnia appropinquassent Thebani, in hostem se verterunt, Sciritasque retrocedere properantius quam gradatim compulerunt. Et quamvis e Sciritis neminem interemissent, tamen ob eos recipere se coactos tropæum illo loco statuerunt. Agesilaus ob inclinantem diem, abducto inde exercitu, eo loco castra metatus est, quem pau-

lo ante hostes insederant, postridieque Thespias ire perrexit, in quo itu cetrati Thebanis militantes eum insecuti contracto cum equitibus Olynthiis certamine non parvam cladem accepere. Cum ventum Thespias esset, Agesilaus Thespienses inter se graviter dissidentes, citra sanguinem reconciliavit, & mutuum sibi sacramentum dicere coegit. Tum itinere per Cithæronem Megara repetiit, ibique sociis rursum dimissis, ipse cum copiis urbanis domum est profectus. Thebani eo tempore quod ex agro suo fruges non percepissent, frumenti inopia laborantes ejus parandi causa triremes duas Pegasas misere: Id cognoscens Alcetas Lacedæmonius Oreum præsidio tenens summo silentio, dum frumento emendo occupati Thebani sunt, tres triremes instruxit, & earum opera triremes Thebanas mare jam ingressas cum frumento & hominibus circiter ccc. intercepit, captivosque hos in arce, quam habebat, custodiæ tradidit. Qui negligentia Alcetæ ex arce in urbem cum puero pulchello, Oreitæ filio euntis, animadversa, sumpta audacia arcem in potestatem suam redegerunt: simul oppidani Oreitæ a Lacedæmoniis defecerunt. Frumentum copiosum in urbem Thebanam devectum. Vere rursum ineunte Agesilaus lecto adhuc erat affixus. Nam quo tempore exercitum e finibus Thebanorum Megara deduxerat, dum adscendit ipse e fano Veneris in sedem magistratuum, vena quadam rupta sanguis ei e corpore in crus, quod sanum erat, cœpit defluere. Cumque sura supra modum intumuisset & dolores intolerabiles extitissent, Medicus quidam Syracusanus venam juxta malleolum ei incidit. Unde cum sanguis semel manare cœpisset, fluxit continuo interdiu noctuque. Nec potuit quisquam fluxum illum sistere, donec tandem Agesilaus in animi deliquium incideret: cum quo sanguis fluere desiit. Atque ita ille Lacedæmonem deportatus per reliquum æstatis, hyememque ægrotavit. Sed Lacedæmonii anno jam vernante iterum exercitum in Thebanos decernunt, eique Ducem rursum præficiunt Cleombrotum. Hic exercitu ad Cithæronem adducto per cetratos præmissos jubet loca edita viæ imminentia rursum occupari. Sed hi insidiis excepti per Thebanos & Athenienses, qui jam verticem occuparant, cum clade sunt rejecti, amissis suorum ad XL. Ita Cleombrotus desperans de ingressu in agrum Thebanum, abduxit rursum dimisitque exercitum. Socii vero Lacedæmone congregati jactabant, ignavia quadam bello se atteri: posse namque naves longe plures sese quam Athenienses armare, & urbem eorum fame expugnare: posse item iisdem navibus exercitum contra Thebanos vel in Phocidem, vel Creusim, quo velint, vectare. Quo consilio probato triremes implerunt LX. eisque Pollim navarchum dederunt. Nec consilio defuit successus. Nam Athenæ quasi obsessæ tenebantur. Naves enim Atticæ frumentariæ Gerestum quidem venerant, sed ob metum classis Laconicæ, quæ ad Æginam, Ceum, Andrum in stationibus erant, discedere inde haud audebant. Hoc modo necessitate compulsi Athenienses & ipsi naves conscenderunt & Chabria Duce navali prœlio cum Polle congressi victoria potiti sunt, frumentoque importato abunde aucti. Lacedæmoniis autem exercitum conficientibus quem in Bœotiam deportarent, rogati a Thebanis Athenienses sunt, ut & ipsi exercitum in Peloponnesum immitterent. Sic enim distrahendis viribus Laconum fore illi rebantur, ne satis validas copias in regionem Thebanam educere possent. Idque non segniter ab Atheniensibus factum, ob Sphodriam in Spartanos male animatis. Nam armatis navibus LX. eas ad infestandas oras Peloponnesi emisere Duce Timotheo Cononis filio: eodemque fere tempore Thebani animis sumptis audacter admodum oppida Bœotiæ finitima armis invadebant, & sub imperium suum retrahebant. Timotheus autem [1] circumventus Corcyram ocyus occupavit, sed neque servitutis aliquid ei irrogavit, neque viros in exilium pepulit, neque leges mutavit: ac propterea omnibus vicinis civitatibus usus est benevolentioribus. Contra eum vero Lacedæmonii classem quoque instruxerunt, eique Præfectum dederunt Nicolochum virum inprimis audacem. Qui in hostes tendens simul ac classem Timothei conspexisset, quanquam desideraret adhuc naves sex Ambracioticas, cum iis quas præsentes habebat numero LV. contra Atticas LX. prœlium navale commisit, sed victus discessit, mox tamen acceptis jam navibus illis Ambracioticis Timotheum victorem in Ælysiam secutus, in quam is naves suas reficiendas subduxerat, ad pugnam se paratum ostendit: & quia obvium se nemo ferret, ipse quoque, quod Timotheus ante in Ælysia fecerat, velut victor tropæum in insulis proximis statuit. Timotheus autem refectis navibus suis & additis aliis, quas Corcyræ instruxerat, ut haberet jam plures quam LXX. classe nunc multo prævalebat: in quam quia magnis sumptibus habebat opus, pecuniam Athenis sibi mitti curabat.

XENOPHONTIS
RERUM GRAECARUM
LIBER SEXTUS.

THEBANI occupatis jam Bœotiæ urbibus in Phocidem quoque invasere. Phocenses missis Lacedæmonem legatis denunciarunt, nisi suppetiæ sibi ferrentur, compulsum se iri imperium Thebanorum subire. Quibus auditis, Lacedæmonii statim Cleombrotum Regem cum exercitu suo, & sociorum parte mari trajicere jusserunt in regionem Phocensium. Eodem fere tempore Polydamas Pharsalius ex Thessalia Lacedæmonem quoque venit. Erat vir cum apud cæteros Thessalos, tum vero in civitate sua opinione virtutis & integritatis illustris, cujus fidei Pharsalii discordia domi laborantes arcem suam & census publicos commiserant, administrationemque rerum omnium tradiderant, in eaque ipse integerrime versatus quotannis rationes administrationis totius suis reddebat, Thessalorum quoque more hospitalis & magnificus, hospes etiam Lacedæmoniorum publicus: quem Iason Pheræus Thessalorum longe potentissimus, universæque Thessaliæ dominatum affectans sollicitabat impense, ut sub imperium suum cum Pharsaliis, cæterisque oppidis Pharsalo sociatis concederet, fore enim id e re communis nationis Thessalicæ, inter Græcos multo validissimæ, si concors unius auspiciis regeretur: fore item e re ipsius, habituri opes uno sese tota Græcia minores: & nisi sponte id faceret, armis coactum iri, permittebat tamen, ut ad conservandum honorem, Lacedæmonem petendorum auxiliorum ergo proficisceretur, & ex eventu isto consilium caperet. Cujus rei causa cum adesset, accepta apud civitatem dicendi copia, oratione prolixa ac gravi, quid quæreret, exposuit, & rem civitati expendendam commisit. Hi non statim, sed per totum triduum negocio mature deliberato responderunt, ob statum rerum suarum præsentem, & varia bella, quibus nunc sint impliciti, non posse se hoc tempore, quantis opus esset, auxilia ferre. Monuerunt vero eum, ut domum reversus quam posset, optime tum sibi tum Pharsaliis suis consuleret. Atque ille collaudata Laconum sinceritate in

1. Melius forte: *Peloponnesum circumvectus*.

Theſſaliam ſe retulit. Ibi cum Iaſone agens petiit ab eo, ne ſibi dedendæ arcis fidei ſuæ a Pharſaliis commiſſæ neceſſitas imponeretur: ejus loco obſides illi obtulit liberos ſuos, ſimulque promiſit, ſuadendo Pharſalum ſe ei haud invitam adjuncturum, & ſummam poteſtatem totius Theſſaliæ communi cum aliis opera conciliaturum. In hæc fides mutua data, Pharſaliis pax tributa, Iaſon Imperator Theſſalorum renunciatus. Hoc munere accepto, ipſe ſingulis civitatibus pro modo virium certum equitum peditumque numerum, quem darent, deſcripſit: cenſique ſunt equites ſupra octies mille, pedites gravis armaturæ non pauciores vicies millibus, præter cetratorum ingentem multitudinem, parem, quæ quibuſvis copiis poſſet opponi: quorum oppida numerare arduum. Dein tributum etiam finitimis omnibus ab eo imperatum, quod ante ſub Scopa fuerat conſtitutum. Hæc de Iaſone: nunc ad intermiſſa, ait *Xenophon*, revertendum. Coibant Lacedæmoniorum & ſociorum copiæ in Phocide, & Thebani in ſua ſe recipientes, aditus præſidiis inſidebant. Athenienſes autem videntes ſua ope creviſſe Thebanos, & eoſdem in claſſem nihil pecuniæ conferre, ſe interim ſufficiendis tributis, & repellendis ex Ægina prædationibus alendiſque in terra Attica præſidiis exhauriri, belli finiendi erant percupidi. Statimque miſſis Lacedæmonem legatis pacem faciunt: & Timotheum cum claſſe domum revocant. Sed pax ea mox rurſum diſſilit. Nam Timotheus domum repetiturus exules Zacynthios cum in terram ipſorum expoſuiſſet, id Zacynthii cæteri injuriam interpretantes querendi cauſa ſuos Lacedæmonem mittunt. Lacedæmonii in Zacynthiis ſe quoque læſos cenſentes claſſem rurſum inſtruunt, & tum ſua tum ſociorum ope ac opera naves circiter LX. conficiunt atque armant, iiſque Mnaſippum Ducem præficiunt. Hinc inter cætera præcipiunt, ut Corcyram quoque invadat: & in hanc rem auxilia etiam a Dionyſio Syracuſano petunt. Habebat Mnaſippus in claſſe, cum Corcyram peteret, præter Lacones ſuos mercenarii generis milites haud pauciores MD. Quibus omnibus in terram expoſitis ſtatim tota inſula potitus, eam ſatis, vineis, ædificiis, cellis vinariis cultiſſimam ac pulcherrimam fœde diripit & vaſtat, magnum numerum mancipiorum & pecorum in poteſtatem ſuam redigit: deinde caſtris in tumulo proximo locatis, & ſtationibus navium idoneo loco diſpoſitis urbem ipſam terra marique obſidet. Corcyræi undequaque preſſi & conſtricti, claſſe hoſti haud pares, Athenas mittunt, auxiliaque rogant: oſtendunt, quanti Athenarum interſit, Corcyram in poteſtatem hoſtium non venire. Nec ſegnes Athenienſes confeſtim cetratos DC. Duce Steſicle iſtuc properare jubent: & hi ope Alcetæ Epiri Principis Athenienſium amici in inſulam tranſvecti, mox per noctem urbem ipſam ingreſſi ſunt. Ad hæc naves in hoc bellum ab Athenienſibus decretæ LX. & magno ſuffragiorum conſenſu Timotheus navarchus ſummus iis datus. Qui cum in urbe numerum illum navium juſto apparatu explere non poſſet, ad inſulas velis datis, ex iis ſupplere, quæ deerant, ſatagebat, prudentiæ eſſe ratus, adverſus claſſem hoſtilem jam in unum coactam & paratam non temere pergere. Sed ab Athenienſibus aliter id acceptum. Hi enim exiſtimabant tempus navigationi idoneum eum perdere: ideoque abrogatum ei imperium Iphicrati fuit traditum. Hic accepto imperio celeriter omnia expedire, triremium præfectos vel invitos ad capeſſendum munus adigere, ex voluntate populi naves omnes oram Atticæ legentes, atque inter has Paralum & Salaminiam ſecum ſumere, dicens, ſi in Corcyra res bene cederent, multas ſe naves domum eſſe remiſſurum. Atque hoc modo claſſem navium LXX. confecit. Interim fames

A Corcyræ vehementer ingraveſcere, multi quotidie in caſtra Mnaſippi propterea transfugere: Mnaſippus per præconem denunciare, transfugas ſe omnes venditurum: cumque ne ſic quidem reprimere transfugia aſſidua poſſet, demum flagris cæſos eos dimittere: qui vero in urbe erant, ſervos ſuos portis excludere, horum magnus numerus foris, fame perire. Hæc videns Mnaſippus ſibi perſuadebat, urbem ſe jam cepiſſe: atque ita aliter, quam ſolet, cum mercenario milite ſuo incipiebat agere: aliis enim ſtipendia adimebat, aliis toto bimeſtri nihil ſolvebat, licet pecuniæ inopia, ut ferebatur, non laboraret. Multæ enim urbes ſociæ pro milite pecuniam ei ſufficiebant, ob militiam tranſmarinam. Corcyræi autem conſpicati e turribus ſuis, excubias ab hoſte negligentius, B quam prius, agi, milites per inſulam palantes vagari, excurſione facta quoſdam vivos capiebant, quoſdam trucidabant. Mnaſippus eo animadverſo non ipſe ſolum arma corripuit, ſed etiam omnes gravis armaturæ milites in ſubſidium laborantium ſuorum ſecum traxit: adhæc mercenariorum præfectis, iiſque qui inter eos ordines ducebant, præcepit, ut ſuos quoque educerent: cumque quidam eorum reſponderent, haud facile in obſequio habere milites eum poſſe, qui neceſſaria iis non præſtaret, excandeſcens hunc baculo, illum cuſpide percuſſit, atque ita offenſos ac odio in ſe turgentes omnes a ſe dimiſit: quod pugnaturis haud-C quaquam expedit. Mox cum aciem inſtruxiſſet & in eos duxiſſet, qui urbe exierant, eoſdem in fugam datos ad muros urbis uſque eſt perſecutus. Ibi fugientibus in hoſtem perſequentem converſis, & aliis quoque per portas alias ex urbe erumpentibus conflictus varius ac difficilis factus, deteriore Mnaſippi quam Corcyræorum fortuna, maxime propter eos, quos Mnaſippus paulo ante offenderat. In quo conflictu Mnaſippus pene a ſuis deſertus, cum paucis, qui cum ipſo manſerant, ab oppidanorum multitudine obrutus occubuit; quo interempto univerſus ejus exercitus effuſæ fugæ ſe dedit: parumque omnino abfuit, D quin caſtra ipſa Laconica a perſequentibus oppidanis caperentur. A quo tempore, tropæo ab oppidanis erecto, animi his crevere, obſidentibus vero plurimum decrevere: præſertim cum fama crebreſceret, Iphicratem in proximo eſſe. Et jam Corcyræi naves armabant, cum legatus Mnaſippi Hypermenes & ipſe inſtructa claſſe ſua, & cum ea vallo ſuccedens, onerarias naves omnes mancipiis & præda pretioſa refertas a ſe dimiſit. Idemque cum claſſiariis ſuis, & militibus cæteris e conflictu ſuperſtitibus cuſtodiendo caſtrorum vallo ſe E dedit: donec hi quoque tandem vehementer turbati ſine ordine conſcenſis triremibus iſtinc diſcederent, magna frumenti, vini, mancipiorum copia, magna multitudine ægrotantium militum relicta. Tantus iis metus inerat, ne ab Athenienſibus adventantibus in inſula deprehenderentur. Primis iis receptus Licucas[1] fuit. Interim Iphicrates domo cum claſſe digreſſus, ita mari iter faciebat, ut claſſiarios nullo non labore, nulla non perferenda moleſtia exerceret, & ad omnia munia navalia & caſtrenſia efficeret paratiores, magiſque idoneos. Quo tempore Mnaſippus occumbebat, ipſe ad Sphageas ore Laconicæ erat. Inde ſecundum F Elidem pergens & Alphæi fluvii oſtium prætervectus in portum devenit, cui a piſce nomen. Hinc poſtridie ſolvens, Cephaleniam petiturus, eo ordine navigabat, ut ſi res ferret, ad committendum prœlium navale eſſet paratus. Nam de Mnaſippi morte nihil dum certi tunc tenebat: & quæ vulgo

1. Grande monſtrum, quum Xenophon clare habeat Λευκάδα & ſic voluit Emmius.

de ea ferebantur, suspecta habebat, veluti sui fallen- A
di causa sparsa, ideoque cautius agebat. Cum vero
in Cephaleniam venisset, certo de omnibus edo-
ctus, illic quieti & recreationi suorum aliquid de-
dit: dein oppidis Cephaleniæ in potestatem reda-
ctis Corcyram petiit. Heic audivit, a Dionysio ad
ferendam Lacedæmoniis opem missas triremes de-
cem adventare, ad easque excipiendas solerter &
cum cura se paravit, omnibusque rebus istuc per-
tinentibus ordinem dedit. Cumque triremes illæ
jam appellerent, signo dato tam celeriter expedi-
vit omnia, triremesque invasit, ut Syracusanas o-
mnes, quarum vectores plerique in terram jam de-
scenderant, sine discrimine ceperit, sola nave Rho- B
dia, cui Melanippus cæteris omnibus cautior præe-
rat, elapsa. Captas Iphicrates, præcisis rostris de-
formatas, in portum Corcyræum pertraxit: capti-
vos homines, sponsione solvendi redemptionis pre-
tii a Corcyræis accepta, liberos dimisit, excepto Du-
ce eorum Anippo: quem vel ut magnam ab eo pecu-
niæ vim exigeret, vel ut eum venderet, in vinculis
solum retinuit. Is vero animi dolore victus semet ip-
sum in vinculis interemit. Inde Iphicrates in Acarna-
niam trajecit, ibique sociis, qui in ea opus habebant,
opem tulit, hostes bello petiit. Mox assumpta et-
iam Corcyræorum classe, numerans jam naves xc. C
colligendæ pecuniæ ergo primum Cephaleniam
adiit, tributoque illic exacto, ad infestandam re-
gionem Lacedæmoniorum se accinxit. Fuit vero si
qua in alia, tum maxime in hac expeditione tota
admirabilis & suspiciendus Iphicrates, qui in ean-
dem hanc adjungi sibi poposcerat Callistratum ora-
torem in rebus gerendis non versatum, & Chabriam
in summis Ducibus tum habitum, sive prudentes
eos existimans, ut eorum consiliis uteretur, sive
æmulos & non bene sibi volentes, ut testes omnium
actorum suorum, ac fidei virtutisque eosdem habe-
ret. Atqui Athenienses, qui jam ante ob Platæen-
ses & Thespienses amicos suos, patria etiam tunc D
extorres, parum benevolis in Thebanos animis e-
rant, cum viderent eos Phocenses etiam bello per-
sequi jam olim cum republica sua amicitia conjun-
ctos, atque urbes eorum evertere, quæ bello Me-
dico summam sibi & communi Græciæ fidem præ-
stiterant, non jam amplius eorum, quæ patrabant,
participes esse voluerunt. Quapropter de pace fa-
cienda decreto scripto primum Thebas misere le-
gatos, qui civitatem hortarentur, ut si placeret,
ad ineundam pacem Lacedæmonem se sequeretur:
Deinde ipsi suos Lacedæmonem legarunt. Hi fue-
re Callias Hipponici filius, Autocles, Demostra-
tus, Aristocles, Cephisodotus, Melanopus, Ly- E
canthus: quos comitabatur Callistratus orator,
paulo ante ab Iphicrate dimissus. Qui cum ad con-
cilium delectorum Laconum & sociorum intro-
ducti essent, primus Callias vir non minus a sese
quam ab aliis laudari gaudens & pulchrum ducens,
haud levibus rationibus ostendit, peræquum esse,
bellum inter se Athenienses & Spartanos compo-
nere, pacemque colere. Post quem Autocles mul-
to liberiore oratione de cupidine & actionibus ini-
quis Lacedæmonios redarguit, *Haud ignoro*,
inquit, *Lacedæmonii, quæ dicturus sum, parum* F
grata auribus vestris esse futura. Attamen sic sentio,
quicunque cupiunt, quam inire volunt, amicitiam diu-
turnam esse, eos oportere bellorum causas invicem sibi
commonstrare. Vos vero semper verbis jactatis, debere
civitates αὐτονόμους, *id est, vere liberas esse, & vos*
iidem, quo minus vera illa libertate fruantur, maxime
obstatis. Namque hoc primum atque ante omnia cum
sociis civitatibus paciscimini, ut vos quocunque duxeri-
tis, sequantur. Hoccine libertati hujuscem. congruum?
Hostes autem, quos vultis, declaratis, re cum sociis non
communicata, & in eos exercitum ducitis. Quo

modo fit, ut qui liberi a vobis appellantur, cogantur
sæpe adversus amicissimos arma ferre. Præterea, quod
veræ libertati omnium maxime adversatur, alubi do-
minatum Decemvirum, alubi Trigintavirum constitui-
tis: & hoc datis operam, ut hi magistratus non imperent
legitime, sed ut, qua possint vi, civitates in obsequio
contineant; plane ut videamini imperiis tyrannicis
magis, quam rebuspublicis legitimis delectari. Ad hæc,
cum Persarum Rex juberet civitates esse αὐτονόμους, *o-*
mnino vos videbamini censere Thebanos contra literas
regias facturos, nisi civitates singulas sinerent sibi ipsis
imperare, ac suismet legibus uti. Post cum Cadmeam
occupassetis, ne ipsos quidem Thebanos permisistis suis
legibus vivere. Atqui non decet eos, qui amici censeri
volunt, ab aliis justa poscere, ipsos vero videri, per fas
& nefas concupiscere potentiam quam maximam. Quæ
cum libere dixisset, non solum silere fecit omnes, sed
etiam quadam voluptate perfudit eos, qui Lacedæ-
moniis non bene volebant. Tum tertius Callistra-
tus orator sapiens sic fari cœpit. *In nullis, tum a vo-*
bis, Lacedæmonii, tum a nobis peccatum esse, ego sa-
ne non dixero. Nec tamen in ea sum sententia, non
amplius iis esse utendum, qui deliquere. Video enim
neminem hominum esse, qui non aliquando peccet.
Quinimo intelligo, homines nonnunquam peccando sa-
pientiores fieri, maxime si ob peccata puniantur, quem-
admodum nos. Video etiam vobis ob ea, quæ perpe-
ram ac temere fecistis, multa adversa accidisse: in qui-
bus est Cadmea a vobis apud Thebanos occupata. Mo-
do enim cum in eo fuissetis, ut civitates libertate frue-
rentur, ubi injuria a vobis affecti Thebani fuere, o-
mnes rursus partes eorum sunt secutæ. Itaque spero,
jam edoctos vos, plus æquo habendi cupidinem fru-
ctuosam non esse, deinceps in amicitia mutua colenda
æquiores ac moderatiores fore. Quod vero quidam,
qui pacem hanc fieri nolunt, calumniantur, non ami-
citiæ consciscendæ studio, sed metu pecuniæ regiæ ab
Antalcida vobis adferendæ huc nos venisse, quæso ex-
pendite vobiscum quam nugentur. Rex enim in literis
suis jussit, omnes in Græcia civitates esse liberas. Quod
cum & nos sentiamus & studeamus, quam ob causam
Regem metuamus? Regemne quis existimet, magnis
impendiis suis aliorum opes augere malle, quam sine
sumptu suo effectum dare, ut recte habeant ea, quæ
rebus suis maxime judicat expedire? Verum esto; quam
demum ob causam huc venimus? Certe ob inopiam nos
non venisse, ipsi facile poteritis intelligere, si vel ad
maritima nostra, vel ad terrestria, uti nunc habent,
volueritis respicere. Quid igitur? Nimirum liquido pa-
tet, sociorum nonnullos ea facere, quæ nec nobis nec
vobis placeant. Æquum vero fuerit, velle nos propte-
rea, quod vos nos conservaveritis, quæ recte cognovi-
mus, vobis ea indicare. Jam quid utilitatem etiam me-
morem? Omnium civitatum aliæ nobiscum faciunt,
aliæ vobiscum: & in singulis civitatibus sunt qui La-
conissent, sunt qui Atticissent. Si igitur nos in ami-
citiam coiverimus, unde tandem verisimile fuerit, nos
incommodi aliquid expectare? Nam vos si nobis ami-
ci eritis, quis terra poterit nos offendere, & quis
mari vobis nocuerit, si nos amicos habueritis? Enim-
vero semper bella existere, eademque finiri quis nescit?
Nos ipsi si non hoc tempore, tamen tandem aliquan-
do pacem desiderabimus. Cur igitur tempus id expe-
ctemus, quo multitudine malorum fracti deficiemus,
ac non potius quam ocyssime, priusquam calamitate
aliqua immedicabili opprimamur, pacem faciamus?
Equidem nec illos ego laudavero, qui in certamini-
bus victoria potiti sæpius, & gloria decorati, tanta
contendendi libidine laborant, ut prius non desistant,
quam superati demum omnem exercitationem velut
desperantes missam faciant. Quemadmodum nec alea-
tores hujusmodi probare possim, qui si quid ipsis feli-
citer ceciderit, ita vincendi studio inardescunt, ut
duplum ejus aleæ discrimini committere non verean-

tur. Nam horum plerosque in extremam inopiam devolvi video. In quæ nos quoque intuentes committere non debemus, ut in hac nostra contentione adeo incalescere animos nostros sinamus, ut aut omnia nobis acquirere, aut omnia amittere statutum habeamus. Quin imo hoc agamus, ut, dum valemus adhuc, & fortuna floremus, amicitia inter nos sarciatur. Sic enim & nos per vos, & vos per nos majores quam antehac in Græcia esse poterimus. Hæc cum recte disputata ab istis viderentur, Lacedæmonii quoque decreto statuerant, pacem recipiendam conditionibus hisce: ut Harmostæ urbibus excederent, exercitus omnes terra marique dimitterentur, civitates liberæ & sui juris esse permitterentur: Contra quæ si quis quid faceret, licere cuivis volenti suppetias læsis ferre: nolenti quoque licere a ferendis suppetiis citra infamiam abstinere. In hæc Lacedæmonii tum suo tum sociorum nomine jurarunt: Athenienses autem & eorum socii singuli separatim secundum civitates. Cumque etiam Thebani inter civitates juratas nomen suum dedissent, postridie rursum ingressi eorum legati postularunt dispuncto Thebanorum nomine rescribi Bœotos juravisse. Quibus Agesilaus respondit, nihil se mutaturum eorum, qui prius jurassent, & professi fuissent: verum si fœderis consortes esse nollent, se nomen ipsorum dispuncturum dixit, si id poscerent. Hoc modo a cæteris pace facta, cum solis autem Thebanis manente controversia, Athenienses in hac sententia fuere, metuendum nunc esse id quod aliquando jactatum, Thebanos decimatum iri: & ipsi quidem Thebani mœstissimis animis Lacedæmone discesserunt. Post hæc Athenienses præsidia ex urbibus eduxerunt, & Iphicratem cum classe domum revocarunt, mandaruntque, ut omnia post fœdus Lacedæmone juratum occupata restitueret. Similiter Lacedæmonii Harmostas suos cum præsidiis urbibus ceteris discedere jusserunt: Cleonbroto autem, qui exercitum in Phocide habebat, & per suos Lacedæmonem missos ex Ephoris atque aliis magistratibus urbanis quærebat, quid sibi faciendum esset, rejecta Prothei multo meliore sententia, & in nugis habita, jam nunc, uti verosimile, a Numine dementati, ut pœnas sibi accerserent, denunciarunt, ne exercitum dimitteret, sed ut eum quam primum contra Thebanos, si hi civitatum Bœoticarum libertati graves esse pergerent, duceret. Quibus ille parens iter occepit, sed non ea via, qua irrupturum in Bœotiam Thebani arbitrabantur, quamque custodiis munierant, incessit, verum via montana, qua minime rebantur, per Thisbas profectus Creusim pervenit, & cum oppido triremes Thebanas XII. cepit. Inde a mari ascendens in Leuctris agri Thespiensis castra posuit. Atque huic Thebani ex adverso in tumulo non procul istinc dissito castra sua opposuere, præter Bœotos nihil sociorum tum habentes. Ibi Cleombrotum hortati sunt amici, admotis ei acerrimis stimulis, &, ni monitis pareret, gravissima civium ira denunciata, ut hostem invaderet. Qui vero amici ejus non erant, nunc ajebant, ostendet Rex noster, qui vir sit, verene cum Thebanis faciat, quemadmodum fama de eo loquitur. Quibus auditis vehementi cupidine pugnandi Cleombrotus exarsit. Contra, Proceres Thebani variis rationibus ad præliandum quoque incitabantur. Sic enim censebant, si prœlio abstinerent, recessuras a fide urbes finitimas, Thebasque ipsas in necessitatem obsidionis deventuras: & si populus Thebanus commeatu rebusque necessariis cœperit destitui; non extra periculum indignationis popularis sese esse futuros: satius igitur esse, pugnando mortem oppetere, quam rursum exilia perpeti, (plerique enim exules ante fuerant). Prœter hæc animis erigebantur oraculo quodam, quo ferebatur, ibi Lacedæmonios prœlio

A succubituros, ubi virginum monumentum extabat, quæ vi stupratæ a Lacedæmoniis se ipsas interemerant: (Hæ Scedasi Leuctrensis erant filiæ Molpia & Hippo, ut ex *Pausania* & *Diodoro* discimus,) atque hoc monumentum Thebani ante pugnam exornarant. Præterea ex civitate iisdem nunciabatur, fana omnia sponte sua se aperuisse, ac dicere sacerdotes DEOS portendere victoriam. Quin etiam ferebatur, e fano Herculis arma disparuisse, quasi ad prœlium ipse Hercules exiisset. Sunt tamen, qui perhibeant, hæc omnia Procerum reipublicæ fuisse commenta. Lacedæmoniis quidem adversa omnia ad hoc prœlium aciderunt, quum Thebanis omnia fortuna verteret in bonum. Cleombroto enim a prandio postrema fuit de pugna deliberatio: & quia B largius in meridie bibebant, fama perhibuit, a vino quoque fuisse incitatos. Postquam autem armis se induebant utrique, & jam manifestum erat, pugnatum iri, primum ab exercitu Bœotorum discessere, qui rerum venalium forum habebant, & calones aliique, qui pugnare non volebant. Tum stipendiarii Hieronis, & cetrati Phocenses, equitesque Heracleotæ ac Phliasii circumvecti in abeuntes impetu facto verterunt eos, versosque ad castra usque Bœotorum sunt persecuti. Ita ab ipsis hostibus exercitus Bœoticus factus est major & frequentior quam ante fuerat. Deinde quia campestris locus erat inter utrosque interjectus, Lacedæmonii ante C phalangem suam equites constituebant, & his equites suos Thebani opponebant. Erant ante equestres copiæ Thebanorum bene exercitatæ ob bellum tum contra Orchomenios, tum contra Thespienses recens gestum. Lacedæmoniis vero eo tempore equitatus erat inertissimus. Nam equos quidem alebant opulentissimi quique: at quum expeditio parabatur, tum veniebat is, qui in militiam delectus erat, equoque & armis acceptis, qualia ei dabantur, sine mora militatum exibat: milites etiam qui corporibus infirmissimi, & gloriæ minime omnium cupidi erant, equis imponebantur. Cæterum fama tulit, phalangem Laconicam in ternos manipulos ita ex- D plicatam fuisse, ut XII. militibus non esset spissior. Thebani contra non paucioribus quam L. clypeatis aciem suam densatam ducebant, existimantes si partem eam hostilis exercitus, quæ circum Regem erat, superare possent, reliquam omnem facile superatum iri. Cum vero aciem suorum in hostem movere cœpisset Cleombrotus, ne ipsis quidem militibus tum sentientibus contra hostem se duci, jam equites conflixerant, citoque fusi fuerant, iique fugientes in pedites suos gravis armaturæ incurrerant; & hos porro Thebanæ cohortes invectæ premebant. Attamen in pugna hac primum superiores fuisse, E qui cum Cleombroto erant, hoc argumento fuerit, quod ipsum vulneribus confectum viventem adhuc ex acie extulerint: quod facere non potuissent, nisi ii, qui circum ipsum pugnam ciebant, tum temporis hostibus potiores fuissent. Verum cum ipse, & cum eo Dinon Polemarchus, & Sphodrias, Sphodriæque filius Cleonymus cecidissent, & equites, iique quos Polemarchi comites vocabant, atque alii, a turba impulsi cepissent cedere, etiam illi qui in sinistro Laconum cornu eorum [1] erant, videntes dextrum cornu suum labare, inclinarunt. Veruntamen multis cadentibus victi quoque superata fossa, qua præcincta eorum castra fuerant, in F armis constitere eo loco, unde progressi erant: (erant autem castra iis non valde plano loco, sed potius paulum acclivi posita) ibi vero Lacedæmoniorum quidam intolerabile esse dicebant, sinere Thebanos tropæum excitare: mortuos non per inducias, sed per prœlium esse repetendos, At Polemarchi,

1. Xenophon modo οἱ δὲ τοῦ εὐωνύμου ὄντες τῶν Λακεδαιμονίων. unde patet vocem *eorum* nullius pretii esse.

quod viderent Lacedæmoniorum universorum prope M. e Spartiatis vero DCC. quot istic fuerant, CCCC. Periisse, socios autem animadverterent ad pugnandum non satis promptos alacresque esse, imo etiam nonnullos eorum haud ægre ferre id, quod acciderat, congregatis viris maxime idoneis, quid facto opus esset, consultabant. Omnibus vero censentibus per inducias tollendos esse cæsos, missus est statim caduceator, qui inducias peteret. Quibus confectis, a Thebanis tropæum est erectum, & cæsi ad sepulturam redditi. Post quæ nuncius cladis Lacedæmonem venit ultimo die ludorum gymnicorum, cum chorus virilis jam intus esset. Ephori autem audita clade, dolebant illi quidem necessario, ut mea fert opinio, inquit *Xenophon*, attamen chorum prodire non prohibebant, sed certamen peragere permittebant. Dehinc nomina cæsorum propinquis tradebant, fœminis vero ne clamores cierent, sed ut tacitæ id quod acciderat, ferrent, edixerunt. Postridie videre erat eos quorum propinqui in prœlio occubuerant, bene cultos atque alacres versari in publico; at quorum cognatos superstites esse nunciatum erat, paucos in publico vidisses, eosque tristes & dejectos obambulantes. Secundum hæc delectus reliquarum cohortium ab Ephoris decretus, usque ad eos, qui pubertatem annis XL. superaverant. Præterea quidam etiam ejusdem illius ætatis ex cohortibus, quæ domi non erant, ab iis missi: Ante enim, quotquot annos supra pubertatem XXXV. habebant, in Phocidem militatum ierant: quin & illi, qui ob magistratus, quos gerebant, domi relicti fuerant, reliquos sequi jussi sunt. Eo vero tempore nondum ex infirmitate convaluerat Rex Agesilaus. Itaque Dux exercitui a civitate datus filius ejus Archidamus. Hujus signa prompte libenterque secuti sunt Tegeatæ: quippe adhuc superstites erant, qui sub Stasippo Laconibus faverant, iique haud parum in civitate poterant. Itemque Mantinei non invalidis cum copiis e vicis suis conscriptis cum eo militatum ivere; quippe qui ab Optimatibus tum regebantur. Nec defuere alacres in hanc expeditionem Corinthii, Sicyonii, Phliasii, Achæi, civitatesque aliæ, quæ milites mittebant. Triremibus quoque instruendis cum ipsi Lacedæmonii tum Corinthii dabant operam; atque ut idem facerent, Sicyonii etiam rogabantur, quorum navibus exercitum suum transportare Lacedæmonii in animo habebant. Archidamus vero de trajiciendis copiis exta consulebat. Thebani autem statim a prœlio nuncium coronatum Athenas misere, simulque & victoriæ magnitudinem exposuere, & auxilia petiere: posse enim jam dicebant Athenienses a Lacedæmoniis pœnas exigere omnium in ipsos ante commissorum. Sedebat tum forte in arce senatus Atticus, & de re gesta edoctus non parvo dolore perstringebatur, idque tam evidenter, ut ab omnibus animadverti posset. Neque enim ut hospes nuncius hic exceptus fuit, nec quicquam de auxiliis responsum. Nuncio autem hoc modo Athenis domum reverso, confestim ad Iasonem Pheræum, quo socio utebantur, Thebani misere, & auxilia ab eo poposcerunt, cum secum ipsi expenderent, quem eventum res esset habitura. Is sine mora triremibus expeditis, quasi mari opem laturus, ipse assumpto secum milite stipendiario, & equitatu, quem in promptu habebat, quanquam implacabili bello urgeretur a Phocensibus, tamen pedestri itinere profectus fuit in Bœotiam, multis in oppidis ante visus, quam quo iret, esset auditum, proculque evasit, priusquam coire contra eum copiæ possent, exemplo hoc suo docens, sæpe quæ facienda sunt, rectius celeritate quam vi confici posse. Ubi autem in Bœotiam pervenit, ac monitus a Thebanis fuit, tempestivum esse, ipsum cum mercenariis suis superne, sese ex adverso Lacedæmonios invadere, sapienti oratione eos ab hoc proposito avertit, ostendens, re præclare gesta haud recte prudenterque facturos, si rursum rem in discrimen dent, prœliumque conserant, quo aut majora patrent, aut quæ victoria priore paraverant, amittant. *An non videtis*, inquiebat, *vos etiam, cum necessitate premeremini victoriam istam parasse? Putandum igitur, Lacedæmonios quoque, si pro vita dimicare cogentur, desperatorum more esse pugnaturos. Et Deus sæpe gaudet, uti videtur, parvos magnos, & magnos parvos facere.* Atque hoc sermone Thebanos in viam revocavit. Contra, Lacedæmonios docebat cujusmodi sit victus, cujusmodi victor exercitus. *Quod si*, dicebat, *oblivisci vultis cladis hujus acceptæ, suasero vobis, ut ad tempus quieti recreemini, ac viribus recollectis Thebanos nunc invictos aggrediamini. Iam autem scitote, non esse nullos sociorum vestrorum, qui cum hostibus de ineunda amicitia colloquia agitent. Itaque allaborandum vobis omni modo, ut inducias obtineatis. Atque hæc non aliam ob causam tam impense vos hortor, quam quod consultum saluti vestræ cupiam, tum propter eam, quam parens meus vobiscum coluit, amicitiam, tum quod ipse hospes vobis publicus sim.* Et hæc quidem ille: forsan in eum finem, ut utrique ii dissensione mutua laborantes ipsius opera opus haberent. Cæterum Lacedæmonii audito eo, ut de induciis ageret, jubebant. Cumque nunciatum jam esset, inducias esse factas, Polemarchi mandarunt, ut omnes sumpta cœna ad nocturnum iter se accingerent, quo cum prima luce Cithæronem possent adscendere. Sed cum cœnati essent, priusquam dormitum concederetur, jussi sunt sequi, ductique fuere statim a vespera via illa, qua Creusim itur, quia itineri clandestino, quam induciis malebant fidere. Emensi vero perdifficile iter (nam & noctu, & non sine metu, & via incommoda incesserant) in Ægosthena ditionis Megaricæ pervenere, ibique obvium cum exercitu Archidamum habuere. Is illic moratus, donec socii omnes eodem venissent, universas inde copias Corinthum duxit, atque ibi sociis dimissis, ipse cum Laconibus suis domum repetiit. Iason per Phocidem discedens Hyampolitanorum suburbium occupavit, agrum depopulatus est, multos neci dedit: reliquam Phocidem sine re alia tentata pertransiit. Sed Heracleam cum venisset, ejus murum demolitus est non tam metuens, ne eo transitu patente in ditionem suam incursus fieret, quam sollicitus, ne occupata ab aliquo Heraclea loco angusto sita, ipse prohiberetur, qua vellet in Græciam sese conferre. In Thessaliam reversus in magna erat existimatione, tum ob magistratum summum, quem illic gerebat, tum ob mercenarios milites, quos magno numero alebat tam pedites quam equites, eosque exercitatissimos: sed majoris etiam fiebat, quod & socios jam multos haberet, & a pluribus quoque societas ejus ambiretur. Maximus vero omnium istius sæculi habebatur, quod a nemine contemneretur. Instante autem Pythiorum celebritate, civitatibus denunciavit, ut boves, oves, capras, sues saginarent velut in usum sacrificii. Et licet magna moderatione esset usus in hisce imperandis, tamen fama ferebat, accepisse eum boves non pauciores quam mille, reliquorum pecorum supra decies mille. Præterea per præconem publicavit hoc, coronam auream, honorarium præmium, datum iri civitati, quæ bovem ducem pulcherrimum DEO enutrivisset. Ad hæc Thessalos jussit parare se ad expeditionem tempore Pythiorum ineundam. Nam constituerat, ut ferebatur, celebritati isti, & certaminibus præsidere. De sacra autem pecunia quæ mens ipsius fuerit, etiam nunc ignotum. Fama enim est,

percontantibus Delphis, quid faciendum, si in pecunias Deo consecratas Iasonem contingeret manus injicere, Apollinem respondisse, sibi id curæ futurum. Et vir hic tantus, tamque magna animo agitans, cum lustrum peregisset equitatus Pheræorum, eumque censuisset, ac jam consedisset, responsurus iis, qui procedentes aliquid petituri a se essent, a septem juvenibus accedentibus & jurgium simulantibus trucidatus est. Percussorum duo a satellitibus Iasonis, qui præsentes erant, & ad tuendum eum accurrebant, statim sunt interempti: reliqui in equos paratos insilientes effugerunt: & hi quascumque in urbes Græciæ venere, fere honoribus affecti fuere. Quod argumento est, Græcos vehementer ab eo sibi metuisse, ne tyrannidem invaderet. Iasone interempto, duo ipsius fratres, Polydorus & Polyphron, Duces creati sunt. Qui cum ambo Larissam proficiscerentur, noctu Polydorus dormiens a fratre Polyphrone, uti opinio fuit, est interfectus. Nam repentina morte, nulla causa manifesta, decessit. Polyphron anno uno imperium tenuit, & principatum in tyrannidem vertit. Nam & Pharsali Polydamantem, civesque alios octo civitatis præstantissimos occidit, & Larissa multos in exilium expulit. Quæ cum patraret, & ipse a fratre Alexandro vicissim est peremptus, prætexente ultionem cædis Polydori, & studium evertendæ præsentis tyrannidis. Alexander vero rerum potitus non Thessalis solum in principatu gravis fuit, sed etiam Thebanis haud æquus, Atheniensibus vero infestus hostis, ac denique injustus terra marique prædo extitit. Et talis cum esset, etiam ipse tandem manu fratrum uxoris, consilio autem ipsiusmet uxoris est e medio sublatus. Nam hæc indicium fratribus fecerat, Alexandrum vitæ eorum insidiari, ideoque absconditos domi totum diem occultaverat. Et cum Alexandrum vino obrutum excepisset, atque is obdormivisset, ipsa ardente lucerna, ensem ejus extulit. Animadvertens autem fratres cunctari, verentes ingredi ad Alexandrum, comminata est, nisi rem jam patrarent, excitaturam se illum in perniciem ipsorum. Ingressis vero his, ipsa januam statim clausit, pessulumque tantisper in potestate tenuit, quoad maritus esset interemptus. Causas odii ejus in maritum alii alias prodiderunt. Post Alexandrum Tisiphonus fratrum horum natu maximus principatum accepit, eumque tenuit ad id usque tempus, quo Historia hæc scribebatur. Inter hæc Archidamo ab expeditione frustranea, de qua ante dictum, domum jam reverso, Athenienses animo versantes id quod res docebat, Peloponnesios adhuc arbitrari, oportere se signa Lacedæmoniorum sequi, ac nondum Lacedæmonios eo recidisse, quo illi fortunam Atticam aliquando redegissent, civitates convocarunt, quotquot pacis ejus, quam Persarum Rex nuper præscripserat, participes esse cuperent. Quæ cum convenissent, decretum ab omnibus in societatem consentientibus, jusjurandum dandum esse in hæc verba. *Manebo in fœdere a Rege descripto, atque in decretis Atheniensium ac sociorum: si quis bello petiverit civitatem aliquam, quæ hoc juramentum præstiterit, huic contra eum totis viribus meis opem feram.* Atque hoc jusjurandum cæteris omnibus placuit exceptis Eleis, qui contradicebant ob Marganenses, & Scilluntios, & Triphylios, hæc enim oppida sua esse contendebant. Verum Athenienses & reliqui decreto facto, ut, quemadmodum erat in formula regia, non minus parvæ quam magnæ civitates libertate ac suo jure uterentur, misere juramenti exactores, iisque præceperunt, ut singulis in urbibus maximos magistratus hoc juramentum poscerent; jurarunt que omnes præterquam Elei. Hanc ob causam etiam Mantinei, velut prorsus jam liberi ac sui juris in unum coeuntes omnes statuerunt instaurare Mantineam, eamque unam urbem habere, & muro rursum cingere. Contra autem Lacedæmonii existimarunt, id nimis sibi grave futurum, sine suo consensu si fieret. Quocirca Agesilaum legatum ad Mantineos miserunt, quem ob paternam amicitiam non ingratum iis esse rebantur. Verum cum hic ad eos venisset, ii, qui in magistratu erant, populi concionem illi dare non voluerunt, sed jusserunt apud se dicere, si quid vellet. Agesilaus polliceri, si hoc tempore a proposito absisterent, se effecturum, ut post ex consensu Lacedæmoniorum & quam minimo impendio ipsis mœnia resurgerent; hi respondere, fieri non posse, ut differretur, quod jam a toto populo esset decretum: Agesilaus iratus discedere, & tamen censere, recte bellum iis inferri haud posse, quoniam pax hac conditione esset facta, ut civitatibus libertas permitteretur. Sed & Arcadiæ civitates nonnullæ missis hominibus suis ad reficiendos muros operam suam Mantineis promittebant: & Elei impendia operis ejusdem argenti XXX. talenta iis conferebant. Tegeatæ autem tum temporis valde discordes inter se collidebantur. Nam qui partium Callibii ac Proxeni erant, eos, qui cum Stasippo viro mitis ingenii faciebant, post verborum contentionem Proxeni cæde efferati armis persequebantur, & non paucos horum furori cedentes affecuti in vincula dederunt, Tegeamque revectos, atque ibi cum Mantineis quibusdam captis damnatos interemerunt. Tum metu perculsi e factione Stasippi ad DCCC. Lacedæmonem confugerunt. Lacedæmonii ex juramenti formula succurrendum iis, & occisorum mortem ulciscendam censuere: atque hoc prætextu Mantineos, qui Tegeatas adversæ factionis contra juratam fidem ad premendos Stasippicos armata manu juverant, bello petere decreverunt. Delectus itaque ex voluntate Ephororum habitus, & Agesilaus a civitate exercitum ducere jussus est. Diffidebant eo tempore inter se vehementer Orchomenii & Mantinei, ut illi ob horum odium a societate Arcadum sese sejungerent, & Lacedæmoniorum partes sequerentur: & jam ad arma inter eosdem ventum, & a Mantineis Orchomeniorum mœnia parum feliciter infestata, & in receptu ad Elymiam prœlium leve commissum, cum Agesilaus in Arcadiam ingruens cum exercitu in ipsis finibus Heræam [1] urbem a viris pene desertam (hi enim ad reliquos Arcades se contulerant) sine vi cepit, & illæsam ab injuria militum conservavit. Adhærebant tum Lacedæmoniis præter Orchomenios Phliasii, Corinthii, Epidaurii, Pellenenses cum oppidis quibusdam aliis. Agesilaus deinde Heræa progressus in interiorem Arcadiam, ac in agro Tegeate cœnatus postridie in fines Mantineorum devenit, & sub montibus Mantineæ ad solem occidentem vicinis castra posuit, atque ex iis totum hostilem agrum depopulatus est. Interea Arcades, qui se Aleæ collegerant, per noctem Tegeam intrarunt, & proximo die post, Agesilaus promotis castris non longius ab urbe Mantinea stadiis quasi XX. consedit. Arcades autem magno numero Tegea digressi, & ad montes inter Mantineam & Tegeam medios appropinquantes jungere se Mantineis cupiebant. Quos ut sejunctos a sociis adoriretur, quidam Agesilaum monebant; sed ille veritus eruptionem Mantineorum a latere & tergo se infestaturorum se non commovit. Itaque progredi eos tum sinens, paulo post tamen moto rursum exercitu loco alio tutiore, montibus septo, castra posuit. Sed cum videret etiam ibi a Mantineis in montana enitentibus periculum sibi imminere, ingenio fretus ex angustiis in apertam

1. Εὔξαιαν vocat Xenophon, ut mox etiam ipse Emmius.

planiciem ſine detrimento ſuos eduxit, atque illic explicata acie pugnandi copiam ſe facere hoſti oſtendit. Verum quieſcente hoſte ad pugnam non eſt ventum. Mantinei enim & reliqui Arcades a ſubeundo diſcrimine intra mœnia Mantineæ ſe continebant ſuaſu Eleorum, qui tum eorum partes ſequebantur. Hi enim certo ſe ſcire affirmabant, adfuturos paulo poſt in auxilium ſociorum Thebanos, quos in eum finem dicebant talenta decem a ſe mutuo accepiſſe. Ageſilaus autem quamvis percupidus abducendi ex hoſtico exercitum (media enim hyems jam erat) tamen triduum adhuc illic haud procul Mantinea moratus eſt, ne ob formidinem maturare diſceſſum videri poſſet. At quarto die hora matutina cibo ſumpto cum exercitu diſceſſit, ſimulans loco alio Eutæam verſus caſtra ſe fixurum. Sed Arcadum nemine ſe commovente cum jam veſperaſceret, feſtino gradu Eutæam perrexit, ita tamen, ut omnem fugæ ſpeciem declinaret. Videbatur enim e priore mœſtitia jam civitatem ſuam nonnihil recreaſſe expeditione hac Arcadica, & hoſtico impune vaſtato, nemine pugnandi cauſa contra ſe prodeunte. Ingreſſus vero Laconicam, Spartanos domum, reliquos in oppida ipſorum dimiſit. At Arcades eo digreſſo Heræenſes invadunt, qui ſe, deſertis reliquis Arcadibus, cum Laconibus junxerant, & cum iis Arcadiam infeſtaverant, agrumque eorum omnem ferro & flamma peſſundant. Verum cognito adventu Thebanorum, regreſſi inde cum iis ſe junxere. Thebani nullo hoſte comparente declarata promptitudine ſua in ferendis ſuppetiis, putantes ſatis ſe officio feciſſe, ad reditum in patriam ſe parabant. Sed Arcades, Argivi Elei, eos hortabantur, ut in Laconicam una ſecum invaderent; atque in hunc finem numerum ingentem exercitus ſui, tum vires Thebanorum commemorabant amplificabantque. Nam Bœoti omnes validi corporibus poſt victoriam Leuctricam majore etiam ſtudio in armis ſe exercebant: & hos Phocenſes jam ſubacti & Eubœenſes ex omnibus inſulæ urbibus, & Locri utrique & Acarnanes, & Heracleotæ, & Malienſes, multique e Theſſalia equites & cetrati ſequebantur. Ad hæc præſentem Lacedæmone ſolitudinem proferebant, obteſtantes, ne ante tentatam afflictamque Laconicam diſcederent. At Thebani, qui difficilem aditu regionem eam eſſe, & aditus præſidiis eſſe occupatos, & nuſquam fortius, quam in finibus ſuis Lacedæmonios pugnaturos cauſabantur, erant ad eam rem ſuſcipiendam tardiores. Cum vero Caryis quidam adveniſſent, qui ea parte ſolitudinem eſſe dicerent, & ſe Duces itineris fore cum periculo vitæ ſuæ, ſi fallerent, pollicerentur, ac ſimul adeſſent circumvicini quidam, qui ad audendum hortarentur, & ad deficiendum a Lacedæmoniis ſe offerrent, ſi ſaltem in ipſorum finibus ſe Thebani oſtenderent, affirmarent etiam, evocatos in auxilium vicinos a Spartanis, non ſe eſſe moturos, tandem aſſenſi ſunt Thebani. Deinde ipſi juxta Caryas, Arcades loco alio ad Ium Sciritidis, ubi Iſcholaus curare debebat, in Laconicam irruperunt. Atque hi quidem cum Iſcholao certamine in tranſitu contracto, ipſoque cum iis, qui cum eo erant, interempto, recta Caryas quoque ad Thebanos contenderunt. Ad quos cum veniſſent, Thebani de omnibus ab his edocti etiam ipſi audacius in hoſticum deſcenderunt, ſtatimque Sellaſiam adorti, direptam cremarunt; hinc in planiciem progreſſi ad lucumque Apollinis caſtra metati poſtridie iere longius, per pontem vero verſus Spartam ſe inferre ne tentarunt quidem, propterea quod in fano Aleæ oppoſitos gravis armaturæ milites conſpicerent: iter vero ſic faciebant, ut ad dextram amnem Eurotam haberent, & obvia populantes ignem quoque

A ædificiis copia rerum plenis injicerent. In urbe autem fœminæ, quia nunquam hoſtem antehac viderant, ne fumi quidem aſpectum intueri poterant. At viri Spartani, quanquam urbs ſine muro eſſet, & ipſi numero eſſent non multi, tamen alii alibi diſpoſiti eam tuebantur. Placuit quoque magiſtratibus denunciare Helotibus, ſi qui eorum arma pro republica capere, & in ordines deſcribi vellent, fidem datum iri, libertatem præmium navatæ operæ iis futurum. Et primum quidem ferebatur, plures quam ſexies mille nomina dediſſe, adeo ut in ordinibus diſpoſiti metum ſui cæteris incuterent, viderenturque nimis eſſe multi. Sed cum mercenarii milites, qui Orchomo venerant, Spartæ

B manerent, & Lacedæmoniis auxilio veniſſent Phliaſii, Corinthii, Epidaurii, Pellenenſes, & quidam alii, metus ille magna ex parte concidit. Inter hæc hoſtis progreſſus cum Amyclas acceſſiſſet, illic Eurotam tranſiit. Et Thebani quidem, ubicumque caſtra locabant, arboribus quam poterant plurimis cæſis ſe vallabant: Arcades vero ſecus, qui relictis etiam armis ſuis ad diripiendas ædes ſeſe conferebant. Poſt quæ die tertio aut quarto, equites Thebani omnes, cum equitatu Phocenſium, Theſſalorum, Locrorum ad Hippodromum in Gæolocho proceſſerant: & his ſe objecerant equites Lacedæmonii haud ſane multi. Qui cum e junioribus gravis

C armaturæ circiter ccc. juxta Tyndaridas in inſidiis collocaſſent, eodem momento procurrentes ita in hoſtes ſe incitarunt, ut ii impetum horum non ſuſtinerent, ſed terga vertentes retro cederent. Quo viſo peditum quoque multi in fugam ſe dederunt. Lacedæmoniis autem perſequi deſinentibus, [& Thebano exercitu gradum inhibente rurſum caſtra poſita. Et cum urbem amplius adoriri audaciæ plenum videretur, abductus inde exercitus verſus Helos ac Gythæum obvia loca muris carentia exuſſit, Gythæum [1] vero, navale Lacedæmoniorum, totum triduum oppugnavit. Quo tempore etiam vicini quidam Lacedæmoniis infeſti erant, & Thebanorum

D ſociorumque ſigna ſequebantur. Hæc cum audirent Athenienſes, quid ſibi de Lacedæmoniis eſſet ſtatuendum, quidve faciendum, ſollicita mente agitabant, atque ex decreto ſenatus in concionem coibant. Erant forte tum Athenis Lacedæmoniorum legati Aracus, Ocyllus, Pharax, Olontheus, & cum his miſſi a ſociis, quos adhuc tunc reliquos habebant: a quibus omnibus eadem fere dicebantur. *Nam Lacones vetera repetebant, oſtendebantque Athenienſibus, ſemper utroſque magno commodo communi maximis in rebus mutuam ſibi opem præſtitiſſe; Lacedæmonios enim in expellendis*

E *tyrannis Athenienſes juviſſe, & Athenienſes viciſſim Lacedæmoniis Meſſeniorum bello preſſis ſuccurriſſe: nunquam non, quoties conjunctis viribus aliquid egerint, rem feliciter geſſiſſe: communi opera barbarum repuliſſe: Athenienſes ſtudio Lacedæmoniorum a Græcis Duces claſſi & cuſtodes pecuniæ eſſe deſignatos, & viciſſim Athenienſium ſuaſu communi Græcorum conſenſu imperium Lacedæmoniis bellis terreſtribus eſſe permiſſum.* Et erat in iis, qui ſic loqueretur; ſi vos & nos, Athenienſes, conſenſerimus, ſpes nunc fuerit, quod olim jactatum, ad decimationem fortunam Thebanorum eſſe deventuram. Sed hæc non lubentibus animis ab Athenienſibus ſunt audita, ſed rumor diffuſus, nunc ea quidem dici, ſed cum

F res proſperæ ipſis eſſent, tum Athenienſes ab iiſdem eſſe preſſos. Unum vero maxime movebat Athenienſes, quod a Lacedæmoniis inferebatur, debellatis Athenienſibus, cum Thebani excidio dare Athenas conſtituiſſent, Lacedæmonios id prohibuiſſe. Atque erat fere in ore omnium, ob jusjurandum datum ſuccurrendum Lacedæmoniis eſſe: non enim

1. Dicit Xenophon Γύθιον, ut omnes alii.

prio-

A priores Lacedæmonios bello illato Arcadibus & eorum sociis injuriam fecisse, sed Tegeatis bello Arcadico contra juramenti religionem pressis, & injuria affectis opem tulisse. Quæ cum dicerentur, tumultuosum murmur concionem percurrit. Nam de jure armorum a Mantineis contra Tegeatas sumptorum unum & idem omnes sentiebant, diversosque de eo sermones diversi jactabant. Tum Cliteles Corinthius surgens in hanc sententiam disseruit: *Corinthios post initam pacem nulli civitati injurios fuisse, nec cujusquam agrum vastasse: at nihilominus Thebanos regionem Corinthiorum ingressos arbores stravisse, domos cremasse, pecora resque alias diripuisse:* B *non posse igitur Athenienses sine perjurio negligere tam manifestis injuriis affectos, & auxilia iis non ferre, Thebanosque impunes dimittere; præsertim cum eorundem Atheniensium cura studioque jusjurandum mutuum ab omnibus sit præstitum.* Hanc orationem plausus Atheniensium velut eam probantium est consecutus. Post Clitelem Patrocles Phliasius dicere exorsus animis jam commotis majores faces odii in Thebanos subjecit; eos sine dubio debellatis Lacedæmoniis prima arma in Athenienses versuros: scire enim hos solos impedimento sibi esse posse ad imperium rapiendum. Itaque Athenienses auxilia Lacedæmoniis ferentes sibi ipsis C ea laturos: Thebanos illis & infestissimos & finitimos esse: rectius ipsos sociis incolumibus quam iisdem omnibus eversis sese suaque defensuros: male vero metui resurrecturam Lacedæmoniorum potentiam: nam vires eorum, qui maleficiis, non qui beneficiis afficiuntur, esse formidandas: certe Deum nunc pulcherrimam occasionem Atheniensibus offerre, Lacedæmonios Principes Græciæ, justi æquique observantissimos, & omnes eorum amicos magno beneficio sibi devinciendi: non posse eos Laconibus fortiores socios habere, si rursum forte cum barbaris pugnandum sit, quod prœlium ad Thermopylas satis docuerit: D eosdem Lacones benevolentia sua Athenas servasse, cum eas funditus exscindere Thebani niterentur. Solere Athenienses cum maxima laude sua periclitantibus & ad se confugientibus opem ferre: nunc palam esse, Lacedæmonios Græcorum summos, eorundemque amicos, iis supplices esse, atque opem eos rogare: contra Thebanos, qui olim a Lacedæmoniis impetrare non potuerint, ut Athenas funditus delerent, nunc poscere Athenienses, ut perire sinant, qui ipsos olim conservarint. Majores olim vestri, inquit orator, passi non sunt Argivos ad Cadmæam cæsos insepultos jacere, idque magnæ gloriæ iis cessisse: E quanto vero vobis gloriosius erit, Lacedæmonios adhuc vivos contumeliis & excidio prohibere? Iidem majores vestri cum immortali sua laude, compressa Eurysthei malitia liberos Herculis salvos præstiterunt. Quanto nunc major erit laus vestra, si non paucos gentis istius Duces, sed universam ejusdem rempublicam incolumem servaveritis? Id vero omnia priora decora superabit, si Lacedæmoniis, qui nuper solo suffragio suo periculi experte pestem a vobis averterunt, armis vestris haud sine periculo & labore opem salutarem tuleritis. Et similia alia ad eundem scopum directa. Omnibus vero auditis, F ab Atheniensibus re in consultationem missa, & explosa tandem contra nitentium sententia decretum, Lacedæmoniis auxilia summis viribus esse ferenda; delectusque exercitus Dux Iphicrates. Atque hic sacris rite factis, suisque in Academia cœnare jussis, incredibili omnium alacritate se proferente, exercitum eduxit. Sed Corinthum veniens, quod ibi moræ aliquid traheret, in reprehensionem militum incurrit. Verum castris inde motis, eadem alacritate, qua domo primum exierant, eum rursum omnes sunt secuti. Interea vero magnus Arcadum, Argivorum, Eleorum, qui contra Lacedæmonios arma tulerant, & finitimi Laconicæ erant, numerus ex Laconica discesserat, præda varii generis onustus. Quo moti Thebani cum cæteris tum hanc ob causam, quod in dies minui exercitum viderent, tum quia commeatus partim absumptus, partim variis modis dissipatus raresceret, etiam ipsi istinc abire avebant; præsertim cum hyems jam esset, desiderium discedendi cum primis stimulans. Iis e Laconica digressis etiam Iphicrates ex Arcadia Corinthum suos reduxit, egregius cæteroqui Imperator, sed hac in expeditione longe se ipso deterior. Nam cum Oneo discederet, transitum, qui ad Cenchreas est, Bœotis domum redituris longe commodissimum, quem præsidio munire debuerat, sine præsidio reliquit. Similiter, cum exploratores mitteret, qui cognoscerent an Thebani Oneum transiissent, equites omnes tum Athenienses, tum Corinthios emisit, cum multo rectius ab eo factum fuisset, si aliquot tantum emisisset. Nam non minus pauci quam multi, inquit *Xenophon*, rem videre possunt; & pauci, si pes sit referendus, multo commodius id facere, quam plures queunt. Multos vero aliquo mittere, nec tamen hosti pares, id dementiæ speciem habet. Nam equitum magnus numerus magnum spacium ad explicandos ordines suos habet opus, cujusmodi spacium, cum pedem refert, ob locorum occurrentium aspera & angusta habere nequit. Ita factum, ut in hoc receptu Iphicrates equites haud pauciores quam viginti amiserit. Thebani quidem sine incommodo suo, atque ex animi sententia tunc ad suos rediere.

XENOPHONTIS

RERUM GRÆCARUM

LIBER SEPTIMUS.

ANNO sequente Lacedæmoniorum & sociorum legati cum potestate agendi amplissima Athenas venere, deliberaturi, qua ratione societas inter Lacedæmonios & Athenienses esset reficienda. Quumque multi tum exteri tum Athenienses dictitarent, oportere societatis conditiones æquas ac pares esse, Patrocles Phliasius orationem exorsus dixit, hoc potissimum spectandum hac in re esse, quod ad amicitiæ farciendæ diuturnitatem quam maxime faceret: id vero sine dubio positum esse in conditionum æquitate, sine qua nulla amicitia & societas constare diu posset: æquissimum autem absque dubio id esse, quod parti utrique utilissimum & commodissimum: tale vero Atheniensibus esse, si mari, Lacedæmoniis, si terra imperent. Atque hæc multis rationibus probavit. Cumque oratio ejus mirifice utrisque placeret, progressus Cephisodorus Atheniensibus suis ostendit, circumveniri ipsos, & æqui specie decipi, fraudemque latentem detexit, ac posuit ob oculos. Dein affatus oratorem Spartanum, qui aderat, & prolixe æqualitatem in feriendo fœdere prædicaverat, quæsivit ex eo, an quid monstrare æquius posset, quam si alternatim utrique tum maritimis tum terrestribus copiis imperarent, & si quid ex bello boni existeret, id inter se ut partirentur. His dictis assensi sunt Athenienses, decretumque statim factum, ut vicissim quinis diebus ipsi, & quinis Lacedæmonii imperium haberent. Tum exercitu utrorumque & sociorum in agrum Corinthiacum adducto placuit omnibus Oneum præsidio insideri contra hostes. Cumque eodem ingruerent Thebani in partem eam, quam tuendam Lacedæmonii & Pellenen-

ses sumpserant, prima luce, cum excubiæ nocturnæ statione decederent, invasere eos, & imparatos inopinatosque obruentes ceciderunt: fuga elapsos in vicinum collem se recipere coegerunt. Quem collem cum tueri non incommode, & commeatuum copiam Cenchreis habere Polemarchus Laconicus posset, & jam de discessu solliciti essent Thebani, malo consilio inducias inopinatas pactus suos inde abduxit: quod Thebanis erat commodissimum. Nam tuto progressi cum Arcadibus, Argivis, Eleis, se junxere, confestimque in urbes vicinas Sicyonem & Pellenen impetum verterunt: Epidaurum etiam armis petentes, evastato omni ejus agro pedem retulere, & contemptis hostibus suis Corintho appropinquantes in portas ejus, quæ Phliuntem spectant, cursu se incitarunt, in urbem irrupturi, si apertas eas offenderent. Sed excepti a Corinthiis forte ex urbe ad socios contendentibus & male mulctati, ea spe sua exciderunt. His gestis auxilia a Dionysio Syracusano ex Hispanis Celtisque conscripta, cum equitibus fere L. Lacedæmoniis missa, vectaque triremibus XX. advenere. Postridie Thebani cum sociis in planiciem descendentes, quæ inter mare & tumulos urbi contiguos interjacet, aciem ostentarunt, & nemine occurrente quicquid eo loci erat, pessundederunt. Deinde velitationibus equestribus certatum ibidem: & paulo post Thebani domum sunt reversi, ac simul etiam cæteri. Sed a Dionysio missi in Sicyonios se inferentes in patenti campo pugna cum iis commissa victoriam reportarunt cæsis eorum ad LXX. Mox & Doras oppidum vi ceperunt. Quibus patratis Syracusas repetivere. Atque hactenus quidem a Thebanis eorumque sociis summa concordia contra Lacedæmonios omnia sunt gesta, imperiumque in copias communes Thebanis permissum. Verum tum Lycomedes quidam Mantineus extitit genere nulli cedens, opibus validus, ingenio ambitiosus. Hic Arcadum animos inflare aggressus eos solos veram patriam Peloponnesum habere, ac solos indigenas esse jactavit; nationem eorum inter omnes Græcas esse amplissimam, & corpora laborum patientissima; eosdem viros esse fortissimos, auxiliis ante omnes ab iis, qui auxiliis habuere opus, semper prælatos: nec Lacedæmonios sine Arcadibus Athenas unquam invasisse, nec Thebanos sine iisdem Lacedæmonem armis infestasse. Quamobrem, ajebat, si sapitis, desinetis aliorum evocantium signa sequi, & imperiis parere. Quod dum Lacedæmoniis fecistis, eorum potentiam auxistis: & nunc si temere sequemini Thebanos, & non imperii partem cedi quoque vobis postulabitis, forsan hos eosdem alteros Lacedæmonios vobis futuros esse experiemini. Arcades his auditis inflari, Lycomedem supra modum amplecti, hunc solum virum existimare, ex hujus voluntate magistratus creare, ex rerum successu quoque animos sumere. Nam nuper in Argolica ad Epidaurum Argivos a Chabria Duce Attico, copiisque aliis Atheniensium & Corinthiorum pressos & laborantes ex angustiis liberaverant: & in Asinen Laconicæ exercitu ducto præsidium Lacedæmoniorum superaverant, ac Geranore Polemarcho Spartano interempto suburbium quoque Asinensium diripuerant: denique quocunque exercitum ducere vellent, non nox, non hyems, non viæ longitudo, non montes asperi eos a proposito absterrebant: ita fiebat, ut eo tempore plurimum se posse arbitrarentur. Atque hanc ob causam subinvidis & parum amicis animis in eos Thebani erant. Elei vero etiam ob frustra ab sese repetita oppida, bello Laconico olim sibi adempta, & ob Triphylios Arcadiæ adscriptos eisdem Arcadibus irascebantur. Sic sociis singulis fiducia sui se efferentibus Philiscus Abydenus ab Ariobarzane Persa venit, pecunia bene instructus, ac primum Thebanos eorumque socios, atque item Lacedæmonios pacis componendæ gratia Delphos evocavit. Quo cum hi convenissent, non consulto Apolline de re deliberabant. Contendentibus autem Thebanis, æquum esse, Messenen imperio Laconum eximi, offensus Philiscus, quia vetera moveri videbantur, multos stipendio conductos milites cogebat, ut bello Lacedæmonios juvaret. Et inter hæc adfuere rursum a Dionysio Siculo nova auxilia. Quæ cum in Thessaliam mittenda contra Thebanos Athenienses censerent, Lacedæmonii in Laconicam ducenda arbitrarentur, in horum sententiam a sociis itum. Atque hæc auxilia mari Lacedæmonem vecta, assumptaque illic ab Archidamo Agesilai filio patriarum copiarum Imperatore, una cum his Caryas ducta sunt; expugnatæque ab Archidamo Caryæ, omnesque qui vivi illic in potestatem venere, necati. Inde Parrhasias oppidum Arcadiæ itum, agerque vastatus: sed suppetias ferentibus Arcadibus, & Argivis pes istinc ab Archidamo relatus, castraque in tumulis Medeæ proximis locata. Ibi Cissidas auxiliorum Siculorum Dux professus, tempus sibi a Dionysio præscriptum jam exiisse, extemplo hinc cum milite suo Spartam redire cœpit, sed in itinere loco angusto a Messeniis circumventus necesse habuit opem Archidami implorare, quo statim ad opem ferendam accurrente, Arcades & Argivi Laconicam ingressi iter ejus impedire conati sunt. Verum Archidamus acie loco commodo in bivio instructa, velut cum hoste dimicaturus animandi exercitus causa sic eum dicitur affatus. Agite vero, cives, jam animis fortibus sumptis, rectis oculis in hostem intueamur, & patriam nostram talem posteris restituamus, qualem a patribus accepimus: desinamus tandem liberis, conjugibus, senioribus nostris, ipsisque exteris, qui nos supra omnes Græcos suspicere solent, pudori esse. Atque his dictis fulgura ac tonitrua ad dexteram ei ferunt extitisse, & ab eodem latere habuisse fanum & simulachrum Herculis, conditoris familiæ suæ. Ajunt vero his rebus omnibus tantum promptitudinis audaciæque insertum fuisse animis militum, ut Ducibus difficile fuerit eos inhibere, quominus in hostes irruerent. Mox ducente Archidamo, pauci hostium ad hastarum ictum obviam procedentes occisi sunt; cæteri fugientes partim ab equitibus, partim a Celtis cæsi periere. Prœlio confecto, & tropæo statuto sine mora Demoteles præco domum ab Archidamo missus illustris victoriæ nuncius, quæ Lacedæmonium nullum, hostium autem ingentem numerum absumpserit. Fama est, nuncio hoc allato, Spartanos, facto ab Agesilao ac senatoribus Ephorisque initio, universos lachrumas fudisse. Adeo lachrumæ gaudio ac dolori sunt communes. Nec vero multo minorem voluptatem ex hac Arcadum fortuna Thebani & Elei, quam Lacedæmonii ceperunt. Tantopere momordit eos istorum animi elatio. Interea hac cura torti Thebani, quanam maxime ratione principatum Græciæ sibi possent parare, tandem consilium cepere mittendi legatos ad Regem Persarum, sperantes per hunc se eo perventuros esse. Atque hanc ob causam convocatis sociis, prætendentes vel ideo id expedire, quod Euthycles Lacedæmonius apud Regem esset, ad eundem ire jubent Pelopidam Thebanum, Antiochum pancratii victorem Arcadem, Archidamum Eleum, & N. Argivum. Quo cognito Athenienses eodem legarunt ex civitate sua Timagoram & Leontem. Qui omnes cum istuc venissent, multo plurimum apud Persam valebat Pelopidas. Hic enim vere poterat dicere, solos Græcorum Thebanos suos pro Persis ad

Platæas pugnasse, neque unquam postea contra eos arma sumpsisse, atque eam ob causam a Lacedæmoniis bello fuisse petitos, quod cum Agesilao contra Regem militatum ire recusarunt; neque eundem Agesilaum Aulide sacra Dianæ facere permiserint, ubi quondam Agamemnon Asiam invasurus sacrificaverat, cum Trojam bello adortus cepit & excidit. Quin & victoria Thebanorum ad Leuctra, & ager Laconicus per eos vastatus augendo honori ac existimationi Pelopidæ apud Regem haud parvum momentum attulere. Et addebat hoc quoque Pelopidas, ideo a Lacedæmoniis postremo prœlio victos fuisse Argivos & Arcades, quod Thebani iis non adfuissent. Et quia omnia hæc vere ab eo dici testabatur Timagoras Atheniensis, secundum a Pelopida honoris locum tulit. Post a Rege interrogatus Pelopidas, quid sibi scribi vellet, respondit, ut exempta imperio Laconum libera suique juris sit Messene, Athenienses que teneantur naves suas subducere: quæ nisi admissa ab illis fuerint, bellum utrisque (Lacedæmoniis nimirum ac Atheniensibus) inferatur: & si qua civitas hoc bello militare recusat, ea primum bello petatur. Hæc scripta & legatis prælecta cum essent, Leon Atheniensis, audiente Rege libere in hanc sententiam locutus est. Profecto tempus jam poscit, Athenienses, ut mihi videtur, alium vobis amicum loco Regis ut quæratis. Quæ verba legati Attici cum scriba Regi suo exposuisset, rursum recitavit ex voluntate Regis adscripta hæc: si quid æquius nossent Athenienses, hoc Regem adeuntes eum docerent. Legatis vero domum reversis, Timagoram capitis damnatum necarunt Athenienses, accusante eum Leonte, & hoc quoque ei improperante, quod recusato collegæ contubernio consilia omnia cum Pelopida cepisset. E reliquis legatis Archidamus Eleis hoc nomine Regem laudabat, quod Elida Arcadiæ in habendo honore prætulisset. At Antiochus Arcas, quia Arcadici nominis haud magna ratio fuisset habita, nec munera regia voluerat accipere, & Arcadum concioni renuntiabat, habere Regem pistores, coquos, pincernas, ostiarios maximo numero: viros autem, qui adversus Græcos pugnare possent, quamquam quæsisset diligenter, nullos tamen illic se vidisse: adhæc pecuniarum magnitudinem videri sibi inanem modo jactationem esse, quoniam compererit, decantatam illam platanum auream ne cicadæ quidem umbram præbere posse.

Thebani convocatis ad audiendum Regis literas civitatibus cunctis, & literis regiis a Persa earum latore, ostenso prius Regis sigillo, recitatis, jubebant omnes qui amici Regis, & Thebanorum esse vellent, in ista, quæ literis continerentur, jurare. Sed respondebant civitatum legati ad audiendum tantum, non ad jurandum se missos esse: si quid juratum vellent, ad ipsas civitates mittendum esse monebant. Adjiciebat Lycomedes Arcas, ne Thebis quidem conventum agi, sed eo loco, ubi bellum esset, oportere. Quo vehementer offensi Thebani cum corruptorem sociorum eum esse dicerent, is ne quidem in consessu assidere voluit, sed discedens omnes Arcades secum traxit. Recusata ab iis, qui Thebis convenerant, jurisjurandi præstatione, legati a Thebanis ad ipsas civitates missi sunt, qui rem apud eas urgerent. Arbitrabantur enim Thebani unamquamque civitatem separatim appellatam haud ausuram Regis pariter & ipsorum odium in se recipere. Verum aliud eos docuit eventus. Nam cum Corinthum primum venissent legati, & Corinthii repudiato postulato respondissent, non opus sibi esse jurejurando hujusmodi cum Rege communi, exemplum hoc secutæ complures civitates aliæ in eandem sententiam quoque responde-

A runt. Sic ista Pelopidæ & Thebanorum affectatio abiit in fumum. At Epaminondas nova rursum consilia reducendis ad obsequium Arcadibus & sociis cæteris agitabat. Quod ut efficeret commodius, Achæos primum subigendos sibi putabat. In hunc vero finem Pisiam Argivum, qui tum patriæ militiæ Dux erat, istuc induxit, ut Oneum præoccuparet. Is certior factus locum a Naucleo Lacone & Timomacho Atheniensi, qui ei cum præsidio præerant, negligentius custodiri, cum militibus gravis armaturæ bis mille collem Cenchreis proximum no-
B ctu in potestatem redegit, commeatum secum ferens sufficientem in dies septem. Per hos dies Thebani advenientes Oneum superant, sociique omnes Achajam invadunt Epaminonda Duce. Ad quem Achajæ optimatibus deficientibus ipse potestate utens nec primores in exilium pellit, nec reipublicæ statum mutat: sed fidem tantum ab Achæis accipit, fore ipsos Thebanorum socios, & signa eorum quocunque ferenda secuturos. Quibus confectis domum cum suis discedit. Sed culpantibus eum Arcadibus & cæteris adversarum partium, placuit Thebanis, præfectos mittere in urbes Achaicas. Ab his Optimates & qui cum ipsis faciebant ejecti, ac sta-
C tus popularis in civitatibus constitutus. Verum exules numero validi, coitione facta, celeriter civitates quilibet suas invadentes earum potiti sunt, & jam non amplius, ut ante, neutrarum se partium gerebant, sed prompte opem ferebant Lacedæmoniis. Ita Arcades hinc ab Achæis, illinc a Lacedæmoniis pressi. Apud Sicyonios ad id usque tempus respublica secundum leges Achæorum administrabatur. Sed tunc Euphron cum, ut apud Lacedæmonios civium suorum erat maximus, ita etiam apud eorum adversarios cuperet locum auctoritatis primum tenere,
D cum Argivis & Arcadibus in hanc sententiam est locutus. Si Sicyone rerum potientur locupletissimi quique, perfacile civitatem, offerente se occasione, in partes Laconicas relapsuram: sin popularis status inducetur, certo scite, inquiebat, eam in fide vestra remansuram. Igitur si adsistere mihi volueritis, ego populum convocabo, simulque ego fidem hanc meam vobis dabo, & civitatem in societate vestra constantem præstabo. Atque hæc facio, ajebat, quod jam dudum, ut & vos, Lacedæmoniorum arrogantiam moleste feram, & me servituti eripere percupiam. Quibus cum voluptate auditis, Arcades & Argivi præsto fuere ipsi, atque Euphron sine mora
E convocato in forum populo præsentibus iisdem æquum esse ostendit rempublicam æquo ac pari jure administrari, prætoresque eligi, quos populus vellet, jussit. Populus Euphronem ipsum, & Hippodamum, Cleandrum, Acrisium, Lysandrum elegit. His factis Euphron filium suum Adeam, mercenario militi præfectum dedit, abdicato Lysimene. Mox mercenariorum quosdam beneficiis sibi devinxit, & plures alios stipendio conduxit, nec publicæ nec sacræ pecuniæ parcens. Eorum, quos ob studium partium Laconicarum pellebat in exilium, opes in usum suum vertit: collegas denique partim dolo sustulit e medio, partim ex urbe ejecit. Denique o-
F mnia redegit in potestatem suam, & palam tyrannidem usurpavit. Atque ad hæc ut socii conniverent, partim largitione, partim prompta auxiliorum præstatione, si quo vocaretur, effecit. Hoc rerum successu animati Argivi Tricranum in agro Phliasio supra fanum Junonis situm, Sicyonii Thyamiam ad fines agri ejusdem muniunt, atque ita Phliasios in magnas angustias redegerunt. Et tamen hi in fide Lacedæmoniorum nihilominus constantes perstitere. Enimvero, ait *Xenophon* hoc loco, celebranda est singularis constantia, & multa præclare facta Phliasiorum, quanquam civitatis non magnæ. Inierant scilicet hi amicitiam cum Lacedæmoniis rebus

illorum maxime secundis: dein pugna Leuctrica viribus eorundem infractis, cum deficerent ab iis finitimi plerique & Helotes omnes, omnesque socii paucis exceptis, bellum vero contra eos gererent universi, ut ita dicam, Græci, tamen in fide permansere, & quanquam iidem hostes haberent Peloponnesiorum potentissimos Argivos atque Arcades, nihilominus auxilio iis fuere, postremique auxiliarium, cum sors sic ferret, Prasias sunt ingressi. Erant vero auxiliares hi, Corinthii, Epidaurii, Trœzenii, Hermionenses, Halienses, Sicyonii, Pellenenses. Denique nunquam a Lacedæmoniis defecerunt. Quinimo cum peregrinorum militum ductor quoque eos desereret, ne tum quidem sese verterunt, sed conducto Prasiis viæ duce, hostibus juxta Amyclas considentibus, quo poterant modo Spartam se contulerunt. Et Lacedæmonii quidem cum aliis eos honoribus affecerunt, tum xeniorum loco bove donarunt. In omni quippe fortuna variis in casibus animis invictis fidem præstitere Lacedæmoniis, proque iis adversa plurima pertulere: multa quoque fortissime pro salute sua gessere, ab omni parte ab hostibus potentissimis oppugnati: ac durarunt incolumes in tempora Euphronis hostis ipsorum infesti. Quæ omnia prolixe persequitur, ac minutim recitat *Xenophon*: nos brevitatis ergo, paucis his velut digito monstrasse contenti, consulto præterimus. Cæterum circiter idem tempus Æneas Symphalius Arcadum Dux creatus, haud ferenda ratus, quæ Sicyone fiebant, cum copiis suis in arcem ejus urbis ascendit, ac præcipuos civium, qui in urbe erant, ad se vocavit, eosque etiam, qui sine edicto publico exulabant, accersiit. Qua re in terrorem datus Euphron in portum Sicyoniorum fugiens se recepit, & Pasimelo ex urbe Corintho evocato, per eum Lacedæmoniis portum tradidit, & eorum societati se reddens persuadere præsentibus voluit, vere a fide Lacedæmoniorum se non defecisse: sed an fidem multis fecerit, incertum. Post cum rursum optimates & plebs in factiones civitatem Sicyonem distraherent, Euphron, qui tum Athenis erat, occasione rapta cum milite mercenario istuc festinans, in urbem se intulit, eamque cum populo obtinuit, cum iterim Harmostes Thebanus arcem in potestate haberet. Verum intelligens non posse se Thebanis arcem tenentibus diu urbis potiri, confecta pecunia, cum ea Thebas contendit, sperans largitione fretum Thebanis se persuasurum, ut Optimatibus ejectis civitatem sibi restituerent. Edocti autem tum de itinere, tum de consilio ejus, qui prius exilium passi fuerant, & ipsi Thebas profecti sunt, ut machinationibus ejus se objicerent. Hi cum viderent, familiarius eum cum illis, qui in magistratu erant, versari, metuerentque obtenturum, quod petebat, quidam illorum audendum vel cum periculo rati in arce eum trucidarunt, eo ipso tempore, quo magistratus cum senatu in consessu forte agebant. Cæde patrata auctores ejus a magistratibus statim ad senatum pertracti, & ab iis capitis accusati verbis acerrimis. Reis aliis sua manu cædem se patrasse inficiantibus unus se auctorem professus, & pro se dicere orsus expositis causis, & memorato simillimo ipsorum Thebanorum exemplo nupero, ita peroravit, ut a senatu juste cæsum esse Euphronem pronunciaretur, ac reus absolveretur. At Sicyonii cæsum in urbem suam relatum, ut virum bonum in foro sepelierunt, inter urbis patronos præcipuos eum venerantes. Ita fere plurimi mortalium, inquit *Xenophon*, eos viros bonos censent, a quibus beneficio aliquo sunt affecti. Occuparant nuper ope Charetis Ducis Attici Thyamiam a Sicyoniis contra se munitam Phliasii: quam dum majoribus operibus contra vim hostilem muniunt, Charete adhuc præsente, Oro-

A pus oppidum in confinibus Atticæ & Bœotiæ ad mare occupatur ab exulibus. Eo vero universis Atheniensibus sub signis profectis, & Charete Thyamia revocato, portus quoque Sicyoniorum ab ipsis civibus atque Arcadibus est recuperatus. Ad Oropum autem sociorum nemo opem tulit Atheniensibus, sed ab iis recessere omnes: Oropus fidei Thebanorum commissus, donec judicio lis finiretur. Lycomedes Arcas intelligens, queri de sociis Athenienses, ob quos ipsi multis difficultatibus implicarentur, nec ullo vicissim ab iis auxilio juvarentur, concilio XII. millium [1] auctor fuit tentandæ actionis de societate cum ipsis. Re cum Atheniensibus B tentata, primum quidam horum grave putarunt stante fœdere cum Lacedæmoniis, cum eorum adversariis societatem jungere. At post, re pressius considerata, cum intelligerent, non minus Lacedæmoniis quam sibi expedire, Thebanorum ope Arcades non habere opus, cum Arcadibus societatem junxere. Hac re confecta, Lycomedes ejus potissimus auctor Athenis discedens felicissime vita defunctus est, navi abs se delecta vectus quo cupiebat. At de societate hac Demetion ad populum verba faciens collaudata ea ipsa porro dixit, mandandum belli Ducibus, darent operam, ut Corinthus quoque salva Atheniensibus maneret. Quod cum ad au- C res Corinthiorum venisset, missis in omnia loca præsidiis sat magnis, in quibus excubias Athenienses agitabant, eos inde excedere jusserunt, quod dicerent excubiis illis non amplius sibi esse opus. Et paruere illi, e castellisque in urbem Corinthum confluxere. Illic voce præconis publicatum edictum est, si quis Atheniensis injuria se affectum putaret, ut nomen suum profiteretur: jus enim ei dictum, deque injuria satisfactum iri. Quæ cum sic haberent, Chares cum classe sua Cenchreas venit, ibique de iis, quæ ante acta erant edoctus, adesse se dixit ad opem Corintho ferendam quam insidiis peti inaudi- D isset. Corinthii vero eo collaudato, non tamen ejus naves in portum receperunt, sed potius ut alio cum iis abiret, ipsum monuerunt. Milites etiam Atticos satisfactione præstita dimiserunt. Sic inter Corinthios & Athenienses societas est soluta. Hi vero ita devincti Arcadibus fuere, ut si quis Arcadiam bello invaderet, equestria auxilia illis mittere tenerentur. Sed Laconicam ingredi, & bellum ibi facere necessum non habebant. Corinthii novos hostes Athenienses nacti, & bellum jam difficilius sibi fore rati novas copias equestres pedestresque stipendio conductas confecerunt, atque ita tum urbi suæ prospexerunt, tum foris hostes pressere. Tum & Thebas E misere percunctaturos, an istuc si venirent, pacem obtinere possent. Cumque annuerent Thebani, porro copiam concedi sibi petierunt mittendi ad socios, ut si & illi pacem cuperent, una cum illis pacem consciscerent: eos vero, qui bellum mallent, ipsorum-met consilio relinquerent. Quo etiam a Thebanis probato legatos Lacedæmonem miserunt; quorum hæc fuit apud Lacedæmonios oratio: si salutem aliquam ex societate armorum manente prospicerent, æquum esse ut rationes ejus sociis quoque aperirent: sin ad extrema venisse sibi res suas F intelligerent, bene facturos, si cum sociis Corinthiis ad componendum bellum, pacemque ineundam consilium conferrent: quod si arbitrarentur e re sua esse, in bello perstare, ferrent æquis animis, socios Corinthios poscentibus eorum rebus pacem facere. Nam dicebant, si jam exitium nos fugerimus, poterimus aliquando rursum vobis usui esse: sin nunc perierimus, simul omnis spes subsidii aut commodi alicujus a nobis in perpetuum vobis

1. Xenophon πεῖθει τοὺς μυρίους πράττειν περὶ συμμαχίας: & hunc numerum recte etiam expressit Emmius in sequentibus de Eparitis.

etiam perierit. His auditis, non modo Corinthiis Lacedæmonii auctores fuere, pacem ut facerent, sed reliquis quoque sociis liberum reliquerunt, si non ferret animus in bello secum persistere, ut quieti se darent. Se vero dixerunt in bello perstituros & eventum DEO commissuros: nunquam certe in id se consensuros, ut Messene a majoribus accepta sibi adimatur. Tum Corinthii statim Thebas profecti sunt de pace acturi. A quibus cum Thebani poscerent, ut in societatem armorum secum jurarent, responderunt illi, societatem hujusmodi non pacem, sed belli commutationem esse: adesse se, ut si Thebanis placeat, pacem æquam cum iis ineant. Quos admirati Thebani, quod quamvis in periculo essent, tamen adversus benemeritos arma ferre nollent, pacem iis & Phliasiis, cæterisque qui Thebas cum ipsis venerant, tribuerunt, hac dicta conditione, ut singuli quiete sua tenerent. Atque in hæc jusjurandum datum: statimque a Phliasiis Thyamia relicta: sed ab Argivis, licet & ipsi jurati in hanc pacem consenserant, tamen quod de exulibus Phliasiis obtinere id, quod cupiebant, non possent, Thyamia eadem rursum occupata, ac præsidio munita. Cui rei id prætendebant quod contenderent, suum illum agrum esse, tametsi eum ut hostilem paulo ante afflixerant: nec omnino Phliasios ad disceptationem juris provocantes audire voluerunt. Circiter hoc vero tempus a Dionysio juniore, qui patri defuncto jam successerat, naves XII. quibus Timocrates præerat, Lacedæmoniis subsidio sunt missæ: quo Timocrate juvante Sellasia ab iis vi recepta, dein classis hæc domum fuit reversa. Haud multo post oppidum Lasio ab Eleis, quorum id quondam fuerat, tum vero Arcadiæ accensebatur, est occupatum. Id indigne ferentibus & arma contra moventibus & Eleis animose se opponentibus ad manus tandem ventum; victi fugatique Elei, nec pauci eorum cæsi: ab Arcadibus victoriam persequentibus oppida quædam eorum locis editis sita, capta: deinde itum ab iisdem longius Olympiam versus, vallataque æde Saturni præsidium ei impositum, & mons Olympiacus occupatus: Marganenses quoque in potestatem redacti. Hoc modo succedentibus rebus, Eleisque animos fere despondentibus Arcades progredientes ad ipsam urbem perveniunt, eamque ingressi ad forum usque se inferunt. Ibi vero equites Elei & quidam alii se objicientes foro eos expellunt, & nonnullos interimunt, tropæumque de more erigunt. Erant autem jam ante in partes divisi Elei, quorum alii populari statui studebant, alii ad paucorum potentiam rem trahebant: cumque populares favore Arcadum vicinorum, qui viribus pollebant, niterentur, Charopus eorum princeps cum suis audacior factus, præsertim fretus promisso ab Arcadibus subsidio, arcem occupaverat. Equites igitur cum CCC. qui partium adversarum erant, fortuna hac utentes in arcem conscendunt, adversarios arce dejiciunt, Charopum & Argæum, civesque circiter CCCC. exilio mulctant. Hi associatis sibi Arcadum nonnullis Pylum capiunt, & ad hos multi populares ex urbe Elide confluunt, castellumque hoc habitatorum numero frequens faciunt, Arcadum gratia & societate nixi; Arcadesque postea Elidem rursum ingressi, persuasi ab exulibus, ad ipsam urbem ducunt, spe ejus per deditionem potiundæ. Sed Achæis Eleorum tum tempore amicis urbem tuentibus spe ista frustrati vastato tantum agro domum repetunt. Dein iidem cognita Pellenensium absentia (nam in Elide hi erant) eorum oppidum Olurum nocturno itinere longissimo istuc profecti invadunt, & suæ potestatis faciunt. Nam Pellenenses societati Lacedæmoniorum se rursum junxerant, quod Arcades urebat. Illi igitur de O-

A luro re cognita subito quoque Pellenen sunt reversi. Mox bello certatum inter hos & Arcades de Oluro, quo demum oppidum hoc expugnatum ad Pellenenses rediit. Rursum deinde Arcades Eleorum regionem invasere, & castra inter Cyllenen & Elidem urbem metati, prœlio Eleos ultro in sese venientes vicerunt. Qua fortuna tortus Andromachus, qui prœlii auctor Eleis fuerat, sese interemit. Cæteri, qui eripere fuga se poterant, in urbem redierunt. Periit in eadem pugna & Soclides Spartanus. Lacedæmoniis enim sociis tunc Elei utebantur. Itaque cum in urbe sua iidem Elei premerentur, B per legatos a Lacedæmoniis impetrarunt, ut hi, Archidamo Duce, e Laconica bello Arcadiam invaderent: a quo oppidum Cromnus occupatum, & præsidio trium cohortium majorum munitum, reliquus exercitus cohortium IX. domum reductus. At Arcades ex Elide vixdum reversi, ut suis auxilio essent, Cromnum duplici vallo cinxere, arctaque obsidione pressere. Contra Lacedæmonii periculo obsessorum civium suorum commoti, Archidamum denuo cum exercitu in Arcadiam miserunt. Is proxima quæque ejus regionis cum Sciritide populatus cuncta tentavit, ut ab obsidione Cromni Arcades abstraheret: sed actum egit. Nam C illi omnibus istis contemptis pertinaces obsidioni inhæsere. Tum Archidamus ea spe missa, collem prope exterius vallum Arcadum occupare meditatus est, quo occupato putabat istic durare obsidentes non posse. Sed in conatu eo fors tulit prœlium contrahi, in quo paulatim pluribus in auxilium hinc inde accurrentibus fortiter utrinque aliquandiu pugnatum, tandemque pertinacia Arcadum confertim dimicantium infracta vis Laconum; Archidamus ipse in femore graviter vulneratus, quippe propugnatores ante ipsum prœliabantur, viri clarissimi haud pauciores quam XXX. concisi, in quibus Polyænidas & Chilon Archidami sororius. D Ita locus angustior & asperior relictus a Laconibus, sed rursum loco plano & patente acies structa, sed animis plane dejectis. Itaque a pugna repetenda suasu viri ætate gravis temperatum, & induciis confectis cæsorum corpora recepta, & ab Arcadibus tropæum erectum. Interea in Elide quoque in vicinia Pyli armis certatum inter Eleos urbem habentes & Pylios, Pyliique ab urbanis cæsi, capti, male habiti, oppidum eorum captum, Marganenses recepti. Paulo post a Laconibus per noctem irruptio in Arcadiam ad Cromnum rursum facta, vallumque unum occupatum, obsessi ex oppido Cro- E mno subito evocati: quorum quidam incolumes ad suos evasere, alii ab Arcadibus se objicientibus in oppidum rursum compulsi, demumque capti sunt, & in prædam versi partim Argivis, alii Thebanis ac Messeniis cesserunt, omnes numero supra centum. Tum Arcades hac cura rursum liberati justis viribus in Eleos se rursum verterunt, & Olympiam occupatam validiore præsidio firmarunt, atque in annum jam proxime imminentem, quo Olympiadem oportebat celebrare, ad Olympia cum Pisæis antiquissimis, uti ferebant, templi præsidibus agenda, sese pararunt. Cum autem jam adesset mensis, quo Olympia peragi mos erat, ac dies ipse cele- F berrimi conventus instaret, Elei palam se accingentes, adscitis quoque Achæis, via Olympiaca veniebant: Quod Arcadibus præter opinionem accidit: arbitrabantur enim nunquam eos contra se venturos, ideoque ipsi cum Pisæis ea, quæ ad celebritatem pertinebant, disponebant. Et jam equestrium & aliorum quinquertii cursuum certamina peregerant: soli luctatores non in stadio solito, sed intra stadium & aram lucta adhuc decertabant. Elei enim jam ad delubrum devenerant: nec longius iis Arcades quam ad Cladaum amnem juxta Alten in

Alphæum influentem occurrebant, sed ibi acie instructa consistebant, habebantque secum bis mille gravis armaturæ pedites Argivos, & circiter cccc. equites Athenienses in auxilium sibi a sociis missos. Elei vero in altero amnis latere suam quoque aciem paratam habebant, & cæsis hostiis recta progrediebantur: qui licet ante id tempus in re militari temnerentur ab omnibus vicinis, atque ab Atheniensibus, tamen eo die socios, ut omnium fortissimi, antecedebant, primoque in congressu Arcades in fugam dederunt, ac post hos Argivos auxilio Arcadibus venientes pugna superarunt. Quos cum persequerentur, venissentque in eum locum, qui est inter curiam & fanum Vestæ, ac theatrum vicinum, pugnabant quidem nihilo minus, & ad aram cedentes propellebant, sed e porticibus & curia ac templo magno telis petiti, ac in planicie cum hostibus congressi amisere quosdam suorum cum ipso quadringentorum Principe Stratola; indeque in castra sua redierunt. Arcades autem ita formidabant diem sequentem, ut tota nocte demoliendis tentoriis, & extruendo vallo occuparentur. At Elei postridie istuc accedentes cum viderent jam satis validum esse vallum, & multos propugnatores in templa conscendisse, in urbem suam reversi sunt, postquam tales se præstitissent, quales DEUS quidem inspirata virtute vel uno die possit efficere, homines vero etiam longo tempore eos, qui fortes non sint, facere haud queant. Verum enim vero quum Arcadum Principes sacra pecunia ad alendos Eparitos suos (id robur exercitus Arcadici est) abuterentur, primi Mantinei per decretum vetuere pecuniam sacram in usum profanum verti: & quam ipsi partem Eparitis debebant, ex urbe sua coactam Principibus miserunt. Hi vero moleste id ferentes dicebant, ipsos Arcadicam rempublicam convellere, prædides Mantineorum ad concilium x. millium vocarunt, & non comparentes, concilii sententia notatos per Eparitos Mantineam missos istuc pertrahere fategerunt. Sed Mantinei clausis portis suis in urbem illos non receperunt. Post quæ etiam alii nonnulli in concilio x. millium libere dixerunt, non esse abutendum pecunia eadem sacra, nec totam illam violati numinis in omne ævum posteris inurendam: idque cum a toto concilio publice probatum quoque esset, statim ex Eparitis ii, qui stipendio carere non poterant, dilapsi sunt: qui vero poterant, mutuo se cohortati, in eorum locum succeffere, & quidem hac ratione, ne ipsi in illorum, sed illi in ipsorum potestate essent. At Principes qui sacram pecuniam tractaverant, non ignorantes, si reddendæ sibi rationes essent, de vita se periclitaturos, Thebas mittunt, ac Thebanos docent, nisi cum exercitu veniant, non extra discrimen rem futuram, ne Arcades in partes Lacedæmoniorum rursum transeant. Quibus verbis moti Thebani in eam militiam se parabant. At qui optime consultum Peloponneso cupiebant, Arcadum concilio communi auctores erant, ut missis legatis monerent Thebanos, ne cum exercitu non vocati in Arcadiam venirent. Et quemadmodum hæc Thebanis denunciabant, ita secum statuebant, bello sibi non esse opus. Nam nihil se causæ habere rebantur, cur Jovis fano cuperent præesse: quin imo justius ac sanctius & DEO gratius facturos se statuebant, si Eleis fanum restituerent. Quod idem cum Elei desiderarent, placuit utrisque pacem facere.

Ita fœdus inter eos initum. In quod ubi jusjurandum datum, & jam tum cæteri omnes, tum Tegeatæ quoque, adeoque ipse ille Thebanus, qui ccc. militibus Bœotis gravis armaturæ Tegeæ præerat, sacramento se obstrinxissent, Arcades alii Tegeæ morantes conviviis & hilaritati vacabant, ac libantes pæana canebant, tanquam pace jam con-

A fecta. Sed Thebani, & ex principibus qui rationum redditionem formidabant, cum Bœotis & idem sentientibus Eparitis, occlusis Tegeæ portis, missis satellitibus ad eos, qui lætitiæ indulgebant, eorum optimos quosque comprehendebant. Et quandoquidem ex omnibus Arcadiæ civitatibus homines illic aderant, & omnes pacem poscerent, oportuit omnino multos esse, quibus manus injiciebantur. Sic factum, ut carcer, & domus publica illico complerentur. Præter hanc vero vinctorum multitudinem non pauci etiam de muro desilierant, quidam etiam portis emissi erant, cum nemo cuiquam irasceretur, nisi qui vitæ suæ metuebant. In qua rerum confusione nihil magis Thebanum illum

B & cæteros, qui cum ipso faciebant, angebat, quam quod Mantineorum, quos omnium maxime comprehensos cupiebant, perpaucos captos haberent. Fere enim omnes, quia Tegeæ vicina erat Mantinea, celeriter domum se receperant. Cum vero dies jam eluxisset, & Mantinei acta hæc audiissent, confestim ad alias Arcadiæ urbes miserunt, monentes eas, ut in armis & excubiis essent. Quod & ab ipsis quoque est factum. Simul ab iis missi quidam sunt Tegeam, per quos poposcerunt, Mantineos sibi restitui, addiderunt etiam, haud æquum esse reliquorum Arcadum quenquam aut vinciri, aut morte affici re non judicata. Et si quid in quoquam

C culparent, denunciarunt, spondere civitatem Mantineorum, exhibituram se coram concilio Arcadum communi, quoscunque quis in jus vocare vellet. Quod audiens Thebanus dubius hærebat, quid hac in re agendum sibi esset, simulque captivos omnes missos fecit. Postridie cum convocasset Arcades quotquot convenire valebant, purgabat se, viderique volebat, deceptum se esse: Audiisse autem, Lacedæmonios armatos in finibus esse, ac Arcadum quosdam Tegeam iis prodere constituisse. Quibus auditis illi, quanquam mentiri eum de Arcadibus scirent, tamen eum dimiserunt. Sed missis Thebas legatis, capitis eundem quam gravissime accusarunt. Ajunt vero Epaminondam qui tunc militiæ Thebanæ summus Dux erat, dixisse, mul-

D to rectius eum fecisse cum Arcades comprehenderet, quam cum dimitteret. Nam cum nos propter vos, ajebat ad Arcades, in bellum tracti simus, & vos sine consensu nostro pacem cum hoste feceritis, quomodo non quis vos juste proditionis accusaverit? Vos vero scitote, nos cum exercitu ituros in Arcadiam, bellaturosque cum iis qui partium sunt nostrarum. Quæ postquam concilio Arcadum, & civitatibus eorum renunciata fuere, tum vero secum reputare cœperunt Mantinei aliique Arcades de Peloponneso solliciti, similiterque Elei & Achæi, Thebanos sine dubio id agere, ut Peloponnesi vires

E quam maxime infringant, quo eam ipsi quam facillime in servitutem redigere queant. Cur enim, dicebant, bellum nos volunt gerere? an non, ut nos nosmet invicem affligamus, & utrinque eorum ope habeamus opus? Cur, cum a nobis significatum iis sit, hoc tempore nos auxilio ipsorum non indigere, nihilominus ad veniendum huc se parant? an non, ut expeditione hac aliquo incommodo nos afficiant? Simul Athenas mittunt ad auxilia ab Atheniensibus poscenda: & ex Eparitis quosdam Lacedæmonem legant, qui eam civitatem exhortentur, ut in commune operam etiam ipsa conferat,

F ad prohibendam servitute Peloponnesum. Et convenit tum, ut singuli suis in ditionibus in milites imperium habeant. Quæ dum heic agerentur, domo profectus est Epaminondas secum ducens Bœotos omnes, & Euboenses Thessalosque multos partim ab Alexandro Pheræo, partim ab adversariis ejus acceptos. A Phocensibus auxilii nihil in exercitu habuit, quod ab his diceretur, non se teneri

ad suppetias dandas nisi bello Thebanis ab hoste illato. Spem vero sibi faciebat Epaminondas, etiam in Peloponneso suarum partium futuros Argivos, Messenios, & ex Arcadibus eos, qui cum ipso facere solent. Hi erant Tegeatæ, Megalopolitani, Aseatæ, Palantini, & si qui propterea, quod exigua oppida tenerent, & ab his cingerentur, sequi hos necesse habebant. Accelerabat vero iter Epaminondas, donec Nemeam pervenisset. Illic moræ nonnihil traxit, quod speraret Athenienses istac transituros se intercepturum. Nam haud parvi momenti hoc futurum putabat ad suorum animos firmandos, & animos hostium in desperationem agendos: omninoque existimabat rebus Thebanis non parum commodi se adjecturum, si Athenienses aliquo detrimento posset afficere. Verum dum heic hæret, Peloponnenses omnes, qui idem inter se sentiebant, Mantineæ conveniunt, & ipse audit Athenienses mutato consilio de itinere terrestri statuisse per mare in oram Laconicæ copias auxiliares mittere, atque inde suppetias Arcadibus ferre. Quapropter Nemea movens Tegeam contendit. Quam feliciter ei hæc expeditio cesserit, ego dicere non habeo, ait *Xenophon*. Prudenter autem æque ac fortiter rem ab eo gestam esse extra dubium puto. Primum quidem non possum non laudare, quod intra mœnia Tegeæ castra locarit, quia & tutiore ibi loco erant, quam foris, & quid ab eo ageretur, minus ab hoste cognosci illic posset. Ad hæc necessaria in urbe facilius poterant parari. Qui vero foris castra metabantur, eorum res, sive quid recte, sive perperam administrarent, in aperto erant. Et quoniam ipse putabat hostes viribus se superare, quoties videbat loca commoda eos tenere, in urbe se continebat, nec quicquam in eos attentabat. Sed cum cerneret, nullam ad se urbem deficere, atque interim tempus labi, aliquid aggrediundum sibi existimabat: quod ni faceret, censebat, loco prioris gloriæ magnam infamiam se secuturam. Igitur edoctus, juxta Mantineam castra hostes munivisse, & Agesilaum omnesque Lacedæmonios accersivisse, ac jam cognosceret Agesilaum in itinere esse, & Pellenen venisse, sumpta cœna, & signo militibus dato recta Spartam exercitum duxit. Et nisi fato aliquo divino Cretensis quidam ad Agesilaum veniens ei nunciasset id quod erat, eo tempore urbem Spartam cepisset velut nidum a defensoribus prorsus desertum. At Agesilao, cum rem cognovisset, eum antevertente, ac in urbem celeriter reverso, Spartani quanquam pauci numero dispositi suis locis in excubiis erant, urbem tueri parati. Nam & equites eorum jam in Arcadiam transierant, & cum his mercenarii peregrini, & ex decem cohortibus tres. Cum vero Spartam venisset Epaminondas, non illic, ubi in plano dimicandum cum hoste erat, vel ubi ex ædibus infestari conjectis telis poterat, vel ubi pauci non minus quam multi pugnando posse valere videbantur, urbem ingressus est: sed quod commodo suo futurum rebatur, locum occupavit, unde non ascensus sed descensus in urbem ei patebat. Quod autem tunc accidit, id licet divino numini imputare, licet etiam de eo dicere, desperatos sustinere neminem posse. Nam cum Archidamus ne centum quidem viros duceret, transmissoque jam loco impedito, in acclivia enitens in hostes pergeret, ibi ii, qui naribus ignem spirabant, qui Lacedæmonios ante superaverant, quique multo plures erant, & locum sublimiorem tenebant, non sustinuerunt venientes cum Archidamo, sed inclinarunt, primique in exercitu Epaminondæ occubuerunt. Exultantibus vero ob victoriam Lacedæmoniis, cum longius quam oportebat plerique cedentes persequerentur, etiam ipsi intercempti fuere. Nam divinitus descriptus iis victoriæ hujus modus. Et Archidamus quidem ibi, ubi hostes vicerat, tropæum statuit, hostibusque in conflictu cæsos per inducias reddidit. At Epaminondas haud dubitans Arcades Lacedæmonem opis ferendæ causa accursuros, non committendum sibi putavit, ut cum iis & cum universis Lacedæmoniis simul pugnare necessum haberet, præsertim cum hisce res proxima feliciter, suis infeliciter cessisset. Quapropter quam potuit celerrime Tegeam reversus pedites suos illic quiete refecit, equites Mantineam properare jussit, rogatos, ut laborem hunc patienter ferrent, monitosque, esse verosimile, pecora Mantineorum omnia extra urbem jam agere, itemque ipsos homines, isto præsertim tempore, quo frumentum colligeretur. Atque ita ab equitibus factum. Interea equites Athenienses Eleusine festinanter digressi, & in Isthmo cœnati per Cleonas itinere facto Mantineam forte pervenerant, & in ipsa urbe stabulabantur. Cumque eorum tempore hostes Thebani adventare conspicerentur, Mantinei Atheniensium equites auxilium, si quod ferre possent, rogarunt: nam non pecora solum sua, sed & operarios & maximum numerum puerorum & adultorum, hominum ingenuorum foris dicebant esse. Athenienses quanquam nec ipsi pransi adhuc essent, nec equos suos pabulo refecissent, tamen alacres ad ferendam opem se accinxere. In quo virtutem eorum quis non suspiciat? qui cum viderent ab hoste se plurimum numero superari, & Corinthi in itinere adversi aliquid pertulissent, & nossent cum Thebanis pariter & Thessalis, equitibus opinione hominum longe præstantissimis sibi confligendum esse, nihil tamen his moti obviam istis ivere: turpe scilicet ducentes, postquam ad socios venissent, nulli se ipsis usui esse. Itaque cum primum hostes conspexissent, manus cum iis conseruere, gloriæ majorum tuendæ avidi: atque eo conflictu Mantineis omnia, quæ foris habebant, conservaverunt. Cecidere utrinque viri virtute præstantes aliquot: sed superiores mansere Athenienses, qui corporibus suorum cæsorum sublatis, hostibus etiam eorum, qui ex ipsis occubuerant, sepeliendorum per inducias copiam fecerunt. Epaminondas secum reputans paucos intra dies necessario sibi istinc abeundum, quod tempus expeditioni præfinitum exiret, animo in varias curas distrahebatur: Nam si eos, quibus auxilium laturus advenerat, desereret, futurum videbat, ut illi ab hostibus obsiderentur, & ipse gloriæ omnis jacturam faceret: quippe qui Lacedæmone magnum peditatum gravis armaturæ ducens a paucis Laconibus superatus esset, & rursum ad Mantineam equestri prœlio cladis aliquid accepisset, denique hac expeditione, cujus ipse auctor fuerat, causam dedisset, ob quam Lacedæmonii, Arcades, Achæi, Elei, Athenienses in hanc societatem coierint. Itaque non posse incolumi honore sine prœlio se discedere videbat, ita rem reputans, si prœlio vincere se contingeret, omnia ista correcturum: sin mortem oppeteret, gloriosam illam mortem suam futuram, in conatu parandi patriæ imperium Peloponnesi obvenientem. Ac talia eum mente volutasse mihi mirum non videtur. Sunt enim hujusmodi cogitationes virorum gloriæ cupidorum propriæ. Ista vero magis in eo miranda existimo, ita assuefecisse exercitum, ut nullum laborem nec interdiu nec noctu defugeret, periculum nullum formidaret, commeatus tenuis copia qualicunque esset contentus, & nihilominus ad obsequia paratus. Cum enim postremum eis denunciaret, ut ad prœlium sese pararent, alacriter admodum equites galeas suas ipso jubente polivérunt, atque Arcades pedites gravis armaturæ nomina sua dederunt, Thebanorum instar clavarum gestamine insignes, omnes denique hastas suas &

gladios acuerunt, clypeosque, ut splendescerent, A detergerunt. Hoc modo paratos cum duceret, operæ pretium fuerit considerare, quid porro fecerit. Primum, ut par erat, aciem instruxit, atque hoc faciens certo sciri voluit, pugnare sibi in animo esse: dein omnibus rite instructis non via brevissima eos duxit in hostem, sed ad montes Tegeæ ad occidentem, atque ex adverso positos, signa intulit, eaque re suspicionem hostibus injecit, isto die pugnaturum non esse. Nam & cum ad montes accessisset, & phalangem extendisset, sub locis sublimibus arma posuit, plane ut castra metantis speciem præ se ferret. Sic in animis plurimorum hostium B conceptum pugnandi decretum delevit, & ordinatæ aciei rationem turbavit. Cumque cohortes quæ in cornibus incedebant, in frontem traduxisset, & aciem circum sese cuneatam bene validam fecisset, tum vero de armis resumendis præcepto publicato ipse velut Dux præibat, copiæ sequebantur. At hostes ut viderunt præter opinionem in se eos venire missa quiete omnes turbabantur: alii cursu ad ordines suos ferebantur, alii constituendo se suis locis occupabantur, quidam equos frenabant, nonnulli loricas induebant: denique omnes passuri potius aliquid quam acturi videbantur. Epaminondas autem exercitum suum in modum rostratæ triremis C dispositum ductabat, existimans quocunque se incitaret, ut adversos scinderet, totum hostilem exercitum exitio sese daturum. Nam cum parte copiarum suarum multo validissima parabat prœlium committere, infirmissimam procul a primo discrimine habere, quoniam sciebat hanc in fronte locatam suis trepidationem, hostibus robur inserturam. Et sane hostis ipse equitatum suum velut peditum armaturæ gravis phalangem densam ordinavit, nullis peditibus adjunctis. Epaminondas contra equitum cuneum prævalidum instituit, & cum his pedites, qui sine equis erant, disposuit. Sic enim censebat, si equitatus suus per adversos perrumpe- D ret, victorem sese universorum futurum. Perdifficile enim est reperire, qui consistere velint, ubi viderint quosdam suorum terga dare. Ad hæc ne Athenienses e cornu sinistro succurrerent proximis, in collibus quibusdam equites peditesque gravis armaturæ adversus eos constituit, ut metum iis injiceret, fore nimirum si suppetias suis ferrent, ut a tergo ab his ipsi invaderentur. Atque hoc modo cum hoste prœlium committens spe sua falsus non est. Nam qua parte in hostem se intulit, victor factus, universum hostilem exercitum in fugam conjecit. At postquam ipse pugnans cecidit, reliqui victoria recte uti amplius non sciverunt, sed in fugam effusa phalange adversa nullus armaturæ gravis miles fugientes cædebat, neque loco, quo dimicatum erat, movebatur: & ne equites quidem terga dantem equitatum hostilem, neque peditatum cædibus faciendis persequebantur, verum non secus ac si ipsi victi essent, trepide per medios hostes in fugam versos elapsi diffluebant. Ii autem, qui sine equis erant, cetratique victoria cum equitibus parta, in partem lævam, quasi hoste jam prorsus superato, concedebant. Sed illic plurimi eorum ab Atheniensibus sunt interempti. Quibus patratis aliud omnino accidit, quam futurum universi homines fuerant opinati. Nam cum tota fere Græcia eo loci convenisset, aciesque aciebus oppositas haberet, nemo non arbitrabatur, si prœlio decerneretur, victores imperio potituros, victos parituros. Verum DEUS ita rem moderatus est, ut utrique perinde ac si vicissent, tropæum statuerent, nec alteri alteris in eo essent impedimento. Utrique etiam velut victores corpora cæsorum alteris ad sepulturam reddiderunt, ac velut victi utrinque ea receperunt ex consensu pactoque mutuo. Et cum utrique vicisse se dicerent, neutri tamen illa regione, aut urbe, aut imperio, quæ ante prœlium non tenuerant, sunt aucti. Confusio autem & perturbatio rerum major quam prius fuerat, post pugnam in Græcia extitit. Mihi quidem hucusque hæc scripta sunto. Sequentia alteri forte curæ erunt.

Cum his verbis *Xenophon* Historiam suam de rebus Græcis finit, quamvis triennium fere adhuc supervixerit, ut ex *Laertio* cognoscitur. Obiisse enim dicitur Olympiadis CV. anno I. quo Philippus Amyntæ filius Alexandri Magni pater in Macedonia regnare cœpit: cum Agesilaus Spartæ Rex anno, qui proxime pugnam Mantineensem sequutus est, ex Ægypto in Græciam reversurus in itinere apud Cyrenæos vitam finivisset. Nos seriem, eorum quæ post pugnam ad Mantineam & mortem Epaminondæ acciderunt, ex *Diodoro Siculo* aliisque bonis auctoribus summatim alio libro persequemur.

UBBONIS EMMII VETERIS GRÆCIÆ
TOMUS TERTIUS,
Repræsentans
GRÆCORUM RESPUBLICAS.

UBBONIS EMMII STATUS REIPUBLICÆ
DUARUM CIVITATUM ATTICÆ ET LACONICÆ SUCCINCTA DELINEATIO.



Ivitatum Græcarum florentibus ejus gentis rebus longe clarissimæ fuerunt Athenæ & Lacedæmon, velut oculi duo inter ceteras emicantes, æmulæ inter sese, & de principatu non gloriæ solum, sed etiam potentiæ decertantes: acciditque ut plurimum, ut ad harum motus & contentiones universa fere Græcia in diversa studia scinderetur. Ita fit, ut qui harum status ignarus sit, infeliciter in cognoscendis Græcorum rebus bello & pace gestis versetur. Utriusque vero statum & rempublicam peculiaribus libellis delineatam summus auctor, quo nemo propius rem nosse poterat, Xenophon nobis reliquit, & multis seculis post eum Plutarchus in vita Lycurgi & Solonis: sed delineatam tantum. Nam Xenophon, ut de re passim suo seculo nota scribens, strictim quædam de forma civitatis utriusque notavit, magisque, quid in hac aut illa probaret aut reprehenderet, ostendit, quam quæ ad cognoscendum totum statum pertinerent, exposuit. Plutarchus vero aliud agens hoc argumentum tractavit obiter, & multa omisit. Aristotelis libri de variis rebuspublicis ac præcipue de Attica & Laconica ad nos non pervenere. Dicæarchus Siculus Messanensis, auditor Aristotelis, præclarus Philosophus, cujus sæpe meminit Cicero, πολιτείαν *Laconicam peculiari quoque libro expositam comprehendit: cui libro tantum honorem tribuere Spartani, teste Suida, ut lege lata præceperint quotannis eum in curia Ephororum recitari publice, auscultantibus omnibus qui erant in ætate pubere: idque diu observatum idem Suidas affirmat. Sed & hoc* σύγγραμμα *multo tempore ante nos interiit. Interiere etiam commentarii Dioscoridis de eadem Laconum republica scripti, quos & Plutarchus citat in Lycurgo, & Athenæus.* δειπνοσοφιστῶν *libro quarto. Ætate nostra Atheniensem rempublicam Carolus Sigonius Italus, antiquitatis sagacissimus indagator & felicissimus illustrator, bono rei literariæ prolixe quatuor libris descripsit, Spartanam Nicolaus Cragius Danus pari ausu & industria, utinam pari quoque felicitate. Nos horum vestigia potissimum secuti, & laboribus adjuti, usi autem consilio & ordine nostro, quæ illi fusius exposuerunt, & veterum testimoniis confirmarunt, succincto, quantum patietur res, compendio constringemus.*

DE REPUBLICA
ATHENIENSIUM.



THENÆ, ut ab his ordiamur, a Cecrope viro Ægyptio in regione Attica primum conditæ sunt, ubi post summa urbs & urbis arx fuit, juxta amnem Idissum, non procul quidem mari, nec tamen ad mare sitæ, novi regni caput, & Regis sedes: tota- A que regio Attica in varios populos & vicos hactenus sparsa in oppida præcipua XII. ab eodem contracta, quorum singula sub Regibus sequentibus suas curias suosque magistratus & ordinem civilem habuere, membra tamen regni unius, & uni Regi parentia. Sed potestas Regum minime herilis & inde finita fuit, ut quicquid ipsis liberet, id vim juris in populo, & parendi necessitatem haberet. Arguunt hoc vetustissima judicia pene cum regno nata, quædam priscorum Regum tempore instituta, non aliorum so-

lum, sed ipsorum quoque Regum caufas cognofcere folita: quemadmodum & ea, quæ de Thefeo paulo poft dicemus. Erat enim jam tum populi illius ingenium excelfum, æqui juris amans, fervilis fubjectionis impatiens. Itaque quamvis hæreditarium regnum effet, tamen fine voluntate populi nemo in poffeffionem ejus veniebat. Sed hæc futuræ libertatis, quam divina providentia deftinabat, velut nobilis ac illuftris ftructuræ, informia quædam & indigefta figna folummodo fuere, a quibus deinde politis, & a ftructoribus operi aptatis opus ipfum, fyftema fcilicet libertatis, fenfim & per gradus diverfaque incrementa ad perfectionem, hoc eft, ad maturitatem fuam pervenit. Structuræ initium factum a Thefeo Rege decimo. Hic enim magni & excelfi, veræque gloriæ cupidi animi Heros, & fapientia nulli fecundus, cum nuper redux e Creta, re illic bene gefta, & patria intolerabili onere liberata, adhuc oppido juvenis mortuo patre regnum iniiffet, de eo quam optime formando fimul & firmando cogitationes fufcepit. Ad eam vero rem nihil potius ac rectius reperit, quam fi præcipuas regni vires per oppida & vicos diftractas, cum iis, penes quos publicum confilium atque auctoritas erat, in fedem unam, urbem nimirum regiam, contraheret. Id enim roborandis viribus ob disjunctionem infirmis, & expediendis celerius rerum gerendarum confiliis, & urbi regiæ augendæ nobilitandæque futurum cenfebat: quinetiam ad alendam regni ordinum concordiam, ac avertendam cuivis civili focietati exitiofam difcordiam, quam norat aliquando apud majores fuos in bella inteftina erupiffe, denique ad regni decus, & nominis fui gloriam idem hoc non parum facturum judicabat. Sed non parvam in eo ipfo efficiendo difficultatem reperiebat. Nam translato populo, qui fparfim per oppida ac vicos habitabat, & in urbem, quam augere defiderabat, traducto erat opus. Qui vero lares fuos, & fedes patrias deferere, fundos domufque relinquere, ac longius ab iis difcedere in gratiam ipfius aut boni publici, quod jactabatur, cuperent, præfertim qui bono loco apud fuos erant, & rempublicam qualemcumque illic gerebant, perpauci re tentata inveniebantur. Spem enim incertam futurorum commodorum, quæ ferebantur, rebus certis & præfentibus anteferre ftultitiæ effe credebant. Et ipfa dulcedo natalis foli plurimos, quo minus transferri vellent, morabatur. Quamobrem Thefeus, ne propofito fuo & fpe excideret, dicitur obiviffe totam regionem, & blandiendo promittendoque cum univerfis & fingulis, ubi opus erat, in oppidis ac vicis egiffe, & commoda confilii fui pofuiffe ob oculos, denique, quod caput rei erat, libertatem omnibus bonis cæteris anteponendam effe pollicitus, atque ita demum animos plurimorum, ut affentirentur, commoviffe, non paucos etiam metu potentiæ in obfequium traxiffe. Tum multitudo omnis generis Athenas traducta, & novæ fedes circum urbem veterem, arcis inftar editiore loco maxima fui parte fitam, pofitæ, urbs amplitudine & hominum frequentia omnes Græcas ejus temporis multum fuperans fubito nata, & mœnibus cincta. Simul vero Rex, ut ex confufa multitudine civitatem formaret, primum omnium in claffes tres univerfos diftinxit, quarum prima effet patritiorum, altera agricolarum, tertia opificum: omnes autem communione juris, unius & ejufdem civitatis inter fe devinctos ad fpeciem quandam æqualitatis redegit: in qua dignitate patritii, utilitate agricolæ, numero ac robore opifices præftarent. Patritiis vero quibus maxime conciliatis habebat opus, & ampliffimis promiffis fefe obligaverat, hoc præcipuum tribuit, fi *Plutarcho* credimus, ut hi foli, id quod Regum effe folet, facra curarent, magiftratus & dignitates caperent, leges interpretarentur, in iis, quæ ad religionem & religiofa pertinebant, quid fas effet, dijudicarent. Utrum autem ex hac Thefei conftitutione, iidem quoque jus acceperint, defignandi eos ex claffe fua, qui magiftratus gererent, an claffibus cæteris hoc tributum fit, ut in communionem fuffragiorum cum iis venirent, id ex verbis *Plutarchi*, ex quo hæc de Thefeo habemus, non liquet. Verba ejus hoc tantum fignificant, tributum effe a Rege patritiis, dare magiftratus, παρέχειν ἄρχοντας. Quemadmodum cætera quoque de magiftratibus iifdem ignota nobis manent, cujufmodi ii fuerint, quis eorum ordo, quæ poteftas ac munus, & quanti temporis, aliaque his fimilia. Quod fi tamen conjecturæ aliquis locus, verifimile puto, fuffragiis claffium inferiorum, aut fimul omnium ex claffe fumma magiftratus effe creatos. Nam fi fecus res habuiffet, quomodo dici ab Ifocrate potuiffet, quod apud eum eft in encomio Helenæ, & Panathenaica, a Thefeo popularem ftatum effe introductum, & ad ejus formam a pofteris eundem reftitutum? quomodo a Plutarcho hoc ipfo loco, noluiffe eum democratiam fuam confufam effe? quomodo a Paufania in Atticis, Thefea popularis ftatus fuiffe auctorem? Quæ enim populi partes in civitate, fi jure fuffragii in creandis magiftratibus & negociis fimilibus deftituatur? Sed hoc in medio relinquo. Ad cætera me confero, quæ ex *Plutarcho* clarent. Thefeus his in populum collatis fe pene regio jure exuit, nomen modo Regis, & cuftodiam legum inftitutorumque, ac imperium militare cum dignitate, ficuti promiferat, fibi refervavit: abolitis prytaneis, & curiis & magiftratibus oppidorum aliorum, unum prytaneum commune, curiam unam, (Βουλευτήριον vocat *Plutarchus*) conftituit Athenis eo loco, ubi tempore Plutarchi adhuc erat. In harum rerum memoriam ab ipfo folenne feftum inftitutum effe, diverfi auctores prodidere, quod μετοίκια a navigatione [1], συνοίκια a cohibitatione, παναθήναια a celebritate cunctis Athenienfibus communi dixere, quotannis die XVI. menfis Hecatombæonis inftaurandum. Ipfe ab omni pofteritate alter Athenarum conditor, tum ob ampliatam urbem, tum ob rempublicam fecundum libertatem formatam celebratus. Et hic tamen ab eadem hac civitate tot beneficiis a fe ornata per Mneftheum agnatum & æmulum fuum, Procerefque alios, qui adverfis animis morem ei gefferant, & in fedibus prioribus procul a Rege primas, quam Athenis fub oculis Regis fecundas tenere maluerant, quos Mneftheus in partes traxerat, concitata, in exilium actus vitam in eo finiit. Regnum Mneftheus invafit, & tenuit annos XXIII. Cum hoc lapfu fortunæ Thefei ftatum quoque reipublicæ ipfo auctore inftitutum, turbatum effe, ac in pejus iviffe, dubium non eft. Et quanquam extincto Mneftheo, qui ad Trojam cum reliquis Græciæ Principibus militatum ierat, & in reditu vita decefferat, Demophoon, Thefei filius regnum receperit, tamen in integrum reftitutam ab eo rempublicam effe, verifimile non eft. Quis enim credat, filium Regem non fuccenfuiffe populo ob extremam hujus in patrem fuum ingratitudinem, & tanto patris beneficio indignum cum exiftimaffe? Interea manfere reliquiæ libertatis ex forma Thefei: verum regia poteftas aucta rurfum luminibus libertatis offecit, & in arctum eam redegit. Quod refufcitandæ gratiffimæ memoriæ beneficiorum Thefei in animis populi fuit. Quæ cum tempore creviffet, maximus Heroi honos a pofteris habitus: παναθήναια etiam Θησεῖα nuncupata, templum eidem ftructum, ac offa demum diligenti cura quæfita in infula Scyro, in qua perierat, & in patriam relata. Et pofteritas quidem ipfius cum ejufdem

[1] Voluit, opinor, *migratione*.

pronepotibus extincta fuit. Successere ei Reges alienigenæ: quod hoc modo accidit. Regnabat tum Athenis Thymœtes Thesei pronepotum alter Oxynthæ filius nothus, qui ut regno potiretur, fratrem suum Aphidanta legitimo toro natum interemerat. Hunc exorto forte inter Athenienses & vicinos Bœotos bello de finibus, cum finiendæ controversiæ causa, Bœotorum Rex ad duellum provocaret, detrectantique discrimen insultaret cum probro nominis Attici, præsto fuit Melanthus Andropompi filius adscititius civis, Pylo in Peloponneso oriundus, Periclimeni, qui frater fuit Nestoris, abnepos, cum aliis e patria profugus & civitate Attica donatus, discrimen certaminis in sese pro republica & honore civitatis recepit, & cum provocante viribus fiso congressus, victoriaque nobili per fraudem potitus, dejecto Thymœte regnare jussus est. Atque ad hujus rei gestæ memoriam conservandam Apaturiorum festum a populo institutum. Melantho regnante Iones armis Achæorum in patria pressi populariter ex Peloponneso Athenas venere, & satagente Rege in jus civitatis admissi urbem agrumque multitudine repleverunt. Melanthi filius Codrus patri suffectus cum bello Doriensi difficillimo pro salute reipublicæ morti se devovisset, in confertissimos hostes irruens & eorum telis se objiciens gloriose occubuit, Regum Atticorum postremus. A morte enim ejus nomen regium, quod id libertati grave videretur, abrogatum. Successori filio ejusdem Medonti, Principis seu Prætoris nomen datum, (ἄρχοντα Græci dicebant,) & cum novo nomine, quod magis secundum libertatem erat, potestas etiam diminuta, ut esset dedendis rationibus obnoxia, quemadmodum nos docet Pausanias περιηγήσεως libro quarto, licet duraret ad vitæ finem. Quo in principatu cum essent Medon & qui ei successit Acastus, ac hominum frequentia nimia urbs totaque regio laborarent, (nam & Athenienses libertatem, quam diximus, a Theseo adepti, non parum multiplicati erant affluente assiduo novorum civium numero, & accesserat nuper Ionum ingens multitudo,) coloniæ in Asiam Ducibus Codridis regio sanguine natis missæ, urbesque clarissimi nominis conditæ aut auctæ, Ephesus, Miletus, Priene, Teos, Lebedus, Phocæa, Samus in insula, Myus, Athenarum filiæ. Fuere autem Archontes hujusmodi perpetui post Codri mortem ordine sibi succedentes e regio sanguine prognati numero XIII. duravitque status is per annos CCCXV. Ultimus illorum Principum Alcmæon cum biennium nondum in principatu fuisset, fato functus occasionem novandi iterum status civitati dedit. Nam pertæsa principatus perpetui, quo freti liberius Principes agere occipiebant, eum in decennalem commutavit: primusque Archon istiusmodi designatus est Charops. Quem secuti sunt alii sex: quorum postremus Eryxias cum implesset principatus sui annum sextum sive morte sublatus, sive ob delictum honore privatus, quod magis mihi vero simile videtur, novæ rursum, eique multo maximæ mutationi fores aperuit. Populus enim plenioris libertatis desiderio inardescens, imperio unius prorsus abrogato, IX. Archontes creavit annuum tantummodo imperium habituros, suffragiis designatos ex iis, qui genere, opibus, gratia, quod Thesei instituto congruum erat, in civitate prævalebant. Qui cum annuum munus explessent, idem populus, ut lex habebat, totidem alios ex eodem civium ordine suffecit: idque repetitum deinceps stato tempore quotannis. Erat vero horum Novem-virum, quos Archontes dicebant, primis illis temporibus potestas perampla, pene ut totam rempublicam cura sua complecterentur, quanquam multos magistratus inferiores sibi subjunctos haberent. Et Archontes hi ut muneribus in communi republica, ita quoque appellationibus distinguebantur. Nam eorum primus proprie ἄρχων, velut collegii princeps, idemque ἐπώνυμος, quod annum, quo magistratum gerebat in fastis publicis nomine suo signaret, nuncupabatur; alter Rex, tertius Polemarchus vocabantur: reliqui sex Thesmothetæ. Ex his Archon præter curam sacrorum Bacchanalium, & Thargeliorum, ut ex iis, quæ post latas a Solone leges in usu fuerunt, colligimus, lites varias inter conjuges, parentes, liberos, proximos, propinquos, defunctorum hæredes, ac similes alias cognoscebat, & de iis judicabat, pupillos etiam & pupillas curabat, ac tutores iisdem dabat. Rex, ut mysteria Eleusinia, & sacra Lenæa, item Minervæ, Iovis, Apollinis, Vulcani, Promethei rite fierent, dabat operam; deinde variarum quoque causarum forensium tum criminalium tum civilium cognitor erat, & quas ipse non definiebat, ad tribunalia majora referebat. Polemarcho præter sacra quædam Dianæ ac Martis, cura belli & rerum militarium potissimum commissa fuit: unde nomen ei datum: in expeditionibus supremum imperium habebat, domi peregrinis jus dicebat, eosque censum non solventes mulctabat. Thesmothetæ erant juris custodes, legumque & institutorum vindices: quin & juri dicundo multum quoque ipsi vacabant, criminum suspectos custodiæ tradebant, gravioris momenti causas, ut Archontes cæteri, in judicia majora introducebant. Nam fuisse jam tum in usu apud Athenienses judicia hujusmodi, uti Areopagi & Ephetarum, aliaque tum criminalia tum civilia, atque adeo a Regum temporibus ea defluxisse, quanquam rudia adhuc & impolita fuisse arbitrer, mihi dubium non est, ut suo loco dicemus plenius. IX. viri autem hi non uno loco omnes, sed alii locis aliis, quæ δικαστήρια nuncupabantur, jus dicebant. Conjuncti vero convocandi populum, & cum eo agendi, quæ olim Regum, deinde Archontum perpetuorum, ac demum decennalium solebat esse, potestatem habebant. Verum status hic libertatis ex fundamento, quod jecerat jam olim Theseus, magis adhuc ad solorum nobilium ac divitum potentiam, quam ad rationem popularem erat directus, & potius consuetudine institutisque majorum, arbitriove magistratuum ac judicum quam legibus scriptis regebatur: quod peccandi licentiæ, ac variis vitiis, & discordiæ odiisque mutuis ferendis & fovendis occasionem dabat. Quapropter avertendis majoribus incommodis ac periculis, circiter annum ab Novem-virum initio quinquagesimum tertium Draconi civi cum primis spectato & gravi sapientique, sed ingenii plus satis severi, scribendarum legum potestas a civitate demandata fuit. Legesque ab eo cum aliæ, tum quæ reprimendis delictis, & criminibus puniendis essent, latæ sunt insigniter severæ: & Ephetarum tribunal melius formatum confirmatumque, in quo viri vita integri, ætate quinquagenariis non minores, numero LI. sederent, ac de cædibus similibusque criminibus majoribus judicarent. Areopagi judicium, quale erat jam ante, relictum. Verum cum ob severitatem nimiam (nam delictis fere omnibus pœnam capitis irrogabant, ideoque apud posteros dictitatum, videri eas non atramento sed sanguine esse scriptas) cum progressu temporis leges hæ inciperent displicere, cumque primorum tumesceret ambitio, & avaritia atque iniquitate locupletum premeretur inops plebs cresceretque supra modum æs alienum, atque hinc discordia & factiones: existerent, periculosique motus libertati exitiales viderentur imminere, omnium vero maxime divites ab ira plebis sibi metuerent, tandem ad extremum civitatis casum declinandum oculi omnium in SOLONEM sunt conversi, virum nobilissi-

mum, sanctissimum, reipublicæ amantissimum, A & supra omnes non sapientia solum, sed etiam justitia celebrem, quem solum mederi his malis, & saluti civitatis quam optime consulere posse universi putabant. Placuit igitur, ei qui paulo ante ad componendas res tantopere turbatas tyrannidem oblatam repudiaverat, arbitrium constituendæ totius civitatis, & novarum legum ferendarum liberrimum permittere. Atque is accepta potestate Archon creatus a promulganda σεισαχθεία, quam alii totius æris alieni abolitionem, alii fœnoris, & ejus quod ex fœnore cumulato provenerat, remissionem aut moderationem æquam interpretantur, fecit initium; B & ut eam patientius divites ferrent, primus exemplo suo prævivit, bona pecuniæ summa debitoribus suis condonata. Simul constituit ad facilius dissolvendum, quod debebatur, ut mina Attica, quæ antea drachmis tantum LXXV ut ait *Plutarchus*, æstimabatur, pro drachmis centum in solutum cederet: vetuitque ne quis in posterum obligato accipientis corpore pecuniam fœnori daret. Deinde leges Draconis omnes, præterquam quæ de cædibus erant, propter asperitatem abrogavit. Cætera sic constituit. Tribus in civitate quatuor, uti a priscis sæculis fuerant, reliquit, in quas totus populus erat divisus: quibus nomina erant a Rege Erechtheo ex vitæ genere C hæc indita; armati, opifices, agricolæ, caprarii: nec in his distinguendis quicquam faciebant inopia aut rerum copia. Quælibet autem tribus in curias tres, & rursum quælibet curia in gentes XXX. erant divisæ. Reliquit etiam distributionem totius civitatis in partes alias, quas δήμους, id est, populos vocabant: quæ distributio magis ad originem ex oppidis & pagis nobilioribus totius regionis Atticæ, quam ad rationem aliquam aliam relata fuisse videtur: quamvis quilibet δῆμος ad certam tribum pertineret. Verum aliam partitionem universi populi ipse introduxit prorsus novam. Nam quoniam reipublicæ interesse putabat, ut, quorum plurimum referret, D rempublicam esse salvam, ii in rebus administrandis plus reliquis etiam possent, primum ex censu populum totum distinxit in classes quatuor. Deinde ex harum prioribus tribus, quæ res soli possiderent ad modos certos, & ex his fructus perciperent, (hæ enim tum præcipuæ opes Atheniensium erant) capi eos voluit, qui annuos magistratus omnis generis gererent, & reipublicæ curandæ administrandæque potestatem haberent. Reliquæ plebi, quæ quarta classe censebatur, & numero priores omnes multum superabat, quam τῶν θητῶν, id est, operariorum aut mercenariorum vocabant, judicia & obeundarum concionum jus, communia huic cum cæteris E futura, assignavit. Quod ut *Plutarchus* ait, initio pene nihil visum, post usu ipso ingens omnino deprehensum. Plurimæ enim controversiæ ad judicia illa deferebantur, & quæcunque earum ad cognitionem magistratuum pertinebant, de iis omnibus provocare ad judicia cuilibet volenti licebat. Penes concionem autem rerum summa, & mandandorum honorum, qui per suffragia conferebantur, potestas erat. Et Aristoteles libro politicorum secundo, capite decimo, qui locus apud eum illustris est, scribit, existimare quosdam, pene nimium a Solone plebi esse indultum, qui & judiciorum F sortito constituendorum, & eligendorum magistratuum, rationumque ab ipsis reposcendarum potestatem ei concesserit. Atque idem eodem loco affirmat, hoc jus tum eligendorum, tum rationum examini subjiciendorum magistratuum, quamvis magnum, tamen maxime necessarium conservando plebis statui concessum ei esse: quo si careret, sine dubio inimico in rempublicam animo eam esse futuram. Et hac quidem ratione insigni temperamento, ut ait *Plutarchus*, ac fatetur quoque *Aristoteles*, multitudinis jus optimatum juri Solon quasi æquavit, & simul perniciosas factiones diacriorum, pedieorum, paraliorum, quæ tum civitatem sciderant, ex Cylonia seditione nuper ortas, extinxit: quorum primi popularem statum, alteri paucorum potentum, tertii mixtum flagitabant. Videtur autem in his populi Attici partitionibus talis tribuum fuisse ratio ad classes, ut earum quælibet partem quasi quartam complecteretur cujuslibet classis, & quælibet classis per omnes quatuor tribus spargeretur, quemadmodum Romæ quoque diu res habuit. Ad reliqua eamus. Collegium IX. virum quale ante Draconem & post eum fuerat, in civitate Solon reliquit. Sed populine suffragiis in comitiis, ut mos hactenus habuerat, an mutato more per sortem in Thesei fano, quod post ejus sæculum in usu fuit, designari IX. viros jusserit, id dubitationem habet. De sorte affirmat *Sigonius*, non futilibus argumentis nixus depromptis ex verbis magnorum auctorum, *Plutarchi*, *Lysiæ*, *Demosthenis*: quæ sane dubitare nos non sinunt, a temporibus Xerxeis usque ad dominatum Macedonum per annos circiter CLX. quotannis sorte eos esse lectos. Nam Plutarchus in Pericle causam ostendens, cur Pericles in Areopagi senatu non fuerit, planis verbis dicit, Archontem, Regem, Polemarchum, Thesmothetas antiquitus sorte creari solere, sortemque hanc ei non favisse. Et idem Plutarchus in Aristide, Idomenea testem advocans, affirmat, hunc non sorte, sed populi suffragio Archontem esse factum, quod arguit, in usu quidem tunc in designandis Archontibus sortem fuisse, sed extra ordinem ob spectatam viri virtutem statim post prœlium Platæense, in quo alterius cornu summus præfectus steterat cum Atheniensibus suis, hunc magistratum ei esse demandatum. Lysias vero in actione contra Andocidem disertis verbis docet, suo tempore IX. viros Archontes sortito honorem eum esse adeptos. Verum an Solonis institutum hoc fuerit, an vero ab aliis post eum, qui leges reipublicæ dedere, sit introductum, ex hisce liquere nequit. Unus modo Demosthenis locus in Leptinea id liquidum facere potest videri. Sic enim verba ejus habent, non censuisse Solonem, cum certum modum ferendarum legum novarum posteris præscriberet, Thesmothetas legum curatores sorte jam designatos, antequam ad ineundum magistratum admitterentur, bis oportere examini subjici, in senatu primum, deinde in judicio, leges autem ipsas temere, & sine ullo examine recipi æquum esse. Ecce, τοὺς θεσμοθέτας, inquit, τοὺς ἐπὶ τοὺς νόμους κληρουμένους δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν. Res videtur esse clarissima, & sortito Thesmotheta, qui in numero IX. virum erant, fuisse designatos, & institutum a Solone manasse. Verum obstat sententiæ huic illustris, & atque, ut, quod res est, dicam, irrefragabilis auctoritas Aristotelis, viri etiam maximi, quæ extat eodem loco, quem ante notavi, politicorum libro II. capite X. Ibi namque de νομοθεσίᾳ Solonis disserens Philosophus perspicuis verbis affirmat, Solonem leges scribentem non senatum modo Areopagi, sed morem etiam eligendi magistratus, ut ante in civitate fuerat, reliquisse, judicia autem cum plebe communicata, in quibus sortis esset usus, ad augendum jus plebis, cum eorum ratio alia ante fuisset, introduxisse. Per ἀρχὰς vero αἱρετὰς potestatem ac munus IX. Archontum, qui præcipui magistratus Athenis erant, eum intellexisse, & αἵρεσιν istam sortitioni judicum opposuisse, nemo dubitare poterit, qui locum ipsum inspicere, & verba expendere volet. De quo ad omnes pertinacibus præjudiciis non occupatos provoco. Miror vero *Sigonium*, quod salvo honore tanti viri dictum volo, in alium finem locum istum magna ex parte exscriptum in medium addu-

xisse, & ea, quæ ad hanc quæstionem proprie pertinent, non expendisse pressius. Cur autem non solum non postponendam, sed etiam hac in re anteponendam Philosophi hujus auctoritatem auctoritati Oratoris, quamvis viri summi, arbitrer, aut potius, cur hanc magis quam illam sententiam ex verbis utriusque promendam putem, dicam loco alio, ubi commodum erit, ne heic fiam nimis prolixus. Discedo igitur heic a sententia *Sigonii*, quem sequor alioqui libenter, statuoque IX-viros Archontes αἱρετὰς a Solone relictos esse: κληρωτὰς autem esse factos, cum annis circiter LXXXVI. post Solonis νομοθεσίαν alia quoque in republica sunt mutata: de quibus dicemus post. In cæteris, quæ de Archontibus his traduntur, *Sigonio* assentior. Nituntur enim testimoniis certis magnorum auctorum. Quorum summa hæc: non ante eos munus suum iniisse, aut ad dicendum reipublicæ sacramentum fuisse admissos, quam in senatu de natalibus, de tribu ac populo, de omni vita anteacta, præsertim de officiis in parentes interrogati ita, ut leges poscebant, & ut cives eo loco dignos decebat, respondissent, & rursum acrius in judicio essent excussi probatique: ac tum demum in porticu regia solemniter jurasse, leges se servaturos, nec dona accepturos, aut de acceptis si convincerentur, statuam auream ejus magnitudinis, cujus erant ipsi, Delphis se repensuros: idemque jusjurandum dedisse adscendentes in arcem corona myrtea redimitos. Sic enim leges præcipiebant, ne quis, nisi vitæ esset castæ, & famæ integræ, & utroque parente, avo, avia, proavo, proavia, civibus Atticis ingenuis & honestis ortus, in eosque officiosus in hoc collegium reciperetur: fueruntque ob dignitatem ejus eo exclusi peregrini civitate donati, quamvis ex his post acceptam civitatem geniti in id recepti. Muneris autem partes singulis in collegio, Archonti, Regi, Polemarcho, Thesmothetis, tum in jure dicundo, tum in aliis reipublicæ negociis curandis specialius & certius quam fuerant ante, a Solone descriptæ. Præmium omnibus magistratus hujus probe ac sine vitio gesti tributum ab eodem, adscriptio in Areopagitas, quorum honos cum amplissimo munere erat perpetuus. Præter hoc IX-virum collegium, de quo dicendum rursus, ubi de magistratibus hujus reipublicæ variis & multis agetur, Solon distincta in civitate concilia esse voluit, præcipua nempe & maxima ejus membra, ex quorum apta compagine reipublicæ a se ordinatæ forma existeret. Horum amplissimum erat CONCIO, in quam coibat universus populus, & cujus erat suprema in civitate potestas: de qua etiam plura suo loco. Huic vero tanquam grandi navi fluctuationi & tempestatibus obnoxiæ alia duo adjuncta fuere velut anchoræ ejus, ut loquitur *Plutarchus*, quæ proprie senatuum titulo afficiebantur. Eorum alter aliquoties jam memoratus, ex loco, ubi conventus & consessus sedem habebat, Areopagiticus fuit nuncupatus: quem ante Solonem in civitate non fuisse, veterum quidam videntur existimasse. Cicero quippe lib. I. Offic. cap. 22. sic ait: *Laudetur jure Themistocles, & sit ejus nomen quam Solonis illustrius, citeturque Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas.* Et paulo post: *Est enim bellum gestum consilio senatus ejus, qui a Solone erat constitutus.* Plutarchus vero hac de re disputans, *Vulgatior*, inquit, *fama est, Areopagitarum concilium a Solone esse constitutum: & hanc opinionem eo maxime probari existimat, quod in legibus Draconis nulla fiat Areopagitarum mentio, & quod de Dracone liqueat semper eum de rebus capitalibus cum Ephetis egisse.* Sed refragatur his summa *Aristotelis* auctoritas, cui sine dubio Attica notiora fuere, quam *Plutarcho*, atque adeo ipsi etiam *Ciceroni*. Nam & diu Athenis vixit docuitque, cum his fortuna adhuc esset

A integra, & cum cura in res hujusmodi, quod scripta ejus docent, inquisivit, cum tota νομοθεσία Solonis in tabulis descripta haberetur incolumis. Is loco illo insigni, bis jam ante a nobis laudato, politicorum libro secundo de Areopagi Senatu, & de statu universo reipublicæ Atticæ a Solone formatæ disserens sic scribit: *Ἐοίκε δὲ Σόλων ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον ἐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν, καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν: τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων. Videtur*, inquit, *Solon illa prius jam in usu posita non sustulisse, senatum scilicet, magistratuum electionem: populum vero, id est, popularem potestatem constituisse omnibus ad judicia admissis.* Et expressim
B nominat ibidem senatum Areopagi, ut dubium tollat, quo de senatu loquatur. Quid requiri potest evidentius? Fuisse dicit Areopagi senatum jam ante Solonem, ab eo autem non sublatum: quod opinionem *Ciceronis* prorsum evertit. Accedit ipsius confessio Plutarchi. Hic enim ait, in tabula XIII. Solonis, lege VIII. hæc ipsa verba scripta fuisse: *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν, ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ, ἢ σφαγαῖσιν, ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε. Quicunque* (inquit) *infamia notati erant Solonis magi-*
C *stratum, eis honores capere liceat, præterquam qui ab Areopago, aut ab Ephetis, aut in Prytaneo homicidii aut jugulationum, aut appetita tyrannidis damnati a Regibus exulabant tum, cum ea lex est lata.* Quibus subjungit Plutarchus, videri ex verbis his, etiam ante rempublicam a Solone constitutam Areopagitas fuisse. *Qui enim fuissent* (porro inquit) *ante Solonem in Areopago damnati, si Solon primus Areopagitis judicandi potestatem dedit?* Reges vero, quorum in lege hac Solonis mentio fit, non alii intelligendi sunt, quam qui secundum locum in ordine IX-Archontum tenuere: ad quos pertinebat causas hujuscemodi audire, & in δικαστήρια majora introducere
D & cum cæteris sententiam ferre, aut etiam totius consessus nomine pronunciare. In iis quæ post hæc addit idem *Plutarchus*, vere nodum in scirpo quærere potest videri. Dicimus igitur, Solonem non auctorem primum senatus hujus fuisse, sed usitatum jam pridem formasse melius, & constituisse firmius, munusque & potestatem ejusdem ampliasse. In hunc finem allegit in eum IX. virum munere sine vitio defunctos: voluitque hoc idem fieri deinceps quotannis, ut scilicet IX-viratu decedentes consilio Areopagitarum accrescerent, si modo legi ab iis esset satisfactum. Lex autem jubebat, ut annuo munere ex-
E acto examini se sisterent, apud λογιστὰς & εὐθύνους, & rationes administratæ reipublicæ actorumque suorum redderent: in quo examine, quod haudquaquam ludicrum aut perfunctorium, sed severum inprimis & acre erat, excitatis quoque publica præconis voce ad accusationem ipsorum æmulis, si sine labe reperirentur, ut tum demum honos ille iis tribueretur. Venerandum enim hunc senatum, atque ideo labis omnis expertem esse voluit, qui summam auctoritatem in tota civitate esset habiturus. Quam ob rem non alios quam in maximis reipublicæ negociis jam ante versatos, rerumque summarum peritos, & culpæ infamiæque exsortes senatores in eo esse sivit.
F Nam ἐφόρειαν ac ἐπισκοπὴν intendentem in omnes reipublicæ partes legumque ac institutorum bonorum conservationem ei tribuit, & avertendorum obrepentium vitiorum curam demandavit. Quinetiam cognitionem ac judicium gravissimorum criminum, cædis consulto patratæ, veneficii, incendii, proditionis, ac similium, quæ capitis pœnam merebantur, eidem dedit. Denique censuram morum ac vitæ omnium civium, maxime vero juniorum, senatui huic assignavit. Quo capite muneris sui fretus hic idem senatus, quid quisque civium ageret, quo quæstu se suosque

sustentaret, inquisivit, ignaviæ, ac inertis otii, item petulantiæ nequitiæve compertos, pœna affecit: adeo ut memoriæ proditum sit, teste Quintiliano, damnatum ab eo puerum esse, quod coturnicibus oculos soleret eruere, quia id indicium esset pravæ indolis. Quocirca quicquid bonorum morum in civitate fuerat ante sua tempora, & studii virtutis, cum res Atticæ florerent, id *Isocratis* vir summi judicii senatui Areopagitico adscripsit. Qui idem hoc quoque memorat, tantæ existimationis ac gravitatis senatum hunc etiam corruptiore sæculo suo fuisse, ut compertum sit, si qui minus boni ac integri in eum semel obrepsissent, hos fere compressa natura sua prava ex concilii istius instituti potius quam ex indole ac more suo priore deinceps vixisse. Et memorabile quoque hoc, quod ex Hyperide oratore Demosthenis æquali prodit Athenæus, ad excludendum hoc gravissimo consessu satis criminis fuisse, (erat enim hoc pervile apud Athenienses) in caupona sedisse, & cibum ibi cepisse. Duo vero Areopagitis singularia fuere, ab omnibus reliquis, qui rempublicam administrabant, diversa: prius, quod numero essent incerto, cum plures interdum, interdum pauciores e Novem-viris magistratu decedentibus (id enim seminarium unicum senatus Areopagitici erat) ob severum in eos examen concilio accederent, & alias major ipsorum numerus, alias minor vita aut concilio decederent: alterum quod in munere manerent, quoad viverent, nisi forte committerent aliquid, ob quod consortio senatus tam venerabilis ac sancti censerentur indigni, atque ita loco dejicerentur. In causis etiam cognoscendis hæc ab iis observata fuisse ex monumentis veterum discimus, a more aliorum cognitorum pleraque abhorrentia. Rex IX-vir, apud quem actor eam intendebat, actionem in senatum introducebat, ac una cum senatu posita tantisper corona sedens de causa judicabat. Ante actionis reliquæ initium accusator, ex formula juratus affirmabat, reum fecisse, de quo accusabatur; reus similiter juratus inficiabatur: Tum utrique bis dicere pro se, ac reo quoque post primam dictionem solum vertere permittebatur: cogebantur ambo dicere ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, id est, nec exordio uti ad conciliandos animos, nec peroratione ad animos commovendos: ac audiebantur a judicibus summo silentio, unde natum proverbium, *Areopagita taciturnior*: addunt quidam, noctu & sub dio, hæc acta. Sententiæ ferebantur suffragiis occultis per calculos dissimiles ab ara sumptos, ac tacite in sitellam immissos. Conveniebat hic senatus ordinarie ter tantummodo quolibet mense diebus legitimis, & quidem in pago Martio, unde ei nomen: extra ordinem vero re poscente in porticu regia. Si quid ad hunc de republica referendum esset, retulisse putantur Archontes Novem-viri. Mansit ejus auctoritas integra stante libertate, usque ad ætatem Periclis, qui studio augendæ libertatis ac potentiæ popularis, & premendi status optimatum, cui præcipuus patronus erat Cimon Miltiadis, ejus æmulus, per Ephialtem oratorem subornatum, civem prædivitem & gratia populi validum, nervos ei ex parte incidit: eoque facto immoderatam plebi potentiam in republica paravit, ut instar effrenis ac indomiti equi sæpe, quo libido ferebat, iret. A quo tempore senatus quoque hic Areopagiticus, ut cætera imperia omnia, ὑπεύθυνος, id est, reddendis rationibus obnoxius videtur esse factus: quod in more positum fuisse, & lege quoque sancitum sua ætate oratores *Demosthenes* & *Æschines* ostendunt. Nec tamen ideo eviluit ejus dignitas, nec jus concidit, sed duravit usque ad ultima civitatis tempora, etiam sub tyrannis & dominatu quorumvis aliorum.

Atque hactenus dicta de IX-viris & Areopagitis. Omnia ad optimatum statum a legislatore directa fuere. Nam IX-viros ex lege ejus, ut est demonstratum, non nisi deliberato liberisque suffragiis ex optimis & honestissimis civibus eligi oportuit: & ex hoc seminario non nisi δοκιμασίᾳ aut ἐξετάσει rursum probati in senatum Areopagi sunt admissi. Cætera vero, quæ deinceps dicentur, magis popularia fuere. Nam alterum concilium, firmandæ moderandæque concioni ab eodem Solone institutum, fuit Senatus virorum CCCC. amplissimi muneris & summæ dignatis in civitate, ad quem negocia omnia ad rempublicam pertinentia referebantur, ab eoque examinabantur, & decreto interposito vel terminabantur si momenti essent minoris, vel si pondus haberent majus, populi judicio porro subjiciebantur. Quod quam late pateret, Xenophon de republica hac disputans his verbis velut negotiorum præcipuorum fasciculum breviter constringens nos docet. Δεῖ δὲ τὴν βουλὴν, inquit, βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων, πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως, πολλὰ δὲ περὶ τῶν κατὰ πόλιν ἀεὶ γιγνομένων, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ φόρον δέξασθαι, καὶ νεωρίων ἐπιμεληθῆναι, καὶ ἱερῶν. *Senatui*, ait, *deliberandum de bello, de pecuniæ paranda copia, de legum latione, de iis quæ quotidie in rebus urbanis accedunt, de sociis quoque: ad hæc accipienda tributa, cura navalium & rerum sacrarum sustinenda*. Horum autem senatorum munus ex lege annuum tantum fuit, quanquam concilium ipsum in republica instituti fuerit perpetui. Senatorum designatio quotannis fiebat hoc modo. Curatores aut præfecti tribuum singularum stato anni die ante ineuntem mensem Hecatombæonem nomina omnium tribulium suorum, qui vel per ætatem vel per classem honoris hujus capaces erant, honoremque petebant, in vas unum huic rei aptum conjiciebant, in vas alterum totidem fabas, quarum C. erant albæ, reliquæ omnes nigræ, inferebant. Tum ordine nomina singulorum cum singulis fabis ex utraque urna extrahebantur, & quorum nomina cum fabis exibant, illi senatores intelligebantur designari. Sic ex quatuor tribubus numerus senatorum CCCC. complebatur: totaque hæc res incertæ sortis erat, sine suffragiis. Deinde ex omni senatorum novorum numero Prytanes etiam sortito designabantur, qui quasi compendium totius senatus conficiebant, totumque senatum velut principes ejus regebant, sive XL. sive L. Hoc enim parum ex veteribus monumentis, quoad Solonis institutum, liquet: quemadmodum nec de proedris, nec de epistata, qui etiam senatus totius pars erant, imo senatui præsidebant. Nec Prytanes quo ordine sibi vicissim successerint, (vero simile tamen secundum tribus sorte ductas id factum,) nec quanti temporis quælibet prytania tunc fuerit, dici certo potest. Rem vero in orbem ivisse per anni partes, & dignitatem ad omnes senatores intra vertentem annum pervenisse, facile persuaderi mihi sivero. Sed hæc, manente re eadem, in ordine ac forma post annos circiter LXXXVI. quam hæ leges a Solone latæ fuere, a Clisthene mutata sunt. Is namque ex posteris Alcmæonis civis cumprimis nobilis & potens post exactum Hippiam tyrannum Pisistrati filium de principe in libera republica loco cum Isagora Tisameni cum contenderet, animadverteretque hunc optimatum studio superare, totum populo se dedens, ut ejus gratia æmulum vinceret, anno, ut dixi, circiter LXXXVI. post leges a Solone latas, ex quatuor tribubus civitatis decem fecit, Senatumque hunc quadringentorum centum viris auxit, ut essent in eo senatores quinquenti. Tribubus nomina nova dedit: prima ab eo Cecropis dicta ex primo civitatis conditore. Hanc secutæ Erechtheis, Pandionis, Ægæis, similiter a Regibus denominatæ: tum Oeneis,

Acamantis, Leontis, Hippothoontis, Antiochis, Ajacis. Ex harum qualibet quotannis quinquaginta sortito designari jussit; qui in senatu sederent, & negocia reipublicæ ex instituto Solonis tractarent. Designandi modum retinuit eundem, quem supra exposui. Sed fabas albas, quod ratio poscebat, L tantum proc. singulis tribubus dedit. Eaque ratio, quæ tota ad palatum populi erat, in republica deinde mansit diutissime, quanquam Clisthenes æmuli contentione, vi Cleomenis Regis Laconici, prætextu alio e civitate exturbatus exilium aliquandiu perferre necessum habuerit. Ex quo tempore Prytanes senatus præsides L. semper fuere omnes ejusdem tribus, per sortem quoque designati, decem tribuum nominibus in hydriam unam, fabis novem nigris cum una alba in alteram conjectis atque ordine inde eductis. Cujus enim tribus nomen cum faba alba primum exibat, ea senatui in prima prytaneia præsidebat; quæ secundo, in secunda; quæ tertio, in tertia; quæ quarto, in quarta, atque ita deinceps. In qua sortitione hoc observari necesse erat, ut, quot tribus jam exierant, tot fabæ nigræ ex numero noveno detraherentur. Prytanea autem tempus erat dierum XXXV. decima scilicet pars anni Lunaris, quo Athenienses olim in sacrorum & magistratuum ratione plurimum sunt usi, demptis diebus IV. ut placet Sigonio, qui de republica Attica, ut dixi, prolixissime & eruditissime scripsit: quanquam ab eo hac in parte magnus *Josephus Scaliger* dissentiat, quemadmodum paulo post ostendemus. Præter Prytanes vero, ut vult idem Sigonius ex mente Arpocrationis scriptoris antiqui, itemque Iulii Pollucis, (quanquam Libanium Sophistam eruditissimum & rerum Atticarum veterum cognoscendarum studiosissimum, aut quisquis is fuit qui alterum argumentum orationi Demosthenis in Androtionem præfixit, quem ego diversum a Libanio fuisse reor, ab illis dissentire fateatur,) alii quoque in senatu præsides tunc erant ex re πρόεδροι dicti, numero IX. singuli ex singulis tribubus, quæ in prytaneatu non erant, per Prytanum ἐπιστάτην electi. Epistata hic putatur Prytanum caput fuisse, ac omnium eorum nomine discutienda in senatu proposuisse, maximæ in toto senatu auctoritatis, & qui annulum omnis secreti, & clavem pecuniæ publicæ servabat, sed erat brevissimi temporis, unius scilicet tantummodo diei, ut quotidie novus ei succederet. Prytanes vero ex officio suo non solum senatum convocabant, & regebant, sed etiam conciones totius populi. At Josephus Scaliger in antiquitatibus Græcanicis scrutandis & erudiendis vir maximus, de Prytanibus & προέδροις diversum a *Sigonio* sentit. Existimat enim Prytanes singularum tribuum diurnum tantum inperium habuisse, idque toties in orbem intra annum Lunarem recurrisse, ut tribus singulæ per dies XXXV. quotannis imperii istius compotes fierent: atque hac ratione superfuisse adhuc ad complendum annum Lunarem dies quatuor ἀνάρχους & ἀρχαιρεσίους, quibus Athenæ erant sine magistratu, & novi magistratus designabantur. Deinde προέδρους vult fuisse X. singulos ex singulis tribubus aut πρυτανείαις, eosque singulos reliquis XLIX. Prytanibus suarum tribuum præsedisse: & eosdem etiam X. προέδρους comitiis populi aut concionibus præfuisse. *Suidas* tradit (nam hoc quoque addere libet) duos fuisse Athenis Epistatas, priorem forte ductum ex Prytanibus, alterum ex Proedris. Illum dicit custodem clavium templi fuisse, in quo pecuniæ publicæ erant conditæ, atque item publici sigilli, eundemque quoties Prytanes senatum aut populum congregabant, sortito designasse Proedros IX. ex qualibet nimirum tribu unum, excepta ea, quæ tunc prytaneatum gerebat: ac rursum ex his Proedris sortitum esse ait Epistatam unum, & hunc

A negocium, de quo agebatur, proposuisse. Sed hujus sententiæ, quia, uti ego arbitror, vacillat non parum, accedere non audeo. Hoc vero extra controversiam est, ex instituto Solonis Prytanes assiduo fere in tholo egisse, loco curiæ vicino, atque ibi aures commodasse iis, qui aliquid de republica ad ipsos deferre cuperent, & negocia delata, in quibus momentum inesse putarent, tabellis inscripsisse, deque iis breviter inter se agitatis & expensis, prolixius ad senatum, quem ipsi quoque ex lege convocabant, retulisse: tum senatum jurejurando reipublicæ obstrictum deliberasse, & senatores singulos, quibus lubebat, assurgentes sententiam suam B dixisse, dictisque sententiis a Prytanum uno, aut senatore alio decretum fuisse scripto conceptum, scribentis nomine adscripto: deinde clara voce decretum recitatum, & occultis suffragiis totius senatus, fabis scilicet albis ac nigris in urnam conjectis, monente Epistata cujus hoc munus, subjectum, & majore suffragiorum numero probatum aut improbatum esse; probato nomen scriptoris, & tribus prytaneatum tunc gerentis fuisse præscriptum. Hæc autem agens senatus προβουλεύειν dicebatur, & decretum hoc modo probatum προβούλευμα, interdum etiam ψήφισμα nuncupabatur: quod deinde, si sic C placeret senatui, universo populo in concione porro examinandum proponebatur. Erat enim a Solone lege cautum, ne quid negocii hujusmodi, nisi ex præconsultatione & decreto Senatus hujus ad populum improvidum referretur: & si quis secus facere auderet, is reus violatarum legum haberetur, ac reipublicæ pœnas daret. Ita arbitrii senatus erat, negocium ad se delatum & examinatum ad populum referre aut supprimere. Si ad populum referebatur, is primum per χειροτονίαν declarabat, an sibi quoque de eo sciscendum putaret, an non. Quod si non, senatusconsultum in annum tantum valebat: si populus quoque sciscе- D ret, legis instar perpetuam vim habebat & tum proprie ψήφισμα dicebatur, quod ante προβούλευμα erat. Et hæc ratio duravit, quandiu civitati liberæ esse licuit. Interea Solonis illa lex, qua plebs a petendis annuis honoribus arcebatur, quæ eam velut nota quædam ignominiæ perpetuæ urebat, abrogata fuit, & jus quartæ classis cum cæteris exæquatum. Accidisse hoc, subinnuit Aristoteles eo loco, quem pluries jam laudavi; expresse autem docet Plutarchus in Aristide, statim post Persas Xerxeo tempore e Græcia profligatos, auctore præcipuo ipso Aristide. Sic enim scribit hic: *Cum plebs Atti-* E *ca, cujus prompta ac fideli opera & fortibus ausis tantæ res mari terraque potissimum gestæ erant, ex prælio Platæensi, in quo cornu alterum tenens Duce Aristide fortissime pugnaverat, hostemque sibi oppositum latissime ceciderat, victrix domum rediisset, animos extulit, & pertæsa conditionis suæ hactenus toleratæ popularem statum, sublato scilicet classium discrimine inviso, & jure omnium æquato prehendere meditata fuit.* Et significat Aristoteles, ab oratoribus plebicolis impulsam istuc incubuisse. Quod cum animadverteret Aristides, alioqui optimarum partium semper studiosus, videretque, plebem armis valere, & recentibus victoriis elatam cogi vi non posse, ac simul exi- F stimaret, ob virtutem non indignam esse, cujus ratio haberetur, decreto scivit, communis ut esset respublica, & magistratus ex omnibus Atheniensibus eligerentur. Præstare enim vir sapiens putavit, sponte concedere bene meritis, quam frustra obniti, & negare id quod petentes viribus suis freti ad sese rapere possent. Hoc vero scito curiam quingentorum, de qua jam agimus, patere plebeis cœpisse, extra controversiam est. Inter ἀρχὰς enim dignitatem hanc senatoriam esse numeratam, & ipsum senatum nobilem partem reipublicæ fuisse, nullus dubitare p-

A teſt, niſi ſit inſcitus. Sed notatu dignum eſt huc pertinens, quod Xenophon memoriæ prodidit de republica Attica diſſerens, ob robur, quod in plebe eſt propter res navales, æquum eſſe, ut omnes magiſtratuum omnium capeſſendorum, tum qui ſortitione, tum qui ſuffragio libero creantur, jus Athenis habeant, & ſententias de republica dicant: & tamen ea moderatione aut prudentia plebem ibidem deprehendi, ut a petendis iis magiſtratibus, in quorum adminiſtratione ſalus aut periculum totius populi vertitur, ſponte ſua abſtineat, eoſque illis, qui plurimum poſſunt, relinquat, contenta vero iis
B ſit, eoſque affectet, qui mercedem ſecum trahunt, & rei familiari quæſtum aliquem afferunt. Ad rem nunc redeo. Præter ea, quæ dicta jam ſunt, conſtat, cognoviſſe quoque ſenatum hunc cauſas τῶν ἀδυνάτων, qui ob inopiam ſtipe e publico juvari ſe petebant, de criminibus etiam εἰσαγγελίας nonnullis ad ſe delatis, ſi magnam pœnam mereri non viderentur, judicium ſuum interpoſuiſſe, cæteroqui ad δικαστήρια majora, quorum hæc propria cognitio fuit, remiſſæ, ærarii quoque debitores, cum poſceret res, ſeverius ad ſolutionem compuliſſe, denique extruendarum inſtruendarumque quotannis novarum triremium curam commendatam habuiſ-
C ſe. Ut igitur integrior hic ſenatus eſſet, tantam rerum molem in civitate ſuſtinens, ac in omnibus reipublicæ negociis populo præiens, ad corrigendam ſortis temeritatem a legiſlatore ſcitum olim fuit, ut ſi quos forte ſors promoviſſet, qui honore indigni viderentur, jus eſſet ipſi ſenatui, patefacto crimine, accuſantibus æmulis, aut inimicis, ex collegio ſuo eos ejicere, & judicio cenſendos tradere: in qua actione quoniam pro ſuffragiis frondes in uſu erant, dicebatur ſenatus eos, quos reprobabat, ἐκφυλλοφορῆσαι. Quod ſi a judicibus quoque damnaretur, ex ſcito legiſlatoris dignitate prorſus excide-
D bat, & locum accipiebat alius, qui in iſtum finem jam ante, jubente lege, ex eadem tribu per ſubſortitionem editus erat. Qua δοκιμασία aut cenſura peracta, tum demum hi, quos cenſura non læſerat, jusjurandum dabant, cum fide reipublicæ ſe conſulturos, atque munus ſuum occipiebant. Unicum autem ſenatui præmium præter mercedulæ aliquid pecuniariæ, quæ ſingulis ſenatoribus a quæſtore reipublicæ penſitabatur, propoſitum fuit, ſi rem bene gereret, præſertim ſi triremium numerum auxiſſet, quod curiæ ejus, ceu modo dixi, præcipue commiſſum erat, ut honoris ergo munere decedens, decreto populi corona donaretur.

E Concio, ἐκκλησία erat totius populi conventus: penes quam legitime coactam, præſidibus & actionem dirigentibus iis, quibus id jus erat, ſummam rerum totius civitatis eſſe voluit Solon. Ea ex Solonis lege de Senatus actis judicabat, leges veteres recognoſcebat, novas, ſi res poſceret, ferebat, bella jubebat ac finiebat, pacemque reficiebat, magiſtratus majores, archontes, belli duces, hipparchos, navarchos pluresque alios creabat, fœdera feriebat, legatos edebat, & quo vellet, cum mandatis, mittebat, civitatem exteris dabat, bene meritis præmia conſtituebat, judicia etiam quædam exercebat ta-
F lium criminum, de quibus certæ leges non erant ſcriptæ: cujuſmodi fuit εἰσαγγελίας, cujus accuſatus damnatuſque eſt Alcibiades. In hanc concionem univerſus populus ex eadem Solonis lege coibat ſine ullo claſſium diſcrimine, etiam ii, qui erant claſſis imæ, habebantque omnes par ſuffragii jus. Locus concionis communiter erat aut forum aut Pnyx, prope arcem fori inſtar, interdum etiam ampliſſimum theatrum Bacchi: ordinariarum tempus dies tres ſtati in ſingulis prytaneis æqualiter fere inter ſe diſtantes, extraordinariarum pro rebus natis: illæ ἐκκλησίαι, hæ κατεκκλησίαι, aut σύγκλητοι ἐκκλησίαι dicebantur. Moris vero erat, ut priuſquam concio coiret, programmate ſignificaretur, qua de re eſſet agendum, ut ſinguli paratiores ad deliberandum accederent. Quemadmodum autem ad concionem vocabantur & admittebantur cives omnes, qui vere cives erant, & civium jure fruebantur, ita præter eos omnino nemo. Convocandi conciones ordinarias jus habebant prytanes iidem, de quibus cum de ſenatu quingentum-virum ageremus, diximus, & proxime poſt proedros, & epiſtatam prima ſubſellia, quæ proedria vocitabantur, in iis tenebant. Verum proedri hi cum epiſtata ſuo, ut docet *Sigonius*, alii fuere ab illis, qui in ſenatu curabant, pares quidem cum iſtis numero, ſed ſingulis in concionibus ex ſingulis tribubus, quæ tum prytaneatum non habebant, ſinguli ſorte ducti, epiſtata autem ex ea tribu, penes quam prytaneatus tum erat, ſimili modo lectus: horumque munus, ut cum concionis principio ſurgebat, ita, cum ejuſdem fine exſpirabat. Concione jam coacta, mactata ſtatim hoſtia, quod actionis initium erat, omnes, qui aderant, ad optima quæque reipublicæ conſulenda interpoſito ſolenni ſacramento cum execratione dira ſe obſtringebant. Dein πρόεδροι cum prytanibus conſultanda proponebant, & ſi quod de iis ſenatuſconſultum extabat, quærebant, an id populo videretur ſufficere. Si non, populoque placeret ea de re conſultare ac ſciſcere, præco, jubente magiſtratu, clara voce pronunciabat, num quis eſſet annis L. major, qui ſententiam vellet dicere: ſi nemo eſſet, tum ſi quis illis annis minor. Sed arcebantur a dicendo infames, impudici, impii, militiæ deſertores, ærario mulctam debentes. Dictis vero ſententiis, concipiebatur ab aliquo decretum, idque populi ſuffragiis committebatur, quod διδόναι διαχειροτονίαν τῷ δήμῳ dicebant. Erat enim uſitatum in concione ſuffragium χειροτονία, manuum ſublatio. Senatuſconſulta nondum a populo probata, ut dictum ante, proprie præconſulta, προβουλεύματα, vocabantur, valebantque tantum in annum: a populo autem confirmata eadem decreta ψηφίσματα dicebantur, & vim tenebant perpetuam. Id vero diſcrimen inter ψήφισμα tale & legem erat, quod ψήφισμα de rebus ſingularibus ſciſceretur, lex generalis eſſet omnibus civibus lata. Fuitque lege quadam poſteris temporibus cautum, ne ullum decretum ſenatus aut populi lege eſſet firmius, nec fas eſſet legem in unum aliquem ferre, niſi eadem omnes Athenienſes obligaret. A Solone autem populo Attico permiſſum erat, quotannis leges ſuas recognoſcere, imo, ut hoc fieret, lege etiam ab eo ſancitum: factumque hoc ordinarie die XI. primæ prytaneæ, ex *Demoſthene* diſcimus. Eo enim die, ut eſt apud hunc in Timocratea, poſt vota voce præconis peracta recenſebantur leges ordine, primum quæ erant de Senatu, deinde de populo toto aut concione (ſic enim interpretor vocem τῶν κοινῶν) tum de IX-viris, demum de reliquis magiſtratibus. Verſabaturque in prima hac actione conſideratio in eo, an quid in legibus requireretur, an vero ſecus. Si quid requireretur, id eſt, mutandum, addendum, abrogandum, ſurrogandum videretur, id expendendum rejiciebatur in ultimam prytaneæ ejuſdem concionem ordinariam. Hæc autem omnia jubebantur fieri ſecundum legum huc pertinentium, quas proprio vocabulo θεσμοὺς nuncupabant, præſcriptum: procuratioque concionis hujus, ne quid ejus negligeretur, ſub comminatione pœnarum prytanibus ac proedris demandabatur. Erat quidem legum ſuarum dominus populus ipſe, & coram ſe recenſeri eas per Theſmothetas (id enim etiam horum munus) in concione curabat: ſed curam & poteſtatem earum abrogandarum, quæ in uſu erant, & novarum ſurrogandarum non ipſe u-

niversus sibi sumebat, usurpabatque, sed ex sui medio delectis viris gravibus & prudentibus, quo melius & cautius res tanta conficeretur, delegabat, quos νομοθέτας nuncupabant. Capiebantur autem hi ex solis illis, ut præcipiebat θεσμὸς, id est, lex hac de re a Solone lata, qui jurejurando heliastico, quod gravissimum erat, reipublicæ jam ante erant obstricti, scilicet qui in amplissimo tribunali Heliææ sederant, & gravissimas causas judicaverant. Quomodo autem & quando & per quos capti aut designati fuerint, parum certo ex scriptis veterum nobis liquet: nisi quod ex fragmentis legum, quæ sunt apud *Demosthenem*, *Æschinem* & alios, ac ex ipsorum Oratorum verbis colligimus, tempore primæ concionis ordinariæ, de qua diximus, quæ incidebat in XI. diem primæ prytaneæ, qua leges recensebantur, referente eo, qui novam legem inferre cupiebat, aut a prytanibus aut a toto senatu quingentum-virum, quod actio Timocratis apud Demosthenem, aut a populis per editionem, quod decretum Tisameni præ se ferre videntur, esse renunciatos. Fuisse autem Nomothetas quasi quingentos numero, ex eodem Tisameni decreto, quod recitat Andocides in oratione de mysteriis, intelligimus: credo interdum etiam plures, cum Timocrates novas leges parturiens voluerit eos esse mille & unum, teste *Demosthene*. Eodem quoque tempore primæ concionis jam dictæ (is erat dies XI. mensis Hecatombæonis, a quo Athenienses ex instituto Solonis annum suum cum prima prytanea ordiebantur) designabantur Oratores quinque eloquentia prompti, quos syndicos vocabant, qui nomine populi, legibus de quibus abrogandis agebatur, cum istuc deventum, erant patrocinaturi, & interea, ut paratiores essent, rem meditaturi. Oportebat namque eos, qui novas leges ferre volebant, has ipsas albis tabulis inscriptas jubente eodem θεσμῷ quotidie ante tempus tertiæ concionis & deinceps ad statuas Heroum Eponymorum in fori parte proponere, ut quivis eas legere & pressius expendere, ac populus pro numero earum tempus Nomothetis constituere posset. Concione vero tertia prytaneæ primæ coacta ne tum quidem ad rem ipsam, hoc est, ad ferendas abrogandasve leges accedebatur, sed ea tantum quæ istuc faciebant, quasi præparabantur. Nam referentibus Proedris decernebatur a populo, quo modo ac ordine Nomothetis in actione futura sedendum, & unde sumendum argentum id, quod Nomothetis iisdem pro navata reipublicæ opera erat solvendum. Hujus autem concionis convocatio si forte neglecta esset a Prytanibus, ex lege Solonis mille drachmarum mulctam singuli Minervæ pendere in arce jubebantur. At Proedri, ni statim post sacra peracta in eadem concione de Nomothetis retulissent, ad pendendas eidem Deæ drachmas XL. (si non fallit vitiosa scriptio, cum forte CCCC. pro XL. scribendum) damnati quoque singuli habebantur. Utque hæ mulctæ sine vitio solverentur, id curandum Thesmothetis erat, reique ab iis, si esset opus, ad tribunal superius (Heliasticum intelligo) postulandi: qui si hoc negligerent, ut Areopago excluderentur, idem θεσμὸς præcipiebat. Cum ventum tandem ad rem esset, Nomothetæ re ante bene deliberata auditisque syndicis, de quibus dictum, in concione legitime coacta suis locis sedentes ab Epistata concionis signo accepto per χειροτονίαν sciscebant, id est, leges, de quibus agebatur, abrogabant, si quæ abrogandæ viderentur, ac novas sanciebant. Scitum ipsorum populus universus ratum habebat. Cautum autem lege Solonis erat, ne qua lex nova sanciretur, quæ adversa esset legi jam ante receptæ, nisi ista prius abrogata, ne utique duæ leges eadem de re sibi adversantes in republica extarent, intentata gravi pœna contra delinquentibus. Omninoque providendum putaverat

A sapiens legislator, ne leges semel rite latæ admissæque temere mutarentur, neu in his abrogatio, derogatio, obrogatio, surrogatio sine gravissima causa permitteretur. Periculosum enim id, imo exitiosum reipublicæ arbitrabatur. Neque tamen hac provida cura sua efficere potuit, quin, cum crevisset ambitio, ac novandi, remque publicam turbandi studium, & inquietorum Oratorum δημαγωγῶν potentia, novæ identidem leges, novaque scita incauto populo obtruderentur: unde multæ in civitate & periculosæ contentiones ortæ. Ne vero a quoquam ignorari leges possent, in porticu publica omnes de-
B scriptæ fuisse perhibentur, & ne quid contra a magistratibus ageretur, cura novis scitis Areopagi senatui demandata. Utebatur populus ut plurimum in ferendis suffragiis χειροτονίᾳ, sive leges ferret in concione, sive magistratus omnis generis crearet, aut imperia daret. Verum cum imperia abrogaret, quia id odiosum erat, loco χειροτονίας occulte per calculos suffragia ferebat. Idem faciebat, quoties εἰσαγγελίας, aut actionum similium judicium exercebat. Testula autem rem agebat, cum ob nimiam potentiam civium aliquem ad certum tempus a civitate abesse volebat, ne potentia aut gratia sua libertati populi officeret: quod judicium a testula ὀςρακισ-
C μὸν vocabant: institutum Solone recentius, quod quidam ad Hippiam Pisistrati filium, alii ad Clisthenem, qui Hippiam tyrannide dejecit, & urbe expulit, referunt: inter quos est Ælianus, lib. XIII. Var. Hist. cap. 24. qui hoc suo instituto primum omnium ipsum Clisthenem ejectum esse tradit. Irrogabatur vero hoc instituto potentibus civibus absentia ab urbe decennalis citra ignominiam aut probrum. Quod cum ageretur, quisque nomen ejus, quem urbe abesse volebat, testulæ inscribebat, eamque testulam suffragii loco in vas inferebat. Ut vero vim suam obtineret hoc judicium, duo requirebantur, ut in concione adessent non pauciores quam
D sexies mille, ut suffragium ferentes ætate minores non essent quam annis LX. Merces his judicibus statuta oboli tres, id est, media drachma. Hoc judicio quondam ex urbe exterminatus fuit Aristides ob invidiosum nomen Justi: ejectus e patria Themistocles ob immodicam gloriam. Aliud etiam institutum post tempora Solonis in civitatem introductum, usu compertum valde salutare, sed sensim sub initia Philippi Macedonis, & oratoris Demosthenis, oratorum turbidorum vitio degenerans. Cujus scopus ab initio erat, ingruente aliqua ab hoste necessitate, subito in usum parandæ classis & aliorum belli
E onerum pecuniam necessariam conficere. In hunc finem ex qualibet tribu, quæ decem erant, deligebant ditiores cives CXX. qui pro republica munera obirent. Et hi vicissim se dividebant in partes binas pares civium sexagenum numero, sed opibus impares. Nam qui opulentissimi habebantur in partem priorem, qui minus opulenti in posteriorem referebantur: dicebaturque quælibet harum partium συμμορία. Atque hoc modo fiebant in tota civitate, conjunctis omnibus tribubus, ditiorum συμμορίαι XX. erantque in iis cives locupletes, in universum MCC. locupletissimi scilicet in symmoriis singularum tribuum prioribus DC. & totidem infra hos in symmo-
F riis posterioribus. Et hæ symmoriæ singulæ rursum subdividebantur in partes duas secundum divitiarum modum, ut quælibet harum minorum partium haberet cives XXX. qui onera repentina ferre possent, omnes autem conjunctæ, CCC. Qui igitur CCC. ex hac subdivisione censebantur in quadrantibus symmoriarum primis, habebantur totius civitatis opulentissimi, qui in omnes casus parata pecunia destitui non poterant. In hos igitur onus incumbebat, ut bello exorto, aut alia necessitate premente pecunia præsente reipublicæ succurrerent, & munera ne-

ceſſaria obirent ſumptu ſuo: expenſas autem poſt A ea velut per otium a cæteris, qui ipſis in ſymmoriis adglutinati ſubjunctique erant, pro rata parte reciperent. Quilibet vero horum quadrantum Ducem ſuum & ſuum Oratorem, ut dicit *Ulpianus*, vetus interpres Demoſthenis, habebat, etiam quadrantes inferiores: ſed hi ſuperioribus ſemper cedebant. Quod ſi mari res agenda erat, tota hæc res ad extruendas & adornandas, armandaſque triremes referebatur; & uſu interdum venit, ut ſinguli trecenorum ditiſſimorum poſcerentur ſingulas triremes ædificare & inſtruere: id quod Demoſthenes impenſe ſuaſit in oratione περὶ συμμοριῶν, quæ tota hoc de negocio loquitur, & quod ſuaſit, etiam per- B ſuaſit. Pertinentque ad eandem hanc rem duæ ejus orationes aliæ, contra Phænippum de permutatione, & de corona præfecturæ navalis. Et erant conſtituta præmia honoris iis, qui celerius ac promptius cæteris munus ſibi commiſſum expedirent, ut diſcimus cum aliunde, tum ex oratione jam dicta de corona τριηραρχίας, id eſt, præfecturæ navalis, & ex oratione altera περὶ ἐπιτριηραρχήματος. Nam τριηραρχία ſignificabat λειτουργίαν illam inter reliquas difficillimam extruendæ & adornandæ triremis ſumptu privato, & τριηραρχεῖν, munus illud pro republica obire, & τριηράρχημα id, quod in C triremem inſtruendam impenditur: quemadmodum ἐπιτριηράρχημα, quod finita jam τριηραρχίᾳ ſupra τριηράρχημα inſumitur. Et paulatim eo deveniſſe res videtur, ut omnes ejuſmodi λειτουργίας ſumptus reipublicæ donarentur. Sed erat lex Athenis, ut qui ſe ſumptibus tantis nimium gravari quereretur, poſſetque alterum ſe ditiorem, & oneri ferundo magis parem monſtrare, eumque confitentem haud haberet, liceret ei eundem illum ad permutationem omnium facultatum judicio compellere, quam permutationem ἀντίδοσιν vocabant. Unde haud infrequentes quæſtiones περὶ ἀντιδόσεως natæ D ſunt: cujuſmodi quæſtione ſibi mota compulſus orator Iſocrates a Lyſimacho neceſſe habuit τριηραρχίαν in ſe recipere, & maxima in eam impendia facere, & nomen ſuum albo trecentorum dare. Quem dolorem (dolebat enim invidos ſophiſtas calumniis ſuis iſtuc Lyſimachum impuliſſe) ultus eſt ſcripta pulcherrima oratione περὶ ἀντιδόσεως. Eique ſimillima argumento oratio inter Demoſthenicas extans, quam modo dixi, contra Phænippum habita. Finiturus heic de concione facere non poſſum, quin unum jam dictis addam. Oſtendi ſupra duplex fuiſſe concionum genus, ordinarias ſcilicet & extraordinarias. Illas, quæ ternæ ſingulis pryta- E neis habebantur, ex lege & voluntate ſenatus Quingentum-virum prytanes indicebant, & cum Proedris ac Epiſtata in iiſdem præſidebant; & in eas ſponte ſua populus frequens coibat. Has, quæ numero & tempore incerto pro rebus natis cogebantur, interdum quoque prytanes iidem volente ſenatu, ſæpius vero ϛρατηγοὶ, ſi bellum exiſteret, aut de eo cum populo agendum eſſet, neſcio an etiam, ſed omnino rarius, IX. Archontes convocabant, & qui convocabant, ut plurimum cum Proedris prima in iis ſubſellia tenebant, & de negociis referebant, actionemque dirigebant. Et in his opus F ſæpe erat, cum odioſæ ac moleſtæ res agendæ obvenirent, ut plebs pene invita accitu juſſuque magiſtratuum, circummiſſis per omnes urbis vicos apparitoribus clauſiſque per forum tabernis ac ſubmotis inde mercibus compelleretur, & ne ante tempus rurſum diffluerent, ibidem contineretur. Id vero obſervatum, ſi interea dum in concione cum populo ageretur, tonuiſſet forte, aliudve e cœlo ſignum extitiſſet, ut præconis voce concio ſtatim dimitteretur, & ſi res finem nondum inveniſſet, poſt in diem alium eadem rurſum indiceretur. Nunc a concione & quæ cum ea cohærebant, ad judicia eundum.

Judicia Athenis varia fuerunt, ſed præcipua quatuor, quæ pro conciliis merito habere poſſumus, juri dicundo deſtinata, Areopagiticum, Ephetarum, Heliaſticum, & διαιτητῶν ſive arbitrorum. In his actiones forenſes diſceptabantur, quas Græci δίκας vocant: unde, vel ἀπὸ τοῦ δικάζειν δικαστήρια, id eſt, conſeſſus aut tribunalia judicum porro nuncupantur. Δίκαι autem, vel actiones, erant duplicis generis, publicæ ſcilicet & privatæ. Publicas κατηγορίας, privatas proprie δίκας appellabant. Publicæ cuivis civi erant conceſſæ: privatæ læſis tantum, aut iis quorum privatim intererat. Utriuſque generis variæ erant ſpecies. Κατηγοριῶν erant γραφὴ, φάσις, ἔνδειξις, ἀπαγωγὴ, ἀφήγησις, ἀνδροληψία, εἰσαγγελία: quarum γραφὴ latiſſime patebat ad crimina multa pertinens. Δίκαι actiones erant de convitiis, verberatione, vi illata, ebrietate, mala tractatione, furto & ſimilibus. In Κατηγορίαις cuilibet volenti actio dabatur, ſed hac lege, ut niſi quintam ſuffragiorum partem ferret, mille drachmis mulctaretur, nec liceret ei in poſterum actori publicis his in cauſis eſſe. Hæc pœna ei erat temerarie ſuſceptæ litis. Æſtimationes criminum vocabantur τιμήματα, varii generis, ut ζημία, mulcta pecuniaria, φυγὴ, exilium, ἀτιμία, honorum privatio, δεσμὸς, vincula, ϛήλη, alligatio ad columnam, θάνατος, mors. Inter judicia maxime venerandum fuit Areopagiticum, de quo abunde ſupra diximus. Antiquiſſimum vero poſt id erat Ephetarum. Cenſent enim plerique a Demophoonte Rege olim inſtitutum, conflatum ex judicibus Atticis L. & totidem Argivis: reformatum a Dracone, qui rejectis peregrinis, LI. Athenienſes in eo ſedere & judicare voluit: retentum etiam a Solone, ſed rigore ejus temperato ſecundum leges ipſius, & cauſis quibuſdam capitalibus gravioribus ab eo ad judicium Areopagi translatis. Relictum Ephetis judicium de cæde inconſulta, interdum & de inſidiis vitæ ſtructis. Deſignabantur Ephetæ ſic. Legebantur ex qualibet tribu quini viri quam maxime graves, ætate quinquagenarii, aut majores: & his per ſortem deſignatus addebatur unus, ut eſſent omnes tot, quot ante dixi: ad quos in tribunali ſedentes Archontum ſecundus, Rex, cauſas introducebat. Tribunal habebant in Prytaneo, Delphinio, Phreattio, ut plurimum autem in Palladio, loco juxta Phalerum, præſertim de inconſulta cæde judicaturi. Qui ſi reum abſolverent, abſolutus, (quod memorabile eſt ab Æſchine in oratione περὶ παραπρεσβείας memoriæ proditum, ſua quoque ætate adhuc obſervatum) more a majoribus inſtituto, cæſis prius victimis, ſolemniter jurabat, judices, qui pro ſe pronunciaſſent, recte ac juſte judicaſſe, & nihil falſi dixiſſe; quod ni ita eſſet, ipſe ſibi & familiæ ſuæ exitium imprecabatur, judicibus autem fauſta precabatur omnia. Ampliſſimum vero & tritiſſimum δικαστήριον erat Athenis id, quod ex loco, in quo ut plurimum tribunal exercebat, Heliaſticum dicebatur. Locus enim ἡλιαία, id eſt, ſubdialis, in quem radios ſuos Sol projicere poterat, nuncupabatur. Sedebant in eo judices plerumque D. interdum etiam M. nonnunquam & MD. pro magnitudine & gravitate rei, de qua erat judicandum. Judicabant autem de cauſis valde variis, & fere maximis. Actor in hoc foro διώκων, actio δίωξις vocabatur. Judices pro re nata ex omnibus civibus ſorte ducebantur, qui infra ætatis annum XXX. non eſſent, & eſſent vitæ integræ, ac ærario non deberent: hi enim hoc judicatu arcebantur. Sortitioni vero huic præerant IX. Archontes ſummi in tota republica magiſtratus, cum ſcriba. Sed priuſquam ad actionem ipſam veniretur, hæc præcedebant. Primum actor magiſtratum adibat, cui iſta co-

gnitio erat demandata, (Hi ut plurimum sex-viri Thesmothetæ erant ex numero IX. Archontum) ac permissu ejus reum in jus vocabat per κλητῆρα, citatorum, quod προσκαλεῖσθαι dicebant. Deinde conceptis verbis actionem ei intentabat, eamque intentionem in tabella descriptam magistratus istius παρέδρῳ aut scribæ tradebat. Cujus quæ formula fuerit, licet ex actione Socrati intentata apud Diogenem Laertium, & ex altera intentata Alcibiadi apud Plutarchum in utriusque accusati vita cognoscere. Usitatum vero erat, in formula nomen actoris, rei, citatoris exprimi, & crimen ipsum verbis paucissimis adscribi eum pœna, quæ postulabatur, Tum intra certum tempus sequebatur sortitio: cujus modum & ordinem exponit interpres Aristophanis in Pluto. Judices autem sortito designati antequam in tribunali considerent, prolixo ac gravi admodum juramento cum exsecratione sese obligabant: cujus formulam integram recitat Demosthenes in oratione contra Timocratem. Post constituto die conferebant se in forum suum, atque ibi magistratus litem introducebat, quod εἰσάγειν δίκας εἰς τὸ δικαστήριον dicebant. Reo vero depulsio judicii legitima concedebatur: quorum prima erat παραγραφὴ, exceptio, demonstrans δίκην μὴ εἶναι εἰσαγώγιμον, id est, recte secundum leges non introduci: altera ὑπωμοσία, judicii dilatio: tertia ἀντιγραφὴ, recriminatio: quarta ἀντίληξις, mutua litis intentio. Si harum nullam moveret reus, sed recta actori paratum se ostenderet, tum quæ ad deterrendas partes a judicio temere subeundo pertinebant, præmittebantur. Scilicet tum actor, tum reus gravissimum juramentum poscebantur, quo sese obligabant, sincere se acturos. Juramentum hoc actoris προωμοσίαν, rei ἀντωμοσίαν nuncupabant. Deinde uterque pecuniam apud magistratum, qui litem introducebat, cogebatur deponere, quæ πρυτανεία fuit dicta, quam succumbens pro utroque judicibus pendebat. Testes, præsertim oculati, quos litigantes adducebant, si ferre testimonium renuerent, per præconem citati cogebantur aut testimonium dicere, aut ejerare, aut M. drachmas pendere: Qui vero testimonium deponebant, necesse habebant jurare ad aram, vera se deposuisse: a quo jurejurando Xenocrates Philosophus dicitur prohibitus esse ob integritatem. His omnibus in literas relatis & capsula inclusi contra fraudes horæ ad dicendum actori & reo præfiniebantur, quas clepsydris metiebantur. Diem autem plerumque in partes tres distinguebant, quarum prima actori, altera reo, tertia judicibus tribuebatur. Causa ab utroque perorata, magistratus judicii præses judices per præconem in suffragia mittebat. Quod si crimini intentato certa pœna in legibus descripta erat, simpliciter tantum sententiam ferebant. Si certi nihil descriptum erat, primo condemnandus-ne an absolvendus reus esset statuebant: deinde condemnato pro arbitrio pœnam hanc aut illam irrogabant. Capitis damnatus XI-viris rerum capitalium tradebatur, ut illi supplicium de eo sumerent. Pecunia mulctatus apud prætores aut quæstores Deæ Palladis inscribebatur. Qui solvendo non erat, & in vinculis habitus, & infamia notatus ipse cum filiis a reipublicæ administratione arcebatur. Quod Miltiadi accidit, qui in vinculis mortuus est: Et filius ejus Cimon, ut patris corpus carcere, & se ἀτιμίᾳ liberararet, pecunia a sororio suo Callia mutuo sumpta, mulctam solvit. Atque hinc seges multarum actionum forensium. Heliastici juramenti, cujus memini ante, formula Græca fuit talis. Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων, καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι, οὐδὲ ὀλιγαρχίαν. οὐδὲ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, ἢ λέγῃ, ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι. οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων, οὐδ᾽ οἰκιῶν· οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται· οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς, οὔτ᾽ αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ᾽ ἄλλον οὐδένα ἐάσω. οὐδὲ ἀρχὴν καταστήσω ὥστε ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ τοῦ ἱερομνήμονος, καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ κήρυκος καὶ πρεσβείας καὶ συνέδρων. οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ. οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα, οὔτε αὐτὸς ἐγὼ, οὔτ᾽ ἄλλος ἐμοὶ, οὔτ᾽ ἄλλοι εἰδότος ἐμοῦ, οὔτε τέχνῃ, οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ. καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη. καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν, καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ, οὗ ἂν ἡ δίωξις. Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα· ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ, καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι· εὐορκοῦντι δὲ καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι.

Quartum judicium fuit arbitrorum, quos διαιτητὰς dicebant. Hi XLIV. ex singulis tribubus LX. annis majores quotannis sorte designabantur, ut essent omnes CCXX, qui secundum tribuum numerum dispertiti tribubus sibi assignatis in cognoscendis definiendisque litibus operam præstabant. Erant autem in duo genera omnes divisi. Alii repetita sorte ex his ad judicandas causas privatas legebantur: alii a litigantibus capiebantur. Nova sorte lecti operam litigantibus dare cogebantur, sed injurati: nec litigabatur apud eos periculo mille drachmarum, & ab eorum sententiis ad judices alios provocatio concedebatur. At ab iis, qui ab ipsis litigantibus ex arbitrorum numero delecti fuere, quos compromissarios dicere licet, quia jurati cognitionem & judicium suscipiebant, provocatio non erat, sed eorum sententiis erat parendum. In pecunia deponenda, in excipiendo, aliisque rebus eadem fere ratio apud hos arbitros servata fuit, quæ in judiciis cæteris jam dictis.

Post hæc δικαστήρια quatuor, fuit quoque quintum, sed prioribus minus celebre, quanquam usus nec parvi nec rari. Triginta primum viri erant, postea facti XL. quos δικαστὰς κατὰ δήμους ex re nuncupabant. Nam populos, in quos divisam fuisse civitatem dixi, obibant, & de minoribus rebus minoreve pecuniæ summa inter litigantes judicabant, & lites finiebant. Cætera hujus generis, quæ in usu post Solonem fuere, ut nimis obscura, silentio transmitto.

MAGISTRATUS ATHENIENSIUM.

MAGISTRATUUM Athenis alii suffragiis universi populi in comitiis per χειροτονίαν, alii sorte, alii editione in singulis tribubus designabantur: eratque eorum ingens numerus. Inter omnes qui domi rem administrabant, primum honoris & dignitatis locum sine dubio tenuere IX. Archontes, de quibus jam ante multa nobis dicta: quædam etiam hoc loco dicenda. Hos αἱρετοὺς ab

A initio fuisse populi suffragiis designatos, nec hoc a Solone mutatum, contra opinionem *Sigonii* supra ostendi: eosdem quanquam potestate diminutos, tamen in magna dignitate, & munere peramplo relictos, ac partes muneris accuratius inter eos distributas ab eodem fuisse, quoque dixi. Partes muneris aliæ ad sacra, aliæ ad concilia, aliæ & quidem præcipuæ ad jurisdictionem pertinuere. Sacra tres primi, Archon, Rex, Polemarchus curabant: Thesmothetæ sex recensendis legibus operam peculiarem reipublicæ navabant. Omnes judiciorum curam habebant: judices sortiebantur, & his fora, id est, consessuum loca etiam sortito assignabant, B & tempora ac dies præscribebant. Conveniebantur ab iis, quibus lites cum aliis erant: eos audiebant, & auditis actiones dabant: summatim lites cognoscebant, & quasdam earum finiebant, alias difficiliores aut sponte sua, aut poscentibus litigantibus in fora majora introducebant: publicas quidem ut plurimum Rex & Thesmothetæ, privatas Archon & Polemarchus. Regem, cui in porticu regia tribunal erat, adibant, qui impietatis alios arcessebant, aut de sacerdotio contendebant: de controversiis gentilium & sacerdotum judicium suum interponebat: de cæde & maleficiis similibus, quod ante dictum, referebat ad senatum Areopagi, & C sedens cum Areopagitis dicentes partes audiebat, & cum cæteris sententiam ferebat, eamque, ut non abs re conjectat *Sigonius*, pronunciabat. Thesmothetas conveniebant litem intendentes de peregrinitate, coitione, donis acceptis, calumniis, citatione falsa: item de falsa relatione, adulterio, contumelia, deleto e tabulis publicis ærariorum nomine in fraudem ærarii. Ad eosdem actiones *παρανόμων* apud Archontem primum intentatæ, item *δοκιμασιῶν*, *προβολῶν*, controversiarum de pactis, injuriarum inter mercatores deferebantur, & *ἀπαγωγαὶ* quoque fiebant. Archontis jurisdictio ex lege D Solonis late patebat: recipiebat lites malæ tractationis uxorum, parentum, pupillorum & pupillarum: tutores dabat, de hæreditatibus controversis, de dotibus, de victu aut alimentis, quæ parentibus, liberis, propinquis debebantur, de furtis, de repudiis jus dicebat. Quin etiam actiones *εἰσαγγελίας*, *ἐνδείξεως*, *φάσεως*, *ἐφηγήσεως*, quæ publicæ erant, apud eum nonnunquam inferebantur. Quam vero jurisdictionem Archon inter cives, eandem Polemarchus inter peregrinos, & in eos habebat, quorum maximus numerus Athenis commorabatur, imo & domicilia fixa tenebat, tum *ἰσοτελῶν*, tum *μετοίκων*: e quibus illi multo meliore E conditione erant, quam hi. Nam a tributo *μετοικίῳ*, quod hi civitati pendebant, erant liberi, & pari immunitate, pari jure cum civibus agebant, nisi quod honorum & magistratuum expertes atque incapaces essent. Cæteroqui omnes cum civibus in urbe versabantur, eadem cum illis veste utentes: sed opus in foro facere *μετοίκοις* ex lege Solonis non licuit. Et peregrini hi, si auxilio juris opus haberent, per patronum civem Atticum apud Polemarchum agebant, & causas suas persequebantur. Nec solum inquilinis, sed reliquis quoque peregrinis, qui Athenis sedes non habebant, jus dixisse eundem Polemarchum, *Sigonius* arbitratur: *Xenophon* quidem F diserte Athenis apud populum judicio eos experiri necessum habuisse affirmat. Tribus autem hisce Archonti, Regi, Polemarcho, ne singuli soli rem judiciariam tractarent, quod periculosum, præsertim cum non raro accideret, ut per ætatem juris adhuc minus essent periti, tum etiam quo plusculum auctoritatis ac fidei actioni accederet, bini adjuncti assessores fuere, quos *παρέδρους* vocabant, ut federent in singulis tribunalibus terni. Hi *πάρεδροι* non populi suffragiis, nec sorte designabantur, sed sumebantur arbitratu ipsorum, quibus erant assessuri: sumptique fere natu grandiores, legum & morum gnari, nonnunquam etiam ipsorum sumentium parentes aut propinqui, a quibus jus sæpe dictabatur aut suggerebatur iis, quibus assidebant. Veruntamen & hi legi communi subjecti erant ob munus publicum, ne munus id inirent, nisi in senatu D-virum, atque in judicio rite excussi probatique, nec nisi rationibus redditis apud *εὐθύνους* munere decederent. Solis autem IX-viris hic honos habitus est in civitate Attica, ut ab instruendis in usum reipublicæ triremibus essent immunes, etiamsi forte essent locupletissimi. De actionibus ipsorum, cum conciliis incidenter heic illic jam dictum, quantum satis, quæ repetere supervacaneum. Nec de procuratione sacrorum quicquam heic addendum, cum & minoris momenti sit, & initio libelli hujus, cum de iisdem his ante Solonis tempora rempublicam moderantibus agerem, tantum de ea dixerim, quantum res visa fuit poscere. Solonem autem existimo in hac muneris eorum parte nihil mutasse. Hoc solum iis, quæ illic dicta, heic adjicio, non tantum Regem ipsum mysteria Eleusinia obivisse, sed etiam conjugem ipsius Reginam sacra arcana pro civitate fecisse, eamque ob hanc causam oportuisse civem Atticam esse, quod sacra illa ex lege peregrinis non paterent. Præter IX-viros hos, & præter Prytanes, Proedros, Epistatam, de quibus abunde etiam dictum supra, erant judiciis proxime subordinati *οἱ ἕνδεκα*, XI-viri rerum capitalium præfecti, ab Oratoribus & Historiographis sæpe memorati, qui & carceri præerant, & capitis damnatos, sibique traditos necabant, fures deprehensos, item plagiarios, grassatores, nebulones manifestos ad se abductos in carcerem dabant, & pœnis afficiebant, facinus negantes judiciis aliis sistebant, ibique convictos & ad se remissos pro meritis puniebant. Hos singulos ex singulis tribubus eligere solere, & his X. numero additum fuisse *γραμματέα*, scribam, ad explendum numerum undenarium, *Julius Pollux* nos docet. Horum ministerio præter meritum capitis damnati viri illustres in carcere vitam finivere Theramenes & Socrates, uterque haustu cicutæ, quod usitatissimum genus supplicii capitalis apud Athenienses fuit. Non obscuræ quoque notæ Athenis fuere in magistratuum ordine *φύλαρχοι*, *φρατρίαρχοι*, *δήμαρχοι*. Horum *φύλαρχοι* quaterni a Solone relicti, pro numero tribuum a Clisthene deni sunt facti: quotannis a tribubus editi, singuli res tribus suæ curabant, tribules, cum opus esset, convocabant, tribuum negocia gerebant, ærariisque præerant: quorum nomen, quia hoc ad res militares postea translatum, in aliud fuit mutatum, dicti deinde *ἐπιμεληταὶ φυλῶν*, curatores tribuum. Et quod munus hi in tribubus, hoc *φρατρίαρχοι* seu *ἔθναρχοι* in curiis habebant. *Δήμαρχοι* populis, in quos universus populus Atticus distinctus erat, præsidebant, tabulas *ληξιαρχικὰς*, in quibus nomina omnium civium erant notata, custodiebant, populares convocabant, & in suffragia mittebant, fundos in quolibet populo describebant, descriptosque & æstimatos servabant in usum exigendi tributa; cum res postulabat, redemptores publicorum redituum plerorumque solutionem poscebant, pignora sæpe auferebant, populares suos recensebant, nautas edebant, defunctorum popularium insepultorum sepulturam procurabant: inprimis sortitioni in designando senatu Quingentum-virum, & magistratibus tributim per sortem eligi solitis, præsidebant. His vero muneris dignitate prælucebant *νομοφύλακες*, a Cicerone laudati in libro III. de legibus, cap. 20. penes quos legum custodia erat, qui honoris ergo strophio candido insigniti ludis publicis in sellis e regione IX. Archontum considebant,

in concione vero cum προέδροις sedentes prohibebant, ne quid adversus leges, contrave reipublicæ commoda suffragiis populi scisceretur, magistratus autem secundum leges agere cogerent. Ac de his Cicero ait, non solum eos literas, ut majores Romanorum, sed etiam facta hominum observasse, ad legesque revocasse: & Columella libro XII. de re rustica, cap. III. in hanc sententiam scribit. *Quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum, quarum primoribus atque optimatibus non satis justum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Græci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos qui legibus parerent, laudibus prosequi: eos autem, qui non parerent, pœna mulctare.* Hactenus verba Columellæ. Sed & ante νομοφύλακας claritate erant στρατηγοὶ a militiæ præfectura nomen ferentes, quos prætores latina voce multi interpretantur. Duorum generum fuere, militares, unde nominis origo, & urbani, quos usus e prioribus induxit. Quot numero, & qua conditione proximis annis post leges a Solone latas fuerint, incertum. Postquam vero X. tribus in civitate esse cœperunt ex Clisthenis instituto, dein quotannis, singuli scilicet e singulis tribubus in comitiis a populo sunt creati, & eorum quidam, si usus posceret, sæpe refecti, quemadmodum exemplo Phocionis apud *Plutarchum* discimus, quem quadragies στρατηγίαν tenuisse volente populo *Plutarchus* affirmat. Dein illi militiæ causa primum creati, cum bella majora Athenienses gerere occiperent, omnes cum exercitu ex urbe emittebantur, addito etiam undecimo Polemarcho ad dirimenda, si quando res ita ferret, paria cæterorum suffragia: Sed hoc postea mutatum. Nam ex denis quidam solummodo ad bella gerenda foris missi fuere, reliqui cum Polemarcho in urbe retenti negociis reipublicæ & cognoscendis expediendisque controversiis illic vacarunt. Verum omnia ea, quibus vacabant, ac quæ curabant, ad belli rationes etiam pertinebant. De vicibus inter hos qui domi, & alteros, qui foris rem gerebant, permutatis, quod *Sigonius* scribit, id mihi non liquere fateor. Urbanorum cognitio potissimum circa trierarchias, & facultatum permutationes, & quæstiones, quas ἀπόφασιν & ἀστρατείαν vocarunt, versabantur. De trierarchia & facultatum permutatione, quantum satis, ante dictum. Ἀπόφασις erat detectio facultatum alienarum, quas possessores utplurimum extenuabant, & multas earum partes occultas tenebant. Ἀστρατεία crimen erat detrectatæ aut desertæ militiæ, ac non obitæ, cum obiri debebat. De quibus omnibus frequentes controversiæ Athenis in civitate ampla & populosa, & bellis pene assiduis occupata potissimumque bellicis rebus dedita ac potente, erant. Quas si opera levi ac summatim finire ipsi non poterant, ad tribunalia majora introducebant, iisque ipsi tum præerant. Quod si de ingruente, aut jam sæviente bello consulendus populus esset, sæpe iidem hi concionem quoque convocabant, & cum Proedris ac Prytanibus præsidentes de rebus hujusmodi ad eam referebant, actionemque moderabantur. Munus illustre in republica. De militaribus postea dicam. Nunc reliqua de magistratibus urbanis pertexam.

Quæstorum ordo peramplus & multiplex erat Athenis, ut ipsa pecunia publica, quam curabant, erat magna & varia. *Sigonius* eam erudite distinxit in species quatuor, τέλη nimirum, φόρους, εἰσφορὰς, τιμήματα. Τέλη proprie significabant vectigalia seu πρόσοδοι, quæ proveniebant ex publicis civitatis possessionibus, ut fodinis metallicis, nemoribus, agris publicis: item portoria, quæ ex mercibus importatis & exportatis solvebantur in portubus, quin-

A quagesimæ scilicet mercium, interdum etiam decimæ: tum & μετοίκιον, tributum, quod quotannis pensitabant inquilini urbis Atticæ, drachmas nempe XII. in virorum, VI. in fœminarum capita, & quod servi solvebant a dominis manumissi. Φόροι dicebantur tributa annua sociis civitatibus indicta post Xerxem, e Græcia submotum, ad Persarum arma, si qua moturi deinceps essent, reprimenda, directore Aristide, modica primum, sed post plurimum aucta, ut ad mille talenta Attica ascenderent, quorum ταμεῖον initio in insula Delo ex voluntate sociorum constitutum, deinde bellis commotis Athenas est translatum. Εἰσφοραὶ nuncupabantur tribu-
B ta extra ordinem poscente belli necessitate decreto senatus & concionis pro facultatum modo civibus inquilinisque imperata. Demum τιμήματα erant mulctæ damnatorum in judiciis, quorum nomina statim inscribebantur tabulis publicis in arce repositis cum mulctæ summa: cujus pars decima Minervæ, quinquagesima Diis cæteris, & Heroibus ἐπωνύμοις, reliqua tota civitati debebatur. Atque hæc omnia quæstorum curæ & administrationi erant subjecta. Τὰ τέλη curabant quæstores, πωλῆται dicti, qui redemptoribus publicanis, τελώναις, ea addicebant, ampla potestate in eam rem instructi:
C qua freti, redemptores aut eorum prædes, si constituto tempore non solverent quod debebant, ex lege duplum pendere cogebant: similiter ἐκλογεῖς, collectores, quorum ministerio redemptores utebantur, si illi in mora essent. Ἑλληνοταμίαι φόροις erant præfecti, sedem primitus cum ærario in Delo habentes, deinde Athenas traducti, ut dixi. His subjuncti fuere ἐπιγραφεῖς X. ut opinor, numero, qui tam sociorum, quam civium facultates æstimatas in tabulas redigebant, secundum quas & φόροι a sociis & εἰσφοραὶ a civibus pariter ac inquilinis exigebantur. Ἀποδέκται nomen ex re habentes, X. sorte designati, in curia coram senatu reditus omnes civitatis e vectigalibus, tributis, collationibus, mulctis provenientes recipiebant, eosque in publicas tabulas referebant, deletisque eorum nominibus qui
D solverant, easdem tabulas in ærarium, quod erat in arce, inferebant: controversias etiam ex hac re existentes cognoscebant, quasque ipsi finire non poterant, in judicia majora introducebant. Quibus ex parte similes erant, quos vocabant ἀντιγραφεῖς, qui, quod ἀποδέκται in senatu, iidem illud in concione agebant, tabulas scilicet similes conficiebant, ut & populo res omnis constaret, & duplici tabularum exemplo fraus facilius averteretur. Τιμημάτων cura pertinebat ad πράκτορας & quæstores Deæ Deorumque. Quorum hi X. sortito lecti quotannis præerant decimæ Palladi arcis præsidi sacratæ, simul & quinquagesimæ Diis aliis ac Heroibus di-
E catæ, accipiebantque utramque senatu præsente, & in arce custodiebant, tabulasque mulctarum asservabant, & eorum qui mulcta depensa ærario satisfecerant, nomina in tabulis dispungebant. Πράκτορες partem reliquam reipublicæ debitam cum nominibus debitorum suis indicibus inscribebant, & curabant. Præter istos erant quoque Ζητηταὶ, inquisitores, qui jussu senatus naviter inquirebant in eos, qui reipublicæ aut Diis debebant, & ex lege ad solutionem eosdem adigebant: eligebanturque, cum usus posceret, ut plurimum per sor-
F tem, aliquando etiam senatus populique suffragio, ut de Androtione docet Demosthenes: ac fuisse putantur numero deni. Verum summæ in toto quæstorum ordine auctoritatis & dignitatis fuit ταμίας τῆς διοικήσεως, quæ & τῶν κοινῶν προσόδων ἐπιμελητὴν appellabant. Is non in annum, sed in quinquennium creari, iterumque etiam ac tertium refici a populo solere traditur, generalis universæ pecuniæ publicæ & ærarii curator ac Ephorus

A congerendæ erogandæque pecuniæ istius potestate maxima præditus: a quo mercedem concio, cum quid ei debebatur, ut cum ostracismi causa coibat, atque item judices, senatus, equites accipiebant. Fuisse etiam, qui præessent pecuniæ militari, quos ταμίας τῶν στρατιωτικῶν dictos *Sigonius* ait, non est dubium. Ingens enim ea pecuniæ fuit stipendiis militum destinata, de qua inquit in Olynthiaca I. Demosthenes: Ἔστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρήματα ἡμῖν, ἔστιν, ὅσα οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων στρατιωτικά. Tanta autem

B pecunia administrari sine quæstoribus non potuit, quæ partim ex ea, quam διοικήσεως vocatam jam dixi, sumebatur jubente populo, partim ex tributis belli causa imperatis conficiebatur. Quæ si usum suum retinere potuisset, meliore loco, ut credere ratio suadet, fortuna reipublicæ Atticæ mansisset. Verum culpa Periclis, ut perhibent Historiæ, viri cæteroqui præstantissimi, ad demerendam gratiam plebis, in usum theatri maximam partem conversa, rem militarem, qua steterat creveratque eousque reipublicæ fortuna, deteriorem, & cives inertiores fecit: inde fortunæ ruina secuta: quæ infra dicentur commodius &

C plenius. Cum novo autem instituto, quo exhaustum ærarium militare fuit, novi quoque quæstores sunt orti, quos ἐπὶ τῶν θεωρικῶν ταμίας nuncuparunt: quorum hoc munus erat, ut theatrum ingredi, & spectare cupienti tenuiori plebi, quæ & numerosissima, & spectandi avidissima erat, totos dies in theatris desidens, binos obolos elargiretur. Satis de quæstoribus. Non solum autem hi, sed omnes omnino magistratus, & quotquot reipublicæ partem aliquem administrabant, quotannis reddendis rationibus erant obnoxii apud λογιστὰς & apud εὐθύνους. Hos ut nominibus ita muneribus differentes fuisse, ex Arpocratione arguere nititur Sigonius, sed in differentia

D monstranda deficit. Existimat quidem, aut potius conjectat, λογιστὰς in poscendis & examinandis rationibus tractatæ pecuniæ, εὐθύνους in excutiendis & censendis rebus alii in quovis magistratu actis esse versatos, sed fallitur in eo sine dubio. Nam & quæ ipse citat ex veteribus Oratoribus & quæ alia huc advocari possunt, eam distinctionem non admittunt, sed potius refutant. Docent enim non eos solum, qui pecuniam publicam tractabant, sed etiam, qui partem ejus nullam solebant attingere dummodo rempublicam gererent, finita administratione apud λογιστὰς rationes red-

E didisse. Quid namque IX-viris Archontibus, quid Senatoribus, quid Areopagitis, quid Judicibus, quid legatis cum pecunia publica? quos tamen examini Logistarum subjectos fuisse cognoscimus. Quid igitur? Dicam breviter, quod sentio, & quod ex variis veterum scriptorum locis inter se comparatis, qui horum mentionem faciunt, vero maxime consentaneum esse reperio: nimirum idem fere, si non prorsus idem, fuisse utrorumque & λογιστῶν & εὐθυνῶν munus, aut operam eos mutuam reipublicæ præstitisse. Atque in hanc potissimum sententiam velut manu me ducit u-

F nus Aristotelis locus libro VI. cap. ultimo polit. ubi de hoc genere magistratus exigendis rationibus actorum a magistratibus aliis præfecti sic scribit. Ἐπεὶ δὲ ἔνιαι τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον, ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμόν, καὶ προσευθύνουσαν αὐτὴν μηθὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον. καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστάς, οἱ δὲ ἐξεταστάς, οἱ δὲ συνηγόρους. Nec enim dubium est apud eruditos, quin Aristoteles tum passim in politicorum libris, tum hoc potissimum loco de magistratibus ad rempublicam Atticam velut digitum intenderit. Quanti vero momenti existimarit, hunc in republica magistratum esse, satis declarant hæc verba ejus, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι: & prolixe idem id demonstrat Plato libro de legibus XII. non procul ab initio, itemque Cicero sub finem libri III. de legibus, qui censoribus hoc ipsum munus assignari vult. Creabantur Athenis quotannis X. λογισταὶ, & totidem εὔθυνοι, credo secundum tribuum numerum. Hi ad disquisitionem actorum magistratus omnes potestate decedentes vocabant, & velitatione apud se instituta præjudicio suo aut damnabant eos, aut absolvebant, interdum etiam incertos dimittebant, aut populo proponebant, populusque obiter & perfunctorie re cognita, quid sibi videretur, declarabat, sed sententiam definitivam, qua standum esset, non ferebat, totum vero hoc ex veteri lege judicibus permittebat. Logistæ post hæc quasi præludia ad judices Heliastas ex officio eosdem hos introducebant, ut ii cognitione integra suscepta inquirerent accuratius in ea, de quibus forte insimularentur introducti: & simul voce publica præconis ad dicendum invitabant quosvis, si qui essent, quibus accusare introductos liberet. Nec fere deerant, (quomodo enim deesse poterant æmuli in civitate dissensionum & simultatum plena?) qui meditata jam ante oratione in eos dicerent. Tum audita utraque parte (nam defendendi sui copia accusatis non negabatur) Heliastæ sententiam ferebant, cui parendum erat. Et fiebat nonnunquam, ut quos populus, aut λογισταὶ præjudicio suo damnaverant, judices absolverent, aut absolutos ab istis damnarent. At multum in toto hoc examine interfuit, quo animo essent εὔθυνοι ac λογισταί: qui si connivverent ad delicta, sontes sæpe evadebant, ac si pravo corde essent, efficiebant, ut insontes etiam calumniis vexarentur: quod Timarcho objecit Æschines. Quæ causa est cur non nisi exploratissimæ virtutis hujusmodi munus commendandum esse *Plato* censeat. In hoc casu judicio damnatis gravis mulcta fere irrogabatur, ac nomen eorum in ærarios referebatur, erantque tantisper ἄτιμοι, & a gerenda republica dicendaque in foro sententia, causave agenda abstinere cogebantur, quoad mulctam solvissent: ex numero IX. Archontum si essent, ab Areopago in perpetuum excludebantur. Annonæ omnis, & rerum cum ea cohærentium cura, cujus uberrima in civitate utilitas, diversis fuit commissa. In quibus σιτῶναι, pecunia a quæstore διοικήσεως sumpta, frumentum externum passim coemebant, & in cellam frumentariam recondebant, quo annonæ ratio civitati in omnes casus in tanta populi multitudine, ac bellorum frequentia constaret. Nomen his ex re datum. Horum muneri cognatum fuit munus σιτοφυλάκων, qui id curæ habebant, ut frumentum, farina, panes æquo pretio venderentur, in urbe assiduo degentes X. in Piræo V. & litigantibus ibi jus dicentes; institutum utilissimum & æquissimum: ut & alterum de ἀγορανόμοις & μετρονόμοις. Quorum priores ἀγορανόμοι X. numero, sorte lecti, curabant forum reliquarum rerum venalium excepto frumento, quini in urbe, quini in Piræo, dabantque præcipue operam, ne quid fieret immodeste, neve mendaciis se mutuo circumvenirent ementes & vendentes. Μετρονόμοι mensurarum, ut justæ essent, quibus vendentes utebantur, nescio an & ponderum rationem habebant, quinque in Piræo, quod emporium urbis erat, decem in urbe. Collimabant etiam ad eandem boni publici curam qui dicebantur ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου, quibus lex præcipiebat hoc ut agerent, ne importati frumenti

A copia civitas Attica destitueretur, & avaritia civium alio frumentum devectantium reipublicæ fraudi esset. Erant & ναυτοδίκαι naviculariis & mercatoribus inter se lites habentibus operam dantes, deque peregrinatione etiam jus dicentes, & ἐπαγωγεῖς & similes alii. Et præter hos erant quoque ἀστυνόμοι, qui mundiciem & decorem urbis, ὁδοποιοὶ qui vias intra extraque urbem, ἐπιστάται τῶν ὑδάτων, qui aquarum inductionem in urbem, κρηνοφύλακες, qui fontium custodiam sibi commissam habebant: quorum omnium curationem *Aristoteles* uno nomine ἀστυνομίαν appellat. Quo pertinuere etiam ἐπιστάται τῶν δημοσίων ἔργων, qui opera & ædificia publica ad urbis magnificentiam B facientia struebant: munus extraordinarium, curationis potius quam magistratus nomine afficiendum, quo magnifice ac sumptuose defunctus fuit Pericles: cujus rationes ne reddere cogeretur, suggerente Alcibiade adolescente putatur suasu suo civitatem difficili bello Peloponnesiaco implicuisse, ut hujus cura a cura reposcendarum rationum eam abstraheret. Huic persimilis curatio fuit & τειχοποιία, & curatores τειχοποιοὶ a muris extruendis aut reficiendis sic nuncupati, deni numero, singuli nimirum, cum posceret usus, a qualibet tribu editi, cujusmodi τειχοποιὸς a tribu sua C Pandionia creatus fuit Orator Demosthenes: unde orta causa illa nobilis de corona Demostheni decreta a Ctesiphonte, accusante ob decretum hoc Ctesiphontem Æschine, defendente Demosthene. Tum λειτουργοὶ varii, muneribus inter se differentes e ditioribus singularum tribuum a tribulibus quoque designati ad munera quædam, suarum tribuum nomine, suis sumptibus obeunda, ut χορηγοὶ multiplices, qui choros ludionum ludosque varios, actiones scenicas, saltatores, cantores, psaltas in theatris exhibebant, item γυμνασίαρχοι, ἑστιάτορες, τριήραρχοι, εἰσφέροντες, quos choragos, exercitationum præsides, epulones, triD remium magistros, collatores latine dixeris: omnes fere juvenes, hoc honore oneroso aditum sibi ad honores alios aperientes. Præterea in magistratuum ordine fuere γυναικοκόσμοι XX. mundi muliebris curam agentes, ne is modum excederet, & mulieres parum modestas mulcta corripientes: item γυναικονόμοι ac οἰνόπται, quorum munus erat, convivia & conviviorum sumptus, & convivarum numerum inspicere, & curare, ne quid contra leges committeretur. De præfectis coloniarum deducendarum dubites, an magistratibus eos accenseas. In numerum quidem ordinariorum venire non possunt. Nam nec quotannis, sed pro E re nata, creabantur, nec annuum imperium, sed quandiu res poscebat, tenebant. Munus tamen illustre fuit cum potestate eximia. Deducebant autem colonias in loca aut recens parta, aut non satis culta: coloni κληροῦχοι ex partibus quas in divisione sortito acceptas tenebant, nuncupabantur. De Pylagoris dubitari non posse puto, quin magistratus fuerint. Sed & hi non in urbe, sed ad Pylas, quæ Delphis erant juxta templum, unde nomen ferebant, munus exercebant, ibique non solum civitatis suæ, sed communes res totius Græciæ cum cæteriis Amphictyonibus curabant, & de controF versiis civitatum ac populorum judicabant. Eos ternos fere a populo creatos & ad Pylas bis statis anni diebus ratione ordinaria, extra ordinem vero, quoties usus postulabat, missos fuisse accepimus. De quibus in descriptione concilii Amphictyonici, quod institutum in Græcia pervetustum fuit, diximus plura.

Ad imperia & munia militaria, quæ consulto in hunc locum post urbana, & cum his connexa, rejecimus, veniendum. De strategis seu prætoribus in genere, & speciatim de urbanis, supra diximus. De militaribus ex *Herodoto*, *Thucydide*, *Xenophonte*, *Lysia*, *Demosthene*, oratoribus huic coævis, *Polybio*, *Diodoro*, *Livio*, *Plutarcho*, hæc comperimus: creatos esse non stato tempore, & in menses XII. sed pro re nata, cum bellum gerendum, & exercitus ducendi: designatos universi populi suffragiis sine sorte, non eodem semper numero, decem nempe, septem, quinque, tres, duos, unum etiam nonnunquam: emissos esse quo res poscebat & populo placebat, in regionem bellumque unum, aut regiones & bella diversa: fuisse omnes, qui emittebantur, potestate pari in exercitu, summum imperium tenuisse interdum per vices alios post alios, interdum omnes pariter: potestatis modum a populo accepisse, ut vel pro arbitrio suo in expeditione omnia agerent, essentque αὐτοκράτορες, nec reddendis rationibus essent obnoxii, vel imperium quidem supremum in exercitu haberent, sed εὐθύνας deberent. His vero strategis in exercitu terrestri subjuncti erant militum præfecti alii, ut ordinum ductores x. tributim lecti, quos ταξιάρχους vocabant, quorum quilibet parti peditum decimæ gravis armaturæ præerat, potestate strategis proximi: Taxiarchis inferiores præfecti parebant. Tum ἵππαρχοι equitum magistri duo, & his subjecti φύλαρχοι, ut quidem censet *Sigonius*, decem pro tribuum numero, e quibus equites scribebantur, quos hi regebant. Similiter classibus & classiariis copiis, quæ permagnæ Atheniensibus fuere, rectores dabantur ναύαρχοι totius populi suffragiis creati, raro quidem unus, at sæpius duo aut tres aut plures ad decem usque: magistratus summæ dignitatis & potestatis. Maritimis enim rebus ac viribus potissimum fortuna civitatis nitebatur, & ad id culmen, quod Græci pariter ac Barbari suspiciebant, conscenderat. Ut vero imperium navarchis erat in totas classes, & omnes classiarios, sic trierarchi, qui horum mandatis etiam obsequebantur, singulas triremes regebant. Ad classiariam porro rem pertinebant ἀποστολεῖς classi conficiendæ & emittendæ præfecti, (ἀπόστολος enim classem, interdum etiam ejus Imperatorem significabat,) & τῶν νεωρίων ἐπιμεληταὶ, classis subducendæ & subductæ curatores: item quæstores navales, stipendii & commeatuum copia ut classiariis esset, providentes. Rerum maritimarum studium apud Athenienses excitavit primus Themistocles, auxit Pericles, longius provexit Lycurgus, quorum opera portus cum navalibus magnis impensis structi, & armamenta confecta, & proposita immunitate ac præmiis plebs & inquilinorum turba in infinitum pene aucta: ex qua perpetua remigum & classiariorum copia in promptu erat. Quod ὀχλοκρατίας quidem vitium non leve, sed in tali reipublicæ popularis statu, qualem delegerant Athenienses, ad conservandum statum eundem, plane necessarium censuit *Xenophon*.

Hactenus de senatu duplici, de concione, de judiciis, de præcipuis magistratibus post constitutam a Solone rempublicam. Sed nemo cujusquam horum particeps esse potuit, nisi civis esset. Nemini vero civi esse licuit, aut ullo civis jure uti, nisi haberet tribum ac populum. Nemo autem tribum habuit ac populum, nisi tabulis tribulium ac popularium rite inscriptus. Inscribebantur vero non solum e peregrinis aut servis civitate donati, sed etiam civium ipsorum liberi: oportebatque hos, ut civium jure publico, & privato possent frui, bis sua nomina apud eos, quorum ista cura erat, profiteri. Fuere enim diversæ tabulæ, quibus tribulium, & quibus popularium nomina consignabantur, & diversi quoque earum custodes & curatores. Prior professio fiebat apud curiales ac gentiles, & eorum præsides, per quam professi tribui certæ inserebantur. Erant enim

curiæ & gentes, ut dictum, tribuum partes. Fiebatque hæc profeſſio per parentes aut propinquos, qui tabulis inſcribendos adducebant, ætatis eorum anno, ut vult *Sigonius*, XV. inſpiciebantque præſides tunc inſcribendorum genitalia diligentius: parentes autem jurabant eos quos adducerent, filios eſſe ſuos ſive legitime natos, ſive nothos, & ſi parentes deficerent, eorum vicem propinqui ſupplebant. Sic enim de nothis ſtatuit Solon, qui tales cenſebat etiam illos, qui peregrina matre, licet conjugis loco habita, erant nati: cujuſmodi nothus Themiſtocles quoque audiebat, cui Thraſſa mater fuerat. Legitimos vero Solon cenſebat, qui patre pariter & matre Athenienſe geniti erant, eamque parentum conjunctionem legitimum matrimonium eſſe ſtatuebat. Pericles autem, cum in civitate plurimum poſſet, legem tulit, ut ſoli legitimi cives cenſerentur, qui utroque parente Attico, & juſto hujuſmodi matrimonio eſſent orti: qua lege recepta, aliquot civium millia, cum in natales omnium inquireretur, ut perhibet ***Plutarchus***, civitatis jure exciderunt. A quo tempore non alii quam tali matrimonio editi, jurantibus parentibus aut propinquis, in tabulas iſtas recipiebantur. Tabulæ hæ curialium communes quoque ſunt dictæ: in quas qui referebantur, & ante & poſt Periclis legem, eorum nominibus parentum etiam nomina cum populo, ad quem pertinebant, adſcribebantur. Totaque hæc actio *δοκιμασία*, & actionis præſides ac genitalium inſpectores *δοκιμάζοντες* appellabantur. Rei huic deſtinatum fere fuit certum anni tempus, tertius ſcilicet dies feſti, quod Apaturia dicebant. Et quod dictum de filiis, quos parentes ex ſe genuerant, idem etiam valuiſſe videtur de iis, quos rite adoptaverant, ut ex verbis Demoſthenis in Bœotum colligi poſſe exiſtimamus. Triennio poſt ſequebatur profeſſio altera, & probatio apud populares anno ætatis profitentium decimo octavo, ut eidem placet *Sigonio* veroſimili ratione nixo: ac tum nomina eorundem referebantur in album, quod *ληξιαρχικὸν λεύκωμα* vocabant. Ea enim inſcriptione, ut omnis reliqui juris civium & civilium munerum, ita & adeundarum ac pro arbitrio adminiſtrandarum hæreditatum, quas *λήξεις* nuncupare veteres Athenienſes ſolebant, reddebantur capaces, & ſimul ex ephebis exibant inſcripti, ſuique juris ac arbitrii cenſebantur, &, ſi lubebat, conciones obibant, atque adeo communium rerum fiebant participes. Eademque relatio in tabulas has lexiarchicas fores militiæ iis aperiebat: Tunc enim ætatem militarem etiam ingrediebantur, obſtringebantque ſe ſacramento ad arma pro patria gerenda, cum res poſceret, & auctoritate publica ſcuto ac haſta inſtruebantur: durabatque ætas iſta militaris in annos XLII. ab anno ſcilicet vitæ XVIII. ad annum LX. Atque ideo, ut certius de annis militaribus ſingulorum conſtare ſemper poſſet, in inſcriptione hac nomen Archontis eponymi, qui annum ſignabat, etiam apponebatur. Juriſjurandi, quo ſe ſinguli obligabant, hæc fuit ſententia: *Non dedecoraturos ſe arma, nec ordinem deſerturos, patriamve reddituros deteriorem, ſed pro viribus eam defenſuros; pugnaturoſque pro ſacris & republica tum cum aliis; navigaturos etiam in terram quamvis ſibi aſſignatam; legibus jam latis, & deinceps legitime ferendis obedientiam præſtituros; non permiſſuros, ut quiſquam eas tollat; ſacra denique patria culturos*. Hoc autem dato juramento, & ſcuto haſtaque accepta, prima militiæ tyrocinia, ſi eſſet opus, deponebant in obeundo agro Attico, & eum contra vim tuendo, vocabanturque ex eo *περίπολοι*, quaſi circuitores: domi vero & ſuis rebus ipſi præerant ſine tutore, & in conciones ventitabant, & ſpectandis ludis theatra inibant, donec ad munera alia pacis & belli matureſcerent. Hæc ſoboles fuit domi perpetuo ſuccreſcens, & in locum decedentium novos cives indigenas civitati ſufficiens. Præter quos alii quoque nonnunquam civium numerum auxere, qui re aliqua ſuadente civitatis jure donabantur. Sic quippe Cliſthenes poſt ejectos Piſiſtratidas, exhauſta variis caſibus civitate, ut frequentiam ejus reficeret, & ſimul partes ſuas contra æmulos firmaret, non ſolum peregrinos, ſed & ſervos inquilinos, ut ait *Ariſtoteles*, in civitatem adſcripſit. Similiter Platæenſes extorres, patria eorum denuo a Thebanis everſa, populus univerſus benevolentiæ affectu motus, referente Hippocrate, civitate donavit, & adoptivos cives fecit, ſinguliſque populum ac tribum aſſignavit, ut eſt apud Demoſthenem contra Neæram: quod quidem accidiſſe *Diodorus* oſtendit Archonte Athenis Socratide, anno tertio ante pugnam ad Leuctra, qui erat tertius Olympiadis CI. Et hoc quidem modo multi ſimul in civium numerum allecti: quod evenit rarius. Sæpius vero & ſingulis hoc beneficii datum, aut binis, aut ternis, quaterniſve, qui bene de civitate meriti credebantur. Nam priſci Athenienſes ſummum beneficium exiſtimarunt, civitatis ſuæ jus homini peregrino tribuere, ut docet Demoſthenes cum alibi, tum in Ariſtocratia, & oratione altera, quam dixit de ordinanda republica. *Illis namque temporibus*, ait, loquens de ævo Themiſtoclis & Periclis, *majores noſtri ingens quid & præclarum ac venerabile jus civitatis Atticæ arbitrabantur, & quovis beneficio alio majus. Nec tum honorem illum tribuebant niſi viris principibus, aut Regibus, aut copiarum militarium Ducibus, nec niſi ob ingentia in civitatem merita velut ſummum præmium*. Id vero ætate ſua queritur idem Orator eviluiſſe in magnum dedecus reipublicæ culpa quorundam, qui in concionibus dominabantur, & populum quaſi naſo circumducebant: aitque venale id fieri, inque homines perditos, atque adeo ſervos ſervis genitos conferri.

Nunc ad Solonem legiſlatorem revertor. Is ordinatæ a ſe reipublicæ leges complures tulit ad jus & res ſingulorum pertinentes, diverſas ab iis, quæ ſtatum reipublicæ complectebantur: quas Plutarchus in vita ipſius deſcripſit. In iis ſunt leges de matrimoniis, quarum unam, quæ de puella orba eſt, merito abſurditatis damnat idem *Plutarchus*, matrimoniorum præcipuum jus conſpurcans & evertens: ceteræ meliores & honeſtiores. Dotes ſuſtulit, ne ob quæſtum, ſed ob liberorum generationem conjuges ducerentur. Illa vero lex laudabilis, quæ prohibebat maledicere mortuis: & altera, quæ convitia jacere in vivos locis ſacris, aut in judicio, aut coram magiſtratu, aut in certaminum ſpectaculis vetabat, idque delictum gravi mulcta corripiebat. Inprimis autem æquiſſima viſa eſt ea, & cupide a civitate accepta, qua factionem teſtamenti civibus tribuit, quæ nulla ante eum in civitate erat; ſed additæ ab eo leges rationi ac æquitati maxime conſentaneæ, quæ etiam nunc juriſconſultis probantur. Egregium quoque hoc, quod luctui modum præſcripſit, præficarumque & aliorum ad id conductorum ejulatus, rituſque pudendos ac indecoros ſuſtulit. Ad hæc artificia omnis generis, quæ honeſta & utilia, civitati commendavit, iiſque honorem tribuit, ac in uſum deduxit: legemque ſtatuit ne filius, qui a patre nullam artem accepiſſet, eundem patrem alere, quod alioqui eum facere oportebat, teneretur. Quin & Areopagitis præcepit, ut otioſos ac inertes corriperent, & pœnis quoque afficerent. Inertiam enim civium peſtem civitatis eſſe putavit. Natos ex meretricibus a neceſſitate alendi parentes liberos eſſe voluit. Mœchos in facinore deprehenſos occidere deprehendentibus permiſit. Sed in raptus reos multo, quam decuit, levior fuit, ut & in eos qui virgines

vio-

violarent. Jus vendendi filias & sorores, nisi in crimine deprehensas, abrogavit. Præmia Olympionicis drachmas D. iis, qui Isthmia vicissent, drachmas C. honoris causa statuit. Ex agri Attici fructibus exportari quicquam vetuit præter oleum: aliter facientes c. drachmarum mulctam solvere ærario jussit. Multa alia quoque sanciit, quorum nihil memorabilius quam hoc, quod honoribus privavit eos, qui exorta forte seditione neutri factioni se jungerent, quasi id argueret animum de republica securum, ac rerum, privatarum tantummodo studiosum. Leges suas tabulis ligneis inscriptas proposuit in publico, quas tabulas Ἄξονας vocavit aut κύρβεις. Obligavit Athenienses ad eas servandas in annos centum, adegitque senatum in eas jurare, & post senatum singulos Archontes, addita pœna, ut recedens ab iis Apollini Delphico statuam auream pondere sibi parem poneret. Denique legumlatione absoluta anni Attici rationes ad motum Solis redegit. Et hæ leges Solonis cum tota reipublicæ constitutione tam venerabiles populo fuere, ut ne tyrannus quidem Pisistratus, Soloni sanguine junctus, quanquam potestatem legibus majorem usurparet, eos abolere in animum induxerit, nec filii ejus ab ejusdem morte. Primi vero cccc-viri anno belli Peloponnesiaci XXI. abdicato statu populari eas abrogarunt, sed intra vertentem annum dominatu suo dejecti rursus locum iis dare necessum habuerunt. Iterumque post septennium, cum fine belli Peloponnesiaci, a XXX. tyrannis vulgo sic vocatis leges hæ abolitæ, & iisdem post pauculos annos eversis, denuo in usum sunt revocatæ, vigoremque suum per multa sæcula secuta retinuerunt. Verum passæ hoc sunt, quod ante dixi: crescente scilicet ambitione procerum, & potentia Oratorum, qui populo a consiliis erant, haud paucis earum per leges novas derogatum, aut abrogatum; non paucæ etiam legibus contrariis elisæ, quædam obsoletæ, & quæ integræ manserunt, multitudine legum a posteris additarum cumulatæ, peneque obrutæ fuere. Multa quoque more introducta, quæ legibus & civitati exitiosa fuere. Inter quæ id fuit, de quo sæpius questus est Demosthenes, pecuniam scilicet publicam, quæ usibus bellorum impendi, ac in stipendia militum erogari solebat, versam fuisse in sumptus spectaculorum, atque ita enervatam esse rempublicam. Quem morem Pericli primum acceptum plerique ferunt, cum is gratia plebis potentiam suam contra factionem Cimonis ac reliquorum nobilium augere niteretur. Nam cum Athenis periculosæ contentiones existerent de locis & sessionibus in theatris, cum alii aliis eas præripere studerent, (erat enim populus Atticus spectaculis mire deditus, ut

A bonam vitæ partem spectandis ludis, & certaminibus perderet) ad minuendas illas contentiones magistratui visum fuit, loca in theatris venalia facere. Ita cum tenuiores cives voluptate spectandi pene privarentur, solis vero ditioribus theatra paterent, Pericles dicitur ad demerendam plebem decreti auctor fuisse, ut spectare volentibus duo oboli (tanti enim sessiones singulæ erant) id est, drachmæ Atticæ triens, quoties omnino spectare cupiebant, ex ærario darentur. Quo modo & ærarium inutiliter exhaustum, & plebis virtus militaris prope extincta fuit. Sed hoc de Pericle vix verisimile: aut si ab eo hoc cœptum, & ad tempus continuatum, sine dubio subnatis difficillimis bellis, quorum ipse B præcipuus Dux & auctor fuit, eo adhuc vivente rursum obsoletum. Verum cum quies civitati denuo parta esset, & populus in dissolutos mores ac voluptatum studium relaberetur, credibile, morem quoque illum a captatore gratiæ popularis suggestum flagitante plebe in usum rediisse. Quem cum pestem reipublicæ esse multi viderent & quererentur, tandem Apollodorus quidam, ut memoriæ prodidit Ulpianus Demosthenis enarrator, ausus fuit studio boni publici eum antiquare, & pecuniam illam theatralem (sic enim vocabatur) in usum stipendiorum militarium rursus convertere. Sed obstitit ei Eubulus tum rempublicam forte gerens, insignis aucupator gratiæ plebis, legemque tulit, qua pœnam capitalem statuit in eum, qui C idem, quod Apollodorus, rursum auderet. Quapropter Demosthenes, cum civitas Attica bellis contra Philippum Macedonem implicita esset, & nervo bellorum careret, sæpe de pravo hoc more, & Eubuli exitiosa lege, in concionibus querelas intulit, & detrimenta quæ hinc civitati evenirent, posuit ob oculos, nec tamen se abrogandi exitiosi moris auctorem profiteri ausus fuit. Ita more & lege manente, & plebecula fatua lucelli hujus retinendi dulcedine bonum publicum negligente, quæ tunc in civitate dominabatur, res civitatis pessum ivere, & Philippo Macedoni, Regi cumprimis vafro & industrio, ac ad res magnas adspiranti, augendæ potentiæ suæ exopta- D tam occasionem dedere. Hactenus de republica Attica quondam florentissima, quandiu bonis legibus locus fuit: post vesania plebis, & flabellorum ejus, Oratorum ambitiosorum, qui eam huc illuc impellebant, pravis studiis præcipitata, ac de gradu fortunæ dejecta. Quæ si minus multas leges, & pauciores quoque magistratus habuisset (nam & illarum & horum multitudine vere laboravit) forsan casus illos extremos declinare potuisset.

DE REPUBLICA LACONUM.

QUEMADMODUM Attica, sic quoque Laconica per gradus ad eam libertatem pervenit, qua pollebat tum, cum ipsa, & res totius Græciæ maxime florebant. Primi, qui rerum illic potiti sunt ante & post Troica tempora usque ad reditum Heraclidarum in Peloponnesum, Reges nomine & re fuerunt pene pro libitu regnantes, quorum postremi Menelaus, Orestes, Tisamenus, e Pelopidis descenderunt. Regnum tenente Tisameno, Orestis filio, Agamemnonis nepote, posteri Herculis, filii Aristomachi, Temenus & Cresphontes, & horum fratre Aristodemo nati, Eurysthenes ac Procles, cum cæteris Dorici generis in Peloponnesum redierunt

E anno LXXX. post Trojæ excidium, ante initium Olympiadum Iphitearum CCCXXVII. sub penultimo Athenarum Rege Melantho. Ex his Argivum regnum Temeno, ex quo Reges Macedoniæ ortum traxere, Messenium Cresphonti cessit. Aristodemi filiis duobus Laconicum est datum, cujus Metropolis & Regum sedes erat Sparta, quæ eadem etiam Lacedæmon dicebatur. Fuit vero tunc sic comparatum, ut duo fratres Eurysthenes & Procles Aristodemi filii pariter regnarent Lacedæmone, æqua F potestate præditi; utque ex his descendentes duo, alter ex Eurysthene, ex Procle alter, eodem modo regnum indivisum tenerent, adjecta certa succeden-

di lege in loca defunctorum. Atque id observatum a posteris per multa sæcula ad Cleomenem Regum ultimum, qui occiso collega Agide, & trucidatis Ephoris, dum magna molitur, ingenti prœlio ab Antigono Macedone sociisque Achæis victus sese & regnum evertit anno post Eurysthenis & Proclis initium DCCCLXXX.

Cœpit igitur regnum hoc, quod monarchicum hactenus fuerat, cum Heraclidarum initio esse δυαρχία: quod vim regiam temperavit, præsertim cum æmuli inter se Reges collegæ ut plurimum essent. Nam & fratres Eurysthenem & Proclem, qui primi regnarunt, odio mutuo laborasse, ac studiis discordibus toto regni sui tempore actos esse, idque posteris quoque inhæsisse, *Herodotus* ipsorum Laconum fidem secutus tradit, & post eum etiam *Pausanias*. Et est vero maxime consentaneum, non solutam potestatem sineque conditione populum in se primis Regibus permisisse, cum esset ingenii sublimis & ad libertatem propensi. Quod arguunt etiam motus frequentes, qui statim a regni conditu in eo fuisse a magnis auctoribus produntur. Adde quod Plutarchus in vita Lycurgi scribit, Eurypontem Regem Proclis ex filio Soo nepotem, quem ipse Eurytionem nominat, ad populum demerendum potestatis regiæ fastum multum minuisse, eaque re occasionem populo dedisse ferociendi ac tumultuandi contra Reges proxime secutos, si quid violentius pro imperio viderentur agere, & turbulentos quoque motus inter sese ciendi, excussa legum & imperii reverentia; atque in hujusmodi tumultu, dum dirimendi ejus ergo accurreret, Regem Eunomium, Eurypontis nepotem, Lycurgi legumlatoris celeberrimi patrem, accepto vulnere mortem oppetiisse. Cum vero confusio hæc cum tempore cresceret, & status regni incertus fluctuaret, cum populus a Regibus, Reges a populo sibi metuerent, & cum alii in populo rebus turbatis opes cumulassent, & possessiones soli fere omnes in se vertissent, alii contra, & hi numero plurimi, rerum inopia premerentur, ac rixarentur cum fortuna sua, & horum fremitum divites formidarent, viderenturque hæc majus malum, adeoque regni interitum portendere; a Lycurgo, opportune tum ex longa peregrinatione domum reverso, medendis his malis & constituendæ melius reipublicæ manus admota fuit. Erat quippe Lycurgus e regio sanguine vir summus, Eunomi, ut jam dixi, filius, Charilai tum regnantis patruus, fueratque nuper ejusdem hujus adhuc minorennis tutor, ac regni pro eo administrator. Atque hac administratione tantam sibi existimationem incorruptæ fidei, justitiæ, integritatis, prudentiæ, fortitudinis, industriæ, mansuetudinis, apud populum paraverat, ut non alius imperio regio dignior videretur. Quod cum malevoli in calumniam contra eum cœpissent vertere, ut sinistris suspicionibus occurreret, si quid forte contingeret humanitus Charilao accidere, relicta sponte patria peregrinatum ierat, diu primum in Creta ad leges Minois fama celebres penitus cognoscendas commoratus, deinde in Asiam & Ægyptum profectus ad variarum gentium instituta moresque perspiciendos: quod augendæ priori prudentiæ, qua jam ante valebat, non parum fuit. Ex qua peregrinatione, flagitante populo, qui se ac rempublicam ob conturbatum fluctuantemque statum in discrimine non exiguo esse sentiebat, Spartam tandem reversus virtute sapientiaque sua malis præsentibus levamen aliquod aut remedium adferre posse putabatur. Quin etiam ipsos Reges reditum ejus desiderasse *Plutarchus* tradit, sperantes scilicet, eo præsente propter gratiam & auctoritatem ejusdem, quam apud multitudinem habebat, minus periculi a motu hujus sibi esse futurum. Nec opinionem populi & spem Regum fefellit eventus. Nam cum domum Lycurgus rediisset, reperissetque omnes ordines præsentis conditionis suæ ac status pigere, & animis pendentes in sese oculos conjicere, prehendendam occasionem se offerentem ratus, cum paucissimis, quibus maxime fidebat, communicato consilio ad reformandum regni & reipublicæ statum serio animum adjecit. Verum priusquam palam quicquam occiperet, gnarus religione mentes hominum plurimum moveri, & Minois exemplo, de quo in Creta edoctus erat, permotus, Delphos ad sacra facienda & consulendum Apollinem profectus fuit. Quibus rite illic peractis, gaudens Spartam repetiit, ferens secum oraculum illud fama celebratum, quo dilectum Diis, aut DEUM potius quam hominem Pythia sacerdos eum salutavit, & mox εὐνομίαν, hoc est, bonarum legum formam & reipublicæ ordinationem flagitanti respondit, dare ac polliceri DEUM eam, quæ omnium rerumpublicarum futura esset longe præstantissima. Hoc igitur responso magis magisque animatus, & spe bona fultus secreto primum cum amicis, dein paulatim cum pluribus agens, aliosque post alios ad causam adjungens, præsertim optimates, ad capessendam rem omnibus salutarem eos exsuscitavit. Demum cum res jam matura videretur, jussit XXX. primores die illucescente cum armis in forum se conferre ad consternandos, metuque turbandos adversarios. Unde cum tumultus aliquid existeret, Charilaus Rex perculsus, metuens in se arma versum iri, (id enim ei Lycurgi æmuli, & causæ inimici insusurrabant,) in sacellum Minervæ, quod Chalciœcum dicebant, velut in asylum confugit. Sed fretus jurejurando sibi dato, relicto sacello, & re plenius cognita partibus Lycurgi accessit, uti ferebat ingenium ejus mansuetissimum. *Xenophon* scribit, existimare se, haud levibus rationibus ductum, non prius ad constituendam rempublicam & leges ferendas Lycurgum aggressum esse, quam eos, qui in civitate plurimum valerent, consentientes reddidisset. Deinde addit, non ante leges eum populo tradidisse, quam cum civium præstantissimis Delphos profectus Deum interrogasset, an Spartæ melius futurum esset, si legibus a se conceptis pareret, responsumque tulisset, omnino ita futurum: tum Spartam reversum leges promulgasse, & non solum iniquum sed etiam nefarium judicasse, qui legibus a Pythio probatis obsequium abnueret. *Plutarchus* vero memorat, quod prætereundum non est, cum consummatam jam totam rem Lycurgus haberet, essentque omnia in usum recepta, usuque plurium annorum probata, hoc eum velut stratagema usurpasse: vocasse nimirum omnes ad concionem, & dixisse, habere quidem ea, quæ constituta receptaque jam sint, recte ad inferendam alendamque virtutem, & conciliandam civitati prosperam fortunam, sed, quod præcipuum & maximum putaret, id se non ante editurum quam Deum consuluisset: quapropter oportere eos his, quæ constituta jam essent, sine vitio insistere, nec mutare aut movere quicquam, quoad ipse Delphis domum revertisset: tum, quodcunque intellexisset placere Deo, id se esse facturum, quam orationem cum collaudassent omnes, jussissentque eum Delphos ire, jurejurando ipsum obstrinxisse Reges primum ac senatum, deinde & populum universum, ad præstanda ea, quæ promitterent, ac tunc statim Delphos profectum, peractis ibi sacris ex Deo quæsisse, an latæ leges ad virtutem felicitatemque civitatis probe haberent, & responsum ei esse, leges recte habere, & civitatem clarissimam futuram, quandiu his institutis esset usura: atque hoc oraculum literis mandatum Spartam misisse, & repetito sacrificio amplexatum suos, quos secum habebat,

ratumque, satis se sibi ac patriæ vixisse, spontanea A morte vitam Delphis finivisse, ut hoc modo ad servanda in perpetuum instituta sua civitatem obligaret. Quod ad eorum perennitatem haud parum valuisse, *Plutarchus* credi vult. Sed nihil tam sanctum, tam bene munitum, quod non paulatim tempus vitiet ac violet: quod his accidisse Lycurgi legibus, quamvis optimis, & tali modo sancitis, postea ostendemus. Nunc ad rem, a qua digressi breviter sumus. In formanda republica & legibus scribendis huc præcipue velut ad scopum collimavit Lycurgus, ut regnum moderatæ potestatis finibus circumscriberet, ut æqualitati, optimæ nutrici concordiæ, quæ robur tum omnis societatis tum maxi- B me rerumpublicarum est, locum in eo pararet, & populum universum assuetudine, a teneris ad parendum legibus & legitimis imperiis, ad juste parceque vivendum, ad comprimendas cupidines, ad tolerandos labores, ad incommoda asperaque perferenda, ad subeunda pro republica pericula, mortemque, si res posceret, fortiter oppetendam potius, quam aliquid turpiter committendum, redderet promptiorem. Sed erat perficiendis plerisque his non parva difficultas. Nam ut ea fierent, moveri totius reipublicæ corporis humores, & inhærentibus vitiis purgari oportebat. Exorsus autem est ab ipso capite C bene temperando, id est, Regum potestate moderanda: & Reges quidem duos, ceu fuerant hactenus, reliquit cum omni successionis jure, imo etiam, quod maximum arcanum in statu optimatum, ad quem collimabat, honoribus domi cumulari sivit, sed imperio regio, quo usi hucusque fuerant, nervos incidit. Nam ex oraculi Delphici monito, quod Rethræ nomine affectum recitat *Plutarchus*, Senatum, γερυσίαν Græcis dictum, qui ante in regno non fuerat, institutum a sese, Regibus apposuit, ut medius esset inter Reges & populum, & utrosque intra limites officii retineret. In hunc delegit viros ætate graves, & virtute præstan- D tissimos XXVIII. qui in ordinanda republica & concipiendis legibus, consilio & opera ipsi potissimum adstiterant, omnes annis LX. non minores, eosque in munere manere voluit, quoad viverent, nisi forte delicto aliquo suo exauctorationem mererentur. Idemque de ætate & muneris perpetuitate in successoribus eorum in omne tempus futurum quoque observari jussit. Nam gravitate & prudentia ac judicio prævalere eam ætatem, & frequentem mutationem senatorum, qui Regibus essent assessuri, noxiam reipublicæ esse futuram existimavit. Atque hanc dignitatem in civitate post Reges summam, præmium virtutis ac vitæ prioris bene actæ senibus pro- E positum esse, stimulum vero ad colendam virtutem & promptius præstandum legibus obsequium, junioribus esse voluit. Statuit porro, ne sine hujus senatus consilio ac voluntate quicquam decernere aut occipere Regibus liceret: Reges autem jussit assiduo in hoc senatu, cum domi essent, versari, velut senatus partem, idque honoris in eo habere, ut primo loco semper ceu senatus principes sederent, primique sententias dicerent, & suffragia ferrent, plurium vero consensui in statuendo locum darent. Itaque ex hac Lycurgi lege, senatus domi plus poterat, quam Reges, quamvis militiæ secus res haberet, ut post liquebit: & senatus idem, quod haud F levis momenti erat, non erat reddendis rationibus obnoxius: quod quidem *Aristoteles* velut modum reipublicæ liberæ excedens, & iniquis desideriis frenum laxans, in hac νομοθεσία Lycurgi, quemadmodum & quædam alia, reprehendit. Jus autem surrogandi senatores in loca eorum, qui aut morte, aut culpa sua, aut casu alio ea vacua essent facturi, non Regibus, non ipsi senatui, sed soli concilio totius populi, quod ἐκκλησίαν Græci dicebant, concionem Latine interpretamur, idem legislator tribuit. Hoc vero in eo cavit, ne quisquam nisi petens, & se populo in comitiis ostendens, nec nisi virtute præstans, legitimæque ætatis, surrogaretur: surrogatus ut omnium ordinum gaudio & congratulatione & honore exciperetur, ac velut in possessionem dignitatis mitteretur. At concionis hujus convocandæ & regendæ dimittendæque potestatem ex eadem, quam dixi, Rethra Delphica Regibus & senatui dedit: qua concione nihil omnino fuit in omnibus ipsius institutis popularius: cui posteris sæculis etiam ad augendam ejus majestatem multo plura accesserunt, de quibus postea dicemus. Cætera sic constituit. Primum ut invidiæ, odii, discordiæ matrem ac nutricem inæqualitatem e civitate tolleret, æqualitatem vero concordiæ & amoris mutui altricem, quam posset maxime in civitatem induceret, rem omnium difficillimam aggressus est. Quid enim difficilius quam possessiones divitum movere, & cum tenuioribus facere communes? qui conatus multis viris magnis quondam exitio fuit. Et tamen suadela sua, & simul subjecto ab egena & fremente multitudine aliquo metu Lycurgus id perfecit. Igitur totius regionis Laconicæ agros persuasis ac permittentibus iis, qui eos tenebant, conflavit in unum, eumque in partes æquales tricies novies mille divisit. Deinde ex his novies mille, quæ Metropoli Spartæ proxime conjunctæ erant, pro numero civium Metropolim habitantium a reliqua summa separavit, & singulas singulis Spartanis sortito assignavit: unde partes ipsæ sortes sunt appellatæ. Tum, quod erat reliquum universæ regionis, id reliquis Laconibus per municipia multa villasque dispersis eodem modo distribuit. Quamlibet autem sortem tantam fecit, ut alendæ familiæ parcæ ac industriæ sufficeret. Atque has sortes pares inter se augeri, minui, subdividi, venundari vetuit: devolvi autem ad hæredes, etiam fœminas, si mares non essent, voluit. Sed si plures filii aut nepotes defuncto superessent, quod accidebat ut plurimum, & hi domos ac res domesticas superarent, quæ tum successionum in sortes ratio sit observata, ut subdivisio earum non fieret, sortesque nec numero nec mensura variarent, sed manerent eædem, id a nemine hactenus explicatum vidi. Itaque & ego de re ignota sileo. Hoc vero solum intelligo, & dicere habeo, institutum hoc, ut quædam hujus generis alia, mature satis vitium fecisse. Nunc reliqua Lycurgi persequamur. Is ut avaritiam & cumulandarum opum studium apud suos submoveret, usum pecuniæ aureæ & argenteæ sustulit, & nummos ferreos grandes, & pondere æstimatos substituit. Qua una ratione vitia varia, & scelerum ausus, noxiaque cum exteris commercia, inutilia artificia, importationem rerum, quæ ad luxum faciunt, simul a civitate avertit. Præterea ad ea profliganda, quæ virorum animos emolliunt, ac enervant; cœnare domi cum conjuge & liberis, aut convivia privata agitare, quod id luxuriandi & deliciis voluptatibusque indulgendi occasiones plerumque præberet, nisi res aliqua posceret, nemini permisit; cœnas autem communes ad frugalitatem maxime comparatas instituit, ad quas quindeni fere aut circiter, sine discrimine dignitatis & fortunæ abjectæ, coirent, qui singuli portiones suas menstruas, farinæ, vini, casei, ficuum, ac pecuniæ aliquid ad emenda alia edulia, conferebant. Si quæ ex venatione aut sacrificio carnes accederent, eæ junioribus in cibum relinquebantur: adultiores & jam viri facti pulmentis ut plurimum contenti erant. Inter pulmenta usurpabatur maxime & laudabatur jus quoddam nigrum, quamvis saporis non admodum grati, præsertim non assuetis. Pisces, cupediæ, cæteræque deliciæ, irritamenta gulæ, & quæ-

A cunque saginandis potius quam alendis corporibus esse poterant, procul erant: nec ultra sitim bibere, nec emansitare, aut pleno jam ventre istuc accedere, nec sine armis accumbere, cuiquam licebat. Ingredientibus maximus natu foribus assistens, & fores monstrans ad commendandam silentii fidem dicebat, *Per has nullus effertor sermo*. Has cœnas φειδίτια a parsimonia aut tenui victu appellari placuit; ad quas etiam pueri, ut a senioribus, quæ ad excitandas virtutes & acuenda ingenia faciebant, audirent, atque ad vitam frugi & parvo contentam a teneris assuescerent, ac perferre honestos jocos discerent, tanquam ad scholas adducebantur. B Finitis cœnis lex jubebat convivis domum discedere sine præeunte facula, ut in bello etiam poscente re per tenebras iter facere ac pedes ferre condiscerent. Atque ab hoc instituto ne Reges quidem exemptionem habebant. Nec fuit aliud quicquam in universa Lycurgi νομοθεσίᾳ, quod locupletum & splendori ac deliciis assuetorum animos in initio magis offenderet, & in auctorem asperaret, ut nec a contumeliis ejus & verberum injuriis abstineretur. Et tamen usu semel receptum ita civitati placuit, ut nihil eo perquam diu observatum sit accuratius, ut affirmat *Plutarchus*. Huic legi aliam sanctionem Lycurgus adjecit eodem etiam directam, C qua interdixit operosis & magnificis domuum extructionibus, ne luxui locus in iis esse posset: jussit ad struendum quidem culmen securim, ad januam vero solam serram adhiberi, id est, ædes rudes ad usum non ad splendorem construi.

Ad reliqua eamus. Præstantissimum institutorum Lycurgi fuit puerorum, adolescentum, ac juvenum educatio, si initium instituti sævum & impium exceperis. Nam proles recens nata, ut tradit *Plutarchus*, ex lege deferebatur ad maxime grandævos suæ tribus, (erant autem tribus in urbe Sparta sex;) &, si ea aut detortis vitiosisque membris, aut toto D corpore imbecillis ab iis deprehenderetur, velut non usui sed oneri reipublicæ futura, loco aspero ad montem Taygetam exponebatur, id est, certæ morti dabatur: quod inhumanum plane & barbarum erat. At si vitiorum hujusmodi expertem, & vita dignam iidem illi tribules grandævi viderent, reddebant eam parentibus nutriendam. Hi opera solertium & sedularum nutricum, membra tenerorum in formam quam maxime speciosam & venustam effingebant, nec ullis involucris ac fasciis aliorum populorum more fovebant, sed jam tum infantulos adhuc, & mox pueros, habebant duriuscule, in amictu, cibo, potu, dabantque operam, ne ullis suescerent deliciis, earumque desiderio caperentur, E nec tenebris aut solitudine terrerentur, sed ubique animis, pro ætatis modo, essent intrepidis. Hac ratione apud parentes enutriti, cum jam annum ætatis septimum explessent, non tradebantur mercenariis pædagogis, quod in reliqua Græcia fiebat, nec arbitrio parentum reliqua eorum educatio relinquebatur, sed ex Lycurgi instituto curæ publicæ committebantur. Scilicet distribuebantur in aliquot greges, quos ἀγέλας nuncupabant: quorum cuilibet ex ipsis gregalibus unum aliquem ceu Ducem præficiebant, qui cum ætate prudentia præstare ante alios, & in pugnis acerrimus esse deprehendebatur: hunc in ludis, & cæteris exercitiis, in quibus assidui erant, gregales intuebantur; huic imF peranti obtemperabant; ab hoc plectente pœnas patienter perferebant, ut totum hoc quædam parendi videretur esse exercitatio. Horum ludis aderant fere seniores aliquot, & diligenter ludentes observabant, ac sæpissime contentionum dimicationumque occasiones iis sufficiebant, ut contendentium & dimicantium ingenia penitius cognoscerent, ac quid quisque auderet, quid animi ad pericula & pugnas haberet experimentis discerent. Eratque instituti Laconici a Lycurgo traditi, ut senioribus quibusvis, viris bonis ac honestis, pueri omnes non minus quam parentibus suis obedirent, eosque venerarentur, iis de via decederent, ac de sedibus assurgerent: & seniores vicissim aliorum liberos non secus ac suos curarent, delinquentesque punirent: puniti vero si querelas hac de re ad patres deferrent, turpe esset patribus, non alia porro verbera querentibus irrogare: omnisque adeo puerorum ἀγωγὴ ad discendum promptum obsequium, ad sufferendos quoslibet labores & dolores, ad parandas in certaminibus & prœliis victorias referebatur. Quem in finem tondebantur cute tenus, & discalceati incedebant a primis pueritiæ annis, & nudi inter se summa contentione decertabant. Omnium vero durissimum hoc erat magno auctorum veterum consensu memoriæ proditum, quod pueri non e vulgo solum, sed etiam nobiles ad aram Dianæ Tauricæ, (ea cum fano erat in ipsa urbe, in vico Limnæo,) cui sacra fieri sine sanguine fas non esse credebatur, quotannis stato die flagellis graviter cæderentur, ut sanguis copiose e membris deflueret, præsentibus spectantibusque ipsorum parentibus ac propinquis, & ad tolerantiam eos exhortantibus: idque quadam æmulatione mutua, & gloriæ cupidine tam patienter ipsi ferrent, (gloriosum enim putabatur, alios tolerantia superare,) ut ne gemerent quidem, ac sæpenumero ad mortem usque hilares & gestientes verbera hujusmodi fortiter sustinerent. Vocabant hoc certamen διαμαστίγωσιν. Quod quis non miretur? quis induratos animos puerorum ad perferendos jam tum in ea ætate tam sævos dolores non stupeat? aut veri fidem excedere rem non existimet? Et tamen certa res est, fuitque in usu non solum temporibus antiquis, cum Sparta floreret, sed duravit ad ultima tempora, cum jam Græcia Romanis pareret. Testes sunt, *Xenophon*, *Cicero*, *Seneca*, *Plutarchus*, *Philosophus Musonius* a *Stobæo* citatus, denique e Christianis scriptoribus antiquissimus *Tertullianus*. E quibus Plutarchus spectatorem se rei fuisse profitetur, Cicero se, cum Lacedæmone præsens esset, audivisse affirmat. Utriusque verba illustria sunt, illius in vita Lycurgi, & in Institutis Laconicis, hujus in Tuscul. quæstionum libro secundo: sunt etiam cæterorum. Hæc disciplinæ puerorum severæ apud Lacedæmonios ratio: quam qui admittere in liberis suis nolebant, eo ipso civitatis Spartanæ jure excidebant. Litterarum vero studium modice admodum, ac non nisi in necessarios usus, tota in hac puerili ætate, atque enim deinceps, apud Lacones urgebatur, ut docet *Plutarchus*. At e pueritia jam egressi, cum annum vitæ duodecimum implessent, iidem nihilo remissius habebantur: imo quia cum pubertate tumescere procaces spiritus, & crescere insolentiam ac voluptatum cupidinem, Lycurgus norat, idcirco ad domanda germinantia vitia, ac velut in herba opprimenda, ex ejusdem instituto pluribus etiam laboribus exercebantur, & disciplina strictiore ac diligentiore continebantur. Ab eo namque tempore adolescentibus jam adscripti sine tunica vestiebantur, unoque pallio per totum annum tam hyeme quam æstate cogebantur esse contenti: nec balneis, nec unguentis, nisi rarissime, utebantur; ideoque corporibus propemodum squalebant: turmatim vero & gregatim distincti capiendi somni gratia in toris prærudibus cubabant. Ad hæc oportebat eos, cum jam Ephori in republica essent, decimo quoque die, si *Æliano* credimus, publice Ephoris se sistere sine veste, & de corporum habitudine horum censuram subire: in qua censura, qui solidis ac firmis beneque compactis membris esse deprehendebantur, honorem & laudem, qui mol-

libus ac pinguedine turgentibus, quoniam id desidiæ argumentum habebatur, ignominiam & verbera referebant. Porro senes quos probæ & generosæ indolis adolescentes animadvertebant, ac propterea adamabant, iis assiduo fere adhærebant, & comites ad gymnasia itabant, pugnantibus & scommatis mutuo se pro more incessentibus assistebant, haudquaquam otiose aut sine cura, sed ita, ut omnes omnium patres, præceptores, rectores, quemadmodum Plutarchi verba habent, esse viderentur, nec ullus locus, ullum tempus expers institutionis aut correptionis adolescentibus esset, laberetur que. Atque insuper universis præficiebatur unus ex primoribus civitatis lectus, vir gravis, cui præfectura hæc publice demandabatur: quem παιδονόμον vocabant. Is potestatem habebat congregandi B eos, & in delinquentes, aut negligentius agentes graviter animadvertendi: quem idcirco quidam ex ephebis flagella ferentes comitabantur, ut in promptu essent, si quis esset cædendus. Et si forte accideret Pædonomum a congregatis discedere, vicem ejus supplebat quicunque ex civibus esset præsens, eandemque tunc cum Pædonomo potestatem tenebat. Quinimo singulis quoque juniorum horum turmis aliquis ex Irenibus præerat, qui animi præstantia cæteros turmales antecellere putabatur: εἴρενες autem dicebantur, ut ait *Plutarchus*, qui adolescentiam egressi annum ætatis vigesimum jam attingebant; qemadmodum μελλείρενες, qui ætati eidem proximi erant. Atque hic εἴρην imperium in C cæteros, si virorum nemo adesset, habebat, & sæpe iis pro ministris utebatur, eosdemque laboribus pro cujusque ætate ac robore exercebat. Sub hoc etiam, ut vigiliis, insidiis, nocturnis fraudibus assuefierent, ac artibus militiæ se jam tum pararent, turmales furtis dabant operam: in quibus deprehensi ex lege pœnas acres luebant, non deprehensi laudem merebantur. Atque idem ille εἴρην in cœna discumbens, ex iisdem turmalibus, huic mandabat ut caneret, alteri, ut quæstionem aliquam de re gravi proponeret; quo exercitio ingenia tum interrogantium tum respondentium haud parum acuebantur. Nam ut proponentis erat, nihil futile aut D insipidum quærere, ita a respondente requirebatur, ut quam celerrime ac brevissime responso commodo & nervoso defungeretur: idque laudi erat ambobus. Qua ratione fiebat, ut Lacones, cum in viros adolevissent, ante alios omnes hoc genere plurimum valerent, propriumque eorum censerentur, argute interrogare, & ex tempore concinne & breviter respondere: Unde illa tot numero tam insignia Laconum apophthegmata a *Plutarcho* recitata. Huic vero cognatum id quoque erat, quod a pueris usque iidem ex instituto Lycurgi assuefierent sermone uti non nisi gravi, de rebus honestis, cui ad virtutis studium aliquis inesset stimulus: cujus forma postea in E adultis quoque remanebat. Adspergebantur autem sermoni huic utplurimum etiam joci, ut essent laborum & victus asperioris quoddam cum condimento levamen. Sed enim in corripiendi ratione eveniebat non raro, ut Iren, qui turmæ alicui præerat, præsentibus viris primariis in delinquentes animadverteret, eoque documentum ederet, rectene an secus, quod debebat, nosset facere, nec quisquam eum hoc agentem turbaret: verum dimisso jam turmalium cœtu, si vel asperius vel levius quam par esset videretur animadvertisse, tunc ipse viris pœnas ut daret. Erat omnino seniorum, juniores F peccantes corripere: Et si id facere quispiam forte negligeret, cogebatur ipse pœnas eas pendere, quas peccans junior commeruerat. Certamina adolescentum, quemadmodum continua fere erant, ut alia ab aliis exciperentur, ita maxime serio peragebantur. Eminebant in iis, quæ platanista ex loco

A densis & proceris platanis per ambitum obsito dicebantur; quorum rationem præter alios Pausanias libro III. describit. Certaturi nimirum bifariam se dividebant: utrique sub Duce suo ex ipsis delecto noctu in Ephebejum suburbanum coibant, atque ibi cane ab utrisque ad aram mactato, & captandi ominis ergo duobus apris infestis inter se commissis, quorum is, qui alterum superabat, putabatur suis victoriam portendere, per id quod reliquum erat noctis quiescebant. Postridie paulo ante meridiem in certaminis campum utrique procedebant insulæ instar euripo circumfusum, nec nisi per pontes ingressui patentem. In quem cum devenissent per pontes diversos sortito jam ante utrisque designatos, pugnam ordiebantur acrem infestamque, in qua vir viro primum congrediebatur, manibus, calcibus, dentibus, unguibus, denique se mutuo impetentes, nec ab eruendis oculis, si possent, sibi temperantes: mox densati quoque totis agminibus in se ferebantur, mutuoque in euripum præcipites se agere summis viribus nitebantur: pugnabant pertinacissime: cedere & victos se fateri habebatur turpissimum, potiusque ad mortem decertantes perdurabant, quam ut hoc dedecus in se reciperent. Quod suo quoque sæculo in usu mansisse Cicero his verbis testatur. *Adolescentium greges* (inquit libro v. Tuscul. quæstionum cap. 27.) *Lacedæmone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, morsu denique, ut exanimarentur prius quam se victos faterentur*. Quæ verba, quemadmodum & ea, quibus *Pausanias* totam hanc rem exponit, significare videntur, nudos adolescentes, ac sine armis certaminis hoc genere defunctos esse, quamvis *Lucianus* ὁπλομαχούντων nomine eos afficiat, vocabulo latius accepto abutens. Inter gymnica enim certamina hoc etiam Epheborum exercitium referri communiter solet. Et quid pugnis, calcibus, dentibus, unguibus opus, si armis instructi dimicarunt? Fessi vero pugnæ labore adolescentes, post modicum quietis exercitio se reddentes, saltare incipiebant ad numeros musicos præcinente tibicine, ac in omnes formas corpus movebant: desinebatque ipsis pugnæ æstus & labor, inquit *Lucianus*, in festum tripudium. Et his aliisque Epheborum exercitiis curandis vacasse Bidiæos quinque publica potestate præditos, & in foro Spartano juxta curiam senatus, & prætorium Ephororum, ac eorum, qui legum custodes audiebant, basilicam, consessus & tribunalis sui sedem, habentes, *Pausanias* affirmat. Reliquæ istius ætatis exercitationes venando, natando, currendo, luctando, jaciendo disco, obeundis festivitatibus peragebantur. Nec vero iners otium etiam iis permittebatur, qui jam ex ephebis excesserant: sed & hos oportebat in similibus exercitiis ætati congruis loco publico sub oculis seniorum, & eorum, qui curæ tali præerant, pene assiduos esse. Quibus omnibus corpora ad motus ac labores, animi ad industriam, alacritatem, audentiam, fortitudinem firmabantur & indurescebant. Et hujus universæ disciplinæ juniorum domi & in pace talis ratio fuit, ut vita castrensis præ hac remissio quædam & quies videretur. Nec ante hujus finis erat, quam ad eam ætatem esset perventum, per quam aditus ad gerendam rempublicam & obeunda virilia munia dabatur: quod ante annum vitæ XXX. non fiebat. Interea tamen juvenibus virili ætati proximis, ut docet *Plutarchus*, nonnunquam de rigore hoc aliquantum remittebant, sinebantque eos comam alere & pectere, ac armis palliisque sese ornare, quibus jam delectabantur & gaudebant instar equorum ferocientium, & inire certamen gestientium. Manebatque ille mos etiam adultis, in hostem pugnaturi ut capillos comerent & concinniores redderent. Ad juniorum disciplinam ista

quoque pertinebant a Lycurgo instituta, ut in loquendo essent parci, & interrogati paucis responderent: ut in publicum progressi modestiam cum verecundia præ se ferrent, manum utramque intra pallium continerent, silentium servarent, oculos non circumferrent, sed, quæ ante pedes, intuerentur. Sic fiebat, inquit *Xenophon*, ut magis verecundos eos censeret, quam ipsas in thalamis virgines. Et sane his institutis Lycurgus effecit, ut Lacones a teneris assuefacti non tam eruditiores, ut nossent, quid faciendum aut omittendum, quam re ipsa meliores, & ad legum magistratuumque obsequia, ad virtutem sectandam, ad fugienda & aversanda vitia, ad aspernandas opes, delicias, luxum, ad colendam cum justitia concordiam, amoremque mutuum, ad observandas religiones, ad perferendos labores & dolores, ad tuendam communem patriam, ad vitam pro ea ponendam revera promptiores hominibus aliis fierent. Assuetudo enim a pueris inchoata, & usque in virilem ætatem continuata abit in naturam. Nec alia in educandis puellis ex instituto Lycurgi ratio fuit. Nam has quoque a teneris ad victum vestitumque frugi ac parcum, ad vigilantiam, industriam, laborum tolerantiam, ad animorum firmitudinem, & contemptum periculorum assuefieri legislator voluit, ut adultæ & viris traditæ non solum sustinendis partus laboribus essent firmiores, sed etiam similiorem sui prolem parerent. Consentaneum enim similes ex similibus generari. Itaque simul ac ætas id patiebatur, publicis exercitiis non minus quam mares tradebantur, certabant cursu, luctabantur, jactu discorum & jaculorum contendebant, gelido flumine lavabantur, diebus festivis in pompis saltabant, & carmina sacra canebant; & pleraque hæc faciebant in publico deposita veste totis corporibus nudis, & quidem assistentibus & spectantibus juvenibus, ut plurimum etiam sub oculis Regum, & senatus, qui cum aliis civibus ad spectacula hujusmodi coibant. Sed nudatio hæc virginum nihil habebat turpe, ut ait *Plutarchus*: verecundia enim aderat, petulantia & libido omnis aberat: simplicem vero assuetudinem, & studium quoddam parandi boni habitus, id est, firmi corporis, conferebat, & gustum aliquem sublimis sensus sexui fœminino inserebat, utpote qui non minus quam masculinus virtutis & gloriæ capax & particeps esse crederetur. Quinetiam putabatur exercitium hoc virginum ad acuenda juvenum studia non parum conferre. Nam si qui horum deliquissent, hos singulos ipsæ jocantes & ludentes carpebant: si qui vero laude digni viderentur, eos præconiis cantando prosequebantur; quorum utrumque plurimum in animis eorum ad pudorem, aut tacitum gaudium laudisque amorem valebat. Nec minus ad appetendas nuptias idem hoc virginum exercitium juvenes incitare credebatur. Nam quæ forma, robore, agilitate corporum, ac vi ingeniorum antecellebant, facile amorem sui juvenibus inserebant, juvenesque generandæ ex iis sobolis desiderio corripiebantur. Cibus puellis ac virginibus dabatur exercitiis his aptus, quo non saginabantur, aut mollescebant corpora, sed alebantur tantum, & ad alacritatem & robur proficiebant. Et vestis iis simplex ac tenuis, & corporum motui idonea, ad genua tantum, non ultra dimissa: ipsæque in publico incedebant facie retecta: fœminæ vero viris nuptæ palla longiore ad pedes defluente amiciebantur, & non nisi facie tecta prodiebant in publicum. Nec erat in veste & cibo inter pauperes & divites, inter imos & summos utroque in sexu ullum discrimen, quandiu instituta Lycurgi valebant. De hac sexus fœminini educatione præclare Cicero Tuscul. quæst. lib. II. cap. 15. *Illi qui Græciæ formam rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt: quod Spartiatæ etiam in fœminas transtulerunt, quæ cæteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur: illi autem voluerunt nihil horum simile esse apud Lacænas virgines: quibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia studio est, quam fertilitas barbara. Ergo his laboriosis exercitationibus & dolor intercurrit nonnunquam: feriuntur, impelluntur, abjiciuntur, cadunt: & ipse labor quasi callum obducit dolori.* Prolixius *Xenophon* & *Plutarchus*: & eleganter Propertius Elegiar. lib. III. El. 12. v. 1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & versi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Et Lycurgus instituti hujus auctor interrogatus, cur corpora virginum cursu, lucta, disci & jaculi jactu exerceret, Græce his verbis respondit: ἵνα ἡ τῶν γεννωμένων ῥίζωσις ἰσχυρὰν ἐν ἰσχυροῖς σώμασιν ἀρχὴν λαβοῦσα καλῶς βλαστάνῃ· αὐταί τε μετὰ ῥώμης τοὺς τόκους ὑπομείνασαι ῥᾳδίως τε ἅμα καὶ καλῶς ἀγωνίζωνται πρὸς τὰς ὠδῖνας· καὶ εἴ τις ἀνάγκη γένοιτο, δύνωνται ὑπὲρ αὐτῶν καὶ τέκνων, καὶ τῆς πατρίδος μάχεσθαι. *Ut*, inquit, *in validis corporibus fœtus validas agens radices pulchre adolescat, ipsæque deinde mulieres robore in partu fretæ dolores facile sustineant ac superent: utque, si ita necessitas tulerit, pro se & liberis & patria possint pugnare.* Reprehendentibus vero quibusdam virginum in pompis solennibus nudationem, causamque ejus quærentibus, ἵνα (ἔφη) τὰ αὐτὰ τοῖς ἀνδράσιν ἐπιτηδεύουσαι μηδὲν μεῖον ἔχωσι, μήτε κατὰ σώματος ἰσχὺν καὶ ὑγίειαν, μήτε κατὰ ψυχῆς φιλοτιμίαν καὶ ἀρετήν· δόξης καὶ τῆς παρὰ τοῖς πολλοῖς ὑπερφρονῶσιν. *Ut*, inquit, *eadem cum viris exercentes studia, neque corporis viribus & sanitate, neque animi contentione & virtute iis cedant, multitudinisque de se opinionem despiciant.* Sed turbant heic, aut turbare videntur nonnihil *Plato* & *Aristoteles*, uterque vir summus. Nam ille libro I. de legibus culpat rempublicam Spartanam ob licentiam fœminarum, & libro VII. culpam hanc Lycurgo legislatori tribuere videtur. Aristoteles vero polit. libro II. cap. VII. multo apertius hoc facit. Lycurgum enim ait voluisse quidem totam civitatem esse καρτερικὴν tolerantem ac temperantem, & id præclare in viris esse assecutum, sed in fœminis non item: eas enim vivere Lacedæmone intemperantissime, & in summa luxuria, atque ita mediam civitatis partem esse valde vitiosam: additque deinde, vulgo dici, conatum quidem esse Lycurgum etiam fœminas sub obsequium legum suarum cogere, sed cum illæ se abjicerent, a conatu destitisse: fœminas autem multo ante Lycurgum in possessionem licentiæ istius venisse, cum mariti assiduis bellis occupati reipublicæ gratia domo ut plurimum abessent, & curam omnem rei familiaris uxoribus commissam relinquere necessum haberent: unde factum, ut eos vicissim indulgere hisce, & aliquid licentiæ ac imperii permittere oportuerit: atque ita porro potentiam fœminarum cum luxu & lascivia crevisse, viris ab uxoribus jugum esse impositum: hinc vitia quoque alia in istam rempublicam defluxisse. Hanc quæstionem discutere non est loci hujus: fiet forte alibi. Satis nunc fuerit, respondisse, totum hoc, quod dicunt *Plato & Aristoteles*, ad puellas & virgines non pertinere, sed ad fœminas tantum viris jam denuptas. Nam illas sic educatas, & hujusmodi disciplinæ subjectas fuisse, cujusmodi ante exposita est, eamque rationem ad ultima civitatis Laconicæ tempora du-

tasse, nemo negare potest; nec id *Plato & Aristoteles* inficiantur, sed tantum de fœminis loquuntur maritatis.

Satis de iis, qui juniorum nomine censebantur. Quæ sequuntur, ad ætatem matrimonio, & gerendæ reipublicæ maturam pertinent. Eam ætatem cœpisse in maribus ab anno vitæ xxx. ob magnas rationes mihi quidem dubium non est: in sexu altero initium habuisse a xx. verosimillimum existimo. De nuptiis quidem sic statuisse Lycurgum ferunt, ne ante ætatis robur inire eas liceret, & caussam addidisse ut ex validis validi liberi gignerentur, nec ex infirmis ac immaturis infirma proles susciperetur. Quo & cætera instituta ejus de matrimoniis relata fuisse videntur. Qualia erant hæc, ut sponsæ a sponsis sine dote peterentur, ut pares cum paribus se jungerent, ut sponsæ expeterentur, & ante alias probarentur, quæ essent ingeniosæ, animosæ, minime inertes, corporibus pulchræ, agiles, robustæ, quales in gymnicis certaminibus maxime spectari & cognosci poterant: ut proci virgines nubiles, quas jungere sibi cupiebant, raperent, (invitas an volentes, & jam ante matrimonium pactas, incertum; quanquam hoc quam illud magis verosimile:) deinde ut raptam aliquam pronuba abduceret, & caput ejus circumtonderet ad cutem usque, ac virili veste & calceamentis indutam in torum rudem reclinaret, relinqueretque solam sine lumine: ad eam vero sponsus, haudquaquam ebrius, ac delicatis epulis bene pastus, sed in phiditiis more solito parce cœnatus sobriusque, latenter & velut furtim ingrederetur, & cingulum sponsæ solveret, & cum ea sublata in lectum genialem se conjiceret: nec diu in complexu ejus moratus, clam rursum e thalamo egressus dormitum concederet ad juvenes sodales, quibuscum cubare ex lege consueverat: atque hoc non semel tantummodo faceret, sed sæpe ac diu, transigeretque cum coætaneis suis dies ac noctes, ad sponsam vero itaret verecunde & caute, quasi præ pudore metuens, ne quis ex familia ingressum egressumque suum persentisceret, sponsa quoque solerter ei subserviente, & opportunam sese præbente, ut nesciis aliis in tempore ipsi ambo inter se congrederentur. Sic enim censebat sapiens legislator, eo modo congredientes, nec diu & ad satietatem ac lassitudinem corpora miscentes, coituros esse ferventius & validius, & melius valetudini suæ consulturos, magisque corporibus fœcundos ac in amore recentes perpetuo futuros, semperque desiderii concubitus & complexus mutui aculeum servaturos, & fastidio ac languore ex Venere immodica & intemperante haud quaquam laboraturos. Simul vero idem legislator hunc morem velut exercitium temperantiæ castimoniæque novis nuptis esse voluit. Nec enim solum nuptiarum tempore, & quod nuptiis proximum erat, sed etiam multo post hæc observabantur, ut nonnulli quoque ante genitos liberos mariti ad uxores suas interdiu non ventitarent. Atque ad hæc instituta pertinent apophthegmata Lycurgi de nuptiis, & tota re uxoria, recitata a Plutarcho in libello dicato apophthegmatis Laconicis: pertinent etiam, quæ scribit Xenophon initio libri de republica Lacedæmoniorum. Quemadmodum autem Lycurgus certos ætatis annos definivit utrique sexui, intra quos inire conjugia fas non esset, ne ex immaturis parentibus infirmi liberi ederentur, nec ipsorum juvenum ac virginum arbitrio desideriove id reliquit (nam non tam parentibus ipsis quam civitati gigni educarique sobolem volebat,) sic etiam annos præfinivit, ultra quos differre conjugium viris impune non permitteretur, ne inter frequentia bella & casus alios forte oborientes, & fatales civium mortes sufficiens copia sobolis in decedentium locum succrescentis, Mavortiam civitatem destitueret. Nam qui ultra justum tempus cœlibes manebant, eos varia ignominia jussit affici velut legum contemptores, & patriæ salutem susque deque habentes. Voluit enim ut hyeme media, imperante magistratu, nudi forum obirent, & in se compositam cantilenam canerent, eaque juste se pœnas dare, quod legibus non parerent, faterentur: ut spectaculis certaminum gymnicorum arcerentur: ut honorum, quos juvenes senibus Spartæ debebant, participes haud essent. Quorum omnium testis locuples est *Plutarchus*. Annum cœlibatui impuni determinatum nec apud *Plutarchum*, nec apud quenquam scriptorum veterum reperio. Ex Platone, in libris ejus IV. & VI. de legibus, ubi de matrimonio agit, & de cœlibum pœna, annum vitæ xxxv. fuisse conjecto. Philosophus enim hic in tota disputatione de legibus in instituta Lycurgi alterum quasi oculum defixum habuit, multaque ad exemplar eorum in republica illa sua, cui leges scribere voluit, effinxit: cujusmodi sunt de agro dividendo, de possessionibus in usum communem, quando opus, conferendis, de æqualitate, quantum res præsens queat ferre, servanda, de virginum dote in contrahendis connubiis non spectanda, de sponsa ex virtute æstimanda, de cœlibum pœna, de legibus haud temere mutandis, de obsequio prompto legibus præstando, de legum violatoribus severe puniendis, & alia his similia. Adhæc Lycurgus viro uni non nisi unam habere conjugem uno tempore permisit: adulteria in civitate Laconica prorsus nulla fuere audita, nec de eorum pœnis lex ulla a Lycurgo scripta, quia in viros ex præscripto ipsius educatos crimen id cadere non posse credebatur. Inter parentes & liberos, omnesque adscendentes & descendentes, inter fratres & sorores iisdem parentibus duobus natos, inter fratrem & sororem consanguineam connubia vetita: cum sorore autem uterina, si *Philoni Judæo* credimus, concessa, cum sororis & fratris filia, & cum cæteris agnatis cognatisque omnibus, denique cum qualibet Lacæna conjugio matura etiam permissa. An vero quoque cum peregrina, id videtur dubium. Existimo ego, impune id fuisse, si quis cum ea contraheret, sed non legitimum, ac a scopo Lycurgi aberrans. Nam prolis causa cum validis & laborum patientibus Lacænis matrimonia contrahi Lycurgus voluit, & peregrinis moribus vitiari instituta Laconica vetuit. Ut vero licuisse sine pœna putem, quod dixi, lex facit, quam Plutarchus in Agide recitat, pervetustam eam vocans, quæ prohibebat Heraclidas, qui Regum gentiles erant, e peregrinis fœminis filios gignere, pœnamque capiti intentabat relicta Sparta ad exteros habitandi ergo concedentibus: quorum criminum reum Leonidam Regem Cleomenis postremi Regis ex gente Heraclidarum patrem Lysander Ephorus faciebat. Nam si solis Heraclidis lex ea posita fuit, cæteros Spartanos, qui Heraclidæ non erant, non obligasse videtur. Quæ licet vetusta illic dicatur, tamen post Lycurgum natam esse facile crediderim, cum peregrinorum consuetudo cum Spartanis cœpisset inolescere; latam autem ab aliquo, qui genus regium a peregrino sanguine illibatum conservare voluerit, ne peregrinæ indolis aliquid haberent, qui Spartæ regnum aliquando possent inire. Quod si verum, verosimile etiam fuerit, Regum familia ortos extra gentem Heraclidarum non enupsisse. Illud vero in classe hac legum de matrimoniis ab honestate & more Christiano prorsus abhorret: quod legislator Lycurgus, teste summo auctore *Xenophonte*, & idem affirmante *Plutarcho*, copiam fecit marito debili aut effœto uxorem juvenculam ac vegetam permittendi viro alteri sibi probato, ad implendum ejus uterum, & id, quod

nasceretur ex concubitu tali, suscipiendi habendique pro suo: item quod fas idem esse censuit, virum ætate ac viribus vegetum, aversantem autem uxorem suam, & tamen cupidum prolis, petere a viro altero conjugem ejus fœcundam, prolemque ex ea suscipere. Excepti tamen his legibus fœdis Reges, & Regum liberi, ut exempla in Historiis docent. Velamen vero huic fœditati quæsitum, quod instituta ista augendo bonorum & fortium civium numero, & avertendis divortiis, atque incommodis aliis esse viderentur. Singulare est, & sine alio exemplo apud Spartanos, quod de Anaxandrida Rege Leontis filio ab *Herodoto* memoriæ proditum est. Is enim solus Spartiatarum duas simul uxores habuit, & ex utraque liberos genuit legitimos, qui regnum Spartæ tenuerunt. Hoc vero ille commisit non obsecutus cupidini suæ, ut solent qui contra leges delinquunt, sed invitus obsequens voluntati civitatis. Nam cum uxorem haberet unice sibi caram, filiam sororis suæ, perhibet *Herodotus*, & ex ea liberos non susciperet, nomine civitatis monitus ab Ephoris fuit, ut conjugem aliam non sterilem duceret, ne stemma Eurysthenis, quod in capite ipsius ob steriles nuptias periclitari videbatur, deficeret. Et, cum amore conjugis, quam nihil deliquisse dicebat, cur divortii ignominia esset afficienda, facturum se hoc negaret, reversi ad eum Ephori cum senatu, quo cum consilium ceperant, comminati sunt, ni sibi & reipublicæ morem gereret, & retenta conjuge, quam amabat, alteram ei superinduceret, liberisque gignendis daret operam, aliquid in ipsum statutum iri, quod ipsi futurum esset haud gratum. Tum cedens postulato adscivit conjugem alteram, & Cleomenem ex ea genuit. Sed accidit paulo post, secundis nuptiis jam confectis, priorem quoque conjugem, quæ sterilis credebatur, prægnantem ex eo fieri, & coram Ephoris filium edere Dorieum, & duos post hunc, Leonidam & Cleombrotum. Ita genitis Anaxandridæ quatuor filiis, ipsoque vita defuncto, Cleomenes, quanquam pravi ingenii, ob primogenituram, secundum leges patri in regnum successit. Eo autem sine liberis maribus tandem extincto, & Dorieo post varios casus ante eum sine prole e vivis sublato, regnum accepit Leonides Regum fortissimus, qui contra Xerxem depugnans cum Spartiatis suis ad Thermopylas occubuit, & hæredem filium reliquit Plistarchum adhuc minorennem: cujus tutelam gessit Pausanias Cleombroti filius in Historiis celebris, Græcorum Dux ad Platæam, ubi Mardonius ex sorore Xerxis natus cum toto Persarum exercitu cæsus fuit. Cumque regno vix inito Plistarchus quoque ἄπαις fato cessisset, successorem accepit Pausaniæ tutoris sui filium Plistoanactem, ex quo Reges Eurysthenidæ longa serie ad ultimum Cleomenem descenderunt. Sed revoco me, ultra metam heic evagatus. In civitate Spartana auctore Lycurgo in more positum fuit, a viris bonis amari pueros: sed nihil in amore eo erat turpe: imo flagitiosum putabatur, ut ait *Xenophon*, si amans amasii corpus appeteret, eratque par sanctimonia in conversatione amantis cum amasio ac esse solet in consuetudine parentum cum liberis, & fratrum cum fratribus. Cæteroqui peracta erat familiaritas & necessitudo inter amatorem & amatum, & affectus illius erga hunc non frigidus aut iners. Deligebat autem quisque, quem diligeret, in quo indolem animadvertebat elucescere egregiam, ejusque animum magis quam corpus amore complectebatur, atque hoc operam dabat, ut eum blandiendo, monendo, hortando, corripiendo redderet quam optimum, & civem civitati fingeret præstantissimum: ideoque sectabatur eum assiduo, & dicta factaque ejus observabat, laudabat, reprehendebat. Ex moribus & profectu amati studium & affectus & vita amantis æstimabatur, & si quid peccaret amasius, id amanti imputabatur, & cogebatur hic pro eo sæpe pœnas dare, ut ex *Æliano* discimus. Atque hic amor rivales non recusabat, nec æmulatio odium aut simultatem secum trahebat. Et simili modo matronæ virtutis & boni publici amantes puellas venustas acindolis præclaræ deamabant, ac idem illis studium impendebant haud invitis puellarum parentibus. Ad hæc, quemadmodum iis, qui virili ætate minores erant, rempublicam attingere non licebat, ita iidem de rebus quoque privatis contendere in foro ac judicio prohibebantur, cogebanturque per cognatos aliosve majorennes eas expedire. Sed nec viris in foro obversari, nisi quid magnæ rei id posceret, & litigantes alios apud judices auscultare, quod hominum otiosorum & curiosorum esse videbatur, satis honestum ex institutis Lycurgi putabatur. Otium quidem honestum ac quietem Lycurgus virilem ætatem ingressis domi in pace agentibus concesserat, & vacationem ab exercitiis laboriosis tribuerat: sed inertes eos agere, & boni publici securos haudquaquam voluerat; jusserat vero, ut maximam diei partem in publicis conventibus, gymnasiis, λέσχαις, quas dicebant, in quibus modeste & decenter viri graves coibant, & de republica sermones conferebant, versarentur. In congressibus istis sermocinando tempus traducentes ut plurimum honesta laudabant, vituperabant turpia, his jocos & risus adspergebant condimenti loco, qui tamen ad admonitionem aliquam, aut correctionem appositam, dirigebantur. Nulla autem mentio fiebat de rebus ad quæstum, aut negocia forensia pertinentibus. Nec vero leges Lycurgi permittebant cives liberos Lacones rebus vilibus occupari, opificia ulla tractare, mercaturæ dare operam, rus manibus suis colere, sed legislator omnia illa ad Helotas aliosque servos traduxerat: cives autem tantum rempublicam curare, & belli negociis, armisque tractandis vacare & animos intendere voluit. Itaque arma conficere, quicquid bellum requirebat, servorum etiam & erat, uti autem iis liberorum Laconum fuit. Quod secus apud alios Græcos habebat. Nam apud eos, qui domi opificiis & negotiis aliis vacabant, si bellum existeret, aut in expeditionem eundum esset, sepositis ad tempus illis arma sumebant. Lacones vero, qui nihil aliud agere & curare domi solebant, in armis exercitati, & rem militarem meditati, & publicis in curis versati ad bellum exibant. Idcirco in expeditionibus communibus in quas socii eorum numerosas copias sufficiebant, soli Lacones plus verorum militum, artium belli peritorum, quam omnes socii, præstabant. Quod murmurantibus sociis, & multitudinem suam jactantibus, indignumque dicentibus, sequi se sub signis pauculos Lacones, ut ostenderet Agesilaus, & eorum supercilium deprimeret, cum Imperator exercitus esset in Bœotia, primum secedere socios a Lacedæmoniis jussit, deinde imperavit surgere primum figulos, mox fabros ærarios, post fabros lignarios, & ex ordine opifices & artifices reliquos: quo facto, apparuit universos fere erectos stare socios, ex Lacedæmoniis idem quoque facere jussis surgere omnino neminem. Tum vero ridens Agesilaus, videtisne, inquiebat, o socii, quanto nos plures simus milites quam vos? Præter hæc vetuit Lycurgus peregrinari cives suos, ne contagium peregrinorum morum velut pestem institutorum suorum contraherent, & si quis sedes peregre figeret, ac post domum rediret, eum capite plectendum censuit. Peregrinos quoque noluit frequentes Spartam ventitare, & illic commorari, ne consuetudine sua inficerent cives, & ab institutis patriis abducerent, fastidiumve horum iis affri-

ca-

carent. Et cur peregrini desiderarent frequentare eam civitatem, & commerciis illic operam dare, ubi artificiorum & mercium suarum, ut dictum ante, nullus erat usus? in primis ex qua aurum & argentum, quorum gratia per mare per terras homines cursitant, & ad ignota sibi sydera penetrant, erant proscripta: in qua eorum possessio, si forte apud civem reperta esset, usque ad captas a Lysandro Athenas capitalis criminis loco habita fuit, ut in institutis Laconicis docet, & exemplo Thoracis in vita Lysandri demonstrat Plutarchus: in qua ferrum auro & argento præferebatur, & unde præter ferream aut ex corio signatam pecuniam nulla exportari poterat. Denique ita comparatum moribus Lacedæmone fuit, ut magis contagium peregrinorum & vitiosorum morum, quam pestiferi corporum morbi, procul a civitate submoveretur. Quo & illud pertinebat, quod actiones comicæ & tragicæ, quæ malorum morum, & pessimorum scelerum exempla ponebant, ob oculos, & irritamenta desidiorum similium esse poterant, nullæ illic permitterentur: quodque aliarum civitatum mores & leges laudare, ut docet Demosthenes, impune haud liceret. Pictores, statuarios, e cera hominum vultus ducentes, nullos apud se Lacones ferebant; mercaturam parandarum opum causa omnino vilem & sordidam putabant, ut a Lycurgo erant edocti; oratoriam artem, ut multiloquam & fucosam, & ad fallendum comparatam, aversabantur; unam disciplinam optimam & præstantissimam existimabant, eamque impense excolebant, qua docentur homines bene parere, & bene imperare: & certum hoc habebant, qui bene parere non didicisset, & assuevisset, eum imperare quoque recte non posse. Breviter & argute dicere, cavillari, cum gratia & gravitate jocari, in laude apud eos erat, eaque facultate, ut jam ante dictum, a pueris quippe in ea exerciti, ante omnes Græcos & barbaros valere credebantur. Juniores in leges inquirere, omnino illicitum: nec senioribus id temere facere permissum. Novas tamen leges veteribus additas nonnunquam poscente re, aut stimulante potentum libidine, ex Historia constat. In more fuit positum Lacedæmone ab Ægyptiis accepto, ut filii parentibus in ministeriis seu officii generibus succederent, præcones scilicet præconibus, tibicines tibicinibus, coqui coquis, ut scribit *Herodotus*: a quo more haud facile recedebatur, si modo filii parentibus superstites officiis idonei essent. Inter vitia ebrietas censebatur turpissimum, incitamen aliorum complurium vitiorum maximum, aut incendium eorum perniciosissimum, & fomes fœcundissimus. De quo Plato optime libro primo de legibus sub persona Megilli Lacedæmonii: *Quod omnes homines summopere in voluptates vehementissimas, atque in petulantiam & insaniam trahit, id ab universa regione lex nostra exterminavit: nec in agris, nec in urbibus quas Spartani habent, compotationes cernas, sed nec compotationibus conjuncta, quibus ad omnem voluptatem movemur. Nec ullus est, qui alicui ebrietate lascivienti obvius factus non maxima eum pœna statim afficiat, ita ut nec Bacchanalium tempus ad impunitatem prodesse ebrio queat.* Hactenus ille. Quam fœdam turpitudinem ut profligarent a republica sua Lacones, inebriabant servos suos, & ebrios ineptientesque in convivia introductos junioribus ostendebant, ut aversari & odisse pestem hanc corporum & animorum, ut loquitur *Xenophon*, & post eum *Plato*, discerent, ac ultra sitim non bibere consuescerent. In cæteris Græciæ urbibus, inquit *Xenophon*, mali cum bonis eodem foro utuntur, cum iis sæpe sedent, sæpe ludunt, si velint, & satis habetur, si mali tantummodo dicantur. At Lacedæmone rubori foret viro bono, malum sub eodem secum tabernaculo

A degere, aut in palæstra concertatorem eum admittere, aut pila secum ludere: in choris etiam homo vitiosus in loca postrema & probrosa rejicitur. Ignavi ibidem, id est, inertes in faciendis iis, quæ leges requirunt ignominiosi censebantur, nec ad honores ullos admittebantur, nec eo honore, quo alioqui par erat, etiam in ætate provecta a junioribus afficiebantur. Usu quoque receptum, nescio an lege sancitum, si vir vitæ turpis consilium aliquod utile, ac reipublicæ profuturum fortuna titubante aut difficili reperisset, hoc ipse in medium non proferret, sed viro bono proferendum exponeret, aut si jam edidisset, ut alteri id reperendum demandaretur, atque ita secundum hoc ipsum decerneretur. B Pudebat enim Lacones, non boni nominis virum velut auctorem decreto suo inscribere. Annulum ferreum loco aurei aut argentei, ornatus gratia, in digito gestare Laconibus usitatum. Ad posteriora secula pertinuit, quibus sensim Lycurgi instituta exolevere, eum ἄτιμον esse, hoc est, ad gerendam rempublicam non admitti, qui ob fortunæ tenuitatem ferendis phiditiorum sumptibus in lege præscriptis par non esset: cujusmodi defectus contra Lycurgi mentem complura reiplublicæ obrepsere: quod dicemus infra. Testamentum scribere civibus Spartanis licuisse, C ex Aristotelis disputatione de republica Laconica, ubi de prolapsa possessionum æqualitate: & de filiabus ἐπικλήροις, agit libro polit. II. capite VII. & ex Plutarcho in vita Agidis Regis eo nomine postremi, ubi perniciosam legem Epitadei Ephori recitat, edocemur. Ille enim dandi possessiones suas, & relinquendi, cui quis velit, jus memorat, quorum posterius non nisi per testamentum fieri poterat: & paulo post subjungit, licuisse patri filiam habenti ἐπίκληρον quæ sola ipsi hæres esset futura, eam nuptum dare, cui vellet: & si sine testamento decederet, hærede alio non nuncupato, genero fas fuisse, dotales res in eum conferre, in quem liberet. Hic enim verus sensus est loci illius perquam obscuri. D Et quidem verba ibi sic ordinata sunt, ut culpa prolapsæ æqualitatis bonorum in Lycurgum legum Laconicarum auctorem conferri a Philosopho videatur. In quo lapsum esse Philosophum studio reprehendendæ Lycurgi Nomothesiæ, & quia in Rhetris ita scriptum forte legerat, suspicari quis poterit, in ea intuens, quæ hac de re Plutarchus in Agide scribit. Ait enim Epitadeum quendam, virum in civitate præpotentem, sed moribus acerbis & morosis, extitisse Spartæ, & cum discors ageret cum filio, cui relinquenda hæreditas erat, Ephorum creatum legem promulgasse, (Rhetram vocat *Plutar-* E *chus*,) & ope aliorum hominum avaritia stimulatorum, pertulisse hujus sententiæ, licere cuivis res suas, agrique sortem, quod ante per leges Lycurgi non licuerat, vel donare alteri dum viveret, vel testamento relinquere, cuicunque vellet: atque hoc fecisse eum dicit indulgentem iræ privatæ in filium, sed hoc facto optimum ordinem in republica, institutum scilicet Lycurgi de sortibus agrorum conservandis, & ad hæredes liberos transmittendis, esse convulsum, indeque vitia varia, & ruinam civitatis fuisse secutam. Plutarchus ergo non Lycurgo, sed Epitadeo culpam eam assignat, & Aristoteli hac in parte contradicit: verum tenebras rei offundit, F quod, quo tempore vixerit, & perniciosam hanc legem in rempublicam Spartanam induxerit turbulentus hic Ephorus, non aperit: etsi conjectare liceat ex ordine expositionis, post captas a Lysandro Athenas, aurumque & argentum, opumque desiderium Spartæ illatum hoc accidisse. Nam opibus cum earum cupidine in urbem importatis, tamen ordinem fortium, & jus hæreditatis a patribus in filios derivari solitum, utcunque in civitate reliquum mansisse usque ad hanc legem ab Epitadeo latam, ex

ipsa hac narratione conspicuum fieri quis negaverit? Hoc vero evidenter liquet, ab utroque auctore testamentorum usum in civitate Spartana fuisse, se, demonstrari: quod probare propositi mei hoc loco fuit. Hæreditatum jus seu successionum in bona defunctorum, quale apud Spartanos fuerit, breviter nunc aperiendum. In parentum fato cedentium res filios hæredes vocatos esse ex Rhetris Lycurgi, si filii superessent, dubium non est. Filiæ enim sine dote nuptui dabantur. Si filii plures quam unus morienti patri superstites essent, id quod accidebat utplurimum, sors agri debebatur soli natu maximo, aut filio ejus, si ipse ante patrem decessisset. Nam primogenitis & eorum liberis natu maximis magnam prærogativam, ac jus præcipuum fuisse in adipiscendis hæreditatibus in tota civitate Spartana, notissimum est, & comparet hoc maxime in familiis duabus regiis. Harum enim possessiones regno cohærentes & regni proprias ad tuendum statum regalem Regibus a Lycurgo assignatas eandem rationem juris in successione cum sortibus privatorum habuisse, tam liquidum mihi est, ut ambigere de eo non possim. Id vero jus exponemus infra, cum de Regibus rursum dicemus. Huc facit & Plutarchi ille locus in Agide, quem ante adduxi. Nam diserte illic perhibetur, familiarum possessiones Lycurgum definivisse, & voluisse earum numerum eundem servari in successionibus, hac ratione, ut sortem suam filio pater relinqueret, atque hunc ordinem & æqualitatem quoquo modo incolumem permansisse, haud parvo civitatis bono, fuisse vero hæc lege Epitadei malo publico confusa. Ex hoc enim fonte ostendit *Plutarchus*, derivatam esse possessionum enormem inæqualitatem, sortesque & opes reliquas ad paucos potentes dejectis cæteris pervenisse, maximamque civium multitudinem cum penuria confl'ctavisse, & molestissime fortunam hanc suam tulisse, ægreque mandatis superiorum paruisse, ac officium debitum reipublicæ præstitisse, divites autem summa invidia flagrasse. Et hanc causam dicit fuisse Agidi Regi juveni studii flagrantis restituendæ in pristinam formam a Lycurgo quondam institutam reipublicæ. Aristoteles alias quoque causas inæqualitati possessionum, abundantiæ scilicet opibusque pauciorum, & egestati multitudinis, assignat. Iam ad institutum denuo redeundum. Ex pluribus filiis demortui, sorte agri primogenito ejusve locum tenenti relicta, reliqui, quod ratio ipsa suggerit, in facultates alias, quæ magnæ esse temporibus priscis non poterant, cum primogenito succedebant: & ii si multi essent, portiones non magnas capiebant; & hæ portiones divisæ inter hæredes eorum, nisi accessio aliqua aliunde existeret, adhuc minores fiebant. Quo pertinere non dubium verba illa Aristotelis dicentis: καί τοι φανερὸν, ὅτι πολλῶν γενομένων, τ δὲ χώρας ὕτω διηρημένης, ἀναγκαῖον πολλὺς γενέϑαι πένητας. *Manente*, inquit, *agri illa divisione, generatis multis filiis, necessum est multos pauperes fieri*. Et demonstrat eodem loco Philosophus, in ferendis legibus secum pugnasse Lycurgum, qui πολυτεκνίαν honori & commodo suis civibus esse voluerit ad civitatem populosiorem reddendam, & conservari sortium numerum atque ordinem, retinerique possessionum æqualitatem jusserit: Simul enim ea subsistere non posse videntur. Quæ cum scriberet magnus vir, Lycurgum carpens, de coloniis non videtur cogitasse, quarum deductione levari civitatem multitudine, si qua juxta major esset, & simul tenuiorum penuriæ succurri potuisse, non est ignotum. Usam autem hoc remedio civitatem re postulante, Historiæ nos docent. Reliqua dicamus. Si defuncto liberi mares non essent, essent autem filiæ, earum natu maxima sola sortem capiebat, reliquæ cum ea in facultates cæteras admittebantur: aut si una tantum filia esset, hæc in omnes res patris succedebat, dicebaturque ἐπίκληρος, ut etiam in civitate Attica, quæ cohæredem non habebat, non admittebat: eademque a procis, præsertim cum opum cupido in civitatem invaluisset, certatim, magnaque contentione petebatur, ut judicum disceptatione & decreto interposito interdum fuerit opus. Quod si parte vivo jam nubilis virgo ἐπίκληρος esset, is eam viro tradebat, cui volebat, ut ex Aristotele jam ante in alium finem diximus: & si ante generum non scripto testamento, ac hærede nominato pater moreretur, gener res dotales tribuebat, cui libebat. Sic enim præ se ferunt verba Philosophi. Νυῦ δ' ἔξεστι, inquit de patre loquens, δῦναί τε τὴν ἐπίκληρον, ὅτῳ ἂν βύληται, κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος, ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον, ὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσι. Gener scilicet a morte uxoris ἐπικλήρυ (ea enim viva, domina manebat rerum suarum) cui placebat, largiebatur res dotales (credo ex lege Epitadei, quæ in usu erat tempore Aristotelis), sive filio aut filiæ, sive propinquo, sive extero, id est, ab ea familia alieno. Si liberos descendentes, filios, filias, nepotes, moriens intestatus non relinqueret, vocabantur ad adeundam hæreditatem fratres aut sorores superstites, aut eorum filii filiæve, nepotes aut neptes: si fratres sororesve decessissent, semper habebatur ratio proximitatis, & mares, aut e maribus geniti aut genitæ cæteris præferebantur: proximior autem intelligebatur, qui nativitate prior erat, & qui ex eo descendebat. Qui testati moriebantur, sua legabant pro libitu, modo ne quid contra sortis jus, de quo diximus, quod ad Rhetram Epitadei utcunque integrum mansisse, supra ex *Plutarcho* retulimus. Liberos autem ante legem Epitadei an præterire in rebus extra sortem licuerit, incertum: ut credam licuisse, inducere animum haud facile possum. Durum enim hoc, & dictamini naturæ adversum. Epitadeus odio filii omnia turbavit, eoque ipso mala multa & magna invexit in rempublicam, ut prius dictum. An ei quoque debeatur id, quod in vitiis reipublicæ hujus recitat & reprehendit Aristoteles de fœminarum opulentia, & hinc existente earum potentia, & de reliqua etiam in viris possessionum inæqualitate, in medio relinquo, aliisque viris eruditis, & antiquitatum peritis discutiendum & censendum permitto. Hoc tantum dicere habeo, satis liquidum esse, & inæqualitatem faculatum, & fœminarum opulentiam potentiamque contra mentem & scopum Lycurgi in republica hac inolevisse. Potentiam quidem fœminarum mature satis locum habere cœpisse, demonstrat apophthegma illud celebre uxoris Leonidę Regis ad Thermopyl. a Xerxe cæsi, cui nomen Gorgo: quam ajunt, cum peregrina mulier ei diceret, vos solæ Lacænæ viris vestris imperatis, respondisse velut confitentem id quod objiciebatur, solæ quippe nos viros parimus. De luxu & insolentia earum cum Aristotele testatur quoque Plato: de opum copia & potentia etiam ipse Plutarchus, quanquam Aristoteli contradicens de culpa Lycurgi. Nam matrem & aviam Agidis in ea familia Regis ultimi, a collega Cleomene interempti, opulentissimas fuisse & Agidem molliter & in summis delitiis educasse memorat: & tamen eundem Agidem jam regnum adeptum, & luxum opesque fastidientem, atque ad revocanda in usum Lycurgi instituta connitentem, easdem illas velut mutata mente in proposito bono animasse & extimulasse, & consilia ejus pro more Lacænarum, reipublicæ quoque curis se miscentium, apud alios tum viros tum fœminas, quæ isto tempore & opes magnas tenerent, & apud maritos plurimum possent, affirmat adjuvisse. Testantur quoque alii. Aristotelis locus totus illu-

ſtris eſt, quo vitia exponit reipublicæ Laconicæ, & Lycurgum negligentiæ aut inſcitiæ arguit, notatus a me ſupra, & quaſi digito tantum monſtratus, heic vero repetendus & recitandus plenius. Dicit ibi, mulierum licentiam, quam Lacænis tribuit, & reipublicæ inſtituto, & bonis civitatis legibus officere. *Nam*, inquit, *ut familiæ partes duæ ſunt, vir & mulier, ſic fere exiſtimandum, civitatem quoque bifariam eſſe diviſam in virorum & mulierum multitudinem. Ita porro in quibus rebuſpublicis, ea, quæ ad mulieres ſpectant, vitioſe habent, putandum, civitatis parti mediæ per leges non eſſe bene conſultum: quod illic accidit. Nam cum legislatori conſtitutum eſſet, totam civitatem fortem ac laborum tolerantem facere, in viris quidem præclare id præſtitiſſe manifeſtum eſt, ſed in fœminis baudquaquam. Hæ enim vivunt*, inquit, *intemperanter in omni luxu & deliciis. Quapropter neceſſum eſt, in hujuſmodi republica divitias in honore eſſe, maxime ſi fœminæ ibi multum poſſint: quemadmodum fere evenit in gentibus bellicoſis, & rei militari deditis, præterquam apud Gallos*. Et poſt pauca. *Itaque id fit apud Spartanos, in quorum imperio multa adminiſtrantur aut diriguntur a mulieribus. Quanquam quid intereſt, utrum mulieres imperent, an ii, qui imperant, mulieribus pareant, cum idem conſequatur*. Poſt quæ oſtendit Philoſophus, *in magnum periculum mulieres tumultuoſe agentes conjeciſſe Spartam bello Thebano, cum ad urbem cum exercitu accederet, eamque invaderet hoſtis Epaminondas*. Et addit, *non ſine ratione olim nonnihil indultum fuiſſe in ea civitate licentiæ muliebri, cum viri ob frequentia bella diu, ac pene aſſiduo domo abeſſent, & uxoribus univerſam curam rei familiaris relinquerent. Et viris quidem ferendæ diſciplinæ militari aſſuetis facile jugum legum ſuarum impoſuiſſe legislatorem: in fœminis vero perhiberi idem eum tentaſſe, ſed iis repugnantibus, utpote licentiæ uſu ferocibus, conatum miſſum feciſſe*. Et rurſum paulo poſt: *Hoc vitium*, inquit, *neglectæ diſciplinæ muliebris non ſolum dedecus per ſe inuſſit reipublicæ, ſed etiam pecuniæ ſtudium invexit. Nam præter priora illa jam notata, merito etiam quis inæqualitatem poſſeſſionum reprehenderit. Etenim alii illic plurimas tenent poſſeſſiones, alii omnino pauculas, acciditque ut tota fere regio venerit in poteſtatem paucorum. Nam & hoc perperam ſtatutum eſt in legibus. Legislator quippe emere & vendere poſſeſſiones inhoneſtum ſtatuit, & recte: ſed donare, & mortis cauſa legare volentibus permiſit*. (Hoc illud eſt, quod dixi, peccatum Epitadei eſſe, non Lycurgi, ſi *Plutarcho* credimus.) *Itaque*, ait Ariſtoteles, *res eodem redit. Inſuper ex quinque totius partibus ſolæ fœminæ nunc duas fere poſſident, quia ἐπίκληροι multæ ſunt factæ, & dotes dantur ingentes. At melius eſſet, has aut nullas dari, aut exiguas, aut ſaltem modiocres*. His deinde ſubjicit Ariſtoteles ea de Epicleris, quæ ante recitavi. Tum rurſum addit, *potuiſſe olim regionem alere equites mille & quingentos, pedites autem tricies mille: ſuo vero tempore ne mille quidem eſſe, qui alantur: & re ipſa compertum eſſe, quæ ad ordinem hunc pertinent, ea male apud Spartanos habere, cum ne unam quidem ſufferre civitas cladem potuerit, ſed prope perierit ob virorum paucitatem*; (intelligit cladem ad Leuctra Bœotiæ.) Quæ porro ſequuntur aut dicta prius ſunt, aut ad rem parum faciunt, aut in locum magis commodum differenda. Plutarchus in Agide affirmat, illius Regis tempore, quod aliquot ætatibus ſæculo Ariſtotelis fuit inferius, cum omnia laberentur in pejus, civium Spartanorum numerum ad DCC. redactum fuiſſe, & ex his ſolos quaſi c. agri ſortes omnes & reliquas fortunas poſſediſſe, cæteros rerum omnium egenos præſentia indigne tuliſſe, & cum fortuna ſua eſſe rixatos, opum vero multo maximam partem tum fuiſſe penes fœminas, & has omnibus de rebus privatis & publicis conſiliorum fuiſſe participes, plurimumque omnino apud viros potuiſſe. Sed hæc labentis reipublicæ fuere vitia: de quibus plura dicenda ſub finem. Nunc ad reliqua reipublicæ adhuc ſtantis, & Lycurgi inſtituta magnam partem retinentis & liberæ, ſtilus rurſum vertendus. Sparta ex præcepto Lycurgi muro ac mœnibus cincta non fuit. Putabat enim præcepti auctor, virorum virtute & robore munitam urbem eſſe oportere, eamque munitionem validiorem eſſe quovis muro & turribus ac propugnaculis, & mœnia eſſe alendæ ignaviæ, ſedes mœnibus carentes acuere virtutem, & ad fiduciam in armis ponendam haud parum facere: cenſebat, virorum fortium eſſe, hoſti procul ſede patria occurrere, nec ſinere ad urbem eum accedere. Idque per multa ſæcula ſic obſervatum ad bella Thebana, & cladem Leuctricam: qua infractis civitatis viribus, inſtante hoſte Epaminonda, & exercitu ad urbem Spartam adducto, trepidatio coegit tumultuario opere locis incurſui hoſtili maxime obnoxiis murum excitare, annis circiter quingentis poſt leges a Lycurgo latas. A quo tempore deinceps variis caſibus jactata Sparta, mœnibus includi quam patere maluit. Solenne Spartanis fuit, cum fortuna iis ſtaret incolumis, Deos Deaſque precari, ut bene honeſteque agentibus bona & honeſtis actionibus digna ſibi contingerent: quas preces εὐφημίαν gratam numini dictam fuiſſe, *Plato* ſignificat. Sacra, quæ Diis ſuis faciebant, quos armatos omnes utriuſque ſexus ſancte colebant, faciebant quam minimo impendio, exiſtimantes, ad animum magis ſacrificantis purum & ſcelere mundum, quam ad ſumptuoſas magnificaſque hoſtias DEOS reſpicere. De funeribus quoque legimus ſtatuiſſe Lycurgum, ut apparatu ſimplici ac tenui, & ſumptu minime magno fierent: ne quid præter veſtem purpuream, & oleæ folia cum corporibus inhumaretur: ut fas eſſet in urbe & quidem juxta templa corpora terra condere, & monumentis ea honorare, præſertim illorum, qui virtute floruerant, ac de patria bene fuerant meriti: ut tituli quoque laudum monumentis inſcriberentur, ſi pugnando pro patria cecidiſſent, ut ejulatus indecorus in faciendis funeribus abeſſet, luctuſque diebus XI. finiretur. Funerum regiorum pecularis ratio fuit, de quibus paulo poſt. Abundavit urbs Deorum templis celebribus, & populus ſuperſtitionibus, uti diximus, multum deditus fuit, & ludos dieſque feſtos egit frequentes. Inter feſtivitates majores eminuere Hyacinthia & Carnea, quibus celebrandis tota civitas vacabat, quæque negligere aut actionibus profanis interturbare aut abrumperre ſummum nefas credebatur. Hyacinthia verni temporis fuiſſe, ex *Herodoto* & *Thucydide* colligimus, & per complures dies duraſſe. Carnea in æſtatem incidiſſe, & annum Spartanis inchoaſſe, ac nomen primo menſi dediſſe, & Apollini ſacra fuiſſe, ſatis conſtat. Pauſanias in Laconicis, urbis ædificia deſcribens, & loca ſacra recenſens, ædem Minervæ Chalciœcæ præcipua religione cultam aſyli quoque vicem præſtitiſſe ait, ſitam in colle ſupra reliquos ſe attollente, quem propterea urbis arcem appellarunt. Quamvis enim planum urbis ſolum fuerit, ut perhibet *Polybius*, tamen hic illic tumores in eo modice ſe erexere quos colles nuncupat *Pauſanias*. Idem memorat forum perampium, ſpectatu dignum, in quo fana, ſacella, ſigna plurima, porticus illuſtris ex Perſarum manubiis primum extructa, unde nomen Perſicæ ei datum, poſt vero multo tempore amplior & ſplendidior facta: tum curia ſenatus XXVIII. virum, prætoria Ephororum, Nomophylacum, Bidiæorum, & ultra id fanum Minervæ ab Ulyſſe quondam poſitum. Partem fori, ubi ſimulacra erant Apollinis, Dianæ, Latonæ, chorum dicit eſſe vocatum, ex eo quod ludi gymnici epheborum illic peragerentur. In diverſa

fori parte, qua alter exitus ex eo patebat, Sciadem affirmat fuisse, quod umbraculum sonat, a Theodoro Samio architecto quondam structam, locum habendis concionibus etiam sæculo suo dicatum, sed multa horum posterioris & elegantioris ævi fuere. In festivitatibus suis, & cum res poscebat, Lacones cantu sunt usi gravi tono ac simplice, qualis veterum Musica fuit, eamque melodiam ad belli disciplinam quoque transtulerunt. Contractus eorundem civiles simplices olim, & rudes fuere, & sæpius rerum permutatione, quam pecuniæ æstimatione facti. Arcanum vero reipublicæ hujus fuit hoc, si legati ad civitates, aut Principes, aut Reges tractandis rebus magnis mittendi essent, ut non amici inter se, sed æmuli mitterentur, quo & diligentius & fidelius expedirent, quod in mandatis habebant. quod sæpe reipublicæ magno bono traditur fuisse. Idem utplurimum observatum in iis, qui Regi aut Duci in bellum eunti, ut a consilio ipsi essent, adjungebantur, quos alienis ab ipso animis, quam amicitia devinctis esse maluerunt.

Nunc ad magistratus majores, partem civitatis primariam, de quibus paucula modo ante dicta, rursum me verto. Reges, ut dixi, binos in civitate reliquit Lycurgus, dignitate quidem & honoribus eximios, sed potestate solita domi pene exutos. Liberi horum, qui in spem regni suscipiebantur, non omnibus educationis legibus, quibus cæteri, erant subjecti, sed in nonnullis status regii quædam habebatur ratio: quanquam & heic severa omnia, & ad gravitatem composita, atque istuc directa, ut a prima pueritia prompte parere legibus, parvoque contenti esse, æstum & frigus, famem & sitim ferre, dura & difficilia pati addiscerent; in omni denique vita justitiam colere, & ad severitatem magis quam ad facilitatem se comparare assuescerent. Mortuo Regi succedebat filius primogenitus, si superesset, aut si is ante patrem obiisset, nepos ex eo superstes, etiamsi filii alii, nepotis patrui, non deessent. Si filii, aut nepotes, ex filiis non extarent, succedebat Regis defuncti frater natu maximus, si plures essent uno. Si nec frater superesset, superesset autem fratris filius, is patruo sufficiebatur, & si essent plures, cæteris præficiebatur, qui prærogativam ætatis habebat. Denique ex agnatis regnum capiebat, qui Regi defuncto erat proximior. Proximior autem intelligebatur ex fratre majore prognatus, & anteponebatur fratris alterius minoris filio, imo ipsi fratri Regis minori, si viveret. Nec oberat proximiori, etiamsi pater ejus aut avus ignominia notatus, aut capitis damnatus esset. Quod si puer esset, aut infra ætatem regiam, cui successio debebatur, (nam posthumi quoque succedendi jus habebant,) tutor ei dabatur, quem πρόδικον dicebant, agnatus proximus, qui loco ejus regia munia obibat, ac regnum administrabat. Majorennis regnum iniens, sacramento reipublicæ se obligabat, & in regni leges jurabat. Hoc vero honoris, ut dictum supra, Regibus tribuebatur, ut initia agendorum ab iis ducerentur, in consessibus omnibus ipsi προεδρία tenerent, primi sententias dicerent, ab omnibus magistratibus olim iisdem assurgeretur. Deinde & ager iis latior assignatus fuit a Lycurgo, ad tuendum statum regium, modicus tamen, qui nec indigere eos mediocribus, nec affluere divitiis permitteret. In cœnis quoque & conviviis publicis duplex portio ipsis est tributa, ut haberent, quod aliis, quos honorare volebant, possent elargiri: ex singulis sacrificiis pars aliqua Regibus data: ex quolibet scropharum partu porcellus unus iisdem cessit, ne sacra facturis victima unquam deesset. Erant omnium sacrorum administri quasi sacerdotes, & sacrificabant frequenter. Adhæc habitabant domo publica, & utebantur publicis taber-

A naculis tum ad cœnas, tum ad usus alios, semperque secum habebant contubernales Pythios, binos & binos, quos pro re nata mitterent ad consulenda oracula: Pythios etiam & proxenos, quibus cura excipiendorum & tractandorum hospitum publicorum erat demandata, soli pro arbitrio suo designabant: causas virginum ἐπικλήρων seu πατρούχων, quibus solis tota parentum hæreditas obveniebat, ideoque certatim a pluribus procis fere petebantur cognoscebant, interque procos contendentes judicabant: adoptionum quoque arbitri erant, ut nisi Rege alterutro præsente adoptio nulla rite posset fieri. & de viis publicis judicandi & decernendi potestatem habebant: legatis etiam tum hostium tum a-
B micorum ad civitatem missis ipsi pro jure suo ex voluntate civitatis concepta responsa dabant, cumque his domum eos dimittebant. *Herodotus* significat, quod a nullo alio veterum proditum memoriæ est, binorum suffragiorum jus in senatu Reges habuisse. Scribit enim, licuisse iis, si in senatum ipsi non venirent, per senatores sanguine sibi maxime propinquos bina suffragia ferre. Sic namque verba apud eum habent: *Καὶ παρίζειν βουλεύουσι τοῖσι γέρουσι, ἐοῦσι δυῶν δέουσι τριήκοντα, ἢν δὲ μὴ ἔλθωσι, τοὺς μάλιστα τῷ γερόντων προσήκοντας ἔχειν τὰ τῶν βασιλέων γέρεα δύο ψήφους τιθεμένους, τρίτην δὲ τὴν ἑαυτῶν.*
C Nam nisi præsentes Reges jus illud binorum suffragiorum habuissent, tribuere idem absentes propinquis suis senatoribus non potuissent. Plato autem libro III. de legibus de statu Laconum summatim differens ait cœlestem providentiam rebus Spartanis consulentem dedisse iis geminam Regum prosapiam, ex una stirpe descendentem, quod mediocritati congruentius: dein divino quodam consilio moderatam senum potestatem ἰσόψηφον, hoc est, æquipollentem in suffragiis, insolenti Regum potestati fuisse adjunctam, atque eo modo, præsertim addito etiam postea ad tumentem adhuc paucorum potentiam
D comprimendam Ephororum magistratu, rempublicam maxime temperatam extitisse. Hæc potestas Regum domi, perarcta sane, si cum jure aliorum Regum conferatur. Accedebat, quod ὑπεύθυνοι etiam Reges essent, & ad judicia de ipsis constituta vocari, & , si criminum convincerentur, sententiis judicum damnari possent, salvo aliquo ad populum provocandi jure. Atque hoc est, quod de iis Aristoteles in Politicis ait, regnum in republica maxime legibus astrictum videri: quodque Xenophon de consilio Lycurgi in fine libelli de republica Laconica scribit, tribuisse eum Regibus domi agentibus honores modicos, non multum superan-
E tes modum privatorum: nec voluisse aut tyrannico sensu fastuve animos horum inflare, aut potestatis regiæ invidiam civibus inserere: attamen mortuos velut Heroas cumulari honoribus exquisitis jussisse. Hi vero honores qui fuerint, ex *Herodoto* discimus. Mortuo nimirum Rege, missi equites celeres per universam regionem Laconicam excessum ejus vulgabant: mulieres per incedentes lebetes pulsabant: urbem Lacones & Lacænæ omnes luctu squalebant domatim: secus facientes pœnas dabant. Deinde frequentes ex tota regione in urbem congregati, & his additi Spartani omnes sexus utriusque, & He-
F lotes maximo numero, tum frontes suas pungebant, tum horrendum ejulabant, fumosque defuncto faciebant: eum Regum optimum fuisse alta voce prædicabant. Quod si peregre diem obiisset Rex, simulachrum ejus toro bene strato impositum efferebant & sepulchro condebant. Adhæc in dies decem justitium indicebant: magistratus ab omni munere publico abstinebant, & si Heraclidæ fides habenda, per triduum forum quoque omne paleis conspersum silebat, nec in eo vendere aut emere quicquam fas erat. Denique ut sepulti Regis

memoria gratior esset, successor ejus omnibus, qui Regi aut reipublicæ aliquid debebant, debitum id remittebat. Hæc *Herodotus*. Diversæ autem familiæ Reges, diversis in partibus urbis sepultos fuisse, & eorum quibusdam singularis virtutis ac meritorum ergo statuas esse positas, Pausanias in Laconicis ostendit. Et ita quidem Regum res habuere domi. Militiæ autem multo major eorum potestas ex legibus Lycurgi priscis temporibus fuit. Nam in exercitu, quem Rex ducebat, supremum ac absolutum imperium in omnes solus habebat, uti & πρόδικος, qui vicem Regis minorennis gerebat. Circum se autem in castris habebat, equitum præfectum, polemarchos quatuor, cohortium præfectos, aliosque ordinum ductores, ut eorum consiliis & opera prompta posset uti, leges vero a nemine accipiebat: sed exercitum ducendi & bellum gerendi potestatem accipiebat a civitate, nonnunquam eadem jubente domum reducere exercitum cogebatur.

Hæc reipublicæ Laconicæ ratio & status fuit a Lycurgo usque ad id tempus, quo Ephororum potestas eidem accrevit. De Ephororum vero initio variant auctorum bonorum sententiæ. Nam sunt, qui ad ipsum Lycurgum id referant, inprimis pater Historiæ Herodotus. Sed plurium consensus Theopompo Regi, Polydori collegæ initium hoc tribuit, quem ajunt ab uxore propterea culpatum, quod creatis Ephoris Regum jus minuisset, angustiusque filiis relicturus esset quam ipse a parente accepisset: sed ipsum respondisse, angustius fortasse, sed sine dubio diuturnius. Fuit autem Theopompus Nicandri Regis filius, Charilai nepos, cujus Charilai tutela defunctus Lycurgus, ejusdemque patruus, leges suas Lacedæmoniis tulit. Et ex Aristotele Plutarchus tempus hoc a νομοθεσία Lycurgi ad primos Ephoros a Theopompo creatos metitur annis CXXX. atque primum Ephorum ab eo editum fuisse Elatum nomine. Ex quo tempore sensim crescente potestate novi hujus magistratu magna mutatio status reipublicæ est invecta. Cleomenes apud Plutarchum, Ephororum potentiæ infestus, quorum se cæde recens polluerat, quosque in universum sublatos e republica cupiebat, ad populum verba faciens, causæque suæ subserviens sic disseruit: a Regibus primum Ephoros fuisse creatos, idque longo post Lycurgum tempore, cum difficili ac diuturno bello Messenio Rex uterque foris distineretur, nec domi rebus urbanis obeundis vacare posset: (& duravit sane primum bellum Messenium per annos continuos quasi XX. cum Polydorus & Theopompus regno Spartano præessent:) creatos vero in eum finem, ut in urbe Regum vices gererent, jusque civibus dicerent, diuque in eo gradu constitisse, ut Regum ministri esse censerentur: post paulatim altius conscendisse, ac demum insolentes factos omnem reipublicæ potestatem sub ἐφορείας nomine in se vertisse. Sic ille in commodum, ut dixi, causæ suæ. Quæ de initio eorum si vera, causam non habuisset Theopompi uxor exprobrandi marito, quod exprobravit: nec vere dicere potuisset *Plato*, tertium servatorem reipublicæ Laconicæ (Theopompum designans) exultare adhuc ac ferocire videntem regium imperium, frenum ei injecisse Ephororum potestatem; nec *Aristoteles*, eundem Theopompum regnum Laconicum potestate minuisse, tempore auxisse; nec *Cicero*, a Theopompo Ephoros ita Lacedæmone oppositos Regibus fuisse, ut tribuni plurimi Romæ Consulibus. Nec tamen ego idcirco affirmare ausim aut velim, simul omne jus, quod post florentibus Persarum ac Græcorum rebus penes Ephoros fuit, mox ab initio a Theopompo iis esse tributum, sed id sensim contentione plebis profecisse reor, & alia post alia incrementa cepisse, pari modo ac Romæ tribunitiæ

A potestati accidisse non nescimus. An vero cum Asteropo ἐφορείαν tenente, ut ait Cleomenes, ad summum pervenerit, id etiam ego in medio relinquo. Cætera, quæ huc pertinent, & certa nobis sunt, sic habent. Fuere Ephori in republica cum jam ἐφορεία adolevisset, numero V. annuum munus habentes, quorum unus ἐπώνυμος hanc ob causam dicebatur, quod nomine suo annum signaret, pari modo ac Athenis Archon, Romæ bini Consules. Inchoabant autem munus fluente æstate, & finiebant: quod ex comparatione duorum locorum Thucydidis libro V. est manifestum, quamvis aliter sentiat *Nicolaus Cragius*. Primus, aut in primis a B Theopompo creatus Ephorus nominatur apud *Plutarchum* Elatus: primus ἐπώνυμος fastos signans putatur fuisse Chilon, unus ex septem Græciæ sapientibus, Cyro apud Persas regnante, Servio Tullio apud Romanos, Olympiadis LVI. anno primo. Quod si verum, institutum signandi fastos nominibus Ephororum eponymorum fuerit non admodum vetustum. Eligebantur Ephori quinque quotannis in comitiis ex toto populo, suffragiis ejusdem populi, sine discrimine generis aut opum, sæpeque fiebat, ut etiam infimæ fortunæ homines ad hanc dignitatem evehenentur: quod notat & C reprehendit *Aristoteles*. Erat enim magistratus hic prorsus popularis ad tuendam communis populi libertatem comparatus, & Regum, senatusque, & aliorum, qui in civitate eminebant, potentiæ suspectæ ac periculosæ oppositus: ad cujus exemplar tribunitia potestas tutandæ libertati plebis contra opes Consulum ac senatus patritiorumque Romæ videtur instituta. Atque hanc ob causam expetebantur maxime ad hoc munus ii, qui in populo erant ingeniis acribus, ac libertatis amantibus, & potentium gratiæ cedere nesciis. Verum accidit heic, quod Romæ circa munus tribunitium. Nam potestas modica initio, cum temporis progressu, D crescente Ephororum ambitione, modum fere excessit, & reipublicæ formam aristocraticam in democraticam propemodum convertit: quod ex subjectis patescet. Erat iis curia in urbis foro, sita, ut ex *Pausania* recitatum, juxta Regum & senatus curiam, & in hac sellas quinque pari cum ipsis numero, δίφρα ἐφορικὰ nuncupatæ. In his ipsi sedentes munus suum exercebant, consultabant de republica, & decernebant, jus civibus dicebant, & quæ alia ante diximus. Ærarium etiam, postquam pecunia & opes debellatis Athenis in civitatem importatæ essent, in potestate habebant, & de eo fere pro arbitrio disponebant: & jam eo auctoritatis pervenerant, ut E nulli magistratui majori studio & promptitudine pareretur, & his citantibus magistratus cæteri statim, Reges etiam tertium vocati, coram iis se sisterent, omnes magistratus, & in his Reges quoque, iisdem cederent, ipsique, quod cuncti reliqui, qui cum potestate erant, faciebant, soli Regibus e sellis suis non assurgerent. Ad hæc hi & Reges singulis mensibus mutuo se jurejurando adstringebant, hi quidem civitatis nomine, Reges nomine suo; quo jurejurando Reges pollicebantur, secundum leges receptas se imperaturos, civitas, se juramentum hoc sancte servantibus regnum inconcussum esse F præstituros. Præterea administrabant domi pene omnia, quæ aliquod momentum in republica habebant, concionem populi regebant, bellum pacemque concionis suffragiis sciscebant, fœdera jungebant aut irrita faciebant, exercitus decernebant, commeatus sufficiebant; demum jus habebant usurpabantve tum præmiis honorandi, tum pœnis afficiendi quos & quando volebant, a magistratibus quoque omnibus rationes exigendi, & eosdem, atque adeo ipsos Reges, si colliberet, imperio exuendi, in carcerem compingendi, capitis denique ar-

cessendi, damnandique: ut non sine ratione *Plato* & *Aristoteles* scripsisse videantur, speciem tyrannidis potestatem Ephororum apud Spartanos habere. Sed moderamen in eo hoc erat, quod potestas tantum esset annua, & quod, cum numero quinque essent Ephori, si quid iniqui pararent eorum duo, reliquorum trium dissensione aut intercessione averti id posset. Nam singuli potestatem non habent, sed ea penes collegium erat: in eo vero id valebat, quod plurium suffragiis decernebatur. Porro cum Ephoris magistratibus ineuntibus annum quoque suum Lacedæmonii inchoabant. Et ex Aristotele affirmat Plutarchus, Ephoros initio muneris sui voce præconis præcepisse omnibus civibus, ut labii superioris pilos ponerent, & legibus mentem adverterent, ne ipsi necessum haberent in eos animadvertere. Quorum prius ad obsequium etiam in minimis prompte præstandum pertinuisse, Plutarchus arbitratur. Alterum ad timorem incutiendum, ne quid temere a quoquam contra leges committeretur, spectasse non est dubium. Quapropter & timori tanquam numini sacellum Spartæ dicatum fuisse συσσιτίῳ Ephororum proximum, idem *Plutarchus* ostendit. Quocum connexum hoc est, quod eodem prodente auctore, ex eodem quoque Aristotele, iidem Ephori in auspicio magistratus sui velut bellum indicere solebant Helotibus Spartanorum mancipiis, decreto edito, non esse nefas eos occidere. Unde existebat ea quæ Cryptia dicebatur, institutum sane barbarum & sævum, & ab ingenio miti & æquo Lycurgi abhorrens. Quam ob causam censet Plutarchus contra Aristotelis mentem hoc quoque Lycurgo adscribentis, cœpisse id demum aliquot post Lycurgum sæculis, cum tempore ingentis terræ motus Helotes cum Messeniis in exitium Lacedæmoniorum rursum conspirassent, & urbem ipsam in non leve discrimen adduxissent. Hinc enim exacerbatos ait Lacedæmonios gravius odium in eos concepisse, & denuo in ordinem coactos tractasse asperius, ac de minuendo eorum numero, quem formidabilem sibi arbitrabantur, consilia cudisse. Fuisse vero institutum hoc Cryptiæ tale tradit: principes juventutis per intervalla temporis validissimos & solertissimos ejus ætatis emisisse solis pugionibus armatos, & cibi quantum satis erat secum ferentes; hos interdiu obscuris locis heic illic sparsos delituisse, noctu vero viis se committentes quoscunque Helotum deprehenderent, mactasse, sæpe etiam in agrum profectos robustissimos quosque eorum & valentissimos interemisse. Durarunt Ephori in republica ad regnantem Cleomenem, qui libertate civitatis oppressa hos quoque e medio sustulit. Præter hos & Reges cum senatu, alii quoque magistratus in republica Spartana fuere. Horum in numero Bidiæi erant, quos juniorum certaminibus præsedisse, & controversias eorum diremisse, & curiam in foro juxta Regum senatusque & Ephororum curias habuisse, ex *Pausania* dixi, pari numero cum Ephoris, obscuri in Historiis: & his etiam obscuriores Harmosyni, ab Hesychio tantum in lexico memorati, præfecti, ut idem ait, servando decenti mundo muliebri, ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι ἐπὶ τ̃ εὐκοσμίας τ̃ γυναικῶν, reprimendo scilicet exorbitanti fœminarum luxui in veste rebusque cæteris instituti: tum Empedori, soli quoque Hesychio nominati, qui ἀγορανόμους fuisse, id est, foro rerum venalium præfuisse eos interpretatur: νομοφύλακες, quos in foro quoque curiam habuisse, *Pausanias* dicit, quorum tamen nulla in Historiis uspiam mentio, legum custodes, quod nomen arguit, operam dantes, ne leges latæ disperirent, aut oblivione obliterarentur, factisve abolerentur: cujus generis magistratum in Græciæ civitatibus usitatum fuisse bono publico, Cicero de legibus disputans te-

A stis est. His vero clariores fuere, & in Historiis celebrati Harmostæ, Hippagretæ, Polemarchi, Prodici, Pythii, Proxeni. Quorum celeberrimi ἁρμοσταὶ domi in comitiis populi creati peregre cum imperio ad civitates socias aut bello devictas ad clavum sessuri mittebantur. Nam, ut dictum a nobis alibi, in more Lacones habebant, in civitatibus quas aut armis superassent, aut quovis modo imperio adjecissent suo, relicta iis reliqua libertate oligarchias instituere, & viris decem, pluribusve, quod erat rarius, in senatum descriptis, rempublicam earum regendam permittere. Istis vero decurionibus ex B civitate sua præfectum addebant, qui rerum summæ præsideret, & conservando statu instituto, & retinendis in fide Laconica populis curas intenderet, bellumque contra hostes, si res posceret, administraret. Eum ἁρμοστὴν appellabant, quæ vox moderatorem significat. Et quia hæc sine milite fieri non poterant, copias militares majores minoresve pro rerum usu ac necessitate illi attribuebant: eratque Harmostes proprie civitatis aut provinciæ gubernator. Interdum enim singulis, interdum pluribus civitatibus singuli Harmostæ præerant. Quod si bellum aliquod majus existeret, præter Harmostas alii etiam copiarum terrestrium ac mariti- C marum Duces in provincias aut insulas Lacedæmone mittebantur. Munus Harmostarum anno fere terminabatur, nisi id decreto populi, quod fiebat nonnunquam, ipsis prorogaretur. Quod idem in belli Ducibus terra marique valebat. Præter ista, quæ de Harmostis aliis, qui Dictatorum Romanorum instar, rebus in urbe turbatis Spartæ creati sint, scribit *Cragius*, & exemplo Agesilai firmare studet, atque huc verba *Dionysii Halicarnassei* allegat, quia satis aperta certaque non sunt, consulto prætereo. Hippagretæ erant in urbe tres ab Ephoris ex præstantissimis juniorum electi: quorum quilibet centum sibi adsciscebat, quos putabat inter coætaneos D esse cæteris omnibus præstantiores, iisque ipse præerat. Et hi trecenti a tribus Hippagretis lecti existimabantur reliquam omnem totius civitatis juventutem virtute superare. Cum his perpetuum certamen erat iis, qui se tanquam virtute inferiores in electione præteritos esse dolebant: quod certaminum de virtute pulcherrimum fuisse, & ad studium fortitudinis plurimum animos acuisse, *Xenophon* affirmat. Hos Hippagretas an veris magistratibus accensere conveniat, mecum ipse ambigo. Polemarchos in urbe quoque rerum aliquid amnistrasse, & arma curasse, & exercitiis nonnullis militaribus domi præfuisse, *Cragius* opinatur, sed non satis fir- E mis rationibus opinionem suam tuetur. Nos in rebus militiæ de iis dicemus. De Prodico diximus, ubi de Regum successione egimus. Cui locus in republica non erat, nisi regni hæres defuncto Rege minorennis esset quam ut regii muneris negocia capessere & obire ipse posset. Πρόξενοι excipiendis & curandis hospitibus præpositi fuere, non a populo, sed a Regibus designati, ut docet *Herodotus*: qui quot numero fuerint, quandiu in munere manserint, nobis incertum. In hospitum numero legatos quoque fuisse habitos, mihi non dubium. Pythios a Regibus etiam creatos, idem *Herodotus* testatur, & cum eo *Xenophon*: & uterque affirmat, duos a Regum uno, F totidem ab altero fuisse electos. Ex quo clarum est, quatuor simul eam dignitatem tenuisse. Nomen habuere ab oraculo Apollinis Pythii, ad quod consulendum a Regibus solebant mitti, quorum proprium erat, oraculorum curam & custodiam habere. Quam ob causam Pythii semper Regibus præsto erant domi & militiæ: ad mandata expediti, dicti propterea a *Xenophonte* Regum contubernales, Græce σύσκηνοι. An hos augurum nomine designet Cicero, quos Regibus & senatui assedisse perhibet, ut credit *Cra-*

gius, id ego nec affirmare nec negare ausim. Missos autem fuisse non Delphos solum, sed ad alia quoque oracula celebriora, facile *Cragio* assensero. De Pædonomo quoniam supra dictum satis, repetere heic non libet. Κήρυκες magistratus ipsi non erant, sed magistratuum majorum ministri: quos præcones & caduceatores Latine recte dixeris. Duplex enim eorum ministerium erat. Aut enim voluntatem ac mandatum magistratuum multitudini voce sua exponebant denunciabantque; unde a vocis magnitudine & claritate maxime probabantur: aut ad absentes mittebantur, & mandata mittentium perferebant, erantque hoc in ministerio velut sacrosancti, quos violare magnum nefas credebatur. Horum opera utebantur Ephori, cum virum aliquem illustrem peregre agentem domum revocarent, & judicio se sistere juberent. Exemplo est Pausanias, Regis vicem gerens, ad quem scytala per caduceatorem missa fuit, qua præcipiebatur ei, ne a caduceatore domum repetente discederet, ni pro hoste haberi vellet. Erat autem scytala epistolæ brevissimæ genus, cum magistratus Imperatori aut belli Duci peregre agenti, aut hic vicissim magistratui secreto aliquid significatum vellet, quod ab hoste forte interceptum legi ab eo, & intelligi non posset. Quod literarum genus e scutica nominatum quale fuerit, in noctibus Atticis A. Gellius libro XVII. cap. IX. accurate describit. De magistratibus hactenus. De senatu abunde dictum supra, qui consilio imperioque ex instituto Lycurgi præerat civitati, inter Reges & populum seu concionem medius. Ad hanc concionem, cujus obiter tantum mentio ante facta, nunc revertor. Hæc amplissimum fuit totius populi concilium, a magistratu convocatum, penes quod suprema erat rerum Laconicarum potestas. Populo censebantur cives liberi legitimo matrimonio ex Lacone libero & libera Laconica nati, non Spartani solum Metropolim, sed & cætera Laconiæ municipia habitantes, ex instituto Lycurgi rite educati, & viri jam facti, ætate tricenarii: & præter hos si qui civitate erant donati: quod olim sub primis Regibus Heraclidis factum frequentius, cum multis etiam simul hoc datum fuit, ut numero civium, qui belli cladibus exhauriebatur, consuleretur: posteris temporibus accidebat rarius & parcius, cum jus civitatis suæ pretiosum Lacedæmonii haberent, & non nisi singulis aut paucis bene meritis id conferrent. Extra conjugium rite contractum suscepti quanquam parentibus utriusque sexus Lacedæmoniis, & secundum leges Lycurgi non educati, in civibus non habebantur, nec frui civitatis jure, nec concioni se miscere permittebantur. Eratque civium verorum numerus pro civitatis claritate & potentia non magnus: servorum autem publicorum, quos εἵλωτας dicebant, quorum opera cives utebantur, multo major. Unde sæpe pericula reipublicæ extitere. Inter cives autem censi etiam fuere, quos Mothaces vocarunt, testibus Athenæo in dipnosophistis, & Æliano in varia Historia lib. XII. cap. XLIII. Fuisse vero tradunt iidem alienos a sanguine Laconico, sed a teneris cum ingenuorum Laconum liberis Laconico more ex præceptis Lycurgi educatos & in institutis iisdem adultos, quibus id tribuisse Lycurgum, scribit *Ælianus*, ut, si in cœptis persisterent, reipublicæ fierent participes. Quo in genere fuisse Callicratidam virtute illustrem, & Gylippum Syracusanis auxilio missum, & clarissimum Lysandrum Athenarum debellatorem, *Ælianus* affirmat: & de Lysandro astipulatorem ex prisco Historiæ scriptore Philarcho habet *Athenæum*: quam vere, dubitare me fateor propter auctoritatem *Plutarchi*, qui in Lysandri vita, quam accurate & diligenter descripsit, affirmat, eum Aristocleto patre natum ex Heraclidarum genere fuisse, quamvis Regum familiæ exsortem, & in re te-

A nui. Cæterum, populus totus civitatem conficiens divisus putatur fuisse in φυλὰς, quas tribus interpretamur, sex, & quælibet φυλὴ rursum in ὠβὰς quinque, ut hæ fuerint omnes numero XXX. quod ex vetustissimo oraculo Apollinis, quod Lycurgo redditum, posse videtur elici. Similiter populus idem, quod ex *Xenophonte* constat, domi distinctus fuit in partes alias sex, quas μόρας vocabant, velut μοίρας, portiones, quas non male conjectat *Cragius* ad tribus convenisse, hoc est in qualibet tribu μόραν fuisse, sed comprehendisse tantum ætatem militarem, exclusis junioribus & senioribus, quibus anni erant infra XXX. & supra LXX. qui in tribu quoque erant, B atque ita tribum latius patuisse quam μόραν. Quod sane congruit cum eo, quod idem *Xenophon* ait, cuilibet μόρᾳ domi etiam unum πολέμαρχον præfuisse. Verosimile enim, polemarchum militarem rem respexisse, qua cum junioribus & senioribus nisi tempore necessitatis nihil erat commune. Nec ab hac ratione abhorret, quod idem *Cragius* existimat, domi quoque μόρας singulas in λόχους quaternos, & hos in binas πεντηκοστύας, & istas rursum in totidem ἐνωμοτίας fuisse distributas. Nam tota respublica Spartana, quod dictum etiam prius, magis ad belli, quam ad pacis rationes jam tum ab initio, auctore C Lycurgo, fuit comparata. De quibus paulo post rursum, cum de militia Laconica differendum. Divisionem ejusdem populi in tres choros, puerorum scilicet, & juvenum ac senum, heic prætereo, quia magni non est momenti. Sed & ante Ephoros, aut auctam eorum potentiam, in concionum ratione aliquid fuisse turbatum, & ab instituto primo cœpisse deflectere, veruntamen ad normam a Polydoro & Theopompo Regibus revocatum, docemur a Plutarcho in Lycurgi vita, ubi fundamentum instituti, Rhetram Delphicam (sic vocatum oraculum diximus Lycurgo ex adyto redditum) recitat. Qui locus cum oraculo quoniam ad universam hanc rem non D parum facit, operæ pretium duco, totum eum heic adscribere. Oraculi verba hæc sunt, antiquitatem pene obsoletam spirantia. Διὸς Συλλανίου καὶ Ἀθηνᾶς Συλλανίας ἱερὸν ἱδρυσάμενος φυλὰς φυλάξαντα, καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα, τριάκοντα γερουσίαν σὺν ἀρχαγέταις καταστήσαντα, ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακίωνος, οὕτως εἰσφέρειν τε καὶ ἀφίστασθαι γαμωδᾶν γοριᾶν, ἦ μὴν καὶ κράτος. Hactenus oraculum. Dein addit *Plutarchus*, interpretans obsoleta & obscura: ἐν τούτοις τὸ μὲν φυλὰς φυλάξαι, καὶ ὠβὰς ὠβάξαι, διέχειν ἐστὶ καὶ καταννεῖμαι τὸ πλῆθος εἰς μερίδας, ὧν τὰς μὲν φυλὰς, τὰς δὲ ὠβὰς προσηγόρευκεν, ἀρχαγέται δὲ οἱ βασιλεῖς λέγονται. τὸ δὲ ἀπελλάζειν. E ἐκκλησιάζειν. ὅτι τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς πολιτείας εἰς τὸν Πύθιον ἀνῆψε, Τὴν δὲ Βαβύκαν, καὶ τὸν Κνακίωνα νῦν Οἰνοῦντα προσαγορεύουσιν. Ἀριστοτέλης δὲ τὸν μὲν Κνακίωνα πόταμον, τὴν δὲ Βαβύκαν, γέφυραν. Ἐν μέσῳ δὲ τούτων τὰς ἐκκλησίας ἦγον. Atque his subjicit, locum eum intermedium sine structura, sine apparatu fuisse, vacuum scilicet ab iis, quæ avocare sensus a rebus in concione propositis, & impedimentum afferre deliberationis possent. Tum progreditur ulterius: Τοῦ δὲ πλήθους ἀθροισθέντος εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ γνώμην τῶν ἄλλων ὑφεῖτο, τὴν δ' ὑπὸ τῶν γερόντων, καὶ τῶν βασιλέων προτεθεῖσαν ἐπικρῖναι κύριος ἦν ὁ δῆμος. Ὕστερον μέντοι τῶν πολλῶν ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τὰς F γνώμας διαστρεφόντων καὶ παραβιαζομένων Πολύδωρος καὶ Θεόπομπος οἱ βασιλεῖς τάδε τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν. Αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δῆμος ἕροιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν: τοῦτ' ἔστι, μὴ κυροῦν, ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι, καὶ διαλύειν τὸν δῆμον, ὡς ἐκτρέποντα, καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον. Ἔπεισαν δὲ καὶ αὐτοὶ τὴν πόλιν, ὡς τοῦ Θεοῦ ταῦτα προστάσσοντος. Quibus statim subjicit *Plutarchus* versus Tyrtæi vetusti Poetæ id attestantis. Rhetræ, vel oraculi verba sic vertit doctissimus Cruserius. *Ubi templum ex-*

truxeris Iovi Syllanio & Minervæ Syllaniæ, populumque distribueris in tribus & obas, senatus constitues annumeratis Regibus XXX. *virorum, & prout temporum articuli postulabunt, conciones habebis inter pontem & Cnacionem amnem, ubi agent cum populo senatores, & dimittent concionem, neque jus erit populo verba faciendi*. In prioribus mutata constructione sensum utcunque repræsentat Cruserius: in postremis verosimiliter conjectat potius quam Græca reddit; in annotationibus etiam non intelligere se fatetur. Lapus in versione totum oraculum non versum relinquit. *Plutarchus* interpretans vetusta oraculi verba ostendit, φυλὰς φυλάξαι, καὶ ὠβὰς ὠβάξαι, esse idem quod distinguere & distribuere multitudinem in partes, quas φυλὰς & ὠβὰς olim dixere: ἀρχαγέτας nuncupatos esse Reges: ἀπελλάζειν significasse, conciones habere. Principium vero & causam reipublicæ institutæ significat Deo imputari. Porro demonstrat, concione coacta nemini reliquorum fuisse permissum, γνώμην εἰπεῖν, id est, sententiam aliquam suam ad deliberandum proponere, sed quod senatus & Reges proponerent, de eo judicandi potestatem populum hausisse. Postea vero cum multitudo demendo addendoque sententias propositas perverteret, & violenter detorqueret, Reges collegas Polydorum & Theopompum ista Rhetræ priori ascripsisse: Si quid prave populus rogasset, ab eo senatu & Reges secessionem faciunto, id est, ratum id non habento, sed omnino discedunto, & populum dimittunto, velut id quod propositum, pervertentem, & transmutantem in deterius. Post quæ recitatis Tyrtæi versibus docet *Plutarchus* hoc quod diximus supra, cum videret, populus, nimiam adhuc esse paucorum potentiam, ipsum velut frenum ei injecisse Ephororum potestatem annis circiter CXXX. post Lycurgum, primumque Ephorum creasse Elatum regnante adhuc Theopompo, eodem illo, qui cum collega Polydoro Rhetræ posterioris jam recitatæ fuerat auctor. Superstes enim vixit Polydoro circiter annos IX. aut X. regnumque tenuit cum filio ejusdem Eurycrate, occupatus ut plurimum bello Messenio, ut juri dicundo, & aliis regii muneris negociis domi vacare non posset. An vero senatus interea potestate sua abusus sit, aut severitate plebem offenderit, quod significare *Plutarchus*, notans paucorum potentiam θυμουμένην, videtur, occasionemque dederit flagitandi magistratus hujus plebei, qui contra injurias potentiorum infirmiores tueretur, & populi jus sartum tectum servaret, ut Romæ, cum tribuni plebis in ea civitate sunt nati, factum, id nobis est obscurum. Rex quidem uterque Polydorus & Theopompus, fuit optimus, ut docent scriptores veteres, in primis inter posteriores *Pausanias*. Verum ut vocandæ dimittendæque concionis jus ex oraculo & instituto Lycurgi olim penes Reges & senatum tantum fuit, & locus ejus proprius non alibi quam ad Cnacionem amnem, ita jus hoc Regum & senatus, ut ante ostendimus, secutis temporibus ad Ephoros transiit, & habendæ concionis locus in ipsa urbe ad fori exitum, ubi Scias a Theodoro Samio artifice extructa fuit, cœpit esse, ut est apud eundem *Pausaniam*. Fuit vero concio duplex, concilium scilicet solorum habitatorum Spartæ, quod concionem minorem videtur *Xenophon* appellare, & convocata civium multitudo ex tota Laconia, quæ simpliciter concio, aut concio major nuncupabatur. Convocabatur ordinarie statis temporibus aut quando & quoties res poscebat. In concionibus ordinariis ut plurimum magistratus annui creabantur, forte etiam alii: de quo certi nihil habeo. In cæteris agebatur de legibus, si quæ ferendæ, de bello, pace, fœderibus, de aliis rebus summis. In his etiam populus judicium exercebat, & sententiam ferebat, quoties vel Rex, vel Procerum magnorum alius in discrimen capitis aut status sui vocatus ad populum provocabat. In his omnibus mentem suam populus declarabat non calculo, aut manuum elevatione, sed acclamatione, interdum etiam, si hæc non satis distincta videretur, discessione in loca diversa. Hucusque de concione.

Præter ingenuos cives erant etiam in civitate libertini, e servitute manumissi. Manumittebantur autem non separatim a singulis civibus velut dominis, quemadmodum alibi fere solebat fieri, sed auctoritate publica. Nam publici juris aliquid populus in Helotas ac Messenios in servitutem datos habebat, quamvis iidem singulis etiam operam præstarent in colendis agris, & negociis servilibus aliis. Conferebatur hoc libertatis beneficium in eos, qui publice de civitate erant bene meriti vel in prœliis, si quando re poscente, ad arma essent vocati, vel modis aliis. Manumissos νεοδαμώδεις dicebant, præsertim Lacedæmone sedem habentes, & civitati quasi insitos, quamvis non pari in omnibus jure cum civibus ingenuis: cæteros interdum eodem etiam nomine afficiebant, interdum tantummodo ἀπελευθέρους nominabant, & vel in colonias mittebant, vel, ubicunque animus iis erat, sola libertate contentos sedes figere sinebant. In urbe vero & reliqua Laconia qui manebant, an obeundæ concionis, & gerendorum honorum jus habuerint, & tribubus ac moris ascripti sint, obscurum. In militiam cum ingenuis eductos, & stipendia fecisse, clarum. An phiditiorum participes fuerint, nec hoc a quoquam veterum expressum: mihi quidem parum id verosimile. De distinctione τῶν ὁμοίων & τῶν ὑπομειόνων ex Xenophonte quod disputat Cragius, id magnas quoque tenebras habet, quanquam ὁμοίους ingenuos fuisse, dubitabile non existimem. Xenophon conjurationem Cynadonis detectam exponens velut distinctos & diversos inter se conjurationis ejus socios recenset εἵλωτας, νεοδαμώδεις, ὑπομείονας, περιοίκους, sed quem locum in civitate tenuerint, non ostendit. Περιοίκους enim heic intelligere, qui τὴν περιοικίδα, regionem videlicet urbi Spartæ proxime circumjectam habitabant, Laconici generis, nullus dubito. Εἵλωτας antiquissimos Lacedæmoniorum servos, quos nec privatim manumittere, nec extra Laconicam vendere, per legem Agidis Regis Nomothetia Lycurgi antiquiorem, licuit, ob multitudinem civitati sæpe formidini fuisse, ante quoque a me notatum est. Et *Xenophon* sua etiam ætate sollicitam quam maxime civitatem habuisse testatur. Nam cum Thebani & eorum socii infestis armis urbem Spartam premerent clade Leuctrica viris jam ante exhaustam, visum primoribus civitatis, ait *Xenophon*, publica voce Helotibus denunciare, si qui eorum arma capere contra hostes, & in ordinibus consistere vellent, fide publica iis promitti libertatem: ad quam vocem cum plures quam sexies mille nomina professi essent, & ordinibus sese miscuissent, ob multitudinem nimiam consternata civitas fuit: sed copiarum aliarum amicarum adventu motus ille rursum concidit. Sic ille. De Partheniis bello Messenio I. ex promiscuo juvenum & virginum Lacænarum concubitu natis, & a reliquis Laconibus ob probrosos natales contemptui habitis, quia ultra unam ætatem Spartæ non durarunt, non libuit quicquam dicere superius, nec heic libet. Fuse de his Iustinus ex Trogo libro III. cap. IV. & Strabo libro VI.

Judicia hoc modo Spartæ habuere. Primis temporibus post Lycurgum raræ erant lites de rebus privatis, quia pecunia de qua litigaretur, nulla erat in usu. Post labentibus Lycurgi institutis, cœperunt etiam hæ crebrescere, & judicia quoque alia cumulari. Judices fuerunt initio Reges, & Senatus: deinde Ephori: demum etiam dirimendis contro-

ver-

versiis arbitri lecti. Reges, ut ante quoque dictum, causas virginum ἐπικλήρων quæ unicæ & solæ parentum hæredes, atque adhuc innuptæ erant, ideoque plurium nuptiis ambiebantur, quas πατρούχους etiam *Herodotus* nuncupat, cognoscebant: iidem adoptionibus quoque ut rite fierent, præsidebant, & si quid de viis publicis curandis controversum, dijudicabant. At senatus XXVIII-virum, cum aliarum gravium causarum, tum capitalium judicia potissimum exercebat, & in his, ut prudentius ageretur, haudquaquam properanter procedebat, sed actionem in dies aliquot plerumque ampliabat, actores & reos audiebat, in testes & testimonia diligenter inquirebat: denique id curæ habebat, ne quid statueretur temere, quod postea corrigi non posset. Ephori in rempublicam primum introducti lites privatas de contractibus & negociis similibus dirimebant. Verum cum tempore, crescente ipsorum potentia, maxima quæque judicia iidem illi sibi vendicarunt, & non solum aliorum civitatis primatum, sed Regum quoque causas cognitioni suæ subjecerunt, cum essent ipsi homines sæpe e medio vulgo. Quod sane uti erat, ita perindignum, & periculosum censuit Philosophorum princeps Aristoteles, præsertim cum, ut idem ait, judicarent αὐτογνώμονες, hoc est, non scriptas certasve leges, sed opiniones suas in ferendis sententiis sequerentur. Itaque nec sine multo certamine inter eos & senatum Regesque, ut hæc judicandi potestas iis permitteretur, res fuit perducta. In quo certamine nihil tam valuit pro Ephoris, quam gratia vulgi, quod patronos libertatis suæ, & e medio sui non raro progredientes quam maxima potestate pollere avebat. In Regum vero causis, cum caput aut fortuna eorum in discrimen vocabatur, hæc ratio fere servabatur, ut ex Pausania, qui περιήγησιν Græciæ scripsit, discimus. Sedebant in tribunali senatores XXVIII. & cum his Ephori quinque, & Rex alterius familiæ, ad quem causa non pertinebat, ut essent omnes XXXIV. iique causam cognoscebant, deque ea sententiam singuli per suffragia ferebant, & id denique ratum habebatur, in quod plures consentiebant. Hoc modo Pausanias Rex, Plistoanactis filius, Pausaniæ ejus, qui ad Platæam Mardonium cum Persis cecidit, nepos, in causa majestatis apud hos judices reus, cum suffragia XV. contra eum, XIX. pro eo lata essent, absolutus fuit. Quod si contingeret aut minus bene constitutum hoc judicium esse, aut pronunciatum minus æquum reo videri, solebat hic ad populum provocare, & populus, quem Ephori regebant, ex horum mente de causa plerumque statuebat.

De arbitris dicere parum habeo, qui deligebantur ab his qui controversiam habentes, apud judices contendere, aut judicii aleam experiri nolebant, iique id operam dabant, ut litem inter hos ex æquo & bono componerent, aut si istuc pervenire non possent, ex compromisso per arbitramentum finirent. In omnibus vero judiciis actio minime operosa erat more aliorum populorum. Aberant quippe Oratores, qui accusarent, aut patrocinarentur, cogebanturque actores ipsi, qui litem aut crimen intendebant, in judicio dicere stricte ac breviter, idemque facere rei: quamvis gratia sua ac favore nonnunquam viri magni periclitantibus adsisterent, ac prodesse studerent. Hoc quoque heic in more fuit positum, ut in judiciis publicis contra criminum reos actio daretur cuivis volenti, etiam iis, qui erant in magistratu: quod Ephororum exemplis frequentibus doceri potest, quos in rempublicam peccantes viros potentes in judicio reos egisse passim in Historiis legimus. Quod idem Romæ quoque factitatum esse a tribunis plebis, non raro etiam a magistratibus aliis, Historiæ ejus gentis loquun-

A tur. Ut vero alibi, ita Lacedæmone quoque probationes, quarum in judiciis usus, partim tabulis scriptis, partim testibus constitere. Sed in testibus hæc cautio erat, ne facile servorum aut inimicorum testimonia contra viros illustres reciperentur. Tabulæ de privatis negociis aut contractibus confectæ apud Lacedæmonios κλάρια dictæ fuere, uti ex Plutarcho in vita Agidis Regis discimus. Pœnarum genera, quæ sontibus irrogabantur, sive judicio damnatis, sive ex legum præscripto, aut magistratuum jussu, fuere varia. Quarum in numero notissimæ hæ: pecuniaria mulcta, olim tenuis ac rara, B cum argenteæ & aureæ pecuniæ usus in civitate non esset, post gravior & frequentior; quam qui pendere non volebant, aut non poterant, in exilium ibant: ignominia multiplex; in primis ἀτιμία, quæ habebat exclusionem ab honoribus ac muneribus publicis, itemque præsentis potestatis seu muneris publici ademptio: vincula collo manibusque injecta, carcer κοιάδας appellatus: verbera ac flagellatio: exilium: mors suppliciorum ultimum, quod strangulando peragebatur in carcere noctu; deinde cadavera evecta, & ex carcere extracta, loco ignominioso carceri vicino, terra condebantur. Quæ omnia argumento sunt, peccandi C licentiam apud Lacedæmonios, sæculum non esse vocitatam. Quemadmodum autem pœnis severis delicta illic corripiebantur, ita variorum honorum præmiis virtutum studium excitabatur. Quibus duabus rebus respublicas maxime contineri, sapientissimus Solon solebat dicere. Præmia vero Lacones solis honoribus metiebantur, quos omnibus opibus ac possessionibus potiores habebant, imo quibus ipsam quoque vitam sæpe postponebant: parique ratione ignominiam ac infamiam ipsa morte acerbiorem ducebant. Honores autem alii vivis tribuebantur ob virtutem & bene merita, alii mortuis. Inter viventium honores erant senatoria dignitas, magi- D stratus, προεδρία in solennibus conventibus, cingulum, corona oleagina. Mortuos autem potissimum positis in publico statuis, sepulchris ac monumentis splendidius structis, cippis erectis, orationibus aut carminibus funebribus, ad laudem eorum, qui pro patria mortem oppetierant, compositis, honorabant.

Dictum ante, ad belli magis quam ad pacis rationes rempublicam Laconicam fuisse compositam. Quapropter de belli institutis quædam heic breviter subjicienda. Primum hoc notatu dignum, quod Lacedæmoniis quondam, cum vigerent leges Lycurgi, vita domi quam militiæ fuerit adstrictior ac E difficilior tum in disciplinæ ratione, tum in exercitiorum & laborum assiduitate: ut mirum videri non possit, tam alacres ac promptos ad militandum eos fuisse. Bella iis terrestria multo ante quam maritima in usu fuere, ad quæ non nisi sero se comparavere: imo diu militia maritima apud eos fuit vetita. Olim in more fuerat, ut modo uterque Rex, modo alter tantum exercitum terrestrem duceret. Post, priusquam in Græciam Persæ invaderent, ob discordiam Cleomenis & Demarati, qui novo bello Attico Duces in exercitu fuerant, bellumque infeliciter gesserant, legem latam scribit *Herodo-* F *tus*, ne in posterum uterque Rex in bellum idem exiret. Quæ lex eo tempore vim suam tenuit, nisi forte necessitas aliqua diversum suaderet. Nam & ratio eos docebat & experientia probabat, plurium par imperium bello esse inutile. Quam ob causam deinceps communi ratione uni bello, atque uni exercitui unus quoque præerat summus Dux ac Imperator: & is ut plurimum Rex erat, interdum Regis minorennis tutor, nonnunquam quoque alius, sed fere ex genere Heraclidarum. Idem vero sive Rex sive alius, cum exercitu domo egressus non solus tan-

tum summum in exercitu imperium tenebat, sed potestatem quoque imperandi ac decernendi absolutam habebat. Præfectos autem militum, seu ordinum ductores imperio suo parentes ducebat varios, alios aliis inferiores, πολεμάρχυς, λοχαγὺς, πεντηκοςῆρας, ἐνωμοτάρχυς, eosque jam plures, jam pauciores pro numero morarum, τ̃ μορῶν, hoc est, cohortium majorum, quæ in exercitu ejus erant. Nam interdum μόρας plures, interdum pauciores educebat, prout ratio belli, quod gerebatur, poscebat. μόρα autem, ut Xenophon affirmat in libro de republica Lacedæmoniorum, de re militari ejus civitatis agens, ex instituto Lycurgi olim habuit πολέμαρχον unum, λοχαγὺς quatuor, πεντηκοςῆρας octo, ἐνωμοτάρχυς sedecim. Unde porro patescit quot in μόρᾳ λόχοι, πεντηκοςύες, ἐνωμοτίαι ex ejusdem instituto tum fuerint. In confesso enim est, quemadmodum μόραν totam unus regebat Polemarchus, ita singulis λόχοις, πεντηκοςύσι, ἐνωμοτίαις singulos λοχαγὺς, πεντηκοςῆρας, ἐνωμοτάρχυς præfuisse. Et quia idem Xenophon eodem loco nos docet, Lycurgum universos Lacedæmonios tam equites quam gravis armaturæ pedites (intelligo eos, qui erant in ætate militari) domi distribuisse in μόρας hujusmodi sex, secundum eandem rationem constare etiam potest, quot λόχοι, πεντηκοςύες, ἐνωμοτίαι, & quot ordinum horum omnium præfecti, imo quot viri bellis apti ex ista distributione ea tempestate fuerint in toto corpore civitatis. Nam πεντηκοςὺς sine dubio ex numero armatorum nomen accepit, significavitque manum quinquaginta viros complexam: ex quo reliqua æstimari facile queunt. Ut enim dupla fuit ad ἐνωμοτίαν πεντηκοςὺς, ita ad ipsam vicissim duplus fuit λόχος, & ad λόχον quadrupla fuit μόρα. Sic fuerint in civitate λόχοι XXIIII. πεντηκοςύες XLVIII. ἐνωμοτίαι XCVI. viri bello apti, atque in hos ordines descripti MMCCCC. in cohorte autem, quam λόχον dicebant, armati CCCC. in λόχῳ C. in ἐνωμοτίᾳ XXV. Quod sane a conditione civitatis, qualis fuit Lycurgi temporibus, cum adhuc populi frequentia non abundaret, non valde abhorret. Nam in hunc numerum tantummodo veniebant genuini cives, qui ætate annis XXX. majores, & LX. minores erant: cæteri excludebantur, quos istis haud pauciores fuisse verisimile est. Studium vero Lycurgo non fuit, ut multos, sed ut bonos ac fortes cives Sparta haberet. Et præter hos magna multitudo inquilinorum, qui liberi quidem, sed civitatis jure haud præditi erant, Spartam habitabant: multoque plures etiam servi quam liberi. Quin imo posteris quoque temporibus non tam copia magna suorum quam firmo robore hostibus suis formidini fuisse, & sæpe ex iis præclaras victorias retulisse Spartanos, ex Historiis cognoscimus. Eosdem etiam cum opus esset, servos suos Helotas armasse, & in expeditiones secum duxisse, ex *Herodoto* discimus: qui scribit, in exercitu Græcorum ad Platæas [1], ubi cum Mardonio Persa de rerum summa est dimicatum, cum Laconum omnium essent decem millia, in his Spartiatas (qui Metropolim Spartam habitabant) quinquies mille fuisse, & horum Spartiatarum quemlibet habuisse secum septem Helotas levibus armis instructos, velut custodes vel stipatores, conficientes universe numerum XXXV. millium. Locus sane notabilis, docens, quid tum urgente gravi periculo in usu fuerit. Quanquam autem isti, quos dixi, singuli ordines militares sensim cum tempore, crescente civium multitudine, virorum numero quoque creverint, & quælibet πεντηκοςὺς plures quam quinquaginta complexa sit, ac vel duplo triplove facta sit major, similiterque pro parte rata ordines

1. Hinc patet, ubi supra fuit editum *Platæam*, lapsum typorum fuisse, non Emmii manum.

quoque reliqui, tamen apud posteros nomina eadem retinuerunt: quemadmodum in decuriis, centuriis, manipulis, cohortibus, legionibus Romanis, ac in rebus aliis factum olim esse, & hodie quoque fieri videmus. Verum soline pedites gravis armaturæ nomen πεντηκοςὺς dederint, an & equites pauculi, peditibus additi, ad explendum illum numerum accensi olim sint, id ego dubium esse existimo. Quorum hoc Xenophontis verbis, ubi de moris totius civitatis loquitur, conforme videtur: illud autem verosimile magis, propterea quod equites primis illis temporibus pauculi admodum fuerint, & tantummodo accessio quædam supernumeraria, additamentumve non tam minorum ordinum, quam totarum morarum: qui deinde in expeditionibus conjuncti ex moris omnibus equitatum a peditum agminibus separatim constituerint. Nam ab initio perexiguus equitum usus fuit apud Lacedæmonios, & robur in eo pene nullum: in pedestri vero exercitu omne quasi momentum situm fuit, etiam iis temporibus quibus res Græciæ maxime floruerunt. Quod autem subjicit ibidem Xenophon, ἐκ τύτων ϑ μορῶν διὰ παρεγγυήσεως καθίςαν) τότε μὲν εἰς ἐνωμοτίας, τότε ϑ εἰς τρεῖς, τότε εἰς ἕξ, i. e. *ex his vero moris, cum id præcipitur nonnunquam milites per* ἐνωμοτίας *disponuntur, interdum in ternas, interdum in senas*, hoc sane si mendum librariorum non habet, est perobscurum, nec a quoquam hactenus satis explicatum. Verumenimvero distributionem illam exercitus Laconici ex Xenophonte paulo ante recitatam perpetuam non fuisse, sed variasse, vel unus Thucydidis locus nos docet evidentissime. Nam is libro quinto bellum inter Lacedæmonios & Argivos anno ab initio belli Peloponnesiaci undecimo commotum, & acies utrinque instructas exponens, nec morarum vocem usurpat, & totum exercitum Laconicum, ut stabat ad prœlium accinctus, in λόχυς septem, λόχον quemlibet in πεντηκοςύας quatuor, πεντηκοςὺν rursus in ἐνωμοτίας quatuor dividit, præter Sciritas, genus militum apud Lacones peculiare, quos tum dicit, ut & alias, in cornu aciei sinistro constitisse. Et tamen præfectos omnes horum ordinum iisdem plane nominibus, quibus *Xenophon* afficit, & eodem eos ordine quoque recenset. Πολεμάρχυς quippe Regi, his λοχαγὺς, λοχαγοῖς πεντηκοςῆρας, & his rursum ἐνωμοτάρχυς subjicit. Quem locum, quia illustris est, & multis huc pertinentibus lumen affundit, totum heic ipsius auctoris verbis adscribendum puto. Βασιλέως ϑ ἄγοντος, ait Thucydides, ὑπ' ἐκείνυ πάντα ἄρχον), κ̀ τοῖς μὲν πολεμάρχοις αὐτὸς φράζει τὸ δέον· οἱ ϑ τοῖς λοχαγοῖς· ἐκεῖνοι ϑ τοῖς πεντηκοντῆρσιν· αὖθις δ' οὗτοι τοῖς ἐνωμοτάρχαις· κ̀ οὗτοι τῇ ἐνωμοτίᾳ. Καὶ αἱ παραγγέλσεις, ἤν τι βύλων), κ̀ τὰ αὐτὰ χωρῦσι, κ̀ ταχεῖαι ἐπέρχον). σχεδὸν γάρ τοι πᾶν, πλὴν ὀλίγυ, τὸ ςρατόπεδον τ̃ Λακεδαιμονίων ἄρχοντες ἀρχόντων εἰσὶ, κ̀ τὸ ἐπιμελὲς τ̃ δρωμένυ πολλοῖς προσήκει. Τότε ϑ κέρας μὲν εὐώνυμον Σκιρῖται αὐτοῖς καθίςαντο, ἀεὶ ταύτην τ̃ τάξιν μόνοι Λακεδαιμονίων ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἔχοντες. Et post nonnulla, Ἐκ μέντοι τοιῦδε λογισμῦ ἔξεςι τῷ σκοπεῖν τὸ Λακεδαιμονίων τότε παραγενόμενον πλῆθος. λόχοι μὲν ϑ ἐμάχοντο ἑπτὰ ἄνευ Σκιριτῶν, ὄντων ἑξακοσίων. Ἐν ϑ ἑκάςῳ λόχῳ πεντηκοςύες ἦσαν τέσσαρες, κ̀ ἐν τῇ πεντηκοςύι ἐνωμοτίαι τέσσαρες. Τῆς τ̃ ἐνωμοτίας ἐμάχοντο ἐν τῷ πρώτῳ ζυγῷ τέσσαρες. ἐπὶ ϑ βάθος ἐτάξαντο μὲν ὐ πάντες ὁμοίως, ἀλλ' ὡς λοχαγὸς ἕκαςος ἐβύλετο: ἐπίπαν ϑ κατέςησαν ἐπὶ ὀκτώ· παρὰ ϑ ἅπαν, πλὴν Σκιριτῶν, τετρακόσιοι κ̀ δυοῖν δέοντες πεντήκοντα ἄνδρες ἡ πρώτη τάξις ἦν. Ecce, Rex summum in exercitum imperium habet, & omnia regit, mandat Polemarchis, Polemarchi λοχαγοῖς, hi πεντηκοντῆρσιν: ab his mandata accipiunt ἐνωμόταρχοι, ab Enomotarchis singuli milites in enomotiis, perferunturque hoc modo mandata Regis gradatim quidem, sed quam celerrime ad

A universum exercitum, ac singulos in exercitu dispositos milites: & propemodum totus exercitus, paucis demptis, Duces sunt Ducum, curaque rerum agendarum ad multos pertinet: Sciritæ vero semper in cornu aciei sinistro locati: & cætera ante dicta. Tum porro hæc: ἐνωμοτία in fronte aciei istius milites habebat quatuor: aciei latitudo aut profunditas, quamvis non ubique par, sed pro arbitrio cujusque λοχαγῦ, utplurimum militum octonum erat: frons vero aciei in longum porrecta milites tenebat CCCCXLVIII. exceptis Sciritis: Sciritæ erant DC. Et affirmat vetus Scholiastes Thucydidis ad hunc locum, ἐνωμοτίαν quamlibet habuisse viros XXXII. B ducto scilicet numero quaternario, qui erat in enomotiæ fronte, in octonarium, qui profunditate ejus continebatur, atque hac ratione in toto illo exercitu Laconico, exclusis Sciritis & sociis fuisse bellatores ter mille quingentos octoginta quatuor: manus sane non magna sed valida. Porro Rex accepto domi exercitu in expeditionem iturus bis sacrum faciebat, semel in urbe, iterum, cum jam ad fines Laconiæ venisset, incedens semper præcedente igne sacro ab ara sumpto: tertium sacrificabat in conspectu hostium, prœlio propinquus. Idem cum hoste dimicaturus in media versabatur acie, unde imperia expedire quam commodissime per totum exercitum poterat: C ibatque proxime ante eum armatus Olympionica, quod honoris erat maximi: eumque etiam comitabatur & circumsistebat lectissima pugnatorum manus, in discrimine præsidio futura. Tum vero in pugnam jam procedens, tibicines hunc in finem per aciem passim dispositos tibiis canere jubebat, ut ad earum modulamen composito animo pariter ac gradu, servatis ordinibus suis, in adversum hostem universi irent, quemadmodum lex præcipiebat. Id enim melius esse, & parandæ victoriæ certius, quam si cursim, & cum inordinato effusoque impetu in prœlium ferrentur, Lycurgus legis auctor judicaverat. D Ducebat vero in prœlium suos, ut eadem lex volebat, veste purpurea indutos, & ominis gratia coronis redimitos velut victoriam reportaturos. Et cum Ephororum potestas in republica adolevisset, mos cœperat, ut ex eorum collegio duo Regem in bella euntem comitarentur consilii causa. Xenophontis autem sæculo, ut ex Historia ipsius patet, interdum Regi, præsertim in bellum difficile ac longinquum proficiscenti, consiliarii quoque alii numero plures prudentia & auctoritate pollentes adjungebantur. Ad hæc in more quoque erat, ut Rex, qui exercitum domo eduxerat, expeditione finita, eundem non solveret, E sed domum ipse reduceret, socios vero ac mercede conductos, sub cura præfectorum in sua, qua cuique commodum, dimitteret: Denique domum reversus sacro rursum peracto imperium deponeret. Et quæ de Rege hactenus dicta fuere, ea in Regis minorennis tutore, ac quolibet Imperatore alio, cui belli auspicia commissa erant, locum habebant. Cætera militiæ Laconicæ, cum res terra gerebatur, sic habebant. Regem, cum imperio summo Ducem designatum ante plenilunium peractum ex urbe educere exercitum fas non erat: egressus cum exercitu agmine composito incedebat; castra, F cum opus esset, nisi natura loci aliud posceret, in orbem formata ponebat, eaque, cum in hosticum venisset, ex legis præscripto, sæpe movebat, curam eorum per excubias diligentem interdiu ac noctu habebat, militemque intra castra exercebat: militis Laconici arma erant, ensis brevis ac recurvus, hasta longa, galea, scutum æreum: usitatum ei, in castris non sine hymno cœnam claudere, hastam semper circumferre & ad manus habere: si quando commeatus petendi causa castris exibat, non sparsim vagabatur, sed denso agmine servatis ordinibus procedebat, nec procul a castris, ut tutior esset, progrediebatur: eques noctu extra castrorum [1] obequitabat. Servi foris etiam tendebant. Erant quoque in institutis militiæ hæc: Adversum hostes eosdem bellum sæpe non gerendum, ne ii belli artes discant, & usu multo habitum ac promptitudinem sibi parent: maritima militia abstinendum: turrium murorumque oppugnationes declinandæ; in prœlio vincendum aut occumbendum: fuga, quæ turpis & morte pejor, saluti non consulendum: scutum in pugna amittens ignominiosus habendus: hostibus in fugam effusis & victoriam concedentibus cædendo non instandum nec ultra modum in eos sæviendum: cæsorum corporibus spolia non detrahenda: tropæum modo in victoriæ loco erigendum: victoria strategemate parata, quam parta aperta vi, majoris gloriæ censenda: Lacones infra annos XXX. & supra LX. nati in expeditiones non ducendi, sed tuendis rebus domi relinquendi, nec nisi cogente necessitate aut periculo gravi aliter faciendum. Stipendiorum ratio vetus apud Lacones perobscura. Olim, cum usus auri & argenti nullus apud eos esset, nec publici census ulli, videntur sine stipendiis aliis reipublicæ militasse, tantum commeatu contenti, quem vel a republica accipiebant, qui militabant, vel ex hoste quærebant. Quem autem respublica præbebat, in eum aut tota civitas, aut ii maxime, qui domi manebant, de privatis suis conferebant. Ærarium publicum quippe nullum: quod bellis gerendis sæpe officiebat, aut difficultates haud parvas creabat. Post, cum aurum & argentum cœpissent adamari, ususque eorum crebrescere, & e manubiis a Lysandro in urbem invectis ærario esset datum initium, ac sociorum multi vectigales facti, alia ratio instituta, sed eadem posteris quoque non satis perspecta. Hoc solum constat, ex eo tempore stipendium militi Spartano ex ærario solutum: ærarii vero curam ac potestatem potissimum penes Ephoros, populi Duces, fuisse: ærarium spoliis hostium, & sociorum tributis cum tempore locupletatum, pecuniæ magnitudine, æraria reliquarum Græciæ civitatum procul superasse. At sociis Græcis, qui signa Laconum frequentes sequebantur, a civitatibus suis stipendia pendebantur: & si quæ civitates ex fœdere militem non mittebant, ab iis pecunia in usum belli præstabatur, quod fieri ex fœdere licebat. De stipendio Persico, quod classiariis Lacedæmoniis & eorum sociis ex pacto Persarum Rex pendebat, non libet heic dicere. Nam peculiaris & huc non pertinens ejus ratio fuit. Res maritimas sero admodum & tenuiter premente Græciam Xerxe Spartani tractare cœperunt. Dein post longum intervallum fervente bello Peloponnesiaco eodem respexerunt, ac majore studio contra majorum morem, & Lycurgi mentem in eas incubuerunt, & demum ope sociorum, qui classibus valebant, oppressis Atheniensibus maris imperium in se verterunt. In his rebus maritimis hæc iis legitima fuerunt. Conflata classe quacunque quamvis in ea multo plurimæ essent naves a sociis instructæ, interdum perpaucæ ab ipsis, tamen usurpatione quadam majorum, aut jure per manus accepto velut Græciæ Principes, summum ei Ducem ipsi dabant, quem *ναύαρχον* vocabant, cujus auspiciis omnia gerebantur. Huic ἐπιςολέα aliquem utplurimum adjungebant, quem legatum classis dicere possumus. Nam vicem Navarchi absentis tenebat & nomine ejus res gerebat, summoque post eum classis imperio potiebatur. Nonnunquam etiam fiebat, ut Navarcho titulus imperii, honoris ergo, tribueretur, ἐπιςολεῖ vero ob usum & peritiam rerum, cui tamen Navarcho per leges esse non licebat, im-

1. Omissa est vox *portas*.

perium commendaretur. Quod Lysandro accidit, qui Araco Navarcho creato, viro rerum Asiaticarum ac maritimarum ignaro, imperandique artium adhuc experti ἐπιστολεὺς additus, ipse earum rerum & artium peritissimus cuncta pro arbitrio administravit, & res maximas gessit, Atheniensium classem ad flumen Ægos delevit, urbes multas in Hellesponto, Asia, insulis, occupavit, Samum obsidione pressit, Athenas ipsas in eas angustias redegit, ut deditionem facere, & statum reipublicæ suæ mutare cogerentur. Quominus autem Navarchus pro Araco crearetur, lex obstabat, quæ vetabat, eundem bis imperium classis habere, ut *Xenophon* & *Plutarchus* testantur. Ipse vero classis Imperator jam ante fuerat, & successorem acceperat Callicratidam, qui in prœlio ad Arginusas insulas fortiter pugnans nuper occubuerat. Verum an annua fuerit ex lege Navarchorum potestas, parum constat: Hoc modo ex *Thucydide* & *Xenophonte* patet, singulos vix annum in hoc imperio explesse, qui ab initio potentiæ Laconum maritimæ in eo sibi mutuo successere ad debellatas a Lysandro Athenas. Horum primus fuit Astyochus in oram Asiæ ad res gerendas missus anno belli Peloponnesiaci XX. inito paulo ante fœdere cum Dario Persarum Rege, cum post cladem Siculam civitates maritimæ passim ab Atheniensibus cœpissent deficere. Astyocho deinde Mindarus anno belli ejusdem XXI. est suffectus. Post hunc juxta Cyzicum cæsum secuti ordine sunt Eteonicus, Cratisippidas, Lysander, Callicratidas, Aracus cum legato Lysandro. Lysander paulum ultra vertentem annum in præfectura hac classis relictus universum maris imperium Lacedæmoniis suis asseruit. Nondum deinde exacto quadriennio, post eversum a fratre Artaxerxe Mnemone Rege Cyrum Persam, iniquitate Tissaphernis regii præfecti, amicitia inter Lacedæmonios & Persas soluta fuit, missusque a Lacedæmoniis Thimbron cum copiis militaribus Harmostes sine titulo Navarchi, ut civitates Asiæ Græci nominis ab injuria Tissaphernis tueretur, ac libertati restitueret. Cui non satis feliciter rem gerenti successor missus Dercyllidas. Dercyllidæ demum per triennium munere hoc haud parum felicius defuncto, cum spe majoris incrementi rerum Laconicarum surrogatus, & in Asiam eandem cum copiis amplioribus missus est Rex Agesilaus: eique, quod nunquam ante acciderat, imperium pariter terra marique commissum Olympiadis XCVI. anno primo. Is vero in prosperrimo rerum terrestrium cursu classis imperium tradidit Pisandro conjugis suæ fratri, præteritis aliis præstantioribus. Qui Agesilao sororio, ob bellum fraude Persica in Græcia resuscitatum, ab Ephoris domum ex Asia revocato, a Conone Atheniense ad Gnidum ingenti prœlio navali superatus vitam cum classe amisit. Hac clade imperium Laconum maritimum infractum pene concidit, & magnam partem ad Athenienses rediit. Et quanquam multa a Spartanis, sarta cum Persis gratia, instaurando ei deinceps mota sint, parum tamen profectum, novis identidem hostibus novis bellis contra eos in ipsa Græcia

A excitatis. Imperatori classis, ejusve legato parebant reliqui præfecti omnes: qui tot erant numero, quot in classe triremes aut naves armatæ, quos proprio nomine, omnibus Græcis usitato, τριηράρχους indigitabant, singuli singulis triremibus præsidentes. Hos satis constat ab iis civitatibus esse datos, quæ triremes instruebant, ac in classem conferebant, aliæ plures, aliæ pauciores. An vero quælibet civitas etiam ἐπιστάτην aliquem ediderit, qui imperii aliquid in trierarchos cæteros ejusdem civitatis haberet, parens tamen totius classis Navarcho, id non satis certum est. Mihi quidem hactenus ex veterum monumentis cognoscere non licuit. Trie- B rarchos autem singulos in suæ triremis classiarios imperium habuisse, controversum non est. Classiarii quot fuerint in singulis triremibus, dici non potest: nec numerus in his semper idem. Distinctos fuisse in tres ordines, imos, medios, summos, quemadmodum apud cæteros Græcos, sic quoque apud Lacedæmonios, quidam auctoritatem scriptorum mediæ ætatis secuti opinantur. Stipendio tamen pares fuisse omnes ex iis, quæ apud Xenophontem in rebus Græcis, & Plutarchum in vita Lysandri legimus, verosimile est. Nam nulla illic distinctio. Meruisse autem stipendium diurnum tres obolos, idque a Cyro Persa intercedente Lysandro auctum obolo uno, ut esset jam ordinarium obolorum C quatuor, eamque ob causam classiarios multos relictis Atheniensibus in classem Laconicam se contulisse, ex iisdem auctoribus discimus. Unde colligere licet, Athenienses tum temporis obolos tantum tres, aut certe minus quam obolos quatuor in stipendium diurnum classiariis suis pependisse. Oboli tres valebant drachmæ Atticæ dimidium: drachma Attica erat denario Romano minor. Nam septem denarii pares erant octo drachmis. Et denarius Romanus legitimi ponderis æquabat partem quasi septimam daleri imperialis hodierni, drachma Attica octavam ejusdem. Ex quibus æstimari stipendia ista vetera possunt. Sed nec statum, per- D petuove idem stipendium id fuit, & majus pediti gravis armaturæ quam classiario, & equiti multo majus quam pediti solutum. Solutum autem classiariis aliquandiu a Persarum Rege ex pacto: ante & post a civitatibus quæ naves in classem dabant, vel quæ navium loco pecunias in hunc usum conferebant. Classiarios vero, quibus naves ab ipsis Spartanis datæ implebantur, paucos ex Laconibus, plurimos ex peregrinis conscriptos fuisse credimus: quia Lacones rei nauticæ erant rudes, usu maris per leges Lycurgi prohibiti: & quamvis ab oriente & meridie mari alluerentur, tamen litora habebant admodum importuosa, ut unus portus recipiendis tri- E remibus toto litorum tractu reperiretur idoneus. Ei Gytheo nomen erat in sinu reducto, ubi & unicum navale habebant Lacedæmonii: de quo igni cum ipsis navibus dando ad vires Lacedæmoniis incidendas consilium quondam Atheniensibus suggessisse Themistocles, sed id auctore Aristide ab Atheniensibus esse repudiatum, perhibetur.

DE REPUBLICA
CARTHAGINIENSIUM.

FUIT eodem tempore, quo floruit Lacedæmon, & sæculis proxime secutis, illustris quoque & præpotens civitas Carthaginiensis, in Africa sita ipso in litore: cujus rempublicam liberam cum Lacedæmonia comparat Aristoteles, po- F liticorum lib. II. cap. IX. Hæc a Didone Phœnicia tyrannidem fratris Pigmalionis cum Phœnicibus aliis fugiente condita, regio imperio aliquandiu gubernata fuit. Deinde eo repudiato libertatem arripuit, ac priusquam bene compositas res, & stabi-

lem recteque formatum statum obtineret, varios casus est perpessa, quorum plerosque compendio recitat ex Trogo Justinus Historicus libro XIX. & proxime sequentibus. In formanda vero republica sua sine dubio multa mutuata fuit a conditoribus suis Tyriis, quorum magnæ quoque quondam res fuere. Hujus igitur civitatis CARTHAGINIS res bello gestæ quoniam ab optimis Historiographis, ex quibus nos seriem perpetuam contexuimus, etiam celebrantur, statum reipublicæ ejus, quem ex aristocratia & politia, quam sic vocat, mixtum fuisse *Aristoteles*, ex, regio, aristocratico, democratico compositum, *Polybius* asserunt, domi oligarchicum, militiæ monarchicum *Isocrates* affirmat, delineare breviter, quantum ex monumentis veterum, qui parci admodum heic sunt, investigare possibile, est animus. Ut summum dignitatis locum Lacedæmone duo Reges pari potestate ac honore tenuere ex duabus familiis agnatis descendentes, ita Carthagine duo SUFFETES, quos Reges quoque *Aristoteles* & *Polybius* & *Æmilius Probus* appellant. Sed ut illi apud Lacedæmonios perpetui, sic hi apud Carthaginienses tantum annui fuere, ut expressim nos docet Æmilius Probus in Annibale cap. VII. & non diserte dicit, sed innuit Livius lib. XXX. cap. VII. ubi imperium eorum cum potestate consulari, qualis ea erat apud Romanos, comparat. Ait enim, *Senatum itaque Suffetes (quod velut consulare imperium erat apud eos) vocaverunt*. Præterea, ut iidem Reges Lacedæmonii jure natalium dignitatem illam adipiscebantur, & non aliunde ad eam admittebantur quam ex duabus illis familiis, ita Suffetes Carthagine non successione aliqua hæreditaria, aut jure certi generis ad imperium id perveniebant, sed suffragiis liberis ex qualibet familia honestiore eligebantur. Eligebantur autem potissimum ii, qui virtute præstare, & simul opes possidere ad tuendum eum locum sufficientes putabantur. Quod Laconico instituto præfert *Aristoteles*, quanquam id, quod est de opibus, carpat, & vitio legislatoris imputet: quem ait debuisse modo alio prospicere magistratibus, ut sine detrimento privato vacare reipublicæ, atque ita secundum solam virtutem eligi possent. Penes quos vero eligendi eos jus fuerit, non satis ex auctorum verbis liquet: quanquam vero simile sit, penes Centumviros, de quibus paulo post dicetur, aut populum id fuisse. Binario quidem numero cum Consulibus Romanis, & Regibus Laconicis congruisse, ex solo *Probo* discimus. Eosdem potestatem convocandi Senatus habuisse, verba *Livii* jam ante recitata arguunt. Præsedisse quoque in Senatu, & agenda consultandave proposuisse, non dubito. Jus etiam in tribunali sedentes dixisse, & in crimina inquisivisse, idem Livius libro XXXIV. sub finem cap. LXI. ubi de emissario Annibalis Aristone Tyrio agit, satis manifeste nos docet. Sed domi rempublicam tantum gessisse, non autem foris rem militarem tractasse, & imperia in exercitus habuisse, aut bellorum Duces fuisse, arbitror. His Suffetibus additus fuit Senatus, quem *γερουσίαν* *Aristoteles*, *γερόντιον* quoque *Polybius* nominant, forsan ex eo, quod non nisi ætate graves in eum admitterentur: Livius usitato Romanis vocabulo Senatum nuncupat. Qui in eo sedebant senatores, & perpetuos fuisse, & ex optimis quibusque ac ætate provectis per suffragia electos, ideo vero simile est, quod *Aristoteles* senatum hunc cum senatu Spartano comparat: Et quod idem isto nomine laudat hanc rempublicam, quod in eo *αἱρετοὶ* sint, qui eam regunt aut administrant. Quot vero numero fuerint senatores, & a quibus sint electi, ex auctoribus priscis non constat. Fuisse tamen multo plures Carthagine quam Spartæ, vel unus locus Justini ex Trogo Pompejo Historiographo optimo descriptus satis arguerit. Ait enim ille

A libro XIX. cap. II. res filiorum Amilcaris, qui regnante apud Persas Dario Hystaspis, patre Xerxis, in Sicilia pro Carthaginiensibus bellum gessit, breviter constringens; *cum opes eorum immodicæ civitati graves & suspectæ essent, e numero senatorum judices centum delectos fuisse, qui ab Imperatoribus domum e bello redeuntibus rerum gestarum rationes exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia agitarent, ut domi justitiam legesque respicerent. Ecce, centum*, ait, *e senatorum numero judices fuisse delectos ad rationes ab Imperatoribus exigendas*. Ergo jam tum amplissimum collegium illud esse oportuit, ex quo tantus numerus isti soli negocio vacaturus, B incolumi tamen ipso collegio, & reliqua reipublicæ negotia curante, potuerit sumi. Idque & amplitudini civitatis & ejus potentiæ, imperiique magnitudini, atque adeo ipsius collegii auctoritati ac juri maxime fuit consentaneum. Nam Senatus hic, quemadmodum & Romæ, præcipuum membrum, ac velut anima erat totius civitatis, in quo Suffetes, ut Romæ Consules, præsidebant: ad quem omnia reipublicæ negocia, quæ momentum habebant, maxime quæ ad rerum summam pertinebant, de pace, de bello, de fœderibus, ex instituto majorum referebantur: senatusque de his cum Suffetibus C suis deliberabat: & si sine variatione in unam sententiam universus iret, ac Suffetes cum eo, jure suo de iisdem statuebat: quodque hoc modo statuebat, id erat toti civitati ratum. At si sententiis senatus Suffetesque dissiderent, res porro referebatur ad populum; licebatque in concilio populi cuilibet volenti, quid sentiret, de ea dicere, imo etiam sententiæ eorum, qui in magistratu aut dignitate erant, libere ac sine periculo contradicere: populus vero id, quod placebat, de re eadem ad se relata decernebat: ejus decretum, ceu totius civitatis scitum, fixum habebatur: ultraque id tendere, eive obsistere aut contravenire fas non erat. Quod D quidem tanquam nimis populare, atque ab optima reipublicæ forma deflectens, reprehendit *Aristoteles*, ex quo hæc cognoscimus, nec aliis in civitatibus bene constitutis locum habere affirmat. Polybius autem heic ab Aristotele dissentiens, ubi Romanæ ac Laconicæ reipublicæ hanc Carthaginiensem comparat, & ex regio & optimatum ac populi statu compositam temperatamque olim fuisse ostendit, Suffetes Regum instar fuisse, senatum optimatum locum tenuisse, populum sibi convenientem, aut rerum sibi competentium, potestatem habuisse censet. Verba ejus sic habent: *καὶ γὰρ βασιλεῖς ἦσαν παρ' αὐτοῖς, καὶ τὸ γερόντιον εἶχε τὴν ἀριστοκρατικὴν ἐξουσίαν, καὶ τὸ πλῆθος ἦν κύριον τῶν καθηκόντων αὐτῷ.* E Sed idem subjicit paulo post, eo tempore, quo Hannibal bellum Romanis intulit, quod fuit centum annis Aristotelis morte posterius, rempublicam Carthaginiensem a pristino & recto statu suo deflexisse, atque ideo etiam in declarationibus plurimam potestatem populum sibi sumpsisse, cum apud Romanos senatus auctoritas tum adhuc esset integra, atque hoc rebus Romanis non parum profuisse, Punicis obfuisse arbitrari se demonstrat. Sed quarum rerum potestas olim in statu integro penes populum fuerit, nusquam aperit iis in libris & fragmentis, quorum copiam nos hodie habemus. Suspicari F libet, suffragiorum jus in creandis magistratibus, in sciscendis legibus, fœderibus, bello, pace, in constituendis ordinandisve negotiationibus, vectigalibus, tributis, quæ ad omnes fere pertinent, aut commodo onerive plebi sunt, in harum numero fuisse. Ac de Suffetibus, Senatu, populo hactenus. Addit *Aristoteles*, & is quidem solus, in hac republica Carthaginiensi fuisse etiam maximi momenti magistratum virorum CIIII. quem ex majore numero centumviratum, (*ἀρχὴν τῶν ἑκατὸν*)

quoque nuncupat, & hunc jus eligendi ac edendi A Quinque-viros e medio sui habuisse, quorum fuerit late patens & magna potestas: & utrumque hunc magistratum longiore tempore quam reliquos cum potestate mansisse: nam & cum in Centum-viratu essent, priusquam Quinqueviri fierent, & cum ex Centum-viratu in Quinqueviratum transisset, Quinque-viratumque gererent, potestatem tenuisse, idque in his fuisse oligarchicum: Quod vero iidem non sorte sed suffragiis designarentur, & sine mercede munere suo fungerentur, ac si quid tale aliud, cujusmodi est, quod soli magistratus lites actionesque publicas cognoscerent ac judicarent, non autem aliæ aliis judicandæ traderentur, ut apud Lacedæmonios fiebat, id ait aristocraticam rationem habuisse. B Ex quo satis constare videtur, circa judicia maxime versatos esse hos magistratus, eoque omnia in potestate habuisse: ut non immerito ante dixerit *Aristoteles*, late patuisse eorum munus, magnique momenti in civitate fuisse. Nam civium omnium, in quos tantum actor aliquis incurrebat, fortunæ, honos, vita, ab horum judicio pendebant: quod omnino vim habebat maximam. Unde & illud, quod de circumscripta, quoad tempus, eorum potestate ab Annibale prætore creato Livius libro XXXIII. cap. XLVI. memorat, extitit: de quo post C dicemus. Judiciariæ vero rei præfuisse eosdem, amplius nos docet Aristoteles, cum dicit paulo ante eodem capite, Laconicis Ephoris CIIII-viros persimiles fuisse, id est, easdem partes in republica tenuisse. Constat enim Lacedæmone Ephoros judicia præcipua, peneque omnia in se vertisse, ac in curia sua, quam ἐφορεῖον dicebant, jus civibus dixisse. Et quemadmodum Ephori Lacedæmone popularis libertatis custodes ac vindices se ferebant, ac contra potentium opes & injurias homines plebejos protegebant, ita ex his Aristotelis verbis verosimile est, Centum-viros hos Carthagine popularis status patronos quoque fuisse. In hac vero re idem D summus Philosophus dicit, melius habuisse hunc magistratum Carthaginiensem, quam Ephoros Laconicos, quod hi e cujusvis sortis hominibus, Centum-viri autem ex optimis quibusque (ἐφόρους μὲν ἐκ τῶν τυχόντων, τοὺς δὲ τοὺς ἑκατὸν ἀριστίνδην) electi fuerint: quod ipsum sane ad aristocraticam rationem quoque propius accedit. Nec multo post subjicit ibidem hanc sententiam: μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες, ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μεγάλα βλάπτουσι, καὶ ἔβλαψαν ἤδη τὴν πόλιν τῶν Λακεδαιμονίων: *homines tenues ad magnam potestatem provecti multum nocent, & jam nocuere civitati Lacedæmoniorum.* Atque hos Cen- E tum-viros judices illos fuisse, in quorum tribunalibus Suffetes tempore Annibalis prætorum more actionem dirigentes sederint, de quibus Livius libro XXXIV. cap. LXI. scripsit, verisimillimum existimo. Morum quoque præfectos Carthaginem habuisse, cum res ejus florerent, Æmilius Probus nos docet. Sic enim scribit in vita Amilcaris cap. III. *Erat cum Amilcare adolescens illustris & formosus Asdrubal, quem nonnulli diligi turpius quam par erat, ab eo loquebantur: nec enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, ut a præfecto morum Asdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam* F *in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici socero gener.* Hactenus Æmilius. Horum igitur præfectorum officium fuit, in mores civium curas intendere, & si quæ vitia animadverterent majorum institutis haud congrua, ea reprimere, nec solum plebeios sese & civitatem contaminantes corripere, sed etiam primates. Nam nemo eo tempore in civitate Amilcare Annibalis patre major erat, in quem censuræ acies districta tunc fuit. Quod munus Censorum fuisse in republica Romana, nisi quod numerum civium hi quoque inirent, & censuum rationem haberent, ac lustrum quinto quoque anno Romæ conderent, ex Historia Romana constat.

Præter istos, quos jam recensui, fuere in eadem republica etiam alii magistratus memorabiles: quorum maximi, & in Historiis celeberrimi rem militarem curantes erant Imperatores, ac sub his inferiores militum præfecti, qui foris bella gerebant: tum prætores & quæstores, qui domi cum cæteris urbanis rempublicam curabant. Imperatoribus nihil celebrius est in rebus Carthaginis, qui pene soli in iis apud Historiæ scriptores utramque paginam faciunt, & claritudine sua cæteros magistratus omnes obscurant, ob quorum gesta etiam hodie post tot sæcula civitatis hujus quondam liberæ & præpotentis, nunc penitus sepultæ, memoria vivit vigetque. Hi accepto a civitate militari imperio, & belli gerendi potestate, pro arbitrio suo Regum instar in exercitu agebant; ducebant eum in hostem, quo lubebat, quove expedire fortunæ reipublicæ suæ putabant, pugnas cum hoste committebant, urbes, castra, loca alia oppugnabant, aciem struebant, militem quiete reficiebant, hosti inducias dabant quando, ubi, quomodo volebant, denique omnia administrabant non secus ac si ipsi αὐτοκράτορες essent. Unde est illud quod dixi, Isocratem Oratorem in Nicocle scripsisse Lacedæmoniorum more Carthaginienses domi quidem paucorum regi potestate, sed militiæ regio imperio uti. Et tamen hi Imperatores voluntati civitatis suæ, a qua imperium accipiebant, si quid ab ea mandaretur, parere cogebantur. Cujus exemplum illustre, præter multa alia, in Annibale habemus, qui frendens gemensque, ac lacrumas vix tenens, ut ait *Livius*, Italiam relinquere & cum exercitu in Africam trajicere jubente civitate necessum habuit. Nam quæ imperium & exercitum dabat, etiam adimere, multo magis Imperatori mandare, & quo volebat, quoque usus ac publica salus poscebat, exercitum, & Imperatorem vocare poterat. Cæteroqui in exercitu cuncta Imperatoribus parebant, cæteri Duces, præfecti, milites. Interdum magnis bellis plures Duces dabantur, & plures exercitus: quod bellis Romanis aliquoties accidit: accidit etiam bellis Siculis, & eo, quod contra rebelles Afros & seditiosum militem stipendia flagitantem est gestum. Nec erant definiti temporis imperia militaria, aut duratura ad belli alicujus, quod suscipiebatur aut gerebatur, finem: sed pendebant a voluntate civitatis aut senatus. Continuata tamen sæpe in complures annos cognoscimus, si Imperatores bene rem gererent. Legimus quippe Annibalis patrem Amilcarem, quo auctore primum bellum contra Romanos finitum fuerat, quique bellum Africanum feliciter confecerat, virum virtute egregium, & civitati carum, per annos IX. & quidem solum sine collega imperium in Hispania tenuisse, & felicibus auspiciis rem Punicam illic promovisse: & a morte hujus Asdrubalem ejusdem generum per annos VII. in eodem imperio relictum, ingenio magis quam vi Hispanos atterentem: atque huic per fraudem hominis barbari interempto successorem in eadem Hispania datum Annibalem. Qui cum resuscitasset bellum contra Romanos, quod per annos XXIII. quieverat, exercitu ex Hispania in Italiam traducto solus etiam ibi totos annos XVI. rem militarem administravit, ut voluit, cum interea Asdrubalem fratrem ad res contra eosdem Romanos gerendas in Hispania sibi substituisset. Asdrubal autem aliquandiu solus, deinde cum Magone fratre, & Asdrubale altero, Gisgonis filio, per annos haud minus quam XI. ex voluntate civitatis suæ imperatorium munus in ea provincia gessit: quo

tempore exacto in Italiam ad auxilium Annibali fratri ferendum ire jussus in primo adventu suo ad Metaurum flumen cum toto exercitu, quem ingentem secum ducebat, anno belli istius XII. cæsus occubuit. Et Mago eodem conferre se jussus anno proximo; iterque ingressus, antequam cum Annibale se jungere posset, etiam interiit. Similiter Asdrubal alius, multo his posterior, qui & cum Masinissa bello contendit, & ob res non satis feliciter gestas capitis damnatus atque exul factus, deinde resurgente bello Romano revocatus in patriam tamdiu imperium militare tenuit, quamdiu tertium bellum Punicum duravit. Militiæ Ducibus annumerandus est & βοήθαρχος, quem auxiliaribus copiis præfuisse ipsa appellatio arguit: quam præfecturam tenuisse Carthalonem ad initia belli contra Masinissam, nondum conflato bello Punico tertio, apud Appianum legimus. Sed maritima civitas a Phœnicibus condita, quibus insitum rerum maritimarum studium erat, etiam ipsa statim ab initio eidem studio multum dedita fuit, & non solum navigationibus assiduis ac longinquis factitandis negociationibus opes auxit, sed etiam mari bella frequentia gessit, classesque in eorum usum paratas habuit. Itaque quemadmodum terrestribus exercitibus, sic etiam classibus & classiariis copiis Imperatores dedit: quorum imperia eandem cum prioribus rationem habuere. Ut enim a civitate dabantur, ita ab ejusdem voluntate pendebant: & sicut inferiores Duces & Præfecti peditum equitumque uni Imperatori terra, sic Trierarchi omnes in classe summo Navarcho mari obtemperabant. Accidebat vero nonnunquam, si id placeret civitati, ut qui classi imperabat, imperium quoque in exercitum terrestrem non procul mari agentem obtineret. Id autem hoc loco notatu dignum, quod classes suas remige & milite domestico Carthaginienses implerent, cui rei ipsi erant aptissimi, exercitibus vero terrestribus mercede conductis, e variis gentibus, Afris, Numidis, Mauris, Balearibus, Hispanis, Gallis, Liguribus, Italis, Siculis, Sardis, Corsis, conscriptis uterentur. Quod in iis improbat *Polybius*, & causam iis adversæ fortunæ sæpe fuisse affirmat. Nam non solum discordiæ obnoxios esse hujusmodi exercitus, sed etiam infidos ait, & tardato stipendio in seditiones & rebellia arma efferri solere ostendit. Atque hac in re Romanorum institutum, quibus in more erat e civitate sua legiones scribere, Pœnorum instituto multum præfert. Præter hos, qui arma tractabant, erant foris rempublicam gerentes regionum imperio Punico parentium præsides, & urbium præfecti, a civitate dati. Et fuisse etiam vectigalium & tributorum, quæ a subditis populis pendebantur, coactores, dubium esse non potest, quamvis monumenta veterum de iis sileant. In urbanis vero magistratibus fuisse prætores & quæstores jam ante nobis nominatos, Historiæ loquuntur. Nam Annibalem Carthagine prætorem creatum anno quinto post finem belli diuturni ab ipso contra Romanos gesti, Livius prodit, idemque affirmat Æmilius Probus in vita ipsius cap. III. Quod sane arguit haud parvæ dignitatis præturam illic fuisse, quippe Annibali collatam, & ab eo administratam post tantas res jam ante gestas, & tantam gloriam comparatam, ut esset nunc in tota ea gente longe clarissimus. Accedit, quod eadem Liviana narratio demonstrat, legum ferendarum jus prætorem habuisse. Scribit quippe Historiographus, judicum ordinem ea tempestate dominantem in civitate ingenti invidia flagrasse, tum quod potestate per se nimia impotentius abuteretur, tum quod eandem perpetuaret: vereque formidabilem eum omnibus fuisse, cum omnium res, fama, vita denique ipsa, apud ejus tribunal in discrimen vocari possent, & usus doceret, qui ejusce

A ordinis unum adversum haberet, ei omnes adversos fieri: nec accusator cuiquam apud infestos judices posset deesse. Isto autem tempore, ait idem, Annibalem prætorem creatum vocasse ad se quæstorem, sed hunc pro nihilo id habuisse, tum quod adversæ factionis esset, (erat enim jamdudum in duas factiones Carthago scissa,) tum quod quæstura tumeret, unde proximus gradus in ordinem potentissimum horum judicum patebat, & jam nunc futuris ordinis istius opibus sese metiretur: id vero dicit indigne ferentem Annibalem misisse viatorem ad quæstorem prehendendum, subductumque in concionem non magis ipsum quam ordinem judicum
B accusasse, præ quorum superbia atque opibus nec leges quicquam essent, nec magistratus: & cum secundis auribus accipi orationem, & infimorum quoque libertati gravem esse eorum superbiam animadverteret, legem extemplo promulgasse, eamque pertulisse, *ut in singulos annos judices legerentur, neu quis in biennium continuum judex esset*. Qui sane locus Livii ad illustrandam hanc reipublicæ Carthaginiensis partem non parum faciens, extans l. XXXIII. cap. XLVI. XLVII. notatu dignus est. Subjicit vero Livius: *Cæterum quantam eo facto ad plebem Annibal inierat gratiam, tantum magnæ partis principum*
C *offendebat animos. Adjecit tamen & aliud, quo bono publico sibi proprias simultates irritavit. Vectigalia publica partim negligentia dilabebantur, partim prædæ ac divisui principum quibusdam, & magistratibus erant: quin & pecunia, quæ in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur, deerat, tributumque grave privatis imminere videbatur. Annibal postquam vectigalia quanta terrestria maritimaque essent, & in quas res erogarentur, animadvertit, & quid eorum ordinati reipublicæ usus consumerent, quantum peculatus averteret, & omnibus residuis pecuniis exactis, tributo privatis remisso, satis locupletem rempublicam fore ad vectigal præstandum Romanis pronun-*
D *ciavit in concione: & præstitit promissum. Tum vero isti quos paverant per aliquot annos publici peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi & irati Romanos in Annibalem, & ipsos causam odii quærentes, instigabant.* His addidit Livius, hac occasione permotos Romanos Annibalem ceu novarum turbarum causas quærentem, bellumque in ipsos rursum meditantem, missis Carthaginem legatis, dissimulato consilio, sibi dedi secreto petiisse, idque persentiscentem Annibalem fuga se subduxisse, & ad Antiochum Syriæ Regem contulisse, eumque in bellum contra Romanos extimulasse. En iterum prætoriæ potestatis amplitudinem in republi-
E ca Carthaginiensi ex altero hoc facto Annibalis elucescentem, vectigalium scilicet, & censuum omnium publicorum curam quoque complexam. Sed pluresne simul prætores, an unum modo fuisse, & quæ præterea ad prætorium munus curamque pertinuerint, id etiam nunc quærimus. Idemque de quæstura dictum volumus. Ad *Aristotelem* revertimur. Is, ut alia in hac republica vitiosa notat, quæ suis locis antea nos quoque memoravimus, ita duo præterea, quæ nondum nobis dicta sunt, carpit. Horum prius est, quod Suffetes ac summos belli Duces, magistratus nimirum maximos, non solum ἀριστίνδην, sed etiam πλουτίνδην,
F hoc est, non tantum ex optimis quibusque, aut virtute præstantissimis, verum quoque ex iis, qui opibus maxime valerent, eligendos sibi arbitrarentur, idque hanc ob causam, quod qui inopes sunt, recte magistratum gerere, ac reipublicæ vacare non posse putarent. Nam hoc, ait Philosophus, ab optimatum statu declinat ad paucorum dominatum, in quo opum ratio præcipua habetur. Atque hoc vitium tribuit lapsui ejus, qui primus reipublicæ huic leges dedit. Eum enim ab initio statim curare debuisse

ait, ut optimi quique a vilibus negociis vacare non solum dum in magistratu sunt, sed etiam dum privati vivunt, possent. Lege autem hac semel recepta, ne quis ad summas illas dignitates admittatur, nisi qui propter opes, quas possidet, reipublicæ vacare queat, certum est, januam avaritiæ & promiscui quæstus studio aperiri per totam civitatem: nec omnino fieri posse, ubi major honos divitiis quam virtuti cœpit haberi, ut optimatum status incolumis illic maneat. Alterum est, vitio utique non carere, unum & eundem plures simul magistratus obire: id vero in gloria poni apud Carthaginienses: optime autem rem unam ab uno confici, maleque a legislatore fieri, si jubeat eundem & tibicinem & sutorem esse: ad hæc civilius esse, & reipublicæ magis expedire, si quidem civitas parva non sit, ut plures magistratuum aut munerum publicorum fiant participes, idque ad statum popularem propius accedere: atque hoc usitatius quoque esse, & esse certum, quod plures agunt, id melius peragi & celerius. Denique addit, in paucorum divitum dominatu optimum contra obrepentes morbos a multitudine tenuiorum remedium esse, exonerare civitatem deducendis coloniis. Salutare certe & multis rebuspublicis cum fructu non parvo usurpatum. In institutis veteribus Carthaginiensium hunc ritum maxime detestandum reperio, quo placandis Diis suis iratis hostias humanas offerebant, adeoque eo impietatis procedebant, ut filios quoque suos immolarent, uti est apud *Platonem*. Quod institutum primos civitatis conditores e Palæstina, ubi hæc abominatio locum habuisse a sacrarum literarum interpretibus traditur, in Africam secum intulisse arbitror. Alios vero homines puberes & impuberes ad aras admotos mactasse, ex Trogo Pompejo Justinus lib. XVIII. cap. VI. & *Diodorus Siculus*, & Plinius affirmant. Et hic quidem quotannis Herculi suo sacra hujusmodi Pœnos fecisse libro XXXVI. cap. V. scribit. Justinus vero lib. XIX. cap. I. ex Trogo etiam recitat, Darium Hystaspis filium Persarum Regem per legatos, quos ad petenda in Græcos auxilia Carthaginem miserat, cum civitate egisse, ut hoc genere sacrificii in posterum abstineret, idque civitatem tunc promisisse. Promisso tamen non stetisse, verba *Platonis* & *Diodori* ac *Plinii* satis arguunt. Aliam legem absurdam eorundem recenset Justinus lib. XX. cap. V. occasione sceleris a cive commissi latam. Nam cum Hanno Imperator bellum contra Dionysium seniorem in Sicilia prioribus annis peste exercitum depopulante desertum, volente civitate majoribus viribus instauraret, Suniator [1] quidam civis præpotens, inimicus Hannonis, ut huic malefaceret, apparatum omnem cum obtrectatione Imperatoris per literas Græco sermone conscriptas Dionysio enunciasse perhibetur. Sed literis interceptis auctor comprehensus, & proditionis damnatus. Tum ex senatusconsulto lata lex, ne quis in posterum Carthaginiensis Græcas literas, aut sermonem Græcum disceret, ne aut loqui cum hoste, aut scribere ad eum sine interprete posset. Verum & hanc legem sensim apud posteros expirasse, ex multis indiciis patet. Id vero præclarum, quod ebrietatem & compotationes abominata sit civitas Carthago, multorum malorum causas, & virtutum certissimas pestes; in castris autem vel gustare vinum severe prohibuerit, ut Plato in legibus testatur: dignum sane exemplum, quod hodie imitemur. Hoc etiam egregium, quod quemadmodum civium communium mores disciplina rexit, ita quoque ad summorum principum suorum peccata connivere nesciverit, & in exemplis eorum ostenderit, quid reliquis in leges publicas delinquentibus foret expectandum.

1. Sic quondam male impressi: sed in libris MSS. est *Suniatus*.

A Claret hoc in summis Ducibus Machæo [2] & Hannone affectati regni reis, quorum prior antiquissimis temporibus, alter sæculo Dionysii junioris in Sicilia dominantis, capite damnati cum liberis suis, Hanno etiam cum agnatis, si Justino lib. XXI. cap. IV. credimus, carnificum manu interempti fuere. Post quos Bomilcar quoque Agathoclis ævo de invadendo dominatu consilia agitans, & in ipso facto deprehensus, cum in potestatem venisset, flagris bene cæsus morte pœnas dedit. Sed paulatim severitas hæc remissa, & multa alia in pejus lapsa. Hoc quoque in Carthaginiensium rebus notat & celebrat *Aristoteles*, quod lege sancitum haberent, ut B quot quisque stipendia fecisset, tot ornatus gratia annulos ei ferre liceret; quod ad acuendos animos in militiam haud parum facere putabatur. Ingenium populi hujus plane diversum in multis ab ingenio Atheniensium fuisse, Plutarchus in libello de præceptis gerendæ reipublicæ scriptum reliquit; morosum scilicet, tetricum, magistratuum suorum obsequio promptum, subditis grave, abjectissimum in metu, sævissimum in ira, perstans in decretis, durum adversus jocos & blanditias. Postremo fides Punica proverbio quoque infamis. Urbem hanc situ, amplitudine, magnificentia, portus commo-C ditate, copia rerum, quæ bello terra marique gerendo usui sunt, opum & imperii magnitudine admirabilem, *Polybius*, *Strabo*, *Appianus* velut penicillo delineatam lectoribus ob oculos posuere: quos inspicere operæ pretium fuerit. Huic finem tandem dedit sive invidia Romanorum, sive metus ex ea, quod quiescere non posse, &, si instauratis viribus bis jam difficili & diuturno bello victa denuo se commoveret, in extremum periculum res Romanas adducere posse crederetur, sive injuria contra pacis leges Masinissæ Regi vicino, Romanorum socio ac amico, illata. Hinc quidem belli postremi prætextus sumptus. Recte vero dicit *Strabo*, ex ipso ejusce D excidio vere patuisse, quanta Carthago fuerit, & dicti sui rationes dilucidas adfert. Hoc certe constat, opibus non imparem Romæ prioribus bellis fuisse, sed sola virtute ei cessisse, nec ullam civitatem liberam, non Græcam non Barbaram, excepta tantum Roma, latius terra marique imperasse, nec usum rei militaris majorem multo tempore habuisse. Quapropter Romani cum exscindere eam statuissent, præter morem suum, astu magis quam aperto Marte rem sunt aggressi. Nam conscripto celeriter ingenti exercitu, & addito apparatu maximo in Siciliam eum cum utroque Consule secretis mandatis instructo misere, & simul bellum E Carthagini denunciarunt. Ea re vehementer perculsi Carthaginienses, nondum tum sanatis ipsorum vulneribus quæ nupero bello Numidico a Masinissa acceperant, & cæteroqui ab omnibus rebus ad novum bellum imparati, nec satis inter se concordes, rursum per legatos (nam & paulo ante idem fecerant) Romæ senatum placare quoquo modo, eique satisfacere conati sunt. Sed his a senatu responsum, si Carthaginienses intra dies XXX. dum adhuc in Sicilia Consules essent, nobilissimos quosque filiorum suorum numero CCC. obsides iis traderent, & in cæteris morem gererent, mansuram F Carthaginem liberam, suique juris, & agrum, quem tunc habebat, retenturam. Illi responso cognito, animis perplexi, cum satis deliberassent, spe pacis obsides tradiderunt. Quibus acceptis, ac Romam statim transmissis, Consules legatis, qui obsides adduxerant, ut in mandatis secretis habebant, dixerunt, cætera Uticæ se expositures. Istuc ubi ventum cum exercitu, jussi sunt iidem Cartaginienses arma quoque omnia cum omnibus belli instrumen-

2. Et hoc in quibusdam per typos editis, quum MSSti vocent *Maleum* vel *Mazeum*.

tis

tis confestim tradere. Et cum ea etiam in castra Romana allata essent tanto numero, ut fidem pene res superet, addidit Marcius Censorinus Consulum alter; cedite nobis urbe vestra, Carthaginienses, & quocunque libebit, sedes transferte, dummodo non intra octuagesimum a mari stadium: nam Carthaginem hanc delere, nobis est constitutum. Tum vero dolor ingens legatis in amentiam primum mutatus, & voces atroces jactatæ. Mox mœstum silentium secutum, & post id lamenta, querelæ, preces, datæ fidei obtestatio, perfidiæ detestatio. Et cum proficeretur nihil, legati in urbem reversi, expositis omnibus in furorem pene eam dederunt. Sævitum verbis in primores, qui priora suaserant, & post obsides datos armis omnibus civitatem nudaverant. Audita visaque omnia, quæ tali casui inopinato & indigno erant congrua. Rursum legati ad Consules missi, ac breves induciæ petitæ, per quas supplicatum iri Romam posset. Quod etiam cum frustra esset, tandem ex desperatione in rabiem acta civitas, iniquissimæ vis ac injuriæ propulsatio decreta, Asdrubal exul, qui contra patriam exercitum paratum habebat, revocatus, patriæque reconciliatus. Tum hostilia utrinque occepta: in quibus apparuit, desperata pervicacia quid posset, & robur Carthaginis etiam inermis quantum esset. Bellum enim in quartum annum tractum, multa ab obsessis oppugnatisque patrata, quæ fidem pene superant. Demum post varios casus exantlatosque labores a Consule Scipione urbs expugnata, direpta, flamma & ferro vastata, ac diruta; cujus spectaculum in gemitus & lachrymas victorem Consulem egit, non solum commiseratione præsentis miseriæ motum, sed cogitantem de vicissitudine rerum humanarum, & expendentem, forsan futurum aliquando, ut idem Romæ patriæ suæ accidat quod tum Carthagini accidebat. Ex populo, qui cædibus & casibus aliis superfuere, exterminati, urbs desolata in ruinis relicta: ne quis illuc habitatum rediret, graviter vetitum. Facta hæc Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Consulibus, anno urbis Romæ DCVIII. a principio Carthaginis in continente conditæ DCCXXXVII. cum flueret Olympiadis CLVIII. annus secundus. Jacuitque Carthago desolata ac diruta per annos XXII. Anno autem desolationis XXIII. cum Consules Romæ essent Q. Cæcilius Metellus Balearicus, & T. Quintus Flaminius [1] a Romanis colonia istuc deducta fuit auctore C. Sempronio Graccho tribuno plebis, atque ita oppidum eo loci instauratum, cui Junoniæ nomen datum, sed auspiciis non felicibus & nullo fortunæ successu. At anno post desolationem CII. quo C. Julius Cæsar V. Consul Romæ in curia cæsus fuit, ipso hoc Cæsare auctore majore copia colonorum eodem missa, felicioribus auspiciis mœnia refecta, urbs ædificiis frequentius exculta, & populosior facta, pristinumque nomen Carthagini ei redditum, cum decurreret annus urbis Romæ conditæ DCCCX. concurrens cum anno primo Olympiadis CLXXXIV. A qua instauratione adeo rursum fortuna ejus crevit, ut proximis sæculis secutis cæteras Africæ urbes amplitudine, splendore, opibus superaverit, imo etiam cum Alexandria Ægypti, & Antiochia Syriæ de primo loco inter omnes imperii Romani urbes contenderit. Sed respublica vetus & libertas ei non restituta, verum ut colonia administrata, parens provinciæ præsidi, & ejus sedes. Deinde cum influerent in provincias Romanas gentes barbaræ, a Vandalis occupata anno post instaurationem Julianam CCCCLXXXI. qui erat urbis Romæ MCXCII. recuperata a Romanis Duce Belisario post annos XCIIII. fluente tum anno Romano MCCLXXXVI. res Romanas moderante Imperatore Justiniano: paruitque ex eo tempore Romanis, & sedes præsidum Africæ mansit per annos circiter CLXII. In quorum fine culpa habitatorum & præsidiariorum in potestatem Saracenorum devenit, totaque fere diruta concidit, atque in solitudinem rediit. Nec postea resurrexit unquam, fortunaque ejus Tunetem in urbem vicinam migravit, quæ jam amplissimi regni caput, & Regum aut Proregum sedes est. Clades illa πανώλεθρος a Saracenis ei accidit imperante Romanis Constantino Pogonato, urbis Romæ anno MCCCCXXXVIII. qui concurrit cum æræ Christianæ vulgaris anno DLXXXV. Hegiræ Mahometicæ LXV.

1 Imo *Quintius Flamininus*.

DE REPUBLICA & LEGIBUS CRETENSIUM.

DE Cretæ insulæ magnitudine & situ, urbibusque quas olim plurimas habuit, scripsi in enarratione insularum Græcanicarum. Heic de republica & legibus ejus quæ prodita a veteribus sunt, breviter dicam. Antiquissimam fuisse Cretensium rempublicam & leges, quibus ea fuit formata, præstantissimas, consensus scriptorum veterum testatur. Formatorem reipublicæ, & legum conditorem alii Minoa Regem, Jovis filium, tribus generationibus bello Trojano priorem, alii Rhadamanthum ejus fratrem, virum sapientissimum & justissimum, huic curæ a fratre præfectum, tradunt. Utriusque sententiæ auctores legislatorem colloquio & consilio Jovis usum ac adjutum esse, cum leges meditaretur & scriberet, aut utique id vulgo fuisse persuasum, ad auctoritatem legibus conciliandam, ferunt. In has vero leges ut optime scriptas oculos conjectos habuisse aliarum civitatum bene constitutarum νομοθέτας, Lycurgum quoque bonam legum suarum partem hinc transcripsisse ex scriptoribus optimis discimus. De Lycurgo quidem cum alii tum Aristoteles, & ex actis ejus, & ex rationibus aliis firmissimis diserte probat. Singulare autem & observatione dignum hoc, quod cum legislator Minos Rex fuerit, solus imperium & potestatem in subjectos habens, nihilominus ad moderatam libertatem popularem totam νομοθεσίαν suam direxerit. Id vero, quod de libertate dico, abunde liquet ex ipsius legislatoris verbis, quæ ex *Ephoro*, qui prolixe & accurate instituta hujus reipublicæ descripsit, Strabo refert. Ea sic habent: δοκεῖ δὲ, φησὶν, ὁ νομοθέτης, μέγιστον ὑποθέσθαι ταῖς πόλεσιν ἀγαθὸν, τὴν ἐλευθερίαν. μόνην γὰρ ταύτην ἴδια ποιεῖν τῶν κτησαμένων τ' ἀγαθά· τὰ δ' ἐν δουλείᾳ τῶν ἀρχόντων, ἀλλ' οὐχὶ τῶν ἀρχομένων· τοῖς δ' ἔχουσι ταύτην φυλακῇ δεῖν. Hoc est: *Videtur*, inquit Ephorus, *legislator maximum civitatibus bonum posuisse libertatem. Hanc enim solam facere, ut bona sint propria eorum, qui ea possident: in servitute autem*, (id est, in dominatu) *ea non esse subditorum, sed dominantium: libertatem vero habentibus opus esse custodiam optimam esse concordiam: ei locum futurum, si genitrix & altrix discordiæ avaritia cum luxu profligata fuerit, ubi enim sobrietas, & frugi vita univer-*

se apud omnes valent, illic nec invidentiæ, nec odio, nec injuriis, aut contumeliis mutuis locum esse: idcirco, ut ad vitam hujusmodi more populi traduceret, legislatorem consilia sua præcipue retulisse: jussisse enim pueros in cœtus, quos ἀγέλας dicebant, itare, adultos vero in syssitia, a viris ἀνδρεῖα nuncupata, in quibus pauperes cum divitibus indifferenter cibis iisdem vescerentur: voluisse assuefieri eos a teneris ad arma & labores, ad tolerandum frigus & æstum, ad calcandas acclives asperasque vias, ad expediendos inferendosque ictus in gymnasiis, & pugnis solennibus, ad sagittas jaciendas, ad saltationes armatas in Creta primum a Curete repertas, ut ne ludi quidem expertes essent iis, quæ ad bellum facerent, ad cantum præterea militarem, ad vestes & calceos militiæ accommodos, aliaque hujusmodi. Sic, ut dixi, Strabo ex *Ephoro*. Legislatorem hunc Minoa accipio, qui ab omnibus veteribus creditur leges Cretensibus tulisse: in quorum numero est etiam Ephorus: quamvis hic, ut est apud *Strabonem*, memoriæ prodiderit, traditum quoque, ante Minoa in Creta Rhadamanthum quendam fuisse, idem nomen cum Minois fratre ferentem, virum justissimum, qui primus Cretensibus leges scripserit, & eos ad vitam mansuetiorem traduxerit, urbesque & respublicas in insula constituerit, finxeritque, a Jove se omnia adferre, quæ promulgaret; hujus deinde exemplum secutum Minoa, cum per annos IX. in antro Jovis, quod in Creta prope Cnossum sedem ipsius regiam fuit, esset commoratus, præcepta quædam legum protulisse, & eorum auctorem Jovem esse professum. Sed hæc solus *Ephorus*: alii alia omnia: Hoc vero in primis studium habuit legumlator ob pravum ac ferum populi ingenium, ut ab ætate tenera, dum ceu ductilis cera formari fingique poterat, educatione & assuefactione id emendaret, redderetque mitius, atque ad obsequium legum magis idoneum. Quod velut vetustissimum, & rebuspublicis, omnique humanæ societati saluberrimum institutum ante omnia in suam νομοθεσίαν traduxit Lycurgus. Pravum autem ingenium Cretensium veterum fuisse, argumento est versus ille Epimenidis hominis Cretensis, quem citat Apostolus Paulus epist. ad Titum cap. I. versu 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Cæterum tota legum descriptio, ut ante notavi, ad formandum statum popularem aristocratico temperatum fuit comparata. De cujus præstantia libet heic *Strabonis* verba adscribere. *De Creta*, ait, *in confesso est, priscis eam temporibus legibus optimis fuisse formatam, & ad sui imitationem pertraxisse Græcorum optimos, atque in primis Lacedæmonios*: quod & Plato in legibus docet, & Ephorus in descriptione rerumpublicarum Europæ. In universum autem hoc vere dici potest, vix ovum ovo videri similius, quam in plurimis rempublicam Cretensem Laconicæ, quæ ex ista defluxit: quod & jam dicta docent, & porro dicenda demonstrabunt.

Imperio regio abdicato supremus magistratus in republica Cretensi fuit decem Cosmorum, Ephororum Laconicorum magistratui simillimus, quamvis numero dispar. Hi quotannis designabantur etiam ex ima plebe, ut Ephori apud Lacones, veruntamen non ex universo populo, quemadmodum Ephori Lacedæmone, sed ex quibusdam tantum gentibus seu familiis: quod Laconico instituto deterius fuisse docet *Aristoteles*, & ob invidentiam & non sinceros in rempublicam animos eorum, qui jure isto carent. Cæteroqui institutum hoc designandi Cosmos etiam ex ipsa plebe, populare erat. Cosmi vero & domi rempublicam administrabant, & si bellum esset, foris militiæ præerant, ac summum imperium in exercitu obtinebant: quod erat jus peramplum. Nam ut Laconica instituta, sic Cretensia magis ad bellum, quam ad pacem erant comparata, pluresque leges istuc quam huc pertinebant. Præter Cosmorum collegium Cretenses senatum quoque habebant, eumque perpetuum, quemadmodum & Lacones: cujus consilio in rebus maximis utebantur. In eo qui sedebant, senes etiam appellabantur, capiebanturque ex numero eorum, qui Cosmi fuerant, & reipublicæ bene administratæ comperti erant. Sed numero certi aut incerti fuerint, non satis liquet, quanquam certos fuisse conjectura ductus existimem, quoniam sic in republica Laconica fuit, ad hujus Creticæ exemplar formata: præsertim cum reliqua senatus utrobique congruerint. Nam ut illic, sic heic ἀνυπεύθυνοι, idest, a reddendis rationibus immunes erant senatores, & non ex scriptis legibus, sed ex arbitratu suo rempublicam gerebant: quod dignitate eorum majus præmium, & rem periculi plenam fuisse censet *Aristoteles*. Et erat quoque in republica Cretensi ordo equestris, eo differens a Laconico, quod equites Cretenses equos alere tenerentur in reipublicæ usus, Lacones haudquaquam. Concionis, quam ἐκκλησίαν Græci vocabant, participes erant cives omnes. Sed hujus potestas non late patebat. Tantum enim ea quæ censuerant probaverantque senatus & Cosmi, suffragiis suis confirmabat: quod quidem primis Lycurgi institutis etiam probe congruebat. Quem locum vero apud Lacones tenebant Helotes, eum apud Cretenses habebant Periœci, sic dicti, quod circum circa per agrum habitarent: utrique velut servi publici rus exercebant, & censum reipublicæ pendebant, gerendæ vero reipublicæ non erant participes. Sed hoc hominum genus concitatum corruptumque ab aliis sæpe motus dabat in Laconica, in Creta non item, quia in insula vicini potentes non erant, qui Periœcos commoverent. Præterea ut συσσίτια erant Laconibus, sic & Cretensibus, a quibus Lacones sua acceperant. Erant autem συσσίτια publici convictus, aut communes epulæ, quibus populus universus in plures sodalitates divisus utebatur. Ea ἀνδρεῖα Cretensibus, φειδίτια Lacedæmoniis dicebantur, quanquam primitus ab his etiam ἀνδρεῖα vocitata sunt, post vero nomen id mutatum. Quod argumento est, ait *Aristoteles*, a Cretensibus hoc institutum fuisse profectum. Melius vero id apud Cretenses quam apud Lacones habuit, ob hanc causam, quod Lacedæmone unusquisque secundum caput conferret, quod erat definitum: quod si quis non faceret, aut facere non posset a gerenda republica ex lege arcebatur: in Creta vero secus. Nam heic ex omnibus fructibus & pecoribus, quæ publici juris, & ex vectigalibus, quæ pensitabant Periœci, pars erat definita, alia in usus sacros, & publica munera, alia ad hos convictus, ut hoc modo de publico alerentur omnes tum fœminæ, tum pueri, tum viri. Erat autem victus tenuis, quæ tenuitas perutilis censebatur reipublicæ, de qua multa sapienter disseruisse legislatorem *Aristoteles* perhibet. Porro ex *Ephoro* docet Strabo, oportuisse Cretenses omnes puberes factos uxores ducere (sine dubio sobolis legitimæ generandæ causa) eodem illo tempore e puerorum cœtu, quem ἀγέλην vocabant, excretos: nec tamen confestim novas nuptas domum suam deduxisse, sed tum demum, cum ad administrandam rem familiarem factæ viderentur idoneæ: nuptis dotem fuisse, si fratres in vivis haberent, dimidium portionis fraternæ: pueros literas didicisse, & carmina ex legibus cum modis quibusdam musicis: juniores in ἀνδρεῖα esse adductos, ibique humi sedentes ipsos inter se cibum cepisse, veste amictos vili, & quidem eadem tum hyeme tum æstate, in eaque tum sibi mutuo, tum viris ministrasse: ad hæc pugnas inter se conseruisse non solum ejusdem syssitii seu ἀνδρείου consortes, sed

etiam diversorum: cujus ἀνδρεία [1] præfuisse παιδονόμον, id est, puerorum moderatorem: adultiores in ἀγέλας, quas dicebant, fuisse deductos: ἀγέλας coegisse puerorum illustrissimos & potentissimos æmulatione quadam mutua certantes de multitudine, quam coactam habebant: ut plurimum vero, patrem ejus, qui cœtum cogebat, cœtus principem fuisse, potestatemque habuisse educendi cœtus consortes in venationem & cursus, & puniendi non parentes: nutritos omnes e publico: statis diebus agelam cum agela, id est, cœtum cum cœtu depugnasse, accinente tibia & lyra cum rythmo, perinde ac in bello: ictus intulisse tum manu, tum armis ferreis. His porro subjicit Strabo *ex eodem Ephoro* hæc sequentia, turpia sane magis & inepta, quam honesta & laudem merentia. *Peculiarem*, inquit, *habebant in amoribus morem legi congruum. Non enim suadela, sed raptu in acquirendis amasiis gaudebant. Denunciabat quippe amicis triduo aut quatriduo ante is, qui amabat, se puerum esse rapturum: istis vero occultare puerum, aut ordinaria usitataque via eum prohibere, erat turpissimum, eo ipso nimirum confitentibus, puerum esse indignum, qui tali amatore potiretur. Itaque coeuntes, si raptor aut par aut superior dignitate puero esset, leviter tantum raptori resistebant, & eum persequebantur, ut legi aut mori satisfacerent, cæteroqui gaudentes abduci puerum sinebant: eo autem usque obsistere se simulabant, donec ad* ἀνδρεῖον *raptoris esset perventum: quod si raptor indignus videretur, revera puerum ei auferebant. Amorem mereri putabant, non qui pulchritudine formæ, sed qui fortitudine & morum modestia præstabat. Raptor puerum donis ornatum abducebat quocunque volebat; comitabantur vero, qui raptui intervenerant: convivati deinde atque una venati per bimestre (diutius enim detinere puerum non licebat) in urbem redibant. Tum puer dimittebatur muneribus multiplicibus egregie honoratus, a dimisso autem sacrum magnificum fiebat. & epulum lautum & copiosum dabatur, in quo, quam gratam expertus esset cum raptore consuetudinem, verbis palam profitebatur: licebatque ei, si quid violentius post raptum passus esset, ab amatore discedere, & pœnas quoque ab illo poscere. Turpe vero habebatur puero pulchro, & nobili genere nato, amatorem sui non invenire: moribus quippe ejus id imputabatur. Raptu autem honori erat. Nam & in cursu, & in consessu loca iis honoratissima tribuebantur, & veste fulgebant illustri ab amatore donata, eoque decore gaudebant non solum pueri, sed etiam cum jam adolevissent, atque inde agnoscebantur* κλεινοὶ *fuisse: sic turpes istos amasios vocabant*. Plus satis de fœdo ac nefario hoc more ex *Strabone* & *Ephoro*. Revertor ad *Aristotelem*. Hic conferens Laconica instituta cum Creticis, hæc in plerisque rudiora fuisse istis ait, ut antiquiora fere omnia recentioribus, & contra: id vero in Cretensibus speciatim reprehendit, quod Cosmi non ex toto populo, sed ex certis ejus generibus, seu partibus tantum eligerentur: hac enim ratione fieri, ut universi non æque rempublicam salvam heic cuperent, quam Lacedæmone, ubi Ephori indifferenter designabantur ex populo universo. Quod vero quiescerent in populo Cretensi, qui aditum habere ad summam illam potestatem Cosmorum non poterant, id idoneum argumentum non esse docendæ bene constitutæ reipublicæ. Nec enim Cosmos eam occasionem capiendi quæstus habuisse a corruptoribus, quam habebant Ephori, cum sedem haberent in insula procul a corruptoribus remoti Ad hæc ostendit, medicinam, quam exorbitantibus forte Cretenses adhibebant, absurdam esse, haudquaquam civili statui, sed potius dominatui congruam. Nam, ait, sæpe coitione facta nonnulli sive ex ipso collegio Cosmorum, sive privatæ conditionis, Cosmos ejiciunt: & licet interea Cosmis magistratu se abdicare; quæ certe omnia præstaret lege fieri, quam voluntate hominum, quæ non est regula tuta. Sed omnium, inquit, vitiosissimum est, confusus & perturbatus rerum status a potentibus, quem hi sæpe consciscunt, cum pœnas legibus dare nolunt. Unde perspicuum, quod descriptio hæc habeat quidem aliquid status ejus, quæ proprie πολιτεία dicitur (hanc Philosophus libro quarto polit. describit) sed non sit vera πολιτεία, verum potius δυναστεία, id est, species dominatus. Solent vero etiam captato populo & amicis monarchiam constituere, & seditionibus dissidere, & pugnas inter se committere. Atqui quid interest, hoc sic habere, an aliquo tempore non esse civitatem, quæ talis sit, & societatem civilem dissolvi. Periculis autem valde obnoxia est civitas, in qua si qui velint, possint quoque eam invadere, idest, statum ejus opprimere. Verum, ut ante dictum, (ait *Aristoteles*) servatur natura loci, quæ peregrinos procul submovit. Quam eandem ob causam Periœci Cretensium in fide manent, cum Laconum Helotes sæpe in rebellionem sint versi. Nec enim cum externis imperiis quicquam Cretenses commune habent, & nuperrime externum bellum in insulam translatum manifestum fecit quam infirmæ istic sint leges. Hactenus verba Aristotelis ex lib. secundo cap. VIII. *Polybius* gravissimus auctor, in multis tam enormiter discrepasse Cretensium & Laconum instituta & mores ostendit, ut pene increpare Ephorum, Xenophontem, Callisthenem, Platonem summos viros non vereatur, quod affirment hanc rempublicam illi simillimam esse, & laude dignam censeant. Nam Lacedæmone ait agrorum possessiones secundum legem civibus omnibus convenire, pecuniæ & opum æstimationem aut admirationem fuisse nullam, simulque cum ea invidentiam, odia, contentiones, discordiam inde exulasse: Regum summorum magistratuum potestatem non solum perpetuam fuisse, sed etiam transiisse ad liberos aut alios proximos hæredes; civium mores rectos. Apud Cretenses, inquit, contraria reperiri omnia: nam agros agris cumulare illic licitum & liberum, pecuniam summo in pretio esse, ejusque quæstum honestissimum haberi, mores præterea sordidos & avaros, ut de solis fere Cretensibus vere dicere liceat, apud eos nullum lucrum censeri turpe; ad hæc magistratus in Creta esse annuos, & statum reipublicæ popularem: ipsos Cretenses discordia, seditionibus, bellis civilibus prope assiduo laborare, ingenia eorum esse fraudulenta & veteratoria, consilia publica, si usquam alibi, iniquissima: itaque vere dissimillimam his esse a Laconica rempublicam & formam hujus cum ipsis institutis vituperio magis quam laude dignam: nam leges bonas, & probam reipublicæ constitutionem sanctos & mansuetos reddere civium mores, & publica consilia producere ab iniquitate abhorrentia: & vice versa. Atque hæc de vitiis Cretensium exemplis proximorum temporum passim Polybius in Historia demonstrat. Sed diversum ab eo, ceu dictum, sentit *Plato*, qui & laudabilem reipublicæ hujus constitutionem censet, & legislatorem a sapientia & justitia commendat, quanquam turpissimam venerem masculam merito abominetur, & cum eo *Aristoteles*. Et uterque horum non solum probrosum ac fœdum institutum judicat, naturæ & rectæ rationi repugnans, sed & absurdam causam, quam colorandæ fœdæ rei affert legislator, insigniter traducit: cujus summa hæc, ut neglecto cum fœminis concubitu, & libidine in mares versa multitudo sobolis, cui alendæ ager insulæ par esse non posset, averteretur. Ita πολυτεκνία, quam aliæ civitates bene constitutæ fortunatam atque utilem censuerunt, hic legislator velut infaustam & noxiam damnavit, & e republica sua quasi proscripsit. Quæ quanquam

1. Voluit ἀνδρείῳ.

ſic habeant, tamen libuit Lycurgo hoc quoque inſtitutum tam turpe in ſuas leges tranſcribere. De re ipſa fuſe differit Plato libro VIII. de legibus, & abſurditatem ejus pariter & fœditatem ponit ob oculos. Sed fuere aliæ laudabiles ac præclaræ leges Cretenſium: in quarum numero illæ, quæ ſobrietatem præcipiebant, compotationes temulentas ac vinolentiam graviter prohibebant; ad quas pertinebat Minois lex, cujus verba a *Platone* recitantur, μὴ συμπίνειν ἀλλήλοις εἰς μέθην: tum eæ, quæ rationem diſtribuendæ annonæ quotannis ex agro provenientis, ejuſdemque conſumendæ certam definiebant, quas utraſque idem *Plato* in νομοθεσίαν ſuam tranſcripſit. Fuit & iſta memorabilis a *Platone* etiam celebrata, qua juvenibus inquirere in leges patrias, bene ne aut ſecus habeant, interdictum: præceptum vero, ut non niſi honorifice, tanquam quæ ſanctæ ac venerabiles ſint, de iis ſentiant loquanturque; ſenibus vero permiſſum, ſi quid ipſis ſuccurreret, quod huc pertineret, ut id ſubmotis juvenibus ad magiſtratus, & ætate æquales referrent. Quo modo Legiſlator legum majeſtati conſulere voluit. Atque his legibus quandiu Cretenſes paruere, ait *Strabo*, cui maternum genus e Creta erat, ſatis feliciter egerunt. Verum prolapſa ſenſim legum obſervatione, mores etiam cum fortuna in deterius ivere. Inclinationis hujus principium ex æmulatione eorum, cum majores inſulæ urbes Cnoſſus, Cydon, Gortyn, Lyctus diſſidentes inter ſe ad augendam potentiam ſuam arma civilia in ſeſe verterent. Hac enim ratione vires univerſorum, quæ ſtante concordia haud parvæ fuerant, imminutæ. Deinde Piratarum Cilicum commercio Cretenſes impliciti cauſam armorum contra ſe Romanis dederunt. A quibus bello trienni ſuperati, domitique, Duce præcipuo Metello, qui ex eo Cretici nomen tulit, amiſſa libertate, & patriarum legum uſu, Provinciæ formam accepere, ac deinceps jure Romano vivere neceſſum habuere. Abhinc aliquot ſecutis ſæculis inſula Romano imperio ſubjecta quievit ad tempora per totum mare mediterraneum graſſantium Saracenorum, a quibus non ſemel graviter concuſſa & afflicta fuit. Demum cum a Principibus Latinis ope præcipua Venetorum Byzantium eſſet occupatum, Creta in præmium navatæ operæ Venetis ceſſit. Quorum imperio, quanquam ſæpe mota contra eos rebellione, etiam nunc paret, mutatoque nomine pro Creta Candia audit, ſic nuncupata ex maxima, quæ jam in ea floret, urbe, quæ & coloniam Venetorum ad firmandum in tota inſula horum imperium jam pridem accepit, & præſidi Veneto, ac ſummo tribunali ſedem præbet.

DE REPUBLICA
ARGIVORUM.

QUEMADMODUM antiquitate, ita potentia & claritudine inter Græcos Argivi olim præſtitere, quorum Metropolis Argos in regione Peloponneſi, quam ex ea Argolicam nuncuparunt, pluribus urbibus quondam inclyta: inter quas celeberrima Troicis temporibus Mycenæ, regia Agamemnonis, a Perſeo Danaes filio, Acriſii nepote condita: deinde Epidaurus, Trœzen, Phlius, Corinthus, Sicyon. Argiva civitas a temporibus Inachi primi conditoris regio imperio paruit. In quo cum eſſet Tiſamenus Oreſtis filius, Agamemnonis nepos, Heraclidis in Peloponneſum revertentibus regno ab iis ejectus ſucceſſorem accepit Temenum Heraclidarum fratrum natu maximum, ex quo Macedonum Reges ortum trahere feruntur. Hic a filiis propterea quod genero Diophonti plus quam ipſis ſtudere videretur, interemptus Ciſum primogenitum regni hæredem reliquit. At fuit Regum horum moderata poteſtas; Argivi enim, ut ait *Pauſanias*, ab antiquiſſimis temporibus æquabilis juris ac libertatis perſtudioſi fuere: eoque ſtudio ducti, & ab iis, qui Diophontis partes ſecuti fuerant & cum eo Epidaurum ſeceſſerant, incitati poteſtatem regiam adeo acciderunt, ut Ciſo mortuo liberis & poſteris ejus præter inane regium nomen nihil reliquum fecerint. Quam conditionem cum ferre Meltas ex iſtis oriundus non poſſet, ſolutiuſque imperare geſtiret, a populo imperii hujuſmodi impatiente, & æqui juris ſtudioſo, omni poteſtate exutus & capitis damnatus fuit: populuſque in libertatem ſeſe vindicavit, nec ab eo tempore quenquam regnare Argis ſivit. Tempus hujus rei certum a nemine veterum annotatum reperio. Perantiquum tamen fuiſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod ante ætatem Lycurgi regnante Labora Euryſthenis pronepote Lacedæmonii Argivos jam ſine Rege agentes ob turbatos fines bello petierint. Libertas placuit popularis, ut ſupremum rerum arbitrium eſſet penes populum in tribus quatuor diviſum. Ei ſubjunctus fuit ſenatus, conſilii publici Dux, incertum quo numero, a quo, quomodo, in quod tempus, & ex quibus electus. Quanquam veroſimile, ex adultioribus & melioribus in populo, ſuffragiis ipſius populi in tempus annuum eſſe deſignatum: quippe cum id populari ſtatui videatur maxime eſſe congruum. Et præter ſenatum collegium quoque fuit virorum LXXX. partem reipublicæ curans. Et cum eo ἀρτύναι, quos urbanos magiſtratus fuiſſe, forte an judiciis etiam præfectos conjectes. Omnes in formula fœderis inter Athenienſes & Argivos, Mantineos, Eleos, quæ apud Thucydidem extat, nominati, & Athenienſium ſenatui ac magiſtratibus urbanis in dicendo juramento oppoſiti: quod fœdus percuſſum eſt Olympiadis LXXXIX. anno quarto, Archonte apud Athenienſes Ariſtione. Plura de reipublicæ Argivæ ordine dicere non poſſumus, quia plura in veterum ſcriptis ad nos non pervenere. Geſſit hæc civitas frequentia bella cum cognatis & vicinis ſuis Lacedæmoniis. Subinde enim lites de finibus inter eos extitere, in primis de agro Thyreo, quem in confinio poſitum utrique ſibi vendicabant; ſæpe etiam querelæ provenere de finitimis injuria læſis. Et accedebat æmulatio mutua, cum uterque populus alteri ſe præferret. Atque ut Lacedæmonii popularem ſtatum, quo gaudebant Argivi, inviſum habebant, ita hi viciſſim oligarchiam Lacedæmoniorum oderant. Lacedæmonii ſiquidem ex forma vetere cum Heraclidis invecta, & ex inſtituto Lycurgi duobus Regibus perpetuis hæreditario jure in ſceptra ſuccedentibus & perpetuo ſenatu virorum XXVIII. in adminiſtranda republica utebantur. Argivi autem finiti temporis ſenatum & magiſtratus habebant, & per eos rempublicam adminiſtrabant. Nam quod de uno eorum Rege dicitur apud *Herodotum*, id de uno magiſtratuum quem Regem vocabant, quo in bellis cum uſus poſcebat, ſummo Imperatore utebantur, eſt intelligendum, qui domi regium nomen, non regiam poteſtatem obtinebat; quod in liberis Græciæ civitatibus non

erat inusitatum. Exemplo sunto Rex IX. vir Athenis, & qui apud Eleos Basilæ nuncupabantur, & Romæ Rex sacrorum. Quod ni sic accipiatur, pugnabit eo loco *Herodotus* cum omnibus quæ de Argivorum civitate libera passim in Historiis memorantur. Sæpe, ut dixi, hæc civitas parta jam libertate bello cum Lacedæmoniis collisa fuit: sed nunquam gravius quam tempore Cleomenis Spartani Regis, valde turbidi ac vehementis ingenii, qui Dario Hystaspis filio Persarum Regi, patri Xerxis, coætaneus fuit, & successorem in regno habuit fratrem Leonidem rebus ad Thermopylas contra Xerxem gestis clarissimum, patruus Pausaniæ, qui Mardonium cum Persis ad Platæas cecidit. Hic Cleomenes multarum turbarum in Græcia concitator regnum suum auspicatus est ab Argivis bello infestandis: quos cum vastato agro ingenti strage inopinatos concidisset, & mox fuga in sacrum nemus delatos non pauciores quam quinquies mille exercitu undequaque clausos obsedisset, primum L. primores nominatim alios post alios per præconem tanquam de lytro secum transacturos e luco evocatos velut victimas jugulavit; deinde reliquos omnes posthabita loci religione, nemore per Heilotas servos circum circa incenso concremavit. Ab eo immani facinore recta Argos propugnatoribus vacuum copias duxit: actumque de civitate sine dubio fuisset, nisi una fœmina, eruditione celebris, & supra sexum fortis Telesilla obstitisset. Ea namque de adventu hostium certior facta in extremo patriæ periculo, vocatis repente ad arma maribus, qui per ætatem bello non erant idonei, refixisque heic illic suspensis clypeis, ensibus, hastis ac telis aliis, & fœminis, quæ ætate ac viribus integræ erant, armatis, & secum ad mœnia ductis, qua hostes impressionem facturi putabantur, magno animo venturis se objecit. Interea appropinquabat cum suis Cleomenes, & ut terrorem infirmis in urbe injiceret, sublata ingenti vociferatione in mœnia se incitavit. Verum cum deprehenderet non fœminas minus cum Telesilla, quam mares animis intrepidis in mœnibus persistere, & fortiter invadentibus se opponere, statim post primum impetum pedem retulit, recte judicans nec secundam certaminis istius fortunam sibi gloriæ, & adversam extremæ ac pudendæ turpitudini futuram. Ita tum præcipua virtute unius fœminæ civitas est conservata. Sed, ut prodit *Herodotus*, absumptis eo bello viris, a servis occupata respublica est, muniaque magistratuum administrata, donec adolevissent absumptorum liberi, qui dejectis servis rempublicam recuperarunt. Servi Argis pulsi vicinam Tirynthem invaserunt, atque inde bello rursum moto ab Argivis tandem sunt deleti. Bellis Persicis, id quod vitio iis versum, Argivi se non commoverunt, nec ullam opem cæteris tulerunt. Causa adfertur æmulatio contra Lacedæmonios. Nam cum adventante Xerxe, auxilia pro tuenda libertate communis patriæ Græciæ poscerentur, responderunt, facturos se, quod poscerentur, si dimidium imperii militaris sibi tribueretur, & pax in annos XXX. a Lacedæmoniis civitati suæ addiceretur. Quorum posterius cum admitterent Lacedæmonii, prius vero recusarent, nihil etiam ab iis impetratum. Credo etiam memoriam actorum Cleomenis nondum obliteratam non parum rei petitæ obsuisse. Nam Cleomenis frater Leonides ei sine liberis defuncto non ita nuper successerat, isque exercitum communem sociorum terra ducturus erat: cujus signa sequi durum & iniquum visum fuisse Argivis verosimile est. Leonida autem ad Thermopylas cæso, imperium ad Pausaniam fratris filium tutorio nomine fuit devolutum, cujus auspiciis ad Platæas est dimicatum. Haud diu post Argivi adjuti a Tegeatis

A & Cleonæis, ut scribit *Strabo*, Mycenas urbem nobilissimam stadiis L. ab urbe sua dissitam funditus deleverunt. Cujus causam non aliam eos habuisse ait *Pausanias*, quam solam malevolentiam ex eo ortam, quod ipsis in officio cessantibus Mycenæi armatos LXXX. cum Leonida Rege Spartano, & ejus commilitonibus Lacedæmoniis ad Thermopylas misissent, qui æternum sibi decus pro salute totius Græciæ pugnantes occumbentesque paraverant. Addit *Diodorus Siculus*, contentionis aliquid Argivos cum Mycenæis habuisse de templo Junonis, utrisque diu communi, Mycenis vicino, & ægre tulisse eosdem, solos Mycenæos in Argolide imperium suum haud agnoscere, & demum B præcipuam iis causam hanc fuisse affirmat, quam solam memorat Pausanias. Tempus vero designat hujus rei gestæ Olympiadis LXXX. annum primum, qui undecimus est post Persas Græcia ejectos. Gerendæ vero rei occasionem rapuisse Argivos idem *Diodorus* ostendit, quod Lacedæmonii terræmotu graviter afflicti, difficillimo insuper bello a Messeniis & eorum sociis ipsi tunc premerentur, ut auxilii amicis Mycenæis ferre nihil possent. Exemplum vehementis odii in Argivis, quod nisi excidio clarissimæ quondam urbis vicinæ expleri potuit. C Elapsis dehinc annis XX. fœdus tricennale inter Argivos & Lacedæmonios percussum est, idque sine vitio cultum ad finem usque, qui incidit in annum XI. belli Peloponnensis. Exorto hoc bello Peloponnensi, quo tota fere Græcia mutuis armis collisa est, civitas Argiva per annos XII. quietem egit, velut fabulæ spectatrix. At anno XIII. Epidaurios Lacedæmoniorum socios, vicinos suos armis infestans se quoque bello implicuit, annoque sequente bello a Lacedæmoniis petita, paulo post, ut eo se liberaret, fœdus cum iisdem instauravit duraturum in annos L. eoque vix sancito contentione potentiorum civium in gratiam Laconum statum popu- D larem a majoribus per manus acceptum in potestatem paucorum commutavit. Verum intra paucos menses fluente æstate anni XV. belli ejusdem, populus velut resipiscens resumpta audacia in paucos illos reipublicæ præsidentes impetum dedit, & commissa intra urbem pugna victor eorum alios interemit, alios urbe expulit, totamque eam factionem oppressit, ac statum popularem restituit. Ad patrandam hanc rem captatum tempus, quo Lacedæmonii in urbe sua nudorum certamine festivo occupabantur. Qui a profugis ad ferendam opem vix tandem excitati, cum in itinere prope Tegeam cognovissent oppressos jam esse homines factionis suæ, & popu- E lum rerum rursus potiri, domum regressi ludos intermissos peregerunt. At cum a Lacedæmoniis & sociis minæ jactarentur, populus Argivus sibi metuens societatem cum Athenienfibus temere nuper desertam instauravit; utque ab his quovis tempore auxiliis juvari per mare posset, longos muros ab urbe sua ad mare usque excitavit. Ab hoc tempore quamvis belli malorum non expers, tamen in populari libertate constanter perstitit, & fluctus quoque civiles pro eadem tuenda non una vice pertulit, atque adeo sanguine eorum, qui perniciem illi parabant, non semel ipsam sanciit, ut ostendit in oratione ad Philippum Regem *Isocrates*, Macedonum vero po- F tentia aucta non aliam civitas hæc quam reliqui Græci fortunam experta fuit. Denique cum Pyrrhus Epiri Rex contra Antigonum Macedonem bellum gerens in urbem perrumpere conaretur & jam intra portam penetrasset, jactu ex suprema ædium parte ipse tantus bellator a fœmina est occisus. Verum paulatim quasi consenuit fortuna civitatis quondam celeberrimæ, sensimque defecit: atque ipsa ab Achæis occupata, eorumque societati addita cum ea tandem in Romanorum potestatem pervenit labente Olym-

piade CLVIII. Post abdicatos Reges usa est in fastis suis ad conservandam seriem temporum annis summarum sacerdotum, quæ celeberrimo Junonis Ar- A givæ fano præerant: cujus vestigia habemus apud Thucydidem, qui bis hac æra Historiam suam insignivit, initio nimirum libri II. & sub finem libri IV.

DE REPUBLICA THEBANORUM.

REGIONUM Græciæ populosissima pene dixerim, & feracissima, atque e maximis una, ac frequentia insignium urbium nulli inferior quondam fuit Bœotia, inter Locros, Opuntios, Thessalosque, quos ad Septentrionem habet, & regionem Atticam, cui ad austrum contermina est, media, a mari Euboico ad sinum Corinthiacum porrecta, multo longior quam latior, ab occidente Phocensium agro finita. Inter urbes ejus claruere Tanagra, Thespiæ, Platææ, Orchomenus, Chæronea, Corônea, Haliartus, Leuctra clade Lacedæmoniorum nobilitata, Thisbæ, Erythræ, Oenone, Oropus in confinibus Atticæ ac diu ambigui juris in litore maris Euboici, Anthedon in eodem littore in septentrionem se attollens, & inter has Aulis Oropo vicina juxta Euripum e regione Chalcidis Euboicæ, portu quam oppido nobilior, ad alterum mare Corinthiacum Creusa Thespiensium, quibus vicina est, emporium. Caput vero urbium Thebæ in planicie sitæ, quarum acropolis sive arx Cadmea a Cadmo Phœnice Agenoris filio, qui primus literarum usum in Græciam intulisse dicitur, condita nomen idem apud posteros retinuit. Urbs hæc perantiqua variis casibus jactata sub Regibus, maxime sub filiis & nepotibus Oedipi. Regum ultimus Xanthus a Melantho Andropompi filio Atheniensi e posteris Nelei Pyliensis in monomachia occisus anno post excisam Trojam LVI. ante mortem Codri postremi Atheniensium Regis Melantho nati LVII. & ante Heraclidarum reditum in Peloponnesum XXIV. locum dedit constituendæ libertati, ut tradit *Pausanias*. Is enim sic ait: *Τόδε ἐντεῦθεν διὰ πλειόνων πολιτεύεσθαι, μηδὲ ἀπ' ἀνδρὸς ἑνὸς ἠρτῆσθαι τὰ πάντα, ἄμεινον ἐφαίνετο τοῖς Θηβαίοις.* Atque ab hoc tempore & urbs Thebana, & fortuna ejus magnum cepit incrementum. Sed an statim populo rerum summa permissa sit, an penes Optimates reipublicæ potestas post regni finem fuerit, non est planum. Cum temporis autem progressu, cum Medi & Persæ jam rerum in Oriente potirentur, & Græcia maxime floreret, populum rerum arbitrum fuisse, satis constat. Verum quum Xerxes in Græciam venit, ut ajunt ipsi Thebani ad tuendum honorem suum contra Platæenses *Μηδισμὸν* sibi exprobrantes, populi potestate oppressa, pauci potentes contra leges & instituta majorum rempublicam occupaverant, & civitatem in barbarorum partes concedere coegerant. Sed expulsis e Græcia Persis, legibus & juri populi locus rursum datus: isque status deinceps conservatus. Plerasque vero Bœotiæ civitates alias in Optimatum fuisse potestate tempore belli Peloponnesiaci, unus Thucydidis locus, qui est libro quarto, nos docet. Sic enim habet, quosdam earum civitatum rerum novarum avidos cum duobus Ducibus Atticis Hippocrate & Demosthene clam consilia agitasse & convenisse de statu civitatum suarum præsenti in popularem, qualis Athenis erat, commutando. Sed Thebas senatum quoque suum publici consilii ducem habuisse, & per magistratus definiti temporis munera reipublicæ domi & foris, pace ac bello administrasse, ut solent civitates liberæ, hinc illinc cognoscere promptum est. Inter cæteras vero Bœotiæ civitates Thebana hæc ita caput crescente fortuna extulit, ut ex socia pene dominam se iis imposuerit, certe *ἀξίωμα* aliquod, aut jus superius in eas sub velamine societatis velut princeps sibi vendicaverit, denique totam Bœotiam pro sua habuerit. Accedebat quod viribus suis freta injuriis quoque variis non raro proximos quosque horum sociorum vexaret. Quod cum ferre diutius Platæenses, quorum urbs LXX. tantum stadiis a Thebana distabat, non possent, non vellent, aliquot annis ante pugnam Marathoniam, veteres amicos in Græcia tum potentissimos Lacedæmonios, quorum Rex Cleomenes forte in ea loca venerat, opem rogarunt: sed ab his rejecti ob locorum nimis longa intervalla tempestivis auxiliis ferendis incommoda, vafro suasu eorundem, ut perhibet *Herodotus*, in clientelam Atheniensium propiorum se contulerunt. Unde bellum inter hos & Thebanos enatum, sed priusquam concurrerent acies ad pugnam jam paratæ, a Corinthiis vicinis intercedentibus compositum. Dicta conditio, ut qui Bœotiorum fœdere Bœotico teneri nollent, id iis liberum esset: simulque termini definiti. Verum digressis Corinthiis Thebani pœnitentes conditionis Athenienses armis adorti, sed ab his superati, & ultra priores terminos trans Asopum fluvium submoti. Hinc odium illorum in Athenienses. At Platæenses beneficio devincti soli e Græcis ad Marathonem auxilio fuere Atheniensibus contra Persas: iidemque decennio post cum Thespiensibus a Xerxe male mulctati instinctu Thebanorum, & anno proximo cum iisdem promptissimam operam pro virium modo navantes pro Græcis stetere ad urbem suam, ubi conjunctis Græcorum copiis pro communi libertate decertatum, & illustris victoria parta Duce Pausania Spartano, cæsis cum Mardonio Persis. Tum castigati Thebani, qui cum Persis fecerant, & legibus rursum circumscripti a Pausania: ac deditis pessimorum consiliorum auctoribus & paucorum potentia, quæ obrepserat, destructa, popularis libertas apud eos restituta, non tamen infamia deleta. Deinde diu res in Bœotia tranquillæ. Demum post L. annos cum jam spiraret alia aura, & sibi a crescente potentia Atheniensium vehementius metuerent Lacedæmonii, ac eorundem Atheniensium odio ob Corcyræos arderent Corinthii, veterum irarum nondum obliti Thebani, telam exorsi sunt contra Platæenses, quæ cum excidio urbis eorum, & civium internecione est finita. Atque hoc telæ exordium, principium dedit bello Peloponnensi, quod *Thucydides* & *Xenophon* descripsere. Excisa est urbs Platæa anno XCIII. postquam se cum Atheniensibus junxisset, ut asserit *Thucydides*: quod si verum, incidit conjunctionis hujus initium in tempus Cambysis in Persia regnantis. Ager Plataicus Thebanis datus: hi pro arbitrio sunt eo usi. Bello Peloponnensi finem dedere Athenæ a Lysandro & Lacedæmoniis captæ, quas similiter excidio dari cupiebant & vehementer flagitabant Thebani odiorum acerbissimorum tenacissimi. Sed id non siverunt Lacedæmonii, ademptione imperii, & murorum demolitione, ac mutatione status contenti. Decennio deinde ab hoc casu Athenarum, dolo Persarum, bellum grave in

Græcia resuscitatum contra Lacedæmonios, conflato in eos odio, quasi imperium totius Græciæ affectantes: cujus Principes fuere Thebani; livore a veteribus inimicis in socios & amicos converso. Sed eo post octennium rursus Persarum Regis auctoritate composito pax reparata, verum a Lacedæmoniis quiescere nesciis, atque imperii cupidis iterum turbata, & post Mantineam captam, atque in vicos dispersam arma ab iisdem in Thraciam translata: intereaque Cadmea arx Thebanorum, quibus plurimum diffidebant, furtim occupata, Ismenias adversæ factionis Princeps & tum Polemarchus in vincula datus, multi fuga elapsi & in exilium profecti, respublica paucis Laconissantibus tradita: factum quinquennio post pacem constitutam. Sed ab altero quinquennio incredibili audacia septem exulum, ac singulari successu civitas cum arce recepta, principe Pelopida; perduelles, libertatis oppressores trucidati, populo respublica reddita. Ex hoc tempore bellum vehemens & cruentum inter Thebanos & Lacedæmonios gestum, durans annos XII. pugnatum frequenter ad Platæas, Thespias, Tegyras, Orchomenum, Leuctra, denique ad ipsa Spartæ mœnia, majore utplurimum horum quam Thebanorum clade. Vires Laconicæ infractæ, Thebani in spem imperii supremi per Græciam erecti virtute præcipua duorum Ducum Epaminondæ & Pelopidæ, Messenii etiam patriæ & libertati restituti: simul in Thessaliam contra Alexandrum Pheræum tyrannum arma versa. Dein bellum brevi pace, interveniente rursum Persarum Rege suspensum, rursumque resurgens: post multa alia exercitus Thebanus in Peloponnesum reductus ab Epaminonda, & denuo pugnatum ad urbem Spartam, & in ipsa urbe, denique summis viribus prœlium commissum in Arcadia ad Mantineam, in quo fortissime pugnans, lethaliterque vulneratus concidit Epaminondas, & ex acie elatus expiravit, victoria ambigua, fluente Olympiadis CIV. anno secundo, cum anno proxime præcedente in Thessalia fortiter quoque dimicans contra tyrannum Pheræum occubuisset Pelopidas. Cum his uti nata fuerat, ita occidit rursus virtus ac fortuna Thebana. Civitas ipsa fortuna priore insolens, & ferox, Ducibus istis destituta in præceps ivit. Cui nihil ad conservandam fortunam, & parandum imperium, cum cætera haberet abunde, defuisse ferunt, quam educationem rectam, & disciplinam cum liberali doctrina, morum virtutumque magistra, ac sapientiæ nutrice aut parente, qua supra reliquos sui ævi Principes ac Duces eminuisse Epaminondam constat. Erant enim cæteroqui corporibus validi, animis magni & intrepidi, in armis feroces, laborum patientes, imperandi cupidi Thebani, & reliqui Bœoti, sed morum disciplinarumque rudes, asperi, inculti, & hominibus quomodo recte conveniret uti ignari. Præter senatum judicia habebant, & magistratus varios: in quibus eminebant, qui Bœotarchi dicebantur, & Polemarchi Ducesque belli. Bœotarchos XI. fuisse sæculo belli Peloponnesiaci Thucydides ostendit libro IV. quibus nomen ex eo datum, quod cura sua res totius Bœotiæ complecterentur. Polemarchi rempublicam domi potissimum curabant: erantque bini annui, nisi me omnia fallunt: quod ex diligenti consideratione eorum, quæ a *Xenophonte* dicuntur in historia occupatæ a Lacedæmoniis, & a Thebanis recuperatæ arcis Cadmeæ, perspicere me posse autumo: quanquam nihil heic affirmem. Belli Duces, στρατηγὺς quos prætores *Probus* interpretatur, aut Bœotarchos ipsos fuisse, aut ex Bœotarchis designari solere existimo. Nam eosdem, qui exercitibus in bello præerant, Bœotarchos aut Βοιωταρχοιῶτας ab auctoribus appellari deprehendo, & interdum tres pluresve, interdum etiam septem uno in bello, & una in expeditione fuisse animadverto. Exempla apud Pausaniam sunt in Bœoticis & Messenicis, ubi res Epaminondæ & Pelopidæ exponuntur: & in Phocicis, ubi IV. Bœotarchi decem millibus peditum gravis armaturæ, & equitibus quingentis præfuisse memorantur bello Græcorum contra Gallos: nec desunt alia apud auctores alios. Nonnunquam etiam uni tantum summum imperium in bello commissum esse reperio, ut Pelopidæ, & eo capto Epaminondæ, item Cleomeni cuidam, de quo *Pausanias*, bello Thessalico contra Alexandrum Pheræum, ac rursum Epaminondæ in expeditione postrema contra Lacones ac eorum socios, in qua ipse periit. Unicus apud Thucydidem locus est libro IV. quem paulo ante citavi, qui ostendit, omnes Bœotarchos bello Attico Tanagræ cum Bœotis aliis, ex omnibus ejus regionis oppidis ibi congregatis, fuisse, ac de belli rebus consultasse; cumque cæteri Bœotarchi pugnam dissuaderent, Pagundam βοιωταρχῦντα ἐκ Θηβῶν, id est, Bœotarchum e civitate Thebana cum Ariontida Lysimachi filio, pugnandum suasisse & persuasisse. Hoc vero an ideo factum sit, quod Tanagra Bœotiæ urbs, & quidem proxima esset, propemodum in conspectu Thebarum, Aulidem & Delium versus, ubi Athenienses exercitus sui partem habebant, nescire me fateor. Id autem fateor, verba *Thucydidis* eo loco suspicionem mihi movere, non ex solis Thebanis, sed ex aliis quoque Bœotiæ oppidis, quæ id jus habuerint, Bœotarchos fuisse designatos, præsertim illa, ὁ Παγώνδας ὁ Αἰολάδυ βοιωταρχῶν ἐκ Θηβῶν, quasi nimirum non omnes ex civitate Thebana essent βοιωταρχῦντες. Unde & de nominis origine suspicari quis aliquid posset. Verum notandum heic, cum plures Bœotarchæ in exercitu erant, eos aut per vices supremum imperium habuisse, ut hoc loco de Pagonda ait *Thucydides*, ejus tunc imperium fuisse ἡγεμονίας ὔσης αὐτῦ, aut pari potestate, & conjunctis consiliis res gessisse, quod heic illic significare videtur. Erat omnino imperium eorum annuum: & lex erat iis lata, ut, qui exacto tempore suo, primo sequentis anni mense, quem lex designabat, (erat is brumalis, βυκάτιος dictus, caput anni Bœotii,) imperium successoribus non traderent, capitis rei essent. Ob quam legem non servatam optimus Imperatorum Epaminondas cum collega Pelopida in discrimen capitis venit. Nam parta insigni victoria Leuctrica, cæso Laconum Rege & exercitu, ipse cum collegis exercitum suum victorem, recta in Peloponnesum duxerat, multos Peloponnesi populos sibi adjunxerat, multa hostium oppida & loca ceperat: deinde cum videret imperii sui tempus ad finem decurrere, & asperrimum brumæ frigus exercitum premere, collegasque reliquos domum rediturire, ut locum legi & successoribus darent, simul vero cerneret calentia in se sociorum Peloponnensium studia, nec imperitiam ac socordiam successorum suorum ignoraret, prævideretque discessum suum ab exercitu ac sociis, & imperium depositum incremento rerum patriæ plurimum obfuturum, persuaso primum Pelopida, dein reliquis collegis etiam retentis, omni culpa facti in se recepta, mediam Laconiam pervadens, Eurotamque fluvium transgressus ad ipsam urbem Spartam cum infestis copiis accessit, eaque ingenti formidine consternata, cum pugnandi causa prodiret nemo, in Messeniam transiit, & regionis ejus incolis Lacedæmoniorum servis ad pileum vocatis, & Messeniis aliis extorribus hinc inde accersitis, quod nosset id incidendis Lacedæmoniorum hostium nervis quam maxime esse, novam iis urbem idoneo loco ad Ithomen montem condidit, firmissimis cinctam mœnibus, opusque festinato labore, summo omnium stu-

A dio ac alacritate absolvit, absolutumque velut arcem & præsidium perpetuum contra Lacones Messeniis, acerbissimis & irreconciliabilibus eorum inimicis, tradidit: & simul alia quoque per regionem oppida & castella quanta poterat maturatione communivit. Hoc modo altera velut manu Lacedæmoniis abscissa, & perpetuo hoste iis apposito, magnaque apud omnes in Peloponneso socios, Argivos, Eleos, Arcades, quibus invisa & formidolosa Laconum potentia erat, inita gratia, inter omnium gratulationem & applausus cum victore exercitu domum redit. Sed gloria pupugit æmulos B ejus: conflataque in eum & collegas actio violatæ legis & discrimen capitis intentatum, judicio constituto. Verum ipse, ut convenerat, excusatis collegis crimen suum esse confessus, nec ulla defensione aut deprecatione usus, ad supplicium judicibus se obtulit. Hoc solum petiit ob merita priora, ut elogium sepulchro suo inscriberetur sibi gloriosum, patriæ ignominiosum, complexum veram sumpti de se supplicii causam. Atque hæc omnia intrepide. Corona circumstans admirata, judices attoniti, & ne calculis quidem postulatis e tribunali digressi, actores & æmuli confusi, ipse gloria C plenior dimissus. Sed hæc de Epaminonda capitis arcessito, viro optime de republica merito, & pulcherrimo flore totius Græciæ, forsan nimis prolixa. Ad alia igitur pergo. Polemarchi erat, criminis magni manifestos prehendere, & per præfectos inferiores in vincula abripere, ut erat in lege perscriptum; qua lege fretus Leontiades Laconissans Ismeniam factionis alterius principem & eadem dignitate præditum, in ipso senatu apprehensum per homines suos in carcerem jussit abduci. Prætereundum vero hoc loco non est, Bœotiam universam in quatuor majora concilia fuisse distinctam, D magnæ potestatis; ad quæ referebantur negocia magni momenti, ad rerum summam pertinentia: quæ concilia si relata probarent, ea efficienda magistratibus tradebantur; si improbarent, rejiciebantur. Quod docet nos Thucydides libro v. commemorans Bœotarchos negocium a se valde probatum, ut robur haberet majus, ad quatuor hæc concilia retulisse, sed ab his esse rejectum: quippe penes quæ summum rerum arbitrium esset: ἅπερ, inquit, βουλαὶ ἅπαν τὸ κῦρος ἔχουσι. Hæ Thebanis compedes fuere, quæ non permittebant eos semper facere, ac posse, quæ vellent. In civium nu- E mero Thebis, (quod secus fuit in aliis civitatibus nonnullis) licuit etiam opificibus & mercaturæ deditis esse, sed id genus hominum gerendæ reipublicæ habitum fuit inidoneum. Lege enim cautum fuit, quam recitat bis *Aristoteles*, ne quis, nisi qui decennium totum foro, id est, tabernis opificum & rerum venalium abstinuisset, magistratus fieret particeps. Aliam quoque legem Thebanorum *Ælianus* recitat, qua capitis pœna sancitur civi infantem exponenti, aut in solitudinem abjicienti: quod si quis extrema mendicitate pressus infantem susceperit marem aut fœminam, eadem lege jubetur, eum statim a partu involutum fasciis ad magistratum deferre: magistratui præcipitur, ut acceptum tradat alicui vili pretio alendum hac conditione, ut cum adoleverit infans servitutem serviat apud eum, qui aluit. Occidere enim quam in servitutem dare crudelius legislator arbitratus est. Reliqua de forma reipublicæ hujus, & civitatis statu injuria temporum cæca caligine nobis sunt involuta. Fortunæ ejus reliqua breviter exequar. Post Epaminondæ mortem, afflatu fortunæ superioris insolens, & opinione virium suarum tumens, rectoribus autem bonis carens, illato Phocensibus bello, tum horum, tum Atheniensium & Lacedæmoniorum conjunctis armis pressa, Philippum Macedonem belli socium adscivit. Is occasione rapta, cui diu inhiaverat, in mediam Græciam admissus, oppressis Phocensibus suas res agens, Athenienses fraude circumventos armis atterens, ac demum hos cum Thebanis ad Chæroneam ingenti pugna superatos callide sibi placans, Thebanos vero in arctum redigens, præsidioque in arcem inducto coercens, denique Dux Græciæ contra Persas designatus, dum expeditionem in eos adornat, fraude suorum sublatus periit. Filius ejus Alexander ferox juvenis, sed a Thebanis ob ætatem contemptus, ob ejectum ex arce præsidium suum, & Macedonum primores trucidatos, bello eos petens urbem eorum captam funditus delevit: homines, qui cædibus supererant, cum fœminis & liberis in servitutem redegit. Hoc passi sunt Thebani ab eo, cujus patrem ipsi ad perdendos Græcos alios in Græciam evocaverant. Ab eo tempore urbs in ruderibus jacuit per annos totos XVIII. anno decimo nono fluente in invidiam domus Alexandri ab Cassandro Antipatri filio instaurata, juvantibus strenue Atheniensibus; deinde varia fortuna jactata sub Macedonibus; sed quietiore sorte usa sub Romanis ad bellum usque Mithridaticum: in quo cum partes sequuta Mithridatis aliquandiu fuisset, & post sponte Romanis se reddidisset, nihilominus a L. Sylla asperius castigata eo paulatim recidit, ut primorum Imperatorum Augusti & Tiberii tempore, cum quibus Strabo Geographus vixit, vix vici mediocris modum retinuerit: sub Antoninis Imperatoribus, Pio & Philosopho, sola arx Cadmea extinctæ urbis nomen reservans superfuerit. Reliquiæ tenues cum nomine eodem etiam post evastatam toties Græciam ad nos usque pervenere.

DE REPUBLICA
CORINTHIORUM.

CORINTHUS Ephyra quondam dicta, in Peloponneso sita juxta Isthmum, quo Peloponnesus cum reliqua Græcia cohæret, urbs antiquissima & nobilissima, extincto regio Sisyphi genere, ex Herculis posteris Reges habuit usque ad Bacchin Prumnidis filium per ætates quinque, ut notat Pausanias in Corinthiacis. Ex Bacchide ejusdem stirpis Rege laudatissimo descendentes Bacchiadæ vocitati per totidem ætates regnarunt ad Telesten Aristodemo genitum, Regum ultimum. Quo ab inimicis occiso imperium quidem in eadem domo Bacchiadarum universa & illustri mansit: sed ex re- F gio in oligarchicum est mutatum, sic ut esset libertati affine. Hos Bacchiadas ait *Herodotus* civitatem possidentes cum aliis familiis se non miscuisse usque ad Cypseli matrem claudam, quam dicit ob vitium hoc fastiditam a gentilibus suis enupsisse in familiam alienam. Et *Pausanias* docet, eos ex se reipublicæ præsides dedisse Prytanes nuncupatos, annuum munus habentes. Sed Prytanes quot numero fuerint, quæ eorum eligendorum ratio, quæ potestas, nec ipse, nec quisquam alius prodit. *Herodotus* statum illum reipublicæ Oligarchiam fuisse significat. *Aristoteles* autem, cum Cypseli versutiam in pa-

parando dominatu cum Pisistrati Atheniensis & Dionysii Syracusani astu comparat, & δημαγωγία usum perhibet, subindicat, a libertate statum eundem non multum abhorruisse. Quæ vero apud *Strabonem* leguntur, qui per annos fere CC. Bacchiadas imperium Corinthi tenuisse affirmat, dicitque numero plurimos, & genere claros, & in his tyrannos ditissimos fuisse, id ego non solum ad Oligarchiæ, sed etiam ad regni eorum tempus referendum censeo. At Cypselus Eetionis filius, Melanis nepos, Antasii pronepos e tribu Petrea, per matrem vero Labdam Amphione Bacchiade natam, quam ob pedum vitium enupsisse dixi, Bacchiadarum familiæ insitus, astu magis quam vi nixus, dum populo blanditus est, & palpum verbis obtrusit, statum illum oppressit, & se dominum civitati imposuit. Is submotis iis, qui obsistebant, & dominatu sibi firmato, ut testatur *Aristoteles* optimus auctor & censor, ad mitia statim consilia flexit animum, pro ferro ac vi oratione benigna utens, atque ea populum demulcens, ut toto imperii sui tempore corporis custodibus non habuerit opus: rarum inter tyrannos exemplum, quod postea apud Syracusanos unus Gelo est imitatus. Quod autem a Sosicle Corinthio asperi dominatus nota ei apud *Herodotum* inuritur, id sciendum est profectum ab omnis tyrannidis inimico vehemente, & libertatis amantissimo, ac referendum ad scopum, quem sibi propositum tunc Sosicles habebat. Nec mirum, si forsan initio quædam fecerit Cypselus, quæ offendendis ac lædendis potentioribus fuerint, cum aliter constitui dominatus non potuerit. Quo tempore Demaratus quoque inter cives illustris & opibus prævalens e Bacchiadarum genere, metuens sibi a Cypselo, ut ait *Dionysius Halicarnasseus*, relicta patria Corintho, in Hetruriam jam ante sibi notam commigravit. Cujus filius in Hetruria matre Hetrusca natus Tarquinius, sedibus Romam translatis Romanum regnum est adeptus. Tenuit dominatum Cypselus per annos XXX. & non solum Corinthi rerum potitus est, sed etiam Corcyræ insignis Corinthiorum coloniæ, quæ annis XXXIV. ante ejus initia fuerat deducta. Cœpit Corinthi Olympiadis XXXI. anno secundo, qui erat urbis Romæ conditæ XCVI. regnante tunc apud Romanos Tullo Hostilio, apud Lydos Ardye Crœsi avo, decimo post finitum bellum Messenium secundum, annis XXX. post initium veræ libertatis Atticæ. Decessit Olympiadis XXXVIII. anno primo, Periandro filio natu majore (nam & alterum Gordiam superstitem habuit) in imperio successore relicto. Hic patri dissimilis, ingenio magis sævo, benevolentiæ civium diffisus, custodia trecentorum satellitum se sepsit, & metui se a civitate quam amari maluit, sed acer & bellicosus diutius etiam quam pater tyrannidem conservavit, ut de eo tradit *Aristoteles*. Sed Sosicles apud *Herodotum* ait, eum initio acceptæ tyrannidis patre mitiorem fuisse, sed consuetudine, & consilio Thrasybuli Milesiorum tyranni hospitis sui asperatum cœpisse gravius sævire, & eminentissimos quosque in civitate sustulisse e medio, ac quod sævitiæ patris defuerat, egregie complesse. Sed ipsiusmet consilium Periandri id fuisse, & hanc rationem conservandæ tyrannidis præcipuam aliis etiam ab eo commonstratam significat idem *Aristoteles*. Laertius vero ex Aristippo affirmat, eum detecta turpitudine concubitus cum matre Cratea amore filii vehementius incensa, immitiorem in cives esse factum. *Herodotus* etiam memorat, Periandrum conjugem suam Melissam, Proclis Epidauriorum tyranni filiam, ex qua duos filios susceperat, pllicum calumniis impulsum, fœde peremisse, & uem eadem perempta concubuisse: & post in ejusce

A gratiam convocatas omnes Corinthiorum fœminas quam splendidissimo cultu ornatas ad agendum Junonis festum per satellites suos omni veste & ornatu spoliatas nudasse, & spoliis illis inferias Melissæ suæ fecisse. Addit porro *Herodotus*, alterum filiorum Cypselum natu majorem minutæ mentis, ac imperii non capacem fuisse, alterum Lycophronem acerrimi ingenii ideoque patri carum, sed instinctu avi Epidaurii cum aliquandiu cum fratre vixerat, ob necem matris, patri eidem contumacem, atque eam ob causam ab offenso patre primum domo expulsum, deinde civium omnium hospitio, alloquio, ope prohibitum, demum Cor-
B cyram deportatum: post aliquot autem annos a patre jam ætate confecto & ad ferenda dominationis onera non amplius pari, ac in filium transferre imperium jam desiderante bis ter serio revocatum, monitis & precibus fatigatum tamen redire noluisse: postremo cum pater ei conditionem offerret, ut ipse ad capessendum dominatum Corinthum veniret, pater interea Corintho discedens Corcyram abiret, atque ibi sine imperio reliquum vitæ degeret, tum tandem eum assensisse, sed a Corcyræis re cognita priusquam discederet, adventum Periandri aversantibus esse interfectum: Periandrum hac
C injuria læsum ad ulciscendum dolorem suum delectos Corcyræorum pueros CCC. per vim parentibus ereptos, ad Haliattem Lydiæ Regem amicum suum castrandos misisse: sed pueros cum iis, qui eos curabant, Samum forte delatos, a Samiis servatos, & cum commodum esset, domum esse remissos. Hanc rem tam indigne tulisse senem Periandrum scribit *Laertius*, ut dolore confectus abierit e vita jam fere octuagenarius. *Suidas*, qui a veteribus scriptoribus sua talia solet describere, dicit, durum & immitem tyrannum fuisse, Corinthios gravi servitute pressisse, bellicosum assidua bella gessisse, ex utroque portu Corinthiaco utrumque mare
D Ionium & Ægæum triremibus sulcasse. Mortuus est ætate grandis, cum tyrannidem tenuisset annos quasi XL. inter septem Græciæ sapientes a multis numeratus, sed libidine dominandi abreptus a veræ sapientiæ usu ac scopo, toto quod ajunt cœlo, aberravit. Incidit mors ejus in annum primum Olympiadis XLVIII. septennio postquam Soloni νομοθεσία Athenis fuerat commendata, annis XXI. ante quam Pisistratus tyrannidem Athenis invasit. Periandro defuncto per triennium ac menses sex tyrannis Corinthi videtur fluctuasse. Nam Psammetichum Gordiæ filium proximum scilicet agnatum eam arripuisse, & tanto tempore usurpasse, verba
E *Aristotelis* significant; cujus tamen res tam obscuræ fuere, ut nisi hæc paucula *Aristotelis* verba obiter adscripta extarent, vixisse eum plane ignoraremus. Ab eo vero tempore profligato dominatu popularis libertas arrepta a civitate est, eaque duravit, quamdiu res Græciæ incolumes stetere. Sed qualis ejus ordo, cujusmodi senatus, qui magistratus in ea fuerint, a nullo veterum proditum est. Hoc tantum ex Plutarcho in vita Dionis cognoscimus, magis castigatum aut adstrictum statum popularem Corinthi quam Syracusis fuisse, ac propius ad Optimatum gubernationem accessisse. Ait enim ille, ut-
F plurimum penes paucos rerum administrationem ibi stetisse, ad populum vero haud multa de republica fuisse relata. Idemque ibidem dicit, Dionem de constituenda reformandave republica Syracusana cogitantem ad Laconicam & Cretensem formam ex regio, populari, Optimatum statu permixtam respexisse, atque eum in finem Corintho quosdam accersitos expectasse, ut eorum consilio atque opera uteretur, quo facilius rem animo conceptam perficeret, idque magnæ invidiæ Dioni apud multitudinem Syracusanam fuisse, suetam laxiori potestati,

& per obtrectatores in eum concitatam. Quo & ille locus referri poteſt, qui eſt apud eundem Plutarchum in vita Timoleontis, ubi & optimates nominat, & ſtatum popularem. Nec tamen dubium eſt, quin vere ſtatus popularis fuerit, qui valuit Corinthi. Veſtigia enim ejus conſpicua ſunt in Hiſtoriis, & maxima quæque decerni illic ſine populo non poterant, & coloniæ a civitate hac deductæ multæ & illuſtres in poteſtate populi fuere: inter quas capita extulere Syracuſæ & Corcyra. Hoc vero ad ſingularem civitatis hujus laudem pertinet, quod perhibet de ea Plutarchus in ejuſdem Timoleontis vita, Corinthios ſcilicet ſemper libertatis amatores, & tyrannorum oſores fuiſſe, & ſæpe maxima bella non regnandi deſiderio, nec ſtimulante avaritia, ſed tuendæ Græcorum libertatis gratia ſuſcepiſſe: atque hanc ob cauſam Siculos tyrannide preſſos, & ab armis Punicis ſibi metuentes præ omnibus Græcis Corinthios potiſſimum auxilia rogaſſe: & quod poſt additur, Dionyſio Syracuſis amoto, & Corinthum in exilium miſſo, belloque contra Pœnos feliciſſime a Timoleonte confecto, & Syracuſarum ſolitudine cum nova populi frequentia, novis ibi colonis collocatis commutata, Syracuſanos beneficium agnoſcentes honeſtiſſimis & pulcherrimis laudibus in cœlum extuliſſe, per quos libertatem ac ſalutem adepti tyrannorum jugum, & barbarorum crudelitatem evaſiſſent: atque has laudes cumulatas fuiſſe, cum Timoleon Pœnos majoribus cum copiis in Siciliam reverſos, majori rurſus clade caſtigatos tota inſula expuliſſet, & ſubmotis omnibus qui libertati graves erant, idem beneficium reliquis Siciliæ civitatibus univerſæque inſulæ, quod Syracuſis, ſine emolumento ſuo, & ſuorum præſtitiſſet. Corinthus, ſi *Thucydidi* credimus, prima civitatum Græcarum navium majorum uſum novit, & maritimis rebus dedita fuit ſub Bacchiadis, navali prœlio cum colonis ſuis Corcyræis conflixit annis CCXXXII. ante initium belli Peloponneſiaci, CLXXXIII. ante Xerxis adventum in Græciam, Cypſelo tyrannidem tenente. Ad uſum maris ſummam commoditatem ei præſtitere duo portus, de quibus dixi, Lechæus & Cenchræus, quorum ille occidentem, hic orientem ſpectat. Maris uſus opes dedit civibus, & populi frequentia ac ædificiorum ſplendore civitatem maxime auxit. Semel paſſa ſeditionem civi-

A lem valde cruentam Olympiadis XCVI. anno tertio, qui fuit XII. poſt captas a Lyſandro Athenas, & proximus poſt illuſtrem victoriam Cononis Ducis Attici ad Cnidum: quam ſeditionem prolixe deſcribit Xenophon libro IV. ἑλληνικῶν. Libertas preſſa a Macedonibus præſidio monti, qui urbi imminet, quem Acrocorinthum vocant, impoſito. Erepta deinde iis ab Arato Sicyonio ac ſocietati Achæorum addita, ſed non multo poſt occupata a Cleomene Lacedæmonio Achæorum hoſte, & hoc victo recepta ab Antigono Macedone, a Macedonum jugo cum aliis non paucis urbibus Græciæ rurſum preſſa: quoad debellato a Romanis Philip-

B po Rege, Duce T. Quintio Flaminio, per conditiones pacis Achæis reddita fuit, & ſimul tota Græcia jugo Macedonico liberata. Poſt Corinthus fortuna ſecunda luxurians funditus demum ab iiſdem Romanis bello Achaico deleta Duce L. Mummio, eodem anno, quo Duce P. Scipione Carthago quoque in Africa, exciſa eſt. Is fuit annus tertius Olympiadis CLVIII. urbis Romæ ſecundum Varronem DCVIII. Viri omnes in urbe capta trucidati, fœminæ cum pueris ſub corona venditæ. Urbs diruta in ruderibus jacuit ſine habitatore per annos quaſi CII. Hoc enim verius quam quod ali-

C bi a me ſcriptum de annis LXXXVII. Nam non a C. Cæſare primum Conſule, quod ibi ſcripſi ſecutus auctores alios, ſed ab eodem quintum Conſule & Dictatore, qui vitæ ejus poſtremus fuit, eſt inſtaurata cum Carthagine, ut affirmat *Dion Caſſius*, & ante eum ſcripſit *Strabo*. Ab eo igitur miſſis iſtuc colonis e genere libertino reſtituta anno urbis Romæ DCCX. tam feliciter reſurrexit, & ædificiis, opibus, novi populi frequentia crevit, ut proximis ſæculis inter feliciſſimas ac pulcherrimas totius Græciæ haberetur. Nec defecit ejus fortuna, quamdiu ſub Romano ac Byzantino imperio Græcia quievit. Cujus quiete, culpa Manuelis Comne-

D ni Imperatoris commota, cum Rogerius Normannus Siciliæ Rex perfidiam & injurias Manuelis ulturus Acarnaniam, Ætoliam, Bœotiam, Peloponneſum invaderet, Corinthus quoque ab eo capta, & direpta eſt: Acrocorinthus mons urbi imminens, & caſtellum in vertice habens, quo tota fere civitas aſſumptis omnibus rebus ſuis, & multi e vicinia velut in tutiſſimam arcem confugerant, etiam per vim occupatus.

DE REPUBLICA SYRACUSANA.

SYRACUSÆ, caput quondam Siciliæ, in rebus Græciæ celeberrimæ, ſub nomine Ortygiæ primum habitatæ ab Ætolis Græcis, deinde his expulſis occupatæ & poſſeſſæ a Siculis origine Italis, denique ejectis Siculis coloniam accepere e Peloponneſo, Principe Archia Corinthio Heraclida, fluente Olympiade XI. Romulo Romæ regnante, fervente in Peloponneſo bello Meſſenio primo. Colonia nova ob Archiam conditorem, & plurimos, qui eum e Corintho ſecuti ſunt, Metropoli Corintho inſcripta fuit. Corinthii enim jam tum mari plurimum inter Græcos valuere. Sed acceſſere plures deinceps etiam ex reliqua Peloponneſo: paulatimque urbs Syracuſana adſpirante fortuna ita crevit, ut facta ſit non modo urbium Siciliæ, ſed etiam totius Græciæ, ut affirmat *Cicero*, maxima & pulcherrima. Complexa fuit uno ambitu, ut ait idem, urbes magnas quatuor, Inſulam, Acradinam, Tycham, Neapolim. Ambitus fuit CLXXX. ſtadiorum præter ſub-

E urbia, duos habens portus, receptandis claſſibus longe commodiſſimos, quos inſula interveniens disjungit, agrum vero circumjectum fertiliſſimum hic illic in tumulos aut colles minores aſſurgentem, paludibus intercurrentibus incinctum. Prima habitatorum ſedes fuit in inſula, Ortygia quondam nuncupata. Inde creſcentibus civitatis rebus reliquæ partes domiciliis etiam occupatæ; quarum poſtrema fuit Neapolis. Civitas ex quo Duce Archia novum principium cepit, libera ſtatim & ſui juris fuit.

F Forma reipublicæ uſa eſt ſine dubio tali, qualis tum erat in Metropoli ſub Bacchiadis, oligarchica ſcilicet Ariſtocratiæ vicina. Poſt, cum plebs cœpiſſet laſcivire, pulſis Optimatibus, quos γαμόρες Herodotus vocat, ab agrorum poſſeſſione, rempublicam invaſit. Eos vero Gelon Gelenſium vicinorum tyrannus opem rogatus cum in patriam reducere vellet, cum exercitu adveniens ſtatim a plebe non obſiſtente in urbem receptus fuit, ſed imperium non re-

ſtituit Optimatibus, verum ſeſe dominum conſtituit. Quod factum *Pauſanias* ſcribit Olympiadis LXXII. anno II. quo ab Athenienſibus feliciter contra Perſas dimicatum eſt ad Marathonem, Dario Hyſtaſpis filio in Perſia regnante, annis quaſi CCXLIV. poſt coloniam ab Archia deductam. Gelon dominatu ita uſus eſt, ut domi amaretur ab omnibus, metueretur a nemine. Urbem populi frequentia, amplitudine, ſplendore, opibus plurimum auxit: victis & captis oppidis aliquot (erat enim victorioſus) quicquid in iis erat meliorum & nobiliorum civium Syracuſas traduxit: omnium fere, qui Siciliam habitabant, animos ſibi devinxit. Virium tantum ſibi paravit, ut CC. triremium armatarum claſſem cum exercitu tanto, quantum tunc tota propemodum Græcia conficere contra Xerxem poterat, Græcis auxilio promiſerit, ſi ſibi vel claſſis, vel exercitus terreſtris imperium eo bello deſignare vellent. Quorum neutrum cum obtinere poſſet, contra Carthaginienſes bellum ſuſcepit ab Egeſtanis in Siciliam evocatos: eoſque eodem die, quo ad Salaminem in Græcia navali prælio certatum eſt contra claſſem Xerſis, ut tradit *Herodotus*, tam late cecidit ad Hiberam urbem maritimam, ut victoria illa gloriam Themiſtoclis, qui Perſas ad Salaminem ſuperavit, æquaſſe aut ſuperaſſe putetur. Periit in prœlio ipſo Pœnorum Dux Amilcar: cæſa feruntur CL. hoſtium millia. Pœni tota Sicilia ſubmoti: captivis omnes inſulæ urbes repletæ: pax petentibus Carthaginienſibus data. Poſt quæ oblatum totius inſulæ regnum generoſe a Gelone recuſatum: Hinc gloria ei aucta, & univerſorum amor. Demum omnibus bene conſtitutis, gloria ſatur vita deceſſit Syracuſis, cum dominatum ibi tenuiſſet annos quaſi XIII. Et ſucceſſit frater natu maximus Hieron Olympiadis LXXV. anno tertio. Hic imperii initio Geloni multum diſpar, ſuſpicax, ſævus, avarus, multa turbans: deinde morbo correptus diuturno, conſuetudine doctiſſimorum hominum melior factus, poſt feliciter geſtum contra Pœnos Siciliam repetentes bellum, Thraſydæo Agrigentino gravi prœlio ſuperato, & ad deſperationem adacto, ſub vitæ finem in odium Syracuſanorum, incertum ob quam cauſam, delapſus Catanam cum conceſſiſſet, illic obiit Olympiadis LXXVIII. anno ſecundo, cum dominatum tenuiſſet a morte Gelonis anno XI. menſes VIII. Poſt quem, eumdem dominatum rapuit tertius frater Thraſybulus, tyrannus fœdus, cujus cruda facinora repetendæ libertatis deſiderium accenderunt, & ruinam interitumque ipſi maturarunt. Armis enim a Syracuſanis petitus & victus, atque in arctum redactus, deſerto dominatu Locros in ora Italiæ exulatum abiit, ibique ſibi mortem conſcivit. Fugit a morte Hieronis elapſis menſibus decem. Syracuſani pertæſi tyrannidis libertatem cupide reſumpſerunt. Nec eo contenti, ut magis & magis hunc ſtatum ſuum firmarent, alias quoque non paucas Siciliæ urbes tyrannis aut præſidiis externis, quibus premebantur, liberarunt. Verum non multo poſt in periculoſiſſimam ſeditionem inciderunt. Nam libertate recuperata adſcriptitios cives, quos Gelon firmandæ fortunæ ac potentiæ ſuæ Syracuſas traduxerat, & civitate donaverat, civitatis quidem jure non privarunt, ſed honoribus excluſerunt: ſoli vero ipſi indigenæ magiſtratus ceperunt, ac rempublicam adminiſtrarunt. Quod adſcriptitii ferendum non putantes, quorum ſeptena millia ex millibus denis a Gelone adſcitis ſupererant, conſpiratione inter ſe clam inita, & ſubito tumultu concitato duas urbis partes, Inſulam & Acradinam occuparunt, triennio poſt tyrannidem deletam. Cives indigenæ, qui numero ſuperabant, cæteris partibus urbis contra eos munitis, & Epipolis oc-

A cupatis commeatu eoſdem prohibuerunt: ſimul frequentibus aſſultibus Acradinam & Inſulam infeſtarunt: ad hæc navali prœlio primum, deinde & terreſtri extra urbem tumultuantes ſuperarunt: denique cedere urbe, aut rebus præſentibus acquieſcere coegerunt, cum ſeditio & tumultus biennium duraſſent. Interim Ducetio Siculo Duce coloni Catanenſes, quos Hiero ejectis veteribus civibus ibi collocaverat, Catana expulſi, urbs indigenis reſtituta: paſſim tota Sicilia reductis exulibus, alienigenis ſubmotis, priſtino ſtatu reddita. Alienigenarum colluvies in extrema inſulæ parte Meſſanæ conſtitit. Reipublicæ forma Syracuſis ea tum fuit, B quam *Ariſtoteles* proprie πολιτείαν appellat, ex oligarchia & democratia mixtam, vel popularem primorum poteſtate temperatam; quem idem civitatis ſtatum optimum eſſe cenſet. Itaque & primores in honore & dignitate præcipua fuere, & populus reliquus ſuas quoque partes in republica tulit. Verum poſt aliquot annos hoc ſtatu adhuc durante, & civium numero iterum creſcente Tyndarides e primoribus vir prædives, ambitionis œſtro percitus in ſummum diſcrimen libertatem rurſum adduxit. Nam egenorum civium multitudinem largitione ſibi devinciens, & eos ceu ſatellites circum C ſe habens, plenis jam paſſibus ad dominatum cœperat contendere. Sed conſenſu & concurſu eorum, qui gratia plurimum apud plebem valebant, & plus cæteris ſapiebant, repreſſus, & cum tueri eum egenorum manus vellet, exorto tumultu interemptus fuit. Cumque alii exemplo hoc non deterriti ad potentiam libertati gravem viderentur adſpirare, populus Athenienſes imitatus humiliandis iis, qui caput efferebant, petaliſmi uſum induxit. Ut enim illi oſtraciſmo ſuo potentiores cives, ipſa gratia & gloria civitati ſuſpectos in exilium decenne pellere in more habebant, ſic Syracuſani petaliſmo ſimiles cives in exilium quinquenne mitte- D bant, ut a periculo ejus, quod metuebant, longius abeſſent. Πεταλισμὸς autem id genus ejectionis, quæ citra læſionem honoris aut fortunarum fiebat, vocabatur, quia nomen ejus, quem quiſque ejectum volebat, bracteæ vel lamellæ, quam πέταλον Græci dicunt, aut folio oleæ, ut vult *Diodorus*, quod eadem voce Græca ſignificatur, quemadmodum Athenienſes ὀστράκῳ, id eſt, teſtulæ ſeu cortici, inſcribebat, & in vas ei rei deſtinatum conjiciebat. Sed inſtitutum hoc Syracuſis, ſicut Athenis, ætatem ferre non potuit. Nam primarii viri reipublicæ gerendæ ante alios idonei, petaliſmi hujus metu curis publicis ſenſim ſe ſubduxere, ſibique vixerunt. Ita in au- E dacium & temerariorum atque imperitorum peſſimorumque hominum manus reſpublica incidit, atque hinc pericula & incommoda ſecuta maxima. Quibus motus populus, ut ad capeſſendam rempublicam redirent Optimates, petaliſmum tandem abrogavit. Poſt quod tempus ſatis quieta domi civitas fuit. At foris bella contra Tuſcos in Italia, contra Ducetium Siculorum Ducem, Agrigentinos, Trinacrios, Leontinos, Egeſtanos in Sicilia geſſit fortuna ſæpius proſpera quam adverſa, multoque plurimas ditiſſimæ inſulæ civitates imperio ſuo parentes, aut fœderibus devinctas habuit. Sed ex F Leontinis motibus, per quos potiſſimi ejus oppidi cives Syracuſas traducti, plebs in exilium acta, oppidum ipſum funditus everſum, cum jam opibus, viris, viribus, ædificiis eſſet florentiſſimum, & ad totius inſulæ imperium parandum ſe accingeret, incidit in bellum Atticum longe maximum, prolixe a *Thucydide*, *Diodoro*, *Plutarcho* expoſitum. Quo bello impendiis & cædibus exhauſta, ac pene fracta cum jam fatiſceret, unius peregrini Ducis Gylippi Spartani ſolertia ac virtute rurſum erecta & victrix facta tantas clades Athenienſibus terra marique repoſuit,

ut mirum videretur ex his resurgere eos potuisse. Cœpit hoc bellum Olympiadis XCI. anno primo, qui fuit quinquagesimus post libertatem reparatam: duravit non totum triennium, insigne documentum vicissitudinis fortunæ, ostendens simul, eos, qui aliena imperia affectant, & proferre terminos potentiæ suæ satagunt, & cupiditate magis quam ratione feruntur, sæpe in periculum tuendarum rerum suarum devenire, sæpe etiam sua amittere. Ab hac illustri victoria plebs ferociens, quæ fortissimam operam, promissis primatum incitata, cum terrestribus in pugnis, tum maxime in prœliis navalibus patriæ præstiterat, non jam contenta priori jure, quo hactenus vixerat, id effecit, ut temperies illa respublicæ, de qua ante dixi, in merum statum popularem degeneraverit. Testis Aristoteles Politicorum lib. V. cap. IV. cujus hæc sunt verba: Καὶ ἐν Συρακούσαις ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος τῆς νίκης τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Ἀθηναίους ἐκ πολιτείας εἰς δημοκρατίαν μετέβαλε: id est, *Et Syracusis populus cum auctor potissimus victoriæ bello Attico fuisset, statum illum reipublicæ temperatum in popularem convertit*. Popularem autem simpliciter cum dicit, ad excessum deflexisse,& ad confinia anarchiæ, aut licentiæ multitudinis ivisse, hoc est, immodicam libertatem in ea fuisse significat. Sic enim frequenter Philosophus in hac disputatione vocem istam usurpat. Nec alienum hoc a sensu Platonis, qui lib. VIII. de republica ait, vulgus imperitum eam demum veram libertatem censere, in qua potestas faciendi sit, quod quisque velit, idemque ἀναρχίαν ἐλευθερίαν, quemadmodum ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν, nuncupare. Atque hoc vitii fuisse in libertate Syracusana, evidentissime docet Plutarchus in vita Dionis, cum diffusum ac dissolutum populi dominatum adhibitis in consilium Corinthiis adstringere voluisse Dionem commemorat, affirmatque Platonem alibi dixisse, tam laxam populi libertatem nihil aliud esse, quam universalem quendam rerum civilium mercatum. Scribit *Diodorus*, Dioclem, e primis civium istius temporis, qui Niciam & Demosthenem Duces Atticos bello captos morte plectendos suaserat & persuaserat, virum asperi & severi ingenii, facundia promptum, existimatione sapientiæ & justitiæ præcipuum, auctorem populo fuisse mutandi rempublicam & magistratuum electionem conferendi in sortem. Quod si verum, docemur, ad id usque tempus deliberato & per suffragia magistratus fuisse designatos, quod ad optimatum statum propius accedebat, & rectæ rationi erat congruentius. Et tunc demum morem sortiendi magis popularem, & infimo cuique gratiorem, at longius a recta ratione abeuntem, esse admissum. Quod an Dioclis sapientiæ ac justitiæ congruum videri queat, æstimandum prudenti lectori permitto. Mihi verosimile, plebem rebus prosperis elatam & promissa nupera reposcentem id flagitasse: Dioclem autem primoribus civitatis, ac reliquæ meliori populi parti auctorem fuisse ad avertendum majus malum a seditione impendens, ut plebis postulato cederetur: deinde ipsum cum collegis ipsi adjunctis, viris eximiis, accepta ab universis potestate, (quod addit ibidem *Diodorus*) novis legibus novum hunc statum formasse. Nec dubitare possum, quin legibus his sortiendi quoque modus certus, & quæ alia ad bonum ordinem,& commodum reipublicæ pertinere videbantur, sint definita. Et quod idem scriptor Siculus porro subjicit, Dioclem pœnas facinorum omnium asperasse, & nequitiæ osorem in scribendis legibus sese ostendisse, id istuc refero, quod laxiori libertati, cum qua peccandi libido ac licentia solet crescere, ad comprimenda vitia duriori freno opus esse ille censuerit. Ac sunt sane notatu digna, quæ de eodem viro ab eodem *Diodoro* memoriæ produntur: fuisse scilicet in sanciendis delictorum pœnis rigidum atque inexorabilem, inque mulctis omnium criminum publicorum & privatorum definiendis accuratissimum, in præmiis etiam pro cujusque dignitate ac merito decernendis justissimum: legesque ejus adeo probatas esse, ut a multis Siciliæ civitatibus, quibus latæ non erant, earum usus ultro sit receptus: ad hæc habuisse eum quidem in munere scribendarum legum collegas ingenio & prudentia excellentes, & tamen soli illi legum lationem fuisse tributam: Et fuisse post ea tempora primum sub Timoleonte Cephalum quendam, deinde sub Hierone posteriore Polydorum scribendis legibus deputatos, sed neutrum eorum legislatorem, utrumque autem legislatoris (Dioclis) explanatorem esse nominatum, propterea quod leges ipsæ antiqua dialecto conscriptæ obscuriores esse & interprete opus habere viderentur: ac fuisse ipsum Dioclem in dictionis forma brevem & adstrictum, lectoribusque considerationem multam reliquisse: denique inter cæteras leges hanc quoque scripsisse, ut morte plecteretur, qui arma gerens in forum veniret, nec valeret huic quicquam ignorantiæ, aut ullius circumstantiæ alius allata excusatio: postea ipsum ex urbe contra incursantes hostes forte egressum ense accinctum, & mox regressum in urbem, cum cognosceret contentionem ac tumultum in foro esse, recta istuc quoque accurrisse, de ense non cogitantem, atque hanc ob causam ab homine privato reprehensum, quod leges ipse suas solveret, clamasse, nequaquam hoc se factum velle, sed paratum sanguine suo eas sancire: & cum dicto semet ense suo transverberasse. Facinus grave, & Christianis legibus damnatum, attamen argumentum evidens ingentis amoris in patriam, ostendens vitam profundere eum maluisse, quam exemplo suo legum auctoritati officere, aut vim vigoremque earum hebetare. De Diocle hactenus. In statu hoc populari qui ordo fuerit, qui agendi modus, dicere difficile. Fuisse in eo senatum aliquem, numero quidem amplum, virorum scilicet DC. ex initio rerum Agathoclis apud *Diodorum* cognoscimus. Sed fama ejus perobscura, & potestas, uti existimo, exigua: ideo rara ejus mentio. Populus rerum omnium dominus erat, assiduoque in concione versabatur. Is domi summos magistratus creabat, belli Duces designabat, iis exercitus & imperia dabat & adimebat, bellum decernebat, pacem faciebat, societates & fœdera inibat, vitæ necisque potestatem in cives usurpabat, contra leges gratiam delinquentibus concedebat, exulare jubebat, ab exilio revocabat. Reliqua magistratibus, qui ut aliis in civitatibus popularibus varii erant, permittebantur. Hi erant annui: e quibus maximi στρατηγοὶ, militiæ Duces, a populo designabantur: a quo & exercitus & auspicia vel imperia accipiebant: & hi vario numero, bini, terni, quaterni, interdum plures, prout populo placebat. Et præter hos eodem nomine dictus στρατηγὸς, armorum & rerum militarium præfectus in urbe, magnæ auctoritatis, velut quietis custos, etiamsi bellum externum nullum esset. Alii fere, ceu dixi, sorte ducebantur. In his erant qui judicia varia exercebant, qui pecuniam publicam tractabant, qui civium mores curabant censebantque, qui societatibus civilibus, in quas civitas erat distincta, præerant, & id genus alii. Et quia civitas rebus maritimis propter portuum commoditatem, multum dedita erat, non pauci regundis iis quotannis præficiebantur. Verum ætatem diu ferre status iste non potuit. Erat enim nimium popularis, in quo minimum ii qui sapientia præstabant, plurimum improvidi & stulti valebant, ἀπερίσκεπτοι γὰρ καὶ ἀνοητότεροι οἱ πολλοί: qui ut fere per se minus periti sunt negociorum publicorum, ita minus quoque ad ea,

quæ publice aguntur, animos advertunt, singuli vero sua potissimum spectant, & curant, iisque occupatas mentes habent. Quapropter facillime ab illis, qui astutia pollent, in fraudem abducuntur. Quod heic accidit evidentissime. Nam vixdum octennio exacto post Athenienses in Sicilia debellatos, & reipublicæ potestatem Syracusis ad populum traductam, Dionysius Hermocratis filius, vir vaferrimi ingenii, simulator egregius, dementata plebe, & corporis sui custodia valida ab ea impetrata, tyrannidem invasit, cum flueret annus LXI. post rempublicam dominatu Polydori liberatam, qui quartus erat Olympiadis XCIII. quo exeunte Athenæ Lysandro & Spartanis sunt deditæ & muro nudatæ. Is oppressa libertate, & arce cervici civitatis imposita leges populo dedit, quas voluit, eoque usus est, ut sessor equo, cujus tergum conscendit, & os freno coercet. Bella varia & gravia gessit contra Pœnos, Siculos, Italos, magnamque Italiæ partem cum Sicilia imperio suo subdidit. Tyrannidem possedit annos XXXVII. moriensque filio Dionysio juniori reliquit, opibus, milite, classibus ita munitam, ut expugnari non posse ipsus arbitraretur. Sed filius regnandi artibus patri dissimillimus, iners, & in vitia profusus, tyrannidis suæ anno undecimo, a Dione affine, quem in exilium egerat, armis Sicilia excedere coactus fuit, & libertas qualiscunque civitati restituta. Sed Dione paulo post a suis nefarie trucidato, & rebus diu sine capite domi fluctuantibus, ac tota Sicilia fœde turbata, Dionysius occasionem speculatus decennio fere post fugam suam, confecto repente exercitu mercenario Syracusas reversus urbem cum arce recepit, & jam seipso nequior, atque in omnia flagitia effusior, ac intolerabilior populo rursum incubuit. Verum ope Corinthiorum, quos exules fuga elapsi, precibus fatigarant, ductu Timoleontis Herois optimi & felicissimi cum copiis non magnis istuc profecti, pene sine labore solio rursum dejectus, & Corinthum relegatus est, anno a morte patris XXV. qui fuit Olympiadis CIX. annus secundus, a reditu suo ab exilio quintus surgens: ludibrium fortunæ ac vulgi, & cum e Sicilia discederet navi impositus, & cum Corinthi appulit; ubi quod reliquum fuit infamis vitæ turpiter egit. Timoleon arce urbeque potitus libertatem civibus reddidit, vitia quædam ejus sustulit nimia popularitate periculosa: in Dioclis legibus interpretandis & elucidandis opera usus est Cephali Corinthii, & Dionysii eadem civitate oriundi: magistratum novum instituit summæ dignitatis, quem vocari voluit famulum Jovis Olympii, memoriam servaturum libertatis reparatæ, jussitque ejus nomine annum in actis signari, ut Athenis nomine Archontis & Romæ Consulum: quod institutum mansit in civitate Syracusana ad eam a Romanis occupatam per annos circiter CCXXXI. Primus Jovis famulus suffragiis designatus traditur Callimedes vir inter suos honoratus. Ad hæc Timoleon, quod optatissimum civitati erat, a Dione neglectum, arcem in insula nobilissima & antiquissima urbis parte, magnificentissimo opere structam, sedem tyrannorum & contra omnia eorundem monumenta, funditus evertit, excepta sola Gelonis statua, cujus memoria populo erat gratissima propter benevolentiam ejus multis modis spectatam. Tum urbem bellis & tumultibus superioribus evastatam, & cædibus fugaque civium exhaustam ædificiis rursum ornare, & habitatorum frequentia excolere cœpit. In hunc finem exules Syracusanos ex Sicilia, Græcia, Asia revocatos restituit in integrum, quos ad decem hominum millia fuisse perhibent: atque multo majorem numerum ex Siculis & vicinis Italis Græci generis dicitur addidisse. Ita solitudo urbis brevi tem-

A pore in abundantiam populi commutata fuit. Deinde armis superatos reliquos Siciliæ tyrannos evertit, Pœnos summis viribus ad occupandam & subjiciendam sibi totam insulam connixos ex insula decedere coegit, urbes desolatas instauravit, libertati locum ubique fecit. Denique Siciliam, in quam miserrime afflictam venerat, studio ac felici virtute sua cultissimam reddidit, & posthabito reditu in patriam, istic quod reliquum longævæ vitæ exegit, omnibus insulanis, in primis vero Syracusanis, velut novus civitatis conditor & libertatis instaurator gratissimus. Cui mortuo gratitudinis ergo magnificum monumentum sumptu publico structum, &
B solenni pompa quotannis parentatum. Sed Sicilia diu quiescere, & in priora mala relabens, tyrannide careret non potuit. Nam vix paucis a morte Timoleontis elapsis annis, Syracusis factiones rursum subnatæ, cum alii ad solutam populi potestatem rem traherent, alii temperatam pauciorum eminentium auctoritate & consilio regi eandem mallent, fores ad invadendum dominatum Agathocli homini novo iterum aperuerunt. Hujus pater Rhegio exulans fortuna tenui, mater Sicula paupercula, ipse infans a patre expositus, sed cura matris servatus, cum in ætate adhuc minore esset, in officinam figulinam datus, eamque artem edoctus, & eandem aliquan-
C diu factitans, deinde cum patre ex obscuro Siciliæ oppido Syracusas commigrans, ac a Timoleonte in numerum civium adscriptus, corporis specie egregius, robore validus, ingenio acris, a morte patris divites nuptias fœminæ Syracusanæ iniit. Tum miles factus per gradus ad præfecturam mille militum pervenit, ad omnia militiæ munia aptus, consilio & manu promptus, gloriæ & potentiæ avidus, militibus apprime carus, iisque sibi devinciendis mirus artifex, variis armorum casibus ja-
D ctatus. Ex Italica militia (illuc enim Crotoniatis contra Brutios auxilia Syracusani miserant) Syracusis tandem repetitis, inimicum factioni eorum, sub quibus in Italia ordines duxerat, propterea quod pauciorum potentiæ studiosi audirent, & acrem hostem se tulit, hominibusque popularibus plurimum sese commendavit. Dein suspectus rerum novarum, quasi libertati insidians, vix astu singulari e periculo capitis elapsus, mox militem cogens, & in metum Syracusanos conjiciens, revocatus domum in omnes occasiones occupandæ tyrannidis animum intendit. Simulabat serium studium tuendi status popularis; eaque simulatio-
E ne effecit, ut a popularibus præfectus armorum simul & custos pacis designaretur tantisper, donec solida concordia, quæ multis modis dissilierat, in civitate rursum coiret. Erat in civitate synedrium, ut vocat *Diodorus*, virorum DC. senatus amplioris instar, in quod lecti tum erant auctoritate & opibus inter cives præcipui, quod speciem aliquam paucorum potentiæ præ se ferre videbatur. Id vero maxime obstare consiliis suis Agathocles existimabat. Itaque ei opprimendo curas omnes intendebat. Interea subito vel exortus, vel subjectus rumor est, a conjuratis tumultus cieri in mediterraneis insulæ. Qua occasione usus
F ille, & potestatem nactus augendi militem, sine mora factiosissimum quemque & sui studiosissimum sibi adscivit, quasi tumultuantes conjuratos coerciturus. Verum vim alio vertit. Nam vocatos ad se nonnullos, qui in concilio sexcentorum eminebant, velut de republica cum ipsis deliberaturus, postquam venissent deducti ab amicis, statim insidiarum sibi paratarum insimulatos comprehendi a militibus jussit: mox questus in cœtu militum de periculo capitis sui, & mentitus, venisse hos tanto numero a sexcentis missos (venerant autem XLII.) ut sese abreptum ad DC. abducerent. Atque hac

oratione vulgo militum commoto, & sine mora vindictam postulante, signa canere, ac sontes trucidari, & res sexcentorum, omniumque qui cum iis facerent, in prædam verti præcepit. Tum vero licentiæ ac sceleri nequissimorum militum laxatis habenis, promiscuis cædibus atque aliis facinoribus diris tota urbs repleta, nec solum illi, quos Agathoclis crudelis sententia notaverat, sed alii quoque, qui aut locupletes erant, aut olim militum aliquem ulla re offenderant, in plateis, in ædibus, in templis passim trucidati, domus effractæ, stupra palam patrata, nullum injuriæ aut contumeliæ genus omissum, opes omnes direptæ. Periisse ait *Diodorus* eo die innocentium civium supra quatuor millia, fuga evasisse per mœnia delapsos plures quam sexies mille, eosque in vicinis oppidis esse servatos. Addita diurnis facinoribus sequens nox, ac dies altera, ad explendam sceleratam libidinem, & satiandos crudeles animos: in propinquos profugorum omnibus injuriis & contumeliis sævitum. Tertio die captivorum aliis mactatis, aliis urbe ejectis, Agathocles concione civium advocata, & in ea factorum suorum ratione exposita, purgasse se civitatem caterva hominum dominatum affectantium jactavit: simulque integram ac illibatam libertatem populo se traditurum, & jam nunc defunctum laboribus ac periculis vitæ privatæ semet redditurum, & cuivis uni e populo parem futurum dixit: ac cum dicto detracto sibi & conscisso paludamento, & veste communi sumpta abire cœpit. Sed prohibitus a multitudine, cujus voluntas ipsi ignota non erat (magnam enim partem consiliorum consciam, ac patratorum scelerum participem habebat) & retinere potestatem rogatus, sic demum assensit, si sine collegis imperium sibi tenere liceret. Dicebat, grave sibi fore, eorum quæ collegæ committerent, id quod lex juberet, rationem reddere. Cui cum adstipulata concio esset, confestim designatus fuit strategus αὐτοκράτωρ. A quo tempore curis omnibus reipublicæ in se receptis jam sine contradictione dominatum tenuit, aliis præ metu necessitati parentibus, aliis mutatione ipsa lætis, multis, qui tenui in re erant, largitionum spe acquiescentibus. Nam in concione novas tabulas dispungendorum nominum, & agrorum divisionem Agathocles promiserat. His ita constitutis velut repente mutatus, missis cædibus & injuriis benignum ac facilem se omnibus dedit, multos beneficiis, alios promissis sibi devinxit, humanus, affabilis, in tanta potentia nec diadema sumpsit, nec custodia corporis more aliorum dominantium se muniit. Reliqua, quæ ad tuendum imperium pertinebant, struendis ac reficiendis longis navibus, parandis armis, conficienda commeatuum copia summo studio curavit. Occupata ab eo tyrannis est Olympiadis cxv. anno quarto, qui fuit post relegatum in Græciam Dionysium, & reparatæ libertatis initium vicesimus sextus. Post quæ idem Agathocles varia bella gessit, primum in Sicilia contra exules Syracusanos, Agrigentinos, Gelaos, Messanenses, & hostes gravissimos & potentissimos Pœnos: deinde ut armorum Punicorum mala ex patria in terram hostilem transferret, anno dominatus sui VII. qui erat Olympiadis CXVII. annus tertius, omnibus domi contra motus intestini pericula constitutis, cum exercitu in Africam trajecit, & vario successu bello illic administrato, demum relicto ibi filio natu maximo Archagatho ad continuandum bellum, ipse in Siciliam rediit, & multis ibidem casibus jactatus ob adversam filii fortunam denuo in Africam profectus, sed & ipse deteriore quam ante fortuna usus, desertis duobus filiis cum exercitu furtim in Siciliam sese recepit, exacto post primum in Africam adventum anno quarto. Dein cognita filiorum suorum nece, quos irati milites in Africa occiderant, in rabiem versus, composita, ut poterat, cum Pœnis pace, in omne genus crudelitatis se effudit, Siciliamque, quæ sub Pœnis non erat, armis turbavit, eaque subjecta in proximam Italiæ oram transgressus, cum Brutios metu consternatos sibi subjecisset, atque inde in Liparam insulam vicinam trajecisset, ac Liparæos omni auro profano & sacro exspoliasset, Syracusas repetiit, sed omni præda in itinere naufragio amissa, vix ipse incolumis eo pervenit: ubi gravissimo morbo correptus, & doloribus tortus infamem tandem animam anno ætatis suæ xcv. in arce, tyrannidis sede, efflavit, conjuge cum parvulis liberis & regia gaza in Ægyptum paulo ante dimissa, cum etiam pene moribundus filium a nepote regni causa occidi vidisset. Vivendi finem fecit Olympiadis CXXIII. anno secundo, qui fuit tyrannidis ejus tricesimus. Status Syracusarum a morte ejus fluctuans per totum decennium demum cum reliqua Sicilia in Pyrrhi Epirotarum Regis, Agathoclis generi, qui ex Italia evocatus illuc venerat, potestatem incidit. Sed hoc a fortuna paulo post in Sicilia deserto, atque in Italiam reverso, rebus Siciliæ rursum turbatis, hinc Pœnis, inde Mamertinis veteribus Agathoclis militibus infestantibus, Hiero oppido adhuc juvenis, Prætor & belli Dux a Syracusanis creatus, bello feliciter administrato, Rex tandem Syracusarum declaratus fuit Olympiadis centesimæ vigesimæ septimæ anno tertio, post initium præturæ sexto. Hoc prudenter ac feliciter Syracusis regnante, & varia bella gerente, Sicilia in partes distracta, Romani a Mamertinis Messanam tenentibus, quos hinc Hiero & Syracusani, istinc Pœni premebant, in auxilium vocati, atque insulam ingressi arma contra Pœnos & Hieronem ceperunt. Deinde Hierone sibi sociato, de reliqua Sicilia, quæ Hieroni non parebat, cum Pœnis decertarunt, demumque eos tota insula decedere, & imperio ejus renunciare coegerunt. Quod factum Olympiadis CXXXIV. anno tertio, cum bellum continuo gestum fuisset annos XXIII. Eo bello, quod Punicum primum Romani vocarunt, durante, & subsecuta pace, belloque inter easdem civitates Romam & Carthaginem renato, Syracusæ sub Hierone Rege optimo, & Romanorum socio fidissimo fuere felices, ut non procul a conditione libertatis abessent. Abundarunt populi frequentia & opibus, floruerunt omnium artium ac artificum genere, tum splendore ac magnificentia ædificiorum publicorum & privatorum, ac variorum operum excelluere, atque admirabiles fuere. Obiit Hiero grandævus Olympiadis CLXI. anno primo, qui erat belli Punici alterius annus quartus, cum natus annos XX. Prætor rempublicam gerere, & XXVI. regnare cœpisset. Hæredem regni reliquit Hieronymum ex filio Gelone præmortuo nepotem, annos tum natum XV. exoratus a filiabus. Nam veritus id quod accidit, Syracusas eo tempore, ut dixi, florentissimas, libertate donare constituerat. Hieronymus successor degener posthabitis avi postremis monitis ac mandatis, & contemptis, quos ipsi avus moriens dederat, tutoribus & consiliariis, totus in fastum tyrannicum versus, & invisus omnibus bonis factus, ac relictis Romanis cum Pœnis fœdere junctus, altero regni initi anno Leontii a suis est interfectus. Sed ejus morte nihil profectum. Nam qui perniciosorum consiliorum auctores ei fuerant, & ad Pœnos rem trahebant, quorum Principes erant Hippocrates & Epicides, scelerata fraude civitatem turbatam variis motibus huc illuc impulerunt, impulsam armis suis oppresserunt, & ex ea Romanos infestare cœperunt. Romani Syracusas obsessas, & terra marique diu oppugnatas Duce M. Marcello tandem expu-

gnarunt, & cum reliqua Sicilia Pœnis depulsis in formam provinciæ redegerunt. Expugnatio hæc, in qua Mathematicorum ingeniosissimus, & mirificorum operum artifex maximus Archimedes, studiis suis intentus periit, accidit Olympiadis CXLI. anno quarto, qui erat urbis Romæ conditæ DXLII. Appio Claudio Pulchro, & Q. Fulvio Flacco III. Consulibus, ab initio regni Hieronis LVIII. ex quo idem Prætor creatus fuerat LXIIII. Tum Syracusæ ornamentis plurimis, quæ tolli poterant, operibus clarissimorum artificum spoliatæ, eaque Romam translata: urbs tota fœde direpta a militibus, ædificiis alia injuria non illata, cædes inermium nullæ factæ. Dehinc urbs eadem sub imperio populi Romani quieta mansit, intacta bellis servilibus, adhuc florens tempore Ciceronis, ut ex actionibus ejus in Verrem satis conspicuum est, demum a Sexto Pompejo Siciliam contra C. Cæsarem Octavianum, & M. Antonium obtinente fœde vastata, & sensim sequenti ævo maxima sui parte desolata. Reliquiæ denique intra insulam, olim partem ejus minimam, arctatæ.

DE REPUBLICA ET STATU CORCYRÆORUM.

STATIM post Syracusas ab Archia Corinthio in Sicilia conditas, ab iisdem Corinthiis colonia alia in Phæacum insulam, ab Homero in Odyssea celebratam, missa fuit Duce Chersicrate e genere quoque Heraclidarum, ut prodit Strabo libro VI: ex quo tempore insula cum nova colonia nuncupata fuit CORCYRA. Homerus Troicis temporibus a nobilissimo populo Phæacensi insulam habitatam fuisse, & Regem habuisse Alcinoum Nausithoi filium tradit: & hunc ait Ulyssem post longos errores excisa jam Troja in insulam istam venientem hospitio excepisse, & auxilio ei fuisse ad repetendam patriam Ithacam. Idemque memorat in eadem insula urbem tunc floruisse Scheriam nomine, sedem regiam Alcinoi, gemino portu hinc inde urbem cingente felicem: populum vero jam tum ait rei maritimæ deditum navigandi fuisse longe peritissimum. Et Plinius ex Homero affirmat, insulam cum urbe olim tum Scheriam, tum Phæaciam esse appellatam. Sita ea est in latere Epiri, qua Thesprotii colunt, extra sinum Adriaticum, non procul distans a continente, XCVII. pass. millibus, ut scribit idem *Plinius*, in longum patens. In hanc igitur insulam affirmat *Strabo* Corinthiorum coloniam esse deductam, Principe Chersicrate Heraclida, eadem ætate, qua Syracusæ ab Archia fuere conditæ, & dicit, in solo vetustæ urbis Scheriæ, ejectis inde prioribus habitatoribus Liburnis, colonos hos novos fuisse collocatos. Liburni vero an ex posteris Phæacum fuerint, an pulsis Phæacibus locum occupatum ad id usque tempus tenuerint, incertum. Colonia nova, ut dixi, Corcyræ nomen accepit, idque ei cum tota insula factum commune, veteri nomine obliterato. Hæc etiam ita opibus & populi frequentia celeriter crevit ob situs commoditatem, & opportunos portus, recipiendis & emittendis navibus multis maxime idoneos, ut in alia loca colonos ipsa emiserit, novasque civitates quoque genuerit: quod de Epidamno, quæ Latinis est Dyrrachium, ex *Thucydide*, de Apollonia ex *Strabone* constat, utraque in Taulantiis, qui Illyriorum pars sunt. Posita urbs est in eo insulæ latere, quod continentem spectat, circiter mediam lateris concavi & cum primis sinuosi longitudinem, in peninsula in mare procurrente, solo plano, portu duplici insignis, agro totius insulæ amœnissimo, vitibus & arboribus fœcundis obsito. Forma reipublicæ initio similis Corinthiæ, ut solent Metropoles coloniis suis eandem, quam ipsæ tenent, rempublicam tradere. Erat autem tum, cum condita Corcyra est, respublica apud Corinthios in potestate paucorum Optimatum e gente Bacchiadarum ab Hercule originem trahentium. Et cum Corinthus tyrannide pressa fuit a Cypselo & Periandro, etiam ipsa imperio tyrannorum paruit, ut in iis, quæ de Corintho scripsimus, est expositum. Cumque Lycophronem Periandri filium Corcyræi interfecissent, ne Periandrum ferre præsentem cogerentur, iratus Periander delectos ccc. Optimatum filios, florem civitatis, castrandos Halyatti Lydorum Regi amico suo, usus in id opera Corinthiorum, transmisit: quos tamen ne fortunam tam indignam subirent, servatos Samii domum incolumes remiserunt. Quod factum paulo ante mortem Periandri. Hoc vero beneficium Corcyræis præstitum a Samiis tam graviter tulisse Corinthios, perhibet *Herodotus*, ut armis propterea Samios cum Lacedæmoniis sint persecuti; idque argumento esse, ait, jam tum animis discordes fuisse Corinthios & Corcyræos, imo simultates inter se habuisse ab initio pene conditæ Corcyræorum coloniæ. Odium autem ex eo tempore inter eos crevisse, maxime est verisimile. Causas vetustæ discordiæ simul & recentis exponit *Thucydides*, in originem & occasiones belli Peloponnesiaci inquirens. Epidamnum coloniam annis circiter LXXXV. postquam ipsi in Phæacum insulam deducti fuerant, Corcyræi in ora maritima Taulantiorum, missa istuc redundante apud se populi multitudine condiderant, sed non sine auctoritate & ope Metropolis Corinthi. Nam hæc petentibus Corcyræis deducendæ coloniæ principem Phalium Heraclidem ex civium suorum numero, uti lex & mos habebat, dederat, & e civibus quoque suis, ac Doribus aliis ex reliqua Peloponneso colonorum numerum auxerat. Quæ nova colonia idoneo loco collocata cum etiam brevi tempore magnum incrementum cepisset, rebus secundis, ceu fit, luxurians in discordiam civilem delapsa, atque hujus occasione armis Taulantiorum petita non parvam rerum suarum ac virium jacturam fecit. Demum plebs in primores ira incensa civitate eos expulit. Expulsi ad Taulantios vicinos se contulerunt, & eorum ope atque armis Epidamnum terra marique infestarunt. Epidamnii, qui in urbe manserant, in angustias redacti Corcyræos conditores & patronos suos missis legatis supplices rogarunt, ut auctoritate sua exules ipsis reconciliare, & Taulantios ad arma ponenda inducere vellent. Sed rejecti ab iis, sive quod causam supplicum improbarent, seu quod aliud tum animo versarent, ex monito oraculi Delphensis ad Corinthios ivere, & illis coloniam dediderunt. Corinthii diversis causis moti, imo occasione gavisi, auxilia promiserunt. Præcipua causarum erat, quod Corcyræis irascerentur, qui fortuna insolescerent, nec eum honorem, quem coloni debebant Metropoli, exhiberent. Et jam istuc fortunæ Corcyræi pervenerant, ut pecunia & classibus plus posse quam Corinthii putarentur. Itaque occasione hac oblata freti societate aliorum humiliare eos Corinthii constitue-

runt: ſimulque auxiliis ſociorum ac amicorum uſi novos colonos & præſidium armatum Epidamnum confeſtim miſerunt. Qua re cognita excitati Corcyræi, & ab exulibus exorati, qui ſe Corcyram jam contulerant, claſſem ſtatim iſtuc amandarunt, & Epidamnios juſſerunt tum exules ſine mora recipere, tum præſidium Corinthiorum, ac novos colonos dimittere. Quæ cum ab Epidamniis rejicerentur, & a Corinthiis ingens apparatus fieret, iidem miſſis Corinthum legatis ſuis & adhibitis Spartanis ac Sigoniis [1], quos teſtes rei actæ eſſe cupiebant, ad omnia ſe æqua obtulerunt. Sed contempti a Corinthiis, qui omnino bellare conſtituerant, etiam ipſi ad vim ſeſe pararunt. Et paulo poſt prœlium navale commiſſum eſt non procul Actio promontorio, in quo pro Corinthiis LXXV. a parte Corcyræorum LXXX. naves armatæ depugnarunt, adverſa Corinthiorum fortuna: tropæum a Corcyræis erectum. Atque eodem illo die Epidamnus ab aliis Corcyræorum navibus XL. & exercitu Illyriorum, quos ſibi ſocios Corcyræi adſciverant, obſidione preſſa victoribus ſe dedidit. Victores mari illic longe lateque potiti frementibus Corinthiis, atque omni ſtudio ad majorem claſſem inſtruendam, vireſque ex Peloponneſo & aliunde augendas, hoc & toto ſequente anno incumbentibus. Corcyræi vero interea, nullis Græcorum hactenus ſociati, Athenienſes ad ineundam ſecum amicitiam ac ſocietatem, fruſtra obnitentibus Corinthiis induxerunt. Dehinc omnibus utrinque paratis Corinthii jam navibus inſtructi CL. in conſpectu urbis Corcyræ, cum Corcyræorum navibus CX. & Atticis X. rurſum conflixere. Ea pugna gravis & pertinax fuit, victoria anceps, cum altero cornu hi, altero illi ſuperarent. Corcyræorum CCL. captivi e primoribus civitatis Corinthum avecti, eo conſilio, quemadmodum ait graviſſimus auctor *Thucydides*, ut periculum fieret, anne per eos benigne in cuſtodia habitos, & honeſto titulo domum dimiſſos Corcyra in partes Corinthiorum traduci poſſet. Hæc Athenienſium ſocietas cum Corcyræis acerbe accepta a Corinthiis, quanquam circumſpecte ſatis inita, tamen ſtimulus his ingens fuit ad conflandum contra ipſos atrociſſimum bellum Peloponnenſe, quod deſcripſit *Thucydides*. Athenienſes autem eo facilius permoveri ſe ſiverunt, ut hoc fœdus cum Corcyræis paciſcerentur, quod jam tunc proſpicerent tempeſtatem belli e Peloponneſo verticibus ſuis impendere. Nec enim ignorabant ob creſcentem maritimam potentiam ſuam invidia adverſum ſe tumere Lacedæmonios, & cauſas bellandi honeſtas tantum quærere, ſociiſque ſe munire: Corinthios vero jamdudum ſe odiſſe: Thebanos vicinos ſuos ira quoque in ſeſe ardere: & ab his omnibus alios quoque intra & extra Peloponneſum in partes trahi. Itaque Corcyræos rebus maritimis ante alios Græcos plurimum valentes malebant ſibi devincire, quam deſertos ab ſe accreſcere eoſdem partibus adverſis. Acceſſit Corinthiis & ſtimulus alter ex Potidæa colonia ſua paulo poſt obſeſſa & oppugnata ab iiſdem Athenienſibus. Dimicatum ad Corcyram quinquennio fere ante initium belli Peloponnenſis, Olympiadis LXXXI. anno primo inituro. Potidæa obſideri cœpit biennio poſt, & pugna ad eam commiſſa inter Athenienſes & Corinthios, cum duraſſet obſidio annos duos & menſes aliquot, ſemeſtri ante belli Peloponnenſis principium. Dein quinto belli hujus anno, cum flueret Olympiadis LXXXVIII. annus primus, atrociſſima ſeditio Corcyram pene evertit. Nam captivi, de quibus dixi, domum a Corinthiis dimiſſi, verbo, ut pretium redemptionis ſuæ, talenta LXXX. pro quibus Corinthii quidam ſpopondiſſe dicebantur, conficerent, re vera, ut traducendæ in partes Corinthiorum Corcyræ darent operam, ſtatim a reditu ſuo in id, quod in mandatis acceperant, incubuerunt. Sategerunt ſcilicet ſuffodere civium multorum animos, & a ſtudio partium Atticarum eos avertere. Nec parum in hoc profecerunt. Erat partium illarum, quæ Athenienſibus ſtudebant, Princeps Peithias, in ſenatu & populo præcipuæ auctoritatis; quem quoquo modo perditum cupiebant. Cumque proditionis paratæ accuſatum in judicio abſolutum fremerent, ab eoque jam ſeſe recriminante & judicio perſequente ſibi metuerent, coitione facta, ſumptis pugionibus in curiam irrumpentes Peithiam cum ſenatus parte trucidarunt: eodem furoris impetu privatos etiam quoſdam, quos oderant, obtruncarunt. Cæſi omnes fuere LX. Hoc principium ſequentium ſeditioſarum & cruentarum actionum fuit, quibus hinc Athenienſes, inde Corinthii, & in horum gratiam Lacedæmonii aliique in Peloponneſo ſubmiſſis auxiliis ſeſe miſcuere: quorum immanitas fidem pene ſuperans, qua cives in cives variis modis, diverſis locis & temporibus ſævierunt, cum nec vicini vicinis, propinqui propinquis parcerent, nec liberi a parentibus manus abſtinerent, nec fana & aræ ſupplicibus ad miſericordiam prodeſſent, civitatem fortuna & viribus exhauſit, atque ita calamitatibus omnis generis obruit, ut quocumque te verteres miſerrima rerum facies conſpiceretur. Tanta acerbitas partium tum fuit: locum proverbio res dedit, ut quævis cruenta & atrox ſeditio Corcyræa diceretur. Finem accepit immanis tragœdia decurrente æſtate anni VII. belli Peloponneſiaci, qui concurrebat cum Olympiadis LXXXVIII. anno quarto. Nec Corcyræis ſolum calamitati hæc tragœdia fuit, ſed exemplo quoque plurimis Græciæ civitatibus nocuit, quæ eodem furoris æſtu correptæ in ſimillimos motus civiles cruentos exarſere. Hiſtoria fuſe a Thucydide deſcripta eſt libro III. Victoria penes populares ope Athenienſium adjutos ſtetit, a quibus crimini adverſæ factioni datum, quod popularem ſtatum ſubruere ſatagerent. A quo tempore penes populum ſumma reipublicæ poteſtas Corcyræ manſit, perſtititque civitas in ſocietate Athenienſium, quiete uſa domi per annos quaſi LII. ad annum ſcilicet tertium Olympiadis CI. Eo autem anno vicinorum Zacynthiorum exemplo commoti, qui ægre ferebant, in poteſtate populi civitatem eſſe, clam miſſis Lacedæmonem hominibus ſuis ſollicitando & promittendo effectum dederunt, ut Lacedæmonii ſpe occupandæ urbis ad parandum vicini maris imperium opportuniſſimæ claſſem cum exercitu iſtuc mitterent a ſociis adjuti, urbemque Corcyram terra marique obſiderent. Sed obſidionem fortiter ſuſtinuere obſeſſi, & fiducia auxilii Attici adventantis animoſiores facti, obſervata obſidentium negligentia erumpentes in confuſionem primum eos dederunt, mox fortunam ſequentes, cæſo eorum Duce, qui ad ferendam laborantibus opem accurrerat, caſtris eoſdem exuerunt: & advecto jam cum claſſe & copiis Attico Duce Iphicrate, freti ope ejus tota inſula exegerunt, naveſque Peloponneſias, in quas trepidi ſe conjecerant, fuga ſibi conſulere coegerunt. Sic quies Corcyræis reparata, & totum mare Ionium Iphicratis opera tutum tranquillumque redditum. Sequentia Corcyræorum obſcura. Hoc ſolum ex Plutarcho in vita Pyrrhi cognoſcimus, urbem ab Agathocle Syracuſis dominante occupatam fuiſſe, & in dotem Lanaſſæ filiæ ipſius Pyrrho Epiri Regi nubenti ceſſiſſe: deinde cum Lanaſſa pertæſa conjugii iſtius a Pyrrho ſe ſeparaſſet, Corcyram habitatum eam rediiſſe: nuptam vero denuo cum Demetrio Antigoni filio Corcyram quoque in dotem ei attuliſſe: eum præſidio eam muniiſſe. His

1. Thucydides habet Σικυωνίοις, & hos ſcripſit *Emmius*.

Po

Polybius addit, Corcyram obsidione pressam a Teuta Illyriorum Regina auxilium ab Achæis & Ætolis amicis suis rogasse, sed ob tardatum diutiuscule auxilium coactam fuisse Illyriis se dedere, præsidiumque eorum in urbem recipere: at non diu post superveniente exercitu Romano cum Consule Cn. Fulvio, excusso Illyridis Reginæ imperio, non adversante præsidii præfecto, potestati Romanorum se permisisse. Quod factum anno urbis Romæ conditæ DXXV. Olympiadis CXXXVII. anno quarto. Post quæ mansit Corcyra sub imperio Romano, A non solum durante Romanorum libertate, sed multis quoque sæculis deinceps, Imperatoribus rerum potientibus. Factaque imperii divisione Byzantinis cohæsit ad tempora Manuelis Comneni: cui eam ademit Rogerius Normannus Siciliæ Rex. Rogerio vero extorsere rursum Veneti Duce Petro Polano in auxilium a Manuele vocati circiter annum æræ Christianæ MCXLVI. A quo tempore quanquam semel atque iterum clade consternata in clientela Venetorum mediocri fortuna ad præsens hoc sæculum Corcyra floruit.

DE SAMO, & EJUS REPUBLICA.

SAMUS urbs antiquissima & clarissima, eademque olim præpotens, sita in insula cognomine, non procul ab ora Asiæ minoris, qua Jonia dicitur, disjuncta, quæ in ambitu habebat stadia quasi DCC. quam dictam plerique putant ab altitudine, (hoc enim vocabuli hujus significatum veteribus) Tota enim quasi in montem se attollit. Quanquam alii a primis habitatoribus Græcis e Samo Cephaleniæ profectis, quæ & ipsa situ sublimis fuit, sic nuncupatam arbitrentur. Vitibus infelix, arboribus frugiferis, & satis felicissima, si *Straboni* credimus, qui major fide quam *Apulejus*, qui diversum tradit. Ephesο ac Ephesiæ oræ & promontorio montis Mycales, a quo freto stadiorum XL. sejungitur, vicina, nec longe remota ab insula Icaria, quam ad Occidentem intuetur, dictam vero Asiæ oram ad Orientem. Cujus situm ac formam accurate depingit Strabo libro XIV. Antiquissimi indigenæ Cares fuere lingua, & institutis diversi a Græcis. Clarissima colonia in eam Jonici generis deducta Principe Androclo Codri postremi Atheniensium Regis filio. Ab his colonis Samus urbs condita, habens portum percommodum & amplum, posita majore sui parte loco plano atque humili, quadam vero parte in collem se erigens: opibus & populi frequentia, & ædificiorum multitudine celeriter aucta, Junonis fano vetustissimo celebris, inter Jonicas urbes XII. numerata, & sacri conciliique Panionii particeps, Mileto, Ephesο, Chio, quæ inter Jonicas eminebant, non inferior, libera cæteroqui & sui juris. Interdum tamen Regum imperio usa, nisi errat Herodotus. Is enim libro Historiæ suæ III. ait, Samios bello infestasse Æginam ἐπ' Ἀμφικράτεος βασιλεύοντος ἐν Σάμῳ, utrique parti damnoso: atque hanc fuisse causam Æginetis, cur Samiis exulibus in Creta domicilium habentibus sequenti sæculo arma cupidius intulerint. Verum quo sæculo Amphicrates ille regnaverit, non indicat. Hoc vero constat ex eodem *Herodoto*, Lydorum primorumque Regum Persicorum armis, propterea quod insulares essent, intactos Samios mansisse, reliquis Ioniæ urbibus, quæ in continenti erant, jam peregrino imperio subjectis. Sed vim libertati eorum fecit Polycrates civis, tyrannidem invadens, cum Cyrus in Asia rerum potiretur, & Pisistratus Athenis dominatum teneret. Hic prodigiosæ felicitatis tyrannus, amicus Amasis Ægypti Regis, opibus famosus, civibus suis invisus, ac sibi ab iis metuens, captata occasione cum Cambyses exercitum pararet ad domandum Ægyptum, sponte auxilia maritima illi promisit, addita hac conditione secreta, ut daret Cambyses operam, ne Samii auxiliares unquam redirent in patriam. Quo conditionem non recusante, cives, quos maxime suspectos habebat, nu- B mero plurimos in classem descripsit, emisitque tanquam in Ægypto militaturos, vere velut perpetuo exulaturos, aut in bello perituros. Hi varia jactati fortuna, tentato etiam per vim reditu, sed successu frustrati, demum ad opem Lacedæmoniorum convolarunt. Lacedæmonii exorati suscepta expeditione, urbe nequicquam oppugnata, re infecta domum rediere. Sed Polycrate tandem insigni fraude circumvento, & indigna morte perempto ab Orœte Persa, cum fuisset omnium Græcorum tyrannorum in eam usque ætatem splendidissimus, in res ejus successit Mæandrius quidam, ejusdem procurator, de quo multa *Herodotus*. C Cui opera Otanis Persæ ex voluntate Darii Regis disjecto & profugo surrogatus Syloson Polycratis frater, & simul Samus contra mentem Darii graviter afflicta. Hic asper ingenio durius civitatem pressit. Quem mortuum in dominatu excepit Æaces filius clientela Persica fretus, sed non multo post dominatu dejectus ab Aristagora Milesio totam Joniam contra Persas commovente. Ita Samus libertati restituta, & reliquis Jonibus sociata. Verum a morte Aristagoræ, Dionysio Phocensi partes ejus sustinente, cum jam classis Jonum in procinctu esset, ac se se ad pugnam pararet contra Phœnices a D Dario armatos, Samiarum navium præfecti persuasi ab Æace nuper tyrannide exuto, in ipso prœlio jam conserto socios deseruere; quorum exemplo alii quoque turbati fugæ se dederunt. Soli Chii in pugna constantes perstitere, navibus freti centum, iisque milite & instrumento necessario bene instructis, donec fessi labore, plerisque etiam navibus in prœlio amissis, ipsi quoque fortunæ cessere. Tum Miletus ab hoste Persa capta, ac pessime mulctata; cives, qui cædi superfuere, in Persiam abducti, conjuges & liberi in prædam versi, urbs vastata, ager inter hos divisus. Samii, quibus Ducum suorum per- E fidia vehementer displicebat, aut similia metuentes, aut Æacis imperium, quem sine dubio reducturi victores erant, subire nolentes, conscensis celeriter navibus, antequam ille adveniret, relicta patria cum paucis Milesiis fuga elapsis in Siciliam delati, Zanclam tum forte ab habitatoribus desertam occuparunt, ibique sedes posuerunt. Reliqui domi manentes Æacem dominum receperunt. Urbi a Persis parsum ob proditionem: Chius, Lesbus, Tenedus anno sequente a Persis & Phœnicibus in potestatem redactæ, & afflictæ vehementer: Cæteræ F civitates Jonicæ in continente etiam subjugatæ. Abhinc tota Jonia jugum Persicum pertulit ad id tempus, quo post Xerxem & Mardonium devictos Persæ tota Græcia ejecti, etiam imperium in Jonas dimittere sunt coacti. Ita Samus quoque libertati reddita, & cum Chiis & Lesbiis fœdere cum Græcis

victoribus conjuncta. Classis Jonum debellata ac A dissipata a Phœnicibus & Persis Olympiadis LXXI. anno primo. Jonia jugo Persico liberata Olympiadis LXXV. anno secundo: intervallum annorum circiter XVII. Dein post annos a recuperata libertate XXXVII. Samii cum Milesiis de Priene urbe Jonica bello cœperunt contendere; quo Milesii victi ad opem Atheniensium, penes quos tunc rerum maritimarum arbitrium fere erat, confugerunt. Quibus cum tacita voluntas multorum Samiorum accederet, Athenienses alacrius istuc profecti cum classe navium XL firmandarum partium suarum ergo statum popularem apud Samios instituerunt, captisque obsidibus LXXX. & in custodia ad Lemnios B transmissis, ac præsidio urbi imposito domum se retulerunt. Sed nihil profectum. Nam Samiorum quidam sub adventum Atheniensium, re cum potentissimis civitatis comparata, in continentem profugerant. Hi cum Pissuthna Persa Sardium præside, societate juncta, ejusque auxilio valida manu militum confecta, cum ea in insulam redicere, & pugna cum populo contracta, victoriaque parta urbem recepere, præsidiarios Athenienses Pissuthnæ tradiderunt, denique Lemnum petentes etiam obsides recuperatos in patriam revexerunt. C Hac porro fortuna elati ad bellum contra Milesios se pararunt, Byzantiosque in partes suas traxerunt. Quibus auditis Athenienses majoribus viribus bellum in Samios instaurarunt præcipuo Duce Pericle, vocatis etiam in auxilium Chiis & Lesbiis, & mari terraque victis hostibus urbem obsessam deditione ceperunt, obsidionis mense nono. Tum muri urbis diruti, dati rursum obsides, traditæ naves, præsidium receptum, in impendia belli hujus pecuniæ promissæ. Byzantini quoque reconciliati. Facta hæc novennio ante initium belli Peloponnesiaci circiter Olympiadem LXXXV. ineuntem. A quo tempore in Atheniensium societate, ac in statu D populari Samus perstitit per annos XXIX. ad annum scilicet belli Peloponnesiaci XX. Isto vero anno cum, post cladem Siculam multæ civitates ab Atheniensibus deficerent, &, ut habet natura hominum, ad motum fortunæ se quoque moverent, relictisque adversa forte pressis, felicioribus accederent, Samii quoque qui genere atque opibus eminebant, ac populi potestatem ægre admodum ferebant, ad eam subruendam consilia coquebant. Sed plebs re animadversa, ope Atheniensium, qui cum tribus navibus forte in portu erant, consilia ista antevertens, correptis subito armis primates occupavit, & eorum circiter ducentos morti dedit, alios quadringentos in exilium pepulit: res cæsorum & exulum invasit, sibique vendicavit. Tum plena libertas Samiis decreto Atheniensium confirmata. Illi reliquis in republica ordinatis, etiam iis, qui agrum colerent, jus certum definiverunt. Deinde cum belli maritimi vis circa Asiæ maritima maxime concurreret, Samus velut belli arx Atheniensibus aliquandiu fuit; & domi rebus eorum ob abrogatum populi imperium, atque id ad quadringentos translatum turbatis, cum fugerent Athenis qui paucorum dominatum ferre non poterant, alterius civitatis Atticæ speciem Samus eadem habuit. Illic de republica non minus quam Athenis deliberatum: illorum qui ibi tunc erant, metu ac minis populo potestas restituta. Nec ante defecit Samus ab Atheniensibus, nec statum popularem deseruit, quam Athenæ ipsæ debellatæ in potestatem hostium devenere. Tum vero ea a Lysandro victore obsessa & oppugnata etiam deditionem fecit. Dedititii cum singulis vestimentis exire urbe jussi, cæteris rebus omnibus exuti. Urbs cum republica exulibus reddita: pro populari imperio δεκαρχία illic instituta, Decarcharum fidei respublica, & societatis Laconicæ custodia commissa. Sed vix elapso decennio, parta a Conone victoria navali ad Cnidum, imperioque maris Atheniensibus restituto, rediit ipsa quoque ad societatem Atheniensium: at rursum a quadriennio cum Rhodiis, & vicinis aliis Lacedæmoniorum partibus se reddidit, fortunam eorum, qui plus poterant, sequens. Iterum vero cum in potestatem Tigranis Persæ regii præfecti forte venisset, isque præsidium ei imposuisset, a Timotheo Cononis filio Duce Attico cum classe istuc delato obsessa, & dejecto præsidio libertati reddita fuit. Nec quicquam præterea in rebus Samiorum apud Historiographos veteres memorabile: videturque post id tempus fortuna urbis hujus sensim decrevisse, & mediocris omnino ad sæculum primorum Cæsarum Romanorum pervenisse. Siquidem & libertate a Cæsare Augusto donata fuit, & cum civibus abundaret, pascendi pecoris ergo non parvam eorum multitudinem Strabonis ævo in Icariam tum indigenis infrequentem emisit, ut idem *Strabo* nos docet.

DE CHIO & EJUS STATU AC FORTUNA.

CHIUS insula littori Asiæ objacens non lato freto ab ea divisa, oblonga, sinuosis litoribus in circuitu habens, ut ait *Strabo*, stadia DCCCC. vitium generosarum ferax, frugibus quoque copiosa, promontoriis aliquot in mare procurrens, quorum celeberrimum Posidium, montibus quoque heic illic attollitur. In hac urbs est ejusdem cum insula nominis, quam maximam, & ditissimam urbium Jonicarum fuisse, bello Peloponnesio *Thucydides* significat: in quam colonia cum reliquis Jonicis deducta ab Atheniensibus. Ei portus commodissimus, & plurimarum navium capax: cujus commoditate crevit F admodum fortuna civitatis, non minus quam agri insulani felicitate. Sita urbs cum portu in latere insulæ, quod continentem respicit, & ortum, circiter mediam lateris ejus longitudinem; ædificiis publicis & privatis olim splendida, populo frequens, ambitu spaciosa. Reipublicæ status, cum floreret fortuna Græciæ, sine dubio popularis, qualis erat in Metropoli. Sed, qui magistratuum ordo, quæ eli- E gendi ratio, parum nobis patet. Rege Dario, Hystaspis filio, Xerxis patre, cum reliquis Joniæ liberæ civitatibus, quas concitaverat Aristagoras Milesius, bello se implicuit contra Persas, in quod ipsa contulerat naves armatas XC. sed prœlio navali commisso contra classem Phœniciam, fraude Ducum Samiorum cum sociis victa, & ob præstitam præ aliis constantiam & fortitudinem male mulctata imperium Persarum subire necessum habuit, nec ante ab eo liberata fuit, quam Xerxes Darii filius bello in Græcia fractus, & metu perculsus deserta ora maritima Ioniæ, in interiora regni se recepisset. Tum αὐτονομία cum cæteris ei restituta, ipsaque societati Græcorum juncta, in primis vero Atheniensibus, qui ex sociorum assensu principatum maris tenebant, amica & negociis maritimis incumbens feliciter egit: iisdemque Atheniensibus bello Samio cum Lesbiis vicinis subsidio fuit; maxime autem exorto difficillimo bello Peloponnensi in partibus eorum mansit, & non exigua iis auxilia tulit ad annum belli XX.

Tunc more hominum, qui fortunam fere sequuntur desertis iis bello Siculo contusis, ad partes adversas se contulit, atque ideo armis eorundem, quos hactenus amicos habuerat, petita & obsidione pressa, multa adversa sustinuit, ac in summo periculo fuit. Demum Athenis per Lacedæmonios sociosque debellatis, & omni imperio exutis, eandem fortunam tulit, quam civitates aliæ Græci nominis in Asia: satis nimirum quieta, & sine fortunæ adversitate usque ad bellum, quod vulgo sociale dictum: cujus initium incidit in Olympiadis CV. annum tertium, regnante in Macedonia Philippo Alexandri patre, post domitas a Lysandro Athenas annos quasi quadraginta septem. Eo namque tempore Chii & socii ab Attico Duce Charete injuria læsi, ut ipsi censebant, cum Rhodiis, Cois, Byzantiis fœdere juncto in Athenienses arma verterunt, & in bello contra eos perstiterunt per triennium. Quo ad finem vergente, animis utrinque malorum belli jam pertæsis, pace refecta, in gratiam cum iis redierunt. Deinde cum Macedones destructo Persarum regno, in Asia rerum potiti sunt, quemadmodum navis salo & tempestatibus jactata, potentioribus semper accesserunt. Bello, quod Ætolis Romanorum sociis cum Prusia Bithyno & Philippo Macedone, Persei patre fuit, propterea quod Ætolorum amici essent, duriter a Regibus illis afflicti sunt; urbs armis capta & vastata: sed eadem recreata rursum, & honore ac beneficiis affecta a Romanis tum Philippeo bello, tum Antiocheno; a Regibus Asiæ quoque Eumene & Attalo benigne habita: a Mithridate autem Rege Ponti Asiam occupante per Zenobium præfectum miserrimum in modum divexata & pessundata, verum a Sylla profligato Mithridate, fortunæ restituta, & cum Rhodiis, Lyciis, Iliensibus, Magnesiis integra libertate donata, & Romanorum amicis honoris ergo adscripta. Ab isto vero tempore sub tutela populi Romani primum durante ejus libertate, dein sub Imperatoribus Romanis incolumi fortuna floruit, atque imperio Orientis cohæsit ad ætatem Manuelis Comneni. Ob hujus vero nequitiam & perfidiam in Europæos Palæstinam petentes bis a Venetis est capta, ac belli incommoda perpessa, altera quoque vice in fidem eorum cum insula tota adacta, in qua mansisse traditur ad annos aliquot. Deinde reddita Imperatori Byzantino; verum rursus post aliquot annos præfectura ejus pro ingenti pecunia in pignus data viro Latini nominis locupleti, ut tradit Nicephorus Gregoras: a Michaele autem Palæologo Græco ob opem sibi præstitam in recuperando e manibus Latinorum imperio Byzantino, donata reipublicæ Genuensi, sed facto non tradita, cum a Martino hærede

A ejus, qui in pignus eam acceperat, adhuc teneretur. Martino demum ejecto ab Andronico Palæologo juniore, cum promissi fides ne tum quidem præstaretur, a Genuensibus aliquot instructa classe satis idonea, non obnitente Imperatore pecunia delinito, occupata. His constituendæ regendæque urbis & totius insulæ felicissimæ potestas commissa a civitate Genuensi: jus summum civitati reservatum: quemadmodum & de Lesbo posterius factum. Hi porro auctoritate atque opibus civitatis suæ freti, & moderate sapienterque potestate usi, hujusmodi ordinem Chiis dederunt, atque ita rem administrarunt, ut urbs ista ab eo tempore nulli urbium toto illo tra- B ctu, quæ generis Græci erant, tum stante Palæologorum imperio, tum eo a Turcis everso, felicitate ac splendore secunda fuerit, insula quoque universa, oppidis aliis minoribus & vicis egregiis frequens ac populosa, ingentes census tum cultoribus suis, tum civitati Genuensi tulerit. Genuenses enim possessores & patroni ejus de Turcis olim, quanquam cum incommodo Christianismi, haud male meriti, Turcarum eorundem amici erant præ cæteris Christianis, Lesbumque etiam, ipsamque in ea Mitylenen, & quædam alia clientelæ modo obtinebant. Indigenæ urbis & insulæ Græci erant, ac multi eorum genere nobiles: cives habitu & moribus culti, Græcorum veterum elegantiam præ se ferentes: fœminarum vesti- C tus speciosus & magnificus. Tota insula humano cultu, & naturæ munere nitens, opibus copiosa, in quam multi Christiani Turcarum dominatum & insolentiam atque injurias non ferentes, tanquam in asylum ac portum opportunum e vicinis locis confugiebant, in eaque sedes ponebant, non solum e plebe, sed etiam e primaria nobilitate. Atque hæc fortuna Chiis mansit etiam diu post Lesbum a Turcis oppressam tempore Mahometis II. & post ab iisdem occupatam Rhodum imperante Solimanno, ad usque memoriam nostram. Quippe imperium Turcicum tenente eodem Solimanno, Piali Bassa re infeliciter contra Melitenses gesta, damno & dede- D core dolens cum classem & exercitum in Thraciam reduceret, amicitiam simulans primores Chiorum in navem suam pellectos objecto falso crimine cum conjugibus & liberis captivos avexit, insulamque cum urbe Turcis suis subjecit, præfectos suæ gentis imposuit, in possessiones præcipuas, ædificia, agros, villas ipse invasit, & sibi vendicavit, alia inter alios suorum partitus est. Exin omnia commutata, felicitas illa in miseriam, nitor in horrorem, cultus in barbariam, populi frequentia in solitudinem & vastitatem, abiit. Accidit illud anno æræ Christianæ vergente MDLXV. cum Chius in potestate Genuensium fuisset annos circiter CCXL.

DE REPUBLICA & STATU RHODIORUM.

RHODUS insula clarissima non longe a litoribus Asiæ disjuncta, post Cnidi promontorium orientem versus sita, qua Carpathium pelagus cum Lycio confunditur, Asiam ad septentrionem respiciens, a qua XX. millibus pass. putatur abesse, in circuitu colligens, si *Straboni* credimus, stadia DCCCCXX. si Plinio ex mente *Isidori*, CIII. millia passuum, atque ita major Samo & Chio, minor Lesbo, quæ passuum millia CLXVIII. secundum *Plinium* in ambitu numerat. Tripolis erat ætate Homeri, urbes tum habens Lindum, Camirum, Jalysum, jam tum mari potens, at sæculis posterioribus multo potentior. Tetrapolis demum facta est post Xerxem Persarum Regem e Græcia profligatum, condita civitate nova, cui nomen totius insulæ

E datum: RHODUS scilicet vocata. Tradit *Strabo*, ferri vulgo, eundem architectum huic operi præfuisse, qui Piræi portum murumque construxit. Insula tota optime culta, tritici, vini, pomorum, aliorum fructuum feracissima, pecore omnis generis abundans, amœna undique, serenoque cœlo, præter urbes vicis & villis frequens, hic illic in montes aut colles se attollens, oblonga, ab austro in boream porrecta, Colosso Solis vastæ molis, LXX. cubitis a basi in altitudinem surgente, ex ære fusili celebris; quem Colossum XII. annorum labore Chares Lindius, juxta F portum novæ urbis struxisse perhibetur, impendio publico talentorum CCC. inter septem mundi Miracula computatum, sed annis LVI. postquam erat absolutus, terræmotu prostratum, nec unquam po-

ſtea rurſus erectum. Urbs ipſa Rhodus commodo ſitu ad mare, paulatim e plano quadam parte ſui in collem acclivem ſe erigens, in eo inſulæ latere, quod apertum pelagus & orientem ſpectat, & Cypro ex longo intervallo obvertitur, ad promontorium ejus lateris maxime boreum aſſidet. Satis ampla, & firma mœnibus, felix portu gemino, recepṭandis navibus multis idoneo utroque, & contra tempeſtates pariter ac hoſtilem vim tutiſſimo. Structuris magnifica, artificiis variis inclyta, artificumque nobilium quaſi quædam officina, doctrinæ etiam ſtudiis multo tempore Athenarum æmula: ut populoſa, ita multorum illuſtrium virorum parens, negociis atque opibus clara: in quam ex reliquis inſulæ urbibus velut in habitationis locum illuſtriorem & feliciorem frequenter eſt migratum, factaque eſt Rhodus cum tempore publici conſilii totius inſulæ ſedes. Lubet heic adjicere, quæ hujus generis Strabo de hac urbe ſcribit lib. XIV. *Rhodiorum urbs*, ait, *ſuper orientali promontorio ſita, portibus, viis, muris, & reliqua ſtructura tantum antecellit alias, ut nullam ei æqualem, nedum præſtantiorem dicere poſſimus*. Dein addit: Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλαττοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε, καὶ Ῥωμαίοις ἐγένετο φίλη, καὶ τῶν βασιλέων τοῖς φιλορωμαίοις τε καὶ φιλέλλησιν, ἀφ' ὧν αὐτόνομός τε διετέλεσε, καὶ πολλοῖς ἀναθήμασιν ἐκοσμήθη. Id eſt: *Admiranda vero etiam eſt, præclara legum conſtitutio, & obſervatio, diligensque cura tum reliquarum reipublicæ partium, tum maxime rerum navalium, qua factum, ut multo tempore mari dominata ſit, ac prædones ex eo amoverit, & Romanorum, eorumque, qui cum Romanis & Græcis amicitiam coluere, fuerit amica: quorum gratia & libera manſit, & multis donariis ornari meruit*. Et paulo poſt rurſum: *Hoc in loco*, id eſt, Rhodi, *quemadmodum Maſſiliæ, & Cyzici, ſummopere viguit ſtudium architecturæ, & fabricandarum machinarum, & armamentariorum rerumque ſimilium*. Erant vero Rhodii Dorici generis omnes, quemadmodum & vicini in continente Græci, Halicarnaſſei & Cnidii, quorum regio Doris quoque dicta fuit, & Coi inſulares, ut ex eodem *Strabone*, & qui hoc major auctor eſt, *Thucydide*, cognoſcimus. Reipublicæ Rhodiæ ſtatum non ſemper unum & eundem fuiſſe, Hiſtoriæ non obſcure ſignificant. Primis temporibus ante junctam cum Athenienſibus ſocietatem, (quod factum bello Peloponneſiaco) eam reipublicæ formam Rhodi fuiſſe, aut ei proxime affinem, quam *Ariſtoteles* proprio nomine πολιτείαν appellat, ex populo & Optimatibus mixtam, mihi ob multas rationes perſuaſum habeo. Poſtquam Athenienſium ſocii facti ſunt Rhodii, ſine dubio popularius rempublicam cœperunt adminiſtrare. Quod licet angeret civitatis primores, tamen contra movere propter Athenienſes nihil fuere auſi. At poſt cladem Siculam, cum etiam ſocii paſſim, maxime vero inſulares ab Athenienſibus deficerent, & Spartanis fortuna creſceret, iidem occaſione arrepta Spartanos proxima tunc tenentes evocarunt, eorumque adventu firmati palam jam & ab Athenienſibus defecerunt, & populi poteſtatem everterunt. Factum id anno belli Peloponneſiaci XX. qui erat Olympiadis XCII. primus. Ab hoc tempore ſuprema poteſtas Rhodi fuit penes primores, quandiu Spartani etiam poſt debellatos Athenienſes principatum Græciæ tenuere. Qui cum viribus freti inſolentius ſe gerere, ac imperioſius cum ſociis & amicis agere cœpiſſent, eorum animos a ſeſe averterunt, ac demum Cononis Athenienſis victoria navali ad Cnidum imperium maris amiſerunt, Olympiadis XCVI. anno ſecundo, poſt Athenarum caſum decimo. Tum imperio maritimo ad Athenienſes relapſo, Rhodii Cnido vicini cum cæ-

A teris inſulanis & civitatibus mari adſitis Spartanorum partes reliquerunt, atque ad priſtinum inſtitutum regendæ reipublicæ redierunt. Verum haud diu poſt exorta rurſum diſſenſione, cum a Lacedæmoniis, qui alas in ora Aſiæ ope Teribazi Perſæ movere denuo cœperant, ſibi metuerent populares, excitato tumultu primores civitate expulere. Hi vero Lacedæmonem profecti, impetrato illic auxilio non ſolum Rhodum reverſi ſunt, ſed etiam populo oppreſſo, ejectis iis, qui factionis popularis Principes erant, Athenienſiumque partibus ſtudebant, reipublicæ poteſtatem in ſe rurſum verterunt: iidemque ut tutiores contra novos motus eſſent, tres civi-
B tatis præſides aut inſpectores a Lacedæmoniis acceperunt. Poſt quietæ res Rhodi fuere per annos complures ad Olympiadis CV. annum tertium, cum jam triennium Philippus Amyntæ filius apud Macedones regnaſſet. Eo autem anno a Charete Duce Attico imperioſius agente offenſi Rhodii, Chii, Byzantii, Coi ſocietate inita contra Athenienſes arma ſumpſere. Sic bello difficili commoto, Athenienſibus magna vi contra inſurgentibus, pax reparari ante non potuit, quam triennium exiiſſet. Id bellum ſociale vulgo dictum fuit: quo durante Chium ab Athenienſibus, Samum a fœderatis obſi-
C dione preſſas fuiſſe aliquandiu, ſed fortiter a propugnatoribus defenſas, ex *Diodoro* cognoſcimus. Hoc eſt bellum illud libertati Græcorum in primis periculoſum, quod Oratori Iſocrati occaſionem dedit ſcribendæ & vulgandæ orationis elegantiſſimæ, cui titulus eſt, de pace, ſeu ſocialis, qua pacis inſtaurationem ſuaſit Athenienſibus ſuis. Verum bello compoſito Rhodus haud diu poſt aſtu Mauſoli Cariæ Regis vicini, qui in clientela & fide Perſarum Regis erat, circumventa oppreſſa populi poteſtate in paucorum poteſtatem devenit: eamque perpeſſa eſt per aliquot annos, etiam defuncto jam Mauſolo ejus auctore. Nam Artemiſia
D defuncti ſoror & uxor, virilis animi fœmina, auctoritate & gratia ſua paucorum dominatum, quos pro ſuis habebat, ſuſtentabat. Quo tempore Demoſthenes oratione ea, quæ pro libertate Rhodiorum inſcribitur, conatus fuit populum Atticum excitare, ut oblitus injuriarum nuperarum belli ſocialis gementi ſub jugo dominatus populo Rhodio auxiliarem manum porrigeret. Sed quid tunc profecerit, nobis ignotum. Hoc ſolum dubitatione carere puto, conditioni priſtinæ Rhodum reſtitutam fuiſſe: quod accidiſſe a morte Reginæ Artemiſiæ, aut fratris ejus Idriei, cum vacillaret fortuna domus Regum Cariæ, exiſtimo. Tum rur-
E ſum quiete gaviſa eſt Rhodus domi foriſque, quanquam clariſſimos belli Duces ipſa genuerit, Mentorem & Memnonem peregrinam militiam ſecutos. Quorum prior fortiſſimam operam Artaxerxi Ocho Perſarum Regi penultimo contra rebelles in Syria & Ægypto præſtitit: alter ſcientia rei militaris præſtantiſſimus pro Dario Perſarum Rege ultimo contra Alexandrum Macedonem in minore Aſia res geſſit: ſed fato raptus bellum reliquit eo anno, quo paulo poſt ad Iſſum Ciliciæ inter Alexandrum & Darium eſt pugnatum. Sequenti tempore, debellatis ab Alexandro Perſis, Græcia, Macedonia, Thracia, Aſia, Oriente, Ægypto, Macedo-
F num ſucceſſorum Alexandri armis varie raptatis & diſtractis, & in prædam verſis, cum gloria Græcorum ſenſim decreſceret, ſola fere Rhodus non ſolum fortunam priorem ſervavit, ſed opibus quoque & ſplendore, ac celebritate omnique cultu crevit, ab ipſo Alexandro Magno ſupra omnes reliquas civitates, ut ait *Diodorus*, honorata; cui gloria purgati a prædonibus maris tributa fuit: a nemine Ducum ac Regum inter ſe bellantium, ac terrarum orbem turbantium tracta in partes, ſed quieti relicta,

& omnium amicitia ambita: usque quo Olympiadis CXVIII. anno quarto, qui fuit decimus septimus a morte Alexandri, Antigonus Asiæ Rex in societem belli contra Ptolemæum in Ægypto regnantem sibi adsciscere eam conatus fuit. Quod cum ipsa primum deprecata, deinde minis gravibus tentata nihilominus recusaret, propterea quod amicitia Ptolemæi frueretur, a Demetrio Antigoni filio gravissimo bello petita fuit: in quod bellum præter magnum numerum vectoriarum CC. naves longas ac armatas minores majoresque, & militum quadragies mille, equitesque & auxiliares prædones cum omnis generis machinis bellicis ad oppugnandas urbes idoneis, quarum ipse singularis artifex esse perhibebatur, Demetrius secum adduxit. Urbs hostili exercitu terra marique cincta clausaque per totum annum, oppugnata sæpius summa vi & contentione, ac nihil non ad eam expugnandam ab iratis tentatum multis utrinque cadentibus, multa munitionum opera eversa. Sed tam pervicax fuit civium propugnatorum & præsidiariorum constantia ac virtus, adjuta amicorum submissis subsidiis, ut discedere tandem re infecta, & urbem liberam dimittere, missa propositi pertinacia, fremens & frendens Demetrius, mandatoque patris locum dans, necesse habuerit. Ne tamen nihil egisse videretur, utque honestius discederet, his conditionibus cum civitate pactus est, ut civitas in bellis socia esset Antigono, exceptis iis quæ contra Ptolemæum gererentur, (hujus enim beneficiis plurimum debebat,) ut obsides fidei centum daret, quos ipse esset nominaturus, dummodo neminem e numero magistratuum nominaret: cæteroqui libera suique juris maneret, nec præsidium reciperet, censibus vero suis ac vectigalibus omnibus frueretur. Hoc difficillimo defuncta bello, & præcipuis honoribus venerata Ptolemæum, ut admirationi omnibus fuit, ita gloria atque opibus in dies magis ac magis crevit, cum interim Græciæ decus Athenæ, & reliquæ hujus gentis civitates præsidiis aut imperio Macedonum gravatæ tum adhuc ingemiscerent. In eo secundæ fortunæ cursu, adspirante Regum amicorum gratia, refectis jam iis quæ bello diruta aut vitiata fuerant, opera & ingenio Charetis Lindii ingentem illum Colossum, de quo diximus ante, inchoavit, & duodecennio perfecit, opus admirandum, quo & artifex, & civitas & tota insula celebritatem meruere. Initium operis hujus factum annis quasi XIII. post bellum Demetrianum solutum, cum numerarent Romani annum urbis CCCCLXIII. qui concurrebat cum Olympiadis CXXII. anno secundo & tertio. Is Colossus Soli dicatus, cui insula sacrata erat, cum absoluto opere stetisset annos, ut Plinius ait lib. XXXIV. cap. VII. LVI. ingenti terræ motu quassatus, fractis genibus concidit: simulque multa præclara urbis ędificia & ornamenta publica privataque eodem terræ tremore concussa corruerunt. Unde ingens dolor ac detrimentum civitati extitit. Sed affirmat *Polybius*, tam sapienter hac calamitate usam esse civitatem, ut in dolorem commotis animis Regum, & amicorum, eorundem beneficentia ac liberalitate majori emolumento quam detrimento ei fuerit. Quod sane argumento fuit, non solum prudentia ac solertia, sed etiam potentum gratia Rhodios tum plurimum valuisse. Incidit casus hic in annum urbis Romæ DXXX. C. Flaminio Nepote, L. Furio Philo Consulibus quinquennio fere ante initium belli Punici secundi ab Annibale gesti, Olympiadis CXXXIX. anno altero. Inter εὐεργέτας in Rhodios tum liberales recenset *Polybius* Ptolemæum Ægypti Regem cognomento εὐεργέτην, Seleucum Ceraunum in Syria, Antigonum δώσοντα in Macedonia, Hieronem cum Gelone filio Syracusis, Prusiam in Bitynia, Mithridatem in Ponto regnantes, præter Principes alios, & civitates plurimas, ac fœminam nobilem Chryseida, omnes quasi inter se hac in re liberalitate certantes. Rarum benevolentiæ exemplum, & nostro sæculo incredibile. Vixdum quadriennium exierat post motum illum terræ, cum Rhodii partim incommodo suo, partim aliorum Græcorum, qui commerciis Ponticis utebantur, permoti, juncta cum Prusia Bithynos belli societate, Byzantinos ab exigendo vectigali, quod ut necessitatibus suis subvenirent, præter morem poscebant omnes per Bosporum navigantes, abstinere armis coegerunt. Eodemque tempore pecunia & rebus bello gerendo necessariis Synopenses obsecrantes juverunt. Postea cum Romani rebus Græciæ & Asiæ contra Philippum Macedonem, & Antiochum Magnum Syriæ Regem miscere se cœpissent, contra utrumque Romanis adhæsere, & perutilem iis operam præstitere, cum mari præ reliquis Græci nominis populis plurimum ea ætate valerent. Itaque magnis quoque honoribus ac præmiis, parta contra utrumque victoria, in primis vero Antiocho superato, & trans Taurum montem ex Asia citeriore submoto, sunt affecti, magna Lyciæ & Cariæ parte donati, socii & amici populi Romani appellati. Hoc vero maxime laudabile, quod cum de præmiis Eumenis Regis amicissimi Romæ in curia ageretur, pro libertate civitatum Græcarum, quæ Eumenis novis finibus continebantur, non veriti Regem amicum & vicinum offendere, enixe laborarint. Manifestum enim faciebant, non sui tantum rationem se habere, sed toti genti Græciæ cupere quam optime. Verum ne sapientissimi quidem quique æque sapiunt omni tempore: ac difficillimum, in afflatu fortunæ secundæ moderationem animi servare, rectaque consilia tenere. Quod exemplo suo Rhodii demonstrarunt. Nam cum perampla regione in continente, ut dixi, donati a Romanis essent, velut ferociores facti tam duro imperio Lycios cœperunt premere, ut hi contumeliæ impatientes Romam legatos miserint, questique sint, ita se haberi a novis dominis, ut præsens conditio vera servitus, illa, qua usi sub Antiocho fuerant, optanda libertas videri posset. Quibus querelis motus senatus Romanus per literas monuit Rhodios, ne deteriore conditione haberent Lycios homines liberos, quam haberentur ii, qui imperio Romano parerent. Nec tamen sic querelæ Lyciorum finem tum statim invenere. Haud longo tempore post, cum surgeret inter Romanos & Persea Macedoniæ Regem bellum, quod mentes omnium Regum ac populorum in se vertebat, primum suspensis animis Rhodii hærebant, (erant enim δημαγωγοὶ, qui diversas in partes civitatem impellerent,) deinde a Pyrtane suo summo magistratu, cui permagna erat auctoritas, persuasi pro Romanis arma classemque pararunt. Sed progrediente bello, a quibusdam suorum, qui se Perseo vendiderant, in transversum acti, ut existimarent sine se vincere Romanos non posse, eo vesaniæ devenere, ut per legatos Romam missos senatui denunciarunt, placere sibi ob incommoda, quæ ex bello ad se quoque pervenirent, arma tum Regem, tum Romanos ponere, ac pacem reficere: & ivisse hujus rei causa legatos quoque alios ad Regem, qui idem ipsi etiam exponerent: per utros autem stetisset, quo minus finis fieret, adversus eos, quid sibi faciendum esset, Rhodios esse deliberaturos. Quæ vesania in exitium pene ipsis vertit. Nam intra vertentem annum victoria parta, & Perseo capto parum abfuit, quin Romani in eos priorum meritorum præmiis exutos belli vim conferrent. Tum perculsi, humiliatique agnito errore suo, & culpam deprecati, adjuti favore & studio M. Catonis, cæteroqui plus satis ingenio severi, qui ig-

noscendum lapsis, nec tamen ad factum progressis censebat, vix tandem sociorum & amicorum nomine rursum ornati sunt. Secutis autem temporibus paulatim gratia etiam prior sarta, præsertim bello Mithridatico, quo nulla Asiæ Græciæque civitatum temporibus difficillimis melius de populo Romano est merita. Sola enim Mithridatis vim prœlio maritimo infregit, & obsessa oppugnataque summa contentione fortiter sustinuit, ac civium Romanorum tota Asia enses Mithridatis fugientium asylum fuit. Quam ob causam a Sylla victore libertas & societas ei rursum confirmata: sed ditiones pridem ademptæ ne tum quidem restitutæ. Post civilibus Romanorum bellis, maxime post cædem C. Cæsaris, a Cassio alumno quondam suo urbs expugnata direptaque, a M. Antonio autem adversarum partium Duce, Andro, Teno, Naxo, Mindo donata, sed non multo post ab eo iisdem rursum privata, propterea quod asperius iis imperare diceretur, ut ait *Appianus Alexandrinus*. Sub primis Imperatoribus apprime florens & honorata, Musarum alterum domicilium: quam *Plinius* Vespasiano imperante scribens pulcherimam & liberam appellavit. Verum haud diu durasse hanc libertatem comperio. Nam Suetonius in Vespas. cap. VIII. Plinio posterior expressim dicit, cum Achaia ac Lycia Rhodum quoque & Samum, & Byzantium imperante adhuc Vespasiano ab eodem illo in formam provinciarum esse redactas: quod libertati adversatur. Et idem ab auctoribus aliis Suetonium secutis confirmatur. Sextus etiam Rufus in epitome sua ad Valentinianum Augustum affirmat, Rhodum prius liberam fuisse, sed sub Vespasiano Imperatore cum cæteris insulis provinciæ conditionem accepisse. Ad reipublicæ formam, unde digressus sum longiuscule, dum cæterarum rerum seriem intentius persequor, nunc revertor. Quin ad primitivum statum reipublicæ redierint Rhodii suo arbitrio redditi, nec Laconico nec Attico fœderi illigati amplius, quod infracta a Thebanis Lacedæmoniorum potentia accidisse existimo, nulla me ratio cogit dubitare. Nam de primorum potestate Strabonis tempore adhuc reliqua testantur clara ejusdem auctoris verba libro XIV. quæ sic habent: δημοκηδεῖς δ' εἰσὶν οἱ Ρόδιοι, καίπερ οὐ δημοκρατούμενοι, συνέχειν δ' ὅμως βουλόμενοι τὸ τῶν πενήτων πλῆθος. Duo pariter dicit, & populi cultores esse Rhodios, idque operam dare, ut sustententur etiam egeni, & tamen a populo eos non regi: id est, rempublicam eorum in potestate populi non esse. Quod verum esse non poterat, nisi primores ad clavum tunc sedissent. Et his subjicit statim idem Strabo: σιταρκεῖται δὲ δὴ ὁ δῆμος καὶ οἱ εὔποροι τοὺς ἐνδεεῖς ὑπολαμβάνουσιν ἔθει τινὶ πατρίῳ. Λειτουργίαι τε τινές εἰσιν ὀψωνιαζόμεναι, ὥσθ' ἅμα τόν τε πένητα ἔχειν τὴν διατροφὴν, καὶ τὴν πόλιν τῶν χρειῶν μὴ καθυστερεῖν, καὶ μάλιστα πρὸς τὰς ναυστολίας. *Enimvero*, ait, *a publico populus frumentum capit, & locupletes egenos suscipiunt more quodam patrio: & sunt munera seu ministeria quædam publica præbendis publice opsoniis, ut hac ratione tum pauperes alimenta habeant, tum civitas in tempore rebus necessariis non destituatur, maxime in expeditiones navales.* Quæ sane auctoris verba velut faciem aliquam civitatis Rhodiæ nobis ostendunt, & primatum imperium in ea valuisse quodammodo persuadent. Sed obstant, quæ heic illic in Historiis leguntur. Qualia sunt illa, quæ *Polybius* habet, populum scilicet Rhodiorum a populo Syracusano coronatum: eundem populum Rhodiorum ab Atheniensibus corona antea donatum: συμφρονεῖν τῷ δήμῳ τῶν Ροδίων, καὶ τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν αἱρεῖσθαι, καὶ φίλον: Philippum quoque Macedonem civitatem Cianorum eidem oppido promisisse, eundemque Regem Philippum ab eodem Rhodiorum populo hostis loco esse habitum: item convocato concilio turbatam fuisse concionem, (τὴν ἐκκλησίαν.) Et quod idem dicit, τὸν τρόπον περὶ δημηγορίας apud Rhodios alibi se exposuisse, quod δημαγωγοὺς memorat, quod in ferendis suffragiis χειροτονίαν ipsis tribuit. Quæ omnia popularem reipublicæ statum præ se ferre videntur. Et congruunt cum his, quæ ex veteri Historia commentatur A. Gellius in noctibus Atticis libro VII. cap. III. disputaturus de oratione M. Catonis senioris pro Rhodiis dicta, reprehensa a Tirone M. Ciceronis liberto. Scribit enim, a plerisque Oratoribus Rhodiis in concionibus eorum ad populum verba esse facta, ut si pax inter Romanos & Persea Regem Macedonum non fieret, Rhodienses Regem adversum populum Romanum adjutarent; sed nullum super ea re publicum decretum factum fuisse: at ubi Perseus victus captusque fuit, ait pertimuisse Rhodios ob ea, quæ compluries in cœtibus populi acta dictaque erant, legatosque Romam misisse, qui temeritatem quorumdam popularium suorum deprecarentur, & fidem consiliumque publicum expurgarent. Et his clariora etiam sunt, quę habet *Diodorus* bellum, quod Demetrius Rhodiis intulit, exponens. Nam & συναχθεῖσαν ἐκκλησίαν Rhodiorum memorat, & populum de rebus summis sententiam ferentem, & consilii mali auctores graviter reprehendentem, ac legatos de pace agentes audientem, judiciumque suum interponentem inducit: ut taceam, quod inter democratias rempublicam Rhodiorum fat expressis verbis refert. Quid igitur, quærat aliquis, heic statuendum? Id scilicet, quod ante dixi, πολιτείαν illam Aristotelicam, aut formam ei proximam apud Rhodios per ea tempora valuisse; popularem nimirum potestatem summa tum auctoritate & consilio temperatam locum ibi habuisse. Confirmant hoc reipublicæ hujus præclara elogia, apud optimos auctores passim occurrentia. Cujusmodi est illud Strabonis supra recitatum: θαυμαστὴ δὲ inquit, καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ πρὸς τὰ ναυτικά. Et hoc, quod apud Diodorum est ad initium belli Demetriani: ἡ πόλις ἡ τῶν Ροδίων ἰσχύουσα ναυτικαῖς δυνάμεσι, καὶ πολιτευομένη κάλλιστα τῶν Ἑλλήνων, περιμάχητος τοῖς δυνάσταις καὶ βασιλεῦσιν ἦν, ἑκάστου σπεύδοντος εἰς τὴν αὐτοῦ φιλίαν προσλαμβάνεσθαι. προορωμένη δὲ πόρρωθεν τὸ συμφέρον, καὶ πρὸς ἅπαντας κατ' ἰδίαν συντιθεμένη τὴν φιλίαν, τῶν πρὸς ἀλλήλους τοῖς δυνάσταις πολέμων οὐ μετεῖχε. διόπερ συνέβαινεν αὐτὴν τιμᾶσθαι μὲν ὑφ' ἑκάστου βασιλικαῖς δωρεαῖς, ἄγουσαν δὲ πολὺν χρόνον εἰρήνην μεγάλην ἐπίδοσιν λαβεῖν πρὸς αὔξησιν. Et quę plura ibi subjiciuntur: in primis id, quod ait ipsum Alexandrum Magnum Regum potentissimum tanti fecisse Rhodum præ cęteris civitatibus, ut in ea potissimum dispositionem suam de universo regno deponendam esse putaverit. Quod ille haudquaquam fecisset, nisi prudentissime constitutam esse rempublicam eam judicasset. Quo pertinent & Polybii hæc scriptoris gravissimi, ubi ait, οὕτω γὰρ ἦν πραγματικὸν τὸ πολίτευμα τῶν Ροδίων, ὡς σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν κεκοινωνηκὼς ὁ δῆμος Ρωμαίοις τῶν ἐπιφανεστάτων καὶ καλλίστων ἔργων οὐκ ἐπεποίητο πρὸς αὐτοὺς συμμαχίαν. Et mox subjicit consilii hujus rationem. Βουλόμενοι γὰρ, ait, μηδένα τῶν ἐν ταῖς ὑπεροχαῖς, καὶ δυναστείαις ἀπελπίζειν τὴν ἐξ αὐτῶν ἐπικουρίαν καὶ συμμαχίαν, οὐκ ἐβούλοντο συνδυάζειν, οὐδὲ προκαταλαμβάνειν σφᾶς αὐτοὺς ὅρκοις καὶ συνθήκαις· ἀλλ' ἀκέραιοι διαμένοντες κερδαίνειν τὰς ἐξ ἑκάστων ἐλπίδας. Strabonis verba, καίπερ οὐ δημοκρατούμενοι, quæ populi potestatem apud Rhodios negare videntur, sic interpretor, plebi imæ potestatem regendæ reipublicæ non fuisse permissam, quæ civilium ac publicarum rerum non minus fere imperita est quam sutores aut piscatores picturæ aut statuariæ. Hanc vero plebem imam denotari ibi, satis arguunt voces illo loco ab auctore usurpatæ, ἐνδεεῖς, πένητες, τῶν πενήτων πλῆθος, quibus τοὺς εὐπόρους auctor op-

ponit. Existimoque apud Rhodios in civitate copiosa & locuplete eos, qui censum habebant, & honestiorum ordinum erant, populum constituisse, qui rempublicam curaret: capite censos, & proletarios ac similes ad curandam rempublicam non esse admissos: & tamen hos perbenigne esse habitos, frumentoque & opsoniis ex publico adjutos, ut eorum copiam in usus reipublicæ, cum primis vero in expeditiones maritimas ac ministeria nautica, quibus id genus hominum inops & durum maxime est idoneum, habere quovis tempore paratum civitas posset. Fuisse autem in hac civitate senatum, velut anchoram concionis popularis, fuisse magistratus varios, ac judicum collegia, dubitari non potest. Sed qui ordo in his, quæ electionis & administrationis ratio fuerit, ignoratur. Senatus quidem hic illic in rebus Rhodiis fit mentio, ad quem negocia pleraque sunt relata. In magistratuum ordine Prytanem fuisse, ac summum locum tenuisse, etiam in confesso est: fuisse autem semestrem tantum, ex uno Polybii loco clarere videtur, ubi de Stratocle sic loquitur, literas Lucretii Prætoris Romani Rhodum allatas fuisse, *Στρατοκλέους πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἑξάμηνον*. Referebat ut plurimum Prytanes negocia ad concilia, locusque ubi ille potissimum de republica agebat, Prytaneum dicebatur. Civitatem rebus maritimis præcipue deditam fuisse, diximus ante, eaque, quæ istuc pertinent, optime ordinata habuisse. Placet heic addere, legem ei peculiarem de his fuisse, quam hisce verbis recitat Strabo. *Τῶν δὲ ναυστάθμων τινὰ καὶ κρυπτὰ, ἃ καὶ ἀπόῤῥητα τοῖς πολλοῖς. τῷ δὲ κατοπτεύσαντι ἢ παρελθόντι εἴσω, θάνατος ὥριστο ἡ ζημία*. *Erant*, inquit, *in navalibus occulta quædam, & vulgo non aperienda: in quæ si quis introspiceret aut intraret, morte cogebatur luere*. De præclaris operibus atque ornamentis Rhodi multa extant heic illic, quædam nobis ante dicta, quædam non dicta. Insigne vero est hoc, quod Plinius notat l. XXXIV. c. VII. ubi, postquam de Colosso illo Solis vastæ molis dixit, sic porro addit: *Sunt etiam alii minores hac in eadem urbe colossi centum numero, sed ubicunque singuli fuissent, nobilitaturi locum*: præterque hos Deorum quinque, quos fecit Bryaxis. A Vespasiani tempore insularum provinciæ pars illustris sub majestate nominis & imperii Romani quieta delituit, eamque fortunam tulit, quam res & motus Imperatorum dabant per annos quasi DCCCC. Quibus exactis, imperante Heraclio, cum Saraceni regionibus aliquot maritimis potiti sub Constante Heraclii nepote comparata ingenti classe, Duce Muavia mare mediterraneum pervolitarent, & Constantem Imperatorem magno prœlio navali ad oram Lyciæ vicissent, Rhodum vicinam invaserunt occuparuntque anno æræ Christianæ DCLV. Eo tempore mercator Judæus molem illam colosseam, quæ jam strata jacuerat annos DCCCCLXXVII. atque etiam sic spectantibus admirationi fuerat, a Muavia pecuniæ avido emit, materiamque æneam, quam vix LXXX. cameli portare poterant, quæstus causa avexit. Sic simulacrum illud portentosæ magnitudinis tandem evanuit. Post hæc varios casus Rhodus perpessa, ut libido rapacis gentis, & fortunæ fluctus ferebant, a Christianis recuperata, a Saracenis rursum oppressa & misere afflicta. Demum destructo, quod ab Europæis Germanis, Gallis, Anglis, Italis instauratum erat, regno Hierosolymitano, expulsis Saracenis communi Christianorum opera recepta, & ordini militum Ioannitarum donata fuit, ut eam quasi belli quandam arcem contra Turcarum & Saracenorum vim tuerentur. Id factum circiter annum æræ Christianæ MCCCVIII. Hi milites, quorum Principem ordinis Magistrum vocabant, ita Rhodum operibus munierunt, munitamque tantis animis defenderunt, ut ipsa inde a Saracenis, hinc a Turcis frequenter armis tentata multo tempore perstiterit invicta: Mahometem etiam Magnum, Turcarum Imperatorem toti Christiano orbi terribilem, postquam is Constantinopolim, imperii orientalis Augustam sedem, expugnasset, Græciam totam occupasset, Trapezuntem quoque cum altero Imperatore cepisset, Eubœam cum Chalcide in potestatem redegisset, ac demum vires suas in Rhodum vertisset, singulari defensorum virtute rejectum, consumpto frustra omni ejus conatu, re infecta indignantem frementemque insula discedere coegerit anno Christiano MCCCCLXXVII. Tandem autem a Solimanno Mahometis pronepote, qui imperium Turcicum magnis accessionibus a patre auctum acceperat, diu summis viribus oppugnata, ab omnibus Christiani nominis Principibus ac populis deserta, in potestatem ejus concessit anno æræ nostræ MDXXII. jam jam exituro, die nimirum XXV. Decembr. quem dicatum memoriæ nativitatis DOMINI Christianus orbis magna festivitate celebrat. Militibus cum Magistro suo & rebus quas efferre poterant, virtutis ergo a victore liber abitus permissus. His novas sedes Melita insula a Carolo V. Imperatore data quam etiam nunc fortiter tuentur.

DE REPUBLICA ET FORTUNA ACHÆORUM.

ACHAIA, quæ proprie sic dicta, a finibus Sicyonis secundum sinum Corinthiacum ad fretum angustum, & inde porro secundum Ionium mare ad initium Elidis porrigitur. Ea ut incolas quondam varios habuit, ita varia nomina accepit. Antiquissimis temporibus ipsa Ægialea, & habitatores Ægialenses dicti fuere. Deinde ab Ionibus ex Attica profectis, quibus appellationem dederat Ion Xuthi filius, Hellenis nepos, Deucalionis Thessali pronepos, Erechthei Atheniensium Regis filia Creusa natus, occupata & infessa, Ioniæ nomen tulit, in partes XII. divisa. Iones demum ab Achæis agnatis suis Laconica ab Heraclidis Burysthene & Procle ejectis, Duce Tisameno Orestis filio istinc expulsi in Atticam redierunt: dehinc post complurium annorum decursum, cum regio Attica nimia hominum multitudine abundaret, Principe Androclo Codri postremi Regis Attici filio in Asiam trajecerunt, & totidem in ora Lydiæ & Cariæ colonias condiderunt, quot oppida in Peloponneso reliquerant. Achæi ab Achæo ejusdem Thessalicæ originis & sanguinis Principe denominati, qui Iones cognatos suos solum vertere coegerunt, regionem eandem occupatam ex se *Achaiam* nuncuparunt, & totidem in ea urbes constituerunt, quot Iones illic ante habuerant. Hæ fuere, Patræ, Dyma, Pharæ, Tritæa, Leontium, Ægira, Pellene, Ægium, Bura, Ceraunia, Olenus, Helice. Apud eos regium imperium valuit a Tisameno ad Ogygum usque continua serie ac stirpe ab illo descendentem. Hujus vero filii cum insolentius se gererent, & legitimum regnum in herilem dominatum cœpissent vertere, a populo

potestate exuti sunt, & regnum in popularem statum est commutatum. A quo tempore licet non eadem fortuna ac quiete semper usi sint Achæi, tamen ut eandem reipublicæ popularis formam retinerent, cum studio allaborarunt: & in eo perstitere ad crescentem usque potentiam Macedonum. Post mortem vero Alexandri Magni astu Regum Macedoniæ concordia inter eos rupta, urbium societas soluta, & in contraria studia scissa est: earum quibusdam præsidia Macedonica a Demetrio, Cassandro, Antigono Gonata imposita, aliæ a tyrannis occupatæ. Eaque confusio duravit ad ultimos annos Olympiadis CXXIIII. Pyrrho Rege Epiri jam in Italiam transgresso. Tum velut ad meliorem mentem reversi primi Patrenses & Dymæi, mox & Pharæenses ac Tritæenses repetito vetere instituto proprius se rursum junxerunt, & velut in unam civitatem coiverunt. His a quadriennio, cum flueret jam annus quintus, Ægienses accessere ejecto præsidio suo, & post Burii occiso tyranno, ac sensim alii post alios tyrannis liberati, donec tandem omnes regionis istius urbes pristinæ societati se reddiderunt, exceptis Oleno & Helice: quarum ista reliquis se jungere recusavit, hæc vi fluctuum biennium ante pugnam Leuctricam absorpta fuit. Quinetiam præter istas Achaici soli urbes alias quoque complures, & paulatim omnes fere, quæ in Peloponneso erant, quædam etiam extra Peloponnesum, huic societati se addiderunt. Nec obscura est causa, cur incrementa tam felicia societas hæc ceperit, & ex rebus melioribus ad vires Regibus formidabiles brevi pervenerit. Quippe olim etiam, & multo ante auctam Macedonum potentiam cum statu populari regerentur, tanta justitiæ & æquitatis laude floruere Achæi, ut in Italia quoque quę nominis Græci civitates erant, cum domi res vehementer turbatas haberent, & crudelibus odiis intestinis post cædes civiles laborarent, ex omni populorum Græcorum numero horum solorum auctoritatem & consilia secutæ concordiam instaurarint, imo & post aliquot annos ad eorum exemplar respublicas composuerint. Adde, quod eodem facit, quod post pugnam Leuctricam Græcorum omnium animis vehementer attonitis, cum eorum, qui dimicaverant, pars utraque victoriam sibi adscriberet, utrique arbitrio solorum Achæorum litem illam submiserint, non quod ii opibus prævalerent, (erant enim eæ tunc, ut ait *Polybius*, in tota fere Græcia minimæ) sed quod fides eorum & probitas supra cæteros omnes prædicarentur. Quibus iisdem vestigiis cum insisterent posteri instaurata nuper societate, nec ad scopum alium consiliis & factis, totaque reipublicæ administratione collimarent, ut testatur idem *Polybius*, quam ad genuinam libertatem, ac juris æqualitatem; atque insuper comes & benigni essent erga omnes: quid mirum, si res suas cum tempore ad invidiam usque promoverint? Id vero in primis in laudem iis cessit, & gratiam conciliavit, quod ipsa re ostenderent, non commodis suis, sed bono publico se studere: quodque si quos societati suæ armis, aut verborum suadela adjicerent, non imperium in eos ullum, aut superius jus usurparent, sed in reipublicæ communionem, & potestatem parem adsciscerent; nec id verbis solum profiterentur, sed ipsa re sine vitio præstarent. Quo nihil potest esse ad parandum sincerum favorem efficacius. In more autem habuere a tempore instauratæ societatis, quod incidit, ut dixi, in annum tertium Olympiadis CXXIV. exeuntem, cum quo fluebat annus urbis Romæ CCCCLXXIII. præficere sibi στρατηγοὺς duos, quos Prætores dicimus, & his adjungere scribam unum. Atque hunc morem tenuere per annos XXV. Post placuit, unum modo στρατηγὸν creare, qui in tota societate præstare virtute videretur: eique

A datum imperium annuum: sed id sæpe, prout poscebat res, in annos aliquot eidem prorogabatur. Primus in hoc ordine fuit Marcus Carynensis: isque ex populi voluntate toto quadriennio imperium retinuit. Anno autem ejus quarto, qui erat a resumpta societate vicesimus nonus, Aratus Sicyonius annos tum natus XX. patriam urbem Sicyonem singulari virtute tyranni jugo liberavit, liberatamque suasu suo Achęorum reipublicæ adjunxit. Ob quod meritum, quamvis adhuc oppido juvenis, sed ingenio egregius, Prætor gentis in annum proximum creatus fuit: Heros insignis, sæculi sui in Græcia decus, cujus sapientiæ, industriæ, fidei plurimum res A-
B chaicæ crescentes debuere. Qui octennio post præturam rursum ornatus conciliatis sibi præsidiariis Macedonicis Acrocorinthum Corintho imminentem cepit, & ex ea Corinthum quoque Sicyoni vicinam in potestatem redegit, ac reipublicæ Achaicæ adjecit: eodem anno Megarensi urbe per astum potitus, ea etiam Achæorum societatem auxit. Fuit hoc anno proximo ante finitum bellum Punicum primum per annos totos XXIII. inter Romanos & Carthaginienses gestum. Hisce rebus ut gloria & gratia apud Achæos Aratus crevit, ita eodem cursu, Duce virtute, comite fortuna sequentibus annis plures urbes
C Peloponnesi, magis consilio quam vi, amotis tyrannis in eandem societatem & communem rempublicam pertraxit. In quibus fuere Megalopolis Arcadiæ, Messene, Argos Argolicum, Hermione, Phlius, utraque etiam in eadem Argolide, Ægina in insula sita & litori Attico objecta. Accessit ad laudes ejus immortales, quod Athenas diuturno præsidio Macedonico pressas, quanquam paulo ante haud bene de se meritas, consilio opeque sua, submotis tota Attica Macedonibus libertati tandem restituit. Sed Achæorum hoc incrementum, ceu fieri inter homines solet, invidiam etiam eorum, quibuscum ipsi amicitia & fœderibus juncti erant, commovit.
D Quorum præcipui Ætoli, obliti nuperi beneficii, quod ab Achæis acceperant, neglecta quoque injuria manifesta, qua a Cleomene Rege Spartano paulo ante fuerant affecti, eundem illum Cleomenem suopte ingenio turbidum, & Achæis infensum in eos incitare, atque insuper Antigonum Macedoniæ gubernatorem Philippi Regis tutorem contra eosdem incendere non dubitarunt. Verum solerter improbis istorum consiliis occurrit Aratus, & via obliqua, quod recta facere tutum non erat, in partes Achæorum Antigonum pertraxit, ejusque auxilio Cleomenem ingenti prœlio ad Sellasiam superatum, atque ad desperationem adactum coegit in Æ-
E gyptum fugere. Post quod tempus vir summus varia jactatus fortuna, domi sæpe cum æmulis & obtrectatoribus, foris cum hoste conflictatus, cum septendecimum Prætor refectus esset, nefario scelere Philippi Macedoniæ Regis, qui ex monito Antigoni regendum se ei tradiderat, singularemque amicum simulabat, per Taurionem lento veneno sublatus est e medio, natus jam annos LVII. in republica gerenda versatus XXXVII. Olympiadis CXLI. anno secundo, urbis Romæ DXL cum maxime arderet in Italia, Sicilia, Hispania bellum Punicum secundum, Q. Fabio Maximo IIII. & M. Marcello III.
F Consulibus. Mortuus summis honoribus cum ab Achæis omnibus, tum præcipue a Sicyoniis suis affectus fuit: qui dum vixit, communis Græcorum libertatis amantissimus, tyrannidis, omnisque dominatus osor acerrimus fuit, cunctis in rebus fide summus, contumeliarum, & obtrectationum contemptor maximus, adversariis placabilis, amicitias & inimicitias ex utilitate reipublicæ non ex commodo suo gerens, opes copiasque suas libenter in usum ac bonum publicum impendens: adeo de republica sollicitus semper, ut cum vim veneni jam

sentiret, & de dolo non dubitaret, dissimulaverit tamen, ne auctorem ejus Philippum ad vim patriæ inferendam irritaret. Tantum vero ministro cuidam suo fidissimo, in morbo officia sibi præstanti, cum sputum cruentum in parietem forte ejiceret, dixit; ταῦτά ἐστι τἀπίχειρα τυραννικῆς φιλίας, id est, *hæc sunt præmia tyrannicæ amicitiæ.* Lampada in bene gerenda republica tradidit Philopœmeni Megalopolitano Arcadi. Hic virtutes ejus heroicas imitatus etiam in fortuna minore, octavo demum anno ab ejusdem morte Prætura ornatus, & sæpe deinceps Prætor rursum factus, multa aliorum vitio fortunæve vi prolapsa restituit, multa fortiter patravit, nec usquam occasionibus defuit: præcipue Philippo Macedoni Achaicæ reipublicæ adversario gravi sese objecit: cum Machanida tyranno Lacedæmoniorum, & post eum cum Nabide terra marique bellum gessit. Demum Nabide Ætolorum fraude perempto Lacedæmona civitatem maximam & potentissimam diligentia ac virtute societati Achæorum adjecit. Eandem deinde turbatam, & in nova consilia versam singulari audacia rursum compressit, turbatores urbe amovit, contumaces multos pretio vendidit, haud paucos quoque morti dedit, exules quosdam patriæ restituit, muros urbis etiam diruit: denique istuc civitatem induxit, ut abolitis antiquissimi Lycurgi institutis in nova instituta ab Achæis sumpta concederet. Hæc ustio & sectio gravis, quanquam non injusta, dolorem patientibus pertinacem dedit: unde ea porro extitere, quæ occasionem Romanis postmodum præbuere incidendi nervos reipublicæ Achaicæ, ut deinceps ostendetur. Interim domi intestinis dissensionibus agitatus Philopœmen, & simultatibus implicitus, & Romanorum quoque odio ob libertatis studium, calumniisque improborum ob ea, quæ Lacedæmone acta, gravatus, vir integerrimus cum annum ætatis ageret septuagesimum, octavum Prætor designatus fuit. Quo magistratu dum fungeretur, auctore Dinocrate Messenio, homine valde turbulento, & Pilopœmeni infenso, ac potente inter suos, quippe Præturam apud Achæos gesserat, Messene ab Achæorum societate defecit. Ad quod incendium in ortu opprimendum Philopœmen ex Argolide, ubi tum forte erat, cum copiis, quas ibi tumultuaria opera repente confecerat, festinans, cum in hostes Messenios inopinus incidisset, & ordinem aliquem suis dare satageret, equo delapsus, senio & lassitudine deficiens ab hostibus circumfusis captus ac Messenen pertractus fuit. Illic adversa populi mente ab inimico Dinocrate veneno in carcere est peremptus, Heros tali exitu indignus: qui ut ingenii solertia ac vigore cessit Arato, ita in periculis audentia atque animi magnitudine eum superavit. Factum hoc Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Romæ Consulibus anno urbis conditæ DLXXI. post mortem Arati XXXI. cum ageretur Olympiadis CXLIX. annus secundus. Exuviæ ejus Megalopolim in patriam Principe Lycorta (is Polybii Historiæ scriptoris pater fuit) maximo cum honore relatæ, lugente universo populo, mœrente tota societate Achaica. De omnibus carceris & mortis auctoribus pœnæ sumptæ, Messene societati Achaicæ restituta. Lycortas, quem dixi, hunc excipiens fortunam reipublicæ ad tempus virtute sua sustentavit. Sed virtuti ejus velut obex oppositus fuit ab ambitione & nefaria cupiditate æmulorum, qui tum se maxime efferentes concordiam vehementer turbabant. Semina jam tum jacta, cum post submotum per Romanos ex Græcia Philippum Macedonem, ac libertatem Græciæ redditam, & Antiochum Magnum Syriæ Regem, ex eadem Græcia fugatum, atque in Asia quoque in ordinem redactum, & post compressos Ætolos Antiochi socios, Philippus iterum ad instaurandum bellum se parare diceretur, superstite adhuc Philopœmene. Tunc enim Achæi, quorum societate & ope Romani his in bellis feliciter usi fuerant, in studia diversa scissi consensum consiliorum publicorum morabantur. Quidam enim in partes Macedonis recte rem trahebant esca regiæ gratiæ capiti: nonnulli in societate atque amicitia sincera cum Romanis manendum, sed simul in integra & illibata libertate, quam a majoribus acceperant, persistendum existimabant: alii Romanis ut majoribus & potentioribus cedendum in aliquibus & de jure summo in eorum gratiam, cum usus posceret, remittendum nonnihil, salva reliqua libertate censebant. Primi pauci erant, & timide agebant. In secundis cum Philopœmene princeps erat Lycortas; & his optimi quique ac patriæ amantissimi assentiebantur. Tertiarum partium numerabantur multi, sed alii aliis erant prudentiores & moderatiores: quidam privata cupidine impulsi, dignitate & utilitate publica neglecta ad desideria Romanorum & captandam eorum gratiam, ut per eos vicissim potentiam suam domi augerent, totos se animis comparabant. Atque his legati Romani in Macedoniam & Græciam diversis temporibus missi, seu suopte ingenio moti, sive a factiosis, & iis, qui injuriam sibi fieri putabant, præsertim ab exulibus, quos conditionis suæ vehementer tædebat, corrupti, fomitem & faces subjiciebant. Istorum vero, qui pluris Romanorum favorem, quam patriæ libertatem honoremque faciebant, longe nequissimus Callicrates Leontesius fuit. Erat quippe proximis annis & vivo & mortuo Philopœmene tum domi, tum Romæ in curia aliquoties de controversiis variis, quas Achæi cum Achæis habebant, disputatum: petierantque Romani ab Achæorum concilio, quæ hi sine jactura honoris & libertatis suæ concedere se non posse existimabant, quorum præcipua & plurima ad Lacedæmonios pertinebant. Audierantque Achæi in concilio dicentem ac monentem Appium Claudium legatum, virum asperi ingenii, male negari petentibus qui cogere possent. Lycortas autem cum Prætor Achæorum esset, & facundia præ cæteris valeret, pro dignitate muneris sui liberius fuerat contra ea non semel locutus, assensumque meliorum omnium meruerat. Postremo ostenderat, si rationes eædem senatui Romano exponerentur, confidere se, eum etiam esse assensurum. Quapropter missus Romam fuit Callicrates, jussusque est concilii nomine hæc apud senatum edisserere, & jus causamque patriæ tueri. Sed is, cum senatus ei Romæ datus esset, neglecto suorum mandato, sine pudore in alia omnia ivit. Nam Lycorta pessime traducto, atque in odium vocato, & cæteris etiam, qui eum eo faciebant, calumnia petitis, senatui turpiter blandiens, ejusque gratiam modis omnibus captans, suum studium paratumque obsequium prolixe ei venditavit. Ad hæc monuit senatum, ne officio suo & commodo populi Romani deesset: Lacedæmoniorum preces ab æquitate commendatas non contemneret: Lycortam ejusque sectatores haud audiret: quod si rebus Romanis consultum cuperent patres conscripti, id darent operam, ut diffuta sensim Achæorum concordia robur eorum frangerent: denique patriæ jus optimum nefarie prodidit. Romani per se rei eius cupidi, atque insuper oratione hac incensi, caute tamen agendum sibi, & sensim progrediendum rebantur, mentemque suam egregie adhuc dissimulabant. Callicratem vero benignissime habitum, & spe bona majoris fortunæ secreto oneratum domum remiserunt, eumque per literas popoulo Achæo, tanquam vere patriæ amantem, ac prudentia insignem, diligenter commendarunt: ejus consilia ut sequerentur, si bene rebus Achaicis

vellent, monuerunt: id tum utile ipsis, tum Romanis gratum fore. Ille ad suos reversus prætura statim ornatus fuit. Tum vero tam insigni proditionis præmio affectus ab ignaro populo (latebant enim pleraque ab eo Romæ acta) & dignitate fulgens tam scite fabulam hanc egit, ut quod par fœdus hactenus inter Romanos & Achæos fuerat, brevi tempore in fœdus impar sit conversum. Eo quippe prolapsa res est, ut enatis controversiis, quod æquum sibi videri in iis Romani dicerent, id defugere Achæi non auderent. Exemplum insigne, quod merito ob oculos sibi positum habere, & intueri diligenter debent, qui fœdere ac societate potentiorum utuntur, ut agant caute, sciantque quid vitandum, quid sequendum sit. Præturam apud Achæos Callicrates gessit anno urbis Romæ DLXXV. quo anno in consulatu apud Romanos fuere L. Manlius Acidinus, Q. Fulvius Flaccus, & in Macedonia obiit Rex Philippus, eique Perseus filius successit. Hic sexennio post, pacem adhuc cum Romanis colens, & eorum amicum sese ferens, etiam Achæos beneficio occupatos conciliare sibi studebat. Nam eo inter ipsos & hunc odium processerat, ut Achæi Macedones omnes finibus suis arcerent. Quam ob causam Achæorum servi fugitivi in Macedoniam tanquam in asylum tutum se conferebant. Eam occasionem oportunam putans Perseus fugitivos omnes prehensos in Achaiam remisit, monuitque per literas Achæos, providendum ipsis esset, ne in posterum fugitivis servis Macedonia pateret. Quod fieri non posse nisi sublato contra Macedonas decreto, & benevolentia Regis parata, atque ita ad amicitiam & fœdus cum Rege via strata cum quidam arbitrarentur, Callicrates eorum Princeps in concilio Achæorum rem hanc vehementer dissuasit. Nam amicitiam Regis in bellum contra Romanos, quod jam tum ab eo sine dubio coqueretur, Achæos demonstravit esse præcipitaturam, idque certissimo exitio reipublicæ Achaicæ futurum. Sed huic Archon civis potens Xenarchi prætoris frater se opposuit, ostenditque, sine jactura societatis & amicitiæ Romanæ uti amicitia regia Achæos posse, quandiu inter Romanos & Regem pax & amicitia constaret. Eventus certaminis hujus fuit, ut decerneretur nihil, id est, res in priore statu relinqueretur. Post quadriennium, cum jam inter Romanos & Persea conflatum bellum arderet, & pars utraque de societate armorum Achæos appellaret, quanquam vix esset quisquam apud hos, qui de ope Perseo ferenda verba facere auderet, tamen non omnes de armis pro parte altera sumendis unum & idem sentiebant. Lycortas cum suis, inter quos etiam filius ejus Polybius erat, provide agendum censebat, & pro parte neutra arma induenda. Nam secus si fieret, & ope Græcorum pars alteram debellaret, periculosum id toti Græciæ futurum ob immodicam potentiam partis illius, penes quam victoria esset statuta, & Græcos, si quam tunc libertatem reliquam essent habituri, precariam modo ac debilem, nec suis viribus nixam esse habituros: exemplo esse ea, quæ superioribus annis jam acciderint. Atque ita quidem statuebat apud animum suum, & privatim inter amicos, quos fidissimos & libertatis amantissimos esse norat, differebat: publice autem pro sententia hac loqui libere non audebat, propterea quod non nesciret, libertate dicendi jam ante offendisse sese, & apud Romanos obtrectatione æmulorum in sinistras incurrisse suspiciones. Alii contra Romanos quidem aperte non faciendum putabant, sed & eos, qui pro Romanis ita contenderent, ut in commodum suum privatum eorum gratiam quærere deprehenderentur, atque idcirco periculosissimam aleam jaciendam existimarent, velut legum violatores & perduelles coercendos arbitrabantur. Archo, qui prætor Achæorum nuper fuerat, quanquam ante sensisse aliter videretur, cum contra Callicratem de non repudianda Regis gratia, stante adhuc pace disputaret, tamen tunc armis jam utrinque sumptis, sive quod id convenire fidei Achæorum judicaret, sive quod Romanos viribus prævalere, & libertati quoque magis favere sibi persuasum haberet, ad auxilia Romanis sine mora decernenda inclinabat. *Polybius* addit, tempori serviendum eum putasse, & ne idem sibi ac amicis tardando negocia, quod Nicandro & Eupolemo in Ætolia paulo ante, accideret (hi Romam ob causam simillimam deportati erant) meruisse, ideoque maturandum decretum censuisse. Archontis sententiam secuti sunt multi, eorumque studio prætor ipse refectus. Polybius magister equitum designatus, decretum confestim factum ex Archontis mente, deque eo per Polybium istuc Q. Marcius Consul Romanus, qui jam cum exercitu suo ex Thessalia in Macedoniam penetraverat, certior factus: quanquam Romanus Consul, ne sine causa socios fatigaret, & impendiis oneraret, (nam superata transitus difficultate non opus sibi iis esse autumabat,) auxiliis his uti eo tempore non voluerit. Sed anno sequenti, cum de rerum summa certamen instaret, & Perseus omnes vires suas contraxisset, a Consule L. Æmilio auxilia eadem satis valida evocata sunt, operamque fortem atque utilem extremo prælio Romanis præstitere: Achæique laudem & gratiam sociorum meruere. Sed nunquam & nusquam dormitat calumniator. Ecce enim cum anno proximo decem legati a Romanis in Macedoniam essent missi, qui res regionis illius cum L. Æmilio Imperatore ordinarent, Callicrates cum aliis, eodem missus a suis, vir ingenii vere improbi, omnes eos, qui ab ipso in patria dissenserant, quosque libertatis Achaicæ amantissimos esse, & obicem ponere pravis consiliis suis sciebat, calumniis gravibus apud Romanos oneravit: pecunia, scilicet, occulte Persea juvisse: per speciem tuendæ libertatis in conciliis cuncta adversus Romanos instruxisse: denique haud aliter gentem Achæorum in fide mansuram dicebat, nisi fractis animis istarum partium, aleretur confirmareturque auctoritas eorum, qui præter imperium Romanorum nihil desiderarent. Erat, ait Livius hæc exponens, principibus iis qui libertatem & leges tuebantur, major apud suos caritas, minor apud externos gratia. Itaque aures calumniis his facilius commodatæ: quanquam Imperatori ipsi Æmilio viro recti excelsique animi probata res non sit, si *Polybio* in hac scena tum versanti fidem habemus. Cumque ex aliis Græciæ partibus (nam ex iis etiam homines Callicrati similes ad Romanos in Macedoniam legati venerant) solis literis evocarentur, quos obtrectatores detulerant, ut Romam ad dicendam causam Imperatorem sequerentur, in Achaiam ex x. legatorum numero profecti sunt duo, C. Claudius & Cn. Domitius, auctoritate præcipui, ut ii delatos a Callicrate Romam mitti per edictum præciperent. Id duabus de causis, ait idem Livius Polybii verba pone sequens, factum: una, quod fiduciæ plus animorumque esse Achæis ad non parendum crederent, & forsan etiam in periculo fore Callicratem, & cæteros criminum auctores delatoresque: altera, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant, in Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum literis inventis. Polybii verba de duabus his causis sic habent: Πρῶτον μὲν δι-λαβόμενοι τοὺς Ἀχαιοὺς, μή ποτ' οὐ πειθαρχήσουσι τοῖς γραφομένοις, ἀλλὰ καὶ κινδυνεύσουσιν οἱ περὶ τὸν Καλλικράτην, δόξαντες ἐξειργάσθαι τὰς κατὰ πάντων τῶν Ἑλλήνων διαβολὰς ὃ κατ' ἀλήθειαν ἦν. δεύτερον δὲ διὰ τὸ μηθὲν ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις γράμμασιν ἀκριβὲς εὑρῆσθαι κατὰ μη-

δεινὸς τῶν Ἀχαιῶν. Claudius vero & Domitius cum in Peloponnesum venissent, in frequentem Achæorum consessum alter eorum ingressus (uter ex iis, non satis constat) compertum sibi dixit, a primoribus pecunias Perseo contra Romanos bellum gerenti fuisse suppeditatas, & modis aliis opem ei latam. Proposcit ergo mortis damnari culpæ illius affines: quo facto, se nomina eorum dixit editurum. Quod cum periniquum Achæi putarent, flagitarunt, ut nominatim ederet eos quos damnatos cuperet, prius quam aliquid de iis statueretur. Tum Romanus, quemadmodum erat a Callicrate instructus, omnes qui rem militarem administraverant, criminis hujus insimulare se dixit. Quo audito fremitus indignantium commotus: exsurgens vero Xenon vir illustris inter Achæos, Ego vero, ait, armorum Dux quoque fui, sed nec contra Romanos deliqui quicquam, nec ulla in re Perseo commodavi: paratusque sum, si quis accusare me velit, vel in Achæorum consessu, vel apud ipsos Romanos judicium subire. Quæ cum ille fretus conscientia recti dixisset ferventius, arripuit id Romanus, ut opportunum proposito suo: statim edicto mandavit, ut omnes, quos insimulaverat delator Callicrates, ad dicendam causam Romam se conferrent, Quod quidem hactenus in Græcia erat inauditum: nec a Regibus Macedoniæ vicinis, potentiaque maximis, Philippo Amyntæ, & filio ejus Alexandro, nec ab ullo alio rerum in Græcia potito factitatum. Ii vero si quid contra quenquam Græcum haberent, eum non in Macedoniam duci, sed apud Amphictyonas causam dicere curabant. Itaque perindigne id latum, si quem modo criminaretur Callicrates vir pessimus, eum nocentem innocentemve indicta causa Romam abduci. Abducti fuere supra mille e primoribus gentis, ut scribit *Pausanias*, & per urbes Italiæ custodiis mandati, velut præjudicio suorum domi damnati: plurimique eorum ob ætatem gravem, ac multum rerum usum prudentia valentes, quos Callicrates maxime oderat, cupiebatque procul a patria abesse, ne rebus suis, & consiliis perniciosis essent obstaculo. Cum vero nemo eorum judicio sisteretur, tulit id impatientius gens Achæorum, perinde ac si tot viri illustres non ad causæ cognitionem, quod per se tamen plus satis indignum & libertati adversum, sed ad ferendum tædium carceris ad pœnam abrepti essent. Itaque legatos Romam misit, qui de indignitate quererentur, & a senatu peterent, ut dicendæ causæ copia reis fieret, & de sontibus si qui essent, sumeretur supplicium, insontes in patriam remitterentur. Æquissimum sane postulatum, sed quia alia mens erat eorum, qui tunc in senatu dominabantur, quos Callicrates perverterat, alieno responso rejectum. Cujus sententia hæc: mirari senatum, posci ab se cognitionem causæ, de qua Achæi ipsi domi jam judicassent. Tum vero stupere legati, & inficiari, quicquam hujusmodi domi actum, ullumve judicium interpositum: sed proficere nihil. Itaque ad suos reversi, exposito responso ac re acta animos omnium bonorum fremitu in Callicratem, indignatione in Romanos, qui Callicratem patriæ pestem foverent, & in ejus gratiam premerent innocentes, ac jus libertatemque gentis infringerent, impleverunt. Nam quid rei esset, quo consilia tenderent, facile sapientes ac patriæ amantes animadvertebant. Et tamen nec ulcisci Callicratem, ejusque socios, nec de Romanis quid sentirent, metu potentiæ Romanæ audebant [1] Rursum autem legatos Romam misere viros honoratos, quorum Princeps erat Eureas, M. Claudio Marcello, C. Sulpicio Gallo Consulibus. Hi Romæ dicendi copia in senatu accepta publico gentis nomine confirmarunt denuo, ut ait *Polybius*, neque in judicio auditos esse, qui erant delati, nec judicium ullum ab Achæis fuisse interpositum: rogare vero Achæos senatum, rationem custoditorum habeat, curetque judicio eos sisti, causamque cognosci, nec patiatur indicta causa miseros perire: Et maxime quidem eosdem cupere, ut senatus ipse in rem inquirat, sontesque deprehensos manifestet: quod si senatus ob circumstantia negocia id facere nequeat, ut Achæis rem permittat: eos facturos ut appareat, quantopere scelera oderint. Hac legatorum oratione audita perplexus hæsit senatus, non satis prospiciens, quid facto esset opus. Nam & judicium sibi non competere existimabat, & causa non dicta reos dimittere, id cum manifesta penicie eorum, qui Romanorum amici erant, conjunctum arbitrabatur. Tandem velut necessitate adactus, ut in universum salutis reditusve eorum, qui in custodiis erant, spem multitudini præcideret, atque iis, qui cum custoditis facerent, parendum esse demonstraret, in hanc sententiam descendit. In Achaiam videlicet literas dedit ad Callicratem & socios ejus, in reliquas Græciæ civitates (nam & inde quidam abducti erant) ad illos qui partium Romanarum esse credebantur, significavitque, arbitrari se, nec ipsis illis, ad quos scribebant, nec rebuspublicis expedire, ut abducti domum revertantur. Hoc responso vulgato non solum evocatis animus prorsum concidit, sed universos quasi Græcos mœstus dolor invasit, velut omnis jam spes restitutionis infelicibus illis simul ac semel esset adempta: præsertim vero in Achaia, ubi cunctorum mentes in profundum mœrorem & desperationem sunt versæ: quemadmodum contra, Callicrates & Charopus, & qui istius erant factionis, animos supra modum extulerunt. Post aliquot deinde annos, cum jam longe plurimos evocatorum, ac pene omnes, quibus celebrius nomen erat, præsertim natu grandes, fatum in Italia consumpsisset, rursum legati ex Achaia Romam venere, ut pro iis, qui superstites adhuc erant, intercederent, Xeno & Telecles, idque potissimum ob Polybium Historiæ scriptorem, qui ante alios cum patre Lycorta delatus a Callicrate fuerat, & Stratium Trittæensem. Horum autem legatorum mandata, quæ domo attulerant, erant puræ putæ preces, ne disputando & contendendo senatus offenderetur. Sed & sic nihil profectum. Tam obstinatis animis Romani tum fuere, ut Callicratem patriæ pestem foverent, & Achæos obedire potentioribus docerent. Iterum tamen legati ab Achæis missi: & hi flexis jam multorum animis in spem venerant impetrandæ dimissionis: sed fraude Postumii prætoris Romani, qui absentibus Consulibus senatum habebat, & perperam diversas Senatorum sententias rogando confundebat, spe exciderunt. Et tamen spes eadem effecit apud Achæos reversis domum legatis, & cognitis iis, quæ Romæ erant acta, ut alii rursum eodem legarentur, qui preces instaurarent. Hi in curiam admissi repetivere priora, & petendo, rogando, obsecrando fatigarunt senatum de finienda tandem evocatorum tam diuturna custodia. Et tunc disputatum in senatu prolixe in utramque partem. Factum hoc, ut ex eclogis Polybii de legationibus colligere licet, Q. Opimio Nepote, L. Postumio Albino Consulibus, anno urbis Romæ DC. secundum Varronem, qui erat custodiæ evocatorum annus XIII. Sed dilata adhuc dimissio est ab hoc tempore in quadriennium, si Pausaniæ credimus, qui scribit, anno demum XVII. custodiam esse solutam, & cuilibet, quo vellet, abeundi potestatem permissam. Scribit etiam idem *Pausanias*, ex mille in Italiam abductis, tempore dimissionis vix CCC. superstites fuisse: cæteros fato in custodia absumptos, nonnullos quoque fugam molitos deprehensosque,

1. Excidit, *fateri*, aut *proferre*, aut simile.

aut ex itinere retractos, nulla excusatione admissa capite pœnas dedisse. In superstitum numero fuit Polybius Megalopolitanus, Lycortæ filius, laudatissimæ Historiæ scriptor, ut & ipse testatur, & Plutarchus in vita Catonis majoris demonstrat. Is custodiæ locum Romam acceperat, & ob eruditionem & prudentiam multis proceribus illic innotuerat, & nonnullis eorum percarus jam erat. Quos inter P. Scipio Æmilianus tum temporis adhuc juvenis, sed præclaræ indolis, sapientiæ & eloquentiæ præceptis ab hoc captivo imbutus. Hunc *Plutarchus* affirmat, cum de causa Achæorum Romæ agendum esset, adiisse M. Catonem summa tum auctoritate pollentem, & in gratiam Polybii pro Achæis apud eum intercessisse: Catonem vero curiam ingressum, cum audiisset, ferventius quam deceret, inter senatores contrariis sententiis certari, sic fuisse locutum: Videmini mihi P.C. non aliter ac si nihil nobis sit quod curemus (erant autem curarum & negotiorum tum temporis plena omnia) *ita* totum diem de Græcis aliquot decrepitis altercando consumere: quasi vero multum intersit, in Italiane an in Græcia illi sepeliantur. Quo sale existimo non parum patres ad dimittendos tandem Achæos esse permotos. Addit *Plutarchus*, dimissione decreta Polybium desiderasse in senatum venire, & eum rogare, ut dimissis etiam honorum & magistratuum restitutio tribueretur, & hac de re Catonem quoque consuluisse: Catonem autem subridentem respondisse, videri sibi Ulyssem velle ipsum imitari, qui olim in speluncam Cyclopis redituriverit, ad pileum cinctumque suum, quos illic neglexerat, recipiendos. Quo scommate monuisse Polybium credo, ne periculosam aleam istam subiret, ne forte id, quod confectum jam erat, multo maximum, ob aliud multo minus, quod erat petiturus, in discrimen rursum daret. Et Polybius quidem gratia crescens apud Romanos, cum cerneret malis consiliis fortunam patriæ pessum ire, Romæ mansit, & P. Scipioni adhæsit, eique multis in rebus a consiliis fuit, quamdiu in vivis sibi esse licuit. Superfuisse autem traditur, & in amicitia Scipionis consenuisse ad Olympiadis CLXIV. annum primum, qui fuit solutæ custodiæ Achæorum XXVI. Ea autem soluta fuit Olympiadis CLVII. anno tertio, qui concurrit cum anno urbis Romæ conditæ DCIV. quo Consules fuere T. Quinctius Flamininus, M. Acilius Balbus, quique proxime antecessit initium belli Punici postremi, quod tandem excidio Carthaginis finitum est. Erat tum, cum Achæi dimitterentur, gentis ejus prætor Menalcidas Lacedæmonius, ut est apud *Pausaniam*, homo pravæ mentis. Hic avaritia impulsus, sociato cum Callicrate consilio, eoque in prædæ partem vocato, propter Oropios bello non necessario contra Athenienses implicuit Achæos, & cum promissum Callicrati non solveret, in discrimen capitis ab eo adductus fuit magistratu abiens, læsæ majestatis accusatus: utpote qui ope Romanorum, cum legatus apud eos esset, civitatem Laconicam a societate Achæorum, quod dudum Lacedæmonii desideraverant, separare esset conatus. Menalcidas, ut periculo hoc se eriperet, partem pecuniæ Oropiæ Diæo Megalopolitano successori suo in prætura largitus est, hujusque ope, quanquam fremente pene omni populo, evasit. Sed odium maximum cum probro in Diæum est versum. Is autem ut invidiæ se eximeret, pessimo mendacio circumventum populum in curas majores, nimirum in bellum contra Lacedæmonios abripuit. Hoc bellum, cui se impares esse sentiebant, cum Lacedæmonii rogando & deprecando, missis circum civitates & ad ipsum Diæum prætorem legatis, submovere mature, priusquam arma concurrissent, frustra essent conati, demum solerti consilio Agasisthenis præsentissimo periculo sunt erepti. Cum enim Diæus dedi sibi posceret primores XXIV. velut civitatis & publicæ quietis turbatores, suasit ille & persuasit iisdem, ut civitate sponte cederent, & Romam confugerent. Futurum namque dicebat, ut brevi per Romanos reducerentur. Quibus in exilium voluntarium profectis, & capitis a civitate damnatis, bellum tum fuit amotum. Mox legati ab utrisque Romam missi, Menalcidas a Spartanis, Diæus & Callicrates ab Achæis, qui suorum causas apud senatum tuerentur. Sed Callicrates Rhodum ex itinere deflectens illic finem vivendi fecit multo feliciorem, quam tot ejus consilia & facinora perniciosa patriæque exitialia merebantur. Reliqui duo diu fœde rixati inter se in curia Romana hoc demum responsum tulere, missurum senatum legatos in Græciam, qui coram rem omnem cognoscerent & componerent, si possent. Sed fraude Diæi & Menalcidæ factum, qui celeriter domum recurrerant, & falsa pro veris utrinque retulerant, dum tarde legati Romani iter facerent, ut ante horum adventum Achæi in arma rursum contra Spartanos ferrentur, novo prætore Damocrito post Diæum jam magistratum gerente & exercitum ducente, legatis Romanis aliis, qui in Asiam ibant, frustra in transitu monentibus ut in adventum eorum, qui ad ipsos mittebantur, a vi abstinerent. Lacedæmonii quoque mendaciis Menalcidæ freti ferocia sumpta majoribus animis quam viribus obvios se Achæis tulere. Sed gravi prœlio victi, cæsis suorum ad mille ætate & robore præstantissimis, trepida effusaque fuga in urbem se recepere: potuissetque victor Damocritus simul cum fugientibus intra urbis portas irrumpere, si non inhibito suorum cursu receptui cecinisset, & omissa urbe ad diripiendum agrum cum suis se vertisset. Ob quam rem domi majestatis damnatus cum mulctam L. talentorum solvere non posset, clam e Peloponneso profugit. In cujus locum prætor iterum Diæus renunciatus: ad quem legati venientes a Q. Metello, qui Andrisco debellato Macedoniam receptam tunc ordinabat, inducias fecere inter partes, usque dum legati, qui expectabantur, controversiarum arbitri præsentes adessent. Sed durantibus induciis astu Diæi oppida Laconiæ omnia sine armis in partes Achæorum pellecta & præsidiis firmata in usum belli futuri. A Lacedæmoniis vero refecto copiarum suarum Imperatore Menalcida, ductore eo, violatis induciis lasus intra fines Laconicos, sed ditionis Achæorum, armata manu capta & direpta. Id Menalcidæ ob invidiam civium, quorum intererat, tam alieno præsertim civitatis tempore bello excitato, cum civitas omnibus necessariis destituta esset, exitio fuit. Ipse enim ut invidiam immensam fugeret, veneno epoto, sibimet vivendi finem fecit, vir ob imprudentiam & vanitatem in imperio Spartanis valde inutilis, Achæis in prætura perfidus. Post quæ cum tandem in Peloponnesum venissent legati Roma missi, de quibus ante dictum, quorum princeps erat L. Aurelius Orestes vir consularis, Corinthum ad se evocatis singularum civitatum societatis Achaicæ magistratibus, iis cum prætore Diæo præsentibus edixerunt, verba faciente Oreste, in hanc sententiam: Senatus Romanus censet æquum, nec Lacedæmonios nec Corinthios in usum societatis Achaicæ contribuere quicquam, itemque ab eadem societate separari civitatem Argivam, Heracleam Thessalicam ad Oetam montem, & Orchomenum Arcadiæ, propterea quod hisce civitatibus nulla sit cum Achæis cognatio, ac nupera admodum cum iisdem facta consociatio. Quibus vixdum ab Oreste pronunciatis, ne expectata quidem ejus peroratione, Achæi omnes ex hospitio legatorum in publicum se proripientes confestim populum, qui aderat, ad concionem voca-

runt. Is sine mora, cognita senatus Romani sententia, in Spartanos, qui tunc forte Corinthi erant, quos ex habitu indiciisve aliis agnoscebant, aut agnoscere se putabant, etiam in eos, qui in hospitium Orestis audito tumultu velut in asylum confugerant, vi inde extractos male mulctarunt, frustra se interponentibus legatis, & de injuria contumeliisque, quibus priores ipsi Romanos læderent, conquerentibus. Quidam scriptores Romani adjiciunt, ut honorem populi sui tueantur, legatos ipsos etiam aut pulsatos, aut contumelia affectos fuisse. Dein post dies non multos, secretis dimissisque iis, qui per ignorantiam pro Laconibus apprehensi fuerant, veros Lacones in carceres Achæi conjecerunt. Tum legati ab iisdem Achæis Romam missi: verum hi obviam facti legatis Romanis hujus rei causa in Achaiam euntibus cum iisdem pedem retulere. Simul Diæus expleto præturæ suæ tempore Critolaum successorem acceperat, virum temerarium, aptum consiliis, quæ Romani jamdudum coxerant. Nam optabant hi Achæis rectores turbidos, qui rem in præceps darent, & bello viam sternerent: & ille bellare contra Romanos gestiebat. Qui ad urbem Arcadiæ Tegeam novis legatis, simulato animo amico, cum occurrisset, promisissetque, concilium gentis, quod illi petebant, ad exponenda populi Romani mandata, se convocaturum, idque ipsis legatis præsentibus per nuncios coire jussisset, clam missis hominibus suis significavit iis, qui ad concilium venire solent, ne se domo moverent. Nec enim volebat in concilio mandata a legatis exponi. Qua de re cum legati, sentientes illudi sibi, quererentur, jussit eos expectare diem concilii legitimi, quod sexto demum mense erat futurum: nec enim licere sibi ajebat de republica cum quoquam agere, nisi in pleno Achæorum conventu. Id vero indignis ad modum animis accipientes Romani confestim domum repetivere. Quibus profectis Critolaus concilio Corinthi convocato suasit, arma non minus contra Romanos quam Spartanos esse sumenda. Suffuditque heic frigidam Pytheas Bœotarcha Thebanus, prompta Bœotorum auxilia pollicitus. Nam Metellus Macedoniæ præfectus Thebanos tum forte judiciis suis offenderat graviter. At Romæ, auditis illic legatis, qui domum jam redierant, & allatis quoque a Metello literis, auctoribus potissimum iis, qui belli causam modo quærebant, & occasiones inchoandi ejus desiderabant, festinantius omnino quam par erat, bellum in Achæos est decretum, & L. Mummius Consul tum creatus, ad id gerendum ire jussus. Is quanta potuit festinatione cum copiis necessariis in Græciam contendit, ne victoriæ palmam Metellus præriperet. Metellus contra, qui arma jam ceperat, cognita re de Mummio, & ipse quoque acceleravit, ut ante ejus adventum bello finem imponeret. Itaque per nuncios celeres edixit Achæis, ut Lacedæmonem, & civitates alias, quæ partium Romanarum esse mallent, missas facerent: id si facerent, promisit, sese obliteratis prioribus offensis pristinæ Romanorum gratiæ eos esse restituturum. Simul vero per Macedoniam exercitu ducto in hostes contendit. At Critolaus rejecta omni de pace oratione cum Achæorum & sociorum copiis in Thessaliam progressus præsidium validum Thebanorum Heracleæ in fide nutanti imposuit: ipse audito Metelli adventu, desertis commodissimis locis, quibus morari Romanos & transitu prohibere potuisset, satis trepide Scarpheam se recepit. Verum priusquam istuc pertingeret, a Metello sequente occupatus, & prœlio certare coactus est. In eo amissis suorum plurimis, captis etiam haud paucioribus ipse quoque periit, ferox ante pericula, in periculis animo abjecto & nullius consilii. Arcadum manus lectissima Critolaum secuta e fuga Elateam primum delata, atque inde Peloponnesum petens, cum ad Chæroneam Bœotiæ in exercitum Metelli incidisset, ad internecionem deleta est. Critolao Imperator ab Achæis surrogatus Diæus, æque vesanus, vocatis ad pileum servis, & ex Achaia atque Arcadia confecto rursum exercitu tumultuario, in quo ex omni hominum genere erant equites DC. pedites armaturæ gravis quater decies mille, ex his quater mille consilio absurdissimo Megaram misit ad eam urbem præsidio insidendam contra Romanos, & simul eorum iter in Peloponnesum impeditius faciendum. Metellus autem cum exercitu, parta ad Chæroneam victoria, recta Thebas se contulit, omni fere propugnatore vacuas. Nam civium bona pars Heracleæ in Thessalia aberat cum Achæis, pars ad Scarpheam occubuerat. Reliqua vero multitudo imbellis adventantium Romanorum fama perculsa per Bœotiam hac illac diffugit, & juga montium insedit. Itaque Metellus tantam urbem sine labore cepit; secundaque fortuna usus est clementer, cædibus, incendiis, vastatione omni prohibitis, solo Pythea, belli hujus tuba, ad necem quæsito, & interempto. Inde Megara contendens, præsidio ad primum nuncium venientis exercitus fuga quoque dilapso, & castra Achæorum repetente, hujus quoque urbis facile est potitus. Et jam in Peloponnesum ducens ad Isthmi initia pervenerat, cupidissimus parandi duplicis triumphi ex Macedonia & Achaia, cum Mummius advenit, spem ejus intercipiens. Is Metello in Macedoniam remisso, ut ferebat voluntas populi, cum iis, quas secum habebat, copiis ad Isthmum constitit, reliquum exercitum hinc inde advenientem expectans. Qui cum adesset, ad hostem propius accedens, ultro ab eo cæde aliquot suorum, qui extitima curabant, lacessitus in pugnam descendit, fugatoque mox equitatu Achaico, vim omnem vertit in peditatum, atque hunc etiam resistentem aliquandiu & fortiter agentem, sed numero & viribus imparem in fugam egit. Fugientium plurimi omissa Corintho recta Arcadiam petiere cum Duce Diæo: qui si Corinthum se recepissent, & ad urbis ejus defensionem vel modice animos obfirmassent, sine dubio reliquam victoriam difficiliorem Mummio fecissent, & melioribus deditionis conditionibus urbem reservassent. Mummius vero Corinthum ducens turpiter ab Achæis desertam, & a maximo quoque civium numero relictam, cum ad eam devenisset, quamvis apertas portas reperiret, tamen metu latentium insidiarum ingredi eam ausus non fuit. Tertio demum die, exploratis jam omnibus, impetu violento eandem invasit, occupatamque, ut in mandatis habebat, diripuit, incendit, vastavit, funditus excidit, excisamque sine habitatore reliquit. Manubiæ omnes ditissimæ & clarissimæ urbis Romam devectæ: viri in urbe reperti in primo furore statim occisi, fœminæ cum pueris sub corona venditæ. Post hunc gravissimum Corinthi casum reliquæ urbes omnes belli hujus participes Mummio deditæ, ab eoque munitionibus nudatæ: arma viris adempta: omnia hæc celerrime confecta priusquam adesse possent Roma venturi, quorum consilio ad reliqua constituenda per omnem Græciam ei erat utendum. Qui cum venissent, status popularis passim est abrogatus, magistratus ex censu instituti, tributa Græciæ imposita, locupletibus extra fines suos possessionibus coemendis interdictum: societas Achæorum prorsus soluta, conciliumque ejus abolitum: similia concilia per reliquam Græciam abdicata omnia, Græcia universa in formam provinciæ redacta: quæ, quod eo tempore, quo hæc acciderunt, Achæi inter omnes Græcos prævalerent, ex eorum nomine Achaia est nuncupata. Quædam tamen ex his post

A paucos annos a Romanis rursum mutata, mitigataque, quædam concilia populis reddita, civitatibus nonnullis honos habitus, & libertas concessa. Hic nobilissimæ reipublicæ & fortunæ Achaicæ finis fuit. Corinthus eodem anno excisa, quo deleta quoque est in Africa Carthago, & Africa Romanorum provincia facta.

Fuit Achaicæ reipublicæ status, ut ante dictum, vere popularis, sed salutarium legum repagulis ita restrictus, ut ab Optimatum regimine non longe discederet. Conflatus fuit ex consociatione civitatum plurium arctissimo nexu inter se devinctarum: quarum tamen hæc conditio erat, ut singulæ suum B quoddam *πολίτδμα*, suas res, possessiones, agros, fines, territoria tenerent. Habuere proprios senatus suos, aut publica consilia, suos magistratus, judices, curatores, sodalitates & reliquum civilem ordinem, separata omnia a civitatibus cæteris, & tamen eadem omnia inter se simillima, & velut unius instituti, ut ex veterum monumentis cognoscimus. Verum quæ horum omnium ratio fuerit, qui modus ac forma, cujusmodi singulorum electio, quod tempus gerendis muneribus præscriptum, non satis nobis constat. A nullo enim scriptorum veterum, quorum lucubrationes incolumes ad nos pervenere, id traditum. Sed civitates hæ tam arcto inter se vin- C culo, ut jam dixi, conjunctæ fuere, ut in unam coaluisse civitatem omnes, & unam communem habere rempublicam viderentur. Quippe quæ iisdem legibus, mensuris, ponderibus, pecunia denique eadem uterentur: magistratus etiam superiores communem rempublicam curantes, Senatores judices haberent eosdem: id solum esset reliquum, ut ait *Polybius*, quod non eorundem mœnium ambitu omnes clauderentur. Quæ sane conjunctio major atque arctior erat, quam quæ colendæ amicitiæ causa, addo etiam mutuorum auxiliorum gratia per fœdera communiter consciscuntur. Et quamvis D civitates singulæ aliæ aliis majores & ditiores majorumque virium essent, tamen nullæ aliis quicquam præscribebant, aut imperii aliquid in eas usurpabant, jusve superius, ut vulgo loquuntur, prætendebant: omnes vero pari inter se jure agebant, nec heic antiquius tempus, quo in societatem venerant, quicquam valebat: minima & ultima tantundem in decernendo ferendove suffragio, aut in ordine consessus, quantum maxima & tempore prima poterat, nisi quod auctoritatis plus aliæ quam aliæ ad deliberationes adferrent. Quinetiam hoc in institutis hujus societatis erat, si quæ civitas, si quis populus in Peloponneso non solum sponte sua, aut verborum E suadela, sed etiam metu & armorum vi cogente societati accederet, ut ea civitas atque is populus ejusdem juris compos statim & particeps fieret, quod erat fœderis aut societatis universæ. Fiebatque utplurimum, quæ primum adversa mente, adeoque armis compulsæ in societatem trahebantur, ut eas paulo post propter æqualitatem juris & status, propterque fortunam contra pericula firmatam, tutamque contra hostes defensionem conditionis suæ non pœniteret, imo etiam ut sibi maximopere gratularentur. In quo memorabile hoc, quod Lacedæmonii suasu Philopœmenis relictis antiquissimis Lycurgi institutis & legibus, quibus innutrita, & F per tot sæcula assueta civitas erat, Achæorum mores & leges receperint: quanquam iidem a Romanis seducti, qui semina dissensionum inter urbes socias ferebant, post aliquot annos ad instituta pristina redituri erint. Ut autem in singulis civitatibus, qui ordo magistratuum, quæ dispositio fuerit, dictu difficile, ita de universa societate, ac republica communi quæ ex *Polybio, Livio, Plutarcho, Pausania* cognoscimus satis certa, hæc sunt. Concilium toti genti commune fuisse, prius sæpe diximus.

Ostendimus etiam, mox ab initio repetitæ libertatis, ac refectæ societatis summos præfectos duos habuisse, in orbem a civitatibus datos, suffragiis electos cum potestate annua, & his scribam unum fuisse additum, idque in more mansisse per annos XXV. tum creari cœpisse hujusmodi præfectum unum, primoque Marco Carynensi imperium ter prorogatum, atque ita mansisse cum imperio hoc per quadriennium: post eum deinde Aratum Sicyonium juvenem ob egregia merita honorem eundem cepisse, ac post octennium rursum eodem honore ac potestate fuisse ornatum, & per intervalla deinceps sæpius esse refectum, ac demum cum septemdecimum gereret munus idem, periisse. Et ab hoc more creandi unius non recessit postea gens, quandiu societas stetit. Creatum eum fuisse in concilio totius societatis, non est dubium. Appellarunt eum *ϛρατηγὸν*, quod militiæ Ducem significat. Nam rei militaris administratio ei potissimum fuit commendata: quanquam aliæ etiam in republica ejus partes fuerint. Erat enim totius societatis princeps, sed potestas ejus legibus adstricta, in bello tamen liberior, quod ratio poscebat. Latini PRÆTOREM interpretantur. Imperium ejus ut jam ante dictum, erat annuum, sed sæpius redditum eidem, si virtute polleret: quod per intervalla factum plerumque, interdum quoque prorogatum continuo. Quod Marco Carynensi accidit, & Philopœmeni, forte etiam Arato, qui toties præturam gessit, quanquam id certo non liqueat. Non enim series continua prætorum extat: sed sparsim ii in rebus Achaicis a *Polybio, Livio, Pausania* recitantur. Ad concilium coibant delecti omnium civitatum, quæ societatis participes erant. Coibant autem quoties res poscebat vocante Prætore, aut magistratu alio: bis vero statis diebus quolibet anno, quæ concilia legitima dicebant. Arati sæculo statum tempus creandorum Prætorum erat vernum cum exortu Pleiadum, ut testatur *Polybius*; idemque de reliquis etiam magistratibus intelligo. Nam utitur Polybius eodem loco, ubi de Prætoris designatione loquitur, voce *ἀρχαιρεσίας*, quæ est generalis ad omnes magistratus pertinens. Atque id concilium ex legitimis erat prius. Alterum non dubium est, quin ad tempus autumni pertinuerit: siquidem sexto mense abfuisse a priore *Polybius* significat. Locus conveniendi usitatus erat Ægii, quæ civitas inter Achaicas veteres opibus, populi frequentia, splendore eminebat, vicina quondam Helicæ, quæ caput olim Ionum, & post Achæorum, fuerat in ipsa maris ora sita, sed terræ motu, & maris eluvione absumpta paulo ante cladem Lacedæmoniorum ad Leuctra. A quo tempore Heliceniium fortuna perampla ad Ægienses jam ante satis florentes transiit. Ager quoque istorum ad hos translatus fuit. Distabat enim Ægium ab Helice introrsum stadiis tantum XL. ut docet *Pausanias*: qui addit, etiam suo tempore sub Imperatoribus Romanis, cum conventu opus esset, Ægii convenisse Achæos. Nam medium fere regionis illius oppidum hoc obtinebat. Strabo vero etiam propius locum concilii Achaici denotat. Scribit enim, lucum, *ἄλσος*, in urbe ea aut juxta urbem fuisse Jovi sacrum, cui Arnario aut Ænario (utroque enim modo ibi scribitur) nomen erat, in quem convenire Achæi soliti sunt de republica deliberaturi. Verba sunt: *Αἰγιέων δ' ἐϛὶ ϰ̀ ταῦτα, ϰ̀ Ελίκη, ϰ̀ τὸ τῦ Διὸς ἄλσος τὸ Αἰνάριον, ὅπϰ συνίεσαν οἱ Ἀχαιοὶ βϰλευσόμενοι περὶ τ̃ κοινῶν.* Et paulo ante de iisdem Achæis loquens: *ϰ̀ κοινοβϰ́λιον εἰς ἕνα τόπον συνήγετο αὐτοῖς, ἐκαλεῖτο δὲ Ἀρνάριον, ἐν ᾧ τὰ κοινὰ ἐχρημάτιζον ϰ̀ ϰ̃τοι.* Sed conveniebant quoque nonnunquam alibi, si usus poscebat, ac ut ferebat voluntas Prætoris: cujus erat ea in re summa auctoritas: quemadmodum factum non

semel legimus Sicyone, & Argis, & Megalopoli. Conatusque fuit Philopœmen lege sancire, ut id in orbem per omnes civitates iret. Sed aut perlata ab eo lex non est, aut in dessuetudinem rursum abiit. Posterioribus autem temporibus propter urbis amplitudinem, splendorem, illustres opes, congregabantur frequenter Corinthi, quæ demum honorem hunc & eminentiam coacta est excidio suo luere. Penes hoc concilium erat summum rerum arbitrium, ex cujus decreto bella suscipiebantur, & finiebantur, pax conveniebat, fœdera feriebantur & solvebantur, leges fiebant ratæ aut irritæ. Hujus etiam erat, magistratus toti societati communes eligere, legationes decernere, legatos designare, eos mittere & mandatis instruere; Regum quoque & populorum aliorum legatos audire, postulataque eorum aut preces cognoscere, deque his statuere. Regebant concilium prætor præcipue, si præsens esset, & magistratus alii, quos Achæi δημιυργὺς nuncupabant. Hi numero x. erant, suffragiis legitimi concilii, quod verno tempore habebatur, electi ex universa societate prudentia præcipui, quorum consilio potissimum prætor ex lege utebatur. Horum potestas & dignitas maxima erat post ipsum prætorem, quos idcirco Livius, Polybium sequens, summum Achæorum magistratum appellat. Polybius alicubi συνάρχοντας, eorum collegium congregatum, aut consessum συναρχίαν videtur indigitare. Cum his igitur de negociis gravioribus in concilio agitandis prætor præconsultabat, nec de his, nisi in id pars major consentiret, licebat ad concilium referre. Qui si aut omnes, aut majore sui parte propositum probarent, legibusve aut fœderibus congruum judicarent, petentibus concilium dabant, volentes cum concilio agere, introducebant, dicendi copiam faciebant: qui e concilio suadere aut dissuadere cupiebant, voce præconis, id facere jubebant. Sæpe prætor ipse, si ingenio & facundiæ suæ fideret, de re prolixe differebat. Lex vero habebat, ut, qui sententias dixerant, eas brevi forma in scriptum relatas postridie rursum examinandas concilio proponerent: quo facto suffragiis res permittebatur. Non licebat autem ultra diem tertium actionem extendere: intra quem terminum nisi de decreto convenisset, consilium dimittebatur. Nec enim consultum putabant Achæi, disceptationibus & contentionibus hujuscemodi tempus perdere, & impendia longa facere. Decretum rite factum, id est, suffragiis concilii sancitum, sæpe saxo aut columnæ incidebant, & locis sacris figebant, interdum & jurejurando firmabant: a quo deinde recedere summum nefas esse rebantur. Unde accidit aliquando, ut Romanos pro Lacedæmoniis quibusdam intercedentes, contraque decretum tale aliquid enixius petentes, negando graviter offenderent: & cum Romani petitioni eidem nihilominus inhærerent, ac rationibus minas etiam adjicerent, cum summo dolore cogerentur concedere, ut fixum petentes refigerent. Eveniebat porro nonnunquam, ut soli urbium magistratus, non autem omnes, qui ad plenum justumque concilium solent coire, convenirent: in quibus conventibus si quid decerneretur, quod non omnibus placeret, quodve primoribus quibusdam esset adversum, contra id tanquam non legitimum ac ratum ab iisdem excipiebatur. Quod quoties fiebat, necessum erat, in concilio proximo, ut ratum fieret, id ipsum resumi, ut vulgo loquimur, iterumque decerni. Notat etiam *Polybius*, cum causa Regum Ægypti auxilia contra Antiochum Syriæ Regem petentium ageretur paulo ante quam Perseus Macedoniæ Rex fuit captus, L. Æmilio Paulo II. & C. Licinio Crasso Romæ Consulibus, ad muniendum negocium, quod turbare exceptionibus Callicrates conabatur, non solum eos, qui convocari communiter solent, sed omnes etiam xxx. annis majores, annitente Lycorta cum filio Polybio, qui Regibus Ægypti studebant, ad concilium venisse: & quanquam voluntatem multitudinis in sententiam suam Lycortas vertisset, tamen astu Callicratis conatu excidisse. Sed rarum id, & a communi ratione recedens. Hoc vero fixum. & certa lege sancitum, ne liceret prætori & demiurgis concilium gentis Achaicæ convocare, nisi de societate jugenda, aut bello suspiciendo esset deliberandum. Eratque alia lex, ne iidem concilium indicerent, nisi legati concilium petentes mandata suorum adferrent, eaque scripta exhiberent. Qua lege Q. Metellus concilium flagitans ad agendam Lacedæmoniorum causam repulsam tulit, ideoque cum stomacho e Græcia discedens cum Romam rediisset, acerbe apud senatum in Achæos, in primis in Philopœmenem & Lycortam invectus, iisque contemptum majestatis Romanæ & studia inimica objectans non parum senatus animos in Achæos asperavit, & eorum consiliorum suasor primus fuit, quæ ad Achæorum perniciem erant directa. Verum ex eadem lege Achæorum legati, qui eodem tempore, ut calumniis occurrerent, Romam missi erant, Metello, & senatui responderunt. Senatus satisfactione ex parte accepta legatos tantum monuit, ut in posterum Achæi Romanorum legatos non minore honore exciperent, nec minus aures iis commodarent, quam accideret ipsorum legatis Romam missis. *Livius* dicit, poposcisse senatum, darent operam apud Achæos domum reversi, ut Romanis legatis semper adeundi consilium potestas fieret, quemadmodum & illis, quoties vellent, Romæ daretur. Simul legati novi a Romanis in Macedoniam & Achaiam missi, quorum Princeps erat Appius Claudius vehementis ingenii, qui in concilio, quod Clitore in Arcadia ei Lycortas prætor dederat,(mandatum quippe a senatu secum ferebat,) pro ingenio suo, cum increpatione Achæorum non satis bene æstimantium conditionem suam,& vehementer, & imperiose egit causam Lacedæmoniorum: eique pro legibus & jure gentis suæ, & pro iis, de quibus a Lacedæmoniis Achæi traducebantur, liberrima oratione pro dignitate muneris, quod gerebat, respondit Lycortas. Et tamen eo tunc ab Appio deducta res fuit, dicente, suadere se magnopere Achæis(verba Livii sunt) ut dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox invitì & coacti idem facerent. Quæ vox audita cum gemitu, injecto metu, istuc Achæos adegit,ut hoc tantum a Romaniis peterent, ut illi, quæ viderentur, de Lacedæmoniis in decreto mutarent: nec Achæos religione obstringerent, irrita ea, quæ jurejurando sanxissent, faciendo. Sic damnatio duorum Lacedæmoniorum, Arei & Alcibiadis, quæ nuper facta erat, pro quibus potissimum laboraverant Romani,& qui præsentes, velut ostentati,vere unguis in ulcere Achæis erant, sublata est. Et hic tum triumphus primus ab Appio de diminuta Achæorum libertate actus. Deinde sensim labefactata etiam alia. Ex eadem lege T. Quinctio Flaminino in Asiam eunti legato a Dinocrate Messenio persuaso, ut in gratiam ipsius concilium sibi dari peteret ad res Messenias ex mente Dinocratis constituendas, idem est negatum, quia mandatum a senatu Romano non afferebat. Is vero sine offensione id transmisit. Hoc quoque lege sancitum apud Achæos fuit, ne quicquam referretur ad gentis concilium præter ea, ob quæ concilium erat convocatum. Quo repagulo prohibitus est Philippus Macedoniæ Rex, cum pacem & fœdus cum Achæis haberet, iisque concilium in urbe Argorum forte agitantibus consulto superveniret, petiturus aliquid, quod sibi negari non posse, aut æquum non

esse existimabat, quominus obtinere posset, ut id concilio proponeretur, quemadmodum liquet ex Livio, decadis quartæ libro primo. Hæc etiam lex ad concilium pertinebat, qua statuebatur, si quid decernendum esset, quod animis quorundam adversaretur, aut si quid sanciendum contra Regem aut populum, cujus ipsi essent amici, ut liceret ipsis absque offensa reliquorum, priusquam in suffragia iretur, e concilio discedere. Quod factum a Dymæis & Megalopolitanis, & Argivorum nonnullis, cum contra Philippum Macedonem decretum esset faciendum. Ista vero in primis memorabilis lex est, vinculum societatis Achaicæ maxime stringens, & concordiam muniens, qua interdictum fuit, ne cui civitati societatis hujus participi fas esset, seorsim ad exteros ullos mittere legatos, non ad Romanos, non ad alios. Et hæc expressim inserta fuit pactis conventis Achæorum cum populo Romano. Contra quam cum delinquerent Lacedæmonii permittente Appio Claudio, graviter offenderunt, & pro perturbatoribus fœderis & concordiæ publicæ sunt habiti, atque ipse Appius in non leve odium apud Achæos incurrit. Et hinc dissidia dissidiis sunt cumulata. Omnium autem laudatissima lex apud eos viguit, digna, quæ omnibus liberarum civitatum & societatum rectoribus sit quam maxime commendata, qua vetitum, ne quis omnino, sive privatæ conditionis, seu magistratum gerens, ullam ob causam, quæcunque etiam sit, dona a Rege aliquo caperet. Quam legem recitat Polybius ecloga legationum XLI. narrans venisse ad conventum Achæorum Megalopolim trium Regum legatos, Prætore tum Aristæno, Ptolemæi ex Ægypto, Seleuci ex Syria, Eumenis ex Asia, captantes Achæorum gratiam: & Ægyptios quidem dona attulisse reipublicæ Achæorum arma ænea, quantum satis erat ad instruendos peltastas sexies mille, cum talentis signatæ ex ære pecuniæ ducentis; Syrios promisisse eidem reipublicæ x. naves longas; Asianos obtulisse Eumenis nomine talenta cxx. in fœnore collocanda in eum finem, ut ex fœnore illo impendia eorum solverentur, qui ad concilia itarent. Tum vero, ait Polybius, Apollonius Sicyonius assurgens sic disseruit: pecuniam ab Eumene oblatam magnitudine sui dignam sane esse, quæ donetur Achæis: sed si animum & scopum donantis consideres, rem esse tum turpissimam tum iniquissimam. *Τῶν γὰρ νόμων κωλυόντων*, ait, *μηθένα μήτε ἰδιωτῶν, μήτε τῶν ἀρχόντων παρὰ βασιλέως δῶρα λαμβάνειν, κατὰ μηδ᾽ ὁποίαν οὖν πρόφασιν, πάντας ἅμα δωροδοκεῖσθαι προφανῶς προσδεξαμένους τὰ χρήματα, πάντων εἶναι παρανομώτατον.* Atque his congrua alia plura subtextuit, ostendens, si accepta fuerit pecunia regia, oportere accipientes velut esca devorata captos, aut mercede auctoratos necessario e duobus alterum committere, nimirum aut Regis commoda, quæ natura pugnant cum commodis liberarum civitatum, bono patriæ postponere, aut si faciant secus, in crimen ingratitudinis se conjicere, opponentes se desideriis ejus, cujus erunt mercenarii. Denique ea vis orationis istius fuit, ut plurimi Eumenem odio potius quam favore dignum esse ob hoc consilium ejus judicarent. Et quamvis publice amicitia ejus rejecta non sit, largitio tamen tanquam reipublicæ perniciosa magno consensu est repudiata. Idem de Seleuco statutum: amicitia admissa, naves recusatæ. De Ptolemæo nihil expressum in iis, quæ de fragmentis Polybii habemus reliqua. Et erat omnino alia istius Regis ratio, de cujus animo benevolo & sincero Achæis constabat. Lege autem hac de donis nihil salubrius. Nam dona hujusmodi semel admissa devinciunt animos admittentium, etiam eorum, qui cæteroqui viri haud mali sunt, ut plusculum inclinent in favorem donantium, quam sincera ratio & rectitudo bonorum consiliorum ferunt; denique occæcant mentes, ut rectum videre, animosque inficiunt, ut sanitatem atque integritatem retinere non facile queant. Et hoc est illud, quod Isocrates dicere consuevit, *Qui beneficium accipit, libertatem vendit.* Sed ad rem revertamur. In more Achæis fuit, dum integra eorum stetit respublica, ad delicta non connivere, sed pœnas severe exigere, benemerita honoribus afficere. Memores scilicet erant moniti Solonis Græcorum sapientissimi, qui dicere solet, pœnis & præmiis rempublicam contineri. Nec ab eo more discesserunt, quandiu a Romanis sociis ambitus, & pestiferarum factionum venenum iis non fuit affusum. Et semel infecti mores alios induerunt. Avaritia, honorum & potentiæ cupido, factionum studium, discordiæ amor omnia perverterunt, & exitium tandem universæ reipublicæ attraxerunt. In magnis controversiis potius peregrinis judicibus quam domesticis, aut suæ Gentis, esse usos, ad favores ac simultates a judiciis avertendos, ex aliquot locis scriptorum veterum videtur elucescere: certo id dicere non possumus. Hæc sunt, quæ de rebus Achæorum, ac statu eorum civili, afferre in medium hoc tempore habuimus. Quibus unis hoc elogium debetur, quod ex omnibus Græcis ipsi postremi solidam libertatem sua vi nixam conservaverint, cum cæteri si quam tenuerint, sub Macedonibus & Romanis precariam modo, & ab arbitrio istorum pendentem tenerent: quodque Romani non nisi malis artibus hac exuere & debellare eos potuerint.

DE REPUBLICA ET FORTUNA ÆTOLORUM.

SImilis Achaicæ societas & respublica Ætolorum fuit, eodem etiam sæculo cum illa florens: sed serius incipiens, aut certe inclarescens, & citius desinens. Sunt autem Ætoli gens Græca ad mare Ionium ab Acarnania ad Locros Ozolas, & ab hac majoris ora introrsum versus septentrionem ad montana Thessalorum habitantes. Etenim litus Illyricum, quod a variis populis ejusdem fere sanguinis habitatur, post Naronem fluvium & Epidaurum urbem recta quasi linea a septentrione in austrum descendit; cui assident urbes celebres Ulcinium, Lissus, Epidamnus seu Dyrrachium, Apollonia, Aulon, Bullis, Amantia, Oricum, usque ad Acroceraunios montes ab oriente venientes & ad occasum in mare procurrentes, ubi finis sinus Adriatici, quo Italia ab Illyridis ora dirimitur, & initium spaciosi maris Ionii inter Siciliam & Peloponnesum Græciæ late se fundentis. Ab extremitate vero Acrocerauniorum montium idem litus ad angulum paulo majorem se flectit, atque ita in ortum longissimo tractu ad Sunium usque terræ Atticæ promontorium postremum procurriit, solo Isthmo Corinthiaco interveniente, quo velut cervice angusta Peloponnesus cum reliqua Græcia conjungitur: Ante

Isth-

Isthmum autem angustus terræ tractus velut tænia in mare porrigitur; cui similis tænia alia a Peloponneso occurrit relicto tantum freto perangusto, per quod Ionium mare in sinum Corinthiacum proprie sic dictum se infundit, ubi Rhium & Antirrhium oppida aut castella opposita quondam fuere, quos hoc ævo Dardanellos, freti fauces obsidentes, vocant. Illyridis oram quam dixi, in austrum a septentrione descendentem, coloniis aliquot Græci insederunt, & partem ejus post Lissum urbem, cujus tractum Taulantii & Elimiotæ tenuerunt, Philippus & Alexander Magnus victoriis suis Macedoniæ adjecerunt. Post eam cœpit Epirus, Pyrrho Rege præcipue celebrata, regnum familiæ Æacidarum, varios populos complexa, Chaones, Thesprotios, Antigonenses, Molossos, plures alios. E quibus Chaones contermini Macedoniæ, per quos Acroceraunii montes porrecti procurrunt in mare, quorum urbs præcipua litori proxima Oricum a parte boreali Acroceranuniorum: deinde in Thesprotiis ad mare Buthrotum oppidum, & interius in Molosside locus celeberrimus Passaronis nomine, ubi Reges & populus Epiroticus mutuo se juramento obstringere quotannis solebant, Dodone item cum fano Jovi sacro, oraculis claro. Desinit in ora ad fauces sinus Ambracii: qui sinus per angustas fauces vix quinque stadiis patentes e mari Jonio in terras se infundens, & in spacium latum stadiorum centum se pandens, in aquilonem ventum longitudine stadiorum trecentorum porrigitur, Epirum ab Acarnania disterminans. Cui ad aquilonem assidet urbs clari nominis Ambracia Corinthiorum vetus colonia, Pyrrhi quondam regia, multis ornamentis ab eo decorata, Acarnanibus vicina; a qua sinui nomen datum. Post sinum igitur sequitur Acarnania regio, secundum mare orientem versus procedens, ad fluvium Acheloum a Pindo monte ex septentrione in austrum decurrentem ac mari se infundentem; qui Acarnaniam ab Ætolia dispescit. Regio nobilis, cui a borea imminent Amphilochi, & supra hos Dolopes ad Pindum montem. Urbes in ea claræ, Anactorium in ipso sinu sita in peninsula non procul Actio promontorio, quod fauces sinus arctat & Apollinis templum sustinet, cui adjecit Augustus Cæsar in monumentum victoriæ suæ celeberrimam urbem novam, Nicopolim, cum illic Antonium & Cleopatram superasset: tum Leucas, Argos, Amphilochium, Stratos ad flumen Acheloum stadiis plus quam ducentis a mari recedens, Æneja ad eundem fluvium, sed mari propior, a quo circiter stadia LXX. distat, Palorus, Alyzæa. Reliqua vici plerique perampli tenent. Post Acarnaniam deinde ad idem mare ab Acheloo fluvio porrigitur in ortum Ætolia finita Locris Ozolis, inter Ætoliam & Phocidem mediis. Phocis porro in eandem plagam progrediens juxta sinum Corinthiacum, quo ab Achaia & Peloponneso separatur, in occiduam partem Bœotiæ, quæ eundem sinum attingit, & Isthmo pene contigua est, incurrit regio nobilissima. Post partem illam Bœotiæ, Isthmo Corinthiaco imminens a borea & secundum oram in solem orientem se extendens Megaris, & post Megaridem regio Attica totius Græciæ celeberrima in mare Euboicum profertur. Quas ipsas a septentrione claudit reliqua Bœotia in idem mare desinens. Inter hanc vero & Thessaliam maritimam Ægæum pelagus spectantem Locri Opontii & Epicnemides in ora sunt interpositi, easque modico intervallo separant. Sed ad Ætoliam revertor, ob quam ista heic sunt præmissa aut repetita. Habet a septentrione accolas partem Amphilochorum, Athamanes populum ferum & barbarum, Perrhæbos, Ænianos, Oetæos. Reliquos terminos jam diximus. Habitata fuit variis populis, parte Athamanum, Tymphæis, Ephyris, Ænienfibus, Perrhœbis, Dolopibus, Maracibus, Atracibus, ut eos recenset *Plinius*. Strabo vero libro x. hos memorat: Ophienses, Eurytanes, quos maximum Ætoliæ populum fuisse, & ὠμοφάγυς, cruda carne scilicet vescentes, & lingua ignotissimos, *Thucydide* perhibet: item Agræos, Curetos, aliosque. Idem Strabo distinguit eam in veterem & novam vel acquisitam medio Eueno fluvio a septentrione e montibus vicinis in mare Jonium defluente. Et veterem dicit inter Acheolum & Euenum jacentem planam & magis fœcundam fuisse: alteram ab Eueno ad Locros Ozolas asperiorem, & minus fertilem. Urbes Ætolorum præcipuæ fuere Calydon ad Euenum fluvium, VII. millibus passuum & quingentis a mari remota, Pleuron in mediterraneis, Macynia, Molycria, Chalcis, Naupactum, Pylene, Halisarma: quamvis ex his Molycriam & Naupactum prior ætas ante Macedonum res auctas Locris Ozolis rectius accensuerit. Cetera vero regionis in vicos majores & minores nullis munitionibus tutos sparsa. Gentem Ætolorum universam bellicosam fuisse, corporibus validam, animis ferocem, turbidam, insolentem, superbam, cæteroqui libertatis conservandæ & armis tuendæ studiosam, scriptores veteres omnes tradiderunt. Satisque constat, perantiquam eorum libertatem fuisse, nullis Regibus aut dominis obnoxiam, sed ut plurimum populos & civitates Ætolici nominis seorsim sibi consuluisse, & respublicas quasdam suas peculiares habuisse, interdum etiam dissensionibus laborasse, & armis in se esse versos: urgente autem hoste externo sese conjunxisse, & communem patriam ac libertatem defendisse: cum finitimis, maxime autem cum Acarnanibus frequenter bella gessisse, & ob eos armis etiam ab Atheniensibus esse petitos. Posteris vero temporibus, cum Macedones a morte Alexandri Magni Græcorum libertati vim facerent, & Græci in partes scissi essent, Ætoli omnes exemplo Achæorum, quo rectius sibi consulerent, & libertatem suam tuerentur, inita inter se arctiore societate in unam quasi rempublicam coiverunt. Eum in finem unum etiam ipsi instituerunt totius gentis concilium, quod Panætolium vocarunt. Id placuit convenire quotannis semel tempore stato ac legitimo, & aliqui quoties res posceret. Legitimum & statum conveniendi tempus fuit in autumno: quo in conventu Præfectos suos ante Magistratus toti societati communes eligebant: in primis Prætorem, quem, ut Achæi, ϛρατηγὸν nominabant, cui universæ reipublicæ cura & potestas summa domi militiæque commendabatur: quo Duce præcipuo bella gerebantur. Cura & potestas hæc annuo tempore circumscripta fuit: quod in reliquis etiam magistratibus usurpatum esse, non est dubium. In concilium hoc coibant ex omnibus civitatibus ac populis aut locis, quibus hoc jus erat, delecti cum mandatis & agendi potestate: in eoque residebat totius reipublicæ Ætolicæ majestas. Id leges ferebat, & abrogabat, fœdera sanciebat & tollebat, bellum pacemque jubebat, magistratus, ut dictum, creabat: ad id universæ reipublicæ negocia referebantur. In eo legati Regum, Principum, civitatum audiebantur, de postulatis cognoscebatur, responsa decernebantur. Ab eo legati nomine totius reipublicæ aut societatis ad exteros mittebantur, literæ scribebantur. Denique omne jus habebat, quod de Achaico concilio exposuimus. Convocabat hoc concilium, & regebat, si belli negocia permitterent, gentis Prætor: & idem de negociis omnibus ad id ex more referebat. Sed cum retulisset, id est, deliberanda proposuisset, non licebat ei porro verba facere, suadere aut dissuadere: id autem aliis committebatur. Decretum ipsi exequendum demandabatur. Sedes

concilii hujus erat Thermum, forum percelebre, & copiosum, mercatu nobile, ædificiis splendidum, signis, tabulis, ornamentis variis insigne, in medio regionis positum ad lacum loco circum circa aspero, ad quem aditus exercitui difficilis. Sed præter Thermum alibi etiam pro temporis conditione concilium idem interdum conveniebat, ut Naupacti, Hypatæ, Lamiæ, quemadmodum ex historia cognoscimus. Erat vero aliud quoque gentis hujus concilium, quod Apocletorum dicebant. Angustius id fuit generali, & jure ac potestate inferius, a *Polybio* & *Livio* aliquoties memoratum. Quorum hic sanctius gentis concilium id vocat, ex delectis constans viris: ad quod etiam negocia ardua referebantur, quæ subito consilio opus habebant. Frequenter hoc convenisse ac reipublicæ consultasse, dubium non est. An certam fixamque sedem habuerit, dubito. Vox quidem ἀποκλητοὶ vocatos vel evocatos significat. Ab Apocletis autem consultata, si magni momenti erant ad rerum summam pertinentia, ex eorum voluntate ad generale concilium deferebantur, atque ibi determinabantur. Quot numero fuerint ἀποκλητοὶ, quandiu munus tenuerint, a quibus sint designati, parum constat. Lectos fuisse e primoribus gentis pene certum est. Magistratus præcipui post Prætorem fuere Magister equitum, publicus gentis Scriba, Ephori. Priores summæ dignitatis, & momenti maximi in Ætolorum republica fuisse, vel ex eo liquet, quod in formula pactorum & fœderis postremi cum Romanis scriptum sit, permitti Romanis, ut obsides LX. ex tota gente deligant non minores natu annis XII. neu majores annis LX. quos velint, exceptis Prætore, Magistro equitum, & Scriba publico: perinde ac si eorum præsentia carere respublica non posset. Ut de equitum Magistro id taceam, quod præcipuum gentis Ætolicæ robur in equitatu fuisse auctores veteres tradant. Quod argumento indubie est, in summo pretio Præfectum etiam ejus fuisse. Ephoros ad exemplum Laconum in rempublicam introductos esse, verosimile est. Longo enim tempore cum Lacedæmoniis valde conjunctos fuisse Ætolos, ex *Thucydide*, *Xenophonte*, *Polybio* discimus, & eorum instituta multis in rebus esse imitatos credimus. Sed & de his quo numero fuerint, quam late eorum potestas patuerit, & cætera ignoramus, non tradita a veteribus, quorum ad nos monumenta pervenere. Duos modo ἐφορεύοντας Polybius obiter nominat, Onidem & Nicippum, libro Historiæ quarto. Collegium illud XXX. Principum, qui in gerendo bello a consiliis essent Antiocho Magno, quorum meminit *Livius*, extraordinarium fuisse, & cum Antiochi bello finem habuisse, dubitari nequit. Fuere Ætoli, quandiu hic eorum status integer & incolumis mansit, viribus validi, & vicinis omnibus, etiam Regibus, formidabiles. Sed fuit hic status Achaico recentior, & diu ante Achaicum desiit. Quod posterius moribus suis illaudatis ipsi debuere. Fuisse enim Ætolos accepimus feroces, jactabundos, supra modum arrogantes, ingratos, invidos, iniquos, avaros, alieni cupidos, sui prodigos, rapto vivere suetos, turbulentos, fastuosos, amicis infidos, inconstantes, quietis & æqui juris impatientissimos, temerarios, ira præcipites, propositi pertinaces. Ita factum, ut multos sæpe offenderent, suam & aliorum quietem turbarent. Ut priora omittam, cum injuriis lacessivissent vicinos, & vicissim armis Macedonum aliorumque premerentur, extremum discrimen auxilio Achæorum adjuti evasere. Non multo post cum viderent potentia & gloria crescere Achæos, malevolentia stimulati exitiale fœdus inter Cleomenem Regem Spartanum & Antigonum Macedoniam tutorio nomine pro Philippo puero Rege gubernantem in perniciem Achæorum conflarunt, & simul discordia distrahere eosdem Achæos studuerunt. Sed prudentia Arati, qui Antigonum obliqua ratione percommode in partes Achæorum traxit, consilium hoc eorum nequissimum in exitium Cleomenis, Achæorum hostis infestissimi, & in ipsorum auctorum dolorem ac infamiam, in suorum vero maximum emolumentum vertit. Deinde mortuo Antigono, quem vivum metuerant, despecta ætate Philippi Regis, tum admodum adhuc juvenis, cum regnum auspicaretur, ad ingenium redeuntes Ætoli per Dorymachum & Scopam, cum nulla ipsis data causa esset, Achæos & reliquos Peloponnenses bello turbarunt. Eo facto omnibus Græcis inviso, qui quiete post debellatum Cleomenem parta delectabantur, bellum sociale in se concitarunt. In id bellum, Principe Philippo Rege annum ætatis XVII. tunc agente, quo cum amicitia ex conventione priore plurimis Græcorum constabat, conspirarunt Achæi & eorum socii in Peloponneso, Bœoti, Phocenses, Macedones, & qui iis cohærebant, itemque Acarnanes, Epirotæ, Illyriorum pars, omnes injuriis ab Ætolis læsi, & ob sacra profanaque passim violata iis infensi. Et tamen bellum hoc tam grave, & quidem magna animorum contentione gestum sustinuere Ætoli, sola Lacedæmoniorum & Elidensium amicitia ac societate freti, in annum usque tertium ferme completum. Tantum gentis hujus robur erat. Pax demum post mutuas clades, variosque casus, cum jam utrosque, maxime vero Ætolos, malorum belli tæderet, convenit in has conditiones, ut ab armis utrique discederent, & retinerent ea, quæ tum tenebant. Factum hoc paucis diebus post pugnam inter Romanos & Annibalem commissam ad lacum Trasimenum in Hetruria, qua ingentem cladem Romani accepere, anno belli illius contra Pœnos secundo, qui erat urbis Romæ DXXXVII. Olympiadis CXL. tertius jam vergens. Scribit *Polybius*, Philippum Regem paulo ante pacem hanc confectam ludicrum Nemeæ spectantem literas accepisse nuncias istius prœlii & cladis Romanorum, easque statim uni Demetrio Phario Romani nominis inimico gravi legendas dedisse: Demetrium hac occasione Regem juvenem per se magna affectantem extimulasse, ut bello cum Ætolis quam primum composito curas suas in Italiam verteret: hoc viam ei aperturum ad parandum imperium maximum, præsertim opportuno hoc tempore, cum tanta clade fractæ vires Romanorum jacerent: audiisse hæc libenter Philippum, & accessisse in eandem rem stimulos ei subditos ab Agelao Ætolo de pace ad eum misso: itaque pacem celeriter compositam, atque ab eo tempore oculos a Rege conjectos fuisse in Italiam. Sed incerta fortunæ metuens idem Rex quievit, usque dum nuncium accepit novæ & longe maximæ cladis Romanorum ad Cannas Apuliæ. Tum prorsus fractas eorum vires arbitratus, ut ne resurgere quidem possent, Capua etiam urbium Italicarum maxima & felicissima partes Annibalis jam secuta, & hujus exemplo passim civitatibus & populis Romanos deserentibus, Annibale per Italiam exultante, anno post eam cladem proximo legatos de societate & fœdere ad Annibalem misit, quorum Princeps erat Xenophanes, fœdusque initum, quo Italia Annibali, Græcia Philippo assignatæ, & auxilia mutuo promissa. Sed legati in reditu a classe Romana intercepti, & Romam retracti totaque res patefacta. Itaque nova legatione a Philippo in Italiam missa, fœdus tandem rite confectum, & ab utraque parte signatum. Hinc bellum enatum inter Romanos & Philippum, armaque a Romanis ad Regem ab invadenda Italia avertendum Macedoniæ maritimæ, Epiro finitimæ, illata. Mox in fœdus ab iisdem sollicitati & pertracti per M. Va-

lerium Lævinum Consulem designatum, ac res in ea ora gerentem, Ætoli per sese belli quam quietis cupidiores, atque insuper a follibus suis gentis Principibus Scopa & Dorymacho inflati. In fœdere scriptum, ut bello ex hoste capta loca a Corcyra usque in Ætoliam, ædificia, muri, agri Ætolis cederent: reliqua præda Romanorum esset: operam darent Romani, ut Acarnania Ætoli potirentur: neutris pacisci cum Philippo, nisi alteris quoque inclusis, liceret. Bellum hoc per varios casus gestum, tractumque in annum septimum, quo Consules Romæ fuere P. Cornelius Scipio, P. Licinius Crassus, qui erat belli Punici secundi decimus quartus. Tum Romanis alio aversis, Ætoli clade forte affecti a Philippo, & jam belli diuturni pertæsi, præpropere, ne consultis quidem Romanis, quorum jam validus exercitus in procinctu erat, auspiciis P. Sempronii proconsulis Macedoniam invasurus, pacem cun Philippo fecere. Id ægre latum quidem a Romanis: sed paulo post ab ipsis quoque, intercedentibus maxime Epirotis belli malorum ob viciniam non expertibus, pax cum Philippo & ejus sociis inita, ac fœdus etiam percussum: adscripti fœderi a Rege Prusias Bithynus, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ, quorum erat ope in bello Rex usus, a Romanis Ilienses, Attalus Rex, Pleuratus Illyrius, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses, quos cum Ætolis suarum partium habuerant. Atque hæc inter Regem & Sempronium convenere in Epiro, quo Rex ad Sempronium venerat. Sed pax ultra quadriennium integrum non duravit. Nam Philippus Atheniensibus iratus ab eorum injuriis abstinere non potuit, & clam subsidia in Africam Carthaginiensibus contra Romanos bello eorum nondum composito misit, & aperto quoque bello contra pacis leges Abydum Hellesponti urbem oppugnavit, excidioque dedit. Rursum igitur bellum contra eum a Romanis sumptum Duce P. Sulpitio Galba Consule, quo durante Ætoli, speculati aliquandiu fortunam, iterum Romanis sociati. Deinde T. Quinctio Consule anno belli istius tertio cum imperio in Græciam profecto, Achæi quoque fœderi additi. Et demum Philippus ingenti prœlio in Thessalia ad Cynocephalas a Quinctio & sociis victus, viribusque fractus; paxque ab eo rursum petita & impetrata, omnes Græciæ civitates in Europa & Asia libertate donatæ a Romanis. Pugnatum anno urbis Romæ DLVII. Q. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo Consulibus. De pace convenit anno sequente. Pax hæc solis Ætolis displicuit, quod se contemptos a Romanis, & non præcipuo aliquo navatæ operæ præmio, quo se dignos putabant, ab iis affectos esse arbitrarentur. Nam viribus & virtute sua potius quam Romanorum devictum Philippum, pro animi sui fastu prædicabant: Athenienses & Achæos, ut degeneres insectabantur. Idcirco ipsi ira tumentes, & a Principibus suis turbidis ac superbia elatis incitati, ut animis suis satisfacerent, ad Antiochum Magnum Syriæ & Orientis Regem potentissimum legatos miserunt, & per eos ad inferendum bellum Romanis eorumque sociis extimularunt. Denique Regem sponte sua tentandæ fortunæ avidum, nec bene volentem Romanis in Europam attraxere. De utrisque ait Polybius, & ex eo Historiam texens Livius, & Ætolos Antiochum, & hunc illos inflasse vana spe, ac mutuis se mendaciis decepisse: illos parata a Philippo auxilia, prompta civitatum Græcarum aliarumque studia, si modo se Rex commoveret, adhæc nutantem erga Romanos Italiæ fidem, Romanos ipsos bellis prioribus exhaustos jactasse: hunc infinitas copias ex omni Asia totoque Oriente ac Septentrione a gentibus vix fando Europæ auditis, ingentes classes, immensam pecuniæ vim, & apparatum supra fidem verbis suis & purpuratorum suorum crepuisse: denunciasse, Græcos se non precariæ & fictæ, ab alieno pendenti arbitrio, sed veræ ac solidæ libertati, nixuræ viribus propriis redditurum, dignitatique pristinæ restituturum: verum vanitatem statim, cum venisset in Europam Antiochus, esse detectam, exercitus laceros adductos, pecuniam in Europa mutuo quæsitam, classes Romanis non pares, auxilii a Philippo nihil, nec Græcos aliosve se commovisse. Itaque, ut discimus ex iisdem scriptoribus, Chalcis quidem in Eubœa ab Antiocho, calente primo terrore, occupata, deinde varia tentata, ostentata mens non belli contra Romanos gerendi, sed controversias inter eos & Græcos ex æquo & bono amice componendi, etiam blanditiis & minis Græci oppugnati, Annibalis, qui in partibus erat, consilia neglecta: Demum ad Thermopylas, quas copiis suis insederat, Antiochus ab Acilio Glabrione Romano Consule, ingenti pugna superatus & castris exutus, trepida fuga Chalcidem repetiit, atque inde in Asiam rediit. Id turbavit quidem Ætolorum animos, sed non prostravit, nec insitam ferociam fregit. Nam a Consule victore moniti, qui Heracleam Thessaliæ ad radices montis positam præsidio tenebant, ut vel jam fortunæ cedentes in viam redirent, & Romanorum gratiam etiam nunc patentem non aversarentur, superbius quam conveniebat, etiam tum responderunt. Verum armis petiti a Consule, capta primum urbe, deinde arce quoque, in quam confugerant, dedita, in potestatem Romanorum omnes ii, qui illic erant, venere. Quos inter fuit ferocissimus Principum gentis Ætolicæ Democritus, qui nuper T. Quinctio decreti formulam, quo Antiochus in Græciam evocatus erat, poscenti insolenter responderat, in Italia se castris Ætolorum ibi positis id se daturum. Simul Lamia Ætolorum a Philippo Macedone oppugnata, & post Heraclea Romanis quoque dedita fuit. Sed durante adhuc Heracleæ obsidione concilium Ætolorum Hypatæ in oppido vicino coactum: ejusque decreto Thoas e Principibus gentis, qui jam ante etiam ad excitandum & evocandum Regem missus fuerat, rursus cum aliis ad Antiochum ablegatus fuit, qui aut reditum ejus maturum in Europam cum justo exercitu, aut pecuniam cum copiis auxiliaribus posceret. Isque pecuniam a Rege, & promissa de submittendo exercitu & classe impetravit. Cæterum Heraclea paulo post capta dejecit animos Ætolorum profecto jam Thoante. Itaque post paucos dies suasu Phaneæ Prætoris missi ab illis ad Consulem Oratores de pace. Sed hi longam orationem exorsi, interrumpente Consule, nondum expositis mandatis, cum L. Valerio Flacco redire Hypatam, & illic in concilio apud hunc, quæ vellent, exponere jussi. Quo ubi ventum, deprædicatis apud Valerium prioribus Ætolorum meritis, ad reficiendam pacem jactata & petita priorum fœderum jura. At his a Valerio rejectis, & via alia obtinendæ salutis monstrata, in sola culpæ agnitione & deprecatione posita, extra quam nihil omnino ad salutem reliquum, consilia versa: missus cum aliis ex Principibus gentis ipse Phaneas ad Consulem, ante hac haud parvis follibus spirare solitus, præmissa oratione humillima ad promerendam misericordiam comparata, tandem dixit, Ætolos sese suaque omnia fidei populi Romani permittere. Itane est, ait Consul, sicut dicitis, Ætoli? Ita est, respondit Phaneas, & qui cum eo erant: & simul decreti formula exhibita. Tum rursus Consul: Accipio conditionem. Edico vero vobis ex decreto hoc vestro, ne quis Ætolorum in Asiam transeat, neque privatim, neque publice: dein postulo, ut Dicæarchum civem vestrum (is vehementissimus in Romanos fuerat, ac vir erat improbissimus) & Menestratum Epirotam,

Naupactum cum præsidio ingressum, & Amynandrum Regem Athamanum, & cæteros istius gentis, qui eum secuti ad vos secesserunt, sine mora mihi tradatis. Quo turbatus Phaneas & adhuc loquentem interpellans, Atqui non in servitutem, sed in fidem vestram nos tradimus, ait, & certum mihi, imprudentia te labi, qui imperes nobis, quod neque justum neque mori Græcorum congruum est. Ad quæ rursum Consul Acilius non tam ira motus, quam ea mente, ut doceret eos conditionem fortunæ præsentis, & quid id esset, permittere se fidei alterius, & ut terrorem universis incuteret: Quid? vos ne Græculi adhuc mores vestros, & quid deceat ac rectum sit, mihi occinitis, ajebat, qui fidei nostræ vos permisistis? quos ego catenis vinctos omnes in carcerem abducturus sum, si sic mihi videbitur. Ac simul cum dicto catenas adferri, & bojis ferreis singulorum colla indui jussit. Tum vero obstupefacti Phaneas & qui cum eo erant, muti stare omnes, & quasi deliquium corporis atque animi pati ob inopinatum casum, qui ipsos prehendebat. Atque hoc erat illud, quod Acilius volebat. Sed L. Valerius cum aliis, qui aderant, tribunis, orare Acilium, ne quid gravius statueret in eos, qui legati in castra venerant. Quorum precibus cum locum daret Consul, cœpit fari Phaneas, dixitque, & se, & Apocletos Ætolorum imperata facturos; sed opus esse, ut concilium quoque assentiatur, ut rata sint quæ imperantur. Fatente Consule, recte id ab eo dici, induciæ decem dierum ad convocandam multitudinem petentibus datæ. Atque ita dimissi tum Ætoli. Qui cum Hypatam rediissent, Phaneas in delectorum conventu, quos Apocletos vocitatos diximus, tum quæ imperarentur, tum quæ ipsis accidissent, exposuit: secutusque est Principum omnium, qui aderant, gemitus, fortunam suam miserantium. Et tamen parendum victoribus, ac necessitati præsenti omnes existimabant. Sed quia id satis non erat, vocati sunt ex omnibus oppidis Ætoli ad concilium. Verum cum fama vulgasset ea, quæ Phaneæ & cæteris apud Consulem evenerant, adeo efferata est multitudo, ut ne deliberandi quidem gratia ad conventum se conferre vellet quisquam; fremere vero omnes, & sævitiam imperii execrari: simul clamare, non posse etiam ea præstari, quæ imperentur. Quomodo enim Amynandarum Athamanum Regem, quem in potestate non habeant, quomodo Principes ejus gentis alios, quomodo Epirotas postulatos queant tradere? Simul vero contigit, ex Asia ab Antiocho Nicandrum legatum, collegam Thoantis opinione celerius in Ætoliam reverti (nam duodecimo die postquam proficiscens navem conscenderat, in patriam redierat) & pecuniam cum amplis promissis adferre. Ita ex furore in novam spem sublati Ætoli negocium pacis missum prorsus fecere. Quod animadvertens Consul Acilius, & cognoscens, Naupactum tumultuantes confluere, eamque belli sedem destinare, quam paulo ante Menestratus Epirota Romanis infensus occupaverat, præmisso illuc quam celerrime cum expeditis quatuor armatorum millibus Appio Claudio, ipse mox cum toto exercitu itinere difficillimo secutus Naupactum obsedit oppugnavitque. Et jam fere confectam rem habebat, cum ex concilio Achæorum festinus advenit T. Quinctius Flamininus, cujus ductu Philippus Macedo debellatus, & Græcia libertati reddita erat, cupidior servandi Ætolos, quam hi merebantur. Superbe enim spreverant nuper optima & fidissima ipsius monita, & soli e Græcis injuriose de eo locuti fuerant. Verum is posthabitis contumeliis cum in castra venisset, pro obsessis intercessit apud Consulem, & obsidione soluta inducias iis confecit tanti temporis, per quod Romam legatos deprecatores mittere, iique cum responso in patriam redire possent. Profectis vero Romam legatis, & in senatu auditis, post multam actionem tandem tale responsum datum: oportere Ætolos aut senatus arbitrio libero sese permittere, aut mille talenta pendere, & simul eosdem amicos vel inimicos cum Romanis habere: nec impetrari a petentibus potuit, ut quarum rerum arbitrium permitti sibi posceret, senatus profiteretur. Jussi autem legati sunt eodem illo die urbe, intra dies XV. Italia excedere. Succensebant quippe Ætolis Romani vehementius tanquam indomitæ genti, qui odio Romani nominis Antiochum nuper in Europam exciverant, & vastitionum & cædium innumerarum causam dederant. Inter quos Acilius Consul XLIII. Principes Ætolicæ gentis, & in his Democritum illum, qui castra in Italia se positurum, atque iis Quinctio se responsurum jactaverat, ejusdemque fratrem in Italiam transmisit, ubi in lapicidinas dati fuere. Legatis domum reversis, & per eos senatus Romani voluntate cognita, Ætoli in arma rursum versi Naupacto contra obsidionem, quam expectabant, prospexere. Sed Acilius non Naupactum, sed Lamiam, præter eorum expectationem invasit, eaque brevi tempore expugnata, Amphissa Locridis, quæ præsidio Ætolorum tenebatur, armis ab eodem petita. Cujus oppugnationi intervenit novus Consul L. Scipio, Acilii successor, legato utens fratre Africano. Is accepto exercitu in cœpto oppugnationis progressus, nequicquam Atheniensibus cum Africano intercedentibus, non alias pacis conditiones admittere voluit, quam quas senatus Romæ tulerat. Verum connitentibus rursum iisdem semestres induciæ tandem Ætolis concessæ, obsidioque Amphissæ soluta. His induciis fluentibus bellum in Asiam translatum, atque ibi terra marique gestum, variante interdum fortuna, ac demum cunctis viribus de rerum summa certatum, victus fractusque Antiochus, ac trans Taurum montem submotus, paxque petenti data. Interim Romæ quoque in curia per legatos Ætolorum instaurata rursum actio de pace, sed sine fructu. Nam etiam tunc ferocius agebant legati, prioraque merita odiose jactabant, magisque jure contendere quam culpam deprecari videbantur, quod augendæ magis iræ Romanorum quam conciliandæ benevolentiæ ac misericordiæ erat. Itaque facessere rursum legati ex urbe & Italia, ut nuper, jussi, ac sine consensu Consulis aut senatus redire eodem prohibiti. Iterumque Ætolia in arma versa, turbati Athamanes vicini, Rex Amynander Romanorum inimicus in regnum reductus, Amphilochia occupata, Macedones vicini infestati. Contra Ætolos tum missus a Romanis Consul M. Fulvius. Cujus auspiciis obsessa Ambracia in finibus Epiri, Ætolis associata, & post varios longosque belli labores ad extrema redacta. Tunc tandem fracti Ætolorum animi: missique ab iis legati ad Consulem Phaneas & Damocles, cum amplis mandatis, ut pacem qualemcunque, quam pro conditione rerum angustissimarum tolerabilem putarent, pro gente Ætolica conficerent. Nam Antiocho terra marique superato, & pene extra orbem trans Taurum relegato, cujus fiducia bellum erat susceptum, quid spei sibi superesset, ad bellum idem diutius sustinendum non videbant. At vero cum Consuli se stitissent legati, initium dicendi fecere ab imploratione gratiæ, sed progressi non eundem cursum tenuere. Nam merita vetera ita prædicarunt & extulerunt, ut posteriores errores iis condonandos esse significarent. Tanta animis pervicacia inerat. Quapropter Consul nondum serio pacem desiderare Ætolos ajebat: jubebat vero Antiochum eos intue-

ri & imitari, quem in bellum ipsi traxissent: illum, ut pacem sibi impetraret, non paucis solum urbibus, de quarum libertate contentio fuisset, sed omni Asia cis Taurum montem, regno opimo cessisse: Ætolos deinceps nisi inermes de pace acturos se non auditurum: arma igitur equosque omnes traderent, mille talenta penderent, quingenta statim, cætera deinde, si pacem serio peterent: adhæc promitterent, eosdem se amicos & hostes cum populo Romano habituros. Quibus auditis nec assentiri, nec rejicere legati ausi, ut Prætorem & Principes consulerent, domum repetivere. Verum illic clamoribus & jurgio excepti, quod rem traherent, redire sine mora ad Consulem compulsi, & qualemcunque pacem referre jussi fuere. Ac tum demum, cum intercessores Athenienses Rhodiique, & Amynander Athamanum Rex paulo ante reconciliatus quoque accessissent, pro Ætolis deprecantes, ac preces eorum C. Valerius Lævinus, cujus parens primus cum Ætolis amicitiam pepigerat, quique eadem cum Consule matre natus erat, etiam juvaret, res confecta fuit. Ambracia Romanis dedita, præsidium incolume dimissum: reliquæ conditiones dictæ spe Ætolorum meliores. Quæ ad senatum Romanum relatæ, cum de iis probandis & sanciendis ageretur, naufragium facturæ videbantur, nisi Oratoris Attici Leontis gratia & facundia periclinantibus succurrisset. Nam aderant eodem tempore Philippi Regis legati, qui de atrocibus Ætolorum injuriis vehementes querelas inferebant, & ab audiendis admittendisque eorum precibus senatus animos avertebant. Sed post Rhodios legatos pro Ætolis locutos hujuscemodi oratione usus fuisse Atheniensis dicitur: culpam commissorum non esse universi populi; multitudinem Ætolorum, ut aliorum populorum, mari similem esse quieto per sese, eamque quievisse, cum in fide Romanæ societatis maneret: sed postquam flare ab Asia Thoas & Dicæarchus, ab Europa Menestas & Democritus cœpissent, tum illam tempestatem coortam, quæ ad Antiochum Ætolos sicut in scopulum intulerit. Auditus Leon cum silentio movit senatum, tandemque in has conditiones conventum: *imperium majestatemque populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo: ne quem exercitum, qui adversus Romanos, aut socios amicosque eorum ducetur, per fines suos & urbes transire sinito, neve ulla ope aut publico consilio juvato: hostes eosdem & amicos habeto, quos populus Romanus: si adversus quos Romani bellum gerent, contra eosdem & populus Ætolus bellum gerito: Perfugas, fugitivos captivosque Romanorum aut sociorum reddunto Ætoli, præterquam si qui capti, cum domos rediissent, iterum capti sunt, aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter auxilia Romani Ætoli essent: alii intra dies centum post fœdus ictum Corcyræorum magistratibus tradantur: qui non comparebunt, quando quisque eorum inventus fuerit, sine dolo malo tradatur, atque his post fœdus in Ætoliam reditus ne esto: Argenti, quod Attico deterius non esset, ducenta Euboica talenta præsentia proconsuli in Achaia agenti Ætoli darent: pro tertia argenti parte aurum si dare mal-*

A *lent, darent, dum pro argenteis decem minis unam auri penderent: a quo die sancitum fœdus esset, in proximos sex annos quinquaginta talenta annua uti penderent: eaque pecunia ut Romam tuto curetur, ipsi providento: obsides* XL. *arbitratu Consulis danto, neu minores* XII. *annorum, neu majores* XL. *in annos sex: obses ne esto Prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis, qui ante obses fuerit apud Romanos: obsides Romam transportandos ipsi curanto: si quis obsidum diem suum obierit, alium vicem illius danto. Cephalenia extra pacis leges esto. Qui agri, quæ urbes, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt, qui T. Quinctio, Cn. Domitio Consulibus*
B *postve eos Consules aut armis subacti, aut voluntate in ditionem populi Romani venerunt, ne quam eorum urbium, aut hominum, qui in iis sunt, Ætoli recepisse velint: Oeniadæ cum urbe agrisque Acarnanum sunto.* His legibus icto fœdere, inquit Polybius, pax consummata fuit. Ita nervi libertatis Ætolicæ incisi sunt, quanquam ægra species aliqua ejus remanserit. Nam reliquus ordo societatis ac reipublicæ jura alia publica & privata, concilii etiam, & senatus apocletorum simulachrum relicta fuere, sed in rebus magnis jus statuendi pro arbitrio populi liberi nullum: necessitas vero parendi Romanis irro-
C gata. Et quievit gens deinceps, vicinis despecta, velut capitis diminutionem passa. Sed sensim serpsit conditio eadem ad proximos quosque, cum allubesceret dominatus Romanis: denique insidiæ ab iisdem Romanis societati Achaicæ quoque structæ, cum velut sudes in oculis eorum, qui augendo imperio suo curas intendebant, esset aliena libertas valida, suisque viribus nixa. Postremo Achæis subjugatis Ætolia quoque & reliqua Græcia cum iis formam provinciæ acceperunt. Culpa amissæ libertatis præcipua in Ætolis fuit: qui Romanis illuc viam affectantibus occasionem motibus suis & temerariis ac præcipitibus consiliis ante alios dedere. Nam ve-
D rum quidem hoc, quod Orator Atticus pro Ætolis differens ajebat (erat enim id causæ, quam agebat, cum primis commodum) maria omnia tranquilla esse suapte natura, nisi forte vi alia moveantur: sed verum quoque illud, maria alia aliis esse mobiliora, & fluctibus citius ac vehementius attolli, cum alias ob causas, tum quod hæc illis sunt profundiora. Quæ autem profundioris aquæ sunt, ea facilius etiam & celerius, si incubuerint venti, commoventur, & fluctibus intumescunt: pigriora vero sunt, quæ minus sunt profunda. Idem & populis accidit. Nam sunt horum quorundam ingenia per se magis quieta: aliorum vero turbidiora, & tumidiora, si-
E ve id fiat soli cœlique, in quo & sub quo nascuntur, & adolescunt, vitamque degunt, & cibi potusque, quo aluntur, sive educationis ac institutionis diversitate. Eorum autem priora haud facile, si qua causa motus extiterit, impelli se sinunt: posteriora, si quid acciderit, quod offendat, & si folles δημαγωγοί flaverint, & ventos civerint vehementius, facillime & celerrime intumescunt, atque in fluctus magnos assurgunt, quos commotos haud facile sedare quis possit. Quæ sane in Ætolos quadrasse omnia, Historiæ testantur.

DE STATU ACARNANUM.

ACARNANUM gens inter Epirum & Aetoliam media eodem decursu temporum vere libera fuit, dominos ignorans, sæpe fœderibus & societate cum populis aliis juncta. Cui etiam, ut Ætoliæ, Prætor unus annuus, suffragiis populi lectus præerat, qui domi militiæque supremum imperium habebat. Erat etiam ei concilium magnum, penes quod erat summa potestas, & rerum omnium
F maximarum arbitrium, ut apud Ætolos & Achæos. Multa quoque alia pene similia, sed obscura nobis, quia expressim literis non prodita. Verum ut angustioribus finibus hæc gens claudebatur, ita minore quoque potentia valebat, & aliorum injuriis magis erat obnoxia. Demum provinciæ Romanæ cum reliquis Græcis adscripta.

DE STATU EPIRI.

Epirus quondam etiam sub Regibus suis non vili parte libertatis gavisa fuit. Nam ut prodit Plutarchus in Pyrrho, Rex & populus quotannis solenni in conventu in regione Molossidis mutuo juramento obstringere se solebant, ille secundum leges se regnaturum, hic regnum se ei conservaturos regnanti secundum leges. Eadem vero Epirus a Pyrrhi abnepte Deidamia, cum ipsa careret liberis, integra & plena libertate donata suam A quoque rempublicam peculiarem habuit per tempora illa eadem: sed quæ forma ejus fuerit, hactenus me latet. Hoc tantum apud *Polybium* reperio, tres eodem tempore Prætores eam habuisse, qui rempublicam gererent: an plures etiam fuerint, non constat. Retinuit autem Epirus qualemcunque libertatem a Macedonibus sæpe concussam ad casum usque Achæorum. Quo tempore ipsa quoque provinciæ Achaiæ attributa est.

DE CONCILIO AMPHICTYONICO.

Fuit pervetustum apud Græcos institutum, concilium Amphictyonum: cujus principium Pausanias ad Amphictyonem Deucalionis filium Thessaliæ Regem, nominis quoque auctorem, Strabo ad Acrisium Regem Argivorum XIV. referunt. Pausaniæ sententiam sane verosimilem facit appellatio: nec ab ea abhorrent, quæ habet Herodotus libro VII. ubi loca Thermopylis vicina, quæ Thessaliæ sunt, describit. Ait enim, ad Asopum fluvium prope Thermopylas locum esse spaciosum, & ibi Cereris Amphictyonidis fanum, & Amphictyonum sedilia, & ipsius Amphictyonis delubrum. Et dicit, Thermopylas a plerisque Græcorum vulgo vocatas, & tunc adventante Persa a Leonide insessas, ab indigenis & accolis Pylas, hoc est, portas fuisse nuncupatas. Per eas enim transitus angustus in reliquam Græciam patebat. Testatur vero etiam Strabo, Amphictyones Cereri Deæ immolare solere. Ex quibus omnibus conjectare licet, originem instituti a Thessaliæ Rege esse, & concilii sedem primævam ad Thermopylas in Thessalia fuisse: deinde istinc in Phocidem, ubi posteris temporibus fuit, esse translatam. Accedit verisimilitudo sententiæ eidem quoque ex populis, quos primum concilii hujus participes fecisse Amphictyonem *Pausanias* docet numero x. quorum plurimos aut Thessalos fuisse, aut Thessaliæ proximos, eidemque posteris sæculis etiam accensos esse constat; nimirum Dolopes, Ænianes, Magnetes, Phthiotas, Maleenses, ipsos Thessalos, Dorienses: quos jus Amphictyonicum adhuc tenuisse tempore suo, Æschines in oratione περὶ παραπρεσβείας ostendit, licet pro Dolopibus Perrhœbos, pro Ænianibus Oetæos videatur nominare. Usitatum autem est proximos quosque populos in hujusmodi concilia loco ipsis commodo & vicino primum coire. Præter hos vero in societate hac Amphictyonica jam inde ab initio fuere Phocenses, Bœoti, Locri, Jones, inter quos etiam Athenienses censebantur. Verum quando, & a quo sedes in Phocidem translata sit, affirmare promptum non est: quanquam ad Acrisium Regem isto tempore præpotentem in Græcia id referre, forsan non fuerit absurdum. Quinimo turbat nos heic idem Pausanias. Nam Amphictyonem ipsum Deucalionis filium non ad Thermopylas in Thessalia, sed in Phocide concilium hoc constituisse, affirmat libro x. Phocica enarrans; & alibi, in Achaicis scilicet, tum Delphis in Phocide, tum ad Thermopylas in Thessalia, sæculo suo convenire solitos Amphictyones, scribit. Ἐς δὲ Αἴγιον, ait, καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν ἔτι συνέδριον τὸ Ἀχαιῶν ἀθροίζεται, καθότι ἐς Θερμοπύλας τε, καὶ ἐς Δελφοὺς οἱ Ἀμφικτύονες. Quæ B discutere porro jam non libet, forsan facturus id alibi. Phocis regionum Græciæ quodammodo media, & in ea Delphi urbs clarissima ob regionem, cum templo ditissimo, & magnificentissimo: in cujus adyto Apollo Pythius oracula reddebat, expetita non solum toti Græciæ, sed multis quoque regionibus & Regibus exteris. Ibi locata sedes concilii hujus amplissimi: cujus scopus præcipuus fuit, ut esset supremum gentis Græcæ tribunal ad judicandas & definiendas lites publicas. Ad hoc igitur ex instituto graviores causæ inter civitates & populos controversæ deferebantur, & qui jus suum a vicinis aut aliis consequi non poterant, hos judices adibant, ab his C judicium poscebant: judices delatos rite citabant, in comparentes & auditos & convictos, itemque in contumaces ac non comparentes sententias ferebant, easque ipsi, si iis non pareretur, exequebantur, aut si id per se facere non poterant, executionem aliis, qui poterant, demandabant, horumque auxilium implorabant. Tantæ vero auctoritatis hoc tribunal erat, ut raro sententiæ ab eo latæ irritæ transmitterentur, aut contra non parentes executione destituerentur, sæpe etiam gravium armorum vi, & concussione multorum populorum, judicata finem suum consequerentur. Coibat hoc concilium judicum quotannis bis, initio veris & autumni, temporibus scilicet statis: extra ordinem D etiam, quoties res poscebat. Mittebant istuc populi, qui id jus habebant, assessores suos e medio sui a se designatos, binos aut ternos, pro cujusque potentia aut magnitudine, nonnulli etiam singulos tantum: quos Pylagoras quoque vulgo sæculo florentis Græciæ nuncupabant propterea, quod ad Pylas, quæ Delphis erant juxta Apollinis fanum, conveniebant, & tribunal suum exercebant. Qui autem populi jure Amphictyonico præditi alios in hoc judicio arcessebant, aut arcessentibus occurrebant, plerumque hoc per Pylagoras suos, mandatis instructos & sacerdote uno comitatos faciebant: E ut cognoscere ex actione Æschinis contra Ctesiphontem & Demosthenem & hujus responsione ad criminationes illius licet. Strabo, qui libro IX. de hoc instituto scribit, asserit, creditum fuisse, Acrisium primum instituti auctorem civitates edidisse, quæ jus sessionis in concilio haberent, & omnibus quidem suffragii jus etiam tribuisse, sed quibusdam per sese solis, nonnullis conjunctim cum aliis paucioribus pluribusve: quædam etiam ad jurisdictionem pertinentia ordinasse: deinde statuta alia cum tempore fuisse adjecta. Addit etiam, F primum XII. convenisse ad concilium civitates, ac statis temporibus, jam ante a me dictis, con-

ventus habuisse: conventus sive consessus ipsos Pylæas appellatos fuisse, quoniam ἐν πύλαις habebantur, quas πύλας ait Thermopylas quoque esse vocatas: demum Pylagoras Cereri sacra fecisse. Hæc inquam Strabo. Vide Æschinem περὶ παραπρεσβείας: ubi hæc verba: *Enumerabam porro gentes* XII. *quæ templi* (Amphictyonici) *participes essent, Thessalos, Bœotios*, (non Thebanos solos,) *Dorienses, Jones, Perrhœbos, Magnetes, Locrenses, Oetæos, Phthios, Maleenses, Phocenses: & harum gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem quod minimam: eum, qui venisset Dorio, & Cytinio, tantum valere, quantum Lacedæmonios. Binum enim quamlibet gentem suffragium ferre. Ex Ionibus item Erythræum & Prienensem, quantum Athenienses: ac cæteros eodem modo.* Porro, Amphictyones præter munus id, quod jam expositum, curam templi Delphici & anathematum ac thesaurorum ejus, qui maximi erant, demandatam habuere, eorumque defensores fuere, multa quoque anathemata ipsi in templo posuere. Ad hæc ludos Pythios in honorem Apollinis, commissis primum cantoribus inter se certantibus, dein & aliis, lucta, cursu omnis generis contendentibus, instituerunt, & iis altero quoque anno præfederunt. At enim non parva mutatio facta in hac curia Amphictyonica tempore Philippi Macedonis, qui pater Alexandri Magni fuit. Nam is bello sacro victor Phocenses ob sacrilegium commissum, Lacedæmonios ob adjutos sacrilegos Phocenses jure illo exuit, & id Macedoniæ suæ contribuit, ut *Pausanias* docet. Verum post annos circiter LXVIII Phocenses ob fortissime rem contra vastatores Gallos gestam loco suo sunt restituti. Demum Augustus Cæsar rem denuo novavit. Nam Nicopoli a se conditæ in memoriam victoriæ Actiacæ, sub motis Magnesiis, Meleensibus, Phthiotis, Ænianibus, ac Thessaliæ accensis, jus societatis Amphictyonicæ dedit, ut idem tradit *Pausanias*. Et hic idem affirmat, suo adhuc tempore (vixit autem & floruit cum Antonino Pio Romano Imperatore) concilium illud incolume fuisse, & assessores tum habuisse XXX. Cætera vero, quæ de numero Pylagorarum a singulis populis datorum ibidem dicit, non satis convenientia secum, omitto. Æschines, quod

A præterire non possum, in oratione illa celeberrima in Ctesiphontem & Demosthenem ait, se cum duobus aliis Midia Anagyrasio & Thrasicle Lesbio Pylagoram designatum, Archonte Theophrasto, ac cum his & cum sacerdote Diognetо ad Pylas missum ab Atheniensibus, ut sederet in conventu Amphictyonum, &, quæ agenda, illic ageret: exponitque prolixe, quæ ibidem civitatis suæ nomine egerit, & ab ovo repetit ea, quæ sparsim atque obiter ab aliis de Cirrhæis & campo Cirrhæo, deque Amphissensibus dicuntur, gloriaturque, se præcipuo auctore bellum in Amphissenses esse conflatum: quod gravissimi criminis loco Demosthenes respondens ei imputat, in certissimam scilicet B perniciem patriæ comparatum. Ac recitat ibidem jusjurandum, quo sese quondam obligaverint omnes Amphictyones ad Cirrhæum agrum contra quosvis occupatores tuendum, velut sacrum, Disque mancipatum, annexa etiam dira execratione in capita sua, & omnium suorum, si jusjurandum hoc non servarent: & hanc noxam conscivisse Demosthenem clamitat, accepta ab impiis Amphissensibus pecunia, seque & rempublicam pariter piaculo illigasse. Atque idem Æschines in oratione περὶ παραπρεσβείας commemorat, sese Philippum Regem, cum legatus cum aliis & cum Demosthene ad eum venisset, de ortu & toto instituto huius C concilii prolixe edocuisse & jusjurandum idem, de quo dixi, eidem recitasse: in eo jurejurando fuisse hoc caput, urbem nullam Amphictyonicam se eversuros, neque aqua profluente prohibituros, sive pace, sive bello: si quis id faceret, cum se bello petituros, & urbes eversas instauraturos, ac iis, qui spoliarent Apollinem, aut res ejus violarent, quive scelerati consilii tales conscii essent, eos se ulturos pede, manu, voce, viribus omnibus: & de execratione quoque ait addidisse. Sed nec pauca de actionibus his Æschinis, & concilio ipso Amphictyonico, habet Demosthenes in oratione ea, qua se & Ctesiphontem contra calumnias D adversarii tuetur, ac nequissima ejus consilia, linguam Philippo in perniciem patriæ commodantis, trahit in lucem. Quæ adscribere heic, supervacaneum, locum monstrasse lectori, satis.

DE STATU ET REPUBLICA MASSILIENSIUM.

MASSILIA perantiqua urbs, & non parum olim fortunata, in litore Galliæ ad mare mediterraneum posita, origine Græca, a profugis ex Ionia Phocæensibus dominatum Persarum aversantibus inter barbaros Salyas condita, cum Cyrus rerum in Asia potiretur. Hæc inter infesta vicinorum arma, quibus ab initio fere assiduis premebatur, vix tenues res suas tuens ac defensans paulatim tamen crevit, & bellis frequentibus exercitata, armorumque peritior facta, victoriis subinde ex hoste partis pomœria urbis agrique fines ampliavit, atque eo fortunam suam promovit, ut colonias quoque emittere, & eadem in ora constituere occiperet. Deinde cum Romanis in Gallia vicina bellantibus amicitia & societate juncta, qua diu prudenter constanterque usa est, eorum favore & ope subnixa majus quoque incrementum cepit. Periculis autem hostilibus exempta, & quietem nacta, cum jam vicina Galliæ pars longe lateque patens Romanorum armis cessisset, non solum humaniores mores proximis quibusque Gallis per commercia dedit, sed etiam φιλέλληνας eos fecit, & Græcarum literarum

E usum iisdem tradidit. Ea vero gratia & dignatione apud Romanos fuit, ut, ceu jam dixi, sine ulla subjectionis specie, amica eorum ac socia censeretur, nec minus libera quam ipsa Roma. Sedit in litore loco aspero & saxoso, ut scribit *Strabo*: tribus fere a partibus mari exposita, ut *Cæsar* docet, quarta parte qua arx erat, continenti terræ connexa: structa magnifice, publicis privatisque operibus egregia, spacio ampla: cui portus cohærebat capacitate insignis, theatri specie saxo vivo in austrum verso circumdatus. Habebat & navalia præclara, & armamentarium, & machinas varii generis ad expeditiones maritimas & oppugnationes F urbium paratas, quarum struendarum ipsa erat studiosa ac perita: & quia agrum possidebat non admodum felicem, oleas quidem & vites ferentem, sed frumento sterilem, maritimæ magis rei quam agriculturæ dabat operam. Atque his studiis & apparatu, Romanis sociis & adjutoribus suis, magno sæpe usui vicissim fuit. Spoliis ex hoste frequenter potita, ea velut virtutis suæ & victoriarum monumenta locis publicis suffigere, atque ad posteros transmit-

tere in more habebat. In operibus ejus publicis cum alia erant, tum templa spectatu digna, quorum duo in urbis parte editiore, quam arcem vocabant, alterum Dianæ Ephesinæ, alterum Apollini Delphico sacrum, quod horum Numinum auspiciis primi conditores urbem hic struxisse ferebantur, præcipua religione colebantur. Coloniæ ejus feruntur, Rhoe Agatha ad Orientem versus ostia Rhodani, Taurentium, Olbia, Antipolis, Nicæa ad Occidentem, versus Italiam, omnes litori vicinæ. Usi fuere Massilienses republica aristocratica, quam Optimatum Latini dicunt, optimis legibus descripta: in qua concilium (*συνέδριον Strabo* nuncupat) erat virorum DC. qui quandiu in vita, tandiu in honore hoc manebant. Hos *τιμούχους* vocabant. Concilio huic præerant viri XV. quorum munus erat negocia obvia & minoris momenti expedire: & his rursum præsidebant tres, qui plurimum poterant. In ordinem Timuchorum nemo allegebatur, cui liberi non essent, cujusve pater, avus, proavus, cives non fuissent. Legibus vivebant Ionicis, in publico propositis, ut cognitioni omnium paterent. Et quanquam opibus abundabant, tamen in victu & cultu frugalitate & modestia gaudebant erantque adstricti moris. Cujus rei argumentum fuisse modum dotis *Strabo* scribit. Ea enim maxima erat aureorum centum, & insuper in ornatum aureum adjiciebantur aurei quinque, ac totidem in vestem: ultra non licebat. Qui sane modus tenuis erat: ex quo conjicere reliqua non est difficile. Id vero etiam frugi vitæ argumentum sine dubio erat, quod Ælianus lib. II. var. Hist. cap. XXXVIII. prodidit, *non licuisse Massiliensium fœminis vinum bibere nec juvenculis nec adultis, sed oportuisse aquæ potu contentas eas esse, quoad viverent*. Memorabile hoc quoque, quod præter alia de civitate hac scribit Valerius lib. II. cap. VI. ex VII. instituta populorum vetusta recensens, *mimos scenis illic prohibitos fuisse ob argumentorum, quæ in scenas afferre fere solent, turpitudinem, ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam gigneret. Quemadmodum & illud, omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærerent, portas urbis clausas fuisse, propterea quod existimarent Massilienses mendacem & fucosam superstitionem submovendam esse*. Addit auctor idem loc. cit. *duas ante Massiliæ portas jacuisse arcas, alteram qua liberorum, alteram qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deveherentur, idque sine lamentatione, sine planctu, sine luctu: funeris vero diem, domestico sacrificio, adjectoque necessariorum convivio esse finitum. Quid enim attinet*, ait Valerius loc. cit. *humano dolori indulgere? aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitem suam nobiscum partiri noluerit?* Affirmat etiam, *venenum cicuta temperatum in eadem civitate publice fuisse custoditum, quod daretur ei, qui causas sexcentis (id enim senatus ejus nomen est) exhibuisset*, hoc est, exposuisset probassetque, *propter quas mors esset illi expetenda: cognitione scilicet viri benevolentia temperata, quæ neque egredi vita temere pateretur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præberet. Et hanc Massiliensium consuetudinem existimare se ostendit* Valerius lib. II. cap. VI. ex VIII. *non in Gallia esse ortam, sed e Græcia translatam, ob exemplum simile a semet spectatum præsente Sex. Pompejo, in Cæa insula, in urbe Julide*. Et sane verosimile id facit singulare studium civitatis in servandis moribus & rebus priscis: quod liquere vel ex eo potest, quod idem Valerius tradit, *suo adhuc tempore superfuisse gladium a condita usque urbe, quo jugulabantur noxii, quamvis rubigine exesum, & vix tunc sufficientem ministerio, sed indicem, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda*. Præter hæc in institutis Massiliensium fuit, eodem teste Valerio, *permittere, ter ut manumissio in eodem homine rescinderetur, si ter deceptus ab eodem dominus probaretur: quarto autem errori subveniendum non putare, quod dominus sua jam culpa injuriam acceperit, qui eidem se toties objecerit*. Postremo hanc quoque legem Massilienses habuisse ex eodem discimus, *ne quis cum telo in urbem permitteretur ingredi: fuisseque præsto, qui id custodiæ gratia ab ingrediente acceptum exituro redderet, ut hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana erant, ipsis quoque tuta essent*. Hactenus de civili ordine, & vetustis Massiliæ institutis. Dicenda nunc reliqua. Ultimis libertatis Romanæ temporibus & sub primis Cæsaribus amoto omni belli metu, & armorum usu exolescente, civitas tota in studia Philosophiæ & eloquentiæ versa, & ex iis clarum nomen adepta est, ut Romani, qui discendi cupidi erant, non secus Massiliam, quam Athenas, aut Rhodum, aut Alexandriam proficiscerentur, ibique studiis istis operam darent, habereturque Massilia velut officina quædam literaria. Cujus exemplo motæ Galliarum civitates aliæ iisdem disciplinis animos adjicere, & publicis privatisque stipendiis conductos dicendi magistros alere cœperunt. Atque hoc loco facere non possum, quin summorum virorum veterum judicia de civitate hac adscribam. Inter eos Cicero in Oratione pro L. Valerio Flacco cap. XXVI. sic ait: *Neque vero te Massilia prætereo, quæ L. Flaccum militem Quæstoremque cognosti: cujus ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio, an cunctis gentibus anteponendam jure dicam: quæ tam procul a Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguaque divisa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur, sic Optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint quam æmulari*. Post hunc Cornelius Tacitus auctor gravissimus in vita soceri sui Cn. Julii Agricolæ cap. IV. hoc modo scribit, *Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum Græca comitate, & provinciali parcimonia mistum, ac bene compositum.* Quibus addo Valerium Maximum, qui libro II. cap. VI. ex. VII. in quo de antiquis institutis agit, hæc verba habet: *Inde Massilienses quoque ad hoc tempus usurpant disciplinæ gravitatem, prisci moris observantia, caritate populi Romani præcipue conspicui.* Et paulo post: *Eadem civitas severitatis custos acerrima est.* Quo eodem loco instituta illa vetusta Massiliensium recitat, quæ recensui ante. Nunc ad rem redeo. Usa est Massilia fortuna prospera ab eo tempore, quo facta est Romanis amica, nec prosperitas usquam claudicavit usque ad arma civilia inter Cæsarem & Pompejum commota. Tum vero in periculum extremi casus incurrit. Nam Pompeii studio, a quo insignibus beneficiis affecta olim fuerat, & inclinatione quadam in partes Optimatum, quarum patronus & Princeps Pompejus esse dicebatur, Cæsari cum exercitu in Hispaniam properanti, a quo recentiora beneficia acceperat, portas claudere cum esset ausa, in gravissimam ejus indignationem incidit: obsessaque ab eo, & summa vi oppugnata tandem desperatis a Pompejo auxiliis in potestatem ejus venit. Tum arma, tormenta, naves omnes ei ademptæ, pecunia ingens imperata, præsidium ad tempus impositum. Verum bello finito, libertas quidem pristina a clemente victore veteris amicitiæ memore civitati restituta, sed multa alia, quæ beneficio Romanorum tenuerat, ablata. Demum turbato sæpe Galliarum statu, cum Imperatores armis inter se contenderent, Massilia quoque obliterato vetere jure, communem cum cæteris illarum regionum civitatibus conditionem subire coacta fuit. Postremo inter varias rerum vicissitudines & mutationes, quæ Gallis incubuere, conservata mediocri fortuna, incolumis ad nostra hæc tempora pervenit.

DE REPUBLICA
LOCRENSIUM IN ITALIA.

FUISSE quoque olim in ea Italiæ parte, quam magnam Græciam prisci dixerunt, Locrensium insignem rempublicam, accepimus: quam ante *Strabonem* & *Diodorum Siculum*, & ante *Polybium*, vetustissimi & gravissimi auctores, qui ea florente florebant, *Plato* & *Demosthenes* cum primis commendarunt. Ille namque in exordio Timæi sui, cui ex Timæo Locrensi Philosopho Pythagoreo, quem cum Socrate ac aliis de rerum natura & mundi origine disserentem eo libro inducit, nomen dedit, civitatem hanc in Italia quam optime legibus constitutam isto tempore fuisse, & in ea Timæum genere & opibus nulli secundum floruisse, ac summos magistratus & honores cepisse, atque adeo in studiis ad eruditionis culmen adscendisse, affirmat. Alter laudatam rempublicam eam haberi, & dignam esse, cujus prudentiam, atque in tuendis bene latis legibus constantiam imitentur ipsi Athenienses, in oratione adversus Timocratem novarum & perniciosarum legum auctorem, profitetur. Formasse eam Zaleucus vir sapiens æque ac probus & justitiæ amans, bonoque loco apud Locrenses natus, Pythagoræ sectator, traditur. De qua, cum Italiæ oram illam describerem, quædam jam ante dixi. In primis ostendi, Zaleucum, cum leges petentibus Locrensibus ferret, & rempublicam eorum ordinaret, huc curas suas intendisse, ut ante omnia civium animis hoc inscriberet, & certo persuaderet, DEUM auctorem moderatoremque omnium, cœli siderumque motus regentem, bonum, justum, castum, sanctum, humana quoque omnia videre & curare, justitiam homines poscere, amare & præmiis afficere bonos beneque agentes, ac legibus parentes, odisse & pœnis persequi malos, ac injuriam aliis facientes, & legum contemptores, nec aperta tantum, quæ contra jus & leges committuntur, sed etiam occulta vindicare, ab ejus nutu hominum fortunam secundam & adversam pendere. Tum vero id studii habuit, ut efficeret, ut leges, quas ferebat, non solum in præsens valerent, sed etiam apud posteros vim suam tenerent, & stabiles firmæque permanerent quam diutissime, neu abrogationi, derogationi, obrogationi, ullive mutationi temerariæ essent obnoxiæ, ut docebunt sequentia. Quem in finem severe præcepit, ut leges stricte servarentur, nec permitteretur ullo modo, ut quis impune eas violaret, aut quicquam contra eas committeret: vetuitque graviter, ne quis magistratuum aut judicum in gerenda republica, aut exercendis judiciis temerario ausu a verbis legum recederet, aut interpretando vim earum infringeret, labefactaretque: jussit vero ut præscriptum omnes sequerentur, nec pro arbitrio suo, ceu fieri solet, facinorum pœnas asperarent mitigarentve; & quæ his similia. Sic enim vir sapiens statuit, ad conservandam rempublicam plus facere potestatem legum quam magistratuum, & majus momentum esse in illarum stabilitate ac stricta observatione, quam in horum laxato, & vitiis obnoxio arbitrio; eas enim puræ & tranquillæ mentis instar esse in statu civitatis; hos sæpe cæcutire, & affectibus pravis agitari. Idemque censuit, paucas leges stabiles & inconcussas, & quibus vis sua constat, atque obsequium præstatur, utiliores magisque salutares reipublicæ esse, quam legum fluxarum & instabilium & robur contra delinquentes non habentium, quæve libidini

A eorum, qui novandi studio tenentur ac potentiæ majoris cupidi sunt, cedere sæpe coguntur, aut abrogando derogandoque convelli facile possunt, infinitam multitudinem: existimavitque, a legibus receptis leviter recedere, & novas inducere, id vere esse viam sternere ad rempublicam evertendam. Quæ omnia quam vere ac recte senserit, exemplo suo docuere Athenæ, quæ hoc errore implicitæ pessum iverunt, de quo passim queritur Demosthenes. Docuit quoque Roma, quæ hac peste infecta libertatem tandem perdidit, & unius dominatui locum dedit. Ad reliqua eamus. Delegit Zaleucus ex omni populo mille, penes quos rerum summa esset,
B & legum custodia. Delegisse verosimile est, aut omnes, aut magnam partem, ex iis, qui censebantur nobiles, orti ex centum familiis, quarum mentionem facit *Polybius*, de origine coloniæ hujus disserens: quas dicit prærogativam honoris consensu communi tenuisse inter Locros universos in vetere Græcia, priusquam colonia hæc in Italiam concederet: aitque, nobilitatem hanc ex fœminis, quæ in honore apud priscos Locrenses fuerint, defluxisse, & derivatam quoque esse in coloniam istam, nonnullis fœminarum harum cum cæteris colonis in Italiam profectis. Nec dubium quin senatum alium numero arctiorem concilio huic amplo addiderit,
C per quem quotidiana ac minora expedirentur, & magistratus, judiciaque ordinarit, & actionum modum, officiique terminos descripserit, quamvis nec designandi, nec muneris administrandi ordo & descriptio ad nos pervenerit, vix vestigiis harum apud bonos auctores reliquis. Unum modo magistratum *Polybius* nominat, cujus videtur maxima fuisse auctoritas: quod quamvis expressim non dicat, tamen satis innuit idem *Polybius*, dum rem in judicio illic actam, cujus occasione magistratum hunc nominat, exponit. Nomen ei tribuit Cosmopolidis, sive ille senatum rexerit, sive in concilio majore præsederit. Legum Zaleuci maxime memora-
D bilis illa fuit, quam & *Demosthenes* & *Polybius* recitant, ad perennandas & stabiles efficiendas leges cæteras comparata, qua sanciit Legislator, ut qui in posterum novam legem rogare, aut legi jam ante latæ derogare, aut in ea mutare aliquid, aut de sententia legis contra scriptum contendere cum quoque vellet, is inserto in laqueum collo in concilium mille virorum progressus de lege verba faceret, idque in hunc finem, ut, si mentem voluntatemque suam concilio probaret, hoc est, id quod volebat, utile & honestum, atque e re civitatis esse demonstraret, lege admissa incolumis discederet: sin
E minus, ut e vestigio præsente & spectante concilio vitam laqueo finiret. Quo modo effectum esse ait *Demosthenes*, ut toto ducentorum annorum tempore (tantum enim fere intervallum inter Zaleucum & Demosthenem fuit) una solummodo lex nova veteribus sit adjecta. Et addit ibidem Orator, in Timocratem leges Solonis pessundantem, & novas alias reipublicæ perniciosas surrogantem invehens, ac supinitatem Atheniensium suorum reprehendens; adeo existimarunt Locrenses servandas esse leges veteres, & instituta patrum in honore habenda, non ad cujusvis libidinem & delictorum impunitatem scita nova recipienda. Legem illam novam ex eodem Oratore recitabimus post. Nunc reliquas Zaleuci, quarum memoria extat, persequ-

mur. Hic, ut docet *Diodorus*, inimicitias perpetuas, pertinacesve inter cives, ceu intolerabiles in societate civili, proscripsit. Primores a fastu & tumore voluit esse alienos: gratiam & odium, velut pestes exitiales, a judiciis procul haberi gravissimis verbis præcepit. In puniendis delictis severus quam remissus esse maluit. Ad fastum fœminarum comprimendum lege cavit, ne fœmina ingenua liberæ conditionis plus una comitante pedissequa in publico compareret, nisi forte ebria esset, neu noctu urbe exiret, nisi ad mœchum se conferret, nec auro se ornaret, aut veste elaborata & pretiosa indueretur, nisi scortum se profiteretur. Similiter viros vetuit annulos deauratos gestare, aut veste Milesia uti, nisi turpes se dare, id est scortatores & adulteri haberi vellent. Ita probri & infamiæ metu, ut ait *Diodorus*, exultantem luxum & immodestiam, in primis noxia reipublicæ vitia, sapienter & dextre coercuit, cum nemo omnium confessione hujusmodi ridendum se populo objicere vellet. Temulentiam quam turpem & societati hominum noxiam judicaverit, & procul a civitate sua voluerit abesse, lex declarat, quam memoriæ prodidit Ælianus, lib. II. var. Hist. cap. XXXVII. Vinum meracum, ait lex, ne quis bibito, ne valetudinis quidem causa, nisi forte medicus præceperit; quod si injussu medici licet ægrotus id fecerit, convalescens morte pœnam luito. Et quam vehemens osor illicitarum libidinum fuerit, lex ejus alia demonstrat, quam idem recitat Ælianus, lib. XIII. var. Hist. cap. XXIV. & ante eum Valerius Maxim. lib. VI. cap. V. ex. ext. III. cujus hæc sententia. In adulterio deprehenso, aut criminis ejus convicto, uterque oculus eruitor. Nec habuit satis, legem hanc verbis scivisse, sed etiam calamitate domus suæ, & parte pœnæ, quam filius meruerat, in se derivata eam sanciit. Accidit enim post legem latam, cum viveret adhuc Zaleucus, ut filius ejus adolescens in hoc crimine deprehenderetur, & a læsis traheretur ad judices. Et cum plerorumque sententia esset, ignoscendum filio temeritate ætatis lapso ob merita parentis, & hoc tota pene civitas clamaret, parens intercessit, ac in gratiam suam filique infirmari leges haudquaquam passus est: hoc vero judices poposcit, si quid gratiæ sibi facere vellent, ut alterum oculum filio, alterum sibi eruerent; idque obtinuit. Sic & filio consultum, & legi satisfactum, ac robur majus additum. Idem legem tulit a Demosthene in Timocratia expressam, qua statuit, ut qui alteri excuteret oculum, ei vicissim oculus excuteretur, nec ista pœna ulla redimi pecunia posset. Evenit autem, ait Demosthenes, ut homo improbus inimico suo unoculo, quem graviter oderat, minitaretur, se ei oculum illum unum esse excussurum, & pœna talionis legi satisfacturum. Qua comminatione perculsus vehementer unoculus, quod reputaret, vitam in cæcitate degendam ipsa morte acerbiorem sibi futuram, constituit vel cum vitæ discrimine novam legem rogare, cujus hæc esset sententia: *Si quis lusco aut unoculo excusserit oculum*, ut is utroque oculo rursum privaretur, ac par calamitati illatæ calamitas delinquenti rependeretur, id est, lucis usus adimeretur. Aususque rem, cum laqueo, ut habebat Zaleuci lex, in concionem progressus est, ac quod voluit, feliciter concilio persuasit. Ita repressa tum comminantis improbitas fuit. Atque hæc unica & sola illa lex est, quam ait Orator longo annorum multorum decursu Locris esse latam severitate legis jam ante dictæ, cupidine eorum, qui novandi desiderio tenebantur, coercita. Huc pertinet & alius casus, quem Polybius in eadem civitate evenisse refert, ex ejusdem Zaleuci lege ortus. Ea lex sic habebat: Res in controversiam veniens tandiu in possessione ejus maneto, apud

A quem erit, cum lis de ea in jus primum adducetur, quoad sententia de eadem fuerit lata. Erant vero Locris adolescentes duo de puero servo inter se contendentes. Horum alter diutiuscule eum domi suæ habuerat, alter biduo ante rem in judicium delatam, cum servulus forte in agrum venisset, absente possessore in ædes suas per vim eum abripuerat. Quo cognito prior ille istuc profectus prehensum puerum secum rursum abduxit, adiensque cum eo magistratum ostendit, ex lege servulum in sua esse potestate convenire, paratumque se esse ad sponsores dandos. Sed negavit id alter; e domo enim sua proxime servulum abductum. Cumque qui e magistratu in tribunali sedebant, B hærerent in re, nec se satis expedire possent, surgentes cum mancipio controverso ad Cosmopolim magistratum superiorem se contulerunt, & sententiam ejus, qui ætate gravi erat, & juris peritia pollere credebatur, quæsiverunt. Hic pro possessore priore, qui servulum in judicium adduxerat, & ante litem apud judices motam eum tanquam dominus tenuerat, a quo alter eundem vi facta abduxerat, legem interpretatus est. Quod cum alter ferret indignissime, & eam Zaleuci mentem esse pernegaret, Cosmopolis conditionem hanc illi tulit, ut si vel ipse, vel quis alius hac de re secum vellet C contendere, faceret hoc secundum legem a Zaleuco præscriptam: scilicet, ut in conventu millium delectorum una secum, pendentibus de collo utriusque laqueis, de sententia legislatoris dissereret, & eventum rei expectaret, hoc est, si succumberet, confestim spectante conventu vitam laqueo perderet. At ille periniquam conditionem istam dicere: Cosmopolidi seni duos forsan aut tres vitæ annos restare, (erat quippe nonagenario non multo minor,) sibi autem, qui adolescens adhuc esset, verisimili ratione majorem vitæ partem superesse. Qua faceta oratione adolescens fervens illud studium lepide finiit: & qui in magistratu erant, D judicium secundum sententiam Cosmopolis dederunt. Hactenus Polybius. Quæ narratio docet nos, contra temerarias de Zaleuci legibus & earum sensu disputationes, ad conservandam earumdem auctoritatem & robur, quid in usu apud Locros fuerit. Fuere vero præter eas, quas jam exposuimus ex veterum monumentis collatas, hæ quoque quæ sequuntur, Locrensium leges, quarum primam in politicis Aristoteles, reliquas Heraclides referunt. Prima vetuit facultates (οὐσίας dicit Philosophus) id est, possessiones a parentibus acceptas, quæ patrimonia vocantur, venundari, nisi cogente calamitate aliqua majore, qua probata erat opus. E Quod verosimile facit, Zaleucum ex censuum modo, magistratus & eos, penes quos reipublicæ potestas erat futura, designari voluisse, ut quorum plurimum interesset, rempublicam esse salvam, ii reliquis etiam in gerenda republica anteferrentur. Cavere igitur hac lege voluit, ne familiæ locupletiores, ac potestatis publicæ capaces, temere divenditis ac dissipatis facultatibus pessum irent. Quam legem neglectam apud Leucadios ait *Aristoteles* statum reipublicæ eorum, quem habebant, vertisse in alium nimis popularem. Altera lex prohibuit luctu mortuos prosequi: moris vero fuit post elata F funera convivia agitare. Tertia usu tabernarum institoriarum civibus interdixit, quæ comparatæ sunt ad quæstum emendo vendendoque faciendum, sed jussit ipsosmet agricolas res suas, quas habent venales, vendere.

Hæc sunt, quæ de republica Locrensium ex auctoribus priscis dicere habuimus. Cætera quæ ad civitatis situm, originem, fortunam pertinent, in chorographica enarratione hujus Italiæ partis breviter diximus.

DE LYCIORUM REPUBLICA IN ASIA.

LYCIORUM quoque εὐνομίαν celebrat *Strabo*: de qua pauca libet heic subjungere. Fuere eorum urbes XXIII. distinctæ in classes tres pro modo virium. In prima classe censebantur maximæ sex, in altera mediæ, numero nobis incerto, in tertia reliquæ omnes, quarum fortuna minima. Et singulæ quidem urbes hæ domi res suas curabant, magistratus suos ordinemque civilem suum habebant: universæ tamen in unum coeuntes unam communem rempublicam constituebant, concilioque utebantur uno, velut senatu majore. In eo de bello, de pace, de fœderibus, denique de rerum Lyciacarum summa deliberabant & statuebant. Coibant vero in concilium hoc ex singulis urbibus missi cum potestate ferendi suffragii: utebanturque ea in re jure æquissimo. Nam quælibet urbs primæ classis habebat jus suffragiorum trium, secundæ duorum, tertiæ unius. Eademque proportione tributa quoque conferebant, & munia alia obibant. Quemadmodum enim ratio ipsa dictat, & poscit æquitas, ut plura qui possident, & cæteris ditiores sunt, plura etiam in usus communes, & reipublicæ subsidia conferant, sic quoque eadem æquitatis regula postulat, ut in statuendo de re communi iidem illi plus aliis possint: præsertim cum eorundem magis intersit rempublicam esse salvam quam tenuiorum. Locum concilii hujus non habebant fixum & certum, sed ex omnibus urbem deligebant, quæ videbatur pro tempore commodissima. Concilio coacto primum designabant Lyciarcham Principem totius reipublicæ, dein magistratus alios creabant, partes reipublicæ administraturos, demum judicia publica constituebant. Atque hæc omnia faciebant servata proportione eadem, ut nulla omnino urbs præteriretur munerumve aut honorum horum non fieret particeps. Et hoc jus illibatum mansit Lyciis ad id usque tempus, quo Romani assumpto Asiæ imperio magna ex parte sui arbitrii id fecerunt. Hi enim summam potestatem vendicarunt sibi, nec nisi ex commodo suo pleraque horum Lyciis permiserunt. Reliqua tamen libertas, & rerum a majoribus acceptarum possessio fruitioque integra his a Romanis relicta est. Atque hunc fructum Lycii tulere æquitatis & abstinentiæ suæ, qua usi sunt, Cilicibus, Pamphyliis, Cretensibus, vicinis suis, piraticam toto mari mediterraneo factitantibus, nullo cum ipsis habito ac admisso commercio; quos omnes ipsi incolumes & florentes a Romanis viderunt eversos. Urbium Lyciæ maximarum clarissima Xanthus fuit, origine Græca, ut & pleræque aliæ. Hæ fuere Patara, Pinara, Olympus, Myra, Tlos. Et his maximis accenseri potuit Phaselus ad confinia Pamphyliæ in solo Lyciæ sita, sed a communi ista republica aliena, seorsim vero sibi consulens, ut scribit *Strabo*. Heraclides is, qui de politiis scriptum libellum nobis reliquit, Lycios ait consuetudine non legibus usos esse, & jam olim mulierum imperiis paruisse: vendere consuesse eos, qui testimonium falsum dixissent, eorumque facultates publicasse. Quod vero his præmittit, eosdem Lycios rapinis & latrociniis victum quæritasse, id cum *Strabone* haud quaquam convenit, cui fides major tribuenda.

APPENDIX
DE
INCLINATIONE
ET INTERITU REIPUBLICÆ ATTICÆ, SPARTANÆ, ET CARTHAGINIENSIS.

APPENDIX
DE
REPUBLICA ATTICA.



XENOPHON de Republica Atheniensium scribens, ipse Atheniensis, vir literis & armis clarus, vitia ejus reipublicæ complura colligit, & lectori ponit ob oculos. Eorum vero præcipuum statuit exorbitantem potentiam plebis, & quæ cum hac cohærent. Sed ostendit, omnia illa ad tuendum hujusmodi statum popularem, quo se beatos esse censebant Athenienses, & a quo non recedendum sibi arbitrabantur, esse mala necessaria, nec multa eorum simul tolli aut corrigi posse, nisi status ipse, cui inhærebant, cum iis tolleretur, ac pessum iret; & si qua omnino corrigenda essent, necessum esse minutim paulatimque id fieri, hoc est, alia post alia per intervalla corrigi, detrahi, mutari. Verum post Xenophontis tempora non solum nihil correctum, mutatumve in melius, sed multa etiam ivere in pejus, ut totum jam corpus civitatis καχεκτικὸν vere posset dici. Opes enim publicæ ac privatæ, adspirante secunda fortuna cum imperio auctæ, ceu fit, fomenta vitiis dedere, vitiaque incenderunt & multiplicarunt. Macedones autem cum Philippo primum, deinde cum filio ejus Alexandro & Alexandri successoribus vires nacti, & imperium Græciæ affectantes frigidam his ipsis suffuderunt. Ita factum, ut cum potentia opes fractæ sensim conciderint, & vera libertas, inani nomine ejus, & umbra quadam relicta, perierit. Quærat heic aliquis, cum status ille popularis tot vitiis jam olim laboraverit, quod *Xenophon* recenset, eaque etiam cum tempore creverint, quomodo vigente eo civitas Attica tantas parare opes, & ad tantum imperii culmen conscendere, & qua ratione tandiu incolumis stare, & opes conservare potuerit. Dicam, quod sentio, & quod res est, paucis. Erat populi Attici ingenium sublime, acre, sapientia valens, quo tantum reliquos Græciæ populos anteibat, quantum hi gentes barbaras superabant. Itaque & seges quædam virorum scientia ac virtute præstantium in eo assiduo proveniebat, & ipsa plebs rebus dubiis ac periculosis, monita præsertim a primoribus eloquentia pollentibus, quid communi saluti expediret, intelligebat, & pro salute expedienda, ac fortuna & statu suo tuendo prompte & fortiter contra hostes in discrimen se ferebat, ac pugnabat; atque adeo,

A ut erat, sublimium ingeniorum more, gloriæ & potentiæ avidissima, vitam potius perdere, quam libertatis ac imperii jacturam facere malebat. Ad hæc populus idem a Solone persuasus erat, & hoc penitus animis habebat infixum, liberarum civitatum, populari imperio utentium, statum & vitam legibus conservari, & leges non esse leges, nisi iis recte pareretur, ac parentibus honos & præmium, violatoribus pœna parata esset. Existimabat præterea, eodem doctore Solone, non magistratui leges, sed legibus magistratum subjici oportere, nec quicquam in civitate legibus debere esse B firmius, non opes, non gratiam aut auctoritatem, non factionem. Itaque cum maxime florebat Respublica, honores & præmia legibus congrua bene meritis prompte tribuebat, quibus non efferrentur eorum animi, aut insolescerent, aut abuterentur in occasionem concupiscendæ & invadendæ majoris in Republica potestatis, sed potius moderatis contenti esse discerent. Quod Demosthenes cum populo agens, & eum erudiens, exemplo maximorum virorum Miltiadis, Cimonis, Themistoclis ac aliorum demonstravit. Contra vero idem populus eo tempore in poscendis pœnis ex legum C præscripto, ad delicta non connivebat, nihil cuiquam remittebat, cujuscunque esset conditionis aut fortunæ abjectæ, mediæ, summæ, non obscuro, non gloria florenti, ne iis quidem, qui ante de Republica bene essent meriti. Quorum documenta idem Demosthenes apud populum in medium attulit eosdem illos summos viros Miltiadem, Themistoclem, Cimonem, item Calliam, Thrasybulum, Philippum Lamprensem, Argyrium Colyttensem, omnes meritis in Rempublicam eximios, & tamen iis, quæ legibus definitæ erant, pœnis affectos. Exposuitque rationem Orator, cur sic D faciendum censuerit populus. Non enim (inquit) ad tempus duntaxat oportuisse justos eos esse civitas existimabat, post vero peculatores aut legum contemptores, sed in gerenda Republica justitiæ perpetuo studere, & legibus parere. Alioqui enim ejus generis homines non natura ac consilio probi fuisse, sed insidiose recta egisse videri poterant, ut fidem sibi præstruerent, quo postea majore cum operæ pretio suo iniqui essent. Nulli vero peccato infestior quondam fuisse videtur populus, cum legum majestas integra vigeret, quam exitiali δωροδοκίᾳ, quam principium & scatebram multorum pessimorum facinorum esse judicabat. Fieri

enim non posse rebatur, liberos manere eos, qui vinculis hujuscemodi indui sese paterentur. Nam lege quadam naturæ, qui ab alio indebitum accipit, debitorem se ejus constituit, & ad officium aliquod mutuum obligat, obligatumque se sentit. Quapropter lege sanctum Athenis erat, ut in cæteris quidem pecuniariæ rationis injuriis dupli pœna posceretur: in eos vero, qui largitione corrumpi se finerent, decupli mulcta, aut morte animadverteretur, ut isto modo, quemadmodum loquitur Dinarchus vetus Orator, Demosthenis inimicus, nummarius ille affectus reprimeretur. Nec vero in lege solum sic scriptum fuit, sed etiam ex legis præscripto re ipsa pœnæ de sontibus sumptæ. Nec heic viris illustribus, imo vero etiam bene de patria meritis parsum. Non enim, ait Demosthenes, ex majorum sensu hac de re differens, ex semisse bonos esse oportet, quibus Respublica committitur. Exemplo sunt Timotheus Cononis filius, suis & parentis rebus gestis & bene meritis clarus, qui propterea quod fateretur, se, cum Rempublicam gereret, a Rhodiis & Chiis, Atheniensium tunc sociis, pecuniam accepisse, judicio constituto centum talentis mulctatus est: Epicrates vir frugi, & civis alioqui Reipublicæ utilis ac popularis, ex eorum numero, qui tempore XXX. tyrannorum populum ex Piræo in urbem reduxerant, convictus non recte obitæ legationis, & admissæ largitionis suspectus cum collegis, idcirco capitis damnatus, & in exilio vivere coactus: Thrasybulus Thrasybulo natus eo, qui Phylen contra eosdem XXX. tyrannos occupaverat, & Princeps restitutæ libertatis fuerat, ob similem culpam X. talentis mulctatus. Illustrissimum vero exemplum cæteris antiquius Callias fuit Hipponici filius, Calliæ τοῦ Λακκοπλούτου nepos, cujus soror Hippareta præclaræ indolis fœmina Alcibiadi Cliniæ denupsit, ipse maritus Elpinices filiæ Miltiadis, germana Cimonis Ducis clarissimi. Hic Callias, partis a Cimone affine contra Persas illustribus victoriis circa Cyprum, Persisque fortuna Cimonis & Atheniensium consternatis, atque ad pacem se offerentibus, obitus Cimonis ignaris, qui Citium Cypri urbem obsidens in castris fato functus erat, ad Artaxerxem Longimanum Persarum Regem cum aliis ex urbe Attica missus percusso fœdere pacem cum eo firmavit. Qua de pace Demosthenes affirmat, pulchriorem ea nec ante nec post a civitate Attica factam neminem posse dicere. Sic enim in conditionibus ejus convenit, *ut civitates omnes Græcæ in Asia liberæ ac sui juris essent: nec liceret regiis propius cum exercitu terrestri ad mare accedere quam trium dierum itinere, aut,* ut loquitur Orator, *quantum equus uno die decurrere posset, nec intra Chelidoneas insulas, quæ ad Phaselidem urbem Pamphyliæ sitæ sunt, & Cyaneas supra os Ponti Euxini, navi longa navigare.* Quod gloriosum utique civitati Atticæ, cujus virtute ac fortibus ausis pax hujusmodi parata, atque omnibus Græcis fuit. Et tamen idem Callias legationis istius Princeps, & tam gloriosæ atque utilis pacis patrator cum domum rediisset, ptopterea quod a Rege munera accepisse crederetur cum legatus esset, parum abfuit, quin capite pœnas daret: in rationibus autem referendis in L. talenta pendenda damnatus fuit, ut testatur Demosthenes. Adeo oderant Athenienses istorum temporum eos, qui dona a Regibus & Principibus exteris acciperent. Dona enim hujusmodi auctoramenta quædam, quibus se donantibus accipientes obligarent, existimabant: Domi vero, aut foris pecuniam capere, & operam suam dantibus pollicentibusve vendere, aut cum quoquam de Republica pacisci flagitiosissimum & non una pœna luendum arbitrabantur. In hanc rem collimabant leges, quas Demosthenes obiter, ac aliud agens recitat in Leptinea & Midiana. Prioris verba hæc sunt Ἐάν τις ὑποσχόμενός τι, τὸν δῆμον, ἢ τὴν βουλήν, ἢ δικαστήριον ἐξαπατήσῃ, τὰ ἔσχατα πάσχειν, id est, *Si qui promissis vel populum, vel senatum, vel judicium circumvenerit, is capite pœnas det.* Posterioris ita habent: *Si quis Atheniensium aliquid ab aliquo acceperit, aut ipse alteri dederit, aut pollicitis aliquos corruperit ad nocendum populo: atque etiam, si idem per civem aliquocunque modo aut machinatione fecerit, ignominiosus esto tum ipse, tum liberi, tum quicquid ejus est.* Evidentiora sunt Græca: Ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος, ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ, ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου, ἢ διά τινος τῶν πολιτῶν, τρόπῳ ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, ἄτιμος ἔστω, καὶ παῖδες, καὶ τὰ ἐκείνου. Ἄτιμος autem significabat exclusum omni honore & administratione Reipublicæ ac usu forensi, ignominiosum, infamem, intestabilem, toto denique jure civitatis privatum, quasi exulem in patria inter suos viventem: de quo Isocrates, πολὺ ἀθλιώτερον παρὰ τοῖς αὑτοῦ πολίταις ἠτιμωμένον οἰκεῖν, ἢ παρ' ἑτέροις μετοικεῖν: *Longe miserius est apud suos cives ignominiosum vivere, quam apud exteros exulare.* Itaque merito viro ingenuo ἀτιμία hujusmodi morte naturali gravior erat. Nec facile latere peccata magistratuum Athenis poterant, ac impune cedere propter εὐθύνας & ἐξετάσεις, de quibus in capite de magistratibus supra diximus. Eodem illo tempore vigebant etiam aliæ præclaræ in civitate leges de publico & privato jure, quas sparsim apud Demosthenem, Æschinem, Lysiam, cæterosque ejus sæculi Oratores, ac scriptores veteres alios legimus. In earum numero ponimus eas, quas Dinarchus in invectiva in Demosthenem memorat, ubi ait, leges Atticas Oratoribus & belli Ducibus edicere, si fidem sibi haberi a populo velint, ut liberos suscipiant, & fundum intra limites, id est, patriæ fines possideant, & omnibus æquis pignoribus depositis sic demum populo præesse instituant. Existimabant enim viri prudentes, sine pignoribus hujusmodi, quibus non bonorum solum, sed etiam malorum fides obligari potest, haud temere magna reipublicæ munera cuiquam committi oportere. Norant quippe, præter commune omnium gentium jus, etiam caritatem liberorum & insitum desiderium & cupidinem servandarum possessionum privatarum fidem hominum haud leviter obstringere. Legibus quoque cautum Athenis, quod ex Platonis Menexeno, seu Oratione funebri, discimus, ut tenuiorum in bello pro patria interemptorum, parentes quoad viverent, liberi donec ad pubertatem pervenirent, ex publico alerentur, ac eorum cura singularis a civitate haberetur. Incitamentum maximum ad amandam patriam, & pericula pro ea prompte fortiterque suscipienda obeundaque. Accedebat alterum, quod ex vetere instituto iis, qui pro patria pugnantes mortem oppetierant, honoris ergo publice funus fieret, & Oratorum aliquis, qui eloquentia valeret, eorum laudes velut immortalitate dignas nomine patriæ totius Oratione funebri consecraret, ac ad imitationem virtutis eorundem præsentes & post futuros excitaret. Quod præmium ingens apud animos hominum gloriæ cupidissimorum censebatur, & stimulum non parvum ad æmulandam virtutem cæsorum in tuenda promovendaque patriæ fortuna subdebat. Cujus instituti exempla illustria apud *Thucydidem, Lysiam, Platonem, Demosthenem* extant. Præclarum & hoc, ac Reipublicæ salutare, quod in Oratione altera in Aristogitonem tradit Demosthenes, Solonem tarda supplicia privatis, velocia magistratibus ac δημαγωγοῖς plebis rectoribus, constituisse, existimantem, quovis tempore de illis pœnas sumi posse, horum ultionem sine periculo differri non posse: oppressa enim Republica (quo plerumque

peccata magiſtratuum tendunt) non futurum, qui pœnas de iis poſcat. Et addit Demoſthenes, privatorum delicta ſimilia eſſe delictis eorum, qui ſunt in vulgo nautarum, cum fit navigatio, in quibus minus ſit periculi: magiſtratuum vero peccata peccatis nauclerorum eſſe affinia, quæ pertineant ad detrimentum ac perniciem totius navis & omnium vectorum. Præterea Solon lege præcepit, ut in primis diligens cura puerorum habeatur, ut ii ludimagiſtris idoneis & frugi committantur, ut ad verecundiam & modeſtiam aſſuefiant: item quot eorum ſimul ingredi, quando ludum patere, & e ludo exire, ſcilicet nec ante Solis ortum, nec poſt ejus occaſum, ne ſolitudo & tenebræ in occaſionem verti poſſint nequitiæ, debeant. Præcepit etiam de adoleſcentulis, & horum congreſſibus & cœtibus ſolemnibus, deque magiſtratibus eorumdem & puerorum curæ præfectis, ut λειτυργοῖς, gymnaſiarchis, choragis. Cenſuit enim legislator, ait Æſchines hæc recitans, puerum recte educatum in ætate virili utilem fore civitati: male vero inſtitutum in perniciosum civem evaſurum. Ipſa verba legis hæc recitantur: *Puerorum magiſtri ludos ante Solis ortum ne aperiunto, & ante ejus occaſum iterum claudunto: neque fas eſto iis, qui puerilem ætatem exceſſerunt, eo ingredi, dum pueri ſunt intus, præter filium magiſtri, aut fratrem, aut generum. His exceptis ſi quis fuerit ingreſſus, capite mulctator. Et gymnaſiarchi Mercurialibus nullo modo quemquam adultum ingredi cum pueris ſinunto: ſin permiſerit, neque gymnaſio excluſerit, legi de corruptela ingenuorum puerorum obnoxius eſto. Choragi autem, qui a populo conſtituuntur, annum ætatis* XL. *exceſſiſſe debent.* Eadem lege gravius pœna irrogatur ei, qui puerum quęſtus cauſa proſtituit, quive proſtituto abutitur. Idem ſancitur de eo, qui puero ingenuo contumeliam intulerit, imo etiam qui ſervile corpus violaverit. Impudicus autem omni honore excluditur. Sic enim ait lex: *Si quis Athenienſium ſe proſtituerit, ei non liceat in* IX. *viros cooptari, nec rem divinam facere, non populi cauſam agere, nec ullo fungi magiſtratu, ſive domi, ſive peregre, ſive ſortito, ſive ſuffragio mandari ſolito: neque fecialis mittatur, neque ſententiam dicat, neque in publica fana ingrediatur, neque in feſtis ſolemnibus de more coronam geſtet, neque intra fori ſepta progrediatur. Si quis autem hæc fecerit, impudicitiæ condemnatus, morte mulctetur.* Huic ſubjungit Æſchines eodem loco in Timarchæa legem aliam Solonis priori cognatam, de iis, qui vetantur in concione ſententiam dicere, & concionari: quam ait legislatorem inchoare ab admonitione tacita, de ſervanda modeſtia & bono ordine. *Poſt ſacra peracta, & vota patria voce præconis concepta*, inquit, *jubentur præſides concionis per præconem rogare, an quis ultra* L. *annos natus verba velit facere? deinde auditis omnibus quinquageſimum ætatis annum egreſſis, tum demum cæteri, quibus per leges licet, ſi velint, permittuntur dicere.* Subjicit his Æſchines: *Conſiderate Athenienſes, quam recte. Non ignorabat Legislator, in natu majoribus vigere prudentiam, audaciam ſenſim deficere in iis ob rerum uſum. Volens igitur prudentiſſimos quoſque conſuefacere, ut ſententiam neceſſario ſibi dicendam putent; & cum nominatim ſingulos appellare non queat, communi totius ætatis cognomine uſurpato ad ſuggeſtum vocat, ac ad dicendum adhortatur: eademque opera etiam juniores reverentiam exhibendam eſſe ſenioribus docet, iiſque priorem in rebus omnibus locum concedendum, & honorem ſenectuti habendum, ad quam perventuri omnes ſimus, niſi nos fata interceperint.* Poſtea ad verba legis accedit, quę oſtendunt, eos qui turpem vitam egerint, a dicendo eſſe prohibitos. *Si quis*, ait Legisl. *patrem aut matrem verberaverit, aut non aluerit, aut domum iis non præbuerit, verba facere non permittitor: item, ſi quis imperatas ſibi expeditiones non obierit, aut clypeum abjecerit: ſi quis meretricium quæſtum fecerit, aut pudicitiam proſtituerit: ſi quis patrimonium, aut bona hæreditaria per luxum abſumpſerit, ſuggeſtum conſcendere & ad populum dicere non ſinitor.* Atque his rurſum ſubjicit Æſchines: *Nam qui ſuam familiam male adminiſtraverit, eodem modo rempublicam quoque curaturum ſapiens Legislator cenſuit, neque fieri poſſe exiſtimavit, ut idem homo & privatus eſſet improbus, & publice bonus; aut decere, ut Orator ſuggeſtum conſcenderet, qui orationis habendæ prius, quam degendæ vitæ rationem duxiſſet. Nam viri boni orationem quamvis nudam ac ſimplicem auditoribus profuturam, hominis autem improbi, qui & corpus ſuum riſui expoſuerit*, (id fecerat Timarchus,) *& patrimonium devoraverit, quantumvis ornatam, non fore e re auditorum.* Et paulo poſt addit idem, proximis diebus novam legem latam ob Timarchi petulantiam, ut ſortito Tribus deſignetur, quæ præſideat circa ſuggeſtum, & leges ac rempublicam tueatur contra homines improbos. Deinde recita integram legem ad coercendam Oratorum petulantiam pertinentem. *Si quis Oratorum*, ait lex, *in ſenatu, aut pro concione, vel non ſeorſim de re propoſita, vel bis de eadem re apud eoſdem dixerit; ſive concionando, ſive maledicendo alicui, ſive pede ſupplodendo; vel inter decernendum importune locutus fuerit de rebus a ſuggeſto alienis, vel aliquem concitarit, vel præfectum traxerit, dimiſſa concione aut ſenatu, ejus mulctandi poteſtas eſto penes præſides uſque ad drachmas* L. *deinde unaquæque injuria inſcribatur exactoribus. Quod ſi graviorem meruiſſe pœnam videbitur, indicta mulcta uſque ad* L. *drachmas, deferunto ad ſenatum, aut prima concione in curia. Ubi autem citationes recenſuerint, judicanto: quod ſi condemnatus, clam ſuffragia ferentibus ſenatoribus, præſides exactoribus legum eum inſcribunto.* Hactenus verba novæ legis. In eadem Timarchæa ab Æſchine memoratur lex a Solone quondam ſcripta de diſciplina matronarum, cujus hæc ſententia: *Mulierem, apud quam adulter fuerit deprehenſus, ornari vetat, ac in fana publica ingredi, ne ſuo interventu integras matronas corrumpat. Quod ſi intraverit, aut ſe ornaverit, quamvis veſtimenta ejus dilacerare, ac ornatum diripere jubet, verberibuſque eam excipere, veruntamen citra cædem ac mutilationem. Hac ratione*, ait Æſchines, *mulierem talem omni dignitate privat, & vitam ipſa morte acerbiorem ei reddit. Lenones item accuſari Solon jubet, & convictos capite plecti; propterea quod mercede locata ſua impudentia iis, qui delinquere quidem cupiunt, attamen colloqui inter ſe verentur, efficere ſolent, ut periculum faciant, & colloquantur.* Notandum vero, quod Æſchines idem Timarchum arceſſens monet judices, non ſolis teſtimoniis ſtandum in cognoſcendo & ferenda ſententia, ſed ejus qui arceſſitur, mores & reliquam vitam intuendam, indeque de eo formandum judicium: alioqui enim multa ſcelera, quæ clam patrantur, manſura impunita: imitandoſque heic Areopagitas, qui deficientibus teſtibus, & non obſtante ornata & ſpecioſa rei defenſione ex conſcientia ſua, & diligenti inquiſitione, ſæpe judicium ferre ſolent. Ubi inter alia hæc verba habet: *Quis enim aut graſſator, aut fur, aut adulter, aut homicida, aut graviſſimorum ſcelerum deſignator, modo occulte facinus patret, pœnas dabit? Inter hos enim ii, qui in ipſo facinore deprehenduntur, & fatentur, ſtatim occiduntur: qui autem clam patrarunt, & inficias eunt, in judicium adducuntur: deque iis, veritas veriſimilibus conjecturis eſt indaganda.* Eamus longius. Lex erat Athenis, ut, qui ærario aut Diis mulctam debebant, ſi intra præſcriptum tempus non ſolverent, in vinculis haberentur, quoad ſolverent. Hanc firmabat lex alia, qua ſanciebatur, ne cui referre liceret de reſtituendis honori ignominioſis (ἀτίμοις) aut de remittenda mulcta debitoribus ærarii, Deorumque, niſi prius decreto ſuo poteſtatem ejus rei dediſſent Athenienſium

ſex millibus haud pauciores, idque per ſuffragia occulta: tum demum liceret, quatenus ſenatui populoque videretur. Quibus legibus derogare aut abrogare conatus fuit Timocrates lege nova a ſeſe rogata, cujus hæc erat ſententia: *Si quis ærarius ſive ex lege, ſive ex decreto vinculis eſt damnatus, aut damnabitur in poſterum, ei liceat vades dare pecuniæ debitæ certo ſolvendæ, quos vades probaverit populus, atque ita carcere exire: nec liceat præſidibus id recuſare: qui ſi bona fide pecuniam ſolverit, liber ſit ipſe & vades ejus: ſi non ſolverit præfixo tempore ac vades ejus, ipſe in vincula retrahatur, vadium vero bona publicentur.* Sed an Timocr. legem pertulerit, id eſt, populo eam probaverit, incertum: mihi quidem non veroſimile. Leges aliæ a Solone latę in Timocratea ob Oratore recitatę, quæ juſſerunt, *peculatus convictum, nec tamen capitis damnatum vinculis addici: male tractatorum parentum compertum, & nihilominus foro ſe ingerentem in carcerem conjici ab* XI. *viris: militiæ deſertorem etiam, ſi ſibi idem jus arroget, quod cæteri cives habent, quorum ſalvum caput eſt, vinciri apud* XI. *viros: furem, ſi res furtiva a domino recuperata fuerit, dupli damnari, ſin minus, decupli una cum adjutoribus, unoque cum pede in compede eſſe per dies quinque totidemque noctes, ſi Heliæa id cenſuerit: reos manifeſtos deſertæ militiæ, & impietatis in parentes ab* XI. *viris introduci in Heliæam, accuſari vero a quolibet qui voluerit, ſi lege non probibeatur: Heliæam mulctam æſtimare, ſi pœna pecuniaria erit: damnatos in vinculis teneri, donec ſolverint.* Alia lex Solonis de furto in Oratione eadem: *Si quis interdiu ſupra* L. *drachmas furatus fuerit, abduci liceat ad* XI. *viros: ſi quis vero noctu quippiam ſurripuerit, eum & occidere, & inter perſequendum vulnerare, & ad* XI. *viros, ſi cui libet, abducere fas eſto. Convicto autem eorum facinorum, propter quæ in vincula licet abripi, non liceat datis vadibus ſatisfacere pro furtis: ſed mors pœna eſto. Ac ſi quis e Lycæo, aut ex Academia, aut Cynoſarge veſtem aut laguncularn, aut quicquam aliud minimi precii, aut aliquod vaſculum e gymnaſiis aut portubus ſurripuerit, ſupra* X. *drachmas, etiam hic capite pœnas dato. Si quis vero privato judicio furti convictus fuerit, ei permittitor duplum æſtimatæ litis ſolvere: penes judices vero eſto furem præter argentum ad quinque dierum totidemque noctium vincula damnare, ut omnes eum vinctum eſſe videant.* Quod eo pertinebat, ut fur velut homo flagitioſus, quod reliquum ei vitæ futurum erat, id cum infamia exigeret. Lex quoque Athenis hujuſmodi fuit: *Si quis aliquem detuliſſet, id eſt, crimen intendiſſet, nec actionem inſtitutam perſequeretur, ſed accepta pecunia, aut qua alia ratione, re cum adverſario compoſita, ab actione deſiſteret, ut is, velut prævaricator mille drachmarum mulctam ęrario ſolveret: aut ſi actionem perſequeretur quidem, ſed quintam ſuffragiorum partem in ferenda ſententia non ferret, ut calumniator aut ſycophanta, temere crimen intentans totidem drachmas ærario pendere damnas eſſet: quam mulctam quandiu non ſolveret, ab habendis orationibus arceretur.* Qua lege conſtrictus Æſchines, cum quintam ſuffragiorum partem in cauſa Cteſiphontea non tuliſſet, tum ne mulctam ſolveret, tum quod pudorem & ignominiam ferre non poſſet, civitate ceſſit, & Rhodum exulatum abiit. Eadem lege reus factus Theocrines, quod delato ad judices Micone quodam, accepta ab eo pecunia, actionem ut prævaricator dimiſiſſet, pendere ærario mulctam poſtulatus, & ſimul aliarum quoque legum violatarum accuſatus fuit. Alia lex contra facilitatem condonandi aut ignoſcendi: *Si quis ſupplicarit in ſenatu aut apud populum, iis de rebus, propter quas vel judicium, vel ſenatus, vel populus aliquem damnavit, ſi ipſe ærarius, priuſquam ſolverit, ſupplicarit, actio in eum detur perinde ac ſi qui ærarius in Heliæam ſe ingerat: ſin quis alius pro ærario interceſſerit, priuſquam is ſolverit, bona ejus omnia*

A *publicentur: ſin præſidum aliquis permiſerit referre ad populum, ſive ipſi qui ærario debet, ſive alicui pro eo deprecanti priuſquam ſolverit, ignominioſus, ἄτιμος, habeatur.* Utilis omnino lex. Nam nimia facilitas ignoſcendi, plurimum ſæpe reipublicæ nocet. Οὐδὲν γὰρ ὄφελος τῆς πόλεως, inquit quidam, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. Additur ibidem etiam lex iſta: *Quibus de rebus judicium prius factum, aut rationes relatæ, aut in tribunali ſuffragiis actum ſive privatim, ſive publice, aut populo ſtatutum, de his actio ne detur in judicio, nec* IX. *virum* (τῶν ἀρχόντων) *quiſquam decernat, neque accuſare ſinat ea, quæ leges non permittunt,* Et alia: *Judicia & arbitria, quæcunque ſecun-*
B *dum leges facta ſunt republica libera, rata ſunto. Quæ vero ſub* XXX. *tyrannis ſunt acta, aut judicata privatim aut publice, irrita habentor.* Item: *Neque fas eſto, viro uni legem irrogare, niſi eadem omnes Athenienſes obliget, idque non aliter, quam ſi ſuffragentur, & conſentiant per occulta ſuffragia ſex millibus non pauciores.* Hanc legem recitat Demoſthenes in Timocratea: & repetit eandem brevius conſtrictam in Oratione ſecunda in Stephanum his verbis: ἀλλὰ μὴν οἵγε νόμοι ἀπαγορεύουσι, μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι, ἂν μὴ τὸν αὐτὸν ἐφ' ἅπασιν Ἀθηναίοις. *Leges autem vetant,* inquit, *legem ferre de uno viro, niſi eadem feratur de univerſis Athenienſibus.* In capite aut
C titulo legum, quibus de rebus actio apud judicem non detur, & experiri non liceat, leges variæ fuere: in quibus has memorat Demoſthenes: *Quæ res ſemel in judicio deciſæ, eas denuo vocare in jus non permittitor:* item, *de quibus ſemel cum aliquo tranſegeris, quæ alicui remiſeris, de iis actio tibi non datur.* Quam legem ter Demoſthenes repetit in Orationibus diverſis, pro Phormione, in Pantænetum, in Nauſimachum. Et alia: *Quæ quis oppignoravit, in ea non licet agene contra poſſeſſores, nec ipſi, qui oppignoravit, ne hæredibus ipſius:* in Oratione contra Spudiam. Cui affinis eſt illa de pupillis: *Si pupilli quinquennium ſiverint*
D *præterire & in judicium non venerint, actionemve, inſtituerint, non amplius licet iis agere earum rerum, quæ ad tutelam attinent.* In Oratione contra Nauſimachum: ex qua hoc quoque liquet, præſcriptionem temporis apud Athenienſes locum habuiſſe, & de præſcriptis agere in judicio non licuiſſe.

De claſſibus & lege trierarchica dixi ante in deſcriptione reipublicæ Atticæ. Heic facere non poſſum, quin de inſtructione triremis, & permutatione facultatum ex Oratore noſtro in ea, quæ eſt contra Phænippum, quæ tota hujus materiæ eſt, adjiciam. Erant συμμορίαι Athenis civium ditiorum numero XX. ſingulæ capitum LX. Ex omnibus his conficie-
E batur claſſis una civium CCC. qui cenſebantur ditiſſimi totius civitatis. Is injungebantur munia difficillima obeunda in caſibus & periculis repentinis, ut triremes ſingulas ſinguli inſtruerent pecunia ſua, & alia hujus generis. Quam rationem rudem olim, & vacillantem, & ſuo tempore vitiatam multis modis collapſamque Demoſthenes ingruente metu belli Perſici lata lege non ſolum revocavit in uſum, ſed etiam meliorem fecit, ut ipſe in Oratione de corona oſtendit: ipſam vero emendandi rationem ac modum in Orationem περὶ συμμοριῶν expoſuit. Permittebat autem lex ei, qui imparem ſe ferendo oneri querebatur, claſſe illa excedere, ſi locupletiorem ſe
F alium extra claſſem monſtrare poſſet, monſtratuſque ſi ſe ditiorem fateretur, in claſſem trecentorum ſtatim transferebatur: ſin negaret, poſcebatur cum altero permutare facultates. In ea actione ex lege hæc obſervari ſolere, jam dicta Oratio nos docet. Primum quotannis permutationes fieri lex permittebat propterea quod conſervatio rei familiaris perpetua, & incrementa ejus paucis omnino civibus, ait Orator, contingant. Proponebant vero eas οἱ στρατηγοὶ, rei militaris præfecti, circiter initia menſis με-

ταγειτνιῶνος, qui nostro Sextili ut plurimum in anni Attici ratione respondet. Quo tempore qui permutare cupiebat, citabat eum, quem se ditiorem ajebat. Tum statim fundum ejus, & possessiones alias obibat & inspiciebat cum familiaribus & amicis coram ipso possessore: & post cautiones quasdam contra fraudem verbis interpositas, ædes obsignabat, ac rerum suarum inspectionem & cautionem eidem possessori offerebat, & alia, quæ ad avertendas fraudes esse poterant, curabat. Quod si possessor signa revelleret, ædesque ingrederetur, aut quicquam contra condicta & morem faceret, in legem peccare censebatur, nec id ferebat impune. Dein juratus promittebat, vere ac recte se editurum facultates suas, quod die XI. *βοηδρομιῶνος* Attici fecisse Phænippum demonstrat Orator: jubebaturque secundum legem tertio die post datum jusjurandum facere, quod pollicebatur, nisi forte permittente actore ex conventione amica res diutius in dies paucos differretur. Quod factum in causa Phænippi, dolose id ab auctore impetrantis, oratio eadem docet. Post actor si promissa non præstari, ac in fraudem seduci animadverteret, libellum complexum querelas, & acta in prætorium, *τὸ στρατήγιον*, ad Strategos inferebat, & eorum opem, velut judicium in his causis implorabat. In editione vero possessionum per legem aut edictum excipiebantur argenti fodinæ, quæ erant in agro Attico, quas permutare, utpote immunes ab oneribus publicis, non erat necesse. *Στρατηγοὶ* demum judicium interponebant, cui parere litigantes oportebat.

Quanti jus civitatis suæ fecerint Athenienses, prius etiam ostendi in genere. De quo clarissime Demosthenes in Neæram. *Populus Atheniensis*, inquit, *tam præclarum & splendidum donum censuit, fieri civem Atticum, ut ipse sibi leges præscripserit, quibus legibus faciendus sit, si quem donatum civitate velint. Earum prima hæc, ne quem facere liceat Atheniensem, nisi qui propter strenuam populo Attico navatam operam & fortitudinem fieri civis mereatur. Deinde si persuasum populo fuerit, ut det id munus, ratam tamen cooptationem esse non sinit, nisi concione sequente viri amplius sex mille Athenienses occultis* (id est, liberioribus) *suffragiis eam comprobarint. Senatores autem jubet hæc lex suffragiorum urnas proponere, calculos dare accedenti populo, priusquam hospites ingrediantur, & præmia auferant, ut unusquisque sui juris adhuc secum ipse consideret, quem civem sit facturus: an eo munere dignus sit is, qui accepturus sit? Post hæc violatarum legum actionem cuivis Atheniensium in eum dedit: licetque ingresso in judicium, revincere, non dignum esse eum munere illo, sed contra leges Atheniensem esse factum. Et jam nonnullis usu venit,* inquit Orator, *ut dato munere per populum, flagitantium verbis deceptum falsæ rogationis actione apud judices proposita, is qui munus acceperat, convinceretur munere indignus esse, eoque judicum sententia spoliaretur.* Sic fere interpres Hieronymus Wolfius, quem libenter sequor. Sed Græca hic illic significantiora sunt: quemadmodum statim initio legis. Πρῶτον μὲν γὰρ νόμος ἐστὶ τῷ δήμῳ κείμενος, μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον, ὃν ἂν μὴ δι᾽ ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην. Ἔπειτ᾽ ἐπειδὰν πεισθῇ ὁ δῆμος, καὶ δῷ τὴν δωρεάν, οὐκ ἐᾷ κυρίαν γενέσθαι τὴν ποίησιν, ἐὰν μὴ τῇ ψήφῳ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται, κρύβδην ψηφιζόμενοι. τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος, καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι, καὶ τὰ γέρα ἀναιρεῖν. ἵνα κύριος ὢν αὐτὸς αὑτοῦ ἕκαστος, σκοπεῖται πρὸς αὑτόν, ὅν τινα μέλλει πολίτην ποιήσεσθαι, εἰ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς ὁ μέλλων λήψεσθαι. Pro τὰ γέρα, autem, quomodo legit Wolfius, non dubito quin legendum sit, τὰ γέῤῥα, ut legit heic Harpocration, & ex eo Henricus Stephanus in thesauro Græcæ linguæ. Ea vero erant *περιφράγματα τῆς ἀγορᾶς*, septa fori lintea, aut viminea, quæ subito tolli poterant, cum concio frequens esset habenda. Largius hoc aut laxius apud Romanos quam apud Athenienses. Nam apud illos, quem quilibet civium e servitute manumittebat, simul cum libertate jus Romanæ civitatis ei tradebat, ut civis fieret libertinus, & ex eo ac fœmina libera justis nuptiis geniti, cives ingenui. Populus autem totas civitates populosque atque adeo integras nationes jure civitatis suæ donabat. Quod utrumque majestatem sive dignitatem juris illius, quo singuli cives præditi erant, quodam modo minuebat, & quasi viliorem reddebat, ac pene polluebat: tandemque cum ea res nimis late diffunderetur (quod factum sub Imperatoribus) imperio Romano exitium attulit. At Athenienses parciores in eo fuere, & majorem conservandæ dignitatis impollutæ juris istius sui habuere. Nam contra eos, qui obrepere in civium numerum studebant, comparata apud eos erat gemina illa *δοκιμασία* juniorum, cum in album curialium primum, deinde, biennio post, in tabulas popularium, quas *ληξιαρχικὰς* vocabant, inscriberentur, de qua in delineanda reipublicæ hujus forma nobis dictum. In quas easdem tabulas referebantur etiam nomina eorum, qui civitatis jure a populo donabantur: qui fiebat, ut pro nothis aut falsis civibus haberentur, quotquot in his tabulis inscripti non reperiebantur. In primis vero huc faciebat lex, cujus vestigia tum alibi, tum in oratione contra Eubulidem extant, & cujus summam exposuit auctor argumenti, eidem orationi præfixi: quæ vere ac proprie *καθάρσεως* vim habuit ad expellenda recrementa civitatis. *Scribitur*, inquit, *lex apud Athenienses, ut inquisitio fiat in eos omnes, qui sint in civitatis album inscripti, civesne germani sint, an non: & ut ii, qui non & patre & matre cive nati sint, deleantur: utque populares de omnibus sententiam ferant, & qui horum suffragiis reprobati fuerint, & latæ sententiæ acquieverint, deleti inter inquilinos censeantur: iis vero, qui velint, concedatur appellatio ad judices: qui si etiam in judicio convicti fuerint, vendantur: sin fuerint absoluti, cives sint.* In hac autem disquisitione ac judicio nihil omnino faciebat, divesne aliquis esset, an pauper. Nam non minus pauper quam dives civis esse poterat, legesque vetabant, ne quis pauperi, si modo vitæ esset integræ, ob paupertatem insultaret: eam quippe miseratione magis quam insultatione ac injuriis esse dignam: potiorque ducebatur civis pauper quam locuples peregrinus. Peregrinum quippe adeo civili jure leges excludebant, ut ne quæstum in foro Attico eum facere permitterent. Quod a Solone profectum multo tempore ab Antiphonte denuo sancitum esse, & suo quoque sæculo valuisse, Orator contra Eubulidem ostendit. Notandæ vero cum primis matrimonii leges: quæ quidem non semper eædem, suique similes fuere. Solon enim etiam cum peregrina matrimonium inire, id esset peregrinam pro conjuge habere, civi Attico permisit, liberosque tali matrimonio genitos civium in numero censeri voluit, quamvis vulgo *νόθοι* dicerentur: quod in duobus summis belli Ducibus, Themistocle & Cimone, utroque matre Thressa nato, est notatum. Postea Pericles *νόθους* hujusmodi lege lata civium jure exclusit. At Demosthenis sæculo cum peregrina fœmina jungi civem Atticum, aut virum peregrinum cum fœmina cive Attica, omnino vetitum Sic enim lex hac de re habuit. *Si peregrinus mulierem civem Atticam duxerit quacunque arte aut machinatione, quivis Athen. cui id licet, eum apud Thesmothetas accusato. Qui si damnatus fuerit, venundetur tum ipse tum res ejus familiaris; & triens esto*

esto ejus, qui reum peregerit. Similiter si & peregrina civi Attico nupserit, pari ratione is etiam qui peregrinitatis damnatam habuerit in matrimonio, mille drachmis mulctator. Cui legi altera affinis in eadem oratione contra Neæram recitata est ista: *Si quis viro Atheniensi peregrinam mulierem pro sua, id est, ex se genita, elocaverit seu desponderit, ingnominiosus esto: & ejus res familiaris publicator, & triens esto ejus, qui ipsum convicerit: arcessitor autem apud Thesmothetas ab aliquo ex iis, quibus licet, velut peregrinitatis.* Et rursum alia ibidem: *Qui adulterum cum uxore sua deprehendit, ei non liceat eandem in matrimonio retinere: si retinuerit, & cum ea porro consueverit, ignominiosus habetur. Fœmina deprehensa fana publica ingredi prohibetor, ne sacra prophanet aut polluat: &, si contempta leges ingressa fuerit, a quovis impune male mulctator, vita solummodo incolumi.* Solonis vero lex fuit, quam Plutarchus memorat in ejus vita, & cujus a me mentio est facta in descriptione reipublicæ Atticæ, quæ concessit marito, *adulterum cum uxore sua deprehensum confestim occidere:* idem permitit viro in eum, quem in stupro cum concubina sua deprehenderit. Qua lege tuetur se in judicio, apud Oratorem Lysiam, qui semet Eratosthenem in adulterio cum conjuge repertum fatetur trucidasse, & affirmat, legem hanc apud Areopagitas in columna incisam fuisse. Verum si quis alius adulterum cum conjuge alterius in ipso facinore reperit, sive is pater fœminæ adulteræ sit, sive frater aut propinquus, ei leges non permiserunt, statim adulterum interimere, sed potestatem dedere conjiciendi illum in vincula, & deferendi apud magistratum, accusandique, si quid esset, quod controversiam haberet, in judicio: Judices secundum leges de reo statuebant. Cujus juris vestigia extant in actione *Demosthenis* contra Neæram. Sed illa præ cæteris insignis lex est ad matrimonium pertinens, quæ sanxit, *quam fœminam legitime marito desponderit pater, vel frater consanguineus, eodem scilicet patre natus, vel avus paternus, ex ea natos liberos legitimos seu germanos esse: illorum vero si nullus fuerit, sitque puella aut fœmina ἐπίκληρος, id est, orba in nullius potestate, ac sola parentum hæres, accipere hanc illum, cui ejus legibus tributum: si nec is fuerit, fieri eam ejus, cui ipsa se permiserit.* Hic enim verus verborum Græcorum sensus est, quamvis obscuriora ea esse videantur. Quæ ut a *Demosthene* recitata sunt oratione altera contra Stephanum, heic adscribo: Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ, ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι. De fœminis quidem ἐπικλήροις satis conveniunt optimi quique auctores, significari hac voce eas, quibus sine aliorum consortio hæreditates obveniebant, & quæ tanquam pupillæ in nullius suorum potestate erant, quarum curam Archontes ἐπώνυμοι gerebant, sive in re essent ampla, sive arcta. Jus vero Athenis erat, proximos agnatos eas, si innuptæ essent, sibi despondere & uxores capere, & una cum iis possessionem hæreditatis earum seu dotis adipisci. Ex qua re sæpe contentiones inter agnatos competitores existebant, & judicio Archontis utplurimum definiebantur, aut ab eo ad judicia superiora referebantur. Quam ob causam eædem puellæ aut fœminæ etiam ἐπίδικοι, quod judicio de iis certaretur, dicebantur. Quod si pupillæ hujusmodi inopes essent, cogebantur nihilominus sanguine proximi eas uxores ducere, aut de suo dotem fortunæ congruam, iis dare. Nec deerat iisdem respublica, si hoc quoque subsidio forte destituerentur, nimirum si ipsi propinqui egeni essent, modo ipsæ formæ essent mediocris, ne ob ejus defectum nuptiis fastidirentur. Quod arguunt *Demosthenis* verba contra Neæram. Ait enim, Judices appellans: *Quapropter & civium nostrarum rationem habete, ut ne pauperum filiæ nuptum collocari nequeant. Nunc enim tametsi aliqua paupercula est, dotem ei satis magnam confert lex, si mediocrem duntaxat a natura formam acceperit.* Unde vero impendia hæc in paupercularum dotes respublica sumpserit, ex pretio-ne venditorum scortorum, an mulcta alia impudicorum, incertum. Illud quidem verba *Demosthenis* hoc eodem loco significare videntur. Nisi forte toto isto loco Orator legem eam intelligat, qua proximus agnatus jubetur pro facultatum suarum modo pupillæ hujusmodi dotem conferre, aut ipse eam ducere, dummodo a natura formæ sit mediocris. In utroque certe legis beneficium fuerit. Sed ἀπορῶ. Orator quidem alibi hac eadem de re post recitatam nobilem legem herciscundæ familiæ sic differit: *Neque vero, Judices, cum hæc Legislator sanguine propinquis dederit, alia multa omnino non mandavit, quæ iisdem propinquis necessario sint facienda: sed omnino multa sunt, quæ lex facere jubet propinquos: neque ullum effugium relinquit, quo minus ea facere sit necessum.* Et his legem ipsam subjicit, cujus hæc sunt verba: *Pupillarum aliquam, quæ in una classe censentur* (tales Romæ erant proletarii & capite censi,) *si habere noluerit genere proximus, dote data elocato, primæ classis quidem, quam* πεντακοσιομεδίμνων *vocabant, drachmis quingentis, eques autem, id est, secundæ classis civis, trecentis,* ζευγίτης, *id est, tertiæ classis,* CL. *præter ea, quæ ipsa habet. Si vero plures fuerint in eadem familia, proportione quisque pupillæ conferat. Quod si mulieres orbæ plures fuerint, ne necesse sit genere propinquo plus una elocare, sed proxime sequens aut elocato aut ipse ducito. Quod nisi genere proximus vel elocarit vel duxerit, Archon eum cogat aut elocare, aut ipsum ducere. Quod si Archon non coegerit, debeat mille drachmas sacras Junoni. Citet autem eum, qui detrectaverit, quivis ad Archontem.* Textus Græcus sic habet: Τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσι, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους, ἐκδιδότω ἐπιδοὺς ὁ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμὰς, ὁ δὲ ἱππεὺς τριακοσίας, ὁ δὲ ζευγίτης ἑκατὸν πεντήκοντα πρὸς οἷς αὐτῆς. ἐὰν δὲ πλείους ὦσιν ἐν τῷ αὐτῷ γένει, τῇ ἐπικλήρῳ πρὸς μέρος ἐπιδιδόναι ἕκαστον. ἐὰν δ' αἱ γυναῖκες πλείους ὦσι, μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ γένει· ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι, ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγυτάτω γένους, ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἢ ἐκδοῦναι. ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάζῃ ὁ ἄρχων, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ, ἀπογραφέτω δὲ τὸν μὴ ποιοῦντα ταῦτα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα. Ex oratione contra Macartatum. Ad hanc legum matrimonialium classem pertinet etiam Solonis illa a *Plutarcho* haud immerito absurditatis damnata in expositione vitæ ejusdem, sanciens, licere fœminæ orbæ, quam propinquitatis jure conjugem sibi ob opes ejus asseruit proximus agnatus, si ipse ad concubitum inidoneus sit, & tamen a dote discedere nolit, ex voluntate ipsius propinquorum ejusdem unum, quem velit, ad concubitum admittere, & liberos ex eo suscipere, & nihilominus in matrimonio cum marito eodem manere. Res sane, ut ait *Plutarchus*, cum natura matrimonii pugnans: certe præcipuam legem matrimonii evertens. Melius Romani, qui virum hujusmodi conjugem dimittere, & dotem ei restituere, ac ut alteri nuberet, cui vellet, permittere jubebant: concubitus autem tales ex mariti consensu turpia ac nefaria lenocinia esse censebant. Sed Solon hoc legis velamine honori & utilitati mariti, & procreatione sobolis bono civitatis, & simul successioni agnatorum in bona hæreditaria consulere voluisse videtur. Subjungit *Plutarchus* illic legem Solonis aliam, qua jussit, ut nova nupta cum viro occluderetur,

& uterque malo cotoneo vesceretur bellariorum loco; & ut utique ter quolibet mense maritus cum uxore coiret tum ob generationem sobolis, tum ad alendam inter conjuges mutuam benevolentiam avertendasque simultates atque animorum abalienationem. Dein addit idem *Plutarchus*, cæteris matrimoniis, nimirum cum fœminis, quæ ἐπίκληροι non erant, & hæreditatem in dotem trahebant, dotes Solonem sustulisse, tres tantum vestes, & quædam parvo empta vasa, nec quicquam præterea nubentem secum afferre merito voluisse. Nam consortium conjugum non pretio aut pecunia, sed mutua gratia ac benevolentia, & desiderio gignendorum legitimorum liberorum coire optimum putavit. Sed in dotis ratione mutatum esse aliquid cum tempore, si hoc verum, quod heic *Plutarchus* affirmat, res ipsa loquitur, & ea quæ jam ante exposita sunt. Ut autem severus in adulteros fuit Solon, quos in αὐτοφώρῳ deprehensos, uti diximus, occidi impune permisit, ita nimis lenem fuisse in puniendis raptarum fœminarum ingenuarum stupratoribus notat & carpit *Plutarchus*. Eos enim x. tantummodo drachmis mulctasse, & si raptas stuprataſque insuper prostituissent, mulctam illam duplicasse ostendit. Quam pœnam exilem fuisse, homini præsertim locupleti, manifestum est. Sed longiuscule hoc abit ab instituto præsenti. Id vero propius huc pertinet, quod jam dicam. Passim liquet tum ex *Demosthene* tum ex auctoribus aliis, fas fuisse Athenis, *Atheniensem sororis suæ germanæ filiam, uxorem habere, & ex ea liberos gignere, & item filiam germani fratris nubere patruo suo*. Testantur hoc orationes Demosthenicæ in Neæram & Leocharem. Nec dubitare possum propter rationum similitudinem, quin amitæ quoque licuerit cum fratris sui germani filio, & materteræ cum filio germano sororis matrimonium jungere. Fratrum autem & sororum liberos, filios & filias nuptias legitimas coivisse, usitatissimum, ut demonstratione non habeat opus. Porro ex actionibus ejusdem Oratoris in Aphobum tutorem suum amita sua natum, & in Stephanum falsum testem, ut & ex alia pro Phormione, claret, apud Athenienses seu lege seu more receptum fuisse, & pro concesso habitum, maritum vita decessurum, aut etiam prius, cum placeret, conjugem suam alteri cum dote tradere, idque vel testamento signare, vel sine testamento. Nam ut exempla illustria ex Historiis petita silentio prætercam, Demosthenes Oratoris pater solemni testamento scripto uxorem Cleobulen Aphobo sororis suæ filio cum dote liberali despondit. Pasio autem Phormioni servo quondam suo, deinde libertate donato, cum versaretur in extremis, conjugem Archippam bene ab se dotatam, ac a Phormione jam ante adamatam per testamenti tabulas, sive veras, sive suppositiitias (de eo enim in judicio disputatum fuit) similiter transcripsisse dicebatur: factusque est hoc modo Phormio maritus dominæ quondam suæ, sub qua servitutem ipse serviverat. Quod quoniam indignum liberis Archippæ & Pasionis videbatur, Orator ad demendam facto illi invidiam, in oratione pro Phormione recensuit plura exempla servorum, qui post manumissionem & impetratum civitatis Atticæ jus, ex voluntate priorum dominorum potiti fuerant dominarum suarum nuptiis non solum a dominorum morte, sed etiam dominis adhuc superstitibus Erant enim uxores in potestate maritorum suorum, ut de iis citra maleficium statuerent, quod vellent. Quod argumento est, etiam divortia ibidem in usu fuisse, licuisseque maritis, cum animus ferret, uxores suas dimittere restituta dote, & alias sibi jungere: idque factitatum plurimis exemplis constat. Plures autem conjuges in matrimonio simul habere, semper nefas existimatum. Idem de concubinis valuisse fere est

A credam, præsertim in loco aut regione eadem, quanquam expressim scriptum id apud probatum auctorem veterem hactenus non legerim, aut certe legisse me non meminerim. Erant enim concubinæ justarum pene uxorum instar, sæpe maritali affectu a viris adamatæ. Quod arguere videtur posse lex illa ex Lysia ante a me relata, quæ permisit viro virum alterum cum concubina sua in stupro deprehensum occidere, non secus ac si eundem cum justa uxore deprehendisset. Unde conjectare porro licet, nec more, nec lege permissum fuisse, in æmulationem legitimæ conjugis concubinam ei superinducere. Scortis vero uti maritum, non quidem probum & rectum, sed tamen non nefarium est habitum, nec
B pœna legibus affectum: nec adulterium hoc, sed scortatio est nuncupatum. Pertinet huc *Demosthenis* locus, qui est in actione contra Neæram paulo ante ejus finem: quo discrimen demonstrat Orator inter legitimas uxores, & concubinas, ac scorta. Τὸ γὰρ συνοικεῖν, inquit, τοῦτ᾽ ἔστιν, ὡς ἂν παιδοποιῆται καὶ εἰσάγῃ εἴς τε τοὺς φράτορας καὶ δημότας τοὺς υἱεῖς, καὶ τὰς θυγατέρας ἐκδιδῷ, ὡς αὑτοῦ οὔσας, τοῖς ἀνδράσι. τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ᾽ ἔχομεν· τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ᾽ ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος· τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. *Nam in matrimonio habere, ait, hoc est, cum quis liberos generat, atque ad curiales & populares*
C *sive municipes filios introducit, & filias pro suis nuptum elocat. Meretrices enim voluptatis ergo habemus: concubinas ob quotidiana ministeria curamque corporis: uxores autem ad gignendos legitimos liberos, & fidelem rei domesticæ custodiam*. Ex solis igitur justis uxoribus suscipiebantur liberi ingenui, qui hæreditates suorum adire, & cives fieri poterant, ex concubinis non item, multo minus ex vilibus scortis. Quæ oportune in memoriam mihi referunt legem huic materiæ affinem, quam in eadem oratione idem Orator recitat: cujus sensus est, pro adultero haberi, & in vincula abripi jure non posse eum, qui Veneri operam dare deprehenditur cum fœminis in taberna meritoria sedentibus aut in foro palam aliquid vendentibus: ὁπόσαι ἂν, inquit lex, ἐπ᾽
D ἐργαστηρίου καθῶνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. Hujusmodi autem fœminam fuisse Phanonem Neæræ filiam, Stephani privignam, cujus consuetudine sit usus Epænetus Andrius, vetus ipsius Neæræ amasius, nuptam nuper civi Attico Phrastori, sed ob vitium natalium ab eo repudiatam, ac ad matrem vitricumque Stephanum reversam, atque Epænetum cuncta confitentem de consuetudine cum matre & filia judicio arbitrorum esse absolutum, ex Epæneti actione contra Stephanum Orator demonstrat. Satis de matrimoniorum jure, & quæ cum his cohærent. Addo de successione in bona
E defunctorum, de testamenti factione, de adoptione, de tutela, & quæ hujus sunt generis: quæ materia est litigantium apud Judices in omnibus civitatibus tritissima. Ante Solonem testamentorum jus & usus Atheniensibus non fuit. Succedebatur in bona demortuorum intestatorum secundum jus in more tunc positum. Valebat autem hæc velut generalis regula, ut sanguine aut jure proximi hæreditates caperent exclusis ulterioribus. Ex semine quippe defunctorum genitis æquiparabantur adoptivi, si rite facta esset adoptio: de qua dicendum postea. Solon factionem testamenti introduxit, & legibus definivit. Testamento non scripto (liberum enim hoc
F erat) hæreditates capiebantur secundum leges a Solone latas. Prima lex eo in casu erat, ut sanguine aut legitimo gradu proximi ante reliquos ad successionem vocarentur. Proximi vero censebantur filii, eorumque liberi masculi, & ex iis porro descendentes ejusdem sexus, si qui essent: si non essent, essent autem superstites solæ filiæ, aut ex iis nati aut natæ,

his dabatur hæreditas, quibus alioqui, extantibus filiis & eorum liberis maribus, dos tantum modica pro facultatum modo ex lege tribuebatur. Censebat enim Legislator, maribus, per quos solos familiæ propagabantur, ut se statumque suum commodius tueri possent, tribuendis hæreditatibus esse consulendum. Fuisse autem dotes non magnas, quæ puellis ac fœminis tribui solent, si aliunde non constaret, (constat autem multis modis,) posset ex dispositione testamentaria Demosthenis ejus, qui pater Oratoris fuit, liquido cognosci: quam dispositionem filius Orator in actione prima contra Aphobum tutorem suum recitat. Cum enim morientis res familiaris talentis quasi XIV. censeretur, & idem moriens unicum filium sibi cognominem, & filiam unicam cum matre eorundem, uxore sua, in vivis relinqueret, filiæ duo tantum talenta in dotem, & quidem satis liberaliter, ut significat Orator, assignavit: uxori autem, cum qua dotis acceperat minas tantum L. adjectis isti summæ XXX. minis aliis, Aphobo agnato suo, & liberorum tutori constituto nupturæ LXXX. minas dotales destinavit, ut tota dos ejus esset in pecunia talenti unius & minarum Atticarum XX. cum usu ædium & supellectilis, usque dum filius Demosthenes ad ætatem virilem perveniret. Reliqua omnia cedere voluit, ut & cedere jure debebant, soli filio. Porro si vita decedens relinqueret aut fratres eodem secum patre natos, quos γνησίους Græci dicebant, & filias solas ex se genitas, illi cum hisce ad hæreditatem admittebantur. Quod docet lex contra Macartatum recitata: quanquam textus illic mutilus sit, & interpres Wolfius, vir cæteroqui eruditissimus, pro fratribus filios, non satis attendens ad rem, supponat. At si filiæ morienti non essent, fratres γνήσιοι defuncto succedebant. Qui si fratrum defunctorum filios in vivis haberent, eos etiam secum admittere, & portionem parentum iis cedere cogebantur. Si fratres consanguinei, id est, γνήσιοι, eodem nimirum patre secum geniti, aut fratrum talium filii legitimi deessent, filiæ cum sororum suarum præmortuarum eodem patre natarum liberis pari modo hæreditatis compotes fiebant. Sed & heic mares & maribus geniti, licet gradu essent remotiores, si essent ex iisdem, ut ait lex, fœminis anteferebantur. Quæ sequuntur in lege eadem, cætera familiæ herciscundæ in gradibus ulterioribus exponunt, sed tam obscure, ut in explicandis iis natare quis facilius quam enatare queat. Verba sic habent: *Εὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιαδῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι. Εὰν δὲ μηδ᾽ ἑτέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι.* Postrema sunt clara, quæ nothis seu spuriis jus propinquitatis & successionum in universum, quemadmodum & sacrorum & publicorum, adimunt. Si deficerent mares ex defuncto recta per mares descendentes, superessent autem ex filia prognati, hi prognatis & descendentibus ex fratre defuncti præferebantur. Mares ex maribus a defuncto descendentes eidem defuncto succedebant licet gradibus impares, scilicet filii, nepotes, pronepotes, sed in stirpes, non in capita. At ex collateralibus descendentes, gradu proximi defuncto excludebant remotiores: fœminarum vero nulla habebatur ratio. Verum enim vero ne familiæ pessum irent deficiente prole masculina descendente, per quam, uti dixi, familiæ tantum propagabantur, remedium quæsitum est ab adoptione. Ea erat, cum quis hæredem masculum ex se genitum filium aut nepotem ex filio, aut pronepotem ex nepote non habens alium assumebat, qui filii loco sibi esset, & omnia jura filii teneret, ac morienti hæres succederet, familiamque alioqui interituram propagaret, consentiente eo, in cujus potestate hactenus ille fuerat. Licebat autem adoptanti, qui hac ratione conservare & ad posteros propagare domum suam cupiebat, quemcumque volebat, seu alienum a sanguine suo, seu sanguine sibi junctum eligere. Sed fere fiebat, ut sanguinis potius sui aliquem, veluti nepotem ex filia, aut ex fratre, aut ex sorore prognatum, quam extraneum eligeret, quemadmodum exempla docent, quæ extant apud *Demosthenem*. Verum ut rata esset adoptio, primum necesse erat, id quod jam dixi, ut voluntati adoptantis accederet voluntas ejus, in cujus potestate erat, qui adoptabatur, veluti patris aut avi paterni naturalis, quemadmodum videre est tum aliunde tum ex actione contra Macartatum. Deinde si is, qui adoptabatur, curiæ esset diversæ a curia adoptantis, opus quoque erat, ut per parentes, aut propinquos proximos adduceretur ad curiales adoptantis, & ut nomen ejus in album curiæ referretur. Eratque hac de re judicium curialium. Quod etiam de popularibus, valuisse credo ob ea, quæ *Demosthenes* in oratione contra Leocharem disserit. Adoptabantur autem nonnunquam qui jam in virili ætate erant, nonnunquam adolescentes, interdum etiam pueri: quemadmodum Eubulides puer ab Eubulide avo materno, volente patre Sositheo, adoptatus, & a patre, cum tempestivum esset, ad curiales adductus apud *Demosthenem* legitur. Sed notandum heic, lege cautum esse a Solone, *ne adoptato, aut filio ejus aut cuiquam ex his prognato, si liberis masculis ipsi carerent, in fraudem cognatorum adoptantis, alium sibi liceret adoptare, eique familiam tradere:* & jussisse Legislatorem, *adoptionem talem esse irritam, ac hæreditatem redire ad proximos cognatos primi adoptantis*: voluisse etiam, *si quis adoptatus reverteretur in familiam suam, ex qua erat adoptatus, filium autem suum sibi substitueret*, voluisse, inquam, *ut filius quidem familiam & hæreditatem adoptantis teneret, ipse autem velut deserens jus suum, ac semet emancipans, jure illo adoptionis, & regressus in locum desertum, excideret, idemque valeret in ejus filio, si is exemplum patris imitaretur:* sicuti discimus ex eadem actione contra Leocharem. Nam, ut illic affirmat Orator, Leocrates tanquam adoptatus irrepserat in familiam Archiadis avunculi sui, dolose circumvento & rogatu propinquorum connivente hærede altero. Deinde substituto sibi filio ex se nato Leostrato remigrarat in domum patris sui naturalis: & hujus exemplo idem postea fecerat Leostratus, sibique in domo adoptiva substituerat Leocratem juniorem, filium suum ex se genitum. Hoc vero sine prole mortuo, regredi in familiam Archiadis Leostratus est conatus cum Leochare agnato, quem sibi adoptabat. Sed per leges jam memoratas a competitoribus hæredibus aliis est repulsus: causaque est ex more apud Archontem ἐπώνυμον disceptata. Archontis enim, ut pluries jam dictum, docente *Demosthene*, propria hæc jurisdictio erat, cum de hæreditate contendebatur: quemadmodum ad eundem cura pupillorum & pupillarum, & familiarum pessum euntium, & viduarum in ædibus funestis manentium, uterumque se ferre dicentium, ex lege pertinebat, ut nimirum videret, ne quid hisce injuriæ inferretur. Prior lex prohibens adoptatum adoptare extat in peroratione contra Leocharem. Posterior hæc de Archontis officio recitatur sub fine orationis in Macartatum his verbis: *Ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημένων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν, τούτων ἐπιμελείσθω. καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν, ἢ ποιεῖν τι παράνομον. κύριος ἔστω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Εὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος προπέμπτα, καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος ὅ, τι ἂν δοκῇ αὐτῷ εἰσαγαγέτω εἰς τὴν Ηλιαίαν. Εὰν δ᾽ ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ηλιαία περὶ τοῦ ἁλόντος ὅ, τι χρὴ αὐ-*

τὸν παθεῖν ἢ ἀποτίσαι. Præter adoptandi jus licebat lege Solonis, quotquot genuini cives erant, non adscititii, cum Solon magistratum iniret, testamentum condere, & de rebus suis pro arbitrio disponere, hæredes instituere, quos volebant, legare, tutores hæredibus dare, modo id facerent secundum leges. Quod sic statuit Solon, ait Demosthenes contra Leptinem, non ut genere proximos jure propinquitatis fraudaret, sed ut utilitate in medium proposita efficeret, ut homines inter se beneficiis certarent. Lex autem ejusdem Solonis *vetabat testamentum condere eos, & res suas alienis legare, qui liberos mares legitimos habebant, quibus utique hæreditas debebatur: quive mente læsi erant, aut senio nimis pressi, aut veneficio impliciti, morbove gravi laborantes, aut mulieribus obsequentes, aut earum rerum aliqua, quæ legibus vetitæ sunt, commoti, aut denique necessitate aut vinculis circumventi.* Volebat enim legis auctor voluntate libera & mente integra testatores de rebus suis disponere. Recitat legem hanc Demosthenes oratione II. contra Stephanum falsi testimonii dicti reum. Partem autem ejus, quæ est de dementato a muliere, repetit in ea, quæ est contra Olympiodorum infatuatum, ut ait, a scorto, memorans dictum Solonis, neminem scilicet mortalium magis delirare, quam qui pareat mulieri meretrici: atque ideo Solonem jussisse affirmat, omnia ea irrita esse, quæ quis faceret mulieri parens, maxime vero tali. Verba Græca legis contra Stephanum adductæ, si quis ea cognoscere desideret, hæc sunt. Ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτε ἀπειπεῖν, μήτ᾽ ἐπιδικάσασθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχὴν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν, ἢ γήρως, ἢ φαρμάκων, ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ὑπὸ τούτων του παρανομῶν, ἢ ὑπ᾽ ἀνάγκης, ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς. Quos vero legislator vocat πεποιημένους, Orator legem interpretans & causæ suæ applicans declarat: scilicet non solum adoptivos, ut passim, sed etiam civitate donatos. Sic enim ait, ἄξιον δὲ καὶ τοῦτο ἐνθυμηθῆναι, ὅτι ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ἀλλ᾽ ἦσαν πεφυκότες γνήσιοι, τούτοις ὁ νόμος δίδωσιν, ἐὰν ἄπαιδες ὦσι, διαθέσθαι τὰ ἑαυτῶν. ὁ δὲ πατὴρ ἡμῶν (loquitur Orator sub persona Apollodori, cui pater fuerat Pasion, civitatis jure donatus, de cujus testamento commentitio an vero disputabatur: in usum enim Apollodori orationes aliquot scripsit Demosthenes) ἐπεποίητο ὑπὸ τοῦ δήμου πολίτης· ὥστε οὐδὲ κατὰ τοῦτο ἐξῆν αὐτῷ διαθέσθαι διαθήκην, ἄλλως τε καὶ περὶ τῆς γυναικὸς, ἧς οὔτε κύριος ἐκ τῶν νόμων ἦν (adultera enim Archippa uxor Pasionis, mater Apollodori cum Phormione servo quondam domestico consueverat, & matrimonii vinculum ruperat) παῖδές τε αὐτῷ ἦσαν. Et his continuo subjicit Orator, repetens partem legis posteriorem: σκέψασθε δὲ καὶ διότι οὐδ᾽ ἂν ἄπαις τις ᾖ, κύριός ἐστι τὰ αὑτοῦ διαθέσθαι· ἐὰν μὴ εὖ φρονῇ, νοσοῦντα δὲ, ἢ φαρμακῶντα, ἢ γυναικὶ πειθόμενον, ἢ ὑπὸ γήρως, ἢ ὑπὸ μανιῶν, ἢ ὑπὸ ἀνάγκης τινὸς καταληφθέντα, ἄκυρον κελεύουσιν εἶναι οἱ νόμοι. Et statim addit: σκοπεῖτε δὲ, εἰ δοκοῦσιν ὑμῖν εὖ φρονοῦντος ἀνδρὸς εἶναι διαθῆκαι, ἅς φησι διαθέσθαι οὗτοι τὸν πατέρα. Huc pertinebat etiam ista lex ab eodem Oratore in eadem contra Stephanum oratione citata: *Quicquid pater ingenuos filios superstites habens testamento jusserit, disposueritve, si obierint filii ante annos ætatis* XVI. *id ratum esto.* Ὅτι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διάθηται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς πρὶν ἐπὶ διετὲς ἡβᾶν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι. Docet hæc lex, licuisse civibus Atticis, licet hæredes suos legitimos superstites relinquerent, tamen scripto testamento, in casu mortis eorum ante legitimos adeundæ hæreditatis annos, & ætatem disponendi de rebus suis justam, alios iis hæredes substituere. Unde substitutiones jure Romano usitatas profluxisse, verosimile est. Romanas enim leges ex Atticis maximam partem derivatas esse, est notorium. Consuetudo vero Athenis habebat, quanquam testes signandis testamentis ut plurimum adhiberentur, tamen ignotum testibus mansisse, quid tabulis testamentariis contineretur, neque ἀντίγραφα testamentorum testatores reliquisse. Debebant enim argumenta testamentorum ignorari, donec tempestivum esset, ea edere. Aperiri autem testamenta solere apud arbitrum aut judicem præsentibus testibus, ex oratione priore in Stephanum, indicium habemus. Ut autem apud Romanos, & populos alios irrepsere hac in re tetra vitia & fraudes captandis senum & divitum testamentis, falsisque pro veris supponendis, sic etiam apud Athenienses: quod ex exemplis, quæ sunt apud Demosthenem auctoresque alios, elucescit. Mos vero lege probatus Athenis fuit, ut cum quis ope magistratus hæreditatem adiisset, ac in possessionem ejus venisset, publica voce præconis proclamatio fieret, si quis agere in hæreditatem illam vellet, aut sacramento cum possessore contendere, sive genere fretus velut proximus, sive testamento, ut hoc faceret. Qua proclamatione facta, si præsentes tacerent, jure suo excidebant, aut saltem id ipsum in posterum difficilius reddebant. Agere in hæreditatem ἀμφισβητεῖν, ἢ ἐπιδικάζειν τοῦ κλήρου, sacramento autem vel sponsione contendere παρακαταβάλλειν dicebant. Posterius hoc denotabat, ea conditione pecuniam in judicio, aut apud acta, ut vulgus loquitur, deponere tam actorem quam reum, ut qui causa caderet, eam a se depositam, in pœnam temerariæ litis amitteret: cui si liberet a sententia lata ad aliud tribunal provocare, solus tantundem pecuniæ rursum deponere conditione eadem cogebatur. Quam pecuniam Julius Pollux dicit fuisse partem decimam æstimatæ litis in causis privatis, quintam in publicis. Actio vero hujusmodi dicebatur παρακαταβολή: qua voce etiam ipsam illam pecuniam depositam fuisse nuncupatam quidam censent. Ἐπίδικος autem ipsa hæreditas controversa, de qua contentio erat, vocabatur, & ἐπιδικασία actio vel contentio ejusmodi. Qui hoc periculo deponendæ pecuniæ contendere non audebat, causam suam suspectam faciebat. Permittebat tamen lex non ei solum, sed cuivis etiam volenti, possessorem hæreditatis in jus vocare apud Archontem, cujus, ut ante ostendi, erat illa propria cognitio, & cum eo apud eundem de re disceptare. Sine hac citatione petitio actoris erat inutilis. Legis hujus verba recitat Demosthenes contra Macartatum. Ἐὰν δ᾽ ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου, ἢ τῆς ἐπικλήρου, προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν· παρακαταβολὰς δ᾽ εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. Ἐὰν δὲ μὴ προσκαλεσάμενος ἐπιδικάσηται, ἀτελὴς ἔσται ἡ ἐπιδικασία τοῦ κλήρου. Ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτὰ, ὧν ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκει. τὴν δ᾽ ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἄρχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα. Id est: *Sin de adita contendat hæreditate, aut de pupilla, citet eum, qui hæreditatem tenet, ad Archontem, quemadmodum fit in aliis causis. Sacramento autem contendat petitor. Si sine citatione petierit, imperfecta erit petitio hæreditatis. Sin is, qui hæreditatem adiit, superstes non fuerit, arcessat simili ratione eum, cui præfinitum tempus nondum erat terminatum. Disceptatio autem apud Archontem esse ea ratione, qua is egit qui hæreditatem tenet.* Sic vertit Wolfius eruditissimus interpres. Προθεσμία heic significat diem jure præfinitam. Verum non omittendum heic, quod jam ante dictum oportuit de puella ἐπικλήρῳ. Ea agnato nupta in possessione hæreditariarum rerum manebat cum marito tandiu, quoad filius ex ea natus biennio pubertatis annos egressus esset, quæ ætas annorum erat XVI. Quo tem-

pore cogebatur filio hæreditatem tradere, & filius vicissim tenebatur victum (τὸν σῖτον) matri sufficere aut dimetiri, ut sonant verba legis, quam recitat Demosthenes in altera contra Stephanum: Καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Qua sane lege, inquit ibidem Orator, jubentur matres in potestate esse filiorum suorum puberum: fœminæque illæ hæreditatem parentum adeptæ cum maritis suis videntur in casibus talibus usufructuariæ solummodo ad præfinitum illud tempus fuisse. Cui affine est hoc, quod mater vidua cum filio iisdem in ædibus manens, & rebus filii fruens, in potestate ejus tanquam domini sui erat, nec repetendæ dotis, quam marito filii patri attulerat, jus habebat quandiu in familia ejus permanebat. Si discederet, ut sibi seorsim consuleret, cogebatur filius aut dotem ei restituere, aut alimenta necessaria præstare. Si ad alias nuptias transiret, omnino restitutione dotis erat opus. Priora patent ex verbis, quæ sunt in actione contra Phænippum: posteriora dubium non habent. Plures hujus generis leges, tum quod obscuræ, tum quod minoris momenti sint, prætermitto. Reliquas varii generis in cumulum confero, & constringo, ne fiam nimis prolixus. Cæde patrata quomodo cum auctore ejus, & contra ipsum agendum, Draconis lege columnæ incisa expressum est, sed verbis perobscuris, quam legere licet apud Oratorem contra Macartatum: in qua tum, a quibus & apud quos postulandus sit reus, tum, per quos sarcienda cum eo gratia, demonstratur, & cognitorum seu Judicum LI. qui Ephetæ erant, & curialium veluti actorum, & cædis inconsultæ fit mentio, & de expianda cæde, & corpore cæsi sepeliendo præcipitur. Sed Oedipum esse non Davum oportet, qui sensum ejus ubique & penitus assequatur. Eandem vero denuo memorat Orator contra Euergum, & diserte affirmat, jubere legem, ut propinqui cædes persequantur usque ad sobrinos: & in jurejurando præcipi, ut ab iisdem id fiat, etiamsi vel servus sit interfectus: ad eos vero, qui propinqui aut affines proximorum graduum non sint, actionem non pertinere. Gradus propinquitatis utroque loco definitur, μέχρις ἀνεψιαδῶν. Discimus autem ex eodem loco contra Euergum, in casibus dubiis consuli solere viros jurisperitos, quos ἐξηγητὰς vocabant, & eorum responsa consulentes ut plurimum in agendo esse secutos: & istos non solum de jure consulentibus respondisse, sed consilia quoque, si peterent iidem, suggessisse de agendi modo. Discimus etiam, ex Jurisperitorum responso, quod istic recitatur, in more fuisse positum, si propinqui homines cæsi non comparerent, ut is, qui funus curabat, in eo efferendo hastam adhiberet, & juxta sepulcrum proclamaret, an quis esset cæso cognatus: utque per triduum custodiam ageret sepulcri. Præterea consultum non esse, probatione nutante, cædis suspectos aut insimulatos nominatim citari ad tribunal, sed expedire, eos generatim designari, quicunque cædis essent auctores: ad hæc a lege cædis actionem dari apud Regem cognatis aut dominis, non aliis: in causa cædis dubiæ juramentum ab actoribus præstari solere ad Palladium cum periculo famæ ipsorum. Non aliena ab hoc loco lex est de vulnere consulto illato, quæ apud Lysiam extat in actione contra Andocidem impietatis reum, quam Areopagiticam Lysias vocat. De ea Oratoris verba sic habent: Ἐὰν μέν τις ἀνδρὸς σῶμα τρώσῃ, κεφαλὴν ἢ πρόσωπον, ἢ χεῖρας, ἢ πόδας, αὐτὸς μὲν κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ἐξ Ἀρείου φεύξεται τῆς τοῦ ἀδικηθέντος πόλιν, ἢ τραύματος ἐκ προνοίας· καὶ ἐὰν μὲν κατίῃ, ἐνδειχθεὶς θανάτῳ ζημιωθήσεται. *Si quis viri corpus vulnerarit, ut caput, aut faciem, aut manus, aut pedes, is secundum leges*

A *Areopagi exulato ea civitate, quam incolit injuria læsus, si vulnus consulto illatum, &, si in civitatem redierit, deprehensus morte mulctator.* Sacra polluere, præsertim Minervæ in arce, & Cereris Eleusinæ, quæ Rex & Regina procurabant, quos ob eam causam mundos ab omni vitio generis ac morum esse oportuit, maximum nefas Athenis habebatur. Exemplo fuit Alcibiades Cliniæ, impietatis hujus insimulatus, & populi iræ propterea objectus, absensque capitis damnatus, tantus belli Dux: fuit item Archias sacrorum antistes, cui nec venerandum Eumolpidarum genus, (hi religionum interpretes erant apud Athenienses, & magno honore colebantur, ab Eumolpo Thrace oriundi,) nec
B clarissimi majores quicquam profuere, quo minus pœnas daret, ut est apud Demosthenem contra Neæram differentem. Qui ibidem etiam exponit, quanto in discrimine fuerit Theogenes Rex IX-vir ob temere ductam conjugem Phanonem Neæræ filiam, dolo malo circumventus a Stephano, eamque imprudenter arcanis sacris pro populo celebrandis, quod Reginæ officium erat, admotam: cui imprudentiæ culpam suppliciter in Areopago deprecanti, & nihil dolo ab se factum demonstranti, Phanonemque uxorem statim ædibus suis expellenti ob simplicitatem ingenii vix sit a senatu ignotum. Quo
C directa quoque est tota oratio Lysiæ in Andocidem religionum contemptorem maximum, cujus in Alcibiade meminit Plutarchus, & in Historia sua Thucydides, licet nomen ejus silentio premat. Totus namque in eo est Lysias, ut contemptum religionum, quæ summa est impietas, crimen esse atrocissimum & capitis pœna dignum demonstret, & Andocidem ad IX-viratum adspirantem non solum repellendum, sed etiam e medio tollendum ostendat. Affirmat vero ex sententia Periclis quondam populum hac de re monentis, contra virum hujusmodi non solum legibus scriptis, sed etiam non scri-
D ptis secundum interpretationem Eumolpidarum esse utendum. Atque hujus quidem ejusdem criminis obtentu per pessimam calumniam ab æmulis oppressus innocentissimus Socrates Philosophus, aliter de divino numine ac vulgus superstitiosum sentiens, temere in Heliæa damnatus in carcere hausta cicuta mortem oppetiit. Erat enim populus Atticus mirifice superstitionibus deditus, ideoque multis post sæculis δεισιδαιμονέστερος ab Apostolo Paulo est nuncupatus. Qui in custodiam dabantur apud XI-viros, alii aliis arctius habebantur. Quidam enim sine aliis vinculis agebant solis parietibus clausi, quidam cippo seu compede vinciebantur, quam ποδοκάκην dice-
E bant. Ea lignum erat, in quod pedes captivorum inserebantur, ac vincti tenebantur in carcere, quinque, septem, decem dies, prout Judices æquum & justum esse pro vincti conditione & criminis modo statuebant, ut ex Demosthene & Lysia cognoscimus.

Ad rem militarem pertinebant leges hæ: *Si quis clypeum abjecerit aut amiserit in bello, drachmarum* D. *mulcta culpam luito.* Lysias in Theomnestea. *Quem ordinem quisque in militia sibi assignatum acceperit, eum teneto, nec pro arbitrio suo mutato: gravis armaturæ miles in equites se non transferto, & contra: qui ex gravi armatura ad ordinem equestrem*
F *injussus concesserit, infamia notator: non solum qui ex pugna fugiens ordinem deseruerit, sed etiam, qui cum miles scriptus in militia præsens esse debebat, absens esset.* Idem Lysias in oratione contra Alcibiadem.

Memoratu digna est lex funebris, quam posteritatis memoriæ conservavit Demosthenes contra Macartatum, latam olim a Solone: *Defunctum,* ait lex, *intus proponunto ut voluerint: efferunto autem postridie quam proposuere, ante Solis ortum: viri, cum effertur funus, antecedunto, mulieres sequuntor: mulieri fas non esto ingredi in bona defuncti, neque funus ejus,*

dum effertur ad sepulchrum, sequi, quæ sexagenaria minor sit, præterquam quæ intra consobrinarum liberos censentur: nec mulieri ulli in bona defuncti ingredi permittitor elato jam funere, nisi quæ propinquitatis gradu intra has consobrinarum filias sit. Græce sic: Τὸν ἀποθανόντα προτίθεσθαι ἔνδον, ὅπως ἂν βούλωνται. (perperam legitur in vulgatis editionibus βούληται.) ἐκφέρειν δὲ τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ ᾗ ἂν προθῶνται πρὶν ἥλιον ἐξέχειν. βαδίζειν δὲ τοὺς ἄνδρας πρόσθεν, ὅταν ἐκφέρωνται, τὰς δὲ γυναῖκας ὄπισθεν. γυναῖκα δὲ μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος, μηδ᾽ ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι ὅταν τὰ σήματα ἄγηται, ἐντὸς ἑξήκοντ᾽ ἐτῶν γεγονυῖαν, πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσι. μηδ᾽ εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος εἰσιέναι ἐπειδὰν ἐξενεχθῇ ὁ νέκυς γυναῖκα μηδεμίαν, πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσιν. Et mox subjicit velut interpretandi gratia Orator: *Non sinit ingredi* (inquit) *quo in loco fuerit is, qui obiit, ullam aliam mulierem, nisi propinquas usque ad consobrinitatem* (μέχρι ἀνεψιότητος:) *& ad sepulchrum usque sequi easdem illas sinit.* In more autem apud Athenienses & cæteros Græcos fuisse, mortuos lugere, & in luctu tonderi, & aliunde & ex oratione funebri Lysiæ satis constat. Quoniam vero negociationibus maritimis supra omnes generis Græci abundabat civitas Attica, variæ quoque leges latæ fuere, tum ad ordinem bonum in publicum usum civitatis commerciis hisce dandum, tum ad dirimendas controversias eorum, qui negociis hujus generis quoquo modo occupabantur, miscebanturque. Cujusmodi erant cives locupletes, nummis abundantes, qui domi quietem agentes, ut majoribus negociis illic vacantes, mercatoribus ad quæstum faciendum peregre navigaturis pecuniam cum conditione fœnebri mutuo dabant, quos δανείζοντας dicebant: mercatores, qui quæstus sui gratia regiones exteras maritimas ad merces exportandas, & importandas, emendas vendendasque petebant, vel sua pecunia, vel mutuo ab aliis accepta instructi, qui ἔμποροι aut δανειζόμενοι nuncupabantur, & si pecuniam mutuam acciperent, priusquam e portu solverent, certa lege per syngrapham se mutuantibus obligabant: erant etiam negociatores, qui in regionibus exteris mercandi vendendique ergo morabantur; item negociorum procuratores, qui aliorum nomine freti mandatis eorum negocia hujusmodi domi forisque curabant: erant navium magistri, qui naves suas, negotiationibus talibus factitandis, id est, mercibus & mercatoribus vectandis, una cum opera sua locabant, item navitæ, quorum copia ingens Athenis erat, institores, operæ mercenariæ. Quibus omnibus jus dicebant peculiares magistratus, ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου, ναυτοδίκαι, ἐπαγωγεῖς, & lites eorum majores ad tribunalia majora introducebant. In earum vero legum, quæ huc pertinebant, numero fuere illæ, quarum argumenta leguntur in orationibus *Demosthenis* in Lacritum, Phormionem, Apaturium, Zenothemidem, Dionysiodorum, Theocrinem scriptis. His sanciebatur, ne quis civis Atheniensis aut inquilinus Athenis domicilium habens frumentum peregre emptum (erat id frequens admodum negociationis genus per Hellespontum, Propontidem, Bosporum Thracium, maximeque Pontum Euxinum, cui latissimæ regiones frumenti feracissimæ adjacebant; itemque in Ægypto, Africa, Sicilia) alio quoquam veheret, quam in portus & mercatum Atheniensium, præsertim in annonæ difficultate: & contra facientibus gravissimæ pœnæ denunciabantur. Nec fas erat cuique Atheniensi, sive civi, sive inquilino, pecuniam in navem frumentariam Pontum aut plagas alias peti turam conferre, vectorive ejus mutuam dare vel fœnorare, quæ in alios portus quam Atticos frumentum esset deportatura. Si qui secus facerent, lege cautum erat, ne eis contra fraudatores domum re-

A versos, aut alio profectos daretur **actio**, **nec in res** ipsorum; pateretque accusatis contra eos actionem, judiciumque flagitantes exceptio præscriptiove. Idem de iis statutum, qui alibi quam Athenis, aut intra terminos mercatus Attici pecunias navigaturis concederent, neu in syngraphis diserte caverent, ne alio quam in portus Atticos naves cum mercibus pecunia mutuatitia aut fœnori data coemptis reducerentur, si per fortunam liceret: aut, si alibi id facerent, & in contractus syngraphis diserte non caverent, ne usquam alio quam in portus Atticos naves cum mercibus pecunia mutuatitia fœnorive data coemptis reducerentur, si per fortunam liceret.
B Qua eadem cautione etiam opus fuit, si maxime Athenis aut in earum mercatu res gereretur. At hæc qui rite observarent paciscerenturque, his leges jusserunt, contra debitores fraude grassantes, quod frequens erat, actiones dari, & secundum leges auxilia ferri, nec contra hos exceptionibus ad eludendas actiones locum concedi. Æquum enim ac justum, & reipublicæ necessarium censebatur, contra fraudatores succurri illis ex legum præscripto agentibus, quorum pecunia negociationes sustentarentur vigerentque, sine qua pecunia commercia maritima cum pernicie fortunæ publicæ concidere necessum
C esset. Erat autem in more positum, ut, qui pecunias suas mercatoribus aut navium magistris (nam & hi sæpe mercaturæ operam dabant) credebant, de fœnore, quod maritimum aut nauticum dicebatur, eratque ob pericula cætero fœnore majus, deque mercium genere, navigationis cursu & termino, & rebus aliis, cum iis paciscerentur, pactaque in syngraphas ab utraque parte signandas & apud amicum communem custodiæ gratia deponendas referrent: pignora insuper, si qua essent in rebus mutuo sumentium, libera, & aliis creditoribus haud obligata caperent, aut merces pecunia ista emptas pignorum loco haberent. Præterea lege sanctum e-
D rat, ut syngraphæ hujusmodi rite confectæ, quas contractus nautici maritimive syngraphas vocabant ratæ essent, pactaque his comprehensa valerent sine vitio, integreque servarentur. Usuras fœnebres ex pecunia tali & grandes fuisse ob pericula maris, id quod jam dixi, & nec certas, nec unius & ejusdem modi omnes, sed pro itineris marini temporisque ratione, & quemadmodum convenire inter se paciscentes poterant, variasse, ut per se verosimile est, ita ex syngrapa, cujus formulam velut naufragii tabulam *Demosthenes* in actione contra Lacritum nobis conservavit, maxime est conspicuum. Pericu-
E lum vero potissimum iis, qui pecuniam mutuo dabant, hinc existebat, quod omnibus hujus generis contractibus hæc conditio cohæreret, si forte naufragio res cum nave perire contingeret, ne pecuniam repetere, multo minus usuram aut fœnus ex ea poscere jus esset. Accedebat aliud, si in navigando ex decreto consensuque vectorum jacturam aliquam mercium facere, ad conservandas cum nave & vectoribus res reliquas tempestatis exortæ jus [1] cogeret, & si quid hostibus forte pendendum esset, tum ut liceret & jacturam illam, & quod hostibus expensum, in rationes inferre, & summæ debiti detrahere. Sed *Demosthenem* ipsum de his legibus disserentem
F audiamus: *Nostis profecto Judices,* (ait) *legem, quam ea severa sit, si quis Atheniensium alio quopiam quam Athenas frumentum vexerit, aut pecuniam mutuo dederit in alium mercatum, quam Atheniensium: quæ pœnæ de his sint constitutæ, quam magnæ, quam graves.* Et his partem verborum legis subjicit: Ἀργύριον δὲ μὴ ἐξεῖναι Ἀθηναίων, καὶ τῶν μετοίκων τῶν Ἀθήνησι μετοικούντων μηδενὶ, ὧν οὗτοι κύριοί εἰσιν, εἰς ναῦν, ἥτις ἂν μὴ μέλλῃ ἄξειν σῖτον Ἀθήναζε: καὶ τἄλλα τὰ γεγραμμένα περὶ ἑκάστου αὐτῶν. Ἐὰν δέ τις ἐκδῷ παρὰ

1. An *vis*.

ταῦτα, εἶναι τὴν φάσιν καὶ τὴν ἀπογραφὴν τοῦ ἀργυρίου πρὸς τοὺς ἐπιμελητάς, καθὰ περὶ τῆς νεὼς καὶ τοῦ σίτου εἴρηται. καὶ ταῦτα καὶ δίκη αὐτῷ μὴ ἔσω περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὃ ἂν ἐκδῷ ἄλλοσέ πῃ, ἢ Ἀθήναζε, μηδὲ ἀρχὴ εἰσαγέτω περὶ τούτου μηδεμία. Ὁ μὲν νόμος, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, οὕτω χαλεπός ἐστιν. Hactenus verba legis Demosthenis contra Lacritum. Quæ sic interpretatus est Hieron. Wolfius: *Argentum autem non liceat ulli Atheniensium, aut inquilinorum Athenis degentium, quorum hi sunt auctores,* (forte rectius, *qui in horum sunt potestate,*) *in navem, quæ frumentum Athenas vectura non sit: & cætera, quæ de singulis earum rerum scripta sunt. Sin aliquis mutuarit* (id est, *elocarit,* vel *fœnori dederit*) *eo nomine, & indicari & describi licere argentum apud curatores, quemadmodum de nave & frumento dictum est; pari ratione, & actio ei ne detur de argento, quod alio quopiam elocarit, quam Athenas, neque magistratus ullus de eo referat. Et lex quidem, Judices, tam severa est.* Idem Orator contra Phormionem, & cæteros, quos nominavi, exceptiones in his causis, ubi aut quando locum haberent, aut non haberent, prolixe exponit. Legibus vero contractus in syngrapha descriptis inhærendum utique fuisse, nec ab iis recedere mercatori navis aut magistro licuisse, ingerit & inculcat: in quo totus est in actionibus contra Lacritum & Dionysiodorum, & parte prima contra Phormionem. Severitatem judicii contra fraudatores demonstrat in peroratione ejusdem orationis contra Phormionem. Nam, *Vos,* inquit compellans Judices, *qui eum qui e mercatu magnam insuper pecuniam mutuatus fuerat, neque creditoribus pignora exhibuerat, capite condemnastis, delatum apud populum, eumque civem vestrum, & patris imperatorii filium. Putabatis enim, ab eo genere hominum non solum illos qui in eos incidissent, sed mercatum quoque vestrum lædi: merito. Quæstus enim mercatorum proficiscitur non a mutuo accipientibus, sed a mutuo dantibus.* (αἱ γὰρ ἐμπορίαι τοῖς ἐργαζομένοις οὐκ ἀπὸ τῶν δανειζομένων, ἀλλ ἀπὸ τῶν δανειζόντων εἰσί:) *Neque enim vel navis, vel nauclerus,* id est, navis dominus, *vel vector provehi potest, nisi sint, qui pecunias sufficiant. Leges igitur eis multa & præclara adjumenta præsto esse voluerunt: quæ vestrum est, Judices tueri, & improborum petulantiam coercere: ut mercatus quam maximo vobis sit emolumento. Quod fiet, si conservaveritis eos, qui sua aliorum dubiæ fidei committunt, nec siveritis a belluis talibus injuria affici.* Hactenus eo loco ille. Sed nihil magis illustrandæ toti huic rei de contractibus & usuris nauticis est, quam integra syngraphæ formula, cujus jam ante facta a me mentio est, quam Orator noster bis recitat, aut recitari in judicio curavit, iisdem quasi syllabarum apicibus in una eademque oratione scripta contra Lacritum: Potissima quippe momenta totius causæ ea ipsa continebantur. Quapropter operæ me pretium facturum existimo, si hanc quoque velut veram imaginem negociorum talium heic adscripsero, & oculis lectorum subjecero. Verba syngraphæ Græca hæc sunt: Ἐδάνεισεν Ἀνδροκλῆς Σφήττιος, καὶ Ναυκράτης Καρύστιος Ἀρτέμωνι καὶ Ἀπολλοδώρῳ Φασηλίταις ἀργυρίου τρισχιλίας δραχμὰς Ἀθήνηθεν εἰς Μένδην ἢ Σκιώνην, καὶ ἐντεῦθεν εἰς Βόσπορον. Ἐὰν δὲ βούλωνται τὴν ἐπ' ἀριστερὰ μέχρι Βορυσθένους, καὶ πάλιν Ἀθήναζε, ἐπὶ διακοσίαις εἰκοσιπέντε τὰς χιλίας. Ἐὰν δὲ μετ' Ἀρκτοῦρον ἐκπλεύσωσιν ἐκ τοῦ Πόντου ἐφ' ἱερὸν, ἐπὶ τριακοσίαις τὰς τρισχιλίας, ἐπὶ οἴνου κεραμίοις Μενδαίοις τρισχιλίοις, ὃς πλεύσεται ἐκ Μένδης ἢ Σκιώνης ἐν τῇ εἰκοσόρῳ, ἣν Ὑβλήσιος ναυκληρεῖ. ὑποτιθέασι δὲ ταῦτα οὐκ ὀφείλοντες ἐπὶ τούτοις ἄλλῳ οὐδενὶ οὐδὲν ἀργύριον, οὐδ' ἐπιδανείσονται. Καὶ ἀπάξουσι τὰ χρήματα τὰ ἐκ τοῦ οἴνου ἀντιφορτισθέντα, πάλιν Ἀθήναζε ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ ἅπαντα. σωθέντων δὲ τῶν χρημάτων Ἀθήναζε ἀποδώσουσιν οἱ δανεισάμενοι τοῖς δανείσασι τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν ἡμερῶν εἴκοσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἔλθωσιν Ἀθήναζε, ἐντελὲς· πλὴν ἐκβολῆς, ἣν ἂν οἱ σύμπλοι ψηφισάμενοι κοινῇ ἐκβάλωνται. καὶ ἄν τι πολεμίοις ἀποτίσωσι, τῶν ἄλλων ἁπάντων, ἐντελές· καὶ παρέξουσι τοῖς δανείσασι τὴν ὑποθήκην ἀνέπαφον κρατεῖν, ἕως ἂν ἀποδῶσι γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφήν· ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν ἐν τῷ συγκειμένῳ χρόνῳ τὰ ὑποκείμενα, τοῖς δανείσασιν ἐξέστω ὑποθεῖναι καὶ ἀποδόσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς. Καὶ ἐάν τι ἐλλείπῃ τοῦ ἀργυρίου, ὃ δεῖ γενέσθαι τοῖς δανείσασι κατὰ τὴν συγγραφὴν, κατὰ Ἀρτέμωνος καὶ Ἀπολλοδώρου ἔστω ἡ πρᾶξις τοῖς δανείσασι. καὶ ἐκ τῶν τούτων ἁπάντων καὶ ἐγγείων, καὶ ναυτικῶν πανταχοῦ, ὅπου ἂν ὦσι, καθάπερ δίκην ὠφληκότων καὶ ὑπερημέρων ὄντων· καὶ ἑνὶ ἑκατέρῳ τῶν δανεισάντων, καὶ ἀμφοτέροις. Ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσι μείναντες ἐπὶ κυνὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλλησπόντῳ, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σῦλα ὦσιν Ἀθηναίοις, καὶ ἐντεῦθεν καταπλεύσαντες Ἀθήναζε, τοὺς τόκους ἀποδιδόντων τοὺς πέρυσι γραφέντας εἰς τὴν συγγραφήν. Ἐὰν δέ τι ἡ ναῦς πάθῃ ἀνήκεστον, ἐν ᾗ ἂν πλέῃ τὰ χρήματα, σωτηρία ἔστω τῶν ὑποκειμένων. τὰ δὲ περὶ γενόμενα, κοινὰ ἔστω τοῖς δανείσασι. Κυριώτερον δὲ περὶ τούτων ἄλλο μηδὲν εἶναι τῆς συγγραφῆς. Wolfius Latine sic reddidit: *Mutuarunt Androcles Sphettius & Naucrates Carystius Artemoni & Apollodoro Phaselitis argenti ter mille drachmas Athenis Menden usque, aut Scionem, & inde Bosporum. Quod si voluerint in sinistra ora usque ad Borysthenem, & rursum Athenas, ducenis vicenis quinis millenas: sin post Arcturum solverint, e Ponto templum Argonautarum petituri, trecentis eas ter mille drachmas, vini amphoris Mendeis pignori oppositis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione, in navi XX. remorum, quæ est Hyblesii navicularii. Oppignerant autem id vinum, non debentes propterea cuiquam quicquam argenti, neque ad id mutuabuntur: & evehent merces, vini precio coemptas, rursus Athenas in eadem navi omnes. Perductis autem Athenas mercibus, reddent debitoribus creditoribus argentum, quantum debetur ex syngrapha, intra vigesimum, ex quo Athenas venerint, diem, integrum: excepta jactura, si quam vectores de communi decreto fecerint, & si quid hostibus pependerint. Quod ad cætera attinet omnia, integrum esto:* & *exhibebunt pignus creditoribus liberum & immune, donec sortem cum usuris reddiderint ex syngrapha. Nisi autem ad dictum diem solverint, pignora creditoribus oppignerare & vendere tanti liceat, quanti sunt. Quod si quid argenti creditoribus ex syngrapha reddendi defuerit, exigere liceat creditoribus ab Apollodoro & Artemone, & omnia eorum bona tam terrestria quam nautica ubique gentium, ubi ea fuerint, pignerari, perinde ac si judicio victi judicatum non solvissent, tam alterutri creditorum quam utrique. Sin non onerarint, decemque dies post Caniculam in Hellesponto manserint, atque exoneraverint, ubi Atheniensibus pignora capere non licet etiam inde reversi Athenas, usuras reddant, anno superiore tabulis inscriptas. Sin quid navi gravius acciderit, in qua vehentur merces, pignora salva sint: quæ superfuerint, communia sunto creditoribus. Et in his rebus nihil plus valeat hac syngraba.* Huic syngraphæ scribendæ testes, adfuere Phormio Piræensis, Cephisodorus Bœotius, Heliodorus Pitthensis. Deposita fuit apud Archenomidem Anagyrasium, ut ipse in judicio est testatus. Ea fretus ille, in cujus gratiam *Demosthenes* orationem hanc scripsit, Lacritum fratrem & hæredem Artemonis, & contractus hujusce conciliatorem præcipuum, & fraternæ fidei sponsorem, tum vero debitum defuncti, cujus hæreditatem tenebat, solvere recusantem, & effugia varia quærentem in jus vocavit, hominem, ut Orator eum describit, iniquum, versipellem, eloquentiæ suæ fidentem, discipulum Isocratis Rhetoris celeberrimi. Verum nullis repagulis comprimi libido fallendi potuit, quominus iret quo vellet. Comminiscebantur homines fraudentuli varios dolos, ut pecunias aliorum fidei suæ commissas prætextu calamitatis alicujus, aut fraudis sibi ab aliis factæ, in se verterent, & specie quadam juris, aut æqui & boni, creditores suos fortunis exuebant, iisque sese locupletabant. Detestandæ artes, hodie

quoque in scena mercatorum exultantes. Quibus si frenum lege & potestate publica injiceretur, minus magnorum furtorum fieret, & rectius fidei contractuum & commerciorum consuleretur. Sed longius heic eo, quam instituti mei ratio poscit. Itaque recipio me. Ad contractuum fidem & fori usum sponsiones quoque recte referuntur: de quibus lex erat Athenis, *ut eæ ratæ essent, sponsores tenerentur præstare, quæ spoponderant, si deficeret fides eorum, pro quibus fidem interposuerant suam*. Sed addita legi conditio fuit, *ne sponsiones diutius anno valerent*. Qua conditione consultum sponsoribus voluisse Legislator videtur, ne dum prodesse aliis rogati vellent, sibi ipsis, & suis, quod perpetuis sponsionibus frequenter accidit, late obessent, & inextricabilibus incommodis & detrimentis implicarent ac immergerent. Nec tamen in eos, qui sponsionem accipiebant, ullo modo injurius fuit, cum ii legem nossent, & lege ipsa monerentur, ut in tempore urgendo negocia sua, & debitores sponsoresque compellando rebus suis consulerent. Hactenus de legibus Atticis. Quibus describendis sub finem belli Peloponnesiaci delecti sunt viri aliquot, & addita iis quædam dignitas, ut magistratus speciem habere viderentur, tempusque præfixum, ut quadrimestri spacio rem absolverent. In his fuit Nicomachus quidam, cujus pater servus publicus fuerat: ipse autem libertate donatus in album civium erat relatus, & faciendo scripto annos juventutis exegerat, tum vero leges Solonis transcribendas in mundum acceperat. Verum accidit ei, quod solet plerunque his, qui ex humillima atque abjectissima fortuna ope gratiæ alienæ ad dignitatem aliquam subito præter meritum suum evehuntur: quos videas inflatos animis intumescere, & insolentes fieri, & supra leges se putare, despicere alios, & meliorum se contumeliis gaudere, prorsum oblitos fortunæ prioris. Nam hic beneficio populi & munere sibi demandato nequiter abutens non tam describendis quam vitiandis legibus Solonis se dedit, & accepta pecunia pravorum cupidini serviit, munusque invitis magistratibus aliis in annos aliquot ultra præfixum tempus extendit, & pro Scriba Legislatorem se tulit. Quotidie, inquit Lysias, argento accepto alias leges tabulis inscripsit, alias delevit, eoque redacti fuimus, ut ex manibus ejus tanquam legum custodis leges depromeremus, & qui judicio contendebant, contrarias leges producerent, quas utrique a Nicomacho accepisse se affirmabant. Quinetiam poscentibus Archontibus leges tradere renuit, nec ad reddendas administrati muneris sui rationes, fretus quorundam potentum gratia, adigi diu potuit: denique ad popularem statum, & XXX. tyrannos reipublicæ imponendos viam stravit, homo nequissimus: quanquam ipse regnantibus tyrannis, metuens odium quorumdam eorum, in exilium iverit. Reversus autem cum exulibus cæteris in urbem, destructo jam tyrannorum imperio, & oblivione injuriarum priorum promulgata, cum animum pravum exuere non posset, ac denuo in leges peccaret, ab iis, qui reipublicæ bene volebant, capitis accusatus fuit: quorum uni orationem scripsit Lysias, ex qua hæc omnia sunt depromta. Eventus judicii nobis ignotus.

Ut vero apud Romanos leges XII. tabularum, & quæ iis vetustiores fuere, quæque proxime secutæ sunt, prisco sermone latino, abhorrente ab elegantia sæculorum posteriorum, scriptæ fuere, quod aliis in gentibus quoque accidit; ita Draconis & Solonis leges Athenis non ea sermonis forma conceptas fuisse, quæ politioribus temporibus Thucydidis, Xenophontis, Demosthenis, Platonis, Aristotelis in usu erat, dubium esse nequit, & ostendit id Orator Lysias in actionibus contra Theomnestum, hominem vetusti istius sermonis non satis gnarum.

Porro civitatis Atticæ status popularis post XXX. tyrannos eversos incolumis stetit usque ad mortem Alexandri Magni, per annos quasi LXXX. Eo Babylone defuncto cum Antipater Macedoniæ præfectus exules Athenas & in alias urbes Græciæ reducere pararet, id quod Alexander ipse, si vixisset, facere constituerat, bellum contra eum ab Atheniensibus & sociis motum: quo primum victus in Thessalia, deinde auxiliis a Cratero acceptis victor, cæso cum exercitu Leosthene Duce Attico ad Lamiam urbem, belli vim in Athenienses recenti clade perculsos convertit, ipsas Athenas obsedit, & in eas angustias redegit, ut se certis legibus dedere cogerentur. Leges dictæ, ut dimisso statu populari pauciorum imperio civitas regeretur, quorum census non minor esset bis mille drachmis, & præsidium Macedonum ad avertendos vulgi motus in arce Munychia, quæ inter Piræum & Phalerum media est cum portu ad mare sita, urbique Atticæ proxima, reciperetur. Ita urbis imperium summum ab universa civium multitudine ad ditiores numero novies mille, qui tantum in censu habebant, devenit. Reliquus ordo magistratuum, senatus utriusque & judiciorum civitati relictus. Sed imperatum, ut Oratores rebus Macedonicis infesti Antipatro traderentur. Quorum Principes Demosthenes & Hyperides sibi metuentes in fugam se dederunt. Hyperides in Ægina cum aliis interceptus, & e templo abreptus ductusque Corinthum ad Antipatrum crudeliter ab eo habitus & interemptus est. Demosthenes in insula Calauria ad aram Neptuni sedens, ne in manus Macedonum deveniret, hausto veneno semet peremit. Quadriennio post extincto Antipatro, & diffidentibus inter se Cassandro Antipatri filio, & Polyperchonte, quem Antipater successorem sibi in Præfectura Macedoniæ ediderat; fluctuavit rursum status Atheniensium. Nam ob Polyperchontem, qui libertatis Græcorum patronum se profitebatur, præsidiaque locis munitis educi per edictum præcipiebat, populares in urbe animos erexerunt: cæteri in Cassandrum Munychiam præsidio tenentem respiciebant. Interea Nicanor Munychiæ pro Cassandro præfectus, populo poscente, ut præsidium inde abduceret, non solum id non fecit, sed Piræum quoque furtim occupavit: quod toti civitati fuit adversum. Sed Alexandro Polyperchontis filio cum exercitu in Atticam veniente, & ad ferendam opem civitati contra Cassandrum venire se jactante, quanquam aliud animo jam tum volveret, populares commoti rempublicam invaserunt, & magistratibus omnibus abdicatis quos Optimates designaverant, loco eorum alios in partibus popularium ferventissimos crearunt, abdicatos ob studium Oligarchiæ partim exilio, partim bonorum publicatione, partim etiam morte mulctarunt. Qui incolumi vita evaserunt, ad Alexandrum Polyperchontis filium confugerunt. Pars utraque per litteras & legatos Polyperchontem sollicitarunt alii salutem, alii restitutionem Munychiæ cum promissa libertate rogantes. Is autem suam rem agens de redigendo in potestatem Piræo consilia versabat: advolansque repente cum copiis ex Phodice in Atticam ad filium, Piræum cum Cassandro (hic enim istuc ingressus erat) obsedit, relictoque ad urgendam obsidionem filio, in Peloponnesum contra Megalopolitanos Cassandro adhærentes festinus abiit. Priusquam vero abiret, eos, qui ad filium confugerant, a populari factione dissentientes, ut populo gratificaretur, vinctos & curribus impositos in urbem misit, quorum Princeps erat Phocion vir optimus, sed nimiæ plebis potentiæ semper adversatus, quique sub Antipatro clavum reipublicæ tenuerat. Eos omnes ad tribunal raptos populus capitis damnavit, occidit

itque. Cassander digresso Polyperchonte, obsidione soluta, munitis in Attica locis occupatis, Æginam partibus suis adjunxit, Salaminem obsedit, Athenienses frustra conatos præsidia cervicibus suis depellere eo necessitatis adegit, ut pacisci cum ipso ad obtinendam pacem cogerentur. Pax ita convenit, ut urbem, agrum, vectigalia, cæteraque omnia populus teneret, ac socius Cassandri esset, eique Munychiam relinqueret: plebeii, qui infra X. minarum censum haberent, a gerenda republica abstinerent; summus reipublicæ & civitatis curator is esset, quem ex civium numero Cassander esset designaturus. Is designavit Demetrium Phalereum Phanostrati filium, virum litteris insigniter politum & celebrem, sed populari libertati minus æquum, & Macedonicarum partium plus satis, ut judicabant plerique, studiosum; licet alii aliter de eo sentirent, & laudem prudentiæ ac moderationis ei tribuerent, censerentque, non ad subruendam populi libertatem, sed ad eam corrigendam & firmandam studia eum sua semper retulisse; quod & *Strabo* indicat, & significat, commentarios eum de republica Attica a se scriptos posteris reliquisse, & fuisse Theophrasti Philosophi viri integerrimi familiarem. Eo statu apud Athenienses durante, Cassander occupata Macedonia domum Alexandri evertit, Thebas ab Alexandro excisas instauravit juvantibus Atheniensibus, præsidium Cadmeæ arci Thebanæ imposuit, Cassandream urbem, ubi quondam Iolcus steterat, in Macedoniæ litore condidit. Deinde anno a morte Antipatri septimo, ingens rursum rerum conversio facta. Antigonus enim Asiæ præses missis cum exercitu Ducibus suis in Atticam, vulgavit, civitates Græciæ in libertatem se vindicaturum, eoque ipso Athenienses ita animavit, castris urbi eorum admotis, ut motu civili concitato Demetrium Phalereum relicta Cassandri factione in Antigoni partes concedere compellerent. Mox Cadmea quoque ab iisdem Antigoni Ducibus capta, dejectoque Cassandri præsidio Thebæ liberæ dimissæ. Verum anno sequente, fœdere inter Cassandrum, Antigonum, Ptolemæum, Lysimachum inito, Cassandri partes alas rursum moverunt, atque ita Demetrius Phalereus locum priorem apud Athenienses recuperavit. Nec tamen id diutius quadriennio duravit. Nam inter potentiæ suæ augendæ avidos Principes infida societas cum esset, Antigoni filius Demetrius, qui postea Poliorcetes est dictus, a patre adjutus ex Asia transmisso mari Athenas inopinus appulit, Munychiam & Piræum cepit præsidiis dejectis, Demetrium Phalereum urbe expulit, civitati Atticæ veterem libertatem, & priscarum legum usum restituit: vicissimque ipse cum patre immodicis honoribus a civitate cultus fuit, uterque Rex appellatus, quod ad id usque tempus apud Macedones omnino insolitum, imo abominabile fuerat; ambo quoque Servatorum nomine affecti, iisque ipsis velut Diis sacerdos designatus, decretumque, ut sacerdotis hujus nomine & anni, & actis omnibus publicis ac privatis loco Archontis ἐπωνύμου signarentur; ad hæc duæ Tribus eorum nominibus vocatæ: senatus quingentorum in gratiam ipsorum adjectis centenis sexcentorum factus: statuæ Demetrii Phalerei, quæ erant plures quam trecentæ, subversæ, Lycurgo autem Oratori viro populari honores decreti, Dinarchus Demosthenis quondam æmulus & obtrectator maximus ex urbe fugere coactus. Post hæc Rhodiis longo bello a Demetrio fractis, & Cassandro Athenas rursum premente, Demetrius rogatus in auxilium Atheniensibus venit, Cassandrum terra Attica ejecit, rursumque novis ac immodicis honoribus a civitate cumulatus fuit. Deinde in Peloponnesum profectus magna ex parte dominatu Cassandri eam etiam liberavit. Tum Cassander in angustias consilii redactus cum iis, qui ex Alexandri Magni cohorte veterani Duces supererant, Ptolemæo in Ægypto, Seleuco in Syria & Oriente, Lysimacho in Thracia diademate sumpto regnantibus, apud quos ob supplementa exercituum, quæ ex Macedonia petebantur, non parum gratia valebat, contra Antigonum, ejusque filium Demetrium fœdus conflavit. Quo conflato viribusque conjunctis ingens prœlium in Asia commissum, quo Antigonus victus & eversus, Demetrius vix fuga servatus fuit. Atque hic e clade elapsus recta Athenas velut in portum tutum & fidum contendit. At Athenienses (vide populi levitatem & inconstantiam) ad fortunæ motum se quoque moventes, & velut priorum omnium immemores, per legatos obviam missos eum monuerunt, ne ad urbem accederet: decrevisse enim populum, neminem Regum in urbem admittere. Demetrius igitur tacite secum fremens, sed iram, quia sic præsens fortuna poscebat, strenue dissimulans, imo benevolentiam præ se ferens, recepta hoc modo ab Atheniensibus classe sua, quam in portu Piræo habebat, ad Isthmum subito se contulit, atque ibi comperit, omnes, qui tum in Peloponneso, tum in reliqua Græcia & regionibus aliis, partium ipsius fuerant, nulla vi adactos, ultro ad hostes deficere. Itaque velut desertus ab omni fortuna cum desperatione aliquandiu luctatus, tandem recollecto ex consternatione animo in Lysimachum, quem & infensissimum sibi, & ob insignem arrogantiam cæteris Regibus invisum esse norat, se movit, ac in Cherronesum Thraciam classem appellens, exscensione illic facta, & proximis quibusque vi, metu, suada sibi adjunctis, copias haud parvas reparavit. Mox accessit & fortuna alia inopina. Nam Seleucus filiam ejus, quam insigni forma ac morum gratia habebat, ultro nuptiis expetivit, eaque promptissima voluntate parentis accepta, novus gener cum filia Ptolemæi Ægyptii socero conjugium conciliavit. Qua gemina affinitate jam fultus Demetrius in spes magnas animum rursus erexit. Erat eo tempore Athenis Leochares gratia & opibus inter populares potens: qui occulte persuasus a Cassandro, commota seditione tyrannidem ibidem invasit, eaque aspere admodum, & crudeliter est usus: utque omnes metu oppressos tenuit, ita odium quoque omnium in se vertit. Hac occasione Demetrius, monitus præsertim ab amicis, ad recuperandas Athenas animum intendit, itinereque istuc converso, quamvis adversa tempestate in mari non procul terra Attica turbatus, multis navibus & viris amissis tamen animum non despondit, sed velut aliud agens, dum reparatur classis, & militum numerus instauratur, in Peloponnesum se intulit, atque illic in oppugnanda Messene gravi vulnere in facie læsus, atque ex vulnere restitutus in Atticam exercitum repente duxit. Ibi occupatis celeriter locis aliquot munitis, in primis Eleusine & Rhamnunte, & classe ad litora adducta totam regionem infestam habuit, Athenasque ipsas in extremas redegit angustias, ac demum dira fame domitas deditionem facere coegit, tyranno fuga elapso in Bœotiam, ibique paulo post interempto. Ipse in urbem ingressus, tremente & pœnas metuente tota civitate, clementer victoria est usus. Piræo tantum & Munychiæ, & in ipsa urbe Museo, loco arci vicino, & locis Atticæ aliis præsidia imposuit; populo fame fracto decies mille medimnos frumenti dono dedit, usumque legum patriarum, & magistratus pristinos restituit. Non diu post, defuncto in Macedonia Cassandro, deinde filiorum ejus natu maximo Philippo, qui patri successerat, e vivis sublato, reliqui inter se de regno decertantes Demetrium eodem attraxerunt. Is postremo filiorum

ejusce Alexandro, a quo evocatus erat, ob insidias sibi paratas, ut ajebat, interempto, Macedoniæ Regem sese constituit. Hoc incremento fortunæ firmatus, multa pro arbitrio suo egit in Græcia toto septennio sequente. Quo exacto, in invidiam Regum aliorum, & suspicionem consiliorum de recuperando imperio in Asia, quod pater tenuerat, incurrit; quod novo ei exitio fuit. Nam inita inter illos conjuratione a Lysimacho & Pyrrho Epirota, qui vicini erant, conjunctis armis Macedonia exutus est. Quam occasionem speculati Athenienses præsidia omnia Demetrii a cervicibus suis quoque depulerunt, seque in integram libertatem asseruerunt: sacerdote Servatorum abdicato, pristinum locum ac jus Archonti Eponymo reddiderunt. Qua re sibi nunciata Demetrius, qui tum Thebis magno a se beneficio recens affectis morabatur, vehemente ira percitus, collectis subito copiarum suarum & classis reliquiis ad obsidendas terra marique Athenas festinavit; sed exoratus a Cratete Philosopho, legato ad se ab obsessis misso, ut erat natura facilis, soluta obsidione liberas eas reliquit, & ad alia majora se accinxit, ut de inimicis pœnas sumeret. Cumque de recuperanda Macedonia, quam alii atque alii Reges mirabili fortunæ vicissitudine raptabant, tum temporis desperaret, in Asiam contendit contra Lysimachum & cæteros conjuratos. Sed ibi variis casibus jactatus, jam victor, jam victus, tandem ab omni fortuna desertus, ac rebus adversis circumventus, captivus in manus Seleuci generi sui incidit, in ejusque custodia diuturna ultimum vitæ diem clausit. Post cujus obitum filius ipsius Antigonus Gonatas tandem Macedoniæ regnum recuperavit. Interim Athenæ libertate fruentes quietæ fuere usque ad annum regni hujus Gonatæ decimum nonum, qui tertius fuit Olympiadis centesimæ vigesimæ nonæ, a morte Alexandri Magni sexagesimus primus. Eo anno fluente Antigonus Rex, altera victoria ingente ex Gallis regnum suum turbantibus elatus, recordatus eorum, quæ Athenienses in patrem suum deliquerant, comparatis ingentibus armatorum copiis, urbem eorum terra marique obsedit, nec ante finem ejus fecit, quam Athenas sese dedere compulisset, frustra auxiliis a Ptolemæo Ægypti Rege & civitate Spartana contra obsidentem ad sublevandos obsessos submissis. Tum rursus, libertate reliqua incolumi, præsidium Macedonicum urbi impositum. Quod licet decennio post eodem permittente Rege inde amotum fuit, tamen urbs in clientela Macedonum mansit, & eorum partibus adhæsit, quandiu Antigonus vixit, (vixit autem post id tempus annos quasi XVII.) & post eum Demetrius ejus filius, qui regnavit annos X. Retinebant enim in potestate sua, Macedones Piræum, Munychiam, Salaminem, Sunium, & Atticæ quædam loca alia, quibus velut cincta civitas commovere se non poterat; imo partium Macedonicarum studium singulare præ se ferre necessum habebat. Verum extincto Demetrio, cum Macedoniæ jam præsideret Antigonus cognomento Δώσων, prioris ex filio notho nepos, a diuturno Macedonum jugo per Aratum Sicyonium Athenæ in libertatem integram rursus tandem sunt assertæ. Aratus quippe Achæorum Princeps totius Græciæ liberandæ percupidus, jamdudum vivente adhuc Gonata Rege, Piræo & Munychia dejicere Macedonas aliquoties conatus fuerat, conatuque semper frustratus, denuo regnante Demetrio Gonatæ filio rem eandem tentaverat, semel etiam tempore Antigoni in festino receptu crus suum fregerat. Sub Demetrio vero in prœlio ad Phylaciam victus a Bitho regio Duce res memorabilis accidit. Nam fama percrebuit, in conflictu aut captum ab hoste esse, aut cæsum occubuisse. Quapropter Diogenes, qui nomine Demetrii Piræum præsidio tenebat, ilico literas Corinthum misit, significans, Aratum, qui urbem illam ante aliquot annos Macedonibus ademerat, periisse; idcirco bene facturos cives, si Achæos urbe sua nunc expellerent. Sed aderat forte eodem tempore Corinthi ipse Aratus, vanitatemque nuncii ac moniti præsentia sua refutavit: & tabellarius, qui literas attulerat, ludibrio acceptus & derisus ad Diogenem suum rediit. Rex quoque eadem fama persuasus navem ex Macedonia in Græciam misit, qua Aratus vinctus in Macedoniam veheretur. Sed indignissimum fuit, quod tum temporis ab Atheniensibus est commissum. Nam Macedonum gratiam captantes pro levitate ingenii sui, perlata in urbem fama de Arati interitu, coronas sumpserunt, quod non nisi in magna lætitia fieri moris erat. Quo audito in iram commotus Aratus sine mora cum copiis, quas paratas habebat, in Atticam contendit, & obvia vastans ad Academiam usque pervasit; sed consiliis suorum cedens, & precibus sapientiorum civium victus sine maleficio ulteriore pedem retulit. Quam virtutem populus admiratus, ob eamque in venerationem ejus versus, extincto paulo post Demetrio Rege, cum sub pupillo Philippo, & tutore ejus Antigono Dosonte res Macedonicæ vacillare viderentur, in spem recuperandæ libertatis erectus Aratum evocavit. Hic quamquam ex morbo infirmus tum esset, & praeturam non gereret, tamen studio asserendæ in libertatem Græciæ, abjecta memoria contumeliæ prioris lectica vectus Athenas properavit, annixusque Diogeni Macedonici præsidii præfecto, ut acceptis CL. talentis, Piræum, Munychiam, Salaminem, Sunium, abducto milite præsidiario Atheniensibus traderet. In quam rem pecunia quoque sua Athenienses adjuvit. Ita suo juri, & pristinæ libertati, beneficio Arati redditæ Athenæ. Quod magno emolumento societati Achaicæ fuit. Nam exemplo Atheniensium moti vicini Æginetæ, & cum his Hermionenses, qui sunt in proximo litore Argivo, a Macedonibus recesserunt, & Achæis se adjunxere: idemque paulo post fecere bona pars Arcadum; denique hac liberatione Athenarum velut fores augendæ reipublicæ suæ Achæis sunt apertæ, ut docet nos in Arato Plutarchus, cui uni hanc Historiam liberatarum hoc modo Athenarum debemus. Accidit hoc fluente Olympiade CXXXVI. cujus initio mortuus est Demetrius Macedoniæ Rex, relicto impubere filio Philippo: annus certus nusquam notatus est. Ab hoc vero tempore perstitit in libertate civitas Attica, nequicquam frementibus Macedonibus, & sub finem belli Punici secundi composito primo bello inter Romanos & Philippum Macedonem, cum multis aliis fœderi adscripta a Romanis est, P. Corn. Scipione, P. Licinio Crasso Consulibus, anno urbis Romæ DL. qui concurrit cum Olympiadis CXLIII. anno quarto jam vergente. Rursum vero a Philippo acri bello petita quadriennio post, & in ipsa porta magna vi oppugnata, sed irrito conatu, juvantibus eam sociis Attalo Rege Asiæ & Rhodiis; instauratoque a Philippo conatu ager Atticus evastatus. Verum cum Romani cum sociis totis viribus Philippo incumberent, tandem hic armis fractus, Duce T. Quintio Flaminino, pacem petere & omnes Græciæ urbes quas tenebat, liberas dimittere coactus fuit. Ita Corinthus quoque, quam Philippi antecessor Antigonus Cleomene Rege Lacedæmonio debellato qui eam Achæis ademerat, Macedonibus rursum subjecerat, societati Achaicæ reddita: Chalcis cum reliqua Eubœa, multæque civitates aliæ jugo Macedonico exemptæ. Athenæ honoratissimæ inter civitates Græcas, & sui plane juris sociæ & amicæ Romanorum audierunt: atque ita ad bel-

lum usque Mithridaticum sine motu ac mutatione pervenere, licet novæ constitutionis aliquid, deleta Corintho, & Achaia Romanorum provincia facta, a Romanis accepisse, verba quædam Appiani in rebus a Sylla gestis significare videantur: quæ verba postea loco magis commodo recitabo. Sed quicquid id fuit, sine diminutione libertatis & *αὐτονομίας* fuit. Bello autem Mithridatico cum opera Aristionis Philosophi Epicurei, qui pecunia a Ducibus Mithridatis accepta fretus, tyrannum se urbi imposuerat, blanditiis ac ostentata beneficentia Regis ipsius pellectæ, nimis facile relicta Romanorum societate in partes regias se contulissent, & pertinacius quam ulla aliarum Græciæ urbium iisdem inhærerent, obsiderique & oppugnari se sinerent, expugnatæ a Sylla Romanorum Imperatore ingentem cladem acceperunt. Nam præter gravissimam famem, qua ad esum carnium humanarum deventum esse *Appianus* affirmat, in expugnatione multo maxima pars civium ab irato victore trucidata est, cædesque sine discrimine sexus & ætatis late grassata, ut plurimi vici, aliaque urbis loca sanguine humano maderent; magnus quoque numerus ex desperatione manibus in se versis confectus, mœnia multis in locis solo æquata, Piræum ingenti labore captum, post hominum stragem penitus vastatum, nullique operi, non navalibus non armamentario parsum, quæ ignis injectus consumere non potuit, machinis & manibus militum diruta; qui magistratum aliquem in urbe gesserant, aut quicquam contra instituta Romana commiserant, cum Aristione tyranno & toto satellitio ejus, arce dedita, in quam confugerant, suppliciis affecti. Urbs tota direptioni militum permissa: ædificia tantum ejus, & opera alia conservata. Servi omnes sub corona venditi, reliquiis civium, qui cædi nocturnæ (noctu enim urbs expugnata) supererant, libertas concessa, sed jus suffragiorum & sciscendorum decretorum ademptum: id vero liberis eorum relictum. Discedens victor, civitati ter miseræ & pene desolatæ leges easdem ferme quas prius a Romanis (finito scilicet bello Achaico) acceperant, reddidit: aurum vero & argentum, quod erat in arce, sustulit. Appiani verba, quorum mentionem feci, hæc sunt: *Καὶ ὁ Σύλλας Ἀριςίωνα μὲν, καὶ τοὺς ἐκείνῳ δορυφορήσαντας, ἢ ἀρχήν τινα ἄρξαντας, ἢ ὁποιοῦν ἄλλο πράξαντας, παρ' ἃ πρότερον ἁλούσης τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ Ῥωμαίων αὐτοῖς διετέτακτο, ἐκόλασε θανάτῳ. τοῖς δὲ ἄλλοις συνέγνω, καὶ νόμους ἔθηκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὁρισθέντων.* Datum hoc postremum venerandæ memoriæ majorum, & precibus exulum genibus Syllæ advolutorum. Reliqua castigatio nimis aspera ac vere Syllana. De qua recte usurpari illud potuit, quod de proscriptione non multo post Romæ ab eodem instituta cecinit Poeta Lucanus, *Excessit medicina modum*. Sed & ex hac clade emersit rursum civitas, sublevata benevolentia Romanorum post Syllæ mortem, quibus asperitas istius displicebat: præsertim illorum, quibus curæ elegantiores literæ erant, & quos veterum Atheniensium gloria commovebat. Quapropter multi quoque Romanorum libenter illic commorabantur, ut velut in ipsa optimarum artium sede culturam ingenii caperent, & inter monumenta clarissimorum virorum ac rerum ab ipsis gestarum præsentes versarentur. C. etiam Cæsar Dictator, cum quo Romana libertas concidit, ignovit iis, quanquam contra ipsum pro Pompejo bello civili stetisset, hoc solum in eos dicens, *servari Athenienses a mortuis*, hoc est, veniam iis dari ob memoriam majorum. Cæsare autem Romæ in curia a conjuratis occiso, cum Brutus & Cassius principes conjuratorum Italia cedentes Athenas venissent, ab Atheniensibus libertatis amantissimis honoris ergo

A statuæ iis ex ære velut tyrannicidis juxta Harmodii & Aristogitonis statuas positæ fuere. Quod vehementer momordit Cæsarem Octavianum vindicem cædis istius, & cæsi hæredem. Antonium vero pro vanitate & inconstantia ingenii ipsius, quamvis & ipse ultorem se cædis Cæsarianæ profiteretur & auctoribus ejus infestus esset quam maxime, minus commovit. Is enim debellatis ad Philippos Bruto & Cassio, & Octaviano Cæsare a victoria statim in Italiam profecto, in Græciam se cum contulisset, huc studia sua retulit, ut gratiam & amorem ejus gentis, in primis vero civitatis Atticæ in se verteret. Athenis igitur commoratus aliquandiu, priusquam
B in Asiam ad conficienda tributa transiret, ad demerendos civitatis animos nihil omisit, quod istuc quoquo modo pertinere putaret, benignus, affabilis, facilis, in theatris & Philosophorum scholis frequens, munificus; insulas aliquot, & in his Ceam, Sciathum, Peparethum, ipsamque adeo Æginam reipublicæ largitus: ipse vicissim summis honoribus a civitate cumulatus. Et post id tempus, quoties res ferret, sive in Asiam, Syriam, Ægyptum, Armeniam & reliquas orientis regiones tenderet, sive inde reverteretur, id quod fiebat frequenter, Athenis
C ut plurimum hyemabat; & majestate imperii seposita ad tempus, veste, comitatu, moribus quasi civis Atticus inter cives versabatur, omnibusque familiarem se dabat, reipublicæ quoque munera nonnunquam gerebat, eoque honore velut gaudere videbatur. Et accidit aliquando, cum esset Antonius Athenis, & secum duceret Cleopatram suam, arma æmulo suo Cæsari Octaviano illaturus, intereaque dum bello necessaria pararentur, more suo ludis & theatris se daret, accidit, inquam, ut Cleopatra cognoscens maximis honoribus Octaviam Antonii conjugem ab Atheniensibus non multo ante cultam fuisse, ostenderet, pares honores se quoque ab
D iis desiderare. Cumque in gratiam Antonii, cujus mentem bene norat, honores illi eosdem civitas decrevisset, legatosque, qui decretum illi adferrent, domum ejus mitteret, ipse Antonius, ut affirmat *Plutarchus*, inter eos esse voluit, utpote qui civis Atticus esset, idemque coram Regina stans nomine civitatis verba ad eam fecit, *δρᾶμα* sane risu dignum. Verum haud diu post victus ad Actium, fugaque elapsus cum Cleopatra, & in Ægyptum reversus, deficientibus amicis de fortuna jam desperans legatos ex voluntate Cleopatræ misit ad Cæsarem victorem, petiitque ut regnum Ægypti liberis Cleopatræ permitteretur, sibi vero privato Athe-
E nis in pace vivere liceret. Sed actum egit. At Cæsar, everso in Ægypto Antonio cum Cleopatra, solus rerum Romanarum potitus, & Augustus appellatus, rebus urbanis constituendis, & gerendo bello Cantabrico difficili in Hispania, cui ipse præfuit, occupatus, moderateque administrando imperio id studii habens, quo benevolentiam omnium mereretur, nec in reliqua Græcia, nec Athenis quicquam novasse legitur. Sed anno post Ægyptum subactam nono, qui erat XXIII. a cæde C. Cæsaris Dictatoris, M. Lollio & Q. Æmilio Lepido Consulibus, cum ad visendas provincias mare transisset,
F Græciæque regiones obiret, ac Athenas esset delatus, sive memor invisi honoris, quem Bruto & Cassio cum probro cæsi Cæsaris Dictatoris civitas ante tribuerat, sive perpetui studii partium Antonianarum, quod quosdam opinatos fuisse *Dion Cassius* prodit, seu quid aliud recens ab ea commissum, seu quod aliorum libertati & commodis consultum quoque Cæsar vellet, duas urbes insignes, Æginam & Eretriam ei ademit, illam dono acceptam ab Antonio, hanc incertum quando & quomodo acquisitam, post Chalcidem Eubœæ etiam ea ætate longe maximam. Huic mulctæ interdictum a

Cæſare adjectum eſſe idem *Dion* ſcribit, ne quem in poſterum Athenienſes accepta pecunia civem facerent, id eſt, jus civitatis ſuæ venale haberent. Quod argumento eſt, id vitium contra laudabilem morem majorum tum in civitate receptum fuiſſe, ac robur accepiſſe. Poſt quæ cum effluxiſſent jam anni circiter XXIX. ad conſulatum C. Poppæi Sabini, & P. Sulpitii Camerini, qui proxime anteceſſit famoſam cladem Romanorum in Germania, qua Quintilius Varus cum exercitu a Cheruſcorum Principe Arminio cæſus occubuit, notat in canone Chronico Euſebius, Athenienſes res novas molitos eſſe contra Romanos, & cæde auctorum noxam illam luiſſe. Sed an quid amplius in eoſdem ſtatutum ſit, nec Euſebius nec quiſquam alius, quod ſciam, prodidit. Fateor tamen, in eam ſuſpicionem me abripi, ut exiſtimem in inſtitutis eorum aut tum aut proximis temporibus aliquid eſſe mutatum, quod ad avertendos ſimiles caſus pertineret. Alioqui enim locum habere non potuiſſe videntur, quæ de iis & Adriano Imperatore idem Euſebius memoriæ prodidit. Adrianus quidem omnium Imperatorum Romanorum, quia eruditiſſimus & eruditionis amantiſſimus erat, in civitatem Atticam maxime effuſa fuit gratia ac ſtudio, ut etiam priuſquam ad imperii dignitatem eſſet promotus, eſſet autem ſummo loco apud imperantem Trajanum, ἄρχων ἐπώνυμος Athenis eſſe deſideraverit. Deinde Imperator ipſe factus petentibus Athenienſibus (verba ſunt Euſebii) ex Draconis & Solonis & aliorum legibus jura reſtituit. Quod, ut dixi, non obſcure docet, ab eorum inſtitutis civitatem tunc abductam fuiſſe. Ad hæc Athenas identidem ventitans, Bacchanalia ibi magnifico apparatu, veſtem Græcam indutus, & ſummo reipublicæ munere functus celebravit, ſacriſque Atticis initiandum ſe dedit. Urbem vero tam multis & amplis ac magnificis operibus & ædificiis ſumptu immenſo ornavit, ut nova prorſus & Adriani urbs, non Theſei dici poſſet. Unde epigramma illud in arce juxta templum Minervæ, quod ætate ſua adhuc ſuperfuiſſe *Volaterranus* ſcribit: αἵδ' εἰσ' Ἀθῆναι Θησέως πρῶτον πόλις: αἵδ' Ἀδριανοῦ, κ' οὐδὲ Θησέως πόλις. Operum horum multa deſcripſit Pauſanias αὐτόπτης in Atticis ſuis, qui eo ævo vixit. Idemque Adrianus Cephalleniam inſulam, ut ex *Dione* affirmat Xiphilinus, Athenienſibus dono dedit. Similique affectu foverunt hanc civitatem duo Antonini Imperatores, Adrianum mox ſecuti, Pius & Philoſophus, uterque Princeps literis inſigniter excultus, & literatorum amator eximius: quorum poſterior cum Athenas veniſſet ſacriſque illic initiatus eſſet, ſummos honores civitati tribuit, & in uſum omnium hominum ac nationum omnis doctrinæ magiſtros annuis ſtipendiis honoratos ibidem conſtituit. Interim murorum Atticorum partes a Sylla quondam dirutas, cum reparandis Athenis ſtuderet Adrianus, refectas non fuiſſe non crederemus, niſi id *Zonaras* tempore Valeriani Imperatoris demum factum eſſe ob metum in Græciam tum ingruentium Scytharum affirmaret. Cauſam ejus fuiſſe arbitror altam ſecuramque pacem, qua tum vicinæ gentes ſub imperio Romano abſque periculo quieſcentes fruebantur, ut murali præſidio non indigere urbes viderentur. Valeriani autem filius Gallienus Imperator velut æmulatus Adrianum, literis ipſe quoque multum deditus, cæteroqui ignavus & vitiis plurimis obnoxius, ut Athenas ſibi caras eſſe oſtenderet, civis Athenienſis eſſe voluit, & Senator in Areopago ſedit, cauſaſque cum Senatoribus cognovit, & Archontis annui munus adminiſtravit, & ſacris Atticis imbui ſeſe curavit. Quibus rebus dum vacaret, neglecta potiore imperii cura occaſionem aliis dedit rapiendi hic illic imperii, quos XXX. tyrannos ſcriptores appellarunt, ſeque & fortunam ſuam evertit. Recitat *Volaterranus* etiam aliam ἐπιγραφὴν in eadem arce Athenarum juxta Minervæ quoque fanum columnæ affixam a priore diverſam, dicatam memoriæ Rufi Fæſti Græciæ Proconſulis; cujus hæc verba: Τῷ λαμπροτάτῳ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἑλλάδος Ῥούφῳ Φαίστῳ, καὶ Ἀρεοπαγείτῃ, ἡ ἐξ Ἀρεοπάγου βουλὴ τῶν τριακοσίων, καὶ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων εὐνοίας καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα: id eſt, *Splendidiſſimo proconſuli Græciæ Rufo Fæſto, & Areopagitæ, Areopagi ſenatus trecentorum & populus Athenienſis benevolentiæ & beneficentiæ gratia*. Sed quo tempore Fæſtus ille proconſul Græciæ præfuerit, nec *Volaterranus* indicat, nec aliunde nobis conſtat. Hoc vero ἐπιγραφὴ iſta nos docet, eo tempore, quo poſita eſt, fas fuiſſe, exteros etiam Areopagitas fieri, & ſenatum Areopagi, qui ex lege Solonis numero incerto ſolet eſſe, ut ſuo loco a nobis dictum, numero certo trecentorum tunc fuiſſe. Hanc quoque ἐπιγραφὴν ad ætatem ſuam incolumem manſiſſe, *Volaterranus* ſignificat. *Zoſimus* gentilium ſuperſtitioni apprime addictus ſcribit, Alaricum Gotthorum Regem poſtremis Theodoſii primi Imperatoris diebus ex Thracia profectum in Macedoniam & Græciam cum exercitu invaſiſſe, & multis evaſtatis Thebas, quod bene munitas eas eſſe cognoſceret, præteriiſſe, avideque ſpe ingentis & certæ prædæ Athenas feſtinaſſe, quas propter ambitus magnitudinem tueri ſe ab omni parte non poſſe credebat: ſed oſtentis territum, conſpecta nimirum Minervæ ſpecie in muro urbis obambulantis, & item Achillis pro mœnibus pugnare parati, invadendæ urbis propoſitum abjeciſſe, paceque oblata, relicto foris exercitu cum paucis inermibus & pacatis urbem eſſe ingreſſum, honorificeque a civium primoribus exceptum, muneribuſque cultum ſine maleficio & urbem & totam regionem Atticam reliquiſſe: impetu in Megaridem vicinam verſo, urbem ejus vi armata captam militibus ſuis in prædam dediſſe: dein ſine mora Iſthmo ſuperato Corinthum, Argos, Lacedæmonem, aliaque in ea vicinia Peloponneſi oppida poteſtatis ſuæ feciſſe. Theodoſii illius primi ex filio Arcadio nepos Theodoſius alter Imperator a morte patris diligenti cura ſororis Pulcheriæ bonis literis probe imbutus uxorem accepit Eudociam fœminam doctiſſimam, civem Atticam Leontii Philoſophi filiam, quæ eruditi ingenii ſui monumenta poſt ſe reliquiſſe traditur: cujus fratres duo Valerius & Geneſius magnis reipublicæ negociis ab Imperatore marito fuere præfecti. Ex hac nata fuit marito filia unica matri cognominis, nupta Valentiniano III. Imperatori: cui peperit Placidiam filiam Olybrii Imperatoris conjugem, Eudociam nuptam Thraſymundo Vandalorum Regi, filio Genſerici, patri Honorici. Et poſt aliquot ætates Athenis Attico cive genita Irene Leoni IV. Imperatori uxor data, magis magni quam boni nominis Imperatrix, Carolo Magno Francorum Regi, & Romanorum in Occidente Imperatori coæva, ſtatuarum cultrix & propugnatrix ſingularis, fœmina ambitioſiſſima, & turbulenti animi, quæ multos motus in imperio excitavit, filium unicum Conſtantinum Porphyrogenitum oculis privavit atque imperio exuit, imperium ipſa rapuit: quod cum aliquandiu nequiter geſſiſſet, a Nicephoro Logotheta everſa, ac in monaſterium detruſa, demumque cuſtodibus appoſitis in Lesbum inſulam deportata, atque ibi animi mœrore confecta infamem vitam finivit. Nicephorus imperii occupator filio ſuo Stauratio Cæſari ex eadem civitate Attica oriundam Irenæ ſanguine junctam Theophanonem conjugem deſpondit: Tanti rum adhuc civitas Attica fuit. Honoſque eidem habitus ſub Imperatoribus ſequentibus quandiu majeſtas aliqua imperio Romano in Oriente conſtitit. Qua

prolapsa splendor quoque hujus sensim emarcuit: præsertim cum lacerato Orientis imperio, & provinciis ejus in Europa ab occidentalibus, quos tum vulgo Latinos vocabant, occupatis, & in partes distractis, cuncta pessum illic irent. Postremo imperantibus in Thracia Palæologis post varias fortunæ vicissitudines in manus incidit Rainerii Acciajoli Florentia oriundi, & posterorum ejus hominum vilium & ista conditione haud dignorum, qui se Duces Athenarum nuncuparunt. Quorum dominatum pudendum per complures annos perpessa tandem Turcis, universæ Græciæ imminentibus, cessit. Quo tempore cum Mahometes magnus Turcarum Imperator amplitudinem ejus, situm, opera magnifica contemplaretur, admiratus eam est, ut testatur *Laonicus Chalcocondyles* e civium Atticorum primoribus, qui præsens tum fuit, & Historiam harum rerum scripsit. Nec Mahometes tum in urbem sæviit deditione captam: sed a præfectis ejus & successorum, hominibus barbaris, avaris, Christiani nominis hostibus, ita habita est, ut nunc magnæ & illustris urbis cadaver potius, quam urbs incolumis videri queat. Et tamen, qui hodie eam bene norunt, superesse illic etiam nunc priorum operum magnificorum visendas reliquias, & ambitum ejus milliarium Italicorum esse sex aut septem, & habitatorum numerum quasi duodecies mille censeri perhibent. Addunt quoque, quod mirum videri queat, in hac tam crassa regionum istarum præsenti barbarie ingenii aliquid acrioris & solertioris præ cæteris Græcis, sive id aeris subtilitati sedisque felicitati sive cibi ac potus, quem tellus Attica profert, bonitati debeatur, non obscure in his ipsis habitatoribus hujus ævi deprehendi, licet dialectus linguæ Græcæ, qua hodie Athenienses utuntur, inter cæteras quæ multæ & variæ sunt, audiat omnium deterrima. Incolitur urbs hodie etiam, ut quondam, trifariam. Arcem, quam ἄςυ veteres dicebant, cæteris partibus editiorem, & quasi in medio sitam, soli Turcæ habitant. Alteram quæ nonnihil sidit, & arci tertiæque parti est interjecta, soli incolunt Christiani. Tertiam & extimam humillimamque, in qua regia est ingentibus marmoribus & columnis suffulta, ædificiis frequentem multitudo promiscua tenet. Retinet eadem urbs etiam nunc qualemcunque metropoliticum honorem, gaudetque Episcopo Metropolita, qui Episcopus minoribus istius viciniæ numero sex præsidet. Sed ut Episcopatus illi tenues sunt, ita dignitas metropolitica exigua.

APPENDIX
DESCRIPTIONI
REIPUBLICÆ LACONICÆ
SUBJICIENDA:

Complexa Historiam succinctam labentis tum reipublicæ & status, tum fortunæ Lacedæmoniorum.



CUJUSMODI respublica Laconica fuerit, hactenus nobis expositum: nunc quomodo, & per quos gradus pessum iverit, breviter dicemus. Nervos ei incisos fuisse, & vires fractas bellis Thebanis, ostendimus. Accessere clades bello sacro, cui sese cum Atheniensibus Lacedæmonii quoque miscuere, acceptæ, ut jam pene despectui inter reliquas illustres Græciæ civitates Spartana haberetur. Causa labentis fortunæ præcipua ac propria fuit neglectus legum & institutorum Lycurgi, quod dictum etiam prius. Initium ejus ductum a victoriis Lysandri, quod auri & argenti usum a Lycurgo vetitum, cum opum & elegantiæ ac deliciarum studio in civitatem primum invexere: quanquam Lysander ipse in re familiari tenui, & veteris moris retinens vitam clauserit. Illo vero usu semel admisso cupiditas habendi ita exarsit in animis civium, ut in Alcibiade suo, seu exacte verum dicens, seu supra veri modum propter argumentum subjectum, testetur *Plato*, jam tum sæculo isto plus auri & argenti privatim possedisse Lacedæmonios, quam omnes Græcos reliquos, Regesque etiam ejus civitatis fuisse locupletissimos, omnium rerum copia abundantes. Cum opum ac pecuniæ affluente possessione morum severitas sensim prolapsa, victus tenuis ac parcus in luxum versus, exercitationum & laborum assiduitas ac tolerantia decrementum passa, disciplinæ partes multæ solutæ, artes militares neglectæ, & torpescentes, denique virtus illa prisca elanguit: postremo ex fortunarum inæqualitate pro amore mutuo, quo sese invicem Lacones complecti solebant, despectus, livor, odium iis obrepsere. Et tamen nonnunquam memoria gloriæ majorum stimulati segnescentium animi ad fortia consilia capienda, & majorum vestigia sequenda se commoverunt. Exemplum esto: Cum omnis reliqua Græcia partim cladibus attrita, partim blandis sermonibus & promissis, ostentataque singulari benevolentia persuasa Corinthi in publico conventu, Philippum Macedoniæ Regem, qui conventum indixerat, summum Ducem suum, velut αὐτοκράτορα ad bellum contra Persas gerendum communi decreto designaret, soli Lacedæmonii id recusarunt. Idemque fecere secundo, cum a Philippi morte successor ejus Alexander patrio regno feliciter inito, tumultuantibus initio Græcorum plerisque, velut imperium illud Macedonum qualecunque excussuris, sed mox felicitate juvenis consternatis, in Peloponnesum repente advolans eandem istam dignitatem eodem in loco, quo conventum convocaverat, & petiisset a civitatibus & obtinuisset. Soli scilicet a consensu illo decretoque rursum se segregarunt. Existimabant enim idque palam ferebant, perindignum esse, minimeque sibi patrium, aliena signa jam sequi, quorum auspiciis, ut Græciæ principum, alii militare solebant. Post quæ deletis in Græcia Thebis ad incutiendum cæteris

terrorem, quod arma sumere, & vim expectare ausæ fuissent, cum in Asiam trajecisset Alexander, & ad Granicum fluvium ac Issum urbem duobus ingentibus prœliis Persas vicisset, Syriam Ægyptumque armis occupasset, transmissoque Euphrate in Assyria ad ultimum certaminis discrimen juxta Tigridem se pararet, Lacedæmonii longinquam ejus absentiam speculati, & periculis, quibus victoriosus juvenis se objiceret, in spem erecti in Græcia arma contra eum moverunt, & reliquas civitates ad resumendam libertatem in idem bellum secum traxerunt. Sed res administrata majoribus animis quam viribus ac successu auspiciis Agidis Regis. Cui cum occurreret Antipater Macedoniæ præfectus, veteranus Philippi Dux, ingenti exercitu XL. mill. partim ex Macedonia partim ex Græcia conflato instructus, gravissima pugna in Peloponneso commissa, victi quidem cum Rege suo Lacones eorumque socii, multitudine nimirum hostium obruti, qui duplo fere majore numero erant, fortunæ cesserunt, sed tam fortiter rem gesserunt, ut hostibus quoque admirationi essent: in primis Agis Rex jam saucius, & ægre se sustinens, & jam a proximis ex acie aliquousque elatus, cum in se venientes Macedones cerneret, suis, qui reliqui erant, abscedere, & melioribus patriæ rebus se reservare jussis, ipse genibus nixus tam animose eos excepit, & feriit, ut fortuna quidem multo minor, sed virtute militari nihilo inferior Alexandro censeretur. Tandem vero lancea pectus trajectus vitam cum sanguine profudit. In ea pugna partium Laconicarum quinquies mille CCCLX. occubuisse, hostium supra duo M. cecidisse feruntur: licet *Curtius* horum numerum coarctet, Laconum vero vix quenquam nisi vulneratum in castra rediisse fateatur. Antipater victoria contentus, nec quicquam amplius in victos molitus, tantum legatos ad Regem Alexandrum deprecandi causa, ex sociorum consilio mittere eos jussit. Græcia omnis hac clade Laconum territa conticuit, quievitque. Alexander culpam deprecantibus ignovit. Græcia enim quieta opus se tum adhuc habere putabat. Sed Dario debellato, Persia ipsa & Persici imperii provinciis in Oriente & Septentrione subactis, India in potestatem redacta, cum victor Babylonem revertisset, & nihil jam metuens literas inde in Græciam misisset, quibus præcipiebat, ut civitates exulibus liberum in patriam reditum concederent, rursum commoti Græci, quibus id contra opinionem accidebat, & tyrannicum dominatum contra leges sapere videbatur, in arma versi sunt. Unde bellum Lamiacum quod dictum, fuit ortum, gestum anno proximo a morte Alexandri contra eundem Antipatrum, Principibus civitate Attica & Ætolis. Quod desiit tandem in oppressionem libertatis Atticæ, & dominatum Antipatri: de quo dictum in rebus Atheniensium. Interea flaccescente virtutis vigore apud Spartanos, quod reliquum ejus erat, ab Areo Rege, Pyrrhi Epirotæ, inclyti bellatoris coætaneo, & ejusce filio Acrotato, extinctum periit. Hi enim Phiditiorum morem, ut nos docet *Athenæus*, solverunt, & a victu parco, qui in Phiditiis usurpabatur, in delitias & effusum epularum luxum, exemplo & auctoritate præeuntes, civium cœnas traduxerunt. Inde in omnem molliciem, & quæ eam comitantur vitia, civitas prolapsa pristinæ disciplinæ & severi moris nihil fere retinuit. Præsertim cum Leonidas, qui post Acrotatum pro filio ejus Areo juniore impubere regnum administravit, & post mortem ejus Rex factus fuit, prædecessorum vestigia sequeretur, & Lycurgi instituta consulto pessundaret, & pro Rege tyrannum se gerere occiperet. Quam ob causam turbato regni statu (nec enim omnes id ferre poterant) Principe Lysandro Ephoro, ex posteris Lysandri Athenarum debellatoris,

A

regno dejectus, & Cleombrotus quidam, qui & gener ipsius & proximus agnatus erat, dejecto surrogatus fuit. Sed malo reipublicæ fato, idem a factione sua resurgente reductus pulso Cleombroto prioribus vestigiis insistere perrexit, atque adeo se ipso factus est deterior. Cui cum & jam ante, & tum rursum obsisteret Agis alterius familiæ Rex juvenis, ex prioris Agidis fratre Eudamida pronepos, & instituta Lycurgi instaurare ac reducere in scenam summo studio niteretur, atque ipse exemplo in omnibus præiret, agros opesque suas, & matris aviæque, quæ locupletissimæ erant, ipsis volentibus in me-

B

dium conferret, promulgataque lege novam divisionem & sortitionem ad exemplum Lycurgi moliretur, atque omne ęs alienum abolere, & ęqualitatem illam facultatum veterem restituere pararet, ab avunculo suo Agesilao Ephoro, homine supra modum avaro, & potente, ac fraudibus grassante deceptus ac destitutus, ut peragere, quod cœperat, non posset, tandem ab Ephoris cæteris in gratiam Leonidæ per summum scelus in carcerem abreptus, ibique cum matre & avia, fœminis optimis, manu carnificis strangulatus vitam finiit, Regum Spartanorum integerrimus & publici boni amantissimus. Non diu post Leonidę defuncto successit in regnum filius ejus

C

Cleomenes, ingenio peracri, excelso, audaci, sed æque vafro, magnæ potentiæ ac famæ parandæ avidissimo: quod ejus ingenium velut in speculo repræsentatum in parallelis suis depingit Plutarchus. De rebus ejusce, quoniam auctore eo maxima reipublicæ facta est conversio, dicemus paulo prolixius. Duxerat vivente adhuc, & pene cogente patre conjugem Agiatidem, Agidis Regis occisi viduam, Gylippi filiam, magnas opes possidentem, indole & forma eximiam, inimicissimam Leonidæ, sed utriusque mariti amantissimam: a qua Agidis instituta & consilia in administrandis privatis publicisque negociis, cujus gratam universo populo memoriam esse

D

videbat, perdidicit. Ad ejus igitur imitationem initio sese componens civibus benignum, facilem, affabilem se ferebat, eratque in veste, & omni vitæ ratione adstrictus, luxum omnem & regium fastum aversans & quasi fastidiens, totusque popularis, ut regii moris nihil in eo conspicere posses. Verum omnia hæc ad verum in civitate dominatum sibi parandum referebat, longe diversum ab Agide spectans. Nam, ut dixi, magni nominis & magnæ potentiæ cupidine ardebat. Nomen autem regium se quidem ferre, potestatem vero & vim regni penes Ephoros esse experiebatur: quod concoquere ani-

E

mus ejus vastus, sublimis, ad majora adspirans haudquaquam poterat. Itaque novatis rebus sibi opus esse rebatur. Quod quia inter arma proclivius esse quam in pace arbitrabatur, bellum quærebat. Ad quod cum occasionem ipsi daret Aratus Sicyonius Achæorum Prætor, rerum societatis Achaicæ augendarum studiosissimus, eam cupidissime arripuit. Nam Ephoris volentibus, quibus Arati conatus etiam displicebant, exercitu confecto, in Aratum & Achæos duxit: & cum prima feliciter successissent, telam orsus est, qua magna pars Peloponnesi turbata fuit, & bella ex bellis nata, Ephoris, ne adversarentur sibi, pecunia & gratia materna corruptis.

F

Atque interim Archidamum Agidis fratrem fuga e manibus patris Leonidæ elapsum, cum occideretur Agis, apud Messenios exulantem, cui regni successio in ea familia debebatur, honestissimo prætextu velut ad regnum in patriam revocatum, dissimulata voluntate sua, per eos, qui Agidem necaverant, quasi vindictam ab eo metuentes, interemit, ut solus in sceptro maneret. Nec diu post in Arcadia re feliciter gesta, animo ad majora audenda erectus, negocio cum vitrico, viro locuplete, & inter cives potentia præcipuo, Megistono, cui ma-

ter firmandi filii ergo denupserat, communicato, & per hunc pluribus sibi conciliatis, facinus concepit & patravit immane, atque hactenus in civitate Laconica inauditum. Nam ad urbem adduces militares copias priusquam ipse eam ingrederetur, & Ephoros in triclinio pro more publice cœnantes, nec quicquam minus opinatos, quos sacrosanctos & inviolabiles civitas habere solet, per præmissos satellites inter ipsas epulas trucidavit; eumque magistratum Regibus & populo, ut dicebat, gravem, præter instituta Lycurgi in republica receptum, & paulatim ex humili conditione ad potestatem regia majorem progressum, e republica sustulit. Horum cædi statim addidit cædem decem aliorum, qui succurrere Ephoris conati fuerant. A quiescentibus vim abstinuit. Postridie sellas Ephororum quatuor disjecit, una tantummodo relicta, in qua sedens ipse jus populo, quod Ephori facere solent, dicturus erat; simulque LXXX. cives proscriptos, quos suspectos habebat, misit in exilium. Tum concione convocata, cum multa dixisset, quibus rationem reddebat factorum suorum, ostendissetque etiam Lycurgi exemplo, sine vi ac metu reformari rempublicam, & pestes in ea subnatas, & robur jam nactas (sic Ephoros vocabat) summoveri non posse, ut plebem turbatam demulceret, sibique devinciret, quasi Agidem imitaturus promisit, æs alienum universum se deleturum, agrosque & reliquas fortunas omnium, ut fecerat quondam Lycurgus, ad æqualitatem redacturum, atque ita invidiam simultatemque e civitate profligaturum, quinetiam optimis quibusque peregrinorum in civium numerum adscriptis civitatem contra pericula tutiorem effecturum. Statimque novis tabulis propositis, jussit omnes, quicquid possiderent agrorum & aliarum rerum, in commune conferre: primusque id fecit ipse, & ut idem quoque facerent, amicos, quibuscum jam ante egerat, induxit: horumque exemplum, ut tradit *Plutarchus*, omnes demum cives secuti sunt. Quo facto, & e peregrinis civium numero suppleto, nova partitio instituta, vocatique in sortes etiam in exilium paulo ante ab eo pulsi, iisque reditus in patriam, turbis sedatis, promissus. Delecti ex omni numero validissimo quatuor mille pedites, armatura gravi instructi, edoctique pro lanceis sarissas utraque manu tractare, & clypeis novo modo uti, valida manus in omnes casus parata. Tum ad formandam juventutem, & revocandum in usum disciplinam veterem, & exercitia & convivia decentem in modum instauranda Cleomenes conversus, priscaque & generosa vitæ omnis ratio Laconibus olim usitata in scenam ab eo reducta, paucis invitis, pluribus spontaneis morem ei gerentibus. Ad hæc ad invidiam nominis monarchiæ declinandam frater Euclides (alii Epiclidem vocant) regni collega ab eodem adscitus: duoque Reges ex eadem familia tum primum Lacedæmone facti, quanquam vere imperii jus penes unum Cleomenem manserit. Sic domi rebus constitutis, & quasi in tuto locatis, cum exercitu egressus ex urbe est, ut inanem & falsam de se opinionem vicinis inimicis demeret. Audiebat enim cum alios, tum maxime Aratum Achæorum Prætorem existimare & dictitare, ob res domi commotas non ausurum ipsum ab iis nunc discedere, & foris quicquam tentare. Quam ob causam cum exercitu Arcadiam vicinam ingressus in fines Megalopolitanos irrupit, omniaque circum circa diripuit, & cum ingenti præda regrediens, cum ludiones Messane venientes in itinere forte intercepisset, in hostili regione theatro excitato, velut otiosus & nihil metuens per diem totum ludos edidit spectante exercitu, iisque ipse præsedit. Id fecit, non quod his affice-

A retur animus ipsius, sed ut quasi ex alto despicere se hostes suos, iisque hoc modo insultare demonstraret. Nam ad oblectamenta ludrica, ad delicias, & regium luxum quod attinet, non alium se ferebat dominatu jam parto, cum nomine pariter & re Rex esset, quam ante, cum ad dominatum adspiraret, omninoque iisdem artibus quibus paraverat, eundem tuebatur, dissimillimus aliorum Regum. Nihil in eo aulici fastus, nullæ delitiæ, nullus splendor aut pompa, nulla apud eum ludionum, psaltriarum, similium hominum turba: in victu, veste, omni apparatu etiam tum parcus, sobrius, adstrictus, ut mos veterum Laconum habebat: quem morem non

B præcepto solum, sed exemplo quoque suo adstruebat & promovebat: omnibus comis, benignus, alloquium petentibus precesque offerentibus ultro occurrens, in colloquio benevolentiam & vultus hilaritatem præ se ferens, omnibus commodus: legatis & hospitibus quos convivio excipiebat, mensa altera juxta suam apposita, in cibo & potu plusculum indulgens, non adstringens eos ad asperiorem morem Laconicum. Denique exemplar se præstitit hac morum civilitate Principis laudati, & amorem ac favorem multorum vicinorum extra pomœria regni sui sibi conciliavit, portas quoque urbium sibi

C aperuit, easque a societate Achæorum alienatas ad se traduxit: promptitudine vero armorum, & audacia ac felicitate Achæos, in eorum regionem invadens, consternavit, prœlioque commisso late vicit, Aratum certamen detrectantem, hactenus florentem gloria, virtuteque & gratia inclytum, in contemptum apud eos & eorum socios adduxit: & nisi in subitum morbum ex haustu aquæ frigidæ in itinere, qui cum vehementi sanguinis fluxu usum linguæ ei ademit, incidisset, obtinuisset ab Achæis id, quod poscebat; totius scilicet gentis ejus Princeps designatus fuisset. Verum dum ipse Lacedæmonem reversus valetudinem curabat suam, Arati solertia

D res fuit conversa. Urebat enim hoc Aratum, quod ignorare non poterat, fortunæ & potentiæ Cleomenis incrementum, suum decrementum futurum. Itaque ad incidendum fortunæ illius cursum occulte fœdus cum Antigono Macedonum Rege pactus, cum omnium ordinum societatis Achaicæ conventus ageretur Argis, ad quem etiam venturus erat Cleomenes, ut quod nuper cœperat cum Acheis, pertexeret, callide persuasit Achæis iisdem, ut ab adventante peterent, ut aut acceptis obsidibus XXX. solus colloquii ergo urbem ingrederetur, aut si cum exercitu venire mallet, ad Cyllarabium, locum extra urbem, agi secum pateretur. Quibus ad ipsum relatis

E cum jam urbi propinquus esset, indignatus vehementer, quod conditiones has sibi ignominiosas, & prioribus promissis non satis congruas esse arbitraretur, exemplo bellum Achæis indixit. Secutaque est apud Achæos magna rerum commutatio, multæque civitates ab iis aversæ, plebe passim in spem novarum tabularum ad exemplum eorum quæ Lacedæmone erant acta, erecta. Nec mora, exercitu in Achaiam rapto Pellene urbs ab ipso occupata: Argos inopinato adventu ejus oppressum captumque, Phlius, Cleonæ partibus adjectæ, Corinthus etiam a Megistono ipsius vitrico in potestatem redacta: Epi-

F daurus, Trœzen, Hermione, Argivæ regionis urbes, ab ipso Cleomene in fidem acceptæ: ager Sicyonius vastatus, tota Peloponnesus turbata. Sed cum Antigonus accepta in pignus fidei arce Corinthi cum exercitu Peloponnesum ingressus esset Arato & Achæis auxilia laturus, Corinthus statim a Cleomene defecit, exemplumque hujus Argos quoque, quo se Cleomenes paulo ante receperat, secutum, omnis fortuna Cleomenis subito mutata: uxor quoque ejus, quam impense amabat, in ipsa illa fortunæ conversione, morte rapta. Quo tempore Lacedæ-

monem reversus Cleomenes ad vires recolligendas, a Ptolemæo Ægypti Rege literas accepit auxilia contra Antigonum promittentes, si matrem Crateiideam & liberos suos obsides in Ægyptum mitteret. Hac conditione quamvis dura admissa, cum non abnueret mater, sed ultro filium, ut id faceret, hortaretur, in spem rursum erectus ad conficiendas armandasque quam maximas copias sese accinxit. Inter quæ Antigonus exercitu suo cum Achæis conjuncto Arcadiam ingressus, Tegeam, Mantineam, Orchomenum, quæ partium erant Cleomenis, ab eo avulsit. At Cleomenes servis ad pileum vocatis, quotquot eorum quinque minas Atticas conferre vellent, (confecta hoc modo sunt quingenta talenta,) duo manumissorum millia more Macedonico armavit, ad eos leucaspidibus Antigoni opponendos: concepitque animo facinus arduum. Erat tum fortuna florens urbium Arcadiæ maxima Megalopolis, in se nec minor nec infirmior Lacedæmone, ob quam potissimum vocantibus Achæis in Peloponnesum cum copiis venisse Antigonus, non longe ab ea tum remotus, dicebatur. Hanc, ut constituerant, repentino incursu, ut omnium opinionem anteverteret, Cleomenes invasit, superatoque muro, qua minime custoditus erat, oppressit, potestatisque suæ fecit, cæsis civium, qui resistere ausi fuerant, circiter mille, cæteris fuga, qua quisque poterat, e manibus ejus sese eripientibus, plurimis vero Messenen cursum intendentibus. Ad hos a Lysandrida, qui cum paucis aliis vivus in potestatem ejus venerat, persuasus præconem cum eo ipso & Theorida Messenen misit, denunciavitque, licere profugis ad sua inviolata reverti, & in patria vivere, si relictis Achæorum partibus Lacedæmoniorum societati & amicitiæ se dare velint. Quam conditionem benignitatis specie præclare blandientem cum recusarent, profugi a Philopœmene Principe civitatis suæ, juvene tum primum ad famam succrescente moniti, qui dicebat, non hac mente, ut patriæ & fortunis ipsos restitueret, sed ut domum reversos simul omnes perderet, ista Cleomenem polliceri, nec ferendos esse tam nefarii consilii internuncios, actutumque istic abire cogendos, Cleomenes ira incensus, ac velut in furorem actus urbem Megalopolim hactenus adhuc illæsam militi diripiendam dedit, signa & tabulas pictas, quibus urbs abundabat, Spartam transferri jussit, plurimas maximasque urbis partes evertit. Tum properanter Spartam repetiit, Antigoni & Achæorum metu, quos existimabat Laconiam absente se esse invasuros. Sed cum quiescerent hi conventu agendo occupati, & militem sparsim in hybernis haberent, ipse cum audiisset Antigonum cum amicis & pauculis copiis Argos profectum esse, cum exercitu suo in agrum Argolicum incurrit hoc consilio, ut Antigonum amicorum & sociorum res uri, agi, ferri videntem & audientem vel pudore & calumniis malevolorum motum ad inconsultam pugnam eliceret, vel certamen detrectantem in odium contemptumque adduceret. Verum actum egit. Nam Antigonus sapienter contumelias suorum perpeti & devorare maluit, quam fortunam omnem temere in discrimen dare. Ille autem obvia cuncta vastans, & ad Argorum muros accedens, insultationumque & illusionum & contumeliarum in inclusos nihil faciens reliquum, tandem velut satiatus se recepit. At cum audiisset Antigonum Tegeam concessisse, ut inde regionem Laconicam adoriretur, ipse rursum alia via Argos contendens totum agrum Argivorum denuo pessum dedit, sata jam maturescentia protrivit, & in proxima urbis iterum progressus, hostis contemptum omnibus quibus potuit modis ostentavit.

A Cumque cognovisset, Antigonum quoque Argos rediisse, & viarum angustias præsidiis insedisse ad reditum impeditum sibi faciendum, dissimulato omni metu exercitum Phliuntem Argivi agri oppidum reduxit, ibique dejecto Ologunti præsidio, secundum Orchomenum Arcadicum descendens in sua devenit: atque his actis, ait *Plutarchus*, non solum Spartiatis suis animos addidit, sed hostibus quoque admirationi summæ fuit, præclarusque belli Dux ab iis est habitus: quippe qui unius modo civitatis viribus fretus contra Macedonum opes, & universos reliquos Peloponnesios bellum hactenus sustinuisset, & quidem ita sustinuisset, ut non solum Laconiæ suæ B fines a belli cladibus servarit intactos, sed etiam hostiles agros late vastarit, urbesque eorum ingentes occupaverit; quæ sane non vulgaris virtutis & magnanimitatis esse existimabantur. Tandem vero pecunia, belli & omnium rerum agendarum nervo, destitutus, atque ita bello tanto diu alendo impar, ad dimicandi consilium de rei summa, dum adhuc mercenarios milites in obsequio haberet, coactus est descendere. Antigono enim & Achæis cum exercitu magno peditum XXVIII. millium, equitum mille ducentorum in Laconiam ingresso, ipse ut rebus suis, quantum posset, prospiceret, ad Sellasiam C Laconiæ urbem cum copiis suis consedit, in quibus erant pugnatorum millia XX. in his vero fuisse sexies mille Spartanos, *Plutarchus* perhibet. In hunc cum se inferrent hostes, prœlium commissum est gravissimum, in quo strenue res utrinque gesta, meliore Macedonum & Achæorum fortuna. Cecidere a parte Cleomenis mercenariorum plurimi, Spartani, ut vult *Plutarchus*, exceptis CC. omnes, atque in his fortissime pugnans Euclides Cleomenis frater & collega. Cleomenes ipse cum paucis equitibus Spartam se recepit de fortuna jam prorsum desperans, & brevissime cum suis locutus ne cibo quidem potuve sumpto per noctem statim Gythium D contendit ad mare, atque ibi cum intimis naves conscendens in eum finem jam ante paratas relicto portu in Ægyptum se contulit ad Ptolemæum Regem sibi amicum.

Antigonus victor cum Arato & Achæis obsistente nemine Spartam ingressus (suaserat enim civibus discedens Cleomenes, ut in præsens fortunæ cederent) veterem rempublicam cum plena libertate civitati reddidit, & sine ullo maleficio, ne præsidio quidem illic relicto, discessit. Civitas Ephororum magistratu cum reliquo ordine civili ex forma solita instaurato, de novis Regibus creandis ne audire quidem æquo animo potuisse traditur, quandiu in E vivis erat exul Cleomenes. Adeo perdite hunc ea, quæ post cladem supererat, popularis multitudo amabat. Eadem vero dissueta jamdudum legibus & legitimis imperiis parere, libertatem bene ferre nescia, quietis impatiens, turbida, factiosa, fidis monitoribus aspera, cum hostem externum non haberet, domi tumultuabatur, & sanguine civili sese polluebat. Et fere cujusmodi Ephoros annuos habebat, ita huc aut illuc impellebatur. Resumpserant tum arma contra Achæos Ætoli, nunquam fere quieti, gens ante omnes cæteros Græcos effera, infida, prædandi semper avida, ut eam describit *Polybius*. Achæorum vero socius & amicus erat F Philippus Macedoniæ Rex Demetrii filius, eo tempore adhuc juvenis, sed ingenio haudquaquam socors, non iners, qui non ita nuper defuncto Antigono successerat. Ab Ætolis ad arma cum ipsis jungenda sollicitabantur Lacedæmonii: quorum nonnullis, qui ingeniis erant turbulentissimis, & civium cæde dextras polluerant, jam tum secreto cum iisdem conspiraverant, & fœdus junxerant. Et jam plurimorum animi publice quoque istuc inclinabant, cum e senioribus quidam, qui rectius sentiebant, surgentes gravi-

graviter contradicerent, & memoratis Macedonum & Achæorum recentibus beneficiis, Ætolorum autem nuperis atrocibus maleficiis, majori parti populi persuaserunt, ut existimarent, in societate illorum esse manendum, ab horum fœdere abstinendum; effeceruntque ab Ephoris, qui tunc erant, adjuti, ut in eam sententiam decretum scriberetur. Qua re efferati partium adversarum Principes, & secum frementes, qui statum talem ferendum sibi non putabant, stimulati tum Achæorum odio, tum prædarum cupidine, facinus animis conceperunt scelestissimum. Erat in more Lacedæmoniis a majoribus per manus tradito, solemni die, cum sacrum fiebat in æde Minervæ Chalciœci, cui præsentes adesse, & sacrum peragere omnes simul Ephoros oportebat, universos, quibus ætas justa erat, in armis pompam ducere juxta ædem eamdem. Ea pompa cum duceretur, juvenes quidam conjurati, a Principibus factionis conducti subito in ædem irrumpentes, quæ ab omni memoria tutum confugium & asylum esse solet hominibus etiam facinorosis, capitisque pœnam promeritis, Ephoros omnes sacris operantes ad ipsam Deæ mensam atque aram trucidarunt. Immane scelus omnem modum atrocitatis excedens, ut ferebant gentilium jura & religio, sive trucidatos spectares, qui inviolabiles & sacrosancti habebantur, sive tempus, sive locum, sive negocium, cui tunc trucidati vacabant. Adeo tum jus & fas a factiosis istis contemnebatur, dummodo pervenirent istuc, quo contendebant. Patrato tam immani scelere, alios etiam e seniorum numero, quos senatores fuisse existimo (γέροντας enim *Polybius* appellat, qua voce participes senatus dici solent) occiderunt: reliquos, qui Ætolicæ societati non assentiebantur, in exilium egerunt. Tum e factione sua novis Ephoris creatis fœdus cum Ætolis palam pepigerunt. Tanto flagrabant odio in Achæos, tanta in Macedonas ingratitudine laborabant, tanto denique amore ac desiderio Cleomenem suum, illorum hostem, de se, uti judicabant, bene meritum, quem ope Ægyptii rediturum in patriam sperabant, Regem popularem persequebantur. Verum cum non multo post nunciatum esset, hunc cum liberis in carcere Ægyptiaco ob tentatas res novas peremptum esse, tunc adempta spe de reditu illius, ut speciem restituerent reipublicæ prioris, ad creationem novorum Regum tum Ephori, tum multitudo popularis respexerunt. Creatusque est triennio jam a fuga Cleomenis circumacto ex Eurysthenidis Agesipolis quidam admodum adhuc puer successionis jure proximus. Nepos enim erat ex filio Cleombroti, qui Rex aliquandiu fuerat, Leonidæ gener & æmulus agnatusque, patre ejus eodem cum ipso nomine jam defuncto. Ex Proclidis quanquam superessent etiam ex Agidis fratre Agesilao filii duo regni capaces, & præter hos alii remotiorum graduum, tamen his omnibus præteritis (credo quod Cleomenis factio vindictam ab his metueret) Lycurgus a regio stemmate alienus, sed in factione acer, sceptro donatus fuit. Conflatum igitur bellum difficile contra Macedonas & Achæos, maximis periculis & detrimentis totam regionem Laconicam & ipsam urbem Lacedæmonem involvit. Nam Philippus castigatis primum domi Ætolis, dein cum magno exercitu in Peloponnesum veniens, & Achæis se jungens, direptis & evastatis obviis, quæ Laconici juris erant, ad ipsam Lacedæmonem accessit, castrisque inter urbem & Eurotam fluvium urbi proximum positis in summum discrimen & terrorem maximum eam conjecit, & ob hyemem ingruentem istinc abiens, rursumque in agrum Laconicum reversus, oppidis etiam minoribus occupatis universum eum miserrime afflixit. Deinde in Macedoniam revocatus, rebus illic constitutis, in Ætolos conversus, istuc ne-

A cessitatis eos redegit, ut tum ipsi, tum ipsorum socii Lacedæmoniis malis fracti talibus conditionibus pacem petere & admittere cogerentur, quales ab hostibus dabantur. Factum, cum bellum durasset annos quasi tres, & paulo ante in Italia male contra Annibalem Pœnorum Ducem pugnatum esset a Romanis ad Trasimenum Hetruriæ lacum. Res gesta hoc bello nomine Lacedæmoniorum auspiciis Regis Lycurgi. Belli hujus jam ardentis initio, cum in Triphylia regione Eleis & Messeniis & Arcadibus finitima feliciter rem gereret Philippus, regno pariter & vitæ Lycurgi insidiæ domi structæ a Chilone quodam stemmatis regii viro, qui ob genus

B se regno digniorem censebat, & sibi ab Ephoris, a quibus præteritus, & regnum Lycurgo venditum erat, insignem injuriam esse factam arbitrabatur. Consilii autem jus erat, exemplo Cleomenis novæ sortitionis & partitionis agri spem plebi subjicere: qua ostentata sibi persuasum habebat, plebem hujus rei cupidam statim partibus suis accessuram. Dein adscitis sibi ducentis, quos consilii participes fecerat, rem ipsam sic occœpit. Primum in Ephoros, quibus erat infensus, & quos pro Lycurgo omnia facturus esse, & sibi impedimento futuros existimabat, pro more loco usitato simul cœnantes

C impetum fecit, eosque inter epulas, ut quondam Cleomenes, neci dedit, dignos prorsus tali eventu, inquit *Polybius*, qualem facinoribus suis promeruerant. Tum recta se ad ædes Regis Lycurgi curriculo se contulit: sed is monitu & ope vicinorum & amicorum, dum domus invadebatur, furtim celeriterque subductus manus ejus evasit, & fuga in locum tutum se recepit. Chilo autem hoc conatu præcipuo frustratus, quanquam jam pene de re desperaret, tamen audendum ratus, cum suis in forum dato impetu, inimicis, quos illic reperit, manus intulit, necessarios & amicos verbis excitavit, cæteris spes illas, quas diximus, ostenta-

D vit. Sed cum neminem videret moveri, partibusque suis jungi, non paucos autem contra se coitiones facere, abjecta prorsum omni spe subduxit se clam, & occulta fuga per universam regionem Laconicam elapsus, exutus omni fortuna exul ad Ahæos pervenit. Lycurgus in sua rediit. Ephoris occisis alii surrogati. Apud quos haud diu post Lycurgus delatus, & suspicione sinistra gravatus, cum id ipse persentisceret, metuens sibi ad Ætolos confugit. Sed postea errore suspicionis comperto ab iisdem Ephoris revocatus sceptrum recepit. At quandiu in

E sceptro manserit, aut in vita superstes fuerit, nobis non constat. Nam quæ de Polybio nobis restant naufragii tabulæ, qui ista posteritati tradidit, de hisce silent. Hoc solummodo cognoscimus, collegam Lycurgi Agesipolim nondum puberem ab ipso Lycurgo & factione ejus, incertum, quam ob causam, aut qua arrepta occasione, in exilium esse actum, exulemque apud Achæos cum multis aliis patria ejectis vitam tolerasse diu. Sic enim de eo Livius libro XXXIV. cap. XXVI. ex Polybio sua transcribens, exponens acta T. Quintii Flaminini in Græcia sub consulatu L. Valerii Flacci, & M. Portii Catonis, qui congruebat ad annum urbis Romæ condi-

F tæ DLIX. *Ipsorum quoque Lacedæmoniorum exules permulti tyrannorum injuria pulsi spe recuperandæ patriæ in castra Romana (ea ad urbem Lacedæmonem posita erant) convenerunt. Multi ante erant jam per aliquot ætates, ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem, alii ab aliis expulsi. Princeps erat exulum Agesipolis, cujus jure gentis regnum Lacedæmone erat, pulsus infans ab Lycurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit.* Hæc ipsa verba Livii. Et Polybius ecloga XLIX. *Eo tempore*, inquit, (id tempus congruebat cum anno urbis Romæ DLXXI. cum Consules essent Q. Fabius Labeo, M. Claudius Marcel-

lus, annis post mortem Cleomenis in Ægypto & initium regni Lycurgi apud Lacedæmonios quasi XXXVI.) *legati Romam missi fuere ab iis, qui Lacedæmone exulabant, inter quos erant Arcesilaus & Agesipolis, qui cum puer esset, Rex Spartæ fuerat. Hos piratæ in mari forte deprehensos occiderunt: in quorum locum alii submissi Romam venere*. Ita Polybius. Post hunc Agesipolim patria pulsum solum Lycurgum regno incubuisse, mihi verosimile est. Post Lycurgum Machanidas tyrannidem Spartæ invasit, qui nomine & re suis tyrannus fuit. Verum in quod tempus initium ejus inciderit, nec hoc nobis notum ob amissam majorem partem lucubrationum Polybii. Primam ejus mentionem reperio apud Livium ad annum urbis Romæ conditæ DXLVI. quo Consules Romani fuere, M. Claudius Marcellus v. T. Quintius Crispinus, uterque cruenta morte in consulatu illo absumptus: qui annus XIII. fuit belli Punici II. Olympiadis CXIII. primus. In actis vero anni proxime sequentis, quo Asdrubal Barchinus Annibalis frater ex Hispania in Italia cum exercitu veniens ad Metaurum occubuit, idem *Livius*, & ante hunc Polybius libro x. cujus fragmenta habemus, eundem Achæos bello vexantem memorant. Machanidam hunc Ephoros regnantibus graves & invisos exemplo Cleomenis e civitate rursum sustulisse, haud quicquam dubito, quoniam nulla eorum durante tyrannide ipsius & tempore sequenti memoria apud auctores extat qui res ipsius & ævi proximi exposuerunt. Idemque de senatu, & magistratibus aliis, quorum aliquod momentum in civitate fuit, suspicor: certum dicere non possum. Fuisse eum Achæis libertatis patronis semper molestum, armisque eos infestasse, eoque potentiæ pervenisse, ut toti fere Peloponneso formidabilis esset, ex Polybii fragmentis, & Historia Livii licet cognoscere. Tandem magno & diu ancipiti prœlio non procul Mantinea a Philopœmene Aehæorum Prætore superatum manu ipsius victoris, dum fossam trajiceret, & fuga se servare conniteretur, occubuisse anno secundi belli Punici XV. Q. Cæcilio Metello, L. Veturio Philone Consulibus, qui erat urbis Romæ DXLVIII. tabula naufragi Polybiani, qua totum prœlium prolixe descriptum est, nos docet. Machanidæ extincto statim successit Nabis tyrannus multo crudelior, qui Phalaridem Agrigentinum, & Dionysium juniorem Syracusanum immanitate facinorum æmulari voluisse videri potest. Instituta tyrannica, & mores vere immites, & machinam cruciandis primoribus civitatis, qui opes habebant, ab eo excogitatam, cui Apegæ nomen, compendio descriptam reliquit Polybius historiarum libro XIII. cujus fragmenta quædam ad nos pervenere. Et testimonium sævitiæ ejusdem luculentum perhibet apud Livium T. Quintius Flamininus Romanus Imperator lib. XXXIV. cap. XXXII. Verba Polybii quoniam totum tyrannum nobis repræsentant, & oculis subjiciunt, ac miserrimum statum & fortunam civitatis Spartanæ sub ejus tyrannide evidenter describunt, heic adscribere operæ pretium esse existimo. *Nabis*, inquit, *Lacedæmoniorum tyrannus, qui tertium jam annum rerum potiebatur, nihil ille quidem majoris rei aggredi aut moliri audebat, quod recens adhuc esset memoria devicti ab Achæis Machanidæ, sed mansuræ diutius ac duræ tyrannidis principia ponebat & fundamenta jaciebat. Reliquias enim nominis Spartani funditus delebat: eos qui opibus aut gloria majorum cæteris præstabant, solum vertere cogebat. Horum fortunas & uxores iis, qui inter reliquos eminebant, & mercenario militi dividebat. Hi autem erant homicidæ, effractores, vestimentorum fures, vecticularii, hoc est, parietum perfossores. Nam hoc duntaxat genus hominum, quibus propter impia facinora, & immania scelera pedem in patria sua ponere non licebat, sedulo Nabis toto undique ex orbe terrarum ad se accersebat. Horum ille patronum & Regem cum se constituisset, stipatores & satellites eos sibi instituisset, in longum videlicet tempus istorum ope & impietatis suæ famam & dominationem erat extensurus. Itaque præter illa, quæ jam diximus, cives in exilium pellere non contentus, id operam dabat, ne quis exulibus locus esse tutus, ne ullum perfugium securum. Alios enim percussoribus submissis per vias occidebat, alios ab exilio revocatos trucidabat. Postremo in urbibus quas habebant exules, conductis per homines nullo modo suspectos domitu quæ vicinæ essent iis, quas illi incolerent, Cretenses eo mittebat, qui parietibus ruptis per apertas fenestras exulum alios stantes, alios decumbentes sagittis configebant, ac morti dabant; ut miseris Lacedæmoniis nullus ad perfugium locus satis tutus, nullum tempus a periculo esset immune. Atque hac sane ratione plurimos eorum e medio sustulit. Idem Nabis machinam quoque, si tamen machina est dicenda, talem struxerat. Simulacrum muliebre erat pretiosis vestibus indutum, formæ similitudine Nabidis uxorem insigniter referens. Quoties autem civium aliquos tyrannus ad se vocabat, ut pecuniis eos emungeret, principio quidem longa, eaque benigna oratione ipse compellebat: quod regioni & urbi ab Achæis imminebat, ipsis ponebat ob oculos; quantum stipendiariorum numerum salutis ipsorum causa aleret, significabat; quantos in sacris procurandis aut negociis publicis sumptus faceret. Ejumodi sermonibus si qui moveri, hoc illi ad destinata exsequenda satis erat. Sin aliqui essent, qui pecunias pendere recusantes jussa capessere detrectarent, in hæc tum verba tyrannus erumpebat: Ego quidem fortasse, quod cupio, persuadere tibi non possum, Apegam vero hanc (id nomen Nabidis conjux habebat) puto tibi persuasuram. Cum quibus dictis confestim aderat simulacrum, de quo jam locuti sumus. Tum excitata e sede fœmina per speciem comitatis prehendens dextram illius, mox utraque manu eundem amplectebatur, & paulatim ad pectus compressabat. Erant autem ei cubiti & brachia ferreis clavis plena, quos vestis occultabat. Similiter etiam in mammis infixos clavos habebat. Quando igitur brachia impresserat dorso mulieris, mox organis quibusdam attractum intendebat, & paulatim ad mammas adducens eum, qui premebatur, omne genus voces cogebat edere. Atque hoc multos interemit, qui pecunias dare recusabant*. Hactenus Polybii ille locus sic fere in Latinum sermonem conversus a doctissimo Casaubono. T. Quintius apud Livium loc. cit. in facie eidem tyranno crudelia facinora exprobrat, & omnium tyrannorum, qui fuerant unquam, eum vocat sævissimum & violentissimum in suos. Et tamen hunc infami dominatu nuper adeo potitum, in pactis pacis cum Philippo Macædoniæ Rege initæ, quæ coiit P. Corn. Scipione Africano, P. Licinio Crasso Divite Consulibus, anno belli Punici secundi XIV. urbis Romæ DXLIX. placuit Romanis velut amicum ac socium suum formulæ adscribi, & post etiam toto fere dominatus tempore, quanquam sæpe injurius in eos esset, indulgentius, quam par esset, quamque reliqui omnes Græci justum & rectum esse judicarent, ipsum habere, ut tum Polybius, tum Livius literis prodiderunt. Fuit Nabis, ut ante eum Cleomenes, Lycurgus, Machanidas, Achæis semper inimicus, & ut plurimum armis infestus. A Philippo Macedone, ut arctius ei obligaretur, fiduciario jure Argos accepit, sed mox ab eo animum avertens ad Romanos se vertit, sed fide etiam pessima. Argivos interea male mulctatos & pressos excoriavit, Argivas conjugi Apegæ sui simillimæ emungendas tradidit. Decedere deinde hac urbe cum juberetur a Romanis, qui paulo ante victo ad Cynoscephalas Philippo Rege omnem Greciam jugoMacedonico liberaverant, non prius iis paruit, quam eorumdem & Achæorum & aliorum sociorum conjunctis armis id facere coactus fuit.

A Quod factum L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone Consulibus, anno urbis Romæ DLIX. Olympiadis CXLVI, anno secundo. Eo bello surgente, cum ad obsidendam cum tyranno Lacedæmonem, relictis Argis, quam leviter armis tentaverat, se accingeret T. Quintius Romanus Imperator, & jam Laconiam cum exercitu ingressus esset, haberetque secum in exercitu Spartanos exules magno numero, a prioribus tyrannis, & hoc ipso Nabide patria ejectos, rem atroci tyranno congruam Nabis in urbe patravit. Nam populo ad concionem vocato disseruit de periculo sibi & toti civitati circumstante, dixitque, ignoscendum sibi esse, præsertim cum salutis omnium intersit, si quos ob statum præsentem suspe-
B ctos habeat, eos prohibeat potius, ne quid moliri possint, quam molientes puniat: Itaque quosdam se in custodia habiturum, donec ea, quæ instet, tempestas prætereat: hostibus externis repulsis, a quibus minus periculi sit, quam ab intestina proditione, extemplo eos se emissurum. Sub hæc citari nomina LXXX. ferme Principum juventutis jussit, atque eos, ut quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit. Nocte insequenti omnes interfecit. Heliotarum deinde quidam (hi sunt, ait Livius, jam inde antiquitus castellani, agreste genus) transfugere voluisse insimulati, per omnes vicos sub verberi-
C bus acti necantur. Hoc terrore obstupuerant adeo multitudinis animi, ut de novandis rebus ne cogitare quidem, nedum consilia concipere auderent possentve. Interea exercitus a T. Quintio Imperatore ad Sellasiam Laconiæ oppidum in ripa Eurotæ fluvii clade Cleomenis nobilitatum promotus: atque inde ad ipsam urbem Lacedæmonem ductus, castra inter urbem fluviumque Eurotam urbi illic maxime vicinum, juxta ipsa urbis mœnia locata: bis tumultuariis prœliis pugnatum, tyranni copiæ in fugam datæ, & in urbem compulsæ: ad hæc præter alia Laconiæ maritimæ loca Gytheum oppidum cum
D portu commodo a Romanis captum, Lacedemoniique omni maris usu exclusi. Tyranno in extremas angustias redacto, petente ipso, ad colloquium de pace ventum. Congressi coram Quintius & Nabis, multaque hinc inde jactata, demum pacis conditiones tyranno præscriptæ, permissumque ei, ut de his cum suis in urbe deliberaret: quod ab eo factum. Cum ob nonnulla in conditionibus quæ privatim multos urebant, fremitus, & ex fremitu tumultus in multitudine urbana existeret, ac tyrannus quæreret, quid a se fieri vellent, responderetque multitudo, in bello ut periisteret, occasio commodum
E a tyranno rapta, quam exoptabat, armaque resumpta. Tum a T. Quintio urbs corona cincta oppugnataque graviter ab omni parte: quibusdam locis, qua murus intermittebat, testudine facta in urbem penetratum: tyrannus periculo consternatus fugam, si qua posset evadere, jam circumspectabat. Actumque tunc de urbe fuisset, nisi tyranni gener Pythagoras in periculis intrepidus proxima quæque, qua irrumpebant Romani, igne subjecto flammis dedisset, & irrumpentes timore correptos recidere se coegisset. Verum cum instaret rursum Quintius, & terroris causas obsessis admoveret, omnium horum animis timore prostratis, repetito de pace colloquio
F Pythagora internuncio, demum iisdem conditionibus quæ ante erant dictæ, pax convenit; quanquam sublatum tyrannum quam pacem ei datam Achæi & reliqui omnes Græci maluissent, deque eo libere apud Quintium quererentur. Sed secus visum Quintio viro summæ prudentiæ & moderationis ac æquitatis, qui periculum a Magno Antiocho, Syriæ Rege potentissimo in Europam maximis cum copiis reditum parante, & mox adfuturo habebat ob oculos, & Lacedæmonem nobilissimam Græciæ urbem, quanquam tyranno tum parentem, sed in ordinem jam redactam, ut nocere vicinis non posset, incolumem conservare, quam cum exitio hujus tyrannum delere malebat. Legum pacis tyranno dictarum præcipuæ hæ fuere, ut Argos, urbem Metropolim, cum cæteris oppidis Argolidis, abductis præsidiis liberum dimitteret, ac Romanis traderet: naves civitatibus maritimis, cum factitaret piraticam, ademptas redderet omnes, nec ipse navem ullam præter duos lembos remorum XVI. haberet: perfugas & captivos omnes sociis Romanorum restitueret: Messeniis item (nam & hos ante aliquot annos subita vi oppressos diripuerat) omnia, quæ comparerent & a dominis agnoscerentur, exulibus quoque Lacedæmoniis liberos & conjuges quotquot harum vellent ad maritos reverti, redderet: in Creta insula ne quam urbem haberet: quas habuerat, Romanis dimitteret: ne quam societatem cum ullo Cretensium, aut quoquam alio institueret: civitatibus omnibus quæ in potestate ipsius fuerant, præsidia abduceret, seque ipse, suosque ab his abstineret: ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienove solo conderet. Obsides harum rerum daret quinque ad arbitrium Imperatoris Romani, atque in his filium suum: talenta centum argenti confestim, & L. porro quotannis penderet per annos VIII. De exulibus patriæ reddendis verbum nullum, quod tacite gaudebat tyrannus: quanquam in castris Romanis, ut dixi ante, Agesipolis, cui regnum Spartæ debebatur, multique alii e primoribus civitatis spe restitutionis in castris Romanis fuerant. Sed difficile tyranno quiescere, & in pactis manere diu. Itaque cum Antiochus Syriæ Rex cum exercitu maximo adventare, & rursus in Europam trajecturus esse diceretur, & Ætoli ad arma contra Romanos se pararent, ipse sub finem anni, quo Consules apud Romanos erant L. Quintius, Titi frater, & L. Domitius Ahenobarbus, ad recuperanda Laconiæ maritima ductis istuc copiis Gytheum summa vi terra marique obsedit, pluribus locis illic occupatis, & prœlio navali feliciter commisso. Gytheum ipsum quamvis probe munitum expugnavit. Verum Philopœmenes Achæorum Dux, paulo ante mari a Nabidis classe victus, confectis justis copiis in Laconiam invadens, & copias circumducens, cum aquatores partium utrarumque levi certamine circa rivum aquationi commodum contracto, justo prœlio occasionem dedissent, post acrem dimicationem tyrannici exercitus robur in fugam dedit: tyrannum trepide in urbem se recipere coegit, rursumque non procul Lacedæmone dispositis, qua eundum erat, insidiis, copias ejus urbem quoque, ut jussæ erant, repetentes, cum in eas impetum fecisset, ita cecidit, vix ut quarta pars incolumis evaserit. Tum omnia circum circa prædando, urendo, quæ tyranni erant, a victore vastata, exercitus victor domum a Philopœmene reductus. Non multo autem post, tyrannus hic Nabis petita ab Ætolis amicis ope, ab Alexameno Ætolo cum auxiliaribus mille peditibus & trecentis equitibus ad eum misso, & præceptis secretis instructo, insigni dolo, & facinore audaci, paulum a suorum multitudine sevocatus, inspectantibus suis trucidatus est. Exitus tyranno dignissimus. Alexamenus confestim ad regiam tyranni contendit, & thesauros ejus in prædam vertit. Ætoli, qui civitatis liberatores videri volebant, civitatem diripuere. Qua re perindigna commoti Lacedæmonii, & velut in furorem acti, concursu facto, armisque correptis Ætolos tota urbe vagos mactarunt, & Alexamenum in ipsa regia oppressum, ac nequicquam cum paucis se tuentem obtruncarunt. Qui cædentium Laconum manus evadere Ætoli potuerunt, fuga in Arcadiam vicinam delati, ab oppidorum magistratibus comprehensi sub corona venierunt. Philo-

pœmenes occasione hac usus, cum omnia metu turbata Lacedæmone essent, subito istuc advolans, evocatis populi primoribus & blanda oratione compellatis, qua Alexamenus uti debuerat, sine armis civitatem societati Achæorum adjunxit. Conventionis summa hæc fuit, ut pax & societas Lacedæmoniis cum Achæis esset conditionibus iisdem, quæ antea dictæ tyranno fuerant: quod quanquam nec Livius ad hunc locum adscribat, nec reperiamus in fragmentis Polybii, nec in vita Philopœmenis sit apud Plutarchum, tamen ex iis, quæ narrantur, sequuta esse, fit conspicuum. Acciderunt ultima hæc M. Acilio Glabrione, P. Corn. Scipione Nasica Consulibus, qui erat annus urbis Romæ DLXIII. cum in annum usque XVI. Nabis Lacedæmoni incubuisset. Gaudebat civitas, immanem tyrannum a cervicibus suis esse amotum, & pacem se tutam habere cum vicinis. Sed urebant eam exules, qui jam pridem tyranno adhuc superstite post pacem principe T. Quintio cum eo compositam, & nunc quoque eo sublato, freti legibus pacis Laconiæ maritima frequentes habitabant Achæorum permissu, quorum fidei & custodiæ loca illa a Romanis erant commissa. Qua ratione fiebat, ut maris usu libero Lacedæmon excluderetur. Is dolor cum sensim cresceret in animis multitudinis, emporio peregrinarum rerum ægerrime carentis, conspiratio quorumdam facta, & Las vicus maritimus inopinato incursu nocturno repente occupatus non sine cæde. Verum luce orta recollectis animis idem vicus ab indigenis & exulibus, qui sedem cum vicanis ibidem habebant, expulsis occupatoribus, recuperatus. Qua occasione, quia res ad omnes pertinere videbatur, quotquot oram maritimam tenebant, inquilini pariter & indigenæ communi nomine legatos misere ad Achæos, qui & querelas deferrent hac de re, & protectionem rogarent. Philopœmenes, qui tum rursum Prætor gentis erat, & exulum causæ, quos restituere in conventione nupera non potuerat, in primis favebat, concilium ad exponendas querelas, precesque ferendas legatis absque mora dedit, effecitque, ut decretum scriberetur, quale ii cupiebant. Ex eo statim legati Achæorum Lacedæmonem missi: postulatum, ut auctores affinesque rei apud Las actæ, quoniam ea pacta conventa essent violata, Achæis dederentur: quod nisi fieret, fœdus a civitate ruptum Achæos existimaturos. Hoc vero imperium nimis superbum & indignum Lacedæmoniis visum: clamare itaque vulgo, obsistendum initiis: metuendum, ni id fieret, paulatim jugum civitati Philopœmenem, qui jamdiu hoc moliretur, impositurum, eamque exulibus traditurum. Mox ira furentes ex iis, quibus consiliorum aliquam societatem cum Philopœmene atque exulibus suspicabantur, viros XXX. indicta causa occidunt, simulque decernunt renunciandam societatem Achæis: & statim legatos ad Consulem Romanum M. Fulvium in Cephallene insula tunc agentem mittunt, eumque orant, ut in Peloponnesum veniat ad urbem Lacedæmonem in fidem ditionemque populi Romani accipiendam. Quæ cum omnia ab Achæorum legatis ad suos relata essent, in proximo conventu eorum, consentientibus omnium civitatum voluntatibus bellum Lacedæmoniis indictum: illatumque id statim fuisset nisi hyems ingruens impedivisset: incursionibus tamen minutis Lacedæmoniorum fines a terra & mari vastati. Ad hæc sopienda Romanus Consul in Peloponnesum cum venisset, jussu ejus concilium apud Elidenses indictum, & Lacedæmonii ad disceptandum istuc acciti. Ibi non disceptatione solum, sed etiam altercatione partium, ut inquit Livius, lib. XXXVIII. cap. XXXII. audita aliquandiu, Consul satis ambitiose partem utramque fovendo, incertaque respondendo, demum una denunciatione finem ei imposuit, præcipiens nimirum, ut bello abstinerent, donec Romam legatos ad senatum misissent. Itaque le-

A gatio utrinque Romam missa: exulum Laconicorum causa, petentibus ipsis, commendata est Achæis. Principes legationis Achæorum fuere Diophanes & Lycortas, Polybii Historiæ scriptoris pater, uterque Megalopolitanus: quorum ut sæpe alias, sic hac quoque in re discordes erant sententiæ. Diophanes Romam veniens senatui disceptationem rerum omnium permittebat, eum optime controversias inter Achæos & Lacedæmonios dicebat finiturum. Lycortas ex præceptis Philopœmenis postulabat, ut Achæis ex fœdere ac legibus suis, quæ decrevissent, agere liceret, libertatemque sibi illibatam, cujus ipsi auctores essent, præstarent. Hæc ipsa verba Livii sunt lib. XXXVIII,
B cap. 32. 33. 34. qui porro addit. *Magnæ auctoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat: novari tamen nihil de Lacedæmoniis placebat. Cæterum responsum ita perplexum fuit, ut & Achæi sibi de Lacedæmone permissum acciperent, & Lacedæmonii non omnia concessa iis interpretarentur. Hac potestate immodice Achæi ac superbe usi sunt, Philopœmeni continuatur magistratus. Qui veris initio exercitu indicto castra in finibus Lacedæmoniorum posuit: legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis, & civitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens & illos nihil indicta caussa passuros. Silentium præ metu cæterorum fuit. Quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros pro-*
C *fessi sunt, fide accepta a legatis, vim absfuturam, donec causam dixissent. Ierunt alii etiam illustres viri, & advocati privatis, & quia pertinere causam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam alias exules Lacedæmoniorum Achæi secum adduxerant in fines, quia nihil æque alienatorum animos civitatis videbatur: tunc exercitus totius prope antesignani exules erant. Ii venientibus Lacedemoniis ad portam castrorum agmine facto occurrerunt: & primo lacessere jurgiis, deinde altercatione orta cum accenderentur iræ, ferocissimi exulum impetum in Lacedæmonios fecerunt. Cum illi Deos, & fidem legatorum testarentur, & legati & Prætor summoveret turbas, & protegeret La-*
D *cedæmonios, vinculaque jam quosdam injicientes arceret, crescebat tumultus concitata turba. Et Achæi ad spectaculum concurrerunt: deinde vociferantibus exulibus quæ passi forent, & orantibus opem affirmantibusque simul, nunquam talem occasionem habituros, si eam prætermisissent, fœdus, quod in Capitolio, quod Olympiæ, quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse: priusquam alio de integro fœdere obligarentur, noxios puniendos esse: accensa his vocibus multitudo ad vocem unius, qui, ut ferirent, inclamavit, saxa conjecit: atque ita XVII. quibus vincula per tumultum injecta erant, interfecti sunt.* LXIII. *postero*
E *die comprehensi, a quibus Prætor vim arcuerat, non quia salvos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat, objecti multitudini iratæ, cum aversis auribus pauca locuti essent, damnati omnes, & traditi sunt ad supplicium.* Locum, in quo acta, Compasium Polybius vocat. *Hoc metu injecto Lacedæmoniis imperatum primum, ut muros diruerent: deinde ut omnes externi auxiliares, qui mercede apud tyrannos militassent, terra Laconica excederent: tum uti quæ servitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat) ante diem certam abirent: qui ibi mansissent, eos prehendendi, vendendi,*
F *abducendi Achæis jus esset. Lycurgi leges moresque abrogarent, Achæorum assuescerent legibus, institutisque: ita unius eos corporis fore, & de omnibus rebus facilius consensuros. Nihil obedientius,* ait Liv. *fecerunt, quam ut muros diruerent, nec ægrius passi sunt, quam exules reduci. Decretum Tegeæ in concilio communi Achæorum de restituendis iis factum est: & mentione illata externos auxiliares dimissos, & Lacedæmoniis adscriptos (ita enim vocabant eos qui a tyrannis liberati erant) urbe excessisse, in agros dilapsos, priusquam dimitteretur exercitus, ire Prætorem cum expeditis, & comprehendere id genus hominum, & vendere jure prædæ placuit: multi comprehensi venierunt.*

Porta ex ea pecunia Megalopoli permissu Achæorum refecta est, quam Lacedæmonii diruerant. Et ager Belbinatis, quem injuria tyranni Lacedæmoniorum, restitutus eidem civitati ex decreto vetere Achæorum, quod factum erat Philippo Amyntæ filio regnante. Per hæc velut enervata civitas Lacedæmoniorum diu Achæis obnoxia fuit. Nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi cui per DCCC. *annos assueverant, sublata.* Sic de his Livius, cujus verbis hæc recitare, quam meis, malui. Acciderunt vero ista Lacedæmoni exeunte anno urbis Romæ DLXV. Cn. Manlio Volsone, M. Fulvio Nobiliore Consulibus, quem proxime secutus est annus refecta pace, & fœdere percusso a Romanis cum Antiocho Magno Syriæ Rege insignis. Verum accidit Lacedæmoniis, quod solet iis, quos fortunæ præsentis vehementius pœnitet. Fremere, indignari, nimis inique & injuste secum actum queri, & his querelis aures omnium, maxime vero Romanorum, qui cæteris plus poterant, quoties ferebat occasio, publice & privatim opplere, animosque obtundere. Nec deerant a Romanis, qui in hæc fomitem iis sufficerent, ambitione ducti, & civitatis suæ viribus feroces, ingeniisque turbidi: qui concoquere non poterant, Achæos sua facta tuentes, libertatem, patriam, & fœderis, quod cum Romanis icissent, æqualitatem memorare, per quam nec sibi in ea, quæ extra Peloponnesum Romani, nec Romanis in ea,quæ in Peloponneso Achæi agerent, inquirere fas esset, essentque non ipsi minus quam Romani in rebus suis αὐτοκράτορες: quanquam affirmarent iidem Achæi, nihil omnino a se in causa Lacedæmoniorum factum, quod non optimo jure & potuerint facere, & debuerint, & quod non expediret tum Achaiæ statui, tum ipsis Lacedæmoniis, tum etiam sociis Romanis, si secus factum fuisset. In Romanis, qui ignem hunc foderent, habebantur Q. Cæcilius Metellus, Appius Claudius Pulcher, Q. Marcius Philippus, qui alii post alios cum collegis ad inspiciendas res Macedoniæ ac Græciæ a senatu Romano fuere missi: qui præter alias causas, quibus ipsi singuli per se movebantur, etiam tacito desiderio senatus & primorum civitatis suæ inserviebant. Istorum vero hoc consilium erat, postquam jam metus & periculum a Philippo & Ætolis, & maxime ab Antiocho potentissimo Syriæ Rege nuper in ordinem redacto decessissent, contra quos fida & felici opera Achæorum ipsi usi fuerant, fovendo dissensiones sociorum, & eos inter se committendo, vires eorumdem solvere. Sed arcanum hoc verbis profiteri omnes omnino pudebat. Id vero in hac contentione acrius animos Achæorum mordebat, quod inter accusatores suos Lacedæmonios etiam eos cernerent, quos ipsi nuper duro exilio liberatos patriæ & fortunis restituerant, a quibus pro summo beneficio hæc sibi pessima gratia referretur; qui cum cæteris cædem dediticiorum Achæis objectarent, quam ipsimet obnitentibus frustra Achæorum præfectis principes patraverant. Dolebantque iidem Achæi, Lacedæmonios, quos ope sua superstite tyranno domuerant & fregerant Romani socii, nunc accusatores sibi induci, & in agenda causa inter Romanos comparere. Sed perniciosissimum erat, quod ipsi Achæi hac in re dissensionibus laborarent, iisque publicorum consiliorum concordiam distraherent, quidam etiam Romanorum gratiam, per quam domi potentiam se suam aucturos sperabant, libertati & saluti patriæ anteferrent. Cujusmodi Diophanes erat, Lycortæ æmulus, & isto multo nequior Callicrates Leontesius, verus patriæ suæ proditor. Senatus autem Romanus inter hæc variis ac lubricis, nec satis inter se congruis responsis, quoties usus erat, ludebat, & dissentientium animos vel suspendebat vel mutuo inter ipsos committebat, & lites alebat.

A Cum recensea, quæ dixi, acta cum Lacedæmoniis essent ab Achæis, missi sunt Romam a Lacedæmoniis, quibus acta eadem maxime adversa erant, legati, qui Philopœmenem auctorem eorum præcipuum accusarent, & contra injustam hanc vim auxilium rogarent. Philopœmenes id intelligens Nicodemum Elitum eodem misit, qui criminationi illorum occurreret, & sua civitatisque acta tueretur. Senatus utrisque auditis, ita respondit, facile ut intelligi posset, displicere ipsi tum muros Spartæ esse dirutos, tum reipublicæ prioris formam esse solutam, tum cædem in Compasio esse patratam: nec tamen quicquam eorum, quæ statuerant Achæi, rescidit, B irritumve esse jussit. Responsum ipsum scripto conceptum, referendum ad suos, legatis datum. Importunitate quoque eorum, qui a Lacedæmoniis venerant, literæ extortæ Consuli M. Lepido ad Achæos, quibus hi de iis, quæ contra Lacedæmonios haud recte ferebantur egisse, arguebantur. Retulit hoc responsum Nicodemus domum reversus in publico totius societatis Achaicæ concilio, quod tum coegerat Prætor Aristænus, Philopœmenis successor, quo cum ipsi & simultas intercedebant, & in gerenda republica non bene conveniebat, Romanis vero plus satis addictus. De responso senatus C nulla tum orta contentio: & de Consulis literis nihil etiam motum. Datas has esse flagitationi Lacedæmoniorum non erat dubium. Vixdum soluto hoc concilio venit Argos cum collegis ex Macedonia expeditis illic mandatis Q. Cæcilius Metellus vir consularis ad cognoscendas res Peloponnesi missus a senatu, qui aures jam commodaverat Lacedæmoniis, & tum instruendum se dabat Prætori Achæorum Aristæno, & Diophani Megalopolitano. Incidit hic Cæcilii adventus in panegyrim Argivorum: in cujus gratiam Aristænus statim eodem convocavit omnes magistratus civitatum societatis Achaicæ. In horum consessu verba faciens Cæcilius videri sibi di- D xit nimis duriter & acerbe actum esse cum Lacedæmoniis, monuitque præsentes, darent operam, ut perperam facta emendarentur. Quæ omnia præsens Prætor Aristænus audivit silens & silentio probare visus fuit. Diophanes autem, vir militiæ quam pacis artibus melior, non solum non contradixit Metello, factumve Achæorum excusavit, sed odio Philopœmenis impulsus aliud quoque crimen ingessit, læsorum scilicet ab Achæis Messeniorum auctore Philopœmene. Quæ audiens & intelligens Metellus existimavit, periniquum esse, præeuntibus istis non omnes confestim in sententiam suam descendere. Sed obstabant Philopœmenes & Lycortas & E Archon, qui multis rationibus liquidum faciebant, recte omnia, quæ ad Lacedæmonios pertinerent, administrata fuisse, maximeque ex utilitate ipsorum Lacedæmoniorum: nec horum quicquam mutari nunc posse sine humani divinique juris violatione. Itaque visum omnibus qui aderant, nihil esse movendum, & in hanc sententiam respondendum legato Romano. Qua eorum mente cognita Metellus secum stomachans postulavit concilium sociorum sibi dari, quod potestatem habebat majorem, sperans in eo effectum se daturum, quod apud pauciores efficere non posset. At ii, qui aderant, poposcerunt, ut mandata senatus, si qua haberet, F hac de re ederet. Ad quod cum ipse taceret, (nec enim scriptum hujusmodi mandatum secum tulerat,) dictum ei, fieri non posse, quod peteret. Lege enim vetitum esse, multitudinem convocare, nisi petens mandata senatus scripta, de rebus de quibus putaret in concilio agendum esse, exhiberet. Tum vero adeo in iram exarsit Metellus, cum videret, nihil eorum, quæ poscebat, sibi concedi, ut ne responsum quidem ullum magistratuum voluerit accipere, sed absque omni responso discesserit. Achæi

animos hos & Cæcilio huic Metello & nupero M. Fulvio suffectos esse ab Aristæno, & Diophane, & horum sociis, odio Philopœmenis stimulatis, arbitrabantur, iisque totam hanc culpam imputabant. Romam igitur Cæcilius reversus cum collegis animo exulcerato, cum in senatu exposuisset acta a se in Macedonia, & summatim quædam de rebus Achæorum memorasset, introduci in senatum curavit diversarum partium ex Græcia legatos, eodem advectos. Ex quibus erant Lacedæmonii Areus & Alcibiades e numero veterum exulum a tyrannis olim patria ejectorum, quos cum multis aliis Philopœmenes & Achæi nuper patriæ rebusque domesticis restituerant. Qui in curia Romana conspecti auditique ob extremam ingratitudinem Achaicorum legatorum oculos & animos graviter perstrinxerunt, & rei indignitate eorumdem iram ingentem commoverunt. Istorum enim oratio peracerba erat in Achæos: per hos scilicet Lacedæmonis vires prorsus infractas esse, multitudine civium per vim abducta, civitatemque continuis periculis obiectam, redactam ad tantam defensorum paucitatem, præsertim muris etiam per eosdem nudatam: ademptam insuper ei totam libertatem, quippe quæ non solum decretis Achæorum parere, sed etiam primoribus eorum semper quasi ancillari cogeretur. Contra quæ Apollonidas Sicyonius, qui cum collegis aliis missus ab Achæis erat, tum ut accusationibus Cæcilii Metelli, quem omnes norant nihil æqui de rebus ipsorum esse relaturum, tum ut criminationibus Lacedæmoniorum responderet, & de omnibus quod verum erat, patres edoceret, accurate disseruit, multisque modis demonstrare conatus fuit, non potuisse ullo modo alio rectius res Spartanas constitui, & iis bene consuli, quam a Philopœmene & Achæis esset factum. Quod vero Metello data copia concilii non esset, id jure reprehendi non posse. Lege enim cautum apud Achæos esse, ne fas sit concilium cogere, nisi de societate aut bello sit deliberandum, aut literas a senatu Romano ea de re quis afferat: quorum nihil in legatione Metelli fuerit. Ad quæ assurgens Metellus ira fervidus in Philopœmenem & Lycortam, & universos Achæos invectus est, & totum id quod in re Laconica actum ab iis, acerbis verbis laceravit. Senatus omnibus auditis, respondit Achæorum legatis, missurum se denuo legatos in Græciam, qui exactius in omnia inquirant: operam vero dandam Achæis, ut eo, quo par sit, honore legatos populi Romani in Græciam venientes accipiant, quemadmodum sciant suos legatos Romæ excipi. Ita Polybius. Livius sic ait, lib. XXXIX. cap. XXXIII. (ejus enim verba quoque producere, non alienum fuerit;) *Achæi maxime concilii negati crimen excusabant recitando legem, quæ nisi belli pacisve causa, & cum legati ab senatu cum literis, aut scriptis mandatis venirent, vetaret indici concilium. Ea ne postea excusatio esset, ostendit senatus, curæ iis esse debere, ut Romanis legatis semper adeundi concilium gentis potestas fieret, quemadmodum & illis, quoties vellent, senatus daretur.* Hæc Livii verba. Porro ex decreto senatus legati alii in Macedoniam & Græciam profecti sunt, quorum princeps fuit Appius Claudius Pulcher superioris anni Consul, ferocis ingenii vir, majorum suorum simillimus. Is Philippo Rege ad præstanda ea, quæ in feriendo fœdere cum Romanis promiserat adacto, cum collegis in Peloponnesum festinavit, ut Achæorum animos humiliaret. Contra cujus actiones ut præparata consilia haberent, Lycortas ejus anni Prætor, Polybii Historiographi pater, ex disciplina Philopœmenis conformatus, priusquam Romani advenirent, concilium suis indixit. *Ibi*, inquit Livius lib XXXIX. cap. XXXV. & seq. *de Lacedæmoniis actum: ex hostibus eos accusatores factos: & periculum esse, ne victi magis timendi forent, quam bellantes fuissent: quippe in bello sociis Romanis Achæos usos, nunc eosdem Romanos æquiores Lacedæmoniis quam Achæis esse, ubi Areus etiam & Alcibiades, ambo exules, suo beneficio restituti legationem Romam adversus gentem Achæorum ita de ipsis meritam suscepissent, adeoque infesta oratione usi essent, ut patria pulsi, non restituti in eam viderentur. Clamor undique ortus, referret nominatim de iis: & cum omnia ira non consilio gererentur,* (sic placuit Livio, parum æquo Achæis,) *capitis damnati sunt. Paucos post dies legati Romani venerunt. His Clitore in Arcadia datum est concilium. Priusquam agerent quicquam, terror Achæis injectus erat, & cogitatio, quam non ex æquo disceptatio esset futura: sed quod Areum & Alcibiadem capitis ab se in concilio proximo damnatos cum legatis se accusaturos videbant, nec hiscere quisquam audebat. Appius ea, quæ apud senatum questi erant Lacedæmonii, displicere senatui ostendit; cædem primum ad Compasium factam eorum, qui a Philopœmene ad causam dicendam evocati venissent: deinde cum in homines ita sævitum esset, ne in ulla parte crudelitas eorum cessaret, muros dirutos urbis nobilissimæ esse, leges vetustissimas abrogatas, inclytamque per gentes Lycurgi disciplinam sublatam. Hæc cum Appius dixisset, Lycortas, & quia Prætor, & quia Philopœmenis, auctoris omnium quæ Lacedæmone acta fuerant, factionis erat, ita respondit: Difficilior nobis, Appi Claudi, apud vos oratio est, quam Romæ nuper apud senatum fuit. Tunc enim Lacedæmoniis accusantibus respondendum erat: tunc a vobis ipsis accusati sumus, apud quos causa dicenda est. Quam iniquitatem conditionis subimus, quod ab illa spe decidimus, judicis animo te auditurum esse posita contentione, qua paulo ante egisti. Ego certe, cum ea, quæ & heic antea apud Q. Cæcilium & postea Romæ questi sunt Lacedæmonii, a te paulo ante relata sint, non tibi, sed illis me apud te respondere credebam. Cædem objicitis eorum, qui a Philopœmene Prætore evocati ad causam dicendam interfecti sunt. Hoc ego crimen non modo non a vobis Romani, sed ne apud vos quidem nobis objiciendum fuisse arbitror. Quid ita? quia in vestro fœdere erat, ut maritimis urbibus abstinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis urbes, a quibus abstinere jussi erant, nocturno impetu occupaverunt, si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut antea, in Peloponneso fuisset, eo nimirum capti & oppressi confugissent. Cum vos procul essetis, quo alio, nisi ad nos socios vestros, quos antea Gytheo opem ferentes, quos Lacedæmonem vobiscum simili de causa oppugnantes viderant, confugerent? Pro vobis igitur justum piumque bellum suscepimus. Quod cum alii laudent, reprehendere ne Lacedæmonii quidem possint, Dii quoque ipsi comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt: quonam igitur modo ea, quæ belli jure acta sunt, in disceptationem veniunt, quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad vos. Nostrum est, quod evocavimus eos ad causam dicendam, qui ad arma multitudinem exciverant, qui expugnaverant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædem Principum fecerant. Quod vero illi venientes in castra interfecti sunt, vestrum est Areu, & Alcibiade, qui nunc nos, si Diis placet, accusatis, non nostrum. Exules Lacedæmon. quo in numero ii quoque duo fuerunt, & tunc nobiscum erant, & quod domicilio sibi delegerant maritima oppida, se potitos credentes, in eos, quorum opera patria extorres ne in tuto quidem exilio posse consenescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt: nec jure, an injuria cæsi sint, argumentari refert. At enim illa certe vestra sunt, Achæi, quod leges disciplinamque vetustissimam Lycurgi sustulistis, quod muros diruistis: quæ utraque ab iisdem objici qui possunt? cum muri Lacedæmoniis non a Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissolvendam Lycurgi disciplinam extructi sint. Tyranni enim nuper eos arcem & munimentum sibi, non civitati paraverunt: &, si existat hodie ab inferis Ly-*

curgus, gaudeat ruinis eorum, nunc se patriam,& Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopœmenem expectare, & Achæos, sed vos ipsi Lacedæmonii vestris manibus amoliri, & diruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. Vestræ enim illæ deformes notæ servitutis erant: & cum sine muris per octingentos prope annos liberi, aliquando etiam Principes Græciæ fuissetis, muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos serviistis. Quod ad leges ademptas attinet, nego antiquas Lacedæmoniis leges Achæos ademisse, quas non habebant, sed nostras dedisse, nec male consuluisse civitati, cum concilii nostri eam fecerimus, & nobis miscuerimus, ut corpus unum, & concilium totius Peloponnesi esset. Tunc opinor, si aliis ipsi legibus viveremus, alias istis injunxissemus, queri se iniquo jure esse, & indignari possent. Scio ego, Appi Claudi, hanc orationem, qua sum adhuc usus, neque sociorum apud socios, neque liberæ gentis esse, sed vere servorum disceptantium apud dominos. Nam si non vox illa vana præconis fuit, qua liberos esse omnium primos Achæos jussistis, si fœdus ratum est, si societas, & amicitia ex æquo observatur, cur ego, quid Capua capta feceritis Romani, non quæro? vos rationem reposcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge a nobis. Quid? vos senatores Campanos securi non percussistis? muros diruimus: vos non muros tantum, sed urbem & agros ademistis. Specie, inquis, æquum est fœdus apud Achæos, precaria libertas apud Romanos etiam imperium est. Sentio, Appi, etsi non oportet, non indignor: sed oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hostes vestri nostrique apud vos sint ac nos socii, imo ne meliore jure sint. Nam, ut in æquo ess nt, nos fecimus, cum leges iis nostras dedimus, cum ut Achæi concilii essent, effecimus. Parum est victis, quod victoribus satis est: plus postulant hostes, quam socii habent. Quæ jurejurando, quæ monumentis literarum in lapide insculptis in æternam memoriam sancta, atque sacrata sunt, ea cum perjurio nostro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani: &, si ita vultis, etiam timemus: sed plus veremur, & timemus Deos immortales. Cum assensu maximæ partis est auditus, & locutum omnes pro majestate magistratus censebant, ut facile appareret, molliter agendo dignitatem suam tenere apud Romanos non posse. Tum Appius suadere se magnopere Achæis dixit, ut dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inviti & coacti facerent. Hæc vox audita quidem cum omnium gemitu est: sed metu injecto imperata recusando, id modo petierunt, ut Romani, quæ viderentur de Lacedæmoniis, mutarent: nec Achæos religione obstringerent, irrita ea, quæ jurejurando sanxissent, faciendo. Damnatio tantum Arei, & Alcibiadis, quæ nuper facta erat, sublata est. Huc usque ipsa verba Livii. Appius ex Peloponneso in Cretam vicinam trajecit cum collegis, & res ibi turbatas inter Gortynios & Cnossios, civitates insulæ maximas, arbiter delectus composuit, Romamque rediit, haud satis propitius Achæis, in primis infensus partibus Philopœmenis & Lycortæ. Paulo post Romam venere legationes variæ Regum & populorum, pleræque omnes mandatis instructæ a suis contra Philippum Macedonem: qui eodem tunc misit Demetrium filium suum, quem Romanis, apud quos obses fuerat, carum esse haud ignorabat, pro sese responsurum. Macedonicis rebus in curia Romana pro tempore præsenti expeditis, & multis delictis ob Demetrium Philippo condonatis (quod testimonium a senatu ei perhibitum, & patri denunciatum optimo juveni in invidiam exitialem vertit) Lacedæmoniorum legati, in factiones quatuor tunc divisi, ad exponenda mandata sua in senatum vocati, cum varietate mandatorum turbarent senatus mentes majoribus negociis intentas, dati sunt iis viri tres rerum Græciæ cumprimis periti ob legationes priores, & res illic actas: in quibus T. Quintius Flamininus erat, ut ista cognoscerent, & si possent, definirent. Factio prima poscebat, ut exilium passis bona omnia restituerentur, quæ initio irrogati exilii possederant: altera petebat, cujus causam agebant Areus & Alcibiades, de quibus ante dictum, ut singulis illis tantum redderetur, quantum talento æstimaretur uno; reliqua in bene meritos cives erogaretur. Tertia, cujus Princeps Serippus erat, postulabat, ut in eo statu civitas Laconica conservaretur, qui fuerat tum, quum ea societatis & reipublicæ Achaicæ particeps esset. Pro quarta laborabat Charon, cujus hæc erat petitio, ut qui mortis damnati, aut in exilium acti Lacones essent, patriæ redderentur omnes, & respublica in eam, quæ jam dicta, formam restitueretur. Et de istis quidem restituendis, & civitate societati Achaicæ relinquenda, opera trium delectorum inter partes omnes post multam disceptationem tandem convenit. Cætera de exulum bonis controversa manserunt. Quæ vero partium consensu probata fuere, ne forte rursum dissilirent, studio eorumdem delectorum in scriptum relata, & partium omnium sigillis signata sunt. Erat tum Romæ quoque Xenarchus Achæorum legatus, in eum finem istuc missus, ut ait *Polybius*, tum ut fœdus & societatem cum Romanis renovaret, tum, ut ad ea, quæ Achæis & Lacedæmoniis controversa erant, animum adverteret. Hunc quia unice cupiebat T. Quintius, qui in delectorum numero erat, istuc adductum, ut iis, de quibus inter partes Laconum jam convenerat, etiam ipse subscriberet, hoc usus astu est. Vocavit eum ad se, & injecto primum nescio quo terrore, mox nihil tale opinantem ex improviso interrogavit, placerentne ipsi, quas legendas dabat, conditiones: hæsitantem vero ob exulum, & capitis damnatorum restitutionem, quia ea Achæorum decreto, & columnæ inscriptioni adversabatur, tandem tamen, quia scriptum erat, ut Lacedæmon eadem cum Achæis republica censeretur, quod erat præcipuum, perpulit eundem, ut sigillum suum reliquorum sigillis adderet. Sed frustraneum id, ad exules quod attinebat, apud Achæos erat, qui quod sine mandato Xenarchus signaverat pene invitus, ad obligandam rempublicam ne hilum quidem valere censebant. Quod quanquam eodem loco non legatur in fragmentis Polybii, tamen ex iis, quæ secuta apud eundem leguntur, diurna luce fit clarius. Dimissis legatis Q. Marcius Philippus vir consularis a senatu in Macedoniam & Peloponnesum jussus est proficisci. Interim Dinocratis Messenii viri improbi & inquieti opera Messene a societate Achæorum recessit, armaque contra eam ab Achæis sunt sumpta. Quo bello ætate jam gravis Philopœmen octavum Achæorum Prætor in insidias forte prolapsus, & equi ruina pene oppressus in potestatem hostium venit: & in urbem Messenen abductus, auctore præcipuo Dinocrate, qui tum Prætor urbis erat, in tetrum carcerem subterraneum tantus vir, quantum eo sæculo post Aratum Græcia non habuit, detrusus est, & propinato veneno statim peremptus. Incidit hæc ejus mors, ut scribit *Livius*, in eundem annum, quo duo alii clarissimi viri, P. Cornelius Scipio debellator Carthaginis, & Annibal Pœnus Carthaginiensis, civitatis Romanæ terror, periere, cum Consules apud Romanos essent Q. Fabius Labeo, C. Claudius Marcellus, qui erat annus urbis Romæ Varronianus DLXXXI. Et jam Romam reverterat e Macedonia Q. Marcius non satis æquus Achæis quia non in omnibus succinuerant voluntati & desiderio ipsius. Referebat enim ad senatum in hanc sententiam: Achæos jam fixum habere, nihil deinceps referre ad Romanos, sed subla-

A tis spiritibus proposuisse sibi, omnia per semet administrare: recte facturum senatum, si in præsentia legatos eorum (nam hi quoque cum legatis extorrium ex urbe Lacedæmone advenerant) negligenter tantummodo audiat, & leve saltem indicium edat, facta Achæorum sibi displicere: ita enim brevi futurum, sine dubio, ut Messenii, postposito odio vetere, cum Lacedæmoniis in consensionem veniant, & consilia cum iis contra Achæos conjungant: eo periculo ex conspiratione duarum prævalidarum civitatum perculsos Achæos Romam statim ad roganda auxilia pene supplices advolaturos tanquam ad confugium suum. B Cujus consilio obsequens senatus vocatis Lacedæmoniorum legatis, ut civitatem illam incertam & suspensam teneret, vafre respondit; facta a se pro iis, quæ fieri potuerint: nunc vero existimare se, ad curam suam negocium hoc non pertinere. Achæis vero petentibus, ut si fieri posset, auxilia sibi mitterentur ex fœdere contra rebelles Messenios; aut, si fieri id non posset, saltem hoc provideret senatus, ne quid frumenti aut armorum ex Italia Messenem importaretur, his inquam Achæis hujusmodi responsum senatus dedit, alienum ab utroque, quod petebatur: etiamsi Lacedæmonii aut Corinthii, aut C Argivi a societate ipsorum deficerent, non mirari Achæos debere, si nihil ad se id pertinere senatus arbitraretur. Quod præconii instar fuit, inquit *Polybius*, quo significabatur, si qui recedere ab Achæis vellent, id per Romanos ipsis licere. Interea legati Romæ retenti expectatione eventus belli, quod contra Messenios Achæi gerebant. Lycortas quippe avidus ulciscendæ nefariæ necis Philopœmenis, quem velut patrem suum coluerat, graviter Messenios premebat: & jam eo rem deduxerat, ut maxima populi pars hactenus metu magistratuum suorum, qui Principe Dinocrate Philopœmenem peremerant, oppressa tum ipsis hosti- D bus freta pacem petendam clamaret. Cui cum obniti diutius factio Dinocratis non auderet, missi legati ad Lycortam cum hoc responso in urbem rediere, non aliam ad pacem & delictorum veniam patere viam, quam si rebellionis, & mortis Philopœmenis auctores statim dederentur: de cæteris omnibus arbitrium liberum Achæis permitteretur, & in arcem præsidium sine mora reciperetur. Admissa mox omnia urgente necessitate, Lycortas immissis in arcem cetratis, ipse cum delectis exercitus sui urbem ingressus, & pro fortuna præsente populum in concione affatus, pollicitusque, sine vitio fidem omnibus servatum iri, ea, quæ ad re- E rum summam pertinere ostendit, ad totam gentem Achæorum se rejicere testatus est. Et opportune accidit, alterum concilium gentis tunc Megalopoli congregatum esse. Rei in Philopœmenem patrati facinoris jussi omnes sibi mortem consciscere: primusque eorum sese interemit Dinocrates. Exercitus cum triumpho inde abductus. Messenii in concilio Megalopolitano præcipuo studio Lycortæ in gratiam recepti, & societati Achaicæ restituti, gaudentibus omnibus, & gratiam Lycortæ habentibus. His de rebus Romæ certior factus senatus, velut oblitus prioris sententiæ suæ, accersitis Achæorum legatis sic jam respondit, providisse se, F ne quisquam ex Italia vel arma vel commeatum Messenam inferret: quod quidem cum priore responso haud quaquam congruebat: arguebat vero, Romanos in more positum habuisse, tempori se conformare. Cum autem legati Lacedæmoniorum Roma domum rediissent, & responsum hoc senatus, quod diximus, populo exposuissent, turbatus populus in diversa consilia & studia se scidit. Major pars e re civitatis putavit, cum Achæis plene reconciliari, & in communionem reipublicæ eorum, si impetrari id posset, concedere. Et hi virtute & æquitate Lycortæ in rebus Messeniis plurimum movebantur. Sed erant, quibus ista sententia quam maxime displiceret, quique secum statuerent, patria potius excedere, quam tali decreto locum dare. Oderant enim Achæos, & male sibi conscii vindictam ab iis metuebant. Quæ cum Lycortas cognovisset, præturam adhuc gerens, extemplo concilium Achæorum Sicyonem convocavit. In eo ipse discutiendam rem de Lacedæmone in societatem reipublicæ Achaicæ recipienda proposuit, multisque usus rationibus non negligendam occasionem esse commode se nunc offerentem, & cur utilem fore consociationem istam existimaret, demonstravit. Sic enim disserebat, Romanos, quibus antea auctore præcipuo Diophane, dissuasore se, arbitrium liberum de hac permissum urbe fuerat, nunc totum id ab se rejicere: respondisse enim legatis Lacedæmoniorum, res eorum ad se nihil pertinere: cupere autem eos, qui nunc rerum Lacedæmone potissimum potiuntur, Achaicæ societatis & reipublicæ fieri participes, quorum desiderio si morem gesserimus, inquiebat, duo perquam utilia nobis assequemur: nam tum eos nobis jungemus, qui semper Achæorum genti benevoli & fidi fuerunt, & deinceps ejus decreta probaturi & confirmaturi sunt, & pro accepto beneficio parem gratiam volentibus Diis, nobis relaturi; tum cum veteribus exulibus, quorum ingratos atque impios animos experti sumus, sponte sua urbe decessuris, & melioribus locum in ea daturis, in republica nihil habituri sumus commune. Verum obsistebat Diophanes, & qui cum eo faciebant, semper adversantes consiliis Lycortæ, & jam e vivis sublati Philopœmenis: monebantque Achæos, ne in gratiam paucorum urgerent & premerent etiam ipsi fortunam miserorum extorrium, qui contra jus & fas patria ejecti essent. Sed vicit sententia Lycortæ, & Lacedæmon in communionem societatis Achaicæ est recepta, atque hoc decretum columnæ, quod fieri in iis, quæ firma & immota censebantur, solebat, inscriptum: & ex exulum numero illi, qui nunquam ingrati atque improbi in Achæos animi signum edidissent. Mansitque ab eo tempore Lacedæmon consors reipublicæ Achaicæ. His rebus confectis, missus Romam est ab Achæis Bippus Argivus, a Lacedæmoniis Charon, qui de omnibus senatum facerent certiorem. Ab exulibus autem Cletis quoque istuc legatus, qui ipsorum causam contra legatos cæteros tueretur. Qui cum omnes Romæ abunde auditi essent, senatus quidem nihil eorum, quæ a civitate Spartana acta erant, reprehendit, aut indigne se ferre ostendit: exulibus vero promisit, ad Achæos se scripturum de illis in patriam restituendis. Idem senatus post aliquot dies a Bippo cognoscens, cui id in mandatis etiam erat datum, ut eam rem gestam exponeret, Messenen quoque priori loco & statui ab Achæis esse restitutam, nec hoc improbavit, legatosque omnes humaniter habuit. Reversus vero in Peloponnesum exulum Laconicorum legatus Cletis, literas senatus pro exulibus scriptas Achæis exhibuit. Sed hi responderunt, non ante quicquam hac de re statuere se posse, quam quos ipsi Romam misissent, domum quoque rediissent. Nec multo post Roma redux Bippus cum nunciasset, literas illas magis importunitati exulum esse datas, quam e voluntate senatus profectas, nihil porro de iis tunc actum. Hæc gesta L. Æmilio Paulo, Cn. Bæbio Tamphilo reipublicæ Romanæ Consulibus, anno urbis Romæ DLXXII. Altero anno post, A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone in consulatu agentibus, Prætor Achæorum Hyperbatus, e factione Diophanis, exulum eorumdem causam

causam & literas senatus Romani coram concilio in scenam reduxit, fretus subsidio Callicratis Leontesii viri turbulenti & pravi. At Lycortas, qui recens cum filio Polybio tum adhuc juvene, & Arato Sicyonio Arati prioris filio ætate jam provecta, quos omnes nominatim Ptolemæus Rex ad se mitti petiverat, ex honorata legatione Ægyptiaca domum reversus, postulata dicendi copia, monuit concilium, ne se moveri Romanorum literis paterentur ad mutandum aliquid, quod mutari sit nefas: Romanos sane facere id, quod eos deceat, quum miserorum hominum precibus æquitatis speciem habentibus morem gerant: sed ubi edocti ab aliquo fuerint, eorum, quæ petuntur, alia fieri haud posse, alia ingens dedecus cum detrimento sociis & amicis ipsorum inferre; non solere eos pertinacius agere, & ad vim se conferre; nec credibile, sui dissimiles eos in hac re esse futuros: quinimo putandum, ubi cognoverint, non posse nos petitioni eorum locum dare, nisi jusjurandum, leges, fœdera columnis inscripta, quibus communis nostra respublica contineatur, violamus, discessuros proposito suo, & arbitraturos, justam nos causam habere, cur moras nectamus, nec eorum petitioni statim morem geramus. Sed obniti sententiæ huic Prætor Hyperbatus & Callicrates Leontesius, & contendere summopere, sine mora faciendum, quod peteretur a Romanis, nec voluntati horum ullam legem, ullum columnæ impressum fœdus, aut omnino quicquam aliud esse anteferendum. Quam ob causam cum in diversa irent concilii sententiæ, placuit tandem legatos mittere Romam, qui de his, quæ dicta a Lycorta erant, senatus mentem exquirerent. Statimque editi sunt, qui legationem obirent, Callicrates ipse pestis patriæ pessima, Lysiades Megalopolitanus, Aratus Sicyonius, & his certa mandata, quibus insisterent, data. Qui Romam cum venissent, Callicrates solus in senatum vocatus, id quod clam ipse procuraverat, & dicere jussus, neglectis omnino mandatis, in orationem ejusmodi ingressus est, ac si pecunia emptus ad prodendam patriæ libertatem advenisset. Nec enim solum sententiam senatus, quod facere jussus erat, super eo, super quo inter se dissentiebant Achæi, non inquirebat, nec solum, eos qui a se in republica diffidebant, audacter cœpit accusare, sed etiam ipsum senatum Romanum velut negligentem officii sui commonere, & quid facto opus esset ad pessundandum patriæ suæ jus ac libertatem, docere. Ipsos nimirum Romanos dicebat sibi deesse, & causam dare, cur minus morigeros Græcos haberent, sive aliquid per literas ab ipsis peterent, sive quid imperarent: duas jam esse in omnibus civitatibus populari statu gaudentibus factiones, quarum altera censeret, obsecundandum Romanis per literas aliquid petentibus, nec ullam legem, ullum fœdus etiam columnæ inscriptum, aut aliud quidvis voluntate Romanorum potius habendum: altera in alia omnia iret, statuens, a legibus, fœderibus, juris jurandi religione non esse discedendum, moneretque populum, haud facile horum quicquam transgressione violandum: Et hanc vulgo Achæorum gratiorem esse, majoresque applausus invenire: ita fieri, ut qui partium Romanorum sint, apud vulgum jaceant despecti, & calumniis quoque sint obnoxii: alteri gloria & honore floreant. Quod si senatus velit, posse eum hæc quam celerrime mutare. Nam si vel leviter significarit, istuc animos se advertere, confestim rempublicam gerentes ad partes Romanorum transituros, & plebem præ metu exemplum eorum secuturam. Si autem hoc facere senatus neglexerit, sine dubio, qui jam adhuc partium Romanorum sint, ad

A factionem adversam concessuros, in qua paratam laudem & opinionem honestatis apud vulgum sint habituri: Et jam nunc videre licere, nonnullos maximos honores in civitatibus suis esse consecutos, & gloria florere, qui nihil aliud ad petendos magistratus attulerint, quam quod se quam maxime strenue petitioni & voluntati senatus dicerentur opposuisse, & leges patriæ decretaque facta defendisse. Quæ si placerent Romanis, & pati possent, a Græcis auctoritatem suam temni, tenerent sane morem suum: sin displicerent, & postulatis suis morem geri vellent, rem poscere, ut a more illo discederent. Quod ut facere occiperent, serio B eos hortabatur. Notum esse, in re Messenia quid paulo ante acciderit. Nequicquam scilicet monente & graviter dehortante Q. Marcio, non expectata voluntate Romani senatus, bellum esse in Messenios susceptum & gestum, agros vastatos, clarissimos civitatis viros partim in exilium actos, partim per varios cruciatus interemptos, ob hanc potissimum causam, quod ad disceptandam controversiam Romanos appellassent. Nam secus jam agi in negocio exulum Lacedæmoniorum: jamdudum intercessisse per literas pro iis Romanos, & restitutionem petiisse, nec adhuc ab ea petitione C desistere; tantum vero abesse, ut morem gerere factionis istius principes in animos suos induxerint, ut fœdus etiam icerint & columnæ inscripserint, ac maximo jurejurando se obstrinxerint, nunquam in restitutionem exulum se consensuros. Hæc Callicratis oratio ad jugulandam patriæ libertatem, pro qua tuenda missus ipse fuerat, nocentissimus pugio fuit. Auditi deinde exules sunt: quorum brevis, & ad movendam erga calamitosos misericordiam comparata oratio fuit. Callicratis collegas ad exponenda mandata a senatu admissos esse, ex Polybii fragmentis non comparet. Non adfuisse, cum verba faceret, & nefariam consilium D depromeret Callicrates, satis manifeste arguunt verba ejus, quæ paulo post subjiciuntur, Achæorum neminem scivisse, talia a Callicrate in senatu Romæ esse dicta. Exulibus e curia dimissis, ait *Polybius*, censuisse senatum, non aspernanda esse Callicratis monita & consilia; quosdam etiam differuisse, humiliandos esse in Græcia, qui Romanorum voluntati adversarentur, extollendos autem, qui pro ea laborarent: factumque esse in eam sententiam decretum, ut in singulis civitatibus ita fieret; hinc porro extitisse, procedente E tempore, ut assentatorum plena essent omnia, verorum autem amicorum copia rarescerct. Et tum, affirmante eodem, non solum ad Achæos literas dedit senatus, extimulans eos ad exules restituendos, sed etiam ad Ætolos, Epirotas, Athenienses, Bœotos, Acarnanas, petens ut rem eandem promoveant, in eum finem, ut frangerentur animi Achæorum. In responso autem legatis horum domum redituris dato nominatim de solo Callicrate adjecit, reliquorum nulla mentione facta, tales in singulis civitatibus esse convenire, qui rempublicam gererent, qualis sit Callicrates. Atque ita hoc gaudio ovans, quasi in re bene gesta, Roma F in Græciam est reversus, cum exitii patriæ suæ Achaiæ, atque adeo totius Græciæ verum fundamentum jecisset. Nam in eum usque diem æqui fœderis rationem cum Romanis quodammodo Achæi tutati fuerant temporibus difficillimis fidi eorum socii, & præclaris institutis florentes statum & fortunam suam auxerant. Sed audaci scelere Callicratis cœperunt in deterius vergere, qui id, cujus causa missus Romam erat, prorsus vertit in contrarium. Is exponens legationis suæ acta & eventum, metu a Romanis omnium fere mentes, maxime vero vulgi complevit, & qui legibus pœnas pen-

dere debebat, insigni præmio a populo sceleratæ fraudis ejus ignaro ornatus fuit. Prætor enim gentis in annum sequentem designatus est; statimque cum potestatem iniisset, exules Lacedæmonios pariter & Messenios contra jus & fas calcatis sanctissimis patriæ legibus in urbes quosque suas reduxit. Quin leges quoque Lycurgi, quas abrogaverat Philopœmenes, Lacedæmoniis tum reddiderit, aut in eam rem studium impenderit, & fundamenta ejus jecerit, apud me dubium non est. Nam acta Philopœmenis & Lycortæ, & qui earum partium erant, rescindere avebat, & abrogationem illam displicuisse Romanis, eosdemque eamdem Achæis exprobrasse non ignorabat. Omnia autem studia sua istuc referebat, ut Romanis placeret, & grata faceret, quibus se totum mancipaverat. In usum quidem rediisse apud Lacedæmonios Lycurgi instituta pleraque, ad disciplinam præsertim pertinentia, abunde docent ea, quæ ante in descriptione reipublicæ Laconicæ ex *Cicerone, Strabone, Pausania* recitavimus. Hic Pausanias in Achaicis affirmat, non per Callicratem Achæorum Prætorem, quod ait Polybius auctor multo certior, sed per legatos Romanos in Græciam rursum missos, Principe legationis eodem Appio Claudio, exules Spartanos in patriam esse reductos. In quo nisi error Pausaniæ sit, verosimile fuerit, legatos eos Callicrati, ut facilius res conficeretur, fuisse adjunctos. Et adjicit Pausanias, alia quoque a legatis iisdem ad Spartanos pertinentia esse acta: absolutos nimirum criminis, & mulctæ exemptos eos, quos Achæi præcipitantius, ut ferebatur, causa non plene cognita damnaverant: Spartam quidem communi reipublicæ Achæorum non exemptam, sed judicia tantum de Spartanorum capite aut vita ad exteros (scilicet ad Romanos, ut ex alio loco Pausaniæ paulo post sequente patet) translata; cæteras eorumdem causas Achæorum foro relictas. Et demum addit Pausanias, novo tunc muro Spartam etiam fuisse cinctam. Postremo subjicit, exules Spartanos patriæ redditos quiescere non potuisse in Achæos odio tumentes, omniaque consilia sua istuc retulisse, iis ut facerent male. Horum vero opera abusum esse Callicratem dubium non est, quem agendæ fabulæ ab se inchoatæ institisse strenue, nec ante desiisse, quam fœderis æqui jus, quod cum Romanis Achæi diu habuerant, in clientelam vertisset, ex *Polybio* cognoscimus. Observabat ille dicta factaque singulorum secum in gerenda republica non facientium, & ad Romanos deferebat, traducebatque: liberius verbum in crimen rapiebat, non prompte & statim postulatis succinentes, Romanorum hostes nuncupare non verebatur. Denique omnes fere, qui rempublicam gesserant, maxime qui copiis militaribus præfuerant, cum inter Romanos & Persea Regem Macedoniæ bellum gereretur, suspectos Romanis faciebat. Postremo, cum devicto Perseo Romani viros X. in Macedoniam misissent, qui & res ejus regni constituerent, & in statum populorum Græciæ inquirerent, apud hos calumniis suis id effectum dedit, ut Achæorum viri illustres, patriæ amantes, velut præjudicio suorum notati, quanquam id falsum esset, solummodo autem a Callicrate, & ejus sociis delati, inter quos Lycortas quoque, & ejus filius Polybius erant, plures quam mille Romam mitterentur, verbo ad dicendam causam: revera, ut per Hetruriam in custodiis haberentur, & procul a patria abessent. Atque hi, quanquam intercederent sæpius pro iis Achæorum legati eam ob causam Romam missi, testarenturque publice suorum nomine, in patria nullo præjudicio notatos esse, qui in custodiis haberentur, tamen per totos annos XVII. impetrare non potuerunt, ut aut causam sibi dicere, aut e custodiis exire liceret. Datum id, ut dicit *Polybius*, delatori & patriæ proditori Callicrati, in periculo futuro, si ab eo injuste delati ad suos redirent. Post annum XVII. pauciores trecentis, qui in vivis supererant, (reliquos enim fatum consumpserat,) demum dimissi: quorum in numero fuit Polybius, qui Romæ manere apud Principes civitatis, quibus carus esse cœperat, quam in patriam pessimorum hominum Callicrati similium libidini jam servientem redire maluit. Eodem tempore, quo hi dimissi fuere, quod accidit L. Quintio Flaminino, M. Acilio Balbo Consulibus, cum initia surgerent belli Punici III. Prætor Achæorum erat Menalcidas Spartanus Callicrate nequitia non inferior. Et eum in prætura secutus est Diæus Megalopolitanus utroque illo ni hilo melior. Horum improbitate ob pecuniam Oropiam male partam a Menalcida, de qua inter se dissidebant, conflatum est bellum inter Achæos & Lacedæmonios: quod velut manu duxit Romanos ad arma contra Achæos capienda, quibus tandem Duce L. Mummio Achæi magno prælio superati, Corinthus urbs Achaiæ primaria capta & excisa, Achæorum respublica funditus deleta, Achaia cum cæteris Græciæ regionibus Romanorum provincia facta. Exinde Lacedæmon inter Peloponnesi urbes præcipuo honore culta a Romanis ob gloriam majorum, & immunitate ac specie quadam libertatis donata, fortuna haud temnenda sub imperio populi Romani floruit, disciplinæ Lycurgi constanter inhærens, leviter turbata bello Mithridatico, sed statim quieti reddita. Imperante Cæsare Augusto, qui Romani imperii provincias diligentius ordinavit, ex voluntate hujus, Laconia omnis bifariam distincta fuit. Nam oppida hujus XXIV. maxime ea, quæ mari erant vicina, Spartanæ urbis juri exempta, & suis legibus vivere permissa fuere: quæ qui habitabant, Ἐλευθερολάκωνες, liberi Lacones, sunt nuncupati. Reliqua regio omnis cum oppidis & vicis Spartæ urbi contributa, & ejus tribubus accensa mansit, & hinc addita quoque fuit Messenii agri pars. Quæ ex *Pausania* patent. *Strabo* etiam docet, sæculo suo (is floruit, ut alibi dixi, sub eodem Augusto Cæsare, & ejus successore Tiberio) Euryclem quemdam, nimia Cæsaris gratia abutentem sub præfecturæ nomine dominatu Spartam aliquandiu pressisse, sed eo everso civitatem fortunæ priori esse redditam, & ab iis, qui Euryclem everterant, in meliorem ordinem gubernandi, id est, administrandæ reipublicæ fuisse redactam. Quo tempore credo, quia non invito Cæsare, dominus a cervicibus depulsus, & libertas restituta fuit, templa duo, alterum Cæsari Augusto, alterum parenti ejus C. Julio Dictatori Lacedæmone extructa fuisse, quorum in descriptione urbis meminit Pausanias. Is civium frequentia, ædificiis sacris & profanis, publicis & privatis eximiam fuisse suo tempore, cum Romano imperio præsiderent Antonini duo, Pius & Philosophus, in Laconicis ostendit. Postea rara ejus apud scriptores mentio, & obscura memoria per multa sæcula. Fortunam tamen mansisse mediocrem usque ad Græciam a Turcis oppressam ex Laonici Chalcondylæ historia satis constat. Apud quem legimus, Mahometem II. ejus nominis Turcarum Imperatorem, cognomento Magnum, qui Constantinopolim imperii orientalis sedem armis cepit, in Peloponnesum pervadentem, urbem Lacedæmonem, in quam Thomas Palæologus Peloponnesi Princeps se receperat, obsedisse, & dedente Principe in potestatem suam redegisse. Quo tempore nomen adhuc vetus eam tenuisse ex ipsa narratione intelligimus. Post a Turcis pessundata, cum fortunæ prioris reliquiis nomen quoque amisit: hodie Mizithra nuncupata a bar-

baris, oppidulo aut vico quam urbi similior, ruinas tantum & rudera veteris magnificentiæ ostendens. Habuisse eam in mœnium ambitu stadia XLVIII. sua ætate *Polybius* testatur, & tamen duplo majorem fuisse Megalopoli Arcadiæ patria sua, quamvis stadiis L. per circuitum patente. Quod incredibile dicit videri iis, qui geometriæ sint ignari. Nec tamen rationem ejus ipse explicat. Ea præcipue posita fuit in circumferentiarum diversa forma. Circumferentiam Spartanæ urbis circularem fere fuisse, ex *Xenophonte* alibi diximus. Solum ejus circumferentia clausum planum ut plurimum erat, hic illic collibus modice se attollens, ædificiis & structuris variis, nisi qua forum & quædam areæ aliæ patebant, obsitum: aditus ejusdem, per quos in urbem gressus ferebat, plerique anfractuosi ac difficiles, etiam cum

A muro non clauderetur. Imminebat urbi ab oriente Taygetus mons præruptus & excelsus ea parte ex Arcadiæ finibus veniens, & Laconiam totam pene usque ad mare meridiem versus percurrens, sed non pari altitudine, sæpe etiam valde subsidens, & propemodum intermissus. Ad cujus radices labebatur fluvius Eurotas, gelidus, profundus, aquis majorem anni partem abundans, in eadem Arcadia juxta Alphei fluminis alterius tota Peloponneso celeberri-
B mi fontes ortus, & Laconiam a septentrione ingressus, longoque tractu versus meridiem defluens, qua Spartam prætervehebatur, Taygeti radices radens, non longius sesquistadio ab ea in ortum distabat: dein reliquam regionem permeans in sinum maris, qui inter promontoria Maleam & Tænarum fundebatur, non procul Gytheo exibat.

APPENDIX
DE
SITU, AMPLITUDINE, MAGNIFICENTIA, PORTU CARTHAGINIS.

CARTHAGINIS situm, amplitudinem, magnificentiam, portum nobilissimum antiquos scriptores optimos velut penicillo delineare, & oculis nostris quasi subjicere, dixi. Eorum verba libet heic in gratiam lectorum adscribere. In parte ea litoralis Africæ, secundum mare mediterraneum ab occasu in ortum porrectæ, quæ Numidiam in orientem sequitur, & proprie Africa, sive Africa minor, ac regio Carthaginiensis nuncupatur, incredibilis fertilitatis, & cœli serenissimi, duo promontoria in mare se efferunt ex adverso maris Tyrrheni & Italiæ, quorum alterum, quod occidentem spectat, Apollinis, alterum quod orientem, Mercurii veteres appellarunt. Inter quæ promontoria sinus est medius modice in meridiem descendens, ac se curvans. In hoc sinu duæ nobiles urbes quondam floruere UTIGA & CARTHAGO, non admodum longo intervallo inter sese distantes, utraque a Phœnicibus orta. Sed Utica multo nobilior & major & potentior fuit Carthago, cujus rempublicam descripsimus. De hac Polybius Historiographus, qui ipsam incolumem florentemque vidit, & in obsidione atque excidio ejusdem cum P. Scipione Æmiliano Romano Imperatore fuit, sic scribit libro primo, exponens bellum, quod Africum cæteris mercenariis statim post finitum bellum Punicum primum inter æmulas civitates Carthaginem & Romam summa animorum pertinacia per annos XXIII. gestum, Carthaginiensibus intulere: *ἡ γὰρ Καρχηδὼν αὐτὴ μὲν ἐν κόλπῳ κεῖται προτείνουσα, καὶ χερρονησίζουσα τῇ θέσει, τὸ μὲν τῇ θαλάττῃ, τὸ δέ τι καὶ λίμνῃ περιεχομένη κατὰ τὸ πλεῖστον. ὁ δὲ συνάπτων ἰσθμὸς αὐτὴν τῇ Λιβύῃ τὸ πλάτος ὡς εἴκοσι καὶ πέντε σταδίων ἐστί. τούτου δ' ἐπὶ μὲν τοῦ πρὸς τὸ πέλαγος νεύοντος μέρους οὐ μακρὰν ἡ τῶν Ἰτυκαίων κεῖται πόλις· ἐπὶ δὲ θατέρου παρὰ τὴν λίμνην ὁ Τύνης. ἐφ' ὧν ἑκατέρων τότε στρατοπεδεύσαντες οἱ μισθοφόροι καὶ*

C *διακλείσαντες ἀπὸ τῆς χώρας τοὺς Καρχηδονίους, λοιπὸν ἐπεβούλευον αὐτῇ τῇ πόλει, καὶ ποτὲ μὲν ἡμέρας, ποτὲ δὲ καὶ νύκτωρ παραγενόμενοι πρὸς τὸ τεῖχος εἰς φόβους καὶ θορύβους ὁλοσχερεῖς ἐνέβαλλον τοὺς ἔνδον.* Quæ sic reddit clarissimus Is. Casaubonus: *Urbs namque hæc Carthago in sinum quemdam prona, peninsulæque ad figuram accedens, hinc mari; hinc lacu maxima sui parte cingitur. Isthmus, quo Africæ jungitur, patet in latitudinem stadia* XXV. *Sitaque est in hujus spacii latere, quod vergit ad mare, Utica modico ab urbe intervallo: in altero secun-*
D *dum lacum est Tunes. Ad quæ duo loca cum mercenarii castra admovissent, & Carthaginienses a cætera regione exclusissent, ipsi jam Carthagini imminebant: ac modo interdiu, modo noctu ad muros accedentes metu & trepidatione maxima intus omnia miscebant.* Idem Polybius paulo post sic ait, de Amilcare Duce loquens: *Τῶν γεωλόφων τῶν ἐπιζευγνυόντων τὸν αὐχένα τὸν συνάπτοντα τὴν Καρχηδόνα πρὸς τὴν Λιβύην, ὄντων δυσβάτων, καὶ χειροποιήτους ἐχόντων διεκβολὰς ἐπὶ τὴν χώραν· συνέβαινε τοὺς περὶ τὸν Μάθω πάντας τοὺς διὰ τῶν προειρημένων λόφων εὐκαίρως κειμένους τόπους φυλακαῖς διειληφέναι. Πρὸς δὲ*
E *τούτοις τοῦ προσαγορευομένου Μάκαρος ποταμοῦ διείργοντος κατά τινας τόπους παραπλησίως τὴν ἐπὶ τὴν χώραν τοῖς ἐκ τῆς πόλεως ἔξοδον, καὶ διὰ τὸ πλῆθος τοῦ ῥεύματος ἀβάτου κατὰ τὸ πλεῖστον ὑπάρχοντος, μιᾶς δ' οὔσης ἐπ' αὐτοῦ γεφύρας, καὶ ταύτην τηρεῖν τὴν δίοδον ἀσφαλῶς, πόλιν ἐπ' αὐτῆς ᾠκοδομηκότας· ἐξ ὧν συνέβαινε τοὺς Καρχηδονίους μὴ οἷον στρατοπέδῳ τῆς χώρας ἐπιβαίνειν· ἀλλὰ μηδὲ τοὺς κατ' ἰδίαν θέλοντας διαπεσεῖν, ῥᾳδίως ἂν δύνασθαι λαθεῖν τοὺς ὑπεναντίους. Εἰς ἃ βλέπων Ἀμίλκας*, &c. Quæ sic vertit idem
F Casaubonus: *Cervix illa, quæ Africæ Carthaginem jungit, colles terrenos in ipsa commissione habet difficiles & arduos: inque his arte munitæ sunt viæ, per quas in regionem patet transitus. Tunc autem Matho (hic hostium Dux erat) omnia bello opportuna loca in illis collibus firmata præsidiis custodiebat. Ad hæc, quum Macar fluvius locis nonnullis similiter transitum impediat iis, qui ex urbe in regionem tendunt, ac propter aquarum copiam vado ut*

plurimum transiri nequeat, Matho pontem ei amni impositum, qui est unicus, magna diligentia tuebatur, urbe etiam ad illum extructa: ex quo fiebat, ut non solum exercitus in regionem ducere non possent, sed ut ne singuli quidem hostem effugerent, qui transire conarentur. Hæc Amilcar videns, &c. Idem Polybius libro eodem belli hujus ejusdem causas & initia exponens de Tunete oppido Carthagini vicino sic ait: Ἐξοργισθέντες δὲ (οἱ μισθοφόροι) πρὸς τοὺς Καρχηδονίους, ὥρμησαν πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατεστρατοπέδευσαν ἀπέχοντες ὡς ἂν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στάδια τῆς Καρχηδόνος ἐπὶ τῷ καλουμένῳ Τύνητι, πλείους ὄντες τῶν δισμυρίων. οἱ δὲ Καρχηδόνιοι τότε πρὸ ὀφθαλμῶν ἐλάμβανον τὴν αὑτῶν ἄγνοιαν, ὅτ' ἦν οὐδὲν ὄφελος. Id est: *Mercenarii ira succensi adversus Carthaginienses, infesti ad urbem feruntur: & quindecim millia passuum ab ea Tunete castra ponunt. Erant hi supra viginti millia. Tum demum Carthaginiensibus error suus ob oculos obversari, cum nihil eos sera pœnitentia juvabat.* Et post pauca memorat, Gesconem Ducem ad placandos eosdem hos iratos milites cum pecunia ex urbe Carthagine missum, profectumque mari Tunetem appulisse; ubi verba Græca cum aliis sic habent: Ὁ Γέσκων παραγενόμενος κατὰ θάλατταν μετὰ τῶν χρημάτων, καὶ προσπλεύσας πρὸς τὸν Τύνητα, τὸ μὲν πρῶτον λαμβάνων τοὺς ἡγεμόνας, &c. Quæ verba significare videntur per mare navigari potuisse & appelli Tunetem. Judicium lectori relinquo. Et rursum idem libro XIV. Ὁ δὲ Τύνης ἀπέχει μὲν τῆς Καρχηδόνος ὡς ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους. Ἔστι δὲ σύνοπτος σχεδὸν ἐξ ὅλης τῆς πόλεως. Διαφέρει δ' ὀχυρότητι, καὶ φυσικῇ καὶ χειροποιήτῳ, καθάπερ καὶ πρότερον ἡμῖν εἴρηται. Hoc est: *Tunes Carthagine abest stadia quasi* CXX. *Locus cum operibus tum suapte natura, sicut jam ante ostendimus, tutus, quique ex omni fere parte Carthaginis potest conspici.* Eundem Polybii locum Livius in historiam suam transferens sic scribit: *Scipio gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera castra ad Uticam missis, jam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum* TUNETA. *Abest ab Carthagine duodecim millia ferme passuum, locus tum operibus, tum suapte natura tutus, & qui ab Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum tum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi posset.* lib. XXX. cap. IX. Strabo Geographorum, quorum scripta ad nos venere, antiquissimus. De Carthaginis situ sic scribit: Καρχηδὼν δὲ ἐπὶ χερρονήσου τινὸς ἵδρυται, ἐπιγραφούσης κύκλον τριακοσίων ἑξήκοντα σταδίων ἔχοντα τεῖχος, οὗ τὸ ἑξηκοντασταδίον μῆκος αὐτὸς ὁ αὐχὴν ἐπέχει, καθήκων ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν, ὅπου τοῖς Καρχηδονίοις ἦσαν αἱ τῶν ἐλεφάντων στάσεις, καὶ τόπος εὐρυχωρής. Κατὰ μέσην δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, ὀφρὺς ἱκανῶς ὀρθία, κύκλῳ περιοικουμένη. κατὰ δὲ τὴν κορυφὴν ἔχουσα Ἀσκλήπιον, ὅπερ κατὰ τὴν ἅλωσιν ἡ γυνὴ τοῦ Ἀσδρούβα συνέπρησεν αὐτῇ. Ὑπόκεινται δὲ τῇ ἀκροπόλει οἵ τε λιμένες καὶ ὁ Κώθων, νησίον περιφερὲς εὐρίπῳ περιεχόμενον, ἔχοντι νεωσοίκους ἑκατέρωθεν κύκλῳ. Κτίσμα δ' ἐστὶ Διδοῦς ἀγαγούσης ἐκ Τύρου λαόν. Deinde post nonnulla de coloniæ hujus felicitate subjicit porro, Carthaginienses omnem quoque Africam, quæ non ab hominibus incerta sede vagantibus habitaretur, sibi subjecisse. Et longius progrediens ait: Ἀφ' ἧς δυνάμεως πόλιν τε ἀντίπαλον τῇ Ῥώμῃ κατεσκευάσαντο, καὶ τρεῖς ἐπολέμησαν πρὸς αὐτοὺς μεγάλους πολέμους. Γένοιτο δ' ἂν εὔδηλος ἡ δύναμις αὐτῶν ἐκ τοῦ ὑστάτου πολέμου, ἐν ᾧ κατελύθησαν ὑπὸ Σκηπίωνος τοῦ Αἰμιλιανοῦ, καὶ ἡ πόλις ἄρδην ἠφανίσθη. Ὅτε γὰρ ἤρξαντο πολεμεῖν τοῦτον τὸν τρόπον, πόλεις μὲν εἶχον τριακοσίας ἐν τῇ Λιβύῃ, ἀνθρώπων δ' ἐν τῇ πόλει μυριάδας ἑβδομήκοντα· πολιορκούμενοι δὲ καὶ ἀναγκασθέντες τραπέσθαι πρὸς ἔνδοσιν, πανοπλιῶν μὲν ἔδοσαν μυριάδας εἴκοσι· καταπελτικὰ δὲ ὄργανα τρισχίλια ὡς οὐ πολεμηθησόμενοι. Κριθέντος δὲ πάλιν τοῦ ἀναπολεμεῖν, ἐξαίφνης ὁπλοποιίαν συνεστήσαντο· καὶ ἑκάστης ἡμέρας ἀνεφέροντο θυρεοὶ μὲν ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα πεπηγότες· μάχαιραι δὲ τριακόσιαι, καὶ λόγχαι πεντακόσιαι, χίλια δὲ βέλη καταπελτικά· τρίχα δὲ τοῖς καταπέλταις αἱ θεράπαιναι παρεῖχον. Ἔτι τοίνυν ναῦς ἔχοντες δώδεκα ἐξ ἐτῶν πεντήκοντα κατὰ τὰς ἐν τῷ δευτέρῳ πολέμῳ συνθήκας· τότε καίπερ ἤδη συμπεφευγότες εἰς τὴν Βύρσαν ἐν δίμηνῳ κατεσκεύασαντο ναῦς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν καταφράκτους, καὶ τοῦ στόματος τοῦ Κώθωνος φρουρουμένου διώρυξαν ἄλλο στόμα, καὶ προσῆλθεν αἰφνιδίως ὁ στόλος· ὕλη γὰρ ἦν ἀποκειμένη παλαιά, καὶ τεχνιτῶν πλῆθος προσεδρεῦον καὶ σιταρκούμενον δημοσίᾳ. Τοιαύτη δ' οὖσα Καρχηδών, ὅμως ἑάλω, καὶ κατεσκάφη. Quæ latine sic vertit doctissimus Xylander: CARTHAGO *in peninsula quadam jacet, quæ ambitum habet stadiorum* CCCLX. *muro cinctum, cujus sexaginta stadiorum longitudinem collum occupat, quod a mari ad mare pertinet, ubi Carthaginiensium elephanti stabula habebant, & locus amplissimus est. In media urbe arx fuit quam Byrsam vocarunt, supercilium satis erectum, circum circa habitatum, in cujus vertice Æsculapii templum erat, quod Asdrubalis uxor capta urbe secum concremavit. Arci portus subjacent, & Cothon parva insula ac rotunda Euripo circumdata, ad cujus utramque partem sunt in orbem navalia. Eam urbem Dido condidit Tyro, colonis eo adductis, profecta. Et adeo bene cessit hæc Pœnis colonia*, &c. Et mox: *Quibus opibus usi, Carthaginienses scilicet, urbem suam Romæ æmulam fecere, & tria maxima contra Romanos bella gessere. Carthaginiensium potentiam maxime ex ultimo eorum bello æstimare possis, quo a Scipione Æmiliano ipsi devicti, & urbs solo est æquata. Initio enim ejus belli* CCC. *urbes in Africa habebant: in urbe hominum millia septingenta. Obsessi porro, & ut ad deditionem spectarent, coacti armaturæ gravis tradiderunt ducenta millia, catapelticorum instrumentorum tria millia, ne porro iis bellum fieret. Sed cum rursus bellum gerere decrevissent, mox arma fabricari cœpere: ac singulis diebus* CXL. *clypei compacti in armamentarium referebantur, & gladii* CCC. *& lanceæ quingentæ, & mille tela; quæ e catapultis mitterentur: ad quarum funes conficiendos ancillæ crines præbebant. Adhuc naves* XII. *habebant ab anno quinquagesimo e fœderibus in secundo bello percussis. Tum vero tametsi in arcem confugissent, duobus mensibus* CXX. *naves cataphractas construxerunt, & cum Cothonis ostium præsidio occuparetur, aliud effodere, unde subito classis erupit: adhuc enim antiqua materies in promptu erat, & fabrorum multitudo publicis alimentis sustentata operi faciundo intenta. Carthago tamen, tanta cum esset, capta est & deleta.* De Utica Carthagini vicina sic scribit idem Strabo paulo ante locum jam recitatum: *Utica & magnitudine & dignitate secunda est a Carthagine: atque hac excisa caput regionis fuit* (μητρόπολις) *& receptaculum* (ὁρμητήριον) *Romanis ad res in Africa gerendas. In eodem sinu sita est, in quo Carthago, ad alterum ex promontoriis, quæ sinum faciunt. Horum id quod juxta Uticam est, Apollonium vocatur, alterum vero Hermæum. Urbes ipsæ ita sunt sitæ, ut unam possis ex altera cernere. Prope Uticam Bagrada fluvius labitur.* Appianus Alexand. libro de bellis Punicis: Ἦν δὲ ἡ πόλις Καρχηδὼν ἐν μυχῷ κόλπου μεγίστου, χερρονήσῳ τινὶ μάλιστα προσεοικυῖα. αὐχὴν γὰρ αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἠπείρου διήγειρεν, εὖρος ὢν πέντε καὶ εἴκοσι σταδίων· ἀπὸ δὲ τοῦ αὐχένος ταινία στενὴ καὶ ἐπιμήκης, ἡμισταδίου μάλιστα τὸ πλάτος, ἐπὶ δυσμὰς ἐχώρει, μέση λίμνης τε καὶ τῆς θαλάσσης, ἁπλῷ τείχει περὶ κρημνὰ οὖσα. τὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν ἐς ἤπειρον, ἔνθα καὶ ἡ Βύρσα ἦν ἐπὶ τοῦ αὐχένος, τριπλῷ τείχει. τούτων δ' ἕκαστον ἦν ὕψος μὲν πηχῶν τριάκοντα, χωρὶς ἐπάλξεων

τε καὶ πύργων, οἱ ἐκ διπλέθρου διαστήματος αὐτοῖς τετρόροφοι περιέκειντο· βάθος δὲ ποδῶν τριάκοντα. διόροφον δ' ἦν ἑκάστου τείχους τὸ ὕψος, καὶ ἐν αὐτῷ κοίλῳ τε ὄντι καὶ στεγανῷ, κάτω μὲν ἐστάθμευον ἐλέφαντες τριακόσιοι, καὶ θησαυροὶ παρέκειντο αὐτοῖς τῶν τροφῶν. ἱπποστάσια δ' ὑπὲρ αὐτοὺς ἦν τετρακισχιλίοις ἵπποις, καὶ ταμιεῖα χιλοῦ τε καὶ κριθῆς, ἀνδράσι τε καταγωγαὶ πεζοῖς μὲν ἐς δισμυρίους, ἱππεῦσι δὲ ἐς τετρακισχιλίους. Τοσήδε παρασκευὴ πολέμου διετέτακτο σταθμεύειν ἐν τοῖς τείχεσι μόνοις. Γωνία δ' ἡ παρὰ τὴν γλῶσσαν ἐκ τοῦδε τοῦ τείχους ἐπὶ τοὺς λιμένας περιέκαμπτεν, ἀσθενὴς ἦν μόνη, καὶ ταπεινή, καὶ ἠμέλητο ἐξ ἀρχῆς· οἱ δὲ λιμένες ἐς ἀλλήλους διεπλέοντο, καὶ ἔσπλους ἐκ πελάγους ἐς αὐτοὺς ἦν εἷς εὖρος ποδῶν ἑβδομήκοντα· ὃν ἁλύσεσιν ἀπέκλειον σιδηραῖς. ὁ μὲν δὴ πρῶτος ἐμπόροις ἀνεῖτο, καὶ πείσματα ἦν ἐν αὐτῷ πυκνὰ καὶ ποικίλα· τοῦ δ' ἐντὸς ἐν μέσῳ νῆσος ἦν, καὶ κρηπῖσι μεγάλαις ἥ τε νῆσος καὶ ὁ λιμὴν διείληπτο. νεωρίων τε ἔγεμον αἱ κρηπῖδες αἵδε ἐς ναῦς διακοσίας καὶ εἴκοσι πεποιημένων, καὶ ταμιείων ἐπὶ τοῖς νεωρίοις ἐς τριηρετικὰ σκεύη. Κίονες δ' ἑκάστου νεωσοίκου προὔχον Ἰωνικοὶ δύο εἰς εἰκόνα στοῆς τὴν ὄψιν τοῦ τε λιμένος καὶ τῆς νήσου περιφέροντες. ἐπὶ δὲ τῆς νήσου σκηνὴ πεποίητο ναυάρχῳ, ὅθεν ἔδει καὶ τὸν σαλπιγκτὴν σημαίνειν, καὶ τὸν κήρυκα προλέγειν, καὶ τὸν ναύαρχον ἐφορᾶν. ἔκειτο δ' ἡ νῆσος κατὰ τὸν ἔσπλουν, καὶ ἀνετέτατο ἰσχυρῶς, ἵνα ὅ τε ναύαρχος τὰ ἐκ πελάγους πάντα ἐφορᾷ, καὶ τοῖς ἐπιπλέουσιν ἀφανὴς ἡ τῶν ἔνδον ἡ ὄψις ἡ ἀκριβής. οὐ μὴν οὐδὲ τοῖς ἐσπλεύσασιν ἐμπόροις εὐθὺς ἦν τὰ νεώρια σύνοπτα· τεῖχός τε γὰρ αὐτοῖς διπλοῦν περιέκειτο, καὶ πύλαι αἳ τοὺς ἐμπόρους ἀπὸ τοῦ πρώτου λιμένος ἐς τὴν πόλιν ἐσέφερον οὐ διερχομένους τὰ νεώρια. οὕτω μὲν εἶχεν ἡ πόλις ἡ Καρχηδονίων ἡ τότε. Quæ sic vertit in linguam Latinam doctiss. Sigismundus Gelenius: *Sita erat Carthago in intimo sinu magno, peninsulæ similis. Cervix enim eam a continente separabat lata* XXV. *stadia. Ab ea cervice lingua quædam oblonga, semistadium lata, excurrebat versus occidentem inter stagnum & mare, rupibus undique munita, & muro simplice. Versus meridiem & continentem, ubi etiam Byrsa erat in cervice, murus triplex erat, altus* XXX. *cubitos absque propugnaculis & turribus, quæ binorum jugerum spaciis inter se distabant per circuitum, nixæ fundamentis* XXX. *pedum, singulæ contignationum quatuor. Muri vero ad secundam contignationem pertingebant. Erant autem fornicati & capaces, in quorum infima parte* CCC. *elephanti stabulabantur, adjunctis pabuli promptuariis. Superius erant quatuor millium equorum stabula cum hordei penuariis. Virorum quoque diversoria* XX. *millium peditum, quatuor millium equitum. Tantus apparatus bellicus ordinarium locum habebat in solis mœnibus. Angulus autem, qui ab hoc muro præter dictam linguam ad portus flectebatur, solus erat debilis & humilis, neglectus a principio. Hi portus sic erant dispositi, ut navigatio esset ex alio in alium, & ab alto unum commune os patebat latum pedes* LXX. *quod claudebatur catenis ferreis. Primus portus negociatorum erat, & in eo tabernæ in nautarum usum multæ varii generis. Interioris vero portus in medio fuit insula; quæ, sicut & portus, perpetuas habebat crepidines magnas navalibus refertas, quæ* CCXX. *naves caperent: his cellæ imminebant, ubi condebantur instrumenta triremium. Unum autem quodque navale in fronte habebat duas columnas operis Jonici, ut circumspicientibus repræsentarent speciem porticus tam in portu quam in insula: in qua erat & præfecti classis prętorium, unde tubicen solebat canere classicum & præco edicere, & præfectus prospicere. Erat autem hæc insula ori portus opposita, & in longum spacium patebat, ut præfectus procul videret omnia, quæ in alto fierent, cæterum adnavigantibus non essent conspicui recessus portuum: imo nec mercatoribus quidem portum suum intrantibus statim in conspectu erant navalia. Nam circundata erant muro duplici: & porta negociatores e primo portu in urbem transmittebat non transeuntes per navalia. Hæc erat illo tempore facies*

A *Carthaginis*. Hactenus verba Appiani: qui sine dubio totum hunc locum transcripsit ex Polybii historia de bello Punico tertio, & Carthaginis excidio, quę ad nos non pervenit. Idem Appianus docet, locum in urbe peramplum fuisse mœnibus contiguum, cui nomen Megara, & eum, occupata prius privati hominis turri sita extra mœnia iisdem mœnibus proxima, & paris cum mœnibus altitudinis, ex eadem illa turri per noctem oppugnatum & captum esse a Scipione, atque istuc ipsum, diffracta per audaces juvenes, qui primi ex męnibus in Megara desilierant, porta, cum militibus quater mille ingressum, ac in tantum terrorem tum Carthaginienses dedisse, ut hi
B quasi reliqua urbe capta in Byrsam arcem confugerint: verum Scipionem, propterea quod Megara hortis & stirpibus æstivorum fructuum feracibus plena essent, & maceriis vivisque sepibus ac aliis sentibus distincta, & rivi profundi ac flexuosi complures quoque locum permearent, insidias nocturnas tali loco veritum, si sui hostem persequerentur, pedem inde tunc retulisse. Dein paulo post Appianus hęc addit: *Scipio toto Isthmo* (intelligit cervicem, qua Carthaginis sedes seu solum peninsulare continenti cohærebat) *potitus fossam a mari ad mare perduxit, ad teli jactum ab hostibus semotus. Illi tamen opus impedire*
C *conabantur, quod per stadia* XXV. *militibus operantibus simul & propugnantibus absolutum est. Quo perfecto aliam fossam parem fodit, non multum a priore disjunctam, spectantem ad mediterranea: addiditque duas præterea alias istis similes, & circumpositas, ita ut totum opus fossionis fieret quadrangulum, omnesque ejus partes muniit vallis acutis: & post vallos fossas alias vallumque castrense duxit. Ea vero parte, quæ Carthaginem spectabat, murum etiam extruxit* XXV. *stadiorum longitudine, altitudine pedum* XXI. *præter propugnacula & turres, quæ per intervalla muro imminebant: latitudo seu crassities muri dimidium altitudinis æquabat. In medio turris erat altissima tecta*
D *quadruplici fastigio ligneo, unde despicere licebat ea, quæ in urbe fierent. His operibus totius exercitus labore absolutis intra dies noctesque* XXIV. *militibus vicissim nunc arma tenentibus nunc opus facientibus, nec cibum nec somnum nisi necessarium capientibus, in his castris collocavit copias: præbuitque ei hoc opus tum castrorum usum, tum munitionum contra hostes extensarum. Hinc enim erumpens commeatum, qui a terra iis afferebatur, Carthaginiensibus adimebat. Nam hac sola cervice excepta reliqua omnis urbs undis circumluebatur. Atque hæc prima, ac maxime famis malorumque causa obsessis fuit.* Post quæ apertius explicans & evolvens Appianus rationes has, ob quas
E commeatuum angustia jam laborare inciperent obsessi, ait, mare circum urbem Carthaginem importuosum & præruptum fuisse, & fluctus ob petras maxime turbidos, ut naves Romanæ quanquam circumsisterent urbem, tamen nec continua serie nec densim ibidem stare possent, nec propius ad urbem fluitare ob Pœnos in muris consistentes: atque idcirco dicit, ab equitum Pœnorum præfecto foris agente, observata occasione vehementius e mari afflantis venti, amissas celeres naves pansis velis, quas consequi triremes non possent, cum pauculo frumento in portum Carthaginis interdum fuisse delatas. Quibus deinde subjicit idem Appianus hæc verba;
F Καὶ ὁ Σκηπίων τοῦτο αἰσθανόμενος ἐπενόει τὸν ἔσπλουν αὐτοῖς τοῦ λιμένος ἐς δύσιν τε ἀφορῶντα, καὶ οὐ πάνυ πόρρω τῆς γῆς ὄντα ἀποκλεῖσαι. Χῶμα οὖν ἐς τὴν θάλασσαν ἔχουν μακρὸν, ἀρχόμενος μὲν ἀπὸ τῆς ταινίας, ἣ μεταξὺ τῆς λίμνης οὖσα καὶ τῆς θαλάσσης, γλῶσσα ἐκαλεῖτο· προϊὼν δ' ἐς τὸ πέλαγος, καὶ εὐθύνων ἐπὶ τὸν ἔσπλουν, ἤρειδε λίθοις τε μεγάλοις, καὶ πυκνοῖς, ἵνα μὴ ὑπὸ τοῦ κλύδωνος διαφθείροιντο· καὶ πλάτος τοῦ χώματος, τὸ μὲν ἄνω, τεσσάρων καὶ εἴκοσι ποδῶν, τὸ δ' ἐς τὸν βυθὸν καὶ τετραπλάσιον ἦν. Id est: *Ubi id sensit Scipio, conatus est claudere os portus ad occidentem spectans,*

& non longe remotum a litore. Produxit igitur in mare longum aggerem ab ea lingua, quæ inter stagnum erat & mare, per altum recta versus os protendens, dejectus & constipatis saxis prægrandibus ne fluctibus cederent. Ejus aggeris latitudo XXIV. *pedum fuit in superficie, in fundo vero quadrupla. Id opus Pœni initio videbant contemnentes, ut tarde aut fortasse nunquam absolvendum. Sed cum totus exercitus certatim conferret operas, non interdiu, non noctu laborem intermittendo, tandem territi aggressi sunt diversa portus parte, qua peninsula procurrit in medium pelagus, fodiendo aperire os aliud, quo nullus agger procedere poterat propter maris altitudinem, & vim ventorum sævientem. Fodiebant autem populariter una cum mulieribus & pueris, intus incipientes, & occulte versantes in opere: simulque triremes ac quinqueremes ædificabant e materia vetere, summa cum alacritate ac audacia. Et adeo celabant omnia, ut ne capt.vi quidem possent Scipioni quicquam manifeste dicere, nisi strepitum in portubus esse die noctuque continuum, cæterum, in quem usum, se nescire: donec apparatis jam rebus omnibus Carthaginienses aperuerunt os portus circa diluculum, & eruperunt quinquaginta triremibus: cercuris vero, myoparonibus & aliis minoribus navigiis multis, & ad terrorem ornatis egregie. Romanos & novum os repente apertum, & classis inde erumpens terruit, ut Carthaginienses, si continuo classem aggressi fuissent, neglectam absentibus & ad oppugnationem versis tum sociis navalibus, tum remigibus, facile totam potuerint in suam potestatem redigere. Nunc quia fatale erat deleri Carthaginem, contenti ostentatione insultationeque superba in portum reverterunt.* Hucusque Appiani verba Latine reddita. Post quæ dicit, tertio ab hoc eventu die exiisse rursum classem Punicam, & tunc navale prœlium commissum esse difficillimum & pertinacissimum, fortunaque varium In cujus prœlii descriptione docet, aggerem fuisse ante mœnia Carthaginis spaciosum, portui vicinum, dudum ad excipiendas negotiatorum sarcinas excitatum: & juxta hunc, ne ponendis illic castris (cui rei ob spacium non incommodus erat) a Romanis occuparetur, murum brevem durante hoc bello esse extructum: hunc aggerem, quod infestando portui, & oppugnandis mœnibus idoneus videretur, post certamen navale ad eumdem in multam noctem extractum, a Scipione summa vi postridie esse appetitum, & in potestatem redactum, mox etiam collocatis ibi machinis variis vim munitionibus urbanis ex eo loco intentari cœpisse: Situm porro ejus talem fuisse, ut obsessis accessus ad eum ad incendendas hostium machinas urbi perquam periculosas, (cujus rei desiderio vehementer æstuabant) nec terra (transitus enim non patebat) nec navibus (erat enim mare ibi vadosum navium non patiens) ullus daretur: & tamen vadando alios ad pectus usque undis immersos, alios natando, utrosque toto corpore nudos, tædas vero sine flammis ferentes, ne conspici e longinquo possent, per noctis tenebras, qua hostium nemo expectaverat, illuc devenisse, & accensis repente tædis, summa audacia non vulnera non mortem veritos, per medios hostes armatos & resistentes ad machinas velut lymphatos sese intulisse, easque incendio dedisse, quinetiam hostes tanta audacia perculsos in fugam compulisse & eorum castra terrore complevisse, ac tandem re, ob quam venerant, patrata, eadem via, qua venerant, & eodem modo ad suos revertisse: Scipionem ægre fugam suorum sistere, & trepidationem comprimere potuisse: veruntamen sedata consternatione locum illum recuperasse, operibusque munivisse, impositisque ei quatuor armatorum millibus & machinis novis constructis, proxima urbi inde infesta habuisse, acta hæc vergente jam æstate.

Per hyemem secutam scribit *Appianus*, Scipionem reliquos hostium in vicina regione feliciter debellasse, & infinitam eorum cædem edidisse, decem millia in servitutem abduxisse, oppida munita cepisse, omnem spem commeatuum ex continente Carthaginiensibus abscidisse: cuncto autem vere in castra ad Carthaginem regressum Byrsam arcem & portum, cui Cothoni nomen, simul esse aggressum, & decepto Asdrubale Carthaginiensium supremo Duce, partem portus murumque ejus urbi præcinctum per C. Lælium occupasse: atque inde ipsum, in forum portui proximum perrupisse, & in eo ob ingruentes jam tenebras armatum cum omnibus pernoctasse, & cum vix diluxisset, quater mille recentes milites eodem venire jussisse; hos Apollinis fanum, quod illic erat ditissimum, ingressos, statuam ejus auratam, & cellam interiorem bracteis aureis pondo mille talentorum undequaque incrustatam in prædam vertisse, eamque ensibus secuisse, nequicquam prohibentibus præfectis: tum præda divisa ad reliqua agenda perrexisse: Scipionem interea in Byrsam urbis partem munitissimam, in quam civium plurimi, velut in arcem, confugerant, contendisse; ascensus in eam acclives fuisse tres, singulos domuum sublimium, contignationum senum serie densa utrinque septos, e quibus Romani in arcem enisuri telis omnis generis desuper feriebantur. Pergit deinde *Appianus*, & exponit varios ac difficiles Romanorum labores exantlatos, dum eniterentur in arcem, in viis pariter & domorum tectis planis, in quæ evaserant, contra eos, qui se objiciebant, depugnantes: describitque graphice plusquam miserabilem & vere lamentabilem faciem & fragorem ruentis Carthaginis, urbis maximæ & paulo ante florentissimæ ac splendidissimæ, & omnis generis casus lugubres, ac varias acerbasque mortes pereuntium hominum, ut neminem ea legere sine dolore & gemitu posse, qui ferreus non sit, existimem. Scipio certe victor, ut testatus est, qui præsens ei adstitit. *Polybius*, cum cadentem, & ardentem urbem, potentia nuper maximis Regibus parem, animis audaciaque etiam superiorem intueretur, lacrimas fudit, & hostium tam acerbam fortunam deflevit: recordatusque inconstantiæ & vicissitudinis rerum humanarum, idem aliquando accidere posse patriæ suæ Romæ metuere se fassus fuit. Quod quidem non abs re metuisse animum ejus præsagum, eventus sub Totila Gotthorum Rege tandem probavit. Sed Scipio, ut eo revertar, cum armatis in Byrsam post continuos sex dierum noctiumque labores per summa pericula cum pervenisset, fracta demum contumacia eorum, qui in arce erant fame jam confecti, admissis supplicum precibus abitum permisit iis, qui discedere cupiebant, transfugiis exceptis, quos venia indignos judicabat. Exiveruntque statim per portam ipsis patefactam hominum L. millia virorum fœminarumque, iisque custodia apposita. Transfugæ, ut ait *Appianus*, numero nongenti, desperata salute, cum Asdrubale, ejusque uxore ac duobus filiis in aream ædis Æsculapii situ editam ac præruptam in eadem arce, in quam non nisi per LX. gradus adscendebatur, se contulerunt, ob præruptam, quam dixi, celsitudinem propugnatu facilem. Verum famis tandem aliorumque malorum impatientia victi, deserta area in ipsam sacram ædem se receperunt, Asdrubale interim clam cum ramis oleæ (id signum petentis pacem erat) ad Scipionem fugiente. Quo ad pedes Scipionis sedente conspecto, (ostentabat enim Scipio,) & impetrata silentii & sermonis copia effusus in eum variis atque atrocibus conviciis & diris execrationibus, ædem incenderunt, seque concremarunt. Quo tem-

pore dicitur uxor Asdrubalis, dum succenditur & invalescit ignis, ornata pro modo fortunæ præsentis, consistensque cum filiis ex adverso Scipionis & mariti, Scipioni quidem jure belli utenti bene precata esse, maritum vero ut virum sceleratum, patriæ, sacrorum, sui, liberorumque proditorem nefarium omnibus diris devovisse, moxque jugulatos manu sua filios in ignem projecisse, & semet eodem præcipitasse. Scipio tota jam Carthagine potitus, misso celeriter Romam victoriæ nuncio, atque interea consignato omni auro & argento ac donariis, reliquis cunctis urbis captæ exercitus direptioni per aliquot continuos dies permissis, præmiisque pro singulorum meritis inter milites distributis, exclusis solis fani Apollinis direptoribus, præstolatus est senatus populique Romani mandatum. Cumque ad eum venissent decem legati, ex quorum consilio res Africæ constitueret, ex decreto ad se per legatos misso, quicquid reliquum Carthaginis erat, diruit funditus: vetuitque, ne qui in solo Carthaginis, in primis vero Byrsæ & Megarorum, ut habebat decretum, deinceps habitaret, cum imprecatione omnium dirarum in eos, qui contra auderent facere. Tantæ tum curæ Romanis fuit, ne quando excisa Carthago, cujus nomen formidare videbantur, resurgeret, ob loci commoditatem singularem, vicinæque regionis felicitatem incredibilem, ac hominum indigenarum ingenium acre vires facile recuperatura. Resurrexit tamen sponte Romanorum, sed diu post, & tota mutata, facta nimirum Romanorum colonia, ut ante a me dictum. Tunc autem in ruderibus ac ruinis relicta est a Scipione victore, & urbes ejus sociæ ex voluntate senatus Romani deletæ, ager sociis Romanorum attributus, in primis vero Uticæ maxime fidæ & opportunæ Romanis, eodem in sinu ad mare sitæ, stadiis LX. ut ait Appianus, a Carthagine distanti: cui assignatum, quicquid hinc Carthaginem usque, illinc autem Hipponem tenus agri jacebat. Ita ingens incrementum Uticæ adjectum. Inter deletas urbes Tunes, Nepherinum, Neapolis fuere. Cæteroqui Africæ ea pars, quam tenuerant Carthaginienses, in provinciæ formam redacta est, & Romanis tributaria facta. Asdrubal cum Ducibus aliis in triumphum ductus: captivi in custodiam per Italiam abrepti, in iis maximo numero extincti sunt.

Quam cupidi Romani fuerint excidendæ urbis hujus nobilissimæ, pene solo stimulati metu, quem ex ea habebant, docent Historiæ. Nam cum causa justa destituerentur, prætextum quærebant, & in occasiones erant intenti: quas ex voto nacti bellum ei simul denunciarunt & intulerunt. Occasionum præcipuæ erant hæ. Laborabant ea ætate factionibus civilibus Carthaginienses, & cladem ingentem recens acceperant a Masinissa Rege vicino, & Utica post Carthaginem in ista Africæ ora urbs maxima, non longe a Carthagine disjuncta, & iisdem cum ea conditoribus Tyriis orta, eo ipso tempore quo hæc versabant Romani, sua omnia sponte Romanis dediderant. Ob quæ perculsi Carthaginienses missis semel iterumque Romam legatis ad satisfaciendum, si quid ab se desideraretur, senatui se obtulerunt. Responsum iis primum lubrice, deinde ut Consulibus, qui jam Siciliam cum exercitu trajecerant, intra dies XXX. pueros totius civitatis nobilissimos CCC fidei obsides darent, aliaque quæ imperaturi Consules essent, facerent, si declinare bellum, & retinere libertatem vellent. Hæc Carthaginem perlata in summam mœstitiam conjecere civitatem: sed quoniam urgebat necessitas, & parendi mora noxia esse posse putabatur, postulato duro mos est gestus, pueri enim ante præstitutum diem per legatos eodem ad Consules adducti, non sine ingenti dolore & planctu a parentibus avulsi, atque inde statim Romam missi. Tum Consules, ut in mandatis a senatu habebant, sine mora ad transportandum in Africam exercitum se accinxerunt, legatisque Carthaginiensium dixerunt, reliqua, quæ ad tollendum bellum pertinerent, apud Uticam eos audituros. Quo cum ventum, castris in solo veterum castrorum Corneliorum positis & classe in portu Uticensium subvecta, vocati & coram Consulibus in tribunali sedentibus circumfusis fulgentibus militiæ signis dicere jussi Pœnorum legati, si quid vellent, de his quæ fierent, graviter conquesti, nihil a civitate sua commissum esse dixerunt, quod Romanorum arma mereretur; fœderis prioris conditiones sine vitio servatas, Masinissæ injurias injuriis cumulanti & finem earum non facienti armis obviam necessario itum, & cum id displicere Romanis intellectum esset, armorum sumptorum auctores publico judicio a civitate damnatos, atque insuper legatos pluries Romam esse missos, qui facta excusarent, & senatui Romano ex ejusdem voluntate satisfacerent, ostenderunt. Sed Consul Romanus Marcius Censorinus orationem eorum excipiens, non esse suum respondit ista disputare, quæ jam ante in curia Romana satis disceptata ac refutata essent: si serio pacem & quietem cuperent Carthaginienses, nil opus habere, quæ ad bellum gerendum facerent: quapropter arma omnia publica & privata, catapultas, & quicquid ejus generis, Romanis traderent: si quis hostis ipsos esset lacessiturus, aut vi pressurus, id Romanis curæ futurum. Quid facerent tanto periculo, tanta vi circumventi? Pariturosse etiam in hoc responderunt, ut lege tam dura pacem redimerent. Traditaque sunt sine mora ducenta armaturarum millia, duo millia catapultarum diversi generis, telorum & jaculorum numerus infinitus: atque hæc omnia inspecta a duobus Scipionibus hanc ob causam in urbem missis, longo ordine in castra Consulum devecta admirantibus Romanis, & pone secuti legati cum primoribus civitatis & sacerdotibus, ut præsentia sua Consulum animos moverent. Tum vero rursum Consul Marcius, Laudamus, inquit, Carthaginienses, promptitudinem in his vestram: sed ne moremur vos diu, aperienda sunt reliqua senatus nostri mandata, eaque fortiter a vobis ferenda, quoniam urget necessitas. Cedite nobis urbe vestra, & sedes, quo libet, hac in regione transferte, modo non intra LXXX. id est, X. pass. millia a mari: hanc enim diruere nobis constitutum. Quibus auditis, clamor consternatorum & dolentium Pœnorum pene insanus in cœlum sublatus: mox eorumdem secutum mœstum silentium velut mortuorum in terram concidentium; & paulo post rursum lamenta & acerbæ querelæ, iterumque profundum silentium reputantium infelicem conditionem suam, & præ magnitudine malorum stupescentium, ut ipsos Romanos præsentes commiseratione commoverent. Postremo Pœnorum illustrissimus, & sermone promptissimus ad se reversus, accepta dicendi copia, oratione ad rem accommoda & vere pathetica ad misericordiam flectere Consulum animos, & extrema illa deprecari conatus fuit, nemesinque infestam felicibus fortuna sua in injuriam & contumeliam infelicium abutentibus memorare est ausus: verum actum egit. Nam Consul idem præsentes rursum affatus, non esse dixit sui collegæque arbitrii, decretum senatus populique mutare, aut ab eo discedere: suadere, ut ferant moderate, quod ferre necesse esset: persuadere quoque conatus, utile futurum rebus ipsorum, a mari recedere: maritimam sedem multarum cladium occasionem ipsis fuisse: stabiliorem esse fortunam sedemque terrestrem: civitatem maritimam navi fere similem esse fortunæ tempestatibus & jactationibus

A obnoxiam: negotiationes quidem maritimas ſæpe plus lucri afferre quam culturam agrorum, ſed & incertius id eſſe, & pro lucro ingens non raro detrimentum reponi: eſſe agrum iis feliciſſimum nunquam fere ſpem cultorum fallentem: potentiſſima & fortunatiſſima imperia fuiſſe mediterranea: non eſſe novas ac inſolitas hujuſmodi ſedium translationes: ſic quondam majores ipſorum feliciter relicta Tyro in Africam commigraſſe, Albanos non malo ſed bono ſuo Romam conceſſiſſe: Romanos ſtadiis xx. longius a mari habitare, quam quo ipſi videantur ſedes novas tranſponere: ſi quis dolor initio ex migratione futurus ſit, ejus remedium ab oblivione eſſe petendum: eam calamitatum omnium ſenſum obliterare. Sed fruſtra hæc omnia. Itaque in urbem his relatis, univerſa civium multitudo, virorum, fœminarum, puerorum, puellarum, ſummæ, mediæ, imæ fortunæ, in furorem pene verſa, ſuam & ſuorum ſtultitiam, Romanorum peſſimam fidem & iniquitatem crudelitatemque deteſtans: conſilium a deſperatione ſumptum: bellum unanimi conſenſu decretum, arma nova ſummo ſtudio fabrefacta, claſſis feſtinato opere conſtructa, in uſum machinarum capilli fœminarum detonſi, & in funes converſi. Tum ſecuta, quæ excidium urbis ſuperius a me expoſitum traxerunt.

Res Carthaginis veteres breviſſime conſtrinxit Juſtinus ex Trogo Pompejo, fuſius ſcripſit *Diodorus Siculus* exorſus a ſæculo Xerxis, prolixiſſime recitarunt recentiora ejus *Polybius & Livius*. Claros belli Duces Carthago multos habuit præter eos quos in hoc commentario de republica ejus recenſui. Plerorumque iſtorum nomina & memoriam cum breviſſimis actorum & eventuum notis recolui in ſerie genealogica Principum Punicorum, quæ cum cæteris Regum, Principum, Procerum, qui diverſis in gentibus floruere, genealogiis a me editis, & operi chronologico adjunctis extat. Ad quam B ſeriem lectores cognoſcendi cupidos remitto. Bella gravia vario eventu Carthaginienſes geſſere contra Afros, Numidas, Mauros in ipſa Africa: contra Græcos & Barbaros in Sicilia, contra Sardos indigenas in Sardinia, contra Hiſpanos in Hiſpania, harumque regionum multas partes felicibus armis ſibi ſubjecerunt. Sed magnitudine & celebritate, & caſuum varietate bella cætera ſuperarunt tria geſta contra Romanos, & quod primo eorum finito ipſis illatum a mercenariis militibus ob non ſoluta, quæ debebantur, ſtipendia, a *Polybio* accurate deſcriptum.

F I N I S.



JOAN-

JOANNIS MEURSII

DE

POPULIS ATTICÆ

LIBER SINGULARIS.

IN QUO

ANTIQUITATES ATTICÆ PLURIMÆ

CUM SUPPLEMENTIS AUCTORIS, ET J. SPONII.

L E C T O R I.



ACCIPE *quod nunc damus*, *Lector*, De Populis Atticæ. *Nempe ii olim censiti* CLXXIV. *eaque de re locus elegans apud Strab.* lib. IX. Πολέμων ὁ περιηγητὴς τέτταρα βιβλία συνέγραψε περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει. τὸ δ' ἀνάλογον συμβαίνει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας. Ἐλευσῖνά τε εἰπὼν ἕνα τῶν ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα δήμων, πρὸς δὲ καὶ τεττάρων, ὥς φασιν, οὐδένα τῶν ἄλλων ὠνόμακεν. *Et apud Eustathium ad Illiad.* β'. Σημείωσαι δὲ ὅτι Ἀθηναίων πόλεις, ἢ δήμους, ἢ ὅλως εἰπεῖν τόπους, οὐκ ἠρίθμησεν ὁ ποιητὴς διά τε πλῆθος καὶ τοὺς παλαιοὺς, καὶ ὅτι οὐκ εἶχε πάντα φασὶν εἰς μετροποιΐαν καταπάξειν. καί τοι ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τεσσάρων φασὶ δήμων ὄντων τῆς Ἀττικῆς. ὧν πολλοὶ λαμπρὰ εἶχον διηγήματα. *De his omnibus Opus quondam singulare composuerant Diodorus, & Nicander Thyatirenus; laudatque pluries Harpocration: sed utriusque, præter titulum, nihil habemus. Mihi visum instaurare, in usum eorum, qui Historiæ veteris Atticæ studiosi. Quod si faves, & ingenii nostri fœtum hunc benigne excipis, dabo aliquando operam, propitio Deo, ut habeas item,* De Familiis Atticæ, *&*, De Festis Græciæ. *Vale, &, quisquis es,*

ÆTERNITATEM COGITA.

IN VIRI CLARISSIMI PRÆSTANTISSIMIQUE

JOANNIS MEURSII

LIBRUM SINGULAREM DE

P O P U L I S ATTICÆ.

GRÆCIA doctrinæ genitrix, fandique magistra,
  Musarum nutrix & veneranda domus:
Tristis, Hyperboreis nimium vicina Gelonis,
  Heu tacuit! prisco nescia more loqui.
Aut si conata est, peregrina vocabula fudit,
  Singultans medio barbara verba foro.
Tot gemitus, quot verba putes, tot murmura trunca.
  Quid mirum? regni vox morientis erat.
Hoc docuit nuper, qui nos docet omnia, doctus
  Meursius, Actæos qui gerit ore favos;
Barbariemque domat, domuit quæ Palladis arces.
  Qui nunc dat POPULOS Attica terra tuos.
Qui reddit sua templa deis, qui numina vicis,
  Qui genios cunctis ingeniumque locis.
Cum legis hæc, Lector, densis excussa tenebris,
  Lectaque tot pariter barbara verba notas:
Miratus, dices: ubi nunc sunt illa priorum
  Tempora? nunc POPULI sunt ubi terra tui?
Nunc ubi sunt lusus? ubi nunc qui lampada quassat,
  Præter luctificam Marte furente facem?
Nimirum Arctois infelix præda colonis,
  Et Mahometigenis, Græcia tota jaces!
At tu Virgo lacu Tritonide mersa profundo,
  Ablueris tantum cum ter in amne nefas,
Eripe te latebris, cupiasque Minerva videri,
  Threiciis quamquam frons sit arata notis.
De Styge tot reduces POPULOS, gentemque vetustam
  Spectatura veni. sed Dea, grata veni.
Innumerabilibus da librum vivere seclis,
  Qui te, qui POPULOS tollit in astra tuos.
Et si salva tibi sunt inclyta Palladis arma,
  Queis dedit iratas torva Medusa comas;
Mnemosynes sacros illæsus inambulet hortos,
  Altior opprobriis Invidiæque malis.
Sic Præses, sic jure potes Patrona vocari.
  Hunc si defendas ægide, tutus erit.

P. SCRIVERIUS.

SYLLABUS

POPULORUM

ATTICÆ.

1. Αγγελή.
2. Αγνοῦς.
3. Αγρα.
4. Αγραυλή.
5. Αγχεσμός.
6. Αζηνιά.
7. Α'θμονον.
8. Αἰγιλία.
9. Αἰθαλίδαι.
10. Αἰξωνή.
11. Αλαὶ Αἰξωνίδες
12. Αλαὶ Αραφηνίδες.
13. Αλιμοῦς.
14. Αλωπεκή.
15. Αμαξάντεια.
16. Αμφιαλή.
17. Αμφιτροπή.
18. Αναγυροῦς.
19. Ανακαιά.
20. Ανάφλυστος.
21 Απολλωνιεύς.
22. Αραφήν.
23. Αργιλία.
24. Αστυπάλαια.
25. Αταλάντη.
26. Ατηνή.
27. Αφίδνα.
28. Αχάρνα.
29. Αχερδοῦς.
30. Αχραδοῦς.
31. Βατή.
32 Βελβίνη.
33. Βερενικίδαι.
34. Βῆσα.
35 Βουτάδαι.
36. Βραύρων.
37. Βουληχτός.
38. Γαργηττός.
39. Δαιδαλίδαι.
40. Δειράδες.
41. Δεκέλεια.
42. Διόμεια.
43. Εἰρεσίδαι.
44. Εκάλη.
45. Ελαιεύς.
46. Ελευσίς.
47. Εννα.
48. Επιεικίδαι.
49. Επικηφισιά.
50. Ερίκεια.
51. Ερμος.
52. Εροιάδαι.
53. Ερεχθιά.
54. Ερχειά.
55. Εὐπυρίδαι.
56. Εὐωνυμιά.
57. Εχίνδαι.
58. Ηφαιστιά.
59. Ζωστήρ.
60. Θημακοί.
61. Θοραί.
62. Θορικός.
63. Θρία.
64. Θρίων.
65. Θυμοιτάδαι.
66. Θυργωνίδαι.
67. Ικαρία.
68. Ιπποκιμάδαι.
69. Ιτέα.
70. Ιωνίδαι.
71. Καλή.
72. Κειριάδαι.
73. Κεραμεικὸς ὁ ἐντός.
74. Κεραμεικὸς ὁ ἔξω.
75. Κεφαλή.
76. Κηδαί.
77. Κιττοί.
78. Κηφισιά.
79. Κικυννά.
80. Κοθωκίδαι.
81. Κοίλη.
82. Κολυττός.
83. Κολωνὸς ὁ Αγοραῖος.
84. Κολωνὸς Ιππιος.
85. Κονθύλη.
86. Κορυδαλλός.
87. Κειῶα.
88. Κρωπιά.
89. Κυδαθήναιον.
90. Κυδαντίδαι.
91. Κύθηρος.
92. Κυνόσαργες.
93. Λακιάδαι.
94. Λαμπρὰ Καθύπερθεν.
95. Λαμπρὰ Υπένερθεν.
96. Λαυρίον.
97. Λευκόνιον.
98. Λευκοπύρα.
99. Ληναιός.
100. Λίμναι.
101. Λουσιά.
102. Λυκαβηττός.
103. Μαραθών.
104. Μελαινεῖς.
105. Μελίτη.
106. Μουνυχία.
107. Μυρρινοῦς.
108. Ξυπέτη.
109. Οα.
110. Οη.
111. Οἰνόη τῆς Αἰαντίδος.
112. Οἰνόη τῆς Ιπποθοωντίδος.
113. Οἶον Δεκελεικόν.
114. Οἶον Κεραμεικόν.
115. Παιανιά Καθύπερθεν.
116. Παιανιά Υπένερθεν.
117. Παιονίδαι.
118. Παλλήνη.
119. Παμβωτάδαι.
120. Πάρνης.
121. Πειραιεύς.
122. Πεντελή.
123. Περγασή.
124. Περιθοῖδαι.
125. Περρίδαι.
126. Πήληκες.
127. Πίθος.
128. Πλωθειά.
129. Πνύξ.
130. Πόρος.
131. Ποταμός.
132. Πρασιαί.
133. Προβάλιθος.
134. Πρόκλου χάραξ.
125. Πρόσπαλτα.
136. Πτελέα.
137. Ραμνοῦς.
138. Σημαχίδαι.
139. Σκαμβωνίδαι.
140. Σκίρον.
141. Σούνιον.
142. Σπόργιλος.
143. Στειριά.
144. Συβρίδαι.
145. Συπαληττός.
146. Σφενδάλη.
147. Σφηττός.
148. Τίθρας.
149. Τιτακίδαι.
150. Τρικόρυθον.
151. Τρινεμεῖς.
152. Τυρμίδαι.
153. Υβα.
154. Υδροῦσα.
155. Υμηττός.
156. Υσίαι.
157. Φάληρον.
158. Φαρμακοῦσαι.
159. Φαῦρα.
160. Φηγαία τῆς Αἰγηΐδος.
161. Φηγαία τῆς Πανδιονίδος.
162. Φηγοῦς.
163. Φιλαΐδαι.
164. Φλυά.
165. Φορμίσιοι.
166. Φρέαροι.
167. Φρίττιοι.
168. Φυλή.
169. Φώρων.
170. Χιτώνη.
171. Χολαργίς.
172. Χολλίδαι.
173. Ψυτταλία.
174. Ωρωπός.

JOANNIS MEURSII DE POPULIS ATTICÆ LIBER SINGULARIS.

ΑΓΓΕΛΗ.



PANDIONIDIS tribus fuit. *Stephanus*. Ἀγγελὴ, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης, ἐπιῤῥηματικῶς Ἀγγελῆθεν, ἐκτόπου. Χάρης Κλεοχάρους Ἀγγελῆθεν. εἰς τόπον, Ἀγγελῆνδε. ἐν τόπῳ, Ἀγγελῆσιν. *Angele, Populus Pandionidis tribus. Popularis cum adverbio de loco dicitur, ex Angele. ut Chares Cleocharis filius ex Angele: ad locum, ad Angelen: in loco, in Angele. Hesychius*. Ἀγγελὴ, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Πανδιονίδος φυλῆς. *Angele, populus Atticæ, Pandionidis* tribus 1.

ΑΓΝΟΥΣ.

Acamantidis tribus. *Harpocration*. Ἀγνοῦς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, ἧς ὁ φυλέτης, Ἀγνούσιος. *Agnus, populus Acamantidis tribus, cujus tribulis*

A *Agnusius*. Alii ad Demetriadem * tribum, sive Attaliam, pertinuisse volunt. *Stephanus*. Ἀγνοῦς, δῆμος ἐν τῇ Ἀττικῇ, τῆς Δημητριάδος φυλῆς. τινὲς δὲ τῆς Ἀκαμαντίδος. ἢ, ὡς Φρύνιχος, τῆς Ἀτταλίας. *Agnus, populus in Attica, Demetriadis tribus: quidam vero Acamantidis, aut, ut Phrynichus Attaliæ. Hesychius* Æolidi attribuit. Ἀγνοῦς. τῆς Αἰολίδος φυλῆς δῆμος *Agnus, Æolidis tribus populus*. Ita emendo; nam hodie editur minus recte, Ἀγνῶς, τῆς Α. φ. δ. Sed Æolidem tribum nemo Veterum usquam nominat; ergo rescribendum erit. τῆς Ἀτταλίδος φυλῆς. Quemadmodum est apud *Stephanum*. Nomen unde illi datum, clare *Stephanus*. ἐκλήθη δὲ

B ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ φυομένης ἄγνου. *Dictus autem ab vitice ibi nascente* 2.

ΑΓΡΑ, sive ΑΓΡΑΙ.

De tribu non constat. Erat juxta Ilissum, habebatque templum Dianæ Ἀγροτέρας, quæ Delo adveniens ibi primum venata dicitur; unde & simulacrum ejus cum arcu. Pausanias *in Atticis*.

C 1. Hodie iste pagus vocatur *Angelokipous*, corrupte *Ambelokipous*. Meminit istius pagi incolarum insignis inscriptio, quam vidi Athenis in domo civis.

ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΟΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ
Α Ν Ε Θ

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ
ΣΤΡΑΤΟΝΙ
ΔΗΣ ΣΟΣΙΓΕ
ΝΟΥ
ΠΡΑΞΙΑΣ ΑΝ
ΘΕΜΙΩΝΟΣ
ΑΘΕΟΜΝΗΣ
ΤΟΣ ΔΙΩ
ΝΟΣ
ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΑΡΧΙΚΛΕΙ
ΔΟΥ
ΘΕΟΔΟΤΟΣ
ΑΝΤΙΦΑΤΟΥ
ΑΛΚΙΜΑΧΟΣ
ΑΝΔΡΩΝΟΣ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΦΙ
ΛΙΝΟΥ
ΑΓΓΕΛΕΙΣ
ΘΕΟΓΕΝΗΣ
ΕΡΕΟΦΙΛΟΥ
ΜΕΛΗΤΟΣ ΜΕ
ΝΕΣΤΡΑΤΟΥ
ΝΙΚΙΑΣ ΧΑΙΡΕ
ΛΕΙΔΟΥ
ΜΥΡΡΙΝΟΥ
ΣΙΟΙ

ΠΟΛΥΔΑΜΑΣ
ΑΡΙΣΤΟΔΑ
ΜΑΝ...
ΣΟΣΙΓΕΝΗΣ
ΣΟΣΙΓΕΝΟΥ
ΤΥΦΑΝΗΣ
ΑΝΤΙΜΕ
ΛΟΥΣ
ΑΝΤΙΓΕΝΗΣ
ΤΙΜΟΣΤΡΑ
ΤΟΥ
ΧΙΟΝΙΣ ΔΗ
ΜΟΣΤΡΑΤΟΥ
.. ΕΤΕΑΝΔΡΟΣ
ΑΡΜΑΝΤΙ
ΔΟ ...
.. ΟΝΟΥΛΙΔΑ
ΧΑΙΡΕΑΣ ΜΕ
ΛΗΣΙΠΠΟΥ
ΟΑΘΕΝ
. . . .
.... ΟΔΗΜΟΣ
ΔΕΙΚΙΡΟΥ
. . . .
ΠΡΑΣΙΕΙΣ
ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ
ΑΡΙΣΤΟ

ΚΛΕΙΔΟΥ
.. ΧΑΡ ... ΡΥΣ
. . . .
ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ
ΕΥΘΥΚΡΑ
ΤΟΥ
... ΧΙΑΣ ΕΥ
ΧΛΕΙΔΟΥ
ΣΤΕΙΡΙΕΙΣ
... ΙΝΙΑΣ ΔΕΙ
ΝΟΚΡΑΤΟΥ
ΣΩΠΥΡΟΣ ΚΡΑ
ΤΙΝΟΝΤΟΣ
ΧΑΡΙΑΣ ΑΡΙΣ

ΤΟΚΛΕΟΥ
. . . .
ΛΥΣΑΝΙΑΣ
ΑΡΙΣΤΟ
ΚΛΕΙΔΟΥ
ΚΛΕΟΜΗΔΗΣ
ΑΡΙΣΤΟ
ΚΛΕΙΔΟΥ
ΜΝΗΣΑΡΧΟΣ
ΤΙΜΟΣΤΡΑ
ΤΟΥ
ΕΥΦΙΔΗΜΟΣ ...
ΑΤΟΥΣ

D ΔΟΘΕΝΤΕΣ ΥΠΟ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ ΚΑΙ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

Jac. Spon. *in Itin. Tom.* 2. pag. 371.

2. De hoc egregia inscriptio habetur Athenis:

ΛΥΣΙΚΛΗΣ ΒΙΟΤΤΟΥ ΟΗ
ΘΕΝ ΕΧΟΡΗΓΕΙ ΟΙΝΗΙΣ
ΦΥΛΗ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ

ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΑΓΝΟΥΣΙΟΣ
ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ ΚΗΦΙΣΟΔΩ
ΡΟΣ ΗΡΧΕΝ.

Spon. Itin. *Tom.* 2. p. 373.

Διαβᾶσι δὲ τ̄ Εἰλισσὸν, χωρίον Αγραι καλέμενον, καὶ ναὸς Αγροτέρας ἐςὶν Αρτέμιδος. ἐνταῦθα Αρτεμιν πρῶτον θηρεῦσαι λέγεσιν, ἐλθεσαν ἐκ Δήλε. καὶ τὸ ἄγαλμα διὰ τοῦτο ἔχει τόξον. *Trajicientibus autem Ilissum, locus occurrit Agræ dictus, & ædes est Agroteræ Dianæ. ibi Dianam primum venatam fuisse dicunt, cum e Delo venisset. atque ideo statua ejus arcum tenet.* Dea populo tutelaris Ceres, *Hesychius*. Αγραι, χωρίον Αττικὸν ἔξω τ̄ πόλεως, ἱερὸν Δημήτρας. *Agræ, locus Atticus extra urbem, sacer Cereri.* Nempe ideo minora illic mysteria celebrabantur, quibus initiatus Hercules. *Stephanus*. Αγρα, καὶ Αγραι, χωρίον, ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς. ἐςὶ καὶ τ̄ Αττικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυςήεια ἐπιτελεῖται, μίμημα τ̄ περὶ τ̄ Διόνυσον, ἐν ᾧ λέγεσι καὶ τ̄ Ηρακλέα μεμυῆσθαι. *Agra & Agræ, locus, singulariter & pluraliter;* locus *est & in Attica ante urbem, ubi minora mysteria peraguntur, ad imitationem Dionysiorum, in quo etiam dicunt Herculem initiatum esse.* Eustathius *ad Iliad. β'ε'.* ἔτι δὲ καὶ Αγροτέρα Αρτεμις, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς δηλοῖ, ἣ καὶ Αγραία παρὰ Πλάτωνι κατὰ Παυσανίαν, ἀπὸ χώρας πρὸς τῷ Ιλισσῷ, ᾧ κλῆσις Αγραι καὶ Αγρα. ἐ τὰ μικρὰ τ̄ Δήμητρος ἤγετό φησι μυςήεια, ἃ ἐλέγετο τὰ ἐν Αγρᾳ. *Præterea autem & Diana Agrotera, quemadmodum & Comicus indicat, quæ & Agræa apud Platonem secundum Pausaniam, dicta ab regione juxa Ilissum, cui nomen Agræ & Agra: ubi minora Cereris mysteria celebrari dicunt, quæ vocantur mysteria in Agra.* Paululum supra hunc locum Ilissus oriebatur. Strabo lib. IX. ἐςὶ δὲ τοιῦτος μάλιςα ὁ Ιλισσὸς ἐκ θατέρε μέρες τε ἄςεος ῥέων εἰς τὴν αὐτὴν παραλίαν, ἐκ τ̄ ὑπὲρ τ̄ Αγρας καὶ τε Λυκείε μερῶν. *Talis est potissimum Ilissus, ab altera urbis parte fluens ad eandem oram maritimam, ex partibus super Agram & Lyceum* 1.

ΑΓΡΑΥΛΗ, vel ΑΓΡΥΛΗ.

Erat Erechtheidis tribus. *Harpocration*. Αγροίλη, A δῆμος τῆς Ερεχθηΐδος φυλῆς. καὶ ἐπίῤῥημα τοπικὸν, Αγροιλῆθεν. *Agræle, populus Erechtheidis tribus, adverbium autem loci est ab Agræle*. Sed rescribe, Αγραύλη, vel Αγρύλη. Et deinde, Αγραυλῆθεν, vel Αγρυλῆθεν. *Stephanus*. Αγραύλη, δῆμος Αθήνησι τῆς Ερεχθηΐδος φυλῆς. τινὲς δὲ Αγρύλη γράφεσιν. *Agraule, populus Athenis Erechtheidis tribus: quidam vero Agryle scribunt*. Alii ad Attaliam tribum referebant. *Hesychius*. Αγρύλη, δῆμος τῆς Ερεχθηΐδος φυλῆς, καὶ τῆς Ατταλίδος. *Agryle, populus Erechtheidis tribus, etiam Attalidis*. Verum scribendum illic. ἢ τ̄ Ατταλίδος, *vel Attalidis*. Aut accipiendum, binos hoc nomine populos fuisse; unum in Attalia tribu, B alterum in Erechtheide. Quod falsum. Alibi iterum corrupte apud eundem. Αγειάυλη, δῆμος Αττικῶς. Rescribe. Αγραύλη, δῆμος Αττικῆς. *Agraule, populus Atticæ. Suidas* mendosam Harpocrationis lectionem repræsentat.

ΑΓΧΕΣΜΟΣ.

Ignotæ tribus. Recensetur inter populos montanos a Pausania in *Atticis*, qui addit, simulacrum illic fuisse Jovis Αγχεσμίε. Verba *ejus* ista. Καὶ Αγχεσμὸς ὄρος ἐςιν ἐ μέγα, καὶ Διὸς ἄγαλμα Αγχεσμίε. *Et Anchesmus mons non magnus est, & Jovis Anchesmii statua* 2.

C

a ΑΖΗΝΙΑ.

Hippothoontidos tribus. *Hesychius*. Αζηνιὰ, δῆμος Ιπποθοωντίδος φυλῆς. *Azenia, populus Hippothoontidis tribus*. *Stephanus*. Αζηνιὰ, ὡς Πλωθιὰ, Λεσιὰ, δῆμος ἐν Αττικῇ τ̄ Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Αζηνιεὺς. *Azenia, quemadmodum Plotbia, Lusia, populus in Attica Hippothoontidis tribus; popularis Azeniensis. Harpocration*. Αζηνιὰ, δῆμος φυλῆς τῆς Ιπποθοωντίδος. καὶ ὁ φυλέτης, Αζηνιεὺς. *Azenia, populus tribus Hippothoontidis, & tribulis, Azeniensis*. 3.

D

1. Fuit locus prope portam Athenarum, venationi aptus, ideo Dianæ dicatus. Antiqui scriptores non retulerunt in paganorum Atticorum censum. Spon. *in Itin. T. 2. p.* 374.

2. Est parva rupes inculta, & inhabitabilis, in qua nihil hodie videtur nisi statua Jovis. Is mons nunc appellatur ἄγιος Γεώργιος, S. Georgius. Meursius hunc montem refert inter eos, qui ab Atheniensibus colebantur, sed nullos unquam habuit incolas. Spon *Itin. T. 2. p.* 375.

a Ejus nomen est corruptum apud Æschinem, *in Timarchum:* Οτε καὶ προσεπολέμει Αρισοφῶντι τῷ Αξηνιεῖ. *Cum contenderet cum Aristophonte Axeniensi*. Rescribe, τῷ Αζηνιεῖ. *Azeniensi*. Et apud Demosthenem, *in Leptinem:* Αρισοφῶν ὁ Αζηνιεὺς. *Aristophon Azeniensis*. Perperam illic quoque editur, ὁ Αξηνιεὺς. *Axeniensis. R. A.*

3. Pulcherrimam inscriptionem de Azeniensium Gymnasiarchis Nobilissimus Wehlerus Athenis in Angliam deportavit:

ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΘΕΙΝΟΣ
ΕΝ ΕΥΦΗΒΟΙΣΙ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑ
ΤΕΥΞΑΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΘΗΚΑ
ΤΟ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ
ΕΠΙ ΤΗΣ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑ
ΣΙΟΥ ΣΤΕΙΡΙΕΩΣ ΑΡΧΗΣ

ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΕΦΗΒΩΝ
ΩΛΟΣ ΠΟΝΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟ
ΤΟΣ ΑΞΗΝΙΕΥΣ

ΚΑΙ ΥΠΟΚΟΣΜΗΤΑΙ ΩΛΟΣ
ΠΟΝΤΙΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΑΞΗ
ΝΙΕΥΣ ΚΑΙ ΧΑΡΙΤΩΝ ΙΑΤΡΟ
ΚΛΕΟΥΣ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΑΙ ΚΑΘΩΣ ΕΓΥΜ
ΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝ
ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΑ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΣ
ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΥΑΝΕΨΙΩΝΑ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝΑ ΣΥΜΦΕ
ΡΩΝ ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ Α. ΑΝΤΙΟΧΟΣ
ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ Β. Κ. Α. ΝΙΚΩΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
E ΓΑΜΗΛΙΩΝΑ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΞΟΣΙΜΟΥ ΛΑΜΠΤΡΕΥΣ
ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΑ ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ
ΞΟΣΙΜΟΥ ΛΑΜΠΤΡΕΥΣ
ΜΟΥΝΥΧΙΩΝΑ ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΥ.
ΑΛΥΠΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ
ΘΑΡΓΗΛΙΩΝΑ ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΥ.
... ΙΑΝ ... ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ.
ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝΑ ΑΝΘΟΣ ΚΑΙ
ΠΑΓΚΑΡΗΣ ΟΙ ΑΝΘΟΥ ΛΑΜ
ΠΤΡΕΙΣ
ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝΑ ΩΛΟΣ ΠΟΝ
ΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΣ ΑΞΗ
ΝΙΕΥ

ΑΘΜΟΝΟΝ. ΑΘΜΟΝΙΑ.

Cecropidis tribus. *Stephanus.* Αθμονον, ὐδετέρως, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. *Athmonon, genere neutro, populus Cecropidis tribus.* Apud *Harpocrationem* Αθμονία dicitur. Αθμονία, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Κεκροπίδος, ἀφ' ὗ ὁ δημότης Αθμονεὺς. *Athmonia, populus est tribus Cecropidis, a quo popularis Athmonensis.* Eodem modo est apud *Suidam*. Popularis Αθμονεὺς dicebatur. Aristophanes *Pace* v. 190.

Τρυγαῖος Αθμονεὺς, ἀμπελυργὸς δεξιός.
Trygæus Athmonensis, vinitor dexter.

Ubi *Scholiastes*. Τρυγαῖος παρὰ τὴν τρύγα πεποίηται, ἁρμόζον γεωργοῖς. τὸ δὲ Αθμονεὺς, ἀπὸ δήμου Αττικῆς. *Trygæus a voce τρύγα vini fæcem notante derivatur, quod rusticis conveniens nomen.* Novum plane est, quod apud *Hesychium* hodie legitur. Αθμονεὺς, φυλὴ τῆς Ατθίδος Αθηνᾶς. Neque enim tribus erat Αθμονον, sed populus. Verum corrigendus locus. Αθμονονεὺς, φυλέτης. Ατθίδος, Αθηναίας. *Athmonensis, tribulis. Atthidis, Atheniensis.* Posterius tunc rectum erit. Et sic infra alibi similis Glossa est. Ατθίδων. Αθηναίων. Erat vero apud hunc populum fanum Veneris Οὐρανίας, a Porphyrione rege exstructum, qui ante Actæum in Attica regnaverat. Pausanias *Atticis*. Δῆλος δέ ἐστιν Αθηναίοις Αθμονέων, οἱ Πορφυρίωνα ἔτι πρότερον Ακταίου βασιλεύσαντα τῆς Οὐρανίας φασὶ τὸ παρὰ σφίσιν ἱερὸν ἱδρύσασθαι. *Populus autem est Athmonensium inter Athenienses: hi dicunt, Porphyriona qui adhuc ante Actæum regnavit, Cœlestis Veneris fanum quod apud ipsos est exstruxisse.* Item Dianæ Αμαρυσίας. Pausanias in *iisdem Atticis*. Αθμονεῖς δὲ τιμῶσιν Αμαρυσίαν Αρτεμιν: *Athmonenses enim colunt Amarysiam Dianam.* Ejusque festum Αμαρυσία dicebatur. Occurrit apud *Hesychium*. Αμαρυσία, ἑορτὴ Αθήνῃσι. *Amarusia, festum Athenis.* Et Αθμονάζειν, verbum hinc natum. *Hesychius*. Αθμονάζειν, τὸ εἰς δῆμον ἀφικνεῖσθαι τῆς Αττικῆς. *Αθμονάζειν est ad populum Atticæ admitti.* 1.

ΑΙΓΙΚΟΡΙΣ.

Nonnulli populum esse voluerunt, cum revera tribus fuerit. *Stephanus*. Αἰγικόρεως, οὐκ ἔστι δῆμος τῆς Αττικῆς, ὥς τινες. ἀλλὰ φυλὴ παλαιὰ, μία τῶν τεσσάρων τῶν ἀπὸ Ιωνος. τέσσαρες δ' ἐξ αὐτῶν, Αἰγικορεῖς, Αργαδεῖς, Τελέοντες, Oπλῖται. ἡ φυλὴ τοίνυν Αἰγίκορις. *Ægicoreos, non est populus Atticæ, ut quidam; sed tribus antiqua, una scil. ex quatuor quæ ab Jone. Quatuor autem ex illis, Ægricorenses, Argadenses, Teleontes, Hoplitæ. tribus igitur Ægicoris.* Meminit, ceu tribus, etiam Pollux l. VIII. c. IX. sect. XXXI. & Plutarchus *Solone*.

ΑΙΓΙΛΙΑ. ΑΙΓΙΛΟΣ.

Harpocration: Αἰγιλία, δῆμος φυλῆς Αντιοχίδος. *Ægilia, populus tribus Antiochidis.* Ita *Suidas* quoque, & *Stephanus* Athenæus, *lib.* XVI. Αἰγιλίαν δ' εἶναι (φησι) δῆμον τῆς Αττικῆς. *Ægiliam vero esse (dicit) populum Atticæ.* Emendandus insignis locus apud Strabonem, *lib.* IX. Μετὰ δὲ τὸν Πειραιᾶ, Φαληρεῖς δῆμος, ἐν τῇ ἐφεξῆς παραλίᾳ. εἶτ' Αλιμούσιοι, Αἰξωνεῖς, Αλαεῖς οἱ Αἰξωνικοὶ, Αναγυράσιοι, Θορεῖς, Λαμπτρεῖς, Αἰγιλιεῖς, Αναφλύστιοι. Αζηνιεῖς. *Post Piræeum, Phalerenses sunt, populus in sequente ora maritima; inde Alimusii, Æxonenses, Alaenses Æxonici, Anagyrasii, Thorenses, Lamprienses, Ægilienses, Anaphlystii, Azenienses.* Corrupte hodie illic editur, Λαμπτρεῖς, Αἰγινεῖς, Αναφλύστιοι. *Lamprienses, Æginenses, Anaphlystii.* Aliis ΑΙΓΙΑΛΟΣ, *Ægialus*, scribitur. Plinius, qui inter montes Atticæ ponit, *lib.* IV. *cap.* VII. *Montes (Atticæ) Brilessus, Ægialus, Icarius, Hymettus, Lycabettus.* Solinus *cap.* XIII. *Nec Atticos montes in partem tacebimus. Est Icarius, est Brilessus, est Lycabettus, est Ægialus.* Aliis rursum ΑΙΓΑΛΕΩΣ, *Ægaleos*. Thucydides *lib.* II Επειτα προὐχώρουν, ἐν δεξιᾷ ἔχοντες τὸ Αἰγάλεων ὄρος. *Inde processerunt, ad dextram habentes Ægaleon montem.* Emendandus Ulpianus, *in Demostheni Timocratem*: Εκαθέζετο ὁ Ξέρξης ἐν τῷ Αἰγάλεῳ, ὄρει τῆς Αττικῆς, θεωρῶν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν. *Sedebat Xerxes in Ægaleo, monte Atticæ, spectans pugnam navalem Salaminiam.* Hodie non recte editur, ἐν τῷ Αὐγάλεῳ, *in Augaleo*. Ister in primo τῶν Ατάκτων, apud Scholiasten Sophoclis, *ad Oed.* vers. 1052. Απὸ ταύτης δὲ βαδιζόντων εἰς Ελευσῖνα, τὰ ἐπ' ἀριστερᾷ μέχρι τοῦ λόφου τοῦ πρὸς ἀνατολὰς τοῦ Αὐγάλεω. *Ab hac euntibus Eleusina, sinistrorsum usque ad collem, qui est ad Ægaleo*

μεταγεΤΝΙΩΝΑ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ
ΗΡΩΝ ΣΟΣ.. Γ.. Ν..
Π... ΕΙΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΕΡΙ
ΚΑΙΕΥΣ .... ΡΜΗ ...
ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΠΗΙΡΑΙΕΥΣ ΑΓΑΘΩΝ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΣΙΜ ..... ΥΛΑΔΟΥ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ ΣΕΜΝΟΣ ΥΓΙΝΟΥ ΜΑ
ΡΑΘΩΝΙΟΣ
ΠΑΠΠΟΣ ΞΟΣΤΗΡΟΣ ΓΑΡΓΗΤ
ΤΙΟΣ ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ ΞΟΣΤΗΡΟΣ
ΓΑΡΓΗΤ.
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ ΛΕΥΚ.
ΤΙΤΟΣ ΞΟΣΙΜΟΥ ΠΑΙΟΝΙ.
ΕΠΑΦΡΙΩΝ ΙΣΕΥΘΟΥ ΓΑΡ
ΓΗΤΤΙΟΣ
ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΣ ΔΗΜΗΡΙΟΥ
ΠΕΙΡΑΙΕΣ.
ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ
ΓΑΡΓΗ.
ΦΙΛΟΤΙΚΟΣ ΑΤΤΙΚΟΥ ΑΛΙ
ΜΟΥΣΙΟΣ
ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΗΣ ΑΡΙΣΤΩΝ Α
ΦΡΟΔΙΣΙΟΥ ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΣ

In altera parte lapidis hæc erant:

ΠΑΙΔΕΥΤΑΙ
ΛΙΚΙΜΝΙΟΣ ΠΟΛΥΑΙΝΟΣ ΚΟΛΗΓΕ
ΜΩΝ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ ΠΡΟΣΑ. ΓΡ.
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΜΕΛΙΤΕΥΣ ΗΡΑΚΛΕΙ
ΔΗΣ ΠΟΘΕΙΝΟΥ ΕΡΙ. ΟΠΛΟΜΑ
ΧΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ΠΛΟΥΤΙΑΝΟΣ
ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΑΦΡΟ
ΛΙΣΙΟΥ ΕΞΟ .... ΠΑΙΩΝ ΔΙΟΜΗ
ΔΟΥΣ ΠΑΛΛΗ .... ΣΕΞΣΤΙΝΟΣ ΝΙ
ΚΑΝΟΡ ΣΦΗΤΤΙΟΣ ΠΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ
ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΥ Α .... ΑΒΑΣΚΑΝ
ΤΟΣ ΕΥΜΟΛΠΟΥ ΚΗ .. ΕΡΜΙΑΣ
ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩ ... ΚΕΣΤΡΟ
ΦΥΛΑΞ ΠΥΘΙΚΟΣ ΕΥΔΟ..ΘΥΡΩΠΟΣ
ΑΙΣΧΙΝΗΣ Ο ΚΑΙ ΨΙΑ ...

Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 375. &c.

1. In hoc pago fuit templum Veneris Cœlestis, quod condidit Porphyrion, antiquissimus Rex Atticæ, qui ante Actæonem ibi rerum potitus est, teste Pausania. Inscriptio, quæ legitur Athenis:

... ΝΕΙΣ ΧΑΡΙΕΣΣΑ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΕΞ
ΑΤΜΟΝΕΩΝ

Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 381.

partem orientalem. Incertus Auctor, *in Epigrammate*; cujus fragmentum exstat apud Suidam, *in* Μᾶσον.

——— Ἐπὶ δὲ πρὸ μᾶσον ἐπ᾽ ἄκρυ
Αἰγάλεω θυμόεντος, ἄγων μέγαν ὑετὸν, ἔστη.
— *Ulterius vero longius in summo*
Ægaleo, thymo abundante, adducens magnam pluviam, stetit,

Statius *Theb. l.* XII. *vers.* 630.

Dives & Ægaleos nemorum. —

A quibusdam, ΑΙΓΙΛΟΣ, *Ægilus*, dicitur. Theocritus, *Idyll. v.* 147.

— Καὶ ἀπ᾽ Αἰγίλῳ ἰχάδα τρώγοις.
— *Et ab Ægilo caricam ederes.*

Quem locum nollem a Viris doctis sollicitari. Scholiastes poetæ *illic* annotat: Αἴγιλος, δῆμος τ̃ Ἀττικῆς. *Ægilus, populus Atticæ.* Nomen illi ab Ægilo heroe. Scholiastes iste, *ibidem*: Αἴγιλος, δῆμος τ̃ Ἀττικῆς, ἀπό τινος φυλῆς ἥρωος Αἰγίλυ. *Ægilus, populus Atticæ; a quodam tribus heroe Ægilo.* Sed corruptum nimis locum sic restitue: δῆμος τ̃ Ἀττικῆς, φυλῆς ** ἀπό τινος ἥρωος Αἰγίλυ. *Populus Atticæ, tribus ** ab heroe quodam Ægilo.* Athenæus, *lib.* XIV. Αἰγιλίαν δ᾽ εἶναί (φησι) δῆμον τ̃ Ἀττικῆς ἀπὸ Αἰγίλυ τινὸς ἥρωος ὠνομασμένον. *Ægiliam vero (dicit) esse populum Atticæ, ab Ægilo quodam heroe nuncupatum.* Abundabat autem thymo, quemadmodum Hymettus, ut infra dicam. Inde est in *Epigrammate*, quod e Suida jam citavi:

——— Ἐπ᾽ ἄκρυ
Αἰγάλεο θυμόεντος. ———
——— *In summo*
Ægaleo, thymo abundante. —

Non recte illic Viri docti scribendum existimant, Αἰγάλεω νιφόεντος, *Ægaleo nivoso*. Dicitur enim θυμόεις, a θύμον; quo modo θυόεις, a θύον: & talia. Abundabat item arboribus. *In citato isto* Statii *versu*:

A] *Dives & Ægaleos nemorum.* —

Et caricas præstantissimas habebat. Unde in Theocriti *isto*:

— Καὶ ἀπ᾽ Αἰγίλῳ ἰχάδα τρώγοις.
— *Et ab Ægilo caricam ederes.*

Athenæus, *lib.* XIV. Αἰγιλίδας φησὶν (ὁ Φιλήμων) εἶναι τὰς καλλίστας ἰχάδας. *Ægilenses caricas (Philemon) ait optimas esse.* Spectavit quoque in hoc monte Xerxes pugnam Salaminiam: uti testis Ulpianus, *in citatis paullo ante verbis*, & Herodotus, *lib.* VII. *cap.* XC. *ult.* a.

ΑΙΘΑΛΙΔΑΙ. ΑΙΘΑΛΙΑ.

B Tribus Leontidis. *Harpocration.* Αἰθαλίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Æthalidæ, populus Leontidis tribus.* Idem est apud *Suidam*. Nomen populo ab Æthalide. *Stephanus.* Αἰθαλίδαι, δῆμος τ̃ Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Αἰθαλίδυ. ϗ ὁ δημότης, Αἰθαλίδης. οἱ δὲ, Αἰθαλιεῖς, τὰς δημότας. *Æthalidæ, populus Leontidis tribus, ab Aethalide. Et tribulis Aethalides. Quidam vero Aethalienses tribules vocant.* Et observa, populares non tantum Αἰθαλίδας dictos, sed & Αἰθαλιεῖς: quemadmodum ipse populus non Αἰθαλίδαι duntaxat, verum etiam Αἰθαλιά. *Hesychius.* Αἰθαλιά, δῆμος τῆς Λεοντίδος
C φυλῆς. *Aethalia, populus Leontidis tribus.* 1.

2. Α Ι Ξ Ω Ν Η.

Erat tribus Cecropidis. *Stephanus* in Αἰξωνία. ἔστι ϗ Αἰξωνὴ δῆμος Κεκροπίδος φυλῆς, ὀξυτόνως, ὡς εἰώθεισαι πολλῶν τ̃ δήμων. ϗ ὁ δημότης, Αἰξωνεύς. τὸ θηλυκὸν, Αἰξωνίς. *Est & Aexone populus Cecropidis tribus, cum accentu in ultima, quemadmodum solet fieri in multis populis: & Popularis Aexonensis, femininum Aexonis.* Corrigendus *Harpocration.* Αἰξωνὴ ἐστι δῆμος φυλῆς τῆς Κεκροπίδος. *Æxone est populus tribus Cecropidis.* Hactenus editur. Αἰξωνῆς δῆμος φ. τ. Κ. Eodem modo corruptus *Suidas*. Nam si populus Αἰξωνῆς dictus fuisset, populares non Αἰξωνεῖς, sed Αἰξωνηΐδαι dicerentur.

---

a. Tribus Antiochidis. *Harpocration.* Αἰγιλία, δῆμος φυλῆς Ἀντιοχίδος. ἔνθεν ὁ δημότης, Αἰγιλιεύς. *Ægilia, populus tribus Antiochidis, inde popularis Ægiliensis.* Ita quoque *Suidas*, & *Stephanus*. Emendandus insignis locus apud Strabonem *lib.* IX. μετὰ δὲ τὸν Πειραιᾶ, Φαληρεῖς δῆμος, ἐν τῇ ἐφεξῆς παραλίᾳ. εἶθ᾽ Ἁλιμούσιοι, Αἰξωνεῖς, Ἁλαεῖς οἱ Αἰξωνικοὶ, Ἀναγυράσιοι, οἱ Θορεῖς, Λαμπτρεῖς, Αἰγιλιεῖς, Ἀναφλύστιοι, Ἀζηνιεῖς. *Post Piræum vero Phalerenses populus, in sequente ora maritima; inde Halimusii, Æxonenses, Alaenses Æxonici, Anagyrasii, Thorenses, Lamprienses, Ægilienses, Anaphlystii, Azenienses,* Corrupte hodie editur, Λαμπρεῖς, Αἰγινεῖς, Ἀναφλύστιοι. Commemoratur inter montes Atticæ a Plinio *lib.* IV. *cap.* VII. *Montes (Atticæ) Brilessus, Ægialus, Icarius, Hymettus, Lycabetus.* Ita emendo; nam hodie illic editur, *Ægialeus.* Sic apud Solinum, *cap.* XIII. *Nec Atticos montes in partem tacebimus. est Icarius, est Brilessus, est Lycabetus, & Ægilus.* Etiam illic perperam editur, *& Ægialus.* Hic caricæ erant nobilissimæ, Αἰγιλίδες dictæ. Athenæus *lib.* XIV. *c.* XVIII. ex Philemone. Αἰγιλίδας φησὶν εἶναι τὰς καλλίστας ἰχάδας. Αἰγιλίαν δ᾽ εἶναι δῆμον τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Αἰγίλυ τινὸς ἥρωος ὠνομασμένον. *Ægilidas dicit esse optimas caricas. Ægiliam vero esse populum Atticæ, ab Ægilo quodam heroe nominatum.* Ubi hoc quoque observa, datum populo nomen ab Ægilo heroe. Caricarum Ægilensium meminit etiam Theocritus *Idyllio* I. v. 147. D

— ϗ ἀπ᾽ Αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις.
— *Et ab Ægilo caricam ederes.*

Quem locum nollem sollicitari a Viro Clarissimo, & in his literis præstantissimo, Daniele Heinsio, Collega, & amico summo. Scholiastes *ejus illic* annotat. Αἴγιλος, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπό τινος φυλῆς ἥρωος Αἰγίλυ. ὅτι δὲ αἱ Ἀττικαὶ ἰσχάδες ἡδεῖαι, ϗ Δίων μαρτυρεῖ. *Ægilus, populus Atticæ, a quodam tribus heroe Ægilo: quod autem Atticæ caricæ dulces sint, testatur quoque Dion.* Sed corruptus locus, & luxata verba. Restitue. δῆμος τῆς Ἀττικῆς φυλῆς, ἀπο τινος ἥρωος Αἰγίλυ. *Populus aliquis Atticæ tribus, ab heroe quodam Ægilo.* Deinde scribendum, ϗ Δίνων μαρτυρεῖ. Nam Dinon
E est, non Dion, cujus Περσικὰ in hac ipsa quoque re laudat Athenæus *loco citato*; nominaturque etiam a Clemente *in Protreptico*.

Hoc modo olim Meursius in primis curis.

1. Inscriptio sepulchralis, quæ Athenis extat:

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΕΡΟΔΟΤΟΥ
ΑΙΘΑΛΙΔΗΣ

Duas alias vide apud Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 382.

2. In inscriptionibus scribitur per ο. in Auctorum Græcorum libris per ω. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 382.

A cerentur. Hinc erat Thrasyllus, de quo Ælianus *Var. lib.* IV. *cap.* XXV. Θράσυλλος ὁ Αἰξωνεὺς παράδοξον καὶ καινὴν ἐνόσησε μανίαν. *Thrasyllus Æxonensis mirabili & nova laboravit dementia.* Ab hoc populo Αἰξωνεύεσθαι dicebatur pro βλασφημεῖν. *Hesychius.* Αἰξωνεύεσθαι, βλασφημεῖν, *calumniari.* Id eo factum, quod traducerentur Æxonenses maledicentiæ nomine. *Stephanus.* Αἰξωνεύεσθαι, τὸ κατηγορεῖν. βλάσφημοι γὰρ καὶ συκοφάνται (οἱ Αἰξωνεῖς) κωμῳδοῦνται. Αἰξωνεύεσθαι *notat accusare; nam maledici & calumniatores (Aexonenses) in comœdiis taxantur. Harpocration.* Εκωμῳδοῦντο δ' εἰς βλασφήμους, ἀφ' οὗ καὶ τὸ κακῶς λέγειν, Αἰξωνεύεσθαι ἔλεγον. *Perstringebantur autem in comœdiis inter maledicos, unde etiam male dicere* Αἰξονεύεσθαι *dixerunt.* Eadem habes quoque apud *Suidam*, & *Etymologici Auctorem* [a].

[1] ΑΛΑΙ.

Meminit τῶν Αλῶν simpliciter Xenophon *Helenic.* II. οἱ μὲν ἐξεώσθησαν εἰς τὸν ἐν ταῖς Αλαῖς πηλόν. *Alii quidem exturbati sunt in lutum, quod est Alis.* Erant vero populi hoc nomine duo. *Hesychius.* Αλαὶ, δύο δῆμοι τῆς Αττικῆς. *Alæ, duo populi Atticæ.* Unus, Αλαὶ Αἰξωνίδες, & ad tribum Cecropidem: alter, Αλαὶ Αραφηνίδες, & ad Ægeidem pertinebat. *Stephanus.* Αλαὶ Αραφηνίδες, καὶ Αλαὶ Αἰξωνίδες, δῆμοι, ὁ μὲν, τῆς Αἰγηίδος, ὁ δ' Αἰξωνεὺς, τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ἑκατέρου ὁ δημότης, ἄνευ τοῦ ι. Αλαεύς. *Alæ Araphenides, & Alæ Æxonides, populi. alter quidem Aegeidis, alter vero Aexonensis, Cecropidis tribus; utriusque popularis sine* ι. *scribitur, Alaensis.* Emendandus Schol. Callimachi *Hymno* III. *qui in Dian. v.* 173. Δύο Αλαὶ, δῆμοι τῆς Αττικῆς, Αλαὶ Αραφηνίδες, καὶ Αλαὶ Αἰξωνίδες. *Duæ Alæ, populi Atticæ, Alæ Arpabenides, & Alæ Aexonides.* Hodie editur, καὶ Αλαὶ Ζωνίδες. Popularis qui esset, Αλαεὺς dicebantur; ut vidimus in *citatis* Stephani *verbis*. Itaque corrrige apud *Harpocrationem*. Αλαεὺς, ὄνομα δήμου. *Alaensis, nomen populi.* Non recte editur, Αλαιεύς. Eodem mendo laborat *Suidas*; qui corrigendus quoque alibi in Αζηνιεύς. καὶ Αζηνιεῖς, καὶ Ερχιεῖς, καὶ Αλαεῖς, καὶ πάντα τὰ ὅμοια δασέως φασὶ φθέγγεσθαι τοὺς Αττικοὺς τοὺς παλαιούς. *Et Azenienses, & Erchienses, & Alaenses, & omnia similia spiritu aspero dicunt efferre Atticos priscos.* Hodie editur, καὶ Ερχιεῖς, καὶ Αλιεῖς. Erant autem Alæ Araphenides, inter Phegeum juxta Marathonem, & Brauronem; Æxonides, prope urbem. *Stephanus.* Εστὶ δ' ὁ δῆμος τῆς Αραφηνίδος, μεταξὺ Φηγέως τοῦ πρὸς Μαραθῶνι, καὶ Βραύρωνος. αἱ δ' Αἰξωνίδες, ἐγγὺς τοῦ ἄστεος. *Est autem populus Araphenidis, inter Phegeum ad Marathonem, & Brauronem: Aexonides vero prope arcem.* Meminit Callimachus *Hymno in Dianam v.* 173. dicens in propinquo sedes habuisse Divam, cum e Scythia veniret.

> Ἡν ἵνα δαῖμον Αλὰς Αραφηνίδας οἰκήσουσα
> Ηλθες διὰ Σκυθίης, ἀπὸ δ' εἴπαο τέθμια Ταύρων.
> *Seu ubi Diva Alas Araphenidas habitans*
> *Venisti ab Scythia, abdicasti vero ritus Taurorum.*

Adverbia loci, quæ vocant Grammatici, erant ista. Αλῆθεν, Αλῆσι, Αλῆθενδε. Vide Stephanum *loco citato*. Et corrigendus insignis locus apud Æschinem *in Epistola ad Ctesiphontem, Ep.* 5. καὶ συγγενῶν, καὶ ἐκκλησίας, καὶ Κολυττοῦ, ἐν ᾧ πέντε καὶ τετταράκοντα ἔτη ᾤκησα, καὶ τοῦ Αλῆσι χωρίου, καὶ τῶν ἐκεῖ μοι μετὰ σοῦ καὶ Φιλίνου διατριβῶν γενομένων. *Sed & cognatorum, & concionis, & Colytti, in quo loco quinque & quadraginta annos habitavi, & villæ Alis, & colloquiorum istic mihi tecum & cum Philino habitorum.* Ineptum est, quod vulgatur, καὶ τοῦ ἀλησιχωρίου, καὶ τῶν. Et pessime interpretatur, ut multa alia, indoctus Interpres, *& Alesichorii.* Videant, quam recte faciant, qui clarissimæ erudi-

a. De hoc corrigendus Ammonius, *de Diff. Voc.* in Πόνηρον. Φιλήμονα τὸν Αἰξωνέα. *Philemonem Æxonensem.* Male hodie est in editis, τὸν Αγξωνέα. *Anxonensem.* Atque hic nulli excellentes celebrabantur. *Hesychius:* Αἰξωνίδα τρίγλην. δοκοῦσι κάλλισαι εἶναι αἱ Αἰξωνικαὶ τρίγλαι. *Aexonensem mullum. Videntur optimi esse Aexonenses mulli.* Emendandus est insignis Pollucis locus, *lib.* VI. *cap.* X. Παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκίμουν, ψῆτται ἐξ Ελευσῖνος, ἀφύαι Φαληρικαὶ, τρίγλαι Αἰξωνικαί. *Apud Veteres in precio erant, passeres ex Eleusine, aphyæ Phalericæ, mulli Æxonici.* Hodie corruptissime editur, τρίγλαι Ιωνικαί. *Mulli Ionici.* Coaluerat, ut in manuscriptis sæpe, prima syllaba vocis Αἰξωνικαὶ cum postrema vocis τρίγλαι; itaque pro ξωνικαὶ, quod restabat, cum nescirent, quid id vellet, Ιωνικαὶ substituerunt. Et hæc loci corrumpendi occasio fuit. De mullorum vero illic præstantia, etiam *Suidas*: Αἰξωνίδα τρίγλην. δοκοῦσιν αὗται κάλλισαι εἶναι, καὶ τῶν ἄλλων διαφέρειν. *Æxonensem mullum. Videntur isti optimi esse, aliisque præstare.* Athenæus, *lib.* VII. Ναυσικράτης δ' ὁ κωμῳδοποιὸς ἐπαινεῖ τὰς Αἰξωνίδας, τρίγλας, ἐν Ναυκλήροις λέγων οὕτως.

> ——— Μετ' αὐτῶν δ' εἰσὶν ἐκπρεπεῖς φύσιν
> Αἱ ξανθοχρῶτες, ἃς κλύδων Αἰξωνικὸς
> Πασῶν ἀρίστας ἐν τόποις παιδεύεται·
> Αἷς καὶ θεὰν τιμῶσι φωσφόρον κόρην,
> Δείπνων ὅταν πέμπωσι δῶρα ναυτίλοι.

D Τρίγλας λέγει. ——
Nausicrates vero Comicus laudat mullos Æxonenses, ita in Naucleris dicens;

> ——— *Cum ipsis sunt natura excellentes*
> *Flavicolores, quos fluctus Æxonicus*
> *Omnium optimos illis locis educat;*
> *Quibus etiam honorant luciferam virginem,*
> *Cœnarum cum mittunt dona nautæ.*
> *Mullos dicis.* ———

Et Cratinus *Trophonio*, ibid.

> Οὐδ' ἐρυθρόχρων ἐσθίειν ἔτι
> Τρίγλην. ——
> *Nec amplius Æxonensem rubricolorem edere*
> *Mullum.* ——

E Itaque etiam, ob præstantiam, sacri Cereri habebantur; ut in Eleusiniis docui, cap. XXIV.

1. Incola dicitur Αλαιεύς, male Meursius Αλαεύς. Patet hoc ex inscriptionibus, quarum hæc legitur Athenis in theatro Bacchi:

ΝΙΚΩΝ
ΛΥΣΙΟΥ
ΑΛΑΙΕΥΣ

F Alia ibidem apud Consulem Giraldum:

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΑΛΑΙΕΥΣ ΕΠΙΜΕΛΗΘ...
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΠΡΥΤΑΝΕΥ...

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 383.

tionis viri, Jacobi Cujacii nomine obtrudere Lectori erudito postulant. Hinc erat Theophrastus archon anni primi Olympiadis CX. Id nos discimus ex Anonymo *in Collect. Hist.* ubi ad eum annum nominatur archon, Θεόφραστος Αλαιεὺς. Ita emendo. Perperam editur, Θ. Αλλαιεὺς [a].

ΑΛΙΜΟΥΣ.

Leontidis tribus. *Stephanus*. Αλιμοῦς, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Alimus, populus Leontidis tribus*. *Suidas*. Αλιμοῦς, δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος. *Alimus, populus est Leontidis*. *Harpocration* iisdem, quibus *Stephanus*, verbis. Aristophanes *Avibus*, *v.* 498.

Κἀγὼ νομίσας ὄρθρον, ἐχώρουν Αλιμοῦντάδε.
Et ego putans diluculum, ibam Alimunta.

Ubi *Scholiastes*. Αλιμοῦντάδε, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Alimunta, populus Leontidis tribus*. Erat illic fanum Cereris θεσμοφόρου, & Proserpinæ. Pausanias *Atticis*. δῆμοι δὲ οἱ μικροὶ τῆς Αττικῆς ὡς ἔτυχεν ἕκαστος οἰκισθείς. ἃ δὲ εἰς μνήμην παρείχοντο, Αλιμουσίοις μὲν Θεσμοφόρου Δήμητρος καὶ Κόρης ἐστὶν ἱερόν. *Populi vero parvi Atticæ unusquisque uti sors tulit habitatus. Quæ vero ad memoriam præbebantur, apud Alimusios quidem Legiferæ Cereris & Proserpinæ fanum est.* Atque hæc sunt sacra, quæ intelligit Clemens *in Protreptico*. ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια, καὶ τὰ ἐν Αλιμοῦντι τῆς Αττικῆς, Αθήνησι περιώρισται. *Verum ea quidem quæ in Sagra mysteria, & quæ in Alimunti Atticæ, Athenis determinantur*. Populares Αλιμούσιοι dicebantur. Itaque corrigendus *Stephanus*, apud quem minus recte, ὁ δημότης, Αλιμύσιος. *Popularis, Alimysius*. Omnino scribendum, Αλιμούσιος.

ΑΛΩΠΕΚΗ. ΑΛΩΠΕΚΑΙ.

Antiochidis tribus. *Suidas* δῆμός ἐστιν ἡ Αλωπεκὴ τῆς Αντιοχίδος. *Populus est Alopece Antiochidis*. *Stephanus*. Αλωπεκὴ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. *Alopece, populus Antiochidis tribus*. Efferebant etiam pluraliter, Αλωπεκαί. Ita est apud *Harpocrationem*. Αλωπεκαὶ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος. ὁ δὲ δημότης, Αλωπεκεὺς. *Alopecæ, populus Antiochidis. popularis vero Alopecensis*. Unde nomen, hodie ignoramus. Tradiderat olim Philochorus *lib.* III. Harpocration *loco citato*. πόθεν δὲ ὠνομάσθησαν (αἱ Αλωπεκαὶ) Φιλόχορος ἐν τῇ τρίτῃ δηλοῖ. *Unde vero nominatæ sint* (Alopecæ) *Philocorus in tertio libro indicat*. Hinc oriundus Socrates. Diogenes Laertius *lib.* II. *cap.* XVIII. Σωκράτης Σωφρονίσκου μὲν ἦν υἱὸς λιθουργοῦ, καὶ Φαιναρέτης μαίας, Αθηναῖος, τῶν δήμων Αλωπεκῆθεν. *Socrates Sophronisci quidem erat filius lapidarii, & Phenaretæ obstetricis, Atheniensis, quod ad populos, Alopecensis*. Hic erat sepulcrum Anchimolii. Herodotus *lib.* V. *cap.* LXIII. καὶ Αγχιμολίου εἰσὶ ταφαὶ τῆς Αττικῆς Αλωπεκῆσι, ἀγχοῦ τοῦ Ηρακληΐου τοῦ ἐν Κυνοσάργει. *Extant & Anchimolii sepulcra Alopecis Atticæ, juxta Herculis templum, quod in Cynosargi*. Ubi observa, prope Cynosarges fuisse [b].

ΑΜΑΞΑΝΤΕΙΑ.

Hippothoontidis tribus. *Stephanus*. Αμαξάντεια, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. *Hamaxanteia, populus Hippothoontidis tribus*. Harpocration. Αμαξάντεια, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ φυλέτης, Αμαξαντεὺς. *Hamaxanteia populus Hippothoontidis tribus; tribulis Hamaxantensis*. Corigendus est *Hesychius*, apud quem hodie legitur, Αμαξαντία, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. *Amaxantia, populus Hippothoontidis tribus*. Rescribe, quemadmodum in *Stephano* est, & in *Harpocratione*, Αμαξάντεια [1].

ΑΜΦΙΑΛΗ.

Incertæ tribus. Commemorat Strabo *lib.* IX. Adjacebat lapidicina, & trajectus in Salamina duorum stadiorum, quem aggere ingesto complanare statuerat Xerxes. Strabo *loco citato*. ἐν δὲ τοῖς δήμοις καταριθμεῖται ἡ πόλις. εἶτα τὸ Θριάσιον πεδίον, καὶ ὁμώνυμος αἰγιαλὸς καὶ δῆμος. εἶθ' ἡ ἄκρα ἡ Αμφιαλὴ, καὶ τὸ ὑπερκείμενον λατόμιον, καὶ ὁ εἰς Σαλαμῖνα πορθμὸς, ὅσον διστάδιος, ὃν διαχοῦν ἐπειρᾶτο Ξέρξης, ἔφθη δὲ ναυμαχία γενομένη, καὶ ἡ φυγὴ τῶν Περσῶν. *In populis vero numeratur urbs. Dein est Thriasius campus, & ejusdem nominis litus & populus. Tum promontorium Amphiale, & superincumbens lapidum metallum, & trajectus in Salamina, fere per duo stadia, quem aggere perducto jungere conabatur Xerxes, prævenit actum navale prœlium, & fuga Persarum* [2].

---

a. ΑΛΕΙ, *Alæ*, erant; unde Αλαιεὺς popularis dicebatur. Itaque Θεόφραστος Αλαιεὺς scribendum apud Dionysium Halicarnasseum, *in Philochori fragmento, e libro sexto* Ατθίδος; quod is nobis repræsentat, in Epistola *ad Ammæum*. Male Αλλαιεὺς vulgatur; quod ipsum mendum etiam transscripsit Anonymus *in descriptione Olympiadum, Olymp.* CX. *anno* I. Restituendus quoque Statius, *Theb.* XII. *v.* 632.

Venit atrox Alaeus, & olentis arator Hymetti.

Corruptum est, quod hodie editur; *Venit atrox Ileus*. Ubi epitheton item observa; & *Atroces* appellari. Nugatur autem *Lutatius* ibi, *Interpres Vetus*; & nec locum intellexit, neque mendum animadvertit. Hinc est *Alimus*; aberatque Athenis stadia XXXV. Demostenes, *in Eubulidem*, ex persona Euxithei Alimusii, cujus causam illic agit: Τοῦ γὰρ δήμου ἡμῖν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πέντε καὶ τριάκοντα στάδια τοῦ ἄστεος ἀπέχοντος, καὶ τῶν πλείστων ἐκεῖ οἰκούντων, ἀπεληλύθεσαν οἱ πολλοί. *Nam cum populus noster, Judices, stadiis triginta quinque ab Urbe distet, ac plerique illic habitent, multi abierunt*. Et sacra quoque illic Cereris celebrata, præter *Clementem* memorat item Arnob. *lib.* V. *Pudor me habet Alimuntis illa proferre mysteria*. Ac Thucydides inde erat; ut testatur inscriptio columnæ apud Marcellinum, *in ejus Vita*; quæ ita habet:

Θουκυδίδης Ολόρου Αλιμούσιος ἐνθάδε κεῖται.
Thucydides Olori Alimusius heic situs est. R. A.

b. Quod *Alopecen* attinet, aberat ab Urbe stadiis circiter duodecim; idque observo apud Æschinem, *in Timarchum*: Τὸ δὲ Αλωπεκῆσι χωρίον, ὃ ἦν ἄποθεν τοῦ τείχους ἕνδεκα, ἢ δώδεκα, &c. *Prædium Alopecense, quod a mœnibus abest stadiis undecim, aut duodecim*, &c. Atque hinc oriundus Hippias, apud Aristænetum, *lib.* I. *epist.* IV. Ιππίας ὁ καλὸς, ὁ Αλωπεκῆθεν, ἀρτίως ἔφη πρὸς ἐμὲ, πεσγῶς ἀποβλέψας. *Nuper Hippias pulcher Alopecensis, torvum respiciens, ad me dixit*. R. A.

1. Inscriptio, quæ Athenis legitur in Ecclesia Σταυρόμενος.

ΕΙΡΗΝΗ
ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΕΔΕΣΑΙΑ

ΣΩΣΙΠΟΛΙΔΟΣ
ΑΜΑΞΑΝΤΕΩΣ
ΓΥΝΗ

Spon. Itin. *T.* 2. *p.* 484.

2. Perperam inter pagos Atticos refertur a Meursio. Strabo enim tantum dicit fuisse promontorium, ex quo trajiciatur in Salaminem. Spon. Itin. *T.* 2. *p.* 385.

ΑΜΦΙΤΡΟΠΗ.

Antiochidis tribus. *Stephanus*. Ἀμφιτροπὴ, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. *Amphitrope, populus Antiochidis tribus*. Totidem verbis apud *Hesychium*. Æschines *Orat. in Timarchum*. φοβηθεὶς γὰρ τὰς λειτουργίας ἀπέδοτο ἃ ἦν αὐτῷ κτήματα ἄνευ τῶν ἀρτίως εἰρημένων χωρίων, Κηφισιᾶσιν ἕτερον ἀγρὸν, Ἀμφιτροπῆσιν ἐργαστήρια δύο. *Timens autem publica ministeria vendidit possessiones quæ habebat exceptis illis, quas modo dixi, Cephesiis alium agrum, Amphitropis fabricas duas*.

ΑΝΑΓΥΡΟΥΣ.

Erechtheidis tribus. *Harpocration*. δῆμός ἐστιν Ἀναγυροῦς τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. *Populus est Anagyrus Erechtheidis tribus*. *Stephanus*. Ἀναγυροῦς, δῆμος Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. *Anagyrus populus Erechtheidis tribus*. Meminit Aristoph. *Lysistrata, vers.67.*

Πόθεν εἰσίν· Ἀναγυρουντόθεν, νὴ τὸν Δία.
Unde sunt? ab Anagyro, per Jovem.

Erat illic fanum Matris Deum. Pausanias *Atticis*, Ἀναγυρασίοις δὲ μητρὸς θεῶν ἱερόν. *Apud Anagyrasios delubrum Matris Deum*. Erat etiam planta Anagyrus, gravissimi odoris: alii etiam heroem commemorant, qui vicinorum ædes everterit, quod fanum suum violare aggressi essent. Unde Proverbium apud Græcos, Ἀνάγυρον κινεῖν. *Anagyrum movere*. Zenobius *Cent.*II. *Proverb.*55. Ἀνάγυρον κινεῖν. ἔστιν ὁ Ἀνάγυρος δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα δυσῶδες φυτὸν φύεται· εἴρηται οὖν ἡ παροιμία ἐντεῦθεν ἐπὶ τῶν κινούντων τινὰ ἐπὶ κακῷ ἑαυτῶν. τινὲς δὲ λέγουσιν ὅτι ἄνθρωπος ἥρως γέγονεν, ὅστις τοὺς οἴκους τῶν γειτονούντων αὐτῷ ἐκ βάθρων ἀνέστρεψεν, ἐπειδὴ τὸ ἡρῷον αὐτοῦ ὑβρίσαι ἐπεχείρησαν. *Anagyrum movere. Est Anagyrus populus Atticæ, ibi gravis odoris frutex nascitur: dicitur igitur proverbium inde in illos qui aliqua movent in suam perniciem. aliqui vero dicunt, quod vir Heros exstiterit, qui domos vicinorum suorum funditus evertit, postquam sacellum suum violare aggressi fuerunt*. De heroe Anagyro est etiam apud Diogenianum *Centur.*I. *Proverb* 25. Ἀνάγυρον κινεῖς. ἐπὶ τῶν κινούντων τινὰ ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν κακῷ. Ἀνάγυρος γάρ τις ἥρως ἐπιχώριος, τοὺς γειτονοῦντας ἐκ βάθρων ἀνέστρεψεν, ἐπειδὴ τὸ ἡρῷον αὐτοῦ ὑβρίσαι ἐπεχείρησαν. *Anagyrum moves, in eos qui quid movent in suam perniciem. Anagyrus enim Heros quidam indigena, vicinos funditus evertit, postquam sacellum suum violare tentaverunt*. Plantæ meminit quoque *Hesychius*. Ἀναγυράσιος, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα καὶ φυτὸν δυσῶδες φύεται Ἀνάγυρος. καὶ παροιμία, κινήσω τὸν Ἀνάγυρον. διὰ τὸ δυσῶδες φυτὸν αὐτόθι φύεσθαι. *Anagyrasius, populus Atticæ, ibi & planta gravis odoris nascitur Anagyrus. & proverbium, movebo Anagyrum; quia gravis odoris planta ibi nascitur*. Nimirum hinc est illud apud Aristophanem *Lysistr. v.68.*

Ο γοῦν Ἀνάγυρός μοι κεκινῆσθαι δοκεῖ.
Ergo Anagyrus motus esse mihi videtur [1].

ΑΝΑΚΑΙΑ.

Hippothoontidis tribus. *Harpocration*. δῆμος φυλῆς Ἱπποθοωντίδος ἡ Ἀνάκαια. *Populus tribus Hippothoontidis Anacæa*. *Stephanus*. Ἀνάκαια, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. *Suidas* iisdem verbis, quibus *Harpocration*. Meminit Diog. Laertius *in* A *Zenone Cittieo, l.*VII. *c.*X. Θράσων Θράσωνος Ἀνακαιεὺς εἶπεν. *Thrason Thrasonis filius Anacæensis dixit*. Et *mox c.*XII. ἐπὶ δὲ τὴν οἰκοδομὴν κεχειροτόνηται Θράσων Ἀνακαιεύς. *Ædificio præfectus creatus fuit Thrason Anacæensis*.

ΑΝΑΦΛΥΣΤΟΣ.

Occurrit apud Aristophanem *Concion. v.*902.

Ἀναφλύστιον ζητῶν τιν᾽ ἄνθρωπον.
Anaphlystium quærens quemdam hominem.

Ubi valde nugatur *Scholiastes Græcus*, cum ait: Ἀναφλύστιον παρὰ τὸ ἀναφλᾶν παίζει. *Anaphlystion ludit deducendo ab verbo jocoso* ἀναφλᾶν. Eodem B modo *ad Ranas v.*450. ubi inquit:

Σέβινον ὅστις ἐστὶν Ἀναφλύστιος.
Sebinum quisquis est Anaphlystius.

Meminit Herodotus *lib.*VI. Erat Ἀνάφλυστος populus Atticæ, e tribu Antiochide: inde popularis, Ἀναφλύστιος. *Suidas*. Ἀναφλύστιος, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, φυλῆς Ἀντιοχίδος. *Anaphlystius, populus Atticæ, tribus Antiochidis*. *Harpocration*. Ἀνάφλυστος, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. *Anaphlystus, populus Antiochidis*. Nomen accepit ab heroe Anaphlysto. *Stephanus*. Ἀνάφλυστος, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, ἀπὸ Ἀναφλύστου ἥρωος. *Anaphlystus, populus Antiochidis tribus, ab Anaphlysto heroe*, Et erat is Anaphlystus filius Trœzenis. Pausanias *in Corinthiacis*. Τροιζῆνος δὲ οἱ παῖδες, Ἀνάφλυστος C καὶ Σφῆττος, μετοικοῦσιν ἐς τὴν Ἀττικὴν, καὶ οἱ δῆμοι τὰ ὀνόματα ἔχουσιν ἀπὸ τούτων. *Trœzenis autem filii Anaphlystus & Sphettus migrant in Atticam, & populi nomina ab his habent*. Erat illic fanum Panis, & Veneris Κωλιάδος. Ecce apud Strab. *lib.*IX. περὶ δὲ Ἀνάφλυστόν ἐστι καὶ τὸ Πανεῖον, καὶ τὸ τῆς Κωλιάδος Ἀφροδίτης ἱερόν. *Circa Anaphlystum est sacellum Panis, & Coliadis Veneris delubrum*. Veneris ibi Κωλιάδος meminit quoque Eustathius *ad Iliad.* β΄. Ἀνάφλυστος δὲ Κωλιάδος Ἀφροδίτης εἶχεν ἱερόν. *Anaphlystus vero habet delubrum Coliadis Veneris*. De nomine, ecce apud Scholiasten Aristophanis *ad Nubes, v.*53. οἱ μὲν Κωλιάδα τὴν θεὸν καλοῦσι, νεανίου Ἀττικοῦ ἀποδράντος ἀπὸ λῃστῶν, συμ- D μαχίᾳ τῆς θεοῦ, καὶ οὕτως αὐτὴν ὀνομάσαντος, καθάπερ αὐτὸς δεθεὶς τῶν κώλων ἀπελύθη ὑπὸ γυναικός. οἱ δὲ, θυγατρὸς τοῦ ἀρχιλῃστοῦ δι᾽ ἔρωτα. οἱ δὲ, τόπον ἐοικότα κώλοις ἀνδρὸς, ἔνθα ἡ θεὸς τιμᾶται. ἔνιοι δὲ, Ἴωνος θύοντος κόρακα ἁρπάσαι κωλῆν, καὶ ἐν ἐκείνῳ τόπῳ ἀποθέσθαι. *Coliada quidem nonnulli Deam vocant, quod juvenis Atticus fugiens piratas, ope Deæ adjutus fuerit, & hoc modo eam appellavit, quia ipse cruribus quasi vinctus liberatus fuerit a muliere. alii vero a filia archipiratæ per amorem. alii locum similem esse dicunt tibiis viri, in quo Dea colitur. alii quoque, quod Ione immolante corvus membrum rapuerit, & in illo loco deposuerit*. Videndus quoque *Suidas* in Κωλιάς. Hic ejectæ navium E Persicarum in pugna ad Salamina fractarum tabulæ. Strabo *loco citato*. εἰς ὃν τόπον ἐκκυμανθῆναι τὰ τελευταῖα τὰ ἐκ τῆς περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίας τῆς Περσικῆς ναυάγιά φασι. *In quem locum ejectas fluctibus ajunt extremas tabulas naufragii, quod ad Salaminam Persæ ex navali pugna fecerunt*. Et Pauf. *in Atticis*. Ἀπέχει δὲ καὶ σταδίους εἴκοσι ἄκρα Κωλιάς. ἐς ταύτην φθαρέντος τοῦ ναυτικοῦ τῶν Μήδων, κατήνεγκεν ὁ κλύδων τὰ ναυάγια. *Abest autem viginti stadiis promontorium Colias. Eo perditæ Medorum classis naufragia æstus detulit*. Herod. *l.*VII. *c.*96. de hac ipsa re.

---

1. Fuit ad mare inter Phalereum & Sunium. Vetus columna, quæ habetur in via, qua itur Athenis Salaminem:

F ΖΩΣΙΡΙΟΝ ΑΠΟΛ
ΛΩΝΙΟΥ ΕΞ ΑΝΑΓΥ
ΡΑΣ ΩΝ

Alias tres vide apud Spon. *Itin. T.*2. *p.*386.

Τὰς δὲ ναυαγίων πολλὰ ὑπολαβὼν ὁ ἄνεμος Ζέφυρος, ἔφερε τ Αττικῆς ἐπὶ τὴν ἠϊόνα τὴν καλεομένην Κωλιάδα. *Naufragiorum multa excipiens ventus Zephyrus, aetulit ad oram Atticæ vocatam Coliadem.* Eustathius *ad Iliad. β'.* Ανάφλυστος δὲ Κωλιάδος Αφροδίτης εἶχεν ἱερόν. περὶ τοῦτον τ δῆμον ἐξεκυμάνθη τὰ Περσικὰ ναυάγια: *Anaphlystus vero habet sacellum Coliadis Veneris. Circa hunc populum fluctuarunt Persica naufragia.* Fiebant hic vasa figulina præstantissima. Inde est quod ait Plutarchus *de Audit.* ὅμοιός ἐστι μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἀντίδοτον, ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τ Αττικῆς Κωλιάδος ᾖ κεκεραμευμένον. *Similis est nolenti bibere antidotum, ni vas ex Attica Coliade sit fictum.* Athenæus *lib.* xv. *cap.* ix. Κυάθῳ μὲν οὖν οὐδὲν ἐχρῶντο τότε, οὐδὲ κοτύλῃ. κρατῆρα γὰρ ἵστασαν τοῖς θεοῖς, οὐκ ἀργυροῦν, οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τ Κωλιάδος γῆς. *Non autem tunc usi sunt cyatho, nec cotyla. Craterem enim apposuerunt Diis, non argenteum nec gemmatum, sed e Coliade terra.* Hæc autem vasa reliqua omnia superare censebantur, quippe quæ minio tingerentur. *Suidas* in Κωλιάδες κεραμῆες. ὅσαι πρὸς σκευοπλασίαν ἐπιτήδειαι, πασῶν Κωλιὰς κρείσσων, ὥστε καὶ βάπτεσθαι ὑπὸ τ μίλτου. *Coliadenses figuli, quales ad vasa facienda aptissimi, nam Colias omnium optima, utpote quæ minio tingatur.* Sed & Cereris ibi templum. *Hesychius.* Κωλιάς, ἀκτὴ εἰς θάλασσαν ἐξέχουσα, καὶ ἴσως διὰ τὸ κώλῳ ἐμφερὲς εἶναι. ἔστι δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν αὐτόθι πολύστυλον. *Colias, promontorium in mare excurrens, & fortasse, quod similis sit cruri. Est autem & Cereris fanum ibi multis columnis instructum.* Et est observare apud Plutarchum *in Solone.* Πλεύσας ἐπὶ Κωλιάδα μετὰ τοῦ Πεισιστράτου, καὶ καταλαβὼν αὐτόθι πάσας τὰς γυναῖκας τῇ Δήμητρι τὴν πάτριον θυσίαν ἐπιτελούσας, ἔπεμψεν ἄνδρα πιστὸν εἰς τὴν Σαλαμῖνα, προσποιούμενον αὐτόμολον εἶναι. *Navigans ad Coliadem cum Pisistrato, & ibi offendens omnes feminas Cereri solenne sacrum facientes, misit hominem fidum Salamina, qui transfugam se simulabat.* Item apud *Polyænum, lib.* 1. *cap.* 20. *ex* 2. Σόλων ἔπλευσεν ἐπὶ Κωλιάδος, ἔνθα αἱ γυναῖκες Δήμητρι ἑορτὴν ἐτέλουν. *Solon navigavit versus Coliadem, ubi mulieres Cereris festum obibant.* Erat etiam Dearum τ Γενετυλλίδων. Pausanias *Atticis*, Κωλιάδος δέ ἐστιν ἐνταῦθα Αφροδίτης ἄγαλμα, καὶ Γενετυλλίδες ὀνομαζόμεναι θεαί. *Coliadis Veneris ibi statua est, & Deæ dictæ Genetyllides.* Inde conjungit Aristophanes *Nubibus v.* 52.

> Δαπάνης, λαφυγμοῦ, Κωλιάδος, Γενετυλλίδος.
> *Sumtus, crapulæ, Coliadensis, Genetyllidis.*

Et Lucianus *in Amoribus.* Ὧν ἐνίων οἱ κακοδαίμονες ἄνδρες οὐδὲ αὐτὰ ἴσασι τὰ ὀνόματα, Κωλιάδας, εἰ τύχοι, καὶ Γενετυλλίδας. *Quorum nonnullorum infelices viri, ne ipsa quidem norunt nomina, Coliadas, si fors ferat, & Genetyllidas.* Nonnulli Anaphlystum urbem faciunt, *Harpocration.* ἔνιοι δὲ ὡς πόλεως τῆς Αναφλύστου μνημονεύουσιν. *Quidam vero Anaphlysti ut urbis meminerunt.* Quæ totidem verbis *Suidas.* Etiam portum habebat. Hinc capiendus Scylax *in Periplo.* Ανάφλυστος, τεῖχος, καὶ λιμήν. *Anaphlystus, murus & portus* 1.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΙΣ.

Tribus Attalicæ. *Stephanus.* Απολλωνιεῖς, δῆμος προστεθεὶς τῇ Ατταλίδι φυλῇ. ὁ δημότης, Απολλωνιεύς. *Apollonienses, populus adjectus Attalidi tribui. popularis, Apolloniensis.* Emendandus est *Hesychius.* Απολλωνιεῖς, δῆμος φυλῆς τῆς Ατταλικῆς, *Apollonienses, populus tribus Attalicæ.* Hodie editur, δ'. φ. τῆς Αττικῆς.

ΑΡΑΦΗΝ.

Tribus Ægeidis. *Stephanus.* Αραφήν, δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Αραφήνιος. *Araphen, populus Ægeidis tribus. popularis, Araphenius.* *Harpocration.* Αραφήνιος, Ισαῖος ἐν τῷ κατὰ Ελπαγόρου καὶ Δημοφάνους. δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος. *Araphenius, ut Isæus in oratione adversus Elpagoram & Demophanem. populus est tribus Ægeidis.* *Suidas.* *Araphenius, populus Ægeidis.* Hinc cognomen traxerunt Αλαὶ Αραφηνίδες, de quibus a nobis dictum.

ΑΡΓΙΛΙΑ.

Ignotæ tribus. *Hesychius.* Αργιλία, δῆμος τῆς Αττικῆς. *Argilia, populus Atticæ* 2.

ΑΣΤΥΠΑΛΑΙΑ.

Ignotæ tribus. Commemorat Strabo *lib.* ix. Μεταξὺ δὲ τ λεχθέντων δήμων μακρὰ ἄκρα πρώτη μετὰ τὰς Αἰξωνέας Ζωστήρ· εἶτ' ἄλλη μετὰ Θορέας Αστυπάλαια. *Inter dictos populos longum est promontorium, primum post Æxonenses Zoster, dein aliud post Thorenses Astypalæa.*

ΑΤΑΛΑΝΤΗ.

Etiam hæc incerta tribus; vicina autem Piræeo erat, commemoraturque itidem a Strabone *lib.* ix. ὑπὲρ δὲ τ ἀκτῆς ταύτης ὄρος ἐστὶν, ὃ καλεῖται Κορυδαλὸς, καὶ ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλεῖς, εἶθ' ὁ Φώρων λιμὴν, καὶ ἡ Ψυτταλία νησίον ἔρημον πετρῶδες, ὅ τινες εἶπον λήμην τοῦ Πειραιέως, πλησίον δὲ καὶ ἡ Αταλάντη. *Supra Actam hanc mons est, qui vocatur Corydalus, & populus Corydalenses. Inde Phoron portus & Psyttalia insula deserta & saxosa, quam quidam vocant glamam Piræei, vicina vero est etiam Atalanta.*

ΑΤΗΝΗ. ΑΤΗΝΙΑ.

Antiochidis tribus; vel, ut alii, Æolidis. Nonnullis Ατηνία dicitur; non recte. *Stephanus* Ατήνη, δῆμος Αντιοχίδος φυλῆς. Φρύνιχος δὲ, τ Αἰολίδος φησίν. ὁ δημότης, Ατηνεύς. Πατροκλῆς Ατηνεὺς ἐχορήγει, καὶ Παντακλῆς. Διονύσιος, Ατηνίαν τ δῆμον. ἀλλ' οὐκ ἐᾷ τὸ Ατηνεὺς, ὀφεῖλον Ατηνιεύς. *Atene, populus Antiochidis tribus. Phrynichus vero Æolidis esse dicit. Popularis, Athenensis. Patrocles Atenensis ludos edebat, & Pantacles. Dionysius,*

---

1. Fuit parvus populus maritimus procul Athenas, versus promontorium Coliada. Lapis vetus qui Athenis in horto:

ΤΙΤΟΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 388.

2. Fuit forte idem populus, cujus meminit Harpocration in voce Αρδηττός, ubi appellatur * Αργυλέων δῆμος. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 389.

* *Henr. Valesius conjicit legendum forte,* Αγρυλέων, *quod idem sit, quod* Αγειολέων, *de quibus Harpocrat. & superius Meursius in* Αγρύλη. *Duos pagos sic dictos existimat, alterum ad distinctionem* Αγρύλην ὑπένερθεν *inferiorem, alterum* Αγρύλην καθύπερθεν *superiorem.*

ΑΡΜΑ.

Fuit populus Atticus prope Phylen, ad fines Bœotiæ. Ei adsitum erat castellum munitum prope Tanagram. Appellatus quoque fuit balneum Amphiarai, vide Stephan. *de Urbibus* in Αρμα. Meursius nullam hujus populi mentionem facit. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 389.

niam populum; sed non permittit illud Atenensis, A *quum debeat esse Athenienfis*. Sed scribendum, Ἀτλωιᾶ τ̃ δ'. Et mox τῆς Ἀτταλίδος φησίν. Nam nulla erat tribus Æolis [1].

ΑΦΙΔΝΑ.

Leontidis tribus; nomenque accepit ab Aphidno indigena. *Stephanus*. Ἀφίδνα, δῆμος Ἀττικῆς, τ̃ Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Ἀφίδνα αὐτόχθονος. ὁ δημότης, Ἀφιδναῖος. *Aphidna, populus Atticæ, Leontidis tribus, ab Aphidno indigena. Popularis, Aphidnæus*. Hanc olim ceperunt Tyndaridæ regnante Theseo. Pausanias *Atticis*, τότε ᾗ ἐχομένε Θησέως, στρατεύουσιν εἰς Ἀφίδναν οἱ Τυνδάρεω παῖδες, ἢ τὴν τε Ἀφίδναν αἱρᾶσι, ἢ Μενεσθέα ἐπὶ βασιλεία κατάγαγον. *Quum vero in vinculis detineretur Theseus, exercitum Aphidnam duxerunt Tyndarei filii, ac ipsam Aphidnam capiunt, & Menestheum in regnum deduxerunt*. Meminit iterum *in Corinthiacis*, & *Laconicis*. Factum autem id indicio Deceli, a quo Decelea dicta, prodente Titaco indigena. Videndus Herodotus *lib.* IX. Nimirum quia Theseus abreptam Helenam illuc detulerat. Narrant rem Isocrates *in Encomio Helenæ*, Lucianus *in Somnio*. Strabo *lib.* IX. Plutarchus *Theseo* [2].

[a] ΑΧΑΡΝΑ. sive, ΑΧΑΡΝΑΙ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Ἀχάρνα, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος. *Acharna, populus Oeneidis tribus*. Aberat Athenis LX. circiter stadiis. Observo apud Thucydidem *lib.* II. ἐπειδὴ δὲ περὶ Ἀχαρνὰς εἶδον τ̃ στρατὸν ἑξήκοντα σταδίως τῆς πόλεως ἀπέχοντα, ἐκέτι ἀνασχετὸν ἐποιοῦντο. *Postquam vero circa Acharnas exercitum vidissent sexaginta stadiis ab urbe distantem, non amplius rem ferendam censuerunt*. Traducebatur hic populus, ut carbonibus victum quæritans. Schol. Aristophanis *ad Acharnenses*. Χαριέντως δὲ εἶπεν, ἐπεὶ ἀνθρακεῖς εἰσὶν οἱ Ἀχαρνεῖς. *Festive dixit, quia carbonarii sunt Acharnenses*. Et postea. Σκώπτει δὲ τὰς Ἀχαρνέας, ὡς ἀνθρακοκαύστας. *Traducit Acharnenses, tanquam qui carbones urerent*. Hic colebantur Apollo Αγυιεὺς, Hercules, Minerva Ὑγεία, & Ἱππία; Bacchus Μελπόμενος, & Κισσός: ibique hedera enata primum. Pausanias *Atticis*, ἔστι ᾗ Ἀχαρναὶ δῆμος. οὗτοι θεῶν Ἀπόλλωνα τιμῶσιν Ἀγυιέα, ἢ Ἡρακλέα. ἢ Ἀθηνᾶς βωμός ἐστιν Ὑγείας. τὴν δ' Ἱππίαν Ἀθηνᾶν ὀνομάζουσι, ἢ Διόνυσον Μελπόμενον, ἢ Κισσὸν τ̃ αὐτὸν θεόν. τ̃ κισσὸν τὸ φυτὸν ἐνταῦθα πρῶτον φανῆναι λέγοντες. *Est & Acharnæ populus. Hi Deos colunt, Apollinem Agyieum, & Herculem. Est & apud ipsos ara Minervæ sospitæ. Equestrem quoque Minervam, & Bacchum Canentem, & Hederum ipsum Deum nominant. Hederam plantam ibi primum visam tradentes*. Ab hoc populo Athenis portæ cuidam nomen inditum. *Hesychius*. Ἀχάρναι, δῆμος τ̃ Ἀττικῆς. Ἀχαρνικαὶ πύλαι Ἀθήνησιν, *Acharnæ, populus Atticæ. Acharnicæ portæ Athenis*. Et asini grandes Acharnenses dicebantur. *Hesychius*. Ἀχαρνικοὶ ὄνοι ἐπὶ τ̃ μεγάλων οὕτως ἔλεγον. *Acharnici asini, pro magnis sic dicebant*. Traducebantur quoque Acharnenses ut agrestes & rudes; unde quidam Δρυαχαρνεὺς in Comœdia per convitium dictus. *Etymologici Auctor*. Δρυαχαρνεῦ, δρύϊνε Ἀχαρνεῦ, ἀναίσθητε. ἐκωμῳδοῦντο ᾗ οἱ Ἀχαρνεῖς, ὡς ἄγριοι ἢ σκληροί. *Dryacharneu, quercine Acharnensis, stupide. Traducuntur enim in Comœdia Acharnenses, ut agrestes & duri*. *Hesychius* corrigendus. Δρυα-

---

1. Parva columna, superstes Athenis:

ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ
ΜΗΝΟΦΙΔΟΥ
ΑΘΗΝΕΥΣ

Spon. *Itin. T.*2. *p.*390.

2. Aphidna est tribus Leontidæ. Cum antiquis tribubus adscriberetur Hadrianiis, Aphidna avellebatur a Leontide, ut novæ insereretur, quod cognoscimus ex lapide de XIII. tribubus. Antequam fuit Leontidæ tribus, erat Ægidæ, teste Harpocratione. Lapis vetus in via media, quæ Athenis ducit Salaminem:

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ
ΧΑΡΙΞΕΝΙΔΟΥ
ΑΦΙΔΝΑΙΟΣ

Spon. *Itin. T.*2. *p.*391.

a Acharnæ, hedera ibi inventa claræ; quod, præter *Pausaniam*, innuit *Epigramma vetus*, apud Suidam in Ἀχαρνεύτης, & Βλαισός.

Πολλάκις ἐν θυμέλῃ ἢ ἐν σκηνῇσι τεθηλὼς
Βλαισὸς Ἀχαρνεύτης κισσὸς ἔρεψε κόμην.

Sæpe in thymelis, & scenis, florens
Transversa Acharnensis hedera texit comam.

Et Papinii iste locus, *Theb.* XII. *v.*633.

Quæque rudes thyrsos hederis vestistis Acharnæ. Ubi *Lutatius* annotat, Dionysia illic primum inventa, & acta. *In hoc loco Dionysia primum inventa, & celebrata, dicuntur*. Sed hoc falsum, ut in libro singulari *de Dionysiis* clare doceo. Error merus est Grammatici; nam Poeta ad enatam ibi hederam alludere voluit. Multi autem in eo populo carbones erant. Aristophanes *Acharnensibus*, *v.*34.

Ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν, ἄνθρακας πρίω.
Qui nunquam dixit, carbones eme.

Ubi *Scholiastes*: Ἦν ᾗ ὁ Δικαιόπολις Ἀχαρνεύς. οὗτοι δὲ πολυάνθρακες, ἢ ἐ δεόμενοι παρ' ἄλλων πρίασθαι. *Erat enim Dicæopolis Acharnensis. Hi vero carbonibus abundabant, nec ab aliis eos emere necesse habebant*. Itaque ibidem plurimi quoque carbonarii. *Scholiastes* item iterum: Χαριέντως δὲ εἶπεν, ἐπεὶ ἀνθρακεῖς εἰσὶν οἱ Ἀχαρνεῖς. *Lepide vero dixit, siquidem carbonarii sunt Acharnenses*. Et postea: Σκώπτει τὰς Ἀχαρνέας, ὡς ἀνθρακοκαύστας. *Exagitat Acharnenses, tanquam qui carbones urerent*. Vulgo item agrestes, & rudes, convitio dicebantur; unde quidam Δρυαχαρνεὺς, *Quernus Acharnensis*, id est, quercus instar durus, in Comœdia nuncupatus, ut apparet ex Auctore Etymologici, aliisque. Et Senecæ inde *Durus* dicitur, *in Hippolyto*, *vers.*20. &c.

—— *Qua tepidis*
Subditis Austris frigora mollit
Durus Acharneus. —

Ita enim ibi legendum; non quod editur, *Durus Acarnan*. Alii enim Acarnanes, alii Acharnenses erant: atque Seneca Atticæ populos illic memorat. Duritiem eorum, ac agrestem ruditatem, taxat quoque Aristophanes, *in cognomine ipsius Fabula*, *v.*175. &c. istis verbis:

—— Πρεσβῦταί τινες
Ἀχαρνικοὶ, στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι,
Ἀτεράμονες, Μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι.

—— *Senes quidam*
Acharnici, densi senes, iligni,
Duri, Marathonii bellatores, acerni.

χαρνεῦ, ἢ δρύϊνε Ἀχαρνεῦ, ἢ ἀναίσθητε. δοκοῦσι γὰρ οἱ Ἀχαρνεῖς σκληροὶ τὴν γνώμην εἶναι καὶ ἄτεγκτοι. *Quernus Acharnensis, aut quercine Acharnensis, & stupide: videntur enim Acharnenses rudes esse ingenio & rigidi*. Hodie editur, Δελαχαρνεῖ. Ac corruptus in eadem Glossa *Suidas*; maleque ibi Δραχαρνεῦ legitur. Rescribe, Δρυαχαρνεῦ. Exstat in eos *Comœdia* Aristophanis, de ipsorum nomine inscripta, Ἀχαρνεῖς 1.

ΑΧΕΡΔΟΥΣ.

Hippothoontidis tribus. *Stephanus*. Ἀχερδοῦς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἀχερδούσιος. *Acherdus, populus Hippothoontidis tribus. Popularis, Acherdusius*. Apud Æschinem *in Timarchum*. ἀνὴρ ἐπιεικὴς, Πάμφιλος, ὁ Ἀχερδούσιος, προσκρούσας τί τούτῳ. *Homo idoneus, Pamphilius Acherdusius, offendens illi.*

ΑΧΡΑΔΟΥΣ.

Incertum cujus tribus. *Stephanus*. Ἀχραδοῦς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ὁ δημότης, Ἀχραδούσιος. *Achradus, populus Atticæ. Popularis Achradusius*. Aristophanes *Concion*. v. 360. 361.

Νῦν μὲν γὰρ οὗτος βεβαλάνωκε τὴν θύραν,
Ὅστις ποτ' ἄνθρωπος Ἀχραδούσιος.
Nunc enim hic obseravit januam,
Quisquis tandem est homo Achradusius.

ΒΑΤΗ.

Ægeidis tribus. *Stephanus*. Βατὴ, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. τὸ ἐθνικὸν ἐπιρρηματικῶς, Βατῆθεν. *Bate, populus Ægeidis tribus; gentile adverbialiter est, ex Bate*. Itaque emendandus *Hesychius*. Βατῆθεν, ἐκ δήμου Βατῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. *Ex Bate, id est, ex populo Bate, qui Ægeidis tribus*. Hodie editur, Βατῖθεν. Plutarchus *in Licurgo Rhetore*. αἰτίου αὐτοῦ τῆς ἀναιρέσεως γενομένου Ἀρειστοδήμου Βατῆθεν. *Auctore ipsius necis facto Aristodemo ex Bate.* Diog. Laertius *in Epicuro*, *lib.* x. κατὰ τάδε δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους, Βατῆθεν. *Secundum hæc do mea omnia Amynomacho, Philocratis filio ex Bate.*

ΒΕΛΒΙΝΑ.

Tribus erat ignotæ. Videtur inter populos numerare etiam Strabo *lib.* IX. πρόκειται δὲ τούτων τῶν τόπων Βέλβινα νῆσος, οὐ πολὺ ἄπωθεν. *Objacet illis locis Belbina insula, non multum a continente* 2.

ΒΕΡΕΝΙΚΙΔΑΙ.

Ptolemaidis tribus. *Stephanus*. Βερενικίδαι, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς. *Berenicidæ, populus Ptolemaidis tribus*. Corrigendus est *Hesychius*, apud quem male, Βερονικίδαι. Nomen populo a Berenice Magæ filia, Ptolemæi uxore. Stephanus *loco citato*. ἀπὸ Βερενίκης τῆς Μάγα θυγατρὸς, γυναικὸς δὲ Πτολεμαίου, ὠνομάσθησαν Βερενικίδαι, οἱ δημόται. *a Berenice Magæ filia, uxore Ptolemæi, vocati sunt Berenicidæ, populares.*

a ΒΗΣΑ.

Antiochidis tribus. *Harpocration*. Βησαιεῖς. Λυσίας ἐν τῇ πρὸς Φιλοκράτην συμβολαίου ἀπολογίᾳ. δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος ἡ Βῆσα. *Besseis. Lysias in apologia de contractu adversus Philocratem. Populus Antiochidis est Bessa. Suidas*. Βησαιεῖς, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος ἡ Βῆσα. *Besseis, populus Antiochidis est Bessa*. Ita restituendus is locus, qui hodie ab interpunctione laborat. Sed præterea tam apud *Harpocra-*

Ad quem locum respexit Julianus *in Misopogone*: Ὁ σε ἐπαιδοτρίβησαν καθ' ἡμῶν πρίνινον, σφενδάμινον, οὐκέτι μέντοι καὶ Μαραθωνομάχην, ἀλλ' Ἀχαρνέα μὲν ἐξ ἡμισείας, ἀηδῆ δὲ ἐς ἄνδρας παντάπασι, καὶ ἄχαριν. *Qui te nobis ilignum, acernum, neque tamen Marathonium bellatorem, sed ex dimidio Acharnensem, insuavem omnibus, & ingratum, educarunt*. Siti autem in Australi Atticæ ora; ideoque nec intensum adeo frigus habuerunt. Et hoc *Senecæ* ista innuunt, quæ laudavi statim, verba:

—— *Tepidis*
Subditus Austris frigora mollit.

Hac de causa agro item fertiliore præstitere. Colligere licet e Luciani *Icaromenippo*: Μάλιστα δὲ ἐπ' ἐκείνοις ἐπῄει μοι γελᾶν, τοῖς περὶ γῆς ὅρων ἐρίζουσι, καὶ τοῖς μέγα φρονοῦσιν ἐπὶ τῷ τὸ Σικυώνιον πεδίον γεωργεῖν, ἢ Μαραθῶνος ἔχειν τὰ περὶ Οἰνόην, ἢ Ἀχαρνῆσι πλέθρα κεκτῆσθαι χίλια. *Maxime vero ridere libuit eos, qui de terræ finibus contendunt, ac se efferunt, quod Sicyonium agrum colant; aut Marathonis eam partem, quæ Oenoæ objacet, habeant: aut Acharnis mille jugera possideant.* Erant vero Acharnæ maximæ inter omnes Atticæ populos. Thucydid. *lib.* II. Ἀφίκοντο ἐς Ἀχαρνὰς, χωρίον μέγιστον τῆς Ἀττικῆς τῶν δήμων καλουμένων. *Venerunt Acharnas, locum maximum inter omnes Atticæ, quos vocant, populos*. Itaque bello Peloponnesiaco Atheniensibus militum tria millia suppeditarunt. Thucydides *ibidem, non multo post*: Καὶ οἱ Ἀχαρνεῖς, μέγα ὄντες μέρος τῆς πόλεως, τρισχίλιοι γὰρ ὁπλῖται ἐγένοντο, οὐ περιόψεσθαι ἐδόκουν τὰ σφέτερα διαφθαρέντα. *Et Acharnenses, qui magnam Urbis partem constituebant, erant enim tria armatorum millia, non videbantur rerum suarum vastationem neglecturi*. Et hæc causa est, cur Εὐάνορες apud Pindarum nominentur, *Nemeonic*. *Od.* II. v. 24.

Ἀχάρναι δὲ παλαίφατον
Εὐάνορες. ——
Acharnæ vero, secundum vetus verbum,
Fortium virorum genitrices sunt. ——

Denique parasiti Acharnensium sacra facere Apollini legibus regiis jubebantur. Athenæus, *lib.* VI. Κὰν τοῖς τοῦ βασιλέως δὲ νόμοις γέγραπται, θύειν τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους. *Et in legibus regis scriptum est, sacra facere Apollini parasitos Acharnensium*. Et offerebant eidem sextarium hordei electi. Athenæus *ibidem*, non multo post; Τὸν δὲ ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν. *Sextarium vero præbeant ad archiva Apollini Acharnensium parasiti ex hordeo selecto*. R. A.

1. Inscriptio lapidis Atheniensis.

ΜΕΝΙΠΠΟΣ
ΜΕΓΑΚΛΕΟΣ
ΑΧΑΡΝΕΥΣ

Ex hoc lapide videtur posse corrigi Pausanias, qui mentionem facit Menippi, filii Μεγάρεως, sepulti in Prytaneo, sed pro Μεγάρεως scribendum Μεγάκλεος, ut habetur in inscriptione. Alius Megaclis idem meminit scriptor, qui celebris fuit sculptor, cujus opera nonnulla Corinthi extabant. Videndæ plures ibi inscriptiones de hoc pago Spon. *Itin.* T. 2. *p.* 392.

2. Refert Meursius Belbinam inter pagos Atticos, sed non ostendit ullius auctoris testimonio hanc insulam unquam incolas habuisse, nec hoc propter ejus parvitatem est credibile. Spon. *Itin.* T. 2. *p.* 394.

a. Erat Besa, populus tribus Antiochidis. Hujus nomen est corruptum apud Xenophontem, *lib.* Περὶ πρoσόδων· Ἔστι μὲν γὰρ δή που περὶ τὰ μέταλλα ἐν τῇ πρὸς μεσημβρίαν θαλάττῃ τεῖχος,

tionem, quam apud *Suidam* omnino ſcribendum, Βησηῖς, & Βῆσα, unico σ. Auctor mihi locuples, & omni exceptione major, Strabo *lib.* IX. Is cum de Beſſa agit, quæ in Locride, quam gemino σ ſcribi debere docet, addit. ὃ δ' ἐν τῇ Ἀττικῇ δῆμον, ἀφ' οὗ Βησαεῖς οἱ δημόται λέγονται, ἐν τῷ ἑνὶ σ γράφουσιν. *Populum autem in Attica, a quo Beſaenſes populares dicuntur, unico σ ſcribunt.* Et ita apud Iſæum *Orat.* ὑπὲρ τοῦ Νικοστράτου κλήρου, ſcribitur. Κτῆσις δὲ ὁ Βησαιεὺς, καὶ Κραναὸς, τὸ μὲν πρῶτον δίκην ἔφασαν τοῦ Νικοστράτου ταλάντου καταδεδικάσθαι. *Cteſis vero Beſaenſis, & Cranaus, primum quidem dixerunt æſtimatam talento litem Nicoſtrati* 1.

ΒΟΥΤΕΙΑ. ΒΟΥΤΑΔΑΙ.

Oeneidis tribus. *Harpocration.* δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς, Βουτεία, ἀφ' ἧς οἱ δημόται, Βουτάδαι. *Populus Oeneidis tribus, Butea, a qua populares, Butadæ.* Totidem verbis *Suidas*, ſed pro Βουτεία, habet Βουτία. *Stephanus* corrigendus. Βουτάδαι, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. *Butadæ, populus Oeneidis tribus.* Hodie editur perperam, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος. Meminit populi Plutarchus *in Lycurgo Rhetore.* δήμων δὲ τῶν Βουτάδης. *Populorum vero Butades.* Nomen ab heroe Bute. Erat vero non populus tantum, ſed & familia: ac utrique nomen a Brute heroe. *Etymologici Auctor.* Βουτάδαι, δῆμος ἐστι τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ἀφ' ἧς οἱ Βουτάδαι. ἢ οἱ ἀπὸ Βούτου. *Butadæ, populus eſt Oeneidis tribus, a qua Butadæ, vel qui ab Buta.* Heſychius. Βουτάδαι, γένος Ἀθήνησιν, ἀπὸ τῆς Βούτου γενεᾶς. *Butadæ, familia Athenis, ab Butæ progenie.* Euſtathius *ad Iliad.* α. Βούτης Βούτου Βουτάδης. ἐξ οὗ γένος οὐκ ἀνώνυμον Ἐτεοβουτάδαι. *Ex quo familia non ignobilis Eteobutadæ:* Quia autem nobiliſſima Athenis familia, nonnulli glorioſiores ex ea ſeſe eſſe jactabant, & Βουτάδας ſe quoque dicebant. id ægre ferentes, qui revera tales eſſent, non Βουτάδας, ſed Ἐτεοβουτάδας, ſe nuncuparunt. *Harpocration.* Βουτάδαι, καὶ Ἐτεοβουτάδαι, οἱ ἀπόγονοι τοῦ Βούτου. τὸ γὰρ ἐτεὸν, τὸ ἀληθὲς δηλοῖ. *Butadæ & Eteobutadæ, poſteri Butæ, nam vox ἐτεὸν verum notat.* Nicephorus Gregoras *in Syneſium De Inſomniis.* Ἐτεοβουτάδαι, γένος τι ἀρχαῖον ἐπίσημον ἐν Ἀθήναις, καὶ περιφανές. ἀφ' οὗ αὐτῆς Ἀθηνᾶς ἐξελέγοντο ἱέρειαι. ἐτυμολογεῖται δὲ ἀπὸ τοῦ ἐτεὸν, τὸ ἀληθὲς, τοῦτ' ἔστιν, οἱ ἀληθῶς ἐκ τοῦ τοῦ Βούτου γένους καταγόμενοι. *Eteobutadæ, familia quædam vetus illuſtris Athenis, & conſpicua: Ex qua ipſius Minervæ ſacerdotes eligebantur. Derivatur autem ab voce ἐτεὸν, quod idem ac verum, ut Eteobutadæ ſint illi qui vere ex progenie Butæ deducuntur.* Sed legendum illic, ἀφ' οὗ αἱ τῆς Ἀθηνᾶς ἱ. i Nam ex eo populo eligebantur ſacerdotes Minervæ τῆς Πολιάδος. Apollonius Grammaticus *in Æſchinem.* Φρατρίας μὲν ἦν καὶ γένους τῶν Ἐτεοβουταδῶν, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐστὶν ἱέρεια. *Ex fratria quidem erat & familia Eteobutadarum, unde eſt ſacerdos Minervæ Poliadis. Etymologici Auctor.* Ἐτεοβουτάδαι, γένος τι ἐπίσημον καὶ περιφανὲς τοῖς Ἀθηναίοις, οἱ ἀληθῶς ἀπὸ τῆς τοῦ Βούτου γεγονότες. ἐκ δὲ τούτου καθίστανται ἱέρειαι τῆς Πολιάδος. *Eteobutadæ familia quædam nobilis & conſpicua apud Athenienſes, qui vere ab Buta prognati. ex illa vero conſtituuntur ſacerdotes Poliadis.* Idque ab ipſo Bute, generis ſui auctore, acceperunt; qui Erechtheo regnum capiente, ſacerdotium hoc ipſe ſumpſit. Apollodorus *lib.* III. *c.* XIV. τὴν βασιλείαν Ἐρεχθεὺς λαμβάνει. τὴν δὲ ἱερωσύνην τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ Ποσειδῶνος, τοῦ Ἐριχθονίου Βούτης. *Regnum Erichtheus ſuſcipit. Sacerdotium vero Minervæ, & Neptuni Butes Erichthonii filius.* Hoc eſt quod *Harpocration* inquit. Βούτης, οὗτος ἔσχε τὴν ἱερωσύνην. *Butes, ille obtinuit ſacerdotium.*

Β Ρ Α Υ Ρ Ω Ν.

Cujus tribus, dicere non in promptu. Nomen accepit a Braurone heroe. *Stephanus.* Βραυρὼν, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Βραύρωνος ἥρωος. *Brauron, populus Atticæ, ab Braurone heroe.* Ac olim illic Euryſaces Ajacis F. civitate ab Athenienſibus donatus, ſedem fixit. Plutarchus *in Solone.* τὸν δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, ὅτι Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης Αἴαντος υἱοὶ, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες, παρέδοσαν τὴν νῆσον αὐτοῖς, καὶ κατῴκησαν, ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ. *Solonem tradunt demonſtraviſſe Judicibus, Philæum & Euryſacen Ajacis filios Athenis civitatem aaeptos tradidiſſe inſulam ipſis, & habitaviſſe, alterum quidem in Braurone Atticæ, alterum vero in Melite.* Erat autem prope Marathonem; eoque Iphigeniam cum Diana Taurica primum appuliſſe tradunt; atque inde ibi ſignum Dianæ. Pauſanias *in Atticis.* Μαραθῶνος δὲ ἀπέχει τῇ μὲν Βραυρὼν, ἔνθα Ἰφιγένειαν τὴν Ἀγαμέμνονος ἐκ Ταύρων φυγοῦσαν, τὸ ἄγαλμα ἀγομένην τῆς Ἀρτέμιδος, ἀποβῆναι λέγουσιν. καταλιποῦσαν δὲ τὸ ἄγαλμα ταύτῃ, καὶ εἰς Ἀθήνας, καὶ ὕστερον ἐς Ἄργος ἀφικέσθαι. ξόανον μὲν δὴ καὶ αὐτόθι ἐστὶν Ἀρτέμιδος ἀρχαῖον. *A Marathone diſtat ab illa parte Brauron, quo Iphigeniam Agamemnonis filiam ab Tauris fugientem, ſimulacbrum Dianæ portantem exſcendiſſe ferunt; idque relinquentem ibi, Athenas quoque & dein Argos perveniſſe. Statua quidem ibi quoque vetus Dianæ exſtat.* Et hinc Diana illa Βραυρωνία cognominata. Stephanus *loco citato.* ἀφ' οὗ καὶ Βραυρωνία ἡ Ἄρτεμις. *Unde etiam Brauronia Diana.* Ac feſtum illi, Βραυρώνια: & tunc Iliada cantabant rhapſodi Braurone, & Dianæ capra immolabatur. *Heſychius.* Βραυρωνίοις τὴν Ἰλιάδα ᾖδον ῥαψῳδοί. ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, καὶ Βραυρώνια, ἑορτὴ Ἀρτέμιδι Βραυρωνίᾳ ἄγεται, καὶ θύεται αἴξ. *Brauronis Iliada canta-*

ἐν Ἀναφλύστῳ· ἔστι δ' ἐν τῇ πρὸς ἄρκτον τεῖχος, ἐν Θορικῷ· ἀπέχει δὲ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ἀμφὶ τὰ ἑξήκοντα στάδια· εἰ οὖν καὶ ἐν μέσῳ τούτων γένοιτο, ἐπὶ τῷ ὑψηλοτάτῳ Βήσσης τόπῳ, τρίτον ἔρυμα, συνήκοντ' ἂν τὰ ἔργα εἰς ἓν ἐξ ἁπάντων τῶν τειχῶν. *Eſt enim circa metalla ad mare verſus meridiem munitio, in Anaphlyſto; eſt & verſus aquilonem, in Thorico; quorum locorum alter ab altero ſtadiis circiter ſexaginta diſtat: Si igitur inter hæc duo tertium aliquod munimentum, in editiſſimo ſaltus loco, excitetur, in unum locum ex omnibus iſtis munitionibus operæ convenire poſſint.* Omnino reſcribendum cenſeo: Ἐπὶ τῷ ὑψηλοτάτῳ Βήσης τόπῳ. *In editiſſimo Beſæ loco.* Illud autem hinc eſt diſcere; populum iſtum inter Anaphlyſtum, Thoricumque, medium fuiſſe. *R. A.*

1. Firmant Strabonis ſententiam veteres inſcriptiones, ex quibus unam apponemus, quæ conſpicitur Eleuſini:

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΒΗΣΑΙΕΩΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 395.

bant rhapſodi in Braurone Atticæ, & Brauronia, feſtum Dianæ Brauroniæ peragitur, & mactatur capra. Poſtea Dianæ hoc ſimulacrum abſtulit Xerxes. Pauſanias *in Arcadicis*. βασιλέα τε τῶν Περσῶν Ξέρξην τὸν Δαρείου, χωρὶς ὅσα ἐξεκόμισε τῶν Ἀθηναίων ἄστεος, τοῦτο μὲν ἐκ Βραυρῶνος ἄγαλμα ἴσμεν τὸ Βραυρωνίας λαβόντα Ἀρτέμιδος. *Regem Perſarum Xerxem Darii filium, præter ea quæ exportavit ex Atheníenſium urbe, illud quidem ex Braurone ſcimus ſimulachrum Brauroniæ Dianæ tollentem.* Porro celebrabantur Braurone etiam Bacchanalia. *Suidas.*[1] Βραυρών, τόπος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ τὰ Διονύσια ἤγοντο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. *Brauron, locus Atticæ, in quo Bacchanalia celebrabantur, & ebrii multa ſcorta rapiebant.* Et obſerva, vino madidos multas inde meretrices abduxiſſe. Id ipſum tradit etiam Schol. Ariſtophanis *ad Pacem*. Βραυρών, πόλις τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾗ τὰ Διονύσια ἤγοντο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. *Brauron, urbs Atticæ, in qua Bacchanalia celebrabantur, & ebrii multa ſcorta rapiebant.* Vides totidem pene & eadem verba, quot & quæ apud *Suidam*. Hæc ſacra intelligit Polux *lib.* VIII. *cap.* IX. *ſect.* 26. Ubi inquit, decemviros τοὺς ἱεροποιοὺς illis ſacrificaſſe. δέκα ὄντες οὗτοι (οἱ ἱεροποιοὶ) ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι. *Decem hi exiſtentes (ſacrificantes) mactabant hoſtias quinquennes, unam in Delo, aliam in Braurone.* Ita emendo: nam non recte editur hodie, ἐν Βαυρῶνι. Ad Dianam Brauroniam quod attinet, ei virgines ante nuptias conſecrabantur; idque ἀρκτεύειν dicebatur. *Harpocration*: ἀρκτεῦσαι, τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουνυχίᾳ, ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ. Ἀρκτεῦσαι, *eſt conſecrari virgines Dianæ Munychiæ, aut Brauroniæ.* Ita corrigo: perperam editur, ἢ τῇ Βαυρωνίᾳ Idem mendum apud Schol. Ariſtophanis *Avibus*. ὥσπερ Πειραιεῖς ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν, Φιλιαται δὲ τὴν Βαυρωνίαν. *Quemadmodum Piræenſes ad Munychiam, Philiatæ vero ad Bauroniam.* Reſcribe iterum, Βραυρωνίαν. Atque hæ virgines ita conſecratæ ἄρκτοι dicebantur. *Harpocration.* αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι ἄρκτοι καλοῦνται. *Conſecratæ virgines, ἄρκτοι, urſæ, vocantur.* Tempus, quod ita exigebatur, ἀρκτεία. *Heſychius.* ἀρκτεία, ἡ τῶν ἀρκτευομένων παρθένων τελετή. ἀρκτεύειν δὲ, τὸ καθιεροῦν. Ἀρκτεία, *id eſt, virginum devotarum initia* ἀρκτεύειν *vero, eſt conſecrare.* Ita locum illum emendo. Perperam enim hodie editur, τ. ἀ. παρθένων τελευτή. ἀρκτεύειν δὲ τ. κ. Fiebat hæc conſecratio circa annum ætatis puellarum decimum; unde & δεκατεύειν idem, quod ἀρκτεύειν. *Heſychius* in δεκατεύειν. ἔλεγον δὲ καὶ τὸ ἀρκτεύειν, δεκατεύειν. ἐπεὶ ἔπρασσον αὐτὸ αἱ παρθένοι περὶ τὸν δεκαετῆ χρόνον οὖσαι. *Decimare. Dicunt vero etiam* ἀρκτεύειν, *quia illud faciebant Virgines circa annum ſuum decimum. Harpocration.* τὸ ἀρκτεῦσαι, δεκατεῦσαι εἴρηκεν ὁ ῥήτωρ, ἐπειδὴ αἱ δεκετίδες ἤρκτευον. Ἀρκτεῦσαι, *pro* δεκατεῦσαι, *id eſt, decimare dixit Rhetor, quia Virgines decennes ſacra faciebant.* Nimirum minores quinque annis, neque majores decem erant. *Suidas.* ἐν Βραυρωνίοις ἀρκτευόμεναι (ita legendum, non ἀρκτευόμεναι,) γυναῖκες τῇ Ἀρτέμιδι ἑορτὴν ἐτέλουν, κροκωτὸν ἠμφιεσμέναι, οὔτε πρεσβύτιδες δέκα ἐτῶν, οὔτε ἐλάττους πέντε, ἀπομειλισσόμεναι τὴν θεόν. *In Brauroniis conſecratæ mulieres Dianæ feſtum peragebant, veſte crocei coloris indutæ, neque ſeniores decem annis, nec minores quinque, ita Deam placantes.* Et mox fabulam ſubjungit, e qua rei hujus origo [2].

ΒΡΙΛΗΣΣΟΣ.

Erat inter populos montanos. Memorat Strabo *l.* IX. & Thucydides *lib.* II. Tribus incerta eſt [2].

ΓΑΡΓΗΤ-

---

1. Hodie appellatur *Urana*. Spon. *T*. 2. *p*. 395.

a. De Braurone, & Diana, hinc Brauronia appellata, corrigendus eſt Dinarchus. *Orat. in Ariſtogitonem*: Κατὰ τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας, καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς, τοιαῦτα γράψας, καὶ ψευσάμενος. *Qui Dianæ Brauroniæ ſacerdotem, ejuſque domeſticos, de talibus falſo accuſavit.* Perperam editur; Ἀρτέμιδος τῆς Βαυρωνίας. *Dianæ Bauroniæ.* Dianæ vero iſtius ſignum Tyrrheni, qui Imbrum & Lemnum habitabant, cum mulieres Brauronias abripuiſſent, una inde abduxerunt, & in Cretæ Cherroneſo reliquerunt. De Brauroniarum raptu, docet Plutarchus, *lib. de Claris Mul.* ubi de Tyrrhenicis agit: Τυῤῥηνῶν τοίνυν, τὴν Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κατασχόντων, ἁρπασάντων δὲ Βραυρωνόθεν τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας, ἐγένοντο παῖδες· οὓς ἐξήλασαν Ἀθηναῖοι, μιξοβαρβάρους ὄντας. *Tyrrhenorum igitur, qui, Lemnum & Imbrum habitantes, Athenienſium uxores e Braurone rapuiſſent, liberi fuerunt; quos, quod ſemibarbari eſſent, Athenienſes expulerunt.* Et *Quæſt. Græc.* XXI. Τυῤῥηνούς φασι, τοὺς τὰς Ἀθηναίων θυγατέρας, καὶ γυναῖκας, Βραυρωνόθεν ἁρπάσαντας, ὁπηνίκα Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κατῴκουν, εἶτα ἐκπεσόντας, εἰς τὴν Λακωνικὴν ἀφικέσθαι. *Tyrrhenos ajunt, qui Athenienſium filias, uxoreſque, e Braurone abripuerant, cum inhabitarent Lemnum, atque Imbrum, & ejecti poſtea eſſent, in Laconicam veniſſe.* Memorat etiam Herodotus *l.* IV. & VI. De ſimulacro autem Deæ, Plutarchus, *in citato de Claris Mulieribus libello*, mox ſubjungit: Διαπτοηθέντες, ἐνεπήδησαν εἰς τὰς ναῦς ἀκόσμως, προλιπόντες ἐν τῇ γῇ (ἐν τῇ τῆς Κρήτης Χεῤῥονήσῳ) ξόανον τῆς Ἀρτέμιδος, ὃ πατρῷον ἦν αὐτοῖς, εἰς Λῆμνον ἐκ Βραύρωνος κομισθὲν, ἐκ δὲ Λήμνου πανταχοῦ συμπεριαγόμενον. *Perculſi, in naves inſilierunt indecore, relicto in terra, (Cretæ Cherroneſo,) Dianæ ſimulacro; quod ipſi acceptum a majoribus, qui Braurone in Lemnum abduxerant, e Lemno quocunque circumferebant.* Quod Iphigeniam attinet, quæ huc appuliſſe fertur, ejus quoque cenotaphium ibi fuit. Nonnus, Dionyſ. *lib.* XIII. *v.* 186.

Ἀγχίαλον Βραυρῶνα, κενήριον Ἰφιγενείας.
Mari adjacentem Brauronem, inane ſepulcrum Iphigeniæ.

Adjacebat autem mari; unde ἀγχίαλον in *citato verſu* Nonnus appellavit. Inde nempe aer quoque illic frigidus; qua de cauſa *Gelidus* nuncupatur Statio, *Theb. lib.* XII. *v.* 625.

Qui gelidum Braurona viri, qui rura laceſſunt Munychia. ——

Hordeum etiam illic fuit, Ἀχιλλήϊδες κριθαὶ dictum, ab Achille quodam, agricola Brauronio. Galenus, *in Lexico Hippocratis*: Ἀχιλληΐδας κριθάς. τὰς εὐτρεφεῖς, καὶ μεγάλας· ἀπό τινος Ἀχιλλέως ὠνομασμένας, ὥς φασι, γεωργοῦ Βραυρωνίου. *Achilliticum hordeum. Pingue, & grande; ab Achille quodam dictum, uti ferunt, agricola Brauronio.* Ita enim ibi lego, pro, γεωργοῦ Βαβρωνίου. *Agricola Babronio.* Erat autem Brauron olim inter Urbes Atticæ. Scholiaſtes Comici *Pace*: Βραύρων, πόλις τῆς Ἀττικῆς. *Brauron, urbs Atticæ.* Idem Mela quoque dicit; qui ait, ſua ætate intercidiſſe, neque præter nomen quicquam reſtitiſſe, *lib* II. *cap.* III. *Thoricos, & Brauron, olim urbes, jam tantum nomina. Feſtus Pompejus*, unam e quatuor urbibus dicit, quæ Athenas conſtituiſſent: *Quadrurbem Athenas Attius appellavit; quod ſcilicet ex quatuor urbibus in unam domicilia contulerunt, Braurone, Eleuſine, Piræo, Sunio.* R. A.

2. Non eſt pagus, ut Meurſius rradit, ſed mons tantum, quem ſcriptores veteres non accenſent Atticis pagis. Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 395.

ΓΑΡΓΗΤΤΟΣ.

Ægeidis tribus. *Stephanus*. Γαργηττὸς, πόλις, καὶ δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. *Gargettus, urbs, & populus Ægeidis tribus*. Diogenes Laertius *in Epicuro, l.* x. *in princ.* Ἐπίκουρος Νεοκλέους καὶ Χαιρεστράτης, Ἀθηναῖος, τῶν δῆμον Γαργήττιος. *Epicurus Neoclis & Chæreſtratæ filius, Athenienſis, populum Gargettius*. Ariſtophanes *Theſmoph. v.* 885.

Εἰμὶ Κριτύλλα γ' Ἀντιθέου, Γαργηττόθεν.
Sum Critylla Antithei filia, a Gargetto.

[a] Erat illic Euryſtheus ſitus. *Heſychius*. Γαργηττὸς, δῆμος Ἀθήνησι τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὅπου δοκεῖ κεῖσθαι τὸ σῶμα Εὐρυσθέως. *Gargettus, populus Athenis Ægeidis tribus. Ubi exiſtimatur ſitum eſſe corpus Euryſthei*. Et Stephanus *loco citato*. ἐνταῦθά φασι τὸ τοῦ Εὐρυσθέως κεῖσθαι σῶμα. *Ibi dicunt Euryſthei corpus ſitum eſſe*. Forte nomen datum a Gargetto Ionis patre, cujus meminit Pauſanias *Eliac. poſter.* καλεῖσθαι δὲ τὰς νύμφας ἀπὸ Ἴωνος λέγουσι τοῦ Γαργήττου μετοικήσαντος ἐνταῦθα ἐξ Ἀθηνῶν. *Appellatas autem nymphas dicunt ab Ione Gargetti filio, qui illuc migraverit Athenis* [1].

ΓΟΡΓΥΝΗ.

Gorgyne, maleficentia infamis. *Suidas*: Γοργύνη, δεσμωτήριον ὑπόγειον. ἢ ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς κακοπράγμονος. *Gorgyne, carcer ſubterraneus. Vel a populo Atticæ malefico*. R. A.

ΔΑΙΔΑΛΙΔΑΙ.

Cecropidis tribus. *Stephanus*. Δαιδαλίδαι, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. *Dædalidæ, populus Cecropidis tribus*. Nomen a Dædalo. Schol. Sophoclis *Oed. Col.* Μητίνῳ δὲ τῷ Ἐρεχθέως καὶ Ἰφινόῃ γίγνεται Δαίδαλος, ἀφ' οὗ ὁ δῆμος καλεῖται Δαιδαλίδαι Ἀθήνησι. *Naſcitur Dæd.lus ex Metino Erechtei filio & Iphinoe, a quo populus vocatur Dædalidæ Athenis*. Quia nimirum is reus cædis eo perfugiſſet. Diod. Siculus *l.* IV. κατηγορηθεὶς δὲ καὶ καταδικασθεὶς (ὁ Δαίδαλος) ὑπὸ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν φόνου, τὸ μὲν πρῶτον ἔφυγεν εἴς τινα τῶν κατὰ τὴν Ἀττικὴν δήμων, ἐν ᾧ τοὺς κατοικοῦντας ἀπ' ἐκείνου Δαιδαλίδας προσαγορευθῆναι. *In judicium vero vocatus & cædis condemnatus (Dædalus) ab Areopagitis, primum quidem fugit ad quendam Atticæ populum, in quo habitantes ab ipſo Dædalidas vocatos*. Sed quia in Dædali mentionem incidi, non poſſum quin per occaſionem inſigniter corruptum *Heſychii* locum a mendo liberem. Hodie editur, Δαίδαλον, ποίημα. καὶ τὸ κοσμούμενον ὑποπλάταιον ξύλον. *Dædalum, carmen. & cultum ſubplatæum lignum*. Quid eſt lignum ὑποπλάταιον? Valde fallor, aut ſcripſerat *Heſychius*, τὸ κοσμούμενον ὑπὸ Πλαταιῶν ξύλον. *Cultum ab Platæenſibus lignum*. Apud Platæenſes colebatur Dædalus; & feſtum illi, Δαιδάλεια nuncupatum. Menander Rhetor meminit, *c.* πῶς δεῖ ἀπὸ ἐπιτηδεύσεων τὰς πόλεις ἐγκωμιάζειν. Verba ejus iſta. ὡς τὰ Πύθια, καὶ Ὀλύμπια, καὶ Δαιδάλεια ἐν Πλαταιαῖς. *Quemadmodum Pythia, & Olympia, & Dædalea Platæis*. Eo feſto Platæenſes, quia ſummus artifex, & architectus, Dædalus fuiſſet, lignum fabre exornatum repræſentabant; idque ab eo Δαίδαλον appellabant. Hoc doctiſſimus Grammaticorum dicere voluiſſe videtur. Atque id ὡς ἐν παρόδῳ.

ΔΕΙΡΑΔΕΣ.

Tribus Leontidis, a Dirade. *Stephanus*. Δειράδες, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Δειράδου τινός. ὁ δημότης, Δειραδιώτης. *Dirades, populus Leontidis tribus, ab Dirado quodam. Popularis Diradiotes*. *Harpocration*. δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς Δειράδες, ἀφ' οὗ ὁ δημότης, Δειραδιώτης. *Populus Leontidis tribus Dirades, unde popularis Diradiotes*. Emendandus Suidas *in* Δειραδιώτης. δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος Δειράδες. ἀφ' οὗ ὁ δημότης, Δειραδιώτης. *Populus eſt Leontidis Dirades. unde popularis Diradiotes*. Non recte editur utrobique, Δειρατιώτης. Item Plutarchus *Alcibiade*. Φρύνιχος ὁ Δειραδιώτης. *Phrynichus Diradiotes*. Editur hodie Φ. ὁ Διραδιώτης [2].

---

a. In Gargetto autem, quod quidam Euryſtheum fuiſſe ſitum memorent, non eſt id omnino verum; quippe truncus tantum ejus illic erat: caput vero, amputatum ab Iolao, ſeorſim Corinthi humatum, juxta fontem ibi Acariam. Strabo narrat, *l.* VIII. Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν, στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα, ἐπὶ τοὺς Ἡρακλέους παῖδας, καὶ Ἰόλαον, βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱστορεῖται πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ· καὶ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα, Γαργηττοῖ ταφῆναι· τὴν δὲ κεφαλήν, χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ, ἀποκόψαντος αὐτὴν Ἰολάου περὶ τὴν κρήνην τὴν Ακαρίαν. *Euryſtheus igitur, ducto in Marathonem exercitu, adverſus Herculis liberos, & Iolaum, opem ferentibus Athenienſibus, in pugna cecidiſſe fertur; ac reliquum quidem ejus corpus, Gargetti ſepultum eſſe: caput vero, cum id Iolaus præcidiſſet, ſeorſim Corinthi, juxta fontem Acariam*. Et locus ibi, Ἀρατήριον appellatus; e quo Theſeus, cum de rebus ipſe ſuis deſperaret, devotis Athenienſibus, in Scyrum abnavigavit. Plutarchus, *in ejus Vita*: Τέλος δὲ, ἀπογνοὺς τὰ πράγματα, τοὺς μὲν παῖδας εἰς Εὔβοιαν ὑπεξέπεμψε πρὸς Ἐλεφήνορα τὸν Χαλκώδοντος. αὐτὸς δὲ, Γαργηττοῖ κατὰ τῶν Ἀθηναίων ἀρὰς θέμενος, οὗ νῦν ἐστι τὸ καλούμενον Ἀρατήριον, εἰς Σκῦρον ἐξέπλευσεν, οὔσης αὐτῷ πρὸς τοὺς ἐκεῖ φιλίας. *Tandem rebus ſuis deſperans, liberos ſuos clam in Eubœam emiſit, ad Elephenorem, Chalcodontis filium. ipſe vero, devotis Gargetti Athenienſibus, quo in loco eſt Araterium, quod appellant, in Scyrum navigio contendit, cum amicos ſibi haberet inhabitantes*. Et Gargetti ortus quoque Epicurus. Diogenes Laertius *in ejus Vita, lib.* x. *cap.* 1. Ἐπίκουρος, Νεοκλέους, καὶ Χαιρεστράτης, Ἀθηναῖος, τὸν δῆμον Γαργήττιος. *Epicurus, Neoclis filius, & Chæreſtratæ, Athenienſis, populo Gargettius*. Unde *Senior Gargettius* dicitur Statio, *in Tiburtino Manlii Vopiſci, Silv. lib.* 1. *Carm.* III. *v.* 96.

—— Luxuque carentes
Deliciæ, quas ipſe, ſuis digreſſus Athenis,
Mallet deſerto ſenior Gargettius horto. R. A.

1. Eleuſini hic ſupereſt titulus:

... ΔΙΟΣ ΚΑΙ ΚΛΑΥΔΙΑ..
Γ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΙΛΙ
ΑΝΟΝ ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΝ
ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΤΑΙΝ ΘΕ
ΑΙΝ ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΚΛΑΥΔΙΑΣ
ΤΕΙΜΟΘΕΑΣ ΤΗΣ ΤΕΙΜΟ
ΘΕΟΥ ΓΑΡΓΗΤΙΟΥ ΘΥ

Ἀφ' ἑστίας *a foco*, eſt expoſitum ab Suida: Ἀφ' ἑστίας, ὑπὸ τῆς οἰκίας καὶ ἀφ' ἑστίας μυηθῆναι, ἀφ' ἑστίας μυούμενος ἦν, Ἀθηναῖος ἦν. Spon. *Itin. T.* 2. *p.*396.

2. Tribus Leontidis. In ea ortus Διραδιώτης vel Δειραδιώτης. Vetus inſcriptio Conſtantinopoli penes Legatum Galliæ deportata Athenis:

ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΚΑΙ ΙΕΡΕΩΣ ΔΡΟΥΣΟΥ ΥΠΑΤΟΥ
ΞΕΝΩΝ ΜΕΝΝΕΟΥ ΦΛΥΕΥΣ

a ΔΕΚΕΛΕΙΑ.

Hippothoontidis tribus. *Stephanus*. Δεκέλεια, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου τοῖς Διοσκούροις εἰς Ἀφίδνας. *Decelea, populus Hippothoontidis tribus, ab eo qui duxit Dioscuros Aphidnas*. Censeo excidisse nomen Deceli, ac rescribendum, εἰς Ἀφίδνας Δεκέλου. Vide historiam,

A quam innuit, apud Herodotum *lib.* IX. *cap.* LXXII. ubi inter cætera ita quoque meminit Deceleæ. Ἀθηναίων δὲ λέγεται εὐδοκιμῆσαι Σωφάνης ὁ Εὐτυχίδεω, ἐκ δήμου Δεκελῆθεν. *Ex Atheniensibus dicitur emicuisse Sophanes Eutychidis filius, e populo Decelensis*. Multa Decelæ mentio in Historia Græca; & notum bellum, Decelianum inde dictum [1].

ΗΡΑΚΛΙΤΟΣ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ
ΣΦΗΤΤΙΟΣ ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΣ
.. ΕΤΗΣΑ ΑΛΚΕΤΟΥ ΠΕΡΙΘΟΙ
ΔΗΣ ΘΕΣΜΟΘΕΤΟΥ
ΛΕΥΚΙΟΣ ΣΕΠΠΙΟΣ ΚΗΦΕΙ
ΣΙΕΥΣ
ΦΙΛΩΤΑΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΕΓΜΥ
ΡΙΝΟΥΝΤΙ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΚΥΝΕΟΥ ΚΥΔΑΘΗ
ΝΑΙΕΥΣ
ΣΕΞΣΤΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΥ ΔΙΡΑΔΙΩ
ΤΗΣ
ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ ΕΥΓΙΤΟΝΟΣ
ΦΡΕΑΡΡΙΟΣ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΘΡΙΑΣΙΟΣ
ΚΗΡΥΞ ΤΗΣ ΕΞ ΑΡΕΙΟΥΠΑΓΟΥ
ΒΟΥΛΗΣ
ΛΕΩΝΙΔΗΣ ΛΕΟΝΙΔΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΚΗΡΥΞ ΑΡΧΟΝΤΙ
ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΕΡΜΕΙΟΣ ΑΥΛΗΤΗΣ
ΙΣΙΦΙΛΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΑΘΜΟ
ΝΕΥΣ
ΕΣΤΙΑΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΙΛΗΣΙΟΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 397.

a. Deceleam, Hippothoontidis tribus fuisse, ait *Stephanus*; innuitque item Lysias, *Orat. in Pancleonem*: Παραινέσαντός τινος τῶν παρόντων προσκαλέσασθαι καὶ φυλήν, ἧς τινος εἶναι σκήπτετο. ἐπειδὴ δὲ ἀπεκρίνατο, ὅτι Δεκελειόθεν, προσκαλεσάμενος αὐτὸν καὶ πρὸς τοὺς τῇ Ἱπποθοωντίδι δικάζοντας, &c. *Cum admonuisset quidam e præsentibus, ut ad tribum, e qua se esse fingebat, provocarem, ac cum respondisset*, Deceleensem *se esse, vocato ipso ad Hippothoontidis tribus judices*, &c. Aberat autem Athenis, circiter stadiis centum & viginti. Thucydides, *l.* VII. Ἀπέχει δὲ ἡ Δεκέλεια σταδίους μάλιστα τῆς τῶν Ἀθηναίων πόλεως εἴκοσι καὶ ἑκατόν. *Abest vero Decela ab Atheniensium urbe stadiis maxime viginti & centum*. Ac munita muro fuit a Lacedæmoniis, suasu Alcibiadis, belli Peloponnesiaci anno XIX. ut videre est apud eundem Thucydidem, *libro citato*. Et heic sua monumenta Sophocles, majoresque ejus, habuere; Sophoclesque etiam ipse ibi conditus. Observo apud Anonymum, *in ejus Vita*: Τῶν δὲ πατρῴων αὐτοῦ τάφων ἐπὶ Δεκέλειαν κειμένων, καὶ τοῦτον τὸν τόπον ἐπιτετειχικότων Λακεδαιμονίων κατὰ τῶν Ἀθηναίων, ἐπείπερ οὐχ οἷόν τε ἦν ἐκεῖ θάπτειν, Διόνυσος, κατ' ὄναρ ἐπιστὰς Λυσάνδρῳ, ἐκέλευσεν ἐπιτρέψαι τιθῆναι τὸν ἄνδρα εἰς τὸν τάφον. *Cum majorum ejus monumenta Deceleæ essent, eumque locum Lacedæmonii adversus Athenienses communissent, ideoque sepeliri ibi haud posset: Bacchus, in somnis adstans Lysandro, jussit, ut virum sepulcro inferri permitteret*. Laudabatur quoque acetum Deceleense. Athenæus, *lib.* II. Ἐθαυμάζετο δὲ καὶ τὸ Δεκελεικὸν ὄξος, Ἄλεξις.

— Τέτταρας κοτύλας
Ἀναγκάσας με μεστὰς αὐτοῦ σπάσαι
Ὄξους Δεκελεικοῦ, δι' ἀγορᾶς μέσης ἄγεις.

Admirationi erat etiam acetum Deceleense. *Alexis*:
— *Quatuor cotylas*
Cum me coegeris plenas illic haurire
Aceti Deceleensis; per forum medium ducis.

Ferebantur Deceleenses, quærentibus Helenam Tyndaridis, indicium fecisse ipsis, eam Aphidnis latere; & idcirco Lacedæmonios his perpetuam immunitatem, & priorem item in consessu locum, concessisse: uti clare Herodotus narrat, qui videndus, *lib.* IX. R. A.

1. Athenis in Ecclesia Panagiæ Spiliotissæ:

Ο ΔΗΜΟΣ ΧΟΡΗΓΕΙ ΠΥΘΑΡΑ
ΤΟΣ ΗΡΧΕΝ
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ ΘΡΑΣΥΚΛΗΣ
ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ ΔΕΚΕΛΕΥΣ
ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΣ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΘΕΩΝ ΘΗΒΑΙΟΣ ΗΥΛΕΝ
ΠΡΟΝΟΜΟΣ ΘΗΒΑΙΟΣ ΕΔΙ
ΔΑΣΚΕΝ

Ibidem:

Ο ΔΗΝΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ ΠΥΘΑ
ΡΑΤΟΣ ΗΡΧΕΝ
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ ΘΡΑΣΥΚΛΗΣ
ΟΡΑΣΥΛΛΟΥ ΔΕΚΕΛΕΥΣ
ΠΑΝΔΙΟΝΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΝΙΚΑ
ΝΙΚΟΚΛΗΣ ΑΜΒΡΑΚΙΟΤΗΣ
ΗΥΛΕΙ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΑΡΚΑΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ

Hæ duæ inscriptiones perinde ut ea, quæ sequitur, exstant jam apud Fulvium Ursinum in Iconibus Illustrium Virorum, non annotato loco, ubi reperirentur, & minus emendatæ. Attamen sunt perquam vetustæ: quippe Pytharatus fuit Archon Olympiadis CXXVII. anno secundo, qui fuit annus 271. ante natum Christum, V. C. CCCCLXXXIII. Athenæus & Suidas meminerunt Lysippi Tragœdiarum plurimarum auctoris.

Ibidem:

ΘΡΑΣΥΛΛΟΣ ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ ΔΕ
ΚΕΛΕΥΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΧΟΡΗΓΩΝ ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΝΔΡΑ
ΣΙΝ ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΔΙ ΦΥΛΗΙ
ΕΥΙΟΣ ΧΑΛΚΙΔΕΥΣ ΗΥΛΕΙ ΝΕ
ΙΑΧΜΣ ΗΡΧΕΝ
ΚΑΡΚΙΔΑΜΟΣ ΣΩΤΙΟΣ ΕΔΙ
ΔΑΣΚΕΝ

Neæchmus fuit Archon anno primo CXV. Olympiadis, qui fuit V. C. annus CCCCXXXIV. ante Christum natum 320. prout patet ex Meursio libro de Archontibus IV cap. XV. adeo ut vetustiores constet esse inscriptione Duiliana Romæ. Porro est dignum observatu, quod Ursinus annotavit, in libro, quem citavimus, istas inscriptiones convenire cum exordiis Comœdiarum Terentii. Nam sicut in eis inscriptionibus est ὁ δῆμος ἐχορήγει, ita Terentianæ præferunt nomen Ædilium Curulium, quibus incumbebat cura ludorum, hoc modo: *Acta ludis Megalensibus M. Fulvio & M. Glabrione Ædilibus Curulibus*. Postea Θέων Θηβαῖος ηὔλει con-

ΔΙΟΜΕΙΑ.

Ægeidis tribus. *Stphanus*. Διόμεια, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Διομειεὺς. *Diomeja, populus Ægeidis tribus. Popularis, Diomejensis*. Nomen a Diomo, Herculis amasio. Et mutilus hac in re *Suidas*. Διόμεια, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ἀπὸ Διόμου τοῦ Ηρακλέους. *Diomeja, populus Ægeidis tribus. ab Diomo Herculis*. Non enim erat Herculis filius Diomus, sed amasius: itaque puto excidisse vocem culpa festinantis librarii, ac rescribendum, ἀπὸ Διόμου ἐρωμένου τοῦ Ηρακλέους. Præit mihi Scholiastes Aristophanis, qui *ad Ranas* totidem verbis. δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, (τὰ Διόμεια) ἀπὸ Διόμου ἐρωμένου τοῦ Ηρακλέους. *Populus Ægeidis tribus, (Diomeja) ab Diomo amasio Herculis*. Erat Diomus hic Colytti filius, apud quem cum diverteret aliquando Hercules, filium ejus Diomum adamavit. Stephanus *loco citato*. Ηρακλῆς γὰρ ἐπιξενωθεὶς παρὰ Κολύττῳ, ἠράσθη Διόμου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Hercules enim hospitio exceptus ab Colytto, amore captus est Diomi filii ejus*. Et corrigendus est *Hesychius*. Διομειεῖς, δῆμος Ἀθήνησιν. ἀπὸ τοῦ Διόμου τοῦ Κολύττου παιδός. *Diomejenses, populus Athenis. Ab Diomo Colytti filio*. Minus recte est hodie in excusis, Διομεῖς, & Κολύπτου. Erat ibi templum Herculis, & festum. cujus meminit Aristophanes *Ranis*, *v*. 857. 858.

—— ἀλλ' ἐφρόντισα,
Ὁπόθ' Ηράκλεια τὰ 'ν Διομείοις γένεται.

—— *sed cogitabam,*
Quando festum Herculis apud Diomeos fieret.

Conveniebant illic sexaginta viri. Athenæus *l*. XIV. *in princ*. πλῆθος δ' ἦν Ἀθήνησι τῆς σοφίας ταύτης· τὰ γοῦν τῷ Διομείῳ ἢ Ηρακλείῳ συνελέγοντο, ἑξήκοντες ὄντες τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἐν τῇ πόλει δὲ ὠνομάζοντο. ἐν, οἱ ἑξήκοντα τοῦτ' εἶπον. καὶ, ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι. *Multitudo fuit Athenis hujusmodi sapientum. in Diomeo igitur aut Herculis templo congregabantur, numero sexaginta, & in urbe nominabantur, ut, sexaginta illud dixerunt. &, ab sexaginta venio*. Huc Melitenses multi transmigraverant. Plutarchus *de Exilio*. ἄρα οὐ ξένοι καὶ ἀπόλιδές εἰσιν Ἀθηναίων οἱ μετασάντες ἐκ Μελίτης εἰς Διόμεια. *Ergo peregrini & extorres sunt Athenienses, qui commigrarunt ex Melita in Diomea*. Ita illic legendum arbitror; non, εἰς Διωμίδα. Hinc Διομειαλαζόνες apud *Comicum*. *Suidas*. καὶ Διομειαλαζόνας λέγει, ἀπὸ Διομείων τοῦ δήμου. ὃς ὠνόμασαι οὕτως ἀπό τινος Διόμου. *Diomeoferoculos dicit, ab Diomeis populo. qui sic nominatus est ab quodam* A *Diomo*. Locus, quem designat, exstat iste *Acharnensibus*, *v*. 656.

Γεριτοθεοδώρους Διομειαλαζόνας.
Geretotheodoros Diomeoferoculos.

Ubi *Scholiastes*. καὶ Γέριτα τὸν Φαλακρὸν, καὶ Θεόδωρον τὸν Διομείαν τὸν δῆμον ὄντα, ὃς ὠνόμασαι οὕτως ἀπό τινος Διόμου. *Et Gereten Phalacreum, & Theodorum Diomeum existentem quod ad populum, qui sic vocatur ab quodam Diomo*. Sed corruptus locus; & scribendum, Θεόδωρον τὸν Διομεᾶ τὸν δ. ὁ. Et emendandus Plutarchus *in vita Dinarchi*. Στρατοκλῆς Εὐθυδήμου Διομειεὺς εἶπεν. *Stratocles Euthydemi filius Diomejensis dixit*. Hodie editur, Σ. ἐ. Διομηδεύς. B Porro hic Jupiter colebatur, cognomento Διομειεύς. Licet observare apud Eustathium *ad Iliad*. δ'. ἔτι ἀναλογώτερον εἰπεῖν, ἐκ τοῦ Ηρακλῆς, Ηρακλέους, τὰ Ηράκλεια. καὶ μᾶλλον ἐκ τοῦ Διομειεὺς Ζεὺς, Διομειέως, τὰ Διόμεια. *Ut adhuc convenientius dicam, ex voce Hercules, Herculis, Herculea; & magis ex illo Diomejensis Jupiter, genitivus Diomejensis, Diomea*. Ita rescribo. Hodie illic vulgatur, ἐκ τοῦ Διομεὺς Ζεὺς Διομέως [1].

ΕΙΡΕΣΙΔΑΙ.

C Acamantidis tribus. *Stephanus*. Εἰρεσίδαι, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Εἰρεσίδης. τὰ τοπικὰ, ἐξ Εἰρεσιδῶν. *Eiresidæ, populus Acamantidis tribus. Popularis, Eiresides. Localia, ex Eiresidis*. Emendandus Diog. Laertius *in Platone l*. III. *c*. XLII. καὶ τὸ ἐν Εἰρεσιδῶν χωρίον. ὃ παρὰ Καλλιμάχου ἐπριάμην. *Et fundum in Eiresidis, quem a Callimacho emi*. Hodie editur, ἐν Ερισιαδῶν.

ΕΚΑΛΗ.

Leontidis tribus. *Stephanus*. Εκάλη, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Εκάλειος. *Hecale, populus Leontidis tribus. Popularis, Hecalius*. D Et Jupiter ibi cultus, Εκάλειος dictus. Addit enim mox Stephanus. καὶ Ζεὺς Εκάλειος. *& Jupiter Hecalius*. *Hesychius* id cognomen datum Jovi tradit, quia Hecale consecrasset. Εκάλειος Ζεὺς, ὃν Εκάλη ἱδρύσατο. *Hecalius Jupiter, quem Hecale consecravit*.

ΕΛΑΙΕΥΣ. sive, ΕΛΑΙΟΥΣ.

Hippothoontidis tribus. *Stephanus*. Ελαιεὺς, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς, ὡς Διονύσιος. Διόδωρος δ', Ελαιοῦς: ἀφ' οὗ ὁ δημότης, Ελαιούσιος. *Elæeus, populus Hippothoontidis tribus, teste Dionysio. Diodorus vero Elæus effert. a quo popularis, Elæusius*. Mihi magis placet *Diodori* scriptura [2].

---

gruit Latinis: *modos fecit Flaccus Claudii filius*, tibiis paribus dextris & sinistris. Tum Πρόνομος ἐδίδασκεν interpretantur hæc verba *Græca Menandri*. Denique Νέαιχμος ἦρχεν est illud ipsum, quod de Consulibus additur: *edita M. Marcello Cn. Sulpicio Coss*.

Apud Plutarchum in *vita Themistoclis* reperitur similis inscriptio: Θεμιστοκλῆς ὁ φρεάριος ἐχορήγει, φρύνιχος ἐδίδασκεν, Αδείμαντος ἦρχεν. Spon. *Itin. T*. 2. *p*. 399. &c.

ΑΡΤΜΟC.

1. Meursius hunc populum etiam omisit. Fuit inter Bœotiam & Atticam, teste Harpocratione. Aristoteles tradidit esse populum etiam hujus nominis in Bœotia. Spon. *Itin. T*. 2. *p*. 402.

E

ΕΔΑΠΤΕΩΝ

2. Hunc populum nos docuit inscriptio, quam invenimus prope Athenas via Salaminia:

Χ Α Ι Ρ Ε
ΑΘΗΝΑΕΙΣ ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΔΑ
ΠΤΕΩΝ
ΦΑΥΣΤΟΣ ΔΕΟΝΤΟΣ ΜΕΙΛΗ
ΣΙΟΣ

Spon. *Itin. T*. 2. *p*. 403.

ΕΛΕΟΥΤΑ.

Hunc quoque populum prætermisit Meursius. Est unus scopulorum duorum Sinus Saronici, quorum alter dicitur *Elisso*, alter *Laousa*. Meminit ejus

ΕΛΕΥΣΙΣ.

Hippothoontidis itidem tribus. *Stephanus*. Ἐλευσὶς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. *Eleusis, populus Hippothoontidis tribus*. Strabo *l.* IX. ubi de Eleusine agit. ἐν δὲ τοῖς δήμοις καταριθμεῖται ἡ πόλις. *In populis numeratur urbs*. Est hic locus totius Atticæ nobilissimus; ac templum illic Cereris, & Proserpinæ: item sacra Eleusinia notissima. Nomen ei ab heroe Eleusine. Pausanias *Atticis*. Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ' οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν: οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι καὶ Δαείρας Ὠκεανοῦ θυγατρὸς λέγουσι. τοῖς δέ ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον εἶναι πατέρα. *Eleusinem vero heroem, a quo urbem vocant, alii quidem Mercurii & Dairæ Oceani filiæ filium esse dicunt. Aliis fabulosa placent, qui Ogygum patrem ejus fingunt*. E-

A rat ibi ædes Dianæ Προπυλαίας, Neptuni patris, & Triptolemi: Item puteus Καλλίχορος appellatus, ubi primum chorum instituerunt fœminæ Eleusiniæ, deamque cantu sunt veneratæ. Pausanias *loco citato*. Ἐλευσινίοις δέ ἐστι μὲν Τριπτολέμου ναὸς, ἔστι δὲ Προπυλαίας Ἀρτέμιδος, καὶ Ποσειδῶνος πατρός. φρέαρ τε καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, καὶ ᾖσαν ἐς τὴν θεόν. *Apud Eleusinios quidem Triptolemi templum est; est autem Propylææ Dianæ & Neptuni patris. Puteus quoque dictus Callichorus, ubi primum Eleusiniorum fœminæ chorum duxerunt, & cecinerunt in Deæ laudes*. Erat quoque campus Ῥάριον dictus, ubi primum jacta semina adolevisse commemorantur: unde & hordeum, inde desectum, ad molas adhibent. Ostenditur quoque ibidem area, & ara, utraque Triptolemi. Idem Pau-

Strabo, nunc nullos habet incolas. Esse tribus Hadrianidæ prisco ex monumento discimus, quod Athenis vidi:

ΑΓΑΘΗΤΥΧΗ

... ΔΗΜΟΣΤΡΑ
ΤΟΥ ΜΑ...
... ΟΙ ΠΑΙΑΝΙ
ΔΙΣ ΤΗΣ * ΑΔ..
**... ΑΝΤΕΣ ΕΑΥ
ΤΟΥΣ ...
... ΑΥΤΟΚΡΑ
ΤΡΩ ...
.... ΟΣ ΑΔΡΙΑ
ΝΟΣ.......
. . . .
ΕΛΕΟΥΣ...
ΕΥΠΑΙΔΕΙΟΣ

ΟΑΘΕΝ

... ΟΣ ΕΡΜΕΙΟΥ

.. ΑΙΕΣ

ΙΕΡΟΦΑΝΤΗΣ
ΙΕΡΟΚΗΡΥΞ
ΕΠΙΒΩΜΟΙ
ΚΗΡΥΞ ΙΟΥΛ.
ΝΕ..
ΜΟΥ ΟΥΟΠΙ
ΣΚΟΥ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ
βου ΛΗΣ ΚΑΙ
ΔΗΜΟΥ
ΦΙΛΕΡΩΣ ΚΑΛ
ΛΙΣΤΟΥ

* i. e. ἀδριανίδος

** i. e. τιμήσαντες

ΓΕΝΕΘΛΙΟΣ
ΠΡΩΤΟΥ
CΥΜΦΕΡΩΝ

ΑΛ ...

... ΜΙΑΝΟΣ
C ΠΛ ... ΗΩΝ ...
ΩΤΟΥ
ΦΙΛΩΝ ΕΛΕΥ
ΣΙΝΙΟΥ
ΑΓΝΕΑΝΔΡΟΣ
ΕΛΕΥΣΙΕΥ

Κ.. Δ.. Ν

ΦΙΛΟΚΛΗΣ

. . . .
. . . .
D . . . .
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ
ΠΕΡΙ ΤΟ ΒΗΜΑ
ΟΝΗΣΙΜΟΣ
ΕΥΤΥΧΙΔΟΥ
ΑΝΤΙΓΡΑΦΕΥΣ
ΕΥΠΟΡΙΣΤΟΣ
ΙΕΡΑΥΛΗΣ
ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΣ
ΙΕΡΕΥΣ ΦΩΣΦ..
ΚΑΙ ΕΠΙΤΚΙΑ
ΔΟΣ
E ΕΡΜΕΙΑΣ
ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ
ΤΕΥΣ
ΜΥΡΩΝ

B ΑΛΑΙΕΙΣ
ΑΝΝΙΟΣ ΠΙΣ
ΤΟΚΡΑΤΗΣ
ΙΕΡΕΥΣ ΔΗΜΗ
ΤΡΙΟΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΣΚΡΙΤΟ... ΚΟΣ
ΝΙΚΩΝ ... ΑΩ
ΡΟΥ

ΑΙΣΙΤΟΙ
ΙΟΥΛ. ΙΕΡΟ
ΦΑΝΤΗΣ
ΑΙΛ. ΔΑΔΟΥ
ΧΟΣ
ΕΡΕΝΝΙΟΣ ΙΕ
ΡΟΚΗΡΥΞ
ΜΕΜ. ΕΠΙΒΩ
ΜΟΙ

ΑΙΞΟΝΙΕΙΣ

ΣΤΕΦΗΦΟΡΟΥ
C ΑΓΝΟΣ ΣΤΕΦΗΦΟΡΟΥ
ΟΝΗΣΙΜΟΣ ΣΤΕΦΗ
ΦΟΡΟΥ
ΕΡΝΕΙΑΣ

ΕΡΜΕΙΑΣ

ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΕΡΜΕΙΟΥ

ΠΙΘΕΙΣ

ΗΛΙΟΔΩΡ.. ΗΜΟ
ΔΩΡΟΥ
ΕΠΙ ΚΛ .....
D ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΒΟΥ
ΛΕΥΩΝ ΣΤΡΑ
ΤΩΝ ΟΛΥΜΠΙΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ

.. ΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ

..Σ..Μ. ΜΟΥΝΑΤΙΟΥ ΜΑΞΙ
ΜΙΑΝΟΥ ΟΥΟΠΙΣΚΟΥ
... ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΟΙ ΠΡΥΤΑ
F ΝΕΙΣ ΤΗΣ ΚΕΚΡΟ..
ΤΙΜΗΣΑΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΚΑΙ
ΤΟΥΣ ΑΙΣΙΤΟΥΣ ΑΝΕΓΡΑ
ΨΑΝ

Insignis hæc est inscriptio, quæ plurima docet, quæ in nullis libris, quos superstites habemus, possumus discere. 1. Populi Elusienses inde cognoscuntur tribus Hadrianidæ, Meursio aliisque ignoti. 2. Oa quoque hujus fuit tribus, avulsa a Pandionida, cui scriptores eam adsignant, ut sub Hadrianide tribus veteribus adjungeretur. 3. in hac tribu multas fuisse dignitates cognoscimus. Fuit in illa *Hierophanta*, E cujus erat mysteriorum curam gerere. *Daduchus*, cui lampades & faces sacræ commissæ erant. Ἱεροκήρυξ est præco sacer, qui populo indicat dies festos, & cæremonias. Κήρυξ est præco. Ἐπίβωμος, qui curam gerit aræ. Γραμματεὺς, qui acta hujus tribus conficiebat, & servabat. Ἀντιγραμματεὺς, qui observabat, num rite & secundum leges a Grammateo omnia litteris mandarentur, & custodirentur, Gallis *Controlleur*. Προγραμματεὺς est scriba. Περὶ τὸ βῆμα, cui commissa est cura Chori. Ἱερεὺς F est sacerdos. Ἱεραύλης, magister Musicæ. ΑΙΣΙΤΟΙ Æsiti erant, quibus publice victum decreverat Senatus & populus in Prytaneo, ut vidimus decretum esse Hippocrati. Vide ejus opera. Hesychius appellat ἀεισίτους. Spon. *Itin. Tom.* 2. *pag.* 404. &c.

ſanias *loco cit.* Τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον, σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι, καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρποὺς, καὶ διὰ τοῦτο οὐλαῖς ἐξ αὐτοῦ χρῆσθαι σφίσι, καὶ ποιεῖσθαι πέμματα ἐς τὰς θυσίας καθέστηκεν. *Rarium vero campum ſatum eſſe primum dicunt, & primum germinaviſſe fructus, & propterea molas ex eo adhiberi illis, & confici liba ad ſacrificia conſuevit.* Suburbium Eleuſinis Ἱερὰ συκῆ nuncupatum, ibique cum ſacra in Urbem deferrent, quieſcebant. Philoſtratus *in vita Apollonii Athenienſis Sophiſtæ, lib.* II. ἐτάφη δὲ ἐν τῷ προαστείῳ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι λεωφόρου. ὄνομα τῷ προαστείῳ, Ἱερὰ συκῆ. τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ἱερὰ, ἐπειδὴ ἐς ἄστυ ἄγωσιν, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν. *Sepultus autem eſt in ſuburbio viæ vulgatæ, quæ fert Eleuſina. Nomen ſuburbii eſt Sacra ficus. Sacra vero ab Eleuſine, quum in urbem deferunt, ibi quieſcunt* [a 1].

ENNA.

Cujus fuerit tribus, non conſtat. Schol. Callimachi *Hymno in Cererem*. Ἐλευσὶς, καὶ Ἔννα, δῆμοι Ἀττικῆς. *Eleuſis & Enna, populi Atticæ.*

ΕΠΙΕΙΚΙΔΑΙ.

Tribus Cecropidis. *Stephanus*. Ἐπιεικίδαι, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἐπιεικίδης. *Epieicidæ, populus Cecropidis tribus. Popularis, Epieicides.*

ΕΠΙΚΗΦΗΣΙΑ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Ἐπικηφισία, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἐπικηφήσιος. *Epicephesia, populus Oeneidis tribus. Popularis, Epicephesius.* Diog. Laertius *in Theophraſto, lib.* V. *cap.* LVII. Θήσιππος Θησίππου, ἐκ Κεραμέων. Διοσκουρίδης Διονυσίου, Ἐπικηφήσιος. *Theſippus Theſippi filius ex Cerameis. Dioſcorides Dionyſii filius, Epicephesius.*

ΕΡΕΤΡΙΑ.

Eretria. Meminit ejus Strabo, cum ait, in coloniam miſſum Eretriam Eubœæ, *lib.* X. Ἔνιοι δ' ὑπ' Ἀθηναίων ἀποικισθῆναι φασὶ τὴν Ἱστιαίαν, ἀπὸ τοῦ δήμου τῶν Ἱστιαιέων· ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ Ἐρετριέων, τὴν Ἐρετρίαν. *Quidam ab Athenienſibus coloniam huc deductam tradunt, a populo Hiſtiæenſium; ut Eretriam ab Eretrienſium.* R. A.

---

a. In Eleuſine, hordeum inventum eſſe tradebatur. *Phurnutus*: Οὐλαὶ δὲ λέγονται αἱ κριθαὶ, Ἐλευσὶς δὲ ὁ τόπος, ὅπου πρότερον εὑρέθησαν. *Hordeum οὐλαὶ nuncupatur; locus autem, ubi primum inventum, Eleuſis.* Paſſereſque ibi, & ſcombri, celebrati. Athenæus, *lib.* VII. Πρὸς δὲ Ἐλευσινιακὰς ψήττας, καὶ σκόμβρους, καὶ εἴ τις ἄλλος παρ' αὐτοῖς ἰχθὺς ἐπάνω τῇ δόξῃ τοῦ Κέκροπος γέγονεν, ἀντιγεννήσασα τὴν ἀλώπεκα καλούμενον. *Pro paſſeribus Eleuſiniis, atque ſcombris, & ſi quis alius apud illos piſcis, gloria Cecropem antecellens, gignens vulpem, quem appellant.* Et de paſſeribus, iterum *in fine ejuſdem libri*: Λυγκεὺς δ' ὁ Σάμιος, ἐν Ἐπιστολαῖς, τὰς καλλίστας φησὶ γίγνεσθαι ψήττας περὶ Ἐλευσῖνα τῆς Ἀττικῆς. *Lynceus Samius, in Epiſtolis, optimos paſſeres naſci ait circa Eleuſinem Atticæ.* Pollux *lib.* VII. *cap.* X. Παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκίμουν, ψῆτται ἐξ Ἐλευσῖνος. *Apud Veteres in pretio erant paſſeres Eleuſinii.* Et hos deſignat Clemens, cum in genere Atticos dicit, *Pædag. lib.* II. *cap.* I. Κτένας τε ἐκζητοῦσι Μηθυμναίους, καὶ ψήττας Ἀττικάς. *Pectineſque exquirunt Methymnenſes, & paſſeres Atticos.* Fons ibidem, Ἀλόπη dictus, & Φιλότης. Heſychius: Ἀλόπη, πόλις ἐν Ἄργει· καὶ κρήνη ἐν Ἐλευσῖνι, ἥτις καὶ Φιλότης ἐκαλεῖτο. *Alope, urbs in Argo: & fons Eleuſine, qui & Philotes vocabatur.* In templo Cereris, Phylarchus, pictus ab Athenione Maronita, viſebatur. Plinius de eo, *lib.* XXXV. cap. XI. *Pinxit (Athenion Maronita) in templo Eleuſine Phylarchum.* Et puella quædam, Irenes opus. Plinius iterum mox, *citato loco*: *Irene, Cratini pictoris filia, puellam (pinxit) quæ eſt Eleuſine.* Templo, caſtellum circumpoſitum erat. Livius, *lib.* XXXI. *cap.* XXVI. *Inde Eleuſinem profectus, ſpe improviſo templi, caſtellique, quod imminet, & circumdatum eſt, capiundi.* Propylæum ibidem poſtea ab Appio ſtructum. Cicero ad Atticum, *lib.* VI. *epiſt.* I. *Audio Appium* προπύλαιον *Eleuſine facere.* Cercyon latro illic a Theſeo interfectus. Unde Ovidius *Metam lib.* VII. *v.* 439.

Cercyonis letum vidit Cerealis Eleuſis.

Et Iſocratis illic ſtatua, ante veſtibulum porticus poſita a Timotheo, Cononis filio, cum inſcriptione iſta:

Τιμόθεος, φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν,
Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς.

Plutarchus *in ejus Vita*: Ἀνάκειται δὲ αὐτοῦ ἐν Ἐλευσῖνι εἰκὼν χαλκῆ, ἔμπροσθεν τοῦ προστῴου, ὑπὸ Τιμοθέου τοῦ Κόνωνος. καὶ ἐπιγέγραπται·

Τιμόθεος, φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν,
Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς.

Poſita eſt ejus Eleuſine ſtatua ænea, ante porticus veſtibulum, a Timotheo, Cononis filio; & inſcriptum:

Timotheus, amicitiæ ergo, & hoſpitium honorans.
Iſocratis ſtatuam hanc dedicavit Deabus.

Columnæ item illic erant, quibus bona inſcribebantur, fiſco addicta, eorum, qui in Deas, Eleuſinias nimirum, Cererem Proſerpinamque, impii fuiſſent. Pollux, *lib.* X. *cap.* XXIV. Ἐν δὲ ταῖς Ἀττικαῖς στήλαις, αἵ εἰσιν ἐν Ἐλευσῖνι, τὰ τῶν ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεὼ δημοσίᾳ πραθέντα ἀναγέγραπται. *In columnis Atticis, quæ ſunt Eleuſine, bona publicata eorum, qui in deas impie ſeſe geſſerunt, deſcripta.* Huc pertinet, quod iterum legitur apud eundem, *libro eodem, cap.* XXXI. Ἐν δὲ ταῖς Ἀττικαῖς στήλαις ἀναγέγραπται πρίων λιθοπρίστης, καὶ καρκῖνος, λίθους ἔχων. *In columnis Atticis relata eſt ſerra, qua ſecantur lapides; & forceps, lapides tenens.* Conditam vero Eleuſinem tradunt ab Ogygo, primo omnium Atticæ rege. Caſtor, apud Euſebium, *Chron. lib.* I. Κατὰ τοῦτον Ὤγυγος Ἐλευσῖνα ἔκτισεν. *Hujus tempore Ogygus Eleuſina condidit.* Et Julius Africanus, *apud eundem, Præparat. Euang. lib.* X. Ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Ὤγυγον, ὃς ἔκτισεν Ἐλευσῖνα. *Ab Olympiade quinquageſima quinta ad Ogygum, qui Eleuſinem condidit.* R. A.

[1] ΕΛΕΙΣΙΣ.

Eleuſis quæ tota nunc eſt deſtructa, non tamen amiſit antiquum nomen; quamvis ab Geographis aliiſque hodie Europæis vocetur *Lepſina*; quippe Græci hujus temporis de urbibus loquentes plerumque eas in accuſandi caſu proferunt, dicitur *Leuſina*, contracte pro *Eleuſina*, pronuntiantes *Leſſina*, ut ſolent literam v. pro f. efferre. Inſcriptio, quæ Eleuſine reperitur:

ΦΙΛΕΑΣ ΔΩΡΟΘΕΟΥ
ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΣ

Alias plures invenies apud Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 408. &c.

ΕΡΕΧΘΙΑ.

Ægeidis tribus; ac datum nomen ab Erechtheo, qui hospitio Cererem accepit. *Stephanus*. Ερεχθία, δῆμος τῆς Αττικῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ἀπὸ Ερεχθέως, τοῦ ξενίσαντος τὴν Δήμητρα. ὁ δημότης, Ερεχθιεύς. *Erechthia, populus Atticæ, Ægeidis tribus; ab Erechtheo, qui Cererem hospitio exepit. Popularis, Erechthiensis*. Hinc Isocrates Rhetor erat. Stephanus *ibidem*. καὶ Ισοκράτης Ερεχθιεύς ἦν. *Et Isocrates Erechthiensis erat*. Ergo emendandus Plutarchus *in Isocrate*. Ισοκράτης Θεοδώρου μὲν ἦν παῖς τοῦ Ερεχθιέως. *Isocrates quidem erat filius Theodori Erechthiensis*. Hodie editur, τοῦ ἀρχιερέως. vel τοῦ ἀρχιέως. Et ita videtur legisse quoque eruditissimus Interpres, Gulielmus Xylander.

ΕΡΙΚΕΙΑ.

Ægeidis tribus. *Stephanus*. Ερίκεια, δῆμος Αθήνησιν Εἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ερικεεύς. *Ericea, populus Athenis Ægeidis tribus. Popularis, Ericeensis*.

[1] ΕΡΜΟΣ. sive, ΕΡΜΟΙ.

Hesychius. Ερμος, ἢ Ερμοί, δῆμος Αττικῆς. *Hermus, vel Hermi, populus Atticæ*. Erat autem tribus Acamantidis. *Suidas*. Ερμος, δῆμός ἐστι τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Hermus, populus est Acamantidis tribus. Harpocration*. Ερμος, δῆμός ἐστι τῆς Αττικῆς, φυλῆς Ακαμαντίδος. *Hermus, populus est Atticæ, tribus Acamantidis. Stephanus*. Ερμος, ὡς Ερκος, οὐδετέρως. δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ερμειος. *Hermus, ut Hercus, genere neutro, populus Acamantidis tribus. Popularis, Hermeus*. Et quidem ad viam qua Athenis Eleusina ibatur. Id nos ex Plutarcho didicimus, cujus locus est *in Phocione*, sed corruptus. ἧσαν δὲ τὴν ὑπηρεσίαν ταύτην ἀγεννῆ προσκατῄσχυνε ὁ τάφος συντελεσθείς. διαμένει γὰρ ἔτι νῦν ἐν Ερμείῳ, ἣ βαδίζομεν ἐξ ἄστεος εἰς Ελευσῖνα. *Ministerium illud alioquin turpe fœdavit insuper sepulcrum absolutum. Extat enim & nunc in Hermio, qua itur Athenis Eleusina*. Rescribo una litera minus, διαμένει γὰρ ἔτι νῦν ἐν Ερμεῖ. Dicebant enim, ἐν Ερμεῖ, cum aliquid ibi loci designare vellent. Stephanus *loco citato*. ὁ δημότης Ερμειος. τὸ εἰς τόπον, εἰς Ερμοῦς· ἤ, Ερμοσε· τὸ ἐν τόπῳ, ἐν Ερμεῖ. *Popularis Hermeus. Locale, ad Hermos, aut Hermose. & in loco, in Herme*. Hoc ignoratum, ansam dedit viris doctis, ut mendum crederent, & mutarent, plausibili admodum correctione, ἐν Ερμείῳ.

ΕΡΟΙΑΔΑΙ.

Hippothontidis tribus. *Harpocraption*. Εροιάδαι, δῆμός ἐστι τῆς Ιπποθοωντίδος. *Erœadæ, populus est Hippothoontidis. Hesychius*. Εροιάδαι, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. *Erœadæ, populus Hippo-* A *thoontidis tribus. Stephanus*. Εροιάδαι, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Εροιάδης. *Erœadæ, populus Hippothoontidis tribus. Popularis, Erœades*. Corrigendus Demosthenes *in Neæram*. καὶ ἐγγυητὰς γενέσθαι Νεαίρας Στέφανον Εροιάδην, Γλαυκέτην Κηφισιέα. *Et vades futuros Neæræ Stephanum Erœaden, Glauceten Cephisiensem*. Et mox iterum. Τιμόστρατος Κεφαλῆθεν, Ξάνθιππος Εροιάδης, Εὐλάβης Φαληρεύς. *Timostratus ex Cephale, Xanthippus Erœades, Eulabes Phalerensis*. Etiam illic eodem modo vulgatur, Ξάνθιππος Εὐειάδης.

ΕΡΧΕΙΑ.

B Etiam hic pagus tribus Ægeidis. *Harpocration*. Ερχεια, δῆμός ἐστι τῆς Αἰγηΐδος, ὡς Διόδωρος. *Erchea, populus est Ægeidis, ut Diodorus scribit. Hesychius*. Ερχεια, δῆμος τῆς φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος. *Erchea, populus tribus Ægeidis*. Aliis sine diphthongo scribitur. Ita apud *Suidam*. Ερχία, δῆμος τῆς Αττικῆς. *Erchia, populus Atticæ*. Hinc formatur, Ερχιεύς, is qui inde oriundus. Demosthenes *in Neæram*. Θεογένης Ερχιεὺς μαρτυρεῖ, ὅτε αὐτὸς ἐβασίλευε, γῆμαι Φανώ, ὡς Στεφάνου οὖσαν θυγατέρα. *Theogenes Erchiensis testatur, quod quum ipse regnavit, duxisse Phano uxorem, tanquam quæ esset Stephani filia*. Isæus ὑπὲρ τοῦ Πύρρου κλήρου. τῶν μὲν οἰκείων οὐδένα τῶν ἑαυτοῦ παρακεκληC κὼς φαίνεται Διονύσιον τὸν Ερχιέα, καὶ Αριστόλοχον τὸν Αἰθαλίδην. *Propinquorum quidem suorum neminem advocavisse videtur, Dionysium Erchiensem, & Aristolochum Æthalidem*. Dinarchus κατὰ Δημοσθένους. ἀλλὰ ταυτὶ τὰ μικρὸν πρὸ τῆς ἡμετέρας ἡλικίας γεγενημένα ὑπὸ Κεφάλου τοῦ ῥήτορος, καὶ Θράσωνος τοῦ Ερχιέως, καὶ Ηλιοδώρου Φορμισίου. *Sed hoc modo quæ paulo ante nostram ætatem facta sunt ab Cephalo rhetore, & Thrasone Erchiense, & Heliodoro Phormisio*. Corrigendus Stephanus *in Αζηνιά*. ὁ δημότης, Αζηνιεύς, ὡς Ερχιεύς. *Azenia. Popularis, Azeniensis. ut Erchiensis*. Male hodie editur, illic ὡς Αρχιεύς. Idem mendum apud Diogenem Laertium *in Xenophonte, lib.* II. Ξενοφῶν D Γρύλλου μὲν ἦν υἱός, Αθηναῖος, τῶν δῆμον Ερχιεύς. *Xenophon Grylli quidem erat filius, Atheniensis, quod ad populum Erchiensis*. Etiam illic hodie editur, Αρχιεύς. Inter Isæi *Orationes* una fuit, inscripta, ἡ ὑπὲρ Εὐφιλήτου πρὸς τῶν Ερχιέων δῆμον ἔφεσις. *Provocatio propter Euphiletam ad Erchiensium populum*. Dionysius Halicarn. *in Isæo* ταύτης ἐστὶ τῆς ἰδέας, ἥτε πρὸς Ερμωνα ὑπὲρ τῆς ἐγγύης ἀπολογία. καὶ, ἡ πρὸς Εὐκλείδην ἀμφισβήτησις, ὑπὲρ τῆς τοῦ χωρίου λύσεως. καὶ ἡ ὑπὲρ Εὐφιλήτου πρὸς τῶν Ερχιέων δῆμον ἔφεσις. *Hujus est ideæ, apologia ad Hermonem propter sponsionem. Et, controversia ad Eucleidem propter solutionem agri. Et provocatio ob Euphiletam ad Erchiensium populum* [a] *.

---

1. Hic populus tribus Acamantidis inter Athe- E nas & Eleusina. Inscriptio vetus:

ΚΑΤΑ ΤΟ ΕΠΕΡΟΤΗΜΑ ΤΗΣ ΕΞ
ΑΡΕΟΥΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗΣ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΒΟΥΛΗΣ. . . . .
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ
ΤΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΝ ΤΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΝ ΘΕΣΜΟΘΕΤΑΙΣ
ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΝ
ΕΠΩΝΥΜΟΝ ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΠΑ
ΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΓΩ
ΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ ΤΩΝ ΜΕΓΑ
ΛΩΝ ΠΑΝΑΘΕΝΑΙΩΝ ΟΙΚΟ
ΘΕΝ ΙΕΡΑ ΠΑΝΑΓΗ. Π. ΕΡΕΝ.
ΔΕΞΙΠΠΟΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΡ
ΜΕΙΟΝ ΤΟΝ ΡΗΤΟΡΑ ΚΑΙ
ΣΥΝΓΡΑΦΕΑ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΑ
ΟΙ ΠΑΙΔΕΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 413.

a. Ex Erchia populo oriundus erat Xenophon. Diogenes Laertius, *lib.* II. *cap.* XLVIII. Ξενοφῶν Γρύλλου μὲν ἦν υἱός, Αθηναῖος, τῶν δῆμον Ερχιεύς.

A

ΕΥΠΥΡΙΔΑΙ.

Tribus Leontidis. *Stephanus*. Εὐπυρίδαι, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Εὐπυρίδης. *Eupyridæ, populus Leontidis tribus. Popularis, Eupyrides.* Emendandus est *Hesychius*. Εὐπυρίδαι, δῆμος, καὶ τόπος Ἀθήνῃσιν. *Eupyridæ, populus, & locus Athenis*. Hodie est in vulgatis, Εὐπηρίδαι. Et observa. Non tantum Atticæ populus erat, sed & locus ipsis Athenis [a].

ΕΥΩΝΥΜΙΑ. sive, ΕΥΩΝΥΜΟΣ.

Tribus Erechtheidis. *Hesychius*. Εὐώνυμον, ἀριστερὸν, καὶ δῆμος φυλῆς τῆς Ἐρεχθηίδος. *Euonymum notat sinistrum, & populus tribus Erechtheidis. Harpocration*. Εὐώνυμος, Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Φιλοκράτους. δῆμός ἐστι τῆς Ἐρεχθηίδος, ὥς φησι Διόδωρος. *Euonymus, Lysias in Oratione adversus Philocratem: Populus est Erechtheidis, ut inquit Diodorus*. Nomen accepit ab Euonymo, Cæli, vel, ut alii, Cephissi, & Terræ, filio. Stephanus in Εὐωνυμία. ἔστι καὶ δῆμος Ἀθηναίων, ἐπὶ Εὐωνύμου τοῦ Γῆς καὶ Οὐρανοῦ, ἢ Κηφισσοῦ. *Est & populus Atheniensium, ab Euonymo Terræ & Cæli filio, aut Cephissi*. Popularis Εὐωνυμεὺς dicebatur. Diog. Laertius *in Theophrasto lib.* V. μάρτυρες, Κάλλιππος Πελανεὺς, Φιλόμηλος Εὐωνυμεύς. *Testes, Callippus Pelanensis, Philomelus Euonymensis* [1].

ΕΧΕΛΙΔΑΙ.

Incertum sub qua tribu. Nomen illi ab heroe Echelo. *Stephanus*. Ἐχεμίδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ἀπὸ Ἐχέμου. οὗτος δὲ ἀπὸ ἕλους τόπου μεταξὺ ὄντος τοῦ Πειραιέως, καὶ τοῦ Τετρακώμου Ἡρακλείου, ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις. ὁ δημότης, Ἐχεμίδης. *Echelidæ, populus Atticæ, ab Echelo. Hic vero ab Elos loco sito inter Piræeum, & quatuor vicorum templum Herculis, in quo gymnica certamina instituerunt in Panathenæis. Popularis, Echelides*. Sed corruptus insigniter locus; rescribendum, Ἐχελίδαι, δῆμος τ. Α. ἀπὸ Ἐχέλου ἥρωος. Et mox, ὁ δημότης, Ἐχελίδης. E-
B
mendationem meam firmat *Etymologyci Auctor*. Ἔχελος, ἥρως παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος. καὶ δῆμος τῆς Ἀττικῆς Ἐχελίδαι, ἀπὸ τοῦ κειμένου ἕλους τῷ τόπῳ ἐν ᾧ ἵδρυται τὸ τοῦ Ἐχέλου ἄγαλμα. παρὰ τὸ ἕλος ἔχειν, Ἔχελος. καὶ Ἐχελιδῶν δῆμος, ἀπὸ Ἐχέλος. *Echelus, heros apud Athenienses cultus. Et populus Atticæ, ab adjacente palude loco, in quo erecta est Echeli statua. Ab eo quod habuerit paludem Echelus dicitur. Et Echelidarum populus ab Echelo*. Jam olim de hoc loco disseruimus Animadvers. Misc. *lib.* IV. *cap.* XII. [b]

C

Xenophon Grylli quidem filius erat, Atheniensis, populo Erchiensis. Ita enim emendandum, monui pridem, in libro *De Populis Atticæ*. Isocrates inde. Fidem nobis facit Photius, *in Bibliotheca*, ubi sic de eo inquit: Ἦν δὲ παῖς Θεοδώρου τοῦ Ἐρχιέως. *Erat filius Theodori Erchiensis*. Unde Plutarchus emendandus, *in ejus Vita*: Ἰσοκράτης Θεοδώρου μὲν ἦν παῖς τοῦ Ἐρχιέως. *Isocrates quidem erat filius Theodori Erchiensis*. Perperam enim vulgatur, Θεοδώρου τοῦ ἀρχιερέως. *Theodori sacrorum antistitis*. Et hoc viris doctis quoque animadversum. *Stephanus* corruptissime omnium in exemplari quodam invenerat, Ἐρεχθιά, Ἐρχία; idque mendum repræsentat, male etiam ab Erechtheo nomen quærens. Nam, si verum esset etymon, omnino Ἐρεχθιά scribi deberet. Sed contrarium tot Auctores nobis tradunt, uti frustra dubitetur. Verba *Stephani* ecce
D
ista: ῥεχθιά, δῆμος Ἀττικῆς: τῆς Αἰγηίδος φυλῆς· ἀπὸ Ἐρεχθέως, τοῦ ξενίσαντος τὴν Δήμητρα. ὁ δημότης. Ἐρεχθιεύς. καὶ Ἰσοκράτης Ἐρεχθιεὺς ἦν. *Erechthia, populus Atticæ, Ægeidis tribus. ab Erechtheo, qui Cererem hospitio excepit. Popularis Erechthiensis, & Isocrates Erechthiensis erat*. Nam quod de Isocrate addit, eum fuisse Erchiensem, non Erechthiensem, jam ostendi. In hoc vero etiam populo agri Alcibiadis siti, jugera fere trecenta. Plato, *in Alcibiade* I. Τῷ δὲ (Ἀλκιβιάδει) ὑεῖ αὐτῆς, (τῆς Δεινομάχης,) γῆς πλέθρα Ἐρχιάσιν οὐδὲ τριακόσια. *Huic vero (Alcibiadi) filio ejus (Dinomaches) terræ jugera sunt Erchiæ paullo minus trecenta*. R. A.

E

* ΕΥΚΟΝΘΕΥΣ.

Non inveni hunc populum in ullo libro, sed inscriptione antiqua in Salamine mihi visa:

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΜΙΛΗΣΙΑ ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ
ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΕΥΚΟΝΘΕΩΣ
ΓΥΝΗ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 415.

a. Quod ad Eupyridas attinet, male sector quadratarius in Inscriptione antiqua Εὐπωρίδης posuit, pro Εὐπυρίδης.

ΣΥΗΧΕΝ ΑΧΗΡΙΣΤΟΣ
ΣΤΗΛΗΝ ΜΕΤΑ ΚΥΔΕ
ΣΙΝ ΑΣΤΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ
ΤΟΥ ΓΟΜΕΧΩΝ ΔΗΜΟ
ΘΕΝ ΕΥΠΩΡΙΔΗΣ.

Emendandus item *Hesychius*, ubi male Εὐπηρίδαι est vulgatum, pro Εὐπυρίδαι. Originem nominis inde tradunt, quod illic primum ab Atheniensibus inventus ignis. *Etimologici Auctor*: Εὐπυρίδαι, δῆμος Ἀθηναίων· ὅτι ἐν Ἀθήναις πρῶτον τὸ πῦρ εὑρῆσθαι φασὶ κατὰ τὸν δῆμον τοῦτον, ἐκλάμψεως γενομένης. *Eupyridæ, populus Atheniensium; quia Athenis primum ignem inventum memorant in hoc populo, fulgore oborto*. Atque hi Τρίκωμοι appellati, una cum Cecropidis, & Pelecensibus. *Stephanus*: Τρικώμους δὲ τούτους ἐκάλουν, Εὐπυρίδας, καὶ Κρωπίδας, καὶ Πήληκας. *Tricomos vero appellabant, Eupyridas, & Cropidas, & Pelecenses*. Ita enim ibi legendum, monitum a me capite superiori. *R. A.*

1. Vetus lapis Salaminius:

ΘΡΑΣΥΜΗΔΗΣ
ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ

Ut & plures apud Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 415. &c.

b. De Echelidis, corrigendus est *Hesychius*: Ἐν Ἐχελιδῶν. Ἔχελος, ἥρως· ὡς δὲ ἔνιοι, ἐπίθετον ἥρωος: ἐπὶ τοῦ ἕλος παρακεῖσθαι τῷ ἥρωϊ. ἐστὶ δὲ ὁ Ἀθηναίων ἱππόδρομος. *In Echelidarum. Echelus, heros, ut vero quibusdam placet, epithetum herois: quia palus herois vicina est. Est vero Atheniensium hippodromus*. Mox iterum: Ἐν Ἐχελιδῶν. ἐν ᾧ ἱππικοὶ ἤγοντο ἀγῶνες. καὶ ναὸς Ἐχέλου. *In Echelidarum. Ubi certamina equestria agitabantur. Et templum Echeli*. Perperam utrobique editur, Ἐνεχελιδῶν; & in fine, καὶ ναὸς Ἴλου. Observa autem, Hippodromum ibi Atheniensium, & Echeli fanum, exstitisse, *R. A.*

ΖΩΣΤΗΡ.

Cujus tribus fuisse dicam, non habeo. Strabo *l.* IX. μεταξὺ δὲ τῶν λεχθέντων δήμων, μακρὰ ἄκρα πρώτη μετὰ τοὺς Αἰξωνέας, Ζωστήρ. *Inter dictos populos, Zoster longum promontorium, primum post Æxonenses.* Erat illic ara Minervæ, Apollinis, Dianæ, & Latonæ; quæ peperisse illic, vel, ut alii, Zonam solvisse ferebatur: unde etiam nomen datum. Pausanias *in Atticis*. δῆμοι δὲ οἱ μικροὶ τῆς Αττικῆς, ὡς ἔτυχεν ἕκαστος οἰκισθείς. ἃ δὲ εἰς μνήμην παρείχοντο, Αλιμουσίοις μὲν Θεσμοφόρου Δήμητρος καὶ Κόρης ἐστὶν ἱερόν. ἐν Ζωστῆρι δὲ ἐπὶ θαλάσσῃ καὶ βωμὸς Αθηνᾶς, καὶ Απόλλωνος, καὶ Αρτέμιδος, καὶ Λητοῦς. τεκεῖν μὲν οὖν Λητὼ τοὺς παῖδας ἐνταῦθα οὔ φασι, λύσασθαι δὲ τὸν ζωστῆρα ὡς τεξομένην, καὶ τῷ χωρίῳ διὰ τοῦτο γενέσθαι τὸ ὄνομα. *Populi parvi Atticæ prout sors tulit, quisque habitans. Quæ vero in memoriam præbentur, sunt apud Halimusios Legiferæ Cereris & Proserpinæ fanum: in Zostere vero prope mare etiam ara Minervæ, & Apollinis, & Dianæ, & Latonæ. Peperisse quidem Latonam liberos ibi non dicunt, sed solvisse zonam velut parituram, hincque loco isti factum esse nomen.* Et sacra illis faciunt piscatores, ex loco Ζωστηρίοις appellatis. *Stephanus*. Ζωστὴρ, τῆς Αττικῆς ἰσθμὸς, ὅπου φασὶ τὴν Λητὼ λῦσαι τὴν ζώνην, καθεῖναι δὲ τῇ λίμνῃ λούσασθαι· ἐνταῦθα θύουσιν ἁλιεῖς Λητοῖ, καὶ Αρτέμιδι, καὶ Απόλλωνι Ζωστηρίῳ. *Zoster Atticæ isthmus, ubi dicunt Latonam solvisse zonam, demissamque in lacu lavisse. Ibi sacrificant piscatores Latonæ, & Dianæ, & Apollini Zosterio.* Ecce cognomen Latonæ, & Dianæ, Ζωστηρία: Apollini, Ζωστήριος. Restituendus est *Hesychius*. Ζωστὴρ ᾧ ἐπάνω τοῦ θώρακος ἐχρῶντο. ζώνη. ζῶμα. περίζωμα. ἀπὸ τῶν μηρῶν καὶ μέχρι τῶν βουβώνων συζωννύμενον τῷ θώρακι. καὶ Απόλλων παρὰ Αθηναίοις, καὶ τόπος, ἔνθα Λητὼ ἐλύσατο τὴν ζώνην. ὑπὸ φύκος. *Zoster quo supra thoracem utebantur. Zona, cingulum, subligaculum, quod ab femoribus usque ad inguina subcingitur thoraci. Et Apollo apud Athenienses, & locus, ubi Latona solvit zonam. & fucus.* Hodie is locus ab interpunctione laborat.

ΗΦΑΙΣΤΙΑΔΑΙ.

Acamantidis tribus. Fanum habebat Vulcani. *Stephanus* Ηφαιστία, δῆμος Ακαμαντίδος φυλῆς, ἐν ᾧ Ηφαίστου ἱερόν. ὁ δημότης, Ηφαιστιάδης. τὰ τοπικὰ, ἐξ Ηφαιστιάδων. καὶ τὰ λοιπά. *Hephæstia, populus Acamantidis tribus, in quo Vulcani fanum. Popularis, Hephæstiades. Localia, ex Hephæstiadis. Et reliqua.* Sed scribendum, Ηφαιστιάδαι, δῆμος Α'. Satis arguunt illa sequentia, τὰ τοπικὰ, ἐξ Ηφαιστιάδων. καὶ τὰ λοιπά. Erat ibidem fanum Herculis. Meminit Diog. Laertius *in Platone, lib.* III. *c.* XLI. τὸ ἐν Ηφαιστιάδων χωρίον, ᾧ γείτων Βορρᾶθεν ἡ ὁδὸς ἡ ἐκ τοῦ Κηφισιάσιν ἱεροῦ, Νότοθεν τὸ Ηρακλεῖον τὸ ἐν Ηφαιστιάδων. *Agrum in Hephæstiadis, cui vicina ab aquilone via est quæ ducit a fano Cephesiadum, ab austro templum Herculis quod in Hephæstiadis* [a 1].

ΘΗΜΑΚΟΙ. sive, ΘΗΜΑΚΟΣ.

Erechtheidis tribus. *Harpocration*. δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Ερεχθηΐδος Θημακὸς, ὥς φησι Διόδωρος ὁ περιηγητὴς ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων. *Populus est tribus Erechtheidis Themacus, ut inquit Diodorus Periegetes in libro de Populis.* Alii Ptolemaidi tribuum. *Stephanus*. Θημακοὶ, δῆμος τῆς Ερεχθηΐδος φυλῆς. ὡς δὲ Φρύνιχος, τῆς Πτολεμαΐδος. ὁ δημότης, Θημακεύς. *Themaci, populus Erechtheidis tribus. Ut vero habet Phrynichus, Ptolemaidis. Popularis, Themacensis*

Θ Ο Ρ Α Ι.

Antiochidis tribus. *Stephanus*. Θοραὶ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Θορεύς. *Thoræ, populus Antiochidis tribus. Popularis, Thorensis. Harpocration*. Θοραὶ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος, ὥς φησι Διόδωρος. *Thoræ, populus Antiochidis, ut inquit Diodorus*. Emendandus Strabo *lib.* IX. Αναγυράσιοι, οἱ Θορεῖς, Λαμπτρεῖς, Αἰγινεῖς. Αναφλύστιοι. *Anagyrasii, Thorenses, Lampyrenses, Æginenses. Anaphlystii*. Hodie editur, Αναγυράσιοι, εἶθ' ὡρεεῖς.

Θ Ο Ρ Ι Κ Ο Σ.

Acamantidis tribus. *Harpocration*. Θόρικος, δῆμός ἐστι τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Thoricus, populus est Acamantidis tribus.* Strabo *lib.* IX. κάμψαντι δὲ τὴν κατὰ τὸ Σούνιον ἄκραν, ἀξιόλογος δῆμος Σούνιον. εἶτα Θόρικος, εἶτα Ποταμός. *Flectenti vero promontorium juxta Sunium, occurrit celebris populus Sunium, postea Thoricus, deinde Potamus.* Sophocles *Oed. Col. v.* 1591.

Ἐφ' οὗ μέσου στὰς, τοῦ τε Θορικίου πέτρου.
Inter quem medium consistens, & Thoricium saxum.

Ubi *Scholiastes*. Θόρικος δὲ δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Thoricus vero populus Acamantidis tribus*. Antoninus Liberalis *Metamorph.* XII. Κέφαλος ὁ Δηΐονος γήμας ἐν Θορίκῳ τῆς Αττικῆς Πρόκριν τὴν θυγατέρα τὴν Ερεχθέως. *Cephalus Dejonis filius duxit in Thorico Atticæ Procrin filiam Erechthei.* Et mox iterum: καὶ ἡ Πρόκρις δεξαμένη, ἀφίκετο εἰς Θόρικον τῆς Αττικῆς, ὅπου ᾤκει ὁ Κέφαλος. *Et Procris accipiens, pervenit ad Thoricum Atticæ, ubi habitabant Cephalus.* Apollodorus *l.* II. *c.* IV. ἔχων ἐκ μὲν Θορίκου τῆς Αττικῆς Κέφαλον συμμαχοῦντα. *Habens ex Thorico Atticæ Cephalum commilitonem.* Meminit quoque ejus Xenophon *Hist. Græc. l.* I. *& de Provent.* Herodotus *l.* IV. Plinius *l.* XXXVII. *c.* V. Nomen accepit a Thorico Cyprio. *Hesychius*. Θόρικος, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Θορίκου Κυπρίου. *Thoricus, populus Acamantidis tribus. Vocatus est autem*

---

a. De Hephæstiadis, emendandum censeo *Stephanum*, Δῆμος Ακαμαντίδος φυλῆς, ἐν ᾧ Ηφαιστίου ἱερόν. *Populus Acamantidis tribus, in quo Hephæstii fanum*. Non bene editur, ἐν ᾧ Ηφαίστου ἱερόν. *In quo Vulcani fanum*. Nam Hephæstius heros erat, a quo populo isti nomen. *Hesychius* docet, verum rursum corrigendus: Ηφαίστιος. ἥρως τὶς Αθηναῖος. ἀφ' οὗ καὶ δῆμος, Ηφαιστιάδαι. *Hephæstius, heros quidam Atheniensis. a quo etiam populus, Hephæstiadæ*. Inciderat in mendosum codicem doctissimus Grammaticus; itaque deceptus, alieno loco in litera I. populum istum nobis memorat. Editur enim, Ιφίστιος & Ιφιστιάδαι. Sic paullo ante: Ιφιάσται, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Iphiastæ, populus Acamantidis tribus*. Rescribendum etiam istic, Ηφαιστιάδαι *Hephæstiadæ*. Apud Isæum quoque, *in Orat.* Περὶ τοῦ Αστυφίλου κλήρου, mendose legitur, παρὰ Ιεροκλεῖ Ηφαιστείδῃ, pro π. Ι. Ηφαιστιάδῃ, R. A.

I. Θ Η Β Η.

Thebes ignoratur tribus. Sed fuisse populum Atticum ejusdem nominis, quo erat urbs Thebæ Bœotiæ, constat etiam ex Stephano, qui inter novem urbes, quæ Thebæ appellantur, sextam ait in Attica sitam esse. Miror Meursium hunc populum prætermisisse. Mentio ejus quoque in inscriptione Atheniensi:

ΑΝΤΙΚΛΕΙΑ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΕΥ ΘΥΓΑ
ΤΗΡ ΘΗΒΑΙΑ.

tem ab Thorico Cyprio. Ita illic legendum arbitror. Nam hodie certe non recte editur, ἀπὸ Θορίκȣ Κύπειοι. Meminit Thorici populi etiam Herodotus *lib.* IV. [a 1]

ΘΡΙΑ, sive ΘΡΙΩ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Θρία, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. λέγεται δὲ καὶ Θριώ. ὁ δημότης, Θριάσιος. *Tria, populus Oeneidis tribus, Dicitur & Thrio. Popularis, Thriasius*. Schol. Aristophanis *Avibus* γράφεται δὲ καὶ Θριῆθεν, οἷον ἀπὸ δήμȣ τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. *Scribitur quidem & a Thria, tanquam ab populo Oeneidis tribus*. Hinc oriundus Crates erat. Diogenes Laertius *in ejus vita, lib.* IV. Κράτης, πατρὸς μὲν ἦν Ἀντιγένȣς, Θριάσιος δὲ τῶν δήμων. *Crates, quod ad patrem erat filius Antigenis, quod ad populum vero Thriasius*. Hinc subjectus campus Thriasius, cujus mentio multa apud Historicos. Erat vero inter Eleusinem & Athenas, ut apparet ex *Galeno*, περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν ἑκάστȣ ψυχῇ ἰδίων παθῶν. Verba ista. γενομένοις ȣ̓ν ἡμῖν ἐν Κορίνθῳ, πάντα μὲν ἔδωκε τὰ σκεύη καὶ τȣ̀ς οἰκέτας ἀπὸ Κεγχρεῶν εἰς Ἀθήνας ἐκπέμψαι κατὰ πλȣ̃ν αὐτȣ̃. αὐτὸς δὲ ἓν ὄχημα μισθωσάμενος, πεζῇ διὰ A Μεγάρων πορεύεται. καὶ δὴ διελθόντων ἡμῶν Ἐλευσῖνα, καὶ κατὰ Θριάσιον ὄντων, ἤρετο τȣ̀ς ἑπομένȣς οἰκέτας αὐτȣ̃ περί τινος σκεύȣς. *Quum igitur essemus Corinthi, omnia quidem vasa & servos ab Cenchreis Athenas concessit mittere per navigationem. Ipse vero unum currum quum conduxisset, pedibus per Megaram proficiscitur. Et quum transgressi Eleusina versaremur circa Thriasium, rogavit comites servos suos de vase aliquo*. Ac Eleusini adjungit Strabo *l.* IX. εἶτα τὸ Θριάσιον πεδίον, καὶ ὁμώνυμος αἰγιαλὸς καὶ δῆμος. *Deinde Thriasius campus, & littus populusque ejusdem nominis*. Et hinc portæ quoque cuidam, qua huc iretur, nomen Athenis, Θριάσιαι πύλαι. *Thria-* B *siæ portæ. Hesychius*. Θριάσιαι, πύλαι, ȣ̔́τω καλȣ̃νται Ἀθήνησιν. *Thriasiæ, portæ, hoc modo vocantur Athenis*. Nimirum illa ipsa fuit, quæ postea Δίπυλον appellata. Plutarchus *in Pericle*. ταφῆναι δ᾽ Ἀνθεμόκριτον παρὰ τὰς Θριασίȣς πύλας, αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται. *Sepeliri Anthemocritum circa Thriasias portas, quæ nunc Dipylum vocantur*. Videtur etiam amnis fuisse. Seneca *Hippolyto*, v. 4. &c.

Quæ saxosa loca Parnethi
Subjecta jacent, & quæ Thriasiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda. —— [b]

Et in alia:

ΜΕΥΦΙΛΗΤΟΣ....
ΕΧΘΗΙΔΙΙΠ....
ΘΗΒΑΙΟΣ....

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 117. 118.

a. De Thorico, emendandus Demosthenes, *Orat. in Midiam*: Διόγνητος Θορίκιος. *Diognetus Thoricius*. Male editur; Δ. Θεωρίσκος. *D. Theoriscus*. Et heic Cephalus habitabat. Observo apud Apollodorum, *lib.* II. Ἔχων ἐκ μὲν Θορίκȣ τῆς Ἀττικῆς Κέφαλον συμμαχȣ̃ντα. *Habens auxiliatorem e Thorico quidem Atticæ Cephalum*. Et heic Procrin, Erechthei filiam, uxorem duxit. Antoninus Liberalis, *Metamorph. cap.* XLI. Κέφαλος ὁ Δηϊονέως ἔγημεν ἐν Θορίκῳ τῆς Ἀττικῆς Πρόκριν, τὴν θυγατέρα Ἐρεχθέως. *Cephalus Deionei filius uxorem ducit in Thorico Atticæ Procrin, Erechthei filiam*. Et mox iterum. Καὶ ἡ Πρόκρις δεξαμένη, ἀφίκετο εἰς Θόρικον τῆς Ἀττικῆς, ὅπȣ ᾤκει ὁ Κέφαλος. *Ac Procris cum accepisset, in Thoricum Atticæ venit, ubi Cephalus habitabat*. Nomen accepit a Thorico Cyprio. *Hesychius*: Θόρικος, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Θορίκȣ Κυπρίȣ. *Thoricus, populus Acamantidis tribus; nomen vero accepit a Thorico Cyprio*. Ita illic legendum arbitror; nam hodie certe non recte editur, ἀπὸ Θορικȣ̃ Κύπειοι. Erant autem metalla ibi argentaria, & in illis etiam smaragdi, qui fellis colorem, aut aeris, haberent: in sole dilucidi, & liquidi, sed non virides. Plinius, ubi de smaragdis agit, *l.* XXVII. *c.* V. *Omnium horum etiam vitium, quod fellis colorem, aut aeris, habeat. In sole dilucidi quidem, ac liquidi, sed non virides. Hæc vitia in Atticis maxime sentiuntur, in argentariis metallis repertis, in loco, qui Thoricos vocatur. Semper minus pingues, e longinquo speciosiores*. Muro cinxerunt Athenienses, Olymp. XCIII. anno I. Xenophon, *Hist. Græ. l.* I. Τῷ δ᾽ ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοστὴ, ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος, Ἀθηναῖοι Θόρικον ἐτείχισαν. *Anno sequenti, quo erat Olympias nonagesima tertia, archonte Athenis Euctemone, Athenienses Thoricum muro circumdederunt*. Adjacebat autem ad mare septentrionale, & distabat Anaphlysto stadiis circiter sexaginta. Idem Xenophon: Περὶ προσόδων. Ἔστι μὲν γὰρ δή πȣ περὶ τὰ μέταλλα ἐν τῇ πρὸς μεσημβρίαν θαλάτ- C τῃ τεῖχος ἐν Ἀναφλύστῳ, ἔστι δὲ ἐν τῇ πρὸς ἄρκτον τεῖχος ἐν Θορίκῳ. ἀπέχει δὲ ταῦτα ἀπ᾽ ἀλλήλων ἀμφὶ τὰ ἑξήκοντα στάδια. *Et non procul a metallis, in mari; quod versus meridiem extenditur, munitio in Anaphlysto; altera vero in Thorico, in mari Septentrionali: distantque hæ inter sese circiter sexaginta stadiis*. Melæ tempore, qui sub Claudio Cæsare scribebat, adeo plane interciderat, ut nil ejus præter nomen superesset. Ita enim ait, *l.* II. *c.* III. *Thoricus & Brauron, olim urbes, nunc tantum nomina* R. A.

1. Thoricus Acamantidis, erat situs inter Sunium & Potamum, hodie vocatur *Porto Rafty*. Lapis Atheniensis de eo in horto Husse in Bey:

D

ΠΡΑΧΙΚΛΗΣ
ΕΥΦΥΟΝΙΟΥ
ΓΟΝΩ ΔΕ
ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΟΥ
ΘΟΡΙΚΙΟΥ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 419.

b. De Thria, & Thriasio campo, fuisse juxta Eleusinem, etiam observare licet apud Thucydidem, tribus locis, *lib.* II. & Aristidem, *Leuctrica* II. Erat porro templum ibi Veneris Philæ, ab Adimanto Lampsaceno ædificatum; a Demetrii, cujus adulator erat, matre Phila nuncupatum: item locus, Φιλαῖον dictus. Athenæus, *lib.* V. Τῶν δὲ Δημητρίȣ τȣ̃ βασιλέως κολάκων οἱ περὶ Ἀδείμαντον τὸν Λαμψακηνὸν νεὼν κατασκευασάμενοι, καὶ ἀγάλματα E ἱδρυσάμενοι, Θριᾶσιν, ὠνόμασαν Φίλας Ἀφροδίτης· καὶ τὸν τόπον Φιλαῖον ἐκάλεσαν, ἀπὸ τῆς Δημητρίȣ μητρὸς Φίλας. *Ex Demetrii regis adulatoribus Adimantus Lampsacenus cum ædificasset templum, & simulacra dedicasset, Veneris Philæ nominavit; & Philæum quoque locum, a Demetrii matre Phila*. Campo autem contra rubiginem Notus ventus, flans e mari, opem ferre putabatur. Aristoteles *Problem. Sect.* XXVI. *cap.* XVII. Οἱ δὲ ἐκ τῆς θαλάττης Νότοι, ἀγαθοὶ φυτοῖς, καὶ τῷ τῆς Ἀττικῆς Θριασίῳ πεδίῳ. αἴτιον δὲ ὅτι ἀπεψυγμένος ἀφικνεῖται. αἱ δὲ ἐρυσίβαι γίνονται ὑπὸ ὑγρότητος, θερμῆς μὲν, ἀλλοτρίας δέ. F *Ex mari flantes Noti, boni sunt plantis, & Atticæ Thriasio campo. Causa vero est, quod refrigeratus accedit: rubigines autem, ex humore nascuntur, calido quidem, sed alieno*. R. A.

ΘΡΙΩΝ.

Incertum cujus tribus. Nomen a Thriante accepit. Invenio apud Stephanum in Θρία. ἔστι δὲ καὶ δῆμος Θρίων, ἀπὸ Θρίαντος. *Est & populus Thrion, ab Thriante.*

ΘΥΜΟΙΤΑΔΑΙ.

Hippothoontidis tribus. Nomen habet a Thymœta heroe. *Harpocration.* Θυμοιτάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος, ἀπὸ Θυμοίτου τοῦ ἥρωος ὀνομασθεῖς. *Thymœtadæ, populus Hippothoontidis, ab Thymœta heroe vocatus. Suidas.* Θυμοίτης, ὁ τῶν Ἀθηναίων βασιλεύς. καὶ Θυμοιτάδαι. *Thymœtes, rex Atheniensium, & Thymœtadæ.* Meminit quoque *Schol. Aristophanis*, cujus verba statim proferam. Erat in Tetracomis Atheniensium. Pollux *lib.* IV. *cap.* XIV. ἐκ εἰδα ἔτι προσήκει ὑπὸ τοῖς Ἀθηναίοις Τετρακώμοις, οἳ ἦσαν Πειραιεῖς, Φαληρεῖς, Ξυπεταιόνες, Θυμοιτάδαι. *Ignoro an conveniat Athenarum Tetracomis, qui erant Piræenses, Phalerenses, Oxypeteones, Thymœtadæ.* Corrigendus est *Hesychius*. Θυμοιτάδης, δῆμος φυλῆς Ἱπποθοωντίδος τῆς Ἀττικῆς. *Thymœtades, populus tribus Hippothoontidis Atticæ.* Hodie editur, Θυμιοτάδες, δῆμος φ. Exagitabantur a Comicis Thymœtadæ, tanquam δικαστικοί. Apud *Etymologici Auctorem* in Δρυαχαρνεῦ. ἐκωμῳδοῦντο γὰρ οἱ Ἀχαρνεῖς, ὡς ἄγριοι καὶ σκληροί. Ποτάμιοι δὲ, ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράφους. Θυμοιτάδαι, καὶ Προσπάλτιοι, ὡς δικαστικοί. *Taxabantur enim in comœdiis Acharnenses, tanquam agrestes & duri. Potamii vero, tanquam facile admittentes factitios cives. Tymœtadæ, & Prospaltii, tanquam ad judicandum proclives.* Ita correxeram, cum & Sylburgio doctissimo monitum video. Totidem verbis *Suidas* in Δρυαχαρνεῦ. Apud Plutarchum *Theseo*. αὐτὸς ναυπηγίαν ἐπεβάλετο, τὴν μὲν ἐν Θυμαιταδῶν αὐτόθι μακρὰν τῆς ξενικῆς ὁδοῦ, τὴν δὲ διὰ Πιτθέως ἐν Τροιζῆνι. *Ipse navium fabricam tentavit; unam quidem in Tymœtadis ibidem loci procul publica via, aliam vero per Pittheа in Trœzene.* Scribendum est, ἐν Θυμοιταδῶν. Male item apud *Stephanum*. Θυματάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Θυματάδης. τὰ τοπικὰ, ἐκ Θυματαδῶν. *Thymœtadæ, populus Hippothoontidis tribus. popularis Thymœtades. Localia sunt, ex Tymœtadis.* Rescribe, Θυμοιτάδαι, Θυμοιτάδης, Θυμοιταδῶν. Apud Aristophanem *Vespis*, *v.* 933.

Ἐγὼ δ' ἐστιόρυν ᾤμην Θυμαιτίδα.
Ego gausapam arbitrabar Thymœtida.

Recte disputat de lectione *Scholiastes*. Θυμαιτίδα δὲ, ἀπὸ δήμου τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ἀπὸ Θυμοίτου ἥρωος. μή ποτε δὲ γραπτέον, Θυμοιτίδα. *Thymætida vero, a populo Hippothoontidis tribus, dictæ ab Thymœta heroe; nisi vero scribendum Thymœtida.*

ΘΥΡΓΩΝΙΔΑΙ.

Ptolemaidis tribus. *Suidas*. Θυργωνίδαι, δῆμος Πτολεμαΐδος φυλῆς. *Thyrgonidæ, populus Ptolemaidis tribus.* Primitus ad Æantidem pertinuit, sed translatio mox est facta. *Harpocration.* Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς, ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων. μετέθησαν, φησὶν, ἐξ Αἰαντίδος Ἀφιδναῖοι, Περσίδαι, Τιτακίδαι, Θυργωνίδαι. *Nicander Thyatirenus, in libro de populis. Translati sunt, inquit, ex Æantide, Aphidnæi, Persidæ, Titacidæ, Thyrgonidæ.* Sed is locus quomodo emendandus, vide Commentarium nostrum *in Harpocrationem*. Corrigendus est *Hesychius*. Θυργωνίδαι. δῆμος τῆς Αττικῆς. *Thyrgonidæ, populus Atticæ.* Non recte est in vulgatis, Θυργαρίδαι.

ΙΚΑΡΙΑ. sive ΙΚΑΡΙΟΣ.

Ægeidis tribus. Ab Icario Erigones patre nomen habet *Stephanus*. Ἰκαρία. δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Ἰκαρίου τοῦ πατρὸς Ἠριγόνης. ὁ δημότης, Ἰκαριεύς. *Icaria. populus Ægeidis tribus, ab Icario patre Erigones. Popularis, Icariensis. Hesychius.* Ἰκάριος, δῆμος Ἀθήνησι φυλῆς Αἰγηΐδος. *Icarius, populus Athenis tribus Ægeidis.* Corrigendus est *Porphyrius* περὶ ἀποχῆς, *lib.* II. αἶγα δ' ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Αττικῆς ἐχειρώσαντο πρῶτον, ὅτι ἄμπελον ἀπέθρισε. *Capram vero in Icario Atticæ occiderunt primum, quia vitem læserit.* Hodie editur, ἐν Ἰκάρῳ τῆς Α. Et observa, primum omnium capram illic ad sacrificia adhiberi cœptam, quod vitem læsisset. Erat autem inter montes Atticæ. Plinius *lib.* IV. cap. VII. *Montes (Atticæ) Brilessus, Ægilus, Icarius, Hymettus, Lycabetus.* Et Solinus *cap.* XIII. *Nec Atticos montes in partem tacebimus, est Icarius, est Brilessus, est Lycabetus.* Populares Ἰκαριεῖς dicebantur, ut apparet ex *citato* Stephani *loco*. *Harpocration.* Ἰκαριεύς. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους. δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος. *Icariensis. Isæus in oratione contra Elpagoram & Demophanem. Populus est tribus Ægeidis.* Mendum est apud Lysiam *in Orat.* κατὰ Ἀγοράτου. καὶ Ἱππίας μὲν ὁ Θάσιος, καὶ Ξενοφῶν ὁ Καριεὺς, οἱ ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἰτίᾳ τούτῳ ὑπὸ τῆς βουλῆς μετεπέμφθησαν, ὁ μὲν ἀπέθανον. *Et Hippias quidem Thasius, & Xenophon Cariensis, qui ob eandem culpam illi ab concilio transmissi sunt, siquidem mortui sunt.* Rescribendum censeo, Ξενοφῶν ὁ Ἰκαριεύς.

ΙΠΠΟΤΑΜΑΔΑΙ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Ἱπποταμάδαι, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἱπποταμάδης. τὰ τοπικὰ, ἐξ Ἱπποταμαδῶν, εἰς Ἱπποταμάδας, ἐν Ἱπποταμάδαις. *Hippotamadæ, populus Oeneidis tribus. Popularis Hippotamades. Localia, ex Hippotamadis, ad Hippotamadas, in Hippotamadis.* Sed corruptum nomen censeo; & scribendum. Ἱπποδαμειάδαι. Dicam, quod res est. Hippodamus Milesius, Euryboontis filius, Atheniensibus Piræum divisit, & in eo forum extruxit, quod ab ejus nomine Ἱπποδάμεια ἀγορὰ appellatum. Qua de re vide quæ notamus ad Harpocrationem *in ea voce*. Igitur ab Ἱπποδάμεια, qui inhabitarent, Ἱπποδαμειάδαι dicti.

ΙΣΤΙΑΙΑ.

Histiæa. Strabo, loco jam citato, ubi Oreum in coloniam populum hunc missum ait: Ἔνιοι δ' ὑπ' Ἀθηναίων ἀποικισθῆναί φασι τὴν Ἱστιαίαν, ἀπὸ τοῦ δήμου τῶν Ἱστιαιέων. ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ Ἐρετριέων, τὴν Ἐρετρίαν. Θεόπομπος δέ φησι, Περικλέους χειρωμένου τὴν Εὔβοιαν, τοὺς Ἱστιαιεῖς καθ' ὁμολογίας εἰς Μακεδονίαν μεταστῆναι· δισχιλίους δ' ἐξ Ἀθηναίων ἐλθόντας, τὸν Ὠρεὸν οἰκῆσαι, δῆμον ὄντα πρότερον τῶν Ἱστιαιέων. *Quidam ab Atheniensibus coloniam huc deductam tradunt, a populo Histiæensium; ut Eretriam, ab Eretriensium. Theopompus vero auctor est, postquam Eubœam Pericles subegisset, Histiæenses ex pacto in Macedoniam concessisse; duo autem Atheniensium millia Oreum in coloniam iviſſe, qui antea populus Histiæensis exstitissent.* Plutarchus *in Pericle*. Ἱστιαιεῖς δὲ πάντας ἀναστήσας ἐκ τῆς χώρας, Ἀθηναίους μόνους κατῴκισε. *Histiæensibus omnibus e regione ejectis, Athenienses solos in coloniam deduxit.* Mentio etiam hujus populi est apud Demosthenem, *Orat.*

in Lacritum : Πρὸς τοῖς δὲ ἐμαρτύρησεν Ἀχράδης Μνησονίδȣ Ἀχαρνεὺς, Σώςρατος Φιλίππȣ Ἱςιαιόθεν. *Præter hos testatus est etiam Achrades Mnesonidis Acharnensis, Sostratus Philippi Histiæensis.*

ʼΙ Τ Ε Α.

Acamantidis tribus. *Harpocration.* δῆμός ἐςι τ̃ Ἀκαμαντίδος Ἰτέα, ἀφʼ ἧς ὁ δημότης, Ἰτεαῖος. ὥς φησι Διόδωρος. *Populus est Acamantidis Itea, a qua popularis Itæus. Ut inquit Diodorus. Hesychius.* Ἰτέα, εἶδος δένδρȣ, ϗ δῆμος φυλῆς Ἀκαμαντίδος. *Itea, species arboris, & populus tribus Acamantidis.* Corrigendus est *Stephanus.* Ἰτέα, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἰτεαῖος. Ἀνδροτίων δὲ τρισυλλάβως ἔφη. *Itea, populus Acamantidis tribus. Popularis, Itæus. Androtion vero tribus syllabis effert.* Hodie vulgatur, ὁ δημότης Ἰταῖος. Androtion vero trisyllabice extulerat, ut ait, nempe Ἰταῖος. Apud *Suidam* confusus est verborum ordo. Ἰτέα, πόλις. ἀφʼ ἧς ὁ δημότης, Ἰτεαῖος. Ἰτεαὶ, πόλις. Ἰτέα, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος. ἀφʼ ἧς ὁ δημότης, Ἰτεαῖος. *Itea, urbs. A qua popularis, Itæus. Iteæ, urbs. Itea, populus Acamantidis. A qua popularis Itæus.*

Ι Ω.

Hujus mentionem invenio apud Scholiasten Aristophanis, *Ranis* : Συνήθές τε ȣ̓χ ȣ̃τω λέγειν ἐπὶ θεῶν, ἐκ Μελίτης· ἀλλʼ ὁ ἐν Μελίτῃ. ὡς καὶ, Ζεὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ· ἐπὶ δὲ ἀνθρώπων, ἐκ Μελίτης, ἐξ Ἰȣ̃ς, ἐκ Κολωνῶν. *Neque usitatum est sic dicere de Diis, Ex Melita, sed, in Melita. uti etiam, Jupiter in Olympia: de hominibus vero, ex Melita, ex Ione, e Colonis. Ranis* : Nisi quis legendum censeat; ἐκ Μελίτης, ἐξ Οἴȣ. *Ex Melita, ex Oeo.* Quod & ipse rectius puto. de Oeo vero populo, vide in Οἶον.

Ι Ω Ν Ι Δ Α Ι.

Tribus Ægeidis. *Stephanus.* Ἰωνίδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τ̃ Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἰωνίτης. *Ionidæ, populus Atticæ, Ægeidis tribus. Popularis. Ionides. Hesychius.* Ἰωνίδης, ἀπὸ δήμȣ. εἰσὶ γὰρ τινες Ἰωνίδαι φυλῆς Αἰγηΐδος. *Ionides, ab populo. Sunt enim quidam Ionidæ tribus Ægeidis* [2].

Κ Α Λ Η.

Incertæ tribus. Meminit Stephanus *in* Ἀγγελή. ὀξυνέται δὲ κατα δύο τρόπȣς. ὅτι δήμȣ ὄνομα, ὡς τὸ Περγασὴ, ϗ Καλή. *Acuitur autem duobus modis, quando est nomen populi, ut Pergase, & Cale* [3].

Κ Ε Ι Ρ Ι Α Δ Α Ι.

Hippothoontidis tribus. *Harpocration.* ὅτι Κειριάδαι δῆμός ἐςι τ̃ Ἱπποθοωντίδος, εἴρηκε Διόδωρος ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων. *Ceriadas populum esse Hippothoontidis, dixit Diodorus in libro de populis. Hesychius.* Κειριάδαι, δῆμος τῆς φυλῆς Ἱπποθοωντίδος. *Ceriadæ, populus tribus Hippothoontidis.* Corrigendus est *Stephanus.* Κειριάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Κειριάδης. *Ceriadæ populus Hippothoontidis tribus. Popularis, Ceriades.* Minus recte est in editis, Κειριάδα. *Suidas.* Κειριάδης. Ἱπποθοωντίδος. *Ceriades. Hippothoontidis.*

Κ Ε Ρ Α Μ Ε Ι Κ Ο Σ.

Geminus hoc nomine locus erat; in Urbe unus, alter extra Urbem. *Harpocration.* Δύο εἰσὶ Κεραμεικοὶ, ὡς ϗ ὁ ῥήτωρ φησὶν, ὁ μὲν ἔνδον ἐν τῇ πόλει, ὁ δὲ ἕτερος ἔξω τ̃ πόλεως. *Duo sunt Ceramici, ut etiam rhetor inquit, unus quidem interior in urbe, alter vero extra urbem.* Et testantur alii Grammatici. *Hesychius* inter cæteros. Κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεςήκασιν. εἰσὶ δὲ δύο Κεραμεικοί. ὁ μὲν ἔξω τείχȣς, ὁ δὲ ἐντός. *Ceramicus, locus Athenis, ubi meretrices prostabant. Sunt vero duo Ceramici; Unus quidem extra murum, alter intra.* Ait scorta illic prostitisse; sed non distinguit, intra Urbem ne, an extra. Et sic *Suidas.* Κεραμεικοί. δύο τόποι Ἀθήνησιν. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ εἱςήκεισαν αἱ πόρναι. *Ceramici. duo loca Athenis. In altero quidem stabant meretrices.* Sed sciendum, intra Urbem id fuisse. Diserte Scholiastes Aristophanis *ad Equites.* δύο δὲ οἱ Κεραμεικοὶ Ἀθήνησιν· ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω. ἔνθα ϗ τȣ̀ς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τȣ̀ς ἐπιταφίȣς ἔλεγον. εἰσὶ δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ςῆλαι. ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ τεθαμμένοις, ἔχȣσαι ἐπιγραφὰς πȣ̃ ἕκαςος τέθαπται. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ ἦσάν τε ϗ προεςήκεισαν αἱ πόρναι. *Duo autem sunt Ceramici Athenis: Unus quidem intra urbem, alter extra. Ubi etiam eos qui in bello occubuerunt sepeliebant publice, & orationes funebres habebant. Sunt autem hinc & inde columnæ, in illorum honorem, qui publice sepulti sunt, positæ, habentes inscriptiones, ubi quisque fuerit sepultus. In altero vero erant & prostituebantur meretrices.* Ergo certum, meretrices in Ceramico intra Urbem prostitisse. Et hunc ipsum intelligit Lucianus *in Meretriciis, in Dialogo Melissæ & Bacchidis.* ἄπιθι, φησι, πρὸς τ̃ ναύκληρον Ἑρμότιμον, ἢ τὰ ἐπὶ τῶν τοίχων γεγραμμένα ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἀνάγνωθι, ὅπȣ κατεςηλίτευται ὑμῶν τὰ ὀνόματα. τίνα Ἑρμότιμον; τίνα, ἔφην, ἢ ποίαν ςήλην λέγεις; *Abi, inquit, ad naucleru Hermotimum, vel ea, quæ in parietibus in Ceramico scripta sunt, lege, ubi incisa sunt vestra nomina. Quem Hermotimum? quem, inquam, aut qualem columnam dicis?* Ubi observa: meretricum illic & amatorum quoque nomina parietibus columnisque inscripta fuisse. Ad exitum hujus Ceramici erat τὸ Δίπυλον. Apparet ex verbis Plutarchi *in Sylla.* ἄνευ γὰρ τ̃ κατὰ τ̃ ἄλλην πόλιν ἀναιρεθέντων, ὁ περὶ τ̃ ἀγορὰν φόνος ἐπέσχε πάντα τ̃ ἐντὸς τȣ̃ Διπύλȣ Κεραμεικόν. *Absque enim illis qui ad aliam urbis partem sublati sunt, quæ circa forum facta cædes obtinuit omnem intra Dipylum Ceramicum.* Et illic scripta meretricum no-

1. Fuit tribus Acamantidis. Sed in antiquo marmore adscribitur tribui Antiochidi, ut videatur olim pertinuisse ad Acamantidem, sed postea translatam fuisse ad Antiochidem. Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 420.

2. Mulieris ex hac tribu meminit lapis Eleusinius.

ΛΥΣΙΚΡΑΤΗΣ ΑΝΑΞΟΝΟΣ
ΙΑΝΑΞΙΟΩΝΟΣ ΚΑΛΙΣΣΩ
ΩΝΑ ΜΑΤΗΡΑΝΕΘΗΚΕ

Ματὴρ pro Μητὴρ est secundum dialectum Atticam. Spon. *Itin. Tom.* 2. *pag.* 421.

3. Posset esse idem locus qui apud Athenæum vocatur καλὴ ἀκτὴ *pulchrum littus*, lib. VI. *Dipnosop.* nam locus ille maritimus habitabatur, quia loquitur de Cæcilio Rhetore, qui ibi natus est, quique librum edidit de bellis servilibus. Harpocration dicit Ἀκτὴν esse regionem maritimam Atticam. Spon. *Itin. Tom.* 2. *pag.* 421.

mina, quod statim dixi; Clare Lucianus ingerit *loco citato*. ἐγὼ δὲ ἐμεμνήμην, ὅτι κατὰ τοίχου τινὸς ἔλεγε καταγεγράφθαι τοὔνομα ἐν Κεραμεικῷ, ἔπεμψα οὖν Ἀκίδα κατασκεψομένην. ἡ δ' ἄλλο μὲν οὐδὲν εὗρε, τοῦτο δὲ μόνον ἐπιγεγραμμένον ἐσιόντων ἐπὶ τὰ δεξιὰ πρὸς τῷ Διπύλῳ, Μέλιττα φιλεῖ Ἑρμότιμον. καὶ μικρὸν αὖθις ὑποκάτω. ὁ ναύκληρος Ἑρμότιμος φιλεῖ Μέλιτταν. *Ego quidem memini, quod ad murum quemdam dixerit inscriptum esse nomen in Ceramico; misi igitur Acidem quæ videret. Illa vero aliud quidem nihil invenit, illud vero solum inscriptum quod est ingredientibus ad dextram juxta Dipylum, Melitta amat Hermotimum. Et paulum inde inferius. Nauclerus Hermotimus amat Melittam.* Nunc veniamus ad Ceramicum extra Urbem. Ejus meminit Thucydides *l.* VI. καὶ ὡς ἐπῆλθεν ἡ ἑορτὴ, Ἱππίας μὲν ἔξω ἐν τῷ Κεραμεικῷ καλουμένῳ μετὰ τῶν δορυφόρων διεκόσμει ὡς ἕκαστα ἐχρῆν τῆς πομπῆς προϊέναι. *Et quum venisset dies festus, Hippias quidem extra in Ceramico ita dicto cum hastatis ordinabat quomodo quæque oporteret in pompa procedere.* Et Plato *in Parmenide*. καταλύειν δὲ αὐτοὺς ἔφη ἐκτὸς τείχους ἐν Κεραμεικῷ. *Dissolvere vero illos inquit extra murum in Ceramico.* Illic sepeliri solebant qui in bello occubuissent. Vidimus in *verbis jam citatis* Hesychii, Suidæ, & Scholiastæ *Aristophanis*. Et signate quoque *Harpocration* de eo. ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον. *Ubi & illos qui in bello occubuerunt sepeliebant publice, & orationes funebres habebant.* Inde δημόσιον σῆμα appellat Thucydides *l.* II. τιθέασιν οὖν εἰς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως. *Posuerunt igitur ad publicum signum, quod est in pulcherrimo suburbio oppidi.* Ad quem locum Scholiastes, εἰς τὸ δημόσιον σῆμα, τὸ καλούμενον Κεραμεικόν. *In publicum signum, vocatum Ceramicum.* Sed in *illis* Thucydidis *verbis* etiam hoc observa mihi, suburbium fuisse, & quidem quod pulcritudine cætera omnia antecelleret. Quorumnam autem ibi sepulcra, particulatim, & prolixe, est videre apud Pausaniam *in Atticis*, ubi Academiam describit. Nullam quidem Ceramici mentionem ille facit, sed Academiam & Ceramicum eadem esse scire oportet; nosque id statim ostendemus. Porro ibidem certamen lampadum peragi solitum. *Suidas*. Κεραμεικὸς, τόπος τῆς Ἀττικῆς ὑψηλὸς, ὅπου ἐπετέλουν Ἀθηναῖοι κατ' ἔτος λαμπάδος χοροῦ ἀγῶνα. *Ceramicus, locus Atticæ altus, ubi celebrabant Athenienses singulis annis festum Lampadis chori certamen.* Et id λαμπὰς dicebatur. *Hesychius*. Λαμπάς. λαμπάδος ἀγών. *Lampas. Lampadis certamen.* Andocides *Orat. contra Alcibiadem*. καί τοι τυγχάνω νενικηκὼς εὐανδρίᾳ, καὶ λαμπάδι, καὶ τραγῳδοῖς. *Et contigit, ut victor fuerim per virtutem, & in Lampade, & Tragœdis.* Ita legendum illum locum moneo in Commentario in Harpocrationem *in εὐανδρίᾳ*. Arrianus *de Exped. Alexandri, l.* III. ἐνταῦθα θύσας τῷ πατρίῳ νόμῳ Ἀλέξανδρος, καὶ λαμπάδα ποιήσας, καὶ ἀγῶνα γυμνικόν. *Ibi cum sacrificasset patrio ritu Alexander, & lampada egisset, & certamen gymnicum.* Isæus *De Philoctem. hered.* τηλικοῦτος ὢν τετριηράρχηκεν, κεχορήγηκε δὲ τραγῳδοῖς, γεγυμνασιάρχηκε δὲ λαμπάδι. *Talis triremis præfectus, fuit & choragus tragœdorum, & præfuit exercitio in lampade.* Meminit hujus certaminis etiam Xenophon περὶ προσόδων, *p.* 929. *E.* & Pollux *l.* VIII. *c.* IX. Erat vero certamen id triplex; unumque Panathenæis, alterum Vulcanalibus, tertium Prometheis peragebatur. Schol. Aristophanis *ad Ranas*. ὁ τῆς λαμπάδος δ' ἀγὼν τρίτον Ἀθήνησιν ἤγετο κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια. *Lampadis certamen triplex Athenis celebrabatur, in Prometheis, Vulcanalibus, Panathenæis.* *Harpocration*. τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς Λαμπάδος, Παναθηναίοις, καὶ Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. *Tria agunt Athenienses festa Lampadis, in Panathenæis, & Vulcanalibus, & Prometheis.* Sacra vero singula diis festorum præsidibus, Minervæ, Vulcano, ac Prometheo. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas*. λαμπαδηδρομίαι δὲ γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως. *Lampadis autem cursus tres fiunt in Ceramico, Minervæ, Vulcani, Promethei,* Vide quoque Etymologici Auctorem *in* Κεραμεικός. Plato *de Rep. lib.* I. λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. *Lampas erit ad vesperam ab equis Divæ.* Minervam intelligit, cui ut proprium festum illud Panathenaicum, ita, quod tunc celebrabatur, lampadum certamen. Alterius, Vulcano sacri, meminit Herodotus *l.* VIII. καθάπερ Ἕλλησιν ἡ λαμπαδηφορία, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. *Quemadmodum Græcis lampadephoria, quam Vulcano celebrant.* Et certaturi, ex turri quadam, quæ in Ceramico, accensas faces accipiebant. Hinc Aristophanes *Ranis, v.* 129. *&c.*

ΗΡ. καθέρπυσόν νυν ἐς Κεραμεικόν.
ΔΙ. κᾆτά τι;
ΘΡ. ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον ὑψηλόν.
ΔΙ. τί δρῶ;
ΗΡ. ἀφιεμένην τὴν λαμπάδ' ἐντεῦθεν θεῶ.
κἄπειτ' ἐπειδὰν φῶσιν οἱ θεώμενοι
εἶναι, τότ' εἶναι καί συ σαυτόν.

Prorepe nunc in Ceramicum.
Quare?
Ascendens in turrim excelsam.
Quid agam?
Demittentem facem inde Deæ.
Deinde postquam jusserint spectatores
Demittere, tunc demitte tu teipsum.

Ubi *Schol.* Κεραμεικὸς δὲ τόπος Ἀθήνησιν, ὅπου συνετέλουν οἱ Ἀθηναῖοι κατὰ ἐνιαυτὸν λαμπαδοῦχον ἀγῶνα. πρὸς δὲ τῷ τόπῳ τούτῳ πύργον τινα ὑπάρχειν φασὶν, ἐφ' ὃν συμβουλεύει αὐτὸν ἀναβάντα θεωρεῖν τὴν λαμπάδα. *Ceramicus autem locus Athenis, ubi celebrabant Athenienses annuum Lampadis certamen. Ad locum vero illum turrim quandam exstare dicunt, in quam suadet eum ascendentem intueri lampada.* Dixi in Ceramico certatum; sed Promethea in Academia peragebantur. Clarum ex Pausania *in Atticis*; qui tradit, aram in Academia Promethei fuisse, unde accensas faces in urbem cursu deferebant. ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ, inquit, ἐστι Προμηθέως βωμός, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. *In Academia autem est Promethei ara. Et prospiciunt ab ea versus urbem qui tenent ardentes faces.* Solvam nodum, ne quid turbet. Academia, & Ceramicus, idem erant. *Hesychius*. Ἀκαδημία, λουτρὸν, ἢ πόλις. λέγεται δὲ γυμνάσιον Ἀθήνησιν ἀπὸ Ἀκαδήμου ἀναθέντος, καὶ τόπος. καλεῖται γὰρ οὕτως ὁ Κεραμεικός. *Academia, balneum, vel urbs. Dicitur autem gymnasium Athenis ab Academo qui id dedicavit, & locus. Vocatur enim hoc modo Ceramicus.* Et non Prometheus illic tantum colebatur, sed Minerva quoque, & Vulcanus: omnes lampadarii certaminis præsides dii uno eodemque in loco. Apollodorus *apud Schol. Sophoclis ad Oed. Col.* συντιμᾶται δὲ (ὁ Προμηθεὺς) καὶ ἐν Ἀκαδημίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιστος. καὶ ἐστιν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα καὶ ναὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. δείκνυται δὲ καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστι τύπος καὶ τοῦ Ἡφαίστου. πεποίηται δὲ, ὡς καὶ Λυσιμαχίδης φησὶν, ὁ μὲν Προμηθεὺς, πρῶτος καὶ πρεσβύτερος, ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων. ὁ δὲ Ἥφαιστος νέος, καὶ δεύτερος. καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐστιν ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος. *Una colitur autem (Prometheus) etiam in Academia*

A Minervæ, *sicut Vulcanus. Estque ipsi vetus statua & templum intra septum Deæ. Demonstratur quoque basis vetusta ad introitum, in qua Promethei effigies est & Vulcani. Factus autem est, ut Lysimachides etiam testatur, Prometheus primus & senior, in dextra sceptrum tenens. Vulcanus vero juvenis, & secundus. Araque ambobus communis est in basi expressa*. Ut vero singula singulis sacra, ita uni Pani universa. Accipio ex Libanii verbis, *Declam.* XV. μυδ' ὁράθω τοίνυν ὁ βωμὸς, μέχρις ἂν θεραπεύωνται Παναθηναίοις μὲν Ἀθηνᾶ, μυστηρίοις δὲ Δημήτηρ, τῇ λαμπάδι δὲ ὁ Πάν. *Neque videatur igitur ara, usque dum sacra fiant in Panathenæis quidem Minervæ, mysteriis vero Cereri, Lampade Pa-*B*ni*. Atque ut certamen triplex erat, sic tres numero qui certabant; certamen autem istud erat ut facem accensam in locum destinatum perferrent, nam cui exstingui illam contingeret, is victoria excidebat. Utrumque est animadvertere apud Pausaniam *loco citato*. τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην, ἐστὶν. ἀποσβεσθείσης δὲ, οὐδὲν ἔστι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ. δευτέρῳ δ' ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *Certamen vero est, ut simul in cursu servetur fax ardens. Si vero extincta fuerit, victoria prorsus deficit primum. Secundo autem pro illo adest. Sin autem neque huic ardeat, tertius est, qui teneat. Sin vero omnibus extinguatur, nemo est cui superest victoria.* Et currebant quidem pedibus; nisi quod Panathenæis postea etiam in equis cœperunt. Observo ex Platonis *verbis jam citatis*. ἄρα γε (ἦν δ' ὅς) οὐδ' ἴστε ὅτι λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ; ἀφ' ἵππων, ἦν δ' ἐγώ, καινόν γε τοῦτο. *Utique saltem dicebat ille neque novistis lampada futuram ad vesperam ab equis Deæ? ab equis, dicebam ego, novum quidem hoc*. Quia autem, ne facem exstinguerent nimia cursus agitatione, segnius interdum currebant, ea propter sese mutuo, risus excitandi causa, planis manibus verberabant. Atque inde verbera eo modo illata Κεραμεικαὶ πληγαὶ dicebantur. *Hesychius*. Κεραμεικαὶ πληγαί, πλατεῖαι. ἀγὼν γὰρ Ἀθήνησιν ἐντελὴς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, ἐν ᾧ τύπτουσι πλατείαις χερσὶ τοὺς μὴ τρέχοντας, καὶ τοὺς ἄλλους ἀγωνιστὰς, γέλωτος χάριν. *Ceramici ictus, lati. Certamen enim Athenis celebrabatur in Ceramico, quo verberant planis manibus eos qui non currunt, aliosque certatores, risus causa*. Schol. Aristophanis *ad Ranas*, *v.* 1097. *&c.* istis verbis.

——καθ' οἱ Κεραμῆς
Ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
Γαστέρα, πλευράς, λαγόνας, πυγήν.
Ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις.
Ὑποπερδόμενος
Φυσῶν τὴν λαμπάδ', ἔφευγε.
——*dein Ceramenses*
In portis feriebant ipsius
Ventrem, latera, ilia, nates.
Percussus vero planis manibus
Suppedens
Extinguens lampada, aufugit.

τὰς πλατείας, inquit, χερσὶ δηλονότι, ἢ μάστιξιν, ἢ οὕτω λεγομέναις Κεραμεικαῖς πληγαῖς τε καὶ πλατείαις. *Planis intellige manibus, aut flagellis, aut ita dictis Ceramicis ictibus qui planis manibus fiebant*. Qui victor evaserat, λαμπαδηφόρος dicebatur. *Hesychius*. λαμπὰς. λαμπάδος ἀγών. καὶ ὁ νικήσας λέγεται λαμπαδηφόρος. *Lampas. Lampadis certamen. & victor dicitur lampadifer*. Atque hæc de celeberrimo isto certamine. Porro in Ceramico: hoc extra Urbem,

Hecate quoque colebatur; vel Diana, ut alii volunt, Καλλίστη dicta. *Hesychius*. καλλίστη, ἡ θήρα τὸ πρότερον. καὶ ἡ ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἱδρυμένη Ἑκάτη, ἣν ἔνιοι Ἄρτεμιν λέγουσιν. *Pulcherrima, venatio primum. Ut & in Ceramico collocata Hecate quam quidam Dianam vocant*. Dixi extra Urbem fuisse; etsi Hesychius non significet: quippe luculentus auctor mihi Pausanias *in Atticis*, qui Dianæ attribuit, & in Academia collocat. ἐγγυτάτω δὲ Ἀκαδημία, χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου, γυμνάσιον δὲ ἐπ' ἐμοῦ. κατιοῦσι δ' ἐς αὐτὴν περίβολός ἐστιν Ἀρτέμιδος, καὶ ξόανα Ἀρίστης καὶ Καλλίστης. *Proxima autem Academia, ager quondam hominis privati, gymnasium vero meo tempore. Descendentibus vero ad illum occurrit septum Dianæ, & statuæ Optimæ & pulcherrimæ*. Atque ut ostendi, Academia, & Ceramicus extra Urbem unum erant. In trivio ejus colebatur Mercurius Τετρακέφαλος. *Hesychius*, Τετρακέφαλος Ἑρμῆς ἐν τῇ τριόδῳ τῇ Κεραμεικῷ ἵδρυτο. *Quadriceps Mercurius in trivio Ceramico dedicatus erat*. Qui autem Ceramicum inhabitabant, Κεραμεῖς dicebantur. Vides in verbis jam citatis Aristoph. *in Ranis*: ubi *Scholiastes*. Κεραμῆς. οἱ τὸν Κεραμικὸν οἰκοῦντες. δῆμος δὲ Ἀθηναίων. *Ceramenses. Qui Ceramicum incolunt, populus Atheniensium, Moschopulus* simpliciter dicit, C Κεραμεῖς, δῆμος ἐν Ἀθήναις, *Ceramenses, populus Athenis*. Occurrit apud Æschinem quoque *in Timarchum*. Γύλων ἦν ἐκ Κεραμέων. *Gylon erat ex Ceramensibus*. Et apud Diogenem Laertium *in Theophrasto*, *l.* V. *c.* LVII. Θήσιππος Θησίππου ἐκ Κεραμέων. *Thesippus Thesippi filius ex Ceramensibus*. Erat autem populus iste tribus Acamantidis. *Harpocration*. δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Ἀκαμαντίδος, Κεραμεῖς. *Populus est tribus Acamantidis, Ceramenses*. Nomen datum ab arte figulina, & sacris ibi fieri solitis Ceramo heroi. *Suidas*. δῆμός ἐστι τῆς Ἀκαμαντίδος οἱ Κεραμεῖς. εἴληφε δὲ τοὔνομα ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης, καὶ τοῦ θύειν Κεράμῳ τινὶ ἥρωϊ. *Populus est Acamantidis Ceramen-*D*ses dicti. Sortitus est hoc nomen ab figulina arte, & quod sacrificaverint Ceramo cuidam heroi*. Sed distinguendum esse existimo; & ut Ceramici duo, hic intra, ille extra Urbem: ita Urbano, nomen datum a Ceramo heroe; alteri, ab arte figulina. Inde conjecturam facio, quod Urbano Ceramum tribuat Pausanias *Atticis*. τὸ δὲ χωρίον ὁ Κεραμεικὸς, τὸ μὲν ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμου, Διονύσου τε εἶναι καὶ Ἀριάδνης καὶ τούτου λεγομένου. *Ager vero Ceramicus, nomen quidem habet ab Heroe Ceramo, & ipso Bacchi & Ariadnes dicto filio*.[1].

Κ Ε Φ Α Λ Η.

E Itidem tribus Acamantidis. *Suidas*. Κεφαλῆθεν, δῆμος Ἀκαμαντίδος ἡ Κεφαλή. *A Cephale, populus Acamantidis est Cephale. Harpocration*. Κεφαλή, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος. ἀφ' ἧς ὁ δημότης λέγεται Κεφαλῆθεν. *Cephale, populus Acamantidis. A qua popularis dicitur a Cephale*. Meminit Aristophanes *Avibus*, *v.* 417.

Ὁ πατὴρ ἄρα τῆς κορυδοῦ νυνὶ κεῖται τεθνεὼς Κεφαλῆσι.

Pater utique Corydi nunc sepultus est mortuus in Cephale.

F Ubi *Scholiastes*. προσέπαιξε τὸν δῆμον. Κεφαλὴ γὰρ δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Illusit populum. Cephale etiam populus Acamantidis tribus*. Erat illic templum Dioscurorum, ibique summa cum religione colebantur. Pausanias *in Atticis*. Κεφαλῆσι δὲ οἱ Διόσκουροι νομίζονται μάλιστα. μεγάλους γὰρ σφᾶς οἱ ταύτῃ θεοὺς ὀνομάζουσιν. *In Cephalis quidem Dioscuri colun-*

1. Κεραμεικὸς ὁ ἔξω, *Ceramicus exterior* etiamnum vocatur Keramaja. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 422.

præcipue. Magnos enim illos, qui in illa regione habitant, Deos vocant [1].

Κ Η Δ Α Ι.

Ignotæ tribus. Meminit Demosthenes *in Euergum*. ἣν μεμαρτυρήκασι προκαλέσασθαι πρὸς τῷ διαιτητῇ Πυθοδώρῳ ἐκ Κηδῶν παραδιδόναι ἕτοιμον εἶναι. *Quam testati sunt provocasse sub arbitratu Pythodori ex Cedis tradere paratam esse* [2].

Κ Η Τ Τ Ο Ι.

Leontidis tribus. *Harpocration*. Κηττοί. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικίου ἀργίας. δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος, ὡς Διόδωρος ὁ περιηγητής φησι. *Cetti. Lysias in oratione adversus Niciam de ignavia. Populus est Leontidis, ut Diodorus Periegetes inquit*. *Suidas*, Κηττοί, δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Cetti, populus Leontidis*. Hinc erat Eubulus Comicus. Anonymus *in Collect. Hist. in anno* I. *Olymp.* CI. Εὔβουλος Κήττιος Ἀθηναῖος, υἱὸς Εὐφράνορος, Κωμικός, ἤκμαζεν μεθόριος τῆς μέσης Κωμῳδίας καὶ παλαιᾶς. *Eubulus Cettius Atheniensis, filius Euphranoris, Comicus, floruit affinis mediæ Comœdiæ & veteri*. Vide *Suidam* quoque in Εὔβουλος.

Κ Η Φ Η Σ Ι Α.

Erechtheidis tribus. Popularis Κηφισιεὺς dicebatur. *Harpocration*. Κηφισιεύς, Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους. δῆμός ἐστι τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. *Cephesiensis, Isæus in oratione adversus Elpagoram & Demophanem. Populus est Erechtheidis tribus*. Hic degebat maxime Herodes Sophista. Philostratus *de Vita Sophist. lib.* II. διῃτᾶτο μὲν ὁ Ἡρώδης ἐν τῇ Ἀττικῇ παρὰ τοὺς φιλτάτους ἑαυτῷ δήμους, Μαραθῶνα, καὶ Κηφισίαν. *Degebat quidem Herodes in Attica, apud amicissimos sibi populos, Marathona, & Cephesiam*. Agellius *lib.* XVIII. *cap.* X. *In Herodis C. V. villam, quæ est in agro Attico, loco qui appellatur Cephisia, aquis & lucis & nemoribus frequentem, estu anni medio concesseram*. Vide eundem iterum *lib.* I. *cap.* 2. Meminit Cephisiæ etiam Diogenes Laertius *in Platone, lib.* III. *cap.* XLI. τὸ ἐν Ἡφαιστιαδῶν χωρίον, ᾧ γείτων Βορρᾶθεν ἡ ἐκ τοῦ Κηφισιᾶσιν ἱεροῦ. *Ager in Hephæstiadum terra, cui vicina est a borea via, quæ ducit ex Cephesiensium fano*. Isæus popularem nominat, *Orat.* περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου. Φιλοκτήμων γὰρ ὁ Κηφισιεὺς φίλος ἦν Χαιρεστράτῳ τούτῳ. *Philoctemon enim Cephesiensis amicus erat Chærestrato illi*. Et occurrit illic pluries. *Lysias* κατὰ Νικομάχου. Σάτυρος δὲ Κηφισιεὺς βουλεύων ἔπεισε τὴν βουλὴν δήσαντας αὐτὸν παραδοῦναι τῷ δικαστηρίῳ. *Satyrus vero Cephesiensis senator persuasit senatui ut ipsum ligantes traderent judicio* [3].

Κ Ι Κ Υ Ν Ν Α.

Tribus Acamantidis. Ac festum illic Apollinis agebatur. Aristophanes *Nubibus*, *v.* 134.

> Φείδωνος υἱὸς Στρεψιάδης Κικυννόθεν.
> *Phedonis filius Strepsiades a Cicynna*.

Ubi *Scholiastes*. Κικυννόθεν, ἀπὸ δήμου τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Κίκυννα. ἔνθα ἄγεται καὶ τὰ Ἀπολλώνεια. *A Cicynna, a populo Acamantidis tribus, Cicynna. Ibi etiam Apollinis festa celebrantur*. Lysias δημοσίων ἀδικημάτων. καὶ τὰ μὲν Σφηττοῖ ἤδη τρία ἔτη μεμίσθωκα, τὰ δὲ Κικυννοῖ καὶ τῆς οἰκίας ἐδικαζόμην τοῖς ἔχουσιν. *Et illa quidem Sphetti jam per tres annos conduxi, quæ vero a Cicynna & domus, addixi obtinentibus*. Et mox iterum. πρῶτον μέν, τοὺς μεμισθωμένους παρ' ἐμοῦ τὸ Σφηττοῖ, ἔπειτα τὸ Κικυννοῖ. *Primum quidem, conductos a me in Sphetto, dein quod in Cicynna*. Populares dicebantur Κικυννεῖς. Emendandus est *Hesychius*. Κικυννεῖς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Cicynnenses, populus Acamantidis tribus*. Hodie editur, Κικινεῖς. Et paulo ante. Κικίνης, δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Cicines, populus Acamantidis tribus*. Eodem modo rescribendum.

Κ Ο Θ Ω Κ Ι Δ Α Ι.

Cujus tribus, incertum. *Hesychius*. Κοθωκίδαι, δῆμος. *Cothocidæ, populus*. Æschines *in epistola ad Ctesiphontem*. ταῦτα δ' ἡμῖν ἔπεμψε, καὶ πυρῶν μεδίμνους, ὅσοις ἐγὼ μεδίμνοις οὐχ ὅπως ἐμαυτόν, ἀλλὰ καὶ πάντας Κοθωκίδας διαρκεῖν ἂν ἠδυνάμην. *Illa vero nobis misit, & tritici medimnos, quibus medimnis non utcunque meipsum, sed & omnes Cothocidas sustentare potueram*. Demosthenes *Orat.* περὶ στεφ. καὶ εἵλοντο τούς δε, Κηφισοφῶντα Κλέωνος Ἀναφλύστιον, Δημόκριτον Δημοφῶντος Ἀναγυράσιον, Πολύκριτον Ἀπημάντου Κοθωκίδην. *Et elegerunt quidem, Cephisephontem Cleonis filium Anaphlystium, Democritum Demophontis filium Anagyrasium, Polycritum Apemanti filium Cothocidem*. Hinc oriundus erat Æschines. Plutarchus *in ejus vita*. τὸν δὲ δῆμον Κοθωκίδης, οὔτε κατὰ γένος τῶν ἐπιφανῶν, οὔτε κατὰ

---

1. Cephale habebat templum Castoris & Pollucis. Basis statuæ Eleusine:

> ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗΙ
> ΗΙΕΡΑ ΓΕΡΟΥΣΙΑ Μ. ΑΥ
> ΡΗΛΙΟΝ ΛΙΘΟΦΟΡΟΝ ΠΡΟ
> ΣΔΕΚΤΟΝ ΠΙΣΤΟΚΡΑ
> ΤΟΥΣ ΚΕΦΑΛΗΘΗΝ ΠΡΕΣ
> ΒΕΥΣΑΝΤΑ ΠΡΟΙΚΑ ΤΙΜΗ
> ΘΕΝΤΑ ΔΕ ΥΠΟ ΘΕΟΥ
> ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΗ ΡΩΜΑ
> ΙΩΝ ΠΟΛΕΙΤΕΙΑ ΑΡΞΑΝ
> ΤΑ ΤΟΥ ΚΗΡΥΚΩΝ ΓΕ
> ΝΟΥΣ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
> ΡΑΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΕΥΣΕΒΕ
> ΙΑΣ ΕΝΕΚΑ
>
> ΑΤΤΙΚΟΣ ΕΥΔΟΞΟΥ ΣΦΗΤ
> ΤΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *pag.* 423.

2. Meursius ignorat cujus tribus sit. Sed in nostro marmore de tredecim tribubus ostenditur tribui Erechteidi istum populum accensum fuisse. ΕΚΚΗ sine difficultate explicantur ΕΚΚΗΔΩΝ, ut apud Demosth. *Orat. in Euergum* Πυθοδώρῳ ἐκ Κηδῶν. Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 424.

3. Retinet antiquum nomen etiam nunc. Quinque aut sex milliaria distat Athenis. Poeta Menandrus ibi erat natus, ut discimus ex inscriptione apud Gruter. *p.* DCCCCXVIII.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ ΚΗΦΗΣΙΕΥΣ, &c.

Titulus antiquus Athenis superest de Heracleone Cephisiensi:

> ΗΡΑΚΛΕΩΝ ΗΡΑΚΛΕΩΝΟΣ
> ΚΗΦΕΙΣΙΕΥΣ
> ΔΩΡΟΘΕΑ ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΜΥΡΡΙΝΟΥ
> ΣΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 425.

περιυσίαν χρημάτων. *Quod ad populum vero erat Cothocides, neque secundum genus illustrium, neque secundum abundantiam opum.*

ΚΟΙΛΗ.

Ignotæ tribus. Corrigendus est *Hesychius*. Κοίλη, δῆμος Αττικῆς. *Cœle, populus Atticæ*. Non recte editur, Κοιλὶς, δῆμος A. Meminit Æschines *in Ctesiph.* ἦν μὲν γὰρ ὁ τὸ ψήφισμα γράψας καὶ νικήσας, Αρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης, εἷς τῶν καταγαγόντων τὸν δῆμον. *Erat enim qui decretum scripsit & vicit, Archinus ex Cœle, unus qui deduxerunt populum.* Erat autem prope urbem; & sepulcrum illic Thucydidis. Marcellinus *in ejus vita*. ἔστι δὲ αὐτοῦ τάφος πλησίον τῶν πυλῶν, ἐν χωρίῳ τῆς Αττικῆς ὃ Κοίλη καλεῖται, καθά φησιν Αντυλλος, ἀξιόπιστος ἀνὴρ μαρτυρῆσαι, καὶ ἱστορίαν γνῶναι καὶ διδάξαι δεινός. καὶ στήλη δὴ, φησιν, ἕστηκεν ἐν τῇ Κοίλῃ, Θουκυδίδης Ολόρου Αλιμούσιος, ἔχουσα ἐπίγραμμα. *Est vero sepulcrum ipsius prope portas, in agro Atticæ qui Cœle vocatur, ut testatur Antyllus, vir fide dignus, & gravis in historiæ notitia & doctrina. Columna quoque, inquit, stetit in Cœle, habens inscriptionem, Thucydides Olori filius Alimusius.* Erant quoque monumenta Cimonia. Ecce apud eundem *Marcellinum*. πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα. *Ad portas vero Melitenses vocatas sita sunt in Cœle monumenta dicta Cimonia* [1].

[2] ΚΟΛΥΤΤΟΣ.

Hesychius. Κολυττὸς, ὄνομα δήμου. *Colyttus, nomen populi*. Erat autem tribus Ægeidis. *Harpocration*. δῆμός ἐστι τῆς Αἰγηίδος φυλῆς Κολυττός. *Populus est Ægeidis tribus Colyttus.* Corrigendus Alciphron *in Epistola Megaræ ad Bacchidem*. τοῖς Αλώοις δὲ ἐν Κολυττῷ ἑστιώμεθα παρὰ τῷ Θεττάλης ἐραστῇ. *Halois in Colytto excipimur epulo apud Thettales amatorem.* Male editur, ἐν Κολλυτῷ. Multa ubique occurit mentio. Confinis vero erat Melitæ, & columna distinguebatur. Strabo *lib.* I. μὴ ὄντων γὰρ ἀκριβῶν ὅρων, καθάπερ Κολυττοῦ καὶ Μελίτης, οἷον στηλῶν ἢ περιβόλων, τοῦτο μὲν ἔχειν φάναι ἡμᾶς, ὅτι, τοῦτο μέν ἐστι Κολυττὸς, τουτὶ δὲ Μελίτη. *Quum enim haud accurati sint termini, sicut Colytti & Melitæ, quemadmodum columnarum & septorum, illud quidem apparere nobis potest, quod hoc quidem sit Colyttus, illud vero Melita.* Hinc mense citius loqui pueri dicebantur. Tertullianus *de Anima*, *cap.* XX. *Thebis hebetes & brutos nasci relatum est. Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colyttum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua.* Itaque in deliciis pueri Colyttenses. Observo apud Philostratum, *Sophistarum l.* II. ubi Herodes inter cætera Alexandro eos donat. Locus est iste, *in Alexandro Sophista*. καὶ τὸν Ηρώδην ὑπερησθέντα τῷ ἐπαίνῳ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως γενόμενον, δοῦναι οἱ δέκα μὲν σκευοφόρα, δέκα δὲ ἵππους, δέκα δὲ οἰνοχόους, δέκα δὲ σημείων γραφέας, τάλαντα εἴκοσι χρυσοῦ, πλεῖστον δὲ ἀργύριον, δύο δὲ ἐκ Κολυττοῦ παιδία ψελλιζόμενα, ἐπειδὴ ἤκουσεν αὐτὸν χαίροντα νέαις φωναῖς. *Tum Herodem laude hac supra modum gavisum, & suæ naturæ obsecutum, dedisse illi decem jumenta, & decem equos, & decem pincernas, decem imaginum pictores, viginti talenta auri, multum vero argentum, duos ex Colytto pueros balbutientes, quia audiverat ipsum delectari novis vocibus.* Æschines annos totos XLV. illic habitavit. Ipse testatur *in Epistola quadam ad Ctesiphontem*. ὅταν δ' αὖ πάλιν ὑπέλθῃ μοι λογισμός τε καὶ γνώμη τῶν αὐτόθι, οὐχ ἑταίρων μόνον, ἀλλὰ καὶ συγγενῶν, καὶ ἐκκλησίας, καὶ Κολυττοῦ, ἐν ᾧ πέντε καὶ τετταράκοντα ἔτη ᾤκησα. *Quum vero rursus mihi subiret ratiocinium & sententia eorum, quæ ibi sunt, non sodalium modo, sed & cognatorum, & concionis, & Colytti, ubi quinque & quadraginta annos habitavi.* Hinc emendandus locus *Harpocrationis* in Ισχανδρος. δοκεῖ δ' αὐτῷ συνυποκρινόμενος Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ ἐν Κολυττῷ καταπεσεῖν, καθὰ φησι Δημοχάρης ἐν τοῖς Διαλόγοις. *Videtur autem Æschines rhetor cum ipso histrionem agens in Colytto cecidisse, ut inquit Demochares in Dialogis.* Hodie editur, ἐν Καλύπτῳ. In Ald. edit. erat, ἐν Καλύττῳ. Æschines cum Ischandro aliquando in Colytto, ubi habitabat, histrionem agens, cecidit. Id hoc loco annotaverat *Harpocration*. Et ecce idem apud Apollonium Grammaticum *in Æschinem*. ἔπειτα ἀποστὰς τούτου, τριταγωνιστὴς ἐγένετο Τραγῳδιῶν, καὶ ἐν Κολυττῷ ποτὲ Οἰνόμαον ὑποκρινόμενος, κατέπεσε. *Postea ab eo desistens, actor tragicus factus est tertiarum, & in Colytto quandoque Oenomaum agens cecidit.* In hoc populo natus Plato. Diog. Laertius *in ejus vita lib.* III. *cap.* III. ἦν δὲ τῶν δήμων Κολυττεὺς, ὥς φησιν Αντιλέων ἐν δευτέρῳ περὶ χρόνων. *Erat quod ad populos Colyttensis, ut habet Antileon in secundo de temporibus.* Ita enim scribendum ibi, non Κολλυτεύς. Etiam Timon μισάνθρωπος. Lucianus *in Dialogo cognomine*. ὦ πάτερ, ἀγνοεῖς Τίμωνα τὸν Εχεκρατίδου, τὸν Κολυττέα. *O Pater an ignoras Timonem Echecratidæ filium, Colyttensem.* Porro erat & angiportus quidam hoc nomine in media Athenarum urbe, foro insignis. Himerius *in Eclog.* στενωπός τις ἦν Κολυττὸς οὕτω καλούμενος ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς πόλεως, δήμου μὲν ἔχων ἐπώνυμον, ἀγορᾶς δὲ χρείᾳ τιμώμενος. *Angiportus quidam erat Colyttus, ita vocatus in medio urbis, a populo ejusdem nominis, fori vero usu honoratus.*

---

1. Est proxime Athenas. Meursius ejus tribum ignorat. In nostro marmore dicitur fuisse sub tribu Hippothoontide. In illo enim legitur ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΕΚΚΟΙ. Concise pro ΕΚ ΚΟΙΛΗΣ, ut apud Æschinem in *Ctesiphonte* legitur integre: Αρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης. Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 426.

2. Abest quadrantem horæ Athenis. Meursius reprehendit Alciphronem, & Diogenem Laertium, quod hanc vocem scribant cum gemino Λ. & non cum uno, ut Hesychius, Æschines, & Strabo. Sed pro illa scriptura stant veteres lapides Athenienses:

Ο ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΤΩΝ ΕΦΕΒΩΝ
ΜΑΡΚΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΞΗΝΩΠ ΜΑΡΑ
ΘΩΝΙΟΣ ΚΑΙ Ο ΑΝΤΙΚΟΣΜΗΤΗΣ
ΟΦΙΛΛΙΟΣ ΑΡΙΣΤΩΝ ΚΟΛΛΥ
ΤΕΥΣ &c.

Alius ad Ilissum:

ΓΑΙΟΣ ΚΑΡΡΕΙΝΑΣ
ΔΙΟΥΜΗΔΗΣ
ΚΟΛΛΥΤΤΕΥΣ
ΚΑΡΡΕΙΝΑ
ΤΙΑ ΦΙΔΗΤΗ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 427.

Κ Ο Λ Ω Ν Ο Σ.

De Colono, cæterisque item populis, pridem mihi annotata heic refingam; & adjungam, quæ interea observavi. Erat autem iste duplex; unus intra Urbem, prope forum, ad Vulcani, & Eurysacis, fanum; & Ἀγοραῖος, item Μίσθιος: alter extra Urbem ad Neptuni erat: & Ἵππιος, Ἱππεὺς, ac Ἱππότης, dicebatur: atque in illo, mercenarii; in hoc, muliones soliti convenire. *Harpocration*: Κολωνίτας. Ὑπερίδης, ἐν τῷ Πρὸς Ἀπελλαῖον, περὶ τοῦ θησαυροῦ. Τοὺς μισθωτοὺς Κολωνίτας ὠνόμαζον, ἐπειδὴ παρὰ τῷ Κολωνῷ εἱστήκεισαν, ὅς ἐστι πλησίον τῆς ἀγορᾶς, ἔνθα τὸ Ἡφαίστειον, καὶ τὸ Εὐρυσάκειόν ἐστιν. ἐκαλεῖτο δὲ ὁ Κολωνὸς οὗτος, Ἀγοραῖος. ἦν δὲ καὶ ἕτερος Κολωνὸς, πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερὸν, ὡς Ὑπερίδης, ἐν τῷ Κατ' Αὐτοκλέους. Οὗτος δ' ἂν εἴη ὁ τῶν ἱππέων. *Colonitas. Hyperides, in Oratione Adversus Apellæum, de thesauro: Mercenarios appellabant Colonitas, quia ad Colonum steterant, qui est prope forum, ubi Vulcani, & Eurysacis, fana exstant. Vocabatur autem hic Colonus, Forensis. Erat vero etiam alter Colonus, ad Neptuni templum, ut Hyperides, in Oratione Adversus Autoclem: Atque hic sit, quem nominabant Equitum.* Pollux, *lib.* VII. *cap.* XXIX. Δύο γὰρ ὄντων τῶν Κολωνῶν, ὁ μὲν, Ἵππιος ἐκαλεῖτο. οὗ μέμνηνται, ὡς Οἰδίποδος εἰς αὐτὸν καταφυγόντος· ὁ δὲ, ἐν τῇ ἀγορᾷ, παρὰ τὸ Εὐρυσάκειον· οὗ συνῄεσαν οἱ μισθαρνοῦντες. *Cum duo essent Coloni, ille, Equestris vocabatur; cujus meminerunt, ceu ad eum Oedipus olim confugerit: iste, in foro, juxta fanum Eurysacis; ubi conveniebant, qui mercede operas suas locabant. Etymologici Auctor* breviter utrumque recenset: Ἀθήνησι δὲ δύο Κολωνοί. Ἵππιος, καὶ Ἀγοραῖος. *Athenis vero duo sunt Coloni; Equestris, & Forensis.* Videndus quoque *Suidas*, in Κολωνίτας. Muliones autem solitos convenire ad Equestrem, docet Scholiastes Sophoclis, *Oed. Col.* ubi de eo agit. Καὶ αὐτοῦ οἱ ὀρεωκόμοι ἵστανται. *Et ibi stant muliones.* Et apposite; quippe ad Deorum templum, ipso cognomento suo patrocinium profitentium: erant enim illic fana Neptuni Ἱππίου, & Minervæ Ἱππίας, ut mox dicam. Prior Colonus, ut a foro, in quo erat Ἀγοραῖος, *Forensis*: ita quoque, a convenientibus illic mercenariis, Μίσθιος, *Mercenarius*, dictus. Scholiastes Aristophanis *Avibus*: Κολωνός ἐστιν ὁ ἕτερος, ὁ Μίσθιος λεγόμενος. *Colonus est alter, Mercenarius appellatus.* Ita enim ibi legendum; non, ὁ Μισθὸς λεγόμενος. *Merces appellatus.* Et ab isto mercenarii vicissim Κολωνῖται, *Colonitæ*, nuncupati. Est videre in Harpocrationis *verbis, jam citatis*. Τοὺς μισθωτοὺς Κολωνίτας ὠνόμαζον, ἐπειδὴ παρὰ τῷ Κολωνῷ εἱστήκεισαν. *Mercenarios appellabant Colonitas, quod nimirum ad Colonum constitissent.* Videndus quoque Suidas, *in* Κολωνίτας, & Jul. Pollux, *lib.* VII. *cap.* XXIX. Huc remittebantur etiam, qui ad opus faciendum sero accederent, ideoque novum sibi dominum quærere jubebantur, versu hoc proverbiali:

> Ὀψ' ἦλθες, ἀλλ' εἰς τὸν Κολωνὸν ἵεσο.
> *Sero venisti, sed in Colonum te conferto.*

In *Appendice Vaticana* Andreæ Schotti, viri præstantissimi, *Cent.* III. *Proverb.* XXIV. Ὀψ' ἦλθες, ἀλλ' εἰς τὸν Κολωνὸν ἵεσο. Ἐπὶ τῶν μισθωτῶν ἔλεγον. τοὺς γὰρ ἐπὶ τὸ ἔργον ὀψὲ ἐλθόντας, ἀπέλυον πάλιν ἐπὶ τὸ μισθωτήριον. τὸ δὲ. Κολωνός. *Sero venisti, sed in Colonum te conferto. In mercenarios dicebant. Nam, qui serius ad opus accederent, eos ad locum mercenariorum remittebant: iste autem, Colonus erat.* Occurrit idem apud Hesychium, *in* Κολωνὸς, & Ὀψ' ἦλθες. Hunc ipsum Colonum intelligi puto apud Terentium, *in Andria Act.* II. *Sc.* II. *v.* 18. *&c.*

> *Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.*
> *Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.*
> *Circumspicio. Nusquam.* ——

Nam Κολωνὸς, ut notum, significat tumulum, & editiorem locum. Heic fuisse etiam censeo donarium Metonis astrologicum, de quo Suidas, in Μέτων. Καλλίστρατος δὲ φησὶν, ἐν Κολωνῷ εἶναι αὐτοῦ (τοῦ Μέτωνος) ἀνάθημά τι ἀστρονομικόν. *Callistratus vero ait, in Colono esse ipsius (Metonis) donarium quoddam astronomicum.* Quæ habes etiam totidem verbis apud Scholiasten Comici, *Avibus*. Fons quoque illic, ab eodem factus. Suidas, *loco jam citato*: Ἐν τῷ Κολωνῷ κρήνην τινὰ (ὁ Μέτων) κατεσκευάσατο, φησὶν ὁ Φρύνιχος Μονοτρόπῳ. *In Colono fontem quendam (Meton) fecit, ut ait Phrynichus in Monotropo.* Ad Colonum Equestrem quod attinet, huc confugit olim Oedipus. Pausanias, *Atticis*: Δείκνυται δὲ καὶ χῶρος, καλούμενος Κολωνὸς Ἵππιος. ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα. *Ostenditur vero etiam locus, quem Colonum Equestrem dicunt; quo primum in Attica Oedipodem venisse ajunt.* Scholiastes Homeri, *ad Odyss.* λ'. Ὁ δὲ Οἰδίπους, ἐκπεσὼν ὑπὸ Κρέοντος, ἦλθεν εἰς τὴν Ἀττικὴν, καὶ ᾤκησεν Ἱππέα Κολωνὸν καλούμενον. *Oedipus, a Creonte ejectus, in Atticam venit, habitavitque in Colono, quem Equestrem appellabant.* Exstatque in hanc rem fabula Sophoclis, Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ. Juxta, hortus erat; in quo Plato aliquando philosophatus. Diogenes Laertius, in ejus Vita, *l.* III. *c.* V. Ἐφιλοσόφει δὲ τὴν ἀρχὴν ἐν Ἀκαδημίᾳ. εἶτα ἐν τῷ κήπῳ, τῷ περὶ τὸν Κολωνό. *Philosophabatur initio in Academia; postea vero in horto, qui erat juxta Colonum.* Erat vero extra Urbem, ad stadia præter propter decem; & Neptuni templum habebat. Thucydides, *l.* VIII. Ἔπειτα, ἐπειδὴ ἡ ἡμέρα ἐφῆκε, ξυνέλεξαν τὴν ἐκκλησίαν εἰς τὸν Κολωνόν. ἔστι δὲ ἱερὸν Ποσειδῶνος, ἔξω τῆς πόλεως, ἀπέχον σταδίους μάλιστα δέκα. *Deinde, cum advenisset dies, conventum indixerunt, ad Colonum. Est vero Neptuni fanum, extra Urbem, distans circiter stadiis decem.* Sed corruptus necessario iste locus. Ecce enim; a Dipylo, sive porta Ceramici, ad Academiam, stadia sex duntaxat erant. Clare Cicero, *de Fin. l.* V. *c.* I. *Constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academiam; maxime, quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. Cum autem venissemus in Academiam, non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat, quam volueramus.* Atqui Colonus iste erat inter Dipylum, & Academiam. Liquet ex sequentibus illis verbis *Ciceronis*: *Me ipsum, huc modo venientem, convertebat ad sese Colonus; ille locus, cujus incola Sophocles ob oculos versabatur.* Restituendum ergo censeo; ἀπέχον σταδίους μάλιστα δ'. *Distans stadiis circiter quatuor.* Et hoc vero magis simile. Sequitur enim apud Thucydidem, *in citato statim loco*: Καὶ ἔκλῃσαν οἱ ξυγγραφεῖς. Conjectura est, illud καὶ cum adhæsisset literæ δ. numeri quaternarii notæ, hinc librarios, minime animum attendentes, istud δέκα effinxisse. De Neptuni autem templo, cujus mentio in Thucydidis *illis verbis*, etiam *Harpocration* loquitur: Ἦν δὲ καὶ ἕτερος Κολωνὸς, πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν. *Erat vero etiam Colonus alter, ad Neptuni templum.* Idque erat, sine dubio, τοῦ Ἱππίου cognomento; plane ut Colonus ipse Ἵππιος dictus. Et diserte Sophoclis Scholiastes dicit, *ad Oed. Col.* Ὁ Κολωνὸς, Ἱππεὺς ἐλέγετο. καὶ Ποσειδῶν, καὶ Ἀθηνᾶ, αὐτόθι Ἵππιοι. *Colonus, Equestris dicebatur; & Neptunus, ac Minerva, ibi Equestres.* Erat Cereris præterea, & Minervæ Πολιούχου, item Jovis. Scholiastes Homeri, *ad*

ad Odyss. λ'. Ηλθεν εἰς τ̃ Αττικὴν, ϗ ᾤκησε τ̃ Ιππεία Κολωνὸν καλέμενον. ϗ ἱκέτευσεν ἐν τῷ ἱερῷ τ̃ θεῶν Δήμητρος, ϗ Πολιέχε Αθηνᾶς, ϗ Διός. *Venit in Atticam, & Colonum, quem Equestrem appellabant, habitavit: ac supplicavit in fano Dearum Cereris, & Minervæ Urbis præsidis, atque Jovis.* Ad Minervam vero quod attinet, etiam hæc Ιππία dicta, pariter ac Neptunus Ιππιος. Scholiastes Sophoclis, *in citatis ante verbis*: Ο Κολωνὸς, Ιππεὺς ἐλέγετο. καὶ Ποσειδῶν, ϗ Αθηνᾶ, αὐτόθι Ιππιοι. *Colonus, Equestris dicebatur; & Neptunus, ac Minerva, ibi Equestres.* Aram certe Neptuni τ̃ Ιππίε, & Minervæ τ̃ Ιππίας, Pausanias alibi memorat, *in Atticis*, ubi de Colono agit: Δείκνυσι δ' ἐν ϗ βωμὸν Ποσειδῶνος Ιππίε, ϗ Αθηνᾶς Ιππίας. (B) *Commemorant itaque etiam aram Neptuni Equestris, & Minervæ item Equestris*, Templum item erat Promethei, & Eumenidum. Scholiastes Sophoclis, *in Argumento Oed. Col.* Καί ἐστιν ἐν τῷ τεμένει τῷ σεμνῶν Εριννύων, ὅ ἐστιν ἐν τῷ καλεμένῳ Ιππίῳ Κολωνῷ, ὅτω κληθέντι, ἐπεὶ ϗ Ποσειδῶνός ἐστιν ἱερὸν Ιππίε, ϗ Προμηθέως. *Estque in fano venerandarum Eumenidum, quod est in Colono Equestri, ita dicto, quia illic etiam est Neptuni Equestris templum, & Promethei.* De Eumenidum templo, prodit item Apollodorus, *lib.* III. Παραγενόμενος δὲ (ὁ Οἰδίπες) σὺν Αντιγόνῃ τ̃ Αττικῆς εἰς Κολωνὸν, ἔνθα τὸ τῶ Εὐμενίδων ἐστὶ τέμενος, καθίζει ἱκέτης. (C) *Cum venisset autem (Oedipus) cum Antigona in Colonum Atticæ, ubi nunc est fanum Eumenidum, consedit supplex.* Et meminit vetus Interpres Statii Lutatius, *Theb.* XII. *Oedipus, expulsus Creontis imperio, confugit* ἐπὶ Κολωνῷ, *in quo locus erat, Furiis conservatus.* Heroa quoque illic structa Pirithoo, Theseo, Oedipo, Adrasto. Pausanias, *in Atticis*, ubi de Colono hoc agit: Ηρῷον δὲ (ἐν τῷ Ιππίῳ Κολωνῷ) Πειρίθου, ϗ Θησέως, Οἰδίποδός τε ϗ Αδράσε. *Heroum vero est (in Colono Equestri) Pirithoi, ac Thesei, Oedipique, & Adrasti.* (A) Denique & metalla æris ibi erant, ut argenti in Laureo, de quibus alibi a me dictum; unde Χαλκόπες ὀδὸς, *Æripes via*, apud Sophoclem, *Oed. Col. v.* 55. *&c.*

—— Ον δ' ἐπιστείβεις τόπον,
Χθονὸς καλεῖται τ̃ δε Χαλκόπες ὀδὸς,
Ερεισμ' Αθηνῶν· οἱ δὲ πλησίοι γύαι,
Τόνδ' ἱππότην Κολωνὸν εὔχονται σφίσιν
Αρχηγὸν εἶναι. ——

—— *Quem vero calcas locum,*
Terræ vocatur hujus Æripes via,
Fulcrum Athenarum: vicina autem arva,
Hunc Equestrem Colonum gloriantur sibi
Principem esse.

Ubi *Scholiastes*: Οὕτως δὲ ἐκαλεῖτο, διὰ τὸ εἶναι μέταλλα χαλκε ἐν Κολωνῷ, *Ita nuncupabatur, quod metalla æris in Colono essent.* Meminitque iterum, *v.* 1585. *&c.*

Επεὶ δ' ἀφῖκτο τ̃ καταρράκτην ὀδὸν,
Χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐρριζωμένον,
Εστη κελεύθων ἐν πολυσχίστῳ μιᾷ.

Ut vero venit ad præruptam viam,
Æreis fundamentis subter fultam,
Constitit in via quadam multifida.

Porro ex Colono hoc Sophocles oriundus. *Suidas*: Σοφοκλῆς, Σοφίλε, Κολωνῆθεν, Αθηναῖος. *Sophocles, Sophili filius, e Colono oriundus, Atheniensis.* Et Scholiastes, *in ejus vita*: Εγένετο ἐν ὁ Σοφοκλῆς τὸ γένος Αθηναῖος, δήμε Κολωνῆθεν. *Erat itaque Sophocles genere Atheniensis, populo Colonensis.* Cicero *de Fin. lib.* V. *c.* I. *Me ipsum, huc modo venientem, convertebat ad sese Colonus; ille locus, cujus incola Sophocles ob oculos versabatur.* R. A. [1 a]

---

1. Fuerant duo Coloni, Κολωνὸς Ιππιος Equestris Collis, & Κολωνὸς Αγοραῖος Collis Mercaturæ. (D) Ad alterutrum Colonorum pertinet inscriptio Salaminia, quæ dedicata est Menecrati, & ejus filio Cononi.

μενεΚΡΑΤΗΣ
ΘΕΟΓΕΝΟΥ
κολωΝΗΘΕΝ

In eodem lapide:

ΚΟΝΩΝ
ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥ
ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 428.

a. Sub qua tribu, plane incertum. Meminit Aristophanes, *Avibus v.* 1004.

Σὺ δ' εἶ τίς ἀνδρῶν; ὅς τις εἰμ' ἐγώ; Μέτων.
Ον οἶδεν Ελλὰς χ' ὁ Κολωνός.
Tu vero quis vir es? quis sum ego? Meton.
Quem vidit Hellas & Colonus.

Ubi *Scholiastes*. Εὐφρόνιος δὲ, (φησὶ) ὅτι τ̃ δήμων ἦν ἐκ Κολωνε. τῦτο δὲ ψεῦδος. Φιλόχορος δὲ, Λευκονέα φησὶν αὐτόν. *Euphronius vero (inquit) quod secundum populos fuerit e Colono. Sed illud est mendacium. Philochorus autem Leuconensem eum perhibet.* Et mox iterum. ὅτι δὲ Κολωνὸς ἦν τῷ δήμῳ, ψεῦδος. *Quod populo Colonus fuerit, mendacium est.* Demosthenes *Orat. in Neæram*, ὡς Φιλόστρατον δὲ τὸν Κολωνῆθεν, ᾔδειν ἔτι ὄντα, ϗ φίλον αὐτῷ, καθίστησιν ὁ Λυσίας αὐτάς. *Ad Philostratum qui a Colono, quum esset adhuc juvenis, & amicus ipsi, commendat Lysias ipsas.* Et mox: Φιλόστρατος Διονυσίε Κολωνῆθεν μαρτυρεῖ εἰδέναι. *Philostratus Dionysii filius a Colono testatur se nosse.* Sed duo erant apud Athenienses Κολωνοὶ; unus, intra Urbem: alter, extra eam. Qui intra Urbem; in foro erat, prope Vulcani & Eurysacis fanum, & Αγοραῖος: alter Ιππιος, Ιππεὺς, & Ιππότης dicebatur: atque in illo mercenarii, in hoc muliones conveniebant. *Harpocration.* Κολωνίτας. Υπερίδης ἐν τῷ πρὸς Απελλαῖον περὶ τε θησαυροῦ· τὲς μισθωτὲς Κολωνίτας ὠνόμαζον, ἐπειδὴ παρὰ τῷ Κολωνῷ εἱστήκεισαν, ὅς ἐστι πλησίον τ̃ ἀγορᾶς, ἔνθα τὸ Ηφαιστεῖον, (E) ϗ τὸ Εὐρυσάκειόν ἐστι. ἐκαλεῖτο δὲ ὁ Κολωνὸς ὗτος ἀγοραῖος. ἦν δὲ ϗ ἕτερος Κολωνὸς, πρὸς τὸ τε Ποσειδῶνος ἱερὸν, ὡς Υπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέυς. ὗτος δ' ἂν εἴη ὁ τῶ ἱππέων. *Colonitas. Hyperides in oratione adversus Apellæum de thesauro. Mercenarios Colonitas vocabant, quoniam ad Colonum steterant, qui est juxta forum, ubi Vulcani templum & Eurysacis est. Vocabatur vero Colonus hic forensis. Fuit & alius Colonus, ad fanum Neptuni, ut habet Hyperides in oratione contra Autoclem. Hic autem fuerit Equitum.* Pollux *lib.* VII. *cap.* XXIX. δύο γὰρ ὄντων τῶ Κολωνῶν, ὁ μὲν Ιππιος ἐκαλεῖτο. ὗ μέμνηνται, ὡς Οἰδίποδος εἰς αὐτὸ καταφυγόντος. ὁ δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸ Εὐρυσάκειον· ὗ συνίεσαν οἱ μισθαρνοῦντες. (F) *Duo enim quum sint Coloni, unus quidem Equestris vocabatur; cujus meminerunt, quod Oedipus ad illum confugerit: Alter vero in foro ad Eurysacis fanum. Quo conveniebant mercenarii. Etymologici Auctor* breviter utrumque recenset. Αθήνησι δὲ δύο Κολωνοί. Ιππιος, ϗ Αγοραῖος. *Athenis erant duo*

ΚΟΝΘΥΛΗ.

Tribus Ptolemaidis, vel, ut alii, Pandionidis. Aristophanes *Vespis*, *v.* 233.

Ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν.

O Strymodore Conthylensis, optime simul judicum.

Ubi *Scholiastes*. Κονθύλη, δῆμος Ἀττικῆς τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, ἢ Πανδιονίδος. *Conthyle, populus Atticæ Ptolemaidis tribus, vel Pandionidis.*

ΚΟΡΥΔΑΛΛΟΥ.

Tribus Hippothoontidis. *Stephanus*. Κορυδαλλὸς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Κορυδαλλεύς. *Corydallus, populus Hippothoontidis tribus. Popularis Corydallensis. Hesychius.* Κορυδαλλὸς, πτηνὸν ζῶον, καὶ δῆμος τῆς Ἀττικῆς. *Corydallus volucre animal, & populus Atticæ.* Celebris fuit diversa perdicum voce; qui Athenas versus κακκαβάζειν, ulterius τιττυβίζειν dicebantur. Docet ex Theophrasto Athenæus *lib.* IX. Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν, οἱ Ἀθήνησι φησὶ πέρδικες ἐπὶ τάδε τοῦ Κορυδαλλοῦ πρὸς τὸ ἄστυ κακκαβίζουσιν. οἱ ἐπέκεινα, τιττυβίζουσιν. *Theophrastus igitur in libro de varia voce animalium congenerum, scribit, perdices Athenis citra loca Corydalli, apud urbem caccabant. Qui vero ultra tittubant.* Popularis dicebatur Κορυδαλλεύς. ut vidimus in *citatis* Stephani *verbis*. Ælianus *in Epistola quadam Eupithidis ad Timonidem*. καὶ γὰρ ἂν εἰκότως μοι στενάξαι τὰ τῶν προγόνων ἠρία, εἰ Εὐπειθίδης ὁ Κορυδαλλεὺς ἐμαυτὸν περιόψομαι προσηλωμένον, καὶ ταῦτα ὑπ' ἀνδραπόδου ἴσως δυεῖν μναῖν ἀξίου. *Etenim merito mihi ingemiscere sepulchra majorum, si Eupithides Corydallensis me negligam adfixum, idque ab servo forsan duarum minarum.* Strabo *lib.* IX. ὑπὲρ δὲ τῆς ἀκτῆς ταύτης, ὄρος ἐστὶν ὃ καλεῖται Κορυδαλλὸς, καὶ ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλλεῖς. *Supra vero littus hoc, mons est qui vocatur Corydallus, & populus Corydallenses.*

ΚΡΙΩΑ.

Antiochidis tribus. Nomen accepit a Crio quodam. Emendandus est Schol. Aristophanis *Avibus*. Κριῶα, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, ἀπὸ Κριοῦ τινος ὠνομασμένος. *Crioa, populus Antiochidis tribus, ab Crio quodam denominatus.* Hodie editur, Κειὸς, δῆμος τ. Α. φ. Eodem mendo laborat *Suidas*. Κειὸς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. *Crius populus Atticæ.* Rescribe, Κριῶα. Corruptior paullo *Hesychii* locus. Κειόθεν, ἀπὸ δήμου. ἔστι γὰρ ὁ Κειωθεὺς δῆμος φυλῆς τῆς Ἀντιοχίδος. *A Crioa, a populo. Est enim Criothensis populus tribus Antiochidis.* Restitue Κριῶθεν, ἀπὸ δήμου. ἔστι γὰρ ὁ Κριωεὺς δῆμος, φυλῆς τῆς Α. *Harpocration.* δῆμός ἐστι τῆς Ἀντιοχίδος Κριῶα. *Populus est Antiochidis Crioa. Stephanus.* Κριῶα, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. *Crioa, populus Antiochidis.* Adverbia loci erant Κριῶθεν, Κριῶαζε, Κριῶασι. Ut est videre apud *Stephanum*. Vel pro Κριῶθεν dicebant etiam Κριωόθεν; unde alterum illud contractum. Itaque corrigendus Suidas *loco jam citato*. καὶ Κριωόθεν ἐπίρρημα, ἢ Κριῶθεν. *Ab Crioa adverbium, vel a Crio.* Non rectum est, quod hodie editur, καὶ Κειόθεν ἐπίρρημα, ἢ Κειῆθεν. *Et a Crio adverbium, vel Cria.*

Coloni, Equestris & Forensis. Videndus quoque Suidas *in* Κολωνέτας. Urbanus Κολωνὸς ut a foro, in quo erat, Ἀγοραῖος, ita quoque, a convenientibus illic mercenariis, Μίσθιος nuncupabatur: eratque retro porticum longam. Schol. *Aristophanis ad Aves*. Κολωνός ἐστιν ὁ ἕτερος, ὁ Μίσθιος λεγόμενος, οὕτω μέρος τι νῦν σύνηθες γέγονε τὸ Κολωνὸν καλεῖν, τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς. *Colonus est alter, Mercenarius dictus; ita partem quandam nunc mos est Colonum vocare, retro porticum longam.* Ita enim ibi legendum, non, ὁ μισθὸς καλούμενος. Et ab hoc mercenarii Κολωνῖται dictitati. Pollux *loco citato*. οἱ δὲ καὶ προωνίκους τοὺς μισθωτοὺς οἱ νέοι κωμῳδιδάσκαλοι ἐκάλουν. τὸ δὲ ὄνομα Βυζαντίων ἦν, ὅθεν καὶ Βυζαντίους αὐτοὺς ἀπεκάλουν. οἱ δὲ, Κολωνίτας. ὡς Ὑπερίδης. *Bajulos vero mercenarios novi Comici vocabant. Nomen vero Byzantiorum erat, unde & Byzantios ipsos appellabant. Alii vero, Colonitas, uti Hyperides.* Ad Colonum extra Urbem Oedipus confugit, meminitque Pausanias *in Atticis*. δείκνυται δὲ καὶ χῶρος καλούμενος Κολωνὸς Ἵππιος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα. *Monstratur quoque ager vocatus Colonus Equestris, ubi in Attica primum venisse dicunt Oedipum.* Schol. *Homeri ad Iliad.* λ'. ὁ δὲ Οἰδίπους ἐκπεσὼν ὑπὸ Κρέοντος ἦλθεν εἰς τὴν Ἀττικὴν, καὶ ᾤκησεν Ἱππέα Κολωνὸν καλούμενον. *Oedipus, a Creonte ejectus, venit in Atticam, & inhabitavit Equestrem Colonum dictum.* Juxta hortus erat. Mentio ejus apud Diog. Laertium *in Platone*, *lib.* III. ἐφιλοσόφει δὲ τὴν ἀρχὴν ἐν Ἀκαδημίᾳ, εἶτα ἐν τῷ κήπῳ τῷ παρὰ τὸν Κολωνόν. *Philosophabatur initio in Academia, postea in horto, qui erat juxta Colonum.* Aberat ab Urbe decem præter propter stadia, & Neptuni templum habebat. Thucydides *lib.* VIII. ἔπειτα, ἐπειδὴ ἡ ἡμέρα ἐφῆκε, ξυνέλεξαν τὴν ἐκκλησίαν εἰς τὸν Κολωνόν. ἔστι δὲ ἱερὸν Ποσειδῶνος ἔξω τῆς πόλεως, ἀπέχον σταδίους μάλιστα δέκα. *Deinde, postquam dies advenerat, congregarunt concionem ad Colonum. Est vero Neptuni fanum, extra urbem, distans stadiis circiter decem.* Harpocration *loco citato*. ἦν δὲ καὶ ἕτερος Κολωνὸς πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν. *Erat vero etiam alter Colonus, ad Neptuni fanum.* Erat autem id Neptuni templum sine dubio τοῦ Ἱππίου, plane quemadmodum Colonus ipse Ἵππιος vocabatur. Etiam Veneris τῆς Ἱππίου ibidem templum. Schol. *Sophoclis in Oed. Col.* ὁ Κολωνὸς, Ἱππεὺς ἐλέγετο. καὶ Ποσειδῶν καὶ Ἀθηνᾶ αὐτόθι Ἵππιοι. *Colonus, Equestris dicebatur. Et Neptunus ac Minerva ibi Equestres.* Item Promethei, & Eumenidum. Idem Scholiastes *in Argumento ejusdem Tragœdiæ*. καὶ ἔστιν ἐν τῷ τεμένει τῶν σεμνῶν Ἐρινύων, ὅ ἐστιν τῷ καλουμένῳ Ἱππείῳ Κολωνῷ οὕτω κληθέντι. ἐπεὶ καὶ Ποσειδῶνός ἐστιν ἱερὸν Ἱππείου, καὶ Προμηθέως. *Estque in fano venerandarum Eumenidum, quod est in Equestri Colono ita dicto. quia & ibi Neptuni Equestris fanum est & Promethei.* De Eumenidum templo prodit etiam Apollodorus *lib.* III. παραγενόμενος δὲ σὺν Ἀντιγόνῃ (ὁ Οἰδίπους) τῆς Ἀττικῆς εἰς Κολωνὸν, ἔνθα τὸ τῶν Εὐμενίδων ἐστὶ τέμενος, καθίζει ἱκέτης. *Cum autem venisset (Oedipus) cum Antigona in Atticæ Colonum, ubi est Eumenidum fanum, considet supplex.* Et meminit vetus Statii *Interpres Lutatius Theb.* XII. *Oedipus expulsus Creontis imperio confugit* ἐπὶ Κολωνῷ, *in quo locus erat Furiis consecratus, sed misericordia Atheniensium illa sede est erutus, hospitaliterque tractatus. Hanc Tragœdiam Aristophanes scripsit.* Sed mendosus in fine locus, & sine dubio rescribendum, *Hanc Tragœdiam Sophocles scripsit.* Res notissima, nec firmamento aliunde opus. Dixi vero, solitos illic convenire muliones, dominum quærentes, quomodo in Urbano mercenarios. Idque docet *loco citato* Scholiastes Sophoclis, istis verbis. καὶ αὐτοῦ οἱ ὀρεωκόμοι ἵστανται. *Et ibi muliones stant.* Et apposite, quippe ad eorum templum ipso cognomento suo patronorum. *Hoc modo olim Meursius in Populis Att.*

ΚΡΩΠΙΑ.

Leontidis tribus. Varie ſcribitur. *Stephanus*. Κρωπία, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. Φρύνιχος ἢ Κροπιάδα φησίν. Ανδροτίων δὲ Κρῶπας φησι τὸν δῆμον. ὁ δημότης, Κρωπίδης. τὰ τοπικὰ, ἐκ Κρωπιδῶν, καὶ Κρωπίαθεν, Κρωπιάνδε, Κρωπιᾶσι. *Cropia, populus Leontidis tribus. Phrynichus vero Cropiada inquit. Androtion vero Cropas populum vocat. Popularis, Cropides. Localia ex, ad, & in Cropia* [a].

ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΟΝ.

Pandionidis tribus. *Stephanus*. Κυδαθήναιον, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Κυδαθηναιεύς. *Cydathenæon, populus Pandionidis tribus. Popularis, Cydathenæenſis*. Corrigendus eſt *Harpocration*. Κυδαθήναιον, δῆμός ἐςι φυλῆς Πανδιονίδος. *Cydathenæon, populus eſt tribus Pandionidis*. Minus recte editur. Κυδαθηναίων, δῆμός ἐ. φ. Π. Male quoque apud *Suidam*. δῆμός ἐςι τῆς Πανδιονίδος φυλῆς καὶ Κυδαθηναίων. *Populus eſt Pandionidis tribus & Cydathenæenſium*. Reſcribe. Π. φυλῆς Κυδαθήναιον. Apud *Heſychium*. Κυδαθηναῖος, ἔνδοξος Αθηναῖος· Κυδαθηναῖος, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς ἐν ἄςει. *Cydathenæus, celebris Athenienſis. Cydathenæus, populus Pandionidis tribus in urbe*. Hinc oriundus Andocides, ut nonnulli volunt. Plutarchus *in ejus vita*. Ανδοκίδης Λεωγόρου μὲν ἦν πατρὸς, τοῦ θεμένου ποτὲ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνην, τὸν δῆμον δὲ Κυδαθηναῖος. *Andocides quidem erat ex patre Leogora, qui quondam cum Lacedæmoniis pacem iniit, quod ad populum vero Cydathenæus*. Hinc Nicochares Comicus erat, & Cyon. *Stephanus*. ἐντεῦθεν ἦν Νικοχάρης ὁ Κωμικὸς, καὶ Κύων Κυδαθηναιεύς. *Inde erat Nicochares Comicus, & Cyon Cydathenæenſis*. Cyon autem ille eſt, quem perſtringi videmus apud Ariſtophanem *Veſpis v.* 894 895.

Ακούετ' ἤδη τῆς γραφῆς ἧς ἐγράψατο
Κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνέα.
Audite nunc ſcriptionem qua ſcripſit
Cyon Cydathenæenſis Labetem Æxonenſem.

Occurrit non raro apud Oratores [1].

ΚΥΔΑΝΤΙΔΑΙ.

Tribus Ægeidis. *Harpocration*. δῆμός ἐςι τῆς Αἰγηΐδος, Κυδαντίδαι. *Populus eſt Ægeidis, Cydantidæ*. Totidem pæne verbis *Suidas*. Ptolemaidi aſ-

A ſcribit *Heſychius*. Κυδαντίδαι, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς. *Cydantidæ, populus Ptolemaidis tribus*. Utrumque repræſentat *Stephanus*. Κυδαντίδαι, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὡς δὲ Φρύνιχος, Πτολεμαΐδος. *Cydantidæ populus Ægeidis tribus. Ut vero Phrynichus habet, Ptolemaidis*. Popularis qui eſſet, Κυδαντίδης dicebatur. Stephanus *ibidem*. ὁ δημότης. Κυδαντίδης. *Popularis Cydantides*. Apud Dinarchum *in Demoſthenem*. Πολύευκτον δὲ τὸν Κυδαντίδην, τοῦ δήμου προςάξαντος ζητῆσαι τὴν βουλὴν, εἰ συνεισέρχεται τοῖς φυγάσιν εἰς Μέγαρα, καὶ ζητήσασαν ἀποφῆναι πρὸς ὑμᾶς, ἀπέφηνεν ἡ βουλὴ συνιέναι. *Polyeuctum vero Cydantidem, populo mandante ut quæ-*
B *reret concilium, ſi una cum exulibus proficiſceretur ad Megaram, & quum quæſiviſſet, profeſſum fuiſſe apud vos, decrevit concilium ſimul proficiſci*.

ΚΥΘΗΡΟΝ.

Pandionidis tribus. *Harpocration*. Κύθηρον, δῆμος τῆς Πανδιονίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης λέγεται Κυθήῤῥιος. *Cytheron, populus Pandionidis, a quo popularis dicitur Cytherius*. Itaque quoque eſt apud *Suidam*. Apud *Heſychium* & *Stephanum* ſcribitur maſculino genere, Κύθηρος. Itidem apud Strab. *lib.* IX. [2].

ΚΥΚΑΛΑ.

Heſychius: Κύκαλα, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς.
C *Cycala, populus tribus Ajacidis*. R. A.

ΚΥΝΟΣΑΡΓΕΣ.

Sub qua tribu fuerit, incertum. *Stephanus*. Κυνόσαργες, γυμνάσιον ἐν τῇ Αττικῇ, καὶ δῆμος. *Cynoſarges, gymnaſium in Attica & populus*. Nomen a cane albo, qui ſacra Herculi faciente Diomo, abrepta coxa huc profugit. *Heſychius*. Κυνόσαργες, τόπος ἱερός. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Διόμου φασὶ θύοντος Ηρακλεῖ, κύων ἁρπάσας τὰ μηρία, ἔφυγε διωκόμενος. ἐκλήθη δὲ ὁ τόπος οὕτως, ἢ ἀπὸ τῆς λευκότητος τοῦ κυνὸς, ἢ τοῦ τάχους. *Cynoſarges, locus ſacer. Vocatus autem eſt ab hac cauſa. Quum, inquiunt, Diomus ſacrificaret Herculi, canis rapiens*
D *femora, aufugit, quum is perſequeretur. Dictus vero locus hoc modo, vel ab albedine canis, vel velocitate. Stephani* verba hac in re corrupta ſunt, & mutila. Plenus & integer eſt *Suidas*, niſi quod Δίομος ὁ Αθηναῖος ἔθυεν ἐν τῇ ἑςίᾳ, *Diomus Athenienſis ſacrificavit in foco*, legendum eſt; non Δίδυμος ὁ Αθηναῖος. Et alludit huc Pauſanias *Atticis*. ἔςι δὲ Ηρακλέους ἱερὸν καλούμενον Κυνόσαργες. καὶ

---

a. Quod ad Cropiam vero attinet: qui hinc ortus, uti nobis auctor *Sthephanus*, Κρωπίδης dicebatur. Ariſtophanes, *in Equitibus*, *v.* 80. Cleonem exagitans, pro ἐν Κρωπιδῶν, dixit ἐν Κλωπιδῶν, quaſi furem dicere vellet, παρὰ τὸ κλέπτειν
E transformato leviter nomine:

Τὼ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν.
Manus in Ætolis, mens vero in Clopidis.

Ubi *Scholiaſtes*: Τὸ δ' ἐν Κλωπιδῶν, ἐναλλαγὴ πάλιν ςοιχείου, τοῦ ρ, εἰς τὸ λ. Κρωπίδαι γὰρ, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ἔπαιξεν οὖν παρὰ τὸ κλέπτειν. *In Clopidis autem, iterum eſt commutatio literæ, R in L. Nam Cropidæ, ſunt populus Leontidis tribus Luſit itaque tanquam a* Κλέπτειν, *quod eſt Furari, ducto nomine*. Citatque iſtum Comici locum Plutarchus, Περὶ πολυπραγμ. Καὶ καθάπερ τοῦ κωμῳδουμένου Κλέωνος,

Τὼ μὲν χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ δὲ νοῦς ἐν Κλωπιδῶν;
F
Οὕτω τοῦ πολυπράγμονος ὁ νοῦς ἅμα ἐν πλουσίων οἴκοις ἐςὶν, ἐν δωματίοις πενήτων, ἐν αὐλαῖς βασιλέων, ἐν θαλάμοις νεογάμων. *Et ut Cleonis, qui in Comœdia exagitatur,*

Manus quidem ſunt in Ætolis, mens vero in Clopidis;

Ita hominis curioſi mens ſimul eſt in ædibus divitum, in tuguriis pauperum, in aulis regum, in thalamis recens conjugatorum. Cenſebantur vero in Tricomis, cum Eupyridis, & Pelecenſibus. *Stephanus* in Εὐπυρίδαι. Τρικώμους δὲ τούτους ἐκάλουν, Εὐπυρίδας, καὶ Κρωπίδας, καὶ Πήληκας. *Tricomos vero hos appellabant, Eupyridas, & Cropidas, & Pelecenſes*. Ita enim ibi legendum eſſe cenſeo. Perperam editur, Εὐπυρίδας, Κεκροπίδας, Πήληκας. *Eupyridas, Cecropidas, Pelecenſes*. R. A.

1. *Cydathenæum* tribus Pandionidis, ex quo natus erat Andocides Rhetor, ut ſcribit Plutarchus in *ejus vita*. De hoc populo loquitur parva columna, quæ Athenis proſtat:

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΑΥΛΟΥ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΥΣ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 429.

2. Hujus quoque populi incola commemoratur in inſcriptione, quæ Venetiis ſervatur in palatio Grimani:

ΕΠΙΚΤΗΣΙΣ ΟΝΑΣΟΥ ΚΥΘΗΡΙΟΥ
ΘΥΓΑΤΗΡ

Spon. *Itin Tom.* 2. *p.* 430.

τὰ μὲν εἰς τὴν κύνα εἰδέναι τὴν λευκὴν ἐπιλεξαμένοις ἐστὶ τὸ χρησμόν. *Est autem Herculis fanum vocatum Cynosarges. & ea quidem, quæ ad canem pertinent albam, conoscere licet legentibus oraculum.* Et observa Herculis ibi fanum fuisse. Meminit ejus etiam Herodotus *lib.* V. καὶ Ἀγχιμολίου εἰσὶ ταφαὶ τῆς Ἀττικῆς Ἀλωπεκῆσι, ἀγχοῦ τοῦ Ἡρακλείου τοῦ ἐν Κυνοσάργει. *Et Anchimolii est sepulcrum in Atticæ Alopecis, prope Herculis templum, quod Cynosargi.* Harpocration *in* Ἡράκλεια. πολλῶν ὄντων τῶν κατὰ τὴν Ἀττικὴν Ἡρακλείων, νῦν ἂν ὁ Δημοσθένης μνημονεύει τῶν ἐν Μαραθῶνι, ἢ τῶν ἐν Κυνοσάργει. *Quum multa exstiterint circa Atticam Herculis templa, nunc Demosthenes meminerit eorum quæ in Marathone, vel in Cynosarge.* In eo templo ad columnam quandam appensum erat decretum Alcibiadis. Athenæus commemorat *lib.* VI. ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν, ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου, γραμματεὺς δὲ Στέφανος ὁ Θουκυδίδου. *In Cynosarge itaque in Herculis templo columna quædam est, in qua exstat decretum quidem Alcibiadis, scriba autem Stephanus Thucydidis filius.* Huc conveniebant nothi, ut censerentur: Nonnus *Collect. Hist. in Nazianzeni στηλιτευτικὴν priorem, cap.* LX. Κυνόσαργες, τόπος ἦν ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾧ καὶ οἱ νόθοι ἐκρίνοντο, εἰ ὧδέ τις ὄντως γέγονεν υἱός. *Cynosarges, locus erat Athenis, in quo nothi judicabantur, an quis vere illius sit filius.* Zenobius *Cent.* V. *Proverb.* XCIV. Κυνόσαργες, τόπος ἐν ᾧ οἱ νόθοι διεκρίνοντο. *Cynosarges, locus in quo nothi dijudicabantur.* Et exponebantur ibidem. Gregorius Nazianzenus *in Julianum Orat.* I. τἆλλα δὲ ἀπερρίφθαι εἰς Κυνόσαργες, ὥσπερ τὸ πάλαι τοὺς νόθους. *Alia vero abjecta fuisse ad Cynosarges, ut olim nothi.* Joannes Tzetzes *Chil.* XIII. *cap.* CCCCLXXXIX.

Ἐρρίπτον εἰς Κυνόσαργες. τόπος δ' Ἀθήναις τοῦτο,
Οὗ καὶ τοὺς νόθους ἔρριπτον τοῖς χρόνοις τοῖς προτέροις.
Exponebant ad Cynosarges. Locus Athenis hic,
Ubi nothos exponebant temporibus priscis.

Corrigendus *Apostolius*. εἰς Κυνόσαργες εἴρηται ἐπὶ ὕβρει καὶ ἀραῖς. ἔστι δὲ τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τοὺς νόθους ἔταττον. *Ad Cynosarges dictum est de injuria & diris. Est vero locus in Attica, in quo nothos constituebant.* Hodie editur, ἐν ᾧ τοὺς πόδας ἔταττον. Exercebantur quoque illic. *Suidas* in Κυνόσαργες. ἐπειδὴ οὖν ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ νόθος εἶναι, διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο, οἱ μήτε πρὸς μητρός, μήτε πρὸς πατρὸς πολῖται. *Quia igitur Hercules videtur spurius esse, propterea ibi nothi exercebantur, qui neque quod ad matrem, nec quod ad patrem cives.* Ubi observa causam; quia nimirum etiam ipse Hercules nothus. Elegantissimus est locus Plutarchi *statim in initio Themistoclis*. καὶ τῶν νόθων εἰς Κυνόσαργες συντελούντων, (τοῦτο δ' ἔξω πυλῶν γυμνάσιον Ἡρακλέους, ἐπεὶ κἀκεῖνος οὐκ ἦν γνήσιος ἐν θεοῖς, ἀλλ' ἐνείχετο νοθείᾳ, διὰ τὴν μητέρα θνητὴν οὖσαν,) ἔπειθέ τινας ὁ Θεμιστοκλῆς τῶν εὖ γεγονότων νεανίσκων, καταβαίνοντας εἰς Κυνόσαργες ἀλείφεσθαι μετ' αὐτοῦ. καὶ τούτου γενομένου, δοκεῖ πανούργως τὸν τῶν νόθων καὶ γνησίων διορισμὸν ἀνελεῖν. *Quum nothi ad Cynosarges censerentur (id vero est extra portas gymnasium Herculis, quia ille non erat genuinus in Deis, sed censebatur spurius, quia mater ejus mortalis esset) persuasit nonnullis Themistocles ex bene natis adolescentibus, ut descenderent ad Cy-*A *nosarges & cum ipso ungerentur. Et quum id factum esset, videtur callide nothorum & legitimorum discrimen sustulisse.* Demosthenes *Orat. in Aristocratem.* ἀλλ' εἰς τοὺς νόθους ἐκεῖ συντελεῖ, καθάπερ ποτὲ ἐνθάδε εἰς Κυνόσαργες οἱ νόθοι. *Sed nothis ibi accensetur, quemadmodum quondam hic ad Cynosarges nothi.* Pari vero cum nothis conditione liberti habebantur; itaque & illi huc conveniebant, itidem censendi, an plena ipsis libertas esset. Nonnus *loco citato*. ἐκάλουν δὲ παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τοὺς ἀπελευθέρους νόθους· νόθοι γὰρ καὶ οὗτοι πρὸς τοὺς ἐκ γενετῆς ἐλευθέρους. καὶ ἐποι δὲ ἐκρίνοντο, καὶ ἐδοκιμάζοντο, εἰ ὅλως ἐλευθερώθησαν. *Vocabant* B *vero apud Athenienses libertos quoque nothos; Nothi enim & illi sunt respectu illorum qui natalibus liberi sunt. Illi vero quoque judicabantur & probabantur, an omnino libertate donati sint.* Et exercitio quoque illic communi utebantur. Itaque hinc capiendus Dion Chrysostomus. *Orat.* XV. *quæ est,* περὶ δουλείας καὶ ἐλευθερίας. τί οὖν, εἶπε, κατὰ τοῦτο κωλύει με ἐν Κυνοσάργει ἀλείφεσθαι μετὰ τῶν νόθων, εἴπερ ἐκ μητρὸς ἐλευθέρας, ἴσως δὲ καὶ ἀστῆς, τυγχάνω γεγονώς. *Quid igitur, dixit, propter hoc prohibet me in Cynosarge ungi cum nothis, siquidem ex matre libera, fortassis & urbana natus sum.*

C

[1] ΚΥΡΤΙΑΔΑΙ.

Hesychius: Κυρτιάδαι, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Cyrtiadæ, populus Acamantidis tribus.* R. A.

ΚΩΛΥΠΕΣ.

Suidas: Κώλυπες, δῆμος τῆς Αἰγηίδος. *Colypes, populus Ægeidis.* R. A.

ΛΑΚΙΑ. sive, ΛΑΚΙΑΔΑΙ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Λακιάδαι, δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Λακιάδης. ἀναγράφεται ὁ δῆμος, Λακία· καὶ ὁ δημότης, Λακιεύς. *Laciadæ,* D *populus Oeneidis tribus. Popularis, Laciades. Scribitur quoque populus, Lacia. Et Popularis, Laciensis.* Hinc oriundus erat Miltiades. Ecce apud Plutarchum *in Cimone*. ἀλλὰ Θουκυδίδης μὲν Ἀλιμούσιος γέγονε τῶν δήμων, οἱ δὲ περὶ τὸν Μιλτιάδην, Λακιάδαι. *Sed Thucydides quidem Alimusius natus est quod ad populos, Miltiades vero cum suis, Laciadæ.* Etiam Cimon. Plutarchus *ibidem paulo post, de eo ipso*. οὐχ ἁπάντων Ἀθηναίων, ἀλλὰ τῶν δημοτῶν αὐτοῦ Λακιαδῶν παρεσκευάζετο τῷ βουλομένῳ τὸ δεῖπνον. *Non omnium Atheniensium, sed popularium ipsius Laciadarum præparabatur volenti cæna.* Itaque Thessalus quoque, ejus filius. Habes apud E eundem Plutarchum *in Alcibiade*. Θεσσαλὸς Κίμωνος Λακιάδης. Ἀλκιβιάδην Κλεινίου Σκαμβωνίδην εἰσήγγειλεν ἀδικεῖν περὶ τὼ θεώ, *Thessalus, Cimonis filius, Laciades, Alcibiadem Cliniæ filium Scambonidem detulit, tanquam qui deliquisset adversus Deas.* Erat illic Lacii herois fanum: unde & nomen. Pausanias *in Atticis*. προελθοῦσι δὲ ὀλίγον, Λακίου τέμενός ἐστιν ἥρωος, καὶ δῆμος, ὃν Λακιάδας ὀνομάζουσι, ἀπὸ τούτου. *Pergentibus paululum occurrit Lacii herois fanum, & populus, quem Laciadas vocant ab illo.* Ita illic rescribendum, pro, Λακίδας. F Nascebantur hic raphani; qui quia in adulterio deprehensis per posticum impingebantur, ideo contra adulteros Laciadæ implorabantur. Observare est apud *Hesychium*. Λακιάδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ῥαφανίδας φέρων· ὃν ἐπιβοῶνται κατὰ τῶν μοιχῶν.

---

1. Fuit tribus Acamantidis. Hesychius: Κυρτιάδαι, δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. Omittebatur male hic populus a Meursio in prima edit. libri de *Populis Attic.* sed addidit postea in *Reliquis Atticis*. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 430.

Laciadæ, populus Atticæ, raphanos producens, quem implorant adverſus adulteros.

[1] ΛΑΜΠΡΑ.

Binæ erant Lampræ; una καθύπερθεν: altera, ὑπένερθεν, ſive παράλιος, dicebatur. *Heſychius*, Λαμπρὰ καθύπερθεν, καὶ Λαμπρὰ ὑπένερθεν, δῆμοι λαμπροὶ Ἀθήνῃσιν, οἱ μὲν παράλιοι, οἱ δὲ καθύπερθεν. *Lampra ſuperior, & Lampra inferior, populi clari Athenis, alii quidem ad mare ſiti, alii ſuperius.* Sed locum corruptum interpungo, & reſtituo. Λ. κ. κ. Λ. ὑπένερθεν. δῆμοι Λαμπραὶ Ἀθήνῃσιν, ὁ μὲν, παράλιος· ὁ δὲ, καθύπερθεν. Utraque erat tribus Erechtheidis. *Suidas*. Λαμπραὶ, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος· δύο εἰσὶ Λαμπραί. αἱ μὲν, παράλιοι· αἱ δὲ, καθύπερθεν. *Lampræ, populus Erechtheidis. Duæ ſunt Lampræ. aliæ ad mare ſitæ, aliæ ſuperius.* Corruptiſſime apud *Harpocrationem*. Λαμπτρεῖς, Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Κάλλιππον. Λαμπτραὶ δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος, ὡς Διόδωρός φησι. δύο δέ εἰσι Λαμπτραὶ, αἱ μὲν, παράλιοι· αἱ δὲ, καθύπερθεν. *Lamptrenſes, Demoſthenes in oratione adverſus Callippum. Lamptræ populus Erechtheidis, ut Diodorus inquit. Duæ autem ſunt Lamptræ, aliæ quidem, ad mare ſitæ, aliæ ſuperius.* Ita reſtituo. Λαμπρεῖς, Δημοσθένης ἐ. τ. π. Κ. Λαμπραὶ, δῆμος τ. Ε. ὡ. Δ. φ. δ. δέ εἰσι Λαμπραί. Lampram τὴν ὑπένερθεν, ſive παράλιον, intellexit manifeſto Ariſtophanes *Amphiarao*, cum inquit.

—— Λαμπρεὺς ἔγωγε τῶν κάτω.
—— *Lamprenſis ego ſum illorum qui infra.*

In alterutra ſepulcrum Cranai, priſci Athenarum regis. Pauſanias *in Atticis*. Κραναὸν δὲ τὸν βασιλεύσαντα Ἀθηναίων. ὅτι μὲν ἐξέβαλεν Ἀμφικτύων κηδεστὴν ὄντα, ἔτι πρότερον εἴρηταί μοι. φυγόντα δὲ αὐτὸν σὺν τοῖς στρατιώταις ἐς τὸν δῆμον τὸν Λαμπρέα, ἀποθανεῖν τε αὐτοῦ καὶ ταφῆναι λέγουσι. καὶ ἔστι καὶ ἐς ἐμὲ καὶ ἐν τοῖς Λαμπρεῦσι Κραναοῦ μνῆμα. *Jam ante diximus, Cranaum regnantem apud Athenienſes ab Amphictyone genero ejectum eſſe. Quum vero fugeret ille cum copiis ſuis ad populum Lamprenſem, ibi mortuum & ſepultum dicunt. Et exſtat quoque ad meum uſque tempus apud Lamprenſes Cranai monumentum.* Qui popularis, Λαμπρεὺς dicebatur. Lyſias *in Orat.* κατ' Ἐρατοσθένους. καὶ Ἱπποκλῆς, καὶ Ἐπιχάρης ὁ Λαμπρεὺς, καὶ ἕτεροι. *Et Hippocles, & Epichares Lamprenſis, & alii.* Et *Iſæus*, ὑπὲρ τοῦ Νικοστράτου κλήρου. Πύῤῥος δὲ ὁ Λαμπρεὺς τῇ μὲν Ἀθηνᾷ ἔφη τὰ χρήματα ὑπὸ Νικοστράτου καθιερῶσθαι. *Pyrrhus autem Lamprenſis Minervæ quidem dixit opes ab Nicoſtrato conſecratas eſſe.* Ergo male eſt apud Strabonem *lib.* IX. Λαμπυρεῖς, Αἰγινεῖς, Ἀναφλύστιοι, Ἀζηνιεῖς. *Lampyrenſes, Æginenſes, Anaphlyſtii, Azenienſes.* In ſcriptis Codicibus erat, Λαμπριεῖς. Scribe, Λαμπρεῖς [2].

ΛΑΥΡΙΟΝ.

Laurii multa paſſim mentio; & erant illic argentifodinæ. Cujus tribus fuerit, haud in proclivi nobis dicere. Pauſanias in *Atticis*. πλέοντι δὲ ἐς τὸ πρόσω Λαύρειόν τέ ἐστι, ἔνθα ποτὲ Ἀθηναίοις ἦν ἀργυρίου μέταλλα. *Naviganti quidem porro Laurium occurrit, ubi quondam Athenienſes habebant argenti fodinas.* Vides illic prope Sunium fuiſſe. Habes apud Plutarchum *in Temiſtocle, & Nicia*. Herodotum *lib.* VII. Thucydidem *libb.* II. & VI. Andocidem *in Orat.* περὶ τῶν μυστηρίων. Schol. Ariſtophanis *ad Equites*. Demoſth. *Cherſ. Heſychium*, & *Suidam*.

[3] ΛΕΚΚΟΝ.

Heſychius: Λέκκον, δῆμος Ἀντιοχίδος φυλῆς. *Leccum, populus Antiochidis tribus.* R. A.

ΛΕΥΚΟΝΟΙΟΝ.

Leontidis tribus. Varie ſcribitur. *Harpocration*. Λευκόνιον, δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Leuconium, populus Leontidis.* Ita doctiſſimus Mauſſacus edidit. In Aldina editione erat, Λευκόνιον. Apud Demoſthenem *Orat. contra Polyclem*. πάλιν αὐτῷ προσέρχονται ὕστερον, Πυθόδωρός τε Ἀχαρνεὺς, καὶ Ἀπολλόδωρος Λευκονοεύς. *Rurſus ad eum poſtea veniunt, Pythodorus Acharnenſis, & Apollodorus Leuconoenſis.* Apud Plutarchum *in vita Demoſthenis*, & *Dinarchi*, Λευκονεὺς ſemel iterumque ſcribitur. Sic apud Schol. Ariſtophanis *ad Aves*. Φιλόχορος δὲ Λευκονέα φησὶν αὐτόν. *Philochorus quidem Leuconenſem eum vocant.* Apud *Stephanum* in ἀβρότονον habes Λευκωνιεύς. Rurſum in Φολόη, Λευκωνοεύς. Apud *Suidam*. Λευκόνιον, ὄνομα τόπου. Λευκονιεὺς, δῆμος τῆς Λεοντίδος οἱ Λευκόνοι: *Leuconium, nomen loci. Leuconienſis, populus Leontidis Leuconi.* Nihil certi eſt ſtatuere in re tam incerta. Hinc oriundus erat Meton celeberrimus Mathematicus. Phrynichus *in Monotropo*.

Τίς δ' ἐστιν ὁ μετὰ ταῦτα ταύτης φροντίζων;
Μέτων ὁ Λευκονοεὺς, ὁ τὰς κρήνας ἄγων?
Qui vero eſt, qui poſt hæc hanc cogitat?
Meton Leuconoenſis, fontes ducens.

Exſtat fragmentum hoc apud Schol. Ariſtophanis *ad citatas Aves*.

ΛΕΥΚΟΠΥΡΑ.

Antiochidis tribus. *Heſychius*. Λευκοπύρα, τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς δῆμος. *Leucopyra, Antiochidis tribus populus.*

ΛΗΝΑΙΟΝ.

Incertæ tribus. *Stephanus*. Λήναιος ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς, ἀπὸ τῆς ληνοῦ. Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ Χρονικῶν. καὶ Ληναϊκὸς, καὶ Ληναιεύς. ἔστι δὲ καὶ δῆμος. *Lenæus, certamen Bacchi in agris, ab torculari*

---

1. Nunc vocatur *Palæo Lambrica*. Eſt & λαμπρὰ ὑπένερθεν. Vide Meurſ. Ad alterutrius pagi incolas ſpectarunt hæ inſcriptiones:

ΓΑΜΗΛΙΩΝΑ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ ΣΟ
ΣΙΜΟΥ ΛΑΜΠΡΕΥΣ &c.

Athenis autem & illa habetur:

.. ΧΙΡΙΑ ΟΜΙΛΟΥ
ΠΑΤΡΕΩΣ
ΟΜΗΡΟΣ ΛΑΜΠΤΡΕΥΣ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 431.

2. ΛΑΡΙΣΣΑ.

Hujus non meminit Meurſius, ſed clare Stephanus *de Urbibus*, in V. Λάρισσα, loquens de variis Urbibus, quæ hoc nomen ferebant: Καὶ ἐν τῇ Ἀττικῇ ἔστι Λάρισσα. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 431.

3. Fuit tribus Antiochidis. Heſych. Λέκκον δῆμος Ἀντιοχίδος φυλῆς. Hunc quoque Meurſius præteriit populum. Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 432.

dictum. Apollodorus in tertio Chronicorum. Et Lenaicus & Lenæensis. Est vero etiam populus. Sed ὁ δῆμος neutro genere efferebatur, λήναιον. Habebat autem ingens septum, & Bacchi Λήναιον fanum; ibique ludi peragebantur ab Atheniensibus, priusquam exstructum esset theatrum. *Hesychius.* ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών. ἔστιν ἐν τῷ ἄστει Λήναιον, περίβολον ἔχον μέγα, καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερόν, ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων, πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι. *Inter Lenæum certamen. Est in urbe Lenæum, septum habens magnum, & in eo Lenæi Bacchi fanum, in quo celebrabantur certamina Atheniensium, antequam theatrum esset constructum.* Ita locum illum restituo, ab interpunctione hodie laborantem. Respexit enim versum Comici *Acharn. v.* 502.

Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.
Ipsi enim sumus: ubi Lenæo est certamen.

Sic apud Demosthenem *in Midiam* est, ἐπὶ Ληναίῳ πομπή. *Lenæo peracta pompa* [1].

ΛΙΜΝΑΙ.

Incertæ tribus. Schol. Callimachi *Hymno* III. Λίμναι, δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τιμᾶται ἡ Ἄρτεμις. *Limnæ, populus Atticæ, ubi colitur Diana.* Sed confundit; nam Λίμναι illæ, in quibus fanum Dianæ, in confinio erant Laconicæ & Messeniæ, ut testatur Strabo *lib.* VIII. Videndus etiam Pausanias *in Laconicis*, & *Messeniacis.* Bacchi illic fanum erat. *Harpocration.* τόπος ἐστὶν ἐν Ἀθήναις Λίμναι, ἐν ᾧ ὁ τιμώμενος Διόνυσος. *Locus est Athenis Limnæ, in quo celebratur Bacchus.* Isæus *in Orat.* περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. τὴν μὲν μίαν μισθοφοροῦσαν, παρὰ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσιον. *Unam quidem mercenariam, ad Bacchi fanum apud Limnas.* Aristophanes *Ranis*, *v.* 218.

Διόνυσον ἐν Λίμναισιν ἰαχήσομεν.
Bacchum apud Limnas memorabimus.

Ubi *Scholiastes.* Λίμναι, χωρίον τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ Διονύσου ἱερόν. *Limnæ, locus Atticæ, in quo Bacchi fanum.* Et celebrata illic festa Bacchi antiquissima, die duodecimo mensis Anthesterionis. Clare Thucydides *lib.* II. τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς Γῆς, καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. *Delubra enim in ipsa arce & aliorum Deorum sunt, & quæ sunt extra, ad illam partem urbis potissimum posita sunt, nempe templum Jovis Olympii, & Pythium, & Telluris, ut & Bacchi in Limnis, cui vetustiora Bacchanalia peraguntur in duodecimo die mense Anthesterione.* Hinc illa Demosthenis *in Orat. contra Neæram.* ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν. *In vetustissimo delubro Bacchi in Limnis steterunt.* Ac fiebant sacra a quatuordecim mulieribus sacerdotibus, quæ γεραραὶ dicebantur. *Hesychius.* γεραραί, ἱέρειαι κοινῶς. ἰδίως δὲ, αἱ τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι, τῷ ἀριθμῷ δεκατέσσαρες. *Venerandæ, sacerdotes communiter. proprie vero quæ Baccho in Limnis sacra peragunt, numero quatuordecim.* Porro prope aram in columna lapidea perscripta erat lex de uxore regis, quam civem ille, & virginem, ducere tenebatur. Demosthenis hac de re elegans est locus *in Oratione contra Neæram jam citata.* ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς συνῴκισεν αὐτούς, (τοὺς Ἀθηναίους) καὶ δημοκρατίαν ἐποίησε, καὶ ἡ πόλις πολυάνθρωπος ἐγένετο. τὸν μὲν βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθεντο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνηται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται, μηδὲ καινοτομῆται· καὶ τοῦτον τὸν νόμον γράψαντες ἐν στήλῃ, ἔστησαν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διονύσου παρὰ τὸν βωμὸν ἐν Λίμναις. *Postquam autem Theseus cohabitare illos coegit (Athenienses) & democratiam instituit, & urbs multitudine abundavit; Regem quidem nihilominus populus creabat ex præstantissimis ob virtutem eligens. Uxorem autem ejus lege sanxerunt civem esse, & non immixtam alii viro, sed virginem ducere, ut secundum patrios ritus perageret arcana sacra pro urbe, & debita Diis contingerent pie, & nihil dissolveretur, neque innovaretur. Atque hanc legem inscribentes columnæ lapideæ, statuerunt in templo Bacchi juxta aram in Limnis.* Etiam pueri hic pugilatu decertabant, qui ea ex re Λιμνομάχαι dicebatur. *Hesychius.* Λιμνομάχαι. παῖδες οἱ πυκτεύοντες ἐν τόπῳ Λίμναις καλουμένῳ. *In Limno pugnantes. pueri pugilatu certantes in loco, qui dicebatur Limnæ.*

ΛΟΥΣΙΑ.

Erat tribus Oeneidis. *Harpocration.* δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος Λουσιά, ἀφ' ἧς ὁ δημότης, Λουσιεύς.

---

1. Vetus inscriptio, quam in Angliam pertulit Nobilissimus Wehlerus, meminit Eudemonis Lenæi:

ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΚΑΙΣ.
ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΕΠΙ ΜΗΤΡΟ
ΔΩΡΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣ

ΜΗτου

ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΥ ΦΛΥΕΩΣ Η
ΓΕΜΟΝΟΣ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΥ

ΑΦΙΔΝΑΙΟΥ ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝ
ΤΟΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ ΦΑΛΗ
ΡΕΩΣ ΟΠΑ...

ΤΟΥ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ ΠΑΛΛΗ
ΝΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΖΗ
ΝΙΕΥΣ ΦΙΛΟ...

ΚΑΙ ΣΥΝΕΦΗΒΟΥΣ

ΑΙΟΛΙΩΝΑ	ΗΡΑΚΛΙΩΝ
ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ	ΗΡΑΚΛ....
ΦΛΥΕΑ	ΜΑΡΑΘ....
ΘΕΟΓΕΝΗΝ	ΧΑΡΟΠΕΙΝΟ
ΚΗΦΙΣΙΕΑ	ΤΡΥΦΩΝΑ
	ΕΥΔΗΜΩΝ
	ΛΗΝΑΙΟΣ
ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΝ	ΣΚΑΜΑΝ
ΔΡΟΝ ΣΥΜΦΕ....	
ΣΩΤΑΝ	ΑΠΟΛΛΟΔΩ
ΑΡΣΤΩΝΑ	ΡΟΝ ΑΘΗΝ.
ΑΙΣΙΔΩΡΑΝ	ΣΥΜΜΑΧΟΝ
ΣΩΙΛΟΝ	Θ....
ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ	ΣΤΕΦΑΝ...
ΑΝΤΙΓΟΝΟΝ	ΔΙΟΝΥ....

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 443.

A Populus est Oeneidis Lusia, a qua popularis, Lusiensis. Nomen a Lusia Hyacinthi filia. Stephanus. Λουσία, τῆς Ὑακίνθου θυγατέρων μία· ἀφ' ἧς ὁ δημότης Οἰνηΐδος φυλῆς Λουσιεύς. Lusia, erat ex filiabus Hyacinthi. A quo popularis Oeneidis tribus Lusiensis. Sed aut ego valde fallor, aut mutilus est insigniter locus, fraude supini librarii. Restituo. ἀφ' ἧς ὁ δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς, ἧς ὁ δημότης Λουσιεύς. A qua populus Oeneidis tribus, cujus popularis est Lusiensis. Meminit iterum in Ἀζηνιά. Ἀζηνιά, ὡς Πλωθιά, Λουσιά, δῆμος ἐν Ἀττικῇ. Azenia, ut Plothia, Lusia, populus in Attica. Suidas. Λουσιά, ἀφ' οὗ οἱ δημόται Λουσιεῖς· καὶ Λουσιεύς, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος. Lusia, a quo populares Lusienses. Et Lusiensis, populus Oeneidis. Emendandus est Hesychius. Λουσιεῖς, δῆμος φυλῆς Οἰνηΐδος. Lusiensis, populus tribus Oeneidis. Pessime hodie editur, Λουσιεῖς, δῆμος φ. Ο'. Isæus ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλ. Α. κλήρου. κατέλιπε γὰρ Εὔπολις θυγατέρας δύο. τούτων τε, ἡ νῦν ἀμφισβητεῖ, καὶ Προνάπει συνοικεῖ· καὶ ἄλλην, ἣν ἔχεν Αἰσχίνης ὁ Λουσιεύς. Reliquit enim Eupolis filias duas; illam quidem, quæ nunc litigat, & nupsit Pronapi. Alteramque, quam habuit Æschines Lusiensis. Nec vero duntaxat Λουσιεὺς dicebatur ὁ δημότης, sed etiam Λούσιος. Itaque corrigendus alter Hesychii, quem citavi, locus. Λούσιος, δῆμος Οἰνηΐδος. Lusius, populus Oeneidis. Hodie editur, Λούσιος.

[a] ΛΥΚΑΒΗΤΤΟΣ.

Inter montes Atticæ memoratur Lycabettus, apud Strabonem, lib. IX. Plinium, lib. IV. cap. VII. & Solinum, cap. XIII. Etiam Scholiastes Aristophanis, Ranis: Λυκαβηττός, ὄρος Ἀθηναίων. Lycabettus, mons Atheniensium. Erat autem ante Arcem, firmamentum ejus positum ibi loci a Minerva. Docet id Antigonus Carystius. Hist. Mirab. c. XII. Ἀφικομένην δὲ (τὴν Ἀθηνᾶν) εἰς Παλλήνην, φέρειν ὄρος, (τὸν Λυκαβηττόν,) ἵνα ἔρυμα πρὸ τῆς ἀκροπόλεως ποιήσῃ. Cum abiisset (Minerva) in Pallenen, ut montem (Lycabettum) ferret, quem pro firmamento ante arcem statueret. Et mox: Τῇ δὲ Ἀθηνᾷ, φερούσῃ τὸ ὄρος, ὃ νῦν καλεῖται Λυκαβηττός, κορώνην φησὶν ἀπαντῆσαι, καὶ εἰπεῖν, ὅτι Ἐριχθόνιος ἐν φανερῷ· τὴν δὲ, ἀκούσασαν, ῥίψαι τὸ ὄρος, ὅπου νῦν ἐστι. Minervæ autem, montem ferenti, quem nunc Lycabettum vocant, obviam factam ajunt cornicem, & dixisse, revelatum Erichthonium. Quo audito, Deam montem adjecisse, quo nunc loco est. Ante Arcem hunc fuisse, licet etiam observare apud Platonem, in Critia; ubi de vetere Urbe agit: Τὸ δὲ πρὶν ἐν ἑτέρῳ χρόνῳ μέγεθος μὲν ἦν πρὸς τὸν Ἠριδανόν, καὶ τὸν Ἰλισσόν, ἀποβεβηκυῖα, καὶ περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα, καὶ τὸν Λυκαβηττὸν ὄρος ἐκ τοῦ καταντικρὺ Πυκνὸς ἔχουσα. Olim autem ea magnitudo erat, uti usque ad Eridanum, & Ilyssum, proveniret; & in se complecteretur etiam Pnycem, Lycabettum, ex adverso Pnycis habens. Atqui Pnyx, ut supra dixi, juxta Arcem erat; & ecce, ex adverso ejus Lycabettus. Meminit ejus Auctor Eryxiæ: Ἐν δὲ Σκύθαις τοῖς Νομάσιν εἴ τις τὴν Πολυτίωνος οἰκίαν κεκτημένος εἴη, οὐδὲν ἂν πλουσιώτερος δοκοῖ εἶναι, ἢ εἰ παρ' ἡμῖν τὸν Λυκαβηττόν. Si quis inter Scythas Nomadas domum Polytionis possideret, nihilo sibi locupletior videretur, quam si apud nos Lycabettum. Nomen illi datum a lupis, quorum magna ibi copia. Hesychius: Λυκαβηττός, ὄρος τῆς Ἀττικῆς. εἴρηται δὲ οὕτω, διὰ τὸ λύκοις πληθύειν. Lycabettus, mons Atticæ; ita dictus, ob luporum ibi copiam. Ut luporum autem ferax Lycabettus, ita olivarum erat. Statius, Theb. XII. v. 631.

—— Et pingui melior Lycabettus oliva.

Lycabettii quoque pueri, tanquam si cinædi essent, male vulgo audiebant. Inde est, quod Theopompus Comicus, in Medo fabula, dicentem introducit Lycabettum:

Παρ' ἐμοὶ λίαν τὰ μειράκια χαρίζεται
Τοῖς ἡλικιώταις. ——
Apud me valde pueri copiam sui faciunt
Æqualibus suis. ——

B Exstat id fragmentum apud Schol. Pindari, Pyth. Od. II. Phainus etiam mathematicus Solstitia ibi deprehendisse memoratur. Theophrastus, de signis pluviarum: Καὶ ἀγαθοὶ γεγένηνται κατὰ τόπους τινὰς ἀστρονόμοι ἔνιοι. καὶ Φαεινὸς Ἀθήνησιν ἀπὸ τοῦ Λυκαβηττοῦ, τὰ περὶ τὰς τροπὰς συνεῖδε. Ac fuerunt boni quidam astronomi quibusdam locis; & Phainus Athenis a Lycabetto ea, quæ ad Solstitia pertinent, deprehendit. R. A.

ΜΑΡΑΘΩΝ.

C Inter populos celeberrimus erat Marathon, sub Leontide tribu. Stephanus: Μαραθών, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. Marathon, populus Leontidis tribus. Hesychius tribum non explicat: Μαραθών, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. Marathon, populus Atticæ. Erat autem in Tetrapoli. Stephanus: Τετράπολις, τῆς Ἀττικῆς, ἔχουσα πόλεις, καὶ δήμους, τέτταρας. Οἰνόην, Προβάλινθον, Μαραθῶνα, Τρικόρυθον. Tetrapolis, Atticæ; habens urbes, & populos, quatuor: Oenoen, Probalinthum, Marathonem, Tricorythum. Aberat Athenis millia passuum decem, sive stadia octoginta. Æmilius Probus, sive est Cornelius Nepos, in Miltiade, cap. IV. Suas copias in D campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Distabatque æquali intervallo Athenis, & Carysto Eubœæ. Pausanias, in Atticis: Δῆμός ἐστι Μαραθών, ἴσον τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων ἀπέχων, καὶ Καρύστου τῆς ἐν Εὐβοίᾳ. Populus vero est Marathon, ex æquo distans Athenis, & Carysto Eubœæ. Nomen illi ab heroe Marathone. Pausanias, ibidem: Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι καὶ Μαραθῶνα, ἀφ' οὗ τῷ δήμῳ τὸ ὄνομά ἐστι. Colunt vero Marathonii etiam Marathonem, a quo nomen populus habet. Et alibi. Ἐνταῦθα καὶ Μαραθὼν γεγραμμένος ἐστὶν ἥρως, ἀφ' οὗ τὸ πεδίον ὠνόμασται. Heic etiam pictus est heros E Marathon, a quo campus appellatus. Alii dicunt; a Maratho, Apollinis filio. Suidas: Μαραθών, τόπος Ἀθήνησιν· ἀπὸ Μαράθου, υἱοῦ Ἀπόλλωνος. Marathon, locus Athenis; a Maratho, Apollinis filio. Plutarchus, in Vita Thesei: Ἐχέμου φησί, καὶ Μαράθου, συστρατευσάντων τότε τοῖς Τυνδαρίδαις ἐξ Ἀρκαδίας, ἀφ' οὗ μὲν, Ἐχεδημίαν προσαγορευθῆναι, τὴν νῦν Ἀκαδημίαν· ἀφ' οὗ δὲ, Μαραθῶνα τὸν δῆμον. Cum, inquit, Echemus, Marathusque ex Arcadia eo tempore cum Tyndaridis militassent, ab illo quidem, Echedemiam, quæ nunc Academia dicitur; ab hoc, populum Marathonem nuncupatum. Palus etiam, in qua fanum Minervæ τῆς Ἑλλωτίας. Pin-F dari Scholiastes, Olymp. Od. XIII. Τὴν προσηγορίαν ταύτην (τῆς Ἑλλωτίας,) ἐσχηκέναι φασὶ τὴν Ἀθηνᾶν, ἀπὸ τοῦ ἐν Μαραθῶνι ἕλους, ἔνθα ἵδρυται. Cognomentum Hellotiæ accepisse Minervam ajunt, a palude Mara-

a. Inter populos Atticæ montanos commemorat Strabo lib. IX. & Plinius lib. IV. cap. VII. Meminit Aristophanes Ranis. Fabulam de eo narrat Antigonus ἱστορ. παραδ. cap. XII. Nomen datum a lupis, quorum magna illic copia. Hesychius. Λυκαβηττός, ὄρος τῆς Ἀττικῆς. εἴρηται δὲ οὕτω, διὰ τὸ λύκοις πληθύειν. Lycabettus, mons Atticæ. dictum vero hoc modo, quia lupis abundat. De tribu, incertum est. Ita olim Meursius in Pop. Att.

thone, ubi templum huic dicatum. Etymologici *Auctor*: Ἑλλωτίαν προσηγόρευσεν αὐτὴν, (τὴν Ἀθηνᾶν) καὶ ἱερὸν αὐτῇ ἱδρύσατο. ἢ ἀπὸ τοῦ πρὸς Μαραθῶνα ἕλους, ἐν ᾧ ἵδρυται. *Hellotiam appellavit Minervam, ac fanum ei dedicavit; vel a palude Marathone, ubi loci dedicatum est*. Neque unica tantum palus, verum plures; in lacu quodam, e quo flumen profluebat: ubi paludi proximum erat, aquas habens pecori pascendo aptissimas; ubi in mare se exonerat, salsescentes, ac marinis piscibus plenas. Pausanias, *Atticis*: Ἔστι δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι λίμνη, τὰ πολλὰ ἑλώδης. ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς ἐκ τῆς λίμνης, τὰ μὲν πρὸς αὐτῇ τῇ λίμνῃ, βοσκήμασιν ὕδωρ ἐπιτήδειον παρεχόμενος. κατὰ δὲ τὴν ἐσβολὴν τὴν ἐς τὸ πέλαγος, ἁλμυρὸς ἤδη γίνεται, καὶ ἰχθύων τῶν θαλασσίων πλήρης. *Est in Marathone lacus, magna ex parte palustris. E lacu flumen effluit, ubi paludi proximum est, aquam pecori aptam præbens: ubi in mare se exonerat, jam salsescens, ac marinis piscibus scatens*. Et ecce piscium ibi copiam. In his apuæ, quas commemorat Aristoteles, *Hist. Anim. lib.* VI. *cap.* XV. Αἱ δὲ ἄλλαι ἀφύαι, χείρους· διὰ τὸ ταχέως λαμβάνειν αὔξησιν. γίνονται δὲ ἐν τοῖς ἐπισκίοις, καὶ ἀλεεινοῖς τόποις· ὅταν, εὐημερίας γενομένης, ἀναθερμαίνηται ἡ γῆ. οἷον περὶ Ἀθήνας, ἐν Σαλαμῖνι, καὶ πρὸς τῷ Θεμιστοκλείῳ, καὶ ἐν Μαραθῶνι. *Aliæ vero apuæ, sunt deteriores; quia ocyus crescunt. Nascuntur autem in locis umbrosis, calidisque; cum, cœlo sereno existente, calefit terra: veluti circa Athenas, Salamine, ad Themistoclis monumentum, & Marathone*. Atque, ut in flumine apuæ, ita in lacu attagenes habebantur. Aristophanes, *Avibus v.* 248.

——— Ὅσ' τ' εὐδρόσους τε
Γῆς τόπους ἔχετε, καὶ λειμῶ-
να τὸν ἐρόεντα Μαραθῶνος·
Ὄρνις τε πτεροποίκιλος,
Ἀτταγᾶς, ἀτταγᾶς.

——— *Et quæcunque roscidaque*
Terræ loca tenetis, & pra-
Tum amabile Marathonis;
Avisque variegatis alis pulcra,
Attagen, attagen.

Ubi *Scholiastes*: Μαραθῶνος δὲ, ὅτι ἐν Μαραθῶνι πολὺ τὸ ὄρνεον. *Marathonis vero, quia multa ea avis Marathone*. Ac respexit hunc locum *Suidas*: Ἀτταγᾶς, εἶδος ὀρνέου. ὃ τὰ λιμνώδη, καὶ ἕλεια χωρία καταβόσκεται. διὸ καὶ Μαραθῶνα φησὶν αὐτὸν ἔχειν Ἀριστοφάνης· ἐκεῖ γὰρ πολὺ τὸ ὄρνεον. *Attagen, avis genus; quæ lacustria, & palustria, loca depascitur: quamobrem etiam Aristophanes ait, ipsam Marathonem incolere, quia illic magna est copia*. Supra hunc locum, præsepia equorum Artaphernis erant lapidea; & in saxo, tabernaculi vestigia. Pausanias, *in citatis Atticis*: Ὑπὲρ δὲ τὴν λίμνην, φάτναι εἰσὶ λίθου τῶν ἵππων τῶν Ἀρταφέρνους, καὶ σημεῖα ἐν πέτραις σκηνῆς. *Supra lacum, præsepia sunt e lapide equorum Artaphernis; & in saxo, tabernaculi vestigia*. Apollinis quoque Delii templum illic erat; in quo, cum Theori in Delum mitterentur, sacra quotidie faciebant. Philochori hac de re fragmentum est sane elegans, *apud Scholiasten Sophoclis, Oed. Col.* Ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδόμενα ἐν τοῖς ἱεροῖς, τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους, Πυθιαί τε καὶ Δηλιάδες, ὁπότερα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς. θύει δὲ ὁ μάντις, ὅταν μὲν τὰ εἰς Δελφοὺς πόμπιμα γένηται. καὶ θεωρία πέμπηται ἐν Οἰνόῃ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐν τῷ Πυθίῳ· εἰ δὲ εἰς Δῆλον ἀποστέλλοιτο ἡ θεωρία, κατὰ τὰ προειρημένα θύει ὁ μάντις εἰς τὸ ἐν Μαραθῶνι Δήλιον· καὶ ἔστιν ἱεροσκοπία, τῆς μὲν εἰς Δελφοὺς θεωρίας, ἐν τῷ κατὰ τὴν Οἰνόην Πυθίῳ· τῆς δὲ εἰς Δῆλον, ἐν τῷ κατὰ Μαραθῶνα Δηλίῳ. *Si portenderint quippiam sacra, eorum caussa legatos mittunt Pythiæ, quæ familia ea oriundæ, aut Deliades; sciscitatum, quæ conveniat ipsas facere. Quin & sacra vates facit, cum legati hi mittuntur, in Oenoe, singulis diebus, in Apollinis Pythii templo; sin in Delum hi Theori ablegantur, sacra facit juxta hæc prædicta vates in Apollinis Delii templo Marathone: fitque aruspicina, missis Delphos legatis, in Apollinis Pythii templo, quod Oenoæ est: quod si in Delum hi mittantur, Marathone in Delii fano*. *Scholiastes*, quem jam dixi, Pythii quoque Apollinis illic aram memorat: Λέγοι δ' ἂν Πυθίας ἀκτὰς, τὸν τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος βωμὸν τὸν ἐν Μαραθῶνι. *Dixerit etiam Pythia littora, aram Pythii Apollinis Marathone*. Et mox: Ἢ πρὸς Πυθίαις. ὡς ἐπὶ Μαραθῶνα, οὗ τὸ Πύθιόν ἐστιν. *Aut ad Pythia littora; tanquam respiciens ad Marathonem, ubi Apollinis Pythii fanum est*. Verum fallitur omnino; nam *Philochorus*, quem allegat, & cujus verba jam exhibui, aliud dicit; neque ipse sat attendit. Ac triremis, qua Theori in Delum, ut dixi, vehebantur, sacra dicta: & Philippus aliquando, facta hic exscensione, eam abduxit. Demosthenes, *Philippica* I. Τὰ τελευταῖα δὲ, εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη· καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη. *Denique in Marathonem exscendit; &, sacra triremi e nostra ditione abrepta, abiit*. Libanius, *in Demosthenis Apologia*: Ἐλάτειαν κατείληφε· ἀλλ' οὐ Πάνακτον, οὐδὲ Δεκέλειαν. οὐδὲ Οἰνόην τὴν ἱερὰν ἐκ Μαραθῶνος, τριήρη λαβὼν ᾤχετο. Sed gravissime ab interpunctione laborat iste locus: idque minime adversum, impulit in errorem interpretem, V. Cl. Fridericum Morellum, qui sic vertit: *Elateam expugnavit; sed non Panactum, neque Decelam. Neque Oenoen sacram, e Marathone, triremi capta, abiit*. Interpungo: Οὐδὲ Δεκέλειαν, οὐδὲ Οἰνόην. τὴν ἱερὰν ἐκ Μαραθῶνος τριήρη λαβὼν, ᾤχετο. *Neque Deceleam, neque Oenoen. Sacra ex Marathone triremi capta, abiit*. Hercules quoque heic colebatur; & huic primi Marathonii divinos honores habuisse tradebantur. Pausanias, *Atticis*: Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι καὶ Ἡρακλέα, φάμενοι πρώτοις Ἑλλήνων σφίσιν Ἡρακλέα θεὸν νομισθῆναι. *Colunt Marathonii etiam Herculem, inquientes, primos illi divinos honores decrevisse*. Meminitque templi Herodotus, *lib.* VI. *c.* CXVI. Ἀπιγμένοι ἐξ Ἡρακληΐου τοῦ ἐν Μαραθῶνι. *Digressi ex Herculis templo, quod Marathone*. Et videndus Harpocration, *in* Ἡράκλεια. Quin certamen quoque ei celebratum; quo victores qui fuissent, præmium accipiebant argenteas phialas. Indicat Pindarus, *Olymp. Od.* IX. *v.* 134.

Οἷον δ' ἐν Μαραθῶνι, συ-
λαθεὶς ἀγενείων,
Μένεν ἀγῶνα πρεσβυτέρων,
Ἀμφ' ἀργυρίδεσσιν.
Quale vero Marathone, e-
Gressus ex imberbibus,
Sustinuit certamen seniorum,
Propter phialas argenteas.

Ubi *Scholiastes*: Νῦν τὰ Ἡράκλεια, τὸ δὲ οἷον, θαυμαστικῶς. ὅπως δὲ, καὶ οἵως, ὑπέμεινεν ἐν τῇ Μαραθῶνι, ἡνίκα περὶ ἀργυρῶν φιαλῶν προέκειτο ἀγωνίζεσθαι. τοῖς γὰρ ἐν Μαραθῶνι ἀγωνιζομένοις, φιάλαι ἀργυραῖ ἐδίδοντο ἔπαθλον. *Nunc certamen Herculis dicit. Ait vero, quale; tanquam admirans: quo vero, & quali, modo sustinuit Marathone; cum de Phialis argenteis propositum certamen esset. Marathone enim certantibus, præmium dabatur phialæ argenteæ*. Heic Eurystheus, conserto cum Herculis filiis prælio, cecidisse memoratur. Strabo, *libro* VIII. Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν, στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα, ἐπὶ Ἡρακλέους παῖδας, καὶ Ἰόλαον,

βο-

βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱϛορεῖται πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ. *Eurystheus igitur, ducto Marathonem exercitu, contra filios Herculis, & Iolaum, adjuvantibus Atheniensibus, cecidisse in pugna fertur*. Taurus quoque heic a Theseo interfectus. Strabo, ubi de Marathone illi sermo, *lib.* IX. Ἐνταῦθα μεμυθεύκασι, ϗ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, ὃν ἀνεῖλε Θησεύς. *Hic fabulantur etiam fuisse taurum Marathonium, quem Theseus occidit*. Unde Ovidius, *Metamorph. lib.* VII. 432. 433.

—— *Te, maxime Theseu,*
Mirata est Marathon, Cretæi sanguine tauri.

Videndus etiam Plutarchus, *in ejus Vita*. Denique pugna celeberrima, Marathonia nuncupata, hic commissa; quæ describitur ab Herodoto, *lib.* VI. *cap.* CXI. *&c.* In hac pugna, ut hoc item obiter dicam, maximopere enituit virtus herois cujusdam, quem Stivalem cognomento appellarunt, quod aratro magnam stragem edidisset. Pausanias, *Atticis*: Συνέβη δὲ, ὡς λέγουσιν, ἄνδρα ἐν τῇ μάχῃ παρεῖναι, τὸ εἶδος, ϗ τὴν σκευὴν, ἀγροῖκον. οὗτος πολλοὺς τῶν βαρβάρων καταφονεύσας ἀρότρῳ, μετὰ τὸ ἔργον ἦν ἀφανής. ἐρομένοις δὲ Ἀθηναίοις ἄλλο μὲν ὁ θεὸς ἐς αὐτὸν ἔχρησεν οὐδὲν, τιμᾷν δὲ Ἐχετλαῖον ἐκέλευσεν ἥρωα. *Accidit autem, uti ferunt, ut in pugna vir quidam adesset, specie habituque, agrestis. Qui, cum multos Barbarorum aratro interfecisset, mox evanuit. Deinde autem sciscitantibus Atheniensibus, nil respondit aliud Deus, quam heroem ut Stivalem honorarent*. Meminitque *idem* antea: Μαραθωνίοις γὰρ, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, Ἡρακλῆς ἐνομίσθη ἐν πρώτοις. τῶν μαχομένων δὲ δῆλοι μάλιϛά εἰσιν ἐν τῇ γραφῇ, Καλλίμαχος, ὃς Ἀθηναίοις πολεμαρχεῖν ἥρξατο, ϗ Μιλτιάδης τῶν ϛρατηγούντων, ἥρως τε Ἐχετλαῖος καλούμενος, οὗ καὶ ὕϛερον ποιήσομαι μνήμην. *A Marathoniis enim, ut ipsi memorant, Herculi in primis honores sunt habiti. Inter pugnantes vero maxime conspicui in pictura, Callimachus, primus Atheniensium polemarchus; inter duces, Miltiades: & heros, Stivalis dictus; cujus etiam postea mentionem faciam*. Ita enim illic quoque est scribendum; non, Ἔχετλος. Atque hic ipse est censendus, quem heroem Agricolam dictum a Philostrato memoratur, *in Herodis Attici Vita, Sophist. lib.* II. e quo illud insuper discimus, Herculem eum fuisse: matre bubulca, patre Marathone genitum: cujus item statuam heic exstitisse: Γενέσθαι δὲ τὸν Ἡρακλέα τοῦτον οἱ μὲν γηγενῆ φασιν, ἐν τῷ Βοιωτίῳ δήμῳ, Ἡρώδης δὲ ἀκοῦσαι λέγοντά φησιν, ὡς μήτηρ μὲν αὐτῷ γένοιτο γυνὴ βουκόλος, πατὴρ δὲ Μαραθὼν, οὗ τὸ ἐν Μαραθῶνι ἄγαλμα. ἔϛι δὲ ἥρως γεωργός. *Fuisse autem Herculem hunc terrigenam ajunt, in Bœotio populo. Herodes vero ajebat audiisse dicentem, matre genitum bubulca, patre vero Marathone, cujus etiam Marathone statua exstet, estque heros agricola*. Quin Agathionem dictum cognomento a Bœotiis Matathoniisque agricolis, idem paullo post commemorat; ipsum heroem sic de se loquentem faciens: Καὶ ξυμφέρουσί μοι τὸν ἔρανον τοῦτον γεωργοὶ Μαραθώνιοί τε ϗ Βοιώτιοι· οἶμαι, ϗ Ἀγαθίωνα ἐπονομάζουσιν, ἐπειδὴ ϗ εὐξύμβολος αὐτοῖς φαίνομαι. *Conferuntque mihi hanc symbolam pariter rustici Marathonii, ac Bœotii, &, opinor, cognomento Agathionem item appellant, quia ipsis fausti ominis signa præbeam*. Post hanc pugnam, qui in ea cecidissent Athenienses, uno omnes monumento honorati; alteroque Platæenses, atque servi: ac Miltiades seorsim, tanquam ductor, suum habuit: & Atheniensium quidem, cippi impositi; in quibus cæsorum nomina; item tribus, legebantur. Pausanias, *in citatis Atticis*: Τάφος δὲ ἐν τῷ πεδίῳ. Ἀθηναίων ἐϛὶν, ἐπὶ δὲ αὐτῷ ϛῆλαι, τὰ ὀνόματα τῶν ἀποθανόντων κατὰ φυλὰς ἑκάϛων, ἔχουσαι. ϗ ἕτερος Πλαταιεῦσι Βοιωτῶν, ϗ δούλοις. ἐμαχέσαντο γὰρ ϗ δοῦλοι τότε πρῶτον. ϗ ἀνδρός ἐϛιν ἰδίᾳ μνῆμα Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος. *In campo, Atheniensium est sepulcrum, & cippi in eo, nomina interfectorum juxta tribus referentes: alterumque, Platæensibus Bœotis, atque servis. Nam & servi tunc primum militarunt. Seorsim vero monumentum est Miltiadis Cimonis*. Sed & fons Macaria illic; a Macaria, Herculis ac Deianiræ filia, dictus. Pausanias, *ibidem*: Ἐϛὶ δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι πηγὴ, καλουμένη Μακαρία. ἐνταῦθα ἡ Μακαρία, Δηϊανείρας ϗ Ἡρακλέως θυγάτηρ, ὑποσφάξασα ἑαυτὴν, ἔδωκεν Ἀθηναίοις τε κρατῆσαι τῷ πολέμῳ, ϗ τῇ πηγῇ τὸ ὄνομα ἀφ' ἑαυτῆς. *Est fons etiam Marathone, quem Macariam appellant. Heic Macaria, Herculis & Deianiræ filia, cum se ipsa occidisset, victoriam Atheniensibus, fonti nomen a se dedit*. Herodes Sophista plurimum heic commemoratus. Philostratus, *in ejus Vita, lib.* II. Διῃτᾶτο μὲν ὁ Ἡρώδης ἐν τῇ Ἀττικῇ παρὰ τοὺς φιλτάτους ἑαυτῷ δήμους, Μαραθῶνα, ϗ Κηφισίαν. *Commorabatur quidem Herodes in Attica, apud gratissimos sibi populos, Marathonem, & Cephesiam*. Et *in Vita Alexandri, eodem libro*: Ἀκούων δὲ τὸν Ἡρώδην ἐν Μαραθῶνι διαιτώμενον, καὶ τὴν νεότητα ἐπακολουθοῦσαν αὐτῷ πᾶσαν, γράφει πρὸς αὐτὸν ἐπιϛολήν. *Audiens Herodem Marathone commorari, ac secutam eum esse juventutem universam, litteras ad ipsum scribit*. Promontorium ejus, Eubœæ obversum, Κυνόσουρα dicebatur. *Hesychius*: Κυνόσουρα, φυλὴ Λακονική· ϗ ἄκρα τοῦ Μαραθῶνος, πρὸς τὴν Εὔβοιαν τετραμμένη. *Cynosura, tribus Laconica; & promontorium Marathonis, Eubœæ obversum*. Agrum habebat olei fertilem. Inde Nonnus, *Dionys. lib.* XIII. *v.* 184.

Καὶ τέμενος βαθύδενδρον ἐλαιοκόμου Μαραθῶνος.
Et agrum sacrum cum arboribus altis oleæ cultoris Marathonis.

Iterum, *lib.* XLVIII. *v.* 18.

Βότρυς ἐλαιήεντος ἐφοινίχθη Μαραθῶνος.
Uva oliviferi rubebat Marathonis.

Et videtur optimus fuisse versus Oenoen. Innuit istud Lucianus, *Icaromenippo*: Μάλιϛα δὲ ἐπ' ἐκείνοις ἐπῄει μοι γελᾷν, τοῖς περὶ γῆς ὅρων ἐρίζουσι, ϗ τοῖς μέγα φρονοῦσιν ἐπὶ τῷ τὸ Σικυώνιον πεδίον γεωργεῖν, ἢ Μαραθῶνος ἔχειν τὰ περὶ τὴν Οἰνόην. *Ac potissimum illos mihi ridere libet, qui de terræ finibus contendunt, & se jactant, quod Sicyone agrum colant, aut possideant Marathonis eam partem, quæ est circa Oenoen sita*. Totus autem planus erat, & aptissimus equitatui. Herodotus, *lib.* VI. Καὶ γὰρ ἦν Μαραθὼν ἐπιτηδεύτατον χωρίον τῆς Ἀττικῆς ἐνιππεῦσαι. *Erat enim Marathon locus Atticæ ad inequitandum aptissimus*. Erant item illic sylvæ. Indicat Seneca, *in Hippolyto, v.* 17. 18.

—— *Qua Marathon tramite lævo*
Saltus aperit. ——

Inde Βαθύδενδρον dixit Nonnus, *in citato statim versu*. Equos quoque præstantissimos producebat; unde *Cratino* Εὐιπποτάτη alibi dicta. Porphyrius meminit, *Quæst. Hom.* VII. Οὐκέτι οὖν ᾤμην ἁμάρτημα εἶναι γραφικὸν, Ἰωνικὸν δὲ μᾶλλον ἰδίωμα. πολλὰ γὰρ οὗτοι τῶν ὀνομάτων χαίρουσι θηλυκῶς ἐκφέροντες. οἷον, τὴν τε λίθον· ϗ, τὴν κίονα· ϗ ἔτι, τὴν Μαραθῶνα. Κρατῖνος· εὐιπποτάτη Μαραθών. Νίκανδρος· εὐκτιμένην Μαραθῶνα. *Itaque non putem erratum esse scriptionis, sed potius Ionicum idioma; siquidem illi multa nomina genere fœminino efferunt, ut, cum dicunt: Hanc lapidem: &, hanc cippum: item, hanc Marathonem. Cratinus: equis præstantissima*

Marathon; *& Nicander*: *pulcra ædificiis Marathon*. Quin hoc quoque ibi observa, ædificia admodum pulcra habuisse; unde & ἐϋκτιμένην Μαραθῶνα a Nicandro appellari. Ptolemæus Sophista huic populo insertus fuit, ideoque Μαραθὼν cognominatus; quanquam alii sic existiment, quod nimirum in caussis Atticis, eorum, qui Marathone essent periclitati, sæpe meminisset. Philostratus, *in ejus Vita Sophist. lib.* II. Μαραθῶνα δὲ αὐτὸν ἐπωνόμαζον, ὡς μέν τινες, ἐπειδὴ τῷ Μαραθῶνι δήμῳ ἐνεγράφη Ἀθήνησιν· ὡς δὲ ἔνιοι, ἐπειδὴ ἐν τῇ Ἀττικαῖς τῶν ὑποθέσεων τῶν Μαραθῶνι προκινδυνευσάντων θαμὰ ἐμνημόνευσε. *Marathonem ipsum cognomento appellabant, quod, ut quidam arbitrantur, Athenis in hunc populum relatus esset: vel ut quidam, quod in caussis, quæ nimirum Atticæ essent, sæpe eorum meminisset, qui Marathone se pro aliis in periculum conjecissent*. R. A. [a 1].

---

a. Tribus Leontidis. Μαραθὼν, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Marathon, populus Leontidis tribus*. *Hesychius*. Μαραθὼν, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. *Marathon, populus Atticæ*. Distabat æquali spatio Athenis & Carysto Eubœæ. Pausanias *Atticis*. δῆμός ἐστι Μαραθὼν, ἴσον τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων ἀπέχων, καὶ Καρύστου τῆς ἐν Εὐβοίᾳ. *Populus est Marathon, eodem intervallo ab urbe Athenis distans, ut ab Carysto in Eubœa*. Nomen illi a Marathone heroe. Pausanias *loco citato*. σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι, τούτους τε οἳ παρὰ τὴν μάχην ἀπέθανον, ἥρωας ὀνομάζοντες, καὶ Μαραθῶνα, ἀφ᾽ οὗ τῷ δήμῳ τὸ ὄνομά ἐστι. *Venerantur autem Marathonii & illos qui in pugna occubuerunt, heroas vocantes, & Marathonem, a quo nomen populo est*. Alii dicunt, a Maratho Apollinis filio. *Suidas*. Μαραθὼν, τόπος Ἀθήνησιν, ἀπὸ Μαράθου υἱοῦ Ἀπόλλωνος. *Marathon, locus Athenis, ab Maratho filio Apollinis*. Plutarchus *Theseo*. Ἔχεδημον φασὶ καὶ Μάραθον συστρατευσαμένων τότε τοῖς Τυνδαρίδαις ἐξ Ἀρκαδίας, ἀφ᾽ οὗ μὲν Ἐχεδημίαν προσαγορευθῆναι τὴν νῦν Ἀκαδημίαν, ἀφ᾽ οὗ δὲ Μαραθῶνα τὸν δῆμον. *Traditur Echemo & Maratho una militantibus cum Tyndaridis ex Arcadia venientibus; ab eo quidem Echedemiam dictam quæ nunc Academia, ab hoc autem Marathonem populum*. Et Marathonis ibi statua. Philostratus *de Vita Sophist. lib.* II. *in Herode*. πατὴρ δὲ, Μαραθών. οὗ τὸ ἐν Μαραθῶνι ἄγαλμα. *Pater quidem Marathon. Cujus est in Marathone statua*. Hic accidit nobilissima illa pugna, Marathonia dicta: exstantque sepulcra ibi cæsorum, & columnæ, quibus nomina inscripta, & tribus. Illic Miltiadis quoque monumentum; & fons Macaria, ab Herculis & Deianiræ filia nomen habens, e quo amnis effluebat. Hæc omnia accurate narrat pluribus verbis Pausanias *loco citato*. Illic quoque taurus a Theseo occisus; de quo multi. Porro Marathon cognominatus fuit Ptolemæus Sophista, quod insertus huic populo: vel, ut alii, quod in caussis Atticis, eorum qui Marathone periclitati essent, frequenter meminisset. Philostratus *in ejus vita*, *lib.* II. *de Sophistis*. Μαραθῶνα δὲ αὐτὸν ἐπωνόμαζον, ὡς μέν τινες, ἐπειδὴ τῷ Μαραθῶνι δήμῳ ἐνεγράφη Ἀθήνησιν. ὡς δὲ ἐνίων ἤκουον, ἐπειδὴ ἐν τῇ Ἀττικαῖς τῶν ὑποθέσεων τῶν Μαραθῶνι προκινδυνευσάντων θαμὰ ἐμνημόνευσε. *Marathona vero enim cognominabant, quia, ut quidam volunt, Marathoni populo adscriptus est Athenis; Vel ut ab quibusdam audivi, quia in caussis Atticis, qui olim periclitati sunt Marathone, subinde meminerit*. Hoc modo olim Meurs. in *Pop. Att.*

1. Tribus Leontidis, sed in monumento de tredecim tribubus, quod mihi videtur fide dignius, additur Ajantidi. Inscriptio Atheniensis;

ΑΥΡΗΛΙΟC
ΕΥΕΛΠΙCΤΟC
ΜΑΡΑΘωΝΙΟC
ΠΡΕCΒΥΤΗΡΟc

Ο ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΤΩΝ ΕΦΗΒΩΝ ΜΑΡ
ΚΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΞΗΝΟΝ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ ΚΑΙ Ο ΑΝΤΙΚΟΣΜΗΤΗΣ
ΟΦΙΛΛΙΟΣ ΑΡΙCΤΩΝ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ
ΤΟΥΣ ΤΕ ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΑΣ ΚΑΙ
ΤΟΥΣ ΕΦΗΒΕΥΣΑΝΤΑΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝ
ΤΟΣ ΦΙΛΟΤΕΙΜΟΥ ΤΟΥ ΑΡ
ΚΕΣΙΔΗΜΟΥ ΕΛΕΟΥΣΙΟΥ ΑΝΕ
ΓΡΑΨΑΝ ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΕΠΙΚΤΗΤΟΥ ΤΟΥ
ΦΙΛΕΡΩΤΟΣ ΣΦΗΤΤΙΟΥ ΕΤΟΣ
Ι ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΔΙΑ
ΒΙΟΥ ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ ΤΟΥ ΚΙ
ΘΑΙΡΩΝΟΣ ΑΧΑΡΝΕΩΣ

ΣΩΦΡΟΝΙΣΤΑΙ

ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ
ΜΑΡ.
ΠΑΙ. ΕΠΙΓΟΝΟΣ ΧΟΛΑΡ.

ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΟΥ ΠΕΙ
ΣΥΜΦΕΡΩΝ ΕΞ ΟΙΟΥ
ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ ΠΛΟΤΟΥ
ΠΑΛΛΗ.
ΕΛΕΥΣΕΙΝΙΟΣ ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ
ΔΕΙΡ.

ΥΠΟΣΩΦΡΟΝΙΣΤΑΙ

ΣΕΡΑΠΙΩΝ ΙΣΟΦΙΛΟΥ ΓΑΡ
ΓΗΤΙ

. . . .
. . . .

ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΑΙ

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΑ ΙΟΥΛΙΟΣ ΕΥ
ΦΡΑΝΩΡ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΣΤΡΑ
ΣΗΓΟΣ.
ΠΥΑΝΕΨΙΩΝΑ ΔΗΝΗΤΡΙΟΣ ΜΑΡ
ΚΟΥ ΒΗΣΑΙΕ
ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝΑ ΣΥΜΜΑ
ΧΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ ΑΡΤΕΜΟΝ
ΜΗΝΟΔΟΡΟΥ

.... ΤΙοΣ

ΠΤοΛΕΜΑΙΔοΣ

ΔΙοΔΩΡοΣ ΣΥΜΜΑΧοΥ
ΔΗΜΗΤΡΙοΣ ΣΥΜΜΑΧοΥ
ΝΙΚοΜΑΧΟΣ ΑΦΡοΔΕΙΣΙΟΥ
ΣΩΤΗΡ ΚΑΛΛΙΤΥΧοΥ
ΕΙΡΕΝΑΙΣ ΚΑΛΛΙΤΥΧοΥ
ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ΚΑΛΛΙΤΥΧΟΥ

ΜΕΛΑΙΝΕΙΣ. ſive, ΜΕΛΑΙΝΑΙ.

Antiochidis tribus. *Stephanus*. Μελαινεῖς, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. Καλλίμαχος δὲ Μελαινάς φησι τὸν δῆμον κεκλῆσθαι. ὁ δημότης ὁμοίως, Μελαινεύς. *Melanenſes, populus Antiochidis tribus. Callimachus vero inquit Melænas populum vocari. Popularis ſimiliter, Melænenſis* [1].

ΜΕΛΙΤΗ.

Tribus Oeneidis. Stephanus in Μελίτη. καὶ δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Μελιτεύς. *Melite, etiam populus Oeneidis tribus. Popularis, Melitenſis*. Alii Cecropidi tribuunt. *Harpocration*. Μελίτη. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος. δῆμός ἐστι τῆς Κεκροπίδος. *Melite. Demoſthenes in Oratione adverſus Cononem. Populus eſt Cecropidis*. Et ex eo totidem verbis *Suidas*. Nomen habet a Melite

A Nympha, cum qua Hercules rem habuiſſe fertur. Ariſtophanis Schol. *Ranis*. ἐκλήθη δὲ (ἡ Μελίτη) ἀπὸ Μελίτης Νύμφης, ᾗ ἐμίγη ὁ Ηρακλῆς. *Vocata autem eſt (Melite) ab Melite Nympha, cum qua concubuit Hercules*. Harpocration *loco citato*. κεκλῆσθαι δέ φησι τὸν δῆμον Φιλόχορος ἐν τρίτῃ ἀπὸ Μελίτης. *Vocatum autem populum inquit Philochorus in tertio ab Melite*. Meminit Melites populi Iſæus *in Orat.* περὶ τοῦ Αγν. κλήρου. οἰκίαν δὲ Μελίτῃ, τρισχιλίων ὠνημένην. *Domum vero Melitæ, tribus millibus emptam*. Qui popularis eſſet, Μελιτεύς dicebatur. *Heſychius*. Μελιτεὺς κάπρος. τὸν γὰρ δῆμον Μελιτεύς ἐστι. *Melitenſis aper. Quod ad populum enim Melitenſis eſt*. Itaque corrigendus Plu-
B tarchus in *Lycurgo Rhetore*. πρότερον δ' αὐτὴν γήμας Διοκλῆς ὁ Μελιτεὺς ἐγέννησε Διοκλέα τὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας στρατηγήσαντα. *Prius enim eam ducens Diocles Melitenſis genuit Dioclem qui gravis amaturæ præfectus fuit*. Non recte ſcribitur, Διοκλῆς ὁ Μελιτεύς. Habitavit illic olim Euryſaces, Ajacis F. Plu-

---

ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ

ΣΩΤΑΣ
ΕΥΤΥΧΙΑΝΟΣ ΣΩΤΟΥ
ΠΑΙ. ΕΠΙΓΟΝΟΣ
ΠΑΙ. ΑΣΙΑΤΙΚΟΣ
ΦΙΛΙΣΤΟΣ ΕΠΑΓΑΘΟΥ
ΙΛΑΡΟΣ ΕΠΑΓΑΘΟΥ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ

ΑΔΡΙΑΝΙΔΟΣ.

ΕΡΜΕΙΑΣ ΕΙΣΙΔΩΡΟΥ
ΑΙΓΥΡΟΣ ΑΝΘΟΥ
. . . . . ΑΝΘΟΥ
. . . .
. . . .
. . . .

ΕΠΕΝΓΡΑΦΟΙ.

ΙΟΥ. ΤΡΟΦΙΜΟΣ
ΦΙΛΗΤΟΣ
ΖΟΣΙΜΟΣ
ΜΑΞΙΟΣ
ΧΡΙΣΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΝΕΩΝ ΤΡΟΦΙΜΟΥ
ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΣΩΣΙΜΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ
ΣΩΣΙΜΟΣ Ο ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΟΔΩ.
ΚΛ. ΜΑΡΩΝ
ΣΤΕΦΑΝΟΣ
ΕΥΚΑΡΠΟΣ
ΦΛ. ΠΡΕΙΜΟΣ
ΑΘΗΝΑΟΙΣ ΕΙΣ ΙΔΟΤΟΥ
ΜΥΡΙΣΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ
ΑΘΗΝΙΩΝ
ΣΩΤΑΣ
ΑΓΑΘΟΠΟΥΣ ΓΟΡΓΙΟΥ
. . ΗΝΟΔΩΡΟΣ ΕΥΦΡΟΣΙΝΟΥ
. . . .
. . . .

1 Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 435. &c.

1. ΜΕΙΛΗΘΟΝ

Miletum. Ex tribus quatuorve inſcriptionibus antiquis de Mileſiis, quas inveni Athenis, & in ejus agro, ſuſpicor, fuiſſe oppidum hujus nominis in Attica, præter Melitam, cujus incolæ vocabantur ΜΕΛΙΤΕΙΣ, illius vero ΜΕΙΛΗΣΙΟΙ ſive ΜΙΛΗΣΙΟΙ.
C Et certe ejus quoque inveni mentionem apud Plinium in deſcriptione Atticæ: *Rhamnus pagus, locus Marathon, campus Thriaſius, oppidum Miletum, & Oropus in confinio Bœotiæ*. Editiones recentiores habent *Melita*. Sed utcunque id ſit, utique eſt iſte locus, diverſus a Melite, quæ pars erat Urbis Athenarum; quum Melita ſive Miletum, ut eſt in antiquis editionibus, ſtatuatur nomen Oppidi. In hujus rei fidem eſt monumentum vetus, quod alibi attulimus, in quo duodecim populi Attici commemorantur, quæ pulchre diſtinguit duos hos populos in iſtis duobus verſibus:

ΛΕΩΝΙΔΗΣ ΛΕΟΝΙΔΟΥ ΜΕΛΙ
D ΤΕΥΣ

Et,

ΕΣΤΙΑΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΙΛΗ
ΣΙΟΣ

Iſta enim vox ΜΙΛΗΣΙΟΣ nequit eſſe ab Mileto Aſiæ minoris, quia in hac inſcriptione ſermo tantum eſt de populis Atticis. In Palæochoro prope Athenas:

ΧΑΙΡΕ

ΑΘΗΝΑΕΙC ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΔΑ
ΠΤΕΩΝ
E ΦΑΥCΤΟC ΛΕΟΝΤΟC ΜΕΙΛΗ
CΙΟC

Athenis apud Benaldum:

. . ΕΝΝΕΙΡΙΚΟ. . ΠΟΣ
. . . ΩΣ ΜΕΙΛΗΣΙΟΥΣ.

In Sopollia:

ΕΥΤΥΜΙΑ ΝΙΚΙΟΥ
ΜΙΛΗΣΙΑ

F Athenis in aula GiorgaKi Livaditi:

ΕΠΙΓΟΝΑ ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ ΜΕΙ
ΛΗΣΙΑ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 444. &c.

tarchus in *Solone*. αὐτοὶ δ᾽ Ἀθηναῖοι ταῦτα μὲν οἴονται φλυαρίαν εἶναι, τὸ δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, ὅτι Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἴαντος υἱοὶ, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες, παρέδοσαν τὴν νῆσον αὐτοῖς καὶ κατῴκησαν, ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ. *Ipsi quidem Athenienses hæc ducunt vanitatem esse, Solonem vero dicunt aperuisse judicibus, Philæum & Eurysacem Ajacis filios, Athenis civitatem adeptos, tradidisse ipsis insulam & habitavisse, hunc quidem in Braurone Atticæ, illum vero in Melite.* Et post mortem fanum ibi tanquam heroi est exstructum. *Harpocration*. Εὐρυσάκειον. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα. τέμενός ἐστιν Εὐρυσάκους τοῦ Αἴαντος ἐν Ἀθήναις, οὕτως ὀνομαζόμενον, ἐν Μελίτῃ. *Eurysacium. Hyperides in oratione contra Aristogitonem, Sacellum est Eurysacis Ajacis filii Athenis, ita nominatum, in Melite.* Et Melanippi quoque, Thesei F. ibidem fanum. Observo apud eundem Harpocrationem *alibi*. Μελανίππειον. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος, Μελανίππου τοῦ Θησέως ἡρῷόν ἐστιν, ὥς φησιν Ἀσκληπιάδης τραγῳδουμένοις. Κλείδημος δ᾽ ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος, ἐν Μελίτῃ αὐτὸ εἶναι λέγει. *Melanippium. Lycurgus in oratione contra Lycophronem, Melanippi Thesei filii fanum est, ut testatur Asclepiades in Tragœdumenis. Clidemus vero in libro primo Atthidis, in Melite id esse dicit.* Erat autem ea pars Urbis, quæ retro Porticum longam. Schol. Aristophanis *ad Aves*. μέρος τι νῦν συνήθως γέγονε τὸ Κολωνὸν καλεῖν, τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς, ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι. Μελίτη γὰρ ἅπαν ἐκεῖνο, ὡς ἐν τοῖς ὁρισμοῖς γέγραπται τῆς πόλεως. *Pars quædam nunc consuevit Colonum vocari, retro post longam porticum, sed non est. Melite enim prope illud, quemadmodum in limite urbis scriptum est.* Habebat domum Themistoclis, & prope eam templum Dianæ Ἀριστοβούλης, ab ipso exstructum: ubi postea cadavera eorum, qui carnificis manu sublati, projici solita. Plutarchus in *Themistocle*. ἠνίασε δὲ τοὺς πολλοὺς καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἱσάμενος, ἣν Ἀριστοβούλην μὲν προσηγόρευσεν, ὡς ἄριστα τῇ πόλει καὶ τοῖς Ἕλλησι βουλευσάμενος. πλησίον δὲ τῆς οἰκίας κατεσκεύασεν ἐν Μελίτῃ τὸ ἱερὸν, οὗ νῦν τὰ σώματα τῶν θανατουμένων οἱ δήμιοι προβάλλουσι, καὶ τὰ ἱμάτια καὶ τοὺς βρόχους τῶν ἀπαγχομένων καὶ καθαιρεθέντων ἐκφέρουσιν. *Offendit quoque multos Dianæ fanum exstruens, quam Aristobulen apellavit, tanquam qui optima urbi & Græciæ suasisset. Juxta ædes vero suas extruxit in Melite fanum, ubi nunc cadavera supplicio affectorum carnifices projiciunt, vestesque & laqueos eorum, quibus laqueo gula frangitur & interfecti sunt, efferunt.* Hæc de re corruptus locus apud *eundem* de Herodoti Malign. οἶμαι μηδὲ ἐκείνης ἀνεχεῖς εἶναι Θεμιστοκλέους, καὶ τοῦ Θεμιστοκλέους βουλεύματος, ὁ βουλεύσας τῇ Ἑλλάδι ναυμαχῆσαι πρὸ τῆς Σαλαμῖνος, ἱδρύσατο ναὸν Ἀριστοβούλης Ἀρτέμιδος ἐν Μελίτῃ, τοῦ βαρβάρου καταπολεμηθέντος. *Existimo neque illos ignoravisse Themistoclem, & Themistoclis consilium, qui cum persuasisset Græciæ navali prælio certare ante Salaminem, extruxit fanum Aristobulæ Dianæ in Melite, barbaro devicto.* Hodie truncate editur, ναὸν βουλῆς Ἀρτέμιδος. Atqui Ἀριστοβούλη erat a Themistocle nuncupata. Nec vero ille primus hoc cognomen deæ excogitavit, sed Rhodiorum exemplo fecit, apud quos eo nomine jam ante colebatur. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *lib.* II. ἐθύετο γὰρ καὶ ἐν Ῥόδῳ μηνὶ Μεταγειτνιῶνι ἕκτῃ ἱσταμένου ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ. ὃ δὴ ἐπὶ πολὺ κρατῆσαν ἔθος μετεβλήθη. ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι μὲν τῶν Κρονίων συνεῖχον. ἐνστάσης δὲ τῆς ἑορτῆς προαγαγόντες τὸν ἄνθρωπον ἔξω πυλῶν ἄντικρυς τοῦ Ἀριστοβούλης ἕδους, οἴνῳ ποτίσαντες, ἔσφαττον. *Mactabatur enim in Rhodo mensis Metageitnionis die sexto homo Saturno. Qui mos diu observatus mutatus est. Unum enim ex illis qui publicis suffragiis morti addicti erant usque ad festum Saturni detinebant. Quum vero adesset festum, producentes hominem extra portas ex adverso Aristobules delubri, vino invitantes, mactabant.* Hic quoque mysteriis minoribus initiatus fuit Hercules, & templum illic ei conditum. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas*. ἡ Μελίτη δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾗ ἐμυήθη Ἡρακλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια. ἔστι δὲ ἐκεῖ καὶ Ἡρακλέους ἱερόν. *Melite populus Atticæ, in qua initiatus est Hercules minoribus mysteriis. est quoque ibi Herculis fanum.* Et in eo simulacrum ipsius, Geladæ opus, ejus qui Phidiam artem docuit. Joannes Tzetzes *Chil.* VIII. *cap.* CXCII.

> Γελάδου τοῦ Ἀργείου μὲν ἦν μαθητὴς Φειδίας,
> Τοῦ ἐν Μελίτῃ Ἀττικῆς πλάσαντος Ἡρακλέα.
> *Geladæ Argivi quidem erat discipulus Phidias,*
> *Ejus qui in Melite Atticæ finxit Herculem.*

Et corrigendus est Aristophanis Scholiastes, *loco citato*. τὸ δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἄγαλμα, ἔργον Γελάδου τοῦ Ἀργείου, τοῦ διδασκάλου Φειδίου. *Herculis vero statua, opus est Geladæ Argivi, doctoris Phidiæ*. Male editur, ἔργον Δλάδου τοῦ A. Nam Geladas dicebatur statuarius ille, Phidiæ doctor. Vides in verbis *Tzetzæ*, & apud *Suidam*. Γελάδας, ἀγαλματοποιὸς, διδάσκαλος Φειδίου. *Geladas, statuarius, doctor Phidiæ*. Atque hoc ἐν παρόδῳ. Etiam Phocion ædes illic suas habebat. Plutarchus in *ejus vita* testis. ἡ δὲ οἰκία τοῦ Φωκίωνος ἔτι νῦν ἐν Μελίτῃ δείκνυται, χαλκαῖς λεπίσι κεκοσμημένη, τὰ δὲ ἄλλα λιτὴ καὶ ἀφελής. *Domus vero Phocionis etiam nunc in Melite ostenditur, laminis æreis ornata; reliqua vero tenuis & modica*. Erat item Tragœdorum illic domus, valde ampla, quæ Μελιτέων οἶκος appellata. *Hesychius*. Μελιτέων οἶκος, ἐν τῷ τῶν Μελιτέων δήμῳ οἶκός τις ἦν παμμεγέθης, εἰς ὃν οἱ Τραγῳδοὶ ἐμελέτων. *Melitensium domus, in Melitensium populo domus quædam erat amplissima, in qua Tragœdi exercebant*. Quin & portæ quædam Urbis nomen inde consecutæ, Μελιτίδες πύλαι dicebantur. Pausanias in *Atticis*. μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων. *Monumentum est non longe ab portis Melitisin*. Marcellinus *in vita Thucydidis*. πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα. *Apud portas enim dictas Melitidas sunt in Cœle monumenta Cimonia vocata* [1].

[1] Herculis Ἀλεξικάκου fanum illic fuisse, observavit Gallandus Regis antiquarius ex Hesychio, in voce Ἐκ Μελίτης. Vetus inscriptio, quam possidebat Consul Giraldus, nunc est in Anglia apud Wehlerum:

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΛΗΡΑΚΛΕΙ
ΔΟΥ ΜΕΛΙΤΕΩΣ ΚΣΟΜΗΤΕΥ
ΟΝΤΟΣ ΑΤΤΙΚΟΥ ΤΟΥ..,
ΤΟΥ ΓΑΡΓΗΤΙΟΣ
ΚΑΙ ΣΥΣΤΑΤΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΑΝΕ
ΓΡΑΨΑΝ
Τ. ΑΙΛΙΟΣ ΛΕΥΚΟΣ ΠΑΛΛΗ...
ΦΙΛΟΙΤΙΟΣ ΓΑΜΟΥ ΜΕΛΙΤ.
ΟΝΗΣΙΜΟΣ ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ
ΣΩΣΙΣΟΣ ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΠΗ...
ΤΕΛΕΣΦΟΡΟΣ ΜΕΝΕΚΡ.....

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 443.

ΜΟΝΥΧΙΑ.

Incertum cujus tribus. Strabo *lib.* VIII. εἶθ' ὁ Πειραιεὺς, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς δήμοις ταττόμενος, καὶ ἡ Μουνυχία. *Dein Piræeum, & ipse inter populos constitutus, & Munychia.* Multa passim occurrit mentio, quippe loci celeberrimi. Nomen ab heroe Munycho; & fanum habebat Dianæ Μουνυχίας. *Stephanus.* Μουνυχίας, λιμὴν Ἀττικῆς, ἀπὸ Μουνύχου. καὶ ἱερὸν Μουνυχίας Ἀρτέμιδος. *Munychia, portus Atticæ, ab Munycho. Et fanum Munychiæ Dianæ.* Fanum Dianæ commemorat etiam Pausanias in *Atticis*. ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ἀθηναίοις, ὁ μὲν ἐπὶ Μουνυχίᾳ λιμὴν, καὶ Μουνυχίας ναὸς Ἀρτέμιδος. *Est quoque alius Atheniensibus, quidem ad Munychia portus, & Munychiæ Dianæ templum.* Et Xenophon *Hellenic. lib.* II. Ὥστε ἐμπλῆσαι τὴν ὁδὸν, ἡ φέρει πρός τε τὸ ἱερὸν τῆς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος. *Ita ut repleretur via, quæ tendit ad fanum Munychiæ Dianæ.* Antiquitus muro cincta erat, habitataque, fere quemadmodum urbs Rhodiorum, complexa mœnibus Piræeum quoque, & portus navalium plenos. eratque navale, quod naves CCCC. caperet: nam tam multis Atheniensium classis constabat. quin & armamentarium ibidem valde insigne, a Philone exstructum. Strabo *loco citato.* τὸ μὲν οὖν παλαιὸν ἐτετείχιστο καὶ συνῴκιστο ἡ Μουνυχία παραπλησίως ὥσπερ ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις, προσειληφυῖα τῷ περιβόλῳ τὸν Πειραιᾶ, καὶ τοὺς λιμένας πλήρεις νεωρίων, ἐν οἷς καὶ ἡ ὁπλοθήκη Φίλωνος ἔργον. ἄξιόν τε ἦν ναύσταθμον τετρακοσίαις ναυσὶν, ὧν οὐκ ἐλάττους ἔστελλον Ἀθηναῖοι. *Antiquitus quidem muro cincta & inhabitata fuit Munychia, fere quemadmodum Rhodiorum urbs, intra circuitum suum complexa Pireæum. & portus plenos navalium, inter quæ etiam armamentarium, opus Philonis, navale capiens quadrigentas naves, quibus haud minores mittebant Athenienses.* Ecce complectebatur item Piræeum; eratque ambitus ejus LX. stadiorum. Thucydides *lib.* I. τοῦ Πειραιέως ξὺν Μουνυχίᾳ ἑξήκοντα μὲν σταδίων ἅπας ὁ περίβολος. *Piræei cum Munychia circuitus omnis est sexaginta quidem stadiorum.* Philonis armamentarium, urbe capta, Sylla incendit. Plutarchus in *ejus vita.* εἶχε δὲ καὶ τὸν Πειραιᾶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ὁ Σύλλας, καὶ τὰ πλεῖστα κατέκαυσεν· ὧν ἦν καὶ ἡ Φίλωνος ὁπλοθήκη, θαυμαζόμενον ἔργον. *Tenuit autem Piræeum non diu post Sylla, & pleraque incendit. In quibus etiam fuit armamentarium Philonis, mirandum opus.* Memoratur de Munychia vaticinium Solonis, apud eundem Plutarchum *in vita ejus.* λέγεται δὲ τὴν Μουνυχίαν ἰδὼν, καὶ καταμαθὼν πολὺν χρόνον, εἰπεῖν πρὸς τοὺς παρόντας· ὡς τυφλόν ἐστι τοῦ μέλλοντος ἄνθρωπος· ἐκφαγεῖν γὰρ τοὺς Ἀθηναίους τοῖς αὑτῶν ὀδοῦσιν, εἰ προῄδεσαν ὅσα τὴν πόλιν ἀνιάσει τὸ χωρίον. *Fertur, cum quum Munychiam videret, & considerasset diu, dixisse adstantibus. Quam cæcus futuri est homo! Adedissent enim Athenienses id suis dentibus, si prævidissent quales urbi molestias pariturus hic locus.*

ΜΥΡΡΙΝΟΥΣ.

Recensetur inter populos etiam a Strabone *lib.* IX. εἶτα Μυῤῥινοῦς, Προβάλινθος, Μαραθών. *Deinde Myrrinus, Probalinthus, Marathon.* Erat autem tribus Pandionidis. *Stephanus.* Μυῤῥινοῦς, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς, ὁ δημότης, Μυῤῥινούσιος. *Murrinus, populus Pandionidis tribus, popularis Myrrinusius.* Nomen habet a myrtis illic nascentibus. Aristophanis Scholiastes *Pluto.* Μυῤῥινοῦς γοῦν δῆμος ἐν Ἀττικῇ μυῤῥίνας ἔχων. *Myrrinus itaque populus in Attica myrtos habens.* Meminit Alciphron in *Epistola quadam Petalæ ad Simalionem.* οὐκ ἔστιν ἐν Μυῤῥινοῦντι πατρῷον ἐμοὶ κτημάτιον. *Non est in Myrrinunte paterna mihi possessio.* Erat ibi fanum, & simulacrum, Colænidis. Pausanias *Atticis.* τὸ δὲ ἐν Μυῤῥινοῦντι ξόανον, ἐστὶ Κολαινίδος. *Statua autem in Myrrinunte, est Colænidis.* Ac Colænis quidem a Colæno conditore dicebatur. Idem Pausanias non *multo post.* τὴν δὲ ἐν Μυῤῥινοῦντι Κολαινίδα, ἀπὸ Κολαίνου ἡγοῦμαι καλεῖσθαι. *In Myrrinunte autem Colænidem, ab Colæno puto vocari.* Erat autem Dianæ cognomentum. *Suidas.* Κολαινὶς, ἐπώνυμον Ἀρτέμιδος. ἀπὸ Κολαίνου τοῦ κτίσαντος τὸ ἱερόν. *Colænis cognomen Dianæ, ab Colæno, qui fanum extruxit.* Corruptus est *Hesychii* locus. Κολεμὶς, Ἄρτεμις, ἀπὸ Κολέμου τοὔνομα λαβοῦσα. *Colemis, Diana, ab Colemo nomen hoc adepta.* Restitue. Κολαινὶς, Ἄρτεμις, ἀπὸ Κολαίνου τ. λ. Colænus ille antiquus Athenarum rex, ante Cecropem. Pausanias *in Attic.* ἔστι δὲ ὁ Κολαινὸς ἀνδρὸς ὄνομα, πρότερον ἢ Κέκροψ ἐβασίλευσεν, ὡς οἱ Μυῤῥινούσιοι λέγουσιν, ἄρξαντος. *Est autem Colænus viri nomen, qui prius quam Cecrops regnavit, quemadmodum Myrrinusii dicunt, imperium tenuit* [2].

ΞΥΠΕΤΗ.

Erat tribus Cecropidis. *Harpocration.* δῆμος τῆς Κεκροπίδος, Ξυπέτη, ἀφ' ἧς ὁ δημότης, Ξυπεταιών. *Populus Cecropidis, Xypete, a qua popularis, Xypetæon. Stephanus.* Ξυπέτη, δῆμος Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ξυπετεών. *Xypete, populus Cecropidis tribus. Popularis, Xypeteon.* Varie locus hic dicebatur. Primum Ξυπέτη, ut jam ostendimus. Atque inde non Ξυπεταιών, aut Ξυπετεὼς, ut *Harpocrationi* & *Stephano* placet, ὁ δημότης dicebatur, sed Ξυπέτιος. Ipsa tibi analogia hoc dicet. Et hoc occurrit apud Plutarchum in *Pericle.* ἀποθανόντος, δὲ τούτου, Μεταγένης ὁ Ξυπέτιος τὸ διάζωμα καὶ τοὺς ἄνω κίονας ἐπέστησε. *Quum autem ille mortuus esset, Metagenes Xypetius septum & superiores columnas addidit.* Vel Ξυπεταία quoque, & Ξυπετέα, scribebatur. Apud *Hesychium.* Ξυπετέα, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. *Xypetea, populus Cecropidis tribus.* Apud *Suidam.* δῆμος τῆς Κεκροπίδος, Ξυπεταία. *Populus Cecropidis, Xypetæa.* Corruptus locus apud Dionys. Halicarn. *Antiquit. Rom. lib.* I. ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετοικῆσαι φασὶν εἰς τὴν Ἀσίαν, δήμου Εξυπεταιέως ἄρχοντα. *Ex Attica migravisse dicunt in Asiam, imperantem populo Exypetæensi.* In Codice Veneto erat, δήμου Εξυπεταιέας. Omnino scribendum, δήμου Ξυπεταίας, vel, Ξυπετέας. Scripserat librarius, Ξυπεταίας, ε supra α adscripto, ut διττογραφίαν ostenderet. Hinc, qui eam scribendi rationem non intelligebant, fecerunt Ξυπεταιέας, moxque ab aliis præpositum ε. Atque hæc vera mendi istius origo. Et hinc sunt illa, Ξυπεταιών, & Ξυπετεών, de quibus initio a nobis dictum. Apud Diog. Laertium

---

1. ΜΟΛΣΟΣ.

Molsus citatur ab Hesychio: Μόλσος ὁ δῆμος Αἰολεῖς. Sopingius putat legendum esse Αἰολίδος, & quod sit populus Atticus. Verum tribus Æolis ibi nulla fuit. Omnino Hesychius voluit indicare vocem Μόλσον significare populum apud Æoles. Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 446.

2. Inscriptio vetus in Panagia Gorgopico:

ΗΡΑΚΛΕΩΝ ΗΡΑΚΛΕΩΝΟΣ ΚΗ
ΦΕΙΣΙΕΥΣ
ΔΩΡΟΘΗΕΑ ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΜΥΡ
ΡΙΝΟΥΣΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 446.

in *Platone lib.* III. *cap.* XLI. Νότοθεν δὲ Δημόστρατος ὁ Ξυπετεών. *Ab Ortu Demostratus Xypeteon.* Iterum *in Zenone, lib.* VII. Ἵππων Κρατιστοτέλους Ξυπετεών, καὶ οἱ συμπρόεδροι. *Hippon Cratistoteli Xypeteon, & qui simul præsident.* Ita recte a magno harum literarum principe Casaubono utrobique emendatum. Apud *Harpocrationem*, in citatis jam ante verbis, Ξυπεταιών est expressum. Et emendandus Demosthenes *Orat. in Lacritum.* πρὸ τοῖς δὲ ἐξεμαρτύρησεν Ἀχράδης Μνησωνίδου Ἀχαρνεύς, Σύστρατος Φιλίππου Ἱστιαιόθεν, Φιλτιάδης Κτησίου Ξυπεταιών, Διονύσιος Δημοκρατίδου Κολλίδης. *Ad quæ testatus est Achrades Mnesonidæ filius Acharnensis, Systratus Philippi filius, ab Histiæa, Philtiades Ctesiæ filius Xypetæon, Dionysius Democratidæ filius Collides.* Perperam editur, Φ. Κτησίου, ἐξ Υπαιτέων. Dicebatur quoque, Ξυπετέωνον. Stephanus *loco citato.* Φιλόχορος δὲ, Ξυπετέωνον τὸν δῆμον φησί. *Philochorus autem, dicit fuisse populum Xypeteonum.* Scribebant vero & Ξυπεταίωνον; non aliter quam Ξυπεταία, & Ξυπετέα. Atque hinc Ξυπεταιονεύς, apud *Suidam.* Porro censebatur ἐν τοῖς Τετρακώμοις; ut ex Polluce accipimus *lib.* IV. *cap.* XIV. Sed corrupta ejus verba. οὐκ οἶδα εἴ τι προσῆκον ἦν τοῖς Ἀθήνησι Τετρακώμοις, οἳ ἦσαν Πειραιεῖς, Φαληρεῖς, Οξυπετεῶνες, Θυμοιτάδαι. *Ignoro, num quid conveniat Atheniensibus Tetracomis, qui erant Piræenses, Phalerenses, Oxypeteones, Thymoetadæ.* Emenda, Π. Φαληρεῖς, Ξυπετεῶνες, Θυμοιτάδαι. Antiquitus Τροία dicebatur. Stephanus *in illa voce.* εἰσὶ καὶ ἄλλαι Τροίαι, ἐν Ἀττικῇ κώμη, ἥ τις νῦν Ξυπέτη δῆμος καλεῖται. *Sunt & aliæ Trojæ, in Attica pagus, quæ nunc Xypete populus vocatur.* Nempe e Teucro, qui inde in Asiam commigrasset. Strabo *lib.* XIII. ἄλλοι δ' ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀφῖχθαί τινα Τεῦκρόν φασιν ἐκ δήμου Τρώων, ὃς νῦν ὁ Ξυπετεὼν λέγεται. *Alii vero inquiunt ex Attica venisse quemdam Teucrum ex populo Troum, qui nunc Xypeteon dicitur.* Male locum illum sollicitant viri docti. Neque alio spectat locus *Dionysii Halicarnassei*, cujus partem paullo ante citavi. Τοῦτον δὲ (τὸν Τεῦκρον) ἄλλοι τε πολλοί, καὶ Φανόδημος, ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν, ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετοικῆσαί φασιν εἰς τὴν Ἀσίαν, δήμου Ξυπεταίας ἄρχοντα. *Hunc autem (Teucrum) & alii multi, & Phanodemus, qui Atticam antiquitatem conscripsit, ex Attica commigrasse dicunt in Asiam, quum præesset populo Xypetææ.* Ita enim postrema illa verba legi debere jam ostendi.

ΟΑ. sive, ΟΕΙΣ.

Pandionidis tribus. *Stephanus.* Οα, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. *Oa, populus Atticæ, Pandionidis tribus. Etymologici Auctor.* ἔστι γὰρ τὸ ὄα, ὅπερ ἀπὸ τοῦ οἶα γέγονεν. ἐξ οὗ καὶ τὸ διὰ τῆς ωδιφθόγγου ὤα. δηλοῖ δὲ δῆμον Ἀττικὸν, καὶ τοῦ χιτῶνος τὸ ἄκρον. *Est enim ὄα, ac si ab voce οἶα derivata fuerit. Ex quo & per ω diphthongum venit ὤα. Notat autem populum Atticum, & tunicæ oram.* Dicebant etiam pluraliter, Οεις. Stephanus *ibidem* ex Dionysio. Διονύσιος δὲ ὁ τοῦ Τρύφωνος φησι, τὸ πληθυντικὸν Οεις λέγεσθαι αὐτὰς, ὡς καὶ ἄλλα πολλά. *Dionysius autem Tryphonis filius inquit in numero plurali Oenses dici ipsas, ut multa alia.* Utrumque doctissimus Grammaticorum *Hesychius* repræsentaverat; sed locus ejus ita corruptus, ut id ignoretur. Editur enim hodie, Οάσεις, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. *Oases, populus Pandionidis tribus.* Restituo, Οα, Οεις, δῆμος τ. Π. φ. Hæc vera lectio. Qui inde oriundus, Οαθεν dicebatur. Stephanus *loco citato.* ὁ μέντοι δημότης, Οαθεν λέγεται. Δάμων Δαμωνίδου Οαθεν. *Popularis quidem, ab Oa dicitur, ut Damon Damonidæ filius ab Oa.* Alia erat, ne confundas [1].

ΟΗ. sive ΟΙΗ.

Oeneidis tribus. *Stephanus.* λέγεται καὶ Ὄη. ἔστι δ' Ὄη Οἰνηΐδος φυλῆς. *Dicitur quoque Oe. Est autem Oe Oeneidis tribus.* Et seorsim quoque commemorat *Hesychius.* Οη, δένδρον, καὶ δῆμος τῆς Ἀττικῆς. *Oe, arbor, & populus Atticus.* Utramque appellationem repræsentaverat *Suidas*, quomodo τῆς Ὄας supra *Hesychius*; sed, pari quoque cum illo sorte, corrupta hodie ejus verba. Οἴηθεν. δῆμος Πανδιονίδος, Οἰείη. *Ab Oe. Populus Pandionidis, Oeee.* Restitue, δ. Πανδιονίδος, Οη, Οἴη. Sed temere confundit, cum Pandionidis tribus dicat, quæ Oeneidis esset; nam ad Pandionidem Οα pertinebat, de qua jam dixi. Accepit autem errorem hunc suum ab *Harpocratione*, qui itidem Pandionidi adscribit. Verba ejus ecce ista. δῆμος τῆς Πανδιονίδος ἡ Οἴη. *Populus Pandionidis Oee.* Ut autem Ὄη & Οἴη dicebant ita adverbialiter etiam Ὄηθεν, & Οἴηθεν. De priori *Stephanus.* ὁ δημότης, Ὄηθεν. *Popularis, ab Oe.* Posterius habes apud *Harpocrationem*, & *Suidam.* Et apud Diog. Laertium in *Polemone, lib.* IV. *c.* XVI. Πολέμων, Φιλοστράτου μὲν υἱὸς ἦν Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Οἴηθεν. *Polemon, Philostrati quidem filius erat Atheniensis, quod ab populos ab Oee.* Emendandus est Plutarchus in *Pericle.* τρέπεται πρὸς τὴν τῶν δημοσίων διανομὴν, συμβουλεύοντος αὐτῷ Δημωνίδου τοῦ Ινηθεν, ὡς Ἀριστοτέλης ἱστόρηκεν. *Convertitur ad publicæ pecuniæ largitionem, suadente ipsi Demonide Iensi, ut Aristoteles narravit.* Rescribe, Δ. τοῦ Οηθεν. vel certe, Οἴηθεν. Meminit τῆς Οἴης Sophocles *Oed. Col. v.* 1113. *&c.*

Ἦπου τὰν ἐφέσπερον
Πέτρας νιφάδος πελῶσ'
Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ,
Πώλοισιν ἢ ῥιμφαρμάτοις
Φεύγοντες ἁμίλλαις;
An vero versus occidentem
Petræ Niphadis occurrent,
Oeatidis ex pascuis,
Equestribus vel curulibus
Fugientes præliis.

Ubi *Scholiastes.* Οἴη, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ὅθεν καὶ τὸ Οἴηθεν. *Oee, populus Atticæ. Unde etiam ab Oee.* Non recte illic editur, Οἶα, δ. Sed damnat explicationem *Hesychius.* Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ, Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐπὶ Κολωνοῦ, τῆς προβατευομένης ἐκνεμήσεως. οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ δήμου, κακῶς. οὐ γὰρ ἐγγὺς κεῖται. *Oeatidis ex pascuis, Sophocles Oedipo in Colono, ex pastione ovibus frequentata. Alii autem ab populo, male. Haud enim prope jacet.* Ita emendo; nam male editur, οἱ δὲ ἀοιτοῦ δήμου. Apud Eustathium commemoratur Οἶος, & dubitat an idem sit quod Οἴη. Locus ecce est in *commentario ad Iliad.* τὸ Οἰὸς, δῆμος δέ ἐστιν Ἀττικῆς, ὀξυτόνως, οὐκ ἔχει σύμφωνον πρὸ τοῦ ος. ὁ δὲ ῥηθεὶς Οἰὸς ἔοικε καὶ Οἴη λέγεσθαι θηλυκῶς. διὸ καὶ ὁ ἐκ τοῦ τοιούτου δήμου Οἴηθεν ἐλέγετο εἶναι, καθ' ὁμοιότητα τοῦ Ἀθήνηθεν, Θήβηθεν. εἰ δὲ ἴσως ἄλλος δῆμός ἐστιν

---

1. Fuit quondam tribus Pandionidis, ut multi Auctores scribunt, sed postea addita est Adrianidi; vide inscriptionem superius allatam ad populum Eleusa, in qua legitur:

ΕΥΠΑΙΔΕΙΟΣ
ΟΑΘΕΝ.

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 447.

ὁ Οἰός, καὶ ἄλλος ἡ Οἴη, ζητητέον ἑτέρωθεν. *Oeos, populus autem est Atticæ, cum accentu acuto, non habet consonantem ante syllabam ος. Qui vero dicitur Oeos consuevit etiam Oee dici fœminine. Propterea ille qui ex eo populo est, ab Oee dicebatur esse, juxta similitudinem vocum, ab Athenis, ab Thebis. Si autem fortassis alius populus est Oeos, & alter Oee, quærendum est aliunde.* Sed errat profecto; neque enim, veluti masculino genere, Οἰὸς sed neutro dicebatur [1].

ΟΙΝΑΙ.

Oenæ. Hesychius: Οἶναι, οἱ μὲν, τῆς Ἀτταλίας· οἱ δὲ τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς εἶναι. *Oenæ, quidam ajunt, esse tribus Attaliæ; alii vero, Ptolemaidis.* Popularis Οἰναῖος dictus. Inscriptio Vetus, ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΟΣ ΕΚ ΜΥΡΡΙΝΟΥΝΤΗΣ ΞΕΝΟΦΙΛΟΣ ΟΙΝΑΙΟΣ, ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ. Ita legendum; male editur, ΞΕΝΟΦΙΛΟΣ ΘΙΝΑΙΟΣ. Et ad hos proverbium pertinet, Οἰναῖοι τὴν χαράδραν, de iis, qui sibi ipsi malum aliquod arcessebant. Meminere *Hesychius, Tarrhæus, Suidas, Zenobius,* item *Apostolius.* R. A.

ΟΙΝΟΗ.

Nomen ab Oenoe quadam. Pausanias *in Atticis.* ἑξῆς δὲ ἐπὶ τῷ βάθρῳ καὶ ἔποχος καλούμενος, καὶ νεανίας ἐστὶν ἕτερος. ἐς τοῦτο ἄλλο μὲν ἤκουσα οὐδὲν, ἀδελφοὺς δὲ εἶναι σφᾶς Οἰνόης, ἀφ' ἧς ἐστι τὸ ὄνομα τῷ δήμῳ. *Deinde in sella qui Epochus vocatur, & adolescens est alius, de quo aliud quidem audivi nihil, nisi fratres eos esse Oenoes, a qua est nomen populo.* Meminit Isæus in *Orat.* περὶ τοῦ Ἀγνίου κλήρου. ἡ δὲ ἐμὴ πόση τις; χωρίον ἐν Οἰνόῃ πεντακισχιλίων. *Mea vero qualis? ager in Oenoe quinque milium.* Zenobius *Cent.* V. *Proverb.* XXIX. Οἰνόη, δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς. *Oenoe, populus est Atticæ.* Corrigi debet apud *Harpocrationem.* Οἰνόη, καὶ Οἰνοιαῖος. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα. καὶ ἔφασαν ἐν Οἰνόῃ ἀκοῦσαι, ὅτι μάχη εἴη γεγονυῖα. *Oenoe, & Oenoeaus. Hyperides in oratione contra Aristogitonem. Et dixerunt in Oenoe se audivisse, pugnam commissam esse.* Hodie editur, Οἰνέη καὶ Οἰναῖος. Et in Hyperidis verbis iterum, ἐν Οἰνέῃ. Non ignoro Οἰνέην, urbem circa Isthmum Corinthiacum, ex *Strabone* & *Plinio*; sed tamen mendum hic esse contendo, idque ex sequentibus clarum. Deinde ab Οἰνόη fit Οἰνοαῖος, non Οἰναῖος. Ipsa id analogia dicit; & fidem quoque facit *Stephanus,* ubi de Oenoa Icariæ urbe. Οἰνόη, μία τῶν ἐν Ἰκαρίᾳ δύο πόλεων. τὸ ἐθνικὸν, Οἰνοαῖος. *Oenoe, una ex duabus urbibus, quæ sunt in Icaria. Gentile, Oenoæus.* Itaque mox apud eundem *Harpocrationem* rescribendum, ἀφ' ἑκατέρου δὲ τῶν δήμων, ὁ δημότης Οἰνοαῖος καλεῖται. *Ab utroque autem populorum, popularis Oenoæus vocatur.* Erant vero populi hoc nomine bini. Unus ad Eleutheras, Hippothoontidis tribus: alter ad Marathonem, Æantidis. *Harpocration.* Οἰνόη, (ita recte habet Aldina editio, pro quo in Parisiensi est, Οἰνέη.) ἡ μὲν, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος, περὶ Ἐλευθεραῖς· ἡ δὲ τῆς Αἰαντίδος, πρὸς Μαραθῶνι. *Illa quidem, populus Hippothoontidis, circa Eleutheras: altera vero, Æantidis, ad Marathonem.* Sic enim legendus, & interpungendus totus ille locus. Facit itidem duas Oenoas Strabo *lib.* VIII. ὠνομάζετο δὲ Οἰνώη πάλαι, ὁμώνυμος δυσὶ δήμοις τῆς Ἀττικῆς, τῷ τε πρὸς Ἐλευθεραῖς,

—— Οἰνόης
Σύγχορτα ναίειν πεδία, τῶν τ' Ἐλευθεραῖς.

καὶ μιᾷ τῶν ἐκ Τετραπόλεως, τῆς περὶ Μαραθῶνα. *Vocabatur autem Oenone olim, eodem nomine quo duo populi Atticæ, quorum unus ad Eleutheras,*

—— *Oenoes*
Fœnarios incolere campos, qui ad Eleutheras,

& una illorum qui ex Tetrapoli, quæ circa Marathonem. Ubi recte Strabonem reprehendit Casaubonus, quod Οἰνώνην & Οἰνόην confundat. Ac prioris quidem, quæ ad Eleutheras, meminit Thucydides *lib.* II. ὁ δὲ στρατὸς τῶν Πελοποννησίων προϊὼν ἀφίκετο τῆς Ἀττικῆς εἰς Οἰνόην πρῶτον. *Exercitus autem Peloponnesiorum procedens pervenit primum ad Oenoen Atticæ.* Et postea: ἡ γὰρ Οἰνόη, οὖσα ἐν μεθορίοις τῆς Ἀττικῆς καὶ Βοιωτίας, ἐτετείχιστο. *Oenoe enim, sita in confiniis Atticæ & Bœotiæ, muro cincta fuit.* Ubi *Scholiastes.* Οἰνόη, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ὅριον οὖσα Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν. *Oenoe, populus Atticæ, terminus Atheniensium & Bœotorum.* Certum inde, quod in limite Atticæ & Bœotiæ commemoret; nam Eleutheræ illic erant. Vides apud Pausaniam *in Atticis.* ἐκ δὲ Ἐλευσῖνος τραπομένοις ἐπὶ Βοιωτῶν, ἔστιν ὅμορος Ἀθηναίοις ἡ Πλαταιίς. πρότερον μὲν γὰρ Ἐλευθερεῦσιν ὅροι πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἦσαν. *Illis autem qui ex Eleusine tendunt ad Bœotos, occurrit confinis Atheniensibus Platæensis ager. Nam primum quidem erant Eleutherensium termini versus Atticam.* Et quæ illic sequuntur. Alterium Oenoes, quæ ad Marathonem, mentio est apud Lucianum *Icaromenippo.* μάλιστα δὴ ἐπ' ἐκείνοις ἐπῄει μοι γελᾶν, τοῖς περὶ γῆς ὅρων ἐρίζουσι, καὶ τοῖς μέγα φρονοῦσιν ἐπὶ τῷ τὸ Σικυώνιον πεδίον γεωργεῖν, ἢ Μαραθῶνος ἔχειν τὰ περὶ τὴν Οἰνόην. *Potissimum autem illos volupe mihi erat ridere, qui de finibus regionis disceptant, & qui alte elati sunt, quia Sicyonium agrum colunt, aut quædam Marathonis possident circa Oenoen.* Item apud Libanium in *Apologia Demostenis.* Ἐλάτειαν κατείληφε, ἀλλ' οὐ Πάνακτον, οὐδὲν Δεκέλειαν, οὐδὲ Οἰνόην. *Elateam occupavit, sed non Panactum, neque Deceleam, neque Oenoen.* Atque hæc quidem una erat e Tetrapoli Atticæ. Vides in verbis *Strabonis* citatis. καὶ μιᾷ τῶν ἐκ Τετραπόλεως τῆς περὶ Μαραθῶνα. *Et una ex Tetrapoli quæ circa Marathonem.* Et habes apud *Stephanum.* Τετράπολις, τῆς Ἀττικῆς, ἔχουσα δήμους καὶ πόλεις τέτταρας, Οἰνόην, Προβάλινθον, Τρικόρυθον, Μαραθῶνα. *Tetrapolis, Atticæ, habens populos & urbes quatuor, Oenoen, Probalinthum, Tricorython, Marathonem.*

[2] ΟΙΟΝ.

Ecce apud *Stephanum.* Μετάχοιον, φρούριον Βοιωτίας, μεταξὺ Ὀρχομενοῦ καὶ Κορωνείας. Ἔφορος τριακοστῷ. τὸ ἐθνικὸν, ἐκ Μεταχοίου. ὡς τοῦ Οἴου, τὸ ἐξ Οἴου. Οἶον δὲ δῆμος Ἀττικῆς. *Metachœum, castellum Bœotiæ, inter Orchomenum & Coroneam. Ephorus in libro trigesimo. Gentile, ex Metachœo; uti in Oeo, qui ex Oeo. Oeon autem populus Atticæ.* Bini vero hoc nomine populi; alter Ceramici, Leontidis tribus: alter Deceleæ, Hippothoontidis. *Harpocration.* δῆμοί εἰσιν ἐν τῇ Ἀττικῇ διττοὶ οὐδετέ-

---

1. Hic natus est Lysicles, cujus meminit inscriptio, quam vide in populo Ἀγνοῦς.

ΛΥΣΙΚΛΗΣ ΒΙΟΤΤΟΥ ΟΙΗΘΕΝ
&c.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 447.

2. Semileuca extra Athenas in via, quæ tendit versus Caput Columnæ:

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΗΡΟΔΟΥ
ΕΞΟΙΟΥ

Spon. *Itin. Tom.* 2. *p.* 448.

ρως λεγόμενοι. Δ. καλοῦνται δὲ Οἶον. κεκλῆσθαί φησιν ὑπὸ Φιλοχόρου ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ, διὰ τὸ μηδαμῶς εὐοίκητον τόπον ἔχειν, ἀλλὰ μεμονῶσθαι. τὸ γὰρ μόνον, οἶον ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι. ἔστι δὲ τὸ μὲν Κεραμεικοὶ Οἶοι τῆς Λεοντίδος φυλῆς. τὸ δὲ, Δεκελεικοὶ, τῆς Ἱπποθοωντίδος, ὡς Διόδωρος. οἱ δὲ δημόται ἑκατέρωθεν ἐλέγοντο, ἐξ Οἴου. ἄλλοι δ' ἦσαν οἱ λεγόμενοι Οἴηθεν. ὡς προείρηται. *Populi sunt in Attica bini neutro genere dicti. Vocantur autem Oeon. Ita vocatos inquit Philochorus in tertiodecimo libro, quia nullo modo habitabilem locum habent, sed desolati sint. solum enim* Οἶον, *vocarunt Veteres. Est autem alterum quidem Ceramicum Oeum Leontidis tribus: alterum vero Decelicum, Hippothoontidis, secundum Diodorum. Populares autem ab utroque dicebantur ex Oeo. Alii autem erant qui vocabantur ab Oea, ut ante dictum est.* Videndus quoque Suidas *in* Οἶον, qui hæc transcripsit. De priori intelligendus *Stephanus*, cum ait. Οἶον, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Oeon, populus Leontidis tribus*. Utrinque οἱ δημόται dicebantur ἐξ Οἴου, ut apparet ex citatis *Stephani* & *Harpocrationis* verbis. Itaque emendandus locus Demosthenis in *Orat. adversus Macartatum*. γένει ὄντα ἐγγυτάτω Ἁγνίᾳ τῷ ἐξ Οἴου. *Genere proxime tangens Hagniam ex Oeo*. Et *postea*: διαθήκας δὲ ψευδεῖς ἧκον κατασκευάσαντες Γλαῦκός τε ὁ ἐξ Οἴου, καὶ Γλαύκων ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ. *Pacta autem mendacia præparata habentes venerunt Glaucus simul ex Oeo, & Glaucon frater ejus*. Perperam utrobique editur, ὁ Ἐξοίου. Ea res non animadversa in errorem impulit eruditissimum Interpretem. Vertit enim, *Hagniæ Exœi F*. Et, *Glaucon Exœi F*. Debuerat, *Hagniæ OEensi*. Et, *Glaucon OEensis*. Dicebant vero adverbium e loco, Οἴοθεν; quemadmodum ab Οα, Οαθεν: ab Οη sive Οἴη, Οηθεν & Οἴηθεν. Itaque corrigendus Lysias *in Apologia*, ὑπὲρ τοῦ Ἐρατοσθένους φόνου. ἔστι δὲ, ἔφη, Ἐρατοσθένης Οἴοθεν ὁ ταῦτα πράττων. *Est autem, inquit, Eratosthenes ab Oeo, qui talia facit*. Male hodie est in vulgatis, Ἐρατοσθένης οἴκοθεν. Nomen autem utrique huic Oeo; quod essent nimirum loca sola, & minus commoda habitari. quippe οἶον veteribus Græcis idem quod μόνον. Ecce in verbis *Harpocrationis*, quæ statim citavimus. κεκλῆσθαί φησιν οὕτω Φιλόχορος ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ, διὰ τὸ μηδαμῶς εὐοίκητον τόπον ἔχειν, ἀλλὰ μεμονῶσθαι. τὸ γὰρ μόνον, οἶον ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι. *Vocatos inquit hoc modo Philochorus in tertiodecimo libro, quia nullo modo commode habitabilem locum habeat, sed desolatus sit. solum enim* οἶον *dicebant antiqui*. Ac corrigendus per hanc occasionem insignis maxime *Hesychii* locus. οἴημο* νυμία, νομίζεις, ὑπολαμβάνεις. ἢ ὅποι. οἴη δὲ, τὰ αὐτὰ, ὁποῖδε. Restituo. οἴη, μόνη, μία, νομίζεις, ὑπολαμβάνεις. ἤ, ὁποία. οἴη δὲ τὰ αὐτὰ, ὁποίαδε. Οἴη, i. e. *sola, una, putas, existimas. Vel, qualis, οἴη autem, illa ipsa, & qualia*. Una serie explicatur οἴη nomen fœmininum, οἴῃ secunda persona verbi οἴομαι, & οἴη.

ΟΤΡΥΝΕΙΣ.

Otrynenses. Demosthenes, *Orat. in Leocharem*: Τὸ γὰρ ἐξ ἀρχῆς, ὦ ἄνδρες δικασταί, γίνονται Εὐθυμάχῳ τῷ Ὀτρυνεῖ υἱεῖς τρεῖς, Μειδυλλίδης, καὶ Ἀρχιππος, καὶ Ἀρχιάδης. *Initio enim, Judices, Euthymacho Otrynensi nati sunt filii tres, Midyllides, & Archippus, & Archiades*. Et eorum illic nomen passim occurrit. Ac laudantur gobiones Otrynenses ab Antiphane, *in Timone*, apud Athenæum, *lib.* VII.

Ἀντιφάνης δ' ἐν Τίμωνι ἐπαινῶν τοὺς κωβιοὺς, καὶ ὁπόθεν εἰσὶ κάλλιστοι, δηλοῖ διὰ τούτων.

> Ἡμῖν δὲ τοῖς θνητοῖς ἐπριάμην κωβιούς·
> Ὡς προσβαλεῖν δ' ἐκέλευσα τὸν τοιχωρύχον
> Τὸν ἰχθυοπώλην, προστίθημί, φησι, σοι
> Τὸν δῆμον αὐτῶν· εἰσὶ γὰρ Φαληρικοί.
> Ἄλλοι δ' ἐπώλουν, ὡς ἔοικ' Ὀτρυνικούς.

Antiphanes vero in Timone laudans gobios, & unde optimi advehantur, significat his verbis:

> *Nobis vero mortalibus emi gobios.*
> *Ut vero adjicere jussi vecticularium*
> *Piscium venditorem; appono, inquit, tibi*
> *Illorum populum: sunt enim Phalerici.*
> *Alii vero, ut videtur, vendebant Otrynenses.*

Ubi non recte interpres doctus Ὀτρυνικοὺς vertit *Alienigenas*; cum deberet, *Otrynenses*. R. A.

[1] ΠΑΙΑΝΙΑ.

Hoc verum istius populi nomen; atque inde qui oriundus, Παιανιεύς. ut Ἀζηνιὰ, Λουσιὰ, Πλωθιὰ, & similia: unde Ἀζηνιεὺς, Λουσιεύς, Πλωθιεύς. De quibus singulis suo loco. Erant autem duo hoc nomine populi. Unus, Παιανιὰ καθύπερθεν; alter, Παιανιὰ ὑπένερθεν dicebatur: uterque pertinebat ad tribum Pandionidem. Suidas *in* Παιανιεῖς. δῆμοι διττοί εἰσι Παιανιέων, τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. οὓς Διόδωρος καλεῖσθαί φησι, Παιανιὰν καθύπερθεν, καὶ Παιανιὰν ὑπένερθεν. τοὺς δὲ δημότας ἑκατέρου δήμου καλεῖσθαι ὁμοίως Παιανιέα. *Populi bini sunt Pæaniensium*. Ita locum illum restituo. Perperam hodie editur, ὡς Διώδωρος κ. φ. Παιανιαίαν καθύπερθεν, καὶ Παιανιαίαν ὑπένερθεν. Eodem modo apud *Harpocrationem* laboratur; at tu rescribe ad hoc exemplum. Apud *Hesychium* simpliciter plane habes. Παιανία, ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς. *Pæaniensem, ab populo Atticæ*. Ex alterutra autem Pæania oriundus Demosthenes. Plutarchus *in ejus vita*. Δημοσθένης Δημοσθένους καὶ Κλεοβούλης, τῆς Πύλωνος θυγατρὸς, τὸν δὲ δῆμον Παιανιεύς. *Demosthenes Demosthenis filius & Cleobules, quæ filia Pylonis, quod ad populum Pæaniensis*. Emendandus Joannes Tzetzes *Chil.* VI. *cap.* XXXVII.

> Ὁ ῥήτωρ Δημοσθένης δὲ υἱὸς ἦν Δημοσθένους.
> Ἀνδρὸς Παιανιέως τε, καὶ ἐλευθέρου φύσιν.
> *Rhetor Demosthenes autem filius erat Demosthenis,*
> *Viri Pæaniensis, & liberi natura.*

Hodie editur, ἀνδρὸς Παλανιέως τε. Et impegit Interpres, cum verteret, *Viri Palaniei*. Apud Æschinem *Orat. in Ctesiphontem* nominatur Demomeles quidam Pæaniensis. ἐγράψατο εἰς Ἄρειον πάγον Δημομέλη τὸν Παιανιέα, ἀνεψιὸν ὄντα. *Adscripsit in Areopagum Demomelem Pæaniensem, patruelem*.

ΠΑ-

1. Pæania Superior fuit patria Demosthenis, Pæania Inferior fuit patria Tiberii Claudii Theogenis, præfecti militiæ Atheniensium, ut innotescit ex inscriptione, quæ dabitur inferius in populo ΤΡΙΚΟΡΥΘΟΣ. Fuit ibi quoque natus Phædrus filius Zoili. Inscriptio Atheniensis in ecclesia, quæ vocatur Panagia Gorgopico, sub Quadrante marmoreo:

ΦΑΙΔΡΟΣ ΖΩΙΛΟΥ
ΠΑΙΑΝΙΕΥΣ ΕΠΟΙΕ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 449.

ΠΑΙΟΝΙΔΑΙ.

Leontidis tribus. *Harpocration in* Παιανιεῖς. διαφέρουσι δὲ οὗτοι τῶν Παιονιδῶν, ὡς Ἴστρος ἐν ἀτάκτῳ ὑποσημαίνει. μνημονεύουσι δὲ καὶ τούτων οἱ ῥήτορες, ὥσπερ καὶ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Στεφάνου περὶ τοῦ ὀχετοῦ. δῆμος δέ ἐστι καὶ οὗτος τῆς Λεοντίδος, ὡς αὐτὸς Διόδωρος δηλοῖ. *Differunt autem hi a Pæonidis, ut Istrus in libro* ἀτάκτῳ *indicat. Meminerunt autem & illorum rhetores, quemadmodum & Dinarchus in oratione contra Stephanum de aquæductu. Populus vero etiam hic est Leontidis, ut ipse Diodorus innuit. Suidas.* διαφέρουσι δὲ οὗτοι (οἱ Παιανιεῖς nimirum) τῶν Παιονιδῶν. δῆμος δέ ἐστι καὶ οὗτος τῆς Λεοντίδος. *Differunt vero hi (Pæanenses) a Pæonidis. Populus autem est & hic Leontidis.* Hinc Cinesias quidam, apud Aristophanem *Lysistrata, v.* 852.

Ἀνὴρ ἐκείνης, Παιονίδης Κινησίας.
Maritus illius, Pæonides Cinesias.

ΠΑΛΛΗΝΗ.

Antiochidis tribus. *Stephanus in* Παλλήνη. ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικὸς τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, οὕτω λεγόμενος. *Est autem & populus Atticus Antiochidis tribus, hoc modo dictus.* Harpocration. Παλλήνη, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. *Pallene, populus Antiochidis.* Hic populus nunquam cum Agnusiis nuptias contrahebat. Plutarchus docet in *Theseo*. ἐκ τούτου φασὶ τοῖς Παλληνέων δήμοις πρὸς τοὺς Ἀγνουσίων ἐπιγαμίαν μὴ εἶναι. *Inde dicunt Pallenensium populo cum Agnusiis matrimonium non contrahi.* Vide causam in verbis illic antecedentibus. Et hic pugna commissa inter Pisistratum & Athenienses. Schol. Aristophanis *ad Acharnenses*. οἱ Παλληνεῖς δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα Πεισιστράτῳ βουλομένῳ τυραννεῖν, καὶ Ἀθηναίοις ἀμυνομένοις αὐτόν, πόλεμος συνέστη. *Pallenenses populus est Atticæ, ubi inter Pisistratum volentem dominari, & Athenienses ipsum abigentes, bellum exstitit.* Emendandus Diogenes Laertius *in Theophrasto lib.* v. *cap.* LVII. μάρτυρες Κάλλιππος Παλληνεύς, Φιλόμηλος Εὐωνυμεύς. *Testes Callippus Pallenensis, Philomelus Euonymensis.* Hodie perperam editur, Κάλλιππος Πελανεύς. Meminit quoque Pallenensium Aristophanes *Acharnensibus, v.* 191.

Ἀλλὰ δεῖ ζητεῖν τὸν ἄνδρα, καὶ βλέπειν Παλληνάδε.[1]
Sed decet quærere virum, & videre Pallenensem.

ΠΑΜΒΩΤΑΔΑΙ.

Erechtheidis tribus. *Harpocration.* Παμβωτάδαι, τῆς Ἐρεχθηΐδος δῆμος. *Pambotadæ, Erechtheidis populus.* Male apud *Suidam*. Παμβῶται, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος. *Pambotæ, populus Erechtheidis.* Rescribe, Παμβωτάδαι. Qui inde oriundus, Παμβωτάδης dicebatur. *Stephanus*. Παμβωτάδαι, (ita enim scribendum, non Παμβωτάδης) δῆμος Ἀττικός, Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Παμβωτάδης. τὰ τοπικά, ἐκ Παμβωτάδων, εἰς Παμβωτάδων, ἐν Παμβωτάδων. *Pambotadæ, populus Atticus, Erechtheidis tribus. Popularis, Pambotades. Localia, ex Pambotadis, ad Pambotadas, in Pambotadis.* Demosthenes *Orat. in Nicostratum*. τίθημι οὖν τὴν συνοικίαν ἑκκαίδεκα μνῶν Ἀρκεσάντι Παμβωτάδῃ. *Constituo igitur cohabitationem sedecim minis Arcesanti Pambotadæ.* Male apud *Harpocrationem* Παμβωτάδεις, apud *Suidam* Παμβωτάδες vulgatur[2].

[3] ΠΑΡΝΗΣ. sive, ΠΑΡΝΗΘΟΣ.

Inter populos Atticæ montanos commemorat Strabo, *lib.* IX. Optima illic suum agrestium, & ursorum, venatio erat. Pausanias *in Atticis*. Ὄρη δὲ Ἀθηναίοις ἐστὶ Πεντελικόν, ἔνθα λιθοτομίαι. καὶ Πάρνης, παρεχομένη θήραν συῶν ἀγρίων, καὶ ἄρκτων. *Montes autem Athenienfibus sunt Pentelicus, ubi lapidicinæ; & Parnes, præbens venationem suum agrestium & ursorum.* Meminerunt ejus etiam *Stephanus*, Athenæus *lib.* v. & Thucydides *lib.* II. Erat illic simulacrum æneum Jovis Παρνηθίου, & ara Σημαλέου. item altera quoque ara, in qua Jovi sacrificabant, modo Ὄμβριον, modo Ἀπήμιον indigetantes. Pausanias *Atticis*. Καὶ ἐν Πάρνηθι Παρνήθιος Ζεὺς χαλκοῦς ἐστι, καὶ βωμὸς Σημαλέου Διός. ἔστι δὲ ἐν τῇ Πάρνηθι καὶ ἄλλος βωμός. θύουσι δὲ ἐπ' αὐτοῦ, τότε μὲν Ὄμβριον, τότε δὲ Ἀπήμιον καλοῦντες Δία. *Et in Parnethe Parnethius Jupiter æneus est, & ara Semalei Jovis. Est in Parnethe & ara alia. Sacrificant autem in ea, modo Pluvium, modo vero Innoxium Jovem appellantes.* Meminit *Etymologici Auctor*. ἐπάκριος Ζεύς. ἐπ' ἄκρας γὰρ τῶν ὀρῶν ἱδρύοντο βωμοὺς τῷ Διΐ, οἷον τοῦ Ὑμηττοῦ, τοῦ Παρνήθου. *Cacuminarius Jupiter. In cacumine enim montium extruebant aras Jovi, qualem Hymetti, Parnethi.* Cujus tribus fuerit, in incerto est. *Ita olim Meurs. in Pop. Att.* Prolixiorem tractationem vide infra ad calcem hujus libri.

ΠΕΙΡΑΙΕΥΣ.

Hippothoontidis tribus. *Stephanus*. Πειραιεύς, δῆμος Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. *Piræeus, populus Hippothoontidis tribus.* Strabo *lib.* IX. εἶθ' ὁ Πειραιεύς, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς δήμοις ταττόμενος. *Deinde Piræeus, & ipse inter populos constitutus.* Pausanias *in Atticis* ὁ δὲ Πειραιεὺς δῆμος μὲν ἦν ἐκ παλαιοῦ. *Piræeus autem populus quidem fuit ab antiquo. Suidas*, ἦν πρότερον ὁ Πειραιεὺς νῆσος, ὅθεν καὶ τοὔνομα εἴληφεν, ἀπὸ τοῦ διαπεραν. οὗ τὰ ἄκρα Μούνυχος Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρύσατο. ἄρκτου δὲ γενομένης ἐν αὐτῷ, καὶ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἀναιρεθείσης, λιμὸς ἐπεγένετο· οὗ τὴν ἀπαλλαγὴν ὁ θεὸς ἔχρησεν, ἄν τις τὴν θυγατέρα θύσῃ τῇ θεῷ. Ἔμβαρος δὲ μόνος, ὑποσχόμενος ἐπὶ τῷ τὴν ἱερωσύνην αὐτοῦ τὸ γένος διὰ βίου ἔχειν, διακοσμήσας αὐτοῦ τὴν θυγατέρα ἔθυσεν. *Antiquitus quidem insula erat, unde & nomen* ἀπὸ τοῦ διαπεραν, *a trajiciendo, cujus editissimum locum cum Munychus occupasset, fanum illic Dianæ Munychiæ ædificavit. Ibi cum ursam Athenienses occidissent, immissa fame, promissum ab oraculo remedium, si quis Deæ filiam suam immolasset. Id qui vellet, cum non facile inveniretur, Embarus quidam, sacerdotium familiæ suæ perpetuum pactus, filiam immolavit.* Totidem pene verbis Eustathius

---

1. Vide inscriptionem, quam damus ad populum Ἀζηνία, in quo commemoratur ΠΑΙΩΝ ΔΙΟΜΗΔΟΥΣ ΠΑΛΛΗνεύς: In monte Anchesmo, in ecclesia S. Georgii:

.........ΙΤΟΙ...
...ΗΣ ΚΑΙ ΔΗΝΟΥ
...ΟΣ ΘΑΛΛΗΝΕΥΣ
...Ο ΦΑΝΤΗΣ
...Ο ΚΗΡΥΞ
...ΙΟΥ ΔΑΔΟΥΧΟΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 450.

2. ΠΑΝΑΚΤΟΣ.

Est urbs sita inter Bœotiam & Atticam, secundum Harpocrationem. Hesychius eam tribuit Atticæ: Πάνακτος ἡ ὀρίγανος καὶ τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ. *Panactus origanum & locus in Attica.* Præterea Stephanus Byzantius scribit castellum Atticæ fuisse. Πάνακτον φρούριον Ἀττικῆς. Spon. *Itin. T.* 2. *pag.* 450.

3. Mons iste hodie vocatur *Parnethe*. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 451.

ad Iliad. β'. Sed insulam Piræeum fuisse, id non meminit; & in cæteris quoque variat parum. Distabat ab Urbe stadiis XL. Hinc est illud apud Diogen. Laertium *in Antisthene, lib.* VI. *cap.* II. οἰκῶν τε ἐν Πειραιεῖ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν τοὺς τετταράκοντα σταδίους ἀνιὼν, ἤκουσε Σωκράτους. *Habitansque in Piræeo, singulis diebus quadraginta stadia emensus, audivit Socratem.* Errat Schol. Aristophanis *ad Equites*, qui triginta tantum quinque commemorat. καὶ τὸν Πειραιᾶ γὰρ ἐτείχισε, ὃς ἀπέχει τῆς πόλεως σταδίους τριάκοντα πέντε, παρὰ θάλατταν ὤν. *Piræeum enim muro cinxit, qui abest ab urbe stadiis triginta quinque, ad mare situs.* In mente illi Phalerum fuit, cujus hoc ab Urbe intervallum. Thucydides *lib.* II. τοῦ τε γὰρ Φαληρικοῦ τείχους στάδιοι ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος. *Etenim Phalerici muri stadia erant quinque & triginta ad circuitum urbis.* Piræeus quinque stadiis ulterior erat. Ac totum illud intervallum murus jungebat, ex re dictus μακρὰ τείχη. Strabo *loco citato.* ταῦτα δ' ἦν μακρὰ τείχη, τετταράκοντα σταδίων τὸ μῆκος, συνάπτοντα τὸ ἄστυ τῷ Πειραιεῖ. *Illæ autem erant longi muri, quadraginta stadiorum longitudine, jungentes urbem Piræeo.* Thucydides *lib.* II. τὰ δὲ μακρὰ τείχη πρὸς τὸν Πειραιᾶ, τεσσαράκοντα σταδίων. *Longi autem muri ad Piræum, quadraginta stadiorum.* Id autem factum a Themistocle, loci opportunitatem considerante. Plutarchus *in ejus vita.* Θεμιστοκλῆς δ' οὐχ ὡς Ἀριστοφάνης ὁ Κωμικὸς λέγει, τῇ πόλει τὸν Πειραιᾶ προσέμιξεν, ἀλλὰ τὴν πόλιν ἐξῆψε τοῦ Πειραιέως. *Themistocles autem non quemadmodum Aristophanes Comicus dicit, Piræeum urbe admiscuit, sed urbem annexuit Piræeo.* Ubi legendum, τ. π. τ. Πειραιᾶ προσέμαξεν. Locus Aristophanis, quem respexit, est *in Equitibus*, *v.* 836. *&c.*

> Ω πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει; σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;
> Ὃς ἐποίησε τὴν πόλιν ἡμῶν μεστὴν, εὑρὼν ἐπιχειλῆ,
> Καὶ πρὸς τούτοις ἀριστώσῃ τὸν Πειραιᾶ προσέμαξεν.
>
> *O urbs Argi, auditisne qualia dicat? tu Themistocli te æquiparas?*
> *Qui fecit urbem nostram plenam, quum inveniret vacuam.*
> *Et insuper bene meritæ Piræeum adjecerit.*

Atque ille ipse navalia illuc etiam transtulit, cum Phalero ad id temporis usi essent Athenienses. Pausanias *in Atticis.* Θεμιστοκλῆς δὲ, ὡς ἦρξε, (τοῖς τε γὰρ πλέουσιν ἐπιτηδειότερος ὁ Πειραιεὺς ἐφαίνετο οἱ προκεῖσθαι, καὶ λιμένας τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἔχειν τοῦ Φαληροῖ) τοῦτό σφισιν ἐπίνειον εἶναι κατεσκευάσατο. *Themistocles autem, quum archon fuit, (navigantibus enim commodior Piræus apparuit illi præjacere, & portus tres pro uno haberet eo qui est in Phalero) illud eis esse navale comparavit.* In illis autem verbis observa, tres fuisse ibi portus. Atque hoc verum. Thucydides *lib.* I. νομίζων τό τε χωρίον καλὸν εἶναι, λιμένας ἔχον τρεῖς αὐτοφυεῖς. *Existimans & locum pulchrum esse, portus habentem tres nativos.* Loquitur de hoc ipso Piræeo. Scylax *in Periplo.* ὁ δὲ Πειραιεὺς λιμένας ἔχει τρεῖς. *Piræeus autem portus habet tres.* Idem videre est apud *Hesychium*, *& Schol. Aristophanis*, quorum mox verba proferemus. Ex his unus, a Cantharo heroe, Κανθάρου λιμὴν: alter, a Veneris illic templo, Ἀφροδίσιον: tertius, a frumento, Ζέα dicebatur. De prioribus duobus docet nos Aristophanis, quem dixi, Scholiastes *ad Pacem.* Πειραιεὺς λιμένας τρεῖς ἔχει κλειστούς. εἷς μὲν ὁ Κανθάρου λιμὴν, οὕτω καλούμενος ἀπό τινος ἥρωος Κανθάρου· ἐν ᾧ τὰ νεώρια. εἶτα τὸ Ἀφροδίσιον. εἶτα κύκλῳ τοῦ λιμένος στοαὶ πέντε. *Piræeus portus tres habet celebres. Unus quidem Canthari portus, ita vocatus ab quodam heroe Cantharo, in quo navalia. Postea Aphrodisium. Dein in circuitu portus porticus quinque.* Prioris mentio, nempe Canthari, etiam apud *Hesychium* exstat, sed corrigendum. Κανθάρων, λιμὴν οὕτω καλεῖται ἐν Πειραιεῖ. *Cantharum, portus ita vocatur in Piræeo.* Restitue, Κανθάρου λιμὴν, οὕτω κ. ἐ. Π. Aphrodisium nomen accepit a propinquo Veneris fano, quod a Conone ibi exstructum commemorat Pausanias *loco citato.* πρὸς δὲ τῇ θαλάσσῃ Κόνων ᾠκοδόμησεν Ἀφροδίτης ἱερὸν, τριήρεις Λακεδαιμονίων κατεργασάμενος περὶ Κνίδον τὴν ἐν Καρικῇ χερρονήσῳ. *Ad mare vero Conon ædificavit Veneris fanum, quum triremes Lacedæmoniorum vastavisset circa Gnidum in Carica Cherroneso.* De tertio; plane ignoraremus nomen ejus, absque uno *Hesychio* esset, nam *Aristophanis* quidem *Scholiastes*, nisi forte culpa librarii est, plane omittit. Itaque nos *Hesychius* docet, istis verbis. Ζέα, ἡ Ἑκάτη παρὰ Ἀθηναίοις, καὶ εἷς τῶν ἐν Πειραιεῖ λιμένων, οὕτω καλούμενος ἀπὸ τοῦ καρποῦ τῆς ζειᾶς. ἔχει δὲ ὁ Πειραιεὺς λιμένας τρεῖς κλειστούς. *Zea, Hecate apud Athenienses, & unus e Piræei portubus, ita vocatus ab fructu zea. Habet autem Piræeus portus tres clausos.* Ubi observa, λιμένας τρεῖς κλειστούς. Atque ita restituendum apud Scholiasten *Comici* in verbis citatis. quippe male illic. λιμένας ἔχει τρεῖς, πάντας κλειτούς. *Portus habet tres, omnes celebres.* Nam catena tres illi portus claudebantur; quod olim quidem non fiebat, ut discimus clare ex Thucydide *lib.* II. ἀποπειράσαι τοῦ Πειραιέως τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηναίων· ἦν δὲ ἀφύλακτος, καὶ ἄκλειστος. *Tentare Piræeum portum Atheniensium. Erat autem sine custodia, & apertus.* Postea vero muniri cœpti, & claudi etiam, bello Peloponnesiaco. Thucydides *loco citato.* καὶ μετὰ τοῦτο φυλακὴν ἤδη τοῦ Πειραιῶς μᾶλλον τὸ λοιπὸν ἐποιοῦντο, λιμένων τε κλείσει, καὶ τῇ ἄλλῃ ἐπιμελείᾳ. *Et postea custodiam Piræei magis in reliquum curarunt & portuum claustris, cæterisque necessariis.* Ad maximum horum, Themistoclis postea sepulcrum constitutum fuit, ob causas nempe quas jam diximus. Pausanias *in Atticis.* καὶ πρὸς τῷ μεγίστῳ λιμένι τάφος Θεμιστοκλέους. φασὶ γὰρ μεταμελῆσαι τοῖς εἰς Θεμιστοκλέα, καὶ ὡς οἱ προσήκοντες τὰ ὀστᾶ κομίσαιεν ἐκ Μαγνησίας ἀνελόντες. *Et ad maximum portum sepulcrum Themistoclis. Dicunt enim pœnituisse illorum quæ in Themistoclem patraverant, etiam ita ut propinqui ossa ejus, ea suscipientes ex Magnesia detulerint.* Plutarchus *extremo Themistocle ult.* περὶ τὸν λιμένα τοῦ Πειραιῶς ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸν Ἄλκιμον ἀκρωτηρίου πρόκειταί τις οἷον ἀγκὼν, καὶ κάμψαντι τοῦτον ἐντὸς, ᾗ τὸ ὑπεύδιον τῆς θαλάττης, κρηπίς ἐστιν εὐμεγέθης, καὶ τὸ περὶ αὐτὴν βωμοειδὲς, τάφος τοῦ Θεμιστοκλέους. *Circa portum Piræei ab promontorio circa Alcimum præjacet aliquid instar cubiti, & qui flectit hunc intus, ubi tranquillitas maris est, basin videt ingentem, & circa ipsam quod simile est aræ, sepulchrum Themistoclis.* Habebat vero porticus quinque. Vides in citatis Scholiastæ *Comici* verbis. εἶτα κύκλῳ τοῦ λιμένος στοαὶ πέντε. *Deinde in circuitu portus quinque porticus.* Atque hæ conjunctæ, μακρὰ στοὰ, sive, *Longa porticus* dicebantur. Observo apud Pausaniam, *in Atticis*, qui in Piræei descriptione pro illis hanc nominat. ἔστι δὲ τῆς στοᾶς τῆς μακρᾶς ἔνθα καθέστηκεν ἀγορὰ τοῖς ἐπὶ θαλάσσῃ. *Est autem porticus longa, ubi constitutum est forum illis qui ad mare habitant.* Estque mentio hujus porticus etiam apud Schol. Aristophanis *Avibus.* οὕτω μέρος τι νῦν σύνηθες γέγονε τὸν Κολωνὸν καλεῖν, τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς. *Ita pars quædam nunc consuevit*

Colonum dicere, aversam partem porticus longæ. Geminum illic forum erat; unum, juxta longam hanc porticum, de qua dixi, eorum qui ad mare habitabant: alterum, eorum qui remotiores. Pausanias *in Atticis*. ἔςι δὲ τ̃ ςοᾶς τ̃ μακρᾶς ἔνθα καθέςηκεν ἀγορὰ τοῖς ἐπὶ θαλάσσῃ. καὶ γὰρ τοῖς ἀπωτέρω τοῦ λιμένος ἐςὶν ἑτέρα. *Est autem porticus longæ, ubi constitutum est forum illis qui ad mare habitant. nam & illis, qui sunt remotiores ab portu, est aliud.* In priori, quod ad mare, locus erat, ubi merces peregre advectæ ostentui exponebantur; isque ex re Δεῖγμα dicebatur. Meminit Aristophanes *Equit. v.* 1009. 1010.

Ἐν τῷ Δείγματι τῶν δικῶν
Ἤκουσ' ἀντιλεγόντων.
In Digmate judicia
Audivi contradicentia.

Ubi Scholiastes. τὸ Δεῖγμα τόπος ἐςὶν ἐν Πειραιεῖ. *Digma locus est in Piræeo*. Et mox: ἐκεῖ οἱ ἔμποροι τὰ δείγματα τῶν πωλουμένων ἐτίθεσαν. *Ibi negotiatores specimina mercium vendendarum statuebant*. Harpocration. Δεῖγμα, κυρίως μὲν τὸ δεικνύμενον, ἀφ' ἑκάςου τ̃ πωλουμένων. ἤδη δὲ καὶ τόπος τίς ἐν τῷ Ἀθήνησιν ἐμπορίῳ, εἰς ὃν τὰ δείγματα ἐκομίζετο, οὕτως ἐκαλεῖτο. *Digma, proprie quidem quod ostentatur ex quocunque vendendorum: jam autem & locus quis in Atheniensium mercatu, in quem specimina deferebantur, ita vocabatur*. Demosthenes *Orat. in Philoclem*. παραλαβὼν Δεινίαν τ̃ κηδεςὴν τ̃ ἐμὸν, προσέρχεται αὐτῷ ἐν τῷ Δείγματι. *Secum sumens Diniam affinem meum, accedit ad eum in Digmate*. Occurrit apud Xenophontem *Hist. Græc. lib.* v. ἦσαν δὲ τινες οἳ καὶ ἐκπηδήσαντες εἰς τὸ Δεῖγμα, ἐμπόρους τέ τινας καὶ ναυκλήρους ξυναρπάσαντες, ἐς τὰς ναῦς εἰσήνεγκαν. *Quidam autem etiam ascensionem fecerunt in Digma, ac quosdam negotiatores & gubernatores corripientes, in naves deportaverunt*. Item apud Lysiam *in Orat.* κατὰ Τίσιδος, cujus fragmentum exstat apud *Dionysium Halicar.* περὶ τ̃ Δημοσθ. δεινότ. Οὐ δυναμένου δὲ βαδίζειν, ἐκόμισαν αὐτὸν εἰς τὸ Δεῖγμα ἐν κλίνῃ, καὶ ἐπέδειξαν πολλοῖς μὲν Ἀθηναίων, πολλοῖς δὲ καὶ τ̃ ἄλλων ξένων, οὕτω διακείμενον. *Quum nequiret ire, portarunt ipsum ad Digma in lectulo, & eum ita constitutum ostentaverunt multis quidem Atheniensibus, sed & aliis plurimis peregrinis*. Exponebantur autem illic res venales in mensis. Inde est apud Polyænum *lib.* VI. *c.* II. *§.* II. inter strategemata Alexandri. συνέταξε τοῖς ἐπὶ τ̃ νεῶν διὰ τάχους προσπλεῦσαί τε παρὰ Δεῖγμα τὸ τοῦ Πειραιῶς, καὶ ἀπὸ τ̃ τραπεζῶν ἁρπάσαι χρήματα. *Jussit eos qui in navibus erant, celeriter appellere ad Digma Piræei, & ab mensis rapere opes*. Ita enim locum illum restituendum censeo. Hodie editur, προσπλεῦσαι τῷ παραδείγματι τοῦ Π. Erant ibi μετρονόμοι decem, σιτοφύλακες quinque, ἀςυνόμοι totidem. Vide *Harpocrationem* in istis dictionibus. Retro porticum hanc longam statuæ erant Jovis, & Demi, a Leochare factæ. Pausanias *Atticis*. τ̃ δὲ ἐπὶ θαλάσσῃ ςοᾶς ὄπισθεν ἑςᾶσι Ζεὺς, καὶ Δῆμος, Λεωχάρους ἔργον. *Ab postico autem porticus, ad mare stat Jupiter & Demus, Leocharis opus*. Ubi erravit doctissimus Interpres, Romulus Amasæus, cum putavit vocem δῆμος significare *populum*; quæ illo loco nomen proprium. Vide Commentarium nostrum *in Harpocrationem*, in dictionem Πυριλάμπης. Maxime autem digna visu illic fana Jovis, & Minervæ; ac simulacra utriusque ænea; hujus hastam, illius sceptrum victoriamque ferentis: item Leosthenis, qui Macedonas binis prœliis superavit, & liberorum ipsius pictura, Arcesilai opus. Pausanias *ibidem*. θέας δὲ ἄξιον τῶν ἐν Πειραιεῖ μάλιςα Ἀθηνᾶς ἐςὶ καὶ Διὸς τέμενος, χαλκοῦ μὲν ἀμφότερα τὰ ἀγάλματα. ἔχει δὲ ὁ μὲν σκῆπτρον, καὶ νίκην, ἡ δὲ Ἀθηνᾶ δόρυ. ἐνταῦθα Λεωσθένην, ὃς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν ἡγούμενος Μακεδόνας ἔν τε Βοιωτοῖς ἐκράτησε μάχῃ, καὶ αὖθις ἔξω Θερμοπυλῶν, καὶ βιασάμενος ἐς Λάμιαν κατέκλεισε τ̃ ἀπαντικρὺ τ̃ Οἴτης, τοῦτον τ̃ Λεωσθένην καὶ τοὺς παῖδας ἔγραψεν Ἀρκεσίλαος. *Spectatu autem dignum est inter ea quæ in Piræeo exstant, potissimum Minervæ & Jovis fanum, ænea quidem amborum sunt simulacra. Tenet autem ille quidem sceptrum & victoriam, Minerva vero hastam. Ibi Leosthenem, qui Atheniensibus & omnibus Græcis præpositus Macedonas & in Bœotiis prælio superavit, & rursus extra Thermopylas, & urgens in Lamia occlusit quæ est ex adverso Oetæ, hunc, inquam, Leosthenem & liberos pinxit Arcesilaus*. Erat quoque locus quidam, Σηράγγιον appellatus. *Harpocration*. Σηράγγιον, Λυσίας ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος, χωρίον τοῦ Πειραιέως οὕτως ἐκαλεῖτο. *Serangion, Lysias in oratione contra Androtionem, locus Piræei ita vocabatur*. *Suidas*. Σηράγγιον, χωρίον τοῦ Πειραιῶς. *Serangium, locus Piræi*. Et balneum ibidem. Isæus *in Orat.* περὶ τ̃ Φιλοκτήμ. κλ. ἀποδίδοται ἀγρὸν μὲν Ἀθμονοῖ, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα μνῶν, Ἀντιφάνει· τὸ δ' ἐν Σηραγγίῳ βαλανεῖον, τρισχιλίων, Ἀριςολόχῳ. *Vendit agrum quidem Athmonensem, quinque & septuaginta minis, Antiphani; Balneum vero quod in Serangio, tribus millibus, Aristolocho*. Hinc est apud *Hesychium*. Σηράγγιον, βαλανεῖον. *Serangium, balneum*. Athenis porta quædam, juxta Chalcodontis herois fanum, ubi sepulcra eorum qui in prœlio contra Amazones ceciderant, Piraica appellata; quia nimirum per illam Piræeum iretur. Plutarchus *Theseo*. μάχεσθαι δὲ πρὸς τοῦτο τοὺς Ἀθηναίους ἀπὸ Μουσείου τ̃ Ἀμαζόσι συμπεσόντας. καὶ τάφους τ̃ πεσόντων περὶ τ̃ πλατεῖαν εἶναι τ̃ φέρουσαν ἐπὶ τὰς πύλας, παρὰ τὸ Χαλκώδοντος ἡρῷον, ἃς νῦν Παιραϊκὰς ὀνομάζουσι. *Pugnavisse autem præterea Athenienses ab Museo contra Amazones, conflictu habito. Sepulcraque eorum qui ceciderunt esse circa plateam quæ ducit ad portas, juxta Chalcodontis fanum, quas nunc Piraicas appellant*. Meminit ejus rursum *in Sylla*. αὐτὸς δὲ Σύλλας τὸ μεταξὺ τ̃ Πειραικῆς πύλης, καὶ τ̃ ἱερᾶς, κατασκάψας καὶ συνομαλύνας, περὶ μέσας νύκτας ἐσήλαυνε φρικώδης. *Ipse autem Sylla, quod est inter Piraicam portam, & sacram, medium quum diruisset & solo æquavisset, circa mediam noctem, horribilis invectus est* [1].

1. Urbecula juxta portum Pyræeum. Cujus mentio fit in veteris epigrammatis fragmento Athenis in ædibus Nicolai Trini:

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΑ...
ΤΩΝ ΕΞΑΚΟΣΙΩΝ...
ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ...
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΥΠ...
ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΡΧΙΕ...
ΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ...
ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ.....
ΕΠΙ ΤΟΝ ΠΕΙΡΑΙΕΑ ΔΙΣ
.. ΑΙΡΗΟΥ ΚΑΙ ΘΕΟΙΣ ΜΕΓ..
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΟΠΛΙΤΑΣ
...ΣΑΙΕΩΣ ΕΠΩΝΥΜ....

Cujus lacunæ sic possunt suppleri:

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥΠΑΓΟΥ ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ
ΤΩΝ ΕΞΑΚΟΣΙΩΝ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΝ
ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΥΠΑΤΟΝ
ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΔΗΜΑΡΧΙ
ΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ.
ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΣΤΡΑΤΗΓΗΣΑΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΟΝ ΠΕΙΡΑΙΕΑ &c.

ΠΕΝΤΕΛΗ.

Antiochidis tribus. *Stephanus*. Πεντέλη, δῆμος Ἀντιοχίδος φυλῆς. *Pentele populus Antiochidis tribus*. Erat autem mons. Vitruvius *lib.* II. *cap.* VIII. *Et primum Athenis murum, qui ſpectat ad Hymettum montem, & Pentelenſem*. Et in eo lapicidinæ. Pauſanias *Atticis*. ὄρη δ᾽ Ἀθηναίοις ἐστὶ Πεντελικὸν, ἔνθα λιθοτομίαι. καὶ Πάρνης, παρεχομένη θήραν συῶν ἀγρίων, καὶ ἄρκτων. *Montes autem Athenienſibus ſunt Pentelicus, ibi lapicidinæ. Et Parnes, præbens venationem ſuum agreſtium & urſorum.* Inde eſt quod iterum alibi ait *in iiſdem Atticis*. τοῦτο ἀνὴρ Ἀθηναῖος Ἡρώδης ᾠκοδόμησε, καὶ οἱ τὸ πολὺ τῆς λιθοτομίας τῆς Πεντέλησιν ἐς τὴν οἰκοδομὴν ἀνηλώθη. *Illud vir Athenienſis Herodes exſtruxit, & multa pars lapicidinæ in Pentele ad ædificationem ab illo impenſa eſt*. Plutarchus *in Publicola*. οἱ δὲ κίονες ἐκ τοῦ Πεντέλησιν ἐτμήθησαν λίθου. *Columnæ autem ex Pentelico marmore exciſæ ſunt*. Lucianus *in Jove Tragœdo*. ἀλλ᾽ εἰ μὴ πάνυ λημῶ, λίθου τοῦ λευκοῦ Πεντέληθεν, οἶμαι, λιθοτομηθεῖσα. *Sed niſi penitus hallucinor, ex lapide albo e Pentele, ut puto, exciſa*. Erat autem prope urbem, ut & Hymettus. Strabo *lib.* IX. μαρμάρου δ᾽ ἐστὶ τῆς τε Ὑμηττείας καὶ τῆς Πεντελικῆς κάλλιστα μέταλλα πλησίον τῆς πόλεως. *Marmoris autem ſunt tum Hymettei tum Pentelici pulcherrima metalla prope urbem.* Et meminit λίθου Πεντελησίου Pauſanias *in Achaicis* non ſemel. Erat illic fanum Minervæ. Pauſanias idem *Atticis*. Ἀθηναίοις δὲ τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει. Πεντέλησι μὲν Ἀθηνᾶς, ἐν Ὑμηττῷ δὲ ἄγαλμά ἐστιν Ὑμηττίου Διός. *Athenienſium autem montes deorum quoque ſtatuas habent; In Pentele quidem Minervæ, in Hymetto autem ſtatua eſt Hymettii Jovis*. Qui inde oriundus, Πεντέληθεν dicebatur, & Πεντελεύς, quemadmodum alia hujus formæ. Inde conflatum monſtrum id verbi apud *Stephanum*. ὁ δημότης, Πεντεληθεύς. *Popularis, Penteletbenſis*. Scripſerat *Auctor* ὁ δημότης, Πεντέληθεν, ἢ Πεντελεύς. *Popularis a Pentele, vel Pentelenſis*. Id ut per compendium ſcripturæ repræſentaret librarius, ſcripſerat, Πεντέληθεν; & ſyllabæ ultimæ ευς ſuperſcripſerat, more uſitato. Hinc nobis alii, qui hanc ſcribendi rationem ignorarent, Πεντεληθεὺς iſtud effinxerunt. Ut finiam; Athenis primus murus, qua montem hunc, & Hymettum, ſpectabat, e latere fuit. Vitruvius *loco citato*: *Nonnullis civitatibus & publica opera, & privatas domos, etiam regias e latere ſtructas licet videre. Et primum Athenis murum, qui ſpectat ad Hymettum montem, & Pentelenſem*.

ΠΕΡΓΑΣΗ.

Erechtheidis tribus. *Harpocration*. Περγασή, δῆμος τῆς Ἐρεχθηίδος· τὸν μέντοι δημότην διχῶς λέγεσθαί φασι, Περγασέα τε, καὶ Περγασῆθεν. *Pergaſe, populus Erechtheidis. Popularem tamen dupliciter dici ajunt, Pergaſenſem nempe, & qui a Pergaſe*. *Stephanus*. Περγασή, ὀξυτόνως, δῆμος τῆς Ἐρεχθηίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Περγασεύς. ἔστιν οὖν καὶ, Περγασῆθεν. *Pergaſe, cum accentu acuto, populus Erechtheidis tribus. Popularis Pergaſenſis. Eſt nihilominus quoque a Pergaſe*. *Moſchopulus*. Περγασή, δῆμος ἐν Ἀθήναις. ἧς τὸν δημότην διχῶς ἔλεγον, Περγασέα, καὶ Περγασῆθεν. *Pergaſe, populus Athenis. Cujus popularem dupliciter dixerunt, Pergaſenſem nempe, & a Pergaſe*. Tamen variat *Suidas*. δῆμος ἡ Περγασὴ τῆς Ἐρεχθηίδος. τὸν μέντοι δημότην διχῶς λέγεσθαί φασιν, Περγασέα τε, καὶ Περγασηνόν. *Populus Pergaſe Erechtheidis. Attamen popularem dupliciter dici inquiunt, Pergaſenſem nempe, & Pergaſenum*. Meminit Ariſtophanes *Equitibus*,

> Πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.
> *Antequam enim erant Pergaſis, natabant in calceis*.

Ubi *Scholiaſtes*. Περγασῆσιν, ὄνομα δήμου. *Pergaſis, nomen populi*.

ΠΕΡΙΘΟΙΔΑΙ.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Περιθοῖδαι, δῆμος Οἰνηίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Περιθοίδης. *Perithœdæ, populus Oeneidis tribus. Popularis, Perithœdes*. *Harpocration*. Περιθοῖδαι, δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηίδος. *Perithœdæ, populus eſt Oeneidis*. Nomen a Pirithoo. *Suidas*. Περιθοῖδαι, δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς. ἀπὸ Πειρίθου τοῦ Ἰξίονος. νόμος δ᾽ ἦν Ἀθήνησι, ξένους εἰσδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων. Θετταλοὺς δ᾽ ἐξαιρέτως ὑπεδέχοντο, διὰ τὴν Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενίαν. τούτοις δὲ καὶ χώραν ἐμέρισαν, ἣν ἐκάλεσαν Πειριθοΐδα. *Perithœdæ, populus Oeneidis tribus; ab Peiritho Ixionis filio. Lex autem erat Athenis Græcorum quoſcunque volentes hoſpitio excipere. Theſſalos autem imprimis exceperunt, ob Peirithi & Theſei hoſpitalitatem. Illis autem agrum quoque diviſerunt, quem vocabant Pirithidem*. Sed ſcribendum, ἣν ἐκάλεσαν Περιθοΐδα. *Apoſtolius* hac in re mutilus, ac ſupplendus. Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενία. ἐπὶ τῶν πολυτελῶς φιλοξενούντων. νόμος δ᾽ ἦν Ἀθήνησι, ξένους εἰσδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων. Θετταλοὺς δ᾽ ἐξαιρέτως ὑπεδέχοντο, διὰ τὴν Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενίαν. ἣν ἐκάλεσαν Περιθοΐδα, ἀπὸ Πειρίθου τοῦ Ἰξίονος. ὅθεν καὶ Περιθοῖδαι, δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς. *Peirithi & Theſei hoſpitalitas. de illis qui opulento hoſpitio excipiunt. Lex autem erat Athenienſibus, hoſpites quoſcunque Græcorum volentes excipere. Theſſalos autem præcipue excipiebant, propter Peirithi & Theſei hoſpitalitatem. Quam vocarunt Peirithœda, ab Peiritho Ixionis filio. Unde & Perithœdæ, populus Oeneidis tribus*. Quid enim? an philoxeniam Theſei & Pirithoi nuncuparunt Περιθοΐδα? Nugæ. Certam illis regionem attribuerunt, eamque ex Pirithoi nomine ita dixerunt. Ergo reſtituo ductu *Suidæ*, cujus verba tranſcripſit in partem. Φιλοξενίαν. τούτοις δὲ καὶ χώραν ἐμέρισαν, ἣν ἐ. Π. *Hoſpitalitatem. Illis autem & agrum diviſerunt, quem, &c.* Totum hoc comma feſtinans librarius prætermiſerat. Hinc oriundum Mneſilochum quendam nominat Demoſthenes *Orat. in Polyclem*. Ἀγνίου γὰρ καὶ Πραξικλεῖ ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον κατέστησαν διάδοχοι Μνησίλοχός τε ὁ Περιθοίδης, καὶ Φρασικρίδης ὁ Ἀναφλύστιος. *Hagniæ enim & Praxicli circa idem tempus conſtituerunt ſucceſſores Mneſilochus Perithœdes, & Phraſicrides Anaphlyſtius*. Hinc etiam Hyperbolus, apud Plutarchum *in Alcibiade*. ἦν δέ τις Ὑπέρβολος ὁ Περιθοίδης, οὗ μέμνηται μὲν ὡς ἀνθρώπου πονηροῦ καὶ Θουκυδίδης. *Erat autem quis Hyperbolus Perithœdes, cujus meminit quidem etiam Thucydides tanquam hominis improbi*. Et rurſum *in Nicia*. ὧν ἦν καὶ Ὑπέρβολός τις Περιθοίδης, ἄνθρωπος ἀπ᾽ οὐδεμιᾶς τόλμων δυνάμεως. *Ex quibus erat & Hyperbolus quis Perithœdes, homo ſine ulla potentia*

Alia ibidem extat apud Benaldum.

ΟΙ ΕΦΗΒΟΙ ΤΟΝ ΕΑΤΤΩΝ
ΚΟΣΜΗΤΗΝ ΙΕΡΕΑ ΕΤΚΛΕ
ΙΑΣ ΚΑΙ ΕΤΝΟΜΙΑΣ ΑΡΧΕ
ΛΑΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ ΠΕΙ
ΡΑΙΕΑ ΕΤΧΑΡΙΣΤΙΑΣ ΕΝΒ
ΚΑ ΑΝΕΘ.

Spon. *Itin.* T. 2. *p.* 451. &c.

audax. Apud Æschinem *Orat. in Timarchum. γινώσκετε, ὦ Ἀθηναῖοι, Κρίτωνα τὸν Ἀστυόχου, καὶ Περικλείδην τὸν Περιθοίδου. Noviſtis, o Athenienſes, Critonem Aſtyochi filium, & Periclidem Perithœdæ*. Legendum, καὶ Περικλείδην τὸν Περιθοίδην. Vel mutilus certe locus, culpa feſtinantis librarii; & exciderit nomen patris Periclidis, qui erat Περιθοίδης. Atque ita ſcribendum erit, καὶ Περικλείδην τὸν *** Περιθοίδου [1].

ΠΕΡΡΙΔΑΙ.

Antiochidis tribus. *Stephanus*. Περρίδαι, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. *Perridæ, populus Antiochidis tribus. Heſychius*. Περρίδαι τῆς Ἀττικῆς δῆμος ἐν Ἀφίδναις. *Perridæ. Atticæ populus in Aphidinis*. Ita enim illic legendum; non, ἀφνίδαις. Primitus erat Æantidis tribus; ac poſtea tranſtulerunt. Nicander Thyatirenus *lib. περὶ τῶν δήμων. μετέθησαν δὲ Αἰαντίδος, Ἀφιδναῖοι, Περρίδαι, Τιτακίδαι, Θυργωνίδαι. Tranſportati ſunt ex Æantide, Aphidnæi, Perridæ, Titacidæ, Thyrgonidæ*. Ita enim reſtituendum illum locum monui *in Commentario ad* Harpocrationem, apud quem exſtat in Θυργωνίδαι.

ΠΗΛΗΚΕΣ.

Leontidis tribus. *Stephanus*. Πήληκες, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. *Peleces, populus Leontidis tribus. Harpocration*. δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος, Πήληκες. *Populus eſt Leontidis Peleces. Heſychius*. Πήληξ, περικεφαλαία, ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι, ὅ ἐστι κινεῖσθαι. καὶ δῆμος. *Pelex, galea, ab palpitando, id eſt, movendo. Et populus*. Ita ſcribendus ille locus. Hodie editur, Πήληξ, &, πάλεσθαι. Apud Æſchinem *in Orat. περὶ παραπρέσβ. Ἀλεξίμαχος ὁ Πήληξ δίδωσιν ἀναγνῶναι ψήφισμα τοῖς προέδροις. Aleximachus Pelex dedit legendum decretum præſidibus*. Habes quoque apud *Suidam*; & iterum apud Stephanum *in* Εὐπυρίδαι: ubi dicit Τειχώμεις fuiſſe appellatos, Eupyridas, Cecropidas, & Peleces. Ecce verba. *Τειχώμεις δὲ τούτους ἐκάλουν, Εὐπυρίδας, Κεκροπίδας, Πήληκας. Tricomos autem illos vocabant, Eupyridas, Cecropidas, Pelecas*.

ΠΙΘΟΣ.

Tribus Cecropidis. Nomen ἀπὸ τοῦ πίθου, quia olim illic dolia fieri ſolita. *Stephanus*. Πίθος, ὁμωνύμως τῷ ἀγγείῳ, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. κέκληται δὲ ἀπό τινος πίθου, τῶν πίθων αὐτόθι γενομένων. ὁ δημότης, Πιθεύς. *Pithus, ejuſdem nominis dolio, populus Cecropidis tribus. Vocatus autem fuit ab quodam dolio, quum dolia ibi fierent. Popularis, Pithenſis*. Itaque recte corrigendum apud *Harpocrationem* monui. Πιθεύς. δῆμος τῆς Κεκροπίδος, ὁ Πίθος. *Pithenſis. Populus Cecropidis, Pithos*. Antea edebatur, Πιτθεὺς δ. τ. Κ. ἡ πίτθις. Et eodem modo apud *Suidam* laboratur, qui exſcripſit. Corrigendum etiam apud Diog. Laertium *in Socrate, lib.* II. *c.* XL. τάδε ἐγράψατο καὶ ἀντωμολογήσατο Μέλιτος Μελίτου Πιθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσκου Ἀλωπεκῆθεν. *Hæc conſcripſit & confeſſus eſt Melitus Meliti filius Pithenſis Socratem Sophroniſci filium ab Alopece*. Nam & illic edi-

A tur M. M. Πιτθεύς. Et apud Athen. *lib.* VI. *παράσιτοι ἐπὶ Λυκοστράτου Γαργηττίου Περικλῆς Περικλείτου, Πιθεύς. Χαρῖνος Δημοχάρους, Γαργήττιος. Paraſiti poſt Lyſiſtratum Gargettii filium Pericles Pericliti filius, Pithenſis; Charinus Democharis filius, Gargettius*. Et ibi editur, Πιτθεύς. Mendum quoque apud Iſæum *Orat.* περὶ τοῦ Κίρωνος κλ. *Αἵ τε γυναῖκες ἐκ τῶν δημοτῶν μετὰ ταῦτα προὔκριναν αὐτὴν μετὰ τῆς Διοκλέους γυναικὸς τοῦ Πίτεως ἄρχειν, εἰς τὰ Θεσμοφόρια. Mulieres quoque ex popularibus poſt illa præpoſuere illam cum Dioclis uxore Pithenſis imperare ad Theſmophoria*. Reſcribe, τοῦ Πιθέως [a].

B

ΠΛΑΚΙΑΔΑΙ.

Placiadæ. Suidas: Πλακιάδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα ῥαφανίδες μεγάλαι γίγνονται. *Placidæ, populus Atticæ, ubi magni raphani naſcuntur*. Verum inſigniter errat *Suidas*; atque magis *Phavorinus*, apud quem eſt Πλακτιάδαι. Dicam erroris veram cauſam. Deprehenſis adulterio per poſticum raphani impingebantur; qui, quia magni apud Laciadas naſcebantur, adverſum adulteros ii implorari ſoliti, ut oſtendo in libro *de Populis Atticæ*, in Λακιάδαι. Itaque in exemplari, quo tunc Suidas uſus fuit, ſive is, quem ille exſcripſit, pro vulgato ὦ Λακιάδαι,
C depravate ſine dubio ſcriptum fuerit πλακιάδαι: idque mendum, haud animadverſum, Suidam in errorem induxit. Ac, quod ad Laciadas attinet, præter ea, quæ in libro ſingulari indicavi, hoc ſciendum, Philippidis etiam Comici fuiſſe fabulam, quæ inſcripta Λακιάδαι: & citari a Polluce, *lib.* X. *cap.* VIII. R. A.

ΠΛΩΘΕΙΑ.

Ægeidis tribus. *Harpocration*. Πλωθειά, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος. ὅθεν ὁ δημότης, Πλωθεύς. *Plothia, populus Ægeidis. Unde popularis, Plothenſis. Suidas*
D totidem verbis. *Stephano* Πλωθεύς, & Πλωθειεύς, dicitur ὁ δημότης. Verba *ejus* iſta. Πλωθειά, δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Πλωθειεύς, καὶ Πλωθεύς. *Plotia, populus Ægeidis tribus. Popularis, Plothienſis, & Plothenſis*. Meminit iterum *in* Ἀζηνιά. Unum habes apud Demoſthenem *Orat. in Eubulidem*. τὴν ἀδελφὴν λαμβάνει Ἀπολλόδωρος ὁ Πλωθεύς. *Sororem accipit Apollodorus Plothenſis*. Alterum occurrit apud Iſæum, ſed corrigendum. *Orat.* περὶ τοῦ Δικαιογένους κλήρου. καὶ ταῦτα ἐγγυᾶτο αὐτῷ Λεωχάρης οὗτος, καὶ ὡμολόγει ποιήσειν. οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ Μνησιπτόλεμος ὁ Πλωθειεύς. *Et hæc ſpondebat ipſi Leo-*
E *chares hic, & confitebatur facturum. Non ſolum ſed & Mneſiptolemus Plothienſis*. Hodie editur, Μνησιπτόλεμος ὁ Πλωτιεύς.

ΠΝΥΞ.

Incertum cujus tribus. Obſervo tamen ἐν τοῖς δήμοις cenſitam fuiſſe. Ecce apud Ariſtophanem *Equitibus*, *v.* 41. *&c.*

Λέγοιμ᾽ ἂν ἤδη. νῷν γάρ ἐστι δεσπότης,
Ἄγροικος ὀργήν, κυαμοτρὼξ, ἀκράχολος,
Δῆμος, Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον.
Dicam igitur jam. nunc enim eſt herus,

---

1. Hujus meminit lapis vetus Athenis apud Janum Maſtrigium:
F
ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ
ΠΕΡΙΘΟΙΔΗΣ
Alia ibidem:
ΑΡΙΣΤΟΝΟΗ
ΠΑΤΡΩΝΟΣ
ΠΕΡΙΘΟΙΔΟΥ
ΘΥΓΑΤΗΡ

ΑΡΧΕΛΑΟΥ
ΠΕΡΙΘΟΙΔΟΥ
ΓΥΝΗ
Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 454.

a. Populus Πίθος, nomen ſuum accepit, ob inventa illic dolia. Proclus, *ad Heſiodi* ἔργ. β΄. Τὸν δὲ τῶν Πιθέων δῆμον διὰ τοῦτο οὕτως ὀνομάσαι, διότι τῶν πίθων ἐπενοήσαντο τὴν πλάσιν. *Populum vero Pithenſium ideo dictum, quod illic primum dolia fingere excogitarint*. R. A.

Inhumanus in ira, fabarum esor, biliosus,
Demus, Pycnites, difficile senium.

Ubi fallitur eruditus Interpres, Nicodemus Frischlinus, qui non animadvertit, Δῆμος esse nomen proprium. Vertit enim, δῆμος Πυκνίτης, *Vir tribu Pycnensis*. cum debuisset, *Demus Pnycensis*. Etymon nominis habes ibi apud *Scholiasten*. Πνὺξ λέγεται, παρὰ τὸ πυκνοῦσθαι ἐκεῖ τοὺς βουλευτὰς, ἢ ἀπὸ τοῦ πεπυκνῶσθαι τὰς καθέδρας. *Pnyx dicitur, quia ibi densantur senatores, vel ab densatis cathedris*. Et apud *Etymologici Auctorem*. Πνὺξ παρὰ Ἀθηναίοις ἡ ἐκκλησία, παρὰ τὸ πεπυκνῶσθαι τῷ πλήθει τῶν ἐκκλινόντων ἐκεῖσε ἀνθρώπων. ἢ ὅτι πυκνά ἐστι περὶ αὐτὴν οἰκήματα. *Pnyx apud Athenienses concio, quia densata erat multitudine declinantium illuc hominum. Vel quia densa circa eam sunt domicilia*. Sic *Harpocration*. Κλείδημος δ' ἐν τρίτῳ πρωτογενείας, συνῆλθόν, φησιν, εἰς τὴν Πνύκα ὀνομασθεῖσαν, διὰ τὸ τὴν συνοίκησιν πυκνουμένην εἶναι. *Clidemus autem in tertio libro primogenituræ, cojerunt, inquit, ad Pnycem ita vocatam, quia cohabitatio ibi densata esset*. Ecce, creberrimæ circa Pnycem ædes erant; omnisque is tractus, qui ad eam pertinebat, δῆμος erat; & qui illic habitarent, Πνυκῖται, sive Πυκνῖται, dicebantur. Erat autem ipsa Pnyx locus juxta arcem, prisca simplicitate exstructus, nullam theatri magnificentiam referens; habebaturque illic concio, cum eligendus esset magistratus: nam cætera comitia in theatro Bacchi erant. Pollux *lib.* VIII. *cap.* X. ἐκκλησίαζον δὲ πάλαι μὲν ἐν τῇ Πνυκί. Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον πρὸς τὴν ἀκρόπολιν, κατεσκευασμένον κατὰ τὴν παλαιὰν ἁπλότητα, οὐκ εἰς θεάτρου πολυπραγμοσύνην. αὖθις δὲ τὰ μὲν ἄλλα ἐν τῷ Διονυσιακῷ θεάτρῳ, μόνας δὲ τὰς ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πνυκί. *Conciones autem olim quidem habebant in Pnyce. Pnyx autem erat locus juxta arcem, apparatus secundum veterem simplicitatem, non ad theatri magnificentiam. Postea vero alia quidem acta in Dionysiaco theatro, solas autem magistratuum electiones in Pnyce*. Tamen *Hesychius* ait, olim omnes illic conciones fuisse, sed postea tantum eo conventum, cum prætorem eligere vellent. Πνὺξ, Ἀθήνησι, ἐν ᾧ αἱ ἐκκλησίαι πάλαι μὲν ἤγοντο πᾶσαι, νῦν δὲ ἅπαξ, ὅταν στρατηγὸν χειροτονῶσιν. *Pnyx, locus Athenis, in quo conciones olim quidem agebantur omnes, nunc autem semel, quando prætorem creant*. Hic Amazones bello cum Atheniensibus signa commiserunt. Plutarchus *Theseo*. οὐ γὰρ ἂν ἐν ἄστει κατεστρατοπέδευσαν, οὐδὲ τὴν μάχην συνῆψαν ἐν χρῷ περὶ τὴν Πνύκα, καὶ τὸ Μουσεῖον. *Neque enim in urbe castra metati fuissent, neque pugnam commisissent accurate circa Pnycem, & Museum*. Loquitur de Amazonibus. Erat illic tribunal mare spectans; quod postea triginta Tyranni inverterunt, & terram versus constituerunt. Plutarchus *in Themistocle*. καὶ τὸ βῆμα τὸ ἐν Πνυκὶ πεποιημένον, ὥστ' ἀποβλέπειν πρὸς τὴν θάλασσαν, ὕστερον οἱ τριάκοντα πρὸς τὴν χώραν ἀπέστρεψαν, οἰόμενοι τὴν μὲν κατὰ θάλασσαν ἀρχὴν, γένεσιν εἶναι δημοκρατίας, ὀλιγαρχίᾳ δὲ ἧττον δυσχεραίνειν τοὺς γεωργοῦντας. *Tribunalque in Pnyce factum, ita ut respiceret versus mare, postea triginta (tyranni) versus terram converterunt, existimantes imperium quod est ad mare, originem esse Democratiæ, paucorum autem dominatu minus offendi rusticos*.

Π Ο Ρ Ο Σ.

Acamantidis tribus. *Harpocration*. Πόρος, ἐστὶ δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος. ὁ δημότης, Πόριος. *Porus est populus Acamantidis. Popularis, Porius*. Totidem verbis *Suidas*. Popularis qui esset, Πόριος dicebatur, & Ποριεύς. Illud habes apud *Harpocrationem*; istud apud *Hesychium*, cujus ista verba. Ποριεῖς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Porienses, populus Acamantidis tribus*.

Π Ο Τ Α Μ Ο Σ.

Leontidis tribus. *Harpocration*. Ποταμὸς, δῆμος τῆς Λεοντίδος. οὗ ὁ δημότης, Ποτάμιος. *Potamus, populus Leontidis. Cujus popularis, Potamius*. Meminit hujus populi Strabo *lib.* IX. κάμψαντι δὲ τὴν κατὰ τὸ Σούνιον, εἶτα Θόρικος, εἶτα Ποταμὸς, δῆμος οὕτω καλούμενος, ἐξ οὗ οἱ ἄνδρες Ποτάμιοι. *Flectenti autem cursum circa Sunium, dein Thoricus, postea Potamus, populus ita vocatus, ex quo viri Potamii*. Olim oppidum fuit. Plinius *lib.* IV. *cap.* VII. *A Piræeo quadraginta duo millia passuum Sunium promontorium, Doriscum promontorium. Potamos, Brauron, quondam oppida*. Erat hic sepulcrum Ionis. Pausanias *Atticis*. Ἴωνος τοῦ Ξούθου τάφος ἐν Ποταμοῖς ἐστι τῆς χώρας. *Ionis autem Xuthi sepulchrum in Potamiorum est agro*. Iterum *Achaicis*. καὶ Ἴωνος ἐν τῷ δήμῳ μνῆμα Ποταμίων ἐστίν. *Et Ionis monumentum apud populum Potamiorum est*. Hic quoque prædium Aristogitonis ex filia nepti dotem dederunt Athenienses. Plutarchus *Aristide*. καὶ οὐδέν ἐστι θαυμαστὸν οὕτω φροντίσαι τῶν ἐν ἄστει τὸν δῆμον, ὅπου θυγατριδῆν Ἀριστογείτονος ἐν Λήμνῳ πυθόμενοι ταπεινὰ πράττειν, ἀνδρὸς ἀποροῦσαν διὰ πενίαν, κατήγαγον Ἀθήναζε, καὶ συνοικίσαντες ἀνδρὶ τῶν εὖ γεγονότων, τὸ Ποταμοῖ χωρίον εἰς φερνὴν ἐπέδωκαν. *Et non mirum est quod hoc modo curam gesserit populus eorum qui in arce sunt, quum ex filia neptem Aristogitonis in Lemno intellexissent sordide agere, viro carentem ob paupertatem, reduxerint Athenas, & matrimonio jungentes viro ex nobilibus, agrum in Potamo in dotem largiti sunt*. Meminit horum popularis Diogenes Laertius *in Epicuro*, *lib.* X. *cap.* XVI. κατὰ τάδε δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομάχῳ Φιλοκράτους, Βατῆθεν. καὶ Τιμοκράτει Δημοκρίτου, Ποταμίῳ. *Hac conditione omnia mea do Amynomacho Philocratis filio, ex Bate. & Timocrati Democriti filio Potamio*. Et Isæus *Orat.* Περὶ τοῦ Δικαιογένους κλήρου. Πρωταρχίδῃ γὰρ Ποταμίῳ ἔδωκε Δικαιογένης τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐπὶ τετταράκοντα μναῖς. *Protarchidæ enim Potamio dedit Dicæogenes sororem suam præter quadraginta minas*. Exagitabatur autem hic populus a Comicis, ut qui facile adscriptitios admitteret. Harpocration *loco citato*. ἐκωμῳδοῦντο δὲ, ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράπτους, ὡς ἄλλοι τε δηλοῦσι, καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Διδύμαις. *A Comicis vero taxabantur, tanquam qui facile admittant adscriptitios, quemadmodum & alii indicant, & Menander in Didymis*. Etymologici Auctor *in* Δρυαχερνεῦ. ἐκωμῳδοῦντο γὰρ οἱ Ἀχαρνεῖς, ὡς ἄγριοι καὶ σκληροί. Ποτάμιοι δὲ, ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράφους. *A Comicis taxabantur enim Acharnenses, tanquam stupidi & duri. Potamii vero, tanquam facile admittentes adscriptitios*. Idem habes apud *Suidam* [1].

---

1. Est tribus Leontidis. Fuit populus maritimus ad Sunium, nimirum in littore Euripi. Nunc vocatur portus de Rasty, jam incolis vacua. Ibi Diogenes Laertius natus est, ibique reperiebatur olim monumentum Ionis, filii Xuthi. Inscriptio Athenis in Ecclesia Sanctorum Apostolorum:

. . . . . .
ΣΤΡΑΤΟΚΛΕΟΥΣ
ΠΟΤΑΜΙΟΥ....
ΘΥΓΑΤΗΡ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 456.

ΠΡΑΣΙΑΙ.

Pandionidis tribus. *Stephanus*. Πρασιαὶ, δῆμος Ἀθήνησι, Πανδιονίδος φυλῆς. δημότης, Πρασιεύς. *Prasiæ, populus Athenis, Pandionidis tribus. Popularis, Prasiensis.* Corrigendus Strabo *lib.* IX. εἶτα Πρασιαὶ, Στειριὰ, Βραύρων, ὅπου τὸ τῆς Βραυρωνίας Ἀρτέμιδος ἱερόν. *Dein Prasiæ, Stiria, Brauron, ubi Brauroniæ Dianæ templum*. Hodie editur, εἶτα Πρασία, Στειρία, B. Pluraliter enim Scriptores alii omnes hunc populum laudant. Livius *lib.* XXXI. *Ad Prasias, (continentis Atticæ is locus est) Issæorum viginti lembi classi Romanorum adjuncti sunt*. Erat hic Apollinis templum, quo primitiæ Hyperboreorum deferebantur; quas in Delum inde Athenienses mittebant. item Erysichthonis sepulcrum, qui cum e Delo, quo cum sacris missus fuerat, domum rediret, in itinere diem obiit. Pausanias *Atticis*. ἐν δὲ Πρασιεῦσιν Ἀπόλλωνός ἐστι ναὸς, ἐνταῦθα τὰς Ὑπερβορέων ἀπαρχὰς ἰέναι λέγεται. παραδιδόναι δὲ αὐτὰς Ὑπερβορέους μὲν Ἀριμασποῖς, Ἀριμασποὺς δ' Ἰσσηδόσι, παρὰ δὲ τούτων Σκύθας ἐς Σινώπην κομίζειν. ἐντεῦθεν δὲ φέρεσθαι διὰ Ἑλλήνων ἐς Πρασιάς. Ἀθηναίους δὲ εἶναι τοὺς ἐς Δῆλον ἄγοντας. τὰς δὲ ἀπαρχὰς κεκρύφθαι μὲν ἐν καλάμῃ πυρῶν, γινώσκεσθαι δὲ ὑπ' οὐδένων. ἔστι δὲ μνῆμα ἐπὶ Πρασιαῖς Ἐρυσίχθονος, ὃς ἐκομίζετο ὀπίσω μετὰ τὴν θεωρίαν ἐκ Δήλου, γενομένης οἱ κατὰ τὸν πλοῦν τῆς τελευτῆς. *In Prasiensibus vero Apollinis est templum, quo Hyperboreorum primitias ivisse dicitur. Tradere autem illas Hyperboreos quidem Arimaspis, Arimaspos vero Issedonibus, ab iis autem Scythas Sinopen usque deferre, inde autem portari per Græcos ad Prasias. Athenienses autem esse, qui eas perducant Delum usque. Primitias autem absconditas esse in triticea stipula, innotescere autem nullis. Est vero monumentum in Prasiis Erysichthonis, qui vehebatur deinde post sacram legationem e Delo mortuus inter navigandum* [1].

ΠΡΟΒΑΛΙΝΘΟΣ.

Ejus inter populos Atticæ meminit etiam Strabo *lib.* IX. εἶτα Μυῤῥινοῦς, Προβάλινθος, Μαραθών. *Deinde Myrrhinus, Probalinthus, Marathon*. Urbs fuit, ut apparet ex Plinio *lib.* IV. *cap.* VII. *Oppida (Atticæ) Sidus, Cromyon, Scyronia Saxa trium millium longitudine, Geranea, Megara, Eleusin. Fuere & Oenoa, Probalinthos*. Et in Tetrapoli numerabatur. *Stephanus*. Τετράπολις τῆς Ἀττικῆς, ἔχουσα δήμους καὶ πόλεις τέτταρας, Οἰνόην, Προβάλινθον, Τρικόρυθον, Μαραθῶνα. *Tetrapolis Atticæ, habens populos & urbes quatuor, Oenoen, Probalinthum, Tricorythum, Marathonem*. Popularis qui esset, Προβαλίνθιος dicebatur. *Stephanus*. ὁ δημότης, Προβαλίνθιος. *Popularis, Probalinthius*. Itaque corrigi debet Demosthenes *in Næram*. καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι μάρτυρας τοὺς συνιόντας αὐτοῖς, Εὔβουλον Προβαλίνθιον, Διοπείθην Μελιτέα, Κτήσωνα ἐκ Κεραμέων. *Et quod hæc vera dicam, voca mihi testes consuetos ipsi, Eubulum Probalinthium, Diopithen Melitensem, Ctesonem ex Ceramensibus*. Perperam editur, Εὔβουλον Προβαλείσιον. Iterum *in Aphobum Orat.* I. Θεογένης γὰρ ὁ Προβαλίνθιος, ὁ μισθωσάμενος αὐτοῦ τὸν οἶκον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ταῦτα τὰ χρήματα ἐξηρίθμησεν. *Theogenes enim Probalinthius, qui conduxit ipsius domum in foro, has pecunias numeravit*. Etiam illic non recte vulgatur, Θεογένης γὰρ ὁ Προβαλίσιος. Erat autem tribus Pandionidis. *Stephanus*. Προβάλινθος, δῆμος Πανδιονίδος φυλῆς. *Probalinthus, populus Pandionidis tribus* [2].

ΠΑΤΡΟΚΛΟΥ ΧΑΡΑΞ.

Commemoratur a Strabone *lib.* IX. πρόκειται δὲ καὶ τούτων τῶν τόπων Βέλβινα νῆσος, οὐ πολὺ ἄπωθεν. καὶ ὁ Πρόκλου χάραξ. *Jacet autem ante hos locos Belbina insula, non multum semota, & Procli vallum*. Sed legendum, καὶ ὁ Πατρόκλου χάραξ. Atque ita recte est in manuscriptis. Nomen habet a Patroclo, Ægyptiarum triremium præfecto, qui communivit, cum Antigonus Demetrii agrum Atticum infestaret, & oram maritimam classe obsessam teneret. Pausanias *in Atticis*. πλέοντι δὲ ἐς τὸ πρόσω Λαύριόν τέ ἐστι, ἔνθα ποτὲ Ἀθηναίοις ἦν ἀργυρίου μέταλλα, καὶ νῆσος ἐρημος οὐ μεγάλη, Πατρόκλου καλουμένη. τεῖχος γὰρ ᾠκοδομήσατο ἐν αὐτῇ, καὶ χάρακα ἐβάλετο Πάτροκλος, ὃς τριήρεσιν ὑπέπλει ναύαρχος Αἰγυπτίαις, ἃς Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Λάγου τιμωρεῖν ἔστειλεν Ἀθηναίοις, ὅτε σφίσιν Ἀντίγονος ὁ Δημητρίου στρατιᾷ τε αὐτὸς ἐσβεβληκὼς ἔφθειρε τὴν χώραν, καὶ ναυσὶν ἅμα ἐκ θαλάσσης κατεῖργεν. *Naviganti autem porro occurrit Laurium, ubi quondam Atheniensium erant argenti metalla, & insula deserta non magna, Patrocli vocata. Murum enim exstruxit in ea, & vallum circumjecit Patroclus, qui triremibus Ægyptiis præfectus adnavigabat, quas Ptolemæus Lagi filius auxilio misit Atheniensibus, quum ipsis Antigonus Demetrii filius exercitu ipse invadens, corrumperet agrum, & navibus simul ab parte maris obsideret*. Incolæ Πατροκλονήσιοι dicebantur. *Stephanus*. Πατρόκλου νῆσος. ὡς Προκοννήσιος, οὕτω Πατροκλονήσιος, παρὰ τὴν Ἀττικήν. *Patrocli insula. Ut Proconesius, ita Patroclonesius, circa Atticam*.

ΠΡΟΣΠΑΛΤΑ.

Acamantidis tribus. *Harpocration*. Πρόσπαλτα, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος. *Prospalta, populus Acamantidis.* Totidem verbis *Suidas*. *Stephanus*. Πρόσπαλτα, δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Προσπάλτιος. τὰ τοπικὰ, Προσπαλτόθεν, Προσπαλτάδε, Προσπαλτοῖ. *Prospalta, populus Acamantidis tribus. Popularis, Prospaltius. Localia, a vel ex Prospaltis, Prospaltensis*. Emendandus Isæus *Orat.* περὶ τοῦ Ἀγνίου κλήρου. Χαιρέλεως δὲ τὸ Προσπαλτοῖ χωρίον κατέλιπεν. *Chæreleus autem Prospaltensem agrum reliquit*. Et *mox* iterum. καταλειφθέντος δὲ τοῦ Προσπαλτοῖ χωρίου, καὶ γενομένου τῆς ἐκείνων ἀδελφῆς. *Relicto autem Prospaltensi agro, & facto illorum sororis*. Utrobique hactenus minus recte editur, πρὸς Παλτοῖ. Erat illic fanum Cereris, & Proserpinæ. Pausanias *Atticis*.

---

1. In Ecclesia, in via, qua itur Athenis in Sunium:

ΟΝΗΤΩΡ
ΠΑΝΑΙΟΥ
ΠΡΑΣΙΕΥΣ

Harpocration meminit Onetoris, cui Demosthenes inscripsit aliquot orationes, quem Suidas more suo descripsit, ne verbo mutato. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 457.

2. Incolæ vocantur Προβαλίνθιοι & Προβαλίσιοι, quod patet ex inscriptionibus vetustis. Quarum sequens conspicitur in æde sacrata S. Georgio, prope monasterium Asomatum:

ΕΡΜΟΚΛΗΣ
ΕΡΜΟΓΕΝΟΥ
ΠΡΟΒΑΛΙΣΙΟΣ

Salamine in Ecclesia Panagia AmpelaKi:

ΠΕΟΦΙΛΟΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΥ ΠΡΟΒΑΛΙ
ΣΙΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΙΑ ΑΡΧΕΒΙΟΥ
ΣΚΑΜΒΟΝΙΔΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ
ΦΙΛΙΣΤΙΔΗΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ ΠΡΟΒΑΛΙ
ΣΙΟΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 457. 458.

Πρασπαλτίοις δέ ἤδη καὶ τούτοις Κόρης καὶ Δήμητρος ἱερόν. *Prospaltiis autem jam & illis Proserpinæ & Cereris fanum est*. Comici Prospaltios traducebant veluti δικαστικούς. Etymologici Auctor *in* Δρυαχαρνεῦ. ἐκωμῳδεῖτο οἱ Ἀχαρνεῖς, ὡς ἄγροικοι καὶ σκληροί. Ποτάμιοι δέ, ὡς ῥαδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράφους. Θυμοιτάδαι δέ, καὶ Προσπάλτιοι, ὡς δικαστικοί. *a Comicis taxabantur Acharnenses, tanquam stupidi & duri. Potamii autem, tanquam facile admittentes adscriptitios. Thymœtadæ vero & Prospaltii, ut judiciales*. Eupolis in illos Comœdiam fecit, & inscripsit, Προσπάλτιοι. Hanc laudant passim, *Athenæus, Suidas, Schol. Aristophanis*, aliique.

Π Τ Ε Λ Ε Α.

Oeneidis tribus. *Stephanus*. Πτελέα, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Πτελεάσιος. τὰ τοπικά, Πτελεάθεν, Πτελέανδε, Πτελεᾶσιν. *Ptelea, populus Oeneidis tribus. Popularis, Pteleasius. Localia, a Ptelea, ad Pteleam, in Ptelea*.

Ρ Α Μ Ν Ο Υ Σ.

Æantidis tribus. *Stephanus*. Ῥαμνοῦς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. *Rhamnus, populus Æantidis tribus*. Nomen accepit a multitudine Rhamnorum illic nascentium. Aristophanis Scholiastes *Pluto*. Μυῤῥινοῦς γάρ δῆμος ἐν Ἀττικῇ μυῤῥίνας ἔχων. ὅθεν αὐτὸς Μυῤῥινόεις, καὶ κατὰ συναίρεσιν Μυῤῥινοῦς. ὥσπερ ἕτερος Ῥαμνοῦς, ἀπὸ τῶν ἐκεῖ φυομένων ῥάμνων. *Myrrhinus igitur populus in Attica myrtos habens. Unde ipse Myrrhinensis, & per synæresin Myrrhinus. quemadmodum alter Rhamnus, ab nascentibus ibi rhamnis*. Distabat Marathone stadiis LX via quæ per littus Oropum versus ducebat. Pausanias *Atticis*. Μαραθῶνος δὲ σταδίους μάλιστα ἑξήκοντα ἀπέχει Ῥαμνοῦς τὴν παρὰ θάλασσαν ἰοῦσιν ἐς Ὠρωπόν. *A Marathone stadia circiter sexaginta abest Rhamnus, ad mare euntibus Oropum versus*. Hic cum Nemesi concubuisse Jovem fabulantur. Callimachi Scholiastes *Hymno in Dianam*. Ῥαμνοῦς, δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τῇ Νεμέσει ὁ Ζεὺς συνεκαθεύδησεν. *Rhamnus, populus Atticæ, ibi Jupiter cum Nemesi concubuit*. Inde nimirum fanum quoque illic, & simulacrum Nemeseos. *Hesychius*. Ῥαμνουσίας ἀκτάς, δῆμος ἐν τῇ Ἀττικῇ, ὅπου Νέμεσις τιμᾶται. *Rhamnusia littora, populus in Attica, ubi Nemesis colitur*. Eustathius *ad Iliad. β'*. Ῥαμνοῦς δὲ (ἔχει) τὸ τῆς Νεμέσεως ξόανον, μεγέθει καὶ κάλλει κατωρθωμένον, καὶ τοῖς τοῦ Φειδίου ἐνάμιλλον. *Rhamnus autem (habet) Nemeseos statuam, magnitudine & pulchritudine laboratam, & statuis Phidiæ comparandam*. Strabo *lib.* IX. μετὰ δὲ Μαραθῶνα Τρικόρυθος, εἶτα Ῥαμνοῦς, τὸ τῆς Νεμέσεως ἱερόν. *Post Marathonem, Tricorythus, dein Rhamnus, Nemeseos fanum*. Ea Nemesis loci istius regina fuit, filiumque habuit Erechtheum, qui matris honori fanum illud consecravit; & simulacrum posuit ad Veneris instar, unde etiam mali arboris ramum in manu. Factum autem simulacrum a Phidia, qui Agoracriti Parii amasii nomen inscripserat. *Suidas*. Ῥαμνουσία Νέμεσις. αὕτη πρῶτον ἀφίδρυτο ἐν Ἀφροδίτης σχήματι. διὸ καὶ κλάδον εἶχε μηλέας. ἱδρύσατο δὲ αὐτὴν Ἐρεχθεὺς μητέρα ἑαυτοῦ οὖσαν, ὀνομαζομένην δὲ Νέμεσιν, καὶ βασιλεύσασαν ἐν τῷ τόπῳ. τὸ δὲ ἄγαλμα Φειδίας ἐποίησεν. οὗ τὴν ἐπιγραφὴν ἐχαρίσατο Ἀγορακρίτῳ τῷ Παρίῳ ἐρωμένῳ. *Rhamnusia Nemesis. Hæc primum consecrabatur in Veneris forma. Propterea ramum tenuit arboris mali. Erechtheus vero consecravit eam, utpote suam matrem, dictam autem Nemesin, & regno potitam loci illius. Statuam vero Phidias fecit. Cujus inscriptionem gratificatus fuit Agoracrito Pario amasio*. Meminit Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* V. *Ejusdem (Phidiæ) discipulus fuit Agoracritus Parius, ei ætate gratus. Itaque e suis operibus pleraque nomini ejus donasse fertur. Certavere autem inter se ambo discipuli in Venere facienda. Vicitque Alcamenes non opere, sed civitatis suffragiis, contra peregrinum suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur, ne Athenis esset, & Nemesim appellasse. Id positum est Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulit*. De mali arboris ramo in manu, tradit etiam *Hesychius*, additque, simulacrum illud decem cubitos altum fuisse, & e lapide solido factum. Ῥαμνουσίαν, Νέμεσιν. ἐν Ῥαμνοῦντι Νεμέσεως ἵδρυτο ἄγαλμα δεκάπηχυ, ὁλόλιθον, ἔργον Φειδίου, ἔχον ἐν τῇ χειρὶ μηλέας κλάδον. *Rhamnusiam, Nemesin. In Rhamnunte Nemeseos consecrata est statua decem cubitorum, e lapide solido, opus Phidiæ, tenens manu mali arboris ramum*. Ex illo ramo tabella pendebat, in qua scriptum. ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ. Zenobius *Cent.* V. *Prover.* LXXXII. ἐν Ῥαμνοῦντι Νεμέσεως ἵδρυται ἄγαλμα δεκάπηχυ, ὁλόλιθον, ἔργον Φειδίου. ἔχει δὲ ἐν τῇ χειρὶ μηλέας κλάδον, ἐξ οὗ φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος πτυχίον τι μικρὸν ἐξηρτῆσθαι τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ. *In Rhamnunte Nemeseos consecrata est statua decem cubitorum, e solido lapide, opus Phidiæ. Tenet autem in manu mali arboris ramum, ex quo dicit Antigonus Carystius tabellam quandam parvam dependisse, inscriptionem habentem, Agoracritus Parius fecit*. Accuratissime Pausanias, *loco citato*; simulacrum fuisse e Pario marmore, quod Barbari ad Marathonem devicti comportandum illuc curasset, ceu devictis jam Atheniensibus trophæum ibi ex eo erecturi; quippe creditum, hanc ipsorum arrogantiam Nemesin vindicasse. Habuisse autem in capite coronam, in qua cervi, & Victoriæ quædam sigilla; in dextra phialam, cui Æthiopes insculpti: in sinistra mali arboris, quem dixi, ramum. Audi narrantem testem oculatum. καὶ αἱ μὲν οἰκήσεις ἐπὶ θαλάσσῃ τοῖς ἀνθρώποις εἰσί, μικρὸν δὲ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω, Νεμέσεώς ἐστιν ἱερόν. ἣ θεῶν μάλιστα ἀνθρώποις ὑβρισταῖς ἐστιν ἀπαραίτητος. δοκεῖ καὶ τοῖς ἀποβᾶσιν ἐς Μαραθῶνα τῶν Βαρβάρων ἀπαντῆσαι μήνιμα ἐκ τῆς θεοῦ ταύτης· καταφρονήσαντες γὰρ σφίσιν ἐμποδὼν εἶναι τὰς Ἀθήνας, ἑλεῖν λίθον Πάριον, ὃν ὡς ἐπ' ἐξειργασμένοις ἦγον ἐς τροπαίου ποίησιν. τοῦτον Φειδίας τὸν λίθον εἰργάσατο, ἄγαλμα μὲν εἶναι Νεμέσεως, τῇ κεφαλῇ δὲ ἔπεστι τῆς θεοῦ στέφανος, ἐλάφους ἔχων καὶ νίκης ἀγάλματα οὐ μεγάλα. ταῖς δὲ χερσὶν ἔχει, τῇ μὲν κλάδον μηλέας, τῇ δεξιᾷ δὲ φιάλην. Αἰθίοπες δὲ ἐπὶ τῇ φιάλῃ πεποίηνται. *Et domicilia ad mare hominibus sunt, parum vero superius a mare, Nemeseos est fanum, quæ ex Diis præcipua hominibus insolentibus est implacabilis. Putatur etiam, Barbaris qui ad Marathonem exscenderunt ab hac Dea vindicias venisse. Contemnentes enim sibi obstantes Athenas opes, sumpsisse lapidem Parium, quem utpote jam exantlatis certaminibus ad tropæi fabricam duxerunt. Hunc lapidem Phidias expolivit, statuam quidem esse Nemeseos; in capite autem Deæ corona est, cervos habens & victoriæ simulachra haud magna. In manibus vero tenet in una ramum mali arboris, in dextra vero phialam. Æthiopes autem in phiala erant fabricati*. Hinc oriundus Antiphon Rhetor. Plutarchus *in ejus vita*. Ἀντιφῶν Σοφίλου μὲν ἦν πατρός, τὸν δὲ δῆμον Ῥαμνούσιος. *Antiphon Sophilo quidem erat patre, quod ad populum vero Rhamnusius*. Ab ejus illic imitatoribus factum, ut viri honesti proverbialiter Ῥαμνούσιοι dicerentur. *Suidas*. Ῥαμνούσιος (ita scribo, non Ῥάμνος) ἐπὶ τῶν σοφῶν καὶ τῶν ἐλλογίμων. Ῥαμνοῦς (ita scribo, non Ῥάμνος) γὰρ δῆμος Ἀττικῆς, ἐν ᾧ καὶ Ἀντιφῶν ἤκμασε κατὰ ῥητορικήν. ἐν πολλοῖς μιμήσασθαι θέλοντες παροιμίαν ἔλιπον τῷ βίῳ, ὥστε τοὺς καλοὺς, Ῥαμνουσίους καλεῖν. Rham-

Rhamnuſius, de ſapientibus & celebribus. Rhamnus enim populus Atticæ, in quo & Antiphon floruit ſtudio Rhetorices. Quem multi volentes imitari proverbium reliquerunt vitæ, ita ut boni, Ramni dicantur. Itidem ibi ſcribendum, τὺς καλὺς, Ραμνυσίυς καλεῖν. Ipſe Suidas *non multo poſt iterum*. λέγεται δὲ καὶ παροιμία, Ραμνύσιος, ἐπὶ τῶν σοφῶν καὶ ἐλλογίμων. *Dicitur autem quoque proverbium, Rhamnuſius, de ſapientibus & celebribus* [1].

ΣΑΛΑΜΙΣ.

Salamis. Hæc olim quidem inter populos Atticæ non fuit, ſed Athenienſes poſtea adſciverunt. Philoſtratus *Heroicis, in Ajace Telamonio*: Ηττίκιζέ τε, ἅτε οἶμαι, Σαλαμῖνα οἰκῶν, ἣν Αθηναῖοι δῆμον πεποίηνται. *Atticiſſabat etiam, quippe, ut arbitror, Salaminem habitans, quam Athenienſes populum fecerunt*. Factum autem id ſine dubio, cum Athenienſibus eam Ajacis filii, Phylæus, & Euryſaces, tradiderunt; uti auctor eſt Plutarchus, *in Solone*. Itaque inter Atticæ populos etiam commemoratur apud Statium, *Theb. lib.* XII. *v.* 637 638.

Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleuſis
Horrida ſuſpenſis ad prælia miſit aratris.

Illic autem ſata prius, quam in Attica, matureſcere credebantur: qua de re videndus tibi Theophraſtus, *Hiſt. Plant. lib.* VIII. *cap.* III.

ΣΗΜΑΧΙΔΑΙ.

Antiochidis tribus. *Heſychius*. Σημαχίδαι, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. *Semachidæ, populus Antiochidis tribus*. Nomen inditum a Semacho, cujus filiæ Bacchum hoſpitio excepiſſe tradebantur; unde & ex earum poſteris illius ſacerdotes lectæ. *Stephanus*. Σημαχίδαι, δῆμος Αττικῆς, ἀπὸ Σημάχυ, οὗ καὶ ταῖς θυγατράσιν ἐπεξενώθη Διόνυσος. ἀφ' ὧν αἱ ἱέρειαι αὐτῦ. ἔστι δὲ τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. Φιλόχορος δὲ τῆς Επακρίας φησὶ τὸν δῆμον. *Semachidæ, populus Atticæ, a Semacho, a cujus etiam filiabus hoſpitio exceptus eſt Dionyſus, e quibus ſacerdotes ejus. Eſt vero Antiochidis tribus. Philochorus autem Epacriæ dicit populum* [2].

ΣΚΑΜΒΩΝΙΔΑΙ.

Leontidis tribus. *Harpocration*. Σκαμβωνίδαι. Λυκῦργος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Scambonidæ. Lycurgus in controverſia Croconidarum. Eſt autem populus Leontidis. Heſychius*. Σκαμβωνίδαι. δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Scambonidæ. Populus Leontidis tribus. Stephanus*. Σκαμβωνίδαι, δῆμος Αττικὸς, Λεοντίδος φυλῆς. *Scambonidæ, populus Atticus, Leontidis tribus*. Ariſtophanes *Veſpis, v.* 81.

Νικόστρατος δ' αὖ φυσιν ὁ Σκαμβωνίδης.
Nicoſtratus vero rurſus ait Scambonides.

Ubi *Scholiaſtes*. Σκαμβωνίδης. ἀπὸ δήμυ τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Scambonides. A populo Leontidis tribus*. Emendandus eſt *Suidas*. Σκαμβωνίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Scambonidæ, populus Leontidis*. Hodie editur, Σκαμωνίδαι, δ. Erat hic via, quæ Myrmecis dicebatur, ab heroe Myrmece. *Heſychius*. Μύρμηκας, ἀτραπὺς Αθήνησιν, ἐν Σκαμβωνιδῶν, ἔστι μύρμηκος ἀτραπὸς ἀπὸ ἥρωος Μύρμηκος ὀνομαζομένη. *Myrmecas, vias Athenis; in Scambonidis eſt myrmecos via ab heroe Myrmeco dicta*. Sed corruptus locus. Reſtituo, & interpungo, Μύρμηκος ἀτραπὸς. Αθήνησιν ἐν Σκαμβωνιδῶν ἐστι Μύρμηκος ἀτραπὸς, ἀπὸ ἥ. Μ. ὀ. *Myrmecus, via. Athenis in Scambonidis eſt Myrmeca via, ab, &c.* Differebant vero, ne quis confundat, Μυρμήκων ὁδοί. Idem *Heſychius*. Μυρμήκων ὁδοὶ, Αθήνησι τόπος. καὶ αἱ μονόκωλοι τρίβοι, ἀπὸ τῆς τῦ ζώυ ὁμοιότητος κατὰ τὴν ὁδὸν γινομένυ. *Formicarum viæ, Athenis locus, & unico membro porrecta trivia, ab ſimilitudine animalis circa illam viam*. Quo alluſit Ariſtophanes Θεσμοφ. cum inquit, *v.*68.

Μύρμηκος ἀτραπὺς, ἤ τί διαμινυρίζεται.
Formicæ vias, aut quid cantillat.

Atque hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Hic populus Bæſaram Celei filiam Croconi nuptam fuiſſe dicebat. Pauſanias *in Atticis*. τῦτον Αθηναῖοι τὸν Κρόκωνα Κελεῦ θυγατρὶ συνοικῆσαι Βαισάρᾳ λέγυσι. λέγυσι δὲ ὐ πάντες, ἀλλ' ὅσοι τῦ δήμυ τῦ Σκαμβωνιδῶν εἰσίν. *Iſtum Athenienſes Croconem cum Celei filia Bæſara cobabitaſſe ferunt. Dicunt vero non omnes, ſed quotquot ſunt e populo Scambonidarum*. Hinc oriundus Alcibiades. Apud Plutarchum *in ejus vita*. Θέσσαλος Κίμωνος Λακιάδης Αλκιβιάδην Κλεινίυ Σκαμβωνίδην εἰσήγγειλεν ἀδικεῖν περὶ τὼ θεὼ, τὴν Δήμητρα καὶ τὴν Κόρην. *Theſſalus Cimonis filius Laciades Alcibiadem Cliniæ filium Scambonidem detulit violare ſacra quæ pertinent ad Deas Cererem & Proſerpinam* [3].

---

1. Apud Gruterum extat inſcriptio Patavina p. LXXXIV. ſed valde corrupta, quæ ſic in lapide ſe habet:

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΣ
ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ ΤΟΥ
ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ ΚΑΙ
ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓ
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 460.

2. Eleuſine in Eccleſia S. Georgii epigramma legitur:

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ
ΚΑΙΟ
ΔΗΜΟΣ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΗΝ
ΜΕΝΝΕ...
..ΕΡΝΕΙΚΙΔΟΥ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΜΥΗΘΕΙΣΑΝ
ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗ
ΑΝΕΘΗΚΕ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ ΤΗΣ ΑΝΑ
ΘΕΣΕΩΣ
ΤΟΥ ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ ΑΥΤΗΣ
ΓΑΙΟΥ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 460.

3. Salamine hic lapis legitur:

ΚΑΣΙΟΥ ΣΗΜΑΧΙΔΟΥ.
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΥ ΠΡΟΒΑΛΙ
ΣΙΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΙΑ ΑΡΧΕΒΙΟΥ
ΣΚΑΜΒΩΝΙΔΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ
ΦΙΛΙΣΤΙΔΗΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΠΡΟΒΑΛΙΣΙΟΣ.

Spon. *Iten. T.* 2. *p.* 462.

Σ Κ Ι Ρ Ο Ν.

Ignotæ tribus. Inter Athenas & Eleuſinem erat, ut apparet ex Pauſaniæ *Atticis*. Ιᾶσι δὲ ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν, ἣν Ἀθηναῖοι καλᾶσιν ὁδὸν ἱερὰν, Ἀνθεμοκρίτε πεποίηται μνῆμα. *Tendentibus autem verſus Eleuſinem ab urbe Athenis, quam Athenienſes vocant viam ſacram, Anthemocriti ſtructum eſt monumentum*. Et paullo poſt: καὶ χωρίον Σκῖρον ἐπὶ τοιῷδε καλέμενον. *Et locus Sciron propterea vocatus*. Meminerunt quoque, *Strabo*, *Stephanus*, *Suidas*, *Harpocration*, aliique. Ab eo dictum feſtum Σκίρα, Minerva Σκιράς. De feſto accurate dicam, antiquitatis illuſtrandæ cauſſa. *Harpocration*. Σκίρα, ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών. *Scira, feſtum apud Athenienſes, a quo dictus eſt menſis Scirophorion*. Celebrabatur vero die XII. menſis inde dicti Scirophorionis, in honorem Minervæ Σκιράδος; vel, ut alii volunt, Cereris, & Proſerpinæ. Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Concion*. Σκίρα, ἑορτή ἐστι τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, Σκιροφοριῶνος τῇ δωδεκάτῃ. οἱ δὲ Δήμητρος, καὶ Κόρης. *Scira feſtum eſt Sciradis Minervæ, duodecimo die Scirophorionis. Alii vero Cereris, & Proſerpinæ*. Mendoſiſſimus hodie *Heſychii* locus. Σκεῖρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀρείονος. *Scira, feſtum Athenis melioris*. Reſcribe, Σκίρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀθηνᾶς. *Scira, feſtum Athenis Minervæ*. Item Stephani *in* Σκίρος. Σκίρα δὲ κέκληται. τινὲς μὲν ὅτι ἐπὶ Σκίρῳ Ἀθήνησι θύεται. ἄλλοι δὲ, ἀπὸ τῶν γιγνομένων ἱερῶν Δημήτρει καὶ Κόρῃ. καὶ ἡ ἑορτὴ ταύτῃ Ἐπισκίρα κέκληται. *Sciro. Scira autem vocata eſt. aliqui quidem quia propter Scirum Athenis ſacra fiunt. Alii vero, ab factis Sacris Cereri & Proſerpinæ. Et feſtum illud Epiſcira nominatur*. Reſtituo, καὶ ἡ ἑορτὴ ταύτη ἔτι Σκίρα κέκληται. *Et feſtum illud adhuc Scira vocatur*. Meminit feſti etiam Polyænus *lib.* III. *cap.* X. *exempl.* IV. Ἦν ἑορτὴ Σκίρα. Τιμόθεος κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν μυρσίνῃ ςεφανώσας τὰς τριήρεις ἦρε τὸ σημεῖον. *Erat feſtum Scira. Timotheus illo die cum myrto coronaſſet triremes, tollebat ſignum*. Sunt qui datum nomen velint ab umbella, quæ σκίρον nuncupatur, ferebaturque cum ex arce irent Scirum ſacerdotes Minervæ, Neptuni, & Solis: erat autem umbella ea alba; quique geſtabant, Eteobutadæ. *Harpocration*. Σκίρον, σκιάδιόν ἐστι, μεθ' ᾧ φερόμενοι ἐξ ἀκροπόλεως εἴς τινα τόπον καλέμενον Σκίρον πορεύονται, ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια, καὶ ὁ τῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς, καὶ ὁ τῦ Ἡλίε. κομίζεσι δὲ τῦτο Ἐτεοβετάδαι. *Sciron, umbella eſt, cum qua egreſſi ex arce ad locum vocatum Sciron proficiſcebantur, nempe Minervæ ſacerdos & Neptuni, & Solis. Geſtant autem illam Eteobutadæ*. Totidem verbis Scholiaſtes Ariſtophanis *loco citato*, niſi quod Neptuni ibi ſacerdotis nulla mentio. Dixi umbellam albam fuiſſe, idque ejuſdem Comici *Scholiaſtæ* locus teſtatur, qui hoc quoque addit, non ab Eteobutadis geſtatam, ſed ab Erechthei ſacerdote. Ecce verba. ἐν ᾗ ὁ ἱερεὺς τῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκὸν, ὃ λέγεται σκίρον. *In quo ſacerdos Erechthei fert umbellam albam, vocatam Sciron*. Ea vero umbellæ portatio ſignificabat, tempus jam ædificando idoneum eſſe. *Harpocration*. σύμβολον δὲ τῦτο γίνεται τῦ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν· ὡς τέτε τῦ χρόνε ἀρίςε ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. *Symbolum autem illud fit, nempe ædificare oportere & tegumenta facere, quia illud tempus optimum eſt ad ædificationem*. Habes totidem verbis apud *Suidam*, & Scholiaſten *Ariſtophanis*. Præterea tum quoque curſu ephebi certabant, vitis ramum geſtantes uvis onuſtum, quem ὄσχην nuncupabant, unde & ὀσχοφορία id certamen. Currebant autem a Bacchi templo uſque ad Minervæ Sciradis; quique prior perveniſſet, is victor edebat e phiala, quæ πενταπλέα, ſive πενταπλῆ, dicebatur; quia mixta in ea erant, vinum, mel, caſeus, farina, & olei parum. Athenæus *lib.* XI. Ἀριςόδημος δ' ἐν τρίτῳ περὶ Πινδάρε, τοῖς Σκίροις φησὶν Ἀθήναζε ἀγῶνα ἐπιτελεῖσθαι τῶν ἐφήβων δρόμε· τρέχειν δ' αὐτὲς ἔχοντας ἀμπέλε κλάδον κατάκαρπον τὸν καλέμενον ὄσχον. τρέχεσι δ' ἐκ τῦ ἱερῦ τῦ Διονύσε μέχρι τῦ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῦ. καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει κύλικα τὴν λεγομένην πενταπλόαν, καὶ κωμάζει μετὰ χορῦ. πενταπλόα δὲ ἡ κύλιξ καλεῖται, καθόσον οἶνον ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τυρὸν, καὶ ἄλφιτον, καὶ ἐλαίε βραχύ. *Ariſtodemus vero in tertio libro de Pindaro, Sciris dicit prope Athenas certamen peragi curſu ephebŏrum; currere autem iſtos habentes vitis ramum onuſtum fructibus, quem ὄχον vocant. Currunt autem e templo Dionyſi uſque ad Sciradis Minervæ fanum. Et qui vicit accipit calicem dictam pentaploan, & comeſſatum it cum choro. Pentaploa autem calix vocatur, quia continet vinum, & mel, & caſeum, & polentam, & oleï aliquantulum*. Atque erant iſti juvenes, qui utrumque parentem ſuperſtitem haberent, legebanturque e ſingulis tribubus. Scholiaſtes Nicandri *Alexipharmacis*. ὀσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησιν παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλε, ἐκ τῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσε ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. *Vitis palmitem ramis onuſtum geſtantes autem dicuntur Athenis pueri, quorum parentes ſunt ſuperſtites, certantes juxta tribus, qui accipientes palmites vitis, ex fano Dionyſi currebant ad Sciradis Minervæ templum. erant autem palmites habentes racemos*. Et quidem nobiles. Accipio ex *Heſychio*. Ὀσχοφόρια, παῖδες εὐγενεῖς ἡβῶντες καταλέγονται, οἱ φέροντες τὰς ὄσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Ὀσχοφόρια, *pueri nobiles pubeſcentes recenſentur, qui ferentes palmites ad Sciradis Minervæ fanum. Habebant autem palmites racemos*. Dixi lectos e ſingulis tribubus, & victorem e phiala quintuplice ediſſe. Proclus confirmat *in Chreſtomathia*. ἐξ ἑκάςης δὲ φυλῆς ἔφηβοι διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλες δρόμῳ. καὶ τέτων καὶ πρότερος ἐγεύετο ἐκ τῆς πενταπλῆς λεγομένης φιάλης, ἣ συνεκιρνᾶτο ἐλαίῳ, καὶ οἴνῳ, καὶ μέλιτι, καὶ τυρῷ, καὶ ἀλφίτοις. *Ex ſingulis autem tribubus ephebi certabant inter ſe curſu. Et horum prior guſtabat ex quintuplice dicta phiala, quæ commiſcebatur oleo, & vino, & melle, & caſeo, & polentis*. De curſu e fano Bacchi ad Minervæ Sciradis, idem refert. Ἦν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τῦ Διονυσιακῦ ἱερῦ εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σκιράδος τέμενος. *Erat vero Athenienſibus proceſſus ex Dionyſiaco fano uſque ad Minervæ Sciradis delubrum*. Erat item chorus, qui carmina cantabat, ὀσχοφορικὰ dicta, in honorem certantium; eumque ducebant juvenes duo veſte muliebri induti, & ipſi vitis ramos geſtantes uvis maturis refertos. Commemorat *ibidem* Proclus Ὀσχοφορικὰ δὲ μέλη παρὰ Ἀθηναίοις ᾔδετο. τῦ χορῦ δὲ δύο νεανίαι, κατὰ γυναῖκας ἐςολισμένοι, κλήματα ἀμπέλε κομίζοντες μεςῶν εὐθαλῶν βοτρύων. (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὄσχην, ἀφ' ἧς καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς καθηγοῦντο. εἵπετο δὲ τοῖς νεανίαις ὁ χορὸς, καὶ ᾖδε τὰ μέλη. *Oſchophoricæ autem cantilenæ ab Athenienſibus canebantur. Chori autem duo juvenes, muliebri veſtitu induti, palmites vitis ferentes plenos maturis racemis (vocabant autem illum ὄσχην, a quo etiam cantilenis denominatio) feſtum celebrabant. Ducebatur autem a juvenibus chorus,*

A *& canebat cantilenas*. Sed corruptus ille locus, legendumque κλῆμά τε ἀμπέλε κομίζοντες μεσὸν εὐθαλῶν β. Qui phialam illam quintuplicem ferebant, δειπνοφόροι dicebantur. Observo ex istis *Hesychii verbis*. παρὰ Ἀθηναίοις καθίςανται ἐν τῇ τῶν ὀσχοφορίων ἑορτῇ οἱ δειπνοφόροι. *Apud Athenienses constituebantur in Oschophoriorum festo dipnophori*. Erat autem templum hoc Minervæ Sciradis, non quod in Sciro, ne quid erres, sed alterum, quod Phaleri, vetustius scilicet, exstructumque a vate Sciro, cujusque meminit Pausanias *in Atticis*, ubi de Phalero agit. Ἐνταῦθα καὶ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ναός ἐςι. *Ibi & Sciradis Minervæ fanum est*. Et alibi. Ἐλευσινίοις πολεμᾶσι πρὸς Ἐρεχθέα, ἀνὴρ μάντις ἦλθεν ἐκ
B Δωδώνης, ὄνομα Σκῖρος, ὃς καὶ τὸ Σκιράδος ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς ἐπὶ Φαληρῷ τὸ ἀρχαῖον ἱερόν. *Quum Eleusinii bellum gererent contra Erechtheum, vir vates venit e Dodone, cujus nomen Scirus, qui & Sciradis Minervæ in Phalero vetustum templum extruxit*. Et locus, in quo templum, a ramorum, quam dixi, illuc gestatione, ὠσχοφόριον. Ita interpretor *Hesychii* verba. Ὠσχοφόριον, τόπος Ἀθήνησι Φαληροῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν. *Oschophorion, locus Athenis in Phalero, ubi Minervæ fanum*. Nam dubium nullum est, quin Minervam hanc Sciradem intelligat. Porro Athenienses e tribus
C arationibus sacris, ut secundam in Rhario campo, tertiam sub ipsa urbe, quam βεζύγιον appellabant; ita primam Sciri obibant, antiquissimæ sationis monumentum. Plutarchus *in Præceptis Conjug*. Ἀθηναῖοι τρεῖς ἀρότυς ἱερὺς ἄγυσι, πρῶτον ἐν Σκίρῳ, τῦ παλαιοτάτυ τῶν σπόρων ὑπόμνημα, δεύτερον ἐν τῇ Ραρίᾳ, τρίτον ὑπὸ πόλιν τὸν καλύμενον Βεζύγιον. *Athenienses tres arationes sacras celebrant, primam in Sciro, antiquissimæ sationis monumentum, secundam in Rharia, tertiam sub urbe, dictam Buzygiam*. Ibi quoque aleatores conveniebant, ludebantque; atque inde aleatorium Σκιράφιον dictum. *Suidas*. Σκιράφιον, (ita scribo, non
D Σκιραφεῖον.) κυβευτήριον. ἐπειδὴ διέτριβον ἐν Σκίρῳ οἱ κυβεύοντες. *Sciraphion, aleatorium. quoniam versabantur in Sciro aleatores. Hesychius*. Σκιράφιον, (male hodie Σκειράφιον editur) κυβευτήριον. ἴσως διὰ τὸ ἐν Σκίρῳ τὴν διατριβὴν ἔχειν. *Sciraphion aleatorium, fortasse quia in Sciro versatur*. Addendum, τὺς κυβεύοντας; nam mutilus locus. Emendandus quoque *Harpocration*. Σκιράφια ἔλεγον τὰ κυβευτήρια, ἐπειδὴ διέτριβον Σκίρῳσι οἱ κυβεύοντες. *Sciraphia vocabant aleatoria, quoniam versabantur in Sciro aleatores*. Hodie editur, Ηκίρωνι. *Stephanus*. καὶ τὸ Σκιράφιον, ὅπερ δηλοῖ τὸ τόπον, εἰς
E ὃν οἱ κυβιςαὶ σωιάσιν. καὶ ὁ Σκιροφόρος, ὃ σημαίνει τὸν ἀκόλαςον, καὶ κυβευτὴν, ἀπὸ τῶν ἐν Σκίρῳ διατριβόντων. *Et Sciraphion, quod indicat locum, in quem aleatores conveniunt. Et Sciropborus, qui indicat lascivum, & aleatorem, ab iis qui in Sciro versantur*. Et quidem ludebant in ipso Minervæ Σκιράδος templo. Etymologici *Auctor*. ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ οἱ κυβευταὶ ἔπαιζον. *In fano Sciradis Minervæ aleatores ludebant*. Eustathius *ad Odyss. α*. ἐσπυδάζετο ἡ κυβεία, ὐ μόνον παρὰ Σικελοῖς, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναίοις· οἳ καὶ ἐν ἱεροῖς ἀθροιζόμενοι ἐκύβευον. καὶ μάλιςα ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς τῷ
F ἐπὶ Σκίρῳ. ἀφ' ὗ καὶ τὰ ἄλλα κυβευτήρια, σκιράφια ὠνομάζετο. *Fervebat lusus aleæ, non solum apud Siculos, sed & Athenienses, qui & in fanis congregati alea ludebant. Et maxime in fano Minervæ Sciradis, quod in Sciro. A quo & alia aleatoria sciraphia vocabantur*. Verum non aleatores tantum illic ludebant, sed & meretrices prosidebant. *Stephanus*. ὁ τόπος δὲ (Σκίρον) ἀπὸ Σκίρυ ἥρωος. ἐν δὲ τῷ τόπῳ τύτῳ αἱ πόρναι ἐκαθέζοντο. *Locus autem (Sciron) ab Sciro heroe. In eo autem loco meretrices sedebant*.

ΣΟΥΝΙΟΝ.

Hesychius. Σνιεὺς, Σνιεῖς, δῆμος. Σύνιον, ἀκρωτήριον τῆς Ἀττικῆς. *Suniensis, Sunienses, populus. Sunium, promontorium Atticæ*. Strabo *lib*. IX. κάμψαντι δὲ τὴν κατὰ τὸ Σύνιον ἄκραν, ἀξιόλογος δῆμος Σύνιον. *Flectenti vero Sunium promontorium, celebris occurrit populus Sunion*. Et observa, ἀξιόλογον appellari. Certe Piræeo comparat Cicero ad Atticum, *lib*. VII. *epist*. III. *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræum. & idem. Mercator hoc addebat, captam e Sunio. Quod si* δήμυς *oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piræeus*. At de Piræeo vide quæ supra a me dicta. Erat tribus Leontidis. *Stephanus*. Σύνιον, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Σνιεύς. *Sunium, populus Leontidis tribus. Popularis, Suniensis*. In supremo promontorio Minervæ Σνιάδος templum erat. Pausanias *initio Atticorum*. τῆς ἠπείρυ τῆς Ἑλληνικῆς κατὰ νήσυς τὰς Κυκλάδας, καὶ πέλαγος τὸ Αἰγαῖον, ἄκρα Σύνιον πρόκειται γῆς Ἀττικῆς. καὶ λιμὴν τε περιπλεύσαντι τὴν ἄκραν ἐςί. ναὸς Ἀθηνᾶς Σνιάδος ἐπὶ κορυφῇ τῆς ἄκρας. *In continente Græciæ, versus insulas Cycladas, & pelagus Ægæum, promontorium Sunium excurrit ex terra Attica, & portus occurrit ei qui præternavigavit promontorium, & fanum Minervæ Suniadis in vertice promontorii*. Hujus templi meminit etiam Vitruvius *lib*. IV. *c*. VII. *Hoc autem genere primo facta ædes, uti est Castoris in Circo, Athenis in arce Minervæ, & in Attica Sunio Palladis*. Hinc ἱρὸν ἄκρον Ἀθηνῶν dixit Homerus *Odyss*. γ' v. 278.

> Ἀλλ' ὅτε Σύνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον Ἀθηνῶν.
> *Sed quum ad Sunium sacrum pervenimus promontorium Athenarum*.

Etiam Neptunus illic cultus; unde Σνιάρατος dicitur Aristophani *in Equitibus*, v. 557. 558.

> Δεῦρ' ἔλθ' ἐς χορὸν ὦ χρυσοτρίαιν', ὦ
> Δελφίνων μεδέων Σνιάρατε.
> *Accede veni ad chorum o aureum tridentem gerens, o*
> *Delphinis imperans Suniarate*.

Ubi *Scholiastes*. ὦ χρυσοτρίαινε, περιφραςικῶς τῆς θαλάττης βασιλεῦ. Σνιάρατε δὲ, ᾧ ἐν τῷ Σνίῳ ἀρῶνται καὶ εὔχονται. *O aureum tridentem gerens, circumscripte maris rex. Suniarate vero notat, cui in Sunio vovent & supplicant*. Errat *Eustathius*, qui hunc locum de Jove interpretatur. Verba ejus ad citatum *Homeri locum* ista sunt. ὅτι τὸ Σύνιον ἱερὸν ἄκρον, ἤγουν ἀκρωτήριον Ἀθηναίων φησί. καὶ ἴσως ἱερὸν αὐτό φησιν, ἐπεὶ Ζεὺς Σονιεὺς ἐτιμᾶτο ἐκεῖ. ὃν διθυραμβικῶς παίζων ὁ Κωμικὸς, καλεῖ Σνιάρατον. *Sunium sacrum promontorium, vel promontorium Atheniensium inquit. Et fortassis sacrum illud vocat, quia Jupiter Suniensis colebatur ibi. Quem dithyrambice deludens Comicus, vocat Suniaratum*. Ita quoque Σνιέρακος dicitur ab eodem *Avibus*, v. 872.

> Ὦ Σνιέρακε χαῖρ' ἄναξ πελαργικέ.
> *O Sunierace salve rex pelargice*.

Ubi *Scholiast*. ὦ Σνιέρακε ἐπεὶ περὶ ὀρνίθων ὁ λόγος, ἀντὶ τῦ Σνιάρατε. φαίνεται δὲ εἶναι Ποσειδῶνος τὸ ἐπίθετον. καὶ Ἱππεῦσι.

> Ὦ δελφίνων μεδέων Σνιάρατε.

παρὰ τὸ ἐν Σνίῳ ἄκρῳ τῆς Ἀττικῆς τὰς εὐχὰς καὶ τὰς ἀρὰς δέχεσθαι. *O Sunierace quia de avibus sermo, pro Suniarate. Videtur autem esse Neptuni epitheton. Et in Equitibus*.

> *O delphinibus imperans Suniarate*.

quia in Sunio promontorio Atticæ preces & vota fiunt.

Et triremibus illic certabatur Panathenæis minoribus. Obſervo apud Lyſiam *in Oratione, quæ inſcribitur*. ἀπολογία δωροδοκίας. καὶ Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς ἐχορήγουν πυρριχισταῖς ἀγενείοις, καὶ ἀνήλωσα ἑπτὰ μνᾶς. νενίκηκα δὲ τριήρει μὲν ἁμιλλώμενος ἐπὶ Σουνίῳ, ἀναλώσας πεντεκαίδεκα μνᾶς. *Et in Panathenæis minoribus chorum inſtruebant pyrrichiſtis impuberibus, & conſumpſi ſeptem minas. vici autem trireme quidem certans in Sunio, impendens quindecim minas* [1].

ΣΠΟΡΓΙΛΟΣ.

Stephanus. Σπόργιλος, δῆμος Ἀττικός. ὁ δημότης, Σποργίλιος. *Sporgilus, populus Atticus. Popularis, Sporgilius*. Tribus incerta eſt.

ΣΤΕΙΡΙΑ.

Strabo *lib.* IX. Εἶτα Θόρικος, εἶτα Ποταμὸς δῆμος οὕτω καλούμενος, ἐξ οὗ οἱ ἄνδρες Ποτάμιοι· εἶτα Πρασιά, Στειριά, Βραυρών. *Dein Thoricus, poſtea Potamus populus, ita vocatus, ex quo viri Potamii. denique Praſia, Stiria, Brauron*. Erat tribus Pandionidis. *Suidas*. Στειριά, δῆμος τῆς Πανδιονίδος. ἧς ὁ δημότης Στειριεύς. οἷον, Στειριεὺς τὸν δῆμον. *Stiria, populus Pandionidis. Cujus popularis Stirienſis, quemadmodum Stirienſis populum*. *Heſychius*. Στειριεῖς, δῆμος φυλῆς τῆς Πανδιονίδος. *Stirienſes, populus tribus Pandionidis*. Et diſerte Lucianus *in dial. Meretr*. ὅτι Πολέμων ὁ Στειριεύς, Πανδίονος φυλῆς, ἀκούεις, χιλιαρχήσας τὸ πρῶτον, νῦν δὲ ἐξαναστήσας πενταχιλίαν ἀσπίδα. *Quod Polemon Stirienſis, Pandionidis tribus, audis, primo præpoſitus mille militibus, nunc vero exſuſcitans quinque millia clypeatorum*. *Harpocration*. Στειριεύς, Ὑπερίδης κατ' Ἀρχεστρατίδου. δῆμος φυλῆς τῆς Πανδιονίδος Στειριά. *Stirienſis, Hyperides contra Archeſtratidam. Populus tribus Pandionidis Stiria*. Efferebatur fœminino, & neutro genere. *Stephanus*. Στειριά, δῆμος Ἀττικὸς Πανδιονίδος φυλῆς, θηλυκῶς καὶ οὐδετέρως. *Stiria, populus Atticus Pandionidis tribus, fœminini & neutrius generis*. Occurrit quoque apud Lyſiam *in Apologia*. ὕστερον ἀνεχώρησα, τοῦ σεμνοῦ Στειριέως τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις δειλίαν ὀνειδικότος. *Poſtea receſſi, gravi Stirienſi omnibus hominibus metum exprobrante*. Emendandus Ariſtophanis Scholiaſtes *Ranis*. οὗτος δὲ γέγονεν ὁ Θηραμένης, διδάσκαλος Ἰσοκράτους, στρατηγὸς δὲ καὶ ὑποκριτής, ὁ μετάβλητος, Ἅγνωνος παῖς, Στειριεὺς τὸν δῆμον. *Hinc vero fuit natus Theramenes, magiſter Iſocratis, dux autem & hiſtrio, mutabilis, Agnonis filius, Stirienſis populum*. Hodie ſcribitur, Στειριεὺς τὸν δ. Et obſerva Theramenem Stirienſem fuiſſe. Fuit etiam Thraſybulus. Æſchines *Orat. in Cteſiphontem*. Ἀρχῖνος γὰρ ὁ ἐκ Κοίλης ἐγράψατο παρανόμων Θρασύβουλον τὸν Στειριέα. *Archinus enim e Cœle accuſavit nefariorum Thraſybulum Stirienſem*. Emendandus inſignis locus hac de re apud Diodorum Siculum *lib.* XIV. Θρασύβουλος Στειριεὺς ὀνομαζόμενος, ὢν Ἀθηναῖος, ὑπὸ δὲ τῶν τριάκοντα πεφυγαδευμένος. *Thraſybulus Stirienſis vocatus, Athenienſis exiſtens, ab triginta autem expulſus*. Perperam editur, Θρασύβουλος ὁ Τυριεὺς ὀνομαζόμενος. Obſervandum autem, Stirienſem dictum, ſed revera Athenienſem fuiſſe. Iterum apud Æſchinem, quem citavi, nominatur Hegeſander quidam Stirienſis, *Orat. in Timarchum*. Ἡγήσανδρος Διφίλου Στειριεὺς μαρτυρεῖ, ὅτι κατέπλευσα ἐξ Ἑλλησπόντου. *Hegeſander Diphili filius Stirienſis teſtatur, quod navigaverim ex Helleſponto*. Sed corruptus hodie locus; editurque, Ἡγήσανδρος Διφίλου Σπειριεύς. Apud Platonem *in Hipparcho* commemoratur Via Stiriaca; & ad eam ſepulcrum Hipparchi. ἔστι δὲ τῶν ποιημάτων καὶ ἄλλα ἐν ἄλλοις ἑρμαῖς πολλὰ καὶ καλὰ ἐπιγεγραμμένα. ἔστι δὴ καὶ τοῦτο ἐπὶ τῇ Στειριακῇ ὁδῷ, ἐν ᾧ λέγει.

> Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου, μὴ φίλον ἐξαπάτα.

Sunt autem poematum etiam alia in aliis hermis multa & pulchra inſcripta. Eſt utique & illud in Stiriaca via, in quo dicitur:

> *Monumentum hoc Hipparchi, ne amicum decipias.*

Ab hoc populo urbs Phocidis Stiris appellata, quod magna Petei comitum pars, quæ cum Peteo Ornei filio eo devenerat, Stirienſes fuiſſent. Obſervo apud Pauſaniam *in Phocicis*. ὅτι δὲ τῷ Πετεῷ πολὺ τοῦ δήμου τῶν Στειριέων (ita recte emendatum a doctiſſimo Sylburgio) ἠκολούθησεν, ἐπὶ τούτῳ κληθῆναι τὴν πόλιν Στίριν. *Quia autem Peteum multi ex populo Stirienſi ſecuti ſunt, ideo vocatam eſſe urbem Stirin* [2].

---

1. Hodie promontorium Columnæ. Fuit quondam tribus Leontidæ, poſtea vero Attalidæ, ut patet ex hoc marmore, quod tum Athenis apud Giraldum, nunc vero in Anglia eſt:

ΟΙ ΕΦΗΒΕΥΣΑΝΤΕΣ ΕΝ ΡΩΕ...
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑ...
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΙ.. ΠΑΙ
ΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΩΝ ΙΡΕΝΑΙΟΥ..
ΜΗΩΝ ΥΠΟΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝ
ΤΟΣ
ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΜΥΡΩ
ΝΟΣ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΩΣ
ΑΥΔΟΣ ΒΑΣΣΟΥ ΠΑΛΛΗ
ΝΕΥΣ
ΛΕΟΝΤΙΚΟΣ ΔΙΟΝΙΣΙΟΥ ΣΟΥ
ΝΙΕΥΣ
ΒΑΣΣΟΣ ΓΑ..... ΤΙΟΣ
ΑΗΝΑΙΟΣ ΕΞ ΟΙΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΣ
ΦΙΛΗΜΩΝ ΤΕ ΜΥΡΙΝΟΥΝΤΙΟΣ
ΧΑΒΡΕΑΣ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΣ ΠΕΙ
ΡΑΕΥΣ
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΣ
ΕΥΜΗΔΗΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΝΑΥΚΥΔΗΣ ΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝ..

Alia Athenis in Eccleſia, Panagia Gorgopico:

ΦΛ. ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ ΑΙΛΙΑ ΑΒΙ
ΔΙΑΝΟΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΦΛΥΕΥΣ ΕΙΣΙΑΣ
ΕΞΟΥΝΙΕΩΝ

ΕΞΟΥΝΙΕΩΝ eſt ΕΚ ΣΟΥΝΙΕΩΝ. Ξ enim idem eſt quod Κ Σ. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 463. 464.

2. Iſte pagus non longe abeſt a Braurone. Plato meminit viæ eo ducentis, ubi invenit tumulum Hipparchi. Egregiam habes hic inſcriptionem, in qua nominantur Prytanes tribus Pandionidis, quibus publice decretus eſt victus in Prytaneo, qui vocabantur *Æſiti*, ut ſupra dictum. Prytanes fuerunt judices Reip. Athenienſis, quorum tribunal erat Prytaneum; legebantur quinquaginta ex quaque tribu, ut quidam ſcriptores volunt, & probat noſtra inſcriptio. Appellabatur conſilium quingentorum, cum tantum tribus decem eſſent, ſed cum nova tribus adjiceretur prioribus, ex qua novi quinquaginta legebantur, dictum fuit conſilium ſexcentorum, ut ſupra ex inſcriptionibus didicimus. Hæc inſcriptio inſculpta eſt columnæ ſeu baſi rotundæ, Athenis in templo Theſei:

ΑΓΑΘΗΙ
ΤΥΧΗΙ
ΕΠΙ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΕ...... ΙΟΝ ΠΟΝ
ΤΙΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ ΕΝΙΑΥΤΟΥ Η
ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΟΙ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ
ΤΗΣ ΠΑΝΔΕΙΟΝΙΔΟΣ ΦΥΛΗΣ

ΣΥΒΡΙΔΑΙ.

Erat tribus Erechtheidis. *Stephanus*. Συβρίδαι, δῆμος τ῀ Ερεχθηΐδος φυλῆς. *Sybridæ, populus Erechtheidis tribus*. Et profecto, aut valde fallor, aut meminerat hujus quoque populi *Hesychius*: sed excidit nomen, incuria festinantis librarii. Ejus verba non uno sane mendo infessa, & mutila quoque hodie eduntur. Ecce tibi. Συβελακὸν, τὸ πολυτελές. Συβελάζει, σοβορεύεται, τρυφᾷ. Συβελασμὸς, ὁ ἐν εὐωχίᾳ θόρυβος, Ερεχθηΐδος φυλῆς. Rescribendum omnino censeo, Συβαρικὸν, τὸ π. Συβαρίζει, σοβαρεύεται, τ. Συβαρισμὸς, ὁ ἐν εὐωχίᾳ θόρυβος. Συβρίδαι, δῆμος Ερεχθηΐδος φυλῆς. *Sybaricum, pretiosum*. Συβαρίζει, id est, *fastuose incedit, delicate vivit*. Συβαρισμὸς, *tumultus inter epulas*. *Sybridæ, populus Erechtheidis tribus*. De Sybaritis, eorumque luxu, res est nota. Inde nata ista vocabula, Συβαρικὸν, Συβαρίζειν, Συβαρισμός. Et vero cum his quid tribui Erechtheidi? Manifestum excidisse Sybridas nostros, quos nos recte atque ordine restituimus.

ΣΥΠΑΛΗΤΤΟΣ.

Tribus Cecropidis. *Stephanus*. Συπαληττὸς, δῆμος τ῀ Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Συπαλέττιος. *Sypalettus, populus Cecropidis tribus. Popularis, Sypalettius*. Iterum emendandus *Hesychius*. Συπαλέττιος, δῆμος φυλῆς Κεκροπίδος. *Sypalettius, populus tribus Cecropidis*. Hodie editur, Συπαλετίττειος, δ. φ. Κ. Occurrit quoque apud Diogenem Laertium *in Zenone Cittiensi, lib.* VII. ἐπὶ δὲ τὴν οἰκοδομὴν κεχειροτόνηνται Θράσων Ανακαιεὺς, Φιλοκλῆς Πειραιεὺς, Φαῖδρος Αναφλύστιος, Μέλλων Αχαρνεὺς, Μίκυθος Συπαληττεύς. *Ædificationi vero præpositus est Thraso Anacæensis, Philocles Piræensis, Phædrus Anaphlystius, Mellon Acharnensis, Micythus Sypalletensis*. Ita recte emendatum a Casaubono, cum antea ederetur, Μίκυθος Συμπαλλητεύς.

ΣΦΕΝΔΑΛΗ.

Tribus Hippothoontidis. *Stephanus*. Σφενδάλη, δῆμος Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Σφενδαλεύς. *Sphendale, populus Hippothoontidis tribus. Popularis, Sphendalensis*. Emendandus est *Hesychius*. Σφενδαλεῖς, δῆμος τῆς Αττικῆς. *Sphendalenses, populus Atticæ*. Hodie editur, Σφενδαλῆς, δ. Meminit hujus populi Herodotus *lib.* IX. *c.* XV. ἔτοι δὲ αὐτῷ τὴν ὁδὸν ἡγέοντο ἐς Σφενδαλέας. *Illi autem ipsi viam monstrarunt ad Sphendalenses*.

ΣΦΗΤΤΟΣ.

Tribus Acamantidis. *Suidas*. Σφήττιος. ὄνομα κύριον. καὶ Σφήττιος δῆμος. Σφηττοῖ, Δημοσθένης. τῆς Ακαμαντίδος ὁ Σφηττός. *Sphettius. Nomen proprium. Et Sphettius populus. Sphetti, Demosthenes. Acamantidis Sphettus est*. *Stephanus*. Σφηττὸς, δῆμος Ακαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Σφήττιος. *Sphettus, populus Acamantidis tribus. popularis, Sphettius*. *Hesychius*. Σφήττιοι, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Sphettii, populus Acamantidis tribus*. Male apud *Harpocrationem*. Σφιττὸς, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος. *Sphittus, populus Acamantidis*. Rescribe, Σφηττός. Aristophanes *Nubibus*, *v.* 156.

> Ανήρετ' αὐτὸν Χαιρεφῶν ὁ Σφήττιος.
> *Interrogavit ipsum Chærephon Sphettius*.

Ubi *Scholiastes*. Σφήττιος. ἀπὸ δήμου τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς. *Sphettius. Ab populo Acamantidis tribus*. Hujus populi apud Oratores Græcos, aliosque Scriptores, passim mentio. Nomen accepit a Sphetto heroe, Trœzenis filio. Stephanus *loco citato*. ὁ δῆμος καλεῖται ἀπὸ Σφήττου, τοῦ Τροιζῆνος παιδὸς. *Populus vocatur ab Sphetto, Thrœzenis filio*. Pausanias *in Corinthiacis*. Τροιζῆνος δὲ οἱ παῖδες, Ανάφλυστος καὶ Σφῆττος, μετοικοῦσιν εἰς τὴν Αττικὴν, καὶ οἱ δῆμοι τὰ ὀνόματα ἔχουσιν ἀπὸ τούτων. *Thrœzenis filii autem, Anaphlystus & Sphettus, migrant in Atticam, & populi nomina habent ab illis*. Acetum illic acerbissimum; & populus ipse mordacissimus, ac sycophanta. Aristophanes *Pluto*, *v.* 702. 703.

ΤΕΙΜΗΣΑΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΑΙ
ΣΕΙΤΟΥΣ ΑΝΕΓΡΑΨΑΝ ΕΠΩΝΥ
ΜΟΣ ΘΕΟΠΟΜΠΟΣ ΘΑΛΑΝΟΥ
ΠΑΙΑ.

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ
ΦΛ. ΑΡΡΙΑΝΟΣ
ΦΛ. ΠΥΡΦΟΡΟΣ
ΦΛ. ΦΙΛΟΤΕΙ
ΜΟΣ
ΑΙΛ. ΚΑΛΛΙΑΣ
ΣΤΑ. ΦΙΛΩΝ
ΚΛ. ΘΕΥΛΙΑ
ΝΟΣ
ΚΛ. ΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΟΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΣ
ΔΕΙΟΣ ΠΥΤΟΥ
ΙΩΝΙΚΟΣ ΑΒΡΩ
ΝΟΣ
ΣΤΕΙΡΙΕΙΣ
ΓΕΛΛ. ΤΕΙΜΟ
ΘΕΟΣ
ΦΛ. ΝΕΙΚΟΜΑ
ΧΟΣ
ΘΕΟΔΩΡΟΣ
ΠΡΕ
ΘΕΟΔΩΡΟΣ
ΝΡ.
ΠΡΑΣΙΕΙΣ

ΗΡΩΚΗΣ ΛΕΩ
ΝΙ
ΑΓΓΕΛΗΘΕΝ
... ΙΜΟΣ ΑΘΗ
ΝΑΙΟΥ
ΕΠΑΦΡΟΔΕΙ
ΤΟΣ ΑΘΗΝΑΙ
ΘΕΩΝ ΔΙΟΝΥ
ΣΙΟΥ
ΦΟΙΒΟΣ ΚΤΗ
ΣΙΟΥ
ΕΥΠΟΡΟΣ ΕΡ
ΜΟΝΑΚΤΟΣ
ΡΑΡΠΗΔΩΝ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΑΦΡΟΔΕΠΙΟΣ
ΠΟΛΥΜΝΗ
ΚΟΡΥΜΒΟΣ
ΤΡΥΦΩΝ ΕΠΑ
ΦΡΟΔΕΙΤΟΥ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΙΣ
ΦΛ. ΑΜΒΑΚ
ΧΙΟΣ ΕΥΠΟ
ΡΟΣ

ΕΙΣΙΔΟΤΟΣ
ΦΗΛΙ
ΜΟΥΣΑΙΟΣ
ΔΙΟΝ.
ΜΥΡΡΙΝΟΥ
ΣΙΟΙ
ΑΡΤΕΜΩΝ ΕΥ
ΧΑ.
ΤΑΧΙΔΙΟΣ
ΦΑΡΝΑ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ
ΒΟΥΛΗΣ
ΔΙΟΝΥΣΟΔΩ
ΡΟΣ
ΙΟΥ ΙΕΡΟΦΑ
ΝΤΗΣ
ΠΟΜ. ΔΑΛΟΥ
ΧΟΣ

ΠΑΙ.. ΕΡΟ.... Ξ..
ΜΕ..... ΜΩΝ
... ΗΡΥΞ ΒΟ..
ΚΑΙ ΔΗΜΟΥ
ΕΡ.... ΝΕΙΚΑΙΟ
ΙΡΟΚΛΕΙΔΗΣ
ΜΗΤΡΟΔ.
ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ
ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ
ΑΡΤΕΜΩΝ
ΡΟΥ
.... ΜΑΤΕΥΣ
.. ΒΟΥΚΗΣ
ΜΗΝΟΔΟ....
ΙΟΥΛ. ΖΗΜΟ
ΒΙΟΣ

ΠΡΕΙΜΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ ΝΟΥΜΗΝΙΟΥ
ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΖΩΣΙΜΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΠΕΙΝΑΡΙΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝ
ΑΝΤΙΓΡΑΦΕΥΣ ΠΑ.. ΧΟΣ
ΠΕΡΙ ΤΟ ΒΗΜΑ ΚΟΡΜΕΝΕΣΘΕ
ΙΕΡΑΥΛΗΣ.. ΟΝΟΣ ΕΠΙΣΚΙ..
ΥΠΟΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΜΥΡΩ..

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 466. *&c.*

——— εἶτ' ὄξει διέμενος Σφηττίῳ,
Κατέπλασεν αὐτοῦ τὰ βλέφαρα. ——
Postea cum aceto consperfisset Sphettio,
Unxit ipsius supercilia.

Ubi *Scholiastes*. Σφηττίῳ δὲ, τῷ δριμυτάτῳ, ἀπὸ τοῦ δήμου. πικροὶ γὰρ οἱ Σφήττιοι, καὶ συκοφάνται. *Sphettio autem, acerbissimo, a populo. Amari enim Sphettii, & Sycophantæ. Hesychius*. ὄξος Σφήττιον. ἴσως οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς ἦσαν. διὰ τοῦτο εἶπεν ὄξος Σφήττιον, ἤγουν δριμύ. *Acetum Sphettium. fortasse Sphettii acuti erant. Propterea dixit acetum Sphettium, nempe acerbum*. Athenæus *lib.* II. *c.* XXVI. Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Πλούτῳ φησὶ,

——— ——— ὄξει διέμενος Σφηττίῳ.

Δίδυμος δ' ἐξηγούμενος τὸ ἰαμβεῖον φησὶν, ἴσως διότι οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς. *Aristophanes autem in Pluto inquit,*

Aceto conspergens Sphettio.

Didymus vero exponens jambicum, inquit, forsan quia Sphettii acres. Hinc via Sphettia, Σφηττία ὁδὸς, qua Athenis huc iretur. Philochorus apud Scholiasten Euripidis *Hippolyto*. Τοὺς Παλλαντίδας ὑπὸ Θησέως ἀνῃρῆσθαι Φιλόχορος ἱστορεῖ οὕτω. *Pallantidas ab Theseo interfectos Philochorus sic narrat*. Deinde ipsa Philochori verba ponit. Πάλλαντος ἐπιθεῖναι ταῖς Ἀθήναις διανοουμένου, καὶ τὴν Σφηττίαν ὁδὸν προφανῶς διαπορευομένου ἐπὶ τὸ ἄστυ μετὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. οἱ τούτου παῖδες κατὰ βούλησιν τοῦ πατρὸς βαρβίτου ἐγκαθίζουσι μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν, ἵν' ὅταν ἐπεξέλθωσιν τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ ὁ Πάλλας συμβάλῃ, ἐξ ἐφόδου προσπεσόντες λάβωσι τὴν πόλιν. ἀνὴρ δέ τις, ὃς ἐκηρύκευσε τῷ Πάλλαντι, ἀπαγγέλλει τῷ Θησεῖ τὸ γινόμενον. ὁ δὲ προσπεσὼν μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοὺς ἀναιρεῖ. *Pallante constituente Athenis insidiari, & Sphettiam viam aperte ingrediente versus urbem cum suis copiis. Illius liberi ex voluntate patris barbito insident cum coætaneis, ut, quum egrederentur contra Athenienses, & Pallas pugnam committeret, ex impetu invadentes caperent urbem. Vir autem quidam, qui præco fuerat Pallantis, annunciat Theseo factum. Ille autem superveniens cum coætaneis illos occidit*. Elegantissimus profecto locus, & qui præclarissimum antiquitatis monumentum repræsentat. Sed insigne certe mendum. Quid enim hoc est? βαρβίτου ἐγκαθίζουσι. An barbito insederunt, ut se occultarent? Nugæ meræ. Antiquissima est historia; & ita habet. Pallas cum suis indignatus Theseum regni heredem institutum, bellum movet; copiisque distributis, partem aperte e Sphetto recta Athenas ducere jubet, partem vero Gargetti occultat, qui, confligente cum Atheniensibus Pallante, urbem ex insidiis caperent. Ergo restituendum omnino, Γαργηττοῖ ἐγκαθίζουσι. Ecce emendationis meæ fundum Plutarchum *in Theseo*, ubi eandem hanc historiam eodem plane modo narrat. Atque ibi inter cætera ita ait: καὶ διελόντες ἑαυτοὺς (οἱ Παλλαντίδαι) οἱ μὲν ἐμφανῶς Σφηττόθεν ἐχώρουν ἐπὶ τὸ ἄστυ μετὰ τοῦ πατρός. οἱ δὲ, Γαργηττοῖ κρύψαντες ἑαυτοὺς, ἐνήδρευον, ὡς διχόθεν ἐπιθησόμενοι τοῖς ὑπεναντίοις. *Et dividentes se (Pallantidæ) alii quidem aperte a Sphetto tendebant versus urbem cum patre. Alii vero Gargetti occultantes seipsos, in insidiis sederunt, utpote utrinque invasuri hostes*. Vindicandum erat a mendo tam præclarum Scriptoris antiquissimi fragmentum per hanc occasionem [1].

ΤΙΘΡΑΣ.

Erat tribus Ægeidis. *Stephanus*. Τίθρας, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Τιθράσιος. *Tithras, populus Ægeidis tribus. Popularis Tithrasius*. Nomen inditum a Tithrante Pandionis filio. Traducebantur autem ut maligni, atque improbi. Hinc Gorgones Τιθράσιαι apud Aristophanem *in Ranis*, *v.* 386. *&c.*

——— ——— Τὼ νεφρὼ δέ σου,
Αὐτοῖσιν ἐντέροισιν ᾑματωμένω,
Διασπάσονται Γοργόνες Τιθράσιαι.
——— ——— *Renes autem tuos*
Ipsis visceribus cruentos
Discerpent Gorgones Tithrasiæ.

Ubi *Scholiastes*. Γοργόνες Τιθράσιαι. ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς πονηροῦ. οὐκ εἰκῆ δὲ τοῦτο εἶπεν. ἀλλ' ἐοίκασι τὸν δῆμον διαβάλλειν τοῦτον, ὡς κακοπράγμονα. εἰσὶ δὲ οὗτοι ἀπὸ Τίθραντος τοῦ Πανδίονος παιδὸς ἐπώνυμοι. εἰς δὲ τὴν Αἰγηΐδα φυλὴν καταννενέμηνται. *Gorgones Tithrasiæ, ab populo Atticæ malo. Non temere autem illud dixit: sed soliti sunt populum illum accusare, tanquam malignum. Sunt autem hi ab Tithrante Pandionis filio cognominati: In Ægeiden autem tribum divisi sunt. Suidas*. Τίθρασος πόλις τῆς Λιβύης. καὶ Ἀριστοφάνης, Γοργόνες Τιθράσιαι. ἔνθα αἱ Γοργόνες διέτριβον. ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς πονηροῦ. διαβάλλουσι γὰρ δῆμον τοῦτον, ὡς κακοπράγμονα. *Tithrasus urbs Libyæ. Et Aristophanes, Gorgones Tithrasiæ. Ibi Gorgones degerunt. Ab populo Atticæ malo. Accusant autem populum illum, tanquam malignum*. Huc pertinent illa *Hesychii*. Τιθράσια. χαλεπά. Τραχέα. *Tithrasia, difficilia, dura*. Sed corruptus hodie locus, editurque, Τιθράσι. χαλεπὰ. τ. Nos restituimus. Meliores vero illic caricæ; & commendabantur. Habes apud Athenæum *lib.* XIV. *cap.* XVIII. ex Theopompi Comici Pace. Θεόπομπος δ' Εἰρήνῃ, τὰς Τιθρασίας ἐπαινῶν ἰσχάδας φησὶν οὕτως.

Μᾶζαι, πλακοῦντες, ἰσχάδες Τιθράσιαι.

Theopompus autem in Pace Tithrasias laudans ficus ita inquit:

Polentæ, placentæ, ficus Tithrasiæ [2].

ΤΙΤΑΚΙΔΑΙ.

Æantidis tribus. Nomen autem ab heroe Titaco. *Harpocration*. Τιτακίδαι. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα. δῆμός ἐστι τῆς Αἰαντίδος φυλῆς οἱ Τιτακίδαι, ὡς Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων δηλοῖ. μή ποτε δὲ ἀπὸ Τιτάκου ὠνομάσθησαν, οὗ μνημονεύει Ἡρόδοτος. *Titacidæ. Isæus in oratione ad Nicoclem. Populus est Æantidis tribus Titacidæ, quemadmodum Nicander Thyatirenus in opere de populis indicat. Fortassis vero ab Titaco dicti sunt, cujus meminit Herodotus*. Et ex eo *Suidas*. Τιτακίδαι δῆμός ἐστι τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. μή ποτε δὲ ἀπὸ Τιτάκου

1. Constantinopoli apud Legatum Nointelium exstat hæc inscriptio illuc Athenis deportata:

ΣΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΣΦΗΤΤΙΟΣ.

Spon. *Itin. T*, 2. *p.* 469.

2. Salamine legitur iste titulus:

ΚΑΛΛΙΣΤΩ
ΑΝΤΙΔΩΡΟΥ
ΘΕΙΤΡΑΣΙΟΥ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 469.

ὠνομάσθησαν. *Titacidæ, populus est Æantidis tribus: forsan autem ab Titaco vocati sunt.* Totidem verbis Etymologici Auctor. *Stephanus* ad tribum Antiochidem refert. Τιτακίδαι, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, ἀπὸ Τιτάκου τοῦ προδόντος Ἀφίδνας τοῖς Διοσκούροις. ὁ δημότης, Τιτακίδης ὁμοφώνως. *Titacidæ, populus Antiochidis tribus, ab Titaco qui prodidit Aphidnas Dioscuris. Popularis, Titacides eadem voce.* Ad Titacum quod attinet, eum Aphidnas prodidisse Dioscuris refert etiam Herodotus *lib.* IX. *cap.* LXXII. ὡς γὰρ δὴ τὸ πάλαι κατ' Ἑλένης κομιδὴν Τυνδαρίδαι ἐσέβαλον ἐς γῆν τὴν Ἀττικὴν σὺν στρατοῦ πλήθει, καὶ ἀνίστασαν τοὺς δήμους, οὐκ εἰδότες ἵνα ὑπεξέκειτο ἡ Ἑλένη, τότε λέγουσι καὶ τοὺς Δεκελέας, (οἱ δὲ αὐτὸν Δεκέλεον) ἀχθόμενόν τε τῇ Θησέως ὕβρει, καὶ δειμαίνοντα περὶ πάσῃ τῇ Ἀθηναίων χώρῃ, ἐξηγησάμενόν σφι τὸ πᾶν πρᾶγμα, κατηγήσασθαι ἐπὶ τὰς Ἀφίδνας, τὰς δὲ Τιτακὸς ἐὼν αὐτόχθων καταπροδιδοῖ Τυνδαρίδῃσι. *Siquidem olim ad Helenæ deportationem invaserunt terram Atticam Tyndaridæ cum exercitus multitudine, & ejecerunt populos, ignorantes ubi subducta esset Helena, tunc dicunt etiam Decelenses (alii vero ipsum Deceleum) dolentem Thesei contumelia, & sollicitum de omni Atheniensium agro, quum exposuisset illis omnem rem gestam, deduxisse ad Aphidnas, quas Titacus indigena traderet Tyndaridis.*

ΤΡΙΚΟΡΥΘΟΣ.

Strabo proxime Marathonem collocat, *lib.* IX. μετὰ δὲ Μαραθῶνα Τρικόρυθος, εἶτα Ῥαμνοῦς. *Post Marathonem autem Tricorythus, deinde Ramnus.* Erat tribus Æantidis. *Stephanus.* Τρικόρυθον, οὐδετέρως Δίδυμος καὶ Διόδωρος. Διονύσιος ἀρσενικῶς. Εὐφορίων θηλυκῶς. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Τρικορύσιος. *Tricorython, in neutro genere Didymus & Diodorus, Dionysius in masculino, Euphorion in fœminino. Est autem populus Æantidis tribus. Popularis, Tricorysius.* Non recte hodie editur, Τρικόρωθον. Et *mox.* καὶ Τρικορυθόθεν, καὶ Τρικορυθόνδε, καὶ Τρικορυθοῖ. *Et a Tricorytho, & ad Tricorythum, & in Tricorytho.* Male enim etiam illic. Τρικορωθόθεν, καὶ Τρικορωθόδε, καὶ Τρικορωθοῖ. Rectius alibi apud *eundem.* Τετράπολις, τῆς Ἀττικῆς, ἔχουσα δήμους καὶ πόλεις τέτταρας, Οἰνόην, Προβάλινθον, Τρικόρυθον, Μαραθῶνα. *Tetrapolis, Atticæ, habens populos & urbes quatuor, Oenoen, Probalinthum, Tricorythum, Marathonem.* Ubi hoc quoque observa: e quatuor Tetrapoleos urbibus unam esse. Memorantur illic tipullæ. Ecce apud Aristophanem *Lysistrata ult.*

> Ἡ μέγ' ὦ Ζεῦ χρῆμ' ἰδεῖν τῆς ἐμπίδος ἔνεστί σοι.
> Οὐχ ὁρᾷς; οὐκ ἐμπίς ἐστιν ἥδε Τρικορυσία.
> *Magna res est, Jupiter, videre culicem in te.*
> *Nonne vides? non tipulla est Tricorysia.*

Nimirum, quia aquosus ille locus, & nemorosus. Accipio ex *Suida.* Τρικορυσία ἐμπίς. ὡς ἐν Τρικορυσίᾳ πολλῶν ἐμπίδων γινομένων. ἔστι γὰρ ἀλσώδης καὶ κάθυγρος ὁ τόπος. *Tricorysia tipulla. Quia in Tricorysia multi culices sunt. Est enim nemorosus & aquosus locus* [1].

ΤΡΙΝΕΜΕΙΣ.

Cecropidis tribus. *Stephanus.* Τρινεμεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. *Trinemenses, populus Cecropidis tribus.* Hic oriebatur Cephissus fluvius. Strabo *lib.* IX. Ποταμοὶ δ' εἰσί, ὁ μὲν Κηφισσὸς ἐκ Τρινεμέων τὰς ἀρχὰς ἔχων. *Fluvii autem sunt, Cephissus quidem ex Trinemensibus principia habens.*

ΤΥΡΜΙΔΑΙ.

Tribus Oeneidis. *Suidas.* Τυρμίδαι, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος. *Tyrmidæ, populus Oeneidis.* *Stephanus.* Τυρμίδαι, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης, Τυρμίδης. *Tyrmidæ, populus Oeneidis tribus. Popularis, Tyrmides* [2].

ΥΒΑ. sive, ΥΒΑΔΑΙ.

Tribus Leontidis. Etymologici *Auctor.* Ὑβάδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Hybadæ, populus Leontidis.* *Suidas.* Ὑβάδαι, δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος. *Hybadæ, populus est Leontidis.* *Stephanus.* Ὕβα, οὕτως ὁ δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. τινὲς δὲ τὸν δῆμον Ὑβάδαι λέγουσι. *Hyba, ita dicitur populus Leontidis tribus. Quidam vero populum Hybadæ vocant.* Hinc qui oriundus, Ὑβάδης dicebatur: ut a Τυρμίδαι, Τυρμίδης. Τιτακίδαι, Τιτακίδης. Σημαχίδαι, Σημαχίδης, & similia. Itaque emendandus Diogenes Laertius *in Theophrasto, lib.* V. *c.* LVII. Μάρτυρες, Κάλλιππος Πελανεύς, Φιλόμηλος Εὐωνυμεύς, Λύσανδρος Ὑβάδης, Φιλίων Ἀλωπεκῆθεν. *Testes, Callipus Pelanensis, Philomelus Euonymensis, Lysandrus Hybades, Philion ab Alopece.* Perperam editur hodie, Λύσανδρος Ὑβαίυς [3].

ΥΔΡΟΥΣΑ.

Commemoratur etiam inter populos a Strabone

---

1. Situs circa Marathonem in ora paludis Campi Marathonis, ubi debellata est pars exercitus Persici in pugna Marathonia. Nunc est ignobilis viculus, qui vocatur *Calyvi s'to Soully*, cum quondam esset una e numero quatuor urbium, a quibus hæc regio vocata Tetrapolis. Urbes hæ quatuor erant Oenoe, Tricorythus, Probalinthus, Marathon. Ibi tenuit sedem Xuthus, qui gener erat Regis Erechthei. Athenis in Ecclesia Sanctæ Cyræ:

> ΕΣΤΙΑ ΚΑΙ ΑΠοΛΛΩΝΙ ΚΑΙ
> ΘΕΟΙΣ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ ΚΑΙ ΤΗΙ
> ΒΟΥΛΗΙ ΤΗΙ ΕΣ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑ
> ΓΟΥ ΚΑΙ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗΙ ΤΩΝ
> ΕΞΑΚΟΣΙΩΝ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ
> ΦΙΛΟΞΕΝΟΣ ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
> ΦΛΥΕΥΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΚ ΤΩΝ
> ΙΔΙΩΝ ΠΟΙΗΣΑΝΤΟΣ ΤΟΥ
> ΠΑΤΡΟΣ ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΤΟΥ
> ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ ΦΛΥΕΩΣ ΣΤΡΑ
> ΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ Ο
> ΠΛΕΙΤΑΣ ΤΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟ
> ΓΕΝΟΥΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ ΚΑΙ
> ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ.
> ....ΤΡΙΚΟΡΥ.....

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 470. 471.

2. In veteri inscriptione secunda litera ante ultimam scribitur per Ε, apud Harpocrationem per ΕΙ, apud alios per Ι. Florentiæ apud Marchionem Richardum:

> ΙΣΙΔΙ ΧΡΕΣΤΗΙ ΕΠΙΚΟΩΙ
> ΣΕΛΕΥΚΟΣ ΣΟΚΡΑΤΟΥ ΕΥΧΗΝ
> ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ
> ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΤΥΡΜΕΔΟΥ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 472.

3. Incolæ Ὑβαδεῖς & Ὑβάδαι dicti. Athenis prope Ecclesiam Sanctorum Apostolorum:

> ΤΙΦΑΝΗΣ ΠΥΘΙΟΝΟΣ ΥΒΑΔΗΣ.

Alia ibidem in palatio Beninzeli:

> ΑΡΤΕΜΩΝ
> ΣΩΠΥΡΟΥ
> ΥΠΒΑΔΕΥΣ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 473.

lib. IX. Μεταξὺ δὲ τῶν λεχθέντων δήμων μακρὰ ἄκρα πρώτη μετὰ τὰς Αἰξωνέας Ζωστήρ. εἶτ' ἄλλη μετὰ Θορέας Ἀστυπάλαια. ὧν τῆς μὲν πρόκειται νῆσος Φαῦρα, τῆς δ' Ἐλεοῦσα. καὶ κατὰ τὰς Αἰξωνέας δ' ἐστὶν Ὑδροῦσα. *Inter dictos vero populos est longum promontorium primum post Æxonenses Zoster. Dein aliud post Thorenses Astypalæa. Quorum uni objacet insula Phaura, alteri vero Eleusa. Et ad Æxonenses autem est Hydrusa.*

ΥΜΗΤΤΟΣ.

Mons Hymettus, geminus erat; unus major, alter minor, Ἄνυδρος dictus. In minoris cava parte, si conspecta esset nebula; aut æstate, si in vertice majoris, item latere, nubes alba; sive in minoris etiam, id prognosticon erat pluviæ ab Atheniensibus habitum. Theophrastus. *de signis pluviæ*: Ὑμηττὸς ἐλάττων, Ἄνυδρος καλούμενος, ἐὰν τῷ κοίλῳ νεφέλιον ἔχῃ, ὕδατος σημεῖον. καὶ, ἐὰν, ὁ μέγας Ὑμηττὸς, τοῦ θέρους λευκὰς ἔχῃ νεφέλας, ἄνωθεν καὶ ἐκ πλαγίου, ὕδατος σημεῖον. καὶ, ἐὰν ὁ Ἄνυδρος Ὑμηττὸς λευκὰς ἔχῃ ἄνωθεν καὶ ἐκ πλαγίου, ὕδωρ σημαίνει. *Hymettus minor, qui Anydrus appellatur si in cava parte nebulam habeat, aquæ signum est. Et si major æstate albas habeat nubes cum in summo, tum in latere, aquæ signum est. Item si Anydrus Hymettus albas habeat in fastigio, & in latere, aquam significat.* Quod si noctu etiam infra verticem nubes alba, & longa, cinxisset, aliquot dierum pluvia præsignificari credita. Idem Theophrastus, *libro eodem, non multo post*: Τῆς δὲ νυκτὸς ὅταν τὸν Ὑμηττὸν κάτωθεν τῶν ἄκρων νεφέλη διαζώσῃ λευκὴ, καὶ μακρὰ, ὕδωρ γίνεται, ὡς τὰ πολλὰ μετρίων ἡμερῶν. *Noctu cum Hymettum infra verticem nubes cingit alba, & longa, pluvia plerumque est per aliquot dies.* Si hyeme ei nubes longa incubuisset, id prognosticon acrioris tempestatis habitum. Idem Theophrastus, *lib. de signis tempestatis*: Καὶ, ἐὰν χειμῶνος ὄντος νεφέλη μακρὰ ἐπὶ τὸν Ὑμηττὸν ᾖ, χειμῶνος ἐπίτασιν σημαίνει. *Et, si hyberno tempore longa nebula in Hymettum incumbat, tempestatem acriorem præsignificat.* Sylva etiam nobilis erat, e qua trabes petebantur ædificiis. Inde Horatius, *lib.* II. *Od.* XVIII. *v.* 3. *&c.*

> *Non trabes Hymettiæ*
> *Premunt recisas ultima columnas*
> *Africa.* ——

Item marmore, e quo columnæ. Plinius, *libro* XXXVI. *cap.* III. *Primus L. Crassus orator peregrini marmoris columnas habuit in eodem palatio, Hymettias; tamen nec plures sex, nec longiores duodenum pedum.* Strabo, *lib.* IX. Μαρμάρου δ' ἐστὶ τό τε Ὑμηττείας, καὶ τὸ Πεντελικῆς, κάλλιστα μέταλλα πλησίον τῆς πόλεως. *Marmor Hymettium, & Pentelicum, pulcerrimum effoditur prope Urbem.* Laudatissima quoque apum pascua. Pausanias, *in Atticis*: Καὶ Ὑμηττὸς, ὃς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας. *Et Hymettus, qui producit pabula apibus quam aptissima.* Itaque & mel illic optimum. Strabo, *libro jam citato*: Ὁ δὲ Ὑμηττὸς καὶ μέλι ἄριστον ποιεῖ. *Et Hymettus mel optimum facit.* Diophanes, *Geoponic. libro* XV. *cap.* VII. Ἄριστον μέλι, τὸ Ἀττικόν. καὶ τοῦ Ἀττικοῦ τὸ Ὑμήττειον. *Optimum mel, est Atticum; & inter Atticum, Hymettium.* Joannes Tzetzes, *Var. Hist. Chil.* VII. *cap.* XCIII.

> Τῆς Ἀττικῆς τῶν Ἀθηνῶν ὁ Ὑμηττὸς τὸ ὄρος
> Μέλι γεννᾷ τὸ κάλλιστον μελίτων τῶν ἁπάντων.

> *Athenarum in Attica mons Hymettus*
> *Mel producit, inter mella omnia optimum.*

Vide eundem iterum, Chil. XI. cap. CCCLXX. Solinus, *Polyhist. c.* XIII. *Nec Atticos montes in partem tacebimus. Est Icarius, est Brylessus, est Lycabettus, est Ægialus; sed Hymetto meritissimo attribuitur principatus: quod, apprime florulentus, eximio mellis sapore, & externos omnes, & suos, vincit.* Martialis, *lib.* XIII. *epigr.* CIII. cujus inscriptio est, *Mel Atticum*:

> *Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti*
> *Pallados a silvis nobile nectar apis.*

Horatius, *lib.* II. *Od.* VI. *v.* 14. *&c.*

> *Ille terrarum mihi præter omnes*
> *Angulus ridet, ubi non Hymetto*
> *Mella decedunt.* ——

Nonnus, Dionysiac. *lib.* XIII. *v.* 182. 183.

> Οἳ λάχον Οἰνώνης γόνιμον πέδον. οἵ τε καρηνῶν
> Γείτονας Ὑμήττοιο μελισσήεντας ἐναύλους.
> *Qui sortiti fuerunt Oenones fertile solum, quique jugis*
> *Vicina Hymetti apibus frequentata stabula.*

Inde nimirum *Dulcis* dicitur Val. Flacco, *libro* I. *v.* 397.

> —— *In dulcem reges dimittit Hymettum.*

Et Juvenali, *Sat.* XIII. *v.* 184. 185.

> *Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis*
> *Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto.*

Hac de causa etiam mellatores illic admodum multi habitabant; qui mansere, quanquam vastatis Athenis. Synesius, ubi vastitatem Athenarum deplorat, *Epist.* CXXXV. Αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μὲν ἦν ἡ πόλις ἑστία σοφῶν· τὸ δὲ νῦν ἔχον, σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιτουργοί. ταῦτ' ἄρα καὶ ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, οἵ τινες οὐ τῇ φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τοὺς νέους, ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ὑμηττοῦ σταμνίοις. *Athenæ urbs, olim quidem sapientum domicilium erat; ut nunc habet, mellatores eam honore afficiunt: idque biga sapientum Plutarcheorum, qui non eruditionis fama juvenes in theatris congregant, sed mellis ex Hymetto urnis.* Nonnulli illic apes natas memorabant, Erichthonii regis tempore. Columella, *lib.* IX. *cap.* II. *Sed ne illud quidem pertinet ad agricolas, quando, & in qua regione, primum natæ apes sint; utrum in Thessalia, sub Aristæo; an in insula Cea, ut scribit Euhemerus: an Erichthonii temporibus, in monte Hymetto, ut Euthronus.* Abundabat autem floribus. Ecce *in citatis jam* Solini *verbis*: *Apprime florulentus, eximio mellis sapore, & externos omnes, & suos, vincit.* Valerius Flaccus, *libro* V. *v.* 343.

> *Florea per verni qualis juga ducit Hymetti.*

Ovidius delicias ejus fuse describit, *de Arte, lib.* III. *v.* 687. *&c.*

> *Est prope purpureos colles florentis Hymetti*
> *Fons sacer, & viridi cespite mollis humus.*
> *Silva nemus non alta facit; tegit arbutus herbam,*
> *Rosmaris, & laurus, nigraque myrtus olent.*
> *Nec densum foliis buxum, fragilesque myricæ,*
> *Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.*
> *Lenibus impulsæ Zephyris, auraque salubri;*
> *Tot generum frondes, herbaque summa tremit.*

Et gleba universa felix. Apulejus, *Milesia* I. *Hymettos Attica, & Isthmos Ephyræa, & Tænaros Spartiaca, glebæ felices.* Ac maxime thymum proferebat, silphiumque. *Eubulus Glauco*, apud Pollucem, *lib.* VI. *cap.* X.

> Καὶ σίλφιον, θύμον τε, τῶν Ὑμηττίων.
> *Ac silphium, thymumque, ex Hymettiis.*

Ac de thymo, clare etiam Valerius Maximus, *lib.* I. *cap.*

cap. VI. *Apes non montem Hymettum, thymi flore redolentem; sed Musarum, Heliconios colles, omni genere doctrinæ virentes, Dearum instinctu depastæ.* Laudat quoque thymum Hymettium *Antiphanes*, apud Athenæum, *lib.* I. Sed versus sunt corruptissimi: Ἀντιφάνης δὲ,

Νάπυ Κύπρου, καὶ Σκαμωνίας ὀπὸν,
Κάρδαμον Μιλήσιον, κρόμμυον Σαμοθράκιον,
Καυλὸν ἐκ Καρχηδόνος, καὶ σίλφιον, θύμον Ὑμήττιον,
Ορίγανον Τενέδιον. —— ——

Restituo:

Καὶ νάπυ Κύπρου, καὶ Σκαμωνίας ὀπὸν,
Καὶ κάρδαμον Μιλήσιον, καὶ κρόμμυον
Σαμοθράκι, καὶ καυλὸν ἐκ Καρχηδόνος,
Καὶ σίλφιον, θύμόν τε, τῶν Ὑμηττίων,
Ορίγανον Τενέδιον. —— ——
Et sinapi Cypri, & Scamoniæ succum,
Et nasturtium Milesium, & cæpa
Samothracia, & caulis e Carthagine,
Et silphium, thymumque, ex Hymettiis,
Origanum Tenedium. —— ——

Sunt illi ipsi Eubuli versus, quos e Glauco ejus profert Jul. Pollux, *lib.* VI. *cap.* X. *Athenæus*, delinquente heic memoria, pro Eubulo Antiphanem laudat; & librarii versus Comici pessime sane habuerunt. Ut vero Valerius Maximus, *Hymettum thymi flore redolentem*, ita *Olentem* Statius simpliciter dixit, *Theb. lib.* XII. *v.* 632.

Venit atrox Alæus, & olentis arator Hymetti.

Propter thymum autem, e quo partim mel suum petebant apes, musca ei nulla insidere solita. Joannes Tzetzes, *Var. Hist. Chil.* VII. *c.* XCIII. *v.* 4. 5.

Μυῖα οὐκ ἐπικάθηται μέλιτι Ὑμηττίῳ,
Ἐκ θύμου γὰρ αἱ μέλισσαι τοῦτο κηροποιοῦσιν.
Musca non insidet melli Hymettio,
Quia hoc e thymo apes in favis faciunt.

Theodorus Metochita, *Hist. lib.* I. Τὴν μυῖαν Ἀττικῷ μέλιτι μὴ ἐπικαθῆσθαι φασί. θύμοις γὰρ καὶ τὴν Ἀττικὴν κομῶσαν ἔστι θεάσασθαι, οἷς ἐφιζάνουσιν Ἀττικαὶ συχνότερον μέλισσαι· Ἐντεῦθεν καὶ δριμυτέραν τὸ μέλι ἔχει τὴν ὄσφρησιν· διὸ, καθάπερ ἱερῷ τινὶ, Ἀττικῷ μυῖα οὐκ ἐπικάθηται μέλιτι, περιβομβοῦσα δὲ, ὅμως ἀπείργεται Ἀττικῆς μελίσσης πόνους ληΐζεσθαι. *Muscam ajunt Attico melli non insidere. Thymo enim florentem Atticam est videre, cui ut plurimum apes Atticæ insident; unde & mel acriorem odorem habet: qua de causa musca quoque melli Attico, veluti sacro, minime insidet. Circumstrepit quidem, tamen apis Atticæ opera populari probibetur.* Quin serpyllum etiam ibi plurimum erat; & Athenienses inde, ac Sicyonii, transferebant. Theophrastus, *Hist. Plan. lib.* VI. *c.* VII. Καὶ γὰρ ἕρπυλλός ἐστιν ἄγριος· ὃν κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσι καὶ ἐν Σικυῶνι, καὶ Ἀθήνησιν, ἐκ τοῦ Ὑμηττοῦ. *Est enim & serpyllum agreste; quod ex montibus petitum plantant partim Sicyone, partim Athenis, ex Hymetto.* Quem locum respexit Athenæus, *lib.* XV. Τῆς δὲ ἑρπύλλου, φησὶ Θεόφραστος, τὴν ἄγριον κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν, φυτεύουσιν ἐν Σικυῶνι, καὶ Ἀθήνησιν, ἐκ τοῦ Ὑμηττοῦ. *Ex serpyllo vero agreste, uti auctor Theophrastus, ex montibus adferentes, plantant Sicyone, & Athenis ex Hymetto.* Præterea mugil quoque Hymettius laudabatur. Athenæus, ex Antiphanis Cyclope, *l.* VII. Ἀντιφάνης, ἐν Κύκλωπι, ὑπερακοντίζων τὸν τένθην Ἀρχέστρατον, φησίν·
Ἔστω δ' ἡμῖν κεστρεὺς Ὑμήττιος. ——

Antiphanes, in Cyclope, exsuperans lurconem Archestratum, inquit:
Sit nobis mugil Hymettius. ——

Olim quoque Athenienses, accepta fama, auri heic ramenta esse, quæ formicæ bellatrices custodirent, cum armis egressi contra Hymettios, ubi frustra sese esse intelligerent, revertentes, alter alteri per irrisum, Σὺ δὲ ᾤου χρυσοχοήσειν, inquiebant. Et proverbii illud vicem post obtinuit; usurpari in illos solitum, qui divitias alicunde temere aliquas speravissent. Narrat *Harpocration*, in χρυσοχοεῖν, istis verbis: Ἐπεσέ τις φήμη ποτὲ εἰς τὸ πλῆθος τῶν Ἀθηναίων, ὡς ἐν Ὑμηττῷ χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ φανείη, καὶ φυλάττοιτο ὑπὸ τῶν μαχίμων μυρμήκων· οἱ δὲ, ἀναλαμβάνοντες τὰ ὅπλα, ἐξέθεον ἐπ' αὐτούς. ἄπρακτοι δ' ὑποστρέψαντες, καὶ μάτην κεκακοπαθηκότες, ἔσκωπτον ἀλλήλους, λέγοντες· σὺ δὲ ᾤου χρυσοχοήσειν; ὅπερ δηλοῖ, σὺ δὲ ᾤου ψῆγμα πολὺ συλλέξας, καὶ χρυσοχοήσας, πλουτῆσαι. *Olim rumor quidam in vulgus Atheniensium percrebuit, in Hymetto multa auri ramenta conspecta fuisse, eaque a formicis pugnacibus custodiri. Qua de causa, cum correptis illi armis contra eos excurrissent, & infecta re redirent, frustra mala multa passi, sese mutuo deridebant, inquientes; Tu putabas aurum te fusurum esse? id est, Tu te existimabas, collecto multo auri ramento, eoque fuso, divitem futurum esse?* Habes historiam totidem verbis apud *Suidam*, & *Apostolium*. Atque hinc irridet Athenienses Eubulus Comicus, *in Glauco*; apud eundem Harpocrationem, *in citato statim loco*:

Ἡμεῖς ποτ' ἄνδρας Κεκροπίδας ἐπείσαμεν
Λαβόντας εἰς Ὑμηττὸν ἐξελθεῖν ὅπλα,
Καὶ σὺ ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν,
Ὡς χρυσοτεύκτου ψήγματος πεφηνότος.
Nos olim viris Cecropidis persuasimus,
Ut, arma capientes, in Hymettum exirent,
Et tu in formicas trium dierum,
Tanquam ex auro ramento conspecto.

Sed tertio certe versu mendum est. Dicam, quod res est. Athenienses, contra formicas Hymettias profecti, aurum illis erepturi, arma, cibumque, in tres dies suffecturum, assumpsere. Ergo rescribendum omnino;

Καὶ σιτ' ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν.
Et cibum in formicas trium dierum.

Visebatur porro ibidem simulacrum Jovis, τοῦ Ὑμηττίου cognomento; & aræ duæ: una, Jovis τοῦ Ὀμβρίου; altera, Apollinis τοῦ Προοψίου. Pausanias, *in Atticis*: Ἀθηναίοις δὲ τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει. Πεντέλησι μὲν, Ἀθηνᾶς· ἐν Ὑμηττῷ δὲ, ἄγαλμά ἐστιν Ὑμηττίου Διός· βωμοὶ δὲ καὶ Ὀμβρίου Διὸς, καὶ Ἀπόλλωνός εἰσι Προοψίου. *Apud Athenienses etiam montes simulacra Deorum habent. Pentele, Minervæ; in Hymetto, signum Jovis est Hymettii: sunt & aræ, Jovis Ombrii, & Apollinis Proopsii.* Sed Proopsium Apollinem, Hymettium *Hesychius* vocare videtur, qui Hymettii quoque Jovis mentionem nobis facit: Ὑμήττιος Ἀπόλλων, ὁ ἐν Ὑμηττῷ τιμώμενος. Ὑμήττιος Ζεὺς, παρὰ Ἀττικοῖς. *Hymettius Apollo, qui in Hymetto colebatur. Hymettius Jupiter, apud Atticos.* De Jovis ara, in Hymetto monte structa, Etymologici quoque Auctor, *in* Ἐπάκριος Ζεύς. Ἐπ' ἄκρας γὰρ τῶν ὀρῶν ἱδρύοντο βωμοὺς τῷ Διῒ, οἷον τοῦ Ὑμηττοῦ. *In summo montium, ut Hymetti, aras Jovi exstruxerunt.* Ac Minervæ quoque illi, uti Urbis, Atticæque, universæ speciatim Dea tutelaris erat. Sidonius, *Carm.* IX.

Non Divos, specialibus faventes
Agris, urbibus, insulisve, canto;
Saturnum Latio, Jovemque Cretæ,

Junonemque Samo, Rhodoque Solem,
Ennæ Perſephonem, Minervam Hymetto.

Juxta Hymettum locus erat, Κύλλυ πήρα appellatus; in quo Veneris templum, & fons: e quo, quæ bibiſſent fœminæ, uterum ferentes, faciles poſtea partus habebant: quæque ſteriles, etiam fœcundæ fiebant. *Suidas*: Κύλλυ πήραν. ἡ Πήρα χωρίον πρὸς τῷ Υμηττῷ, ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀφροδίτης, καὶ κρήνη ἐξ ἧς αἱ πιοῦσαι, εὐτοκοῦσι· καὶ αἱ ἄγονοι, γόνιμοι γίνονται. *Cylli Peram. Pera, locus eſt prope Hymettum; in quo Veneris templum, & fons: ex quo fœminæ quæ bibiſſent, faciles partus habebant: quæque ſteriles eſſent, fœcundæ fiebant.* Meminit in partem, de ſterilibus, Appendix Vaticana Proverbiorum viri inſignis, Andreæ Schotti, *Cent.* II. *Proverb.* XXXVIII. Fontis mentio exſtat etiam apud Ovidium, *in citato ante loco*, *l.* III. *de Arte*, *v.* 187.

Eſt prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons ſacer. ——

Olim autem hic Pelaſgis aſſignata habitatio, pro mercede impenſæ operæ inſtruendo Arcis muro. Obſervare eſt apud Herodotum, *lib.* VI. *c.* CXXXVII. Ἐπεί τε γὰρ ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους τὴν χώρην, τὴν σφίσι αὐτοῖσι, ὑπὸ τὸν Υμησσὸν ἐοῦσαν, (de Pelaſgis ejectis loquitur,) ἔδοσαν οἰκῆσαι, μισθὸν τοῦ τείχεος, τοῦ περὶ τὴν ἀκρόπολιν κοτὲ ἐληλαμένου. *Cum viderent Athenienſes regionem, quæ ſub Hymetto erat; quam dederunt illis (Pelaſgis) habitandam, mercedem muri circum arcem ducti*: Ἐξέβαλον τοὺς μὲν Πελασγοὺς εἰς Ἀθήνας, ἀφ᾽ ὧν ἐκλήθη μέρος τι τῆς Πόλεως Πελασγικόν. ᾤκησαν δὲ ὑπὸ τῷ Υμηττῷ. *Pelaſgos ejectos Athenas compulerunt; de quibus & pars quædam Urbis dicta eſt Pelaſgicum. Habitarunt vero ſub Hymetto.* Et murus Urbis, qua Hymettum ſpectabat, lateritius erat. Vitruvius, *lib.* II. *Nonnullis civitatibus publica opera, & privatas domos, etiam regias, e latere ſtructas licet videre; & primum Athenis murum, qui ſpectat ad Hymettum montem.* Plinius, *lib.* XXXV. *c.* XIV. *Græci, præterquam ubi e ſilice fieri poterat ſtructura, parietes lateritios prætulere; ſunt enim æterni, ſi ad perpendiculum fiant; ideo & ad publica opera, & regias domos, adduntur. Sic ſtruxere murum Athenis, qui ad Hymettum montem ſpectat.* R. A. [1].

1. Ignotæ tribus. Commemoratur inter populos montanos a Strabone *lib.* IX. & Plinio *libro* IV. *cap.* VII. Erat ſimulacrum illic Jovis Υμηττίου; & aræ duæ: una Jovis Ὀμβρίου, altera Apollinis Προοψίου. Pauſanias *in Atticis*. Ἀθηναίοις δὲ τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει. Πεντελῆσι μὲν Ἀθηνᾶς, ἐν Υμηττῷ δὲ ἄγαλμά ἐστιν Υμηττίου Διός. βωμοὶ δὲ καὶ Ὀμβρίου Διὸς καὶ Ἀπόλλωνός εἰσι Προοψίου. *Apud Athenienſes etiam montes ſtatuas Deorum habent. Pentele quidem Minervæ, in Hymetto autem ſtatua eſt Hymettii Jovis. Aræ autem quoque Ombrii Jovis, & Apollinis Proſpicientis exſtant.* De ſimulacro hoc, ariſque, intelligendus *Heſychius*. Υμήττιος Ἀπόλλων, ἐν Υμηττῷ τιμώμενος. Υμήττιος Ζεύς, παρὰ Ἀττικοῖς. *Hymettius Apollo, qui in Hymetto colitur. Hymettius Jupiter, apud Atticos.* De Jovis ara, tradit quoque Etymologici *Auctor* in Ἐπάκριος Ζεύς. Laudatiſſima illic apum paſcua. Pauſanias *loco citato*. Καὶ Υμηττὸς, ὃς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας. *Et Hymettus, qui producit paſcua apibus aptiſſima.* Strabo *lib.* IX. ὁ δ᾽ Υμηττὸς καὶ μέλι ἄριστον ποιεῖ. *Hymettus autem quoque mel optimum facit.* Mella Hymettia celebrantur paſſim. Marmor etiam Hymettium laudat Plinius *l.* XXXVI. & Strabo *loco citato*. Athenienſes olim etiam auri illic ramenta eſſe accepta fama, quæ formicæ pugnaces cuſtodirent, cum armis egreſſi contra Athenienſes, ubi fruſtra ſe eſſe vidiſſent, alter alterum deridentes, σὺ ᾤου χρυσοχοήσειν, inquiebant: idque proverbii vicem poſtea obtinuit, in eos, qui fruſtra ex re aliqua divitias ſperaverant. Narrat Harpocration *in* χρυσοχοεῖον, iſtis verbis. ἐμπεσέ τις φήμη ποτὲ εἰς τὸ πλῆθος τῶν Ἀθηναίων, ὡς ἐν Υμηττῷ χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ φανείη, καὶ φυλάττοιτο ὑπὸ τῶν μαχίμων μυρμήκων· οἱ δὲ ἀναλαμβάνοντες τὰ ὅπλα ἐξῆλθον ἐπ᾽ αὐτούς. ἄπρακτοι δ᾽ ὑποστρέψαντες, καὶ μάτην κεκακοπαθηκότες, ἔσκωπτον ἀλλήλους λέγοντες. σὺ δὲ ᾤου χρυσοχοήσειν; ὅπερ δηλοῖ. σὺ δὲ ᾤου ψῆγμα πολὺ συλλέξας, καὶ χρυσοχοήσας πλουτήσειν. *Incidit quidam rumor quondam in vulgus Athenienſe, quaſi multa in Hymetto auri ramenta apparuiſſent, & conſervarentur ab pugnacibus formicis. Illi autem capientes arma excurrerunt contra ipſas. Infecta vero re reverſi, & fruſtra mala paſſi, deridebant ſe invicem dicentes, Tu putabas te aurum fuſurum. Quod ſignificat. Tu exiſtimabas ramento multiplici congregato & auro fuſo te divitem evaſurum.* Totidem verbis *Suidas*, & *Apoſtolius*. Atque hinc irridet Athenienſes Eubulus Comicus *in Glauco*, apud eundem *Harpocrationem*.

Ἡμεῖς ποτ᾽ ἄνδρας Κεκροπίδας ἐπείσαμεν
Λαβόντας εἰς Υμηττὸν ἐξελθεῖν ὅπλα,
Καὶ σὺ ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν,
Ὡς χρυσοτεύκτου ψήγματος πεφηνότος.
Nos quondam viris Cecropidis perſuaſimus,
Ut arripientes arma ad Hymettum exirent,
Et tu ad formicas trium dierum,
Velut aureo ramento conſpecto.

Sed tertio verſu certe mendum eſt. Nam quid illud? Καὶ σὺ ἐπὶ μύρμηκας. Dicam quod res eſt. Athenienſes contra formicas Hymettias profecti, aurum ab illis vi ablaturi, arma cibumque in tres dies ſuffecturum ſecum tulerunt. Ergo reſcribendum.

Καὶ σῖτ᾽ ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν.
Et cibum contra formicas trium dierum.

Abundat porro Hymettus ſerpyllo, unde & Athenienſes, ac Sicyonii, transferebant ad ſationem. Theophraſtus *Hiſt. Plant. lib.* VI. *cap.* VII. Καὶ γὰρ ἕρπυλλός ἐστιν ἄγριος· ὃν κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσι καὶ ἐν Σικυῶνι, καὶ Ἀθήνησιν, ἐκ τοῦ Υμηττοῦ. *Eſt enim ſerpyllum ſylveſtre. Quod petentes ex montibus plantant & Sicyone, & Athenis, ex Hymetto.* Quem locum reſpexit Athenæus *lib.* XV. cum inquit: τῆς δὲ ἑρπύλλου, φησὶ Θεόφραστος, τὴν ἄγριον κομίζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσιν ἐν Σικυῶνι, καὶ Ἀθήνησιν, ἐκ τοῦ Υμηττοῦ. *Quod ad ſerpyllum, inquit Theophraſtus, ſylveſtre deportantes ex montibus plantant in Sicyone, & Athenis, ex Hymetto.* Ita recte locum illum legendum cenſet vir magnus, Iſaacus Caſaubonus; cum antea ederetur, ἐκ τῶν ἀγρῶν. Et thymus ſilphiumque illic laudabatur. Eubulus Glauco, apud Pollucem *lib.* VI. *cap.* X.

Καὶ κάρδαμον Μιλήσιον, καὶ κρόμμυον
Σαμοθρᾴκιον, καὶ καυλὸν ἐκ Καρχηδόνος,
Καὶ σίλφιον θυμόν τε τῶν Υμηττίων.
Et naſturtium Mileſium, & cæpa
Samothracia, & caulis e Carthagine,
Et ſilphium thymumque Hymettiorum.

Ita olim Meurſ. *in Pop. Att.*

ΥΣΙΑΙ.

Meminit Herodotus *lib.* v. *cap.* LXXIV. Κλεομένης τε δὴ στόλῳ μεγάλῳ ἐσέβαλε ἐς τὴν Ἐλευσῖνα, καὶ οἱ Βοιωτοὶ ἀπὸ συνθήματος Οἰνόην αἱρέουσι, καὶ Ὑσίας, δήμους ἐσχάτους τῆς Ἀττικῆς. *Cleomenes vero classe ingenti irruit in Eleusina, & Bœoti ex composito Oenoen capiunt, & Hysias, populos ultimos Atticæ.*

ΦΑΛΗΡΟΝ.

Stephanus. Φαληρὸν, δῆμος καὶ ἐπίνειον τῆς Ἀττικῆς. *Phalerum populus & navale Atticæ*. Erat autem tribus Antiochidis. *Harpocration*. Φαληρὸν, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. ἀφ' οὗ ὁ δημότης Φαληρεύς. *Phalerum, populus Antiochidis. A quo popularis Phalerensis*. Corrigendus est *Suidas*, apud quem male editur, Φάληροι, δῆμος τ. Α'. Multa passim ejus populi mentio. Hoc antiquissimum Atheniensium navale, quia proximum illic mare Athenis; & inde Menestheus cum aliquot navibus Trojam, atque ante illum etiam Theseus in Cretam solvit. Pausanias *Atticis*. Φαληρὸν δὲ, ταύτῃ γὰρ ἐλάχιστον τῆς πόλεως ἀπέχει θάλασσα, τοῦτο σφίσιν ἐπίνειον ἦν· καὶ Μενεσθέα φασὶν αὐτόθεν ταῖς ναυσὶν εἰς Τροίαν ἀναχθῆναι, καὶ τούτου πρότερον Θησέα δώσοντα Μίνῳ δίκας τῆς Ἀνδρόγεω τελευτῆς. *Phalerum vero, ibi enim ut minimum abest ab urbe mare, illis navale fuit. Et Menestheum inquiunt inde navibus ad Trojam solvisse, & ante illum Theseum dedisse Minoi pœnas ob Androgei mortem*. Hic oriebatur fons Clepsydra. *Hesychius*. Κλεψύδρα, κρήνη, ἥτις τὸ πρότερον Ἐμπεδὼ προσηγορεύετο. σημαίνει δὲ καὶ τὸ σκεῦος. ἔχει δὲ τὰς ῥύσεις ἀνατεινούσας εἰς τὸν Φαληρέων δῆμον. *Clepsydra, fons qui prius Empedo vocabatur. Significat autem quoque vas. Habet vero ductus scaturientes in Phalerensem populum*. Habebat templum Cereris, & Minervæ Sciradis; atque non longe inde, etiam Jovis: tum aræ ibidem Deorum ignotorum, Heroum, Thesei filiorum, Phaleri Argonautæ, a quo nomen, & Androgei Minois filii. Pausanias *ibidem*. ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ἀθηναίοις, ὁ μὲν ἐπὶ Μουνυχίᾳ λιμὴν, καὶ Μουνυχίας ναὸς Ἀρτέμιδος· ὁ δὲ ἐπὶ Φαληρῷ, καθὰ καὶ πρότερον εἴρηταί μοι, καὶ πρὸς αὐτῷ Δήμητρος ἱερόν. ἐνταῦθα καὶ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ναός ἐστι, καὶ Διὸς ἀπωτέρω. βωμοὶ δὲ θεῶν τε ὀνομαζομένων ἀγνώστων, καὶ ἡρώων, καὶ παίδων τῶν Θησέως, καὶ Φαλήρου. τοῦτον γὰρ τὸν Φαληρὸν Ἀθηναῖοι πλεῦσαι μετὰ Ἰάσονος φασὶν ἐς Κόλχους. ἔστι δὲ καὶ Ἀνδρόγεω βωμὸς τοῦ Μίνω, καλεῖται δὲ ἥρωος. *Est & alius Atheniensibus, alius qidem in Munychia portus, & templum Munychiæ Dianæ. Qui vero in Phalero, de quo prius mihi dictum, illic est Cereris sacrarium. Ibi quoque Sciradis Minervæ templum est, & Jovis paulo longius. Aræ autem Deorum qui vocantur ignoti, & Heroum, & filiorum Thesei, & Phaleri. Hunc enim Phalerum Athenienses navigasse dicunt cum Jasone in Colchos. Est & Androgei ara filii Minois, vocatur autem herois*. Ac Cereris quidem templi ibi loci meminit iterum *in Phocicis*. Aberat Athenis stadiis XX. Observo apud eundem *in Arcadicis*: Ἀθηναίοις μὲν δὴ σταδίους μάλιστα εἴκοσιν ἀφέστηκε τῆς πόλεως ἡ πρὸς Φαληρῷ θάλασσα. *Atheniensibus quidem stadia admodum viginti aberat ab urbe mare ad Phalerum*. Laudatæ autem illic brassicæ. *Hesychius*. Φαληρικαί. αἱ ῥάφανοι, ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς. *Phalericæ. Brassicæ, ab Attica*. Dicit autem Φαληρικὰς appellatas brassicas a Phalero Atticæ, propter discrimen: nam & alia ejus nominis loca erant, ut ex *Stephano* est cognoscere. Atque hinc oriundus ille Demetrius, inde Phalereus dictus, cujus vitam describit Diogenes Laertius *lib.* v. [1].

ΦΑΡΜΑΚΟΥΣΑΙ.

Videtur inter populos recensere Strabo *lib.* IX. Erant duæ insulæ, inter Amphialem, & Corydalum, in quarum majore ostendebatur monumentum Circes. Strabo *loco citato*. Ἐνταῦθα δὲ καὶ αἱ Φαρμακοῦσαι δύο νησία, ὧν ἐν τῷ μείζονι Κίρκης τάφος δείκνυται. *Ibi autem sunt etiam Pharmacusæ duæ insulæ, in quarum majore Circes monumentum ostenditur* [2].

ΦΑΥΡΑ.

De tribu non liquet. Commemoratur a Strabone *lib.* IX.

ΦΗΓΑΙΑ, Ægeidis; vel Æantidis.

Incertæ tribus. Sunt qui Ægeidi ascribant. *Stephanus*. Φηγαία, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. *Phegæa, populus Ægeidis tribus*. *Hesychius*. Φηγαιεῦς, δῆμος Αἰγηΐδος. *Phegæensis, populus Ægeidis*. Alii ad Æantidem referunt. *Suidas*. Φηγαιεῦσι, δῆμος τῆς Αἰαντίδος. *Phegæensibus, populus Æantidis*. Etymologici *Auctor*. Φηγαιεῦσι, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. *Phegæensibus, populus Æantidis tribus*. Emendandus *Harpocration*. Φηγαιεῦσι. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν. Φηγαιεὺς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος, ὥς φησι Διόδωρος. *Phegæensibus. Lysias in oratione de propriis beneficiis. Phegæensis, populus Æantidis, ut inquit Diodorus*. Perperam hodie editur, Φυγαιεῦσι, & Φυγαιεὺς. Item Plutarchus *in Alcibiade*. καὶ ὀνομάζοντα αὐτὸν μὲν ἱεροφάντην, Πολυτίωνα δὲ δᾳδοῦχον, κήρυκα δὲ Θεόδωρον Φηγαιέα. *Et quum vocasset ipsum quidem hierophanta, Polytionem vero facis portatorem, præconem autem Theodorum Phegæensem*. Hodie editur, Θ. Φυγέα. Erat & altera.

ΦΗΓΑΙΑ, Pandionidis.

Stephanus. Ἔστι καὶ ἄλλος δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς, οἱ Φηγαιεῖς. *Est & alius Pandionidis tribus, Phegæenses* [3].

ΦΗΓΟΥΣ.

Erechtheidis tribus. Etymologici *Auctor*. Φηγοῦς, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος. *Phegus, populus Erechtheidis*. *Stephanus*. Φηγοῦς, δῆμος Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. *Phegus, populus Erechtheidis tribus*. *Harpocration*. Φηγούσιον. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ βατράχων φόνου. Φηγοῦς, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος. *Phegusium. Lysias in oratione de Batrachi cæde. Phegus, populus Erechtheidis.*

---

1. Apud Harpocrationem adscribitur Antiochidæ tribui, sed in inscriptione veteri Æantidæ. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 475.

2. Sunt duæ insulæ; major, si non fallor, vocatur nunc Agios Georgios, minor vero Sarpedona. Incultæ sunt, nec puto olim fuisse habitatas, aut inter pagos Atticos numeratas unquam fuisse, quemadmodum Meursius vult, sicut nec Φαῦρα, cujus quidem mentio est apud Strabonem, sed non scribit fuisse pagum Atticum. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 475.

3. In inscriptione veteri tribuitur tribui Hadrianidæ. Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 476.

Suidas. Φηγῦς, δῆμος τῆς Ερεχθηΐδος. Φηγύσιον. Λυσίας ἐν τῷ περὶ βατράχων φόνῳ τὸ ἐκ φηγῦντος δήμῳ. *Phegus, populus Erechtheidis. Phegusium. Lysias in oratione de ranarum cæde, quod est ex Phegunte populo.* Sed corrigendum apud *Harpocrationem*, περὶ τῦ Βατράχυ φόνυ: *De Batrachi cæde.* apud *Suidam*. περὶ Βατράχυ φόνυ. *De Batrachi cæde.* τῦ ἐκ Φ. δ. Erat enim viri nomen sceleratissimi Batrachus, cujus mentio iterum apud eundem Lysiam *Orat.* ὑπὲρ Καλλίυ. &, κτ Ερατοσθένυς.

ΦΙΛΑΙΔΑΙ.

Tribus Ægeidis. Nomen habet a Philæo filio Ajacis ex Lyside Coroni Lapithæ filia. *Stephanus*. Φιλαΐδαι, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Φιλαίυ τῦ Αἴαντος υἱῦ, καὶ Λυσίδης, τῆ Κορωνῦ τῦ Λαπίθυ. *Philædæ, populus Ægeidis tribus, ab Philæo Ajacis filio, & Lysidæ, Coroni Lapithæ filiæ.* Elegans hac de re locus est apud Plutarchum *in Solone*. Αὐτοὶ δ' Αθηναῖοι ταῦτα μὲν οἴονται φλυαρίαν εἶναι. τὸν δὲ Σόλωνα φασὶν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασαῖς ὅτι Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης Αἴαντος υἱοὶ, Αθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες, παρέδοσαν τὴν νῆσον αὐτοῖς, καὶ κατῴκησαν, ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Αττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ. καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίυ τῶν φιλαϊδῶν ἔχυσιν, ὅθεν ἦν Πεισίστρατος. *Ipsi autem Athenienses illa quidem putabant vanitatem esse: Solonem vero dicebant indicasse judicibus, Philæum & Eurysacen Ajacis filios, Athenis civitatem adeptos, tradidisse insulam ipsis, & habitavisse, alterum quidem in Braurone Atticæ, alterum vero in Melite. Et populum cognominatum ab Philæo Philaidarum habent, unde erat Pisistratus.* Meminit Herodotus *lib.* VI. *cap.* XXXV. τὰ δὲ νεώτερα, Αθηναῖος, Φιλαίυ τῦ Αἴαντος παιδὸς γενομένυ πρώτυ τῆς οἰκίης ταύτης Αθηναίυ. *Nuper vero, Atheniensis, Philæo Ajacis filio facto primo illius familiæ Atheniensi.* Emendandus Suidas *in* ἄρκτος. ἐπειδὴ ἄρκτος ἀγρία ἐπιφοιτῶσα διέτριβεν ἐν τῷ δήμῳ Φιλαϊδῶν. *Postquam ursa sylvestris superveniens mansit in populo Philaidarum.* Non recte editur, ἐν τῷ δήμῳ Φλαυιδῶν. In hoc populo natus Pisistratus, ut est videre *in citatis* Plutarchi *verbis*. Erat præterea, ne quis confundat, familia Athenis, eodem cum hoc populo nomine. Ex hac Epicurus. Diogenes Laertius *in ejus vita, lib.* X. *cap.* I. Επίκυρος Νεοκλέυς καὶ Χαιρεστράτης, Αθηναῖος, τὸν δῆμον Γαργήττιος, γένυς τῦ τῶν φιλαϊδῶν, ὥς φησι Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ εὐγενείας. *Epicurus Neoclis & Chærestratæ filius, Atheniensis, quod ad populum Gargettius, quod ad familiam ex Philaidis, ut inquit Metrodorus in libro de nobilitate.* Restituendum nomen apud Etymologici *Auctorem*. Φιλαΐδαι, γένος Αθήνησιν. *Philaidæ, familia Athenis.* Male editur. Φιαλεΐδαι [1].

ΦΛΥΑ.

Ita verum populi hujus nomen esse analogia evincit. Inde enim popularis, Φλυεύς. Adverbia, Φλύαθεν, Φλύασε, Φλυῆσι. Habes apud *Stephanum*. Φλυεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Φλυεύς. καὶ, Φλυῆθεν. τὰ τοπικὰ, Φλύαθεν, Φλύασε, Φλυῆσι. *Phlyenses, populus Cecropidis tribus. Popularis Phlyensis. Et a Phlye. Localia, e; ad, in Phlyensibus.* Ergo corrigendus *Harpocration*, apud quem scribitur, Φλυεία: & *Suidas*, apud quem, Φλυία. Erat autem Cecropidis tribus, ut patet ex Auctoribus citatis. *Hesychius* Ptolemaidi ascribit. Φλυεῖς, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς. *Phlyenses, populus Ptolemaidis tribus.* Ex hoc populo oriundus Euripides. *Harpocration*. Φλυεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος. ἐκ τύτυ δὲ τῦ δήμυ ἦν Εὐριπίδης, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής. *Phlyenses, populus Cecropidis. Ex illo autem populo erat Euripides, tragœdiæ poeta.* Quæ totidem verbis *Suidas*. Sacrarium illic Lycomidarum commune, quod incensum a Barbaris Themistocles instauravit, & picturis exornavit. Plutarchus *in ejus vita*. ὅτι μέντοι τῦ Λυκομιδῶν γένυς μετεῖχε, δῆλόν ἐστι. τὸ γὰρ Φλυῆσι τελεστήριον, ὅπερ ἦν Λυκομιδῶν κοινὸν, ἐμπρησθὲν ὑπὸ τῶν Βαρβάρων, αὐτὸς ἐπεσκεύασε, καὶ γραφαῖς ἐκόσμησεν, ὡς Σιμωνίδης ἱστόρηκεν. *Quod quidem e genere Lycomidarum fuerit, manifestum est. Sacrarium enim, quod est Phlyis, quod erat Lycomidarum commune, incensum a Barbaris, ipse instauravit, & picturis exornavit, ut Simonides narravit.* Et duo ibidem templa; in quorum uno aræ Apollinis Διονυσοδότυ, Dianæ Σελασφόρυ, Bacchi Ανθίυ, Nympharum Ισμηνίδων, & Telluris, quam Magnam Deam appellabant: in altero aræ Cereris Ανησιδώρας, Jovis Κτησίυ, Minervæ Τιθρωνῆς, Proserpinæ Πρωτογόνης, & Eumenidum, quæ Σεμναὶ θεαὶ nuncupabantur. Pausanias *Atticis*. Φλυεῦσι δέ εἰσι καὶ Μυρρινυσίοις, τοῖς μὲν Απόλλωνος Διονυσοδότυ καὶ Αρτέμιδος Σελασφόρυ βωμοὶ, Διονύσυ τε Ανθίυ, καὶ Νυμφῶν Ισμηνίδων, καὶ Γῆς, ἣν μεγάλην θεὸν ὀνομάζυσιν. Ναὸς δὲ ἕτερος ἔχει βωμὺς Δήμητρος Ανησιδώρας, Διὸς Κτησίυ, καὶ Τιθρωνῆς Αθηνᾶς, καὶ Κόρης Πρωτογόνης, καὶ Σεμνῶν ὀνομαζομένων θεῶν. Τὸ δὲ ἐν Μυρρινῦντι ξόανον, ἐστὶ Κολαινίδος. *Apud Phlyenses autem sunt & apud Myrrhinusios, illis quidem Apollinis Dionysodoti & Dianæ Luciferæ aræ, Bacchi quoque Floridi, & Nympharum Isinenidum, & Telluris, quam magnam deam vocant. Alterum vero fanum habet aras Cereris Anesidoræ, Jovis Ctesii, & Tithrones Minervæ, & Proserpinæ Primigeniæ, & Severarum quæ ita dictæ dearum. In Myrrhinunte autem statua est Colænidis* [2].

ΦΟΡΜΙΣΙΟΙ.

De tribu non constat. Meminit ejus populi Dinarchus *Orat. in Demosthenem*. Αλλὰ ταυτὶ τὰ μικρὸν πρὸ τῆς ἡμετέρας ἡλικίας γεγενημένα ὑπὸ Κεφάλυ τοῦ ῥήτορος, καὶ Θράσωνος τοῦ Ερχιέως, καὶ Ηλιοδώρυ Φορμισίυ, καὶ ἑτέρων ἀνδρῶν ἀγαθῶν.

---

1. Ajunt fuisse tribus Ægidæ, verum in inscriptione tredecim tribuum accensetur Oeneidæ. Athenis apud fratrem Capitanaki:

ΑΙΓΗΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΕΥΑΓΙΔΗΣ ΚΤΗΣΙΟΥ ΦΙΛΙΔΗΣ
ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΛΥΣΙΜΑΧΙΔΗΣ ΕΠΙΔΑΜΝΙΟΣ
ΗΥΛΕΙ
ΧΑΡΙΛΑΟΣ ΛΟΚΡΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ
ΕΥΘΥΚΡΙΤΟΣ ......

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 477.

2. Servat illud nomen vicus, qui situs est inter flumen, nunc Rafty, & Sunium, nunc Columnæ promontorium. Athenis in Ecclesia Sanctorum Apostolorum:

ΣΕΛΕΥΚΟΣ
ΞΕΝΩΝΟΣ
ΦΛΥΕΥΣ

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 478.

Verum ibi brevi ante nostram ætatem facta ab Cephalo rhetore, & Thrasone Erchiense, & Heliodoro Phormisio, & ab aliis viris bonis.

ΦΡΕΑΡΟΙ.

Tribus Leontidis. Nomen habet ab heroe Phrearo. *Stephanus*. Φρέαῤῥοι, δῆμος Ἀθήνησι τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ἀπὸ Φρεάρου Ἀθήνησιν ἐπισήμου ἥρωος. ὁ δημότης, Φρεάῤῥιος. *Phrearrhi, populus Athenis Leontidis tribus, ab Phrearo Athenis celebri heroe. Popularis, Phrearrhius.* Sed scribendum, Φρέαροι; &, Φρεάριος. *Hesychius*. Φρεάριοι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Phrearii, populus Leontidis tribus.* Plutarchus *in Themistocle*. πατρὸς γὰρ ἦν Νεοκλέους, οὐ τῶν ἄγαν ἐπιφανῶν Ἀθήνησι, Φρεαρίου τὸν δῆμον, ἐκ τῆς Λεοντίδος φυλῆς. *Patre enim erat Neocle, non ex valde nobilibus Athenis, Phreario quod ad populum, ex Leontide tribu.* Neque aliter scribitur apud *Harpocrationem*, *Suidam*, Etymologici *Auctorem*, & *Oratores* [1].

ΦΡΙΤΤΙΟΙ.

Ignotæ tribus. Observo apud Alciphronem *in epistola Ægialei ad Struthionem*. Βούλομαι δὲ πρὸς ἕνα ἢ δεύτερον τουτωνὶ τῶν λακκοπλούτων διά σου προξένου, ἢ πρὸς Ερασικλέα τὸν Φρίττιον, ἢ πρὸς Φιλόστρατον τὸν Χολαργέα οἰκείως ἔχειν. *Volo autem adversus unum vel alterum horum qui e fossa ditati sunt, in tui hospitis gratiam, aut adversus Erasicleum Phrittium, aut adversus Philostratum Cholargensem familiariter agere.*

ΦΥΛΗ.

Oeneidis tribus. *Harpocration.* Φυλὴ, δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος. *Phyle, populus est Oeneidis. Stephanus.* Φυλὴ, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. *Phyle, populus Oeneidis tribus.* Populares Φυλάσιοι dicebantur. Stephanus *ibidem*. ὁ δημότης, Φυλάσιος. *Popularis, Phylasius. Hesychius.* Φυλάσιοι, οἱ ἐκ τοῦ δήμου. καλεῖται δὲ οὕτω καὶ Φυλή τις. *Phylasii, qui ex populo. Vocatur autem sic etiam tribus quidam.* Qui locus manifesto mutilus. Restituo, ἐκ τοῦ δήμου τῆς Φυλῆς. καλεῖται δ. *Ex populo Phyles. Vocatur autem.* Etymologici *Auctor.* Φυλάσιοι, οἱ ἐκ τοῦ δήμου τῆς Φυλῆς. Φυλὴ γὰρ, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος. *Phylasii, qui e populo Phyles. Phyle enim, populus Oeneidis.* Videntur omnium optime Pani sacrificasse. Innuit Ælianus *in Epistola Callipidis ad Cnemonem*. Θύω τοίνυν τῷ Πανὶ, καὶ Φυλασίων τοὺς μάλιστα ἐπιτηδείους εἰς τὴν ἱερουργίαν παρακαλῶ. *Sacrifico igitur Pani, & Phylasiorum aptissimos ad sacrificium advoco.* Et albis vestibus se induebant. Aristophanes *Acharn. v.* 1021. 1022.

> —— Γεωρ. ἀπὸ Φυλῆς ἔλαβον οἱ Βοιώτιοι.
> Δικ. Ὦ τρισκακοδαίμων, εἶτα λευκὸν ἀμπέχῃ.
> —— *ab Phyle acceperunt Bœotii.*
> *O ter miserum, ergo albata veste amiciaris.*

Ubi *Scholiastes*. ἀντὶ τοῦ, λευχειμονεῖς. οἱ γὰρ Φυλάσιοι λευκὰ ἐφόρουν. *Pro, albis vestimentis indutus. Nam Phylasii alba gerebant.* Nobilis hic locus egregio pro patriæ libertate Thrasybuli facinore; aberatque Athenis stadiis centum. Diodorus Siculus *libro* XIV. Θρασύβουλος Στειριεὺς ὀνομαζόμενος, Ἀθηναῖος ὢν, ὑπὸ δὲ τῶν τριάκοντα πεφυγαδευμένος, συνεργούντων αὐτῷ λάθρα τῶν Θηβαίων, κατελάβετο χωρίον τῆς Ἀττικῆς ὀνομαζόμενον Φυλήν. ἦν δὲ τὸ φρούριον ὀχυρόν τε σφόδρα, καὶ τῶν Ἀθηνῶν ἀπέχον σταδίους ἑκατόν. *Thrasybulus Stiriensis dictus, Atheniensis existens, sed ab triginta pulsus, adjuvantibus ipsum clam Thebanis, cepit castellum Atticæ dictum Phylen. Erat autem præsidium munitum valde, & Athenis aberat stadia centum.* Videndus quoque Xenophon *Hist. Græc. lib.* II. Hinc illa apud Lysiam *in Orat. κατ'* Ἐρατοσθένους. Πῶς κάλλιον ἂν ἦν ἀνδρὶ ἄρχοντι, ἢ Θρασυβούλου Φυλὴν κατειληφότος, τότε ἐπιδείξασθαι τὴν αὐτοῦ συνουσίαν. *Ubi pulchrius erat viro principi, quam quum Thrasybulus Phylen caperet, tunc ostendere animi sui benevolentiam.* Res passim obvia est. Itaque rescribendum apud Philostratum *De vita Apollonii lib.* VII. *cap.* II. Διῄει δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ Παναθήναια τὰ Αττικὰ, ἐφ' οἷς Ἁρμόδιός τε καὶ Ἀριστογείτων ᾄδονται. καὶ τὸ ἀπὸ Φυλῆς ἔργον, ὃ καὶ ὁμοῦ τριάκοντα τυράννους εἷλε. *Narrabat autem illis quoque Panathenæa Attica, quibus Harmodius & Aristogiton cantantur. Et res ab Phyle gesta, quæ etiam simul triginta tyrannos sustulit.* Hodie editur, καὶ τὸ ἀπὸ φυλῆς ἔργον. Impegit gravissime eruditus Interpres, qui vertit. *Et Atheniensium tribuum acta, quibus triginta simul tyranni superati sunt.* Debuisset, *Et illud a Phyla facinus, quod triginta simul tyrannos sustulit.* Hinc proficiscentem Thrasybulum, nocte illuni, ignis prævius antecessit, duxitque usque Munychiam; unde & illic Dianæ τῆς Φωσφόρου ara posita. Clemens *Strom.* I. ἀλλὰ καὶ Θρασυβούλῳ τοὺς ἐκπεσόντας ἀπὸ Φυλῆς καταγαγόντι, καὶ βουλομένῳ λαθεῖν, στύλος ὁδηγὸς γίνεται διὰ τῶν ἀτριβῶν ἰόντι. τῷ Θρασυβούλῳ νύκτωρ, ἀσελήνου καὶ δυσχειμερίου τοῦ καταστήματος γεγονότος, πῦρ ἑωρᾶτο προηγούμενον, ὅπερ αὐτοὺς ἀπταίστως προπέμψαν, κατὰ τὴν Μουνυχίαν ἐξέλιπεν· ἔνθα νῦν ὁ τῆς Φωσφόρου βωμός ἐστι. *Sed & Thrasybulo illos qui in exilium pulsi erant, ab Phyle reducenti, & volenti latere, columna dux viæ fuit quum per devia iret. Thrasybulo nocte, quum illune & tenebrosum cœlum esset, ignis visus est antecedens, qui illos illæsos deducens, circa Munychiam defecit, ubi nunc Phosphori ara est.* Erat autem in confinio Bœotiæ. Observare id licet ex Historia Græca; & versu Aristophanis *Acharnensibus* 1021.

> —— ἀπὸ Φυλῆς ἔλαβον οἱ Βοιώτιοι.
> —— *ab Phyle acceperunt Bœotii* [2].

ΦΩΡΩΝ.

De tribu incertum est. Erat autem portus, quemadmodum Munychia, Phalerum, Piræeus. Memorat Strabo *lib.* XI. ὑπὲρ δὲ τῆς ἀκτῆς ταύτης ὄρος ἐστὶν ὁ καλεῖται Κορυδαλλὸς, καὶ ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλλεῖς. εἶθ' ὁ Φώρων λιμὴν, καὶ Ψυτταλία νησίον. *Supra autem promontorium illud mons est qui vocatur Corydalus, & populus Corydalenses. Dein Phoron portus, & Psyttalia insula.*

---

1. In monte Anchesmo, in Ecclesia S. Georgii:

....ΦΡΕΑΡΡΙΟΙ
...ΣΠΕΝΔΩΝ
...ΚΡΩΠΙΔΑΙ
ΚΛ. ΚΑΛΛΙΣΤΟΜΑΧΟΣ
ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΩΝ ΠΥΛΛΑΔΟΥ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 478.

2. Athenis in Ecclesia Gorgopiki:

ΟΛΥΜΠΙΑϹ ϹΩϹΙΓΕΟΥϹ ΕΚ ΦΥΛΑ-
ΣΙΩΝ

Constantinopoli apud Legatum Nointelium visitur hæc inscriptio, Athenis eo delata:

Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ ΙΣΙΔΟΡΑ ΠΡΑ
ΞΙΤΕΛΟΥΣ ΕΥΟΔΟΣ ΕΚ ΦΥ
ΛΑΣΙΩΝ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 479.

ΧΑΣΤΙΕΙΣ.

Chastienses. Hesychius: Χασιᾶ, τῆ ἀπὸ δήμε. Χασιεῖς γὰ, δῆμος. Χασιεῖς, ὄνομα δήμε. *Chastiensem, qui e populo; Chastienses enim, populus: Chastienses, nomen populi*. R. A.

ΧΙΤΩΝΗ.

Ignotæ tribus. Festum ibi Dianæ, cognomento Χιτώνης. Callimachus *Hymno in Dianam*, v. 225.

> Πότνια, πελομέλαθρε, πολύπτολι, χαῖρε Χιτώνη.
> *Veneranda, multas ædes & multas urbes habens, salve Chitone.*

Ubi *Scholiastes*. Νηλεὺς ὁ Κόδρε, ἀποικίαν θέμενος ἀπὸ Ἀθηνῶν, ἔλαβε χρησμὸν ἐγεῖραι ξόανον τῇ Ἀρτέμιδι ἀπὸ παγκάρπων ξύλων. κὴ δήποτε ἑορτῆς τελεμένης τῇ Ἀρτέμιδι ἐν τῇ Χιτώνῃ, (ἐσὶ δὲ δῆμος Ἀττικῆς,) ἀπελθὼν εὗρε δρυῦ πάμπολυν κὴ διάφορον ἔχεσαν ἠρτημένον καρπόν. κὴ ἐκ τέτε ἐποίησεν ἄγαλμα τῇ θεᾷ. κὴ ὕτω μετῴκησεν ἐν Μιλήτῳ. ἀπὸ τῦ δήμε ἦν ἔσχε τῆ ὀνομασίαν ἡ Ἄρτεμις. *Neleus Codri filius coloniam fundans ab Athenis, accepit oraculum erigere statuam Dianæ ex ligno omnis generis fructus ferente. Et aliquando quum festum perageretur Dianæ in Chitone, (est autem populus Atticæ) abiens invenit quercum multos & diversos habentem dependentes fructus. Et ex illa fecit statuam Deæ. Et sic migravit in Mileto. Ab populo igitur tenuit denominationem Diana*. Certe Dianæ Χιτώνης meminit quoque Inscriptio Vetus.

VIRGINI CHITONE SACRUM.

Et *Stephanus*. Χιτώνη ὕτως ἡ Ἄρτεμις. *Chitone, ita Diana*. Sed profecto, aut me fugit ratio, aut mutilus ille locus. Nam ut quid inter regionum, populorum, urbium, locorumque nomina, nudum Deæ unius cognomentum interferat? Non hoc solet. Certe scripserit. Χιτώνη, δῆμος τῆ Ἀττικῆς. κὴ ὕτως ἡ Ἄρτεμις. *Chitone, populus Atticæ. Et hoc modo Diana*. Et fortassis etiam tribum expresserat. Sed hoc sine scripti codicis ope affirmare non licet. Tamen hoc liquido pronuntiaverim, mutilatum esse locum.

ΧΟΛΑΡΓΟΣ. sive, ΧΟΛΑΡΓΟΙ. ΧΟΛΑΡΓΙΑ.

Acamantidis tribus. *Stephanus*. Χόλαργος. ὕτω Δίδυμος, κὴ Διόδωρος. Διονύσιος δὲ, Χόλαργοι. ἐσὶ δὲ δῆμος τῆ Ἀκαμαντίδος. ὁ δημότης, Χολαργεύς. *Cholargus, ita Didymus, & Diodorus. Dionysius vero, Cholargi. Est autem populus Acamantidis. Popularis, Cholargensis*. *Hesychius*. Χολαργεῖς, δῆμος φυλῆς Ἀκαμαντίδος. *Cholargenses, populus tribus Acamantidis*. *Suidas*. Χολαργεῖς, δῆμος τῆ Ἀττικῆς. *Cholargenses, populus Atticæ*. Vide eundem iterum in Χλωαλώπηξ. Aristophanes *Acharn*. v. 855.

> Λυσίστρατός τ' ἐν ἀγορᾷ Χολαργέων ὄνειδος.
> *Et Lysistratus in foro Cholargensium opprobrium.*

Scholiastes. Δῆμος Ἀττικῆς οἱ Χολαργεῖς τῆ Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Populus Atticæ Cholargenses Acamantidis tribus*. Apud *Harpocrationem* Χολαργία dicitur. Χολαργεύς. Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τῦ Κήρωνος κλήρε. δῆμος τῆ Ἀττικῆς Χολαργίαι τῆ Ἀκαμαντίδος φυλῆς. *Cholargensis. Isæus in oratione de Ceronis hæreditate. Populus Atticæ Cholargiæ Acamantidis tribus*. Rescribe ἐν τῷ περὶ τῦ Κίρωνος κλήρε. *In oratione de Cironis hæreditate*. Sed in tota illa Isæi *Oratione* hodie nomen id non comparet; cubat autem involutum gravissimo mendo, ecce isto loco. ἐκείνων τι ἔτι ζώντων, ἐπεὶ συνοικεῖν εἶχεν ἡλικίαν, ἐκδιδόασιν αὐτὴν Ναυσιμένει λοχαγεῖ σὺν ἱματίοις κὴ χρυσίοις, πέντε κὴ εἴκοσι μνᾶς ἐπιδάς. *Illis adhuc viventibus, postquam ætas tulit cohabitare, locarunt eam Nausimeni ductori turmæ cum vestimentis & aureo ornatu, quinque & viginti minas addens*. Protraho e latibulo veram lectionem. ἐκδιδόασιν αὐτὴν Ναυσιμένει Χολαργεῖ σὺν ἱ.

ΧΟΛΛΙΔΑΙ.

Tribus Ægeidis. Aristophanes *Acharnensibus*, v. 404.

> Δικαιόπολις καλεῖ σε, Χολλίδης ἐγώ.
> *Dicæpolis vocat te, Chollides ego.*

Ubi *Scholiastes*. Χολλίδης ἐγώ. δῆμος τῆ Αἰγηΐδος φυλῆς. *Chollides ego, populus Ægeidis tribus*. Sed alii Leonidi ascribunt. *Stephanus*. Χολλίδαι, δῆμος τῆ Λεοντίδος φυλῆς. *Chollidæ, populus Leontidis tribus*. Corrigendus est *Harpocration*, apud quem scribitur. Χολείδαι. Λυσίας. δῆμος τῆ Λεοντίδος. *Cholidæ. Lysias. Populus Leontidis*. Et *Suidas*, apud quem, Χολλεῖδαι. Rescribe utrobique, Χολλίδαι [1].

ΨΥΤΤΑΛΙΑ.

Ponit inter Atticæ populos item Strabo *libro* IX. Ὑπὲρ δὲ τῆ ἀκτῆς ταύτης ὄρος ἐστὶν, ὃ καλεῖται Κορυδαλὸς, κὴ ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλεῖς. εἶθ' ὁ Φώρων λιμὴν, κὴ ἡ Ψυττάλια, νησίον ἔρημον πετρῶδες. *Supra autem illud promontorium mons est qui vocatur Corydalus, & populus Corydalenses. Dein Phoron pontus & Psyttalia, parva insula deserta & petrosa*. Hic Xerxes quosdam exposuerat. Pausanias *Atticis*. νῆσος δὲ πρὸ Σαλαμῖνός ἐσι Ψυττάλεια. ἐς ταύτην τῆ Βαρβάρων ὅσον τετρακοσίες ἀποβῆναι λέγεσι. ἡττωμένε δὲ τῦ Ξέρξου ναυτικῦ, κὴ τέτες ἀπολέσθαί φασιν ἐπιδιαβάντων ἐς τὴν Ψυττάλειαν τῆ Ἑλλήνων. *Insula autem ante Salaminem est Psyttalia. In illam Barbarorum circiter quadringentos exscendisse dicunt. Quum Xerxis autem navales copiæ victæ essent, & illas periisse dicunt, Græcis in Psyttaliam rursus escendentibus*. Videndus Herodotus *l.* VIII. Hinc illud Himerii *in Eclog*. Μικρὸς ἦν ἐν Ἀρτεμισίῳ Θεμιστοκλῆς, μείζων ἐν Ψυτταλίᾳ. *Parvus erat in Artemisio Themistocles, major in Psyttalia*. Alciphron *in Epistola Menandri ad Glyceram*. Ποίαν αἵρεσιν. ποίες χύτρες κεραμικόν, ἀγοράν, δικασήρια. τὴν γειτνιῶσαν Σαλαμῖνα. τὴν Ψυτταλίαν. τὴν Μαραθῶνα ὅλην. *Quem habitum, quales ollas ceramicum, forum, tribunalia, vicinam Salaminem, Psyttaliam, Marathonem totam* [2].

ΟΡΩΠΟΣ.

Etiam inter Atticæ populos numerat Strabo *lib*. IX. etsi controversia olim fuerit. Ὠρωπὸς δ' ἐν ἀμφισβητησίμῳ γεγένηται πολλάκις· ἵδρυται γὰ ἐν μεθορίῳ τῆ τε Ἀττικῆς κὴ τῆ Βοιωτίας. *Oropus autem in controversia sæpe fuit. Sita enim est in confinio Atticæ*

---

1. Legitur quoque ΧΟΛΕΙΔΑΙ, quamvis illud Meursius non admittat. Vetus lapis Eleusinius:

ΝΙΚΟΚΛΗΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΧΟΛΛΕΙΔΗΣ.

Spon. *Itin. T*. 2. *p*. 481.

2. Non inseruissem catalogo populorum Atticorum, nisi cum Strabone longe aliter sentiendum fuisset. Propterea crediderim quondam fuisse habitatum.

Spon. *Itin. T*. 2. *p*. 481.

& Bœotiæ. Plinius *lib.* IV. *c.* VII. *Rhamnus pagus, locus Marathon, campus Thriaſius, oppidum Melita, & Oropus in confinio Bœotiæ*. Vide Pauſaniam *in Atticis*, ubi multa non alibi obvia [1].

1. Vocatur nunc *Ropo*. In Sycamino, quarto milliari Oropo diſtante, in Eccleſiæ S. Sarandæ:

ΑΦΡΟΕΙΣΙΟΣ
ΞΩΠΥΡΟΥ
ΩΡΩΠΙΟΣ.

Spon. *Itin. T.* 2. *p.* 482.

Addenda ad Populum ΠΑΡΝΗΣ, col. 770.

Erat Parnes, ſuum agreſtium, & urſorum, venatione inſignis. Pauſanias, *in Atticis*: Ὄρη δὲ Ἀθηναίοις ἐςὶ Πεντελικὸν, ἔνθα λιθοτομίαι· ϗ Πάρνης, παρεχομένη θήραν συῶν ἀγρίων, ϗ ἄρκτων. *Montes ſunt Athenienſibus: Pentele, ubi lapicidinæ: item Parnes, exhibens venationem ſuum agreſtium, urſorumque*. Lepores quoque illic, cum binis jecinoribus: & cervi, cum quaternis renibus. Ac de leporibus, ita Plinius, *l.* XI. *c.* XXXVII. *Bina jecinora leporibus circa Briletum, & Parnethem*. De cervis, paullo poſt ibidem: *At in Brileto, & Parnethe, quaterni renes cervis*. Ita reſcribo utrobique; nam male priore loco, *B. & Tharnen*: altero, *B. & Tharne*, hactenus editur. Etiam vites illic plurimæ. Inde Statius, *Theb.* XII. *v.* 630.

—— —— *Parneſque, benignus*
Vitibus. —— ——

Seneca *ſaxoſum* vocat, *in Hippolyto*, *v.* 4. 5.

Qua ſaxoſo loca Parnethi
Subjecta jacent. ——

Simulacrum ibidem æneum Jovis τȣ̃ Παρνηθίου; & ara una τȣ̃ Σημαλέου: item altera, in qua ſacrificabant Jovi; modo Ὀμβρειον, modo Ἀπήμιον appellantes. Pauſanias, *in Atticis*: Καὶ ἐν Πάρνηθι Παρνήθιος Ζεὺς χαλκȣ̃ς ἐςιν, ϗ βωμὸς Σημαλέου Διός. ἔςι δὲ ἐν τῇ Πάρνηθι ϗ ἄλλος βωμός. θύουσι δὲ ἐπ' αὐτοῦ, τότε μὲν Ὄμβριον, τότε δὲ Ἀπήμιον καλȣ̃ντες. *Etiam in Parnethe eſt Jupiter Parnethius æneus, & Jovis Semalei ara: eſt ibidem ara altera; atque in ea ſacra faciunt, modo Ombrium, modo Apemium nominantes*. Meminit *Etymologici Auctor*: Ἐπάκριος Ζεύς. ἐπ' ἄκρας γὰρ τῶν ὀρῶν ἱδρύοντο βωμȣ̀ς τῷ Διὶ, οἷον τȣ̃ Ὑμήττȣ, τȣ̃ Πάρνηθος. *Epacrius Jupiter. Quia in ſummo montium, ut Hymetti, ac Parnethis, aras Jovi ſtatuebant*. Quod ſi ad Virgiliarum occaſum circum illum montem ſolum fulgur conſpectum fuiſſet, ſerenitatis id prognoſticon habebatur; uti contra tempeſtatis, ſi Hymettum circa etiam, & Brileſſum. Theophraſtus, *de Signis Tempeſtatum*: Ἐπὶ Πελειάδι δυομένῃ ἐὰν λάμψῃ κατὰ Πάρνηθα, ϗ Βριληττὸν, ϗ Ὑμηττὸν, ἐὰν μὲν ἅπαντα καταλήψῃ, μέγαν χειμῶνα σημαίνει· ἐὰν δὲ τὰ δύο, ἐλάττω· ἐὰν δὲ Πάρνηθα μόνον, εὐδιεινόν. *In Virgiliarum occaſu, ſi fulgur fuerit circa Parnethem, Brileſſum, ac Hymettum, ſi quidem omnes eos montes occupaverit, magnam tempeſtatem indicat; ſi duos, minorem: ſed ſi Parnethem duntaxat, ſerenitatem*. Tempeſtatis quoque ſignum habebatur, ſi Parnethis illam partem, quæ occaſum, & Phylen verſus, nubes circumdediſſent. Theophraſtus *mox ibidem*: Τῆς Πάρνηθος ἐὰν τὰ πρὸς Ζέφυρον ἄνεμον, ϗ τὰ πρὸς Φυλὴν, φράττηται νέφεσι, χειμέριον τὸ σημεῖον. *Si Parnethis ea pars, quæ ventum Zephyrum ſpectat, & objacet Phylæ, nubibus cingatur, tempeſtatis eſt indicium*. Erat ibi locus quidam, Ἅρμα dictus. Ecce in Heſychii *Gloſſis*: Διάρματος, τόπος ἐν Πάρνηθι. *Diarmatos, locus in Parnethe*. Sed legendum eſt, Δι' Ἅρματος. *Per Harma*. Oam Ἅρμα locus dicebatur, non Διάρματος. Euſtathius, *ad Iliad.* β'. ἔςι δὲ, φησι, ϗ τόπος ἐν Πάρνηθι, Ἅρμα καλȣ́μενος. *Eſt & locus in Parnethe, Harma dictus*. Reſpexit vero *Heſychius* proverbium Athenienſium, Ἀςραπὴ δι' Ἅρματος, *Fulgur per Harma*: &, Ἀςράπτει δι' Ἅρματος. *Fulgurat per Harma*. Meminit idem alibi ſtrictim: Ἀςραπὴ δι' Ἅρματος. Ἀθηναῖοι. *Fulgur per Harma. Athenienſes*. Quod ſi vero fulgur illic obſervaſſent, Theoros ad facienda ſacra Delphos mittebant; qui Πυθαϊςαὶ, ſive Πυθιαςαὶ, dicebantur. Idem *Heſychius* id nos docet: Ἀςράπτει δι' Ἅρματος. Ἀθηναῖοι, ὁπότε δι' Ἅρματος ἀςράψειεν, ἔπεμπον εἰς Δελφȣ̀ς θεωρȣ̀ς, τȣ̀ς λεγομένȣς Πυθιαςάς. *Fulgurat per Harma. Athenienſes, cum per Harma fulguraſſet, Theoros mittebant Delphos, quos dicebant Pythiaſtas*. Obſervabant autem ab ara Jovis τȣ̃ Ἀςραπαίȣ, Fulguritoris; inde, ut apparet, dicti, idque per trimeſtre totum, ſingulis menſibus per tres dies, ac totidem noctes. Euſtathius, *loco jam citato*: Τὸ δὲ παροιμιῶδες, τὸ, Ὁπότ' ἂν ἀςράψῃ δι' Ἅρματος· ἤγȣν, Ὀψὲ ποτὲ, ϗ διὰ χρόνȣ ἀδήλȣ· τȣ̃ Ἀττικȣ̃ Ἅρματος μέμνηται, ἢ μᾶλλον τȣ̃ Βοιωτικȣ̃. φασὶ δὲ, ὡς ἀςραπὴν ἐσημειȣ̃ντο κατά τινα χρησμὸν οἱ Πυθαϊςαὶ, βλέποντες ἐπὶ τὸ τοιȣ̃τον Ἅρμα. ϗ, ὅτι ἤςραψεν, ἔπεμπον θυσίαν εἰς Δελφȣ́ς. ἐτήρȣν δὲ ἐπὶ τρεῖς μῆνας, ϗ καθ' ἕκαςον μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, ϗ νύκτας, ἀπὸ τ ἐσχάρας τȣ̃ Ἀςραπαίȣ Διός. *Proverbiale vero hoc, Quum per Harma fulguraverit; ſive, ſero aliquando, & incerto tempore: mentionem facit Harmatis Attici, ſive potius Bœotici. Ajunt enim, fulgur obſervaſſe oraculi cujuſdam monitu Pythaiſtas, in hoc Harma reſpicientes. Quum autem fulguraſſet; ſacrificium mittebant Delphos. Obſervabant autem per tres menſes, & ſingulis menſibus dies tres, ac noctes totidem, ab ara Jovis Fulguritoris*. Erat vero ea ara in muro, inter templa Apollinis Pythii, & Jovis Olympii. Strabo, *lib.* IX. Καὶ τὸ Ἅρμα, τ Ταναγρικῆς κώμη ἔρημος, περὶ Μυκαληττὸν, ἀπὸ τȣ̃ Ἀμφιαράȣ Ἅρματος λαβȣ̃σα τȣ̃νομα, ἑτέρα ȣ̃σα τȣ̃ Ἅρματος τȣ̃ κατὰ τ Ἀττικὴν. Ἐνταῦθα δὲ ἡ παροιμία τὴν ἀρχὴν ἔσχεν, ἡ λέγȣσα, Ὁπότε δι' Ἅρματος ἀςράψῃ· ἀςραπήν τινα σημειȣμένων κατὰ χρησμὸν τ λεγομένων Πυθαϊςῶν, βλεπόντων ὡς ἐπὶ τὸ Ἅρμα, ϗ τότε πεμπόντων τ θυσίαν εἰς Δελφȣ̀ς, ὅταν ἀςράψαντα ἴδωσιν. ἐτήρȣν δὲ ἐπὶ τρεῖς μῆνας, καθ' ἕκαςον μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, ϗ τρεῖς νύκτας, ἀπὸ τ ἐσχάρας τȣ̃ Ἀςραπαίȣ Διός. ἔςι δ' αὕτη ἐν τῷ τείχει, μεταξὺ τȣ̃ Πυθίȣ, ϗ τȣ̃ Ὀλυμπίȣ. *Eſtque Harma, vicus Tanagricæ deſertus, juxta Mycalettum; nomen habens ab Amphiarai curru, aliuſque ab Harmate Atticæ: unde initium accepit proverbium, cum per Harma fulguraverit. Nam, qui Pythaiſtæ dicti, oraculi cujuſdam juſſu ad Harma reſpicientes, fulgur quoddam obſervabant. Quo conſpecto, mittebant Delphos, qui ſacra facerent. Obſervabant autem per tres menſes, quovis*

A *menſe triduum totum, & trinoctium, ab ara Jovis Fulguritoris; quæ eſt in muro, inter Pythii Apollinis, & Olympii Jovis fana.* Idem porro fulgur, etiam Διὰ Πυκνός. *Per Pnycem*, dicebatur. *Heſychius* alibi: Ἀςράψῃ διὰ Πυκνός· ἀντὶ τῦ, δι' Ἅρματος. *Fulguraverit per Pnycem; pro eo, quod eſt, per Harma.* Denique, regio, a Parnethe ad Brauronem quæ excurreret, Διακρία dicebatur. *Heſychius*: Διακρια, ἡ ἀπὸ Πάρνηθος εἰς Βραυρῶνα. *Diacria, regio a Parnethe ad Brauronem.* Ita eum locum emendo; hodie enim longe corruptiſſime editur, ἀπὸ Πάρνηθος εἰς Βαβυλῶνα. *A Parnethe ad Babylonem.* Neque in tota Attica locus ullus fuit, Babylonis nomine dictus. *R. A.*

F I N I S.



JOAN-

JOANNIS MEURSII

ATHENÆ ATTICÆ

SIVE,

DE PRÆCIPUIS ATHENARUM ANTIQUITATIBUS,

LIBRI III.

VIRIS AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMISQUE,

QUINTINO VERIO, JC. ET PRÆTORI; JOANNI QUARTELARIO, THOMÆ CASSIOPINIO, CASPARO KINSCHOTIO, JC. REIP. HAGO-COMITANÆ CONSULIBUS,

JOANNES MEURSIUS,

Dedico, Consecroque.



UI incerta rerum humanarum volet contemplari, Viri Amplissimi, ac Prudentissimi, is Athenas mihi videat; illas olim tam ingentes, ut ducenta fere stadia in circuitu continerent: tam potentes, ut sibi ipsos quoque reges tributarios haberent: tam illustres, ut splendore, gloriaque, plurimas Rerump. superarent, ipsæ a nulla vincerentur: at nunc ita imminuta est magnitudo, ut consumpti animalis ossa, ac pellis, quod Synesius olim eleganter dixit, tantum esse videantur: & potentia adeo illis nulla restat, ut miserrimam contra servitutem serviant, sub Turcarum imperio sitæ: gloriæ item par fortuna est; & vix nomen nunc sciretur, nisi Historia id servasset. Ego, ceu reliquias quasdam in cineres redacti corporis, quæ legendo apud Auctores singularia quondam in Urbe observavi, in volumen hoc colligere animum induxi; ut sic quasi instaurarem Urbem, indignam, quæ tam misere intercideret. Huic Operi cum patronos circumspicerem, quibus recte dedicarem, Vos inprimis occurristis; qui, ut bene erga humaniores Literas animati ipsi estis, ita earum dignitatem, quantum in Vobis, perbenigne defendendam existimatis. Atque ut publica ista causa, sic privata quædam mea est. Ego, qui in territorio vestro natus, & educatus, prima quoque Literarum tyrocinia quadriennium in Gymnasio vestro feci, monumentum aliquod meæ observantiæ Vobis exhibendum statui. Itaque nunc hoc tenete; & me, civem, non indignum quem ametis, quasque offero ATHENAS, *ut benigne complectamini, pro humanitate Vestra singulari, etiam atque etiam rogo. Lugduni Batavorum, ad diem* IV. *Octobris.* CIↃ IↃCXXIV.

JOANNIS MEURSII ATHENARUM ATTICARUM, SIVE, DE PRÆCIPUIS URBIS ATHENARUM, ATTICÆQUE, ANTIQUITATIBUS,

LIBER I.

CAP. I.

Athenæ Atticæ. De his Opus singulare, sive Meneclis, sive Callistrati, sive utriusque. Harpocration emendatus, item Suidas; & fortassis Scholiastes Aristophanis.



ATHENÆ plures memorantur. Inter omnes vetustate, magnitudine, dignitate, potentia, fama, primæ Atticæ: itaque, propter excellentiam, sic distincte apud Auctores nominantur. Plautus, *in Epidico*, Act. III. Sc. IV. v. 65.

> —— *fateor me omnium*
> *Hominum esse Athenis Atticis minimi pretii.*

In *Milite*, Act. II. Sc. I. v. 21.

> *Erat herus Athenis mihi, adolescens optimus;*
> *Is amabat meretricem, matre Athenis Atticis.*

Et *Rudente*, Act. III. Sc. IV. v. 36.

> *Immo Athenis gnatus, altus, educatusque, Atticis.*

Macrobius, *Saturn.* lib. VII. cap. I. *Nam si, ut apud Athenas Atticas, Areopagitæ tacentes judicant, ita inter epulas oportet sileri; non est ultra quærendum, inter mensas philosophandum nec ne sit.* Apulejus, *Milesia* I. *Continuatur Pythias, condiscipulus apud Athenas Atticas meus.* Et *Florid.* I. *Secta licet Athenis Atticis confirmata.* E Ammianus, *l.* XXVII. *Athenis Atticis antehac magister Rhetoricus.* Symmachus, ad Hephæstionem, *lib.* V. *epist.* XXXIII. *Ut solent Athenas Atticas aliqui, vel gymnasia petere Musarum; ita peregrinationes tuas, desiderio trahente, comitantur.* Occurrit etiam apud alios; nec colligere testimonia plura libet, quando & ista sunt plus satis. Ac de iis olim Opus singulare scripsit Menecles, seu Callistratus; nam de Auctore dubitatur. Harpocration, *in* Ὁ Παρθενὼν ὑπό τινων Ἑκατόμπεδος καλεῖται, διὰ κάλλος, καὶ εὐρυθμίαν, οὐ διὰ μέγεθος· ὡς Μενεκλῆς, ἢ Καλλίστρατος, ἐν τῷ Περὶ Ἀθηνῶν. F *Parthenon a quibusdam Hecatompedos appellatur, propter pulchritudinem, & concinnitatem, non propter magnitudinem; ut Menecles auctor, sive Callistratus, in Opere De Athenis.* Iterum, *in* Κεραμεικός. Δύο εἰσὶ Κεραμεικοὶ, ὡς καὶ ὁ ῥήτωρ φησίν· ὁ μὲν, ἔνδον ἐν τῇ πόλει. ὁ δὲ ἕτερος, ἔξω τῆς πόλεως· ἔνθα καὶ τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιτα-

A φίους ἔλεγον. ὡς δηλοῖ Μενεκλῆς, ἢ Καλλίστρατος, ἐν τῷ Περὶ Ἀθηνῶν. *Duo sunt Ceramici, ut Orator etiam ait; unus quidem, intra Urbem; alter vero, extra eam: ubi & in bello cæsos publico funere efferebant, & orationes funebres recitabant: ut Menecles refert, seu Callistratus, in Opere De Athenis.* Non recte est apud eundem, *in* Ἑρμαῖ. Μενεκλῆς, ἢ Καλλίστρατος, ἐν τῷ Περὶ Ἀθηναίων, γράφει ταυτί. *Menecles, sive Callistratus, in Opere De Atheniensibus, ista scribit.* Rescribe, ἐν τῷ Περὶ Ἀθηνῶν. *In Opere de Athenis.* Quo mendo laborat ejus quoque exscriptor *Suidas*, B itidem restituendus. Aristophanis Scholiastes *Avibus* utrumque scripsisse, & Meneclem, & Callistratum, indicare videtur. Οἱ ἐν τῷ πολέμῳ ἀναιρούμενοι, ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἐθάπτοντο. ὡς Μενεκλῆς, καὶ Καλλίστρατος, ἐν τοῖς Περὶ Ἀθηνῶν συγγράμμασι, φασί. *Qui in bello cecidissent, in Ceramico sepeliebantur; ut Menecles, & Callistratus, in libris de Athenis, referunt.* Nisi quis legendum putet; ὡς Μενεκλῆς, ἢ Καλλίστρατος, ἐν τοῖς Περὶ Ἀθηνῶν συγγράμμασι, φησί. *Ut Menecles, sive Callistratus, in libris de Athenis, refert.* Atque hoc Opus si exstaret, plurima certe disceremus, C quæ nunc ignorare cogimur. Equidem induxi animum, denuo illustrare Urbem; & collapsam tot jam annos, ex Auctorum monumentis, quantum stylo fieri potest, instaurare.

CAP. II.

Junonis templum, a Mardonio incensum; & simulacrum, & Alcamenis opus. Antiopes sepulcrum, & Menandri; atque in illud Epigramma Diodori. Euripidis cenotaphium. Sepulcrum ignoti; in quo miles, equo adstans, opus Praxitelis. Domus, pompis ordinandis. Πομπεῖον. Pollucis locus restitutus. E *Socratis, Isocratis, & Comœdorum, statuæ. Templum Cereris, in quo simulacrum ipsius; tum Proserpinæ, & tenentis facem Jacchi. Neptunus equestris, in Polyboten hastam mittens.*

ATHENARUM Antiquitates, maxime insignes, quo *Pausanias* præit ordine, referemus; bene ita de Athenis merituri, & Pausaniæ: in cujus *Atticorum* partem, quæ de Urbe ista agit, nostrum hoc Opus instar Commentarii erit. Incipit ille a Piræeo; quem cum libro singulari, mox edendo, exposuerimus; in Phalero, huic annexo, desinentes: quæ deinde sese offerunt, persequemur. F Qua Phalero Athenas itum, hic Junonis templum erat; neque fores, neque tectum ullum habens: a Mardonio id incensum, neque postea instauratum, ad Pausaniæ usque ætatem: tamen simulacrum inerat, ab Alcamene fabrefactum. Ipse narrat *in Att. init.* Ἔστι δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν, τὴν ἐς Ἀθήνας ἐκ Φαληροῦ, ναὸς Ἥρας· οὔτε θύρας ἔχων, οὔτε ὄροφον. Μαρδόνιον

φασὶν αὐτὸν ἐμπρῆσαι, τὸν Γωβρύου· τὸ δὲ ἄγαλμα, τὸ
A
νῦν δὴ, καθὰ λέγουσιν, Αλκαμένους ἐστὶν ἔργον. *Est in via, qua Phalero Athenas itur, Junonis fanum; neque fores habens, neque tectum: quod Mardonium incendisse ferunt, Gobrii F. simulacrum vero, quod nunc exstat, uti ferunt, ab Alcamene est factum.* Meminitque iterum *Phocicis*. Ελλήνων δὲ τοῖς ἀντιστᾶσι τῷ βαρβάρῳ, τὰ κατακαυθέντα ἱερὰ μὴ ἀνιστάναι σφίσιν ἔδοξεν· ἀλλ' ἐς τὸν πάντα ὑπολείπεσθαι χρόνον, τοῦ ἔχθους ὑπομνήματα. καὶ τοῦδε ἕνεκα οἵ τε ἐν τῇ Αλιαρτίᾳ ναοὶ, καὶ Αθηναίοις τῆς Ηρας ἐπὶ ὁδῷ τῇ Φαληρικῇ, καὶ οἱ ἐπὶ Φαληρῷ τῆς Δήμητρος, καὶ κατ' ἐμὲ ἔτι ἡμίκαυτοι μένουσι. *Græcis vero, qui cum Barbaro pugna-*
B
runt, visum fuit, incensa fana non instaurare, sed in omne ævum sic relinquere, ut odii monumenta essent. ideo Haliartiæ templa; & Junonis, quod est apud Athenienses, in via Phalerica; Cererisque, quod Phaleri; etiam ad nostram ætatem semiusta permansere. Mox Antiopæ monumentum, quod in Urbem ingressis primum occurrebat, idem memorat. Εσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν, ἔστιν Αντιόπης μνῆμα Αμαζόνος. *Urbem ingressis, Antiopæ Amazonis monumentum sese offert.* E Piræeo vero in Urbem ascendentibus, juxta viam est Menandri mo-
C
numentum, & Euripidis cenotaphium. Pausanias, *in Attic. init.* Ανιόντων δὲ ἐκ Πειραιῶς, εἰσὶ τάφοι κατὰ τὴν ὁδὸν γνωριμώτατοι Μενάνδρου τοῦ Διοπείθους, καὶ Ευριπίδου κενόν. *E Piræeo ascendentibus, in via occurrunt sepulcra notissima Menandri, Diopithis filii; & Euripidis, sed hoc vacuum.* Ac Menandri quidem sepulcro Epigramma Diodori hoc inscriptum, quod exstat Anthologiæ *lib.* III. *Tit.* VI.

Βάκχῳ καὶ Μούσῃσι μεμηλότα τὸν Διοπείθους
  Κεκροπίδην ὑπ' ἐμοῦ, ξεῖνε, Μένανδρον ἔχω,
Εν πυρὶ τὴν ὀλίγην ὃς ἔχει κόνιν· ἣν δὲ Μένανδρον
D
  Δίζηαι, δήεις ἐν Διὸς, ἢ μακάρων.

Hic ego Cecropiden natum Diopithe Menandrum,
  Bacchi & Musarum delitias, teneo;
Exiguos cineres: quod si quæsiveris ipsum;
  Cælestum in regno, vel Jovis, invenies.

De Euripidis cenotaphio, Thumæ Magistri etiam locus est, *in ejus vita*. Ετάφη μὲν οὖν ἐν Μακεδονίᾳ, κενοτάφιον δὲ αὐτοῦ Αθήνησι γέγονε. ἐφ' οὗ ἐπέγραψε Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς, ἢ Τιμόθεος ὁ μελοποιὸς, τάδε.
E

Μνῆμα μὲν Ελλὰς ἅπασ' Ευριπίδου, ὀστέα δ' ἴσχει
  Γῆ Μακεδών. ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
Πατρὶς δ' Ελλάδος Ελλὰς Αθᾶναι. πλεῖστα δὲ Μούσας
  Τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Sepultus quidem est in Macedonia, cenotaphiumque ejus Athenis factum est; in quo Thucydides historicus, sive Timotheus poeta lyricus, hæc inscripsit:

Euripidis monumentum est Græcia tota; sed ossa,
  In qua exspiravit, terra tegit Macetum:
F
Patria at Helladis Hellas Athenæ. plurima Musis
  Grata canens, laudes undique nactus habet.

Idque Epigramma extat etiam Anthologiæ *libro citato, cap.* XXV. sed incerto Auctoris nomine. Progressis, non tam longe a porta, aliud sepulcrum erat; cui miles superpositus, equo astans, a Praxitele fabrefactus. Pausanias *in Atticis*. Εστι δὲ τάφος οὐ πόρρω τῶν πυλῶν, ἐπίθημα ἔχων στρατιώτην, ἵππῳ παρεστηκότα. ὃν τινα μὲν οὐκ οἶδα, Πραξιτέλης δὲ καὶ τὸν ἵππον, καὶ τὸν στρατιώτην, ἐποίησεν. *Non procul porta, sepulcrum estat; cui miles est impositus, equo adstans: qui quidem quis sit, equidem ignoro; verum equum, militemque, Praxiteles fecit.* Urbem ingressis, ædificium spectabatur, in quo pompæ parabantur. Pausanias *in Atticis*. Εἰσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν, οἰκοδόμημα ἐς παρασκευήν ἐστι τῶν πομπῶν, ἃς πέμπουσι· τὰς μὲν, ἀνὰ πᾶν ἔτος. τὰς δὲ, καὶ χρόνου διαλείποντος. *In Urbem ingressis, ædificium occurrit, ad pomparum apparatum factum; quarum has, quotannis mittunt: illas, per certa temporis intervalla.* Atque hoc erat, quod Πομπεῖον ex re dictum. Pollux *l.* IX. *c.* V. Ηπου δὲ καὶ Πομπεῖον εἴη ἂν οἴκημα κοινὸν, Δημοσθένους εἰπόντος ἐν τῷ πρὸς Φορμίωνα περὶ δανείου, καὶ ταύταις ἐν τῷ Πομπείῳ διαμετρούμενα. Sed corrupta illic Demosthenis *verba* sic emendo. Καὶ ταῦτα ἴστ' ἐν τῷ Πομπείῳ διαμετρούμενοι. *Sed & Pompeum fuerit domicilium publicum, cum Demosthenes dicat, Orat. in Phormionem, de mutuo: Et hæc scitis, qui in Pompeo dimensi estis.* Oratoris ejus locus, in Oratione ista, ita habet. Οτε δὲ ὁ σῖτος ἐπετιμήθη πρότερον, καὶ ἐγένετο ἑκκαίδεκα δραχμῶν, εἰσαγαγόντες πλείους ἢ μυρίους μεδίμνους πυρῶν, διεμετρήσαμεν ὑμῖν τῆς καθεστηκυίας τιμῆς, πέντε δραχμῶν τὸν μέδιμνον. καὶ ταῦτα πάντες ἴστε, ἐν τῷ Πομπείῳ διαμετρούμενοι. *Cum vero annona coarctata esset, & ad sedecim drachmas pervenisset, invectis amplius decies mille tritici medimnis, dimensi vobis sumus usitato pretio, singulos medimnos quinque drachmis: & hæc omnes nostis, qui in Pompeo dimensi estis.* Diogenes Laertius, *in cognomine Cynico*, lib. VI. Καὶ τοὺς Αθηναίους ἔφασκε, δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν, καὶ Πομπεῖον, αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι. *Et Athenienses, commonstrata Jovis porticu, ac Pompeo, locum sibi præparasse inquiebat, in quo victum habet.* Et statuæ illic clarorum aliquot virorum erant. In his Socratis. Diogenes Laertius, *in ejus Vita, lib.* II. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπείῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου. *Socratem vero ænea statua honorarunt, in Pompeo collocata, a Lysippo artifice facta.* Item Isocratis imago picta. Plutarchus, *in ejus Vita, lib. De* X. *Rhet.* Ην δὲ αὐτοῦ καὶ γραπτὴ εἰκὼν ἐν τῷ Πομπείῳ. *Erat vero ipsius etiam picta imago in Pompeo.* Etiam comœdorum. Plinius *lib.* XXXV. *c.* XI. *Craterus comœdos Athenis in Pompeo pinxit.* Juxta Pompeum, templum Cereris visebatur; in quo simulacrum ipsius, tum Proserpinæ quoquæ filiæ, & tenentis facem Jacchi: in pariete vero inscriptum litteris Atticis, ea Praxitelis opera esse. Pausanias *in Attic.* Καὶ πλησίον, ναός ἐστι Δήμητρος· ἀγάλματα δὲ, αὐτή τε, καὶ ἡ παῖς, καὶ δᾷδα ἔχων Ιακχος. γέγραπται δὲ ἐπὶ τῷ τοίχῳ γράμμασιν Αττικοῖς, ἔργα εἶναι Πραξιτέλους. *In propinquo, fanum est Cereris; signaque in eo tum ipsius, filiæque, & tenentis facem Jacchi: inscriptum autem in pariete litteris Atticis, a Praxitele facta esse.* Non longe porro a Cereris templo, Neptunus erat, equo insidens, & gigantem Polyboten hasta petens; in quem fabula est Coorum, de Chelones promontorio. Pausanias *in Atticis*. Τοῦ ναοῦ δὲ (τῆς Δήμητρος) οὐ πόρρω, Ποσειδῶν ἐστιν ἐφ' ἵππου, δόρυ ἀφιεὶς ἐπὶ γίγαντα Πολυβώτην, ἐς ὃν Κῴοις ὁ μῦθος περὶ τῆς ἄκρας ἔχει τῆς Χελώνης. *Non procul a (Cereris) templo, Neptunus est, equo insidens, & hastam jaciens in gigantem Polyboten; in quem Cois fertur fabula, de Chelones promontorio.*

CAP. III.

Porticus variæ; & ante illas fœminarum, ac virorum illustrium, statuæ. Ex porticibus istis quædam deorum aliquot sacella habebat, & gymnasium Mercurii; in quo variæ ejus dei statuæ erant, unde vulgo ἡ τῶν Ερμῶν στοὰ dicta. Inscriptiones ibi, in honorem eorum, qui bene de rep. meriti. Tonstrina in propinquo, & forum. Polytionis domus. Suidas, & Ery-

xiæ Auctor, ac Dion Chrysostomus, emendati. Ea domus Baccho τῷ Μελπομένῳ *dicata. Vitruvii locus restitutus. Simulacrum Minervæ* τῆς Παιωνίας, *Jovis, Mnemosynes, Musarum, Apollinis, Acrati. Melanthii philosophi hortus; & in eo Lycurgi rhetoris, filiorumque monumenta. Acrati facies, Pisistrati imago a quibusdam existimata. Ædificium, in quo lutea simulacra, cum Amphictyonis, deos alios, item Bacchum, convivio excipientis; tum Pegasi Eleutherensis, qui Athenas Bacchum primus introduxerat; cum in regionem Atticam Icarii tempore advenisset. Porticus* τῶν Θρακῶν; *Aristophanes explicatus:* τῶν ἀλφίτων, *quæ &* Ἀλφιτόπωλις, *a Pericle structa; ubi Helena Zeuxidis erat:* τοῦ Ἀττάλου, *ubi tribunal Imperatoribus Romanorum postea structum.*

A PORTA ad Ceramicum usque porticus variæ; ante quas simulacra ænea fœminarum, & virorum, clariorum. ac porticuum harum una, fana deorum quædam habebat; & gymnasium, quod Mercurii nuncupatum. Pausanias *in Atticis*. Στοαὶ δέ εἰσιν ἀπὸ τῶν πυλῶν ἐς τὸν Κεραμεικὸν, καὶ εἰκόνες πρὸ αὐτῶν χαλκαῖ, καὶ γυναικῶν, καὶ ἀνδρῶν, ὅσοις τι ὑπῆρχε, καὶ ὧν τις λόγος εἰς δόξαν. ἡ δὲ ἑτέρα τῶν στοῶν, ἔχει μὲν ἱερὰ θεῶν. ἔχει δὲ γυμνάσιον, Ἑρμοῦ καλούμενον. *A porta ad Ceramicum, sunt porticus aliquot; & ante ipsas fœminarum, virorumque, quorum aliquod nomen exstat, statuæ æneæ. Una vero e porticibus, habet deorum sacella; & gymnasium, quod Mercurii appellatum.* Et hæc ipsa est, quæ, a Mercurialibus illic statuis, dicta ἡ τῶν Ἑρμῶν, sive, *Mercuriorum*. Meminit Æschines, *Orat. in Ctesiphontem*. Καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ δῆμος τιμὰς μεγάλας, ὡς τότ' ἐδόκει, τρεῖς λιθίνους Ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῇ τῶν Ἑρμῶν. *Deditque ipsis populus magnos honores, ut tunc quidem videbatur, tres Mercurios lapideos constituere in Mercuriorum porticu.* Et simpliciter, οἱ Ἑρμαῖ, sive *Mercurii*. Menecles, sive Callistratus, ἐν τῷ Περὶ Ἀθηνῶν, apud *Harpocrationem*. Ἀπὸ γὰρ τῆς ποικίλης, καὶ τῆς τοῦ βασιλέως στοᾶς, εἰσὶν οἱ Ἑρμαῖ καλούμενοι. διὰ γὰρ τὸ πολλοὺς κεῖσθαι καὶ ὑπὸ ἰδιωτῶν, καὶ ἀρχόντων, ταύτην εἰληφέναι τὴν προσηγορίαν συμβέβηκεν. *A Pœcile, & Regia porticu, sunt Mercurii qui dicuntur; quia enim multi illic dedicati ab hominibus privatis, & magistratibus, usu venit, ut hoc nomine dicerentur.* Andocides *Orat.* Περὶ τῶν μυστηρίων. Τεῦκρος ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς ἐμήνυσεν Εὐκτήμονα. *Teucer, qui in Mercuriis habitat, Euctemonem detulit.* Athenæus *lib.* IV. Ἰκρίον ἔστησε πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς Ἀρισταγόρα, μετεωρότερον τῶν Ἑρμῶν. *Aristagoræ tabulatum posuit ad Mercurios, altius ipsis Mercuriis.* Porphyrius, *De Vita Socratis*, apud Theodoretum, *Therapeut.* XII. Ἦν δὲ καὶ τῶν ἐπιτιμωμένων καὶ τάδε Σωκράτει, ὅτι εἰς τοὺς ὄχλους εἰσωθεῖτο, καὶ τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο πρὸς ταῖς τραπέζαις, καὶ πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς. *Ex iis, quæ Socrati impingebantur, hæc erant; quod in turba alios trudens impulisset, atque ad mensas, & Mercurios, diutius commoratus esset.* Et inscriptiones ibi legebantur, in honorem plurimorum, qui præclare de rep. olim meriti. Hoc Demosthenis illa docent, *Orat. in Leptinem*. Ἔστι τοίνυν τις πρόχειρος λόγος, ὡς ἄρα καὶ παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῶν προγόνων πολλὰ ἀγαθὰ εἰργασμένοι τινὲς, οὐδενὸς ἠξιοῦντο τοιούτου. ἀλλ' ἀγαπητῶς ἐπιγράμματος ἐν τοῖς Ἑρμαῖς ἐτύγχανον. *In promptu est etiam alia ratio; quod apud nos, majorum quoque nostrorum temporibus, quidam se præclare gesserint, qui non ullo tali honore digni habiti; sed, benevolentiæ ergo, inscriptionem in Mercuriis consecuti.* In propinquo, tonstrina erat. Observo apud Lysiam, *in Orat.* Κατὰ Παγκλέωνος. Ἐλθὼν ἐπὶ τὸ κουρεῖον, τὸ παρὰ τοὺς Ἑρμᾶς. *Cum venisset in tonstrinam, quæ ad Mercurios.* Item forum. Mnesimachus *in Hippotropho*, apud Athenæum *lib.* IX. Ἔξω Μάνη στεῖχ' εἰς ἀγορὰν πρὸς τοὺς Ἑρμᾶς, οὗ προσφοιτῶσ' οἱ φύλαρχοι. *Foras, Mane; abi in forum ad Mercurios, quo Tribuni accedunt.* Illud ipsum est sine dubio, quod commemorat Plutarchus, *in Vita Syllæ*. Ἄνευ γὰρ τῶν κατὰ τὴν ἄλλην πόλιν ἀναιρεθέντων, ὁ περὶ τὴν ἀγορὰν φόνος ἐπέσχε πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν. *Nam præter hos, qui alibi per Urbem cæsi, quæ circa forum cædes facta, Ceramicum universum intra Dipylum inundabat.* Erat quoque Polytionis domus, in qua sacra Eleusinia ex Atheniensibus quidam, loci nullo modo infimi, imitati dicebantur. Pausanias, de eadem porticu *in Atticis*. Ἔστι δὲ ἐν αὐτῇ Πολυτίωνος οἰκία, καθ' ἣν παρὰ τὴν ἐν Ἐλευσῖνι δρᾶσαι τελετὴν Ἀθηναίων φασὶν οὐ τοὺς ἀφανεστάτους. *Est in ea Polytionis domus, in qua sacra Eleusinia imitatos ferunt quosdam ex Atheniensibus haud infimi loci.* Designat autem Alcibiadis, Polytionis, & Theodori item factum; quod Plutarchus nobis tradit, *in Alcibiade*. Ἐν δὲ τούτῳ δούλους τινὰς, καὶ μετοίκους, προήγαγεν Ἀνδροκλῆς ὁ δημαγωγὸς, ἄλλων τε ἀγαλμάτων περικοπὰς, καὶ μυστηρίων παρ' οἶνον ἀπομιμήσεις, τοῦ Ἀλκιβιάδου, καὶ τῶν φίλων, κατηγοροῦντας. ἔλεγον δὲ Θεόδωρον μέν τινα δρᾶν τὰ τοῦ κήρυκος, Πολυτίωνα δὲ τὰ τοῦ δᾳδούχου, τὰ δὲ τοῦ ἱεροφάντου τὸν Ἀλκιβιάδην. *Inter hæc Androcles, qui gratia apud populum valebat, servos quosdam, & inquilinos, producebat: qui de statuis aliis dejectis, & per vinum effictis sacris Eleusiniis, Alcibiadem, & amicos item ejus, accusarunt: dicerentque, Theodorum quidem quendam, præconem egisse; Polytionem vero, tædiferum; Alcibiadem, hierophantam.* Et mox, *in Decreto Urbis*. Καὶ (τὸν Ἀλκιβιάδην) ὀνομάζοντα αὐτὸν μὲν ἱεροφάντην, Πολυτίωνα δὲ δᾳδοῦχον, κήρυκα δὲ Θεόδωρον. *Et (Alcibiadem,) qui seipsum hierophantam nominaret; Polytionem, qui tædiferum; qui præconem, Theodorum.* Polytionis domum, & in ea factum Alcibiadis patris, narrat filius, apud Isocratem, *in Orat. De bigis*. Εἰδότες δὲ, τὴν πόλιν τῶν μὲν περὶ τοὺς θεοὺς μάλιστ' ἂν ὀργισθεῖσαν, εἴ τις εἰς τὰ μυστήρια φαίνοιτο ἐξημαρτηκώς· τῶν δ' ἄλλων, εἴ τις τολμῴη τὸν δῆμον καταλύειν· ἀμφοτέρας ταύτας συνθέντες τὰς αἰτίας, εἰσήγγελλον εἰς τὴν βουλὴν, λέγοντες, ὡς ὁ πατὴρ συνάγει μὲν τὴν ἑταιρίαν ἐπὶ νεωτέροις πράγμασιν· οὗτοι δ' ἐν τῇ Πολυτίωνος οἰκίᾳ συνδειπνοῦντες, τὰ μυστήρια ποιήσειεν. *Cum scirent autem, quod deorum cultum attinet, Urbem maxime indignatam, si quis sacra Eleusinia violasset; in cæteris vero, si quis statum popularem abrogare ausus esset: utrumque crimen hoc commenti, retulerunt ad Senatum, patrem meum, ad res novandas cœtus habere; qui quidem in ædibus Polytionis concœnantes sacra Cereris Eleusinæ celebrarent.* Corrigendus incertus Auctor apud Suidam, *in* ἐξωρχησάμην. Ὁ δὲ μεθυσθεὶς, ἐν τῇ οἰκίᾳ Πολυτίωνος τοῦ παρασίτου τὰ μυστήρια ἐξωρχήσατο. *Hic vero ebrius, in Polytionis parasiti domo sacra Cereris Eleusinæ prodidit.* Hodie non recte editur, ἐν τῇ οἰκίᾳ Πουλτίωνος τοῦ π. Domus quoque mentionem, sed non facti Alcibiadis, apud Auctorem *Eryxiæ* habes; sed nec recte Πουλυτίωνος ibi scribitur, geminis locis. Εἰ δέ τις τὴν Πουλυτίωνος οἰκίαν κεκτημένος εἴη, καὶ πλήρης εἴη χρυσίου, καὶ ἀργυρίου, ἡ οἰκία, οὐκ ἂν δεηθείη οὐδενός; *Si quis autem Polytionis domum possideret, eaque auro & argento, plena esset, ideone opus nulla re haberet?* Et postea. Ἐν δὲ Σκύθαις τοῖς Νομάσιν εἴ τις τὴν Πουλυτίωνος οἰκίαν κεκτημένος εἴη, οὐδὲν ἂν πλουσιώτερος δοκοῖ εἶναι, ἢ εἰ παρ' ἡμῖν τὸν Λυκαβηττόν. *Quod si inter Scythas Nomadas domum quispiam Polytionis possideret, nihilo ille locupletior videatur, quam si apud nos Lycabettum.* Utrobique rescribendum, Πολυτίωνος. Corruptum etiam viri nomen apud Dionem Chrysostomum, *Orat.* XVIII. Λέγω δὲ τῶν περὶ Ἀντίπατρον, καὶ Θεόδωρον, καὶ Πλουτίωνα, καὶ Κόνωνα. *Dico autem de Antipatro, Theodoro, Polytione, & Conone.* Rescribe itidem, καὶ Πολυτίωνα, καὶ Κ. Ea domus Pausaniæ tempore in fanum versa, Baccho fa-

crum; qui Μελπόμενος, qua Apollo Μουσηγέτης ratione, dicebatur. Ipse enim mox subjungit *in Atticis*. Ἐπ' ἐμοῦ δὲ ἀνεῖτο (ἡ Πολυτίωνος οἰκία) Διονύσῳ. Διόνυσον δὲ τοῦτον καλοῦσι Μελπόμενον, ἐπὶ τοιῷδε λόγῳ, ἐφ' ὁποίῳ περ Ἀπόλλωνα Μουσηγέτην. *Mea vero ætate dedicata erat (Polytionis domus) Baccho; quem Melpomenum vocant, qua ratione Apollinem Musagetam*. Ecce tibi, in Mercurii ista porticu Bacchi fanum, e Polytionis domo factum, erat. Atque hinc emendandum censeo Vitruvii locum, *lib.* v. *cap.* IX. *Itemque Athenis porticus est Mercurii, patrisque Liberi fanum*. Hodie editur, *porticus Eumenici, patrisque L. f.* Porro in eadem porticu varia simulacra erant, cum Minervæ τῆς Παιωνίας, Jovis item, & Mnemosynes; tum Musarum, & Apollinis, Acratique; cujus facies sola exstabat, in pariete fabricata. Pausanias *ibidem*. Ἐνταῦθά ἐστιν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα Παιωνίας, καὶ Διός, καὶ Μνημοσύνης, καὶ Μουσῶν, Ἀπόλλωνός τε, ἀνάθημα καὶ ἔργον Εὐβουλίδου· καὶ δαίμων τῶν ἀμφὶ Διόνυσον, Ἄκρατος. πρόσωπόν ἐστιν οἱ μόνον, ἐνῳκοδομημένον τοίχῳ. *Est hic Minervæ simulacrum Pæoniæ, & Jovis, & Mnemosynes, Musarumque, & Apollinis; Eubulidis donarium, & opus: tum genius, ex iis, qui in Bacchi comitatu, Acratus. est illi duntaxat facies, in pariete inædificata*. Ad Minervam τὴν Παιωνίαν quod attinet, ex adverso ejus hortus erat Melanthii philosophi; & sepulcra in eo Lycurgi oratoris, ac posterorum, ad Plutarchi usque tempus conservata. Ipse refert, *in Licurgi ejus Vita*, lib. *De* x. *Rhet.* Ἐτάφη δ' αὐτός, καὶ τῶν ἐκγόνων τινές, δημοσίᾳ· καί ἐστιν αὐτῶν τὰ μνήματα ἄντικρυς τῆς Παιωνίας Ἀθηνᾶς, ἐν τῷ Μελανθίου τοῦ φιλοσόφου κήπῳ, τράπεζαι πεποιημέναι, αὐταί τε τοῦ Λυκούργου, καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ, ἐπιγεγραμμέναι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἔτι σωζόμεναι. *Sepultus autem est cum ipse, tum nepotum aliqui, sumptu publico; ac monumenta eorum exstant ex adverso Minervæ Pæoniæ, in Melanthii philosophi horto, mensæ factæ; eæque Lycurgi, ac filiorum ejus, nominibus inscriptæ: nostraque ætate superstites*. Quod ad Acrati faciem attinet, quæ spectari in hac Bacchi æde solita, in pariete fabricata; illa ipsa est, quam Pisistrati imaginem putasse quosdam Athenæus nobis memorat, *lib.* XII. Ὁ δὲ Πεισίστρατος καὶ ἐν πολλοῖς βαρὺς ἐγένετο, ὅπου καὶ τὸ Ἀθήνησιν ἐν Διονύσου πρόσωπον ἐκείνου τινὲς φασὶν εἶναι εἰκόνα. *Pisistratus vero in multis gravis fuit; faciemque in Bacchi Athenis sunt nonnulli qui imaginem ejus dicant*. Retro Bacchi istud templum, ædificium quoddam erat, in quo simulacra e luto; Amphictyon, Baccho, aliisque diis, epulum præbens: tum Eleutherensis Pegasus, qui Athenas primus Bacchum, Icarii tempore in Atticam advenam, introduxit. Pausanias *in Atticis*. Μετὰ δὲ τὸ τοῦ Διονύσου τέμενος, ἔστιν οἴκημα, ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ· βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτύων, ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν, καὶ Διόνυσον· ἐνταῦθα καὶ Πήγασός ἐστιν Ἐλευθερεύς, ὃς Ἀθηναίοις θεὸν εἰσήγαγε. συνεπελάβετο δέ οἱ τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον, ἀναμνῆσαν τὴν ἐπὶ Ἰκαρίου ποτὲ ἐπιδημίαν τοῦ θεοῦ. *A Bacchi fano cella est, in qua multæ e luto statuæ, cum Amphictyonis, deos alios epulo excipientis, item Baccum; tum Eleutherensis Pegasi, qui Atheniensibus deum adduxit: idque ex oraculo Delphico, quo memoria ipsi renovata erat, deum olim Icarii tempore in eorum regionem advenisse*. Atque hæc de una Mercuriorum porticu, quæque in ista, aut juxta, erant. Sed quæ aliæ fuere, quas Pausanias indicat quidem, verum nomina tamen celat? An hic & τῶν Θρακῶν erat? Meminit ejus *Harpocration*. Ὅτι δὲ καὶ Θρακῶν στοά τις ἐλέγετο, δεδήλωκε καὶ Ἀντιφῶν, ἐν τῷ Πρὸς Νικοκλέα. *Quod vero & Thracum quædam porticus nuncupata, manifestum Antiphon fecit, in Oratione in Nicoclem*. Hæc ipsa est, quam designat Aristoph. *in Concion.* v. 641. 642.

> Καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν
> Τὴν βασίλειον δειπνήσοντας. τὸ δὲ θῆτα, τὴν παρὰ ταύτην.

> *Et proclamabit illos, quibus* βῆτα *sorte obvenerit, ad porticum ut sequantur*
> *Regiam cœnaturi; quibus vero* θῆτα, *in illam quæ est proxima*.

Etiamne τῶν ἀλφίτων: inde dicta, quod farinæ ibi venditæ? *Hesychius*. Ἀλφίτων στοά, ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾗ τὰ ἄλφιτα ἐπωλεῖτο. *Farinarum porticus, Athenis; in qua farinæ vendebantur*. Quæ a Pericle exstructa. Aristophanis Scholiastes *Acharnensibus*. Στοᾶς στεναχούσης. τῆς λεγομένης Ἀλφιτοπώλιδος, ἣν ᾠκοδόμησε Περικλῆς. *Gemente porticu; quæ vocata Alphitopolis, (sive dicas Farinarum venditricem,) & a Pericle exstructa est*. Hæc est, quæ Ἀλφιτόπωλις dicitur Aristophani, *in Concion.* v. 643.

> Τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ', εἰς τὴν στοὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν.

> *Quibus vero* κάππα *sorte obvenit, ii ut discedant in porticum farinariam*.

Eratque illic Helena Zeuxidis. Eustathius *ad Iliad.* λ. Ἦν δέ, φασι, καὶ ἀλφίτων στοὰ ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾗ καὶ ἡ τοῦ Ζεύξιδος ἀνέκειτο Ἑλένη. *Erat vero, inquiunt, etiam Farinarum porticus Athenis, in qua item Helena Zeuxidis spectabatur*. Anne item τοῦ Ἀττάλου, ubi tribunal Imperatoribus Romanorum postea structum? Apud Athenæum observo, *lib.* v. Ἀναβὰς οὖν ἐπὶ τὸ βῆμα, τὸ πρὸ τῆς Ἀττάλου στοᾶς, ᾠκοδομημένον τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς, στὰς ἐπὶ τούτου, καὶ περιβλέψας κυκλόθεν τὸ πλῆθος, ἔπειτα ἀναβλέψας· Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἔφη, τὰ πράγματά με βιάζεται, καὶ τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον, ἀπαγγέλλειν ἃ οἶδα. *Cum igitur ascendisset in tribunal, quod ante Attali porticum, exstructum Imperatoribus Romanorum, stans in eo, & circumspectans multitudinem; Viri Athenienses, inquit, rerum præsentium status, & patriæ utilitas, cogunt me, quæ novi, vobis ut denuntiem*.

CAP. IV.

Vulcani templum. Minervæ simulacrum. Carcer publicus. Veneris τῆς Οὐρανίας simulacrum marmoreum, a Phidia factum, ab Ægeo dedicatum; vel, ut alii existimabant, a Porphyrione.

POST commemoratas porticus, offert sese Ceramicus. Pausanias satis clare indicat *in Atticis*. Στοαὶ δέ εἰσιν ἀπὸ τῶν πυλῶν εἰς τὸν Κεραμεικόν. *Porticus vero sunt a porta usque ad Ceramicum*. Sed de hoc seorsim a me libro singulari dictum. Eum vero prætergressis, Vulcani templum occurrebat; cui Mineræ simulacrum assistebat, cum oculis glaucis. Pausanias *ibid.* Ὑπὲρ δὲ τὸν Κεραμεικόν, καὶ στοὰν τὴν καλουμένην βασίλειον, ναός ἐστιν Ἡφαίστου· καὶ ὅτι μὲν ἄγαλμα παρέστηκεν Ἀθηνᾶς, οὐδὲν θαῦμα ἐποιούμην, τὸν ἐπὶ Ἐριχθονίῳ ἐπιστάμενος λόγον· τὸ δὲ ἄγαλμα ὁρῶν τῆς Ἀθηνᾶς, γλαυκοὺς ἔχον τοὺς ὀφθαλμούς, Λιβύων τὸν μῦθον ὄντα εὕρισκον. *Supra Ceramicum, & porticum, quam appellant regiam, templum est Vulcani; cui quod Minervæ simulacrum adstabat, nullo modo sum miratus, cum scirem quæ de Erichthonio feruntur: verum, cum viderem illud oculos cæsios habere, Libyum fabulam esse inveni*. Freculphus commune utrique fuisse ait, *Cron. Tom.* I. *lib.* II. *c.* X. *In templo Vulcani, & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expositus, inventus est, dracone involutus*. To-

tidem verbis Abbas etiam Uspergensis, in suo *Chronico*. Et ante eos Plato, *in Critia*. Τὸ μάχιμον αὐτὸ καθ' αὐτὸ γένος μόνον περὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς Ἡφαίστου τε ἱερὸν κατῳκήκει. *Qui bello apti, soli inter se circum Minervæ Vulcanique templum habitabant*. Augustinus, *De Civit. Dei*, *l.* XVIII. *c.* XII. *In templo Vulcani, & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expositus, inventus est puer, dracone involutus*. Ac videtur carcer publicus ibi fuisse. Ingerit Isocrates, *in Trapezitico*. Προσῆλθεν ἡμῖν, φάσκων, ἕτοιμος εἶναι παραδοῦναι βασανίζειν τὸν παῖδα. ἑλόμενοι δὲ βασανιστὰς, ἀπηντήσαμεν εἰς τὸ Ἡφαίστειον· καὶ ἐγὼ μὲν ἠξίουν αὐτοὺς μαστιγοῦν τὸν ἐκδοθέντα, καὶ στρεβλοῦν, ἕως ἂν τἀληθῆ δόξειεν αὐτοῖς λέγειν. *Accessit ad nos, inquiens, paratum sese puerum quæstioni tradere; itaque, accitis tortoribus, ad Vulcani convenimus. Ac ego quidem cupiebam, ut puer deditus flagellaretur, & torqueretur, donec eum vera dicere existimarent*. Item Andocides, *in Orat.* Περὶ τῶν μυστηρίων. Ἥκων δὲ εἰς ἄστυ, ζητητάς τε ἤδη ᾑρημένους καταλαμβάνει, καὶ μήνυτρα κεκηρυγμένα ἑκατὸν μνᾶς· ἰδὼν δὲ Εὔφημον τὸν Καλλίου, τοῦ Τηλεκλέους ἀδελφὸν, ἐν τῷ χαλκείῳ καθήμενον, ἀναγαγὼν αὐτὸν εἰς τὸ Ἡφαίστειον, λέγει, ἅπερ ὑμῖν ἐγὼ εἴρηκα, ὡς ἴδοι ἡμᾶς ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτί. *In Urbem vero veniens, & quæsitores jam delectos esse comperit, & denuntiatum præconis voce indicinæ præmium centum minas; cum autem Euphemum videret, Calliæ filium, Teleclis fratrem, in officina fabri ærarii considentem, in Vulcani eum ducens, dicit, quæ ego vobis dixi, se nos ea nocte vidisse*. In propinquo templum erat Veneris τῆς Οὐρανίας, ab Ægeo structum; cum & prolem sibi negatam, & sororum calamitatem, ab irata illa dea esse crederet: quanquam Athmonenses dicerent, a Porphyrione rege dedicatum. Habebat vero simulacrum etiam deæ, e lapide Pario, a Phidia factum. Pausanias *in Atticis*. Πλησίον δὲ, ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης Οὐρανίας· πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν· μετὰ δὲ Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ δὲ Φοινίκων Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν· Ἀθηναίοις δὲ κατεστήσατο Αἰγεύς, αὐτῷ τε οὐκ εἶναι παῖδας νομίζων, (οὔπω γὰρ τότε ἦσαν,) καὶ ταῖς ἀδελφαῖς γενέσθαι τὴν συμφορὰν, ἐκ μηνίματος τῆς Οὐρανίας· τὸ δὲ ἐφ' ἡμῶν ἔτι ἄγαλμα, λίθου Παρίου, καὶ ἔργον Φειδίου. δῆμος δέ ἐστιν Ἀθηναίοις Ἀθμονέων, οἳ Πορφυρίωνα, ἔτι πρότερον Ἀκταίου βασιλεύσαντα, τῆς Οὐρανίας φασὶ τὸ παρὰ σφίσιν ἱερὸν ἱδρύσασθαι. *Prope vero, fanum est Veneris Cælestis; quam Assyrii primi hominum coluerunt, post Assyrios e Cypriis Paphrii, & e Phœnicibus Ascalonitæ in Palæstina, a quibus Cytherii didicerunt. Apud Athenienses vero instituit Ægeus, cum, quod liberos non haberet, quippe tunc adhuc improles, & sororum calamitatem a deæ ira evenisse existimaret. Quod vero etiamnum exstat signum, e lapide Pario est, & a Phidia factum. Est autem apud Athenienses populus, Athmonenses; hi Porphyrionem dicunt, qui regnavit ante Actæum, Veneris Cælestis templum, quod apud ipsos, dedicasse*.

CAP. V.

Porticus Ποικίλη. *Mercurius æneus,* Ἀγοραῖος *cognomento, prope portam collocatus: & trophæum, ob Plistarchum profligatum. Mercurius autem, ab Archontibus dedicatus tribubus cunctis, idque quando? Hesychii locus emendatus. Ara juxta, a Callistrato dedicata. Porticus* Ποικίλη, *ante* Πεισιανάκτιος *dicta. Polygnoti, Miconis, & Panæni, in pingenda ea opera. Ac depicti Athenienses primum cum Lacedæmoniis, inde cum Amazonibus pugnantes. Græci quoque, Trojam exscindentes; Ajacis facinus regesque ob id congregati: tum ipse Ajax, & Cassandra; ac Laodice, faciem Elpinices referens. Marathonia pugna; & in ea Platæenses. Harpocrationis error ostensus. Speciatim vero expressi Callimachus, Cynægirus, Echetlus, sive Epizelus; item canis: Datis etiam, & Artaphernes: inde Miltiades, heros Marathon, Heraclidæ contra Eurystheum opem petentes, Theseus tanquam e terra exscendens, Minerva, Hercules, & Butes: Sophocles quoque, citharam tenens; denique Cynægiri statua. Clypei Scionæorum, & Spartanorum, hic suspensi. Occisi ibidem a triginta mille, & quingenti, cives; eaque de re Diogenes Laertius emendatus, ut & Seneca. Et Stoicæ Sectæ a Zenone initium factum. Ante eam circulatores spectabantur. Hadriani Imp. Pœcile.*

INDE ad nobilissimam porticum, quæ Ποικίλη dicebatur, via erat; in qua Mercurius æneus stabat, Ἀγοραῖος appellatus, juxta portam: ad quam trophæum, ab Atheniensibus positum, ob Plistarchum profligatum. Pausanias *in Atticis*. Ἰοῦσι δὲ πρὸς τὴν στοὰν, ἣν Ποικίλην ὀνομάζουσιν ἀπὸ τῶν γραφῶν, ἔστιν Ἑρμῆς χαλκοῦς, καλούμενος Ἀγοραῖος, καὶ πύλη πλησίον. ἔπεστι δέ οἱ τρόπαιον Ἀθηναίων, ἱππομαχίᾳ κρατησάντων Πλείσταρχον, ὃς τῆς ἵππου Κασσάνδρου, καὶ τοῦ ξενικοῦ, τὴν ἀρχὴν, ἀδελφὸς ὢν, ἐπετέτραπτο. *Euntibus ad porticum, quæ Varia dicitur a picturis, Mercurius ex ære occurrit, Forensis dictus, & porta juxta. In hac trophæum Atheniensium, ob devictum pugna equestri Plistarchum, qui, Cassandri frater, equitatum ejus, copiasque auxiliares, ducebat*. Meminit Mercurii hujus Demosthenes etiam, *in Euergum*. Ὡς δὲ τοῦτο εἰπόντος οὐκ ἀπεδίδου, ὕστερον αὐτῷ περιτυχὼν περὶ τὸν Ἑρμῆν, τὸν πρὸς τῇ πυλίδι, προσεκαλεσάμην πρός τε τοὺς ἀποστολέας, καὶ πρὸς τοὺς τῶν νεωρίων ἐπιμελητάς. *Quæ cum dixissem, neque ille redderet, mihique postea ad Mercurium, juxta portulam, occurrisset, ad classis præfectos, & navalium curatores, eum citavi*. Dedicatus autem fuit tribubus, a novem Archontibus. *Harpocration* docet, e Philochoro; ubi citatum Demosthenis locum nobis explicat. Ἑρμῆς ὁ πρὸς τῇ πυλίδι. Δημοσθένης, ἐν τῷ κατ' Εὐέργου, καὶ Μνησιβούλου. Φιλόχορος, ἐν πέμπτῳ Ἀτθίδος, φησίν· ὡς οἱ ἐννέα ἄρχοντες ταῖς φυλαῖς ἀνέθησαν Ἑρμῆν παρὰ τὸν πυλῶνα. *Mercurius, qui ad portulam. Demosthenes, contra Euergum, & Mnesibulum. Philochorus, libro quinto Atthidis, ait; novem Archontes dedicasse tribubus Mercurium, qui ad portam est*. Quæ habes quoque apud *Suidam*. Tribubus autem dedicatus; quia nimirum in foro esset, quod commune civibus omnibus omnium tribuum habebatur. Factum id autem, post Archontem Cebridem. *Hesychius*. Ἀγοραῖος Ἑρμῆς. οὕτως ἐλέγετο ὄντως· καὶ ἀφίδρυτο, Κέβριδος ἄρξαντος, ὡς μαρτυρεῖ Φιλόχορος ἐν τρίτῳ. *Forensis Mercurius, ita revera dicebatur*; (quod nimirum in foro esset collocatus) *ac dicatus ille fuit, postquam Cebris magistratu functus esset: ut Philochorus testatur, libro tertio*. Ita restituo locum illum, qui mendose hodie editur; οὕτως ἐλέγετο ὄντος * καὶ ἀφίδρυτο. Porro juxta ara erat, a Callistrato Aphidnæo rhetore posita. Plutarchus, *in Demosthene*, *lib. Dec. Rhet.* Ἐδεήθη τοῦ παιδαγωγοῦ, ἵνα Καλλιστράτου, τοῦ Ἐμπαίδου, Ἀφιδναίου, ῥήτορος δοκίμου, καὶ ἱππαρχήσαντος, καὶ ἀναθέντος τὸν βωμὸν τῷ Ἑρμῇ τῷ Ἀγοραίῳ, μέλλοντος ἐν τῷ δήμῳ λέγειν, ἀκούσῃ. *Rogavit pædagogum, ut Callistratum, Empædi filium, Aphidnæum, rhetorem insignem, qui præfectus equitum fuerat, & Mercurio Forensi statuam posuerat, apud populum dicturum, audire liceret*. Ipsa porticus, ante Πεισιανάκτιος dicta; mox Ποικίλη, ob picturas illic varias. Isidorus, *Orig. lib.* VIII. *cap.* VI. *Porticus fuit Athenis, quam Pisianactiam appellabant, in qua picta erant gesta sapientum atque virorum fortium historiæ*. Suidas. Πεισιανάκτιος στοὰ, ἥ τις ἀπὸ Πολυγνώτου ζωγράφου Ποικίλη κληθεῖσα. *Pisianactia porticus, quæ a Polygnoto pictore Varia dicta*. Diogenes Laertius, *in Zenone lib.* VII.

Ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ, τῇ καὶ Πεισιανακτίῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τοῦ Πολυγνώτου, Ποικίλῃ. *In porticu Varia, quæ & Pisianactia dicta; verum Varia, a pictura Polygnoti.* Plutarchus, *in Cimone*. Ἐν τῇ Πεισιανακτίῳ τότε καλουμένῃ, Ποικίλῃ δὲ νῦν στοᾷ. *In porticu, quæ tunc Pisianactia, & nunc Varia, appellata*. Inscriptio, quam pæne evanidam vetustate, se legisse in pariete quodam memorat Theodosius Zygomalas, in *Epistola De Periculis Urbis Constantinopolitanæ*.

Ἐκ τῶν πρὸ πολλῶν τῶν λόγων τὴν μητέρα,
Χρυσᾶς Ἀθήνας, τὴν περίβλεπτον πόλιν,
Στοά τις ἤδη ποικίλως κοσμουμένη
Γραφῶν ἐκαλλώπιζεν ἐνηρημένων
Κεχρωσμένη σώμασιν, ἐκπλήττουσά πως
Τῇ στιλπνότητι, Ποικίλη καλουμένη.

Antiquitus matrem inclytam sapientiæ,
Aureas Athenas, illustrem urbem,
Porticus quædam, varie ornata,
Picturarum ornabat excellentium
Colorata corporibus, percellens quodammodo
Splendore, Varia appellata.

Pinxere autem istam varii; inter quos Polygnotus & Micon, præter cæteros memorantur: atque iste quidem, gratis pinxit; hic, mercede. Plinius, *lib.* XXXV. *cap.* IX. *Polygnotus Thasius Athenis porticum, quæ Pœcile vocatur, gratuito; cum partem ejus mercede Micon pingeret*. De Polygnoto, etiam meminit *Harpocration*. Ποικίλην στοὰν ἀνέγραψε (Πολύγνωτος) προῖκα. *Variam porticum pinxit (Polygnotus) gratis*. Et Plutarchus, *in Cimone*. Ὁ δὲ Πολύγνωτος οὐκ ἦν τῶν βαναύσων, οὐδ᾽ ἐπ᾽ ἐργολαβίας ἔγραψε τὴν στοὰν, ἀλλὰ προῖκα, φιλοτιμούμενος τὴν πόλιν. *Non erat e sordidis Polygnotus, nec mercede porticum pinxit, verum gratis: in honorem Urbis*. Item Suidas, ac Diogenes, in *citatis verbis*. In venio & tertium, Panænum, Phidiæ fratrem; qui Marathoniam pugnam pinxit, ut statim di cam. Nunc picturas, age, ipsas videamus. In pri ma parte, Atheniensium in Oenoe expressa acies Lacedæmoniis objecta; non jam pleno prœlio pu gnans, sed pugnare tantum incipiens. Pausanias *in Atticis*. Αὕτη δὲ ἡ στοὰ πρῶτα μὲν Ἀθηναίους ἔχει, τεταγμένους ἐν Οἰνόῃ τῆς Ἀργείας ἐναντία Λακεδαιμονίων· γέγραπται δὲ οὐκ ἐς ἀκμὴν ἀγῶνος, οὐδὲ τολμημάτων ἐς ἐπίδειξιν, τὸ ἔργον ἤδη προῆκον, ἀλλὰ ἀρχομένη τε ἡ μάχη, καὶ ἐς χεῖρας ἔτι συνιόντες. *Habet vero hæc porticus primum Athenienses, in Oenoe Argiva oppositos Lacedæmoniis. picti autem necdum pleno prœlio depugnantes, sed initium tantum pugnæ facientes, atque ad manus devenientes*. In medio pariete, Atheniensium, duce Theseo, cum Amazonibus pugna erat. Pausanias *in Atticis*. Ἐν δὲ τῷ μέσῳ τῶν τοίχων, Ἀθηναῖοι, καὶ Θησεὺς, Ἀμαζόσι μάχονται. *In medio parietum, Athenienses, ac Theseus, cum Amazonibus pugnant*. Respexit Aristophanes, *in Lysistrata v.* 681. 682.

——τὰς δ᾽ Ἀμαζόνας σκόπει,
Ἃς Μίκων ἔγραψεν ἐφ᾽ ἵππων, μαχομένας τοῖς ἀνδράσι.

—— *Amazonas vero specta,*
Quas Micon pinxit in equis, pugnantes cum viris.

Inde pictum Trojæ excidium; conventusque item regum, ob Ajacis facinus: Ajax etiam ipse expressus, & Cassandra, inter cæteras captivas. Pausanias *in Atticis*. Ἐπὶ δὲ ταῖς Ἀμαζόσιν, Ἕλληνές εἰσιν, Ἴλιον ᾑρηκότες· καὶ οἱ βασιλεῖς, ἠθροισμένοι, διὰ τὸ Αἴαντος ἐς Κασσάνδραν τόλμημα. καὶ αὐτὸν ἡ γραφὴ τὸν Αἴαντα ἔχει, καὶ γυναῖκας τῶν αἰχμαλώτων ἄλλας τε, καὶ Κασσάνδραν. *Post Amazonas, Græci picti, Ilio potiti; item reges, congregati, ob Ajacis in Cassandram audax facinus; tum Ajacem quoque ipsum pictura habet, & mulieres captivas alias, ac Cassandram*. Inter fœminas has captivas, etiam Laodice erat, Elpinices faciem referens. Plutarchus, *in Vita Cimonis*. Καὶ γὰρ οὐδ᾽ ἄλλως τὴν Ἐλπινίκην εὔτακτόν τινα γεγονέναι λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς Πολύγνωτον ἐξαμαρτεῖν τὸν ζωγράφον. καὶ διὰ τοῦτο φασὶν ἐν τῇ Πεισιανακτίῳ τότε καλουμένῃ, Ποικίλῃ δὲ νῦν στοᾷ, γράφοντα τὰς Τρῳάδας, τὸ τῆς Λαοδίκης ποιῆσαι πρόσωπον ἐν εἰκόνι τῆς Ἐλπινίκης. *Sed neque alias pudicam fuisse Elpinicen ferunt; quin & Polygnoto pictori sui copiam fecisse: quem idcirco etiam ajunt, in porticu Pisianactia tunc vocata, at nunc Varia, cum Troadas pingeret, Laodices faciem in effigie Elpinices exhibuisse*. In extremo, spectabatur Atheniensium, ac Platæensium, cum Medis pugna, ad Marathonem com missa. Pausanias *in Atticis*. Τελευταῖον δὲ τῆς γραφῆς εἰσὶν οἱ μαχησάμενοι Μαραθῶνι. Βοιωτῶν δὲ, οἱ Πλάταιαν ἔχοντες, καὶ ὅσον ἦν Ἀττικὸν, ἴασιν ἐς χεῖρας τοῖς βαρβάροις· καὶ ταύτῃ μὲν, ἐστὶν ἴσα παρ᾽ ἀμφοτέρων ἐς τὸ ἔργον· τὸ δὲ ἔσω τῆς μάχης, φεύγοντές εἰσιν οἱ βάρβαροι, καὶ ἐς τὸ ἕλος ὠθοῦντες ἀλλήλους· ἔσχαται δὲ τῆς γραφῆς, νῆές τε αἱ Φοίνισσαι, καὶ τῶν βαρβάρων τοὺς ἐσπίπτοντας ἐς ταύτας φονεύοντες οἱ Ἕλληνες. *In extrema pictura, sunt illi, qui ad Marathonem pugnarunt; & e Bœotis, qui Platæam habitant, ac quotquot Attici nominis erant, cum Barbaris congrediuntur. Et hic quidem, par est utrinque ad pugnam capessendam alacritas. In interiore prœlio, fugientes sunt Barbari, & se mutuo in paludem impellentes. Denique in ipso fine, naves Phœnissæ; Barbarique impressionem facientes, occidentes Græci spectantur*. Suidas breviter. Ποικίλη, στοὰ ἐν Ἀθήναις, ἔνθα ἐγράφησαν οἱ ἐν Μαραθῶνι πολεμήσαντες. *Varia, porticus Athenis; ubi picti erant, qui ad Marathonem pugnaverant*. Scholiastes Gregorii Nazianzeni non sat meminisse videtur, Marathoniane pugna, an Salaminia, illic picta. Ita enim ait, *ad Orat. in Julianum* I. Τῆς στοᾶς, ἡ καὶ Ποικίλη ἐλέγετο, διὰ τὰ ἐν αὐτῇ γεγραμμένα, οἷον, ἡ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχία, ἢ τὰ περὶ Μαραθῶνα. *Porticus, quæ etiam varia appellata, propter ea, quæ depicta illic erant; ut navalis apud Salaminem pugna, aut quæ gesta ad Marathonem*. Persius, *Sat.* II. *v.* 52. 53.

Haud tibi inexpertum, curvos deprendere mores;
Quæque docet sapiens, braccatis illita Medis,
Porticus. ——

Quod ad pictos illic etiam Platæenses, a Demosthene item traditur, *Orat. in Neæram*. Πλαταιεῖς γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνοι τῶν Ἑλλήνων ὑμῖν ἐβοήθησαν Μαραθῶνάδε, ὅτε Δάτις, ὁ βασιλέως Δαρείου στρατηγὸς, ἀναχωρῶν ἐξ Ἐρετρίας, Εὔβοιαν ἐφ᾽ ἑαυτῷ ποιησάμενος, ἐπέβη εἰς τὴν χώραν πολλῇ δυνάμει, καὶ ἐπόρθει· καὶ ἔτι καὶ νῦν τῆς ἀνδραγαθίας αὐτῶν ὑπόμνημα ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ γραφὴ δεδήλωκεν. *Platæenses enim, o Athenienses, soli Græcorum vobis ad Marathonem suppetias tulerunt, cum Datis, qui regis Darii copias ducebat, ex Eretria discedens, subacta Eubœa, cum magna manu regionem est ingressus, ac populatus. eorumque fortitudinis monumentum etiamnum pictura ostendit, quæ in porticu Varia conspicitur*. Neque recte Oratorem eo nomine reprehendit *Harpocr.* istis verbis. Διαμαρτάνει Δημοσθένης, ἐν τῷ Κατὰ Νεαίρας, λέγων, Πλαταιέας γεγράφθαι ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ· οὐδεὶς γὰρ τοῦτο εἴρηκεν. *Errat Demosthenes, in Orat. in Neæram, dicens, pictos fuisse in porticu Varia Platæenses; neque enim hoc quisquam dixit*. In pictura autem

ista pugnantes inter Græcos eminebant Callimachus, Miltiades, & Echetlus heros. Pausanias *in Atticis*. Τῶν μαχομένων δὲ δῆλοι μάλιστά εἰσιν ἐν τῇ γραφῇ, Καλλίμαχός τε, ὃς Ἀθηναίοις πολεμαρχεῖν ᾕρητο, καὶ Μιλτιάδης τῶν στρατηγούντων, ἥρως τε Ἐχετλος καλούμενος, οὗ καὶ ὕστερον ποιήσομαι μνήμην. *Ex pugnantibus maxime conspicui sunt in pictura Callimachus, qui primus Atheniensibus polemarchus fuit; atque ex ducibus, Miltiades: tum Echetlus heros, cujus etiam postea mentionem faciam.* Sed legendum esse, ἥρως τε Ἐχετλαῖος καλούμενος, infra ostendo, *lib.* IV. *cap.* VIII. Ælianus illic Epizelum ponit; tum præterea, omisso Miltiade, Cynægirum memorat; & canem, qui cum hero quam fortissime depugnasset. Locus est *Hist. Anim.* lib. VII. cap. XXVIII. Συστρατιώτην δέ τις Ἀθηναῖος ἐν τῇ μάχῃ, τῇ ἐν Μαραθῶνι, ἐπήγετο καὶ κύνα. καὶ ἐν γραφῇ εἴκασται ἐν τῇ Ποικίλῃ ἑκάτερος, μὴ ἀτιμασθέντος τοῦ κυνὸς, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τοῦ κινδύνου μισθὸν εἰληφότος, ὁρᾶσθαι σὺν τοῖς ἀμφὶ τὸν Κυναίγειρον, καὶ Ἐπίζηλόν τε, καὶ Καλλίμαχον. *Commilitonem vero Atheniensis quidam in pugnam Marathoniam adduxerat canem. & in pictura, quæ in Varia, uterque expressus. nec contemtui canis fuit, sed præmium pro periculo retulit, ut cum Cynægyro, Epizelo, & Callimacho, spectaretur.* Deinde addit, Miconis hanc picturam fuisse; vel, ut alii, Polygnoti. Ἐστι δὲ καὶ οὗτοι, καὶ ὁ κύων, Μίκωνος γράμμα· οἱ δὲ, οὐ τοῦτο, ἀλλὰ Θασίου Πολυγνώτου φασί. *Illi vero, ut & canis, a Micone sunt picti; vel, quemadmodum aliis placet, a Polygnoto Thasio.* Plinius e Barbaris addit Datim quoque, & Artaphernem; aitque, Panæni picturam fuisse, Phidiæ fratris. Verba ecce, *lib.* XXXV. *cap.* VIII. *Panænus quidem, frater Phidiæ, etiam prœlium Atheniensium adversus Persas, apud Marathona factum, pinxit. Adeo jam colorum usus percrebuerat, adeoque ars perfecta erat, ut in eo prœlio iconicos duces pinxisse tradatur, Atheniensium Miltiadem, Callimachum, Cynægirum; Barbarorum Datim, & Artaphernem.* Miltiades autem, honoris ergo, hic primus pictus, milites cohortantis specie. Æschines, *Orat. in Ctesiphontem*. Προσέλθετε οὖν τῇ διανοίᾳ καὶ εἰς τὴν στοὰν τὴν Ποικίλην. ἐνταῦθα ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη γέγραπται. τίς οὖν ἦν ὁ στρατηγός; Μιλτιάδης. ἐκεῖ δὲ οὐκ ἐπιγέγραπται· ἀλλ᾽ αἰτοῦντι τοῦ ὀνόματος συνεχώρησεν (ὁ δῆμος) αὐτῷ πρώτῳ γραφῆναι, παρακαλοῦντι τοὺς στρατιώτας. *Cogitate igitur porticum Variam. hic depicta est pugna illa Marathonia. at quis illic copiarum dux? Miltiades. quanquam illic nomen non adscriptum legitur; sed pro nomine dedit (populus) uti primus pingeretur, milites cohortantis specie.* Æmilius Probus, *in Miltiade c.* VI. *Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam, liberavit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile appellatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, prœliumque committeret.* Ac Panæni quidem picturam fuisse, quod Plinius ait, etiam Pausanias refert *Eliac.* I. Πάναινος μὲν δὴ οὗτος ἀδελφός τε ἦν Φειδίου, καὶ αὐτοῦ καὶ Ἀθήνησιν ἐν Ποικίλῃ τὸ Μαραθῶνι ἔργον ἐστὶ γεγραμμένον. *Panænus quidem iste & Phidiæ frater erat, & ipsius est Athenis in Varia porticu pictura, prœlium ad Marathonem.* Præterea picti ibi a Pamphilo Heraclidæ, cum Alcmena, opem ab Atheniensibus, contra Eurystheum, implorantes. Respexit isthuc Aristophanes, *in Pluto v.* 370. *&c.*

Ὁρῶ τιν᾽, ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον,
Ἱκετηρίαν ἔχοντα, μετὰ τῶν παιδίων,
Καὶ τῆς γυναικός· κοὐ διοίσοντ᾽ ἄντικρυς
Τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ᾽ ὁτιοῦν, τῶν Παμφίλου.

Video quendam, in tribunali sedentem,
Olivæ ramum tenentem, cum liberis,
Et uxore; quem si conferas; nihil differet
Ab Heraclidis omnino, quos Pamphilus pinxit.

Ad quem locum *Scholiastes*. Εὐρυσθεὺς, μετὰ θάνατον Ἡρακλέους, τοὺς Ἡρακλείδας ἐδίωξε. καὶ οὗτοι, μετὰ τῆς Ἀλκμήνης, παρεκάλεσαν τοὺς Ἀθηναίους βοηθῆσαι αὐτοῖς, ὅπερ καὶ ἐγένετο. τὰ οὖν συμβάντα αὐτοῖς ζωγράφος τις, Πάμφιλος Ἀθηναῖος, εἰς τὴν στοὰν τῶν Ἀθηναίων ἔγραψε, καὶ αὐτοὺς ἱκετεύοντας. *Eurystheus, defuncto Hercule, Heraclidas persequebatur; illi autem, cum Alcmena, implorantes Athenienses, ut suppetias ipsis ferrent, obtinuerunt: pictor vero quidam, Pamphilus Atheniensis, & quæ evenissent iis, item ipsos supplicantes, in Porticu pinxit.* Heros quoque illic Marathon pictus erat, a quo datum campo nomen; item Theseus, tanquam qui e terra ascenderet: & Minerva, Herculesque. Pausanias *in Atticis*. Ἐνταῦθα καὶ Μαραθὼν γεγραμμένος ἐστὶν ἥρως, ἀφ᾽ οὗ τὸ πεδίον ὠνόμασται· καὶ Θησεὺς, ἀνιόντι ἐκ γῆς εἰκασμένος· Ἀθηνᾶ τε, καὶ Ἡρακλῆς. *Hic & Marathon heros pictus, a quo campus nominatus; item Theseus, ascendenti e terra similis: tum Minerva, Herculesque.* Etiam Butes; ita pictus, ut caput tantum, oculique, spectarentur, cætera monte, qui objectus, tegerentur: unde & de rebus cito absolutis, natum proverbium, Θᾶττον ἢ Βούτης. Zenobius, *Cent.* IV. *Proverb.* XXVIII. Θᾶττον ἢ Βούτης. Τῶν ἐπὶ τῇ στοᾷ μαχομένων τίς ἦν, ᾧ ἐπεγέγραπτο, Βούτης. οὗ ἐφαίνετο τὸ κράνος, καὶ οἱ ὀφθαλμοί. τὰ δὲ λοιπὰ μέλη ἐδόκει ὑπὸ τοῦ ὄρους, ἐφ᾽ οὗ ἐβεβήκει, κρύπτεσθαι, διὰ τὸ προκεῖσθαι αὐτοῦ. τάσσεται οὖν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ῥᾳδίως συντελουμένων. καὶ γὰρ ὁ Βούτης ῥᾳδίως κατεσκεύαστο ἅτε οὐχ ὁλοκλήρου τοῦ σώματος γεγραμμένου. *Citius quam Butes. Inter pugnantes in Porticu pictus erat quidam, cui inscriptum erat, Butes; cujus caput, oculique apparebant: cætera monte, unde eminebat, occultari videbantur. Usurpatur igitur proverbium, de iis, quæ cito absolvuntur; quippe Butes facile pictus, non expresso toto corpore.* Habes quoque apud *Hesychium*, *Lucilium Tarrhæum*, & *Suidam*. Porro & Sophocles illic pictus, citharam tenens. Scholiastes, *in ejus Vita*. Καὶ κιθάραν (ὁ Σοφοκλῆς) ἀναλαβὼν, ἐν μόνῳ τῷ Θαμύριδι ποτὲ ἐκιθάρισεν. ὅθεν καὶ ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ μετὰ κιθάρας αὐτὸν γεγράφθαι φασί. *Et cithara sumpta (Sophocles) in solo Thamyride aliquando ea cecinit; unde & in Varia porticu cum cithara pictum ipsum ferunt.* Ac picturas istas omnes, quæque aliæ ibidem erant a Polygnoti celebri manu, cum Athenæ in Romanorum potestatem pervenissent, mox Proconsul inde abstulit. Synesius, *Epist.* CXXXV. Καὶ, νὴ Δία, τὴν Ποικίλην στοὰν, τὴν ἐπώνυμον τῆς Χρυσίππου φιλοσοφίας, νῦν οὐκέτ᾽ οὖσαν ποικίλην· ὁ γὰρ ἀνθύπατος τὰς σανίδας ἀφείλετο, αἷς ἐγκατέθετο τὴν τέχνην ὁ ἐκ Θάσου Πολύγνωτος. Præter picturas, inter quas Cynægiri fuisse dixi, statua quoque ejusdem ænea, sine manibus, multo post erecta fuit. Accipio ex Luciano, *in Demonacte*. Πρὸς δὲ τῇ Ποικίλῃ ἀνδριάντα ἰδὼν, τὴν χεῖρα ἀποκεκομμένην, ὀψέ ποτ᾽ ἔφη Ἀθηναίους εἰκόνι χαλκῇ τετιμηκέναι τὸν Κυναίγειρον. *Cum ad Pœcilen videret statuam, manu mutilam, sero ait Athenienses Cynægirum statua ænea honorasse.* Clypei quoque isthic affixi, Scionæorum manubiæ, ac sociorum; aliique, pice obliti, contra temporis injuriam, de Spartanis, in Sphacteria insula captis, reportati. Pausanias *in Atticis*. Ἐνταῦθα ἀσπίδες κεῖνται χαλκαῖ· καὶ ταῖς μὲν, ἐστὶν ἐπίγραμμα, ἀπὸ Σκιωναίων, καὶ τῶν ἐπικούρων, εἶναι. τὰς δὲ, ἐπαληλιμμένας πίσσῃ, μὴ σφᾶς ὅ τε χρόνος λυμήνηται, καὶ ὁ ἰὸς, Λακεδαιμονίων εἶναι λέγεται, τῶν ἁλόντων ἐν τῇ Σφακτηρίᾳ νήσῳ. *Eodem in loco clypei ænei affixi; & hos quidem, inscriptio dicit, esse Scionæorum, sociorumque: illos vero, pice illitos, ne injuria tem-*

poris consumerentur, ac quæ alia Spartanorum esse dicunt, qui in insula Sphacteria capti. Ac quod Spartanorum illic clypeos attinet, meminit eorum quoque Dion Chrysostomus, *De Regno Orat.* II. Οὐκοῦν οὐδὲ Ἀθηναίους, ἔφη, ζηλῶ τῆς δαπάνης, καὶ πολυτελείας, τῆς περὶ τὴν πόλιν, καὶ τὰ ἱερὰ, ὅσον τῶν ἔργων, ἃ ἔπραξαν οἱ πρότερον· τὸν ἀκινάκην τοῦ Μαρδονίου, πολὺ σεμνότερον, καὶ κρεῖττον, ἀνάθημα ἔχουσαν· καὶ τὰς Λακώνων ἀσπίδας. *Quapropter neque tantum felices puto Athenienses propter sumptum, & magnificentiam, circa urbem suam, ac templa; quantum propter res, præclare a majoribus ipsorum gestas: per quas Urbs Mardonii acinacem consecuta est, donarium præstantius multo, & augustius: tum Laconum quoque scuta.* Cæsi hic etiam a Triginta mille quadringenti cives. Diogenes Laertius, *in Zenone Cittiensi, lib.* VII. *c.* X. ubi de porticu ista agit. Ἐπὶ γὰρ τῶν τριάκοντα, τῶν πολιτῶν πρὸς τοὺς χιλίους τετρακοσίους ἀνῄρηντο ἐν αὐτῷ. *Nam sub Triginta, e civibus mille quadringenti hic interfecti.* Quæ, hinc petita, etsi dissimulato Auctore, ut solet fere, tradit nobis etiam Suidas, *in* Στωϊκοί. Quanquam, de cæsorum numero, mendum sane esse existimo; nam Isocrates, quo vivente res hæc gesta, mille quingentos commemorat, *in Areopagitico suo.* Οἱ μὲν γὰρ (τριάκοντα,) ψηφίσματι παραλαβόντες τὴν πόλιν, πεντακοσίους μὲν καὶ χιλίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτους ἀπέκτειναν. *Nam illi quidem, (Triginta tyranni,) ex senatusconsulto summa rerum potiti, mille & quingentos cives indicta causa occiderunt.* Et Æschines, cujus ætate facinoris istius recens adhuc memoria erat, *De falsa legatione.* Καὶ τῆς δημοκρατίας τοῖς τριάκοντα ἀφεμένους, οἱ χιλίους καὶ πεντακοσίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτους ἀπέκτειναν. *Et populi auctoritate ad triginta tyrannos translata, qui mille quingentos cives indicta causa occiderunt.* Itaque pro τετρακοσίους, apud *Dionem,* πεντακοσίους rescribendum esse censeo. Corruptus quoque in re eadem Senecæ locus, *De tranquillitate animi cap.* III. *Nunquid potes invenire urbem miseriorem, quam Atheniensium fuit, cum illam triginta tyranni divellerent? mille trecentos cives, optimum quemque, occiderant: nec finem ideo faciebat, sed irritabat se ipsa, sævitia.* Omnino itidem reponendum; *mille quingentos cives.* Origo mendi e confusione numerorum; & librarii negligenter, uti solent in his talibus, CCC. pro CCCCC. exararunt. Denique, quod non omittendum, hic initium Sectæ suæ fecit Zeno; quique ipsum sequebantur, cum Ζηνώνειοι dicerentur, postea Στωϊκοί appellati. Diogenes Laertius, *loco citato.* Ἀνακάμπτων δὲ, ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ, τῇ καὶ Πεισιανακτίῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τοῦ Πολυγνώτου Ποικίλῃ, διετίθετο τοὺς λόγους, βουλόμενος καὶ τὸ χωρίον ἀπερίστατον ποιῆσαι. Ἐπὶ γὰρ τῶν τριάκοντα, τῶν πολιτῶν πρὸς τοὺς χιλίους τετρακοσίους ἀνῄρηντο ἐν αὐτῷ. προσῄεσαν δὲ λοιπὸν ἀκούοντες αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο Στωϊκοὶ ἐκλήθησαν καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ὁμοίως πρότερον Ζηνώνειοι καλούμενοι. *Reflectens vero, in porticu Varia, quæ Pisianactia primum, posteaque a pictura Polygnoti Varia dicta, scholam instituit, cupiens locum illum a cladibus deinceps liberum efficere: quippe pridem sub Triginta, mille quadringenti cives istic cæsi. atque in posterum huc discipuli ad audiendum accedebant; ideoque Stoici dicti etiam, qui ab ejus nomine antea Zenonii appellabantur. Suidas.* Ζήνων, Μνασέου, ἢ Δημέου, Κιττιεύς· πόλις δέ ἐστι Κύπρου τὸ Κίττιον· φιλόσοφος, ὃς ἦρξε τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως. ἐπεκλήθη δὲ καὶ αὐτὸς, διὰ τὸ ἐν τῇ στοᾷ, τῇ ἐν Ἀθήναις, διδάξαι αὐτόν· ἥτις πρῶτον μὲν. Πεισιανάκτιος, ὕστερον δὲ ζωγραφηθεῖσα Ποικίλη ἐκλήθη. *Zeno, Mnaseæ, aut Demiæ, filius, Cittiensis; (est vero Cittium urbs Cypri) philosophus, qui princeps fuit Sectæ Stoicæ. Cognominatus autem & ipse Stoicus, quod Athenis doceret, in porticu, quæ initio Pisianactia, postea, quia picta esset, Varia appellata fuit.* Hinc *sapiens porticus* dicitur Persio, *in citatis ante verbis.*

> *Quæque docet sapiens, braccatis illita Medis,*
> *Porticus.* ——

Quin Στοὰ simpliciter, & quasi κατ' ἐξοχὴν, dicta hæc Ποικίλη. Plutarchus, *De Exilio.* Ἐπὶ τοὺς σοφοὺς ἐλθὲ, καὶ τὰς σοφὰς Ἀθήνησι σχολὰς, καὶ διατριβὰς, ἀναπέμπασαι, τὰς ἐν Λυκείῳ, τὰς ἐν Ἀκαδημίᾳ, τὴν Στοὰν, τὸ Παλλάδιον. *Ad sapientes ito; & reputa scholas, ac gymnasia, sapientiæ; quæ in Lyceo, aut Academia: tum porticum etiam, & Palladium.* Ita *Porticus* apud Senecam, *De Benef.* lib. VI. cap. XI. *Ad quærendum, & accersendum, ex Academia Platonem, duos pueros misi; alter totam porticum perscrutatus est.* Præterea Στοὰ ut pro loco, sic pro Secta quoque capitur. Athenæus, *lib.* VIII. Ζήνων δ' ὁ Κιττιεὺς, ὁ τῆς Στοᾶς κτίστης. *Zeno vero Cittiensis, porticus conditor.* Theophylactus Simocatta, *Quæst. Phys.* I. Ὁ Περίπατος, πρὸς τὴν Στοὰν ἔχει τὴν ἅμιλλαν· ἡ Στοὰ, τοῖς Πυθαγορείοις συμπλέκεται. *Peripatus, cum porticu contendit; porticus, cum Pythagoreis certat.* Gregorius Nazianzenus, *in Julianum Orat.* I. Ταῦτα Πλάτωνες αὐτὸν, καὶ Χρύσιπποι, καὶ ὁ λαμπρὸς περίπατος, καὶ ἡ Στοὰ, καὶ οἱ τὰ κομψὰ λαρυγγίζοντες, ἐξεπαίδευσαν. *Hæc ipsum Platones, & Chrysippi, & gravis Peripatus, porticusque, & qui scita sonoro gutture protulerunt, docuere.* Apollonius Alexandrinus, *De Syntaxi, lib.* III. Διὸ καὶ τὰ τοιαῦτα οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἐλάττονα κατηγορήματά φασιν. *Ideoque hæc talia qui e porticu minora prædicata vocant.* Et occurrit pluries tum apud illum, in eo Opere, tum apud alios Auctores. Sic *Porticus* apud Ciceronem, *Acad. Quæst. lib.* IV. *Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem ad nihil aliud natum esse, quam ad honestatem.* Ante hanc porticum, statuæ Solonis erant, & Lycurgi. Pausanias *in Attic.* Ἀνδριάντες δὲ χαλκοῖ κεῖνται πρὸ μὲν τῆς στοᾶς, (τῆς Ποικίλης,) Σόλων, ὁ τοὺς νόμους Ἀθηναίοις γράψας· ὀλίγον δὲ ἀπωτέρω, Σέλευκος. *Ante porticum quidem (Variam) statuæ sunt ex ære positæ, Solonis, qui leges Atheniensibus scripsit; & paullo longius, Lycurgi.* Et ibidem circulatores artem suam exercebant. Apulejus indicat, *Miles.* I. *Et tamen Athenis proximo, ante Pœcilen porticum, isto gemino obtutu circulatorem aspexi, equestrem spatham, præacutam mucrone infesto, devorasse: ac mox eundem, invitamento exiguæ stipis, venatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima viscera condidisse.* Illud quoque obiter hic admonendum, fuisse & Pœcilen dictum ab Hadriano Imp. locum quendam, in villa sua Tiburtina. Spartianus, *in ejus Vita c.* XXVI. *Tiburtinam villam mire exædificavit; ita ut in ea & provinciarum, & locorum, celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen.*

CAP. IV.

Πτολεμαῖον, gymnasium. Statuæ illic, Mercurii, e lapide; Ptolemæi, Jubæ, & Chrysippi, ex ære: Berosi, cum lingua inaurata. Thesei templum, & ejus pictura; Atheniensium cum Amazonibus, & Centaurorum cum Lapithis, pugna. Quando autem dedicatum? Magistratus quidam illic forte a Thesmothetis lecti. Thesei etiam templa plura; mox ad quatuor revocata, ab ipso Theseo: cætera Herculi donata, & Ἡράκλεια appellata. Unum, in Urbe; juri quoque dicundo locus, asylum, & carcer; alterum, ad murum longum: cætera ubi sita, incertum.

INDE forum commemoratur a *Pausania*, novum nempe; quippe vetus, in Ceramico vise-

batur: ut ostendi libro de eo singulari, *cap.* XVI. Prope hoc, gymnasium erat; Πτολεμαῖον appellatum, a conditore: in quo statuæ Mercurii plures erant, e lapide; Ptolemæi, Jubæ, & Chrysippi, ex ære. Pausanias *in Atticis*. Ἐν δὲ τῷ γυμνασίῳ, τῆς ἀγορᾶς ἀπέχοντι οὐ πολὺ, Πτολεμαίου δὲ ἀπὸ τοῦ κατασκευασαμένου, λίθοι τέ εἰσιν Ἑρμαῖ, θέας ἄξιοι· καὶ εἰκὼν Πτολεμαίου χαλκῆ, καὶ ὅ τε Λίβυς Ἰόβας ἐνταῦθα κεῖται, καὶ Χρύσιππος ὁ Σολεύς. *In gymnasio vero, quod non longe a foro abest, & a conditore suo Ptolemæjum nominatur, sunt Mercurii e lapide signa, visu digna; & ex ære Ptolemæi, Jubæ, ac Chrysippi Solensis, statuæ*. Meminit ejus Cicero, *De Fin.* lib. V. in ipso initio. *Cum audivissem Antiochum, Brute, ut solebat, cum M. Pisone, in eo gymnasio, quod Ptolemæjum vocatur*. Forsan & Berosi ibidem erat statua, cum lingua aurata; de qua Plinius, *lib.* VII. *cap.* XXXVII. *Astrologia (enituit) Berosus; cui, ob divinas prædictiones, Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuere*. Sed incertum; neque dixerim, an hoc ipsum sit gymnasium, quod Demosthenes intelligit, *in Orat.* De Corona. Ἐδίδασκε παρ' Ἐλπίᾳ, τῷ πρὸς τῷ Θησείῳ διδάσκοντι γράμματα. *Serviebat apud Elpiam, literas docentem juxta Thesei fanum*. Apollonius Grammaticus, *in Æschinem*. Καὶ παῖδας ἔχοντα, διδάσκειν γράμματα πρὸς τῷ Θησείῳ. *Liberosque habentem, docere literas ad Thesei fanum*. Plutarchus, *extremo Theseo*. Καὶ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει, (ὁ Θησεὺς,) παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον. *Et jacet (Theseus) in media Urbe, juxta quod nunc est gymnasium*. Nam, ut vides, prope erat Thesei templum; & Pausanias confirmat, istis verbis, *in Atticis*. Πρὸς δὲ τῷ γυμνασίῳ, Θησέως ἐστὶν ἱερόν. *Juxta gymnasium vero, erat Thesei fanum*. In hoc autem spectabatur depictum prœlium Atheniensium contra Amazonas, & Centaurorum contra Lapithas; inter quos Centaurum interficiens Theseus, cum inter alios æquo Marte decertari videretur: quæ vero in tertio pariete picta, minus clara, rei gestæ minus gnaris; partim vetustatis culpa, quæ permulta abolevisset; partim Miconis pictoris, qui non omnia expressisset. Pausanias, ubi hoc describit, *in Atticis*. Γραφαὶ δέ εἰσι, πρὸς Ἀμαζόνας Ἀθηναῖοι μαχόμενοι. πεποίηται δέ σφισιν ὁ πόλεμος οὗτος καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ἐπὶ τῇ ἀσπίδι, καὶ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς ἐπὶ τῷ βάθρῳ. γέγραπται δὲ ἐν τῷ τοῦ Θησέως ἱερῷ καὶ ἡ Κενταύρων καὶ ἡ Λαπιθῶν μάχη. Θησεὺς μὲν οὖν ἀπεκτονώς ἐστιν ἤδη Κένταυρον, τοῖς δὲ ἄλλοις ἐξ ἴσου καθέστηκεν ἔτι ἡ μάχη. τὰ δὲ τρίτου τοῦ τοίχου ἡ γραφὴ, μὴ πυθομένοις ἃ λέγουσιν, οὐ σαφής ἐστιν· τὰ μέν που, διὰ τὸν χρόνον· τὰ δὲ, Μίκων οὐ τὸν πάντα ἔγραψε λόγον. *Picturæ sunt, cum Amazonibus pugnantes Athenienses; quod quidem bellum expressum est ab ipsis in Minervæ quoque clympeo, & Olypii Jovis basi. in fano Thesei picta item Centaurorum cum Lapithis pugna; in qua Theseus quidem jam Centaurum interfecisse conspicitur, cæteris adbuc æquo Marte dimicantibus. quæ pictura in pariete tertio exstat, iis, si qui rem ignorant, est obscura; partim temporis injuria, partim Miconis, qui rem omnem, uti fertur, non depinxit*. Dedicatum vero hoc templum, non multo post occupatum a Medis Marathonem; quo tempore Cimon, Miltiadis filius, Thesei mortem ultus, Scyrum evertit, & Athenas ossa ejus reportavit. Pausanias *in Atticis*. Ὁ μὲν Θησέως σηκὸς Ἀθηναίοις ἐγένετο ὕστερον ἢ Μῆδοι Μαραθῶνα ἔσχον, Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου Σκυρίους ποιήσαντος ἀναστάτους, δίκην δὲ τοῦ Θησέως θανάτου, καὶ τὰ ὀστᾶ κομίσαντος ἐς Ἀθήνας. *At Thesei fanum factum est ab Atheniensibus postquam Medi Marathonem occupassent, & Cimon, Miltiadis filius, Scyro eversa, Theseique mortem ultus, ossa Athenas reportasset*. Et fuse Plutarchus, *in Vita Thesei*. Χρόνοις δὲ ὕστερον Ἀθηναίους ἄλλα τε παρέστησεν ὡς ἥρωα τιμᾶν Θησέα, καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι πρὸς Μήδους μαχομένων ἔδοξαν οὐκ ὀλίγοι φάσμα Θησέως ἐν ὅπλοις καθορᾶν πρὸ αὐτῶν, ἐπὶ τοὺς βαρβάρους φερόμενον. μετὰ δὲ τὰ Μηδικὰ, Φαίδωνος ἄρχοντος, μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία, τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀστᾶ, καὶ θεμένους ἐντίμως παρ' αὐτοῖς φυλάττειν. ἦν δὲ λαβεῖν ἀπορία, καὶ γνῶναι τὸν τάφον, ἀμιξίᾳ, καὶ χαλεπότητι, τῶν ἐνοικούντων βαρβάρων. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Κίμων, ἑλὼν τὴν νῆσον, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται, καὶ φιλοτιμούμενος ἐξανευρεῖν, ἀετοῦ τινὰ τόπον βουνοειδῆ κόπτοντος, ὥς φασι, τῷ στόματι, καὶ διαστέλλοντος τοῖς ὄνυξι, θείᾳ τινὶ τύχῃ συμφρονήσας, ἀνέσκαψεν. εὑρέθη δὲ θήκη τε μεγάλου σώματος, αἰχμή τε παρακειμένη χαλκῆ, καὶ ξίφος. κομισθέντων δὲ τούτων ὑπὸ Κίμωνος ἐπὶ τῆς τριήρους, ἡσθέντες οἱ Ἀθηναῖοι, πομπαῖς τε λαμπραῖς ἐδέξαντο, καὶ θυσίαις, ὥσπερ αὐτὸν ἐπανερχόμενον εἰς τὸ ἄστυ. καὶ κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει, παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον. *Posterioribus temporibus inter alia visum est Atheniensibus, ut heroem colere Theseum; nec pauci ex iis, qui cum Medis ad Marathonem depugnabant, visi sibi speciem Thesei in armis videre ante ipsos, in hostes irruentem. Post bellum Medicum, cum oraculum Atheniense consuluissent, respondit Pythia, ut referrent ossa Thesei, conditaque honorifice asservarent. Sed recipere hæc difficile, ac sepulcrum etiam nosse; quia inhospitales essent, & feroces, qui inhabitabant, Barbari. Verum Cimon, capta insula, ut in ejus Vita retuli, cum inveniendi studio duceretur, aquila clivosum locum rostro suo verberante, unguibusque fodicante, re divinitus intellecta, locum effodit. Repertusque ibi magni corporis loculus, & ex ære adjacens cuspis, item ensis. quæ cum Cimon in triremi sua adveheret, perquam læti Athenienses, pompa instructa permagnifica, & sacris factis, tanquam in Urbem postliminio ipse tunc reverteretur, exceperunt. Et jacet quidem in media Urbe, juxta quod nunc est gymnasium*. Sed templa Thesei, plura fuere: unum hoc, de quo nunc agimus, in media Urbe, relatis illuc ejus ossibus, ædificatum: cujus meminit etiam Diodorus Siculus, *l.* IV. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι μεταμεληθέντες, τά τε ὀστᾶ μετήνεγκαν, καὶ τιμαῖς ἰσοθέοις ἐτίμησαν αὐτὸν, καὶ τέμενος ἄσυλον ἐποίησαν ἐν ταῖς Ἀθήναις, τὸ προσαγορευόμενον ἀπ' αὐτοῦ Θησεῖον. *Athenienses vero, pœnitentia ducti, cum ossa ejus reportarunt, tum divinis eum honoribus affecerunt; templum etiam statuerunt, unde avellere quenquam nefas: quod Theseum, ab ejus nomine, appellatum*, Thucydides, *lib.* VI. Καί τινα μίαν νύκτα καὶ κατέδαρθον καὶ ἐν Θησείῳ, τῷ ἐν πόλει, ἐν ὅπλοις. *Et unam quandam noctem in Thesei templo, quod in Urbe, in armis exegerunt*. Plutarchus, *De Exilio*. Ὥσπερ τὸν Παρθενῶνα, καὶ τὸ Ἐλευσίνιον, οὕτω καὶ τὸ Θησεῖον ἅπαντες προσκυνοῦνται. *Quemadmodum Parthenonem, & Eleusinium, sic Theseum etiam cuncti venerantur*. Strabo, *lib.* IX. Ὁρῶ τὴν ἀκρόπολιν, καὶ τὸ περὶ τῆς τριαίνης ἔχει τι σημεῖον· ὁρῶ τὴν Ἐλευσῖνα, καὶ τῶν ἱερῶν γέγονα μύστης· ἐκεῖνο, Λεωκόριον· τοῦτο, Θησεῖον. *Video arcem; & hæc signum de tridente quoddam habet. Video etiam Eleusinem; & sacris sum initiatus. Illud, Leocorium est; istud, Theseum*. Meminerunt etiam *Suidas*, *Harpocration*; & *Apollonius* Grammaticus, *in citatis statim verbis*. Ac magistratus ibi quidam sorte lecti a Thesmothetis. Æschines, *Orat. in Ctesiphontem*. Ἀρχὰς δέ φήσουσιν ἐκείνας εἶναι, ἃς οἱ Θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ. *Magistratus vero illos esse dicent, quos in Theseo sorte legunt Thesmothetæ*. Alterum erat, ad murum longum. Observare est apud Andocidem, *in Orat.* Περὶ μυστηρίων. Ἀνακαλέσαντες δὲ τοὺς στρατηγοὺς, ἀνειπεῖν ἐκέλευσαν, τὰ ὅπλα λαβόντας· τοὺς δ' ἐν μακρῷ τείχει, εἰς γε Θησεῖον. *Advocatis copiarum ductoribus, edicere jusserunt, qui in Urbe habitarent, uti, sumptis armis suis, in forum*

irent; qui in longo autem muro, in Theseum. Unde via illic, Thesea appellata. Propertius indicat, *lib.* III. *eleg.* XX. *v.* 22. 23.

> *Inde, ubi Piræi capient me littora portus,*
> *Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.*

Et quidem versus mare. Colligo ex isto Aristophanis loco, *in Equitibus v.* 1324. 1325.

> Εἰ δ' ἀρέσκει ταῦτ' Ἀθηναίοισι, καθῆσθαι μοι δοκῶ
> Εἰς τὸ Θησεῖον πλεύσαις.

> *Quod si placent hæc Atheniensibus, considere mihi videor*
> *Ad Theseum navigantibus.* —— ——

Erant alia item duo; quippe quatuor universa, verum duo incertis locis. Ac initio plura fuerant; sed ipse ea, præter hæc, quæ dixi, quatuor, e captivitate sua, apud regem Molossorum Aidoneum, ab Hercule liberatus, illi consecravit, & Ἡράκλεια appellari deinde voluit, Plutarchus, *in ejus Vita*. Συγχωρήσαντος δὲ τοῦ Ἀϊδωνέως, λυθεὶς ὁ Θησεὺς, ἐπανῆλθε μὲν εἰς τὰς Ἀθήνας, οὐδέπω παντάπασι τῶν φίλων αὐτοῦ κεκρατημένων. καὶ ὅσα ὑπῆρχε τεμένη πρότερον αὐτῷ τῆς πόλεως ἐξελούσης, ἅπαντα καθιέρωσεν Ἡρακλεῖ, καὶ προσηγόρευσεν ἀντὶ Θησείων Ἡράκλεια, πλὴν τεσσάρων, ὡς Φιλόχορος ἱστόρηκεν. *Concedente vero Aidoneo, solutus Theseus, Athenas rediit, necdum prorsus amicis ejus oppressis; quæque prius ipsi templa a civitate assignata fuerant, Herculi omnia consecravit, solis quatuor exceptis: & pro Thesei Heraclea appellari illa voluit, uti auctor est Philochorus.* Et hoc est, quod Aristides dicit, *Orat. in Herculem.* Καὶ οὕτω σφόδρα τῆς κρείττονος μοίρας ἐκρίθη τὸ ἐκείνου πρᾶγμα, ὥστε καὶ ὅσα Θησεῖα ἦν κατὰ τοὺς δήμους, ἅπαντα μετεσκεύασαν, καὶ κατέστησαν Ἡράκλεια ἀντὶ Θησείων. *Quin tantopere hic prælatus est, ut Thesea, quæ per populos haberentur, mutato nomine, pro Theseis Heraclea appellarent.* Erat autem Thesei fanum qualecunque asylum servorum, supplicumque. Discimus clare ex Hesychii *istis verbis*. Θησεῖον, νεὼς Θησέως, ἐφ' ὃν οἱ ἀποδιδράσκοντες κατέφυγον. *Theseum, Thesei fanum; in quod fugitivi confugiebant.* Etymologici *Auctor*, Θησεῖον, τέμενός ἐστι τῷ Θησεῖ, ὃ τοῖς οἰκέταις ἄσυλον ἦν. *Theseum, delubrum Thesei; quod perfugium servis erat.* Plutarchus de eodem, *in Vita Thesei.* Ἔστι δὲ φύξιον οἰκέταις, καὶ πᾶσι τοῖς ταπεινοτέροις, καὶ δεδιόσι κρείττονας· ὡς καὶ τοῦ Θησέως προστατικοῦ τινὸς καὶ βοηθητικοῦ γενομένου, καὶ προσδεχομένου φιλανθρώπως τὰς τῶν ταπεινοτέρων δεήσεις. *Est autem perfugium servis, omnibusque humilioribus, quique potentiores timent; ceu patronus quidam Theseus, & adjutor, fuisset; ac benigne etiam preces inferiorum excepisset.* Diodorus, *in citatis statim verbis.* Καὶ τέμενος ἄσυλον ἐποίησαν ἐν ταῖς Ἀθήναις, τὸ προσαγορευόμενον ἀπ' αὐτοῦ Θησεῖον. *Templum etiam statuerunt, unde avellere quenquam nefas; quod Theseum, ab ejus nomine, appellatum.* Jus quoque illic dicebatur. Etymologici *Auctor* de eo. Ἐλέγοντο δὲ καὶ δίκαι ἐνταῦθα. *Hic vero etiam causæ dicebantur.* Et carcer erat; nam mox subjungit. Δηλοῖ δὲ καὶ δεσμωτήριον παρὰ Ἀθηναίοις. *Significat vero etiam carcerem apud Athenienses. Hesychius* totidem verbis. Atque inde Θησειότριψ facete ab *Aristophane* dicitur, qui diu multumque illic versatus esset, captivus; qui pari elegantia *Colonus carceris* a *Plauto* dicitur. Etymologici Auctor. Θησειότριψ, ὁ ἐν τῷ Θησείῳ διατρίψας. Ἀριστοφάνης Πολυΐδῳ. *Theseotriba, qui in Theseo est versatus. Aristophanes Polyido.*

Cap. VII.

Templum Dioscurorum, Ἀνάκειον *dictum; in quo ipsi, stantes erant: filii, equis insidentes. Leucippi filiarum nuptiæ, & Argonautarum in Colchos expeditio, illic picta; Polygnoti illæ opus, hæc Miconis. Mens, a Polygnoto picta. Columna quoque, & inscriptio. Cives etiam a Pisistrato, cum exuere eos armis suis vellet, convenire istbic jussi: tum mancipia ibidem vendita. Agrauli fanum; Atticæque juventutis in hoc ipso jusjurandum. Pollux varie restitutus. Ejus ædificandi causa.*

HINC Dioscurorum templum vetus, in quo stantes ipsi erant; filii, equis insidentes: pictæ quoque res ipsorum a Polygnoto, & Leucippi filiarum item nuptiæ; tum qui Colchos cum Jasone Argonautæ navigarant; inter quos Acastus maxime, & ejus equi, eminebant; a Micone isti picti. Pausanias *in Attic.* Τὸ δὲ ἱερὸν τῶν Διοσκούρων ἀρχαῖόν ἐστιν, αὐτοί τε ἑστῶτες, καὶ οἱ παῖδες καθήμενοι σφίσιν ἐφ' ἵππων. Ἐνταῦθα Πολύγνωτος μὲν ἔχοντα ἐς αὐτοὺς ἔγραψε, καὶ γάμον τῶν θυγατέρων τοῦ Λευκίππου· Μίκων δὲ, τοὺς μετὰ Ἰάσονος ἐς Κόλχους πλεύσαντας. καὶ οἱ τῆς γραφῆς ἡ σπουδὴ μάλιστα ἐς Ἄκαστον καὶ τοὺς ἵππους ἔχει τοὺς Ἀκάστου. *Fanum Dioscurorum vetus est; in eoque ipsi stantes, filiique in equis sedentes. Hic, quæ ad ipsos pertinebant, & Leucippi filiarum nuptias, Polygnotus pinxit; Micon vero, hos qui Colchos cum Jasone navigaverant. ac picturæ maxima quidem cura fuit circa Acastum, & ejus equos.* Mens ibidem spectabatur. Polygnoti ejusdem opus. *Hesychius.* Πολυγνώτου τοῦ ζωγράφου. ὁ νοῦς ἐστὶ γεγραμμένος, ἐνώπιος, ἐπεστραμμένος, κομίζων σκευοφόρον, καὶ τὴν μυρσίνην λαγωόν· καὶ ἀνάκειται ἐν τῷ Ἀνακείῳ. Vocabatur autem templum istud Ἀνάκλειον, ut Dioscuri ipsi Ἄνακες. *Harpocration.* Ἀνάκειον, τὸ ἀνάκτορον, ἱερὸν τῶν Διοσκούρων. *Anaceum, templum, Dioscuris sacrum. Suidas.* Ἀνάκειον, ὄρος· ἢ τὸ τῶν Διοσκούρων ἱερόν. *Anaceum, mons; vel Dioscurorum fanum.* Ac vides in citatis statim Hesychii *verbis*; & Auctoribus, jam dicendis. Picturarum Polygnoti, quæ illic erant, a *Pausania* memoratæ, meminit etiam Harpocration, *in* Πολύγνωτος. Τὴν Ποικίλην στοὰν ἀνέγραψε προῖκα· ἤ, ὥς ἕτεροι, τὰς ἐν τῷ Θησαυρῷ, καὶ τῷ Ἀνακείῳ, γραφάς. *Porticum Variam gratis pinxit; vel, ut alii, Thesaurum, & Anaceum.* Columna item istic erat, in qua inscriptum; e bobus duobus præcipuis selectis tertiam partem, in certamen; e duabus reliquis alteram, sacerdoti; alteram, parasitis impendendam esse. Athenæus, *lib.* VI. Ἀλλὰ μὴν, περὶ γὰρ τῶν παρασίτων ὁ λόγος, κἂν τῷ Ἀνακείῳ ἐπί τινος στήλης γέγραπται· τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν, τοῖν ἐξαιρουμένοιν, τὸ μὲν τρίτον μέρος, εἰς τὸν ἀγῶνα· τὰ δὲ δύο μέρη τὸ μὲν ἕτερον, τῷ ἱερεῖ· τὸ δὲ, τοῖς παρασίτοις. *Verum, nam de parasitis nobis sermo, etiam in Anaceo in columna quadam scriptum est; e bobus ductoribus selectis tertia pars, in certamen; e duabus reliquis partibus una quidem, in sacerdotem; altera, in parasitos impendatur.* Huc Pisistratus Athenienses, eos exarmare cupiens, convenire cum armis jussit. Polyænus, *lib.* I. *c.* XXI. §. 2. Πεισίστρατος, Ἀθηναίων τὰ ὅπλα βουλόμενος παρελέσθαι, παρήγγειλεν ἥκειν ἅπαντας εἰς τὸ Ἀνάκειον. *Pisistratus, cum arma adimere Atheniensibus vellet, convenire in Anaceum omnes jussit.* Ac mancipia illic venum dari solita. Inde Demosthenes, *in Stephanum Orat.* I. Πονηρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸς οὗτος ἄνωθεν ἐκ τοῦ Ἀνακείου, καὶ ἄδικος. *Improbus, o Athenienses, improbus hic est, jam ab Anaceo usque, & injustus.* Mentio hujus templi occurrit apud Thucydidem, *lib.* VIII. & Andocidem, περὶ μυστηρίων. Supra illud, Agrauli erat. Pausanias *in Attic,*

Ὑπὲρ δὲ τῶν Διοσκούρων τὸ ἱερὸν, Ἀγραύλου τέμενός ἐστιν. *Supra Dioscurorum vero fanum, est Agrauli.* Meminit ejus Herodotus, *lib.* VIII. *cap.* LXXXIII. Ἀνέβησάν τινες κατὰ τὸ ἱρὸν τοῦ Κέκροπος θυγατρὸς Ἀγραύλου. *Ascenderunt nonnulli juxta fanum Agrauli, Cecropis filiæ.* Hic juventus Atheniensis jusjurandum dabat, de tutanda patria, ejusque sacris, ac legibus. Meminit Demosthenes, *in Orat. De falsa legat.* Καὶ τὸ Μιλτιάδου, καὶ Θεμιστοκλέους, ψήφισμα ἀναγινώσκων, καὶ τὸν ἐν τῷ τοῦ Ἀγραύλου τῶν ἐφήβων ὅρκον. *Et Miltiadis, ac Themistoclis, decretum legens; juvenumque in Agrauli juramentum.* Ad quem locum *Ulpianus.* Ἐστὶ μία τῶν Κέκροπος θυγατέρων Ἄγραυλος· ἐν δὲ τῷ τεμένει αὐτῆς οἱ ἐξιόντες εἰς τοὺς ἐφήβους ἐκ παίδων, μετὰ πανοπλιῶν ὤμνυον, ὑπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς θρεψαμένης. *Est una e Cecropis filiabus Agraulus; in cujus templo, cum e pueris in ephebos adscriberentur, in armis omnibus jurabant, se pro patria usque ad mortem pugnaturos.* Philostratus, *De Vita Apollonii*, lib. IV. cap. VII. Ὑμεῖς δὲ ἁβρότεροι τῶν Ξέρξου γυναικῶν, ἐπ᾽ αὐτοὺς στέλλεσθε οἱ γέροντες, οἱ νέοι, τὸ ἐφηβικόν· οἳ πάλαι μὲν ὤμνυσαν, ἐν Ἀγραύλου φοιτῶντες, ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανεῖσθαι. *Vos vero molliores, quam mulieres Xerxis, adversus illos mittimini, senes, juvenes, ephebi; qui olim quidem, in Agrauli convenientes, jurabant, se pro patria morituros.* Lycurgus, *Orat. in Leocratem.* Ὑμῖν γάρ ἐστιν ὅρκος, ὃν ὀμνύουσι πάντες οἱ πολῖται, ἐπειδὰν εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφῶσιν, καὶ ἔφηβοι γένωνται, μήτε ἱερὰ ὅπλα καταισχυνεῖν, μήτε τὴν τάξιν λείψειν, ἀμυνεῖν δὲ τῇ πατρίδι, καὶ ἀμείνω παραδώσειν. *Vobis enim est jusjurandum, quod cives omnes dant, cum in album civitatis referuntur, & ephebi fiunt, neque sacra arma dehonestaturos, neque ordinem deserturos; sed pro patria pugnaturos, & hanc meliorem esse tradituros.* Ubi observa, dari jusjurandum hoc solitum, cum in album referrentur. Idem Pollux quoque memorat, qui plenam ejus formulam fuisse istam tradit. Non se arma dehonestaturos esse; neve astantem commilitonem deserturos; pugnaturos vero pro aris, ac focis, & solos, & cum multis: neque patriam deteriorem tradituros. navigaturos item adversum qualemcunque denique terram; legibusque auscultaturos, sive latis, sive deinceps ferendis; neque permissuros unquam, ut evertat eas aliquis, aut detrectet morem gerere. sacra patria culturos, & pro viribus defensuros, sive solos, seu cum omnibus. deos autem hujus juramenti sui testes capere, Agraulum, Enyalium, Martem, Jovem. Verba Pollucis ita habent, *lib.* VIII. *cap.* IX. Περίπολοι, ἔφηβοι, περιῄεσαν τὴν χώραν περιφυλάττοντες, ὥσπερ ἤδη μελετῶντες τὰ στρατιωτικά. καὶ εἰς μὲν τοὺς ἐφήβους εἰσῄεσαν, ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι· δύο δὲ, εἰς περιπόλους ἠριθμοῦντο. εἰκοστῷ δὲ ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, καὶ ὤμνυον ἐν Ἀραύλου· οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα, οὐδὲ καταλείψω τὸν προστάτην, ᾧ ἂν τύχω. ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν, καὶ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολλῶν· καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω. πλεύσω δὲ κατὰ γῆς, ὁπόσην ἂν παραδέξωμαι. καὶ συνήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι, καὶ οὕς τινας ἄλλους ἱδρύσηται τὸ πλῆθος ἐμφρόνως. καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς, ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω· ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος, καὶ μετὰ πάντων· καὶ τὰ ἱερὰ πάτρια τιμήσω. ἵστορες θεοὶ Ἀγραυλοι, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς. *Circitores, ephebi, circuibant regionem custodientes, tanquam etiam tunc meditantes bellica. Et in ephebos quidem referebantur, annos octo & decem nati; inde biennium inter circitores erant: vicesimo vero, in albo civium inscribebantur, & jurabant in Agrauli; Non dehonestabo arma, neque præstitem etiam deseram, quicunque obtigerit. pugnabo vero pro aris, ac focis, & solus, & cum multis; neque patriam deteriorem item tradam. navigabo autem adversus terram qualemcunque, ac decernentibus auscultabo, legibusque constitutis, & quas alias populus prudenter feret, morem geram: tum si quisquam tollere leges, aut non obedire velit, non permittam. pugnabo vero & solus, & cum omnibus; sacraque patria honorabo. testes sunto dii agrestes, Enyalius, Mars, & Jupiter.* Sed legendum illic censeo, οὐδὲ καταλείψω τὸν παραστάτην. *Non deseram astitem.* Lycurgus, in *citata statim Oratione*, de hoc ipso juramento verba faciens. Τίνα δ᾽ ἂν τρόπον ὅπλα καταισχύνειέ τις μᾶλλον ἢ εἰ λαβεῖν μὴ θέλοι; πῶς δ᾽ οὐ καὶ τὸν παραστάτην, καὶ τὴν τάξιν, λέλοιπεν, ὁ μηδὲ τάξαι τὸ σῶμα παρασχών; *Quo modo enim magis quispiam arma sua dehonestet, quam si sumere ea nolit? quomodo item non commilitonem astitem, ordinemve, deseruit; qui neque se in acie collocandum præbuit?* Apud Stobæum, *Serm.* XLI. ubi etiam juramenti verba habes; Οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερὰ, οὐδ᾽ ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην. *Non dedecorabo arma sacra, neque astitem destituam.* Sequentia vero *Pollucis* verba, partim mutila, partim corrupta, sic restituo, ex eodem hoc *Stobæo.* Καὶ συνήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι, καὶ οὕς τινας ἄλλους ἱδρύσηται τὸ πλῆθος ὁμοφρόνως. *Et prudenter decernentibus auscultabo; legibusque constitutis, & quas alias populus consensu feret, morem geram.* Denique in fine. Ἵστορες θεοὶ, Ἄγραυλος, Ἐνυάλιος. *Testes sunto dii, Agraulus, Enyalius.* Sed & hoc item jurabant; terminos Atticæ habituros, triticum, hordeum, vineas, oleas: id est, terram sese omnem vindicaturos, quacunque culta, & frugifera, ea esset. Observo apud Plutarchum, *in Alcibiade.* Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς συνεβούλευεν ἀντέχεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ τὸν ἐν Ἀγραύλου προβαλλόμενον ἀεὶ τοῖς ἐφήβοις ὅρκον ἔργῳ βεβαιοῦν. ὀμνύουσι γὰρ, ὅροις χρήσεσθαι τῆς Ἀττικῆς, πυροῖς, κριθαῖς, ἀμπέλοις, ἐλαίαις. οἰκείαν ποιεῖσθαι διδασκόμενοι τὴν ἥμερον, καὶ καρποφόρον. *Enimvero consuluit etiam populo Atheniensi, uti etiam terram assereret; &, quod in Agrauli ephebis semper proponebatur, jusjurandum ipso opere confirmarent. jurant enim, habituros se Atticæ terminos, triticum, hordeum, vineas, oleas; quo suggerebatur iis, ut assererent terram omnem cultam, & frugiferam.* Templi autem hujus Agraulo ædificandi hæc fuit causa. Cum bello Athenæ infestarentur ab Eumolpo, idque in longum traheretur, sciscitantibus de liberatione Atheniensibus, respondit oraculum; tum malorum finem fore, cum quis sese pro rep. devovisset: idque Agraulus postquam audivit, ultro se in mortem dedit, & de muro præcipitavit. cujus rei ergo cives, ut se gratos ei ostenderent, templum istud exstruxerunt. Ulpianus, *loco citato.* Πολέμου συμβάντος παρ᾽ Ἀθηναίοις, ὅτε Εὔμολπος ἐστράτευσε κατ᾽ Ἐρεχθέως, καὶ μηκυνομένου τούτου. ἔχρησεν Ἀπόλλων, ἀπαλλαγήσεσθαι, ἐάν τις ἀνέλῃ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως. ἡ τοίνυν Ἄγραυλος ἑκοῦσα αὐτὴν ἐξέδωκεν εἰς θάνατον. ἔρριψε γὰρ ἑαυτὴν ἐκ τοῦ τείχους. εἶτα, ἀπαλλαγέντες τοῦ πολέμου, ἱερὸν ὑπὲρ τούτου ἐστήσαντο αὐτῇ περὶ τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως. *Cum bellum Atheniensibus obortum esset, infestante cum exercitu Erechtheum Eumolpo, atque diu id duraret, respondit Apollo, liberandos eos fore, si pro Urbe quisquam sese in mortem daret. id Agraulus sponte fecit, & de muro se dejecit. inde, a bello liberati, fanum ei hac de caussa juxta arcis propylæa constituerunt.*

CAP. VIII.

Prytaneum, idque unde appellatum. In eo statuæ Pacis, Vestæ, Autolyci, Miltiadisque, & Themistoclis: item Democharis. Solonis quoque leges illic asservatæ, quæ in arce prius erant. Victus ibidem Cleomanti, posterisque, ut Harmodii, & Aristogitonis, da-

tus: etiam omnium eorum, qui bene de rep. meriti. Socratis dictum. Dari autem maza solita; &, diebus festis, panis: ex Solonis instituto. Dioscurorum etiam quoddam ibi prandium; item ignis inexstinctus. A Theseo structum; post eversum terræ motu. Bonæ Fortunæ statua. Cædes Cimonis. Decimæ ventrium ex animalibus, quæ immolarentur, Prytaneo datæ. In villa Tiburtina Hadriani Imp. locus, Prytaneum *dictum*.

INDE Prytaneum erat. Pausanias *in Attic.* Πλησίον δὲ, Πρυτανεῖόν ἐστιν. *In propinquo, Prytaneum est*. Inde dictum, quod hic Prytanes convenirent. Scholiastes Thucydidis, *lib.* II. Πρυτανεῖον ἐκαλεῖτο, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἐκάθηντο οἱ Πρυτάνεις, οἱ τῶν ὅλων πραγμάτων διοικηταί. *Prytaneum dicebatur, quia ibi Prytanes sedebant, penes quos erat rerum omnium administratio*. Alii, ceu πυρὸς ταμεῖον dictum cupiunt; quia ignis inexstinctus, ut mox dicam, asservari illic solitus: alii, ceu πυροῦ ταμεῖον, quod frumentum istic publicum servaretur. Vide *Suidam*, & *Auctorem Etymologici*. In hoc & Solonis leges asservatæ, statuæque spectabantur Pacis, Vestæ, & Autolyci: tum Miltiadis, & Themistoclis; prima inscriptione abolita, viro Thraci, & Romano, attributæ. Pausanias *in Atticis*. Πρυτανεῖόν ἐστιν, ἐν ᾧ νόμοι τε οἱ Σόλωνός εἰσι γεγραμμένοι, καὶ θεῶν Εἰρήνης ἀγάλματα κεῖται, καὶ Ἑστίας. ἀνδριάντες δὲ ἄλλοι τε, καὶ Αὐτόλυκος ὁ παγκρατιαστής. τὰς γὰρ Μιλτιάδου, καὶ Θεμιστοκλέους, εἰκόνας εἰς Ῥωμαῖόν τε ἄνδρα, καὶ Θρᾷκα, μετέγραψαν. *Prytaneum est, in quo & Solonis leges scriptæ exstant, & dearum simulacra, Pacis, ac Vestæ: statuæque, Autolyci pancratiastæ; tum Miltiadis, & Themistoclis; quas, mutata inscriptione, viro Thraci, & Romano, tribuerunt*. Etiam Democharis, gladio accincti. Plutarchus, in Demosthene, *lib.* X. *Rhet.* Ἀδελφιδοῦς αὐτοῦ Δημοχάρης ἐγένετο, ἀνὴρ καὶ κατὰ πόλεμον ἀγαθὸς, καὶ κατὰ τοὺς πολιτικοὺς λόγους οὐδενὸς χείρων· ἔστι δὲ αὐτοῦ εἰκὼν ἐν τῷ Πρυτανείῳ, εἰσιόντων πρὸς Ἑστίαν δεξιᾷ, ὁ πρῶτος περιεζωσμένος ἅμα τῷ ἱματίῳ καὶ ξίφος. οὕτω γὰρ δημηγορῆσαι λέγεται, ἡνίκα Ἀντίπατρος ἐξῄτει τοὺς ῥήτορας. *Nepos ipsi ex sorore erat Demochares, vir & belli egregius, & civilibus disciplinis nulli inferior. est vero ejus statua in Prytaneo, ubi intraveris, ad dextram Vestæ; isque primus, qui cum veste etiam gladio accinctus: siquidem eo habitu dixisse fertur, cum Antipater Oratores postularet*. Ubi vides Vestæ quoque simulacri, a *Pausania* memorati, mentionem. Democharis autem istius statuæ meminit iterum, in *sequentibus statim verbis*. Ἡ δὲ τοῦ Δημοχάρους εἰκὼν εἰς τὸ Πρυτανεῖον μετεκομίσθη, περὶ ἧς προείρηται. *Democharis vero statua, de qua jam diximus, in Prytaneum est translata*. Quod Solonis leges attinet, est de iis & Plutarchi iste locus, *in Solone*. Ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκε, καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας, ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους. ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο. *Robur vero legibus omnibus dedit in annos centum; suntque eæ in axibus ligneis perscriptæ, qui cum thecis longiusculis circumjectis vertebantur: & reliquias etiamnum est videre in Prytaneo*. Ac translatæ huc ex arce, ubi antea collocatæ. Pollux, *lib.* VIII. *cap.* X. Ἀπέκειντο δὲ οἵ τε κύρβεις, καὶ οἱ ἄξονες, ἐν ἀκροπόλει πάλαι· αὖθις δ', ἵνα πᾶσιν ἐξῇ ἐντυγχάνειν, εἰς τὸ Πρυτανεῖον, καὶ τὴν ἀγορὰν, μετηνέχθησαν. *Olim cyrbes, & axes, in arce erant; postea vero, ut cuivis inspiciendi copia esset, in Prytaneum, & forum, sunt translati*. Hic victus datus Cleomanti, posterisque. Lycurgus, *Orat. in Leocratem*. Τῷ δὲ Κλεομάντει τῷ Δελφῷ, ἡ πόλις αὐτῷ τε καὶ ἐκγόνοις ἐν Πρυτανείῳ ἀΐδιον σίτησιν ἔδοσαν. *Cleomanti Delpho urbs cum ipsi, tum posteris ejus, perpetuum in Prytaneo victum dedit*.

A Item Harmodii, & Aristogitonis, posteris. Dinarchus, *in Demosthenem*. Καὶ τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως κεκοινωνηκότα τοῖς Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος, ἀπογόνοις. *Et victum in Prytaneo sortitum communem cum Harmodii, & Aristogitonis, posteris*. Hinc Isæus, περὶ τοῦ Δικαιογένους κλήρου. Καὶ ἐβουλήθης μᾶλλον Δικαιογένους υἱὸς καλεῖσθαι, ἢ Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος· ὑπεριδὼν μὲν τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν, καταφρονήσας δὲ τῶν προεδριῶν, καὶ ἀτελειῶν, ἃ τοῖς ἐξ ἐκείνων γεγονόσι δέδοται. *Et maluisti Dicæogenis filius dici, quam Harmodii, aut Aristogitonis; despiciens victum in Prytaneo, priores consessus, & immunitates, quæ eorum posteris datæ*. B Hippocrati item, posterisque. Soranus, *in ejus Vita*. Καὶ πολίτην (Ἀθηναῖοι) ἔγραψαν, καὶ τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν ἔδοσαν εἰς ἐκγόνους. *Et civitate (Athenienses) eum donarunt, & in Prytaneo victu, usque ad posteros*. Immo omnium eorum, qui præclare de rep. meriti essent. Res est obvia apud Auctores. Scholiastes Aristophanis, *ad equites*. Πρυτανεῖον, οἰκίσκος, παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ἔνθα σιτοῦνται δημοσίᾳ, οἱ τῆς τοιαύτης παρ' αὐτοῖς τυχόντες. *Prytaneum, ædificium apud Athenienses, ubi publice alebantur, quibus illi honorem eum concessissent*. Et *alibi*, ad eandem fabulam. Πρυτανεῖον, τόπος Ἀθήνησιν, οὗ τὰς δημοσίας σιτήσεις ἐποιοῦντο. C *Prytaneum, locus Athenis, in quo publice victum dabant*. Estque notum Socratis dictum, apud Diogenem Laertium, in *Ejus Vita*, *lib.* II. *cap.* XLIII. Ἕνεκα μὲν, εἶπε, τῶν ἐμοὶ διαπεπραγμένων, τιμῶμαι τὴν δίκην τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως. *Eorum, inquit, quæ gessi caussa, victum mihi in Prytaneo decernendum esse censeo*. Cicero sic refert, *De Orat. lib.* I. *cap.* LIV. *Interrogatus Socrates, quam quasi æstimationem commeruisse se maxime confiteretur, respondit; sese meruisse, ut amplissimis honoribus, & præmiis, decoraretur: & ut ei victus quotidianus in Prytaneo præberetur*. Sed recte *Scholiastes Aristophanis*, qui D οἰκίσκον illud dicit, cum revera ampla domus esset. Sic Thucydidis Scholiastes, *lib.* II. Πρυτανεῖον, ἐστιν οἶκος μέγας, ἔνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο τοῖς πολιτευομένοις. Ac de victu quidem exhibito iis, qui negotia reip. tractabant, est exemplum apud Heliodorum; ubi Cnemon de patre suo Aristippo, quem τῆς ἄνω βουλῆς esse memoraverat, ita narrat, *lib.* I. Ὁ μὲν πατὴρ, ἐν τῷ Πρυτανείῳ ἐσιτεῖτο· καὶ, ὡς ἂν ἐν τοιαύτῃ πανηγύρει, καὶ πότῳ πανδήμῳ, καὶ διανυκτερεύειν ἔμελλεν. *Pater quidem, in Prytaneo cibum sumebat; &, ut in ejusmodi festo, ac potatione publica, etiam noctem acturus erat*. Cibus vero ordinarius, maza erat; extra ordinem, quando dies E festus esset, panis datus, ex Solonis instituto. Athenæus, *lib.* IV. Σόλων δὲ, τοῖς ἐν Πρυτανείῳ σιτουμένοις, μᾶζαν παρέχειν κελεύει· ἄρτον δὲ, ταῖς ἑορταῖς παρατιθέναι. *Solon vero, in Prytaneo victitantibus, mazam exhiberi jubet; panem autem, diebus festis*. Dioscuris quoque prandium quodam die datum; in quo caseus, physta, oliva, item porrum, prisci victus monumenta, apponebantur. Athenæus, *libro citato*. Ὁ δὲ τοὺς εἰς Χιωνίδην ἀναφερομένους Πτωχοὺς ποιήσας, τοὺς Ἀθηναίους φησὶν, ὅταν τοῖς Διοσκούροις ἐν Πρυτανείῳ ἄριστον προτιθῶνται, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν τιθέναι τυρὸν, φυστὴν, δρυπεπεῖς τ' ἐλαίας, F καὶ πράσα, ὑπόμνησιν ποιουμένους τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς. *Qui Mendicos fecit, qui Chionidi adscribuntur, Athenienses refert, cum in Prytaneo prandium Dioscuris exhiberent, in mensis apposuisse caseum, phystam, olivas maturas, item porrum, quibus quasi antiqui victus commonefacerent*. Ignis etiam perennis asservari illic solitus. *Suidas*. Πρυτανεῖον, πυρὸς ταμεῖον· ἔνθα ἦν ἄσβεστον πῦρ. *Prytaneum, ignis promptuarium; ubi erat ignis inexstinctus*. Scholiastes Thucydidis, *loco citato*. Ἄλλοι δέ φασιν, ὅτι τὸ Πρυτανεῖον πυρὸς ἦν ταμεῖον, ἔνθα καὶ ἦν

ἄσβεστον πῦρ. *Alii vero dicunt, Prytaneum appellatum, tanquam ignis promptuarium, ubi etiam ignis inexstinctus esset.* Theocritus, *Idyll.* XXI. *v.* 36. 37.

——— ——— τὸ δὲ λυχνίον ἐν Πρυτανείῳ·
Φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγραν τόδ' ἔχειν. ———
——— ——— *lychnus in Prytaneo;*
Nam semper hunc habere prædam ajunt.

Et quidem ad Vestæ simulacrum, de quo dixi. Observo apud Pollucem, *lib.* I. *cap.* I. Ἑστίαν δὲ κυριώτατα καλοίης τὴν ἐν Πρυτανείῳ, ἐφ' ἧς τὸ πῦρ ἄσβεστον ἀνάπτεται. *Vestam vero maxime proprie appellaveris eam, quæ in Prytaneo est; ad quam ignis inexstinctus accenditur.* Inde est illud Aristidis, *in Panathenaica.* Καὶ μόνη πόλεων, ἢ κομιδῇ γε ἐν ὀλίγαις, Ἑστίαν ἀκίνητον Πρυτανείου δικαίως νέμει. *Et sola Urbium, aut certe cum valde paucis, Vestam Prytanei immotam jure alit.* Exstructum autem Prytaneum a Theseo fuit, cum Athenas ordinaret. Thucydides, *lib.* II. Ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς ἐβασίλευσε, γενόμενος μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατὸς, τά τε ἄλλα διεκόσμησε τὴν χώραν, καὶ καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια, καὶ τὰς ἀρχὰς, εἰς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας, καὶ Πρυτανεῖον, ξυνῴκισε πάντας. *Postquam Theseus regnum tenuit, qui prudensque & potens erat, cum in aliis regionem exornavit, tum, sublatis urbium cæterarum curiis, ac magistratibus, una curia constituta, & Prytaneo, in eam civitatem, quæ nunc est, omnes coegit.* Plutarchus, *in ejus Vita.* Καταλύσας οὖν τὰ παρ' ἑκάστοις Πρυτανεῖα, καὶ βουλευτήρια, καὶ ἀρχὰς, ἓν δὲ ποιήσας ἅπασι κοινὸν ἐνταῦθα Πρυτανεῖον, καὶ βουλευτήριον, ὅπου νῦν ἵδρυται, τὸ ἄστυ, τήν τε πόλιν, Ἀθήνας προσηγόρευσε. *Cum abolevisset, quæ apud quosque, Prytanea, curiæ, & magistratus, instituto hic communi Prytaneo, curiaque, quo nunc est loco, asty, & Urbem, Athenas vocavit.* Eversum postea terræ motu, belli Peloponnesiaci anno sexto. Thucydides, qui eo anno gesta memorat *lib.* III. Καὶ σεισμὸς τοῦ τείχους τι κατέβαλε, καὶ τὸ Πρυτανεῖον, καὶ ἄλλας οἰκίας ὀλίγας. *Et terræ motus dejecit quandam muri partem, Prytaneum, aliasque paucas domos.* Ad Prytaneum, statua Bonæ Fortunæ erat. Ælianus, *Var. Hist. lib* IX. *cap.* XXXIX. Νεανίσκος δὲ Ἀθήνησι, τῶν εὖ γεγονότων, πρὸς τῷ Πρυτανείῳ ἀνδριάντος τῆς Ἀγαθῆς Τύχης, θερμότατα ἠράσθη. *Adolescens Athenis, ex honesto loco natis, stantem ad Prytaneum Bonæ Fortunæ statuam calidissime amabat.* Meminitque Demosthenes, etsi sine Prytanei mentione, *Epist.* IV. Ἐγὼ τὴν ὑμετέραν εὐτυχεστάτην πασῶν πόλεων ὑπολαμβάνω, καὶ θεοφιλεστάτην· καὶ ταῦτα οἶδα καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον, καὶ τὴν Διώνην, καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, ἀεὶ λέγοντας ἐν ταῖς μαντείαις· καὶ προσεπισφραγιζομένους, τὴν Ἀγαθὴν Τύχην ἐν τῇ πόλει εἶναι τῇ παρ' ὑμῖν. *Ego vestram Urbem omnium urbium felicissimam esse existimo, ac diis charissimam. Et hæc scio testari de vobis Jovem Dodonæum, & Dionen, & Apollinem quoque Pythium, in oraculis; confirmantes insuper, esse vobis in Urbe vestra Bonam Fortunam.* Hic patrata quoque a Pisistrati filiis cædes Cimonis, patris Miltiadis, invidia gloriæ, ob bis reportatam ex Olympiis certamine quadrijugo victoriam. Narrat Herodotus, *lib.* VI. *cap.* III. Καί μιν (τὸν Κίμωνα) ἀνελόμενον τῇσι αὐτῇσι ἵπποισι ἄλλην Ὀλυμπιάδα, κατέλαβε ἀποθανεῖν ὑπὸ τῶν Πεισιστράτου παίδων, οὐκέτι περιεόντος αὐτοῦ Πεισιστράτου. κτείνουσι δὲ οὗτοί μιν κατὰ τὸ Πρυτανήιον, νυκτὸς ὑπείσαντες ἄνδρας. *Et ipsum (Cimonem) quum aliam Olympiadem iisdem equis vicisset, contigit occidi a Pisistrati filiis, ipso Pisistrato jam defuncto. Interfecere vero ipsum ad Prytaneum, noctu submissis percussoribus.* Dabantur autem Prytaneo decimæ ventrium ex animalibus, quæ immolabantur. Suidas, in Ἀδεκατεύτους. Τῶν κοιλιῶν τῶν θυομένων ἐδίδοσαν τὴν δεκάτην μοῖραν ἐν τῷ Πρυτανείῳ. Inde Cleon apud Aristophanem *Equitibus.*

Καί σε φανῶ τοῖς Πρυτάνεσιν,
Ἀδεκατεύτους τῶν θεῶν ἱε-
ρὰς ἔχοντα κοιλίας.
Et te deferam ad Prytanes,
Non decimatos diis sa-
cros habentem ventres.

Ubi *Scholiastes.* Ἔθος εἶχον τὰς δεκάτας τῶν θυομένων τοῖς Πρυτάνεσιν οἱ μάγειροι διδόναι. *Moris erat coquis, ut decimas immolatorum Prytanibus darent.* Denique, ut finiam, illud obiter monendum, Hadrianum Imp. in villa sua Tiburtina locum quendam *Prytaneum* appellasse. Spartianus, *in ejus Vita. cap.* XXI. *Tiburtinam villam mire exædificavit; ita ut in ea & provinciarum, & locorum, celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum.*

CAP. IX.

Serapidis fanum; cujus cultum a Ptolemæo Athenienses didicerunt. Locus, ubi quondam Theseus cum Pirithoo fœdus fecit. Lucinæ templum, & in eo signa tria, ad summos usque pedes tecta; quod ab Atheniensibus factum sine exemplo: duo ex iis, e Creta advecta; Phædræ donaria; tertium, e Delo allatum, ab Erysichthone dedicatum.

HINC, ad inferiora Urbis deflectentibus, Serapidis fanum se ostendebat; cujus cultum Athenienses a Ptolemæo acceperunt. Pausanias *in Atticis.* Ἐντεῦθεν ἰοῦσιν ἐς τὰ κάτω τῆς πόλεως, Σεραπίωνός ἐστιν ἱερόν· ὃν Ἀθηναῖοι παρὰ Πτολεμαίου θεὸν ἐσηγάγοντο. *Hinc, euntibus ad inferiora Urbis, Serapidis fanum est; quem deum Athenienses a Ptolemæo introduxerunt.* In propinquo, locus ille, ubi Theseus, & Pirithous, postquam fœdus iniissent, in Lacedæmonem, & Thesprotos, sunt profecti. Pausanias *in Atticis.* Τοῦ δὲ ἱεροῦ τοῦ Σαράπιδος οὐ πόρρω, χωρίον ἐστὶν, ἔνθα Πειρίθουν καὶ Θησέα συνθεμένους ἐς Λακεδαίμονα, καὶ ὕστερον ἐς Θεσπρωτοὺς, σταλῆναι λέγουσι. *Non longe a Serapidis fano, locus est, ubi fœdere inter se inito Pirithous, ac Theseus, in Lacedæmonem, & deinde in Thesprotos, profecti memorantur.* Fœderis autem istius meminit Sophocles, *Oed. Col. v.* 1588. *&c.*

Ἔστη κελεύθων ἐν πολυσχίστων μιᾷ,
Κοίλου πέλας κρατῆρος, οὗ τὰ Θησέως
Περίθου τε κεῖται πίστ' ἀεὶ ξυνθήματα.
Stetit in loco, ubi multæ concurrunt viæ,
Juxta cavum craterem, ubi Thesei
Pirithoique fida semper condita fœdera.

Proxime, Lucinæ templum visebatur. Pausanias *in Attic.* Πλησίον δὲ, ᾠκοδόμητο ναὸς Εἰλειθυίας. *Prope vero, templum Lucinæ structum erat.* Meminit ejus Plato, *De Leg. lib.* VI. Ἐπίσκοποι δ' ἔστωσαν τούτων ἃς ἂν ἑλώμεθα γυναῖκες, πλείους εἴτ' ἐλάττους, τοῖς ἄρχουσιν ὁπόσας ἂν δοκῇ προστάττειν τε, καὶ ὁπόταν, πρὸς τὸ τῆς Εἰλειθυίας ἱερὸν ἑκάστης ἡμέρας ξυλλεγόμεναι. *Inspectrices sunto fœminæ, quas delegerim, plures pauciores ve, quotcunque archontibus, & quando etiam, constituere videbitur; ad Lucinæ singulis diebus convenientes.* Ibi signa ejus tria, ad pedes usque velata; quod a solis Atheniensibus, sine exemplo, factitatum: duoque ex his, e Creta advecta, Phædra quondam dedicaverat; tertium, e Delo allatum, Erysichthon. Pausanias *in Attic.* Μόνοις δὲ Ἀθηναίοις τῆς Εἰλειθυίας κεκάλυπται τὰ ξόανα ἐς ἄκρους τοὺς πόδας· τὰ μὲν δύο, Κρητικὰ εἶναι, καὶ Φαίδρας ἀναθήματα,

θήματα, ἔλεγον αἱ γυναῖκες· τὸ δὲ ἀρχαιότατον, Ἐρυσίχθονα ἐκ Δήλου κομίσαι. *Apud solos Athenienses simulacra Lucinæ ad summos usque pedes velata sunt. quorum duo, Cretica esse, & a Phædra dedicata, fœminæ dicebant; quod vero antiquissimum erat, e Delo Erysichthonem attulisse.*

CAP. X.

Olympii Jovis templum; vetus, a Deucalione structum: novum, cœptum a Pisistrato, fundamenta jacientibus architectis, Antistate, Callæschro, Antimachide, & Porino. Vitruvii error indicatus. Diu inde intermissum, a Perseo, & Antiocho Epiphane, continuatum, per Cossutium. Vitruvii locus emendatus. A Sylla destructum in partem, avectis inde in ædes Capitolinas columnis; deinde ab aliis quoque regibus, sub Augusto, in ejus gratiam, opus tantum instauratum: tandem perfectum, & dedicatum, ab Adriano Imperatore, hymnum accinente Polemone; idque quando, & quanto tempore post Pisistrati fundamenta. Philostrati locus restitutus. Dipteros octastylos. Magnificentia tota operis, ambitusque ac magnitudo; propter quam columnis etiam substructum, modo Athenis ad id tempus insuitato: & impensa. Jovis signum; ex ebore, & auro, ab Adriano dedicatum. Adriani statuæ quatuor; aliæque item plures, a singulis urbibus consecratæ: & colossus, ab Atheniensibus positus. Ara etiam; urbiumque, quæ coloniæ Atheniensium, simulacra: item Jovis alterum, ex ære; in cujus basi expressa pugna cum Amazonibus. Saturni, & Rheæ Olympiæ, sacellum. Antiopæ cippus. Hiatus, in quem injici polenta solita. Isocratis statua, ab Aphareo collocata; & Persarum, æneum tripodem sustinentium. Morychia domus; item Charmidæ. Sepulcrum Deucalionis.

INDE Jovis Olympii templum, quod Ὀλύμπιον, sive Ὀλυμπίειον, dictum, a Pausania memoratur, *in Attic.* Τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου Ἀδριανὸς, ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων, τὸν ναὸν ἀνέθηκε. *Jovis Olympii templum Hadrianus, Romanorum Imperator, dedicavit.* Ac initio, vetus erat, a Deucalione structum. Pausanias *postea.* Τοῦ δὲ Ὀλυμπίου Διὸς Δευκαλίωνα οἰκοδομῆσαι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον ἱερόν. *Olympii vero Jovis vetus templum Deucalionem struxisse ajunt.* Huic diruto, aut collapso vetustate, novum hoc Pisistratus inde superimposuit; qui & fundamenta jecit, operam hic navantibus ei Antistate, Callæschro, Antimachide, & Porino, architectis. Vitruvius, *in Præfatione* lib. VII. *Athenis Antistates, & Callæschros, & Antimachides, & Porinus, architecti, Pisistrato, ædem Jovi Olympio facienti, fundamenta constituerunt. Post mortem autem ejus, propter interpellationem reipublicæ, incepta reliquerunt.* Sed, quod, mortuo Pisistrato, intermissum opus scribit, plane errat. Imperfectum quidem id Pisistratus moriens reliquit: & hoc Strabo etiam notat, *lib.* IX. Καὶ αὐτὸ τὸ Ὀλύμπιον, ὅπερ ἡμιτελὲς κατέλιπε τελευτῶν ὁ ἀναθεὶς βασιλεύς. *Et ipsum Jovis Olympii templum, quod semiperfectum reliquit moriens rex, qui dedicaverat.* Sed, post patrem, filii continuarunt. Certum est ex Aristotele, *Politic.* lib. V. cap. XI. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵ τε πυραμίδες, αἱ περὶ Αἴγυπτον· καὶ τὸ ἀνάθημα τῶν Κυψελιδῶν· καὶ τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ Πεισιστρατιδῶν. *Hujus rei exemplum præbent pyramides, quæ in Ægypto; & donaria Cypselidarum; tum Olympii exstructio Pisistratidarum.* His sublatis & republica vindicata, diu imperfectum mansit. Qua de re est elegans Plutarchi locus, *extremo* Solone. Ὡς γὰρ ἡ πόλις τῶν Ἀθηναίων τὸ Ὀλυμπίειον, οὕτως ἡ Πλάτωνος σοφία τὸν Ἀτλαντικὸν ἐν πολλοῖς καλοῖς μόνον ἔργον ἀτελὲς ἔσχηκεν. *Ut enim urbs Atheniensium Jovis Olympii fanum, ita Atlanticum sapientia Platonis inter multa egregia opera solum imperfectum habuit.* Dicæarchus, in *Descriptione Græciæ*, ubi de Athenis agit. Ὀλύμπιον, ἡμιτελὲς μὲν, κατάπληξιν δ' ἔχον τὴν τῆς οἰκοδομήσεως ὑπογραφήν· γενόμενον δ' ἂν βέλτιστον, εἰ συνετελέσθη. *Olympii Jovis fanum, semiperfectum illud quidem, sed structuræ delineatione stuporem incutiens; futurum vero præstantissimum, si perfectum fuisset.* Lucianus, in *Icaromenippo.* Μετὰ δὲ ἠρώτα, εἴ τις ἔτι λείπεται τῶν ἀπὸ Φειδίου· καὶ, δι' ἣν αἰτίαν ἐλλίποιεν Ἀθηναῖοι τὰ Διάσια τοσούτων ἐτῶν· καὶ, εἰ τὸ Ὀλυμπίειον αὐτῶν ἐπιτελέσαι διανοοῦνται. *Inde interrogabat, num quis superesset e Phidiæ posteris; &, Diasia cur tam diu Athenienses celebrare neglexissent; &, an non Olympii Jovis templum, quod apud ipsos est, perficere in animo haberent.* Hesychius. Ὀλύμπιον. τοῦτο ἀτελὲς ἔμεινεν Ἀθήνησιν, οἰκοδομούμενον πολλάκις, ἀρχὰς λαβὸν τῆς κατασκευῆς. *Olympium. hoc imperfectum mansit Athenis, sæpe structum, postquam incohoatum esset.* Postea, magno temporis spatio interjecto, Perseus rex ad exstruendum se convertit. Livius indicat, ubi de eo agit, *lib.* XLI. *c.* XX. *Magnificentiæ vero in deos vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse.* Ac, sub idem omnino tempus, manum admovit Antiochus Epiphanes, Cossutio architecto usus. Vitruvius, *loco citato. Itaque circiter annis* CC. *post Antiochus rex, cum in id opus impensam esset pollicitus, cellæ magnitudinem, & columnarum circa dipteron collocationem, epistyliorum, & cæterorum ornamentorum, ad symmetriarum distributionem, magna solertia, scientiaque summa, civis Romanus Cossutius nobiliter est architectatus.* Sed in verbis illis mendum est; nam a Pisistrato, ad Antiochum, anni sunt circiter quadringenti: itaque rescribe, *annis* CD. *post.* Ac de Cossutio, iterum mox subjungit Vitruvius. *In asty vero Jovem Olympium, amplo modulorum comparatu, Corinthiis symmetriis, & proportionibus, uti supra scriptum est, architectandum Cossutius suscepisse memoratur.* Antiochi factum, etiam Vellejus refert, *lib.* I. *Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum inchoavit, tum regem Syriæ Ptolemæum puerum Alexandriæ obsideret, missus est ad eum legatus, Marcus Popillius Lenas, qui juberet incepto desistere.* Et innuit Athenæus, de eo verba faciens, *l.* V. Ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς, πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας. τοῦτο δ' ἄν τις τεκμήραιτο ἐκ τοῦ παρ' Ἀθηναίοις Ὀλυμπίου. *In sacrificiis vero erga urbes, & in honoribus erga deos, omnes ante se reges superavit. ejusque rei indubitatum indicium esse cuipiam possit Jovis Olympii apud Athenienses templum.* Sylla, expugnata urbe, destruxit in partem; & columnas inde avexit, in Capitolinas ædes. Testatur Plinius, *lib.* XXXVI. *cap.* VI. *Columnis demum utebantur in templis; nec lautitiæ causa, nondum enim intelligebantur istæ; sed, quia firmius aliter statui non poterant. Sic est inchoatum Athenis templum Jovis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus advexerat columnas.* Inde, ævo Augusti, & in ejus gratiam, varii reges aggressi. Suetonius, *in ejus Vita*, cap. LX. *Reges amici, atq; socii, & singuli in suo quisque regno, Cæsareas urbes condiderunt: & cuncti simul ædem Jovis Olympici Athenis, antiquitus inchoatam, perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare.* Denique rursum Hadrian. Imperat. manum adhibuit, perfecitq; & dedicavit. Pausanias, in *citatis* initio hujus capitis *verbis.* Τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου Ἀδριανὸς, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς, τὸν ναὸν ἀνέθηκε. *Templum Jovis Olympii Hadrianus, Romanorum Imperator, dedicavit.* Spartianus, in *ejus Vita*, *c.* XIII. *Denique, cum post Africam Romam rediisset, statim ad Orientem profectus, per Athenas iter fecit; atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit: ut Jovis Olympii ædem, & aram sibi.* Quin & draconem, ex India allatum,

in eodem consecravit. Xiphilinus, item *in ejusdem Vita*; Ἀδριανὸς δὲ, τό τε Ὀλύμπιον, τὸ ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται, ἐξεποίησε· καὶ δράκοντα εἰς αὐτὸ, ἀπὸ Ἰνδίας κομισθέντα, ἀνέθηκε. *Adrianus vero, & Olympium, quod Athenis, perfecit; & draconem quoque in eo ex India allatum, consecravit.* Quæ totidem verbis Anonymus narrat, in *Descriptione sua Olympiad.* Facta autem dedicatio Olymp. CCXXVII. anno III. uti certum ex Auctore illo Anonymo, jam citato: qui in eo ipso anno clare annotat. Inter dedicandum vero, cum sacra faceret, hymnum accinere Polemonem jussit. Philostratus, *in Polemone, Sophist.* l. I. Τὸ δὲ Ἀθήνησιν Ὀλύμπιον, δι' ἑξήκοντα καὶ πεντακοσίων ἐτῶν ἀποτελεσθὲν, καθιερώσας ὁ αὐτοκράτωρ, (Ἀδριανὸς,) ὡς χρόνου μέγα ἀγώνισμα, ἐκέλευσε καὶ τὸν Πολέμωνα ἐφυμνῆσαι τῇ θυσίᾳ. *Olympii vero Jovis templum, quod Athenis, quingentis & sexaginta annis demum perfectum, cum dedicaret, tanquam magnum temporis certamen, jussit Polemonem hymnum accinere sacrificio.* Sed, in numero annorum, sane mendum est; nam a primis fundamentis, quæ Pisistratus olim jecerat, usque ad colophonem istum, tandem ab Hadriano impositum, anni sunt plus septingenti: neque tamen sexaginta. Itaque sic restituendum omnino censeo, δι' ἓξ, ἢ πέντε, καὶ ἑπτακοσίων ἐτῶν ἀποτελεσθέν. Dicit autem, ἕξ, ἢ πέντε, quia in anno dedicationis factæ Auctores variant; & in quarto Olympiadis memoratæ, non in tertio, ponit *Eusebius Hieronymi*: a quo tempore si annos sex & septingentos retro putes, incides in secundum annum Olympiadis quinquagesimæ; qui tyrannidis, a Pisistrato usurpatæ, est secundus: quippe is remp. invasit Olympiadis quinquagesimæ anno primo, ut ostendi nuper, libro *De Fortuna Athenarum*, cap. X. Habebat vero inter cætera dipteron octastylon. Vitruvius, *lib.* III. *c.* I. *Hujus autem exemplar Romæ non est; sed Athenis octastylos (dipteros) est, in templo Jovis Olympii.* Et erat sane universim permagnificum. Vides in *citatis* Dicæarchi *verbis*. Ὀλύμπιον, ἡμιτελὲς μὲν, κατάπληξιν δ' ἔχον τὴν τῆς οἰκοδομήσεως ὑπογραφήν. *Olympii Jovis fanum, semiperfectum illud quidem, sed structuræ delineatione stuporem incutiens.* Livius ait, unum in terris pro magnitudine dei inchoatum fuisse, *lib.* XLI. *c.* XX. *Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris pro magnitudine dei inchoatum.* Vitruvius de eo, in *Procemio*, lib. VII. *Id autem opus non modo vulgo, sed etiam in paucis a magnificentia nominatur. nam quatuor locis sunt ædium sacrarum marmoreis operibus ornatæ dispositiones, e quibus propriæ de his nominationes clarissima fama nominantur. quorum excellentiæ, prudentesque cogitationum apparatus, suspectus habent in deorum sessimonio.* Ea vero ejus magnitudo erat, ut in ambitu stadia præterpropter quatuor contineret. Pausanias, *in Attic.* Ὁ μὲν δὴ πᾶς περίβολος, σταδίων μάλιστα τεσσάρων ἐστίν. *Ambitus ejus universus, est stadiorum circiter quatuor.* Hinc, cum cætera templa Athenis ad id tempus ita ædificata essent, ut se ipsa sine columnis sustinerent; primum istud, quia propter magnitudinem stare aliter minime posse crederetur, cum columnis, quæ fulcirent, structum fuit. Est hoc ipsum observare apud Plin. *lib.* XXXVI. *c.* VI. *Columnis demum utebantur in templis; nec lautitiæ causa, nondum enim intelligebantur istæ: sed, quia firmius aliter statui non poterant. sic est inchoatum Athenis templum Jovis Olympii.* Et impensam scire cupis? Dion Chrysostomus tibi dicet, *De Regno* Orat. II. Οὔκουν οὐδὲ Ἀθηναίους οὕτως, ἔγωγε, ζηλῶ τῆς δαπάνης, καὶ πολυτελείας, τῆς περὶ τὴν πόλιν, καὶ τὰ ἱερὰ, ὅσον τῶν ἔργων, ἃ ἔπραξαν οἱ πρότερον· τὴν ἀκινάκην τοῦ Μαρδονίου, πολὺ σεμνότερον καὶ κρεῖττον ἀνάθημα ἔχουσαν, καὶ τὰς Λακώνων ἀσπίδας, καὶ τῶν ἐν Πύλῳ ποτὲ ἁλόντων, ἢ τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως, καὶ τὸ Ὀλύμπιον, ἀπὸ πλειόνων ἢ μυρίων ταλάντων. *Quapropter neque tantum Athenienses felices puto propter sumptum, & magnificentiam, circa Urbem suam, ac templa; quantum propter res, præclare a majoribus ipsorum gestas: per quas Urbs Mardonii acinacem consecuta est, donarium præstantius multo, & augustius; & Laconum item clypeos, eorumque qui in Pylo capti sunt, quam aut arcis propylæa, aut Olympium, in quæ decies amplius mille talentorum est impensum.* Ecce, in propylæa arcis, & Olympii Jovis templum, supra decem talentorum millia impensum. Atqui propylæis quidem impensa tantum duo millia, & duodecim; ut ostendo in libro *De Arce*, cap. VII. Ergo, si deducas ista, jam restabunt octo millia, quibus structum est Olympium. In hoc templo, Jovis simulacrum erat, perinsigne, ex ebore, & auro; itidem datum, ac dicatum, ab Adriano. Pausanias, *in Attic.* Τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου Ἀδριανὸς, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς, τόν τε ναὸν ἀνέθηκε, καὶ τὸ ἄγαλμα, θέας ἄξιον. πεποίηται δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος, καὶ χρυσοῦ· καὶ ἔχει τέχνης, πρὸς τὸ μέγεθος ὁρῶσιν. *Olympii Jovis templum Adrianus, Romanorum Imperator, dedicavit; & simulacrum, spectatu dignum. est autem ex ebore, & auro; ac, si magnitudinem spectes, fabre factum.* Quatuor ibidem statuæ Adriani; quarum duæ, e lapide Thasio; duæ cæteræ, ex Ægyptio. Pausanias, *in Attic.* Ἐνταῦθα εἰκόνες Ἀδριανοῦ δύο μὲν, εἰσὶ Θασίου λίθου· δύο δὲ, Αἰγυπτίου. *Sunt hic Adriani statuæ; duæ quidem, e lapide Thasio; duæ vero, ex Ægyptio.* Ad columnas vero templi, simulacra erant ænea urbium earum, quæ coloniæ Atheniensium censebantur. Pausanias, *in Attic.* Χαλκαῖ δ' ἑστᾶσι πρὸ τῶν κιόνων, ἃς Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ἀποίκους πόλεις. Et hæc quidem, in ipso templo; in exteriore ambitu, nulla pars vacabat statuis: & inter has quam plures aliæ, ab omnibus Urbibus Adriano collocatæ: quas superabant Athenienses, qui colossum pone templum constituerant. Pausanias, *in Attic.* Ὁ μὲν δὴ πᾶς περίβολος, σταδίων μάλιστα τεσσάρων ἐστὶν, ἀνδριάντων δὲ πλήρης· ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριανοῦ βασιλέως ἀνάκειται· καὶ σφᾶς ὑπερεβάλλοντο Ἀθηναῖοι, τὸν κολοσσὸν ἀναθέντες ὄπισθεν τοῦ ναοῦ, θέας ἄξιον. *Ambitus ejus universus, est stadiorum circiter quatuor; & quidem plenus statuarum. quippe illic Adriani visuntur, a singulis urbibus collocatæ; quas vicere Athenienses, posito colosso retro templum, digno visu.* Neque tantum statuæ erant Adriani, sed & ara. Spartianus, in *ejus Vita c.* XIII. *Opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit; ut Jovis Olympii ædem, & aram sibi.* Jovis quoque æneum illic simulacrum; & sacellum Saturni, ac Rheæ Olympiæ. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ ἀρχαῖα ἐν τῷ περιβόλῳ, Ζεὺς χαλκοῦς, καὶ ναὸς Κρόνου, καὶ Ῥέας τέμενος, τὴν ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας. *Sunt autem vetera in septo, Jupiter ex ære; fanumque Saturni, & delubrum Rheæ, cognomento Olympiæ.* Ac Rheæ quidem, seu Telluris, nam est eadem dea utraque, meminit etiam Plutarchus, qui Antiopæ item cippum juxta ponit. Verba ista, in *Vita Thesei*. Ἔνιοι δέ φασι, μετὰ Θησέως μαχομένην, (τὴν Ἀντιόπην,) πεσεῖν τὴν ἄνθρωπον, ὑπὸ Μολπαδίας ἀκοντισθεῖσαν· καὶ τὴν στήλην, τὴν παρὰ τὸ τῆς Γῆς τῆς Ὀλυμπίας ἱερὸν, ἐπὶ ταύτῃ κεῖσθαι. *Quidam vero dicunt, cum Theseo pugnantem Antiopam, cecidisse, a Molpadia jaculo percussam; ac cippum illum, qui est juxta Telluris Olympiæ delubrum, memoriæ ejus positum esse.* Jovis vero simulacrum, istud fuerit, in cujus basi expressa pugna Atheniensium cum Amazonibus. Meminit Pausanias, *in Attic.* Γραφαὶ δέ εἰσι, πρὸς Ἀμαζόνας Ἀθηναῖοι μαχόμενοι. πεποίηται δὲ σφίσιν ὁ πόλεμος οὗτος καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ἐπὶ τῇ ἀσπίδι, καὶ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς ἐπὶ τῷ βάθρῳ. *Picturæ sunt, cum Amazonibus dimicantes Athenienses. estque hoc bellum expressum illis in Minervæ quoque clypeo, & Olympii Jovis basi.* Diductum quoque ibidem

A solum, ad cubiti instar; qua, diluvio Deucalionis, defluxisse aquam memorant: unde in hiatum illum singulis annis polentam e melle, & triticea farina, porricere solent. Pausanias, *in Attic.* Ἐνταῦθα ὅσον ἐς πῆχυν τὸ ἔδαφος διέστηκε· καὶ λέγουσι, μετὰ τὴν ἐπομβρίαν, τὴν ἐπὶ Δευκαλίωνος συμβᾶσαν, ὑπορρυῆναι ταύτῃ τὸ ὕδωρ. ἐσβάλλουσί τε ἐς αὐτὸ ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄλφιτα πυρῶν, μέλιτι μίξαντες. *Ibi, ad cubiti instar, diducta est terra; ac ferunt, post diluvium, quod sub Deucalione accidit, aquam illuc defluxisse: injiciuntque in hunc hiatum annis singulis farinas tritici, melle mixtas.* Et Isocratis illic statua spectabatur, in columna. Pausanias, *in Attic.* Κεῖται δὲ B ἐπὶ κίονος Ἰσοκράτους ἀνδριάς. *Et Isocratis ibi est statua, columnæ imposita.* Atque hæc quidem ex ære erat, ab Aphareo collocata, filio ejus adoptivo. Plutarchus, in ejus Vita, lib. *De x. Rhet.* Ἔπειτα Πλαθάνην, τὴν Ἱππίου τοῦ ῥήτορος, γυναῖκα ἠγάγετο, τρεῖς παῖδας ἔχουσαν· ὧν τὸν Ἀφαρέα, ὡς προείρηται, ἐποιήσατο· ὃς καὶ εἰκόνα αὐτοῦ χαλκῆν ἀνέθηκε πρὸς τῷ Ὀλυμπίῳ, ἐπὶ κίονος, καὶ ἐπέγραψε.

Ἰσοκράτους Ἀφαρεὺς πατρὸς εἰκόνα τήνδ' ἀνέθηκε
Ζηνί, θεούς τε σέβων, καὶ γονέων ἀρετήν.

C *Inde Plathanen, Hippiæ oratoris filiam, uxorem duxit, tres filios habentem; quorum Aphareum, ut jam dixi, adoptavit: isque statuam ei æneam posuit, in columna; & inscripsit,*

Isocratis Aphareus patris statuam hanc dedicavit
Jovi, deos venerans, & parentum virtutem.

Item Persæ spectabantur, e marmore Phrygio, tripodem æneum sustinentes. Pausanias, *in Attic.* Κεῖνται δὲ λίθου Φρυγίου Πέρσαι, χαλκοῦν τρίποδα ἀνέχοντες. θέας ἄξιοι καὶ αὐτοί, καὶ ὁ τρίπους. *Sunt & e lapide Phrygio Persæ, æneum tripodem sustinentes; digni visu & ipsi, & tripos.* Juxta etiam, Morychia domus. Plato, in *initio Phædri.* Ναί, παρ' Ἐπικράτει; ἐν τῇδε τῇ πλησίον τοῦ Ὀλυμπίου οἰκίᾳ τῇ Μορυχίᾳ. *Certe, apud Epicratem, in domo Morychia, quæ est prope fanum Jovis Olympii.* Item Charmidæ. Andocides, in *Orat.* Περὶ μυστηρίων. Αὕτη ἐμήνυσεν, ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Χαρμίδου, τῇ παρὰ τὸ Ὀλύμπιον, μυστήρια ποιεῖν Ἀλκιβιάδην. *Hæc indicavit, Alcibiadem mysteria peragere in domo Charmidæ, quæ est juxta Jovis Olympii templum.* Et sepulcrum Deucalionis. Pausanias, *in Attic.* Σημεῖα ἀποφαίνοντες, ὡς Δευκαλίων Ἀθήνῃσιν ᾤκησε, τάφον, τοῦ ναοῦ (τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου) τοῦ νῦν οὐ πολὺ ἀφεστηκότα. *Signum ostendentes, habitasse olim Athenis Deucalionem, sepulcrum ejus; non longe a templo, (Jovis Olympii,) quod nunc exstat.* Meminitque hujus Strabo, *lib.* IX. Ἐν δὲ τῷ Κύνῳ, Δευκαλίωνά φασιν οἰκῆσαι· καὶ τῆς Πύρρας αὐτόθι δείκνυται σῆμα· τοῦ δὲ Δευκαλίωνος, Ἀθήνησι. *Cyni vero, habitasse Deucalionem ferunt; & Pyrrhæ ibidem sepulcrum ostenditur; sed Deucalionis, Athenis.*

JOANNIS MEURSII ATHENARUM ATTICARUM

LIBER II.

CAP. I.

Apollinis Pythii, simulacrum; Delphinii, templum: ut & Delphiniæ Dianæ, ab Aegeo structum; cujus ibi quondam domus. Mercurii ante illud signum; ἐν Αἰγέως πύλαις dictum. Alii tradunt, a Cretensibus dedicatum; qui servati e tempestate ab Apolline, in delphinem transformato. Poculum ibi effusum, cum veneno, Theseo præparatum ab Ægeo. Tripos, a Thalete dedicatus huic deo; qui & apud Æginetas colebatur: apud quos & mensis, Δελφίνιος dictus. Κῆποι, locus; ubi Veneris τῆς Οὐρανίας templum: & signum, Alcamenis opus.



PROPE Olympii Jovis templum, simulacrum Pythii Apollinis, & Delphinii ædes erat; quæ cum ad fastigium jam perducta esset, ferunt Theseum, necdum cognitum, palla talari indutum, plexaque eleganter coma, venisse in Urbem: utque primum ad Delphinii accessisset, ab his, qui fastigium templi erigebant, per ludibrium rogatum, quid ita sola virgo nubilis oberraret: illum vero nihil plane respondisse; sed disjunctis plaustri bubus, quod tunc illo in loco erat, acceptam trabem laquearis altius, quam culmen erat, quod statuerant, projecisse. Pausanias, *in Attic.* Μετὰ δὲ τὸν ναὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, πλησίον ἄγαλμά ἐστιν Ἀπόλλωνος Πυθίου. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱερόν, Ἀπόλλωνος, ἐπίκλησιν Δελφινίου· λέγουσι δέ, ὡς, ἐξειργασμένου τοῦ ναοῦ πλὴν τῆς ὀροφῆς, ἀγνὼς ἔτι τοῖς πᾶσιν ἀφίκοιτο Θησεὺς ἐς τὴν πόλιν. οἷα δὲ χιτῶνα ἔχοντος αὐτοῦ ποδήρη, καὶ πεπλεγμένης εὐπρεπῶς οἱ τῆς κόμης, ὡς ἐγίνετο κατὰ τὸν τοῦ Δελφινίου ναόν, οἱ τὴν στέγην οἰκοδομοῦντες ἤροντο σὺν χλευασίᾳ, ὅτι δὴ παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου πλανᾶται μόνη. Θησεὺς δέ, ἄλλο μὲν D αὐτοῖς ἐδήλωσεν οὐδέν· ἀπολύσας δέ, ὡς λέγεται, τῆς ἁμάξης τοὺς βοῦς, ἣ σφίσι παρῆν, τὸν ὄροφον ἀνέρριψεν ἐς ὑψηλότερον, ἢ τῷ ναῷ τὴν στέγην ἐποιοῦντο. *Post Olympii Jovis templum, in propinquo est Apollinis Pythii signum; item aliud templum, Apollinis, cognomento Delphinii. Ajunt vero, cum exstructum illud esset, præter tectum, ignotum adhuc omnibus Theseum Urbem intrasse: cum autem, veste talari indutus, & decenter plexa coma, ad Delphinii usque templum pervenisset, qui ædificabant tectum, interrogasse, quid ætate nubili virgo ita sola oberraret: ipsum vero, nihil aliud respondisse: sed, solutis plaustri bubus, quod tunc aderat, trabem arreptam laquea*E*ris altius multo projecisse, quam illi templi tectum facerent.* Nec Delphinio tantum Apollini, sed & Dianæ Delphiniæ sacra ædes; & tribunal illic erat, ἐπὶ Δελφινίῳ dictum. Pollux, *lib.* VIII. *cap.* X. Τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ (δικαστήριον) ἱδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως· λέγεται δὲ Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ, καὶ Ἀρτέμιδι Δελφινίᾳ. *Quod in Delphinio, (tribunal,) constitutum quidem ab Ægeo, dedicatum vero fertur Apollini Delphinio, & Dianæ Delphiniæ.* Sed de tribunali isto pridem in *Areopago* dixi; nunc de templo porro agamus. Et Apollinis hoc fuisse, dicit etiam Scholiastes Aristophanis, *ad Equites.* Δελφίνιον δέ, ἱερὸν F Ἀπόλλωνος Ἀθήνῃσιν, οὕτω καλούμενον. *Delphinium vero, templum Apollinis est Athenis, ita dictum.* Dedicatum id ab Ægeo, Thesei patre. Ecce in Pollucis *verbis.* Ἱδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως. *Constitutum quidem ab Ægeo.* Nam is ibi habitabat; unde & Mercurii signum, ante templum ad orientem collocatum, Ἑρμῆς ἐπ' Αἰγέως πύλαις dicebatur: effusumque illic poculum cum veneno, quod Medeæ suasu Ægeus Theseo hospiti præparaverat. Plutarchus, in *Vita Thesei.* Λέγεται δέ, τῆς κύλικος πεσούσης, ἐκχυθῆναι τὸ φάρμακον, ὅπου νῦν ἐν Δελφινίῳ τὸ περίφρακτόν ἐστιν. ἐνταῦθα γὰρ ὁ Αἰγεὺς ᾤκει· καὶ τὸν Ἑρμῆν, τὸν πρὸς ἕω τοῦ ἱεροῦ, καλοῦσιν ΕΠ' ΑΙΓΕΩΣ ΠΥΛΑΙΣ. *Fertur vero, lapso calice, effusum fuisse venenum, ubi nunc in Delphinio septum exstat. ibi enim Ægeus*

habitabat ; & Mercurium, qui est ad orientem fani, nuncupant AD ÆGEI PORTAM. Alii volunt, a Cretensibus dedicatum; qui servati e tempestate, & in Atticam delati, ab Apolline, sub delphinis piscis specie. Etymologici Auctor, *in* Ἐπὶ Δελφινίῳ. Οἱ δέ φασιν, ὅτι, Κρητῶν χειμαζομένων, εἰκασθεὶς δελφῖνι ὁ Ἀπόλλων, ἔσωσε αὐτοὺς, εἰς τὴν Ἀττικὴν κομίσας· ἀνθ' ὧν Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ ἱδρύθη ἱερόν. *Hi vero ajunt, quod Cretenses, tempestate jactatos, delphinis specie servarit Apollo, & in Atticam deduxerit; eaque de causa Apollini Delphinio templum dedicatum esse.* Apollini vero huic Delphinio postea Theseus profligatum a se taurum Marathonium immolavit. Plutarchus, *in citata statim* Vita Thesei. Ὁ δὲ Θησεὺς, ἐνεργὸς εἶναι βουλόμενος, ἅμα δὲ καὶ δημαγωγῶν, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν Τετράπολιν παρέχοντα· καὶ χειρωσάμενος, ἐπεδείξατο ζῶντα, διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας. εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν. *Theseus autem, in opere aliquo esse cupiens, gratiamque populi captans, egressus est contra Marathonium taurum, non parum negotii facessentem iis omnibus, qui Tetrapolin habitabant; eumque superatum, vivum exhibuit, per Urbem agitans: inde etiam Apollini Delphinio immolavit.* Thales quoque tripodem illum, tanto opere celebratum, Apollini huic dedicavit, cum inscriptione ista. Θαλῆς Ἐξαμίου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών. *Thales Examii Milesius Apollini Delphinio Græcorum præmium bis nactus.* Videndus est Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, lib. I. Ut vero Athenis, ita quoque in Ægina, quæ colonia Atheniensium, deus ille eodem cognomento cultus; & Δελφίνιος item mensis appellatus. Scholiastes Pindari, *Nem. Od.* V. Παρ' Αἰγινήταις Δελφίνιος μεὶς ἄγεται, Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερός. *Apud Æginetas est mensis Delphinius, Apollini Delphinio sacer.* Proxime templum hoc Apollinis, Κῆποι erant; ubi templum Veneris τῆς Οὐρανίας: juxta quoque simulacrum, figura quadrata, ceu Mercurii istud esset, Alcamenis opus. Pausanias, *in Attic.* Ἐς δὲ τὸ χωρίον, ὃ Κήπους ὀνομάζουσι, καὶ τὸν Ἀφροδίτης τὸν ναὸν, οὐδεὶς λεγόμενος σφίσιν ἐστὶ λόγος. οὐ μὴν οὐδὲ ἐς τὴν Ἀφροδίτην, ἣ τοῦ ναοῦ πλησίον ἕστηκε· ταύτης γὰρ σχῆμα μὲν τετράγωνον κατὰ ταὐτὰ καὶ τοῖς Ἑρμαῖς· τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει, τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι τὴν πρεσβυτάτην. τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀφροδίτης ἐν τοῖς Κήποις, ἔργον ἐστὶν Ἀλκαμένους, καὶ τῶν Ἀθήνῃσιν ἐν λόγοις θέας ἄξιον. *De loco vero, quem Hortos vocant, & Veneris fano, nihil est, quod in sermone ipsi ferant; uti nec de Veneris signo, quod adsistit. nam quadrata quidem ejus est figura, plane ut Mercuriorum, verum indicat inscriptio, Venerem esse; earum, quæ vocantur Parcæ, natu maximam. Sed id Veneris simulacrum, quod in Hortis, ab Alcamene factum est; inter ea, quæ Athenis memorantur, visu dignum.* Meminitque Plinius, *lib.* XXXVI. *cap.* VI. *Alcamenem Atheniensem, quod certum est, docuit (Phidias) in primis nobilem, cujus sunt opera Athenis complura in ædibus sacris: præclaraque Venus extra muros, quæ appellatur* Ἀφροδίτη ἐν Κήποις. Lucianus, in *Imaginibus* Σὺ δὲ (ταύτην γὰρ, ὡς φῂς, εἶδες) ἴθι μοι, καὶ τόδε ἀπόκριναι, εἰ καὶ (τὴν Ἀφροδίτην) τὴν ἐν Κήποις Ἀθήνησι, τὴν Ἀλκαμένους, ἑώρακας. *Tu vero, (nam vidisti, uti inquis,) age, & hoc mihi responde, nunquid etiam Venerem illam Athenis, quæ in Hortis est, ab Alcamene facta, conspexisti?* Meminitque rursum postea, semel atque iterum; uti & in *Meretriciis*, in Dialogo *Matris, & Musarii*.

CAP. II.

Κυνόσαργες. *Diomi sacrificium. Canis factum. Suidas emendatus. Herculis fanum; in quo, ad columnam quandam, appensum decretum Alcibiadis. Ara Herculis, a Diomo structa; item Hebes, Alcumenæ, & Iolai. Gymnasium; unde si quis furto quicquam abstulisset, cujus pretium drachmas decem superaret, capitis pœna plectebatur. Nothi omnes convenire illic soliti; qui expositi ibi loci, & dijudicati etiam, pariter sane ac liberti. Sed hæc discernendi ratio mox sublata a Themistocle. In propinquo, porta Urbis; Cynicaque illic Secta instituta. Incensum totum a Philippo, Macedonum rege, cum vicinis monumentis; inter quæ Isocratis erant, quique ei genere proximi.*

HINC Κυνόσαργες memoratur, cui a cane albo nomen; qui, faciente sacra Diomo, hostiæ partem abripuit. Eustathius, *ad Iliad.* β'. Κυνόσαργες, χωρίον, οὕτω κληθὲν ἀπὸ κυνὸς λευκοῦ, θῦμά τι ἀφαρπάσαντος, καὶ ἐκδραμόντος ἐκεῖ. *Cynosarges, locus, ita dictus a cane albo, qui, abrepta victimæ parte, huc excurrit.* Mendum est apud *Suidam*. Κυνόσαργες, τόπος τίς ἐστι παρ' Ἀθηναίοις καὶ ἱερὸν Ἡρακλέους, κατ' αἰτίαν τοιαύτην. Δίδυμος ὁ Ἀθηναῖος ἔθυεν ἐν τῇ ἑστίᾳ. εἶτα κύων λευκὸς παρὼν, ἥρπασε τὸ ἱερεῖον· καὶ ἀπελθὼν, εἴς τινα τόπον ἀπέθετο. *Cynosarges, est locus quidam apud Athenienses; & Herculis fanum, ob talem causam. Didymus Atheniensis sacrificabat in foco, canisque albus, qui aderat hostiam abripuit; ac discedens, in loco quodam deposuit.* Rescribo. Δίομος ὁ Ἀθηναῖος ἔθυε τῇ Ἑστίᾳ. *Diomus Atheniensis sacra faciebat Vestæ.* Stephani quoque hac in re corrupta verba, mutilaque. Δίομος Ἡρακλεῖ ὡς θεῷ θύων, τὰ * ξενώσωρ ..ρα Ἡρακλεῖ ἥρωι ἔδειξε· καὶ κύων λευκὸς, ἁρπάσας τὰ μηρία, εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἤνεγκεν. *Diomus, Herculi sacrificans, tanquam deo, * sacra Herculi heroi ostendit: & canis albus, cum arripuisset coxam, in hunc locum asportavit.* Hesychius. Κυνόσαργες, τόπος ἱερός· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Διόμου, φασὶ, θύοντος Ἡρακλεῖ, κύων, ἁρπάσας τὰ μηρία, ἔφυγε διωκόμενος. ἐκλήθη δὲ ὁ τόπος οὕτως, ἀπὸ τῆς λευκότητος τοῦ κυνὸς, ἢ τοῦ τάχους. *Cynosarges, locus sacer; appellatus ab hac causa. Diomo, ajunt, Herculi sacra faciente, canis, coxa abrepta, cum persequerentur ipsum, cursu aufugit. Locus vero ita dictus ab albedine, vel celeritate, canis.* Ulpianus, *in Timocrateam*. Τὸ δὲ Κυνόσαργες (ἐκλήθη) ἐκ τοῦ ποτε θύοντος (τοῦ Διόμου) τῷ Ἡρακλεῖ, κύνα λευκὸν ἁρπάξαι τὰ μηρία τοῦ ἱερείου, καὶ ἀποθέσθαι αὐτὰ εἰς τὸν τόπον τοῦτον, ἔνθα ἐστὶ τὸ γυμνάσιον. *Cynosarges autem, (appellatum est) ex eo, quod, sacra olim faciente (Diomo) Herculi, canis albus hostiæ coxam abripuerit, deposueritque ibi, ubi nunc gymnasium exstat.* Canis factum breviter attingit etiam Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ Ἡρακλέους ἱερὸν, καλούμενον Κυνόσαργες. καὶ τὰ μὲν ἐς τὴν κύνα εἰδέναι τὴν λευκὴν ἐπιλεξαμένοις ἐστὶ τὸν χρησμόν. *Est delubrum quoque Herculis, Cynosarges appellatum; ac, quæ de cane albo feruntur, scire possunt, qui oraculum legerunt.* Et observa, Herculis ibi fanum fuisse. Meminit ejus etiam Herodotus, *lib.* V. *cap.* LXIII. Καὶ Ἀγχεμολίου εἰσὶ ταφαὶ τῆς Ἀττικῆς Ἀλωπεκῆσι, ἀγχοῦ τοῦ Ἡρακλείου, τοῦ ἐν Κυνοσάργει. *Et sepulcrum Anchemolii est in Atticæ Alopecis, prope Herculis delubrum, quod in Cynosarge exstat.* Livius, *lib.* XXXI. *cap.* XXIV. *Philippus, signo receptui dato, castra ad Cynosarges, (templum Herculis, gymnasiumque, & lucus erat circumjectus,) posuit.* Harpocration, *in* Ἡράκλεια. Πολλῶν ὄντων τῶν τῆς Ἀττικῆς Ἡρακλείων, νῦν ἂν ὁ Δημοσθένης μνημονεύοι τοῦ ἐν Μαραθῶνι, ἢ τοῦ

ἐν Κυνοσάργει. *Cum multa sint in Attica fana Herculis, nunc meminit Demosthenes eorum, quæ in Marathone, aut Cynosarge*. In eo templo, ad columnam quandam, appensum erat decretum quoddam Alcibiadis. Athenæus memorat, *lib.* VI. Ἐν Κυνοσάργει μὲν, ἐν τῷ Ἡρακλείῳ, στήλη τίς ἐστιν· ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν, Ἀλκιβιάδου· γραμματεὺς δὲ, Στέφανος ὁ Θουκυδίδου. *In Cynosarge quidem, in templo Herculis, columna quædam est; & in ea decretum, Alcibiadis; scriba autem, Stephanus Thucydidis*. Herculis autem uti templum, ita quoque ara erat; item Hebes, Alcmenæque, & Iolai. Pausanias subjungit *loc. cit.* Βωμοὶ δέ εἰσιν Ἡρακλέους τε, καὶ Ἥβης. ἣν, Διὸς παῖδα οὖσαν, συνοικεῖν Ἡρακλεῖ νομίζουσιν. Ἀλκμήνης τε βωμὸς, καὶ Ἰολάου, πεποίηται· ὃς τὰ πολλὰ Ἡρακλεῖ συνεπόνησε τῶν ἔργων. *Aræ vero sunt & Herculis, & Hebes; quam, cum Jovis sit filia, Herculi nuptam existimant. Alcmenæ quoque ara structa est, & Iolao; qui multorum Herculi laborum socius fuit*. Ac Herculis quidem aram istam jussu oraculi a Diomo structam refert *Suidas*. Ὁ δὲ (Δίομος) περιδεὴς ἦν. ἔχρησε δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς, ὅτι εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἀπέθετο, βωμὸν ὀφείλοι ἱδρύσασθαι. *Metu vero (Diomus) perculsus erat; & oraculum ei deus dedit, ut, quo loco hostiam deposuisset, aram exstrueret*. Iolai aram, respexit idem Suidas *alibi*, cum inquit. Ἰόλαος, ἥρως τις, τιμώμενος παρ' Ἀθηναίοις. *Iolaus, heros quidam, honoratus apud Athenienses*. Erat porro & gymnasium, ut videre est apud *Stephanum*. Κυνόσαργες, γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ. *Cynosarges, gymnasium in Attica*. Et in *citatis* Livii *verbis*. *Cynosarges, templum Herculis, gymnasiumque*. Plutarchus, in *Themistocle*, ubi de eo verba facit. Τοῦτο δ' ἐστὶν ἔξω πυλῶν γυμνάσιον. *Est autem hoc extra portam gymnasium*. Diogenes Laertius, in *Antisthene*, lib. VI. cap. XIII. Διελέγετο δ' ἐν τῷ Κυνοσάργει γυμνασίῳ, μικρὸν ἄπωθεν τῶν πυλῶν. *Disserebat vero in gymnasio Cynosargi, non longe a porta*. Et qui quicquam inde cuiquam furto abducerent, pretio supra drachmas decem, ii capite plectebantur; idque e Solonis lege. Demosthenes, *Orat. in Timocratem*. Εἴ τις ἐκ Κυνοσάργους ἱμάτιον, ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο, ὑπὲρ δέκα δραχμὰς, καὶ τούτοις θάνατον ἐνομοθέτησεν (ὁ Σόλων) εἶναι τὴν ζημίαν. *Si quis e Cynosarg vestem, aut laguunculam, aut aliud quicquam minimi pretii, aut vasculum aliquod e gymnasiis, surripuerit, supra decem drachmas, etiam his pœnam mortis (Solon) constituit*. Ac conveniebant isthuc nothi, exercitii causa. Suidas, *in* Κυνόσαργες. Ἐπειδὴ οὖν ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ νόθος εἶναι, διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο. *Quia Hercules nothus esse existimatur, ideo nothi ibi loci exercebantur*. Et observa ibi causam; quia nempe Hercules nothus. Quin discernebantur ibidem. Nonnus Monachus, in *Collect. Hist.* in Gregorii Nazianzeni στηλιτευτικὴν *priorem, cap.* LX. Κυνόσαργες, τόπος ἦν Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ καὶ οἱ νόθοι ἐκρίνοντο, εἰ τοῦ δέ τις ὄντως γέγονεν υἱός. *Cynosarges, locus Athenis, ubi nothi judicabantur, an cujuspiam aliquis vere filius esset*. Videndus etiam Diogenianus, *Cent.* V. Proverb. XCIV. Hinc Demosthenes, Orat. *in Aristocratem*. Ἀλλ' εἰς τοὺς νόθους ἐκεῖ συντελεῖ, καθάπερ ποτὲ ἐνθάδε εἰς Κυνόσαργες οἱ νόθοι. *Sed inter nothos ibi censetur, quemadmodum olim hic in Cynosarge nothi*. Plutarchus, in *Erotico*. Τοῦτο τὸ πάθος δεῖ καλεῖν ἔρωτα θῆλυν, καὶ νόθον, ὥσπερ εἰς Κυνόσαργες συντελοῦντα. *Hunc affectum appellare oportet amorem effœminatum, ac nothum, & ad Cynosarges pertinentem*. Etiam illic deponebantur. Gregorius Nazianzenus, in *Julianum* Orat. I. Τἄλλα δ' ἀπερρίφθαι εἰς τὸ Κυνόσαργες, ὥσπερ τὸ πάλαι τοὺς νόθους. *Reliqua autem abjiciantur in Cynosarges, sicut olim nothis factum*.

A Joannes Tzetzes, *Chil.* XIII. *cap.* CCCCLXXXIX.

> Ἐρρίπτουν εἰς Κυνόσαργες. τόπος δ' Ἀθήναις τοῦτο,
> Οὗ καὶ τοὺς νόθους ἔρριπτον τοῖς χρόνοις τοῖς προτέροις.
>
> *Abjiciebant in Cynosarges; locus autem hic Athenis,*
> *Ubi nothos abjiciebant temporibus superioribus*.

Videndus etiam Apostolius *Cent.* VII. *Proverb.* LXIX. Pari vero conditione cum nothis & liberti habiti;
B itaque etiam illi huc conveniebant, itidem censendi, an plena ipsis libertas esset. Nonnus, *loco jam citato*. Ἐκάλουν δὲ παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τοὺς ἀπελευθέρους νόθους. νόθοι γὰρ καὶ οὗτοι πρὸς τοὺς ἐκ γενετῆς ἐλευθέρους· οὗτοι δὲ ἐκρίνοντο, καὶ ἐδοκιμάζοντο, εἰ ὅλως ἐλευθερώθησαν. *Apud Athenienses vero etiam libertos vocabant nothos, cum ingenuis comparatos. Censebantur autem, & explorabantur, an omnino libertate donati essent*. Et communi etiam illic exercitio utebantur. Inde intelligendus Dion Chrysostomus, *Orat.* XV. quæ est, Περὶ δουλείας, καὶ ἐλευθερίας. Τί οὖν, εἶπε, κατὰ τοῦτο κωλύει με ἐν Κυνοσάργει ἀλείφεσθαι μετὰ τῶν νόθων, εἴπερ καὶ μητρὸς ἐλευθέρας, ἴσως δὲ καὶ ἀστῆς,
C τυγχάνω γεγονὼς, καὶ πατρὸς, οὗ σὺ φῄς; *Quid ergo, inquit, secundum hoc prohibet me in Cynosarge ungi um nothis, siquidem & matre libera, ac fortasse etiam cive, & parente, quo tu dicis, sum prognatus?* Sed discrimen hoc nothorum, & ingenuorum, a Themistocle est sublatum. Plutarchus, statim in *initio Vitæ ejus*. Καὶ τῶν νόθων, εἰς Κυνόσαργες συντελούντων, (τοῦτο δ' ἐστὶν ἔξω πυλῶν γυμνάσιον Ἡρακλέους, ἐπεὶ κἀκεῖνος οὐκ ἦν γνήσιος ἐν θεοῖς, ἀλλ' ἐνείχετο νοθείᾳ, διὰ τὴν μητέρα, θνητὴν οὖσαν.) ἔπεισέ τινας ὁ Θεμιστοκλῆς τῶν εὖ γεγονότων νεανίσκων, καταβαίνοντας εἰς Κυνόσαργες, ἀλείφεσθαι μετ' αὐτοῦ· καὶ, τούτου γενομένου, δοκεῖ πανούργως τὸν τῶν νόθων καὶ γνη-
D σίων διορισμὸν ἀνελεῖν. *Cum nothi in Cynosarges convenirent, (quod gymnasium Herculis est extra portam, siquidem nec ille ingenuus inter deos, verum nothus, ceu mortali matre natus,) induxit Themistocles juvenes quosdam, nobili familia ortos, ut, comitati in Cynosarges, una secum ungerentur: &, hoc facto, callide nothorum atque ingenuorum discrimen sustulisse videtur*. Erat autem, ut in *citatis* his Plutarchi etiam *verbis* observamus, extra portam, non longe ab Urbe; Cynicaque illic Secta ab Antisthene instituta. Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, lib. VI. cap. XIII. Διελέγετο δ' ἐν τῷ Κυνοσάργει γυμνασίῳ, μικρὸν ἄπωθεν τῶν πυλῶν· ὅθεν τινὲς καὶ τὴν
E Κυνικὴν ἐντεῦθεν ὀνομασθῆναι. *Disserebat vero in gymnasio Cynosarge, non longe a porta; unde quidam Cynicæ Sectæ nomen inde datum volunt*. De Secta Cynica, ibi loci instituta, *Hesychius Milesius* idem dicit. Κυνικὴ ἐκλήθη φιλοσοφία, διὰ τὸ ἐν Κυνοσάργει τῷ γυμνασίῳ κατάρξασθαι αὐτῆς τὸν Ἀντισθένην. *Cynica philosophia appellata est, quod Antisthenes in gymnasio Cynosarge instituerit*. Incensum fuit universum a Philippo, Demetrii filio, Macedonum rege. Livius, *libro citato*. *Sed & Cynosarges, & Lyceum, & quicquid sancti, amœnive, circa Urbem erat, incensum est; dirutaque non tecta solum,*
F *sed etiam sepulcra*. Ubi observa, etiam sepulcra dici; nam hæc multa juxta erant: in his Isocratis, pluriumque e propinquis. Plutarchus, in *ejus Vita*, lib. *De X. Rhet.* Ἐτάφη δὲ μετὰ τῆς συγγενείας, πλησίον Κυνοσάργους, ἐπὶ τοῦ λόφου ἀριστερᾷ. *Sepultus vero est cum propinquis, juxta Cynosarges, in sinistra collis parte*.

CAP. III.

Lyceum, a quo dictum? Apollinis τοῦ Λυκοκτόνου, *sive* Λυκίου, *templum; ejusque simulacrum, quale? Polemarchorum olim curia. Hesychii error indicatus. Gymnasium, Apollini sacrum; a Pisistrato, sive Pericle, ædificatum: a Lycurgo in majus auctum, & arboribus exornatum. Palæstra; platanus item magna, & aquæductus. Deambulacrum Aristotelis; a quo ipse,* Περιπατητικός; *& discipuli,* Περιπατητικοὶ *appellati. Locus cursus, exercitiumque militum. Lex Solonis, in hos, qui hinc furto aliquid abduxissent, quod superaret drachmas decem. Cœna item agitari ibidem solita. Panopis fons, qui corruptus ætate Strabonis. Porta Diochari. Sepulcrum Nisi. Ciceronis in Tusculano gymnasium, eodem nomine nuncupatum; & in villa Tiburtina Hadriani locus quidam. A Philippo rege inceditur, & a Sylla, excisis arboribus, devastatur.*

LYCEUM sequebatur, Apollinis templum; a Lyco, Pandionis filio, appellatum. Pausanias, *in Attic.* Λύκειον δὲ, ἀπὸ μὲν Λύκου, τοῦ Πανδίονος, ἔχει τὸ ὄνομα· Ἀπόλλωνος δὲ ἱερὸν ἐξ ἀρχῆς τε δι' αὐτοῦ, καὶ καθ' ἡμᾶς, ἐνομίζετο. *Lyceum vero, a Lyco quidem, Pandionis filio, nomen habet; Apollinis autem templum olim, & nunc, creditum est.* Erat autem Apollini sacrum τῷ Λυκοκτόνῳ. Ulpianus, in *Timocrateam.* Τὸ δὲ Λύκειον, τοῦ Λυκοκτόνου Ἀπόλλωνος. ἢ, ὅτι Νόμιος ὁ θεὸς νομίζεται, ἐκ τοῦ θητεῦσαι Ἀδμήτῳ· καὶ ἀνάγκη ἦν ἀνελεῖν, ὡς Νόμιον, τοὺς λύκους, τοὺς ἐχθροὺς ὄντας ταῖς ποίμναις· ἢ, ὅτι λύκων ποτὲ ἐπελθόντων τῇ πόλει τῇ τῶν Ἀθηναίων, καὶ πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων ἀναιρούντων, ἔχρησεν ὁ θεὸς, θύειν μάλιστα ἐν τῷ τόπῳ. καὶ λοιπὸν ἐκ τῆς ὀσμῶν ἀπώλλυντο οἱ λύκοι. καὶ ἐκ τούτου, χάριν ὁμολογοῦντες οἱ Ἀθηναῖοι τῷ Ἀπόλλωνι, ἱερὸν ἐκεῖσε αὐτοῦ κατεστήσαντο· καλέσαντες αὐτὸ, Λυκοκτόνου Ἀπόλλωνος. *Lyceum vero, est (templum) Apollinis Lupicidæ; sive quod is deus Pastoralis habeatur, ex eo quod Admeto servit; & necesse ei fuit, ut Pastorali, occidere lupos, gregum hostes: sive quod, cum aliquando lupi urbem Atheniensium invasissent, & Athenienses multos interficerent, Deus ille oraculo monuerit, uti maxime ibi loci sacrificarent: ac deinceps e nidore lupi plane perierint. Hac de causa Athenienses, ut se erga Apollinem gratos exhiberent, ædem ei, Lupicidæ cognomento, illo in loco exstruxerunt.* Alii, quod cum Lycei nomine magis est conveniens, Apollini τῷ Λυκίῳ sacrum fuisse tradunt; ejusque ibi simulacrum item erat, in columna recumbens: sinistra manu arcum gerens, dextra supra caput refracta; tanquam deo a multo labore quiescente. Lucianus, *De Gymnasiis*, ita Solonem loquentem introducens. Ὁ μὲν χῶρος αὐτὸς, ὦ Ἀνάχαρσι, γυμνάσιον ὑφ' ἡμῶν ὀνομάζεται, καί ἐστιν ἱερὸν Ἀπόλλωνος τοῦ Λυκίου. καὶ τὸ ἄγαλμα δὲ αὐτοῦ ὁρᾷς, τὸν ἐπὶ τῇ στήλῃ κεκλιμένον· τῇ ἀριστερᾷ μὲν, τὸ τόξον ἔχοντα· ἡ δεξιὰ δὲ, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἀνακεκλασμένη, ὥσπερ ἐκ καμάτου μακροῦ ἀναπαυόμενον δείκνυσι τὸν θεόν. *Locus quidem ipse, o Anacharsi, gymnasium a nobis appellatur; estque templum Apollinis Lycii. Vides vero etiam ejus simulacrum, in columna inclinatum; sinistra manu, arcum habens: dextra autem, supra caput refracta, quasi quiescentem a labore diuturno deum indicat.* Et observa; gymnasium ibidem erat: a Pisistrato, sive Pericle, ut alii volunt, ædificatum. *Suidas.* Λύκειον, ἓν τῶν παρ' Ἀθηναίοις γυμνασίων· ὃ Θεόπομπος μὲν, Πεισίστρατον ποιῆσαί φησι· Φιλόχορος δὲ, ἐπιστατοῦντος Περικλέους γενέσθαι. *Lyceum, unum e gymnasiis, quæ sunt apud Athenienses; quod Theopompus, a Pisistrato; Philochorus, curante Pericle, factum dicit.* Et hoc ipsum est, quod Apollini quoque sacrum, pariter ac templum, Plutarchus tradit, causam addens, *Sympos.* lib. VIII. *Quæst.* IV. Καὶ μὴν οὐδὲ Ἀθηναίους εἰκός ἐστιν Ἀπόλλωνι καθιερῶσαι τὸ γυμνάσιον ἀλόγως, καὶ αὐτομάτως· ἀλλὰ παρ' οὗ τὴν ὑγίειαν ἔχομεν θεοῦ, τοῦτον εὐεξίαν τε διδόναι, καὶ ῥώμην, ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ᾤοντο. *Et sane neque Athenienses verisimile est sine ratione, ac temere, gymnasium Apollini dedicasse; verum, a quo deo habemus sanitatem, eum quoque bonam corporis habitudinem, item robur, ad certamina suppeditare existimabant.* Olim illic polemarchorum curia erat, antequam Solon novem Archontes in unum locum convenire præcepisset. *Suidas.* Ἄρχοντες, οἱ ἐννέα τινές. θεσμοθέται ἕξ, ἄρχων, πολέμαρχος, βασιλεύς. καὶ πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων, οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν· ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς, καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ· τὸ δὲ, ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου· ὁ δὲ πολέμαρχος, ἐν Λυκείῳ· καὶ ὁ ἄρχων, παρὰ τοὺς Ἐπωνύμους· οἱ θεσμοθέται, παρὰ τὸ Θεσμοθέσιον. *Archontes, erant novem quidam. Thesmothetæ sex, Archon, Rex, Polemarchus. Et ante Solonis leges, ipsis una judicare non licebat; sed Rex, sedebat ad Bucoleum, quod est juxta Prytaneum; Polemarchus, in Lyceo; Archon vero, ad Eponymos; Thesmothetæ, ad Thesmothesium.* Apud *Hesychium* Ἐπιλύκιον scribitur. Ἐπιλύκιον, ἀρχεῖον τῶν πολεμάρχων Ἀθήνησιν. *Epilycium, archivum Polemarchorum Athenis.* Verum errat, mendo inductus; cum Ἐπιλύκιον, pro ἐπὶ Λύκειον, apud Auctorem aliquem scriptum a librario oscitante invenisset. Quæ de conditore Pericle, aut Pisistrato, e *Suida* protuli, eadem habes apud *Harpocrationem.* Ac de Pericle, etiam *Hesychius* refert. Λύκειον, τόπος. Περικλέους ἐπιστατήσαντος τοῦ ἔργου. *Lyceum, locus; Pericle opus curante factus.* Equidem arbitror, inchoatum a Pisistrato, post a Pericle exstructum. Alii Lycurgo asscribunt, Lycophronis filio, oratori. Pausanias, ubi de eo agit, *in Attic.* Τὰ δ' ἐπὶ τῆς αὐτοῦ πολιτείας, ἃ ᾠκοδόμησεν, ἐν Πειραιεῖ νεώς εἰσιν οἶκοι, καὶ τὸ πρὸς τῷ Λυκείῳ καλουμένῳ γυμνάσιον. *Quæ vero, dum remp. gessit, ædificavit; ea sunt, in Piræeo navalia: & gymnasium, ad Lyceum quod vocatur.* Verum illud sic interpretor, ut in majus multo exstruxerit. Hoc accipio e Plutarcho; qui ait, arbores quoque illic plantasse, & palæstram exstruxisse. Locus est in *ejus Vita*, lib. *De x. Rhet.* Πολλὰ τῆς πόλεως ἐπηνώρθωσε, καὶ τριήρεις τῷ δήμῳ παρεσκεύασε τετρακοσίας, καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε, καὶ ἐφύτευσε, καὶ τὴν παλαίστραν ᾠκοδόμησε. *Multa in Urbe instauravit, & triremes populo instruxit quadringentas; tum gymnasium in Lyceo etiam fecit, & arbores ibidem plantavit, ac palæstram ædificavit.* Et palæstræ, recens structæ, meminit Plato, in *initio Lysidis*, ubi de Lyceo agit. Δεῦρο, ἔφη, δείξας μοι ἐν τῷ καταντικρὺ τοῦ τείχους περίβολόν τέ τινα, καὶ θύραν ἀνεῳγμένην· διατρίβομεν δὲ, ἦ δ' ὅς, αὐτόθι ἡμεῖς τε αὐτοὶ, καὶ ἄλλοι πάνυ πολλοὶ, καὶ καλοί. Ἔστι δὲ δὴ τί τοῦτο; καὶ τίς ἡ διατριβή; Παλαίστρα, ἔφη, νεωστὶ ᾠκοδομημένη. *Huc, ait, ostenso mihi exadverso muri septo, januaque item aperta; illic, inquit, versamur cum nos ipsi, tum alii omnino multi, iique honesti. Sed quodnam istud, aut quæ illic conversatio? Palæstra, ait, recens admodum exstructa.* Aquæductus item ibi, & ingens platanus; cujus utriusque mentio est apud Theophrastum, *Hist. Plant.* lib. I. cap. XI. Ἥγε οὖν ἐν τῷ Λυκείῳ ἡ πλάτανος, ἡ κατὰ τὸν ὀχετὸν, ἔτι νέα οὖσα, περὶ τρεῖς καὶ τριάκοντα πήχεις ἀφῆκεν. *Igitur quæ in Lyceo est platanus, juxta aquæductum, cum novella adhuc esset, cubitos tres & triginta circiter emisit.* Et Plinius, *lib.* XII. *cap.* I. *Celebratæ sunt (platani) primum in ambulatione Academiæ Athenis, cubitorum triginta sex, unius radice ramos antecedente. Nunc est*

clara in Lyceo, gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo cava octoginta atque unius pedum specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris. Platani meminit quoque strictim Maximus Tyrius, *Dissert.* VIII. Ἔλεγε δὲ ταῦτα μόνον οὐκ ἐν μέσοις Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ οἴκοι, καὶ δημοσίᾳ, ἐν συμποσίοις, ἐν Ἀκαδημίᾳ, ἐν Πειραιεῖ, ἐν ὁδῷ, ὑπὸ πλατάνῳ ἐν Λυκείῳ. *Dicebat autem hæc non tantum inter medios Græcos, sed & domi ac foris, in conviviis, Academia, Piræeo, via, & sub platano in Lyceo.* Erat ibidem ambulacrum Aristotelis; a quo ipse Περιπατητικὸς; & qui eum sectabantur, Περιπατητικοὶ nuncupati. Diogenes Laertius, in *ejus Vita, lib.* V. *c.* II. Φησὶ δ' Ἕρμιππος ἐν τοῖς βίοις, ὅτι, πρεσβεύοντος αὐτοῦ πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ Ἀθηναίων, σχολάρχης ἐγένετο τῆς ἐν Ἀκαδημίᾳ σχολῆς Ξενοκράτης· ἐλθόντα δὲ αὐτὸν καὶ θεασάμενον ὑπ' ἄλλῳ τὴν σχολὴν, ἑλέσθαι περίπατον, τὸν ἐν Λυκείῳ. καὶ μέχρι μὲν ἀλείμματος ἀνακάμπτοντα, τοῖς μαθηταῖς συμφιλοσοφεῖν, ὅθεν Περιπατητικὸν προσαγορευθῆναι. *Refert Hermippus in Vitis, cum legatus Atheniensium ad Philippum profectus esset, scholæ, quæ in Academia, Xenocratem præfectum fuisse: cum reversus autem esset, ac præfectum scholæ alium conspexisset, elegisse in Lyceo ambulacrum; & ibi usque ad unctionem deflectentem, cum discipulis philosophatum: unde etiam Peripateticum appellatum.* Cicero, *Academ. Quæst.* lib. I. c. IV. *Qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt; quia disputabant, inambulantes in Lyceo.* Meminit item Ammonius, in *Vita Aristotelis.* Et exinde mansit schola; meminitque ita ejus Plutarchus etiam, lib. *De Exilio.* Ἐπὶ τοὺς σοφοὺς ἐλθὲ, καὶ τὰς σοφὰς Ἀθήνησι σχολὰς, καὶ διατριβάς. ἀναπέμπασαι τὰς ἐν Λυκείῳ, τὰς ἐν Ἀκαδημίᾳ, τὴν Στοάν. *Ad sapientes ito, & Athenienses scholas, ac gymnasia; Lyceum, Academiam, Porticum.* Locus quoque, ubi cursum exercerent, illic fuit. Observo apud Xenophontem, *Hist. Græc.* lib. II. Ἐπεὶ ἔγνω, ὅτι κατὰ τὸν ἐκ Λυκείου δρόμον μέλλοιεν τὰς μηχανὰς προσάγειν, τὰ ζεύγη ἐκέλευσε πάντα ἁμαξιαίους λίθους ἄγειν, καὶ καταβάλλειν, ὅπου ἕκαστος βούλοιτο τοῦ δρόμου. *Ubi cognovisset, quod ad curriculum e Lyceo machinas admoturi essent, jussit, ut jumenta omnia lapides plaustrales comportarent, eosque in curriculo, ubicunque vellent, abjicerent.* Et hic se exercebat ante bellum juventus Attica militaris. Aristophanes *Pace.*

Καὶ γὰρ ἱκανὸν χρόνον ἀ-
Πολλύμεθα, καὶ κατατετρίμμεθα, πλανώμενοι
Ἐς Λύκειον, κἀκ Λυκείου
Σὺν δορὶ, σὺν ἀσπίδι τε.
Jamque satis longum tempus
Periimus, & contriti sumus, oberrantes
In Lyceum, & e Lyceo,
Cum hasta, ac clypeo.

Ubi *Scholiastes.* Τὸ Λύκειον, γυμνάσιον Ἀθήνησιν, ὅπου πρὸ τοῦ πολέμου ἐδόκουν γυμνάζεσθαι. *Lyceum, gymnasium Athenis, ubi ante bellum, ut videtur, exercebantur.* Nec pedites tantum, sed & equites; estque de iis Xenophontis iste locus, in *Hipparchico.* Ὅταν γε μὴν πρὸ τοῦ ἀκοντισμοῦ διελαύνωσιν ἐν Λυκείῳ, καλὸν ἑκατέρας τὰς πέντε φυλὰς ἐπὶ τοῦ μετώπου ἐλαύνειν, ὥσπερ εἰς μάχην. *Quoties quidem in Lyceo ante jaculationem agitationes instituunt equites, sane pulcrum quiddam fuerit, utrasque tribus quinque, tanquam ad prœlium, a fronte provehi.* Et pompa hic exhibebatur ab Hipparcho. Xenophon *ibidem.* Ἔπειτα ὅπως τὰς πομπὰς ἐν ταῖς ἑορταῖς ἀξιοθεάτους ποιήσῃ· ἔτι δὲ καὶ τἆλλα ὅσα ἐπιδεικνύναι δεῖ τῇ πόλει, ὅπως ᾗ δυνατὸν κάλλιστα ἐπιδείξῃ, τά τ' ἐν Ἀκαδημίᾳ, καὶ τὰ ἐν Λυκείῳ. *Deinde, ut diebus festis pompas, spectatu dignas, exhibeat; aliaque, quæ sunt exhibenda urbi, quantum possit, quam pulcherrime repræsentet: sive id in Academia faciendum, sive item in Lyceo.* Si quis autem, dum nimirum exercerentur, quicquam inde surripuisset, cujus pretium drachmas decem superaret, lege Solonis capite luebat. Demosthenes, Orat. *in Timocratem.* Εἴ τις γ' ἐκ Λυκείου ἱμάτιον, ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων ὑφέλοιτο, ὑπὲρ δέκα δραχμὰς, καὶ τούτοις θάνατον ἐνομοθέτησεν (ὁ Σόλων) εἶναι τὴν ζημίαν. *Si quis e Lyceo vestem, aut laguncalam, aut quicquam aliud minimi pretii, aut vasculum aliquod e gymnasiis surripuerit, supra decem drachmas, etiam bis pœnam mortis (Solon) statuit.* Et posteriori tempore cœna quoque ibi instituta. Athenæus mihi testis, *lib.* IV. Ἐν Ἀθήναις δ' ἱστοροῦσι, οὐ πάνυ ἀρχαίων δυοῖν γενομένων δείπνων ἐν Λυκείῳ τε καὶ Ἀκαδημίᾳ, τοῦ μὲν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν εἰσενέγκαντος ὀψοποιοῦ λοπάδα, πρὸς ἑτέραν τινὰ χρείαν, τὸν κέραμον πατάξαι πάντας τοὺς ἱεροποιοὺς, ὡς μακρόθεν οὐκ ἀστείας παρεισδύσεως γενομένης, δέοντος ἀπέχεσθαι τὸ μακρόθεν· τὸν δ' ἐν τῷ Λυκείῳ, κρέας ταριχηρὸν εἰς τάριχος διασκευάσαντα, μαστιγωθῆναι, ὡς παρασοφιζόμενον πονηρῶς. *Athenis narrant, cum convivia non omnino antiqua duo agitarentur, in Lyceo, & Academia; in eo, quod in Academia, illata a coquo in alium usum patina fictili, sacrorum ministros omnes hanc fregisse, tanquam ea nimis procul inciviliter irrepsisset: in hoc vero, quod in Lyceo, coquum, qui salitam carnem in modum salsamenti e piscibus concinnaverat, flagris cæsum, ceu improbe ingeniosum.* In propinquo, Panopis fons spectabatur, ad portam Urbis, qua ibatur in vicinam Academiam. Observare est apud Platonem, in *citato initio* Lysidis. Ἐπορευόμην μὲν ἐξ Ἀκαδημίας εὐθὺ Λυκείου τὴν ἔξω τείχους. ἐπεὶ δ' ἐγενόμην κατὰ τὴν πυλίδα, ᾗ ἡ Πάνοπος κρήνη, ἐνταῦθα συνέτυχον Ἱπποθάλει. *Ibam ex Academia recta in Lyceum, via quæ est extra mœnia; postquam vero venissem ad portam, ubi fons Panopis, incidi in Hippothalem.* Neque alius certe fons est, cujus meminit etiam *Strabo*, e quo illud item discimus, portam istam, quæ *Platoni* hic memoratur, Diocharis appellatam fuisse. Verba Strabonis ista exstant, *lib.* IX. Εἰσὶ μὲν αἱ πηγαὶ καθαροῦ καὶ ποτίμου ὕδατος, ὥς φασιν, ἐκτὸς τῶν Διοχάρους καλουμένων πυλῶν, πλησίον τοῦ Λυκείου. πρότερον δὲ καὶ κρήνη κατεσκεύαστό τις πλησίον, πολλοῦ, καὶ καλοῦ, ὕδατος. εἰ δὲ μὴ νῦν, τί ἂν εἴη θαυμαστὸν, εἰ πάλαι πολὺ καὶ καθαρὸν ἦν, ὥστε καὶ πότιμον εἶναι, μετέβαλε δὲ ὕστερον. *Sane sunt & scaturigines, ut ajunt, aquæ puræ, & potabilis; extra portam, quæ Diocharis appellatur, ad Lyceum: olim quoque fons exstructus juxta fuit, aquam habens multam, & bonam. quod si ea hodie non est ita pura, quis miretur, olim multam exstitisse, & puram adeo, ut potaretur, verum nunc mutatam esse?* Ubi illud quoque discimus, jam Strabonis tempore fontem hunc corruptum fuisse. Pone Lyceum, erat Nisi monumentum, regis olim Megarensium. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ ὄπισθεν τοῦ Λυκείου, Νίσου μνῆμα· ὃν ἀποθανόντα ὑπὸ Μίνω, βασιλεύοντα Μεγάρων, κομίσαντες Ἀθηναῖοι, ταύτῃ θάπτουσιν. *Pone Lyceum, Nisi sepulcrum est, Megarensium regis; quem, occisum a Minoe, Athenienses, cum sustulissent, eo loco sepelierunt.* Cicero denique, uti villam quandam suam, in qua libros *Quæstionum Academicarum* scripsit, Academiam appellavit, ab Atheniensi ista; ita & Lyceum dixit gymnasium quoddam, in Tusculano a se exstructum. Meminit ipse, *De divin.* lib. I. c. V. *Nuper cum essem cum Quincto fratre in Tusculano, disputatum est, nam, cum ambulandi causa in Lyceum venissemus, id enim superiori gymnasio nomen est; perlegi, inquit ille, tuum paullo ante tertium De natura deorum.* Et Hadrianus Imperator locum quendam, in villa sua Tiburtina, sic inscripsit. Spartianus, in *ejus Vita,*

c. XXVI. *Tiburtinam villam mire exædificavit; ita ut in ea & provinciarum, & locorum celeberrimorum, nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum.* Incensum autem est a Philippo, Demetrii filio, Macedonum rege. Livius, *lib.* XXXI. *c.* XXIIII. *Et Cynosarges, & Lyceum, & quicquid sancti, amœnive, circa Urbem erat, incensum est.* Et arbores postea, Urbem obsidens, Sylla excidit. Plutarchus, in *ejus Vita*. Καὶ τὴν τ' Ἀκαδημίαν ἔκειρε, δενδροφορωτάτην, προαστείων οὖσαν, καὶ τὸ Λύκειον. *Et Academiam devastavit, arboribus inter suburbia alia frequentissimam, & Lyceum.*

CAP. IV.

Ilissus, & Eridanus, Urbem interluebant. Orithyia ad Ilissum a Borea rapta. Attici domus. Jamblichi verba emendata. Locus, ubi Codrus quondam interfectus, Musarum τ' Ἰλισσιάδων ara. Stephani locus restitutus.

POST hæc duo a Pausania fluvii commemorantur, qui per Urbem labebantur; Ilissus, &, qui in eum illic incidebat, Eridanus. Ita enim inquit, *in Attic.* Ποταμοὶ δὲ Ἀθηναίοις ῥέουσιν Ἰλισσός τε, καὶ Ἠριδανῷ τῷ Κελτικῷ κατὰ τὰ αὐτὰ ὄνομα ἔχων, ἐκδιδοὺς ἐς τὸν Ἰλισσόν. *Flumina sunt Atheniensibus cum Ilissus, tum Eridano Celtico cognominis, qui in eum influit.* Meminit utriusque etiam Plato, *in Critia*; ubi de diluviis quibusdam sermo. Τὸ δὲ πρὶν ἐν ἑτέρῳ χρόνῳ μέγεθος μὲν ἦν πρὸς τὸν Ἠριδανὸν, καὶ τὸν Ἰλισσὸν, ἀποβεβηκυῖα. *Prius autem alio quodam tempore ea erat magnitudine, ut ad Eridanum, & Ilissum, perveniret.* Ad Ilissi fluminis ripam Orithyiam a Borea raptam memorabant. Pausanias, *in Attic.* Ὁ δὲ Ἰλισσός ἐστιν οὗτος, ἔνθα παίζουσαν Ὠρείθυιαν ὑπὸ ἀνέμου Βορέου φασὶν ἁρπασθῆναι. *Est autem hic Ilissus, ubi ludentem Orithyiam a Borea vento raptam ferunt.* Plato, *Phædro.* ΣΩΚΡ. Δεῦρο ἐκτραπόμενοι κατὰ τὸν Ἰλισσὸν ἴωμεν· εἶτα, ὅπου ἂν δόξῃ, ἐν ἡσυχίᾳ καθιζώμεθα. ΦΑΙ. Εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἐνθένδε μέντοι ποθὲν ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ λέγεται ὁ Βορέας τὴν Ὠρείθυιαν ἁρπάσαι; SOCR. *Huc digressi, ad Ilissum abeamus; ibique, quo visum erit loco, quiete consideamus.* PHÆ. *Dic mihi, Socrates, an non hic est, ubi ab Ilisso Orithyiam Boreas rapuit?* Ac domum ibidem Atticus habuit. Cicero, *De Leg.* lib. I. c. I. *Respondebo tibi equidem, sed non ante, quam tu ipse mihi responderis, Attice, certene non longe a tuis ædibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Julio dixerit, se deum esse, & Quirinum vocari, templumque sibi dedicari eo in loco jusserit: & Athenis, non longe item a tua illa antiqua domo, Orithyiam Aquilo sustulerit: sic enim est traditum.* Quod ad raptum Orithyiæ ad Ilissum flumen attinet, est de eo Dionysii quoque locus, in *Descriptione Orbis*, v. 423. &c.

Νέρθε γε μὴν Ἰσθμοῖο πρὸς αὐγὰς Ἀττικὸν οὖδας.
Τοῦ διὰ θεσπεσίου φέρεται ῥόος Ἰλισσοῖο,
Ἔνθεν καὶ Βορέης ποτ' ἀνήρπασεν Ὠρείθυιαν.

Quæ sic reddidit Priscianus.

Attica sed tellus post Isthmum solis ad ortum est,
Hinc Orithyiam Boreas rapuisse puellam
Traditur: hic Ilissus aquis devolvitur amnis.

Festus Avienus,

Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam.

Corrigendus Jamblichi locus. De *Vita Pythagoræ*, lib. I. cap. XXXIV. Κληθεῖσαι δὲ τελοῖ γενεαῖς ὕστερον τ' πρότερον κατὰ Θρᾶκας, καὶ τὴν Ὠρειθυίας ἁρπαγήν. Perperam editur, καὶ τ' Ἐρεχθυίας ἁρπαγήν. Nam quod ait, κατὰ Θρᾶκας, ideo dixit, quia Boreas Thrax erat. Apollonius Rhodius, *Argonaut.* lib. I.

Ζήτης δ' αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο·
Οὕς ποτ' Ἐρεχθηὶς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια,
Ἐσχατιῇ Θρῄκης δυσχειμέρου· ἔνθ' ἄρα τήν γε
Θρηΐκιος Βορέης ἀνερέψατο Κεκροπίηθεν,
Ἰλισσοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν.

Zetes quoque, & Calais, Boreæ filii, venerunt;
Quos Erechthei filia Orithyia peperit Boreæ,
In finibus Thraciæ, hieme asperæ, ubi hanc
Threicius Boreas deposuit, Cecropia abductam,
Cum juxta Ilissum choreas agitaret.

Porro locus etiam ibi vulgo ostenditur, ubi Codrus interfectus. Pausanias, *in Attic.* Δείκνυται δὲ καὶ ἔνθα Πελοποννήσιοι Κόδρον, τὸν Μελάνθου, βασιλεύοντα Ἀθηναίων κτείνουσι. *Ostenditur vero etiam locus, ubi Codrum, Melanthi filium, Atheniensium regem, Peloponnesii occiderunt.* Et Musarum ibidem ara τ' Ἰλισσιάδων. Idem Pausanias, *loc. cit.* Ἐθέλουσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ἄλλων θεῶν ἱερὸν εἶναι τὸν Ἰλισσόν· καὶ Μουσῶν βωμὸς ἐπ' αὐτῷ ἐστιν Ἰλισσιάδων. *Volunt autem Athenienses etiam aliis diis sacrum esse Ilissum; & Musarum juxta ipsum ara est, quæ dicuntur Ilissiades.* Meminitque harum Stephanus. Ἰλισσός, πόλις τ' Ἀττικῆς· ἐν ᾧ τιμῶνται αἱ Μοῦσαι Ἰλισσιάδες. *Ilissus, urbs Atticæ; ubi coluntur Musæ Ilissiades.* Sed, an urbs Ilissus fuit? nemo hoc Veterum unquam dixit. Rescribo; Ἰλισσός, ποταμὸς τ' Ἀττικῆς. *Ilissus; fluvius Atticæ.* Librarius per compendium scripserat, & hinc mendum.

CAP. V.

Agra; sive, Agræ. Diana ibi primum venata, Delo adveniens; & templum habuit, Ἀγροτέρα, *sive* Ἀγραία, *cognominata. Votum Atheniensium, ei deæ bello Medico nuncupatum; & sacra a polemarcho facta. Ara Boreæ, qui hic Orithyiam rapuit. Dea tutelaris Ceres; cujus ibi mysteria minora, in quibus Hercules initiatus, celebrata. Ilissus flexuosus, instar Mæandri; ejusque ortus. Senecæ locus restitutus. Stadium Panathenaicum. Hadriani venatio. Herodis sophistæ sepulcrum.*

TRANS Ilissum, Agra erat; sive, Agræ: nam utroque pariter numero efferebant. *Stephanus.* Ἄγρα, καὶ Ἄγραι, χωρίον· ἑνικῶς, καὶ πληθυντικῶς. *Agra, & Agræ, locus; singulariter, & pluraliter.* Eustathius, ad *Iliad.* β'. Ἀπὸ χώρας πρὸς τῷ Ἰλισσῷ· ἧς κλῆσις Ἄγρα, καὶ Ἄγραι. *A loco ad Ilissum; cui nomen Agra, & Agræ.* Dixi, trans Ilissum fuisse; idque clarum e *Pausania*, qui Dianam illic primum, Delo advenam, venatam dicit: atque templum inde ei, Ἀγροτέρᾳ cognomento appellatæ, consecratum; & cum arcu simulacrum. Ecce tibi ejus verba, *in Attic.* Διαβᾶσι δὲ τὸν Ἰλισσόν, χωρίον, Ἄγραι καλούμενον, καὶ ναὸς Ἀγροτέρας ἐστὶν Ἀρτέμιδος· ἐνταῦθα Ἄρτεμιν πρῶτον θηρεῦσαι λέγουσιν, ἐλθοῦσαν ἐκ Δήλου· καὶ τὸ ἄγαλμα διὰ τοῦτο ἔχει τόξον. *Trans Ilissum, locus est, cui Agræ nomen; & Dianæ item fanum, Venatricis cognomento: nam venatam illic deam primum ferunt, cum e Delo advenisset: ideoque simulacrum arcum habet.* Meminit Pollux, *lib.* IX. *cap.* II. Καὶ ἡ Ἀγροτέρα θεός, καὶ τὸ τ' Ἀγροτέρας τέμενος. *Et Venatrix dea, & fanum quoque Venatricis.* Huic Athenienses, bello Medico, votum fecere, si victoria potirentur, tot se hircos mactaturos, quot ex hostibus cecidissent. Agathias, *lib.* II. Ταῦτά τοι καὶ ἡσσῶντο ἀνακράτος ὑπὸ

Μιλτιάδου οἱ Μῆδοι. τοσοῦτοι γὰρ αὐτῶν ἐν τῷδε τῷ ἔργῳ ἀνῄρηνται, ὥστε ἀμέλει πρὸ τῆς μάχης τοὺς Ἀθηναίους· λέγεται γὰρ οὕτω, χιμάρους ἰσαρίθμους τῶν ἀπολουμένων δυσμενῶν Ἀρτέμιδι θύσειν ἀπειλήσαντας, ἐς τοσοῦτον ἵλεω ἐντυχεῖν τῇ Ἀγροτέρᾳ, καὶ ἀπώνασθαι τῆς εὐθηρίας, ἐς ὅσον μὴ οἵους τε γενέσθαι τὸ χαριστήριον ἀποτίσαι, ἀλλ' ἐπιλιπεῖν θυομένας ἔτι τὰς αἶγας, καὶ πρὸς ἀντίδοσιν μὴ διαρκέσαι. *Idcirco etiam summa vi devicti sunt a Miltiade Medi. Tot enim ab ipso in illo prœlio cæsi fuerunt, quot fere ante pugnam Athenienses. Ita enim fertur; quod, cum comminati essent, se totidem numero hircos Dianæ sacrificaturos esse, quot interfecissent hostes, adeo propitiam habuisse Venatricem deam, adeoque prospere venatos fuisse, ut promissas gratias persolvere nequirent; sed, sacrificatis etiam capellis, numerum cæsorum exæquare non potuisse.* Ante eum Xenophon retulit, *De Cyri Exped.* lib. III. Ἐλθόντων μὲν γὰρ Περσῶν, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς, παμπληθεῖ στόλῳ, ὡς ἀφανιούντων τὰς Ἀθήνας, ὑποστῆναι αὐτοῖς Ἀθηναῖοι τολμήσαντες, ἐνίκησαν αὐτούς· καὶ εὐξάμενοι τῇ Ἀρτέμιδι, ὁπόσους ἂν κατακαίνοιεν τῶν πολεμίων, τοσαύτας χιμαίρας καταθύσειν τῇ θεῷ, ἐπεὶ οὐκ εἶχον ἱκανὰς εὑρεῖν, ἔδοξεν αὐτοῖς κατ' ἐνιαυτὸν πεντακοσίας θύειν· καὶ ἔτι καὶ νῦν ἀποθύουσιν. *Nam cum Persæ una cum aliis, quos adjunxerant sibi, ingenti cum exercitu venirent, ut Athenas delerent; ausi Athenienses ipsis se objicere, victoria potiti sunt. Quumque votum Dianæ fecissent, quot hostes occidissent, tot se illi deæ capras mactaturos; quia satis multas invenire non poterant, decretum factum est, ut singulis annis quingentæ mactarentur: quas etiam nunc mactant.* Et ante hunc Herodotus quoque, *lib.* VI. quem malignitatis accusat eo nomine Plutarchus, libro proprio, *De Malign. Herodoti.* Allusit Aristophanes, *Equitibus*, Act. II. Sc. I. med.

> Τῇ δ' Ἀγροτέρᾳ κατὰ χιλίων παρῄνεσα
> Εὐχὴν ποιήσασθαι χιμάρων ἐς αὔριον.
> *Venatici vero (Dianæ) circiter mille hortatus sum*
> *Capras ut voverent in diem crastinum.*

Ubi ita *Scholiastes.* Καλλίμαχος ὁ πολέμαρχος λέγεται εὔξασθαι τῇ Ἀρτέμιδι, τοσαύτας βοῦς θύσειν, ὅσους ἂν φονεύσῃ βαρβάρους ἐν Μαραθῶνι· ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ ἐφονεύθησαν, μὴ δυνάμενος τοσαύτας βοῦς θῦσαι, ἔθυσε χιμαίρας. *Fertur Callimachus polemarchus votum fecisse Dianæ, tot se boves immolaturum, quot in Marathone hostes occidisset. at, cum multi occisi essent, nec tot boves immolare deæ posset, capras ei immolavit.* Ait Xenophon, in *citatis statim verbis*, etiam sua tempestate sacrum illud fieri solitum: de quo omnino Pollux est intelligendus, *l.* VIII. *c.* IX. Ὁ δὲ πολέμαρχος θύει μὲν Ἀρτέμιδι τῇ Ἀγροτέρᾳ. *Polemarchus quidem sacra facit Dianæ Venatrici.* Ac nimirum faciebat polemarchus, quia primus olim Callimachus polemarchus ita instituit; ut est discere ex *citatis statim verbis* Scholiastæ Aristophanis. Hæc ipsa est, quæ Ἀγραῖα *Platoni*; e quo istud item discimus; in propinquo aram Boreæ fuisse: qui Orithyiam ibi loci rapuisse ferebatur. Platonis verba ecce in *Phædro* ita habent. ΦΑΙ. Εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἐνθένδε μέν τοι ποθὲν ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ λέγεται ὁ Βορέας τὴν Ὠρείθυιαν ἁρπάσαι; ΣΩΚΡ. Λέγεται γάρ. ΦΑΙ. Ἆρ' οὖν ἐνθένδε; χαρίεντα γοῦν, καὶ καθαρά, καὶ διαφανῆ, τὰ ὑδάτια φαίνεται· καὶ ἐπιτήδεια κόραις, παίζειν παρ' αὐτά. ΣΩΚΡ. Οὐκ, ἀλλὰ κάτωθεν, ὅσον δύ' ἢ τρία στάδια· ᾗ πρὸς τὸ τῆς Ἀγραίας διαβαίνομεν. καί πού τίς ἐστι βωμὸς αὐτόθι Βορέου. PHÆ. *Dic mihi, o Socrates, an non hinc ab Ilisso Orithyiam rapuisse Boreas fertur.* SOCR. *Fertur.* PHÆ. *An ex hoc loco? nam amœnæ, puræ, & limpidæ, aquæ apparent; lusibusque puellarum ad has patæ.* SOCR. *Non; sed inferius; ad stadia circiter duo, aut tria: qua transimus ad Agrææ: estque ara ibidem Boreæ.* Ac Platonis istum locum respexit Eustathius, *Iliad.* β'. Ἔτι δὲ καὶ Ἀγροτέρα Ἄρτεμις, ὡς καὶ ὁ Κωμικὸς δηλοῖ· καὶ Ἀγραῖα, παρὰ Πλάτωνι. *Est præterea Diana etiam*, Ἀγροτέρα *cognomento, ut testatum facit Comicus; quæ & ipsa* Ἀγραῖα *dicta, apud Platonem.* Ubi item Comici locus, quem designat, est is ipse ex *Equitibus*, quem citavi paullo ante. Meminit Dianæ hujus etiam Euripidis Scholiastes, ad *Hyppolytum.* Erat autem Agra Cereri consecrata. *Hesychius.* Ἄγραι, χωρίον Ἀττικὸν ἱερὸν Δήμητρος. *Agræ, locus Atticæ, Cereri sacer.* Nempe ideo, quia minora illic mysteria celebrata, quibus initiatus Hercules. *Stephanus.* Ἄγρα, καὶ Ἄγραι, χωρίον· ἑνικῶς, καὶ πληθυντικῶς. ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται, μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον· ἐν ᾧ λέγουσι καὶ τὸν Ἡρακλέα μεμυῆσθαι. *Agra, & Agræ, locus; singulariter, ac pluraliter: ubi mysteria minora peraguntur, ad imitationem Dionysiorum: quibus etiam Hercules initiatus memoratur.* Eustathius, *loco citato.* Ἄγρα, καὶ Ἄγραι· οὗ τὰ μικρὰ τῆς Δήμητρος ἤγετο μυστήρια, ἃ ἐλέγετο τὰ ἐν Ἄγραις. *Agra, & Agræ; ubi minora Cereris mysteria peragebantur, quæ* IN AGRIS *dicebantur.* Clemens, in *Protreptico.* Τὰ ἐπὶ Ἄγρᾳ μυστήρια, καὶ τὰ ἐν Ἁλιμοῦντι. *Mysteria in Agra, & Alimunte.* Ita enim eum locum corrigendum, monui libro *De Eleusiniis*, cap. V. Corruptus Seneca, *initio Hippolyti*; ubi sese mire torquent viri docti:

> *Ubi per glacies lenis Ilissus,*
> *Ubi Mæander super æquales*
> *Labitur agros.* ——

Restituo:

> *Ubi per glareas lenis Ilissus,*
> *Uti Mæander, super æquales*
> *Labitur Agras.* ——

In priore quidem versu, *glareas* legendum omnino; ut sit συνίζησις duarum posteriorum syllabarum, metri causa. Dicit autem Ilissum decurrere fundo glareoso, instar Meandri, ob meatus flexuosos; unde & Statius, *Theb.* IV. *v.* 52.

> —— *amfractu riparum incurvus Ilissus.*

Deinde, labi super Agras, ubi nimirum oriebatur; sicut sat diserte nobis Strabo refert, *lib.* IX. Ἐστὶ δὲ τοιοῦτος μάλιστα ὁ Ἰλισσός, ἐκ θατέρου μέρους τοῦ ἄστεος ῥέων εἰς τὴν αὐτὴν παραλίαν, ἐκ τῶν ὑπὲρ τῆς Ἄγρας, καὶ τοῦ Λυκείου, μερῶν. *Ac talis potissimum est Ilissus, ab altera Urbis parte fluens ad idem littus, ex iis partibus, quæ sunt supra Agras, & Lyceum.* Denique & hic stadium erat Panathenaicum, a Lycurgo primo exstructum, ab Herode renovatum, & magnificentius factum: de quo vide quæ notamus, lib. *De Panathenæis*, cap. IX. Atque hoc ipsum est, in quo Adrianus Cæsar exhibuit venationem mille ferarum. Spartianus, in *ejus Vita c.* XIX. *Athenis millæ ferarum venationem in stadio exhibuit.* Ac sepultus ibi Herodes. Philostratus, in *ejus Vita*, Sophist. *lib.* II. Ἀποθανόντος δὲ αὐτοῦ (τοῦ Ἡρώδου) ἐν τῷ Μαραθῶνι, καὶ ἐπισκήψαντος τοῖς ἐλευθέροις ἐκεῖ θάπτειν, Ἀθηναῖοι, ταῖς τῶν ἐφήβων χερσὶν ἁρπάσαντες, ἐς ἄστυ ἤνεγκαν, προαπαντῶντες τῷ λέχει πάσῃ ἡλικίᾳ, δακρύοις ἅμα, καὶ εὐφημοῦντες, ὅσα παῖδες, χρηστοῦ πατρὸς χηρεύσαντες· καὶ ἔθαψαν ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ. *Mortuo vero ipso (Herode) Marathone, cum jussisset, ut liberti illic eum sepelirent, Athenienses, manibus juventutis raptum, in Urbem tulerunt, præcedente lectum ejus omni ætate, cum lacrymis felicia omnia acclamantes, tanquam liberi, bono patre spoliati: tumulumque in Panathenaico statuerunt.*

CAP. VI.

Τρίποδες, via; ubi templa, tripodesque: & in his Praxitelis Satyrus. Heliodori, Περὶ τῶν Ἀθήνησι Τριπόδων, *Opus. Satyrus puer, tum Cupido, & Bacchus quoque, a Thymilo facti. Bacchi templum; & in eo delubra duo, totidemque signa Bacchi: quorum unum, Eleutherensis nuncupatum; alterum, ab Alcamene factum. Picturæ Bacchi, Vulcanum in cœlum reducentis; Penthei pœnas dantis, & Lycurgi; Ariadnæ dormientis, Thesei recedentis, & Bacchi ad raptum accedentis. Theatrum item; & ædificium, ad Xerxis tabernaculi instar: restitutum, cum a Sylla incensum esset. Comicorum, & Tragicorum, multæ statuæ; in his Menandri, Euripidis, Sophoclis, Aeschylique. Murus Australis; & in eo caput Gorgonis Medusæ, una cum ægide. Spelunca sub arce, in qua tripus; ubi insculpti Apollo & Diana, Niobes liberos occidentes. Creusa illic ab Apolline vitiata.* Μακραὶ πέτραι.

DESCENDENTI a Prytaneo via sese offerebat, Τρίποδες dicta; in qua deorum templa aliquot, & dicati in iis tripodes, ænei illi, insignesque præstantissimorum artificum vario opere; ubi Satyrus excellebat: atque a tripodibus istis nomen viæ. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ ὁδὸς ἀπὸ τοῦ Πρυτανείου, καλουμένη Τρίποδες. ἀφ' οὗ δὲ καλοῦσι τὸ χωρίον, ναοὶ θεῶν ἐς τοῦτο μεγάλοι, καὶ σφίσιν ἐφεστήκασι τρίποδες, χαλκοῖ μὲν, μνήμης δ' ἄξια μάλιστα περιέχοντες εἰργασμένα. Σάτυρος γάρ ἐστιν, ἐφ' ᾧ Πραξιτέλη λέγεται φρονῆσαι μέγα. *Via est a Prytaneo, Tripodes dicta. Nomen loco, quia delubra illic magna, & in his dicati tripodes, ænei isti, in quibus quædam multa arte elaborata. Inter ea Satyrus exstat, quo Praxiteles se jactasse gloriatur.* Ac viæ quidem, meminit Athenæus, *lib.* XII. Καὶ τοσοῦτον ἦν τῷ Δημητρίῳ προσελθεῖν, ὥστε, μετ' ἄριστον αὐτοῦ περιπατήσαντος παρὰ τοὺς Τρίποδας, συνῆλθον εἰς τὸν τόπον παῖδες κάλλιστοι ταῖς ἑξῆς ἡμέραις, ἵν' ὀφθεῖεν αὐτῷ. *Tanti vero erat, ad Demetrium accedere, ut, cum pransus apud Tripodas ambularet, insequentibus diebus pueri forma præcellentes convenirent, ut ab eo spectarentur.* Satyrum vero, in tripodibus fabrefactum, memorat idem, *l.* XIII. Ἐκλογήν τε αὐτῇ (τῇ Φρύνῃ) τῶν ἀγαλμάτων (ὁ Πραξιτέλης) ἔδωκεν, εἴτε τὸν Ἔρωτα θέλοι λαβεῖν, εἴτε τὸν ἐπὶ τριπόδων Σάτυρον. *Optionem ei (Phrynæ) simulacrorum (Praxiteles) dedit; sive Cupidinem sibi mallet, sive Satyrum in tripodibus.* Occurrit quoque ejus mentio, inter alia Praxitelis opera, apud Plinium, *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Praxiteles quoque marmore felicior, ideo & clarior fuit. Fecit tamen ex ære pulcherrima opera, Proserpinæ raptum, item Catagusam, & Ebrietatem, & Liberum patrem, nobilemque una Satyrum, quem Græci* Περιβόητον *cognominant.* Ac de his Tripodibus olim Opus singulare scripserat Heliodorus; citatque illud Harpocration, *in* Ὀνήτωρ. Ὅτι δὲ τῶν χορηγησάντων ἦν εἷς, Ἡλιόδωρος Περὶ τῶν Ἀθήνησι Τριπόδων. *Quod vero unus ex ædilibus fuerit, testatur etiam Heliodorus, libro De Tripodibus Athenis.* Proximum ibi templum Bacchi, in quo dedicatus ipsi puer Satyrus, poculum tenens: tum Cupido, & Bacchus ipse, Thymili uterque opus. Pausanias, *in Att.* Διονύσῳ δὲ ἐν τῷ ναῷ τῷ πλησίον Σάτυρός ἐστι παῖς, καὶ δίδωσιν ἔκπωμα. Ἔρωτα δ', ἑστηκότα ὁμοῦ, καὶ Διόνυσον, Θύμιλος ἐποίησε. *Baccho vero, in templo propinquo, puer Satyrus est dicatus, poculum præbens; Cupidinem vero, una stantem, item Bacchum, Thymilus fecit.* In templi ambitu, geminum delubrum erat, totidemque signa Bacchi; alterum, Eleutherensis cognomento appellati; alterum, ab Alcamene factum, ex ebore, & auro. Pausanias, *in Attic.* Τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν. δύο δέ εἰσιν ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναοὶ, καὶ Διόνυσοι, ὅ τε Ἐλευθερεὺς, καὶ ὃν Ἀλκαμένης ἐποίησεν, ἐλέφαντος, καὶ χρυσοῦ. *Bacchi ad theatrum est antiquissimum fanum; duo vero in ambitu ejus sunt delubra, item simulacra Bacchi, Eleutherensis, & illius, quem Alcamenes fecit, ex ebore, & auro.* Et picturæ eodem loco; Bacchus, in cælum reducens Vulcanum: tum Pentheus quoque, & Lycurgus, pœnas dantes suæ in Bacchum temeritatis: ad hæc Ariadna dormiens, Theseus recedens, & ad rapiendam eam accedens Bacchus. Pausanias, *in Attic.* Γραφαὶ δὲ αὐτόθι Διόνυσός ἐστιν, ἀνάγων Ἥφαιστον ἐς οὐρανόν· καὶ Πενθεὺς, καὶ Λυκοῦργος, ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας. Ἀριάδνη τε καθεύδουσα, καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος, καὶ Διόνυσος, ἥκων ἐς τὴν Ἀριάδνης ἁρπαγήν. *Picti ibi Bacchus, Vulcanum in cælum reducens; Pentheus, & Lycurgus, suæ in Bacchum proterviæ pœnas dantes: Ariadna item dormiens, Theseus ab ea discedens, & ad raptum Ariadnæ accedens Bacchus.* Ac theatrum juxta erat. Ecce in Pausaniæ verbis, *jam citatis.* Τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν. *Bacchi vero ad theatrum fanum est antiquissimum.* In propinquo, ædificium quoddam erat, quale Xerxis quondam tabernaculum fuit; instauratum, postquam a Sylla, capta Urbe, incensum esset. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ πλησίον τοῦ τε ἱεροῦ τοῦ Διονύσου, καὶ τοῦ θεάτρου, κατασκεύασμα. ποιηθῆναι δὲ τῆς σκηνῆς αὐτὸ ἐς μίμησιν τῆς Ξέρξου λέγεται. ἐποιήθη δὲ καὶ δεύτερον. τὸ γὰρ ἀρχαῖον στρατηγὸς Ῥωμαίων ἐνέπρησε Σύλλας, Ἀθήνας ἑλών. *Juxta Bacchi autem fanum, & theatrum, ædificium est; factum vero illud dicitur ad formam Xerxis tabernaculi: denuoque instauratum est, cum vetustum Romanorum Imperator Sylla, Athenis expugnatis, incendisset.* In theatro vero ipso, Comicorum, ac Tragicorum, non eorum tamen illustrium, multæ statuæ spectabantur, neque enim e clarioribus Comicis quisquam, si Menandrum solum excipias: e Tragicis vero illustriores collocati, Euripides, Sophocles, Æschylusque; sed is diu post mortem factus, & picturam, qua expressa ejus ad Marathonem virtus. Pausanias, *in Attic.* Εἰσὶ δὲ Ἀθηναίοις εἰκόνες ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας ποιητῶν, αἱ πολλαὶ τῶν ἀφανεστέρων· ὅτι μὴ γὰρ Μένανδρος, οὐδεὶς ἦν ποιητὴς τῶν ἐς δόξαν ἡκόντων. τραγῳδίας δὲ κεῖνται τῶν φανερῶν Εὐριπίδης, καὶ Σοφοκλῆς. τὴν δὲ εἰκόνα τοῦ Αἰσχύλου, πολλῷ τε ὕστερον τῆς τελευτῆς δοκῶ ποιηθῆναι, καὶ τῆς γραφῆς, ἣ τὸ ἔργον ἔχει τὸ ἐν Μαραθῶνι. *Sunt apud Athenienses in theatro statuæ Comicorum, Tragicorumque, sed obscuriorum, multæ; nam, Menandrum si excipias, nullus est e clarioribus. Ex illustrioribus Tragicis, est Euripides, Sophoclesque; quippe Aeschyli quidem statua, facta mihi esse videtur multo post excessum ejus, & picturam, in qua fortitudo ipsius in certamine Marathonio exhibetur.* In muro, quem Australem dicebant, qui ab arce ad theatrum excurrebat, caput Gorgonis Medusæ inauratum inclusum erat, ut & ægis. Pausanias, *in Attic.* Ἐπὶ δὲ τοῦ Νοτίου καλουμένου τείχους, ὃ τῆς ἀκροπόλεως ἐς τὸ θέατρόν ἐστι τετραμμένον, ἐπὶ τούτου Μεδούσης τῆς Γοργόνος ἐπίχρυσος ἀνάκειται κεφαλὴ, καὶ περὶ αὐτὴν αἰγὶς πεποίηται. *In muro, quem Australem vocant, qui ab arce usque ad theatrum ducit, Medusæ Gorgonis caput auratum est inclusum, & ægis addita.* In theatri autem vertice, est spelunca, in ipsis rupibus subter arcem; in qua tripus, cui insculpti Apollo & Diana, Niobes liberos occidentes. Pausanias, *in Attic.* Ἐν δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ θεάτρου, σπήλαιόν ἐστιν ἐν ταῖς πέτραις ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν. τρίπους δ' ἔπεστι καὶ τούτῳ· Ἀπόλλων δὲ ἐν αὐτῷ, καὶ Ἄρτεμις, τοὺς παῖδάς εἰσιν ἀναιροῦντες τῆς Νιόβης. *In vertice theatri, antrum est in rupibus sub arce. & in eo tripus exstat; in quo Apollo, &*

Diana, occidentes liberos Niobes. In hac spelunca Apollo Creusam, Erechthei filiam, compressisse ferebatur; eratque versus septenptrionalem arcis partem, ubi Μακραὶ πέτραι erant. Euripidis, *Ione, v.* 8. *&c.*

Ἐστὶν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις,
Τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη,
Οὗ παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις
Βίᾳ Κρέουσαν, ἔνθα προσβόῤῥους πέτρας,
Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονὸς,
Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος.
Ἀγνὼς δὲ πατρὶ, τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον,
Γαστρὸς διήνεγκ' ὄγκον. ὡς δ' ἦλθε χρόνος,
Τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ', ἀπήνεγκε βρέφος
Εἰς ταυτὸν ἄντρον, οὗπερ ηὐνάσθη θεῷ,
Κρέουσα, κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον.
Est enim non obscura Græcorum civitas,
Ab auream hastam gerente Pallade vocata;
Ubi filiam Erechthei Phœbus sibi junxit nuptiis
Creusam per vim: quo loco septentrionalia saxa
Palladis sub arce Atheniensium terræ,
Macras vocant reges terræ Atticæ.
Inscio vero patre, (sic enim deo placuit,)
Tulit onus ventris; postquam vero tempus venit,
Pariens domi puerum, asportavit infantem
In idem antrum, ubi concubuit cum Deo
Creusa, & exponit ut moriturum.

Pausanias, de hac ipsa agens, *in Attic.* Κρεούσῃ δὲ, θυγατρὶ Ἐρεχθέως, Ἀπόλλωνα ἐνταῦθα συγγενέσθαι νομίζουσι. *Hic Apollinem cum Creusa, Erechthei filia, rem habuisse arbitrantur*. Quod ad Μακρὰς πέτρας attinet, habes ibidem apud Euripidem *postea*.

Μακραὶ δὲ χῶρός ἐστ' ἐκεῖ κεκλημένος.
Locus vero est isthic, Macræ nuncupatus.

Et rursum,

Ἀκούετ' οἶνυν, οἶσθα Κεκροπίας πέτρας,
Πρόσβοῤῥον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν.
Audi igitur, novisti Cecropias rupes,
Septentrionale antrum, quas Macras vocamus?

Denique,

Κέκροπος ἐς ἄντρα, καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς.
Ad Cecropis antra, & Macras rupibus tectas.

Porro hæc ipsa est spelunca, cujus meminit Lucianus *Bis accusato*. Καὶ τὸ ἀπ' ἐκείνου, τὴν ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλυγγα ταύτην ἀπολαβόμενος, οἰκεῖ μικρὸν ὑπὸ τοῦ Πελασγικοῦ, εἰς τὸ μετοικικὸν συντελῶν. *Et ex eo, spelunca hac sub arce accepta, habitat paullo infra Pelasgicum, inter inquilinos censu*s.

CAP.

Talos ubi sepultus. Aesculapii fanum; ejusque, & filiorum, signa: ac picturæ. Fons ibidem; ad quem cæsus Halirrhotius, ob illatum Alcippæ stuprum. Lorica Sarmatica. Themidis templum. Sepulcrum Hippolyti. Veneris τῆς Πανδήμου, & Suadæ, signa; a Theseo posita. Telluris Κουροτρόφου *templum, & Cereris* Χλόης. *Telluris insuper etiam ara, ab Erichthonio dicata; qui primus ei sacra fecit, & præsacrificari item deinceps jussit. Hesychius explicatus. Sacris istis interdictum quondam viris.*

In via a theatro ad arcem, sepultus Talos. Pausanias, *in Attic.* Ἰόντων δὲ Ἀθήνησιν ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἀπὸ τοῦ θεάτρου, τέθαπται Κάλως. *Euntibus Athenis ad arcem a theatro, Calos sepultus est*. Sed legendum ibi Τάλως, monui pridem, *Areopagi c.* x. Inde templum Æsculapii occurrebat; dignum inspectu, ob signa Dei, & filiorum: ac picturas. Pausanias, *in Attic.* Τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερὸν, ἔς τε τὰ ἀγάλματά ἐστιν, ὁπόσα τοῦ θεοῦ πεποίηται, καὶ τῶν παίδων, καὶ ἐς τὰς γραφὰς, θέας ἄξιον. *Aesculapii templum, propter signa cum ipsius, tum filiorum, & picturas, dignum visu est*. Fons in illo; ad quem filium Neptuni Halirrhothium, cum Alcippen violasset, Mars occidit. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ κρήνη, παρ' ᾗ λέγουσι Ποσειδῶνος παῖδα Ἁλιῤῥόθιον, θυγατέρα Ἄρεως Ἀλκίππην αἰσχύναντα, ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἄρεως. *Est fons in eo, ad quem ferunt Halirrhothium, Neptuni filium, cum Alcipen violasset, Martis filiam, a Marte occisum*. Hunc ipsum fontem esse censeo, de quo Plinius, *l.* II. *c.* CIII. *Est quæ in Aesculapii fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur*. Inter donaria ejus templi, Iorica quædam Sarmatica erat. Pausanias, *in Attic.* Ἐνταῦθα ἄλλα τε, καὶ Σαυρωματικὸς ἀνάκειται θώραξ. *Hic & alia, & Sarmatica lorica, dedicata*. Retro templum Æsculapii, in via eadem, aliud quoque erat Themidis; ante quod, sepulcrum Hippolyti. Pausanias, *in Attic.* Μετὰ δὲ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀσκληπιοῦ ταύτῃ πρὸς τὴν ἀκρόπολιν ἰοῦσιν, Θέμιδος ναός ἐστι· κέχωσται δὲ πρὸ αὐτοῦ μνῆμα Ἱππολύτῳ. *Pone fanum Aesculapii, eadem via ad arcem euntibus, Themidis exstat; ante quod, Hippolyti monumentum est*. Deinde Veneris τῆς Πανδήμου, & Suadæ, signa spectabantur, a Theseo posita, cum is populo in Urbem ex agris immigrare persuasisset. Pausanias, *loc. cit.* Ἀφροδίτην δὲ τὴν Πάνδημον, ἐπειδὴ Ἀθηναίους Θησεὺς ἐς μίαν ἤγαγεν ἀπὸ τῶν δήμων πόλιν, αὐτήν τε σέβεσθαι, καὶ τὴν Πειθὼ, κατέστησε. τὰ μὲν δὴ παλαιὰ ἀγάλματα, οὐκ ἦν ἐπ' ἐμοῦ· τὰ δ' ἐπ' ἐμοῦ, τεχνιτῶν ἦν οὐ τῶν ἀφανεστάτων. *Venerem Vulgarem, item Suadam, Theseus coli instituit; cum e populis quosque suis Athenienses in Urbem unam adduxisset. & vetera signa, mea ætate non exstabant; quæ vero exstabant, artificum erant non ex obscurissimis*. Denique Telluris, cognomento Κουροτρόφου, & Cereris Χλόης, fana erant. Pausanias, *loc. cit.* Ἔστι δὲ Γῆς Κουροτρόφου, καὶ Δήμητρος ἱερὸν Χλόης. *Est & Telluris* Χλόης, *& Cereris* Χλόης *emplum*. Quod ad Tellurem Κουροτρόφον attinet; primus ei sacra in arce quondam fecit Erichthonius, aramque item dedicavit, pro acceptis alimentis: statuitque, ut, qui deo, sive deæ, sacra facerent, huic deinceps etiam præsacrificarent. *Suidas*. Κουροτρόφος, Γῆ. ταύτῃ δὲ θῦσαι φασὶ τὸ πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει. καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι, χάριν ἀποδιδόντα τῇ γῇ τῶν τροφείων· καταστῆσαι δὲ νόμιμον, τοὺς θύοντάς τινι θεῷ, ταύτῃ προθύειν· Κουροτρόφος, *Tellus. Huic ajunt primum sacra fecisse Erichthonium in arce, aramque dedicasse, gratias reddentem pro acceptis alimentis: deinde instituisse etiam, qui deo cuipiam sacra facerent, uti huic præsacrificarent*. Præsacrificationis hujus mentio occurrit etiam in fragmento Platonis Comici e Phaone, apud Athenæum, *lib.* XVI.

Πρῶτα μὲν ἐμοί γε Κουροτρόφῳ προθύεται.
Primo quidem mihi Κουροτρόφῳ *præsacrificatur.*

Hesychius Cererem eam facit, non Tellurem. Κουροτρόφος· παιδοτρόφος· ὑφ' ἑτέρων, ἡ Δημήτηρ. Κουροτρόφος. *puerorum nutrix; ab aliis, Ceres esse dicitur*. Sed in eo minime nobis laborandum; siquidem Ceres cum Tellure plane eadem. Proclus, *in Timæum Comment.* IV. Δημήτηρ, Οὕτω δὴ καὶ αὕτη (ἡ Γῆ, ἤγουν) δυνάμεις ἔχει ποικίλας. καὶ, ὡς μὲν τροφὸς, τὴν τελεσιουργικὴν μιμεῖται τάξιν· καθ' ἣν καὶ πάτριον Ἀθηναίοις, Κουροτρόφον αὐτὴν ὑμνεῖν. *Ita sane etiam hæc, (sive Tellus, sive Ceres,) varias habet potestates: atque, ut nutrix, constitutionem imitatur effectricem; juxta quam Athenienses, more apud majores recepto, eam* Κουροτρόφον *laudant*. Meminit τῆς Κουροτρόφου etiam Herodotus, in *Vita Homeri*. Πορευόμενος δὲ, ἐγχρίμπτεται γυναιξὶ, Κουροτρόφῳ θυούσαις ἐν τῇ τριόδῳ· ἡ δὲ ἱέρεια εἶπε πρὸς αὐτὸν, δυσχε-

ράνασα τῇ ὄψει, Ἀνερ ἀπὸ τῶν ἱερῶν. ὁ δὲ Ὅμηρος ἐς θυμὸν ἔβαλε τὸ ῥηθὲν, καὶ ἤρετο τὸν ἄγοντα, τίς τε ὁ φθεγξάμενος, καὶ τίνι θεῶν ἱερὰ θύεται· ὁ δὲ αὐτῷ διηγήσατο, ὅτι γυνὴ εἴη, Κουροτρόφῳ θύουσα. *Cum iret, in mulieres incidit, quæ in trivio* Κουροτρόφῳ *sacrificabant: at sacerdos, aspectum indignata, Vir absiste sacris, inquit. quod Homerus dictum apud animum reputans, e ductore sciscitatur, quisnam verba hæc dixisset, deinde cui deo sacra illa fierent? isque exponit, fœminam esse,* Κουροτρόφῳ *sacrificantem.* Ubi illud quoque observa; sacra facta ei deæ a mulieribus, neque viro intervenire fas fuisse. Thucydides Telluris simpliciter fanum nominat, *lib.* II. quod hoc ipsum intelligendum est. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς Γῆς. *Fana enim in ipsa arce sunt deorum aliorum; & extra eam, ad hanc maxime Urbis partem, structa Jovis Olympii, Pythiumque, & Telluris.* Quod ad Cererem, Χλόην cognomento dictam, vide quæ notata mihi *De Festis Græcorum* lib. VI. in Χλόεια; quibus nil quod addam habeo. Inde Arx se offerebat; de qua libro singulari a me dictum, jam vulgato.

C A P. VIII.

Fons. Apollinis fanum, & Panis; item ara in spelunca.

DESCENDENTIBUS ex Arce, paullo infra propylæa, fons se dabat; proximumque Apollinis illi, & Panis, fanum, in speluncas Pausanias. *in Attic.* Καταβᾶσι δὲ (ἐκ τῆς ἀκροπόλεως) οὐκ ἐς τὴν κάτω πόλιν, ἀλλ' ὅσον ὑπὸ τὰ προπύλαια, πηγή τε ὕδατός ἐστι, καὶ πλησίον Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐν σπηλαίῳ, καὶ Πανός. *Descendentibus (ex Arce,) non in Urbem inferiorem, sed paullo infra propylæa, fons occurrit; & Apollinis in propinquo fanum, in specu, item Panis.* De Panis templo, & condendi ejus causa, Pausanias narrat, in *subjectis statim verbis*; & Herodotus, *lib.* VI. *cap.* CV. Καὶ ταῦτα μὲν Ἀθηναῖοι, καταστάντων σφίσι εὖ ἤδη τῶν πρηγμάτων, πιστεύσαντες εἶναι ἀληθέα, ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ ἀκροπόλι Πανὸς ἱερόν· καὶ αὐτὸν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετείῃσι, καὶ λαμπάδι, ἱλάσκονται. *Atque hæc Athenienses, cum bono jam loco res suæ essent, vera credentes, fanum Pani infra arcem statuerunt; ipsumque, ob rem hanc nuntiatam, sacris annuis, & lampadis certamine, propitium sibi reddere student.* Innuit ridens Lucianus, in *Bis accusato.* Τί φῄς; ἀγνοεῖς τὸν Πᾶνα, τῶν Διονύσου θεραπόντων τὸν βακχικώτατον; οὗτος ᾤκει μὲν τὸ πρόσθεν ἀνὰ τὸ Παρθένιον· ὑπὸ δὲ τὸν Δάτιδος ἐπίπλουν, καὶ τὴν Μαραθῶνάδε τῶν βαρβάρων ἀπόβασιν, ἧκεν ἄκλητος τοῖς Ἀθηναίοις σύμμαχος. καὶ τὸ ἀπ' ἐκείνου, τὴν ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλυγγα ταύτην ἀπολαβόμενος, οἰκεῖ μικρὸν ὑπὸ τοῦ Πελασγικοῦ. *Quid ais? an non nosti Pana illum, ex Bacchi ministris omnium maxime Bacchicum? Hic antea quidem habitabat in Parthenio monte; temporibus vero illis, quibus Datis cum classe est advectus, & Barbari in Marathonem egressi, ultro atque invocatus venit, Atheniensibus auxilium laturus. Ex eo, spelunca hac sub arce accepta, habitat paulum infra Pelasgicum.* Nec fanum tantum ejus erat, sed & ara. Oecumenius, in *Acta.* Κατὰ τὸ Παρθένιον ὄρος Πανὸς φάσμα ἐντυχὸν, ᾐτιᾶτο μὲν Ἀθηναίους, ὡς ἀμελοῦντας μὲν αὐτοῦ, ἄλλους δὲ θεοὺς θεραπεύοντας, καὶ βοηθεῖν ἐπηγγέλλετο. νικήσαντες οὖν, ἐκείνῳ τε ἀνέστησαν ναὸν, καὶ βωμὸν ᾠκοδόμησαν. *Ad Parthenium montem occurrens Panis spectrum, accusabat Athenienses, quod, cum deos cæteros colerent, se negligerent; nihilominus opem laturum nuntiabat. quam-*

A *obrem, postquam vicissent, templum ei, item aram, exstruxerunt.* Et Euripides diserte, in *Ione.*

—— οἶσθα Κεκροπίας πέτρας,
Πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν;
Οἶδ'. ἔνθα Πανὸς ἄδυτα, καὶ βωμοὶ πέλας.

—— —— *nosti Cecropias rupes,*
Septentrionale antrum, quas Macras vocamus?
Novi; ubi Panis adyta, & aræ juxta.

B

C A P. IX.

Museum. Musæi locus, ubi caneret; & sepulcrum: item Syri. Amazones ibi castra metatæ. Antigonus, & Demetrius, muniunt; ac præsidium imponunt. Pnyx; in ea conciones olim habitæ, & coronæ a populo datæ. Sopatri locus emendatus. Tribunal illic, cujus situs a triginta tyrannis inversus; & solarium. Cimonis quoque cum sorore Elpinice habitatio; & Amazonum cum Atheniensibus pugna. Unde nomen suum acceperit.

PROPE Arcem, etiam Museum erat. Hic Mu-
C sæum, antiquissimum poetam, canere solitum; & defunctum, etiam sepultum esse, ferebatur. Pausanias, *in Attic.* Ἔστι δὲ ἐντὸς τοῦ περιβόλου ἀρχαίου τὸ Μουσεῖον, ἀπ' ἀντικρὺ τῆς ἀκροπόλεως λόφος· ἔνθα Μουσαῖον ᾄδειν, καὶ ἀποθανόντα γήρᾳ ταφῆναι λέγουσιν. *Est intra vetus septum Museum, e regione arcis collis: ubi Musæum canere solitum, ac confectum senio diem obiisse, & sepultum esse, ferunt.* Et sepulcrum ibi cujusdam Syri erat. Pausanias *ibid.* subjungit. Ὕστερον δὲ καὶ μνῆμα αὐτόθι ἀνδρὶ ᾠκοδομήθη Σύρῳ. *Postea vero & Syro cuidam monumentum ibi structum est.* Atque hic olim, bello contra Athenienses, castra sua metatæ Amazones. Plutarchus, in *Theseo.*
D Οὐδὲ τὴν μάχην συνῆψαν (αἱ Ἀμαζόνες) ἐν χρῷ περὶ τὴν Πνύκα, καὶ τὸ Μουσεῖον· εἰ μὴ, κρατήσαι τῆς χώρας, ἀδεῶς τῇ πόλει προσέμιξαν. *Neque cominus pugnassent (Amazones) circa Pnycem, & Museum; nisi, redacta in potestatem regione, ad Urbem intrepide movissent.* Et mox. Μαχέσθαι δὲ πρὸς τοῦτο τοὺς Ἀθηναίους, ἀπὸ τοῦ Μουσείου ταῖς Ἀμαζόσι συμπεσόντας. *Conflixisse vero ad hoc Athenienses, cum Amazonibus a Museo concurrentes.* Antigonus, ut in potestate sua Athenienses retineret, præsidio imposito, communivit. Pausanias, in *Laconicis.* Τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἀντισχοῦσιν ἐπὶ μακρότατον, ἐποιήσατο Ἀντίγονος εἰρήνην, ἐφ' ᾧ τε σφίσιν ἐπαγάγῃ φρουρὰν ἐς τὸ
E Μουσεῖον. *Verum tum Athenienses diutissime restitissent, pacem Antigonus ea conditione fecit, ut præsidium imponeret ipsis in Museo.* Idem postea etiam Demetrius fecit, ejus filius. Pausanias, *in Atticis*, citatis statim verbis subdit. Τότε δὲ Δημήτριος τειχίσας εἶχε. *Tunc vero Demetrius communitum in potestate sua habebat.* Plutarchus, in *Vita Demetrii.* Ἐπιψηφισθέντων δὲ τούτων, ὁ Δημήτριος αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ προσενέβαλε φρουρὰν εἰς τὸ Μουσεῖον, ὡς μὴ πάλιν ἀναχαιτίσαντα τὸν δῆμον, ἀσχολίας αὐτῷ πραγμάτων ἑτέρων παρασχεῖν. *Quibus decretis, Demetrius*
F *ipse pro auctoritate sua præsidium insuper in Museo collocavit; ne, si iterum descivisset a se populus, a gerendis rebus aliis avocaretur.* Ad Museum, Pnyx jacebat; itidem vicina Arci, ut apparet e *citatis statim verbis*, cum Pausaniæ, tum Plutarchi. Atque Arci vicinam fuisse, etiam affirmat Pollux *lib.* VIII. *cap.* X. Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον περὶ τὴν ἀκρόπολιν. *Pnyx vero locus erat circa Arcem.* Hunc Athenienses locum ut consectarent, oraculo moniti ferebantur. Apparet ex Athenionis istis verbis, apud Athenæum, *lib.* V. Καὶ μὴ περιΐδωμεν τὰ ἱερὰ κεκλεισμένα, αὐχμῶντα δὲ τὰ γυμνάσια, τὸ θέατρον ἀνεκκλησίαστον,

ἄφωνα δὲ τὰ δικαςήρια, καὶ τὴν θεῶν χρησμοῖς καθωσιωμένην Πνύκα, ἀφῃρημένην τοῦ δήμου. *Nec fana clausa negligamus, neque squalida gymnasia, vacuumque concionibus theatrum, item muta tribunalia, tum oraculis deorum consecratam olim Pnycem, ereptam populo.* Habebantur vero illic conciones; olim quidem qualescunque, postea vero illæ tantum, in quibus magistratus aliquis eligendus. Pollux, *loco jam citato*. Ἐκκλησίαζον δὲ πάλαι μὲν ἐν τῇ Πνυκί. Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον περὶ τὴν ἀκρόπολιν, κατεσκευασμένον κατὰ τὴν παλαιὰν ἁπλότητα, οὐκ εἰς θεάτρου πολυπραγμοσύνην. αὖθις δὲ τὰ μὲν ἄλλα, ἐν τῷ Διονυσιακῷ θεάτρῳ· μόνας δὲ τὰς ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πνυκί. *Olim conciones habebant in Pnyce; qui locus est circa Arcem, antiqua simplicitate factus, non ad theatri curiositatem: nunc cætera quidem, in theatro Bacchi fiunt; at in Pnyce magistratus tantum legitur.* Hesychius ait, olim omnes illic conciones habitas; verum postea hic conventum tantum esse, cum prætorem eligere vellent. Πνὺξ, τόπος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ ἐκκλησίαι πάλαι μὲν ἤγοντο πᾶσαι· νῦν δὲ ἅπαξ, ὅταν στρατηγὸν χειροτονῶσιν. *Pnyx, locus Athenis, in quo olim conciones quidem omnes habebantur; at nunc tantum, cum prætorem eligere volunt.* Populoque hic duntaxat coronare quempiam permissum erat. Sopater, in *Hermogenem*. Νόμου (ὄντος) μὴ ἐν τῷ θατέρῳ στεφανοῦσθαι τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον, ἀλλ' ἐν τῇ Πνυκί. *Cum lex esset, ne in altero quisquam a populo coronaretur, sed in Pnyce.* Sed corrupta illic verba sic restituo; Μὴ ἐν τῷ θεάτρῳ στεφανοῦσθαι. *Ne in theatro coronaretur.* Syrianus, in *eundem*. Νόμος δὲ ἐστιν, ὁ κωλύων, μὴ εἰσφέρειν γράμματα· δεύτερον δὲ, μὴ ἐξεῖναι ἐν θεάτρῳ στεφανοῦσθαι, ἀλλ' ἐν Πνυκί. *Lex est, quæ vetat, ne literæ ullæ inferantur; Deinde, ne quis in theatro coronetur, sed in Pnyce.* Hoc nimirum est, quod *Æschines* dicit, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in concione*; quia illic conciones, ut ostendi, haberi solitæ. Verba ecce ex Oratione in *Ctesiphontem* ista. Ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει, ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι· ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· ἄλλοθι δὲ, μηδαμοῦ. *Lex enim expresse vetat, si senatus coronare aliquem velit, id in curia ut renuntiet; quod si populus, ut in concione fiat: alibi, nullo modo licitum.* Ex *mox*. Εἰσὶ τῇ πόλει δύο νόμοι κείμενοι περὶ τῶν κηρυγμάτων· εἷς μὲν, ὃν νῦν ἐγὼ παρέχομαι, διαρρήδην ἀπαγορεύοντα, τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον, μὴ κηρύττεσθαι ἔξω τῆς ἐκκλησίας. *Duæ sunt Urbi leges positæ, de renuntiationibus; una est, quam nunc exhibeo, diserte vetans, ne, quem populus coronat, extra concionem renuntietur.* Cicero dicit, *in concione*, lib. *De opt. gen. orat. Cum esset lex Athenis, qui a populo (corona) donaretur*, IN CONCIONE *donari debere*. Erat autem ibi tribunal, versus mare; mox inversum a Triginta. Plutarchus, in *Themistocle*. Καὶ τὸ βῆμα τὸ ἐν Πνυκὶ πεποιημένον, ὥστ' ἀποβλέπειν πρὸς τὴν θάλασσαν, ὕστερον οἱ Τριάκοντα πρὸς τὴν χώραν ἀπέστρεψαν· οἰόμενοι, τὴν μὲν κατὰ θάλασσαν ἀρχὴν, γένεσιν εἶναι δημοκρατίας· ὀλιγαρχίᾳ δὲ ἧττον δυσχεραίνειν τοὺς γεωργοῦντας. *Et tribunal, quod in Pnyce, ita factum, ut prospiceret in mare, postea Triginta tyranni in terram verterunt, arbitrati, imperium maris, popularis principatus initium esse; sed colendis agris deditos, paucorum dominatu minus offendi.* Solarium quoque spectabatur, prope murum; eo loco, ubi conciones habitæ: idque ante Pythodori archontis tempora. Suidas, *in* Μέτων. Πρὸ Πυθοδώρου δὲ ἡλιοτρόπιον ἦν ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν Πνυκί. *Ante Pythodorum solarium erat, ubi nunc concio est, ad murum in Pnyce.* Cimon etiam, cum sorore Elpinice, ibi domum habuisse memoratur. Anonymus, in *Argumento* in Cimonem Aristidis. Δίδυμμος δέ φησιν, οὐχ ὅτι (ὁ Κίμων) ἐλακώνιζεν, ἀλλ' ὅτι ἐν Πνυκὶ τῇ ἀδελφῇ συνῴκει. *Didymus vero auctor, non Laconibus studuisse Cimonem; sed in Pnyce, cum sorore, habitasse.* Memorabilis item locus prœlio Atheniensium, quod cum Amazonibus habitum. Ecce, in *citatis jam* Plutarchi *verbis*. Οὐδὲ τὴν μάχην συνάψαι ἐν χρῷ περὶ τὴν Πνύκα. *Neque cominus pugnassent. juxta Pnycem.* Et *postea*. Ἱστορεῖ δὲ Κλείδημος, ἐξακριβοῦν τὰ καθ' ἕκαστα βουλόμενος, τὸ μὲν εὐώνυμον τῶν Ἀμαζόνων κέρας, ἐπιστρέφειν πρὸς τὸ νῦν καλούμενον Ἀμαζόνειον· τῷ δὲ δεξιῷ, πρὸς τὴν Πνύκα κατὰ τὴν Χρύσαν ἥκειν. *Narrat Clidemus, singulatim exacte omnia exsequi cupiens, sinistrum quidem Amazonum cornu, ad Amazonium nunc vocatum declinasse; dextrum vero, ad Pnycem usque juxta Chrysam pervenisse.* Unde nomen illi datum, *Suidas* tradit. Πνὺξ, ἐκκλησία· παρὰ τὴν τῶν λίθων πυκνότητα· ἢ ἀπὸ τοῦ πυκνοῦσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. *Pnyx, concio; a lapidum densitate: vel quod homines in concione frequentes convenirent.* Videndi quoque *Harpocration*, Etymologici *Auctor*, Eustathius, *ad Iliad.* ψ'; & Scholiastes Aristophanis, *Pluto*.

CAP. X.

Apollinis Pythii templum, a Pisistrato exstructum. Tripodes illic; dedicati ab iis, qui choris circularibus vicissent: item ara, a Pisistrato nepote, Hippiæ filio, ædificata. Gorgiæ Leontini statua aurea. Amazonium, dedicatum ab Amazonibus; quarum etiam columna. Fanum Herculis, τοῦ Μήνυτοῦ *cognomento. Corona, furto ex Arce ablata, Sophocli somnianti ab Hercule indicata. Fanum Proserpinæ, & Dianæ* τῆς Λυσιζώνου*; item Aegei.*

RESTANT templa, aræ, signa, statuæ, loca, aliaque promiscue mihi, ut observata, enarranda; quæ *Pausanias* aut omisit universa, aut non suo loco dixit. Primo loco, APOLLINIS PYTHII templum occurrit. Ejus meminit Thucydides, *lib.* II. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται· τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον. *Fana enim in ipsa arce sunt deorum aliorum; & extra eam, ad hanc maxime Urbis partem, structa Jovis Olympii, Pythiumque.* Meminit etiam Philostratus, in *Herode*, Sophist. lib. II. Exstruxit autem id Pisistratus. *Suidas*. Πύθιον, ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν, ὑπὸ Πεισιστράτου γεγονός· εἰς ὃ τοὺς τρίποδας ἐτίθεσαν, οἱ τῷ κυκλίῳ χορῷ νικήσαντες τὰ Θαργήλια. *Pythium, Apollinis Athenis templum, a Pisistrato factum; in quo tripodes reponebant, qui choro circulari Thargelia vicissent.* Ubi observa, dedicasse illic tripodes, qui Thargelia choro circulari vicissent. De structura hujus templi, vide *Pisistratum* nostrum, *cap.* IX. Aram ibi eidem deo consecravit hujus Pisistrati cognominis ex Hippia filio nepos. Thucydides, lib. VI. Πεισίστρατος, ὁ Ἱππίου τοῦ τυραννήσαντος υἱὸς, τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα. ὃς τῶν δώδεκα θεῶν βωμὸν, τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἄρχων ἀνέθηκε, καὶ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Πυθίου. *Pisistratus, Hippiæ tyranni filius, avi nomine nuncupatus; qui, cum archon esset, duodecim deorum aram, quæ in foro est, dedicavit; & Apollinis, quæ in Pythio.* Et appositum Epigramma, quod commemorat mox Thucydides, *eodem loco*. Τοῦ δ' ἐν Πυθίου (βωμοῦ) ἔτι καὶ νῦν δῆλόν ἐστιν, (τὸ ἐπίγραμμα,) ἀμυδροῖς γράμμασι λέγον τάδε·

Μνῆμα τόδ' ἧς ἀρχῆς Πεισίστρατος, Ἱππίου υἱός,
Θῆκεν Ἀπόλλωνος Πυθίου ἐν τεμένει.

Ejus vero (aræ) quæ in Pythii Apollinis templo erat, etiamnum tota exstat (inscriptio,) literis pæne evanidis, istis verbis;

A *Monumentum hoc magistratus sui Pisistratus, Hippiæ filius,*
Posuit Apollinis Pythii in templo.

In hac ara cum Gorgias Leontinus Pythicam Orationem recitasset, statua ibi aurea illi collocata est. Philostratus, in *ejus Vita*, Sophist. *l.* I. Εμπρέπων δὲ καὶ ταῖς τῶν Ελλήνων πανηγύρεσι, τὸν μὲν λόγον τὸν Πυθικὸν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ ἤχησεν· ἐφ' ὧ καὶ χρυσοῦς ἀνετέθη ἐν τῷ Πυθίου ἱερῷ. *Præstans vero etiam in publicis Græcorum conventibus, orationem quidem Pythicam pronuntiavit ex ara, in qua etiam statua ei aurea posita est, in Apollinis Pythii fano.* Erat porro B etiam templum, ΑΜΑΖΟΝΕΙΟΝ nuncupatum; quod Amazones condidissent. *Harpocration.* Αμαζόνειον. Ισαῖος διαλέκται; ἐν τῷ Πρὸς Διοκλέα, περὶ τῆς Αμαζόνων ἀφιερώσεως Αθήνησιν· ἔστι δὲ ἱερὸν, ὃ Αμαζόνες ἱδρύσαντο. *Amazoneum. Isæus, in Oratione adversus Dioclem, disserit de Amazonum Athenis dedicatione: est autem fanum, quod Amazones dedicarunt.* Suidas. Αμαζόνειον, ἱερὸν, ὃ Αμαζόνες ἱδρύσαντο. *Amazoneum, templum, quod Amazones dedicarunt.* Stephanus locum dicit, ubi Theseus Amazones fuderit. Αμαζόνειον, τόπος ἐν τῇ Αττικῇ, ἔνθα Θησεὺς τὰς Αμαζόνας ἐκράτησε. *Ama-* C *zoneum, locus Atticæ, ubi Theseus Amazones devicit.* Meminit ejus Plutarchus, in *Vita Thesei* Ιστορεῖ δὲ Κλείδημος, ἐξακριβοῦν τὰ καθ' ἕκαστα βουλόμενος, τὸ μὲν εὐώνυμον τῶν Αμαζόνων κέρας ἐπιστρέφειν πρὸς τὸ νῦν καλούμενον Αμαζόνειον. *Narrat Clidemus, singulatim exacte omnia persequi cupiens, sinistrum quidem Amazonum cornu ad Amazoneum nunc vocatum declinasse.* Erat & columna quædam, Αμαζονὶς στήλη dicta. Meminit Æschines philosophus, in *Axiocho.* Ως δὲ θᾶττον τὴν παρὰ τὸ τεῖχος ᾔειμεν, ταῖς Ιτωνίαις (πλησίον γὰρ ᾤκει τῶν πυλῶν, πρὸς τῇ Αμαζονίδι στήλῃ,) καταλαμβάνομεν αὐτόν. *Cum autem citius iremus via quæ præter mœnia ducit, ad portam* D *Itoniam (siquidem juxta hanc habitabat, ad columnam Amazoniam,) ipsum assecuti sumus.* Erat quoque templum HERCULIS ΤΟΥ ΜΗΝΥΤΟΥ; Inde dictum, quod coronam quandam auream, ex Arce ablatam furto, Sophocli Hercules dormienti indicasset. Scholiastes Sophoclis, in *ejus Vita.* Γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς ὁ Σοφοκλῆς, ὡς οὐκ ἄλλος· καθά Ιερώνυμος φησὶν, ἐν τῷ Περὶ τοῦ χρυσοῦ στεφάνου. τούτου γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπέντος, κατ' ὄναρ Ηρακλῆς ἐμήνυσε Σοφοκλεῖ, λέγων, τὴν οὖσαν οἰκίαν ἐν δεξιᾷ εἰσιόντι ἐρευνῆσαι, ἔνθα ἐκρύπτετο. ἐμήνυσε δὲ αὐτὴν τῷ δήμῳ, καὶ τάλαντον ἐδέξατο. τοῦτο γὰρ ἦν προκηρυχθέν· λαβὼν οὖν τὸ τάλαντον, ἱερὸν ἱδρύσατο ΜΗΝΥΤΟΥ E ΗΡΑΚΛΕΟΣ. *Erat vero dei amans Sophocles, quantum quisquam; uti refert Hieronymus, libro De corona aurea: quæ ex Arce cum subducta furto esset, eam Hercules dormienti indicavit, dicens, ut inquirerent domum, ad sinistram introitus sitam, in qua occultata esset. Itaque indicavit populo; & talento mox accepto, quod propositum erat præmium, templum exstruxit* HERCULI INDICI. Cicero pateram, non coronam, ablatam dicit, *De Divin.* l. I. c. XXV. *Adjungam philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex æde Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. quod semel* F *ille, iterumque, neglexit. Ubi idem sæpius, ascendit in Areopagum, detulit rem. Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quæstione adhibita, confessus est, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud* INDICIS HERCULIS *nominatum est.* Rem, sine Herculis cognomento, narrat nobis, & coronam etiam dicit, Tertullianus, *De Anima*, c. XLVI. *Coronam auream cum ex Arce Athenæ perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinvenit.* Cognomentum, sine Historia, strictim *Hesychius.* Μηνυτὴς, Ηρακλῆς ἐν Αθήναις. *Index, Hercules Athenis.* Et Proserpinæ fanum alibi, ΦΕΡΕΦΑΤΤΙΟΝ nuncupatum. Meminit Demosthenes, *in Cononem.* Καὶ ἡμῖν συμβαίνει ἀποστρέφουσιν ἀπὸ τοῦ Φερεφαττίου, καὶ περιπατοῦσι πάλιν κατ' αὐτό πως τὸ Λεωκόριον εἶναι. *Accidit que ut, digressi a Proserpinæ, & obambulantes iterum, circa Leocorium essemus.* Item DIANÆ ΤΗΣ ΛΥΣΙΖΩΝΟΥ. Scholiastes Apollonii, *lib.* I. Λύουσι τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Αρτέμιδι· ὅθεν καὶ Λυσιζώνης Αρτέμιδος ἱερὸν ἐν Αθήναις. *Solvunt zonas, quæ primum pariunt; & Dianæ eas dicant: unde Dianæ* Λυσιζώνης *fanum Athenis.* Item ÆGEI. *Suidas.* Αἰγεῖον· τὸ τοῦ Αἰγέως μαντεῖον, Δείναρχος, ἐν τῷ Κατὰ Πολυεύκτου. Αἰγεῖόν ἐστιν Αἰγέως ἡρῷον ἐν Αθήναις. *Aegeum, Aegei oraculum. Dinarchus, in Oratione Contra Polyeuctum. Aegeum, est Aegei fanum Athenis.* Quæ totidem verbis *Harpocration.*

CAP. XI.

Veneris templum; & Cupido formosissimus, rosis coronatus, Zeuxidis pictura. Etiam Καμίας *Veneris, ac* Λεαίνης, *alia templa: Aeaci quoque, Cychreique, & Perdicis; tum Populi, & Gratiarum: ubi Hyrcani, Judæorum pontificis, statua ænea. Phorbanteum. Phorbas, rex Curetum, ab Erechtheo interfectus. Venus* Ψίθυρος, *& Cupido. Mercurius* Ψιθυριστής, *&* Ηγεμόνιος.

ETIAM VENERIS quoddam erat; in quo Zeuxidis pictura spectabatur, Amor, forma eleganti, & rosis coronatus. Aristophanes, *Acharnensibus*, v. 957. &c.

Ω Κύπριδι τῇ καλῇ, καὶ χάρισι ταῖς φίλαις,
Ξυντρόφε Διαλλαγή,
Ως καλὸν ἔχουσα τὸ πρόσωπον ἄρ' ἐλάνθανες.
Πῶς ἂν ἐμὲ καὶ σέ τις Ερως ξυναγάγοι λαβὼν,
Ωσπερ ὁ γεγραμμένος, ἔχων στέφανον ἀνθέμων.

O Veneris atque Charitum socia, litium
Compositio decens,
Quam tibi venusta facies? quid ita tecta eras?
Quomodo Cupido aliquis me tibi jugaverit:
Qualis hic in æde roseo capite pictus est?

Ubi *Scholiastes.* Ζεῦξις ὁ ζωγράφος ἐν τῷ ναῷ τῆς Αφροδίτης ἐν ταῖς Αθήναις ἔγραψε τὸν Ερωτα, ὡραιότατον; ἐστεμμένον ῥόδοις. *Zeuxis pictor in templo Veneris Athenis pinxit Cupidinem, formosissimum, rosis coronatum.* Erant alia ejusdem deæ illic templa; cum ΛΕΑΙΝΑΣ, & ΛΑΜΙΑΣ, cognomento: assentatione nimia in Demetrium, cujus hæ amasiæ erant, ab Atheniensibus structa. Athenæus, *l.* VI. Δημοχάρης γοῦν, ὁ Δημοσθένους τοῦ ῥήτορος ἀνεψιὸς, ἐν τῇ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν, διηγούμενος περὶ ἧς ἐποιοῦντο οἱ Αθηναῖοι κολακείας πρὸς τὸν Πολιορκητὴν Δημήτριον, καὶ ὅτι τοῦτ' οὐκ ἦν ἐκείνῳ βουλομένῳ, γράφει οὕτως. Ενίων μὲν καὶ τούτων ἔνια αὐτὸν, ὡς ἔοικεν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄλλα γε παντελῶς αἰσχρὰ, καὶ ταπεινὰ, Λεαίνης μὲν καὶ Λαμίας Αφροδίτης ἱερά. *Demochares itaque, Demosthenis oratoris consobrinus, libro vigesimo Historiarum, cum assentationes explicat, quibus Demetrio, cognomine Poliorcetæ, adblanditi sunt Athenienses, etsi invito, ita scribit: Horum quædam, ut apparebat Demetrium offenderunt; quin etiam alia insuper, prorsus fœda, & humilia: Leænæ & Lamiæ Veneris fana.* Item ÆACI. *Hesychius.* Αἰακόντειον. Αθήνησι τὸ Αἰακοῦ τέμενος. *Aeaconteum. Aeaci fanum Athenis.* Herodotus, *lib.* V. Τῷ ἑνὶ καὶ τριηκοστῷ (ἔτει), Αἰακῷ τέμενος ἀποδέξαντας, ἄρχεσθαι τοῦ πρὸς Αἰγινήτας πολέμου. *Anno tricesimo primo, cum fanum Aeaco dedicassent, bellum adversum Aeginetas*

inchoarent. Meminit Plutarchus quoque, ut & CYCHREI, in *Vita Thesei*. Αἰακόν τε γὰρ Ἑλλήνων ὁσιώτατον νομίζεσθαι, καὶ Κυχρέα τιμὰς θεῶν ἔχειν Ἀθήνησι. *Aeacum enim Græcorum sanctissimum existimari, & Cychreum divino honore affici Athenis*. Etiam PERDICIS, Dædali sororis, ex Eupalamo patre: erat autem juxta Arcem. *Suidas*. Πέρδικος ἱερὸν, παρὰ τῇ ἀκροπόλει. Εὐπαλάμῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, Δαίδαλος, καὶ Πέρδιξ· ἧ υἱὸς Κάλως, ὃν φθονήσας ὁ Δαίδαλος τῆς τέχνης, ἔρριψεν αὐτὸν κατὰ τῆς ἀκροπόλεως. ἐφ' ᾧ ἡ Πέρδιξ ἑαυτὴν ἀνήρτησεν. Ἀθηναῖοι δὲ αὐτὴν ἐτίμησαν. Σοφοκλῆς δὲ ἐν Κωμικοῖς, τὸν ὑπὸ Δαιδάλου ἀναιρεθέντα, Πέρδικα εἶναι τοὔνομα. *Perdicis fanum juxta arcem erat. Eupalamo enim liberi erant, Dædalus, & Perdix; cui item filius Perdix. huic Dædalus cum ob artem invideret, ipsum de arce præcipitavit. Quam ob causam cum se Perdix suspendisset, Athenienses ei honores decreverunt. Sophocles vero in Comicis, eum, qui a Dædalo cæsus, Perdicem vocatum tradit*. Quæ totidem verbis Apostolius *Cent*. XV. *Proverb*. XCVI. Ubi observa, Perdicem dici non sororem ipsam Dædali, sed filium ejus. Sic Hyginus, *Mytholog*. cap. XXXIX. *Dædalus, Eupalami filius, qui fabricam a Minerva dicitur accepisse, Perdicem, sororis suæ filium, propter artificii invidiam, quod is primum serram invenerat, summo tecto dejecit*. Iterum, cap. CCLXXIV. *Perdix, Dædali sororis filius, & circinum, & serram ex piscis spina, reperit*. Sophoclis vero in *Comicis* locus, quem respexit *Suidas*, iste est apud Athenæum, *lib*. IX.

—— ὄρνιθος ἦλθ' ἐπώνυμος
Πέρδικος, ἐν κλεινοῖς Ἀθηναίων πάγοις.

—— *avis venit cognominis*
Perdicis, in inclytos Atheniensium colles.

Nullum dubium est, quin narrationis ejus sit fragmentum. Meminit Perdicis hujus etiam Apollodorus, *extremo* III. Invenio etiam PHEREÆ; quæ peregrina dea erat, aliisque Hecate esse credebatur. *Hesychius*. Φερεά, Ἀθήνησι ξενικὴ θεός. οἱ δὲ, τὴν Ἑκάτην. *Pherea, dea peregrina Athenis; quam alii Hecaten arbitrantur*. Etiam POPULI & CHARITUM. Josephus, *Antiq. Jud*. lib. XIV. cap. XVI. ubi decretum Atheniensium quoddam refert. Δέδοκται δὲ καὶ νῦν, Θεοδοσίου τοῦ Θεοδώρου Σουνιέως εἰσηγησαμένου, καὶ περὶ τῆς ἀνδρὸς ἀρετῆς ὑπομνήσαντος, καὶ ὅτι προαίρεσιν ἔχει ποιεῖν ἡμᾶς ὅτι ποτ' ἂν δύναται ἀγαθὸν, τιμῆσαι τὸν ἄνδρα χρυσῷ στεφάνῳ ἀριστείῳ κατὰ τὸν νόμον, καὶ στῆσαι αὐτοῦ εἰκόνα χαλκῆν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Δήμου καὶ τῶν Χαρίτων. *Visum est nunc, Theodosio Theodori Suniensi referente, populumque de virtute hujus viri admonente, & propenso ad bene faciendum animo, quotiescunque occasio se datura esset, honorare ipsum corona aurea virtutis ergo juxta legem, statuamque ex ære item collocare in templo Populi & Charitum*. Erat autem ea statua, de qua agit, Hircani, Judæorum pontificis, ut ex antecedentibus clarum. Cultas autem Athenis Gratias, nempe Auxonem, & Hegemonem, testis etiam Pausanias, in *Bœoticis*. Τιμῶσι γὰρ ἐκ παλαιοῦ καὶ Ἀθηναῖοι Χάριτας, Αὐξώ, καὶ Ἡγεμόνην. *Venerantur enim jam ab antiquis temporibus Athenienses Gratias, Auxonem, & Hegemonem*. Item PHORBANTEUM erat; quod Phorbanti dedicatum, regi Curetum, ab Erechtheo interfecto. *Harpocration*. Φορβάντειον. Ὑπερίδης, ἐν τῷ Κατὰ Πατροκλέους. ὅτι τὸ Ἀθήνησι Φορβάντειον ὠνομάσθη ἀπὸ Φόρβαντος, βασιλεύσαντος Κουρητῶν, καὶ ὑπ' Ἐρεχθέως ἀναιρεθέντος, δεδήλωκεν Ἄνδρων. *Phorbanteum; Hyperides, in Oratione adversus Patroclem. quod autem Phorbanteum Athenis de Phorbante nuncupatum, rege Curetum, ab Erechtheo interfecto, Andron refert*. Quæ totidem pæne verbis *Suidas*, & Etymologici *Auctor*. Meminit ejus Andocides, *in Orat*. περὶ μυστηρίων. Αἰσθόμενος δὲ ὁ Εὐφίλητος, ὡς ἥκοιμι, λέγει πρὸς αὐτοὺς, ὅτι πέπεισμαι ταῦτα συμποιεῖν, καὶ ὡμολόγηκα αὐτῷ μεθέξειν τοῦ ἔργου, καὶ περικόψειν τὸν Ἑρμῆν, τὸν περὶ τὸ Φορβάντειον. *Cum sentiret Euphiletus, me venire, inquit illis; me persuasum eadem facere, & pollicitum, manum una operi admovere velle, ac Mercurii, quæ ad Phorbanteum est, statuam amputare*. Phorbantis vero, tanquam Attici herois, meminit *Hesychius*. Φόρβας, Ἀττικὸς ἥρως. *Phorbas, heros Atticus*. Sua denique sive templa, sive signa, aut altaria, habuerunt, VENUS ΨΙΘΥΡΟΣ, & CUPIDO eodem item cognomento, ac MERCURIUS ΨΙΘΥΡΙΣΤΗΣ. De quibus vide quæ notavi *Attic. Lect*. lib. IV. cap. XII. Erat & MERCURIUS ΗΓΕΜΟΝΙΟΣ. Scholiastes Comici, *Pluto*. Κατὰ χρησμὸν οἱ Ἀθηναῖοι Ἡγεμόνιον Ἑρμῆν ἱδρύσαντο. *Athenienses jussu oraculi Mercurium Hegemonium dedicarunt*.

CAP. XII.

Jupiter Πατρῷος, *& Apollo. Qua de causa uterque ita nuncupatus. Harpocration restitutus. Apollo* Πατρῷος, *idem qui* Πύθιος; *& per eum in Ardetto jusjurandum dari solitum*. Εὐθρυπτος.

JUPITER, & Apollo, uterque Πατρῷος cognomento appellatus. Res est nota; non origo, quam observo apud Scholiasten Comici, *ad Nephelas*. Πατρῷος Ζεὺς μὲν, μετὰ τὴν ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἢ, ὡς ἕτεροι, μετὰ τὴν ἐν Κρήτῃ ἀνατροφὴν, ὅτε πρῶτον ταῖς Ἀθήναις ἐπέστη, καὶ ἐφάνη τοῖς πατράσιν αὐτῶν· οἵτινες ταύτῃ προσηγορίᾳ τετιμήκασιν αὐτόν. Ἀπόλλων δὲ, ὅτι Ἐρεχθέως θυγατέρα ἔγημε τὴν Κρέουσαν, ἐξ ἧς γίνεται ὁ Ἴων. *Jupiter quidem dictus est* Πατρῷος, *quod, post educationem in Arcadia, sive Creta, ut alii volunt, primum Athenas venit, ac majoribus eorum se ostendit, qui hoc eum cognomento honorarunt: Apollo vero, quod Creusam, Erechthei filiam, uxorem duxit, e qua Ion est prognatus*. Et mox *ibidem*. Τιμᾶται παρ' Ἀθηναίοις Ζεὺς Πατρῷος, καὶ Ἀπόλλων. διὰ τὸ πρώτους ὑποδέξασθαι τὼ θεὼ εἰς τὴν χώραν, καὶ θυσίαν συντελέσαι κατὰ φρήτρας, καὶ δήμους, καὶ συγγενείας, μόνους Ἑλλήνων. *Colitur apud Athenienses Jupiter* Πατρῷος, *& Apollo; quia primi Græcorum deum utrunque in terram suam receperunt, tum & sacra fecerunt, per tribus, populos, ac familias cognatas*. Plato, *Euthydemo*. Εἶπα τοῖς ἄλλοις, ἔφη, Ἀθηναίοις οὐκ ἔστι Ζεὺς ὁ Πατρῷος; οὐκ ἔστιν, ἦν δ' ἐγὼ, αὕτη ἐπωνυμία Ἰώνων οὐδενὶ, οὐδ' ὅσοι ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ἀπῳκισμένοι εἰσὶν, οὐδ' ἡμῖν· ἀλλὰ Ἀπόλλων Πατρῷος, διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν. *Deinde aliis, inquit, Atheniensibus an non est* Πατρῷος, *Jupiter? non est, inquam, hoc cognomen ulli Ionum, nec colonis ab hac Urbe: sed Apollo est* Πατρῷος, *ob nativitatem Ionis*. Ac Jovis quidem, meminit etiam Arrianus in *Epictetum*, l. III. cap. XI. Πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες τοῦ Πατρῴου. *Omnes enim sunt a Jove Patrio*. De Apolline, plures tradunt. *Harpocration*. Ἀπόλλων Πατρῷος ὁ Πύθιος. προσηγορία τίς ἐστι τοῦ θεοῦ, πολλῶν καὶ ἄλλων ὄντων. τὸν δὲ Ἀπόλλω κοινῶς Πατρῷον τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἀπὸ Ἴωνος. τούτου γὰρ οἰκήσαντος τὴν Ἀττικὴν, Ἀριστοτέλης φησὶ τοὺς Ἀθηναίους Ἴωνας κληθῆναι, καὶ Ἀπόλλωνα Πατρῷον αὐτοῖς ὀνομασθῆναι. *Apollo Patrius, qui & Pythius. Cognomen dei est, qualia item alia multa. Apollinem vero communiter Patrium colunt Athenienses, ab Ione. quippe, illo Atticam inhabitante, Athenienses Aristoteles Iones vocatos tradit, & Apollinem ipsis Patrium nuncupatum*. Ita enim locum illum, hodie non uno mendo laborantem, restituendum esse censeo. Erat vero idem cum eo, qui Πύθιος alias dicebatur. Ecce, in illis *Harpocrationis* verbis. Ἀπόλλων Πατρῷος, ὁ Πύθιος. *Apollo Patrius, qui & Pythius*. Demosthe-

nes, *in Orat.* De Corona. Καλῶ δὲ ἐναντίον ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς θεοὺς ἅπαντας, ϗ πάσας, ὅσοι τὴν χώραν ἔχουσι τὴν Ἀττικὴν· ϗ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, ὅς Πατρῷός ἐστι τῇ πόλει. *Contra vos, o Athenienses, imploro deos omnes, deasque, quotquot Atticam terram habent; & Pythium Apollinem, qui est Patrius huic Urbi.* Libanius, *Declam.* XXIX. Τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, οὗ τοῖς χρησμοῖς ἀκολουθοῦντες, τὰ μέγιστα τῶν ἔργων ἐπράξαμεν, οὗτος τοίνυν, ὁ τῇ πόλει Πατρῷος, ἅπαντας τοὺς ἄλλους ὑπερβὰς, τὸν νυνὶ κρινόμενον, ἀνεῖπε σοφώτατον. *Apollinem Pythium, cujus oraculis obsecuti res maximas gessimus. Hic igitur, qui Patrius Urbi est, cæteros omnes supergressus, eum, qui nunc reus agitur, sapientissimum pronuntiavit.* Aristides, in *Panathenaica*. Πατρῷον τὸν Ἀπόλλω, τὸν Πύθιον. *Apollinem Patrium, qui est Pythius.* Et hunc jurabant in Ardetto. Pollux, *l.* VIII. *cap.* X. Ὤμνυον δὲ ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ Ἀπόλλω Πατρῷον. *Jurabant apud tribunal Ardettum Apollinem Patrium.* Nimirum hic ipse est, de quo Cicero, *De Nat. Deorum*, lib. III. c. XXII. *Vulcani item complures. primus, Cœlo natus; ex quo Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui Historici esse voluerunt.* Et mox iterum. *Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum.* Colebatur Apollo etiam Ἐνθρύπτου cognomento. Suidas, *in* Ἐνθρυπτον. Καὶ Ἀπόλλων δὲ παρὰ Ἀθηναίοις Ἐνθρυπτος. *Et vero Apollo apud Athenienses Enthryptus.* Totidem verbis Hesychius, *in* Ἐνθρυπτα.

CAP. XIII.

Templa Junonis, Jovis Πανελληνίου, *& omnium deorum; columnæ etiam centum, & viginti, e lapide Phrygio, Adriani opera. Deorum omnium commune templum,* Πάνθεον *dictum, quale fuerit? Historiæ Græcorum exterius sculptæ; & equi duo, a Praxitele facti: intus scriptum, quæ Adrianus Imp. templa vel fecisset nova, vel antiqua instaurasset: tum donaria, & largitiones ejus. Jupiter* Ἐγκύκλιος. *Hesychius correctus.* Ἐπωπετής. Φράτριος. Φράτριον. *Juno* Θελξινία. *Apollo* Κύννιος. *Neptunus* Ἐλάτης, Κυνάδης, Ἀσφάλειος. *Cranai fanum, & sacerdos, e familia Charidarum. Horarum quoque; & in eo aræ Bacchi,* τοῦ Ὀρθοῦ *cognominati. Inter Horas, Thallo culta; in cujus nomine Pausanias correctus. Aræ Nympharum, ab Amphictyone dedicatæ. Veneris* τῆς Ἑταίρας *fanum, & Eurysacis; cujus etiam ara ibi. Socratis etiam, & fons ibidem. Denique Imprecationis.*

TEMPLUM JUNONIS, & JOVIS ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΟΥ, ac DEORUM OMNIUM tertium, Adrianus Imperator ædificavit; tum columnas centum ac viginti posuit, e Phrygio lapide. Pausanias, *in Attic.* Ἀδριανὸς δὲ κατεσκευάσατο μὲν ϗ ἄλλα Ἀθηναίοις, ναὸν Ἥρας, ϗ Διὸς Πανελληνίου, ϗ θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν. τὰ δὲ ἐπιφανέστατα, ἑκατὸν εἴκοσι κίονες, Φρυγίου λίθου. *Adrianus vero cum alia apud Athenienses ædificavit, tum Junonis, Jovis Panhellenii, & deorum omnium commune templum; ac spectatæ inter cætera sunt maxime columnæ centum, e lapide Phrygio.* Ac deorum quidem omnium commune templum, Πάνθεον ex re nuncupatum, id magnificentissimum fuit; & extrinsecus, sculptæ Historiæ Græcorum: deinde supra magnam portam equi duo, a Praxitele summo artificio facti: superestque etiam hodie. Theodosius Zygomalas, in *Epistola, ad Martinum Crusium* scripta, anno CIↃ IↃ LXXV. ubi de Urbe Atheniensi illi sermo, qualis ea hodie exstat. Τὸ Πάνθεον (ἴδον,) οἰκοδομὴν νικῶσαν πάσας οἰκοδομάς· γλυπτὰς ἐκτὸς διὰ πάσης τῆς οἰκοδομῆς ἔχουσαν τὰς ἱστορίας Ἑλλήνων, ϗ ταῦτα τὰς θείας· ϗ μετὰ τῶν ἄλλων, ἐπάνω τῆς μεγάλης πύλης, ἵππους δύο, φρυαττομένους ἀνδρομέαν εἰς σάρκα, τὸ δοκεῖν ἐμψύχους· ὡς λέγεται, ὅτι ἐλάξευσε Πραξιτέλης. καί ἐστιν ἰδεῖν διικνουμένην ϗ λίθων τὴν ἀρετήν. *Pantheum (vidi,) quod est ædificium aliis omnibus excellentius; in quo extrinsecus circumquaque historiæ Græcorum sculptæ sunt, & quidem divinæ. Inter alia, supra magnam portam, duos equos, tanquam frementes in carnem humanam, viventibus similes, est videre; quos Praxiteles fecisse dicitur: ita ut etiam lapides pertransire virtus videatur.* Intus, inter cætera, scriptum; quænam templa Adrianus Imperator nova fecisset; vel quæ etiam instaurasset, & donariis ornasset: quæque civitatibus Græcis, barbarisve, concessisset. Pausanias, *loc. cit.* Ὁπόσα δὲ (ὁ Ἀδριανὸς) θεῶν ἱερὰ, τὰ μὲν ᾠκοδόμησεν ἐξ ἀρχῆς, τὰ δὲ καὶ ἐπεκόσμησεν ἀναθήμασι, ϗ κατασκευαῖς, ἢ δωρεὰς πόλεσιν ἔδωκεν Ἑλληνίσι, τὰς δὲ ϗ τῶν βαρβάρων τοῖς δεηθεῖσι, ἔστιν οἱ πάντα γεγραμμένα Ἀθήνησιν, ἐν τῷ κοινῷ τῶν θεῶν ἱερῷ. *Quæ vero (Adrianus) templa deorum vel nova fecit, vel in melius exstruxit, ac donariis ornavit, aut largitus est urbibus Græcis, Barbarisve, supplicantibus, ea omnia scripta Athenis, in communi deorum æde.* Erat quoque JOVIS ΤΟΥ ΕΓΚΥΚΛΙΟΥ. *Hesychius* indicat. Ἐγκύκλιον, τὸ πανταχοῦ κύκλιον, (ita scribo, non κυκνῶν;) ἢ Ζεὺς, παρ' Ἀθηναίοις. *Encyclium, ubique orbiculatum; vel Jupiter, apud Athenienses.* Etiam ΕΠΩΠΕΤΗΣ colebatur. *Hesychius.* Ἐπωπετὴς, Ζεὺς παρὰ Ἀθηναίοις. *Epopetes, Jupiter apud Athenienses.* Item ΦΡΑΤΡΙΟΣ. Pollux, *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXIII. Τὰ πολλὰ δὲ τούτων, ϗ ἴδια ἐστι τοῦ Διός. ὥσπερ, Ὑέτιος· ϗ, ὁ Καταιβάτης· καὶ παρ' Ἀθηναίοις, Φράτριος. *Multa horum, etiam sunt Jovis propria; uti Pluvius, Descensor: & apud Athenienses, Tribulis.* Et templum ejus, Φράτριον dictum. Hoc est, de quo idem Pollux, *libro* III. *cap.* IV. Καὶ θεοὶ Φράτριοι, ϗ Φίλιοι· τὸ δὲ ἱερὸν, εἰς ὃ συνῄεσαν, Φράτριον ἐκαλεῖτο. *Et dii Tribules, amicitiæque præsides: templum vero, in quod conveniebant, Tribule dicebatur.* Erat & JUNONIS alibi, cognomento ΘΕΛΞΙΝΙΑΣ. *Hesychius.* Θελξινία, Ἥρα· τιμᾶται παρ' Ἀθηναίοις. *Thelxinia, Juno; colitur apud Athenienses.* Et APOLLINIS τοῦ ΚΥΝΝΙΟΥ. Idem *Hesychius.* Κυννίδαι, γένος Ἀθήνησιν, ἐξ οὗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Κυννίου Ἀπόλλωνος. *Cynnidæ, familia Athenis; e qua sacerdos Apollinis Cynnii.* Colebatur item Neptunus ὁ ΕΛΑΤΗΣ. *Hesychius.* Ἐλάτης, ὁ Ποσειδῶν ἐν Ἀθήναις. *Elates, Neptunus; Athenis.* Etiam ΚΥΝΑΔΗΣ. *Hesychius* rursum, alio loco. Κυνάδης, Ποσειδῶν· Ἀθήνησιν ἐτιμᾶτο. *Cynades, Neptunus; Athenis colebatur.* Et ΑΣΦΑΛΕΙΟΣ. Scholiastes Aristophanis, *Acharnensibus.* Ἀσφάλειος Ποσειδῶν παρὰ Ἀθηναίοις τιμᾶται, ἵνα ἀσφαλῶς πλέωσιν. *Asphalius Neptunus apud Athenienses colitur, uti tuto navigarent.* Sed & CRANAUM alibi observo. Non diserte illud quidem memoratur; sed *Hesychius* tamen innuit; qui fuisse sacerdotem illi tradit, e familia Charidarum. Ecce verba. Χαρίδαι· γένος, ἐξ οὗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Κραναοῦ. *Charidæ; familia, e qua Cranai sacerdos.* Erat etiam HORARUM; & in eo aræ BACCHI τοῦ ΟΡΘΟΥ, ac NYMPHARUM: quas rex Amphictyon ibi dedicaverat. Athenæus, *libro* II. Φιλόχορος δέ φησιν, Ἀμφικτύονα, τὸν Ἀθηναίων βασιλέα, μαθόντα παρὰ Διονύσου τὴν τοῦ οἴνου κρᾶσιν, πρῶτον κεράσαι· διὸ ϗ ὀρθοὺς γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους, οὕτω πίνοντας, πρότερον ὑπὸ τοῦ ἀκράτου καμπτομένους. ϗ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν Ὀρθοῦ Διονύσου, ἐν τῷ Ὡρῶν ἱερῷ. αὗται γὰρ ϗ τὸν τῆς ἀμπέλου καρπὸν ἐκτρέφουσι. πλησίον δ' αὐτοῦ, καὶ ταῖς

Νύμφαις βωμὸν ἔδειμεν, ὑπόμνημα τοῖς χρωμένοις τῆς κράσεως ποιούμενος. *Philochorus auctor est, Amphictyonem, Atheniensium regem, edoctum a Baccho vini diluendi rationem, primum istud diluisse; qua de causa cum incederent homines recti, antea meraco curvi, aram statuit Baccho Recto, in Horarum templo: eæ enim vitis fructum educant: prope autem, etiam Nymphis aram posuit; ut de vino diluendo, si qui uti eo vellent, admoneret.* Ac Bacchi Recti iterum meminit, *lib.* IV. Τὴν γὰρ σύμμετρον κρᾶσιν τοῦ οἴνου ὑπὸ Ἀμφικτύονος βασιλεύσαντος διδαχθῆναι φησὶν Ἀθηναίους· καὶ διὰ τοῦτο ἱερὸν Ὀρθοῦ Διονύσου ἱδρύσασθαι. *Nam aquam vini diluendi rationem didicisse Athenienses ab Amphictyone rege ait; ideoque Baccho Recto fanum esse constitutum.* Ubi in eo tamen variat; quod hic templum, ibi aram positam dicat. Inter Horas, quas colebant, ut hoc obiter nunc dicam, Carpo erat, item Thallo; quam postremam pari cum Pandroso cultu prosequebantur. Pausanias, *Bœoticis*. Τὸ γὰρ τῆς Καρποῦς ἐστιν οὐ χάριτος, ἀλλὰ Ὥρας ὄνομα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν Ὡρῶν νέμουσιν ὁμοῦ τῇ Πανδρόσῳ τιμὰς οἱ Ἀθηναῖοι, Θαλλὼ τὴν θεὸν ὀνομάζοντες. Ita enim ibi legendum; non, Ηαλλωτὴν θεὸν ὀ. *Carpus enim nomen non est Gratiæ, sed Horæ. Et Horarum alteri communes cum Pandroso honores habent Athenienses, Thallonem appellantes Deam.* Meminitque ejus Clemens, in *Protreptico*. Αὐξώ τε, καὶ Θαλλώ, αἱ Ἀττικαί. *Auxoque, & Thallo, Atticæ.* Etiam VENERIS τῆς ΕΤΑΙΡΑΣ. Clemens, in *Protreptico*. Οὐχὶ δὲ Ἀφροδίτῃ Περιβασίῃ μὲν Ἀργεῖοι, Ἑταίρᾳ δὲ Ἀθηναῖοι θύουσιν. *An non Veneri Peribasiæ Argivi, & Hetæræ Athenienses sacra faciunt?* EURYSACIS quoque templum invenio, prope forum. *Harpocration*. Παρὰ τῷ Κολωνῷ εἱστήκεισαν, ὅς ἐστι πλησίον τῆς ἀγορᾶς· ἔνθα τὸ Ἡφαίστειον, καὶ τὸ Εὐρυσάκειον ἐστι. *Ad Colonum steterant, qui juxta forum; ubi Vulcani templum est, & Eurysacis.* Pollux *lib.* VII. *c.* XXIX. Ἐν ἀγορᾷ, παρὰ τὸ Εὐρυσάκειον. *In foro, juxta fanum Eurysacis.* Ejusdem ara commemoratur a Pausania *in Attic.* Καὶ γὰρ Εὐρυσάκους βωμός ἐστιν ἐν Ἀθήναις. *Etenim Eurysacis ara est Athenis.* Quin & SOCRATIS quoddam fuit. Marinus, in *Vita Procli*. Ὡς γὰρ εἰς τὸν Πειραιᾶ κατῆρε, καὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει κατεμηνύθη τοῦτο, Νικόλαος, ὁ ὕστερον μὲν περιφανὴς ἐπὶ τῇ σοφιστικῇ γενόμενος, τηνικαῦτα δὲ σχολάζων τοῖς ἐν Ἀθήναις διδασκάλοις, κατέβη εἰς τὸν λιμένα, ὡς πρὸς γνώριμον· ὑποδεξόμενός τε αὐτὸν, καὶ ξεναγήσων, ὡς πολίτην. Λύκιος γὰρ καὶ ὁ Νικόλαος. ἦγεν οὖν αὐτὸν ἐπὶ τὴν πόλιν. ὁ δὲ, ἐκ τοῦ βαδίζειν, κόπου ᾔσθετο κατὰ τὴν ὁδόν. καὶ περὶ τὸ Σωκρατεῖον, οὔπω εἰδὼς, οὔτε ἀκηκοὼς, ὅτι Σωκράτους αὐτοῦ που ἐγίγνοντο τιμαὶ, ἠξίου δὲ τὸν Νικόλαον ἐπιμένειν τε αὐτόθι βραχὺ, καὶ καθέζεσθαι. ἅμα δὲ, καὶ εἰ ἔχοι ποθὲν ὕδωρ, αὐτῷ πορίσασθαι. καὶ γὰρ δίψει πολλῇ, ὡς ἔλεγε, κατείχετο. *Cum ad Piræeum appulisset, idque iis, qui in Urbe, nuntiatum etiam esset, Nicolaus, qui deinde in dicendi arte floruit, & Athenis eo tempore doctoribus operam dabat, descendit ad portum, excepturus eum, & hospitio habiturus, velut civem; quippe Lycius etiam Nicolaus erat; itaque deduxit in Urbem. Ille vero, cum se lassum ex itinere sentiret per viam, apud Socratis sacellum, cum nec sciret ipse quicquam, neque unquam audivisset, ibi loci Socratem coli, rogavit Nicolaum, ut subsisteret paulisper, ac consideret; tum, si posset, aquam sibi alicunde suppeditaret: siquidem, ut inquiebat, magna siti laborabat.* Ac fons juxta. Marinus *ibidem*. Ὁ δὲ, ἑτοίμως αὐτῷ καὶ τοῦτο, οὐκ ἀλλαχόθεν ποθὲν, ἐξ αὐτοῦ δὲ ἐκείνου τοῦ ἱεροῦ χωρίου, ἐποίει φέρεσθαι. οὐδὲ γὰρ πόρρω ἦν ἡ πηγὴ τῆς Σωκράτους στήλης. πιόντι δὲ αὐτῷ, σύμβολον ὁ Νικόλαος καὶ τότε πρῶτον ἐπιστήσας εἶπεν, ὡς τῷ Σωκρατείῳ εἴη ἐνιδρυθεὶς, καὶ πρῶτον ἐκεῖθεν Ἀττικὸν ὕδωρ πιών. *Ille statim, nec aliunde, quam ex eo ipso loco consecrato, adferri curabat; neque fons, qui ad statuam Socratis, longe aberat. Ac, cum bibisset, Nicolaus, idque tum considerans primum, omen est, inquit, quod in Socratis sacello consederis, & aquam primum Atticam biberis.* Denique, ut finiam, erat alibi etiam IMPRECATIONIS. *Hesychius*. Ἀρᾶς ἱερόν. ἱερὸν Ἀρᾶς Ἀθήνησι. *Imprecationis fanum. Fanum Imprecationis est Athenis.*

CAP. XIV.

Dii novitii, & ignobiles. Orthanes. Hesychius emendatus; item Lycophron, & Isaacius Tzetzes. Eubuli fabula quædam, Ὀρθάνης. *Conissalus. Tychon. Hesychius iterum restitutus, ut & Clemens. Lordo. Cybdasus. Burichus. Adimantus. Oxythemis.*

ERANT & novitii dii, atque obscuri; Orthanes, Conissalus, Tychon, aliique. Strabo, *l.* XIII. Ἀπεδείχθη δὲ θεὸς οὗτος ἀπὸ τῶν νεωτέρων. οὐδὲ γὰρ Ἡσίοδος οἶδε Πρίαπον· ἀλλ' ἔοικε τοῖς Ἀττικοῖς, Ὀρθάνῃ, καὶ Κονισάλῳ, καὶ Τύχωνι, καὶ τοῖς τοιούτοις. *Accensus vero est & diis novitiis; neque enim Priapum Hesiodus novit, sed videtur similis Atticis, Orthani, Conissalo, Tychoni, & talibus.* De Orthane, est *Hesychii* iste locus. Ὀρθάνης, τῶν ὑπὸ τὸν Πρίαπόν ἐστι θεῶν, καὶ αὐτὸς ἐντεταμένον ἔχων αἰδοῖον. *Orthanes, ex iis diis est, qui Priapo famulantur; cum intenso & ipse veretro.* Ita emendo; perperam enim illic editur, Ὀρηθανής. Et observa, e Priapi famulitio hunc fuisse; quod etiam Isaacius Tzetzes dicit, ad *Lycophronis Cassandram*. Ὀρθάνην, τὸν ξένον, κατὰ διάλεκτον. ἔστι δὲ καὶ Ὀρθάνης δαίμων Πριαπώδης παρὰ τῇ Ἀφροδίτῃ. *Orthanem, peregrinum, juxta dialectum. Est vero Orthanes etiam deus, e Priapi sodalitio, apud Venerem.* Lycophron Paridem, hominem libidinosum, ita vocat, v. 538. &c.

> Ὃς, τὸν πλανήτην ὀρθάνην ὅταν δόμοις
> Σίνιν καταρράκτηρα δέξωνται πικρὸν,
> Θήσει βαρεῖαν κολῳὸν ἐν λέσχαις μέσον.
> *Qui, cum erronem hospitem convivio*
> *Noxium vastatorem acceperint,*
> *Grave efficiet in mediis confabulationibus jurgium.*

Ita enim utrobique emendo; neque enim recte editur hic Ὀρθάγην; ibi, Ὀρθάγης. Plato Comicus, in *Phaone*, apud Athenæum *lib.* X.

> Βολβῶν μὲν Ὀρθάνῃ τρί' ἡμιεκτέα
> *Bulborum orthanæ sesquisextarius.*

Et Eubuli quædam fabula inscripta est Ὀρθάνης. Athenæus, *lib.* III. Κυπρίων δὲ ἄρτων μνημονεύει Εὔβουλος, ὡς διαφόρων, ἐν Ὀρθάνῃ. *Cyprios panes, ut præstantes, commemorat Eubulus, in Orthane.* Meminitque locis pluribus. De Conissalo, mentio exstat apud Comicum Platonem, in *Phaone*, apud Athenæum, *loco jam citato*.

> Κονισάλῳ δὲ, καὶ παραστάταιν δυοῖν,
> Μύρτων πιναχίσκος, χειρὶ παρατετιλμένων.
> *Conissalo vero, & duobus sociis,*
> *Myrtorum lanx, manu decerptarum.*

Aristophanes, *Lysistrata v.* 983.

> Σὺ δ' εἶ τίς; πότερον ἄνθρωπος, ἢ Κονίσαλος.
> *Sed tu quis es? an homo, an Conissalus.*

Suidas. Κονίσαλος, δαίμων Πριαπώδης. *Conissalus, deus e Priapi sodalitio.* Tychon, a quibusdam Mercurius, a quibusdam, in Veneris esse comitatu censebatur. *Hesychius*. Τύχων. ἔνιοι, τὸν Ἑρμῆν. ἄλλοι δὲ, τὸν περὶ τὴν Ἀφροδίτην. *Tychon. quidam, Mercurium eum; alii, e Veneris esse comitatu arbitrantur.* Ita enim ibi scribendum; non Τυχόον, uti editur. Corrigendus quoque Clemens, in *Protreptico*. Τί γὰρ ἡγεῖσθε, ὦ ἄνθρωποι, τὸν Τύχωνα Ἑρμῆν.

Quid enim arbitramini, o homines, Mercurium Typhona? Hodie non recte editur, τὸν Τυφῶνα Ἑρμῆν. *Typhona Mercurium.* Falluntur viri docti, qui aliter nobis locum illum restituere sunt conati. Ejusdem commatis Lordo erat, Cybdasusque. Meminit Plato, in *Phaone*.

> Λόρδωνι δραχμὴν, Κυβδάσῳ τριώβολον.
> *Lordoni drachma, Cybdaso tres oboli.*

Burichus quoque, Adimantus, & Oxythemis; quibus templa statuerunt per adulationem, ut Demetrio Poliorcetæ tanto magis se probarent. Athenæus, *lib.* VI. Δημοχάρης γοῦν, ὁ Δημοσθένους τοῦ ῥήτορος ἀνεψιὸς, ἐν τῇ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν, διηγούμενος περὶ ἧς ἐποιοῦντο οἱ Ἀθηναῖοι κολακείας πρὸς τὸν Πολιορκητὴν Δημήτριον, γράφει ὧδε· Ἐλύπει μὲν καὶ τούτων ἔνια αὐτὸν, ὡς ἔοικεν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄλλα γε, παντελῶς αἰσχρὰ, καὶ ταπεινά. Λεαίνης μὲν καὶ Λαμίας Ἀφροδίτης ἱερά· καὶ Βουρίχου, καὶ Ἀδειμάντου, καὶ Ὀξυθέμιδος, τῶν κολάκων αὐτοῦ· καὶ βωμοὶ, καὶ ἡρῷα, καὶ σπονδαί. *Demochares, Demosthenis oratoris consobrinus, libro vigesimo Historiarum, cum assentationes explicat, quibus Demetrio Poliorcetæ adblanditi sunt Athenienses, quanquam invito, ita scribit. Horum quædam, ut apparebat, Demetrium offendebant; quin etiam alia insuper, prorsus fœda, & humilia: nempe Leænæ Lamiæque Veneris templa; & Burichi, Adimanti, & Oxythemidis, ejus assentatorum, aræ, sacella, & sacra.*

JOANNIS MEURSII
ATHENARUM ATTICARUM
LIBER III.

CAP. I.

Heroes varii; Ἰατρὸς, *sive Aristomachus.* Ἰατρὸς ξένος, *sive Toxaris. Hesychii locus restitutus.* Ἡσύχος; *a quo* Ἡσυχίδαι, *sacerdotes: & eorum sacrificium.* Καλαμίτης. *Alon.* Κέλης. *Hesychius iterum emendatus.* Στεφανηφόρος. *Celeus; & Metanira, uxor. Scholiastes Hephæstionis correctus; item Pausanias, & Diomedes. Lycus, ejus statua, lupi forma: tum Erechthei, a Myrone facta.*



VARII quoque ab Atheniensibus heroes culti, præter decem numero Eponymos, qui majorum gentium erant, & commemorati mihi *Ceramici* c. VII. Nunc minores memorabo; in quibus unus, ἥρως ἰατρὸς nuncupatus. Meminit ejus *Hesychius.* Ἰατρὸς, ἥρως Ἀθήνησιν ἀρχαῖος. *Medicus, heros Athenis antiquus.* Demosthenes, *in Orat.* De falsa leg. Διδάσκων δ' ὁ πατὴρ γράμματα, ὡς ἐγὼ πρεσβυτέρων ἀκούω, πρὸς τῷ τοῦ ἥρωος τοῦ ἰατροῦ. *Docens ejus pater literas, ut ego e natu majoribus audio, ad herois medici fanum.* Proprium ei nomen erat, Aristomachus. Ulpianus, in *Demosthenis illum locum.* Ὁ δὲ ἰατρὸς ἥρως ἐλέγετο, διὰ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος· τὸ δὲ κύριον ὄνομα αὐτοῦ, Ἀριστόμαχος. *Heros medicus dicebatur, propter corporis magnitudinem; nomen vero illi proprium, Aristomachus.* Alius erat, Ἰατρὸς ξένος appellatus; cui proprium nomen, Toxaris. Lucianus, *Scytha.* Ὁ Τόξαρις οὐδὲ ἀπῆλθεν ἔτι ὀπίσω ἐς Σκύθας, ἀλλ' Ἀθήνησιν ἀπέθανε· καὶ μετ' οὐ πολὺ καὶ ἥρως ἔδοξε, καὶ ἐντέμνουσιν αὐτῷ Ξένῳ Ἰατρῷ οἱ Ἀθηναῖοι. *Neque Toxaris ad Scythas est regressus, sed Athenis diem obiit; & non multo post heros habitus: sacraque ei Athenienses, Medicum Peregrinum appellantes, faciunt.* Eratque ejus monumentum juxta Dipylum; item cippus, semper sertis redimitus: ubi febri laborantes persanari ferebantur. Lucianus, *eodem Scytha.* Ἐστι δὲ οὐ πολὺ ἀπὸ τοῦ Διπύλου, ἐν ἀριστερᾷ εἰς Ἀκαδημίαν, ἀπιόντων, οὐ μέγα τὸ χῶμα, καὶ ἡ στήλη χαμαὶ, πλὴν ἀλλ' ἐστεμμένη γ' ἀεί. καὶ φασι, πυρέττοντάς τινας ἤδη πεπαῦσθαι ἀπ' αὐτοῦ. *Est non longe a Dipylo, sinistrorsum qua ad Academiam itur, tumulus non magnus, & cippus humilis, verum semper coronatus: memorantque, quosdam ab eo, febri laborantes, jam curatos esse.* Erat item, Ἡσύχος ἥρως nuncupatus; cui Ἡσυχίδαι appellati, sacra Eumenidibus facturi, arietem præsacrificabant. Polemon in opere, quod inscripserat, Τὰ περὶ Ἐρατοσθένην, apud Scholiasten Sophoclis, *ad Oed. Col.* Καὶ προθύοντες (οἱ Ἡσυχίδαι) πρὸ τῆς θυσίας ταύτης κριὸν, Ἡσύχῳ ἱερὸν ἥρωι, τοῦτον οὕτω καλοῦντες διὰ τὴν εὐφημίαν. *Et præsacrificant (Hesychidæ) priusquam sacra ista faciunt, arietem, sacrum heroi: quem Quietum boni ominis causa dicunt.* Erat Καλαμίτης etiam. *Hesychius.* Καλαμίτης, ἥρως, τῷ κλισίῳ πλησίον. *Calamites, heros, prope fornicem.* Ita emendo; nam perperam editur, τῷ ἠλυσίῳ πλησίον. Habes clare apud Demosthenem, *Orat.* De Corona. Πότερ' ὡς ὁ πατήρ σου Τρόμης ἐδούλευε παρ' Ἐλπίᾳ, τῷ πρὸς τῷ Θησείῳ διδάσκοντι γράμματα, χοίνικας παχείας ἔχων, καὶ ξύλον· ἢ ὡς ἡ μήτηρ σου, τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις ἐν τῷ κλισίῳ, τῷ πρὸς τῷ Καλαμίτῃ Ἥρωι, χρωμένη, τὸν καλὸν ἀνδριάντα, καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον, ἐξέθρεψέ σε. *Utrum illud dicam, patrem tuum Trometem serviisse apud Elpiam, qui literas docebat ad Thesei fanum, crassis compedibus vinctum, & ligno? aut matrem tuam, quotidianas nuptias celebrantem in fornice juxta Calamitem Heroem, te nobis, pulcram illam statuam, & summum histrionem, educasse.* Alon quoque, mentioque ejus exstat apud Scholiasten Sophoclis, in *Poetæ ejus Vita*; ubi ipsum sacerdotio ejus functum nobis tradit. Ἔσχε δὲ καὶ τὴν τοῦ Ἄλωνος ἱερωσύνην· ὃς ἥρως ἦν μετὰ Ἀσκληπιοῦ, παρὰ Χείρωνι. *Obiit vero etiam Alonis sacerdotium; qui heros erat cum Æsculapio, apud Chironem.* Invenitur item Κέλης. Ecce in Platonis Comici *Phaone*, apud Athenæum, *lib.* X.

> Ἥρῳ Κέλητι δέρμα, καὶ θυλήματα.
> *Heroi Celeti pellis, & libamina.*

Corrigendus est *Hesychii* locus. Κέλης, ἵππος, καὶ ἱππαστὴς, καὶ ἥρως, καὶ εἶδός τι τῆς νεώς. *Celes, equus, & eques, & heros, & species quædam navis.* Hodie non recte editur; ἱππαστὴς, καὶ μέρος, καὶ εἶδός τι. *Eques, & pars, ac species.* Erat & Στεφανηφόρος. De quo vide *Lectiones* nostras *Atticas, lib.* IV. *cap.* X. Celeus item, cum uxore Metanira. Athenagoras, in *Legatione.* Ἀθηναῖοι μὲν Κελεὸν, καὶ Μετάνειραν, ἵδρυνται θεούς. *Athenienses quidem Celeum, & Metaniram, in deos consecrarunt.* Ac Metaniræ multa

est mentio apud Veteres. Apud Nicandrum, in *Theriacis*, v. 486. 487.

—— —— ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις
Ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δείδεκτο περίφρων.
—— —— *cum inter Celei ancillas*
Vetula prudens Metanira deam excepit.

Ubi *Scholiastes*. Χρόνῳ δὲ ὕστερόν ποτε ἡ Μετάνειρα τὴν Δήμητρα ὑπεδέξατο εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. *Aliquanto post Metanira Cererem in ædibus suis hospitio excepit.* Iterum, ad *Alexipharmaca*. Ἰάμβη δέ τις, δούλη τῆς Μετανείρας, ῥαθυμοῦσαν τὴν θεὸν ὁρῶσα, γελοιώδεις λόγους, καὶ σκώμματά τινα, πρὸς τὸ γελάσαι τὴν θεὸν, ἔλεγεν. *Jambe quædam, Metaniræ ancilla, cum dejectam animo deam videret, ut moveret ei risum, sermones ridiculos, ac scommata quædam, prolocuta est.* Et paullo ante. Ὑπὸ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Μετανείρας. *Ab uxore ejus Metanira.* Aristides, in *Eleusinia*. Καὶ τούτοις Κελεός τε, καὶ Μετάνειρα, καὶ Τριπτόλεμος, ἐπιφημίζονται. *Inter hæc autem Celeus, & Metanira, ac Triptolemus, recitantur.* Nonnus, *Dionys.* lib. XLVII. v. 48.

Ἰκάριο Κελεοῖο, καὶ Ἠριγόνη Μετανείρης.
Icarius Celei, & Erigone Metaniræ.

Apollodorus, *lib.* I. Οὗτος δὲ τῇ Κελεοῦ γυναικὶ Μετάνειρᾳ παιδίου, τοῦτο ἔθρεψεν ἡ Δημήτηρ παραλαβοῦσα. *Cum Celei uxori Metaniræ filius esset, eum Ceres ad se receptum educavit.* Et occurrit illic bis terque Joannes Tzetzes, ad *Hesiodi* ἔργων α΄. Ὑπὸ Τριπτολέμου δὲ, τοῦ Κελεοῦ καὶ Μετανείρας παιδὸς, τὰ περὶ τὴν παῖδα μαθοῦσα (ἡ Δημήτηρ) εἰς ἀμοιβὴν τὰ σπέρματα τῷ Τριπτολέμῳ δίδωσι, καὶ πτερωτῶν ἅρμα δρακόντων. *Ceres, a Triptolemo, Celei & Metaniræ filio, quæ filiæ accidissent edocta, ut gratiam rependeret, semina ei, & currum alatis draconibus junctum, est largita.* Itaque non recte est apud Pausaniam, in *Atticis*. Καὶ οἱ τὴν Μεγάνειραν πιστεῦσαι οὕτω τοῦ παιδὸς τὴν ἀνατροφήν. ὀλίγῳ δὲ ἀπωτέρω τοῦ φρέατος, ἱερὸν Μεγανείρας ἐστί. *Atque ita Meganiram filii educationem ipsi credidisse; estque paullo longius a puteo Meganiræ fanum.* Rescribe, Μετανείραν; &, Μετανείρας. Et apud Diomedem, *lib.* III. *Hujus autem origo verbi ex nomine Jambes, famulæ Celei, derivatur; quæ Cererem, filiam quærendo ad Meganiram conjugem Celei delatam, cum vidisset sollicitam, male tractavit.* Etiam illic rescribendum, *ad Metaniram*. Corruptissimus autem locus Scholiastæ, *Hephæstionis*. ἡ Δημήτηρ, περίλυπος οὖσα ἐπὶ τῇ ἁρπαγῇ τῆς ἑαυτῆς θυγατρὸς, καὶ πλανωμένη, παρεξενήθη τινὶ ὀνόματι Κελεῷ, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ Νήρι. *Ceres, tristis ob ereptam filiam, & oberrans, hospitio excepta fuit a quodam Celeo, & uxore ejus Neri.* Omnino est restituendum, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ Μετανείρᾳ. *Et uxore ejus Metanira.* Adhæserant fini vocis γαμετῇ duæ priores syllabæ de nomine Metaniræ; ut sunt multa ejus modi a librariis festinantibus commissa. Erat denique Lycus heros; cujus statua, lupi forma, Athenis ante tribunalia spectabatur. *Hesychius*. Λύκος, ἥρως, πρὸς τοῖς ἐν Ἀθήναις δικαστηρίοις ἵδρυτο, τοῦ θηρίου τὴν μορφὴν ἔχων. *Lycus, heros, Athenis ante tribunalia positus erat, lupi animalis formam habens.* Meminitque item Etymologici Auctor, *in* Δεκάσαι; & *Suidas*. Vide quæ notavi pridem, Attic. Lect. *lib.* III. *cap.* IX. Etiam Erechthei alibi statua erat, a Myrone, adeo eleganter facta, ut hæc inter ejus opera primas ferre putaretur. Pausanias indicat, in *Bœoticis*. Ἔργον τοῦ Μύρωνος, θέας μάλιστα ἄξιον, μετά γε τὸν Ἀθήνησιν Ἐρεχθέα. *Opus, eorum quæ Myronis sunt, maxime spectatu dignum; post Erechtheum, qui Athenis.* Est fortassis ea ipsa, quam inter heroum Eponymorum statuas memorat, in *Atticis suis*.

CAP. II.

Ara Anterotis, dedicata ab inquilinis. Timagoræ amor; Meletis duritia, & pœna. Suidæ in hac re dissensus. Aræ Verecundiæ, Famæ, & Alacritatis. Famæ, quando dedicata, & quam ob caussam? Jovis quoque τοῦ Ἀγοραίου, *Amphilochi, & Platonis; quæ ab Aristotele posita.*

ERAT ara Anterotis, ab Inquilinis dedicata, ob Timagoræ amorem. Pausanias fuse rem exponit, *in Atticis*. Τὸν δὲ ἐν πόλει βωμὸν, καλούμενον Ἀντέρωτος, ἀνάθημα εἶναι λέγουσι μετοίκων· ὅτι Μέλης Ἀθηναῖος μέτοικον ἄνδρα Τιμαγόραν ἐρασθέντα ἀτιμάζων, ἀφεῖναι κατὰ τῆς πέτρας αὐτὸν ἐκέλευσεν, ἐς τὸ ὑψηλότατον αὐτῆς ἀνελθόντα. Τιμαγόρας δὲ καὶ ψυχῆς εἶχεν ἀφειδῶς, καὶ πάντων ὁμοίως κελεύοντι ἤθελε χαρίζεσθαι τῷ μειρακίῳ, καὶ δὴ καὶ φέρων ἑαυτὸν ἀφῆκε. Μέλητα δὲ, ὡς ἀποθανόντα εἶδε Τιμαγόραν, ἐς τοσοῦτον μετανοίας ἐλθεῖν, ὡς πεσεῖν τε ἀπὸ τῆς πέτρας τῆς αὐτῆς. καὶ οὕτως ἀφεὶς αὐτὸν, ἐτελεύτησε. καὶ τὸ ἐντεῦθεν δαίμονα Ἀντέρωτα, τὸν ἀλάστορα τοῦ Τιμαγόρου, κατέστη τοῖς μετοίκοις νομίζειν. *Aram in Urbe, Anterotis quæ vocatur, ab inquilinis dedicatam esse memorant; quia Meles Atheniensis Timagoram inquilinum amatorem per contumeliam de summa rupe se dejicere jussisset. Timagoras autem, ne vitæ quidem suæ parcus, ut quivis alius, puero gratificari, in his quæ mandaret, cupiens, conscensa rupe, se dejecit. Timagoram vero, cum Meleten obiisse cognovisset, adeo mox pœnituit facti, ut & ipse de eadem sese rupe præcipitaret, atque ita moreretur, atque ex eo constitutum inquilinis, ut Anteros genius, Timagoræ vindex, coleretur.* Meminit iterum, *Eliac.* II. Ἠλεῖοι, καὶ Ἀθηναῖοι, κατὰ ταυτὰ Ἠλείοις, Ἀντέρωτα ὀνομάζουσι. *Elei, & Athenienses, plane quo modo Elei, Anterotem nuncupant.* Suidas in hac re valde variat; & primo Melitum, non Meletem, eum nominat: deinde hunc amantem facit, ac Timagoram amatum: Melitumque se priorem sponte sua, pertæsum vitæ, non amasii mandato, præcipitasse: denique, in memoriam rei non aram positam, verum statuam pueri nudi, ac formosi; qui in ulnis gallos admodum generosos duos ferret, & in caput se præcipitem dejiceret. Ecce verba. Μέλιτος. οὗτος ἐρᾷ νεανίου Ἀθήνησι τῶν εὖ γεγονότων, καὶ πλουσίων. μειράκιον δὲ ἦν τὸ γένος ἐκπρεπὲς, καὶ τὴν ὥραν ἄμαχον. καὶ τῷ μὲν ἐραστῇ, Μέλιτος ὄνομα ἦν· τῷ δὲ καλῷ, Τιμαγόρας, ὥς φασίν, ἦν δὲ ἀτεγκτός τε καὶ ἀμείλικτος ὅδε ὁ παῖς. καὶ οἱ πολλὰ προσέταττε, καὶ ἐπίπονα, καὶ κινδύνων ἐχόμενα τῶν ἐσχάτων, καὶ ὅμως τῶν ὀλέθρων ἐλάττονα. καὶ ἦν τὰ πράγματα, κύνας τε ἀγαθὰς, καὶ θηρευτικὰς, ἐκ τῆς ἀλλοδαπῆς ἄγειν· καὶ ἵππον αὖ τῶν πολεμίων ἀπαγαγεῖν ὄντα δὴ γενναῖόν τε, καὶ θυμικόν· καὶ ἄλλου χλαμύδα ὡραίαν, καὶ τοιαῦτα ἕτερα· καὶ τελευτῶν, ὄρνιθας οἱ προσέταξε κομίσαι ὄντας δὴ τροφίμους, καὶ οἰκέτας γένος θαυμαστούς. ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦτο κατεπράξατο ὁ ἔνθεος φίλος ἐκεῖνος, ἐδωρεῖτό γε τῷ καλῷ τὸ μέγα, καὶ τίμιον κτῆμα τοὺς προειρημένους. ὁ δὲ, ἀπεράμων ὢν, καὶ ἐς τοσοῦτον ἄρα ἀπεώσατο τὸ δῶρον. ὁ τοίνυν Μέλιτος, φλεγόμενος τῷ ἔρωτι, καὶ οἰστρούμενος, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀσχάλλων τῇ ἀτιμίᾳ, καὶ ἀπαυδήσας ἐπὶ τοῖς ἀνηνύτοις τε μόχθοις, ἅμα καὶ ἀπείροις, ᾗ ποδῶν εἶχεν, ἀνέθορεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν, καὶ ἑαυτὸν ἔωσε κατὰ τῶν πετρῶν. οὐ μὴν ἡ τιμωρὸς δίκη τὸν ὑβριστὴν παῖδα, καὶ ὑπερόπτην, εἴασεν ἐπεγχανεῖν τῷ τοῦ Μελίτου θανάτῳ. τοὺς ὄρνιθας οὖν ἀναλαβὼν, καὶ ταῖς ἀγκάλαις ἐνθεὶς, εἶτα κατ' ἴχνια τὰ ἐκείνου θέων, ὥσπερ οὖν ἑλκόμενος βίᾳ ἑαυτὸν, σὺν τῷ δυστυχεῖ χωρῶν ἐπὶ τῷ Μελίτῳ, ἔρριψε. φέρων βραδεῖαν καὶ δυστυχῆ τὸν ἔρωτα ἀντερασθεὶς τοῦτον. καὶ ἕστηκεν εἴδωλον τοῦ πάθους κατὰ τὸν τόπον, παῖς ὡραῖος, καὶ γυμνὸς ἀλεκτρυόνας δύο μάλα εὐγενεῖς φέρων ἐν ταῖς ἀγκάλαις καὶ ἐπὶ κεφαλὴν ὠθῶν ἑαυτόν. *Melitus hic amavit Athenis adolescentem nobilem, & divitem. Hic autem erat adole-*

A *ſcens genere illuſtri, & inſigni forma præditus. Et amatori quidem, nomen erat Melitus; formoſo vero, Timagoras, ut ajunt. Hic autem puer erat immiſericors, & inexorabilis; multaque illi imperabat, laborioſa, ac cum periculis maximis conjuncta, & tantum non ad exitium tendentia. Res vero iſtæ erant; ut canes bonos, & venaticos, e regione alia adduceret: & equum hoſtilem generoſum, ac ferocem, cujuſcunque tandem ille eſſet, abduceret: deinde alterius chlamydem egregiam, aliaque iſtiuſmodi. Tandem etiam imperavit, ut aves, cujuſcunque eæ forent, altiles, & ſervos genere admirandos, apportaret. Cum vero etiam iſta amicus ille furore percitus confeciſſet, magnam rem, ac pretioſam, quam jam diximus, illi formoſo donabat. Ille autem, cum, in-* B *genio inhumano valde præditus, omnia hæc aſpernaretur, Melitus, amore flagrans, & furore percitus, inſuper iniquo animo ignominiam tantam ferens, ac deficiens ſub laboribus irritis, & infinitis, ocyus in arcem currens, ſe de rupibus præcipitem dedit. Neque tamen Juſtitia vindex puerum illum inſolentem, & contemptorem, inſultare morti Meliti eſt paſſa. Quippe arreptas aves ulnis imponens, veſtigia ipſius perſequens, quaſi per vim traheretur, cum infelici illo progrediens, ſe in Melitum projecit, tardo & infelici amore eum redamans. Satque ſimulacrum rei illo in loco, puer formoſus, ac nudus, gallos duos valde generoſos in ulnis ferens, & in caput ſe præcipitans.* C Erant porro etiam aræ Verecundiæ, Famæ, & Alacritatis. Pauſanias, *in Attic.* Τούτοις δὲ (τοῖς Ἀθηναίοις) ἐστὶ οὐ φιλανθρωπίαν μόνον καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ ἐς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον. καὶ γὰρ Αἰδοῦς σφίσι βωμός ἐστι, καὶ Φήμης, καὶ Ὁρμῆς. *Athenienſes vero non ea ſolum, quæ ad humanitatem faciunt, conſtituerunt; ſed majorem etiam, quam alii, pietatis erga deos curam habuerunt. Eſt enim apud illos ara Verecundiæ, Famæ, & Alacritatis.* Ac Verecundiæ, in Arce erat; vide de ea librum noſtrum ſingularem, *cap.* XXVIII. De Famæ, Æſchines in *Timarchum*. Εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν, καὶ τοὺς προγόνους, Φήμης, ὡς μεγίστης θεῶν, βωμὸν ἱδρυμένους. *Invenietis etiam* D *Urbem noſtram, ac majores, Famæ aram, tanquam maximæ dearum, dedicaſſe.* Iterum, *De falſa legatione*. Καὶ τῇ μὲν Φήμῃ, δημοσίᾳ θύομεν, ὡς θεῷ· τῶν δὲ συκοφαντῶν, ὡς κακούργων, δημοσίᾳ προβολὰς ποιούμεθα. *Ac Famæ quidem, tanquam deæ, publice ſacrificamus; de calumniatoribus vero, ceu maleficis, publice querela datur.* Poſita autem, poſtquam nuntium de victoria apud Mycalen eodem die accepiſſent. Procopius Sophiſta, in *Epiſtola quadam ad Zachariam*. Νῦν ὄντως ἔγνων, ὡς οὐκ ἦν ἄρα λόγος, ἀλλ' ἔργον, ἡ Φήμη. καὶ θαυμάζω τάχα τὸν νόμον τὸν Ἀττικὸν, ὃς ἐν θεοῖς καὶ ταύτην ἱδρύσατο. οὐ γὰρ δὴ μόνον Ἡσίοδος θεὸν αὐτὴν αἰνεῖ, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναῖοι, τὴν E ἐν Μυκάλῃ μάχην αὐθημερὸν ἐγνωκότες, οὐκ ἀνεκτὸν ἔφασαν, εἰ μὴ θεὸν ἡγοῖντο τὴν Φήμην. *Nunc revera cognovi, non verba tantum, ſed rem ipſam, Famam eſſe. Et admiror legem Atticam, quæ hanc etiam inter deas collocavit. Neque enim Heſiodus ſolus deam prædicat, verum etiam Athenienſes, cum pugnatam ad Mycalen pugnam eo ipſo die intellexiſſent, committendum non putarunt, ut pro dea quoque eam non haberent.* Invenio item Jovis, τοῦ Ἀγοραίου cognomento. *Heſychius*. Ἀγοραῖος, Ζεύς. Ἀγοραίου F Διὸς βωμὸς Ἀθήνησι. *Forenſis, Jupiter. Eſt Jovis Forenſis ara Athenis.* Meminit Æſchylus, *Eumenidibus*, v. 979.

Ἀλλ' ἐκράτησε Ζεὺς Ἀγοραῖος.
Sed ſuperavit Jupiter Forenſis.

Et Euripides, *Heraclides*, v. 69. 70.

Ὦ τὰς Ἀθήνας δαρὸν οἰκοῦντες χρόνον,
Ἀμύνεθ'. ἱκέται δ' ὄντες Ἀγοραίου Διὸς,
Βιαζόμεθα. ——

O qui Athenas longum inhabitatis tempus,
Defendite; ſupplices enim cum ſimus Jovis Forenſis,
Vim patimur.

Etiam Amphilochi. Pauſanias, *in Attic.* Τῷ δὲ Ἀμφιλόχῳ καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἐστὶν ἐν τῇ πόλει βωμός. *Amphilocho vero etiam apud Athenienſes ara eſt in Urbe.* Platonis quoque, ab Ariſtotele dedicata. Ammonius, in *ejus Vita*. ὅτι πολλὴν εὔνοιαν εἶχε πρὸς τὸν Πλάτωνα ὁ Ἀριστοτέλης, δῆλον ἐκ τοῦ βωμὸν ἀνιερῶσαι τῷ Πλάτωνι, ἐν ᾧ ἐπέγραψεν οὕτω·

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τόνδε Πλάτωνος,
Ἀνδρὸς ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Quod benigne erga Platonem affectus fuerit Ariſtoteles, ex eo conſtat, quod aram ei dedicavit, cum inſcriptione iſta;

Hanc aram poſuit Ariſtoteles Platoni,
Quem virum malis laudare nefas.

CAP. III.

Signa aliquot, ſtatuæve. Ævo Plinii quot exſtiterint. In his, Mercurii Andocidis, Vulcani, Dianæ τῆς Κερκαίας, *& Satyrorum turmæ, Virginis* τῆς Ὑδροφόρου, *Ariſtonici Caryſtii, & Neoptolemi: Poetæ cujuſdam obſcuri, Cimonis equarum, Iphicratis, Aſtydamantis, Attici, Piliæ, Jacobi medici, Phavorini, Phocionis, Anthemii. Coloſſi Attali, & Eumenis; Antonii nomine inſcripti.*

SIGNA quoque, ſtatuæve, plurimæ erant; & ſuo ævo ad ter mille exſtitiſſe, refert Plinius, *lib.* XXXIV. *cap.* VII. *Rhodi etiamnum tria millia ſignorum eſſe, Mutianus ter conſul prodidit; nec pauciora Athenis, Olympiæ, Delphis, ſupereſſe creduntur.* Immo vix alibi tot ſpectata. Joannes Chryſoſtomus, ad *Act. cap.* XVII. *Hom.* XXXVIII. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ Παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, θεωροῦντι κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. οὐ γὰρ ἦν ἀλλαχοῦ ἰδεῖν τοσαῦτα εἴδωλα. *Dum autem illos Athenis exſpectaret Paulus, exacerbatus fuit ſpiritus ejus in illo, cum ſpectaret civitatem idolis obnoxiam; ſiquidem tam multa nuſquam alibi videre erat.* Quædam ſupra memoravi, ſuis locis; præter quæ, Mercurii Andocidis: cujus maxima fama fuit, propter facinus Alcibiadis. Inde vere nomen habuit, quia ante Andocidis ædes tribus Ægeis dedicaverat; uti teſtes, Plutarchus, in *Alcibiade*; ipſe Andocides, *in Orat.* περὶ μυστηρίων; Æſchines, κατὰ Τιμάρχου; Æmylius Probus, in *Alcibiade*; Clemens, in *Protreptico*; & Harpocration, *in* Ἀνδοκίδου Ἑρμῆς. Fuit præterea & Vulcani, Alcamenis opus. Cicero, *De Nat. Deorum*, lib. I. c. XXX. *Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes: in quo ſtante, atque veſtito, leniter apparet claudicatio non deformis.* Valerius Maximus, *lib.* VIII. *cap.* XI. *Tenet viſentes Athenas Vulcanus, Alcamenis manibus fabricatus. Præter cætera enim perfectiſſimæ artis in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur, quod ſtat, diſſimulatæ claudicationis ſub veſte leviter veſtigium repræſentans, ut non tanquam exprobratum vitium, ita tamen certam propriamque dei notam decore ſignificans.* Alibi fuit & Dianæ τῆς Κερκαίας: quod, a Xerxe ereptum, Alexander poſtea revehi curavit; ut Harmodii, & Ariſtogitonis, ſtatuas. Arrianus, *De Exped. Alex.* lib. VII. Ὅσους δὲ ἀνδριάντας, ἢ ἀγάλματα, ἢ εἰ δή τι ἄλλο ἀνάθημα, ἐκ τῆς Ἑλλάδος Ξέρξης ἀνεκόμισεν ἐς Βαβυλῶνα, ἢ ἐς Πασαργάδας, ἢ ἐς Σοῦσα, ἢ ὅπῃ ἄλλῃ τῆς Ἀσίας, ταῦτα δοῦναι ἄγειν τοῖς πρέσβεσι. καὶ τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὕτω λέγει ἀπενεχθῆναι ὀπίσω ἐς Ἀθήνας, καὶ Ἀρτέμιδος τῆς Κερ-

καίας τὸ ἕδος. *Quotquot autem statuas, aut simulacra, aut donarium quodvis aliud e Græcia Xerxes detulerat Babylonem, vel Susa, vel Pasargadas, aliamve in Asiæ partem, ea legatis reportanda dedit. Atque ita Harmodii, & Aristogitonis, statuas æneas remisisse dicitur, & Dianæ Cercææ simulacrum.* Erat quoque Satyrorum turma, a Lysimacho facta. Commemoratur Plinio, *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Idem (Lysippus) fecit Hephæstionem, Alexandri Magni amicum. quidam Polycleto adscribunt, cum is centum prope annis ante fuerit. Idem Alexandri venationem, quæ Delphis sacrata est; Athenis Satyrorum turmam.* Ut simulacra deorum erant, ita hominum clarorum statuæ multæ; quarum item aliquas dixi, suis locis. Invenio etiam Poetæ cujusdam obscuri; & quidem juxta Menandri, de qua supra a me dictum. Dion Chrysostomus, *Orat.* XXXI. Καὶ παρ' Ἀθηναίοις πολλὰ πράττεται νῦν, οἷς οὐκ ἀπεικότως ἄν τις ἐπιπλήξειεν, οὐ περὶ τὰ ἄλλα μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς τιμάς. οἵ γε τὸν δεῖνα μὲν Ὀλύμπιον κεκλήκασιν, οὐδὲ φύσει πολίτην ἑαυτῶν. Φοίνικα δὲ ἄνθρωπον, οὐκ ἀπὸ Τύρου, καὶ Σιδῶνος, ἀλλ' ἀπὸ κώμης τινὸς, ἢ ἠπείρου· καὶ ταῦτα πιττώμενον, καὶ βραχιόνια, καὶ περιδήματα, φοροῦντα· τὸν δεῖνα δὲ τὸν δύσχερῆ λίαν ποιητὴν, ὃς καὶ παρ' ὑμῖν ποτὲ κἀνταῦθα ἐπεδείξατο, οὐ μόνον χαλκοῦν ἑστάκασιν, ἀλλὰ καὶ παρὰ Μένανδρον. *Et apud Athenienses multa nunc fiunt, ob quæ quis non immerito eos objurget, non circa alia tantum, sed etiam circa honores. Illi enim certum quendam Olympium vocarunt, qui neque natura illorum civis sit, sed homo e Phœnicia, non a Tyro, & Sidone, sed a vico quodam, aut continente; idque pice oblitum, brachialiaque, & fascias, ferentem: quin & vilem quendam poetam, qui etiam apud vos aliquando fabulas edidit, non solum æneum posuerunt, verum etiam juxta Menandrum.* Etiam Virginis τῆς ὑδροφόρου, a Themistocle dedicatæ, cum is aquarum præfectus esset; quæ a Xerxe, cum is Urbe potitus esset, abducta, & Sardibus posita, in Matris Deum templo. Plutarchus, in *Themistoclis Vita*. Ὡς δ' ἦλθεν εἰς Σάρδεις, καὶ σχολὴν ἄγων ἐθεᾶτο τῶν ἱερῶν τὴν κατασκευὴν, καὶ τῶν ἀναθημάτων τὸ πλῆθος, εἶδε καὶ ἐν Μητρὸς ἱερῷ τὴν καλουμένην Ὑδροφόρον κόρην χαλκῆν, μέγεθος δίπηχυν· ἣν αὐτὸς, ὅτε τῶν Ἀθήνησιν ὑδάτων ἐπιστάτης ἦν, εὑρὼν τοὺς ὑφῃρημένους τὸ ὕδωρ, καὶ παροχετεύσαντας, ἀνέθηκεν, ἐκ τῆς ζημίας ποιησάμενος. *Ut Sardes venit, & per otium ædium sacrarum instrumentum, ac donariorum multitudinem, spectavit, vidit etiam in Matris Deum templo virginem æneam, quam Hydrophoron vocant, duorum cubitum magnitudine, abs se factam, cum aquarum Athenis præfectus esset, e mulctis eorum, quos aquam abductam avertisse deprehenderat.* Neoptolemi, Anticlis filii, a Lycurgo decreta. Plutarchus, in *Lycurgi Vita*, lib. *De x. Rhet.* Ἔγραψε δὲ καὶ Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους στεφανῶσαι, καὶ εἰκόνα ἀναθεῖναι, ὅτι ἐπηγγείλατο χρυσώσειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν τῇ ἀγορᾷ, κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ. *Statuitque, ut Neoptolemo, Anticlis filio, corona daretur, statuaque poneretur, quod aram Apollinis in foro ex oraculo inauraturum se promisisset.* Aristonici Carystii, Alexandri Magni sphæristæ, meminit Athenæus, *lib.* I. Ἀριστόνικον τὸν Καρύστιον, τὸν Ἀλεξάνδρου σφαιριστὴν, Ἀθηναῖοι πολίτην ἐποίησαν, διὰ τὴν τέχνην, καὶ ἀνδριάντα ἀνέστησαν. *Aristonicum Carystium, Alexandri sphæristam, Athenienses civitate donaverunt, propter artem, statuaque item ornarunt.* Equarum Cimonis mentio est apud Ælianum, *Var. Hist.* lib. IX. cap. XXXII. Καὶ αἱ Κίμωνος δὲ ἵπποι χαλκαῖ· καὶ αὗται Ἀθήνησιν, εἰκασμέναι ὅτι μάλιστα ταῖς Κίμωνος ἵπποις, εἱστήκεσαν. *Et Cimonis equæ, ex ære factæ; optime sane referentes, Athenis exstiterunt.* Iphicrates occurrit apud Demosthenem, Orat. *in Aristocratem*. Ἴστε δή που τοῦτ', ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτι χαλκῆς εἰκόνος οὔσης παρ' ἡμῖν Ἰφικράτει, καὶ σιτήσεως ἐν Πρυτανείῳ, καὶ δωρεῶν, καὶ τιμῶν ἄλλων, δι' ἃς εὐδαίμων ἐκεῖνος ἦν. *Scitis sane, Athenienses, æneam Iphicrati apud nos statuam esse, & in Prytaneo victum, præmiaque alia, & honores, quibus ille felix erat.* Astydamantis est videre apud Diogenem Laertium, in *Socrate*, lib. II. c. XLIII. Καὶ Ἀστυδάμαντα, πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον, ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ. *Et Astydamantem, primum sociorum Æschyli, statua ænea honorarunt.* Vide Suidam, *in* Σαυτὴν ἐπαινεῖς; Zenobium, *Cent.* V. *Proverb.* C. & Apostolium, *Cent.* XVII. *Proverb.* XXIX. Attici, & Piliæ, nominat Æmylius Probus, in *Vita Attici*, c. III. *Quam diu (Athenis) affuit; ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens, prohibere non potuit: itaque aliquot ipsi, & Piliæ, locis sanctissimis posuerunt.* Jacobi medici, est apud Damascium, in *Vita Isidori philosophi*; apud Photium, in *Bibliotheca*. Εἶδον εἰκόνα τοῦ Ἰακώβου Ἀθήνησι· καί μοι ἔδοξεν ὁ ἀνὴρ εὐφυὴς μὲν οὐ πάνυ εἶναι, σεμνὸς δὲ, καὶ ἐμβριθής. *Vide Athenis statuam Jacobi; & videbatur mihi vir non admodum liberali vultu, sed severo, & gravi.* Phavorini philosophi, quæ dejecta ipso vivo, meminit Philostratus, in *ejus Vita*, Sophist. *lib.* I. Ἀθηναίοις δὲ, δεινὰ ἐφαίνετο καὶ συνδραμόντες αὐτοὶ μάλιστα οἱ ἐν τέλει Ἀθηναῖοι, χαλκῆν εἰκόνα κατέβαλον τοῦ ἀνδρὸς, ὡς πολεμιωτάτου τῷ αὐτοκράτορι. *Atheniensibus vero, gravia ista videbantur; itaque cum concurrissent, maxime qui in dignitate aliqua positi, æneam viri statuam evertunt, tanquam ejus qui Imperatori esset longe infensissimus.* Phocionis, est apud Plutarchum, in *ejus Vita*. Καὶ μέντοι χρόνου βραχέως διαγενομένου, καὶ τῶν πραγμάτων διδασκόντων, οἷον ἐπιστάτην, καὶ φύλακα σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, ὁ δῆμος ἀπώλεσεν, ἀνδριάντα μὲν αὐτοῦ χαλκοῦν ἀνέστησαν. *Non multo post cum reipsa experirentur, qualem antistitem, moderationisque & justitiæ custodem, amisissent, statuam ei ex ære posuerunt.* Anthemii, refert Georgius Alexandrinus, in *Vita Joannis Chrysostomi*. Ἀνὴρ δέ τις ἦν ἐν Ἀθήναις, ὀνόματι Ἀνθέμιος, πεπαιδευμένος εἰς ἄκρον τὴν πᾶσαν τῶν γραμμάτων σοφίαν· ὥστε διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν καὶ στήλην αὐτῷ ἀνεγεῖραι ἐν Ἀθήναις. *Erat Athenis quidam, nomine Anthemius, vir universa literarum peritia excellens; ut etiam hac de causa Athenis statua ei erecta fuerit.* Leo Imperator, in *ejusdem argumenti* Opere. Ἀνθέμιός τις ἱερεὺς ἦν Ἀθηνᾶς, ὃς Ἀθήνησι τότε τοσοῦτον ἐπὶ σοφίᾳ θαυμάζεται, ὥστε καὶ στήλην αὐτῷ ποιοῦσι. *Erat Anthemius quidam, Minervæ sacerdos; quem Athenis ob sapientiam sunt tantopere admirati, ut statuam quoque ipsi posuerint.* Colossi quoque exstiterunt Attali, & Eumenis; Antonii nomine, in honorem ejus, postea inscripti. Plutarchus, in *Antonio*. Ἡ δὲ αὐτὴ θύελλα καὶ τοὺς Εὐμένους καὶ Ἀττάλου κολοσσοὺς, Ἀντωνίου ἐπιγεγραμμένους, Ἀθήνησιν ἐμπεσοῦσα, μόνους ἐκ πολλῶν ἀνέτρεψε. *Hæc ipsa procella, Eumenis quoque & Attali, colossis incumbens, qui Antonii nomine inscripti erant, eos solos e multis evertit.*

CAP. IV.

Λίμναι. *Bacchi templum antiquissimum, ut & sacra ejus dei. Ubi id situm? Scholiastæ Thucydidis error. Uno tantum die apertum. Lex in eo de uxore regis scripta, in columna. Puerorum pugilatus.* Λιμνομάχαι.

NUNC & loca quædam alia perlustremus. Erant Λίμναι, ubi Bacchi quoque fanum. *Harpocration*. Τόπος ἐστὶν ἐν Ἀθήναις Λίμναι, ἐν ᾧ τιμώμενος ὁ Διόνυσος. *Locus est Athenis Limnæ, in quo Bacchus cultus fuit.* Hesychius. Λίμναι, ἐν Ἀθήναις τόπος, ἀνακείμενος τῷ Διονύσῳ, ὅπου τὰ Λή-

ναια ἤγετο. *Limnæ, locus Athenis, Baccho sacer, ubi Lenæa agebantur.* Bacchi illic templi meminit etiam Isæus, *in Orat.* Περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Τὴν μὲν μίαν, μισθεχομένην, παρὰ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσιον. *Unam quidem, elocatam, juxta Bacchi in Limnis fanum.* Et Aristophanes, *Ranis, v.* 217.

> Διόνυσον ἐν Λίμναισιν ἰαχήσομεν.
> *Bacchum in Limnis memoravimus.*

Ubi *Scholiastes.* Λίμναι χωρίον τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ Διονύσου ἱερόν. *Limnæ, locus Atticæ, in quo Bacchi fanum erat.* Errat Thucydidis Scholiastes, qui fuisse in Arce dicit, *lib.* II. Λίμναι, τόπος ἐν τῇ ἀκροπόλει τῶν Ἀθηνῶν. *Limnæ, locus in arce Athenarum.* Nam extra eam omnino fuit, verum prope. Clare indicat ipse Thucydides, *lib.* II. ubi ait, antiquissima Bacchi sacra ibi loci celebrata. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι· καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς Γῆς, καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ἐν ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. *Fana etiam aliorum deorum sunt in arce; & extra eam ad hanc maxime Urbis partem exstant, & Olympii Jovis, Pythii Apollinis, Telluris, & in Limnis quoque Bacchi; ubi antiquiora Bacchanalia die Anthestereonis mensis duodecimo celebrantur.* Meminit Hesychius etiam, *in* Γεραραί. Ut autem sacra ista omnium antiquissima, ita & templum. Demosthenes, *Orat.* in Neæram. Διὰ ταῦτα ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν. *Propterea in antiquissimo templo Bacchi in Limnis collocarunt.* Idque, toto anno clausum, aperiri tantum solitum duodecimo mensis Anthestereonis; quo nimirum sacra illa celebrata e *Thucydide* memoravi. Demosthenes *ibidem.* Ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν, ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα· ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. *In antiquissimo Bacchi templo in Limnis collocarunt; ut ne multi, quæ inscripta sunt, cognoscerent: semel enim quoque anno aperitur, duodecimo die mensis Anthestereonis.* In eodem, prope eram, in lapidea columna, lex perscripta de uxore regis erat; quam civem ducere, virginemque, tenebatur. Demosthenis hac de re est locus elegans, in *citata Oratione.* Τὸν μὲν βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ᾑρεῖτο, ἐκ προκρίτων δι' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθεντο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν· ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνεται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται, μηδὲ καινοτομῆται. καὶ τοῦτον τὸν νόμον, γράψαντες ἐν στήλῃ λιθίνῃ, ἔστησαν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διονύσου, παρὰ τὸν βωμὸν, ἐν Λίμναις. *Regem nihilominus populus creabat, delectu e præstantissimis habito. Uxorem autem ejus, lege sanxit esse civem; & non alteri commistam viro, sed virginem ducendam, ut patrio ritu arcana sacra pro republica immolarentur, & justa diis pie solverentur: utque nec desereretur, nec innovaretur quicquam. Atque hanc legem, in lapidea pila scriptam, collocarunt in templo Bacchi, juxta aram, in Limnis.* Exstabatque hæc columna etiam Demosthenis tempore, cum jam literæ vetustate tantum non evanuissent. Ipse dicit, in *eadem Oratione.* Καὶ αὕτη ἡ στήλη ἔτι καὶ νῦν ἕστηκεν, ἀμυδροῖς γράμμασιν Ἀττικοῖς δηλοῦσα τὰ γεγραμμένα. *Et hæc columna etiamnum exstat, literis Atticis evanidis, quæ inscripta sunt, repræsentans.* Porro & pueri hic certabant pugilatu, inde Λιμνομάχαι dicti. *Hesychius.* Λιμνομάχαι, παῖδες, οἱ πυκτεύοντες ἐν τόπῳ Λίμναις καλουμένῳ. *Limnomachæ, pueri, pugilatu certantes in loco Limnis appellato.*

CAP. V.

Bibliotheca, a Pisistrato primum structa, ab Atheniensibus aucta; a Xerxe avecta, & a Seleuco Nicanore remissa: a Sylla direpta; ab Hadriano Imperatore instaurata, qui gymnasium etiam addidit, & cognomen a se dedit. Palæstræ Hippocratis, Sibyrtii, Taureæ, & Lycurgi; ante quam columna ab eo collocata, in qua scriptum, quicquid ipse in republica gessisset. Balneum, ad Anthemocriti statuam; eaque ubi fuerit, indicatum. Columna Diophanti; & in ea inscriptum item jusjurandum.

BIBLIOTHECA item erat, a Pisistrato primum structa. Inde Hieronymus, de beato Pamphilo martyre, in *Epistola ad Marcellam* CXLI. *Cum Demetrium Phalereum, & Pisistratum, in sacræ bibliothecæ studio, vellet æquare.* Hanc cum mox auxissent valde Athenienses, Xerxes libros, Urbe incensa, in Persas transtulit; unde postea Seleucus Nicanor Athenas remisit. Aulus Gellius, *lib.* VI. *cap.* XVII. *Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus. deinde studiosius, accuratiusque, ipsi Athenienses auxerunt. sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, Urbe ipsa præter arcem incensa, abstulit, asportavitque in Persas. hos porro libros multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus, referendos Athenas curavit.* Isidorus, *Orig. lib.* VI. *cap.* III. *Apud Græcos Bibliothecam primus instituisse Pisistratus creditur, Atheniensium tyrannus; quam deinceps ab Atheniensibus auctam Xerxes, incensis Athenis, evexit in Persas: longoque post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit.* Hinc diripuit, atque Romam avexit Sylla. Lucianus, *Adversus Indoctum.* Εἰ ἅπαντα ἐκεῖνα (τὰ βιβλία) κτήσῃ, ὅσα ὁ Σύλλας Ἀθήνηθεν εἰς Ἰταλίαν ἐξέπεμψε, τί ἂν ἐκ τούτου πλέον εἰς παιδείαν κτήσαιο. *Si omnes eos libros habeas, quos Athenis in Italiam avexit Sylla, num ideo eruditior es futurus?* Denique instauravit, ut alia multa, Hadrianus Imperator. Eusebius Hieronymi, in *Chronico,* Olymp. CCXXVII. *Hadrianus, cum insignes, & plurimas, ædes Athenis fecisset, agonem edidit, Bibliothecamque miri operis exstruxit.* Quæ totidem verbis in suo *Chronico* Cassiodorus. Ecce vero, ait fuisse *miri operis;* & recte dixit: nam cellæ erant, lacunari inaurato, & alabastro, præfulgentes; tum & signis, picturisque, exornatæ: & gymnasium juxta positum, Adriani cognomento; ac columnæ in eo centum, e lapide Libyco. Pausanias, in *Atticis,* ubi cætera Adriani opera narrat. Καὶ οἰκήματα ἐνταῦθά ἐστιν ὀρόφῳ τε ἐπιχρύσῳ, καὶ ἀλαβάστρῳ λίθῳ· πρὸς δὲ, ἀγάλμασι κεκοσμημένα, καὶ γραφαῖς· κατάκειται δὲ ἐς αὐτὰ βιβλία. καὶ γυμνάσιόν ἐστιν, ἐπώνυμον Ἀδριανοῦ· κίονες δὲ καὶ ἐνταῦθα ἑκατὸν, λιθοτομίας τῆς Λιβύων. *Sunt & cellæ hic, lacunari inaurato, ex lapide alabastro; insuper ornatæ signis, & picturis: repositique illic libri. ac gymnasium est, ab Adriano cognomen habens: & columnæ in eo centum, e Libyum lapicidina.* Erant & palæstræ aliquot. In his, Hippocratis. Plutarchus, in *Isocratis Vita,* lib. *De* X. *Rhet.* Ἐτελεύτα δὲ ἐπὶ Χαιρωνίδου ἄρχοντος, ἀπαγγελθέντων τῶν περὶ Χαιρώνειαν ἐν τῇ Ἱπποκράτους παλαίστρᾳ πυθόμενος. *Obiit sub Chæronide archonte, cum de clade ad Chæroneam quæ nuntiabantur in Hippocratis palæstra intellexisset.* Et Lycurgi; ante quam columna posita, in qua scripserat, quicquid gestum ab ipso esset; ut inspiceret, quisquis vellet. Plutarchus idem, in *ejus Vita.* Πάντων δὲ, ὧν διῴκησεν, ἀναγραφὴν ποιησάμενος, ἀνέθηκεν ἐν στήλῃ, πρὸ τῆς ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθείσης παλαίστρας, σκοπεῖν τοῖς βουλομένοις. *Omnia, quæ ges-*

sit, cum descripsisset, in columna proposuit, ante palæstram, a se factam, ut inspicere quilibet posset. Et Sibyrtii. Idem Plutarchus, in *Alcibiade*. Καὶ ὅτι τῶν ἀκολουθούντων τινὰ κτείνειεν, ἐν τῇ Σιβυρτίου παλαίστρᾳ, ξύλῳ πατάξας. *Et quod quendam ex asseclis interfecisset, in Sibyrtii palæstra, ligno percussum.* Item Taureæ; de qua dixi *Ceramici* c. III. Balneum etiam quoddam erat, juxta statuam Anthemocriti. Isæus, in *Oratione adversus* Calydonen, apud Harpocrationem, *in* Ἀνθεμόκριτος. Τό, τε βαλανεῖον, τὸ παρ᾽ Ἀνθεμοκρίτου ἀνδριάντα. *Et balneum, quod est apud Anthemocriti statuam.* Erat vero, ut per occasionem dicam, statua ista ante portam quandam Urbis. Philippus, in *Epistola* ad Athenienses. Μεγαρέων οὖν Ἀνθεμόκριτον ἀνελόντων, ἐς τοῦτο ἐλήλυθεν ὁ δῆμος, ὥστε μυστηρίων μὲν εἴργειν αὐτοὺς, ὑπομνήματα δὲ τῆς ἀδικίας ἔστησαν, ἀνδριάντα πρὸ τῶν πυλῶν. *Cum Megarenses Anthemocritum occidissent, eo populus processit, ut mysteriis ipsos probiberent, ac injuriæ monumentum constituerent, statuam ejus ante portam.* Nempe in via sacra, qua Eleusinem iter erat. Pausanias, in *Atticis*. Ἰοῦσι δὲ ἐπ᾽ Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν, ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱερὰν Ἀνθεμοκρίτου πεποίηται μνῆμα. *Euntibus vero Eleusinem Athenis, in via sacra ab Atheniensibus dicta, Anthemocriti monumentum factum est.* Invenio & columnam quandam Diophanti; in qua jusjurandum inscriptum, quo promitterent, si quis quicquam in republica asserenda passus aliquando foret, illa ipsa huic se daturos præmia, quæ Harmodio, & Aristogitoni, dedissent. Vide *Pisistratum* nostrum, cap. XIV.

CAP. VI.

Ἐξαίρεσις, *ubi sarcinæ sepositæ*. Ἀφέται. *Xerxis classis ubi primum infeliciter egerit*. Χρύσα. Παρασίτιον. *Primitiæ sacri frumenti ubi reponi a parasitis solitæ*. Ὁρκωμόσιον. *Fœdus inter Theseum, & Amazonas, ubi initum*, Βουκολεῖον. *Rex ubi jus dixerit, ante Solonem*. Θεσμοθέσιον. *Thesmothetæ ubi idem facere ante eundem soliti*. Ἑπτάχαλκον. *Plutarchi locus emendatus*. Ἵππου καὶ κόρης. *Hippomenis crudele factum*. Τρίγλα. Λέσχαι, *& quot numero eæ fuerint*.

AD alia loca transeamus. Erat Ἐξαίρεσις; ubi exemptas navibus sarcinas, curribusve, seponebant. Etymologici *Auctor*. Ἐξαίρεσις, τόπος τὶς Ἀθήνησιν, ἔνθα ὑπεξαιρούμενοι τὰ φορτία ἀπετίθεντο. *Exæresis, locus: ubi sarcinas exemptas deponebant.* Deinde, Ἀφέται; ubi primum infortunium Xerxis classis est experta. *Suidas*. Ἀφέται, τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα ὁ στόλος Ξέρξου τὸ πρῶτον ἐδυστύχησε. *Aphetæ, locus Athenis, ubi primum Xerxis classis infeliciter egit.* Etiam, Χρύσα. Meminit Plutarchus, in *Vita Thesei*. Ἱστορεῖ δὲ Κλείδημος, ἐξακριβοῦν τὰ καθέκαστα βουλόμενος, τὸ μὲν εὐώνυμον τῶν Ἀμαζόνων κέρας, ἐπιστρέφειν πρὸς τὸ νῦν καλούμενον Ἀμαζόνιον· τῷ δὲ δεξιῷ, πρὸς τὴν Πνύκα κατὰ τὴν Χρύσαν ἥκειν. *Narrat Clidemus, singulatim exacte omnia exequi cupiens, sinistrum quidem Amazonum cornu, ad Amazonium nunc vocatum declinasse; dextrum vero ad Pnycem usque juxta Chrysam pervenisse.* Erat quoque, Παρασίτιον; ubi primitias sacri frumenti reponebant parasiti. Athenæus, *lib*. VI. Ἐκ τούτου δῆλόν ἐστιν, ὅτι, ἐν ᾧ τὰς ἀπαρχὰς ἐτίθεσαν τοῦ ἱεροῦ σίτου οἱ παράσιτοι, τοῦτο Παρασίτιον προσηγορεύετο. *Ex eo certum est, quod, ubi primitias sacri frumenti reponebant parasiti, Parasitium dicebatur.* Occurritque ejus mentio in verbis Legis Regiæ, apud eundem Athenæum, *eodem loco*. Ὅτι δὲ καὶ ἀρχεῖον ἦν αὐτῶν (τῶν παρασίτων,) ἐν τῷ αὐτῷ τοῦ βασιλέως νόμῳ τάδε γέγραπται· Εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεὼ, τοῦ ἀρχείου, τοῦ παρασιτίου, καὶ τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς, διδόναι τὸ ἀργύριον, ὁπόσον ἂν οἱ τῶν ἱερῶν ἐπισκευασταὶ μισθώσωσιν. *Quod archivum fuerit parasitorum, in ea ipsa lege regia est perscriptum. Ad instaurationem templi, archivi, parasitii, & ædis sacræ, tantum pecuniæ detur, quantæ instauratores sacrorum locaverint.* Pollux, *l*. VI. *c*. VII. Καὶ ἀρχεῖόν τι Ἀθήνησι, Παρασίτιον καλούμενον· ὡς ἐν τῷ νόμῳ τοῦ βασιλέως ἐστιν εὑρεῖν. *Et archivum est Athenis, Parasitium nuncupatum; ut in lege regis licet invenire.* Est & Ὁρκωμόσιον, legere; ubi fœdus constitutum inter Theseum, & Amazonas. Plutarchus, in *Vita Thesei* Ἀλλὰ τοῦ γε τὸν πόλεμον εἰς σπονδὰς τελευτῆσαι, μαρτύριόν ἐστιν ἥ τε τοῦ τόπου κλῆσις, τοῦ παρὰ τὸ Θησεῖον, ὅπερ Ὁρκωμόσιον καλοῦσιν, ἥ τε γινομένη πάλαι θυσία ταῖς Ἀμαζόσι, πρὸ τῶν Θησείων. *Sed & bellum hoc fœdere terminatum fuisse, testatur cum denominatio ipsa loci juxta Theseum, Horcomosium appellati, tum & sacra ab Amazonibus olim facta, ante Thesea.* Erat etiam Βουκολεῖον, ubi rex jus dicere solitus; ut exposui *Ceramici* cap. III. Θεσμοθέσιον; ubi Sex-Viri, θεσμοθέται appellati, itidem jus dicere soliti, nempe antequam unum in locum convenirent, ex Solonis instituto. *Suidas*. Οἱ θεσμοθέται, παρὰ τὸ Θεσμοθέσιον. *Thesmothetæ, apud Thesmothesium.* Erat item, Ἑπτάχαλκον. Plutarchus, in *Vita Syllæ*. Ἐν δὲ τούτῳ λέγεται, τινὰς ἐν Κεραμεικῷ πρεσβυτῶν ἀκούσαντας, διαλεγομένων πρὸς ἀλλήλους, καὶ κακιζόντων τὸν τύραννον, ὡς μὴ φυλάττοντα τοῦ τείχους τὴν περὶ τὸ Ἑπτάχαλκον ἔφοδον, καὶ προσβολήν· ᾗ μόνῃ δυνατὸν εἶναι, καὶ ῥᾴδιον, ὑπερβῆναι τοὺς πολεμίους. *Inter hæc in Ceramico fama est verba a quibusdam excepta fuisse colloquentium senum, & tyrannum insectantium, quod accessum, & aditum, ad Heptachalcum, qui unus hostibus facile superabilis esset, non sepsisset statione.* Iterum, *lib*. περὶ ἀδολεσχίας. Πρεσβυτῶν τινῶν ἐπὶ κουρείου διαλεγομένων, ὡς οὐ φυλάττεται τὸ Ἑπτάχαλκον, καὶ κινδυνεύει τὸ ἄστυ κατ᾽ ἐκεῖνο ληφθῆναι τὸ μέρος. *Cum senes quidam in tonstrina dictarent, non custodiri Heptachalcum; & ea sola parte periculum esse, ne Urbs capiatur.* Sed hic, pro ἐπὶ κουρείου, in tonstrina, legendum est, ἐπὶ Κεραμεικοῦ, *in Ceramico*: quemadmodum est in citatis e *Vita Syllæ* verbis. Alibi quoque Ἵππου καὶ κόρης locus quidam dicebatur, a crudeli Hippomenis facto. *Suidas*. Ἱππομένης, Ἀθηναίων ἄρχων. ὃς ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, δι᾽ αἰτίαν τοιάνδε. ἦν αὐτῷ θυγάτηρ, ἥν τινα τῶν ἀστῶν αἰσχύναντος λάθρα, ὑπ᾽ ὀργῆς καθεῖρξεν εἰς οἴκημα, δήσας σὺν ἵππῳ, καὶ τροφὴν οὐδετέρῳ εἰσέπεμπεν. πιεσθεὶς οὖν λιμῷ ὁ ἵππος, ἐφορμήσας τῇ παιδὶ, ἀνήλωσέ τε αὐτὴν καὶ αὐτὸς ὕστερον ἀπέθανε. μετὰ ταῦτα, ἐπισκαφείσης αὐτῷ τῆς οἰκήσεως, ἀπ᾽ ἐκείνου ὁ χῶρος ἐκαλεῖτο, Ἵππου καὶ Κόρης. *Hippomenes, archon Atheniensium; qui magistratu dejectus fuit, ob causam talem. Filiam habebat, quam cum quidam clam stuprasset, præ ira ipsam carceri inclusit, cum equo vinctam, neutri pabulum intromittens. Equus itaque, fame pressus, impetu in puellam facto, eam absumpsit, & ipse quoque postea mortuus est. Post quæ, eversa ejus domo, locus inde Equi & Puellæ dictus.* Meminit facti, etsi non loci, Heraclides, *De Rebusp*. Ἱππομένης δὲ, εἷς τῶν Κοδριδῶν, βουλόμενος ἀπώσασθαι τὴν διαβολὴν, λαβὼν τῇ θυγατρὶ Λειμώνῃ μοιχὸν, ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν, ὑποζεύξας μετὰ τῆς θυγατρὸς τῷ ἅρματι· τὴν δὲ, ἵππῳ συνέκλεισεν, ἕως ἀπόληται. *Hippomenes, unus de Codridis, amoliri calumniam cupiens, cum adulterum apud filiam Limonem deprehendisset, illum quidem interfecit, currui una cum filia alligatum; istam vero, cum equo inclusit, donec exspiraret.* Vide quæ notata mihi in rem istam, *De Archontibus* lib. I. cap. VI. Erat &, Τρίγλα. Athenæus, *lib*. VII. Ἀθήνησι δὲ καὶ τόπος τις Τρίγλα καλεῖται. *Athenis vero etiam locus quidam Trigla vocatur.* Meminit item Eustathius, totidem verbis, *ad Iliad*. υ. Denique etiam Λέσχαι erant; ubi pau-

peres, ut se gratis calefacerent, conveniebant: erant autem ad CCCLX. Proclus, in *Hesiodi* Εργων β'. Ὅτι δὲ τοὺς ἀλεεινοὺς οἴκους οἱ πένητες κατελάμβανον, ἐν οἷς συγκαθήμενοι ἐν λαλιαῖς ἦσαν, δῆλον· καὶ ὅτι λέσχας ἐκάλουν τούτους. καὶ γὰρ ἐν Ἀθήναις ἦσαν τοιοῦτοι τόποι, καὶ ὠνομάζοντο Λέσχαι, ἑξήκοντα καὶ τριακόσιοι. *Quod domos calidas occupaverint pauperes, in quibus ad confabulationes una sederent, manifestum est; tum quod Leschas has vocaverint: erant vero Athenis loca ejusmodi, quæ & Lescha dicebantur sexaginta & trecenta.*

CAP. VII.

Λιμοῦ πεδίον. Campus, Fami dedicatus, jussu Apollinis. Θησαυρός. Picturæ ibi Polygnoti, aliæque. Βλαύτη. Heros ibi cultus, & calceus lapideus dedicatus. Αὐλῶνες ἱεροί. Ασώπιον. Βάραθρον; sive Ορυγμα.

CAMPUS etiam quidam erat, Fami sacer, jussu Apollinis; *Λιμοῦ πεδίον* appellatus. Diogenianus, *Cent.* VI. *Proverb.* XIII. *Λιμοῦ πεδίον. Ἐπὶ τῶν ὑπὸ λιμοῦ πιεζομένων πόλεων. Λιμοῦ γάρ ποτε ὄντος, ἔχρησεν ὁ θεὸς Ἀθηναίοις, ἀνεῖναι τῷ Λιμῷ πεδίον, εἰ μέλλοιεν ἀπαλλαγῆναι τοῦ λιμοῦ· διὸ καὶ ἐποίησαν. Famis campus; de urbibus fame oppressis. Nam, cum olim fames esset, auctor Atheniensibus fuit Deus, uti campum Fami consecrarent, siquidem liberari vellent, itaque factum est.* Quæ totidem verbis Apostolius, *Cent.* XII. *Proverb.* II. Erat autem retro Prytaneum. *Tarrhæus. Λιμοῦ πεδίον. αὕτη τάττεται ἐπὶ τῶν ὑπὸ λιμοῦ πιεζομένων πόλεων. τόπος γάρ ἐστιν, ὅπω καλούμενος. καὶ λέγουσιν· ὅτι, λιμοῦ καταχόντος, ἔχρησεν ὁ θεὸς ἱκετείαν θέσθαι, καὶ τὸν Λιμὸν ἐξιλεώσασθαι. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι, ἀνῆκαν αὐτῷ τὸ ὄπισθεν τοῦ Πρυτανείου πεδίον. Famis campus. Dicitur in civitates fame oppressas. Locus enim est, ita dictus. Ac tradunt, cum fames oborta esset, dedisse oraculum Atheniensibus deum, uti facta supplicatione Famem sibi propitiam redderent. Athenienses vero, campum post Prytaneum dedicarunt.* Narrat illis ipsis verbis item Zenobius, *Cent.* IV. *Proverb.* XCIII. *Hesychius* meminit breviter. *Λιμοῦ πεδίον. τόπος τῆς Αττικῆς. Famis campus; locus Atticæ.* Erat alibi & Θησαυρός; domus quædam, in qua repositæ pecuniæ sacræ, & deorum simulacra. *Hesychius. Θησαυρός, εἰς ἀγαλμάτων, καὶ χρημάτων ἱερῶν, ἀπόθεσιν οἶκος. Thesaurus: domus, in qua reposita simulacra, & pecuniæ item sacræ.* Picturæ insuper multæ ibi, & in istis Polygnoti. *Harpocration*, in Πολύγνωτος. *Περὶ Πολυγνώτου τοῦ ζωγράφου, Θασίου μὲν τὸ γένος, υἱοῦ δὲ μαθητοῦ Αγλαοφῶντος, τυχόντος δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ἤτι ἐπεὶ τὴν Ποικίλην στοὰν ἀνέγραψε προῖκα· ἤ, ὡς ἕτεροι, τὰς ἐν τῷ Θησαυρῷ, καὶ Ανακείῳ, γραφὰς, ἱστορήκασιν ἄλλοι τε, καὶ Αρτέμων, ἐν τῷ Περὶ ζωγράφων. De Polygnoto pictore, Thasio quidem genere; filio vero & discipulo Aglaophontis, sed qui civitatem Atheniensem consecutus esset, sive quod Pœcilen porticum picturis suis gratis ornasset; sive, ut alii volunt, ob picturas in Thesauro, & Dioscurorum templo, memorant cum alii, tum Artemon, in opere De pictoribus.* Fuit & Βλαύτη. *Hesychius. Βλαύτη, τόπος Ἀθήνησι. Blaute, locus Athenis.* Et heros quidam illic cultus, ὁ ἐπὶ Βλαύτῃ appellatus. P[illegible], *l.* VII. *cap.* XXII. *Βλαύτη, σανδαλίου τι εἶδος· καὶ ἥρως Ἀθήνησιν, ὁ ἐπὶ Βλαύτῃ. Blaute, sandalii quædam species; & heros Athenis, in Blaute dictus.* Quin sandalium ibidem e lapide dedicatum fuit. Subjungit Pollux, *loco citato. Ἀνέθηκε γάρ τις σκυτοτόμος βλαύτης λίθινον τύπον. Dedicavit enim sutor quidam sandalii formam lapideam.* Ubi observa, unde nomen datum fuerit. Erant &, Αὐλῶνες ἱεροί. Athenæus *lib.* V. *Λέγονται δὲ Ἀθήνησι καὶ ἱεροί τινες αὐλῶνες, ὧν μέμνηται Φιλόχορος ἐν τῇ ἐνάτῃ. Dicuntur vero Athenis etiam valles quædam sacræ; quarum meminit Philochorus, libro nono.* Erat etiam, Ασώπιον. *Hesychius. Ασώπιον, τόπος Ἀθήνησι. Asopium locus Athenis.* Denique Βάραθρον, quod & Ορυγμα. Vide *Lectiones Atticas* nostras, lib. I. cap. XXV.

CAP. VIII.

Viæ aliquot. Η εἰς Πειραιᾶ. Εστία. *Mercurius* Τρικέφαλος, *a Patroclide dedicatus. Harpocration restitutus.* Η ξενική. Η τῶν πολεμίων. Η τῶν Ερμογλύφων. Η τῶν κιβωτοποιῶν. Η τῶν μυρμήκων. Ρύμη τρίτη. *Urbs non recte in plateas suas secta.*

VIÆ Urbis e quam plurimis paucæ sane memorantur. Erat, Η εἰς Πειραιᾶ. Dinarchus, *Orat. in Demosthenem. Καὶ καταισχύνων τὴν πόλεως δόξαν, χρυσὸν ἐκ τῶν δακτύλων ἀναψάμενος, περιεπορεύετο, τρυφῶν ἐν τοῖς τῆς πόλεως κακοῖς, καὶ ἐπὶ φορείου κατακομιζόμενος τὴν εἰς Πειραιᾶ ὁδόν. Ac dedecorans gloriam Urbis, suspenso e digitis auro, obambulabat; delicias faciens in malis publicis, ac lectica delatus via Piræensi.* Erat alia, Εστία dicta. Isæus, *Orat. in* Euclidem, apud Harpocrationem, *in* Τρικέφαλος. *Μικρὸν δ' ἄνω τοῦ Τρικεφάλου, παρὰ τὴν Εστίαν ὁδόν. Paulo supra Tricipitem, ad viam Vestam.* Ubi obiter observandum, Mercurium illic Tricipitem fuisse; quem sciendum, a Proclide dedicatum, Hipparchi amatore. Harpocration, *ibidem. Ἔστι δὲ ὁ ἀναθεὶς τὸν Τρικέφαλον Ερμῆν, ὡς Φιλόχορος φησὶν ἐν τρίτῃ, Προκλείδης, Ἱππάρχου ἐραστής. Qui Mercurium Tricipitem dedicavit, ut Philochorus refert libro tertio, est Proclides, Hipparchi amator.* Sed legendum, Πατροκλείδης; non Προκλείδης. Ita *Suidæ* memoratur, & *Auctori* Etymologici. Vide *Pisistratum* nostrum, cap. XIII. Alia erat, Η ξενική. Plutarchus in *Vita Thesei. Αὐτὸς ναυπηγίαν ἐπεβάλλετο, τὴν μὲν, ἐν Θυμοιταδῶν αὐτόθι, μακρὰν τῆς ξενικῆς ὁδοῦ· τὴν δὲ, διὰ Πιτθέως ἐν Τροιζῆνι. Ipse naves fabricare instituit, partim ibidem in Thymætadis, procul a Via peregrinorum; partim per Pittheum, in Trœzene.* Fuit &, Η τῶν πολεμίων. Philostratus, in *Phœnice*, Sophist. *lib.* II. *Εβδομηκοντούτης δὲ ἀποθανὼν Ἀθήνησιν, ἐτάφη οὐκ ἀφανῶς· κεῖται γὰρ πρὸ τῆς τῶν πολεμίων, ἐν δεξιᾷ τῆς Ακαδημίας καθόδου. Cum Athenis decessisset anno ætatis septuagesimo, sepultus est utcunque magnifice: situs enim est ante viam hostium dictam, qua ex Academia descenditur, dextram versus.* Idem, Η τῶν Ερμογλυφείων. Plutarchus, *De Genio Socratis. Ἐπεσπάσαντο Χάριλλον τὸν αὐλητὴν, ἥκοντα μετ' ἐμοῦ καὶ αὐτὸν εἰς Ἀθήνας πρὸς Κέβητα. πορευομένοις δὲ αὐτοῖς διὰ τῶν Ερμογλυφείων, παρὰ τὰ δικαστήρια, σύες ἀπαντῶσιν ἀθρόοι, βορβόρου περίπλεοι. Attraxerunt Charillum tibicinem, qui & ipse mecum Athenas ad Cebetem veniebat. Euntibus autem illis via statuariorum, juxta fora judiciaria, sues occurrunt conferti, cæno undique pleni.* Plato, in *Symposio. Φημὶ γὰρ ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τοῖς Σειληνοῖς τούτοις, τοῖς ἐν τοῖς Ερμογλυφείοις καθημένοις. Ajo simillimum ipsum esse Silenis, quæ sedent in officinis statuariorum.* Etiam, ἡ τῶν κιβωτοποιῶν. Plutarchus, *loco jam citato. Εἶτ' ἀναστρέψας, ἐπορεύετο τὴν διὰ τῶν κιβωτοποιῶν. Deinde reversus, ivit per plateam arculariorum.* Item, Η τῶν μυρμήκων. *Hesychius. Μυρμήκων ὁδός, Ἀθήνησι τόπος. Formicarum via, locus Athenis.* Et, Ρύμη τρίτη. Pollux, *lib.* IX. *cap.* V. *Ρύμην τρίτην. ὁ γὰρ στενωπὸς οὗτος ἦν Ἀθήνησι. Angiportum tertium; erat enim id Athenis.* Id vero sciendum universim; minus pulcre in plateas sectam Urbem fuisse. Dicæarchus, in *Descriptione Græciæ. Ἐντεῦθεν εἰς τὸ Ἀθηναίων ἐπεισιν ἄστυ. ὁδὸς ἡ-*

ἡ ἡδεῖα, γεωργυμένη πᾶσα, ἔχουσα τῇ ὄψει φιλάνθρωπον· ἡ δὲ πόλις ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος, κακῶς ἐρρυμοτομημένη, διὰ τὴν ἀρχαιότητα. *Hinc Atheniensium Urbem ingreditur. via vero amœna est, culta tota, humanitatem præ se ferens; at Urbs ipsa, sicca tota, neque aquis bene instructa, neque recte item in plateas secta, ob vetustatem.* Tamen Εὐρυάγυια dicitur ab Homero, *Odyss.* lib. VII.

> Ἵκετο δ' ἐς Μαραθῶνα, καὶ Εὐρυάγυιαν Ἀθήνην.
> *Venit vero Marathonem, & latas plateas habentes Athenas.*

Sed Poeta ad magnitudinem potius Urbis, quam ad plateas respexit. Sic nimirum etiam alii e poetis, quas magnas dicere Urbes volunt, Εὐρυαγυίας appellant.

CAP. IX.

Tabulæ duæ, ab Aglaophonte pictæ, Alcibiadis donaria: item tertia, a Thrasippo dedicata. Elephas pictus; & mulierum frequentia, Πολυγύναικος *appellata. Achilles, habitu virginali occultatus, deprehendente Ulysse. Agaso, cum equo. Jacchus, e marmore; bucula Myronis, ex ære. Paralus pictus. Clypeo dimicans, luctator, & tibicen, Antidoti opus. Necromantia Homeri, a Nicia picta; & Atheniensis populus, a Parrhasio. Ægis aurea; & in ea item Gorgo, Antiochi donum. Diogenis pulpitum. Turris marmorea octagonos Andronici Cyrrhestæ, & in ea horologium. Columna, in curia; in qua decretum de puniendis proditoribus, & reip. eversoribus. Domus Chabriæ. Sepulcrum Solonis, Pythionices, ac Panathenaidis. Populi duæ; & Inscriptiones totidem, in Pompeji honorem positæ. Rota, ad quam alligari servi soliti.*

MISCELLANEA quædam hic dabo. Erant tabulæ alibi duæ, ab Aglaophonte pictæ; in quarum una, Pythias, & Olympias, Alcibiaden coronabant: in altera, Nemea erat sedens, & in genibus insidentem eum habens: utraque autem ab eodem Alcibiade ex Olympia Athenas reverso, dedicata. Athenæus *lib.* XII. Ἀφικόμενος δ' (ὁ Ἀλκιβιάδης) Ἀθήνησιν ἐξ Ὀλυμπίας, δύο πίνακας ἀνέθηκεν, Ἀγλαοφῶντος γραφήν. ὧν ὁ μὲν, εἶχεν Ὀλυμπιάδα, καὶ Πυθιάδα, στεφανούσας αὐτόν. ἐν δὲ θατέρῳ, Νεμέα ἦν, καθημένη· καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων αὐτῆς, Ἀλκιβιάδης. *Reversus (Alcibiades) Athenas ex Olympia, duas tabulas dedicavit, ab Aglaophonte pictas; quarum una, Olympiada habebat, & Pythiada, ipsum coronantes; in altera vero, Nemea erat, sedens; & in genibus ipsius, Alcibiades.* Erat tertia; ab Thrasippo, cum Ecphantidæ sumptum ille præbuisset, dedicata. Meminit ejus Aristot. *Politic.* lib. VIII. cap. VI. Καὶ περὶ Ἀθήνας οὕτως ἐπεχωρίασεν, ὥστε σχεδὸν οἱ πολλοὶ τῶν ἐλευθέρων μετεῖχον αὐτῆς. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ πίνακος, ὃν ἀνέθηκε Θράσιππος, Ἐκφαντίδῃ χορηγήσας. *Et Athenis usque adeo venit in consuetudinem, ut magna fere pars ingenuorum ejus participes essent. idque manifestum e tabula, quam Thrasippus dedicavit, cum Ecphantidæ sumptum suppeditasset.* Et elephas pictus. Themist. lib. *De Mem. & Reminisc.* Ἡ αἴσθησις καθ' αὐτὸ μὲν, ὁρᾷ τὸν ἐν Ἀθήναις γεγραμμένον ἐλέφαντα· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, τὸν ἐν Ἰνδίᾳ νεμόμενον. *Sensus per se quidem, videt elephantem, qui Athenis est depictus; per accidens vero, eum qui in India pascitur.* Item frequentia mulierum, Πολυγύναικος appellata; tum Achilles, habitu virginis occultatus, & deprensus ab Ulysse: & agaso, cum equo: picturæ Athenionis Maronitæ. Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XI. *Pinxit (Athe-*

A *nion Maronita) Athenis frequentiam, quam vocavere* Πολυγύναικον. *Item Achillem, virginis habitu occultatum, Ulysse deprehendente. Et in una tabula, quaque maxime inclaruit, agasonem, cum equo.* Jacchus quoque erat, e marmore; bucula Myronis, ex ære; Paralus, pictus. Cic. *Verrina* IV. cap. LX. *Quid Athenienses, ut ex marmore Jacchum, aut Paralum pictum, aut ex ære Myronis buculam.* Ac in Myronis quidem buculam, multa exstant Epigram. apud *Ausoni.* & Antholog. *lib.* IV. *cap.* VII. Clypeo dimicans, & luctator, tibicenque; Antidoti opus: ac Necromantia Homeri, a Nicia discipulo picta. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XI. B *Euphranoris autem discipulus fuit Antidotus. Hujus est clypeo dimicans, Athenis; & luctator, tibicenque, inter pauca laudatus. Ipse diligentior, quam numerosior, & in coloribus severus, maxime inclaruit discipulo Nicia Atheniensi, qui diligentissime mulieres pinxit. Opera ejus Athenis, Necromantia Homeri.* Populus quoque Atheniensis, a Parrhasii manu pictus. Plinius idem, eodem *lib.* XXXV. *cap.* X. *Parrhasius, Ephesi natus, & ipse multa constituit. Pinxit &* δῆμον *Atheniensium, argumento quoque ingenioso. Voluit namque varium, iracundum, injurium, inconstan-* C *tem; eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, fugacemque, & omnia pariter, ostendere.* Ægis aurea, & in illa Gorgo, in fastigio theatri spectabatur, Antiochi donum. Pausanias *Eliac.* I. Ἐν δὲ Ὀλυμπίᾳ, παραπέτασμα ἐρεοῦν, κεκοσμημένον ὑφάσμασιν Ἀσσυρίοις, καὶ βαφῇ πορφύρας τῆς Φοινίκων, ἀνέθηκεν Ἀντίοχος. οὗ δὴ καὶ ὑπὲρ τοῦ θεάτρου τοῦ Ἀθήνησιν ἡ αἰγὶς ἡ χρυσῆ, καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡ Γοργὼ, ἡ ἐς τὰ ἀναθήματα. *Et Olympiæ laneum velum cum textili Assyriorum opere, tum Phœnicum purpura luculentum, dedicavit rex Antiochus. Ejusdem donum fuit ægis aurea, addita Gorgone;* D *quæ Athenis in theatri fastigio inter cætera donaria locata est.* Diogenis pulpitum, supra urceolum, a Diogene ipso factum, & donatum. Pollux, *lib.* X. *cap.* XIV. Εἰ δὲ καὶ τὸ ἀναλόγιον ἐθέλεις προσονομάζειν, ἐπὶ τὰ τοῖς βιβλίοις ὑποκεισομένα, παρ' οὐδενὶ τῶν κεκριμένων εὗρον. Ἀθήνησι δὲ, ὑπὲρ ὑδρίου τινὸς, οὗ τὸ ὕδωρ ἐπεχεῖτο, ποίημα, καὶ ἀνάθημα, Διογένης· ὃ καὶ Διογένειον ἀναλόγιον ἐκαλεῖτο. *Si vero ad hæc etiam pulpitum nominare velis, id cui libri incumbunt, apud nullum probatum Auctorem repperi. Athenis vero tale erat, supra urceolum, cui aqua infundebatur. factum, & donatum, a Diogene; quod & Diogenianum pulpitum dicebatur.* Turris marmorea, E octo angulos habens; in qua horologium, Andronici Cyrrhestæ opus. Vitruvius, *lib.* I. *cap.* VI. *Sed, qui diligentius perquisiverunt, tradiderunt eos esse octo; maxime quidem Andronicus Cyrrhestes, qui etiam exemplum collocavit Athenis, turrim marmoream octogonon; &, in singulis lateribus octogoni, singulorum ventorum imagines exsculptas contra suos cujusque flatus designavit: supraque eam turrim metam marmoream perfecit, & insuper Tritonem æneum collocavit, dextra manu virgam porrigentem: & ita machinatus est, uti vento circumageretur, & semper contra flatum consisteret, supraque imaginem flantis venti indicem virgam teneret.* Meminit Varro *De* F *Re Rust.* lib. III. cap. V. *In eodem hemisphærio medio, circum cardinem, est orbis ventorum octo; ut Athenis in horologio, quod fecit Cyrrhestes.* Columna in curia; in qua perscriptum decretum, de puniendis proditoribus, & rep. eversoribus. Lycurgus, *Orat. in* Leocratem. Οὐ μὴν ἀλλ' ἔτι βούλομαι τῆς στήλης ἀκοῦσαι ὑμᾶς, τῆς ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, περὶ τῶν προδοτῶν, καὶ τῶν τὸν δῆμον καταλυόντων. *Audire equidem vos hæc cupio de columna, quæ in curia, de proditoribus, iisque qui statum popularem evertunt.* Et mox, Ταῦτα, ὦ ἄνδρες, ἔγραψαν εἰς τὴν στήλην, καὶ ταύτην ἔστησαν εἰς τὸ βουλευτήριον, ὑπόμνημα τοῖς καθ' ἑκάστην ἡ-

μέραν συνιοῦσι, καὶ βουλομένοις ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς δεῖ πρὸς τούτους ἔχειν. *Hæc, o viri, in columnam inscripserunt, eamque in curia posuerunt, ut admonerentur ii, qui quotidie hic conveniunt, ac de patria consultant, quonam modo erga hos se gerere debeant.* Domus Chabriæ. Hyperides, *Orat. in* Pasiclem, apud Polluc. *lib.* IX. *cap.* V. Τὴν οἰκίαν τὴν μεγάλην, τὴν Χαβρίου καλουμένην. *Domum magnam, Chabriæ dictam.* Sepulcrum Solonis erat, prope portam, ad mœnia Urbis. Ælianus, *Variar. Histor.* lib. VIII. cap. XVI. ubi de Solone agit, Καὶ θάψαν αὐτὸν δημοσίᾳ παρὰ τὰς πύλας πρὸς τῷ τείχει, ἐν δεξιᾷ εἰσιόντων, καὶ περιῳκοδόμητο αὐτῷ ὁ τάφος. *Ac sepelierunt eum publice juxta portam, apud mœnia, ad dextram introitus, circumstructo monumento.* Erat etiam Pythonices; de quo exstat insignis locus Dicæarchi, *lib.* Περὶ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως, apud Athenienf. *lib.* XIII. & Pausanias in *Atticis* ait, inter vetera monumenta unum omnium maxime spectatu dignum exstitisse. Πυθιονίκην (Ἅρπαλος) ἔγημε, γένος μὲν οὐκ οἶδα ὁπόθεν, ἑταιρεῦσαν δὲ ἔν τε Ἀθήναις καὶ ἐν Κορίνθῳ. ταύτης ἐς τοσοῦτον ἔρωτα προῆλθεν, ὡς καὶ μνῆμα ἀποθανούσης ποιῆσαι, πάντων, ὁπόσα Ἕλλησίν ἐστιν ἀρχαῖα, θέας μάλιστα ἄξιον. *Pythionicen (Harpalus) uxorem duxerat; cujus neque genus, neque patriam, novi: tantum scio, Athenis eam, & Corinthi, corpus vulgasse. Eam vero tam perdite amavit, ut mortuæ monumentum posuerit, omnium, quæ in Græcia sunt, veterum operum quod spectetur dignissimum.* Etiam Panathenaidis, Herodis filiæ. Philostratus, in *ejus Vita*, Sophist. *lib* II. Τὸ δὲ ἐπὶ Παναθηναΐδι τῇ θυγατρὶ (πένθος) Ἀθηναῖοι ἐπράϋναν, ἐν ἄστει αὐτὴν θάψαντες. *Luctum ob Panathenaiden filiam lenierunt Athenienses, cum in Urbe sepeliissent.* Duæ quoque variis locis populi erant; una, alba: altera, nigra. De utraque vide *Lectiones Atticas* nostras, *lib.* IV. *cap.* XXXIII. Inscriptiones item duæ, in Pompeii honorem positæ; una, intra portam Urbis: altera, extra. Zonaras, *Annal.* II. Εἶτα παραπλέων (ὁ Πομπήϊος) τὰς πόλεις μετὰ σπουδῆς, οὐ παρῆλθε τὰς Ἀθήνας. ἀναβὰς δὲ, καὶ θύσας, καὶ προσαγορεύσας τὸν δῆμον, εὗρεν ἐπιγραφὰς, εἰς αὐτὸν πεποιημένας· ὧν ἡ μὲν, ἐντὸς τῆς πύλης, ἔλεγεν· ΕΦ' ΟΣΟΝ ΩΝ ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΟΙΔΑΣ, ΕΠΙ ΤΟΣΟΥΤΟΝ ΕΙ ΘΕΟΣ. ἡ δ', ἐκτός. ΠΡΟΣΕΔΟΚΩΜΕΝ, ΠΡΟΣΕΚΥΝΟΥΜΕΝ, ΕΙΔΟΜΕΝ, ΠΡΟΠΕΜΠΟΜΕΝ. *Deinde, cum urbes prætervcheretur (Pompejus) festinanter, Athenas non præteriit. Sed cum in terram exscendisset, sacris factis, populoque salutato, inscriptiones, in honorem suum factas, invenit duas; unam, intra portam Urbis, istis verba præferentem:* QUATENUS TE HOMINEM ESSE AGNOSCIS, EATENUS DEUS ES. *alteram, extra:* EXSPECTABAMUS, ADORABAMUS, VIDIMUS, DEDUCIMUS. Quæ accepta sunt e *Pompejo* Plutarchi. Et rota erat, ad quam alligati servi puniebantur. *Suidas.* Τροχός τις ἦν Ἀθήνῃσιν, ἐν ᾧ δεσμούμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο. *Rota quædam erat Athenis, cui alligati servi castigabantur.* Meminit Aristophanes, *Pluto v.* 877. 878.

Ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας. ————
In rota enim illic oportet te divexatum
Dicere, quæ commisisti callide. ——

Et in *Pace:*

Ἡ δοῦλος, αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος,
Ἐπὶ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.
Vel servus, transfugere paratus,
In rota trahatur flagris cæsus.

CAP X.

Horti in Urbe ante Epicurum nulli; qui primus fecit. Aquæ quales. Puteorum usus, & præfecti. Lex Solonis. Ὑδάτων ἐπιστάτης. Aqua ad clepsydras, agendis caussis; fonsque ei proprius, juxta quem ex ære Leo. Ὁ ἐφ' ὕδωρ. Κρηνοφύλαξ. Κρηνοφυλάκιον. Κρηνοφύλακες. Κρηναγτη· Torrens, Κυκλοβόρος dictus.

HORTUS in Urbe privati hominis ante Epicurum nullus fuit; ille primus introduxit. Plinius *l.* XIX. *c.* IV. *Jam quidam hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros, villasque possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus, otii magister. Usque ad eum, moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Et emit ille quidem minis octoginta, atque in eo est philosophatus. Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, lib. X. c. X. Πανταχόθεν πρὸς αὐτὸν ἀφικνοῦντο, καὶ συνεβίουν αὐτῷ ἐν τῷ κήπῳ, καθά φησι καὶ Ἀπολλόδωρος. ὃν καὶ ὀγδοήκοντα μνῶν πρίασθαι. *Undique ad eum conveniebant, & vivebant cum ipso in horto, ut ait Apollodorus; qui & addit, minus octoginta emisse.* Ac moriens legavit Hermacho; ut ex Testamento apparet, quod Diogenes *postea* memorat. Meminit ejus Apollonius Tyaneus, in *Epistola quadam ad* Euphratem. Τῶν Ἐπικούρου λόγων ὁ περὶ ἡδονῆς οὐδενὸς ἔτι συνηγόρου δεῖται τῶν ἐκ τοῦ κήπου, καὶ ἐκείνου διατριβῆς. πέφηνε γὰρ ὢν καὶ κατὰ τὴν στοὰν ἀληθέστατος. *Ex Epicuri sermonibus ille, qui de voluptate est, non amplius opus habet patrocinio ullius ex horto, aut ex disciplina ejus; nam verissimus etiam iis, qui in porticu, habitus fuit.* Juvenalis, *Sat.* XIII. *v.* 122. 123.

———————— *non Epicurum*
Suspicit, exigui lætum plantaribus horti.

Et *Sat.* XIV. *v.* 319.

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Propertius, *l.* III. *eleg.* XX. *v.* 25. 26.

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam; aut hortis, docte Epicure, tuis.

Cicero, *De Nat. Deorum* l. I. *Cur tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ.* Et hic videntur sepulcra sua habuisse, qui de secta ejus essent. Ecce enim apud Heliodorum, *Æthiopic.* lib. I. Ἠ δὲ, τὸν κῆπον οἶσθα, ἔλεγεν, ἔνθα τὸ μνῆμα τῶν Ἐπικουρείων. *Hæc vero, hortum nosti, inquit, in quo monumentum est Epicureorum.* Aquæ vero nullæ erant, nisi quibus ad lavationes tantum, & res alias, uterentur; ad potum autem, plane inutiles: ad quem putei habebantur. Vitruvius, *l.* VIII. *c.* III. *Aquæ autem species est, quæ, cum habeat non satis perlucidas venas, spuma, uti flos, natat in summo, colore similis vitri purpurei. Hæc maxime considerantur Athenis. Ibi enim ex hujusmodi locis, & fontibus, & in asty, & ad portum Piræeum, ducti sunt salientes; e quibus bibit nemo, propter eam caussam: sed lavationibus, & reliquis rebus, utuntur. Bibunt autem ex puteis, & ita vitant eorum vitia.* Itaque aquæ Athenis neque bonæ erant, neque multæ. Dicæarchus, in *Descriptione Græciæ.* Ἐντεῦθεν εἰς τὸ τῶν Ἀθηναίων εἴσεισιν ἄστυ. ὁδὸς δὲ ἡδεῖα, γεωργουμένη πᾶσα, ἔχουσα τὴν ὄψιν φιλάνθρωπον· ἡ δὲ πόλις, ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος. *Hinc Atheniensium urbem ingreditur. via vero amœna est, culta tota, humanitatem præ se ferens; at Urbs ipsa, omnino sicca, neque aquis bene instructa.* Quam ob rem defectum hunc supplebant putei, qui per Urbem plurimi erant. Ecce, in *citatis* Vitruvii *ver-*

bis. Bibunt autem ex puteis, & ita vitant eorum vitia. Pausanias, in *Atticis*. Φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τῆς πόλεώς ἐστι. *Putei sunt passim per totam Urbem.* Ex his communem unum habebant, qui curriculi equestris spatio circum eum adhabitabant: qui remoti ulterius erant, ipsi fodere tenebantur, ac si, ubi decem passus altum puteum effodissent, neque aquam invenissent, tum e proximo singulis diebus hydriam sex congiorum bis implere sinebantur, idque ex Solonis lege. Plutarchus, in *ejus Vita*. Ἐπεὶ δὲ πρὸς ὕδωρ οὔτε ποταμοῖς ἐστιν ἀενάοις, οὔτε λίμναις τισὶν, οὔτ᾽ ἀφθόνοις πηγαῖς ἡ χώρα διαρκὴς, ἀλλ᾽ οἱ πλεῖστοι φρέασι ποιητοῖς ἐχρῶντο, νόμον ἔγραψεν. ὅπου μέν ἐστι δημόσιον φρέαρ ἐντὸς ἱππικοῦ, χρῆσθαι τούτῳ· (τὸ δ᾽ ἱππικὸν, διάστημα τεσσάρων ἦν σταδίων.) ὅπου δὲ πλεῖον ἀπεῖχε, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον. ἐὰν δὲ, ὀρύξαντες ὀργυιῶν δέκα βάθος παρ᾽ ἑαυτοῖς, μὴ εὕρωσι, τότε λαμβάνειν παρὰ τοῦ γείτονος, ἑξάχουν ὑδρίαν δὶς ἑκάστης ἡμέρας πληροῦντας. *Postquam vero, quod aquam attinet, neque fluviis perennibus, neque lacubus, fontibusve copiosis, sat instructa regio erat, sed plerique puteis factis utebantur, legem tulit; ubi puteus publicus esset, intra curriculi equestris spatium, quod est quatuor stadiorum, eo uti uterentur: ubi longius abesset, uti aquam propriam quærerent. sed si, postquam ad decem passuum altitudinem effodissent, minime eam invenissent, tum ut peterent e proximo, & quotidie hydriam sex congiorum bis implerent.* Itaque præfectus illis, qui curaret, ne quis ex alieno puteo furtim peteret, neve ad se derivaret; isque Ὑδάτων ἐπιστάτης dicebatur. Observare est apud Plutarchum, qui Themistoclem aliquando eo munere functum esse, nobis tradit, in *ejus Vita*. Εἶδε καὶ ἐν Μητρὸς ἱερῷ τὴν καλουμένην ὑδροφόρον κόρην χαλκῆν, μέγεθος δίπηχυν· ἣν αὐτὸς, ὅτε τῶν Ἀθήνησιν ὑδάτων ἐπιστάτης ἦν, εὑρὼν τοὺς ὑφῃρημένους τὸ ὕδωρ, καὶ παροχετεύσαντας, ἀνέθηκεν, ἐκ τῆς ζημίας ποιησάμενος. *Vidit etiam in Matris deum templo virginem æneam, quam Hydrophoron appellant, duorum cubitum magnitudine, abs se factam, cum aquarum Athenis præfectus esset, e mulctis eorum, quos aquam abductam divertisse deprehenderat.* Alius erat, ut hoc obiter etiam moneam, ne confundas, qui Ἐφ᾽ ὕδωρ dicebatur; & judiciales aquas accurabat, sorte ad id munus lectus. *Suidas*. Ἐφ᾽ ὕδωρ. ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις. ἐλάγχανεν ὁ ἐπιμελησόμενος τούτου. *Ad aquam. In causis, quæ ad aquam agebantur, sortito constituebatur, qui hujus curam gereret.* Hesychius. Ἐφ᾽ ὕδωρ λαχεῖν. λαγχάνει τὶς, ὕδωρ παρατηρήσων, τὸ ἐν ταῖς δίκαις. *Ad aquam sortiri. Sorte constituitur quispiam, aquam observaturus, in causis agendis.* Observabat nempe iste, ut partis utriusque clepsydræ æquales essent. Erat autem fons quidam proprius, e quo hæc aqua petebatur; atque ad istum leo ex ære collocatus, Κρηνοφύλαξ nuncupatus: munusque ipsum, Κρηνοφυλάκιον dicebatur; &, qui obibant, servi erant, Κρηνοφύλακες appellati; ut Ὁ ἐφ᾽ ὕδωρ, qui curator his præpositus. Pollucis locus nos hæc docet, *libro* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXXII. Ἦν μέντοι καὶ κρηνοφυλάκιον ἀρχὴ, δούλους εἰς τὸ ἔργον, αὐτῆς τῆς ἐπικλήσεως, ἔχουσα. καὶ λέων δέ τις ἐκαλεῖτο Κρηνοφύλαξ, χαλκοῦ πεποιημένος, ἐπὶ κρήνης τινὸς, δι᾽ ἧς τὸ ὕδωρ ἐφέρετο, ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις. ἐπιμελητὴς δέ τις κληρωτὸς ἐγίγνετο, ὃς ἐκαλεῖτο Ἐφ᾽ ὕδωρ, ὁ παραφυλάττων τὴν ἰσότητα τῆς κλεψύδρας. *Erat Crenophylacium dignitas, quæ servos ad opus, ejusdem cognominis, habebat. ac leo quidam Crenophylax vocabatur, ex ære factus, ad fontem quempiam, e quo aqua petebatur in judiciis, quæ ad aquam agitabantur. & curator quidam erat, sorte lectus, qui Ad aquam dicebatur, & æqualitatem clepsydræ observabat.* Hesychius strictim. Κρηνοφύλαξ, ὁ τὴν κρήνην φυλάσσων. *Crenophylax, fontem custodiens.* Ac præfectura, Κρηνάγγη eidem appellatur. Κρηνάγγη, ἀρχὴ ἐπὶ τῆς ἐπιμελείας ὕδατος. *Crenange, dignitas in curatione aquæ.* Præter aquas, puteos, fontes, torrens erat, Κυκλοβόρος appellatus. Aristophanes, *Equitibus v.* 138.

> Ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων.
> *Rapax, vociferator, Cyclobori vocem habens.*

Ubi *Scholiastes*. Κυκλοβόρος, ποταμὸς τῶν Ἀθηναίων, οὐκ ἀεὶ, οὐδὲ διὰ παντὸς, ῥέων, ἀλλὰ χειμάρρους. *Cycloborus, fluvius Atheniensium, non semper, neque ubique, fluens, verum torrens.* Et *ad Acharnenses*. Κυκλοβόρος, ποταμὸς ἐν Ἀθήναις χείμαρρος. *Cycloborus, fluvius Athenis torrens.* Meminit ejus etiam *Suidas*; & Eustathius, *ad Iliad.* β'.

CAP. XI.

Muri Urbis. Μακρὸν τεῖχος. Φαληρικὸν τεῖχος. Διὰ μέσου τεῖχος. *Longus murus, duplex erat; iste, Australis: ille vero, Borealis: uterque quando ædificatus. Andocidis locus emendatus. Harpocrationis error, item Suidæ, indicatus. Turres multæ in utroque, in quibus etiam habitatum. Subter, in subjectis agris, villæ plurimæ, permagnifice ædificatæ, & instructæ.*

MURORUM Urbis, varia equidem invenio nomina. Et in iis Μακρὸν τεῖχος memoratur ab Andocide, in *Orat.* Περὶ μυστηρίων. Ἀνακαλέσαντες δὲ τοὺς στρατηγοὺς, ἀνειπεῖν ἐκέλευσαν, Ἀθηναίων τοὺς μὲν ἐν ἄστει οἰκοῦντας, ἰέναι εἰς τὴν ἀγορὰν, τὰ ὅπλα λαβόντας· τοὺς δ᾽ ἐν μακρῷ τείχει, εἰς τὸ Θησεῖον. *Advocatis prætoribus, edicere jusserunt, ut, quicunque Atheniensium in Urbe habitarent, sumptis armis, in forum irent; qui in muro autem longo, in Theseifanum.* Et est passim obvia mentio apud Auctores. Præter istud, etiam τὸ Φαληρικὸν nominat Thucydides, *lib.* II. Ἔστι δὲ αὐτοῦ, ὃ καὶ ἀφύλακτον, τὸ μεταξὺ τοῦ τε μακροῦ καὶ τοῦ Φαληρικοῦ. *Est vero pars ejus, quam excubiæ nullæ servant, quæ est inter murum longum & Phalericum.* Etiam τὸ διὰ μέσου memoratur a Platone, in *Gorgia*. Περικλέους δὲ καὶ αὐτὸς ἤκουον, ὅτε συνεβούλευεν ἡμῖν περὶ τοῦ διὰ μέσου τείχους. *Sed & Periclem ipse audivit, cum de muro medio auctor nobis esset.* Dion Chrysostomus, *Orat.* VI. Καίτοι διακοσίων σταδίων εἶναι τὴν περίμετρον τῶν Ἀθηνῶν, τοῦ Πειραιέως συντιθεμένου, καὶ τῶν διὰ μέσου τειχῶν. *Quippe ambitum Urbis, addito Piræeo, & muro medio, ducentorum stadiorum esse.* Occurrit quoque ejus mentio apud Plutarchum, lib. *De Gloria*. Quod ad Μακρὸν τεῖχος attinet, id sciendum duplex fuisse; hoc, τὸ Βόρειον, *Boreale*: illud, Νότιον, sive *Australe*, nuncupatum. De priore, est Andocidis iste locus, in *Orat.* Περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης. Πρῶτον μὲν τὸν Πειραιᾶ ἐτειχίσαμεν ἐν τούτῳ χρόνῳ, εἶτα τὸ μακρὸν τεῖχος τὸ Βόρειον. *Ac primo quidem illo tempore Piræeo communivimus, & murum longum Borealem item exstruximus.* Et Æschinis, *De falsa legat.* Ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐτειχίσαμεν τὸν Πειραιᾶ, καὶ τὸ Βόρειον τεῖχος ᾠκοδομήσαμεν. *Isto tempore Piræum communivimus, & murum Borealem exstruximus.* Meminit item Plato, *De Rep.* lib. IV. Λεόντιος ὁ Ἀγλαΐωνος, ἀνιὼν ἐκ Πειραιέως, ὑπὸ τὸ Βόρειον τεῖχος. *Leontinus Aglaionis filius, quum ex Piræeo ascenderet, sub murum Borealem.* De altero, Andocides idem, in *citata Oratione*. Καὶ τὸ τεῖχος τὸ μακρὸν τὸ Νότιον ἐτειχίσθη. *Ac murus longus Australis est exstructus.* Ac Borealem quidem murum exstruxerunt, constituta cum Lacedæmoniis quinquaginta annorum pace. Andocides, in *citata statim Oratione*. Καὶ τότε ἡμῖν εἰρήνη ἐγένετο πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη πέντε. καὶ ἐνεμείναμεν ἀμφότεροι ταῖς σπονδαῖς ἔτη τρισκαίδεκα. ἓν δὴ τοῦτο, ὦ Ἀθηναῖοι, πρῶτον σκεψώμεθα. ἐν ταύτῃ τῇ εἰρήνῃ ὁ δῆ-

μεσὸν τῆ Αθηναίων ἔθ᾽ ὅπα κατελύθη; ἐδεὶς ὑποδείξει. ἀγαθὰ δ᾽, ὅσα ἐγένετο διὰ ταύτlω τὴν εἰρήνην, ἐγὼ ὑμῖν φράσω. πρῶτον μὲν, τ̃ Πειραιᾶ ἐτειχίσαμεν ἐν τέτῳ τῷ χρόνῳ, εἶτα τὸ μακρὸν τεῖχος τὸ Βόρειον. *Et tunc nobis pax est facta cum Lacedæmoniis in annos quinque, quam tenuimus annos tredecim. atque hoc unum, Athenienses, videamus. anne alibi in hac pace ullum Resp. detrimentum accepit? nemo ostendet. ego vero, quæ eam commoda sint secuta, vobis dicam. Primo quidem, Piræeum communivimus; inde, exstruximus murum longum Borealem.* Sed corrupta Andocidis *verba* sic restituo, Εἰρlώη ἐγένετο πρὸς Λακεδαιμονίες ἔτη πεντήκοντα. *Pax est facta cum Lacedæmoniis in annos quinquaginta.* Nam annorum quinquaginta, & non quinque, pax hæc fuit; etsi tredecim tantum ex istis sarta tecta. Res est nota ex Historia; estque illustris Æschinis locus, in *citata Oratione*. Συνταραχθέντες δὲ ὑπό τινων, καταςάντες πρὸς Λακεδαιμονίες εἰς πόλεμον, πολλὰ καὶ παθόντες κακὰ, καὶ ποιήσαντες, Μιλτιάδε τε Κίμωνος προκηρυκευσαμένε πρὸς Λακεδαιμονίες, ὄντος προξένε, σπονδὰς τε πολέμε πεντηκονταετεῖς ἐποιήσαμεν. ἐχρησάμεθα αὐταῖς δὲ ἔτη τρισκαίδεκα. Εν δὲ τέτῳ τῷ χρόνῳ, ἐτειχίσαμεν τ̃ Πειραιᾶ, καὶ τὸ Βόρειον τεῖχος ᾠκοδομήσαμεν. *Concitati a quibusdam, belloque contra Lacedæmonios suscepto, multis malis datis passim & acceptis, intercessione Miltiadis, Cimonis filii, cui hospitium erat cum Lacedæmoniis, fœdus annorum quinquaginta percussimus, eoque tredecim annos sumus usi. hoc tempore Piræeum muro cinximus, & Borealem murum fecimus.* Australem vero, exstruxerunt pace cum iisdem illis Lacedæmoniis tricennali. Andocides postea, in *eadem Oratione*, ubi de pace ista agit, & secutis illam bonis. Νεωσοίκες τε ᾠκοδομησάμεθα, χιλίες τε καὶ διακοσίες ἱππέας, καὶ τοξότας τοσέτες ἑτέρες κατεςήσαμεν· καὶ τὸ τεῖχος τὸ μακρὸν τὸ Νότιον ἐτειχίσθη. *Et navalia exstruximus, & mille ac ducentos equites, totidemque sagittarios, constituimus: tum & structus murus longus Australis.* Habes itidem apud Æschinem, qui videndus, in *citata pluries Oratione*. Erat autem, ut hoc moneam, murus Australis, qui ad mare adjacebat; & Piræeum, Phalerumque continebat: Borealis, qui terrestre Urbis latus includebat. Ac maritimum quidem murum, sive Australem, quando inceperint, memoratur a Thucydide, *lib.* I. Ηρξαντο δὲ κατὰ τὲς χρόνες τέτες καὶ τὰ μακρὰ τείχη Αθηναῖοι ἐς θάλασσαν οἰκοδομεῖν, τό, τε Φαληρόνδε καὶ τὸ ἐς Πειραιᾶ. *Circa hæc tempora inceperunt Athenienses exstruere murum maritimum, Phalerum versus, & Piræeum.* Id autem factum, cum Æginam obsiderent; & absolverunt, cum, Bœotiis superatis ad Oenophyta, agrum Bœotium, ac Phocensem, subegissent; & Tanagræorum muros dejecissent, durante etiam obsidione Æginensi. Thucydides non multo post, *eodem libro*. Καὶ μάχῃ ἐν Οἰνοφύτοις τὲς Βοιωτὲς νικήσαντες, τ̃ τε χώρας ἐκράτησαν τ̃ Βοιωτίας, καὶ Φωκίδος· καὶ Ταναγραίων τὸ τεῖχος περιεῖλον, τά τε τείχη τὰ ἑαυτῶν τὰ μακρὰ ἀπετέλεσαν. *Et prœlio in Oenophytis cum Bœotos superassent, eorumque agrum, ac Phocensium, subegissent, & Tanagræorum muros dejecerunt, & suæ Urbis muros longos exstruxerunt.* Διὰ μέσε τεῖχος, sive *Medius murus*, erat, qui Australem & Borealem conjungebat. Non recte certe *Harpocration*, murum Australem eundem esse Medium dicit. Ecce verba. Διὰ μέσε τεῖχος. Αντιφῶν πρὸς Νικοκλέα. Τριῶν ὄντων τειχῶν ἐν τῇ Αττικῇ, ὡς καὶ Αριςοφάνης φησὶν ἐν Τριφάλητι, τε τε Βορείε, καὶ τε Νοτίε, καὶ τε Φαληρικε, διὰ μέσε τέτων ἐλέγετο τὸ Νότιον. *Medius murus. Antiphon, adversus Nicoclem. Cum tres in Attica muri essent, ut etiam in Triphalete ait Aristophanes, Borealis, Australis, & Phalericus, medius inter hos dicebatur Australis.* Ubi non simpliciter errat; nam nec medius erat Australis, nec Phalericus singularis murus aliquis, verum quædam pars Australis, ut ostendi. Eundem errorem errat *Suidas*, Harpocrationis compilator, in Διὰ μέσε τείχες. In muro autem longo utroque turres multæ; eæque item habitatæ, ob frequentiam. Thucydides, *libro* II. Κατεσκευάσαντο δὲ καὶ ἐν τοῖς πύργοις τ̃ τειχῶν πολλοὶ, καὶ ὡς ἕκαςός πε ἐδύνατο. ἐ γὰρ ἐχώρησε ξυνελθόντας αὐτὲς ἡ πόλις, ἀλλ᾽ ὕςερον δὴ τά τε μακρὰ τείχη ᾤκησαν κατανειμάμενοι, καὶ τε Πειραιέως τὰ πολλά. *Multi etiam in ipsis murorum turribus domicilia sibi pararunt, & quo quisque loco poterat. neque enim Urbs capax erat eorum omnium, qui convenerant; itaque & postea muros longos, inter sese distributos, habitarunt; & Piræi magnam partem.* Juxta, in subjectis agris, villæ multæ, permagnifice ædificatæ, & instructæ sumptuosa supellectile. Observo alibi, apud Thucydidem eundem, *eod. l.* Οἱ δὲ δυνατοὶ, (ἐλυπῦντο,) καλὰ κτήματα κατὰ τὴν χώραν οἰκοδομίαις τε καὶ πολυτελέσι κατασκευαῖς ἀπολωλεκότες. *Qui opibus pollebant, (angebantur,) quod egregia in agris prædia, villasque magnifice exstructas, & sumptuosa supellectile plenas, amisissent.*

CAP. XII.

Portæ variæ: Αἰγέως, Αχαρνικαὶ, Διόμειαι, Ηρίαι. *Theophrastus emendatus*. Θρακίαι, Θριασίαι; *Harpocrationis locus restitutus. Eadem* Δίπυλον *appellata, &* Κεραμεικαί. Ιεραὶ, Ιππάδες, Ιτωνίαι, Μελιτίδες, Πειραϊκαὶ, Σκαιαί. *Portula quædam in littore. Suburbia duo*; Κεραμεικὸς, *&* Ιερὰ Συκῆ.

DENIQUE portas etiam Urbis memoremus; Quarum nomina observavi. Erant vero Πύλαι ΑΙΓΕΩΣ, juxta Delphinium, ubi Ægeus habitaverat; unde nomen. Plutarchus, in *Vita Thesei*. Λέγεται δὲ τ̃ κύλικος πεσέσης, ἐκχυθῆναι τὸ φάρμακον, ὅπε νῦν ἐν Δελφινίῳ τὸ περίφρακτόν ἐςιν. ἐνταῦθα γὰρ ὁ Αἰγεὺς ᾤκει· καὶ τ̃ Ερμlῶ, τ̃ πρὸς ἕω τε ἱερε, καλέσιν ἐπ᾽ Αἰγέως πύλαις. *Fertur vero, prolapso calice, venenum effusum esse, ubi nunc in Delphinio septum est. Illic enim habitabat Ægeus; & Mercurium, qui ad orientem fani est, in Ægei porta nuncupant.* ΑΧΑΡΝΙΚΑΙ. *Hesychius*. Αχάρναι, δῆμος τ̃ Αττικῆς. Αχαρνικαὶ, πύλαι Αθήνησιν. *Acharnæ, populus Atticæ. Acharnicæ, porta Athenis.* Erat nempe ea porta, qua Acharnas exibatur. ΔΙΟΧΑΡΟΥ. Strabo, *lib.* IX. Εἰσὶ μὲν ἐν αἱ πηγαὶ, καθαρῦ καὶ ποτίμε ὕδατος, ὥς φασιν, ἐκτὸς τῶν Διοχάρες καλεμένων πυλῶν. *Sunt quidem fontes aquæ puræ, & potabilis, ut ajunt, extra portam Diocharis.* ΔΙΟΜΕΙΑΙ. Hesychius, *ut* Δημιάσι. Μή ποτε ἐν ἀντὶ τε Διομείησι πύλαις Δημιάσιν εἶπεν, διὰ τὴν ἐγγύτητα τ̃ ὀνομάτων. *An non pro Diomea porta dixit Demia, ob vicinitatem nominum?* ΗΡΙΑΙ. Etymologici *Auctor*. Ηρίαι, πύλαι Αθήνησι· διὰ τὸ τὲς νεκρὲς ἐκφέρεσθαι ἐκεῖ ἐπὶ τὰ ἠρία, ὅ ἐςι τὲς τάφες. *Sepulcrales, portæ Athenis; quia illic cadavera efferrentur ad* τὰ ἠρία, *sive sepulcra.* Corrigendus in hujus portæ nomine Theophrastus, in *Char.* c. Περὶ ἀναισθησίας. Πόσες οἴει καὶ τὰς ἠρίας πύλας ἐξενηνέχθαι νεκρές. *Quam multa putas cadavera elata porta sepulcrali?* Perperam editur, κατὰ τὰς ἱερὰς πύλας, *porta sacra*: ut monui nuper, *Eleusiniorum* c. XXVII. Scio equidem Πύλας ἱερὰς, *Portam sacram*, fuisse Athenis, qua ibatur Eleusinem, ad celebranda sacra Cereris, unde illi nomen datum; & de ea statim quoque sum dicturus: sed cadavera per hanc non efferri solita; itaque omnino corrigendus *Theophrasti* iste locus. ΘΡΑΚΙΑΙ. Thucydides, *lib.* V. Καὶ τὲς ἄλλες μετὰ τε Κλεαρίδα καθίςη ἐπὶ τὰς Θρακίας καλεμένας τ̃ πυλῶν. *Cæterosque, qui cum Clearida erant*

constituit ad portam Thraciam. Et mox. Καὶ ὁ Κλεαρίδας, ὥσπερ εἴρητο, ἅμα κατὰ τὰς Θρακαίας πύλας ἐπεξελθὼν, τῷ στρατῷ ἐπεφέρετο. *Et Clearidas, uti constitutum fuerat, porta Thracia erumpens, eodem tempore cum exercitu in hostem ferebatur*. ΘΡΙΑΣΙΑΙ. *Hesychius*. Θριασίαι, πύλαι οὕτω καλοῦνται Ἀθήνησιν. *Thriasia, porta ita dicitur Athenis*. Corruptus in hoc nomine Harpocrationis locus, *in* Ἀνθεμόκριτος, ex Isæi *Oratione* Πρὸς Καλυδῶνα. Τότε βαλανεῖον, τὸ παρ' Ἀνθεμοκρίτου ἀνδριάντα· τουτέστι, πρὸς ταῖς Θρασείαις πύλαις. *Et balneum, quod est juxta Anthemocriti statuam. id est, ad portam Thraseam*. Ita in Aldina editione utraque legitur. Phielippus Maussacus, vir præstantissimus, & non vulgariter de Harpocratione meritus, restituendum existimabat, πρὸς ταῖς Θρακίαις πύλαις. *Ad portam Thraciam*: & ad loci illius illustrationem plura pollicitus in vocem Πύλαι, nihil dicit. Ego veram omnino lectionem censeo, πρὸς ταῖς Θριασίαις πύλαις. *Ad portam Thriasiam*. Postea impositum nomen fuit ΔΙΠΥΛΟΝ. Plutarchus docet, in *Vita Periclis*; & emendationem meam valide firmat. Ταφῆναι δ' Ἀνθεμόκριτον παρὰ τὰς Θριασίας πύλας, αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται. *Sepultum vero esse Anthemocritum, ad portam Thriasiam, quæ nunc Dipylum appellatur*. Erat autem hæc maxima omnium, quæ Athenis. Livius, *lib.* XXXI. *cap.* XXIV. *Ad Dipylon accessit. Porta ea, velut in ore Urbis posita, major aliquanto, patentiorque, quam cæteræ: & intra eam, extraque, latæ sunt viæ*. Meminit ejus etiam Plutarchus, *in Sylla*. Ο' περὶ τὴν ἀγορὰν φόνος ἐπέσχε πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν. *Ea cædes, quæ in foro perpetrata, universum intra Dipylum Ceramicum implebat*. Et Polybius, *Legat. Eclog.* III. Ἐπεὶ δ' εἰσῄει κατὰ τὸ Δίπυλον, ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους παρέστησαν τὰς ἱερείας, καὶ τοὺς ἱερεῖς. *Postquam ingrederetur per Dipylum, utraque ex parte constituerant sacerdotes fœminas, ac viros*. In *Plutarchi* autem verbis hoc observa; πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμικόν. *Universum intra Dipylum Ceramicum*: Ergo erat in propinquo Ceramicus: & intelligi sine dubio illa ipsa porta debet, de qua Xenophon, *Hist. Græc.* lib. II. Καὶ ἄλλοι οἱ τεθαμμένοι τῶν Λακεδαιμονίων πρὸ τῶν πυλῶν, ἐν τῷ Κεραμεικῷ. *Aliique e Lacedæmoniis, qui sepulti ante portam, in Ceramico*. Et Philostratus, in *Philagro*, *Sophist.* l. II. Παρῆλθεν εἰς τὸ τῶν τεχνιτῶν βουλευτήριον, ὃ δὴ ᾠκοδόμηται παρὰ τὰς τοῦ Κεραμεικοῦ πύλας. *Transiit ad prætorium artificum, quod ad portam Ceramici exstructum*. Et profecto, a vicino Ceramico etiam factum, ut ΚΕΡΑΜΕΙΚΑΙ nomen daretur; qua de re

A notavi plura, *Ceramici* cap. XVIII. ΙΕΡΑΙ. Plutarchus, in *Sylla*. Αὐτὸς δὲ Σύλλας τὸ μεταξὺ τῆς Πειραϊκῆς πύλης, καὶ τῆς Ἱερᾶς, κατασκάψας, συνομαλύνας, περὶ μέσας νύκτας εἰσήλαυνε φρικώδης. *Ipse Sylla, destructa, ac solo æquata ea parte, quæ est inter portam Piræensem, & Sacram, circa mediam noctem cum magno terrore in Urbem ingressus est*. ΙΠΠΑΔΕΣ. Plutarchus, in *Hyper.* lib. *De* x. *Rhet.* Τοὺς δὲ οἰκείους, τὰ ὀστᾶ λαβόντας, θάψαι τε ἅμα τοῖς γονεῦσι, πρὸ τῶν Ἱππάδων πυλῶν, ὥς φησιν Ἡλιόδωρος, ἐν τρίτῳ Περὶ μνημάτων. *Domesticos vero ejus, accepta ossa sepelivisse cum majoribus, ante portam Equestrem, ut auctor est Heliodorus, lib. tertio De monumentis*.

B ΙΤΩΝΙΑΙ. Æschines philosophus, in *Axiocho*. Ὡς δὲ θᾶττον τὴν παρὰ τὸ τεῖχος ᾔειμεν, ταῖς Ἰτωνίαις (πλησίον γὰρ ᾤκει τῶν πυλῶν, πρὸς τῇ Ἀμαζονίδι στήλῃ,) καταλαμβάνομεν αὐτόν. *Cum autem ocyus iremus via, quæ præter mœnia ducit, ad portam Itoniam (siquidem juxta hanc habitabat, ad columnam Amazoniam,) ipsum assecuti sumus*. ΜΕΛΙΤΙΔΕΣ. Pausanias, in *Attic.* Μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων. *Monumentum exstat non longe a porta Melitensi*. Et Marcellinus, in *Vita Thucyd.* Πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κίμωνος μνήματα. *Ad portam Melitensem quam vocant in*

C *Cœla sunt Cimonis quæ dicuntur monumenta*. ΠΕΙΡΑΙΚΑΙ. Plutarchus, in *Theseo*. Καὶ τάφους τῶν πεσόντων περὶ τὴν πλατεῖαν εἶναι, τὴν φέρουσαν ἐπὶ τὰς πύλας, παρὰ τὸ Χαλκώδοντος ἡρῷον, ἃς νῦν Πειραϊκὰς ὀνομάζουσι. *Ac sepulcra cæsorum esse ad plateam, propter Chalcodontis herois fanum, qua ad portam itur, nunc Piræensem appellatam*. Iterum, in *Sylla*, in citatis statim verbis. Μεταξὺ τῆς Πειραϊκῆς πύλης, καὶ τῆς Ἱερᾶς. *Inter portam Piræensem, & Sacram*. ΣΚΑΙΑΙ. Hilduinus, in *Vita Dionysii Areopagitæ*, ubi de Athenis agit. *Quarta regio civitatis ejusdem versa est ad portam Scæam*. Portulæ item cujusdam in littore, non expresso ejus nomine, me-

D minit Lycurgus, *Orat. in* Leocratem. Οὐκ ἐκ τῆς ἀκτῆς κατὰ τὴν πυλίδα ἐμβαίνουσιν οἱ κατ' ἐμπορίαν πλέοντες, ἀλλ' ἐκ τοῦ λιμένος, ὑπὸ πάντων τῶν φίλων ὁρώμενοι. *Non e littore juxta portulam ingrediuntur, qui mercaturæ exercendæ causa adnavigant, sed e portu, ab amicis omnibus conspecti*. Portis annexa suburbia; inter quæ *Ceramicus* maxime excellebat: de quo seorsim libro singulari dixi. Erat etiam Ἱερὰ Συκῆ, qua Eleusinem iter erat; ubi mystæ, sacra in Urbem reducentes, quiescebant; uti dixi in *Eleusiniis*, cap. XXVII. Illic vide. Aliorum nondum nomina observare usquam memini.

F I N I S.

JOANNIS MEURSII

CECROPIA.

SIVE DE

ATHENARUM ARCE,

ET EJUSDEM

ANTIQUITATIBUS,

LIBER SINGULARIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

DOMINICO MOLINO, PATRICIO VENETO, ET SENATORI,

JOANNES MEURSIUS

DEDICO CONSECROQUE.

Vir Illustrissime,



Antus ſane eſt virtutis tuæ ſplendor, ut trans Alpes etiam veſtras quam longiſſime radios mittat, quin & in Hollandiam noſtram; quod cum ita ſeſe habeat, ut vis ejus multo maxima eſt, magnam adeo in me tui obſervantiam excitavit, ut non putem eſſe quemquam, ne Venetiis quidem veſtris, vel in iis quos obnoxios beneficiis reddidiſti, qui devotiore animo te colendum propoſuerit. Cum Virtute & Fortuna ſe conjungit; ac videtur blande utraque ad te ornandum conſpiraſſe. quippe in ea te familia naſci contigit, quæ ut ſuum inter primas Reip. Ser.ᵐᵃ locum tenet, ita meritis præſtantiſſimis plurimum ſibi illam obſtrinxit. Huc accedit, quod in dignitate ſumma, majorum tuoque merito, conſtitutus, tam præclare hanc tueris, ut omnino nulli cedas. qua cum ſemper pro Rep. ſine ambitione utaris, ea quoque tantum defert, ut in fide iſta tua, ac virtute, quaſi tota acquieſcere videatur. Jam quid dicam humanitatem incomparabilem? quid doctrinam excellentem, & affectum in literatos tam prolixum, ut injuriam tibi faciat, qui hac laude potiorem quenquam cenſeat? Hinc nimirum eſt, quod me, hominem tranſmontanum, ſolo ſtudiorum nomine commendatum, & amandum ſponte tua ſuſcepiſti, & amorem item tuum nihil tale exſpectanti per epiſtolam indicare voluiſti. Quam rem certe ſi quid aliud, quam eximium beneficium, ipſe interpreter, plane amari ſim indignus; ac, ni palam hic profitear, nimis me ingratum putem. Teſtor itaque, ſic me tibi obligatum exiſtimare, ut agnoſcere facilius debitum, quam exſolvere unquam, poſſim. Interim, cum hoc non detur, ſaltem obſervantiam, & cultum, quantum potero, exhibebo. Pignus autem, ecce, hanc Cecropiam trado; quam placere tantum opto, quantum amorem in me tuum conſervare mihi ſtudeo. Vale, Italiæ tuæ decus. Lugduni Batavorum, ad diem xiv. menſis Julii cIↃ IↃ cxxii.

BENIGNE LECTOR.



CCE tibi nunc CECROPIAM, *quam mox ipsæ quoque* ATHENÆ *subsequentur; ut sic Urbis universæ antiquitates meo beneficio habeas. Auctorum Græcorum locis, quæ citantur, versionem suam addidi; non id quidem ex more nostro, neque sponte: sed, cum pridem ex Hispania, & nunc nuper ex Italia, viri magni id petierint, uti morem illis gererem, animum induxi. Est enim hoc seculi hujus vitium, an infortunium, ut, cum pauci Græcæ linguæ studiosi habeantur, inter eos plures etiam inveniantur, qui ament magis, quam intelligant. Istis hic subveniendum existimavi. Utinam autem, quæ utilitas hujus linguæ est, & necessitas, ea quoque gratia esset; non nunc sic laboraretur. Sed querelam non instituo; nam prolixiore pagina agendum esset; & feruntur ista rectius, quam culpantur. Tu, mi Lector, salve, & vale; ac me ama, tui apprime studiosum.*

JOANNIS MEURSII
CECROPIA.
SIVE DE
ARCE ATHENARUM,
ET EJUSDEM
ANTIQUITATIBUS,
LIBER SINGULARIS.

CAP. I.



RÆCIA tota primæ Athenæ; & in illis Arx excelluit. Integro Opere celebravit Heliodorus Periegetes. Harpocration ecce laudat, *in* Θετταλός. Εἷς τῶν Κίμωνος παίδων, Θετταλὸς ἐκαλεῖτο· ὥς φησιν Ηλιόδωρος, ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ ἀκροπόλεως. *Unus e Cimonis filiis, Thessalus vocatus fuit; ut Heliodorus refert, libro primo De Arce.* Iterum, *in* Νίκη Ἀθηνᾶ. Ὅτι δ' ἐτιμᾶτο παρ' Ἀθηναίοις, δεδήλωκεν Ηλιόδωρος ὁ Περιηγητὴς, τῇ πρώτῃ Περὶ ἀκροπόλεως. *Quod culta fuerit (Minerva Victoria) apud Athenienses, ostendit Heliodorus Periegeta, libro primo De Arce.* Et *in* Προπύλαια. Ηλιόδωρος δ' ἐν πρώτῃ περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, μεθ' ἕτερα καὶ ταῦτα φησί. *Heliodorus, in primo De Arce Atheniensi, post alia etiam ista dicit.* Athenæus *lib.* IX. Ηλιόδωρος δ' ὁ Περιηγητὴς, ἐν πρώτῳ Περὶ ἀκροπόλεως. τὸ τῶν πυρῶν, φησὶν, ἑψήσεως ἐκνοηθείσης, οἱ μὲν παλαιοὶ, πύανον· οἱ δὲ νῦν, ὀλόπυρον προσαγορεύουσιν. *Heliodorus vero Periegeta, libro primo De Arce; Tritici, inquit, coctura excogitata, veteres,* πύανον; *hodierni,* ὀλόπυρον *appellant.* Meminit quoque Anonymus, in *Descript. Olymp.* in anno IV. Olymp. LXXXV. Fuitque Opus universum in libros quindecim distributum. Athenæus, *lib.* VI. Ηλιόδωρος ὁ Ἀθηναῖος, ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως, (πεντεκαίδεκά ἐστι ταῦτα τὰ βιβλία.) Ναυκρατίτην εἶναι γένος. *Heliodorus Atheniensis, in libris De Arce, (sunt illi numero quindecim,) Naucrate oriundum dicit.*

CAP. II.

De eadem, Polemonis quoque Opus; aut potius, de donariis, quæ in illa. Eorumque descriptio, & multitudo. Statuæ pleræque a Nerone sublatæ.

NEC de ea Heliodorus tantum scripsit, sed & Polemon. Marcellinum testem habeo, in *Vita Thucydidis.* Καὶ Πολέμων δὲ, ἐν τῷ Περὶ ἀκροπόλεως, μαρτυρεῖ. *Et Polemon vero, in eo quod De Arce scripsit Opere, testatur.* Et Athenæum, *lib.* XI. Πολέμων δ', ἐν πρώτῃ Περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, οὐδετέρως ὠνόμασεν. *Polemon vero, libro primo De Arce Atheniensi, neutro genere extulit.* Iterum *postea.* Ἦν δὲ οὗτος τὸ γένος Βοιώτιος, ἐξ Ἐλευθερῶν, υἱὸς Μύρωνος τοῦ ἀνδριαντοποιοῦ· ὡς Πολέμων φησὶν, ἐν πρώτῳ ἀκροπόλεως. *Erat vero hic Bœotius genere, Eleutheris natus, Myronis statuarii filius; ut Polemon tradit, in primo De Arce.* Ac *lib.* XIII. Κεκώλυτο γὰρ τὰ τοιαῦτα τίθεσθαι ὀνόματα, οὐ μόνον ταῖς ἑταιρούσαις, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις δούλαις· ὥς φησι Πολέμων,

A λέμων, ἐν τοῖς Περὶ ἀκροπόλεως. *Vetitum enim erat, nomina ejusmodi imponere; non solum meretricibus, sed & aliis ancillis: ut Polemon auctor, in libris De Arce.* Harpocration, *in* Νεμέα χαράδρα. Ο δὲ Πολέμων, ἐν τοῖς Περὶ ἀκροπόλεως, παρατίθεται ψήφισμα, καθ᾽ ὃ ἀπείρητο Ἀθήνησιν, ὄνομα πενταετηρίδος τίθεσθαι δούλῃ, ἢ ἀπελευθέρᾳ, ἢ πόρνῃ, ἢ αὐλητρίδι. *Polemon vero, in libris De Arce, apponit decretum, quo Athenis interdictum, ne* Πενταετηρὶς *diceretur, quæ serva esset, aut liberta, aut meretrix, aut tibicina.* Erat autem non tam in genere, de ipsa Arce, quam in specie, de donariis, quæ in ea: distribueratque Auctor totum Opus in libros IV. B Animadverto apud Strabonem, *lib.* IX. Πολέμων ὁ Περιηγητὴς τέτταρα βιβλία συνέγραψε, Περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Polemon Periegeta scripsit libros quatuor, De donariis, quæ in Arce.* Ac descriptio olim horum facta publice, summum Athenis magistratum obeunte Alcibiade. Ecce tibi apud Pollucem, *lib.* X. *cap.* XXVIII. Καὶ σταθμία δὲ χαλκᾶ ἐν τῇ ἐπ᾽ Ἀλκιβιάδου ἄρχοντος ἀναγραφῇ τῶν ἐν ἀκροπόλει ἀναθημάτων ἀναγέγραπται. *Et vero staterae exiguæ æneæ in descriptione donariorum, quæ in arce, Alcibiade magistratu facta, recensentur.* Quanta autem multitudo eorum fuerit, Aristides nobis dicit, in *Panathenaica sua.* C Καὶ μέντοι κἀν τούτοις αὖ πάλιν ἡ πόλις τοσοῦτον ὅσον περ ἐν αὐταῖς ταῖς πράξεσι διενεγκοῦσα φανήσεται. καὶ τοῦτο μὲν γὰρ τὴν ἀκρόπολιν κατεκόσμησε τοῖς τῶν ἔργων ὑπομνήμασι, καὶ τῷ τῆς φύσεως κάλλει, τὸ παρὰ τοῦ πλούτου καὶ τῆς τέχνης ἐφάμιλλον προσέθηκεν. ὥστ᾽ εἶναι πᾶσαν ἀντ᾽ ἀναθήματος, μᾶλλον δ᾽ ἀντ᾽ ἀγάλματος. *Veruntamen in his quoque rursum hæc civitas, quantum in ipsis rebus gestis, eminere conspicietur; ideoque arcem exornavit rerum gestarum monumentis, in quibus cum nativa sua pulcritudine divitiæ & ars certare videantur: ita ut tota instar quoddam sit donarii, statuæve.* Ac quod statuas quidem attinet, bonam partem Nero sustulit. Dion Chrysostomus, *Orat.* XXXI. D Καὶ Νέρων, τοιαύτην ἐπιθυμίαν καὶ σπουδὴν περὶ τοῦτο ἔχων, ὥστε μηδὲ τῶν ἐξ Ὀλυμπίας (ἀνδριάντων) ἀποσχέσθαι, μηδὲ τῶν ἐκ Δελφῶν· καίτοι πάντων μάλιστα τιμήσας ταῦτα πάντα ἱερά· ἔτι δὲ τοὺς πλείστους τῶν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως Ἀθήνηθεν μετενεγκεῖν. *Et Nero, cujus ea circa hoc cupido studiumque fuit, ut neque ab illis, (statuis,) quæ Olympiæ, quanquam sacra ista omnia supra omnes honorasset, abstinuerit; insuper vero plurimas ex iis quoque, quæ in arce, Athenis transtulerit.*

CAP. III.

E *Arx vetus, alia a nova; quæ Athenæ veteres totæ: unde etiam* Πόλις *dicta.* Κεκροπία, *&* Γλαυκώπιον, *ante id tempus appellata.*

ET Arx quidem non semper eadem; aliaque vetus erat, alia nova. Plato, in *Critia.* Πρῶτον μὲν τὸ τῆς ἀκροπόλεως εἶχε τότε οὐχ ὡς τανῦν ἔχει. *Primum quidem aliter sese arx habebat, ac nunc habet.* Nempe non tam magna erat. Mox, cum auctæ in immensum Athenæ essent, ut illustrior ea esset, cæteræque Urbis tantæ magnitudini responderet, totæ veteres Athenæ ipsi adjectæ; ac potissimum ea pars, quæ versus Austrum. Hoc Thucydides nos docet, F *lib.* II. Τὸ δὲ πρὸ τούτου, ἡ ἀκρόπολις, ἡ νῦν οὖσα, πόλις ἦν· καὶ τὸ ὑπ᾽ αὐτὴν πρὸς νότον μάλιστα τετραμμένον. *Ante illud tempus autem, quæ nunc arx est, urbs erat; ac potissimum, quæ subjecta huic pars ad Austrum versa est.* Idem alii testantur. Pausanias, in *Atticis.* Τὸ δὲ ἁγιώτατον ἐν κοινῷ πολλοῖς πρότερον νομισθὲν ἔτεσι συνῆλθεν ἀπὸ τῶν δήμων, ἐστὶν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἐν τῇ νῦν ἀκροπόλει, τότε δὲ ὀνομαζομένῃ πόλει. *Sanctissimum vero omnium Minervæ simulacrum multis ante annis habitum, ære collato dedicatum est a populis, in ea quæ nunc Arx vocatur, sed tunc Urbs appellabatur.* Aristides, in *Panathenaica.* Τρίτη δὲ ἀκόλουθος τούτων ἀνέχει περιφανὴς ἄνω διὰ μέσης τῆς πόλεως, ἡ πάλαι μὲν πόλις, νῦν δὲ ἀκρόπολις, κορυφῇ παραπλησίως. *Tertia vero deinceps sicuti vertex eminet in media Urbe, olim quidem sic vocata, sed quæ nunc Arx nuncupatur.* Et hinc factum, ut Πόλις etiam, sive *Urbs*, diceretur. Thucydides, *libro citato.* Καλεῖται δὲ διὰ τὴν παλαιὰν ταύτῃ κατοίκησιν καὶ ἡ ἀκρόπολις μέχρι τοῦδε ἔτι ὑπὸ Ἀθηναίων πόλις. *Propter antiquam vero habitationem etiam ad hoc usque tempus Arcem Athenienses Urbem vocant.* Etimologici Auctor, *in* Διϊπόλια. Πόλιν τὴν ἀκρόπολιν ἔλεγον. *Urbis nomine Arcem dicebant.* Stephanus, *in* Ἀθῆναι. Πρῶτοι γὰρ Ἀθηναῖοι τὰ ἄστη, καὶ τὰς πόλεις, εὑρεῖν ἱστοροῦνται. ὅθεν καὶ τὴν ἀκρόπολιν αὐτῶν πόλιν ἐκάλουν κυρίῳ ὀνόματι. *Primi enim Athenienses oppida, & urbes, invenisse memorantur; unde & arcem suam proprio nomine Urbem vocabant.* Nec aliter appellat Thucydides, *lib.* V. Τὰς δὲ ξυνθήκας, τὰς περὶ τῶν σπονδῶν, καὶ τῶν ὅρκων, καὶ τῆς ξυμμαχίας, ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ· Ἀθηναίους μὲν, ἐν πόλει· Ἀργείους δὲ, ἐν ἀγορᾷ. *Pacta vero fœderis, jurisjurandi, & societatis, in lapideo cippo inscribebant; Athenienses quidem, in arce: Argivi autem, in foro.* Et Æschines, Orat. *in Timarchum.* Οἰκίαν μὲν γὰρ ὄπισθεν τῆς πόλεως· ἐσχατιὰν δὲ, Σφηττοῖ. Ἀλωπεκῆσι δὲ, ἕτερον χωρίον. *Domum quidem, retro Arcem; & procul urbe fundum, Sphetti: apud Alopecenses vero, prædium alterum.* Et erat sane urbs reipsa, a Cecrope condita, a quo Κεκροπία etiam nuncupata. Plinius, *lib.* VII. *cap.* LVI. *Oppidum Cecrops a se appellavit Cecropiam, quæ nunc est arx Athenis.* Eustathius, in *Dionysium.* Τὴν δὲ τῶν Ἀθηναίων ἀκρόπολιν, Κεκροπίαν ποτὲ κληθῆναι φασὶν, πόλιν οὖσαν, μίαν τῶν ὑπὸ Κέκροπος ἐκτισμένων. *Atheniensium vero arcem, olim Cecropiam appellatam fuisse dicunt; cum urbs esset, una earum, quæ a Cecrope conditæ.* Scholiastes Apollonii, *lib.* I. Ἡ ἀκρόπολις τῆς Ἀττικῆς, Κεκροπία ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον. *Arx Atticæ, prius Cecropia dicebatur.* Postea Γλαυκώπιον quoque appellata; a Minerva, ejus præside; quæ Γλαυκῶπις dicebatur. Eustathius, ad *Odiss.* β΄. Ὅτι δὲ ἀπὸ τοῦ γλαυκῶπις, Γλαυκώπιον ἡ Ἀττικὴ ἐλέχθη ἀκρόπολις, καὶ ἁπλῶς, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί. *Quod vero a* γλαυκῶπις *verbo, arx Attica* Γλαυκώπιον *dicta sit, idque simpliciter, Veteres testantur.*

CAP. IV.

Ubi sita, & quomodo. Primitus palis spinosis cincta, & extrinsecus oleastris.

SITA autem in media Urbe. Accipio ex Aphthonio, in *arcis Alexandrinæ descriptione.* Καὶ τὴν μὲν Ἀθηναίων ἀκρόπολιν μέσος Ἀθηνῶν περιείληφε χῶρος. *Et Atheniensium quidem arcem medius Athenarum locus amplexus est.* Scholiastes Aristidis, ad *Orat. pro Quatuor-Viris.* Ἡ ἀκρόπολις (τῶν Ἀθηνῶν) κεῖται μέση τῆς πόλεως. *Arx (Athenarum) in medio Urbis sita est.* Aristides ipse, in *Panathenaica.* Τρίτη δὲ ἀκόλουθος τούτων ἀνέχει, περιφανὴς ἄνω διὰ μέσης τῆς πόλεως, ἡ πάλαι μὲν πόλις, νῦν δὲ ἀκρόπολις, κορυφῇ παραπλησίως. οὐχ ὡς ὕστατον εἶναι τῆς πόλεως, ἀλλ᾽ ὡς περὶ αὐτὴν πᾶν τὸ λοιπὸν σῶμα τῆς πόλεως ἄκρου καὶ μέσου ταυτοῦ συμπεπτωκότος, τὸ διὰ πάντων τοῦτο κάλλος, καὶ ὁ τελευταῖος ὅρος τῆς περὶ γῆν εὐκαιρίας. ὡς γὰρ ἐπ᾽ ἀσπίδος κύκλων εἰς ἀλλήλους ἐμβεβηκότων, πέμπτος εἰς ὀμφαλὸν πληροῖ διὰ πάντων ὁ κάλλιστος· εἴπερ ἡ μὲν Ἑλλὰς, ἐν μέσῳ τῆς πάσης γῆς· ἡ δὲ Ἀττικὴ, τῆς Ἑλλάδος· τῆς δὲ χώρας, ἡ πόλις· τῆς δ᾽ αὖ πόλεως, ἡ ὁμώνυμος. *Tertia vero deinceps, verticis instar, e medio*

oppido eminet ea, quæ Urbs olim, nunc Arx dicitur. non quod ea sit ultima urbis pars, sed quod circa ipsam reliquum sit urbis corpus circumfusum; medio eodem, ac summo, concurente: in quo jam universum consistit ornamentum, & summa regionis oportunitas. Sicut enim in orbibus clypei, in se invicem incurrentibus, quintus umbilicum implet, qui est omnium pulcerrimus; sic & Græcia est in medio totius terræ, Atticamque in medio sui complectitur; in qua deinde media sita Urbs, & in medio rursum hujus, quæ eodem cum ipsa nomine nuncupatur, Arx. Et quidem in rupe prærupta, & inaccessa. Herodotus, *lib.* VIII. Ἔμπροσθεν ὦν πρὸ τῆς ἀκροπόλιος, ὄπισθεν δὲ τῶν πυλέων. καὶ τῆς ἀνόδου, τῇ δὴ οὔτε τις ἐφύλασσε, οὔτ᾽ ἂν ἤλπισε μήποτέ τις κατὰ ταῦτα ἀναβαίη ἀνθρώπων, ταύτῃ ἀνέβησάν τινες, κατὰ τὸ ἱρὸν τῆς Κέκροπος θυγατρὸς Ἀγλαύρου, καί τοιπερ ἀποκρήμνου ἐόντος τοῦ χώρου. *Igitur a fronte arcis, a tergo autem portarum, & ascensus, qua parte nemo excubabat, quaque nemo credebat quempiam hominum adscensurum, hac parte, etsi loco prærupto, quidam conscenderunt, juxta templum Aglauri, Cecropis filiæ.* Nicetas Choniates, in *Balduino Flandro*; ubi de Scuro, arcem istam obsidente. Καὶ γνοὺς, ὡς εἰκῇ ταῖς τῆς ἀκροπόλεως ῥαχίαις διισχυρίττεται, τὸν θυμὸν ἐκκεντίζει κατὰ τῆς πόλεως. *Ac gnarus, frustra se contra arcis prærupta nisurum, animum contra urbem concitat.* Pausanias, in *Atticis*. Ἐς δὲ τὴν ἀκρόπολιν, ἔστιν ἔσοδος μία. ἑτέραν δὲ οὐ παρέχεται, πᾶσα ἀπότομος οὖσα. *In arcem vero, introitus unus est; alium non præbet, cum prærupta tota existat.* Atque initio palis spinosis septa erat. Syrianus, in *Hermogenem*. Ξέρξου ἐπιόντος, ἔχρησεν ὁ θεὸς,

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρυόπα Ζεύς.

καὶ οἱ μὲν, συμβουλεύουσιν ἔχεσθαι τῆς ἀκροπόλεως, ῥάχοις γὰρ ἐπέφρακτο. οἱ δὲ, ἐμβαίνειν εἰς τὰς ναῦς. *Xerxe adveniente, effatus est Deus;*

Murum Tritoniæ ligneum dat late sonans Jupiter. Et hi quidem, suadent arcem occupare, quæ palis spinosis septa; illi vero, naves conscendere. Vel oleastris, ut alii tradunt. Sopater alibi, ad *eundem Hermogenem*. Τοῦ θεοῦ χρήσαντος,

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρυόπα Ζεύς.

οἱ μὲν, εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀξιοῦσι καταφεύγειν, κοτίνοις τότε πυκνοῖς καταπεφραγμένην. οἱ δὲ, πρὸς τὰς τριήρεις κελεύουσι κατασκευάζεσθαι. *Cum oraculo dixisset deus,*

Murum Tritoniæ ligneum dat late sonans Jupiter; hi quidem, in arcem confugere cupiunt; isti vero, triremes apparari jubent. Nempe septum istud extrinsecus oleastris circumdatum erat; atque ita conciliandum hoc dissidium esse puto. Atque hoc ipsum est, quod idem Sopater *alio quodam loco* ait, in eo Opere, cui titulum ipse fecit, Διαιρέσει ζητημάτων. Φράξαι ξυλίνῳ τείχει τὴν ἀκρόπολιν, καὶ γὰρ πρὸ τοῦ ξυλίνῳ τείχει ἐπέφρακτο. *Munire ligneo muro arcem; etenim ante istud tempus muro ligneo septa erat.*

CAP. V.

Postea muro circundata fuit; a Cimone, & Pelasgis: quibus ideo sub Hymetto habitare datum fuit. Hesychii locus explicatus. Tyrrheni prius Pelasgi dicti. Πελασγικὸν τεῖχος. *Habitare illic nefas. Libanii locus illustratus. Item metere, ac fodere; eamque in rem pœna posita, cujus irrogandæ cura penes Nomothetas erat. Novem portas habuit. Cur* Πελαργικὸν *Aristophanes appellaverit.*

INDE murum circum duxere, partim Cimon; partim Agrolas, & Hyperbius, Pelasgi. Pausanias, in *Att.* Τῇ δὲ ἀκροπόλει, πλὴν ὅσον Κίμων ᾠκοδόμησεν αὐτῆς ὁ Μιλτιάδου, περιβαλεῖν τὸ λοιπὸν λέγεται τοῦ τείχους Πελασγοὺς, οἰκήσαντας ποτε ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν. φασὶ γὰρ Ἀγρόλαν, καὶ Ὑπέρβιον. *Arcem ipsam, præter eam partem, quam Cimon Miltiadis filius exstruxit, muris cinxisse Pelasgos homines tradunt, qui olim sub arce habitarunt, Agrolam, & Hyperbium.* Et Pelasgis hac de causa sub Hymetto habitare concessum fuit. Herodotus, *lib.* VI. *c.* CXXXVII. Ἐπεὶ τε γὰρ ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους τὴν χώρην σφίσι αὐτοῖσι (τοῖς Πελασγοῖς) ὑπὸ τὸν Ὑμηττὸν ἐοῦσαν, ἔδοσαν οἰκῆσαι, μισθὸν τοῦ τείχεος, τοῦ περὶ τὴν ἀκρόπολίν κοτε ἐληλαμένου. ταύτην ὡς ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους ἐξεργασμένην εὖ, τὴν πρότερον εἶναι κακήν τε, καὶ μηδενὸς ἀξίην, λαβεῖν φθόνον τε καὶ ἵμερον τῆς γῆς, καὶ οὕτω ἐξελαύνειν αὐτοὺς. *Athenienses enim, cum viderent regionem, quæ erat sub Hymetto, quam illis (Pelasgis) habitandam dederant, mercedem muri circa arcem ducti, bene excultam, quæ prius mala fuisset, & nullius adeo pretii, invidia captos fuisse, ac cupiditate terræ potiundæ: & ita illinc exegisse illos.* Ac murus quidem, a Cimone exstructus, Australis fuit; idque e manubiis belli contra Persas, ab eo confecti. Plutarchus, in *ejus Vita*. Πραθέντων δὲ τῶν αἰχμαλώτων λαφύρων, εἴς τε τὰ ἄλλα χρήμασιν ὁ δῆμος ἐρρώσθη, καὶ τῇ ἀκροπόλει τὸ νότιον τεῖχος κατεσκεύασεν, ἀπ᾽ ἐκείνης εὐπορήσας τῆς στρατείας. *Præda subhastata, cum ad alios usus valuit pecunia populus, tum de illius belli manubiis Australem arcis murum exstruxit.* Æmylius Probus, itidem in *Vita ejusdem*, c. II. *His a manubiis Athenarum arx, qua ad meridiem vergit, est ornata.* Quem vero a Pelasgis murum structum Pausanias dicit, eum Tyrrhenis adscribit *Hesychius*. Πελασγικὸν, τειχίον, οὕτω ἐν Ἀθήναις καλούμενον, Τυρρηνῶν κτισάντων. *Pelasgicus murus, ita Athenis appellatus, cum Tyrrheni exstruxissent.* Et huc Thucydidis ista pertinent, *lib.* IV. Τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε, καὶ Ἀθήνας, Τυρρηνῶν οἰκησάντων. *Sed maxima pars est Pelasgica, eorum Tyrrhenorum, qui Lemnum olim, & Athenas, habitarunt.* Sed solvo nodum; Tyrrheni enim prius Pelasgi nuncupati. Dionysius Halicarnasseus, *Antiquit. Rom.* lib. I. Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυρρηνοὺς φησὶ, Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι προσηγορίαν. *Hellanicus vero Lesbius ait, Tyrrhenos, prius Pelasgos dictos, postquam Italiam inhabitarunt, eo nomine, quod nunc habent, appellatos.* Et passim Πελασγικὸν τεῖχος, *Pelasgicus murus*, nuncupatur. Herodotus, *lib.* V. *c.* LXIIII. Κλεομένης δὲ, ἀπικόμενος ἐς τὸ ἄστυ, ἅμα Ἀθηναίων τοῖσι βουλομένοισι εἶναι ἐλευθέροισι, ἐπολιόρκησε τοὺς τυράννους, ἀπεργμένους ἐν τῷ Πελασγικῷ τείχεϊ. *Cleomenes vero, postquam ad Urbem accessisset, una cum iis Atheniensibus, qui liberi esse cupiebant, tyrannos, in muro Pelasgico seclusos, obsedit.* Philostratus, in *Herode, Sophist.* lib. II. Ἐκ Κεραμεικοῦ δὲ ἄρασαν χιλίᾳ κώπῃ, ἀφεῖναι ἐπὶ τὸ Ἐλευσίνιον· καὶ περιβαλοῦσαν αὐτὸ, παραμεῖψαι τὸ Πελασγικόν. *Ex Ceramico vero cum solvisset mille remis, ad Eleusinium pervenisse; illudque circumvectam, Pelasgicum murum præteriisse.* Lucianus, in *Bis accusato*. Καὶ τὸ ἀπ᾽ ἐκείνου, τὴν ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει ταύτην σπήλυγγα ἀπολαβόμενος, οἰκεῖ μικρὸν ὑπὸ τοῦ Πελασγικοῦ. *Et ex eo, spelunca hac sub arce accepta, habitat paulum infra Pelasgicum murum.* Nefas vero habitare illic quenquam; quique faceret, diris hic devotus erat. Thucydides, *lib.* II. Τό, τε Πελασγικὸν καλούμενον, τὸ ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν· ὃ καὶ ἐπάρατόν τε ἦν μὴ οἰκεῖν, καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόνδε διεκώλυε, λέγον ὡς,

—— τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον.

A *Et, qui Pelasgicus murus appellatur, qui sub arce; qui & diris devotus, ne quis habitaret: quin etiam quidam oraculi Pythici extremus versus probibebat, ita dicens;*

—— *Pelasgicus murus non habitatus melior est.*

Hinc est illud Libanii, in *Presbeutico*. Ἐξάγιστος ἡ πόλις, ὡς ὁ Κιῤῥαίων λιμὴν· ἐπάρατος, ὡς τὸ Πελασγικὸν ἐκεῖνο. *Scelerata urbs, uti Cirrhæorum portus; & devota etiam diris, ut Pelasgicus ille murus.* Ideo factum, quia insidiæ eo loco Atheniensibus a Pelasgis structæ essent. Scholiastes Thucydidis, ad *citata statim verba*. Οἱ δὲ Πελασγοὶ αὐτὸ οἰκήσαντες, B ἐπεβούλευσαν τοῖς Ἀθηναίοις· οὓς διώξαντες πάλιν οἱ Ἀθηναῖοι, κατηράσαντο τὸν τόπον μὴ οἰκισθῆναι. *Pelasgi vero, cum in ea habitarent, Atheniensibus insidias struxere; quos cum rursum Athenienses expulissent, diris locum devovere, ne quis illic habitaret.* Præterea, ut non habitare ibi licitum, ita nec metere, aut fodere; quique isthic deliquisset, drachmis tribus mulctabatur: eaque cura ad Nomothetas pertinebat, qui Archonti delinquentem tradebant. Julius Pollux, *l.* VIII. *c.* IX. *sect.* XIX. Οὗτοι (οἱ νομοθέται) παρεφύλαττον, μή τις ἐντὸς τοῦ Πελασγικοῦ κείροι, ἢ καὶ πλέον ἐξορύττοι· καὶ τῷ ἄρχοντι δὲ παρεδίδοσαν. τὸ δὲ τίμημα ἦν τρεῖς δραχμαί. *Hi (Nomothetæ) observabant, ne quis intra murum Pelasgicum* C *meteret, aut nimium foderet; & Archonti tradebant: mulcta autem constituta drachmæ tres.* Habebat autem portas novem; unde Ἐννεάπυλον dicitur a *Clidemo*. Καὶ ἠπέδιζον τὴν ἀκρόπολιν, περιέβαλλον δὲ ἐννεάπυλλον τὸ Πελασγικόν. *Et arcem æquarunt, & Pelasgico muro, novem portas habente, circumdederunt.* Aristophanes, *Avibus v.* 836. Πελαργικὸν appellat, quasi *Ciconiarium* dicas.

Τίς δ' ἂν καθέξει τῆς πόλεως τὸ πελαργικόν;
Quis vero habebit murum Urbis ciconiarium?

Ubi *Scholiastes*. Ὅτι Ἀθήνησι τὸ πελαργικὸν τεῖχος ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Quia Athenis ciconiarius murus in* D *arce*. Causam observo; quia Tyrrheni, quos Pelasgos prius dictos paullo ante memoravi, πελαργοί, id est, *Ciconiæ* nominati. Dionysius Halicarnasseus, *Antiquit. Rom. l.* I. Μυρσίλος, τἄμπαλιν ἀποφαινόμενος Ἑλλανίκῳ, τοὺς Τυῤῥηνούς φησιν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον, ἐν τῇ πλάνῃ μετονομασθῆναι πελαργούς, τῶν ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντας, ὡς κατ' ἀγέλας ἐφοίτων εἴς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον· καὶ τοῖς Ἀθηναίοις τὸ τεῖχος τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν, τὸ Πελασγικὸν καλούμενον, τούτους περιβαλεῖν. *Myrsilus, contraria Hellanico ostendens, Tyrrhenos ait, postquam patriam reliquissent, dum oberrant, Ciconias dictos; quia, instar avium, quæ ciconiæ appel-* E *lantur, agminatim per regiones, Græcas pariter atque barbaras, vagarentur: quin & murum Atheniensibus circum arcem, qui Pelasgicus appellatus, exstruxisse.* Strabo, *lib.* V. Καὶ οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες, ἱστοροῦσι περὶ τῶν Πελασγῶν, ὡς καὶ Ἀθήνησι γενομένων τῶν Πελασγῶν· διὰ δὲ τὸ πλάνητας εἶναι, καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους, πελαργοὺς ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν κληθῆναι. *Et Historiæ Atticæ scriptores, de Pelasgis narrant, eos Athenis fuisse; &, quia errabundi, avium instar, ad quæcunque loca adirent, ciconias ab Atticis appellatos fuisse.* Et re- F spexit sine dubio huc *Hesychius* cum inquit. Πελαργικόν, ἀντὶ τοῦ Πελασγικόν. πελαργοὺς γάρ φασι τὴν Ἀττικὴν οἰκῆσαι, ἀπὸ τῶν Πελασγῶν μεταφέροντες ἐπὶ τὰ πτηνά. Πελαργικόν, *Pelargos enim, id est, ciconias, Atticam habitasse ferunt, a Pelasgis facta ad aves translatione.* Nempe explicare voluit istum Aristophanis locum, quem ex *Avibus* citavi.

CAP. VI.

Unus tantum ad eam aditus, idque per vestibula, magnifico opere exstructa a Pericle, architecto Mnesicle, quinque annorum spatio; sub Archonte Euthymene inchoata, & sub Pythodoro perfecta. Quantus in ea sumptus factus; & quot portas item habuerit: quarum claves penes Archontas asservatæ. Supra tectum, statuæ quædam equestres; Xenophontis filiorum, ut quibusdam existimatum.

Ad hanc una tantum via aditus erat. Pausanias, in *Atticis*. Ἐς δὲ τὴν ἀκρόπολιν, ἐστιν ἔσοδος μία. ἑτέραν δὲ οὐ παρέχεται, πᾶσα ἀπότομος οὖσα. *Ad arcem vero, unicus tantum est aditus; neque vero alium habet, cum prærupta tota existat.* Idque per vestibula, magnifice exstructa, & lapide albo tecta: Pausanias *ibidem*. Τὰ δὲ προπύλαια, λίθου λευκοῦ τὴν ὀροφὴν ἔχει. καὶ μεγέθει τῶν λίθων, μέχρι γε καὶ ἐμοῦ προεῖχε. *Vestibula vero, e lapide albo tectum habent; & ornatu, lapidumque magnitudine, etiam nostro ævo præstant.* Multa eorum apud Oratores mentio. Exstruxit autem illa Pericles annis quinque, opera Mnesiclis architecti. Plutarchus auctor, in *ejus Vita*. Τὰ δὲ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐξειργάσθη μὲν ἐν πενταετίᾳ, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος. *Arcis vero vestibula quinquennio exstructa, Mnesicle architecto.* Inchoata autem Archonte Euthymene, Olymp. LXXXV. anno IV. Anonymus, in *Descript. Olym.* diserte notat ad istum annum. Τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως οἰκοδομεῖν ἤρξαντο Ἀθηναῖοι, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος. *Vestibula arcis exstruere cœpere Athenienses, architecto Mnesicle.* Absoluta vero quinto post anno, sub Archonte Pythodoro; & impensa in ea facta bis mille, ac duodecim, talentorum. Anonymus *ibidem*. Ἐν ἔτεσι μὲν πέντε παντελῶς ἐξεποιήθη, τάλαντα δὲ ἀνηλώθη δισχίλια δώδεκα. *Annis quidem quinque omnino exstructa sunt, & impensa talenta bis mille duodecim:* Ac habebant portas quinque. Idem *Anonymus* addit. Πέντε δὲ πύλας ἐποίησαν, δι' ὧν εἰς τὴν ἀκρόπολιν εἰσίασιν. *Fecere vero portas quinque, per quas in arcem introirent.* Hæc omnia etiam Harpocration nobis tradit, *in* Προπύλαια. Περὶ δὲ τῶν προπυλαίων τῆς ἀκροπόλεως, ὡς ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος οἰκοδομεῖν ἤρξαντο Ἀθηναῖοι, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος, ἄλλοι τε ἱστορήκασι, καὶ Φιλόχορος, ἐν τῇ τετάρτῃ. Ἡλιόδωρος δ', ἐν πρώτῳ περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, μεθ' ἕτερα καὶ ταῦτα φησίν. Ἐν ἔτεσι μὲν πέντε παντελῶς ἐξεποιήθη, τάλαντα δὲ ἀνηλώθη δισχίλια δώδεκα. πέντε δὲ πύλας ἐποίησαν, δι' ὧν εἰς τὴν ἀκρόπολιν εἰσίασιν. *De arcis autem vestibulis, quo modo Archonte Euthymene ædificare ea cœperint Athenienses, architecto Mnesicle, cum alii in scripta retulere, tum Philochorus, libro quarto. Heliodorus vero, libro primo De arce, quæ Athenis, inter cætera ita ait. Annis quinque absoluta, & impensa talenta bis mille duodecim: portas vero, per quas arcem ingrederentur, quinque fecerunt.* De ædificationis tempore quinquennali, impensaque, & quinque portis, eadem Suidas, *in* Προπύλαια, Heliodori verbis refert. Ac portarum istarum claves Archontes singuli, singulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare unquam possent, asservabant; quoque eas die habebant, Ἐπιστάται dicebantur. Scholiastes Demosthenis, in *Argumento Orationis* in Androtionem. Ἕκαστος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο ἐπιστάτης. διὰ τί δὲ μόνην μίαν ἡμέραν ἦρχε; ἐπειδὴ αὐτὸς τὰς κλεῖς τῆς ἀκροπόλεως ἐπιστεύετο, καὶ πάντα τὰ χρήματα τῆς πόλεως. ἵν' οὖν μὴ ἐρασθῇ τυραννίδος, διὰ τοῦτο μίαν ἡμέραν ἐποίουν αὐτὸν ἄρξαι. *Unusquisque Archon uno die Epistates dicebatur. sed cur unum tantum diem magi-*

stratum hunc gerebat? siquidem ipsi claves arcis creditæ erant, & pecuniæ urbis omnes, ne tyrannidem affectaret, ideo uno tantum die magistratum permittebant. Quod ad tectum porro attinet, quod fuisse ex albo lapide statim dixi, addit *Pausanias*, supra illud statuas stetisse equestres; quas Xenophontis filiorum quidam rati, alii ornatus tantum causa positas esse existimabant. Verba ejus ecce ista. Τὰ δὲ προπύλαια, λίθου λευκοῦ τὴν ὀροφὴν ἔχει· καὶ κόσμῳ, καὶ μεγέθει τῶν λίθων, μέχρι γε καὶ ἐμοῦ προεῖχε. τὰς μὲν οὖν εἰκόνας τῶν ἱππέων οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἴτε οἱ παῖδές εἰσιν οἱ Ξενοφῶντος, εἴτε ἄλλως εἰς εὐπρέπειαν πεποιημέναι. *Vestibula vero, e lapide albo tectum habent; & ornatu, lapidumque magnitudine, etiam nostra ætate præstant. Equestres statuæ quorum sint, non facile dixerim; sintne eæ Xenophontis filiorum, an duntaxat ad decorem loci positæ.*

CAP. VII.

In muro, Mercurii Propylæi simulacrum spectabatur; & Gratiarum item alia, a Socrate facta.

HACTENUS foris Arcem aspeximus; nunc intremus, &, quæ digna illic visu, perlustremus: ac Pausaniam præeuntem, quando ille in describendo operam accuratam posuit, subsequamur. In ipso introitu, in pariete, simulacrum Mercurii Propylæi erat; item alia Gratiarum, quæ a Socrate facta esse ferebantur. Pausanias, in *Atticis*. Κατὰ δὲ τὴν ἔσοδον αὐτὴν ἤδη τὴν ἐς ἀκρόπολιν, Ἑρμῆν, ὃν Προπύλαιον ὀνομάζουσι, καὶ Χάριτας, Σωκράτην ποιῆσαι τὸν Σωφρονίσκου λέγουσιν· ᾧ σοφῷ γενέσθαι μάλιστα ἀνθρώπων ἐστὶν ἡ Πυθία μάρτυς. *In ipso autem introitu arcis, Mercurium, quem Propylæum vocant, Gratiasque, Socratem fecisse ferunt, Sophronisci filium; quem inter homines maxime sapientem fuisse, Pythia testis.* At Gratiarum meminit iterum, in *Bœoticis*. Σωκράτης τε, ὁ Σωφρονίσκου, πρὸ τῆς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐσόδου Χαρίτων εἰργάσατο ἀγάλματα Ἀθηναίοις. *Et Socrates, Sophronisci filius, ante introitum in arcem Gratiarum simulacra Atheniensibus fecit.* Et commemorat, sed omisso auctoris nomine, *paullo ante*. Καὶ Ἀθήνησι, πρὸ τῆς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐσόδου, Χάριτές εἰσι καὶ αὗται τρεῖς. *Et Athenis, ante introitum in arcem, Gratiæ sunt, eæque tres numero.* Plinius, *lib.* XXXVI. *cap.* V. *Non postferuntur & Charites in propylæo Atheniensium, quas Socrates fecit.* Alium locum, & quidem retro Minervæ, adscribit illis Aristophanis Scholiastes, *ad Nubes*. Νὴ τὰς Χάριτας. Οὐχ ἁπλῶς ὄμνυσι κατὰ τῶν Χαρίτων· ὄπισθεν γὰρ τῆς Ἀθηνᾶς γλυφεῖσαι ἦσαν αἱ Χάριτες ἐν τῷ τοίχῳ, ἃς ἐλέγετο ὁ Σωκράτης γλύψαι. τὸ γὰρ πρῶτον λιθογλύφος ἦν τὴν τέχνην. *Per Gratias. Non simpliciter jurat per Gratias; siquidem retro Minervæ simulacra Gratiarum visebantur in pariete, quas sculpsisse Socrates dicebatur: nam is primitus statuariam factitabat.* Diogenes Laertius, in *Vita Socratis*, lib. II. c. XIX. Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαί (φησιν) αὐτὸν, καὶ ἐργάσασθαι λίθους. εἶναί τε αὐτοῦ καὶ τὰς ἐν τῇ ἀκροπόλει Χάριτας ἔνιοί φασιν, ἐνδεδυμένας οὔσας. *Duris vero & serviisse ipsum inquit, & lapides sculpsisse. quin & Gratias in arce, veste amictas, illius esse quidam dicunt.* Ubi istud item observa; cum nudæ alias fingerentur, Socratem amictas eas posuisse.

CAP. VIII.

Inde, a dextra, Victoriæ sine alis templum; ad sinistram, cella erat, in qua variæ picturæ.

INDE porro ingredientibus, ad dextram, Victoriæ alis carentis templum erat. Pausanias, in *Atticis*. Τῶν δὲ προπυλαίων ἐν δεξιᾷ Νίκης ἐστὶν ἀπτέρου ναός. *A vestibulis, ad dextram manum, Victoriæ fanum est alis carentis.* Ita autem cognominata Minerva fuit; & in templo erat item simulacrum ejus deæ, sine alis ullis factum: manu dextra, malum Punicum: sinistra vero, galeam tenens. *Harpocration*. Νίκης Ἀθηνᾶς ξόανον ἄπτερον, ἔχον ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ ῥοιὰν, ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κράνος, ἐτιμᾶτο. ὅτι δὲ ἐτιμᾶτο παρ' Ἀθηναίοις, δεδήλωκεν Ἡλιόδωρος ὁ Περιηγητὴς, ἐν τῇ πρώτῃ Περὶ ἀκροπόλεως. *Victoriæ Minervæ simulacrum, alis carens, & in dextra malum Punicum, in sinistra galeam tenens, colebatur, idque apud Athenienses: cujus rei clarus testis Heliodorus Periegeta, libro primo De Arce.* Quæ totidem verbis habet *Suidas*. Ulpianus *in Timocratem*. Τινὲς δὲ ἐξηγοῦνται, Νίκης Ἀθηνᾶς εἶναι ἄγαλμα ἐν τῇ ἀκροπόλει. ταύτης δὲ πτέρυγας, χρυσᾶς οὔσας, ἐπεχείρησάν τινες κακοῦργοι ἀφελέσθαι. *Quidam vero exponunt, Victoriæ Minervæ simulacrum esse in arce; & alas hujus, quæ aureæ erant, maleficos quosdam eripuisse.* Ad sinistram, cella erat; quam picturæ variæ ornabant: inter quas Diomedes erat, & Ulysses: ille, e Lemno Philoctetis sagittas referens; hic, Palladium Ilio abducens: Orestes quoque, qui Ægisthum; & Pylades, qui Nauplii filios, opem Ægistho ferentes, interficeret: Polyxena item, ad Achillis tumulum mactanda: denique Ulysses iterum, Nausicaæ astans, & lavantibus cum ea puellis. Atque hæc omnia picta a Polygnoto erant. Pausanias, in *Atticis*. Ἔστι δὲ ἐν ἀριστερᾷ τῶν προπυλαίων οἴκημα, ἔχον γραφάς· ὁπόσαις δὲ μὴ καθέστηκεν, ὁ χρόνος αἴτιος ἀφανέσιν εἶναι. Διομήδης ἦν, καὶ Ὀδυσσεύς· ὁ μὲν, ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον· ὁ δὲ, τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου· ἐνταῦθα ἐν ταῖς γραφαῖς ἐστιν Ὀρέστης, Αἴγισθον φονεύων· καὶ Πυλάδης, τοὺς παῖδας τοῦ Ναυπλίου, βοηθοὺς ἐλθόντας Αἰγίσθῳ. τοῦ δὲ Ἀχιλλέως τάφου πλησίον μέλλουσά ἐστι σφάζεσθαι Πολυξένη· ἃ δὴ καὶ Πολύγνωτος ἔγραψε. ἔγραψε δὲ καὶ πρὸς τῷ ποταμῷ ταῖς ὁμοῦ Ναυσικάᾳ πλυνούσαις ἐφιστάμενον Ὀδυσσέα. *Ad vestibulorum lævam, cella quædam est, picturas habens; e quibus quæ non satis constant, eæ tempore obscuratæ. Erat Diomedes, & Ulysses; ille, e Lemno Philoctetæ sagittas ferens; iste, Palladium Ilio abducens. Orestes quoque hic inter picturas, Ægisthum occidens; & Pylades, Nauplii filios, qui Ægistho ad suppetias veniebant. tum Polyxena, ad Achillis tumulum mactanda. Quæ sane Polygnotus pinxit; uti etiam Ulyssem, Nausicaæ astantem, & puellis, quæ cum ea se lavabant.* Ad hæc Alcibiades erat, equis apud Nemeam victor; item Perseus, Polydecti in Seriphum Medusæ caput apportans. Pausanias, *loc. cit.* Γραφαὶ δέ εἰσι καὶ ἄλλαι· καὶ Ἀλκιβιάδης. ἵππων δὲ οἱ νίκης τῆς ἐν Νεμέᾳ ἐστὶ σημεῖα ἐν τῇ γραφῇ. καὶ Περσεύς ἐστιν, ἐς Σέριφον κομιζόμενος, Πολυδέκτῃ φέρων τὴν κεφαλὴν τὴν Μεδούσης. *Sunt vero & aliæ picturæ; in his Alcibiades, cum equestris ad Nemeam Victoriæ monumentis: Perseus quoque, in Seriphum ad Polydecten caput Medusæ adferens.* Præterea puer, hydrias gestans; & luctator, a Timæneto factus: ac Musæus. Pausanias, *ibid.* Ἐπὶ δὲ τῶν γραφῶν παρέντι τὸν παῖδα, τὸν τὰς ὑδρίας φέροντα, καὶ τὸν παλαιστὴν, ὃν Τιμαίνετος ἔγραψεν, ἐστὶ Μουσαῖος. *In his picturis, præter puerum, hydrias gestantem, & luctatorem; quem Timænetus pinxit, est Musæus.*

CAP. IX.

Statua leænæ, in honorem Leænæ meretricis; quæ conscios conjurationis, contra Pisistratidas initæ, tacuisset.

TUM leænæ sese statua offerebat, in Leænæ meretricis honorem posita, quia conscios con-

jurationis Hippiæ tyranno prodere noluisset. Pausanias, *loc. cit.* Διὰ τὸν Ἱππάρχου θάνατον Ἱππίας ἄλλα τε ἐχρήσατο θυμῷ, καὶ ἐς γυναῖκα, ὄνομα Λέαιναν. ταύτην γὰρ, ἐπεί τε ἀπέθανεν Ἵππαρχος, Ἱππίας εἶχεν ἐν αἰκίαις, ἐς ὃ διέφθειρεν· οἷα ἑταίραν Ἀριστογείτονος ἐπιστάμενος, καὶ τὸ βούλευμα οὐδαμῶς ἀγνοῆσαι δοξάζων. ἀντὶ δὲ τούτων, ἐπεὶ τυραννίδος ἐπαύθησαν οἱ Πεισιστρατίδαι, χαλκῆ λέαινα Ἀθηναίοις ἐστὶν ἐς μνήμην τῆς γυναικός. *Ob Hipparchi cædem cum alia Hippias, animo morem gerens, fecit: tum mulierem, cui Leæna nomen erat, tam diu in tormentis habuit, quoad animam efflaret: quod nimirum, quia cum illa consuevisse Aristogitonem sciret, consilii omnino non ignaram existimaret. cujus rei causa Athenienses, a tyrannide Pisistratidarum liberati, leænam ex ære, in memoriam mulieris, statuerunt.* Plutarchus in ipsa Arcis porta fuisse tradit, libro *De Garrulitate.* Καλὸν δὲ καὶ Λέαινα τῆς ἐγκρατείας ἔχει γέρας. ἑταίρα τῶν περὶ Ἁρμόδιον ἦν, καὶ Ἀριστογείτονα, καὶ τῆς ἐπὶ τοὺς τυράννους συνωμοσίας ἐκοινώνει ταῖς ἐλπίσιν, ὡς γυνή. καὶ γὰρ αὐτὴ περὶ τὸν καλὸν ἐκεῖνον ἐβακχεύσε κρατῆρα τοῦ ἔρωτος, καὶ κατωργίαστο διὰ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀπορρήτοις. ὡς οὖν ἐκεῖνοι πταίσαντες ἀνηρέθησαν, ἀνακρινομένη, καὶ κελευομένη φράσαι τοὺς ἔτι λανθάνοντας, οὐκ ἔφρασεν, ἀλλ' ἐνεκαρτέρησεν· ἐπιδείξασα τοὺς ἄνδρας οὐδὲν ἀνάξιον ἑαυτῶν παθόντας, εἰ τοιαύτην ἠγάπησαν. Ἀθηναῖοι δὲ, χαλκῆν ποιησάμενοι λέαιναν, ἄγλωσσον, ἐν πύλαις τῆς ἀκροπόλεως ἀνέθηκαν· τῷ μὲν θυμοειδεῖ τοῦ ζώου, τὸ ἀήττητον αὐτῆς· τῷ δὲ ἀγλώσσῳ, τὸ σιωπηλὸν, καὶ μυστηριῶδες, ἐμφαίνοντες. *Honestum etiam Leæna continentiæ habet præmium. Hæc meretrix erat, Aristogitoni, & Harmodio, familiaris; &, ut mulier, spe conjurationis in tyrannos particeps erat. nam & illa circa pulcrum illum Amoris craterem bacchata, & per Deum arcanis initiata fuerat. Ut illi igitur, cum conatu excidissent, interfecti, hæc vocata ad quæstionem, & indicare latentes jussa, minime fecit, sed constanter cruciatus toleravit; ostendens eos, quia ipsam adamassent, nihil plane se indignum commisisse. Athenienses vero ei leænam æream, elinguem, in portis arcis collocarunt; animantis quidem ferocia, vim invictam illam animi; linguæ autem exemptione, taciturnitatem ejus, qualis in arcanis sacris postulatur, indicantes.* Plinius Iphicratis opus fuisse refert, *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Et Iphicratis leæna laudatur. Scortum hæc, lyræ cantu familiare Harmodio, & Aristogitoni, consilia eorum de tyrannicidio, usque & ad mortem excruciata, non prodidit. Quamobrem Athenienses, & honorem ei habere volentes, nec tamen scortum celebrasse, animal nominis ejus fecere: atque, ut intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt.*

CAP. X.

Veneris etiam, & Diitrephis; tum Hygiæ, & Minervæ τῆς Ὑγιείας; *cujus etiam ara ibidem. Simulacrum, a Pericle positum, quam ob causam. Parthenium herba, a Minerva ad curandum opificem ostensa. Matris Isocratis statua. Lapis quoque, in quo Silenus quievisse ferebatur.*

JUXTA Veneris simulacrum positum erat, Calliæ donarium; Calamidis opus: & Diitrephis, sagittis confixi. Pausanias, in *Atticis.* Παρὰ δὲ αὐτὴν (τὴν λέαιναν) ἄγαλμα Ἀφροδίτης· ὃ Καλλίου τέ φασιν εἶναι ἀνάθημα, καὶ ἔργον Καλάμιδος. πλησίον δέ ἐστι Διιτρέφους χαλκοῦς ἀνδριὰς, οἰστοῖς βεβλημένος. *Juxta ipsam vero (leænam) Veneris signum est; quod & Calliæ donarium esse, & Calamidis opus ferunt. In propinquo, Diitrephis ex ære statua, sagittis confixi.* Proxime Hygia stabat, Æsculapii filia; & Minerva, Ὑγίεια cognomento. Pausanias, *loc. cit.* Τοῦ δὲ Διιτρέφους πλησίον θεῶν ἀγάλματά ἐστιν, Ὑγιείας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν· καὶ Ἀθηνᾶς, ἐπίκλησιν καὶ ταύτης Ὑγιείας. *Propter Diitrephis, dearum simulacra visuntur; Hygiæ, Æsculapii filiæ, uti ajunt: ac Minervæ, quæ & ipsa Hygiea cognomento appellatur.* Aristides ejus aram, non simulacrum, tradit nobis, Orat. in *Minervam.* Ἀθηναίων δὲ οἱ πρεσβύτατοι καὶ Ὑγιείας Ἀθηνᾶς βωμὸν ἱδρύσαντο. *Antiquissimi vero Athenienses etiam Hygieæ Minervæ aram posuerunt.* Conciliabo. Ara ejus deæ prior collocata; simulacrum, idque ex ære, postea Pericles juxta posuit, ob ostensam a dea illa medicinam, qua delapsus opifex de propylæis, dum exstruuntur, curaretur. Plutarchus clare ita narrat, in *Vita Periclis;* Τὰ δὲ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐξειργάσθη μὲν ἐν πενταετίᾳ, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος. τύχη δὲ θαυμαστὴ συμβᾶσα περὶ τὴν οἰκοδομίαν ἐμήνυσε τὴν θεὸν οὐκ ἀποστατοῦσαν, ἀλλὰ συνεφαπτομένην τοῦ ἔργου, καὶ συνεπιτελοῦσαν. ὁ γὰρ ἐνεργότατος, καὶ προθυμότατος, τῶν τεχνιτῶν, ἀποσφαλεὶς, ἐξ ὕψους ἔπεσε· καὶ διέκειτο μοχθηρῶς, ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἀπεγνωσμένος. ἀθυμοῦντος δὲ τοῦ Περικλέους, ἡ θεὸς, ὄναρ φανεῖσα, συνέταξε θεραπείαν, ᾗ χρώμενος ὁ Περικλῆς, ταχὺ, καὶ ῥᾳδίως, ἰάσατο τὸν ἄνθρωπον. ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ τὸ χαλκοῦν ἄγαλμα τῆς Ὑγιείας Ἀθηνᾶς ἀνέστησεν ἐν ἀκροπόλει, παρὰ τὸν βωμόν. ὃς καὶ πρότερον ἦν, ὥς λέγουσιν· *Arcis vero propylæa quinquennio absoluta ferunt, Mnesicle architecto. Casus autem admirandus, qui in hac ædificatione sese obtulit, indicavit, non invita sane dea, sed cooperante ipsa, & perfectionem ejus adjuvante, factam esse. nam opificum qui in opere maxime sedulus, & promptissimus, cum offendisset, ex alto decidit, graviter profecto afflictus, ita ut medici desperarent. anxio autem animi Pericle, dea, in somno ipsi apparens, medicinam, qua & cito, & sine negotio, eum curaret, ordinavit. Quam ob rem Minervæ Hygieæ signum æneum in arce posuit, juxta aram; quæ & antea illic erat, uti ferunt.* Medicina autem, a dea ostensa, ut hoc obiter quoque dicam, parthenium erat. Accipio ex Plinio, *lib.* XXII. *cap.* XVII. *Vernula, charus Pericli, Atheniensium principi, cum is in arce templum ædificaret, repsissetque super altitudinem fastigii, & inde cecidisset, hac herba dicitur sanatus, monstrata Pericli somnio a Minerva. quare parthenium vocari cœpta est, assignaturque ei deæ.* Crescebat nempe juxta arcem ea herba. Observo apud Plutarchum, in *Sylla;* ubi Athenienses, fame pressos, comedisse eam refert. Χιλίων δὲ δραχμῶν ὠνίου τοῦ μεδίμνου τῶν πυρῶν ὄντος ἐν ἄστει τότε, τῶν ἀνθρώπων σιτουμένων τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν φυόμενον παρθένιον. *Cum tritici medimnus in Urbe mille drachmis venderetur, hominesque parthenium, quod circa arcem nascebatur, esitarent.* Quod Minervæ porro istud simulacrum attinet, astabat ei mater Isocratis. Plutarchus, in *Isocrate, De* x. *Rhet.* Τῆς δὲ μητρὸς αὐτῶν, Ἰσοκράτους, καὶ Θεοδώρου, καὶ τῆς ταύτης ἀδελφῆς Ἀνακοῦς, εἰκόνες ἀνέκειντο ἐν ἀκροπόλει. ὧν ἡ τῆς μητρὸς, παρὰ τὴν Ὑγίειαν νῦν κεῖται· *Matris vero ipsorum, Isocratis, & Theodori, tum sororis ejus Anacus, statuæ in arce positæ erant; ac matris quidem, juxta signum Hygieæ.* Lapis quoque ostendebatur; non major, quam ut pusillus homo considere in eo possit: in quo Silenum, cum in Atticam Bacchus venisset, quievisse memorabant. Pausanias, *loc. cit.* Ἔστι δὲ λίθος, οὐ μέγας, ἀλλ' ὅσον καθίζεσθαι μικρὸν ἄνδρα. ἐπὶ τούτῳ λέγουσιν, ἡνίκα Διόνυσος ἦλθεν ἐς τὴν γῆν, ἀναπαύσασθαι τὸν Σειληνόν. *Est autem & lapis, non magnus, sed in quo consideret vir pusillus. In hoc dicunt, cum in regionem hanc Bacchus venisset, Silenum quievisse.*

CAP. XI.

Lycius puer, cum labello; & Perseus Medusæ caput amputans. Dianæ etiam Brauroniæ sacellum, & in eo simulacrum; tum equus Durius: Epicharmus quoque, cursu armato se exercens; & Oenobius, de Thucydide revocando decretum faciens: inde Phormio, & Hermolycus pancratiasta.

POST hæc sese offerebat puer Lycius, labellum tenens, ex ære factus; item Perseus, Medusæ caput amputans: utrumque Myronis opus. Pausanias, in *Atticis*. Καὶ ἄλλα ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει θεασάμενος οἶδα· Λύκιον τὸν Μύρωνος χαλκοῦν παῖδα, ὃς τὸ περιῤῥαντήριον ἔχει· καὶ Μύρωνος Περσέα, τὸ ἐς Μέδουσαν ἔργον εἰργασμένον. *Etiam alia in Atheniensium arce vidisse memini; Lycium puerum ex ære, cum labello, Myronis opus: Perseum item, qui Medusam occidisset; hunc quoque a Myrone factum.* Ad hæc sacellum Dianæ Brauroniæ, & in eo a Praxitele factum deæ simulacrum. Pausanias, *loc. cit.* Καὶ Ἀρτέμιδος ἱερόν ἐστι Βραυρωνίας· Πραξιτέλους μὲν τέχνη τὸ ἄγαλμα· τῇ θεῷ δ' ἐστὶν ἀπὸ Βραυρῶνος δήμου τὸ ὄνομα. *Et Dianæ Brauroniæ sacellum est; ejusque signum, a Praxitele fabre factum: dea vero, a Braurone populo dicta.* Inde equus Durius; e quo Menestheus, Teucer, & Thesei filii, prospectabant. Pausanias, *ibid.* Ἵππος δὲ, ὁ καλούμενος Δούριος, ἀνάκειται χαλκοῦς. καὶ ὅτι μὲν τὸ ποίημα τὸ Ἐπειοῦ μηχάνημα ἦν, ἐς διάλυσιν τοῦ τείχους, οἶδεν, ὅστις μὴ πᾶσαν ἐπιφέρει τοῖς Φρυξὶν εὐήθειαν. λέγεται δὲ ἔς τε ἐκεῖνον τὸν ἵππον, ὡς τῶν Ἑλλήνων ἔνδον ἔχοι τοὺς ἀρίστους. καὶ δὴ καὶ τοῦ χαλκοῦ τὸ σχῆμά ἐστι κατὰ ταῦτα· καὶ Μενεσθεὺς, καὶ Τεῦκρος, ὑπερκύπτουσιν ἐξ αὐτοῦ· προσέτι δὲ καὶ οἱ παῖδες τοῦ Θησέως. *Equus vero, Durius dictus, ex ære est positus; & hanc quidem machinam esse, ab Epeo factam, ad dejiciendos muros, norit sane, quisquis non omnino Trojanos vecordiæ damnare velit. Fertur autem de hoc equo, fortissimos Græcorum in eo inclusos fuisse; & conveniens equi istius ænei forma est: Menestheusque ex illo, & Teucer, ac Thesei filii, prospectant.* Meminit ejus *Hesychius*. Δούρειος ἵππος Ἀθήνησιν ἐν ἀκροπόλει χαλκοῦς ἐστὶν, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἐκκύπτουσι δόρατα. *Durius equus Athenis in arce est, ex ære factus; & ex eo hastæ exertæ.* Prope Epicharmus stabat, cursu armato se exercens, Critiæ opus; & Oenobius, de Thucydide revocando decretum obtinens. Pausanias, in *Atticis*. Ἀνδριάντων δὲ ὅσοι μετὰ τὸν ἵππον ἑστήκασιν, Ἐπιχάρμου μὲν, ὁπλιτοδρομεῖν ἀσκήσαντος, τὴν εἰκόνα ἐποίησε Κριτίας. Οἰνοβίῳ δὲ ἔργον ἐστὶν ἐς Θουκυδίδην χρηστόν· ψήφισμα γὰρ ἐνίκησεν Οἰνόβιος, κατελθεῖν εἰς Ἀθήνας Θουκυδίδην. *Ex statuis vero, quæ secundum equum positæ, Epicharmi quidem, qui in armatorum cursu se exercuit, Critias fecit. Oenobii quoque in Thucydidem opus laudabile conspicitur; qui pervicit, ut de eo revocando decretum fieret.* Phormio etiam, & pancratiasta Hermolycus, Pausanias, *loc. cit.* Τὰ δὲ ἐς Ἑρμόλυκον τὸν παγκρατιαστὴν, καὶ Φορμίωνα τὸν Ἀσωπίχου, γραψάντων ἑτέρων, παρίημι. *Jam quæ ad Hermolycum pancratiasten attinent, & Phormionem, Asopichi filium,* (quorum nempe illic etiam statuæ erant,) *cum alii scripserint, ego omitto.*

CAP. XII.

Minerva, Marsyam feriens. Theseus, cum Minotauro pugnans. Aries, Phrixum Colchos vehens. Hercules, angues enecans. Minerva, e Jovis capite enascens; item taurus.

MINERVA etiam erat, Marsyam feriens; quia tibias, quas abjectas cupiebat, sustulisset. Pausanias, in *Atticis*. Ἐνταῦθα Ἀθηνᾶ πεποίηται, τὸν Σιληνὸν Μαρσύαν παίουσα, ὅτι δὴ τοὺς αὐλοὺς ἀνέλοιτο, ἐῤῥῖφθαι σφᾶς τῆς θεοῦ βουλομένης. *Hic Minerva item fuit, Marsyam Silenum cædens; quod is tibias, quas abjectas dea vellet, sustulisset.* Inde Thesei adversus Minotaurum pugna. Pausanias, *loc. cit.* Πλὴν τῶν πέραν, ὧν εἴρηται, ἔστιν ἡ λεγομένη Θησέως μάχη πρὸς τὸν ταῦρον, τὸν Μίνω καλούμενον. *Præter ista, quæ recensui, Thesei, quæ fertur, pugna est; contra taurum, quem Minois appellabant.* Tum aries ille, qui in Colchos Phrixum vexerat, ab eodem immolabatur; sed incertum, cui deo: ipso Phrixo, dum torrentur ritu Græco, femora hostiæ aspectante. Pausanias, *loc. cit.* Κεῖται δὲ καὶ Φρίξος ὁ Ἀθάμαντος, ἐξενηνεγμένος ἐς Κόλχους ὑπὸ τοῦ κριοῦ. καὶ θύσας δὴ αὐτὸν ὅτῳ δὴ θεῷ. ὡς δὲ εἰκάσαι, τῷ Λαφυστίῳ καλουμένῳ παρὰ Ὀρχομενίοις, τοὺς μηροὺς κατὰ νόμον ἐκτεμὼν τῶν Ἑλλήνων, ἐς αὐτοὺς καιομένους ὁρᾷ. *Ibidem Phrixus, Athamantis filius, ab ariete in Colchos delatus, eumque immolans deo incerto; nisi quod conjicere licet, illum esse, qui Laphystius Orchomeniis appellatur, femora, ritu Græco secta, dum torrentur, aspectabat.* Hic existimandus est is ipse aries, cujus meminit *Hesychius*. Ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει κριὸς ἀνακείμενος, μέγας, χαλκοῦς. ἀσελγοκέρων δὲ αὐτὸν εἶπε Πλάτων ὁ κωμικὸς, διὰ τὸ μέγαν εἶναι. *Erat in arce dedicatus aries, magnus, ex ære; quem, quod magnus ille esset, ἀσελγοκέρων, seu lascivientem cornibus, Plato Comicus dixit.* Post hæc Hercules spectabatur, angues strangulans; & Minerva, e Jovis vertice enascens: item taurus, Areopagitarum donarium. Pausanias, in *Atticis*. Κεῖνται δὲ ἑξῆς ἄλλαι τε εἰκόνες, καὶ Ἡρακλέους· ἄγχει δὲ, ὡς λόγος ἔχει, τοὺς δράκοντας. Ἀθηνᾶ τε ἐστὶν, ἀνιοῦσα ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός. ἔστι δὲ καὶ ταῦρος, ἀνάθημα τῆς βουλῆς τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ. *Sunt deinde alia signa; in his Herculis, dracones, quod de eo fertur, strangulantis: tum Minervæ, e Jovis capite prodeuntis. Est & taurus, quem senatus Areopagi dedicavit.*

CAP. XIII.

Vir, cum unguibus argenteis, galeæ innitens. Terra, a Jove imbres petens. Timotheus, cum Conone patre. Progne, Ityn tollere meditans; & Itys ipse. Minerva, oleam; & Neptunus, undam proferens. Denique Jupiter Leocharis, & Πολιεύς.

SPECTABATUR & vir quidam, galeæ innitens, a Cleœta factus. Pausanias, *loc. cit.* Ὅστις δὲ τὰ σὺν τέχνῃ πεποιημένα ἐπίπροσθεν τίθεται τῶν ἐς ἀρχαιότητα ἡκόντων, καὶ τάδε ἐστίν οἱ θεάσασθαι. Κράνος ἐστὶν ἐπικείμενος ἀνὴρ, Κλεοίτου· καὶ οἱ τοὺς ὄνυχας ἀργυροῦς ἐνεποίησεν ὁ Κλεοίτας. *Quisquis vero cum artificio facta vetustis anteponit, etiam hæc spectare potest. Vir est, galeæ incumbens, Cleœtæ opus; qui argenteos quoque ungues ei fecit.* Hæc ipsa est statua, ut existimo, cujus meminit iterum, *Eliac.* II. Τὸ μὲν δὴ ἐξ ἀρχῆς Κλεοίτας ἐστὶν, ὁ ἄφεσιν μηχανησάμενος, καὶ φρονήσας γε ἐπὶ τῷ εὑρήματι, ὡς καὶ ἐπίγραμμα ἐπὶ ἀνδριάντι τῷ Ἀθήνησιν ἐπιγράψαι.

Ὃς τὴν ἱππάφεσιν ἐν Ὀλυμπίᾳ εὕρατο πρῶτος,
Τεῦξέ με Κλεοίτας, υἱὸς Ἀριστοκλέους.

Primus, qui carcerum formam excogitavit, est Cleœtas; qui & adeo ob inventum sibi placuit, ut & statuæ, quæ Athenis, epigramma hoc inscripserit:

Me, qui carceribus docuit dimittere currus,
Cleœtas fecit, natus Aristoclee.

Deinde Terra, pluviam a Jove petens. Pausanias, in *Atticis*. Ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα, ἱκετευούσης ὗσαι οἱ τὸν Δία. *Est & Terræ simulacrum, Jovi, ut pluere ipsi velit, supplicantis.* Item Timotheus, cum Conone, patre suo. Pausanias, *loc. cit.* Ἐνταῦθα καὶ Τι-

μόθεος ὁ Κόνωνος. καὶ αὐτὸς κεῖται ὁ Κόνων. *Ibi & Timotheus positus, Cononis filius; & ipse Conon.* Progne quoque, Ityis filii cædem meditans; & Itys ipse, Alcamenis donarium. Pausanias, *loc. cit.* Πρόκνην δὲ τὰ ἐς τὸν παῖδα βεβουλευμένην αὐτήν τε καὶ τὸν Ἴτυν, ἀνέθηκεν Ἀλκαμένης. *Prognen vero, facinus in filium meditantem, ipsamque, & Ityn, Alcamenes dedicavit.* Hinc Neptunus, & Minerva; ille flumen, ista oleam producens. Pausanias, *loc. cit.* Πεποίηται δὲ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ, καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν. Et Jovis duo simulacra; unum, a Leochare factum: alterum, Πολιέως dicti. Pausanias, *loc. cit.* Καὶ Διός ἐστιν ἄγαλμα, τό τε Λεωχάρους, καὶ ὁ ὀνομαζόμενος Πολιεύς. *Et Jovis signum est, cum quod a Leochare factum; tum illius, qui* Πολιεὺς *cognominatus.*

CAP. XIV.

Παρθενὼν. centum undique pedes habens; unde etiam Ἑκατόμπεδον. *Quare* Παρθενὼν *diceretur.* Παρθένοι, *Erechthei filiæ. Minerva,* Παρθένος *cognomento. Quis id templum ædificarit. Ictini de eo, & Carpionis, libri. Mulæ, dum ædificatur, factum insigne; item præmium, & ætas.*

POST hæc nobis Parthenona dicit *Pausanias*; de quo accuratius paullo est agendum. Nomen autem etiam Ἑκατόμπεδον fuit. *Harpocration.* Ὁ Παρθενὼν ὑπό τινων Ἑκατόμπεδον ἐκαλεῖτο, διὰ κάλλος, καὶ εὐρυθμίαν· οὐ διὰ μέγεθος. *Parthenon a quibusdam Hecatompedum vocabatur; propter formam, & concinnitatem ejus, non magnitudinem.* Nempe quia undique pedes centum haberet. *Etymologici Auctor.* Ἑκατόμπεδον, νεώς ἐστι τῆς Ἀθηνᾶς, ποδῶν ἑκατὸν ἐκ πάσης πλευρᾶς. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ὠνόμασται. *Hecatompedum, Minervæ templum est, ex unoquoque latere centum pedes habens; qua de re & nomen datum.* Et Παρθενὼν dicebatur, quia virginibus exstructum esset. *Hesychius.* Ἑκατόμπεδον, νεὼς ἐν τῇ ἀκροπόλει, παρθένοις κατασκευασθεὶς ὑπὸ Ἀθηναίων. *Hecatompedum, templum est in arce, virginibus structum ab Atheniensibus.* Eo nomine Erechthei filiæ accipiendæ; quæ Παρθένοι dictæ κατ᾽ ἐξοχὴν, sic colebantur. Idem ille Hesychius *alibi.* Παρθένοι. τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον, καὶ ἐτίμων. Παρθένοι, sive *Virgines. Erechthei filias eo nomine appellabant, & colebant.* Vel, quia Minervæ, τῇ Παρθένῳ cognomento, sacrum esset. Scholiastes Demosthenis, ad *Orat. in Androtionem.* Παρθενὼν, ναὸς ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει, Παρθένου Ἀθηνᾶς. *Parthenon, templum erat in arce,* Παρθένου, sive *Virginis, Minervæ.* Ædificatum a Callicrate, & Ictino; accurante opus Pericle. Plutarchus, in *Vita Periclis.* Τὸν μὲν γὰρ Ἑκατόμπεδον Παρθενῶνα Καλλικράτης εἰργάσατο, καὶ Ἰκτῖνος. *Hecatompedum enim, qui & Parthenon, Callicrates fecit, & Ictinus.* Pausanias, in *Arcadicis,* solum Ictinum nobis memorat; nec Callicratis mentionem ullam fecit. Καὶ Ἰκτῖνος, ὁ ἀρχιτέκτων τοῦ ἐν Φιγαλίᾳ ναοῦ, γεγονὼς τῇ ἡλικίᾳ κατὰ Περικλέα, καὶ Ἀθηναίοις τὸν Παρθενῶνα καλούμενον κατασκευάσας. *Et Ictinus, templi, quod Phigaliæ est, architectus; qui ætate Periclis vixit, & Atheniensibus item Parthenona, quem appellant, ædificavit.* Et Strabo, lib. IX. Ἰκτῖνος, ὃς καὶ Παρθενῶνα ἐποίησεν, τὸν ἐν ἀκροπόλει. *Ictinus, qui & Parthenonem in arce ædificavit.* Ausonius, in *Mosella* v. 308.

Atque Ephesi spectata manus, vel in arce Minervæ Ictinus.

Dixi autem ædificatum, curante Pericle; quo Himerii ista pertinent, in *Excerptis.* Περικλεῖ μὲν προπύλαια πρὸς φιλοτιμίαν ἤρκει, καὶ Παρθενών. *Pericli quidem ad cupiditatem laudis vestibula, & parthenon, sufficiebant.* Meminit ejus Vitruvius, *lib.* IV. *cap.* VII. *Hoc autem genere primo facta ædes; ut est Castoris, in Circo: Athenis in arce, Minervæ.* Structura autem Dorica fuit; ac de ea scripsere olim Carpion, & ipse Ictinus. Vitruvius idem, *in Præfatione* lib. VII. *De æde Minervæ Dorica, quæ est Athenis, (volumen ediderunt) Ictinus, & Carpion.* Quod prius fuerat, id, a Persis igne injecto, conflagravit; itaque postea hunc in modum instauratum, prius illud pedibus totis quinquaginta superabat. Hesychius, *in* Ἑκατόμπεδον. Μείζων τοῦ ἐμπρησθέντος ὑπὸ τῶν Περσῶν ποσὶ πεντήκοντα. *Illud, quod incensum a Persis, magnitudine pedum quinquaginta excedebat.* Stupendum sane opus fuisse, ait Dicæarchus, in *descriptione Græciæ,* ubi de Athenis agit. Ὁ καλούμενος Παρθενὼν, ὑπερκείμενος τοῦ θεάτρου, μεγάλην κατάπληξιν ποιεῖ τοῖς θεωροῦσι. *Qui Parthenon dicitur, supra theatrum situs, magnum spectantibus stuporem incutit.* Non silendum hic mulæ factum singulare, dum exstruitur. Athenienses mulas vetulas ab opere liberas esse jusserant; e quibus tamen una, ut ferunt, ultro ad opus accurrit, alias præcedens, & ad laborem capessendum quasi exhortans: unde & illi usque ad mortem alimenta publice data. Plutarchus, in *Catone majore.* Ὁ δὲ τῶν Ἀθηναίων δῆμος, οἰκοδομῶν τὸν Ἑκατόμπεδον, ὅσας κατενόησεν ἡμιόνους μάλιστα τοῖς πόνοις ἐγκαρτερούσας, ἀπέλυσεν ἐλευθέρας νέμεσθαι, καὶ ἀφέτους. ὧν μίαν φασὶ, καταβαίνουσαν ἐφ᾽ ἑαυτῆς πρὸς τὰ ἔργα, τοῖς ἀνάγουσι τὰς ἁμάξας ὑποζυγίοις εἰς ἀκρόπολιν συμπαρατρέχειν, καὶ προηγεῖσθαι, καθάπερ ἐγκελευομένην, καὶ συνεξορμῶσαν. ἣν καὶ τρέφεσθαι δημοσίᾳ μέχρι τελευτῆς ἐψηφίσαντο. *Populus vero Atheniensis, cum Hecatompedon ædificaret, quotquot animadverterent mulas maxime laboribus fatigatas, eas solvit, & in pastum liberas misit. harum unam, sponte sua recurrentem ad opus, ferunt, cum jumentis, plaustra in arcem pertrahentibus, cucurrisse, ac præisse, quasi exhortantem ea, & excitantem. cui etiam usque ad mortem ex ærario alimentum decrevere.* Eadem memorat, lib. *De Solertia Animalium;* & videndus Ælianus, *Hist. Anim.* lib. VI. cap. XLIX. Hierocles, in *Proœmio Hippiatricorum,* in Jovis templo ædificando, non Minervæ, factum tradit. Ταραντῖνος δὲ ἱστορεῖ, τοὺς τοῦ Διὸς νεὼν κατασκευάζοντας Ἀθηναίους, Ἐννεακρούνου πλησίον, εἰσελαθῆναι ψηφίσασθαι τὰ ἐκ τῆς Ἀττικῆς εἰς ἄστυ ζεύγη σύμπαντα. φόβῳ δὲ τοῦ ψηφίσματος, τινὰ τῶν γεωργῶν ἡμίονον ἀγαγεῖν γηραιὸν, ἄγοντα ἔτος ὀγδοηκοστόν. τὸν δὲ δῆμον, τιμῇ τοῦ γήρως, προηγήτορα τῶν ζευγῶν εἰς τὴν κατασκευὴν αὐτὸν τοῦ νεὼ καταστῆσαι, προβαδίζειν τε ἄζευκτον, καὶ ἄπληκτον, ψηφίσασθαι· μηδένα δὲ τῶν πυροπωλῶν, ἢ κριθοπωλῶν, ἀπελαύνειν αὐτὸν τῆς ἑστίας, ἢ ἀπείργειν τῆς βρώσεως. *Tarentinus auctor est, Athenienses, cum Jovis templum prope Enneacrunum fontem ædificarent, jumenta Atticæ universa decreto in Urbem coegisse; ac, decreti ejus metu, quendam e rusticis mulum vetulum, annum agentem octuagesimum, adduxisse: populum vero, in honorem senectutis, ducem eum jumentorum ad ædificandum templum constituisse; & dedisse, ut præcederet, sine jugo, ac verberibus: insuper prohibuisse, ne, qui triticum hordeumve venum dabant, domo eum, aut cibo, arcerent.* Ubi illud quoque observa, ætatem illi fuisse annorum LXXX. Idem Aristoteles refert, *Hist. Anim.* lib. IV. cap. XXIV. & Plinius, *libro* VIII. *cap.* XLIV.

CAP. XV.

Minervæ cum Neptuno contentio; & ejusdem, τῆ Παρθένε cognomento, simulacrum, ex ebore, & auro, quod describitur accurate. Plinii locus, emendatus; Ovidii, illustratus.

In hoc templo signa quædam habebantur, quæ ad natales Minervæ referebantur; ut & in postica parte ejusdem cum Neptuno contentio. Minerva autem, ex ebore, & auro, facta erat; in cono galeæ, cujus partem utramque gryphes tenebant, Sphinx eminebat. Simulacrum ipsum rectum stabat, in tunica talari; in pectore, Medusæ caput, factum ex ebore: & Victoria, quatuor fere cubitos magna: manu hastam, ad cujus imum draco erat, complectebatur; ad pedes, scutum adjacebat: in basi, genesis Pandoræ expressa. Ita nobis describit Pausanias, in *Atticis*. Ἐς δὲ τὸν ναὸν, ὃν Παρθενῶνα ὀνομάζουσιν, ἐς τοῦτον ἐσιοῦσιν, ὁπόσα ἐν τοῖς καλουμένοις ἀετοῖς κεῖται, πάντα ἐς τὴν Ἀθηνᾶς κεῖται γένεσιν. τὰ δὲ ὄπισθεν, ἡ Ποσειδῶνος πρὸς Ἀθηνᾶν ἐστιν ἔρις ὑπὲρ τῆς γῆς. αὐτὸ δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα, καὶ χρυσοῦ, πεποίηται. μέσῳ μὲν οὖν ἐπίκειταί οἱ τῷ κράνει Σφιγγὸς εἰκών. καθ᾽ ἑκάτερον δὲ τοῦ κράνους, γρῦπές εἰσιν ἐπειργασμένοι. τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὀρθόν ἐστιν, ἐν χιτῶνι ποδήρει· καί οἱ κατὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης ἐλέφαντός ἐστιν ἐμπεποιημένη. καὶ Νίκην τε, ὅσον τεσσάρων πηχῶν. ἐν δὲ τῇ χειρὶ, δόρυ ἔχει· καί οἱ πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστίν. εἴη δ᾽ ἂν Ἐριχθόνιος οὗτος ὁ δράκων· ἔστι δὲ τῷ βάθρῳ τοῦ ἀγάλματος ἐπειργασμένη Πανδώρας γένεσις. *In templum, Parthenona dictum, ingredientibus, quæ in ea parte sunt, quam Aquilas dicunt, omnia ad Minervæ natales referuntur; in postico, Neptuni cum Minerva de terra (Attica) certamen est. Deæ signum ex ebore, & auro, factum; in galeæ cono, Sphinx efficta. In utraque ejus parte, gryphes facti. ac signum ipsum, rectum adstat, tunica talari amictum; in pectore, Medusæ caput, ex ebore factum. & Victoria, instar quatuor cubitorum. in manu vero, bastam tenet; & ad pedes, scutum jacet: juxta bastam, draco est; quem Ericbthonium putare possis. in basi autem, Pandoræ nativitas elaborata.* Ac quod attinet ad Medusæ caput, illud furto post sublatum a Philæa. *Suidas*. Φιλαίας Ἀνδοκίδην ἱεροσυλίας ἐγράψατο, ὥσπερ οὐκ αὐτὸς ὢν, ὁ τῆς θεᾶς τὸ Γοργόνειον ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ὑφελόμενος. *Philæas sacrilegii accusavit Andocidem; quasi ipse non ille esset, qui deæ (Minervæ) caput Gorgonis (Medusæ) ex arce surripuisset.* Sed Philergus is Isocrati nominatur, *Orat. in Callimachum*. Ὥσπερ ἂν εἰ τῷ Φρυνώνδας πανουργίαν ὀνειδίσειεν ἢ Φιλεργὸς, ὁ τὸ Γοργόνειον ὑφελόμενος, τοὺς ἄλλους ἱεροσύλους ἔφασκεν εἶναι. *Ac si Phrynondas alicui stellionatum vitio daret; aut Philergus, qui Gorgonis Medusæ caput furto abstulit, alios sacrilegos diceret.* Victoriam, Pandoræ genesin, draconem, sive serpentem, item Sphingem, commemorat etiam Plinius; qui addit, de triginta diis, ibidem nascentibus; de Amazonum prœlio; tum deorum, ac gigantum: Lapitharum quoque, ac Centaurorum: deinde, signum universum sex & viginti cubitorum fuisse. Locus ejus, valde insignis, exstat *lib.* XXXVI. *cap.* V. *Phidiam clarissimum esse per omnes gentes, nemo dubitat. Sed, ut merito laudari sciant, etiam qui opera ejus non viderunt, proferemus argumenta parva, & ingenii tantum. Neque ad hoc utemur Minervæ Athenis factæ amplitudine, cum sit ea cubitorum viginti sex; sed scuto ejus, in quo Amazonum prœlium cælavit, in tumescente ambitu parmæ; ejusdem concava parte, deorum, & gigantum, dimicationem: in soleis vero, Lapitbarum, & Centaurorum. in base autem quod cælatum est, Pandoræ genesin appellant. Ibi dii sunt, triginta numero, nascentes; Victoria præcipue mirabili. Periti mirantur & serpentem, & sub ipsa cuspide æream Sphingem.* Sed postrema illa verba sine dubio mendum habent: *& sub ipsa cuspide æream Sphingem.* Quomodo enim Sphinx sub cuspide esse potuit? Pausanias dicit, in *Atticis*. Μέσῳ μὲν οὖν ἐπίκειταί οἱ τῷ κράνει Σφιγγὸς εἰκών. *In galeæ cono Sphinx efficta.* Restitue igitur, *Super ipsam cassidem æream Sphingem.* De Victoria, est Arriani iste locus, in *Epictetum*, lib. II. c. VIII. Καὶ ἡ Ἀθηνᾶ ἡ Φειδίου, ἅπαξ ἐκτείνασα τὴν χεῖρα, καὶ τὴν Νίκην ἐπ᾽ αὐτῆς δεξαμένη, ἕστηκεν οὕτως ὅλῳ τῷ αἰῶνι. *Et Minerva illa Phidiæ, postquam semel manum extendit, & Victoriam in ea accepit, ita in omne ævum stetit.* Prœlii, cum Amazonibus commissi, meminit etiam Pausanias, in *iisdem Atticis*. Πρὸς δὲ τῷ γυμνασίῳ, Θησέως ἐστὶν ἱερόν. γραφαὶ δέ εἰσι, πρὸς Ἀμαζόνας Ἀθηναῖοι μαχόμενοι. πεποίηται δὲ ὁ πόλεμος οὗτος καὶ τῇ Ἀθηνᾶς ἐπὶ τῇ ἀσπίδι. *Juxta gymnasium, Thesei fanum est. Illic Athenienses picti, cum Amazonibus pugnantes: estque ea ipsa pugna etiam in Minervæ clypeo.* Plutarchus quoque, in *Pericle*; ubi ait, ipsum etiam sese Phidiam insculpsisse, in effigie calvi senis, saxum utraque manu sublatum tenentis: tum Periclem etiam, manus cum Amazonum una conferentem; manu, qua hastam attolleret, ita fabre facta, ut prætensa ejus oculis, occultare conaretur elucentem utrinque similitudinem. Verba Plutarchi ecce ista. Ἡ δὲ δόξα τῶν ἔργων ἐπίεζε φθόνῳ τὸν Φειδίαν, καὶ μάλισθ᾽ ὅτι, τὴν πρὸς Ἀμαζόνας μάχην ἐν τῇ ἀσπίδι ποιῶν, αὑτοῦ τινὰ μορφὴν ἐνετύπωσε, πρεσβύτου φαλακροῦ, πέτρον ἐπηρμένου δι᾽ ἀμφοτέρων τῶν χειρῶν· καὶ τοῦ Περικλέους εἰκόνα παγκάλην ἐνέθηκε, μαχομένου πρὸς Ἀμαζόνα. τὸ δὲ σχῆμα τῆς χειρὸς, ἀνατεινούσης δόρυ, πρὸ τῆς ὄψεως τοῦ Περικλέους, πεποιημένον εὐμηχάνως, οἷον ἐπικρύπτειν βούλεται τὴν ὁμοιότητα, παραφαινομένην ἑκατέρωθεν. *Operum vero gloria Phidiam gravabat; maxime quod, cum pugnam Amazonum in clypeo fecisset, suam quoque ibi effigiem expressisset, senis calvi, ambabus manibus saxum sublatum tenentis: tum quod Periclis item effigiem, cum Amazone pugnantis, pulcram omnino, in eadem posuisset. manus vero ita efficta erat, ut, bastam fabre factam extendens ante ipsius Periclis faciem, occultare velle utrinque elucentem similitudinem videretur.* Ac de Pericle, sunt Dionis Chrysostomi verba, *Orat.* XII. Περικλέα δὲ καὶ αὐτὸν λαθὼν (ὁ Φειδίας) ἐποίησεν, ὥς φασιν, ἐπὶ τῆς ἀσπίδος. *Periclem vero etiam ipsum, uti ferunt, occulte Phidias clypeo insculpsit.* De Phidia, ista Aristotelis, *libro* Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Λέγεται τὸν ἀγαλματοποιὸν Φειδίαν, κατασκευάζοντα τὴν ἐν ἀκροπόλει Ἀθηνᾶν, ἐν μεσότητι ταύτης τῆς ἀσπίδος τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον ἐντυπώσασθαι, καὶ συνδῆσαι τῷ ἀγάλματι, διά τινος ἀφανοῦς δημιουργίας, ὥστε ἐξ ἀνάγκης, εἴ τις βούλοιτο αὐτὸ περιαιρεῖν, τὸ σύμπαν ἄγαλμα λύειν τε καὶ συγχεῖν. *Ajunt Phidiam statuarium, cum Minervam in arce faceret, in medio clypeo effigiem suam expressisse; ac simulacro, quodam occulto artificio, ita dextre alligasse; ut, si quis eximere vellet, necessario totum id dissolveret, confunderetque.* In pedibus porro simulacri, calcei Tyrrhenici erant. Pollux indicat, *libro* VII. *cap.* XXII. Τυῤῥηνικὰ, τὸ κάττυμα, ξύλινον, τετραδάκτυλον· οἱ δὲ ἱμάντες, ἐπίχρυσοι· σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπόδησε δὲ αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν. *Tyrrbenici (calcei) soleam babent ligneam, quatuor digitorum; lora vero, inaurata: siquidem sandalium erat. induit autem hoc Minervam Phidiæ.* Et hoc illud simu-

simulacrum est, de quo Cicero, in *Procemio Paradoxorum*. *Hoc tamen opus in apertum ut proferas, nihil postulo. non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ*. Erat autem ex ebore, & auro. Pausanias, in *citatis verbis*. Αὐτὸ δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα, καὶ χρυσοῦ, πεποίηται. *Ipsum vero simulacrum ex ebore, & auro, factum est*. Scholiastes Demosthenis, ad *Orat. in Androtionem*. Παρθενὼν, ναὸς ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει, Παρθένου Ἀθηνᾶς· περιέχων τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ, ὅπερ ἐποίησεν ὁ Φειδίας ὁ ἀνδριαντοπλάστης, ἐκ χρυσοῦ, καὶ ἐλέφαντος. *Parthenon, templum erat in arce, Minervæ Virginis; in quo simulacrum Deæ, a Phidia statuario factum, ex ebore, & auro*. Iterum, ubi tria ejus deæ simulacra in arce memorat, tertio loco istud ponens, inquit. Τρίτον ἐποιήσαντο ἐκ χρυσοῦ, καὶ ἐλέφαντος, ὡς πλουσιώτεροι γενόμενοι ἐκ τῆς ἐν Σαλαμῖνι μάχης, ὅσῳ καὶ μείζων ἡ νίκη. καὶ ἐκαλεῖτο τοῦτο Παρθένου Ἀθηνᾶς. *Tertium fecerunt ex auro, & ebore; ceu jam ditiores tanto e pugna apud Salamina, quanto etiam ea major: & Minervæ illud Virginis appellatum*. Alii ex auro solo dicunt. Scholiastes Aristophanis *Pace*, e Philochoro. Φιλόχορος, ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος, ταῦτα φησι. Καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν. *Philochorus, in Pythodoro Archonte, hæc ait. Et Minervæ signum ex auro in magno templo collocatum est*. Quæ totidem fere verbis habes apud Anonymum, in *Olymp.* LXXXVII. *anno* I. Alii rursum e solo ebore illud tradunt. Ovidius, Pontic. *lib.* IV. *eleg.* I. v. 32. 33.

Arcis ut Actææ vel eburna, vel ærea, custos;
Bellica Phidiaca stat dea ficta manu.

Ubi quod addit, *vel ærea*; referendum ad Minervæ τῆς Προμάχου simulacrum, quod ex ære; ut infra dicam, *cap.* XXV. Plinius, *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Phidias, præter Jovem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit & ex ebore æque Minervam Athenis, quæ est in Parthenone adstans*. Ubi quod *adstans* esse dicitur, respondet his Pausaniæ *verbis, jam citatis*. Τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὀρθόν ἐστιν. Atque hoc obiter dictum esto. Ex ebore porro etiam Quintilianus esse dicit, *lib.* XII. *cap.* X. *Phidias tamen diis, quam hominibus, efficiendis melior artifex traditur; in ebore vero, longe citra æmulum; vel si nihil, nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset*. Et Strabo, *lib.* IX. Καὶ ὁ Παρθενὼν, ὃν ἐποίησεν Ἰκτῖνος· ἐν ᾧ τὸ τοῦ Φειδίου ἔργον ἐλεφάντινον, ἡ Ἀθηνᾶ. *Et Parthenon, quem Ictinus fecit; in quo Phidiæ ex ebore opus, Minervæ signum*. Item *Suidas*. Φειδίας, ἀγαλματοποιὸς, ὃς ἐλεφαντίνης Ἀθηνᾶς εἰκόνα ἐποίησεν. *Phidias, statuarius, qui Minervæ simulacrum ex ebore fecit*. Pausanias quoque, *Eliac.* I. Ἐν ἀκροπόλει δὲ τῇ Ἀθηναίων, τὴν καλουμένην Παρθένον οὐκ ἔλαιον, ὕδωρ δὲ τὸ ἐς τὸν ἐλέφαντα ὠφελοῦν ἐστιν. ἅτε γὰρ αὐχμηρᾶς τῆς ἀκροπόλεως οὔσης, διὰ τὸ ἄγαν ὑψηλὸν, τὸ ἄγαλμα, ἐλέφαντος πεποιημένον, ὕδωρ, καὶ δρόσον τὴν ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ποθεῖ. *In Atheniensium vero arce quam Virginem appellant Minervam, ejus ebur non oleo, sed aqua adjuvatur. cum enim arx, in loco editiore sita, siccitati sit obnoxia, simulacrum, ex ebore factum, non oleum, sed aquæ aspersæ veluti rorem requirit*. Componam dissidium. Simulacrum ipsum, ex ebore erat; sed inductum his aurum, ut tolli posset, & appendi. Observo apud Plutarchum, in *Pericle*. Τὸ γὰρ χρυσίον οὕτως εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἀγάλματι προσειργάσατο, καὶ περιέθηκεν, ὁ Φειδίας, γνώμῃ τοῦ Περικλέους, ὥστε πάνυ δυνατὸν εἶναι περιελοῦσιν ἀποδεῖξαι τὸν σταθμόν. *Aurum enim statim ab initio ipso Phidias, de consilio Periclis, simulacro ita addiderat, circumposueratque; ut tolli plane possit, & appendi ad stateram*. Iterum, in *Præceptis Politicis*. Καίτοι ὅ γε Περικλῆς ἐκεῖνος τὸν τῆς θεᾶς κόσμον, ἄγοντα τάλαντα τεσσαράκοντα χρυσίου ἀπέφθου, περιαιρετὸν ἐποίησεν. *Et quidem Pericles ille ornatum Deæ talentorum auri puri quadraginta, ita fecit, ut demi posset*. Thucydides, de eodem, *lib.* II. Ἀπέφαινε δ' ἔχον τὸ ἄγαλμα (τῆς θεοῦ) τεσσαράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσίου ἀπέφθου, καὶ περιαιρετὸν εἶναι ἅπαν. *Ostendebat vero, simulacrum (Deæ) habere auri puri pondus talenta quadraginta, ac tolli universum posse*. Diodorus Siculus, l. XII. Καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἔχειν χρυσίου πεντήκοντα τάλαντα, ὡς περιαιρετῆς οὔσης τῆς περὶ τὸν κόσμον κατασκευῆς. *Et Minervæ simulacrum talenta auri quinquaginta habere; & sic ornatum factum esse, ut auferri inde possit*. Inde factum, ut ex ebore & auro, alii; alii, ex ebore tantum: alii, ex auro dicerent. Porro aurum, quod circumdatum, quadraginta quatuor talentorum erat. Anonymus, in *Olymp.* LXXXVII. *anno* I. Τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων τεσσαράκοντα τεσσάρων, Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. *Simulacrum Minervæ aureum in magno templo collocatum est, pendens talenta auri quadraginta quatuor; Pericle curante, a Phidia factum*. Quæ totidem verbis Philochorum dixisse, in Archonte Pythodoro, testis nobis Scholiastes Aristophanis, ad *Pacem fabulam*. Φιλόχορος, ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος, ταῦτά φησι. Καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς, ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων τεσσαράκοντα τεσσάρων, Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. *Philochorus, in Pythodoro Archonte, hæc dicit. Et simulacrum Minervæ aureum in magno templo positum est, pendens auri talenta quadraginta quatuor; Pericle præfecto operi, a Phidia factum*. Alii, quamquam amplius aliquantum esset, simpliciter quadraginta dicunt. Vides in *citatis statim* Thucydidis *verbis*. Ἀπέφαινε δ' ἔχον τὸ ἄγαλμα τεσσαράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσοῦ ἀπέφθου. *Ostendebat vero, habere simulacrum auri pondus talenta quadraginta*. Et in *Plutarchi*. Τὸν τῆς θεᾶς κόσμον, ἄγοντα τάλαντα τεσσαράκοντα χρυσοῦ ἀπέφθου. *Ornatum deæ, talentorum auri puri quadraginta*. Alii rursum, etsi paulo minus esset, quinquaginta tradiderunt. Diodorus, in *citatis item verbis*. Καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἔχειν χρυσίου πεντήκοντα τάλαντα. *Et Minervæ simulacrum habere auri talenta quinquaginta*. Suidas. Φειδίας, ἀγαλματοποιὸς, ὃς ἐλεφαντίνης Ἀθηνᾶς εἰκόνα ἐποίησε. Περικλῆς δὲ, ἐπὶ τοῖς ἀναλώμασι ταχθεὶς, ἐνοσφίσατο πεντήκοντα τάλαντα. *Phidias, statuarius, qui Minervæ simulacrum ex ebore fecit. Pericles vero, sumptibus præfectus, subduxit talenta quinquaginta*. Atque hæc de ipso deæ simulacro; cujus ornatum, quem jam dixi, Lachares postea ablatum ad Bœotos transtulit. Pausanias, de eo, in *Atticis*. Τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα τὸν περιαιρετὸν ἀποδύσας κόσμον. *Qui Minervæ simulacri ornatum omnem, qui tolli poterat, abstulisset*.

CAP. XVI.

Achillis statua; item Iphicratis, & Adriani Imp. Tabula, in qua pictus Themistocles. Xerxis sella ex argento. Aornus rupes. Demetrii regis in postica parte hospitium.

PRÆTER signum hoc Minervæ, statua quoque Achillis erat, subter posita, in exigua quadam ædicula, a Nestorio hierophanta, tempore Valentiniani, & Valentis, Impp. Narrat Zosimus, *lib.* IV Νεστόριος, ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἱεροφαντεῖν τεταγμένος, ὄναρ ἐθεάσατο, παρακελευόμενον χρῆναι τὸν Ἀχιλλέα τὸν ἥρωα δημοσίαις τιμᾶσθαι τιμαῖς· ἔσεσθαι γὰρ τοῦτο τῇ πόλει σωτήριον· ἐπεὶ δὲ ἐκοινώσατο τοῖς ἐν πόλει τὴν ὄψιν, οἱ δὲ, ληρεῖν αὐτὸν, οἷα δὴ ὑπέργηρων ὄντα, νομίσαντες, ἐν οὐδενὶ τὸ ῥηθὲν ἐποιήσαντο, αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν λογισάμενος τί πρακτέον, καὶ ταῖς θεοειδέσιν ἐννοίαις παιδαγωγούμενος, εἰκόνα τοῦ ἥρωος ἐν οἴκῳ μικρῷ δημιουργήσας, ὑπέθηκε τῷ ἐν Παρθενῶνι καθιδρυμένῳ τῆς Ἀθηνᾶς ἀγάλματι. *Nestorius, qui id temporis hierophanta constitutus somnium vidit, quod publicis honoribus Achillem heroem affici juberet. Hoc enim urbi salutare futurum. Quod visum postquam cum magistratibus communicasset, iique illum, tanquam senectute gravem, delirare arbitrati, nihili dictum hoc fecissent; ipse secum, quid faciendum esset, reputans, divinisque cogitationibus edoctus; imaginem herois, in exigua a se domo fabricatam, sub Minervæ simulacro, quod in Parthenone positum, collocavit.* Erat etiam Iphicratis statua, & Adriani Imperatoris. Pausanias, in *Atticis*. Ἐνταῦθα εἰκόνα ἰδὼν οἶδ' Ἀδριανοῦ βασιλέως μόνου· καὶ κατὰ τὴν εἴσοδον, Ἰφικράτους, ἀποδειξαμένου πολλά τε καὶ θαυμαστὰ ἔργα. *Hic & Adriani Imperatoris tantum statuam videre memini; & in introitu, Iphicratis, qui fortiter facta multa, & miranda, edidit.* Præterea tabula item erat, in qua pictus Themistocles; a filiis ejus dedicata. Pausanias, in *principio ipso Atticorum*. Φαίνονται δὲ οἱ παῖδες οἱ Θεμιστοκλέους, καὶ κατελθόντες, καὶ γραφὴν ἐς τὸν Παρθενῶνα ἀναθέντες, ἐν ᾗ Θεμιστοκλῆς ἐστι γεγραμμένος. *Certum est, reversos esse Themistoclis liberos; tabulamque, in qua Themistocles pictus erat, in Parthenone dedicasse.* Xerxis etiam illic sella, argenteis pedibus subnixa, in qua pugnam navalem spectaverat; quæ *Captiva* appellata. *Harpocration.* Ἀργυρόπους δίφρος, ὁ Ξέρξου, ὃς αἰχμάλωτος ἐκαλεῖτο· ἐφ' οὗ καθεζόμενος, τὴν ναυμαχίαν ἐθεώρει. ἀνέκειτο δὲ εἰς τὸν Παρθενῶνα τῆς Ἀθηνᾶς. *Argentipes sella, Xerxis, quæ Captiva nuncupata; in qua sedens, pugnam navalem spectabat: reposita vero erat in Minervæ Parthenone.* Suidas. Ὁ Ξέρξου δίφρος, ὃς αἰχμάλωτος ἐπεκαλεῖτο, ἀνέκειτο εἰς τὸν Παρθενῶνα τῆς Ἀθηνᾶς. *Xerxis sella, quæ Captiva cognomento appellata, in Minerve Parthenone posita erat.* Meminit Demosthenes, *Orat. in Timocratem*; & Ulpianus, in *Commentario* ad Olynthiacam III. In anteriore vero templi parte, picta quoque Aornus rupes: in qua scissura, quæ aves supervolantes attraheret. Philostratus, *De Vita Apollonii*, lib. II. cap. V. Ἐν κορυφῇ τῆς πέτρας (Ἀόρνου) ῥῆγμα εἶναί φησι, τοὺς ὑπερπετομένους τῶν ὀρνέων ἐπισπώμενον· ὡς Ἀθήνησί τε ἐστιν ἰδεῖν, ἐν προδόμῳ τοῦ Παρθενῶνος. *In vertice rupis (Aorni) scissuram esse ajunt, quæ supervolantes aves ad se trahat; ut videre etiam Athenis licet, in anteriore Parthenonis parte.* In postica, assentatione nimia, Demetrio Athenienses quondam hospitium assignarunt, cum Cassandrum tota Attica submovisset. Plutarchus, in *Demetrii Vita*. Οἱ δὲ (Ἀθηναῖοι) καίπερ ἐκκεχυμένοι πρότερον πρὸς αὐτὸν (τὸν Δημήτριον) καὶ κατακεχρημένοι πᾶσαν φιλοτιμίαν, ἐξεῦρον ὅμως τότε πρόσφατοι καὶ καινοὶ τῆς κολακείας φανῆναι. τὸν γὰρ ὀπισθόδομον τοῦ Παρθενῶνος ἀπέδειξεν αὐτῷ κατάλυσιν. κἀκεῖ δίαιταν εἶχε, τῆς Ἀθηνᾶς λεγομένης ὑποδέχεσθαι καὶ ξενίζειν αὐτὸν, οὐ πάνυ κόσμιον ξένον, οὐδὲ ὡς παρθένῳ πράως ἐπισταθμεύοντα. *Hi vero, (Athenienses) quanquam in ipsum ante etiam effusi, & abusi honorandi eum studio, invenere tamen modum, quo recentem, & novam plane, assentationem ostenderent. nam posteriorem partem Parthenonis pro hospitio assignarunt. ac diversabatur illic, & Minerva excipere eum dicebatur, hospitem non plane modestum; nec honeste, ut apud virginem, divertentem.*

CAP. XVII.

Apollo Parnopius, Pericles, Xanthippus, Anacreon, Io, Callisto. Gigantum bellum. Amazonum pugna, & Marathonia. Olympiodorus, & Diana Leucophryna. Scuta aurea, a Lachare abducta. Minervæ sedentis simulacrum.

POST inspectum Parthenona ulterius tendenti occurrebat Apollo Parnopius, æneus, a Phidia factus. Pausanias, in *Attic.* Τοῦ ναοῦ ἐστι πέραν Ἀπόλλων χαλκοῦς· καὶ τὸ ἄγαλμα λέγουσι Φειδίαν ποιῆσαι. Παρνόπιον δὲ καλοῦσι, ὅτι σφίσι παρνόπων βλαπτόντων τὴν γῆν, ἀποστρέψειν ὁ θεὸς εἶπεν ἐκ τῆς χώρας. *Templum istud prætergressis, Apollinis ex ære signum se ostendit; quod a Phidia factum ajunt: ac Parnopium appellant, quod, cum bruchi regionem infestarent, expulsurum sese deus extra fines promisisset.* Inde Pericles; & Xanthippus, ejus pater: prope, Anacreon; etiam Io, & Callisto: utraque a Dinomene facta. Pausanias, in *Atticis*. Ἔστι δὲ ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει καὶ Περικλῆς ὁ Ξανθίππου, καὶ αὐτὸς Ξάνθιππος, ὃς ἐναυμάχησεν ἐπὶ Μυκάλῃ Μήδοις. ἀλλ' ὁ μὲν Περικλέους ἀνδριὰς, ἑτέρωθι ἀνάκειται. τοῦ δὲ τοῦ Ξανθίππου πλησίον ἕστηκεν Ἀνακρέων ὁ Τήιος, πρῶτος μετὰ Σαπφὼ τὴν Λεσβίαν τὰ πολλὰ ὧν ἔγραψεν ἐρωτικὰ ποιήσας· καί οἱ τὸ σχῆμά ἐστιν, οἷον ᾄδοντος ἂν ἐν μέθῃ γένοιτο ἀνθρώπου. γυναῖκας δὲ πλησίον Δεινομένης Ἰὼ τὴν Ἰνάχου, καὶ Καλλιστὼ τὴν Λυκάονος, πεποίηκεν. *Est & in Atheniensi arce Pericles, Xanthippi filius; & Xanthippus quoque ipse, qui navali ad Mycalen prœlio cum Medis pugnavit. sed Pericles, seorsim positus: juxta Xanthippum vero, Anacreon Tejus stabat: qui primus post Sappho Lesbiam eorum, quæ scripsit, pleraque amatoria fecit: ita autem est expressus, ut canentem per ebrietatem hominem repræsentet. mulieres, quæ prope astant, Io Inachi, & Lycaonis Callisto Dinomenes fecit.* Ad murum Australem, Gigantum bellum expressum erat; deinde pugna contra Amazonas, item illa contra Medos ad Marathonem, Gallorumque in Mysia strages; quæ ab Attalo dedicata; Olympiodori item statua. Pausanias, in *Atticis*. Πρὸς δὲ τῷ τείχει τῷ νοτίῳ, γιγάντων οἳ περὶ Θρᾴκην ποτὲ καὶ τὸν ἰσθμὸν τῆς Παλλήνης ᾤκησαν, τούτων τὸν λεγόμενον πόλεμον, καὶ μάχην πρὸς Ἀμαζόνας Ἀθηναίων, καὶ τὸ Μαραθῶνι πρὸς Μήδους ἔργον, καὶ Γαλατῶν τὴν ἐν Μυσίᾳ φθορὰν, ἀνέθηκεν Ἄτταλος, ὅσον δύο πηχῶν ἕκαστον. ἕστηκε δὲ καὶ Ὀλυμπιόδωρος. *Ad murum australem, bellum, quod Gigantum dictum, qui Thraciam aliquando, & Pallenes angustias, habitarunt: pugnam quoque Atheniensium contra Amazonas, tum in Medos rem præclare apud Marathona gestam, & in Mysia profligatos penitus Gallos, quæ duorum cubitorum fere singula, Attalus rex dedicavit. Erat & Olympiodori illic statua.*

Prope Olympiodorum stabat Diana Leucophryna ex ære, a Themistoclis liberis dedicata. Pausanias, *loc. cit.* Τῆς δὲ εἰκόνος πλησίον τῆς Ὀλυμπιοδώρου, χαλκοῦν Ἀρτέμιδος ἄγαλμα ἕστηκεν, ἐπίκλησιν Λευκοφρύνης· ἀνέθεσαν δὲ οἱ παῖδες οἱ Θεμιστοκλέους. *Prope Olympiodori statuam, Dianæ ex ære signum stabat, Leucophrynæ cognomento, a Themistoclis filiis dedicatum.* Alibi etiam scuta aurea; a Lachare abducta, una cum Minervæ ornatu: cum tyrannide dejectus, ad Bœotos fugeret. Pausanias, *loc. cit.* Ἁλισκομένου δὲ τοῦ τείχους, ἐκδιδράσκει ὁ Λαχάρης ἐς Βοιωτούς· ἅτε δὲ ἀσπίδας ἐξ ἀκροπόλεως καθελὼν χρυσᾶς, καὶ αὐτὸ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα τὸν περιαιρετὸν ἀποδύσας κόσμον, ὑπωπτεύετο εὐπορεῖν μεγάλως χρημάτων. *Muro vero capto, Lachares ad Bœotos fugit; dives sane, ac pecuniis abundare, existimatus: ceu qui scuta ex arce aurea, & Minervæ simulacri ornatum omnem, qui tolli poterat, abstulisset.* Et Minervæ sedentis ibidem simulacrum spectabatur, Eudæi opus, Calliæ donarium. Pausanias, in *Attic.* Ἔνδοιος ἦν γένος μὲν Ἀθηναῖος, Δαιδάλου δὲ μαθητής· ὃς καὶ φεύγοντι Δαιδάλῳ διὰ τὸν Κάλω θάνατον, ἐπηκολούθησεν ἐς Κρήτην. τούτου καθήμενόν ἐστιν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἐπίγραμμα ἔχον, ὡς Καλλίας μὲν ἀναθείη, ποιήσειεν δὲ Ἔνδοιος. *Endœus genere Atheniensis erat, Dædali discipulus: quem & propter cædem Cali fugientem in Cretam est secutus. Hujus est Minervæ sedentis simulacrum, cui inscriptum; Calliam dedicasse, Endœum fecisse.*

CAP. XVIII.

Neptuni, cognomento Erechthei, sive Erichthonii, fanum. Ara Jovis τοῦ Ὑπάτου, *Neptuni, Vulcani, ac Butæ. Pictura, ad Butadas pertinens; in qua genus sacerdotum Neptuni Erechthei, ab Ismenia pictum. Hesychius correctus. Apollodorus illustratus.*

NEPTUNI, cognomento Erechthei, fanum, quod Ἐρέχθειον appellabant, ibidem erat; & ante illud, ara Jovis τοῦ Ὑπάτου: in qua animati nihil inferebatur, sed liba tantum, & sine vino. Pausanias, in *Atticis.* Ἔστι δὲ καὶ οἴκημα, Ἐρέχθειον καλούμενον· πρὸ δὲ τῆς εἰσόδου, Διός ἐστι βωμὸς Ὑπάτου, ἔνθα ἔμψυχον θύουσιν οὐδέν· πέμματα δὲ θέντες, οὐδὲν ἔτι οἴνῳ χρήσασθαι νομίζουσιν. *Est & ædes, quam Erechtheum vocant. In introitu vero ejus, signum est Jovis* τοῦ Ὑπάτου, *Supremi: in qua animatum nihil immolatur, sed liba tantum imponentes, neque vino etiam uti fas existimant.* Meminit hujus fani Herodotus, *lib.* VIII. Ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθῆος, τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι, νηός. *Est in arce hac Erechthei, qui terrigena esse fertur, templum.* Plutarchus, in *Lycurgi Vita*, lib. *De X. Rhet.* Ἐν πίνακι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ. *In tabula insigni, quæ posita est in Erechtheo.* Neptuni Erechthei mentio est apud Athenagoram, in *Leg. pro Christ.* Ὁ δὲ Ἀθηναῖος, Ἐρεχθεῖ Ποσειδῶνι θύει. *Atheniensis vero Neptuno Erechtheo sacra facit.* Plutarchus, in citata jam *Lycurgi Vita.* Τούτου δὲ, καὶ Τιμοθέας τῆς Γλαύκου, παῖδες, Λαοδάμεια, καὶ Μήδειος, ὃς τὴν ἱερωσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε. *Hujus, & Timotheæ, Glauci filiæ, liberi, Laodamia, & Medius, qui Neptuni Erechthei sacerdotio fungebatur.* Et mox. Διετάξατο δὲ τὴν ἱερωσύνην τοῦ Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως. *Ordinavit vero sacerdotium Neptuni Erechthei.* Hesychius. Ἐρεχθεύς, Ποσειδῶν, ἐν Ἀθήναις. Ita enim ibi scribendum, non Ἐρεχθρεύς. Apollodoro, ut confundi inter sese apud Auctores Erichthonii & Erechthei nomina solent, Neptunus iste Erichthonius, non Erechtheus, appellatur, *lib.* III.

A Πανδίονος δὲ ἀποθανόντος, οἱ παῖδες τὰ πατρῷα ἐμερίσαντο· καὶ τὴν βασιλείαν, Ἐρεχθεὺς λαμβάνει· τὴν δὲ ἱερωσύνην τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ Ποσειδῶνος τοῦ Ἐριχθονίου, Βούτης. *Pandione vero vita functo, filii ejus bona paterna inter sese divisere; ac regnum quidem, Erechtheus capit: at Minervæ, & Neptuni Erichthonii, sacerdotium, Butes.* In quorum posteriorum verborum interpretatione labitur vir eruditus, Benedictus Ægius, dum sic vertit. *Sacerdotio autem Minervæ, Neptunique, Butes, Erichthonii filius, honestatur.* Neque enim Erichthonii filius erat Butes, sed Pandionis; ut ex illis ipsis verbis Apollodori satis clarum: qui & paullo ante dixerat, B Πανδίων δὲ, γήμας Ζευξίππην, τῆς μητρὸς τὴν ἀδελφὴν, θυγατέρας μὲν ἐτέκνωσε Πρόκνην, καὶ Φιλομήλαν· παῖδας δὲ διδύμους, Ἐρεχθέα, καὶ Βούτην. *Pandion vero, ducta uxore Zeuxippe, matris sorore, filios ex ea sustulit, Procnen, & Philomelam; & filios geminos, Erechtheum, ac Buten.* Atque hoc obiter, illustrando Apollodoro. Porro in honorem Erechthei, & memoriam, nomen ejus pro cognomine in Neptunum est translatum. Hac de causa Erechtheum simpliciter nominat Cicero, *De Nat. Deorum* lib. III. c. XIX. *Sed, si sunt hi dii, est certe Erechtheus; cujus Athenis & delubrum vidimus, & sacerdotem.* Et Aristides, in *Panathenaica.* Ἀλλὰ C καὶ τούτους ταῖς εὐεργεσίαις ἐνικηκυῖα (ἡ πόλις) φανήσεται. Κόδρῳ μὲν, δοῦσα τὴν ἀρχὴν εἰς τοὺς παῖδας· Ἐρεχθέα δὲ, τοῖς ἐν ἀκροπόλει θεοῖς πάρεδρον ἀποδείξασα. *Sed hos quoque beneficentia superasse (Urbem) apparebit; quæ Codro quidem, principatum, in libros transferendum, dedit; Erechtheum autem, inter deos, qui in arce, collocavit.* Porro tres in templo isto aræ erant; una Neptuni, in qua Erechtheo, cujus nomine ille hic cognominatus, sacra facta: altera, Butæ herois: tertia, Vulcani. Pausanias, in *Atticis.* Ἐσελθοῦσι δέ εἰσι βωμοί, Ποσειδῶνος, ἐφ᾽ ᾧ καὶ Ἐρεχθεῖ θύουσιν ἐκ τοῦ μαντεύ- D ματος· καὶ ἥρωος Βούτου· τρίτος δὲ, Ἡφαίστου. *In ipso introitu aræ sunt, Neptuni una, in qua etiam Erechtheo ex oraculo sacra faciunt, altera, herois Butæ, tertia, Vulcani.* In parietibus picturæ erant, quæ ad Butadarum familiam pertinebant. Pausanias, in *Atticis.* Γραφαὶ δὲ ἐπὶ τῶν τοίχων, τοῦ γένους εἰσὶ τοῦ Βουταδῶν. *Picturæ vero in parietibus, ad familiam Butadarum pertinebant.* Et in istis, sine dubio, tabula illa, in qua series sacerdotum hujus dei deducebatur, ab Ismenia Chalcidensi picta; cujus meminit Plutarchus, in *Lycurgi Rhetoris Vita.* Καί ἐστιν αὕτη ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱε- E ρασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος ἐν πίνακι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ, γεγραμμένος ὑπὸ Ἰσμηνίου τοῦ Χαλκιδέως. *Estque hæc deductio generis eorum, qui Neptuni sacerdotio functi, in tabula insigni, quæ est in Erechtheo, ab Ismenia Chalcidensi picta.*

CAP. XIX.

Puteus, cum marina aqua; deinde tridens, & olea: quæ a Medis exusta, mox renata est.

F IN eodem illo templo, puteus erat; & marina in eo aqua, quæ, flante austro, sonum edebat. Pausanias, in *Atticis.* Καὶ ὕδωρ ἐστὶν ἔνδον θαλάσσιον ἐν φρέατι. τοῦτο μὲν θαῦμα οὐ μέγα. ἀλλὰ τόδε φρέαρ ἐς συγγραφὴν παρέχεται κυμάτων ἦχον ἐπὶ νότῳ πνεύσαντι. *Est & illic marina aqua in puteo; quod quidem non ita magnopere admirandum: verum istud memorandum, quod, si quando auster spiret, aqua ista sonum edat.* Ac meminit iterum, in *Arcadicis.* Θαλάσσης δὲ ἀναφαίνεσθαι κῦμα ἐν τῷ ἱερῷ τούτῳ, λόγος ἐστὶν ἀρχαῖος. ἐοικότα δὲ

καὶ Ἀθηναῖοι λέγουσιν ἐς τὸ κῦμα τὸ ἐν ἀκροπόλει. *Marinæ aquæ in hoc templo ſcatebram eſſe, vetus fama eſt. eadem de aqua illa, quæ in arce, etiam Athenienſes dicunt*. Herodotus hoc ipſum intelligit, cum mare hic fuiſſe dicit, *lib.* VIII. *c.* LV. Ἔστι δὲ ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ (τῶν Ἀθηναίων) Ἐρεχθέως τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι νηός· ἐν τῷ ἐλαία τε καὶ θάλασσα ἔνι. *Eſt vero in hac arce (Athenienſium) Erechthei, qui terrigena eſſe dicebatur, templum; in quo olea, & mare*. Atque ſcaturigo iſta, Ἐρεχθηὶς nuncupata; & reliquiæ nempe erant ejus aquæ, quam Neptunus, in certamine cum Minerva, percuſſa tridente terra, excitaverat. Indicat Apollodorus, *lib.* III. Ἧκεν οὖν πρῶτος Ποσειδῶν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν, καὶ πλήξας τῇ τριαίνῃ κατὰ μέσην τὴν ἀκρόπολιν, ἀνέφηνε θάλασσαν, ἣν νῦν Ἐρεχθηΐδα καλοῦσιν. *Venit itaque primus in Atticam Neptunus, percuſſaque tridente in media arce terra, marinæ aquæ ſcatebram produxit, quam nunc Erechtheida vocant*. Tridentis quoque in rupe forma ſpectabatur, Neptuni de Attica quondam certaminis monumentum. Pauſanias, in *Attic.* Καὶ τριαίνης ἐστὶν ἐν τῇ πέτρᾳ σχῆμα· ταῦτα δὲ λέγεται Ποσειδῶνι μαρτύρια ἐς τὴν ἀμφισβήτησιν τῆς χώρας φανῆναι. *Et tridentis eſt in ſaxo forma quædam; Neptuni de hac regione controverſiæ monumentum*. Huc pertinet iſtud Hegeſiæ apud Strabonem, *lib.* IX. Ὁρῶ τὴν ἀκρόπολιν, καὶ τὸ περὶ τῆς τριαίνης ἔχει τι σημεῖον. *Video arcem; & tridentis aliquod monumentum habet*. Nec Neptuni tantum hic ſignum de contentione, tridens; ſed Minervæ quoque, olea. Pauſanias, *loc. cit.* Περὶ δὲ τῆς ἐλαίας οὐδὲν ἔχουσιν ἄλλο εἰπεῖν, τῇ θεῷ μαρτύριον γενέσθαι τοῦτο ἐς τὸν ἀγῶνα τὸν ἐπὶ τῇ χώρᾳ. *De olea autem quod dicant, nihil habent; niſi, deæ de contentione ſua teſtimonium perhibere*. Herodotus, in *citatis ſtatim verbis*. Νηὸς, ἐν τῷ ἐλαίη τε καὶ θάλασσα ἔνι· τὰ λόγος παρὰ Ἀθηναίων Ποσειδέωνά τε καὶ Ἀθηναίην, ἐρίσαντας περὶ τῆς χώρας μαρτύρια θέσθαι. *Templum, in quo olea, & marina item aqua; quæ Athenienſes ferunt Neptunum, & Minervam, cum de regione ſua inter ſeſe contendiſſent, monumenta ejus rei poſuiſſe*. Reſpexit Plinius, *lib.* XVI. *cap.* XLIV. *Athenis quoque olea durare traditur, in certamine edita a Minerva*. Id factum ſub rege Cecrope; uti clare ex Apollodoro conſtat, *lib.* III. Ac Freculphus idem tradit, *Chronici* Tom. I. lib. II. cap. VIII. *Cecrops Diphyes, indigena; ſub quo primum in arce oliva orta eſt*. Hanc cum Medi exuſſiſſent, poſtero die iterum enatam uſque ad cubiti altitudinem narrat Herodotus, *loco jam commemorato*. Ταύτην ὦν τὴν ἐλαίην ἅμα τῷ ἄλλῳ ἱρῷ κατέλαβε ἐμπρησθῆναι ὑπὸ τῶν βαρβάρων· δευτέρῃ δὲ ἡμέρῃ ἀπὸ τῆς ἐμπρήσιος Ἀθηναῖοι, οἱ θύειν ὑπὸ βασιλέος κελευόμενοι, ὡς ἀνέβησαν ἐς τὸ ἱρὸν, ὥρων βλαστὸν ἐκ τοῦ στελέχεος ὅσον τε πηχυαῖον ἀναδεδραμηκότα. *Atque hanc oleam incendi a barbaris, una cum reliquo templo, contigit; poſtero vero incendii die Athenienſes, ſacra ipſi facere a rege juſſi, novam e trunco enatam ſubolem, inſtar cubiti magnitudine, conſpexere*. Pauſanias variat; atque id eo ipſo die factum dicit, & ad duos etiam cubitos excreviſſe, in *Atticis*. Λέγουσι δὲ καὶ τάδε. κατακαυθῆναι μὲν τὴν ἐλαίαν, ἡνίκα ὁ Μῆδος ἐνέπρησε τὴν πόλιν Ἀθηναίοις· κατακαυθεῖσαν δὲ, αὐθημερὸν ὅσον τε ἐπὶ δύο βλαστῆσαι πήχεις. *Verum etiam iſta ferunt. conflagraſſe quidem oleam, cum Athenienſibus Medus urbem incendit: ſed incenſam, eo ipſo die etiam ad duos cubitos pullulaſſe*. Dion Chryſoſtomus, *De Regno*, Orat. IV. Καθάπερ Ἀθηναῖοί φασι τὸν ἱερὸν τῆς ἐλαίας θαλλὸν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ βλαστῆσαι. *Quemadmodum Athenis ajunt ſacrum oleæ virgultum uno die repullulaſſe*. Capiendus ab hac hiſtoria Theophraſtus, *Hiſt. Plant.* lib. II. cap. IV. Ἐλαία ποτὲ κατακαυθεῖσα τελείως, ἀνεβλάστησεν ὅλη. *Olea aliquando, quæ prius omnino conflagraverat, tota repullulavit*.

CAP. XX.

Diſſidium hic Auctorum quoddam, & confuſio; quæ ſublata. Duplex ſacellum, in uno templo. Ara Oblivionis. Minervæ Πολιὰς, *ejuſque ſimulacrum quale; ab Erichthonio dedicatum. Pauſaniæ locus reſtitutus. Draco illi cuſtos appoſitus; cui placenta e melle data. Tum & noctua juxta poſita. Heſychius correctus. Sacerdoti ejus deæ quæ ab Hippia conſtituta; & recenti etiam caſeo interdictum.*

SED confundi oleæ, & marinæ aquæ, locum ab *Herodoto* animadverto; nam, ut iſta in Neptuni templo erat, ita olea ſine dubio in Minervæ: & *Pauſanias* in Minervæ oleam diſerte ponit. Sic *Heſychius* draconem, Minervæ τῆς Πολιάδος cuſtodem, in Erechthei, Neptuni nempe, ut jam dixi, fano ſtatuit. Οἰκουρὸν ὄφιν. τὸν τῆς Πολιάδος φύλακα δράκοντα. καὶ οἱ μὲν, ἕνα φασίν· οἱ δὲ, δύο· ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἐρεχθέως. *Domi cuſtodem ſerpentem. Poliadis (Minervæ) cuſtodem draconem. & hi quidem, unum dicunt; illi, duos; in Erechthei fano*. Lychnum quoque, quem fuiſſe in Minervæ, uti erat, Strabo dicit, in Neptuni collocare *Pauſanias* videtur. Sed componam hoc diſſidium. Duplex nempe, in uno templo, ſacellum erat; & alterum, Neptuno Erechtheo; alterum, Minervæ τῇ Πολιάδι ſacrum. Hinc confuſio, citra omnem controverſiam. Pauſanias ipſe clare dicit, ubi de Erechtheo agit, in *Atticis*. Καὶ διπλοῦν γάρ ἐστι τὸ οἴκημα. *Etenim ædes ipſa duplex eſt*. Et mox ſubjungit de templo τῆς Πολιάδος. Conjungit quoque Himerius, in *Eclogis*. Οἷος δὲ ὁ τῆς Πολιάδος νεὼς, καὶ τὸ πλησίον τοῦ Ποσειδῶνος τέμενος, συνήψαμεν γὰρ δὴ τῶν ἀνακτόρων τοὺς θεοὺς ἀλλήλοις μετὰ τὴν ἅμιλλαν. *Qualis vero & Poliadis ædes; &, quod juxta eſt, Neptuni delubrum. nam conjunximus templo deos poſt certamen*. Plutarchus, *Sympoſ.* lib. IX. *Quæſt.* VI. Ἐνταῦθα (Ἀθήνησι) γοῦν καὶ νεὼ κοινωνεῖ (ὁ Ποσειδῶν) μετὰ τῆς Ἀθηνᾶς, ἐν τῷ καὶ βωμός ἐστι Λήθης ἱδρυμένος. *Hic (Athenis) templi particeps (Neptunus) cum Minerva; in quo etiam ara Oblivioni dedicata*. Et obſerva, aram quoque Oblivionis hic fuiſſe; quod non temere alibi occurrit. In Minervæ, quod proprie dictum, ejus ſimulacrum erat; ſanctiſſimum cæterorum habitum: quippe cœlitus delapſum, ut ferebant, & ab omnibus ſimul populis terræ Atticæ dedicatum. Pauſanias, in *Atticis*. Τὸ δὲ ἁγιώτατον ἐν κοινῷ πολλοῖς πρότερον νομισθὲν ἔτεσιν συνελθόντων ἀπὸ τῶν δήμων, ἐστὶν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἐν τῇ νῦν ἀκροπόλει, τότε δὲ ὀνομαζομένῃ πόλει· φήμη δὲ ἐς αὐτὸ ἔχει, πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Quod vero ſanctiſſimum Minervæ ſimulacrum multis ante annis de communi omnium populorum conſilio dedicatum eſt, in eo loco qui nunc arx eſt, & tum urbs appellabatur, fama eſt, cœlo decidiſſe*. Id nimirum iſtud erat, quod τῆς Πολιάδος dictum. Certe in ejus fano fuiſſe, poſtquam de eo, & appoſito illi lychno, verba fecit, *mox* commemorat. Κεῖται δὲ ἐν τῆς Πολιάδος, ὡς Ἑρμῆς ξύλου. *Eſt vero in Poliadis, ut & Mercurius e ligno*. Ita enim locus ille exigua mutatione reſtituendus. Coaluerat ὡς cum duabus poſtremis literis verbi Πολιάδος. Niſi ſic legas, ſtatuendum eſt, & Minervæ τῆς Πολιάδος ſimulacrum, item lychnum, oleo inexſtincto ar-

dentem, in Neptuni Erechthei fano, non suo, fuisse. Erat autem hoc simulacrum ex oleæ ligno. Scholiastes Demosthenis, ad *Orat. in Androtionem*; ubi tria ejus deæ simulacra, quæ in arce, nobis refert. Τρία ἀγάλματα ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει τῆς Ἀθηνᾶς. ἓν μὲν, ἐξ ἀρχῆς γενόμενον, ἐξ ἐλαίας· ὅπερ ἐκαλεῖτο Πολιάδος Ἀθηνᾶς, διὰ τὸ αὐτῆς εἶναι τὴν πόλιν. *Tria erant in arce simulacra Minervæ; quorum unum, a principio illic positum, ex olea factum; & Minervæ Poliadis dicebatur, quia Urbs illius esset.* Atque hoc ipsum esse puto, quod, ad ortum antea spectans, ad occasum postea versum, sanguinem spuisse visum, Augusti tempore. Narrat Dion Cassius, *lib.* LIV. Καὶ αὐτοῖς (τοῖς Ἀθηναίοις) ἐς ταῦτα ἔδοξε τὸ τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἀγάλματι συμβὰν ἀποσκῆψαι. ἐν γὰρ τῇ ἀκροπόλει τῇ πρὸς ἀνατολὴν ἱδρυμένον, πρός τε τὰς δυσμὰς μετεστράφη, καὶ αἷμα ἀπέπτυσεν. *Et ipsis (Atheniensibus) portendisse id videtur, quod Minervæ simulacro accidit; quod in arce ad ortum positum, ad occasum se convertit, & sanguinem exspuit.* Non expressum est Poliadis cognomentum; verum id subintelligendum est, quoties simpliciter Minervam, & quasi κατ' ἐξοχὴν, appellitabant. Dedicarunt, ut jam dixi, omnes simul Atticæ populi; idque sub rege Erichthonio. Et hoc est, quod Apollodorus dicit, dedicasse Erichthonium, *lib.* II. Ἐν δὲ τῷ τεμένει τραφεὶς ὁ Ἐριχθόνιος ὑπ' αὐτῆς Ἀθηνᾶς, ἐκβαλὼν Ἀμφικτύονα, ἐβασίλευσεν Ἀθηνῶν· καὶ τὸ ἐν ἀκροπόλει ξόανον τῆς Ἀθηνᾶς ἱδρύσατο. *In delubro vero educatus ab ipsa Minerva Erichthonius, Amphictyone ejecto, regnum Athenarum tenuit; & Minervæ, quod in arce, simulacrum dedicavit.* Juxta simulacrum deæ, draco unus, ad custodiam appositus; vel, ut alii volunt, duo. Hesychius in *citatis paullo ante verbis*. Οἰκουρὸν ὄφιν. Τὸν τῆς Πολιάδος φύλακα δράκοντα. καὶ οἱ μὲν, ἕνα φασίν· οἱ δὲ, δύο. *Domi custodem serpentem. Poliadis custodem draconem. quem alii, unum; alii vero, duos dicunt.* Atque hic est ille draco, cujus meminit Plutarchus, in *Themistocle*. Σημεῖον μὲν λαμβάνων τὸ τοῦ δράκοντος, ὃς ἀφανὴς ἐκείναις ταῖς ἡμέραις ἐκ τοῦ σηκοῦ δοκεῖ γενέσθαι, καὶ τὰς καθ' ἡμέραν αὐτῷ προτιθεμένας ἀπαρχὰς εὑρίσκοντες ἀψαύστους οἱ ἱερεῖς, ἐξήγγελλον εἰς τοὺς πολλοὺς, Θεμιστοκλέους λόγον διδόντος, ὡς ἀπολέλοιπε τὴν πόλιν ἡ θεὸς, ὑφηγουμένη πρὸς τὴν θάλατταν αὐτοῖς. *Ostentum quidem a dracone capiens, qui, per eos dies non conspectus, adyto templi excessisse videbatur: & libamina, quæ proponi singulis diebus solita, cum intacta sacerdotes invenissent, apud vulgus pronuntiabant, instigante ad dicenda hæc Themistocle, exiisse ex urbe deam; & ad mare, tanquam ducem, præcessisse.* Et huc verba Demosthenis pertinent, in exilium abeuntis; quæ Plutarchus idem refert, in *ejus Vita*. Λέγεται, ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπαλλαττόμενος, καὶ πρὸς τὴν ἀκρόπολιν ἀνατείνας τὰς χεῖρας, εἰπεῖν· ὦ δέσποινα Πολιὰς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις, γλαυκὶ, καὶ δράκοντι, καὶ δήμῳ; *Fertur, cum ex urbe exiret, extensis versus arcem manibus, exclamasse; O domina Polias, quid ita gaudes tribus molestissimis bestiis, noctua, dracone, & populo?* Exstabat hic draco etiam Philostrati ævo; cujus ecce ista verba, *Iconum* lib. II. Καὶ ὁ δράκων δὲ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς, ὁ ἔτι καὶ νῦν ἐν ἀκροπόλει οἰκῶν, δοκεῖ μοι τὸν Ἀθηναίων ἀσπάσασθαι δῆμον ἐπὶ τῷ χρυσῷ. *Et Minervæ ille draco, qui etiam nunc in arce habitat, auri causa amare mihi populum Atheniensem videtur.* Meminere item ejus *Etymologici Auctor, Hesychius, & Suidas, in* Δράκαυλος. Ac dabatur illi edenda placenta e melle. Hesychius, *in* Οἰκουρὸν ὄφιν, ad citata semel iterumque verba addit. Τοῦτον δὲ (τὸν δράκοντα) φύλακα τῆς ἀκροπόλεως φασὶν, ᾧ καὶ μελιττοῦταν παρατίθεσθαι. *Hunc vero (draconem) arcis custodem esse ajunt; eique placentam ex melle apponi.* Et apponebatur quidem singulis mensibus. Herodotus, *lib.* VIII. *cap.* XLI. Λέγουσιν οἱ Ἀθηναῖοι ὄφιν μέγαν, φύλακα τῆς ἀκροπόλεως, ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν τῷ ἱρῷ. λέγουσί τε ταῦτα, καὶ δὴ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια τελέουσι προτιθέντες. τὰ δὲ ἐπιμήνια, μελιτόεσσά ἐστι. *Dicunt Athenienses, magnum serpentem, arcis custodem, in templo degere; quin hoc addunt, tanquam re vera etiam esset, menstrua illi se libamina semper proponere; eaque esse placentam e melle.* Hanc ipsam placentam intelligit Plutarchus, in *citatis statim verbis*. Καὶ τὰς καθ' ἡμέραν αὐτῷ προτιθεμένας ἀπαρχὰς εὑρίσκοντες ἀψαύστους οἱ ἱερεῖς. *Et libamina, quotidie proponi solita, cum intacta sacerdotes invenissent.* Sed in eo variat, quod καθ' ἡμέραν, *quotidie*, ille dicat, & *Herodotus* ἐπιμήνια, sive *Menstrua*. Porro, præter hunc draconem, etiam noctua simulacro deæ addita. Inde est in Demosthenis *verbis, jam citatis* e Plutarcho. Ω δέσποινα Πολιὰς, τί δὴ τρισὶ τοῖς χαλεπωτάτοις χαίρεις θηρίοις, γλαυκὶ, καὶ δράκοντι, καὶ δήμῳ. *O domina Polias, quid ita gaudes tribus molestissimis bestiis, noctua, dracone, & populo?* Elegantissimus locus est Dionis Chrysostomi, *Orat.* XII. Ἆρ' οὐκ ὀρθῶς ἀπεικάζω τὴν σπουδὴν ὑμῶν, τῷ περὶ τὴν γλαῦκα γινομένῳ, σχεδὸν οὐκ ἄνευ δαιμονίας τινὸς βουλήσεως; ὑφ' ἧς καὶ τῇ Ἀθηνᾷ λέγουσι προσφιλὲς εἶναι τὸ ὄρνεον τῇ καλλίστῃ τῶν θεῶν, καὶ σοφωτάτῃ; καὶ τῆς τε Φειδίου τέχνης παρ' Ἀθηναίοις ἔτυχεν, οὐκ ἀπαξιώσαντος αὐτὴν συγκαθιδρῦσαι τῇ θεῷ. *An non recte igitur studium vestrum comparo ei quod noctuæ usu venit, fere haud absque divina quadam voluntate; qua factum ajunt, ut Minervæ etiam sit grata avis ista, pulcerrimæ dearum, & sapientissimæ; quin & Phidiæ artificium apud Athenienses est sortita, non dedignante eo ipsam juxta deam collocare.* Corruptus est *Hesychii* locus. Γλαὺξ ἐν πόλει. παροιμία. ἀνέκειτο γὰρ ὑπὸ Φαίδρου ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Noctua in urbe. Proverbium. Erat enim in arce, a Phædro posita.* Restituendum, ὑπὸ Φειδίου, *a Phidia*. Denique, ut hoc hic adjungam, hujus deæ sacerdoti caseo Attico recenti interdictum erat. Strabo, *lib.* IX. Τὴν ἱέρειαν τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς χλωροῦ τυροῦ, τοῦ μὲν ἐπιχωρίου, μὴ ἅπτεσθαι. *Sacerdotem Minervæ Poliadis caseum recentem, Atticum quidem, non tangere.* Quin & Hippias constituit, ut, cum natus aliquis esset, aut denatus, hordei chœnicem unum, alterum tritici, obolumque, huic offerrent. Aristoteles, *Oeconom.* lib. II. Τῇ τε ἱερείᾳ τῇ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς ἐν ἀκροπόλει (ἐκέλευεν ὁ Ἱππίας) ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος φέρειν χοίνικα κριθῶν, καὶ πυρῶν ἑτέραν, καὶ ὀβολόν· καὶ ὅτῳ ἂν παιδάριον γένηται, τὸ αὐτὸ τοῦτο. *Sacerdoti Minervæ, quæ in arce, (Hippias jussit) mortuo aliquo, ferre chœnicem hordei, item tritici, & obolum; ac cuicunque puer natus esset, tantundem.* Legebatur autem e familia Eteobutadarum. Æschines, in *Orat.* περὶ παραπρεσβ. Εἶναι δ' ἐκ φατρίας τὸ γένος, ἣ τῶν αὐτῶν βωμῶν Ἐτεοβουτάδαις μετέχει, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐστὶν ἱέρεια. *Ex ea curia oriundum esse, quæ communes cum Eteobutadis aras habet; e quibus existit Minervæ Poliadis sacerdos.* Vide plura, quæ notavi libro *De Populis Atticæ*, in Βουτάδαι.

CAP. XXI.

Lychnus quoque inexstinctus, & is qualis; a Callimacho fabrefactus. Mercurii simulacrum e ligno, Cecropis donarium. Sella compactilis, Dædali opus. Medorum spolia, Masistii thorax; & Mardonii acinaces. Cecropis, & Erichthonii, sepulcra.

LYCHNUS quoque inexstinctus spectabatur. Strabo, *lib.* IX. Ὅ τε ἀρχαῖος νεὼς ὁ τῆς Πολιάδος· ἐν ᾧ ὁ ἄσβεστος λύχνος. *Et Minervæ Poliadis vetus templum, in quo lychnus inexstinctus.* Erat autem ex auro factus, Callimachi opus; & annum totum semper ardens servabatur. Indebatur autem ei e Carpasio lino funiculus; supra, palma erat ænea, ad lacunar usque perducta; quæ nidorem excipiebat. Pausanias, in *Atticis*. Λύχνον δὲ τῇ θεῷ χρυσοῦν Καλλίμαχος ἐποίησεν. ἐμπλήσαντες δὲ ἐλαίου τὸν λύχνον, τὴν αὐτὴν τοῦ μέλλοντος ἔτους ἀναμένουσιν ἡμέραν. ἔλαιον δὲ ἐκεῖνο τὸν μεταξὺ ἐπαρκεῖ χρόνον τῷ λύχνῳ, καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐν ἡμέρᾳ καὶ νυκτὶ φαίνοντι. καὶ οἱ λίνου Καρπασίου θρυαλλίς ἔνεστιν, ὃ δὴ πυρὶ λίνον μόνον οὐκ ἔστιν ἁλώσιμον. φοῖνιξ δὲ ὑπὲρ τοῦ λύχνου χαλκοῦς, ἀνήκων ἐς τὸν ὄροφον, ἀνασπᾷ τὴν ἀτμίδα. *Lychnum vero deæ aureum fecit Callimachus; quem cum oleo implevere, in eundem anni sequentis diem exspectant: idque interea lychno sufficit, noctes atque dies ardenti. Inest autem funiculus e lino Carpasio, quod solum igne non consumitur. Supra lychnum, palma ænea est; quæ, ad tectum usque pertingens, vaporem excipit.* Aristion, obsidente Urbem Sylla, negligentia exstingui sinit. Plutarchus, in *Vita Syllæ*. Καὶ πυῤῥιχίζων, (ὁ Ἀριστίων,) καὶ γελωτοποιῶν πρὸς τοὺς πολεμίους, τὸν μὲν ἱερὸν τῆς θεοῦ λύχνον ἀπεσβηκότα, διὰ σπάνιν ἐλαίου, περιεῖδε. *Pyrrichas saltans (Aristion,) & hostem irridens, exstinctum deæ lychnum, olei penuria, insuper habuit.* Meminit lychni hujus etiam Homeri Scholiastes, ad *Odyss.* τ'. Ὀρθῶς δὲ πεποίηκε τὴν Ἀθηνᾶν, φρόνησιν οὖσαν, καθαρὸν αὐτῷ παρέχειν τὸ φῶς· καὶ οἰκείως, διὰ τὸν ἄσβεστον Ἀθήνησι λύχνον, *Recte fecit Minervam, quæ prudentia est, purum ipsi lumen præbere; idque proprie, propter inexstinctum Athenis lychnum.* Deinde erat Mercurii simualcrum, e ligno; inter myrti ramos conspicuum. Cecropis donarium. Pausanias, ut jam restituendum esse monui, post descriptionem lychni commemorat, *loc. cit.* Κεῖται δὲ ἐν τῷ ναῷ τῆς Πολιάδος, ὡς Ἑρμῆς ξύλου, Κέκροπος εἶναι λεγόμενον ἀνάθημα, ὑπὸ κλάδων μυρσίνης δυσθεώρητον. *Et autem in Poliadis fano, ut Mercurius e ligno, sub myrti ramis conspicuus; quem Cecropis donarium esse ferunt.* Inde sella plicatilis, Dædali opus; & erepta Medis spolia, Masistii lorica, cum Mardonii acinace. Pausanias, *loc. cit.* Ἀναθήματα δὲ, ὅσα ἄξια λόγου, τῶν μὲν ἀρχαίων, δίφρος ὀκλαδίας ἐστὶ, Δαιδάλου ποίημα· λάφυρα δὲ ἀπὸ Μήδων, Μασιστίου θώραξ, ὃς εἶχεν ἐν Πλαταιαῖς τὴν ἡγεμονίαν τῆς ἵππου· καὶ ἀκινάκης, Μαρδονίου λεγόμενος εἶναι. *Donaria vero, memoratu digna, ex antiquis quidem, sella est plicatilis, Dædali opus; tum Medorum spolia, Masistii, qui dux equitatus ad Platæas, lorica: & acinaces, qui Mardonii ferebatur.* Et de Mardonii quidem acinace, uti Xerxis quoque sella, de qua supra a me dictum, est Demosthenis etiam locus, *Orat.* in Timocratem: ubi discimus, eum trecentis Daricis æstimatum. Τὴν δὲ γ' ἐνθάδε θεὸν (τὴν Ἀθηνᾶν) πρεσβείας ἀξιωθεὶς εἶναι ὑφ' ὑμῶν, ἀποστερῶν τὰς ἀπὸ τῶν ὑμετέρων πολεμίων δεκάτας· ἔπειτα, ταμιεύσας ἐν ἀκροπόλει, τὰ ἀριστεῖα τῆς πόλεως, ἃ ἔλαβεν ἀπὸ τῶν βαρβάρων, ὑφῃρημένος ἐξ ἀκροπόλεως· τόν τε δίφρον τὸν ἀργυρόποδα, καὶ τὸν ἀκινάκην τὸν Μαρδονίου, ὃς ἦγε τριακοσίους Δαρεικούς. *Deam tamen nostram, decreto ei a vobis legationis honore, decimis hostilibus defraudavit: quæsturam deinde arcis adeptus, nostræ civitatis præmia, & fortitudinis monumenta, quæ de Barbaris ceperat, ex arce surripuit: sellam nempe illam, cum argenteis pedibus; & acinacem Mardonii, trecentis Daricis æstimatum.* Meminitque Ulpianus, ad *Olynth.* III. Αὔξει τὰ ἀναθήματα, διὰ τὰς πράξεις, ἐξ ὧν ἀνετέθησαν. ὁ γὰρ Ξέρξου δίφρος, καὶ ὁ ἀκινάκης Μαρδονίου, ὁ μὲν, ἐκ Σαλαμῖνος· ὁ δὲ, ἐκ Πλαταιέων ἀνετέθησαν. *Exaggerat donaria, propter res gestas, ob quas dedicata sunt. Nam Xerxis sella, & Mardonii acinaces, altera e Salaminia, alter e Platæensi victoria, sunt dedicati.* Et, quæ Σκῦλα Μηδικὰ, *Spolia Persica*, Thucydides dicit *lib.* II. ea *Scholiastes* interpretatur, τὸν ἀργυρόποδα θρόνον, καὶ τὸν ἀκινάκην τὸν χρυσοῦν. *Sellam cum argenteis pedibus, & acinacem aureum.* Dion Chrysostomus, *De Regno* Orat. II. Οὔκουν οὐδὲ Ἀθηναίους οὕτως, ἔφη, ζηλῶ τῆς δαπάνης, καὶ πολυτελείας τῆς περὶ τὴν πόλιν, καὶ τὰ ἱερὰ, ὅσον τῶν ἔργων, ἃ ἔπραξαν οἱ πρότερον. τὸν ἀκινάκην τοῦ Μαρδονίου, πολὺ σεμνότερον καὶ κρεῖττον ἀνάθημα ἔχουσαν. *Quapropter neque tantum Athenienses felices puto propter sumptum, & magnificentiam, circa urbem suam, ac templa; quantum propter res, præclare a majoribus ipsorum gestas: per quas Urbs Mardonii acinacem consecuta est, donarium præstantius multo, & augustius.* Erant vero spolia ista Medica omnia, cum pomparum instrumento, talentis quingentis æstimata. Pericles, apud Diodorum, *lib.* XII. Χωρὶς δὲ τούτων ἦτε πομπεία σκεύη, καὶ τὰ Μηδικὰ σκῦλα, πεντακοσίων ἄξια ταλάντων ἀπεφήνατο. *Præter ista autem pomparum ornatum, & Medica spolia, quingenta talenta valere ostendebantur.* Et apud Thucydidem, *lib.* II. Χωρὶς δὲ, χρυσίου ἀσήμου, καὶ ἀργυρίου, ἔν τε ἀναθήμασιν ἰδίοις καὶ δημοσίοις, καὶ ὅσα ἱερὰ σκεύη περί τε τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας, καὶ σκῦλα Μηδικὰ, καὶ εἴ τι τοιουτότροπον, οὐκ ἐλάσσονος ἦν ἢ πεντακοσίων ταλάντων. *Adhæc auri, & argenti, non signati, cum in privatis, tum in publicis donariis; & sacra vasa, quæ ad pompas, aut certamina pertinebant; & Medica spolia, ac si quid hujusmodi, non minoris erant, quam quingentorum talentorum.* Cecropis quoque hic sepulcrum erat, de quo Arnobius, *lib.* VI. *In historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memoratur Cecropem esse mandatum terræ.* Clemens, in *Protreptico*. Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει (τάφος ἐστὶ) Κέκροπος. *Athenis vero in arce (sepulcrum est) Cecropis.* Item Erichthonii. Clemens, *ibidem*. Τί δαὶ, Ἐριχθόνιος οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται. *Quid? an non in Poliadis templo jacet Erichthonius?* Arnobius, libro citato. *Erichthonius (conditus scribitur) Poliadis in fano.* Apollodorus, *lib.* III. Ἐριχθονίου δὲ ἀποθανόντος, καὶ ταφέντος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσεν. *Mortuo Erichthonio, & in Minervæ sepulto, regnum Pandion accepit.*

CAP. XXII.

Pandrosi templum, & in eo Jovis Hercei ara. Olea quoque, a Minerva plantata: Μορία, Ἀστὴ, *&* Πάγκυφος, *dicta: atque inde in Academiam translata.*

MINERVÆ τῆς Πολιάδος templo contiguum erat, quod Pandrosi dicebatur. Pausanias in *Atticis*. Τῷ ναῷ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς (τῆς Πολιάδος) Πανδρόσου ναὸς συνεχής ἐστι. *Minervæ (Poliadis) vero templo contigua est Pandrosi ædes.* Et apparet in istis item Philochori verbis, Ἀτθίδος *lib.* IX. Κύων, εἰς τὸν τῆς Πολιάδος νεὼν εἰσελθοῦσα, καὶ δῦσα εἰς τὸ Πανδρόσιον, ἐπὶ τὸν βωμὸν ἀναβᾶσα τοῦ Ἑρκείου Διὸς, τὸν ὑπὸ τῇ ἐλαίᾳ, κατέκειτο. *Canis, in Poliadis fanum ingressa, cum in Pandrosi se recepisset, ascensa Jovis Hercei ara, quæ sub olea, procubuit.* Exstat hoc fragmentum apud Dionysium Halicarn. in *Dinarcho*; & Anonymum, *Olymp.* CXVIII. *anno* III. Et observa ibi obiter Jovis quoque Hercei aram; cujus meminit etiam Plato, *Euthydemo*. Respexit Pandrosi templum, in quo cultus ei divinus habebatur. Athenagoras, in *Legat.* Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς, καὶ μυστήρια ἄγουσι, καὶ Πανδρόσῳ. *Agraulo quoque Athenienses cæremonias, ac mysteria, peragunt; item Pandroso.* Porro & olea in Pandrosi isto fano. Vides in Philochori verbis, *jam citatis*. Ἐπὶ τὸν βωμὸν ἀναβᾶσα τοῦ Ἑρκείου Διὸς, τὸν ὑπὸ τῇ ἐλαίᾳ. *Ascensa Jovis Hercei ara, quæ sub olea.* Ergo oleæ in arce erant, duobus locis; in Minervæ Poliadis, ut ostendi: & Pandrosi. Ac Μορίαι dicebantur. Scholiastes Aristophanis *Nubibus*. Αἱ ἱεραὶ ἐλαῖαι τῆς Ἀθηνᾶς ἐν τῇ ἀκροπόλει, Μορίαι ἐκαλοῦντο. *Sacræ Minervæ oleæ, quæ in arce,* Μορίαι *dicebantur.* Etiam Ἀσταί. Eustathius, ad *Odyss.* ά. Καὶ ἀστὴν ἐλαίαν τὴν ἐκεῖθεν· καὶ μάλιστα τὴν ἐξ ἀκροπόλεως, τὴν καὶ ἱεράν. *Et oleam,* Ἀστὴν *vocatam, quæ inde erat; ac potissimum ex arce, quæ & sacra.* Item Πάγκυφοι. *Hesychius.* Ἀστὴ ἐλαία, ἡ ἐν ἀκροπόλει, ἡ καλουμένη Πάγκυφος, διὰ χθαμαλότητα. *Olea* Ἀστὴ, *quæ in arce, &* Πάγκυφος *dicitur, quod non multum a terra assurgat.* Iterum *alibi*. Πάγκυφος. ἐλαίας εἶδός τι, κατακεκυφὸς, καὶ ταπεινὸν, ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Oleæ quædam species est in arce, inclinatæ, ac depressæ, quæ* Πάγκυφος *vocatur.* Ac translata inde postea, & plantata in Academia. Ister, apud Scholiasten Sophoclis *Oed. Colon.* Εἶναι δὲ κλάδον τῆς ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐλαίας, τὴν ἀπὸ τῆς ἐν ἀκροπόλει φυτευθῆναι φασίν. *Esse vero ramum ejus, quæ in Academia est, oleæ; quam, ab arce traductam, ibi plantatam esse ferunt.*

CAP. XXIII.

Virginum duarum, quæ Κανηφόροι *appellatæ, habitatio; & solenne item factum. Eueris anus. Erechtheus, & Immaradus, pugnantes. Tolmidæ vates, & ipse Tolmides. Minervæ simulacra quædam. Apri venatio; Cycni, & Herculis, pugna.*

PORRO ad Poliadis templum, aut non longe certe inde, virgines duæ, Κανηφόροι appellatæ, habitabant; quæ, ad tempus præstitutum apud deam commoratæ, ubi dies festus venerit, noctu, quæ sacerdos deæ ferre jusserit, in caput tollunt; neque illa, quid det, gnara; neque istis, quidnam ferant. inde in speluncam quandam, in septo prope fanum Veneris, quam *In hortis* appellabant, descendentes, onus ponunt; aliudque, pariter velatum, tollunt. Pausanias, in *Atticis*. Παρθένοι δύο τοῦ ναοῦ τῆς Πολιάδος οἰκοῦσιν οὐ πόῤῥω, καλοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι σφᾶς κανηφόρους. αὗται χρόνον μέν τινα δίαιταν ἔχουσι παρὰ τῇ θεῷ. παραγενομένης δὲ τῆς ἑορτῆς, δρῶσιν ἐν νυκτὶ τοιάδε. ἀναθεῖσαι σφίσιν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς, ἃ ἡ τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια δίδωσι φέρειν οὔτε ἡ διδοῦσα ὁποῖον τι δίδωσιν εἰδυῖα, οὔτε ταῖς φερούσαις ἐπισταμέναις. Ἔστι δὲ περίβολος ἐν τῇ πόλει, τῆς καλουμένης ἐν κήποις Ἀφροδίτης οὐ πόῤῥω, καὶ δι' αὐτοῦ κάθοδος ὑπόγαιος αὐτομάτη· ταύτῃ κατίασιν αἱ παρθένοι. κάτω μὲν δὴ τὰ φερόμενα λείπουσι, λαβοῦσαι δὲ ἄλλο τι κομίζουσιν ἐγκεκαλυμμένον. *Virgines duæ, quas Cistiferas Athenienses vocant, non longe a Poliadis habitant; hæ ad tempus aliquod apud deam commorantur: cum advenerit vero festum, noctu hæc faciunt. capiti imponunt, quæ ferenda a Minervæ sacerdote dantur; cum nec ipsa, quæ dat, sciat quid det; neque etiam, quæ ferunt. Est autem septum in Urbe, non longe a Venere, quæ* In hortis *appellabatur, in quo specus quædam nativa. Illic virgines descendunt; quæ tulerunt, deponentes: aliudque, item occultum, accipientes, inde abducunt.* Spectabatur etiam hic Eueris anus, cubitali magnitudine; quæ Lysimaches ministra. Pausanias, *loc. cit.* Πρὸς δὲ τῷ ναῷ τῆς Ἀθηνᾶς (τῆς Πολιάδος) ἔστι μὲν Εὔηρις πρεσβῦτις, ὅσον τε πῆχυς μάλιστα, φαμένη διάκονος εἶναι Λυσιμάχῃ. *Ad Minervæ (Poliadis) est Eueris anus, instar cubiti; quæ Lysimaches ministra esse dicebatur.* Statuæ quoque ingentes Erechthei, & Immardi, inter se pugnantium. Pausanias, *loc. cit.* Ἔστι δὲ ἀγάλματα μεγάλα χαλκοῦ, διεστῶτες ἄνδρες ἐς μάχην· καὶ τὸν μὲν, Ἐρεχθέα καλοῦσι· τὸν δὲ, Εὔμολπον. καί τοι λέληθέ γε οὐδὲ Ἀθηναίων ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν, Ἰμμάραδον εἶναι παῖδα Εὐμόλπου τοῦτον, τὸν ἀποθανόντα ὑπὸ Ἐρεχθέως. *Sunt & signa ex ære magna, virorum inter se pugnantium; & hunc, Erechtheum; illum, Eumolpum esse volunt. qui res tamen Atheniensium priscas norunt, ii sciunt, Immaradum esse, Eumolpi filium, ab Erechtheo interfectum.* Interius in basi autem, vatum Tolmidæ statuæ erant; & ipse Tolmides. Pausanias, *loc. cit.* Ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου καὶ ἀνδριάντες εἰσὶν ἐντὸς, οἷς ἐμαντεύετο Τολμίδῃ, καὶ αὐτὸς Τολμίδης. *Interius vero in basi statuæ item sunt eorum, qui vates Tolmidæ fuerunt; & ipsius quoque Tolmidæ.* Dein Minervæ quædam signa, fumo decolora; quæ integra permanserant, quo tempore Xerxes, rex Persarum, Urbem exurebat. Pausanias, *ibidem*. Ἔστι δὲ Ἀθηνᾶς ἀγάλματα ἀρχαῖα· καὶ σφίσιν ἀπεστάκη μὲν οὐδὲν, μελάντερα δὲ, καὶ πληγὴν ἐνεγκεῖν ἐστιν ἀσθενέστερα. ἐπέλαβε δὲ καὶ ταῦτα ἡ φλὸξ, ὅτε, ἐσβεβηκότων ἐς τὰς ναῦς Ἀθηναίων, βασιλεὺς εἷλεν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ τὴν πόλιν. *Et vetusta Minervæ signa visuntur, integra adhuc, sed nigriuscula, neque ictum ferre valida. & ad hæc pervasit flamma, cum, ingressis in naves Atheniensibus, rex (Persarum) Xerxes, vacuam viris urbem cepit.* Apri etiam venatio, & cum Hercule pugna Cycni. Pausanias, *loc. cit.* Ἔστι δὲ συός τε θήρα. περὶ οὗ σαφὲς οὐδὲν οἶδα, εἰ τοῦ Καλυδωνίου· καὶ Κύκνος, Ἡρακλεῖ μαχόμενος. *Et Venatio illic apri est; sed incertum, an Calydonii: item Cycnus, cum Hercule pugnans.*

CAP. XXIV.

Rerum aliquot, a Theseo gestarum, historia, in ære expressa.

SEQUEBANTUR res a Theseo gestæ. Narrant Herculem venisse Trœzenem, ad Pittheum; cumque accumbere vellet, leonis pellem, quam gestabat, deposuisse: accessisse autem pueros Trœzeniorum, & cum illis Theseum quoque, jam septennem: cæterosque, ad conspectum pellis territos, fugam statim arripuisse; [B] Theseum vero, imperterritum, exiisse aliquantisper: abreptaque e cujusdam famulorum manu securi, confestim aggredi voluisse; tanquam qui leonem esse, ac non pellem, existimaret. Præterea aliud item ferunt; Ægeum sub saxo crepidas, gladiumque, deposuisse; signa sibi ad filium agnoscendum futura: deinde Athenas reversum. Theseum vero, ubi annum ætatis suæ decimum sextum attigisset, saxo amoto, quæ deposita, abstulisse. Hæc ex ære, præter saxum, expressa erant. Pausanias, in *Atticis*. Τῶν δὲ ἐν Τροιζῆνι λόγων, ὃν περὶ Θησέα λέγουσιν, ἐστὶν· [C] ὡς Ἡρακλῆς ἐς Τροιζῆνα ἐλθὼν παρὰ Πιτθέα, κατάθοιτο ἐπὶ τῷ δείπνῳ τὸ λέοντος τὸ δέρμα· ἐσέλθοιεν δὲ παρ' αὐτὸν, ἄλλοι τε Τροιζηνίων παῖδες, καὶ Θησεὺς, ἕβδομον μάλιστα γεγονὼς ἔτος. τοὺς μὲν δὴ λοιποὺς παῖδας, ὡς τὸ δέρμα εἶδον, φεύγοντάς φασιν οἴχεσθαι· Θησέα δὲ, ὑπεξελθόντα, οὐκ ἄγαν σὺν φόβῳ, παρὰ τῶν διακόνων ἁρπάσαι πέλεκυν· καὶ αὐτίκα ἐπιέναι σπουδῇ, λέοντα εἶναι τὸ δέρμα ἡγούμενον. Ὅδε μὲν τῶν λόγων πρῶτος ἐς αὐτόν ἐστι Τροιζηνίοις· οἱ δὲ ἐπὶ τούτῳ, κρηπῖδας Αἰγέα ὑπὸ πέτρᾳ, καὶ ξίφος, θεῖναι, γνωρίσματα εἶναι τῷ παιδί. καὶ τὸν μὲν, ἐς Ἀθήνας ἀποπλεῖν. Θησέα δὲ, ὡς ἕκτον καὶ δέκατον ἔτος ἐγεγόνει, τὴν πέτραν ἀ- [D] νώσαντα οἴχεσθαι, καὶ τὴν παρακαταθήκην τὴν Αἰγέως φέροντα. τούτου δὲ εἰκὼν ἐν ἀκροπόλει πεποίηται τοῦ λόγου, χαλκοῦ πάντα ὁμοίως, πλὴν τῆς πέτρας. *Inter ea, quæ de Theseo Trœzenii dicunt, illud fertur; Herculem, cum Trœzena ad Pittheum venisset, in cœna pellem deposuisse: accessisse autem pueros Trœzeniorum alios, & in his Theseum, annos circiter septem natum, ac cæteros quidem pueros, conspecta pelle, aufugisse; Theseum vero, non adeo territum, exiisse, &, securi a famulis correpta, acriter statim invasisse, leonem esse, quæ pellis erat, existimantem. Et hoc quidem primum est, quod de ipso apud Trœzenios memoratur; alterum, istud: Crepidas* [E] *Ægeum sub saxo, & ensem, deposuisse; ut istis signis filium olim nosse posset: atque sic reversum Athenas. Theseum postea, annos sex & decem natum, amoto saxo, quæ deposuisset Ægeus, sustulisse. Hujus rei imago tota, præter saxum, in arce ex ære est expressa.* Ad hæc, de tauro Marathonio victoria. Pausanias, *loco cit.* Ἀνέθεσαν δὲ καὶ ἄλλο Θησέως ἔργον· καὶ ὁ λόγος οὕτως ἐς αὐτὸ ἔχει. Κρησὶ τήν τε ἄλλην γῆν, καὶ τὴν ἐπὶ ποταμῷ Τεθρίνι, ταῦρος ἐλυμαίνετο. ὡς δὲ ἐς τὸ πεδίον ἀφείθη τὸ Ἀργείων, φεύγει διὰ τοῦ Κορινθίου Ἰσθμοῦ· φεύγει δὲ ἐς γῆν τὴν Ἀττικὴν, καὶ τῆς Ἀττικῆς ἐς δῆμον τῶν Μαραθωνίων· [F] καὶ ἄλλους τε ὁπόσοις ἐπέτυχε, καὶ Μίνω παῖδα Ἀνδρόγεων ἀπέκτεινε. Μίνως δὲ, ναυσὶν ἐς Ἀθήνας πλεύσας, οὐ γὰρ ἐπείθετο ἀναιτίους εἶναι σφᾶς τῆς Ἀνδρόγεω τελευτῆς, ἐς τοσοῦτον ἐκάκωσεν, ἐς ὃ συνεχωρήθη οἱ παρθένους ἐς Κρήτην ἑπτὰ, καὶ παῖδας ἴσους, ἄγειν τῷ λεγομένῳ Μινωταύρῳ τὸν ἐν Κνωσσῷ λαβύρινθον οἰκῆσαι. τὸν δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι ταῦρον ὕστερον Θησεὺς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐλάσαι καὶ θῦσαι λέγεται τῇ θεῷ. καὶ τὸ ἀνάθημά ἐστι τοῦ δήμου τοῦ Μαραθωνίων. *Aliud etiam Thesei facinus commemoratur, quod sic habet. Cretensibus cum cæterum agrum tum Tethri-* [A] *ni fluvio adjectum, taurus infestum reddebat. isque cum in campum item Argivorum irrupisset, per Isthmum Corinthium Atticam invasit, & in ea Marathonem. ibi obvios quosque occidit, & in his Androgeon quoque, Minois filium; qui, cum persuaderi haud posset, sine culpa Atheniensium factum esse, infesta classe in eos tendens, graviter adeo divexavit, ut promitterent, virgines septem, & pueros totidem, Minotauro, qui in labyrintho Gnossi habitare ferebatur, se missuros. Taurum vero Marathonium postea Theseus in arcem egisse, & deæ immolasse traditur; estque in hanc rem donarium* [B] *Marathoniorum populi.*

CAP. XXV.

Cylonis statua, ex ære; & Minervæ τῆς Προμάχου. Currus quoque, & Periclis statua; item aliud Minervæ a Lemniis dedicatæ, signum.

CYLONIS quoque ex ære ibi statua posita; ejus nempe, qui consilium de tyrannide usurpanda olim cepit. Pausanias, in *Attic.* Κύλωνα δὲ οὐδὲν ἔχω σαφὲς εἰπεῖν, ἐφ' ὅτῳ χαλκοῦν ἀνέθεσαν, τυραννίδα ὅμως βουλεύσαντα. τεκμαίρομαι δὲ τῶνδε [C] ἕνεκα, ὅτι εἶδος κάλλιστος, καὶ τὰ ἐς δόξαν ἐγένετο οὐκ ἀφανὴς, ἀνελόμενος διαύλου νίκην Ὀλυμπικήν· καὶ οἱ θυγατέρα ὑπῆρξε γῆμαι Θεαγένους, ὃς Μεγάρων ἐτυράννησε. *At Cyloni, quamvis hic rempublicam invadere cogitaverit, qua de causa statuam æneam collocaverint, explorati nihil habeo. Conjectura est, quod & forma antecelleret; gloriaque minime in postremis esset; quippe Olympiæ stadio iterato victor, & Theagenis, Megarensium tyranni, etiam gener.* Inde Minervæ signum æneum, e manubiis Persarum, qui ad Marathonem cæsi, dedicatum, Phidiæ opus; in cujus clypeo Lapitharum & Centaurorum pugnam Mys cælavit: cum eam ipsi, & quæ [D] porro spectabantur, Parrhasius prior pinxisset. Hastæ vero ejus cuspis, quæque in summa galea crista, a Sunio usque adnavigantibus conspiciebatur. Pausanias, *loc. cit.* Χωρὶς δὲ γε ὅσα κατέλεξα, δύο μὲν Ἀθηναίοις εἰσὶ δεκάται πολεμήσασιν, ἄγαλμα Ἀθηνᾶς χαλκοῦν, ἀπὸ Μήδων, τῶν ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντων, τέχνη Φειδίου· καὶ οἱ τὴν ἐπὶ τῆς ἀσπίδος Λαπιθῶν πρὸς Κενταύρους, καὶ ὅσα ἄλλα ἐστὶν ἐπειργασμένα, λέγουσι τορεῦσαι Μῦν· τῷ δὲ Μυῒ, ταῦτά τε καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἔργων, Παρράσιον καταγράψαι τὸν Εὐήνορος. ταύτης τῆς Ἀθηνᾶς ἡ τοῦ δόρατος αἰχμὴ, καὶ ὁ λόφος τοῦ κράνους, ἀπὸ Σουνίου προσπλέουσίν ἐστιν ἤδη σύνοπτα. [E] *Præter ea, quæ recensui, Atheniensibus duo e manubiis belli monumenta ostentantur; æneum Minervæ signum, Medis victis, Marathonem qui invaserant, dedicatum, a Phidiæ arte: quæ in clypeo Lapitharum & Centaurorum pugna exstat, uti ferunt, Mys cælavit; Myi vero antea eam, quæque in clypeo illo alia, Parrhasius Evenoris pinxit. Hastæ cuspis, & in summa galea crista, usque a Sunio adnavigantibus conspici poterant.* Erat vero simulacrum hoc Minervæ τῆς Προμάχου cognomento appellatæ. Indicium facit Scholiastes Demosthenis, ad *Orat. in Androtionem*. Τρία ἀγάλματα ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει τῆς Ἀθηνᾶς, ἐν διαφόροις τόποις· ἓν μὲν, [F] ἐξ ἀρχῆς γενόμενον, ἐξ ἐλαίας, ὅπερ ἐκαλεῖτο Πολιάδος Ἀθηνᾶς· δεύτερον δὲ, τὸ ἐκ χαλκοῦ μόνου, ὅπερ ἐποίησαν νικήσαντες οἱ ἐν Μαραθῶνι. ἐκαλεῖτο δὲ τοῦτο Προμάχου Ἀθηνᾶς· τρίτον ἐποιήσαντο ἐκ χρυσοῦ, καὶ ἐλέφαντος, ὡς πλουσιώτεροι γενόμενοι ἐκ τῆς ἐν Σαλαμῖνι νίκης, ὅσῳ καὶ μείζων ἡ νίκη. καὶ ἐκαλεῖτο τοῦτο Παρθένου Ἀθηνᾶς. *Tria in arce Minervæ simulacra erant, diversis locis. Unum quidem, ab initio, ex olea factum, quod* Πολιάδος *appellabant; alterum, e solo ære, quod fecere, cum vicissent ad Marathonem; ac* Προμάχου *hoc dicebant: tertium, ex*

ciro

auro & ebore dedicarunt, e prælio ad Salaminem; tanto ditiores facti, quanto & victoria major: atque hoc Παρθένου *dictum*. De hoc ipso capiendus & Demosthenes, in *Orat.* περὶ παραπρεσβ. Ὅλης οὔσης ἱερᾶς τῆς ἀκροπόλεως ταυτησὶ, καὶ πολλὴν εὐρυχωρίαν ἐχούσης, παρὰ τὴν χαλκῆν τὴν μεγάλην Ἀθηνᾶν ἐν δεξιᾷ ἕστηκεν· ἣν ἀριστεῖον ἡ πόλις τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους πολέμου, δόντων Ἑλλήνων τὰ χρήματα ταῦτα, ἀνέθηκε. *Cum tota quidem arx sit sancta, & spatiosa, juxta magnam ex ære Minervam ad dextram situm est; quam victoriæ bello in barbaros reportatæ monumentum, pecuniam conferentibus Græcis, urbs dicavit*. Quem ipsum Oratoris locum citat quoque Minutianus, *lib.* Περὶ ἐγχειρημάτων. Permansisse id simulacrum ad Arcadii & Honorii usque tempora, apud Zosimum observare est, lib. v. Ἐπιὼν Ἀλάριχος πανστρατιᾷ τῇ πόλει, τὸ μὲν τεῖχος ἑώρα περινοστοῦσαν τὴν Πρόμαχον Ἀθηνᾶν, ὡς ἔστιν αὐτὴν ὁρᾶν ἐν τοῖς ἀγάλμασιν. *Alarichus vero, postquam ad Urbem (Athenarum) cum exercitu universo accessisset, vidit Minervam,* Πρόμαχον *cognomento dictam, muros circumeuntem, plane uti inter simulacra hanc spectare licet*. Dixi autem, ex ære fuisse; & huc respexit sine dubio ullo Ovidius, *de Pont.* lib. IV. eleg. I. Vide verba, paullo ante a me producta, *cap.* XV. Currus quoque spectabatur, item ex ære, & donarium de Bœotiorum decimis, Chalcidensiumque Eubœæ. Pausanias, in *Atticis*. Καὶ ἅρμα κεῖται χαλκοῦν, ἀπὸ Βοιωτῶν δεκάτη, καὶ Χαλκιδέων, τῶν ἐν Εὐβοίᾳ. *Currus etiam ibidem æneus dedicatus, de Bœotiorum decimis, & Eubœæ Chalcidensium*. Hic est ille, quem ad dextram in propylæi introitu refert Herodotus, *l.* v. *c.* LXXVII. Ἀντίον δὲ τοῦ μεγάρου, τοῦ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένου, καὶ τῶν λύτρων τὴν δεκάτην ἀνέθηκαν, ποιησάμενοι τέθριππον χάλκεον· τὸ δὲ, ἀριστερῆς χερὸς ἕστηκε πρῶτα ἐσιόντι ἐς τὰ προπύλαια τὰ ἐν τῇ ἀκροπόλι. ἐπιγέγραπται δέ οἱ τάδε.

Ἔθνεα Βοιωτῶν, καὶ Χαλκιδέων, δαμάσαντες
 Παῖδες Ἀθηναίων ἔργμασιν ἐν πολέμου,
Δεσμῷ ἐν ἀχλυόεντι σιδηρέῳ ἔσβεσαν ὕβριν·
 Τῶν ἵππους δεκάτην Παλλάδι τάσδ' ἔθεσαν.

E cœnaculi regione, qua occasum illud spectat, decimam quoque redemptionis consecrarunt, facta ex ære quadriga. ea autem in arce collocata erat, ad dextram manum, in ipso propylæi introitu; atque inscripta ista erant.

Attica perdomitis acri sub marte juventus
 Bœotum populis, Chalcidicaque manu,
Damna rependerunt vinclis, & carcere cœco;
 Quorum hæ de decima stant tibi, Pallas, equæ.

Denique Pericles visebatur, & Minerva rursum alia, Phidiæ operum præstantissima; Lemnia dicta, quia Lemnii dedicassent. Pausanias, *loco cit.* Δύο δὲ ἄλλα ἐστὶν ἀναθήματα, Περικλῆς ὁ Ξανθίππου, καὶ τῶν ἔργων τῶν Φειδίου θέας μάλιστα ἄξιον, Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἀπὸ τῶν ἀναθέντων καλουμένης Λημνίας. *Sunt & alia duo donaria, Pericles Xanthippi, &, e Phidiæ operibus maxime spectatu dignum, Minervæ signum, Lemniæ dictum, ab iis qui dedicarunt.*

CAP. XXVI.

Ὀπισθόδομος, *in quo ærarium. Pollux, & Ulpianus emendati. Mille illic talenta seposita, in necessitatem summam: & inscripti, qui ærario deberent. Claves ejus, penes τὸν* Ἐπιστάτην *erant; qui uno tantum die servabat, item semel. Qua de causa id factum. Opisthodomus postea conflagravit. Quo pacto illud acciderit.*

HACTENUS nos *Pausanias* duxit; nunc præterea quæ fuerunt, alibi nobis observata, pro-

A ponemus. In his Ὀπισθόδομος erat, proprie dictus, post Minervæ τῆς Πολιάδος, duplici muro communitus; per quem una tantum janua intrabatur ad ærarium, quod hic fuit. Scholiastes Aristophanis *Pluto*. Ὄπισθεν τοῦ νεὼ τῆς καλουμένης Πολιάδος Ἀθηνᾶς διπλοῦς τοῖχος, ἔχων θύραν, ὅπου ἦν θησαυροφυλάκιον· ἐπειδὴ τὰ χρήματα ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ ἀπέκειτο· μέσον δέ ἐστι τῆς ἀκροπόλεως, ἔνθα ἦν ταμεῖον, ὄπισθεν τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς ναοῦ. *Retro Minervæ fanum, quæ* Πολιάς *cognominata, duplex murus erat, januam habens, ubi thesauri asservati; siquidem pecuniæ in Opisthodomo repositæ. Erat vero in medio arcis, & ærarium ibidem, pone Minervæ*. Et qui-
B dem illic fuisse, multi tradunt. *Hesychius*. Ὀπισθόδομος, ἐν τῇ ἀκροπόλει. οὗ τὸ δημόσιον ἀργύριον ἀπέκειτο. *Opisthodomus, in arce; ubi pecunia publica reposita*. Etymologici Auctor. Ὀπισθόδομος, τὸ ὄπισθεν παντὸς οἰκήματος. Ἀθηναῖοι δὲ, τὸ ταμεῖον τῶν ἱερῶν χρημάτων· ἐπεὶ ἦν ὄπισθεν τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀθηνᾶς. *Opisthodomus, pars postica ædificii cujusque. Athenienses vero ærarium, in quo pecuniæ sacræ conditæ, eo nomine appellabant, siquidem post Minervæ erat*. Videndi quoque *Suidas*, & *Harpocration*. Pollux retro arcem ponit, *l.* IX. *c.* v. Τὸ κατόπιν τῆς ἀκροπόλεως, ὀπισθόδομον. *Posticum arcis, O-*
C *pisthodomum*. Et Ulpianus, in *Timocratem*. Χρήματα καὶ τῶν ἄλλων ἱερὰ θεῶν, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς, ἔκειτο ἔν τινι οἰκήματι, ὀπίσω τῆς ἀκροπόλεως τῶν Ἀθηναίων, τοῦ καλουμένου Ὀπισθοδόμου. *Pecuniæ sacræ cum deorum aliorum, tum Minervæ, in ædificio quodam, Opisthodomo appellato, retro arcem Atheniensium, sitæ erant*. Sed voluit uterque dicere, certe debuit; ὀπίσω τοῦ ναοῦ τῆς Ἀθηνᾶς, τοῦ ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Retro Minervæ templum, quod in arce*. Nam quandoquidem arx in media Urbe sita, ut supra ostendi, nil anticum illi erat, nil posticum, nisi pro ratione habitantium. Ergo est manifestus error, Asservari illic solita, præter cæteras pecunias, mille talenta; quæ
D attingere, nisi in necessitate summa, nefas: ac statuta capitis pœna, si de iis commovendis temere quis aut verba fecisset, aut decretum. Factum id autem bello Peloponnesiaco. Thucydides, *libro* II. Οἱ Ἀθηναῖοι φύλακας ἐστήσαντο κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν, ὥσπερ δὴ ἔμελλον διὰ παντὸς τοῦ πολέμου φυλάξειν· καὶ χίλια τάλαντα ἀπὸ τῶν ἐν ἀκροπόλει ἔδοξεν αὐτοῖς, ἐξαίρετα ποιησαμένοις, χωρὶς θέσθαι, καὶ μὴ ἀναλοῦν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἄλλων πολεμεῖν· ἢν δέ τις εἴπῃ, ἢ ἐπιψηφίσῃ, κινεῖν τὰ χρήματα ταῦτα ἐς ἄλλο τι, ἢν μὴ οἱ πολέμιοι νηίτῃ στρατῷ ἐπιπλέωσι τῇ πόλει, καὶ δέῃ ἀμύνασθαι, θάνατον τὴν ζημίαν ἐπέ-
E θεντο. *Athenienses præsidia terra marique disposuerunt, quæ toto belli tempore in tutelam futura essent. quin & visum, e pecuniis, quæ in arce, talenta mille eximia habere, ac seponere, nec impendere, sed ex aliis bellum gerere. Quod si verba quis fecisset, decretumve, de pecunia hac movenda, in quemcumque alium usum, nisi hostis classe urbem invasisset, isque propulsandus esset, pœnam capitis posuerunt*. Andocides factum isthoc memorat pace tricennali, cum Lacedæmoniis constituta. Ita enim ait, in *Orat.* περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης; ubi de ea, & secutis illam bonis. Αὕτη γὰρ ἡ εἰρήνη τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ὑψη-
F λὸν ἦρε, καὶ κατέστησεν ἰσχυρὸν οὕτως, ὥστε πρῶτον μὲν ἐν τούτοις τοῖς ἔτεσιν εἰρήνην λαβόντες ἀνηνέγκαμεν χίλια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν, καὶ νόμῳ κατεκλείσαμεν, ἐξαίρετα εἶναι τῷ δήμῳ. *Hæc enim pax Athenienses in sublime plane extulit, ac potentes adeo fecit, uti primum, quibus annis eam accepimus, mille talenta in arcem retulerimus, & ista lege incluserimus, ut eximia populo essent*. Illud ipsum est, quod *Suidas* dicere voluit, in Ἄβυσσος; ubi ista ejus verba. Ἐν τῇ ἀκροπόλει χίλια τάλαντα ἀπέκειτο. *In arce mille talenta seposita*

erant. Et inſcripta in ærarii albo nomina eorum, qui deberent publico, ibi item aſſervata: atque ἐγγεγραμμένοι ἐν τῇ ἀκροπόλει, *in arce inſcripti*; uti rurſum, cum ſolviſſent, ἐξ ἀκροπόλεως ἐξαλιμμένοι, *ex arce deleti*, illi dicti. Occurrit, apud Demoſthenem, in *Ariſtogitonem*, Orat. I. & Libanium, in *Argumento*. Claves ejus, ut & arcis, ſicut dixi capite ſeptimo, penes τῷ Ἐπιστάτῃ erant. Scholiaſtes Demoſthenis, in *Argumento Orationis* in Androtionem. Τὰς κλεῖς τῆς ἀκροπόλεως (ὁ ἐπιστάτης) πιστεύεται, καὶ πάντα τὰ χρήματα τῆς πόλεως. ἵν' οὖν μὴ ἐρασθῇ τυραννίδος, διὰ τοῦτο μίαν ἡμέραν ἐποίουν αὐτὸν ἄρξαι. *Claves arcis (Epiſtata) credebantur, & pecuniæ omnes Urbis. ne vero tyrannidem affectaret, uno tantum die ei præfecturam permittebant*. Ubi illud quoque obſerva; uno tantum die id factum, & qua de cauſa. Quin ut ultra diem unum nemo claves aſſervabat, itaque neque bis eidem credebantur. Euſtathius, ad *Odyſſ.* ρ. Γίνεται ἐπιστάτης Ἀθήνησιν ἐκ τῶν πρυτάνεων εἷς, ὃς ἐπιστατεῖ νύκτα καὶ ἡμέραν μίαν. καὶ πλείω χρόνον οὐκ ἔξεστιν, οὐδὲ δὶς τὸν αὐτὸν γενέσθαι. τάς τε κλεῖς τῶν ἱερῶν, ἐν οἷς τὰ χρήματά ἐστι, φυλάττει. *Athenis, qui* Ἐπιστάτης *dicitur, unus creatur e prytanibus; qui noctem, & diem unum, præeſt: neque vere diutius licet, neque bis eundem fieri: aſſervat autem claves ſacrorum, in quibus pecuniæ*. Pollux, *lib.* VIII. *cap.* IX. *ſect.* VIII. Ὁ δὲ Ἐπιστάτης καλούμενος, ἐστὶν εἷς τῶν πρυτάνεων, κλήρῳ λαχείς. δὶς δὲ οὐκ ἔξεστι γενέσθαι τὸν αὐτὸν ἐπιστάτην. ἔχει δὲ οὗτος τὰς κλεῖς τῶν ἱερῶν, ἐν οἷς τὰ χρήματα. *Qui* Ἐπιστάτης *appellatur, unus eſt e prytanum numero, ſorte lectus. biſque eundem fieri, non licet; habet autem claves ſacrorum, in quibus pecuniæ*. Suidas. Τῶν πρυτάνεων εἷς, κλήρῳ λαχείς, ἐπιστάτης ἐλέγετο. δὶς δὲ τὸν αὐτὸν ἐπιστατῆσαι, οὐκ ἐξῆν. φυλάττει δὲ τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα. *Ex prytanibus unus, ſorte lectus,* Ἐπιστάτης *dicebatur; biſque eundem munere illo fungi, illicitum. ac ſervabat claves templi, in quo publicæ pecuniæ*. Poſtea autem Opiſthodomus conflagravit. Meminit Demoſthenes, *Orat. in Timocratem*. Καὶ οἱ ταμίαι, ἐφ' ὧν ὁ ὀπισθόδομος ἐνεπρήσθη, καὶ οἱ τῶν τῆς θεοῦ, καὶ οἱ τῶν ἄλλων θεῶν, ἐν τῷ οἰκήματι τούτῳ ἦσαν, ἕως ἡ κρίσις αὐτοῖς ἐγένετο. *Quæſtores item, ſub quibus ærarium conflagravit, cum Minervæ, tum deorum cæterorum, in hoc domicilio fuerunt, donec de iis judicium factum eſſet*. Atque id quo pacto factum, refert nobis Ulpianus, in *eandem Orationem*. Ἰστέον ὅτι χρήματα καὶ τῶν ἄλλων ἱερὰ θεῶν, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς, ἔκειτο ἔν τινι οἰκήματι, ὄπισθεν τῆς ἀκροπόλεως τῶν Ἀθηναίων, τοῦ καλουμένου Ὀπισθοδόμου. καὶ ἦσαν τινὲς τεταγμένοι ταμίαι ἐπὶ τῇ φυλακῇ τούτων. ποτὲ οὖν, πολλῶν χρημάτων ἀπενεχθέντων ἐκεῖσε, ἔδοξε τοῖς τραπεζίταις, ἵν' αὐτοὶ κερδάνωσιν ἐκ τούτων. ὡς δὲ τοῦτο ἐποίησαν, ἔτυχεν ὕστερον ἀνατραπῆναι τὰς τραπέζας. ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς ἐμπρῆσαι τὸν ὀπισθόδομον, ἵνα δόξῃ τὰ χρήματα ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀναλωθῆναι, καὶ μὴ ὑπ' αὐτῶν. *Sciendum pecuniam, tam quæ diis aliis ſacra, quam quæ Palladi, repoſitam fuiſſe in conclavi quodam, poſt arcem Athenienſium, Opiſthodomi appellati; & quoſdam conſtitutos quæſtores, ad pecuniæ ejus cuſtodiam. Quodam autem tempore, cum pecunia illuc magna importata eſſet, viſum quæſtoribus, clam rep. mutuare argentariis, uti quæſtum inde facerent. ac cum factum ab ipſis eſſet, contigit, ut everterentur menſæ. qua de cauſa viſum iis, Opiſthodomum incendere; ut conſumptæ ab igne pecuniæ, non ab ipſis, putarentur*.

CAP. XXVII.

Jovis τοῦ Σωτῆρος ſignum, item Pluti. Fanum quoque ejuſdem Jovis, ut Minervæ τῆς Σωτείρας.

JOVIS quoque τοῦ Σωτῆρος ſimulacrum ibi invenio; qui ut Urbem, ita ærarium ſervaret: & appoſitum deinde Pluti, ac quidem videntis, non cœci, ut alias fingebatur: aureum inſuper, & alatum. Hinc intelligendus Ariſtophanes, *extrema Pluto*; ubi ludens introducit Carionem, volentem eum, poſtquam viſum accepiſſet, in arce, in locum Jovis τοῦ Σωτῆρος, collocare.

ΚΑΡ. Θάρρει. καλῶς ἔσται γὰρ, ἢν θεὸς θέλῃ.
Ὁ Ζεὺς ὁ Σωτὴρ γὰρ πάρεστιν ἐνθάδε,
Αὐτόματος ἥκων. ΙΕΡ. πάντ' ἀγαθὰ τοίνυν λέγεις.
ΚΑΡ. Ἱδρυσόμεθ' οὖν αὐτίκ', ἀλλὰ περίμενε,
Πλοῦτον, οὗπερ πρότερον ἦν ἱδρυμένος,
Τὸν Ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς θεοῦ.

CAR. *Bono animo es; nam, Deo volente, bene omnia*
Habebunt: quandoquidem tuus ille Jupiter
Servator hic eſt, quo ſponte advenit ſua,
SAC. *Bene Hercle nuntias.* CAR. *parumper ſuſtine;*
Nam Plutum eodem collocabimus illico,
Ubi repoſitus Jupiter prius fuit,
Semper Minervæ opiſthodomum cuſtodiens.

Ac de Pluti ſimulacro, eſt Philoſtrati item locus, *Iconum* lib. II. Ἐφέστηκε τῇ ἀκροπόλει καὶ ὁ δαίμων ὁ Πλοῦτος. γέγραπται δὲ πτηνὸς μὲν, ὡς ἐκ νεφῶν· χρυσοῦς δὲ, ὡς ἀπὸ τῆς ὕλης, ἐν ᾗ ἐφάνη. γέγραπται καὶ βλέπων· ἐκ προνοίας γὰρ αὐτοῖς ἀφίκετο. *Stat etiam in arce deus Plutus; & ille quidem alatus pictus, tanquam e nubibus qui prodiret: aureus vero, ob materiam, in qua apparuit. deinde & videns, ceu qui ex propoſito ad ipſos acceſſiſſet*. Jovis autem τοῦ Σωτῆρος proprium ſacellum illic exſtitiſſe, & Minervæ τῆς Σωτείρας, Lycurgus indicat, *Orat.* in Leocratem. Οὔτε τὴν ἀκρόπολιν, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σωτείρας, ἀφορῶν, καὶ προδιδοὺς, ἐφοβήθη. *Neque arcem, & ſacellum Jovis quoque Servatoris, ac Minervæ Servatricis, reſpiciens, prodenſque, extimuit*. Ac Jovis quidem iterum memorat, in *fine ejuſdem Orationis*.

CAP. XXVIII.

Agrauli templum, & Jovis τοῦ Πολιέως. Minervæ, a Nicia dedicatæ, ac Mercurii τοῦ Ἀμυήτου, ſimulacra. Clementis locus emendatus. Veneris τῆς Ἱππολυτίας templum. Pandionis ſtatua; item matris Iſocratis, & materteræ etiam Anacus. Telluris quoque τῆς Κουροτρόφου, Verecundiæ, Amicitiæ, aut Simplicitatis, aræ. Heſychii locus emendatus. Ara alia, quæ incertum cui deo, aut deæ, ſacra.

AGRAULI etiam templum obſervo, apud Herodotum, *l.* VIII. *c.* LIII. Ἔμπροσθεν ὦν πρὸ τῆς ἀκροπόλιος, ὄπισθεν δὲ τῶν πυλέων, καὶ τῆς ἀνόδου, τῇ δὴ οὔτε τις ἐφύλασσε, οὔτ' ἂν ἤλπισε μήκοτέ τις κατὰ ταῦτα ἀναβαίη ἀνθρώπων, ταύτῃ ἀνέβησάν τινες κατὰ τὸ ἱρὸν τῆς Κέκροπος θυγατρὸς Ἀγραύλου, καίτοιπερ ἀποκρήμνου ἐόντος τοῦ χώρου. *Igitur a fronte arcis, pone portas, & aſcenſum, ubi nec quis excubabat, neque quenquam aſcenſurum credebatur, illa parte, quamquam præruptus locus eſſet, quidam conſcenderunt, juxta templum Agrauli, Cecropis filiæ*. Reſpexit Athenagoras, in *Legat.* Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς, καὶ μυστήρια, ἄγουσι. *Et Agraulo Athe-*

niensessacra, & initia, celebrant. Colebatur etiam Jupiter Πολιαῖος. *Etymologici Auctor.* Διϊπόλια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη Διῒ τῷ Πολιαίῳ, ἤγουν ἐν ἀκροπόλει τιμωμένῳ. *Diipolia, festum celebrari solitum Jovi Poliæo, sive qui in arce colebatur.* Et Minervæ ibidem signum, a Nicia dedicatum, auro inductum, quod detritum sua ætate Plutarchus narrat, in *Vita Niciæ.* Εἱστήκει δὲ καὶ τῶν ἀναθημάτων αὐτοῦ καθ' ἡμᾶς τό, τε Παλλάδιον ἐν ἀκροπόλει, τὴν χρύσωσιν ἀποβεβληκός. *Ex donariis ejus nostra quoque ætate Minervæ simulacrum stetit, quod jam auraturam amiserat.* Mercurius, ὁ Ἀμύητος cognomento, memoratur ab *Hesychio.* Ἑρμῆς Ἀμύητος, Ἀθήνησιν, ἐν ἀκροπόλει. *Mercurius Profanus, Athenis (colebatur,) in arce.* Meminitque ejus Clemens, in *Protreptico.* Τί γὰρ ἡγεῖσθε, ὦ ἄνθρωποι, τὸν Τυχῶνα Ἑρμῆν, καὶ τὸν Ἀνδοκίδην, καὶ τὸν Ἀμύητον. *Quid enim existimatis, o homines, Mercurium Typhonem, & Andocidem, & Profanum?* Quem totum locum, quando se occasio offert, ita emendandum censeo. Τὸν Τύχωνα Ἑρμῆν, καὶ τὸν Ἀνδοκίδειον. De Tychone Mercurio, a me dictum in *Athenis*, lib. v. cap. v. Quem τὸν Ἀνδοκίδειον vocet, nemo ignorare potest, paullum modo literas antiquas doctus. Itaque locus sic interpretandus erat. *Quid enim existimatis, o homines, Mercurium Tychonem, & Andocideum, & P.* Minus recte viri docti emendare sunt conati. Veneris templum, a Phædra conditum, ut amore in Hippolytum liberaretur, refert Scholiastes Euripidis, in *Hippolytum.* Ἐν τῇ ἀκροπόλει ἱδρύσατο (ἡ Φαίδρα) Ἀφροδίτης ἱερόν, ἐπὶ κακῶν Ἱππολύτου. *In arce (Phædra) templum Veneris dedicaverat, ob Hippolyti mala.* Et Ἱππολυτία ea Venus inde dicta. Idem Scholiastes, in *eandem fabulam.* Ἀφροδίτης ναὸν ἱδρύσασθαι τὴν Φαίδραν φασί. ἐκάλεσε δὲ Ἀφροδίτην ἐφ' Ἱππολύτῳ· ἣν καὶ Ἱππολυτίαν καλοῦσι. *Veneris templum exstruxisse Phædra fertur. Vocavit autem Venerem, Hippolyti causa dedicatam: eamque etiam Hippolytiam dicunt.* Pandionis statua occurrit alibi apud Pausaniam in *Atticis*, extra ordinem. Πανδίονι δὲ καὶ ἄλλος ἀνδριάς ἐστιν ἐν ἀκροπόλει, θέας ἄξιος. *Pandioni autem & alia statua est in arce, digna visu.* Etiam matris Isocratis, ac Theodori, Oratorum; & Anacus, materteræ. Plutarchus, in *Isocratis Vita*, lib. De x. Rhet. Τῆς δὲ μητρὸς αὐτῶν, Ἰσοκράτης, καὶ Θεοδώρου, καὶ τῆς ταύτης ἀδελφῆς Ἀνακοῦς, εἰκόνες ἀνέκειντο ἐν ἀκροπόλει. *Matris vero ipsorum, Isocratis, & Theodori, sororisque ejus Anacus, statuæ in arce positæ erant.* Ara Telluris τῆς Κουροτρόφου, ab Erichthonio dedicata. *Suidas.* Κουροτρόφος, γῆ. ταύτῃ δὲ θῦσαι φασὶ τὸ πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει· καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι, χάριν ἀποδιδόντα τῇ Γῇ τῶν τροφείων. καταστῆσαι δὲ νόμιμον, τοὺς θύοντάς τινι θεῷ ταύτῃ προθύειν. Κουροτρόφος, *Tellus. huic primum Erichthonium sacra in arce fecisse tradunt; aram etiam dedicasse, gratitudinis ergo, ob accepta alimenta: tum & legem statuisse, ut, qui Deo cuicunque sacra facerent, huic prius immolarent.* Invenio etiam Verecundiæ, & Amicitiæ. *Hesychius.* Αἰδοῦς βωμός. Ἀθήνησιν, ἐν τῇ ἀκροπόλει, Αἰδοῦς, καὶ φιλίας, εἰσὶ βωμοί. *Verecundiæ ara. Athenis, in arce, Verecundiæ, & Amicitiæ, aræ exstant.* Etiam Simplicitatis. Eustathius, *ad Illiad.* χ'. Ἀθήνησιν Αἰδοῦς, καὶ Ἀφελείας, ἦν βωμός. περὶ τὸν τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς ναόν. *Erat Athenis ara Verecundiæ, & Simplicitatis; juxta Minervæ Poliadis fanum.* Nisi aut Φιλίας ibi legendum erit, ut *Hesychii* codex habet; aut Ἀφελείας apud *Hesychium.* Mihi magis vero simile videtur, cum Verecundia conjunctam Simplicitatem fuisse, & *Hesychium* emendandum. Lector doctus arbitrabitur. Thucydides aram quandam memorat, sine dei, aut deæ, nomine. Lo-

A cus exstat *lib.* I. Οἱ δ' ἄλλοι, ὡς ἐπιέζοντο, καί τινες καὶ ἀπέθνησκον ὑπὸ τοῦ λιμοῦ, καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἱκέται, τὸν ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Alii vero, cum affligerentur, ac jam fame quidam obirent, supplices ad aram, quæ in arce, considebant.*

CAP. XXIX.

Armamentarium, item sphæristerium virginum arrhephorarum: in quo ænea statua Isocratis. Bos, a Lysia; equus, ab Anthemione dedicatus. Meleagrides aves. Statua Hipparchi, Timarchi F. pro qua postea columna, ad inscribenda proditorum in B *ea nomina; tum Timarchi quoque statua; & columna item alia, juxta Minervæ τῆς Προμάχου simulacrum: & in illa decretum contra Arthmium Zeliten.*

FUIT item armamentarium. Observo in Decreto quodam, in Lycurgi honorem facto; apud Plutarchum, *extremo lib.* De x. Rhet. Χειροτονηθεὶς δὲ ἐπὶ τῇ τοῦ πολέμου παρασκευῇ, ὅπλα μὲν πολλά, καὶ βελῶν μυριάδας πέντε, ἀνήνεγκεν ἐς τὴν ἀκρόπολιν. *Delectusque ad parandum bellum, arma* C *multa, & telorum quinquaginta millia, in arcem intulit.* Etiam sphæristerium virginum arrhephorarum; in quo statua Isocratis ænea, equo singulari certantis. Plutarchus idem, eodem libro, in *Isocrate.* Λέγεται δὲ καὶ κελητίσαι (ὁ Ἰσοκράτης) ἔτι παῖς ὤν· ἀνάκειται γὰρ ἐν ἀκροπόλει χαλκοῦς, ἐν τῇ σφαιρίστρᾳ τῶν ἀρρηφόρων, κελητίζων. *Fertur vero etiam (Isocrates) equo singulari certasse, adhuc puer; estque in arce, in arrhephorarum virginum sphæristerio, equo singulari certantis statua ex ære.* Bos quoque, a Lysia dedicatus. Lucilius Tarrhæus, in *Collect. Proverb.* Βοῦς ἐν πόλει. ἐπὶ τῶν θαυμαζομένων. Λυσίας γὰρ ἐν ἀκροπόλει βοῦν ἔθηκε. *Bos in Urbe. De admirandis. Lysias enim bovem in arce dedicavit.* Vatica- D na Appendix, a Viro præstantissimo, Andrea Schotto, publicata, *Cent.* I. *Proverb.* XXV. Βοῦς ἐν πόλει. ἐπὶ τῶν παραδόξων, καὶ θαυμαζομένων. Λυσίας γὰρ ἀνέθηκε βοῦν ἐν ἀκροπόλει. *Bos in urbe. De inopinatis, & admirandis. Bovem enim Lysias in arce dedicavit.* Equus deinde, viro adstans, Anthemionis donarium; quod in equestrem ordinem a mercenario translatus esset. *Pollux, lib.* VIII. *cap.* X. Ἀνθεμίων δ' ὁ Διφίλου καλλωπίζεται δι' ἐπιγράμματος, ὅτι ἀπὸ τοῦ θητικοῦ τέλους εἰς τὴν ἱππάδα μετέστη. καὶ εἰκών ἐστιν ἐν ἀκροπόλει, ἵππος, ἀνδρὶ παρεστώς. καὶ τὸ ἐπίγραμμα. E

Διφίλου Ἀνθεμίων τόνδ' ἵππον θεοῖς ἀνέθηκε,
Θητικοῦ ἀντὶ τέλους ἱππάδ' ἀμειψάμενος.

Anthemion, Diphili F. ornatur inscriptione, quod e mercenario ordine in equestrem transiisset. estque statua in arce, equus, viro adstans; cum inscriptione ista.

Factus eques, nuper qui mercenarius, istum
Anthemion Diphili diis quoque sacrat equum.

Et Meleagrides aves. *Hesychius.* Μελεαγρίδες ὄρνεις. αἱ ἐνέμοντο ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Meleagrides aves, quæ in arce alebantur.* Suidas. Μελεαγρίδες, ὄρνεα. ἅπερ ἐνέμοντο ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Meleagrides, aves; quæ in arce alebantur.* Fuit & Hipparchi sta- F tua, Timarchi filii; postea conflata, & in columnam commutata, in qua deinde nomina proditorum inscripta, & ipsius quoque Hipparchi. Lycurgus. Orat. in *Leocratem.* Ἵππαρχον τὸν Τιμάρχου, οὐχ ὑπομείναντα τὴν περὶ προδοσίας ἐν τῷ δήμῳ κρίσιν, ἀλλ' ἔρημον τὸν ἀγῶνα ἐάσαντα, θανάτῳ τοῦτον ζημιώσαντες, ἐπειδὴ τῆς ἀδικίας οὐκ ἔλαβον τὸ σῶμα ὅμηρον, τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐξ ἀκροπόλεως καθελόντες, καὶ συγχωνεύσαντες, καὶ ποιήσαντες στήλην, ἐψηφίσαντο ἐς ταύτην ἀναγράφειν τοὺς ἀλιτηρίους, καὶ τοὺς προδότας. καὶ αὐτὸς ὁ Ἵππαρχος ἐν ταύτῃ τῇ στήλῃ ἀναγέγραπται. *Hipparchum, Timarchi filium, non exspectantem proditionis in populo ju-*

dicium, sed vadimonium deserentem, cum morti damnassent, neque injuriæ reum corpus in potestate sua haberent, statuam ejus ex arce deducentes, conflantesque, & columnam facientes; decreverunt in ea inscribere sceleratos, & proditores. adeoque ipse Hipparchus in columna hac inscriptus. Quin patris quoque ejus Timarchi; atque id quidem in sacello Jovis τοῦ Σωτῆρος, ut ex sequentibus postea verbis Lycurgi ejusdem, in *eadem Oratione*, manifestum. Ἡγοῦμαι δ' ἔγωγε, καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ, τὸν τετελευτηκότα, εἴ τίς ἐστιν αἴσθησις τοῖς ἐκεῖ περὶ τῶν ἐνθάδε γινομένων, ἁπάντων, ἂν χαλεπώτατον γενέσθαι δικαστήν· οὗ τὴν χαλκῆν εἰκόνα ἔκδοτον κατέλιπε τοῖς πολεμίοις ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος ἱερῷ συλῆσαι, καὶ αἰκίσασθαι· καὶ ἣν ἐκεῖνος ἔστησε μνημεῖον τῆς αὐτοῦ μετριότητος, ταύτην αὐτὸς ἐπονείδιστον ἐποίησε. *Ego vero existimo, patrem ejus, defunctum, si quis sensus est defunctis earum rerum, quæ hic geruntur, judicem omnium difficillimum futurum: cujus ille statuam æneam hostibus expositam reliquit, ut in Jovis Servatoris templo eam spoliarent, contumeliaque afficerent: & quam ipse modestiæ suæ monumentum sibi posuerat, eam probro hic exposuit.* Erat alia etiam columna, in qua decretum contra Arthmium Zelitem; qui pecuniam a Medis, corrumpendis Græcis, adduxerat. Dinarchus, Orat. in *Aristogitonem*. Καλῶς γε, ὦ Ἀθηναῖοι, καλῶς οἱ πρόγονοι περὶ τούτων ψηφισάμενοι, στήλην εἰς ἀκρόπολιν ἀνήνεγκαν. ὅτε φασὶν Ἄρθμιον τὸν Πυθώνακτος τὸν Ζελείτην κομίσαι τὸ χρυσίον ἐκ Μήδων, ἐπὶ διαφθορᾷ τῶν Ἑλλήνων. πρὶν γὰρ λαβεῖν τινὰς, καὶ δοῦναι τρόπου πεῖραν, φυγὴν τοῦ κομίσαντος τὸ χρυσίον καταγνόντες, ἐξήλασαν [illegible] πάσης τῆς χώρας. καὶ ταῦθ', ὥσπερ εἶπον, εἰς τὴν ἀκρόπολιν, εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες, ἀνέθεσαν. *Pulcre quidem, Athenienses, pulcre majores vestri, facto de his decreto, columnam in arcem transtulerunt, cum Arthmius Pythonactis Zelites aurum a Medis, ad Græcorum corruptelam, adduxisset. prius enim, quam quisquam accepisset, & ingenii sui experimentum dedisset, fuga ejus, qui aurum attulerat, intellecta, tota ipsum regione ejecerunt. & hæc, uti a me dictum, cum columnæ, quæ ex ære, inscripsissent, in arce constituerunt.* Demosthenes, *Orat. in Philippum* III. Τὰ δ' ἐν τοῖς ἄνωθεν χρόνοις, ὅτι τἀναντία τούτων εἶχεν, ἐγὼ δηλώσω· οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων δεικνύων. ἃ ἐκεῖνοι κατέθεντο, εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες, εἰς ἀκρόπολιν. τί οὖν λέγει τὰ γράμματα; Ἄρθμιος, φησιν, ὁ Ζελείτης, ἄτιμος ἔστω, καὶ πολέμιος τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῶν συμμάχων, αὐτὸς, καὶ γένος. ὅτι τὸν χρυσὸν, τὸν ἐκ τῶν Μήδων, εἰς Πελοπόννησον ἤγαγεν. *Ac olim quidem contra factum, manifestum vobis faciam; non mea verba, sed majorum vestrorum literas, in medium proferens. Quid igitur literæ istæ dicunt? Arthmius, inquiunt, Zelites infamis esto, & hostis populi Atheniensis, ipse, ac genus; quia aurum a Medis in Peloponnesum intulit.* Atque hæc collocata erat juxta æneam Minervæ statuam, ad dextram ejus; ut est videre apud Demosthenem eundem, *in Orat.* περὶ τῆς παραπρεσβείας. Fuisse autem eam Minervæ τῆς Προμάχου, supra ostendi, *cap.* XXV.

CAP. XXX.

Clepsydra fons; aliusque, postea exhaustus. Corona aurea. Calices Thericlei. Cippus quidam, & ara. Xerxis Platanus. Demetrii Phalerei statua. Locus, Ἀνθέμιον *appellatus. Frenum, a Cimone dedicatum. Compedes, quibus vincti olim Chalcidenses, & Bœotii. Navis Paralus; & Hermionis, sive Naxica, aliæque. Sphæra ænea, in qua vires experiri mos athletis.*

HIC se etiam Clepsydra fons occultabat, ad viginti usque stadia ita subter terram fluens; quæque injicerentur, Etesiis flare incipientibus, iterum conspiciebantur. *Hesychius*. Κλεψίρρυτον ὕδωρ, τὸ τῆς Κλεψύδρας. αὕτη δέ ἐστι κρήνη Ἀθήνησιν, ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως ἐπὶ σταδίους εἴκοσιν ὑπὸ γῆν φερομένη. εἰς ἣν τὰ ἐμβαλλόμενα πάλιν θεωρεῖται, ἀρχομένων τῶν ἐτησίων. *Clanculum fluens aqua, Clepsydræ. hic autem fons est Athenis, qui ab arce usque viginti stadia sub terra fertur; quæque in eum injiciuntur, Etesiis incipientibus, rursum conspiciuntur.* Alius quoque olim fons hic spectabatur; postea exhaustus, propter varios terræ motus; ita ut rivuli tantum aliqui circum eum relicti essent ætate Platonis; cujus ista verba, in *Critia*. Κρήνη δ' ἦν μία, κατὰ τὸν τῆς νῦν ἀκροπόλεως τόπον· ἧς ἀποσβεσθείσης ὑπὸ τῶν σεισμῶν, τὰ νῦν νάματα σμικρὰ κύκλῳ καταλέλειπται. *Fons unus erat, ubi nunc arx est; quo exstincto terræ motibus, ii qui nunc habentur rivuli circum eum sunt relicti.* Corona item aurea illic asservata, quam amissam Sophocles per somnum restituit. Tertullianus, *De Anima*, c. XLVI. *Coronam auream cum ex arce Athenæ perdidissent, Sophocles Tragicus somniando redinvenit.* Scholiastes Sophoclis, in *ejus Vita*. Γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς, ὡς οὐκ ἄλλος, καθά Ἱερώνυμος φησὶν, ἐν τῷ Περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης. ταύτης γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπείσης, κατ' ὄναρ Ἡρακλῆς ἐδήλωσε Σοφοκλεῖ. *Fuit Sophocles etiam dei amans, quantum quisquam; ut Hieronymus ait, libro De corona aurea: quam, sublata cum ex arce furto esset, Hercules in somno Sophocli indicavit.* Ubi obiter quoque observa, integrum de ea Opus Hieronymo scriptum fuisse. Ad hæc calices Thericlei lignei, auro inducti, a Neoptolemo dedicati. Athenæus, lib. XI. Πολέμων δ', ἐν πρώτῃ Περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, οὐδετέρως ὠνόμασεν, εἰπών· τὰ χρυσᾶ Θηρίκλεια ὑπόξυλα Νεοπτόλεμος ἀνέθηκεν. *Polemon vero, libro primo De arce Atheniensi, neutro genere extulit, inquiens; Thericleos aureos, subter ligneos, Neoptolemus dedicavit.* Ara quoque, & cippus, in quo tyrannis Pisistratidarum expressa, commemoratur a Thucydide, *lib.* VI. Ὅτι δὲ πρεσβύτατος ὢν Ἱππίας ἦρξεν, εἰδὼς μὲν καὶ ἀκοῇ ἀκριβέστερον ἄλλων, ἰσχυρίζομαι. γνοίη δ' ἄν τις καὶ αὐτῷ τούτῳ. παῖδες γὰρ αὐτῷ μόνῳ φαίνονται τῶν γνησίων ἀδελφῶν γενόμενοι· ὡς ὅ, τε βωμὸς σημαίνει καὶ ἡ στήλη, περὶ τῆς τῶν τυράννων ἀδικίας, ἡ ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει σταθεῖσα. *Quod Hippias vero, maximus natu existens, imperaverit, id ego sciens, & auditu, accuratius aliis affirmavero. & ex eo satis certum, quod huic soli inter legitimos fratres liberos fuisse constet; idque & ara indicat, & cippus, tyrannorum injustitiam inscriptam habens, qui in arce collocatus.* Platanus etiam, tanquam aliquod de Xerxe profligato trophæum. Innuit locus Himerii, in *Eclogis*. Ἀπαιτήσω Ξέρξην, ἀντὶ τοῦ θεοῦ κατὰ τὴν ἀκρόπολιν τρόπαια· κατὰ μὲν Ποσειδῶνος, ὁ θαλλός· κατὰ δὲ τῶν βαρβάρων, ἡ πλάτανος. *Exigam a Xerxe, pro Minervæ olea, platanum; ut trophæa ejus deæ in arce duo conspiciantur: de Neptuno, olea; de Barbaris, platanus.* Et Demetrii Phalerei statua, una e trecentis sexaginta, ibi servata. Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, l. V. c. LXXVI. LXXVII. Σφόδρα δὲ λαμπρὸς ὢν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅμως ἐπεσκοτίσθη καὶ αὐτὸς, ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διεσθίοντος φθόνου. ἐπιβουλευθεὶς γὰρ ὑπό τινων, δίκην θανάτου οὐ παρὼν ὦφλεν. οὐ μὴν ἐκυρίευσαν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν ἰὸν ἀπήρυγον εἰς τὸν χαλκὸν, κατασπάσαντες αὐτοῦ τὰς εἰκόνας· καὶ τὰς μὲν, ἀποδόμενοι· τὰς δὲ, κατακόψαντες εἰς ἀμίδας. λέγεται γὰρ καὶ τοῦτο. μία δὲ μόνη σώζεται ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Verum cum valde clarus esset apud Athenienses, tamen etiam ipse ab invidia, quæ omnia depascitur, offuscatus est. quippe insidiis quorundam appetitus, absens morti est damnatus; cumque corpus non tenerent, æruginem in æs eructarunt, statuis ejus dejectis: quarum alias vendidere, alias contractas in matulas mutarunt: ita enim etiam fertur.*

unica vero tantum in arce est servata. Frenum item, a Cimone dedicatum, quo tempore Themistocles, relicta Urbe, classe pugnandum suadebat. Plutarchus, in *Vita Cimonis*. Ὅτε γὰρ τὸν δῆμον, ἐπιόντων Μήδων, Θεμιστοκλῆς ἔπειθε, προέμενον τὴν πόλιν, καὶ τὴν χώραν ἐκλιπόντα, πρὸ τῆς Σαλαμῖνος ἐν ταῖς ναυσὶ τὰ ὅπλα θέσθαι, καὶ διαγωνίσασθαι κατὰ θάλατταν, ἐκπεπληγμένων τῶν πολλῶν τὸ τόλμημα, πρῶτος Κίμων ὤφθη διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ φαιδρὸς ἀνιὼν εἰς τὴν ἀκρόπολιν μετὰ τῶν ἑταίρων, ἵππου τινὰ χαλινὸν ἀναθεῖναι τῇ θεῷ, διὰ χειρῶν κομίζων. ὡς οὐδὲν ἱππικῆς ἀλκῆς, ἀλλὰ ναυμάχων ἀνδρῶν, ἐν τῷ παρόντι τῆς πόλεως δεομένης. *Cum, invadentibus Medis, Themistocles populo auctor esset, ut, urbem agrumque deserentes, ad Salamina armarent naves, & mari pugnarent, ac facinoris multi audacia obstupescerent, primus Cimon conspectus est alacris, sodalibus comitantibus, per Ceramicum in arcem ascendere, frenumque, quod manibus ferebat, Minervæ dedicare: ceu nil amplius robur equestre, sed navalium prœliorum peritos milites, Urbs requireret*. Compedes etiam, quibus vincti pridem fuerant Chalcidenses, & Bœotii. Herodotus, *lib.* v. *c.* LXXVII. Ὅσους δὲ καὶ τούτων (τῶν Χαλκιδέων) ἐζώγρησαν, ἅμα τοῖσι Βοιωτῶν ἐζωγρημένοισιν, εἶχον ἐν φυλακῇ, ἐς πέδας δήσαντες· χρόνῳ δὲ ὕστερον ἔλυσαν σφέας διμνέως ἀποτιμησάμενοι. τὰς δὲ πέδας αὐτέων, ἐν τῇσι ἐδεδέατο, ἀνεκρέμασαν ἐς τὴν ἀκρόπολιν, αἵπερ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν περιεοῦσαι, κρεμάμεναι ἐκ τειχέων, περιπεφλευσμένων πυρὶ ὑπὸ τοῦ Μήδου. *Quotquot vero horum (Chalcidensium) ceperunt, una cum Bœotiorum captivis vinctos in carcerem conjecerunt; & aliquanto post, binis mulctatos minis, solverunt. compedes autem, quibus vincti, in arce suspenderunt; quæ ad meam usque ætatem exstabant, e muris, quos Medi ambusserunt, pendentes*. Pictæ ibidem in propylæo naves Paralus, & Hermionis, Naxica dicta; & minores quædam aliæ, Protogenis opera. Plinius, *lib.* xxxv. *cap.* x. *Quidam & naves pinxisse (Protogenem tradunt) usque ad annum quinquagesimum. argumentum esse; quod, cum Athenis celeberrimo loco Minervæ delubri propylæon pingeret, ubi fecit nobilem Paralum, & Hermionida, quam quidam Naxicam vocant, adjecerit parvulas naves longas; in iis quæ pictores parerga appellant*. Juxta Minervæ simulacrum, sphæra ænea collocata; in qua athletæ, antequam admitti ad certamen possent, vires suas experiri tenebantur. Hieronymus, *Commentario* in Zachariam, *cap.* XII. *In arce Atheniensium, juxta simulacrum Minervæ, vidi sphæram æneam, gravissimi ponderis; quam ego, pro imbecillitate corpusculi, movere vix potui. cum quærerem, quidnam sibi vellet; responsum est ab Urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari: nec prius ad agonem quenquam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari*. Denique locus quidam fuit, Ἀνθέμιον dictus. *Hesychius*. Ἀνθέμιον, τὸ ἐκλεκτὸν χρυσίον. ἢ γραμμή τις ἑλικοειδής, ἐν τοῖς κίοσι. καὶ τόπος Ἀθήνησιν, ἐν τῇ ἀκροπόλει. *Anthemium, aurum selectum; vel linea quædam tortuosa, in columnis. etiam locus Athenis, in arce*.

CAP. XXXI.

Leges in arce primitus asservatæ. Thesmothetarum juramentum. Vota etiam noviluniis nuncupata; ac majoribus Panathenæis peplus huc deduci solitus.

PRIMITUS ibi etiam leges in tabulis triangulis, quæ Κύρβεις, & quadrangulis, quæ Ἄξονες dictæ, asservabantur; donec mox in Prytaneum Ephialtes, & forum, deduxit. Pollux, *l.* VIII. *cap.* x. Ἀπέκειντο δὲ οἵ τε κύρβεις, καὶ οἱ ἄξονες, ἐν ἀκροπόλει πάλαι· αὖθις δ', ἵνα πᾶσιν ἐξῇ ἐντυγχάνειν, εἰς τὸ πρυτανεῖον, καὶ τὴν ἀγορὰν, μετεκομίσθησαν. *Olim quidem cyrbes pariter & axes in arce erant; verum postea, ut cuivis inspiciendi copia esset, in prytaneum & forum, translati sunt*. Harpocration, *in* Ὁ κάτωθεν νόμος. Τοὺς ἄξονας, καὶ τοὺς κύρβεις, ἄνωθεν τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον, καὶ τὴν ἀγορὰν, μετέστησεν Ἐφιάλτης. *Axes, & cyrbes, desuper ex arce in curiam, & forum, Ephialtes, transtulit*. Inde nempe Thesmothetæ, cum ad porticum prius regiam jurassent, se observaturos leges, neque dona accepturos; idem mox in arce etiam juramentum repetebant. Narrat Pollux, *lib.* VIII. *cap.* IX. Ὤμνυον δ' οὗτοι (οἱ Θεσμοθέται,) πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ ἐπὶ τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. εἶτα ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες, ὤμνυον ταυτά. *Jurabant autem hi (Thesmothetæ) ad porticum regiam, in lapide, se pariter leges observaturos, neque munera accepturos, aut auream statuam mulctæ nomine soluturos. ac mox inde in arcem ascendentes, idem jusjurandum dabant*. Vota quoque singulis illic noviluniis pro salute publicaque, & privata, nuncupari moris erat. Demosthenes, in *Aristogitonem*, Orat. I. Πῶς δὲ ταῖς νουμηνίαις εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀναβαίνοντες, τἀγαθὰ τῇ πόλει διδόναι, καὶ ἕκαστος ἑαυτῷ τοῖς θεοῖς εὔξεται. *Quomodo in arcem noviluniis ascendentes, bona Urbi dari, & sibi, singuli deos precabuntur*. Peplus quoque, in majorum Panathenæorum festo, huc deductus. Plato, in *Euthyphrone*. Ὁ πέπλος, μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων, ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. *Peplus, variis talibus rebus intertextis plenus, in arcem deducitur*. Vide quæ pridem notavi, libro *De Panathenæis* singulari, *cap.* XVII.

CAP. XXXII.

Canis, capra, & cornix, arce probibitæ; deque capra, ac cornice, causa exposita. Animalculum item quoddam a Pisistrato ejectum.

PROHIBEBATUR arce canis. Plutarchus, in *Quæst. Græc.* Καίτοι φασὶν ἔνιοι, μήτε τὴν Ἀθηναίων ἀκροπόλεως ἐπιβαίνειν κύνα, μήτε τὴν Δηλίων νῆσον. *Ac sane ajunt quidam, neque arcem Atheniensium intrare canem, neque Deliorum insulam*. Philochorus, Ἀτθίδος *lib.* IX. Ἐν ἀκροπόλει σημεῖον ἐγένετο τοῦτο. κύων, εἰς τὸν τῆς Πολιάδος νεὼν εἰσελθοῦσα, καὶ δῦσα εἰς τὸ Πανδρόσιον, ἐπὶ τὸν βωμὸν ἀναβᾶσα τοῦ Ἑρκείου Διὸς, τὸν ὑπὸ τῇ ἐλαίᾳ, κατέκειτο. πάτριον δέ ἐστιν Ἀθηναίοις, κύνα μὴ ἀναβαίνειν εἰς ἀκρόπολιν. *In arce signum istud factum est. Canis, in Poliadis fanum ingressa, cum se inde in Pandrosi recepisset, conscensa Jovis Hercei ara, quæ sub olea, procubuit. Athenienses vero a majoribus constitutum acceperunt, ne in arcem canis ascendat*. Etiam capra, propter oleam; ne virgulta ejus depasceret. Athenæus clare docet, *lib.* XIII. Θαλλῷ χαίρουσιν αἱ αἶγες, διόπερ οὐδ' εἰς ἀκρόπολιν ἄνεισι τὸ ζῶον. *Virgulto gaudent capræ, ideoque neque hoc animal arcem ascendit*. Item cornix. Apollonius, *Hist. Mirab.* VIII. Κορώνη ἐν τῇ Ἀττικῇ εἰς τὴν ἀκρόπολιν οὐδεμία ἑώραται εἰσερχομένη. *Cornix in Attica nulla in arcem intrare visa est*. Plinius *lib.* x. *cap.* XII. *Ab Arcturi sidere, ad hirundinum adventum, notatur eam* (de cornice loquitur) *in Minervæ lucis, templisque, raro; alicubi omnino non aspici, sicut Athenis*. Antigonus. *Hist. Mirab.* XII. Ἀμελησαγόρας δὲ ὁ Ἀθηναῖος, ὁ τὴν Ἀτθίδα συγγεγραφὼς, οὔ φησι κορώνην προσίπτασθαι πρὸς τὴν ἀκρόπολιν, οὐδ' ἔχοι ἂν εἰπεῖν ἑωρακώς οὐδείς. *Amelesagoras vero Atheniensis, qui Atthida scripsit, ait, cornicem in arcem non advolare: neque esse, qui vidisse se, possit dicere*. Causam de-

inde addit, a nuntio ingrato de Agrauli, ac Pandrosi, facto. Ἀποδίδωσι δὲ τὴν αἰτίαν μυθικῶς. φησὶ γάρ, Ἡφαίστῳ δεδωκυῖαν τὴν Ἀθηνᾶν, συγκατακλιθεῖσαν αὐτῷ ἀφανισθῆναι. τὸν δὲ Ἥφαιστον, εἰς γῆν πεσόντα, προέσθαι τὸ σπέρμα· τὴν δὲ γῆν ὕστερον αὐτῷ ἀναδοῦναι Ἐριχθόνιον. ὃν τρέφειν τὴν Ἀθηνᾶν, καὶ εἰς κίστην καθεῖρξαι, καὶ παραθέσθαι ταῖς Κέκροπος παισὶν, Ἀγραύλῳ, καὶ Πανδρόσῳ, καὶ Ἕρσῃ· καὶ ἐπιτάξαι, μὴ ἀνοίγειν τὴν κίστην, ἕως ἂν αὐτὴ ἔλθῃ. ἀφικομένην δὲ εἰς Πελλήνην, φέρειν ὄρος, ἵνα ἔρυμα πρὸ τῆς ἀκροπόλεως ποιήσῃ. τὰς δὲ Κέκροπος θυγατέρας τὰς δύο, Ἄγραυλον, καὶ Πάνδροσον, τὴν κίστην ἀνοῖξαι, καὶ ἰδεῖν δράκοντας δύο περὶ τὸν Ἐριχθόνιον. τῇ δ' Ἀθηνᾷ φερούσῃ τὸ ὄρος, ὃ νῦν καλεῖται Λυκαβηττός, κορώνην φησὶν ἀπαντῆσαι, καὶ εἰπεῖν, ὅτι Ἐριχθόνιος ἐν φανερῷ. τὴν δὲ, ἀκούσασαν, ῥῖψαι τὸ ὄρος, ὅπου νῦν ἐστι· τῇ δὲ κορώνῃ, διὰ τὴν κακαγγελίαν, εἰπεῖν, ὡς εἰς ἀκρόπολιν οὐ θέμις αὐτῇ ἔσται ἀφικέσθαι. *Causam vero, ut in fabulis ea fertur, istam reddit. Ait enim, datam Vulcano Minervam, postquam cum illo concubuisset, disparuisse; Vulcanum autem, cum in terram decidisset, semen projecisse: terram vero postea ipsi Ericbthonium protulisse, quem Minervam educandum in cistam inclusisse, Cecropisque filiabus, Agraulo, Pandroso, & Ersæ, tradidisse; cum mandato, ne hanc cistam, antequam veniret ipsa, aperirent. ac cum illa in Pellenen abiisset, ut montem adferret, quem pro arce munimentum collocaret, filiarum Cecropis duas, Agraulum, & Pandrosum, cistam aperuisse, serpentesque juxta Ericbthonium duos conspexisse. Minervæ vero, montem, qui nunc Lycabettus nuncupatur, afferenti, obviam cornicem esse factam dicit; hancque ei nuntiasse, Ericbthonium detectum: itaque illam montem quidem, ubi nunc est, abjecisse; ac cornici, ob ingratæ rei nuntium, edixisse, ne in arcem intrare ausit, atque nefas id futurum.* Ut vero capra, canis, cornix arce prohibitæ; ita animalculum quoddam, locustæ simile, Καταχήνη appellatum, a Pisistrato inde ejectum. *Hesychius*. Καταχήνη. ὑπὸ Πεισιστράτου καλαμαίᾳ ἐμφερὲς ζῶον ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως προβεβλημένον. *Catachene, animal, locustæ simile, a Pisistrato ex arce projectum.*

F I N I S.



JOANNIS MEURSII
CERAMICUS GEMINUS,
SIVE DE
CERAMICI ATHENIENSIUM UTRIUSQUE ANTIQUITATIBUS,
LIBER SINGULARIS.

VIRO VIRTUTE ET DOCTRINA EXCELLENTI

HENRICO TERBORCHIO

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.



GERRIME fero difcidium iftud, per quod careo fructu fuaviffimæ, quæ inter nos intercedebat, confuetudinis, doctifque illis ac jucundis fabulis, quibus oblectabas vacuas a functione mea horas, cum otium daremus corpori, & ludum animo. Hanc quidem felicitatem fata mihi cum maxime invident, nunquam tamen eripient voluptatem, quam mihi affert confcientia mei erga te ftudii, & memoria mutuæ tuæ in me voluntatis. Neque enim ut corpora fe junxerunt, fic & animos noftros potuerunt diffociare. Meo fane perpetuo præfens es, quotidieque mihi obverfantur præclaræ illæ dotes, quibus ingenium, optimarum artium doctrina, & fortuna te inftruxit. Nec eæ fefellerunt tuos cives, qui, quum tantum quod ex profectione Gallica domum rediiffes, te in iftud cooptarunt collegium, ex quo & fummi veftræ urbis Magiftratus capiuntur, & quod folum illos capiendi facultatem habet. Eft hic proximus ab ampliffima dignitate gradus, ad quam te tua virtus, eruditio, fpectataque morum integritas vocat, bonorumque confenfus, ubi tempus tulerit, provehet. Deus faxit ut expectationem, quam de te olim excitafti, non modo fuftineas, fed & indies novis auctus titulis, veræque laudis acceffionibus vincas longe & fuperes, ac inprimis dignitatem illorum ftudiorum, quibus tua debes ornamenta, quibufque Daventria, patria tua, a multis annis ad invidiam ufque floruit, tuearis & augeas. Quod non fcripfi inflammandi tui caufa, novi enim quam fis tua fponte incitatus, fed quod hanc occafionem declarandi conftantis mei in te amoris amittere noluerim. Nolebat enim typographus elegantem hunc viri celeberrimi libellum fine præfatione lucem adfpicere. Vale, & me quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum a. d. VI. Kal. Februarii cIↃ IↃc LXIII.

JOANNIS MEURSII CERAMICUS GEMINUS, SIVE DE CERAMICI ATHENIENSIUM UTRIUSQUE ANTIQUITATIBUS, LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

Ceramici duo; quorum unus intra Urbem, alter extra. De Urbano proposita Pausaniæ verba; quæ deinceps illustranda.



CERAMICUS, nobilissimus Athenis locus, & qui bonam Urbis partem constituerit. Qua de causa etiam mihi in descriptione ejus maxime dicendus erat: sed, cum duplex ille fuerit, unusque extra Urbem positus, malui seorsim utrumque pertractare, quam silentio alterum omittere cum Antiquitatis Atticæ singulari detrimento. Ac duplicem quidem fuisse Auctores dicunt. *Harpocration*: Δύο εἰσὶ Κεραμεικοὶ, ὡς ὁ ῥήτωρ φησίν· ὁ μὲν ἔνδον ἐν τῇ πόλει· ὁ δὲ ἕτερος ἔξω τῆς πόλεως. *Ceramici duo sunt, quemadmodum & Orator dicit; ille quidem, intra Urbem; iste autem, extra eam.* Hesychius. Κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεστήκασιν· εἰσὶ δὲ δύο κεραμεικοί. ὁ μὲν ἔξω τείχους· ὁ δὲ ἔνδον. *Ceramicus, locus Athenis, in quo meretrices prostabant. Sunt vero Ceramici duo, unus quidem extra mœnia; alter intra.* Suidas κεραμεικοὶ, δύο τόποι Ἀθήνησιν. *Ceramici, duo loca Athenis.* Videndus quoque Scholiastes Aristophanis ad *Equites*. Ac de utroque disertim agit Pausanias in *Atticis*: ubi de Urbano quidem, de quo prius est dicendum, ista tradit: quæ proponere in exemplum, omissis ejus digressionibus, mihi visum.

ΤΟ δὲ χωρίον ὁ Κεραμεικὸς, τὸ ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμου, Διονύσου τε εἶναι ϗ Ἀριάδνης ϗ τούτου λεγομένου. πρώτη δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καλουμένη στοὰ βασίλειος· ἔνθα καθίζει βασιλεὺς, ἐνιαυσίαν ἄρχων ἀρχὴν, καλουμένην βασιλείαν. Ταύτης ἔπεστι τῷ κεράμῳ τῆς στοᾶς ἀγάλματα ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς ἐς θάλασσαν Σκίρωνα. ϗ φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον.

Πλησίον δὲ τῆς στοᾶς, Κόνων ἕστηκε· ϗ Τιμόθεος, υἱὸς Κόνωνος· ϗ βασιλεὺς Κυπρίων Εὐαγόρας.

Ενταῦθα ἕστηκε Ζεὺς ὀνομαζόμενος Ἐλευθέριος, καὶ βασιλεὺς Ἀδριανός.

Στοὰ δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται, γραφὰς ἔχουσα θεοὺς δώδεκα καλουμένους. ἐπὶ δὲ τῷ τοίχῳ τῷ πέραν Θησεύς ἐστι γεγραμμένος, ϗ δημοκρατία τε, ϗ δῆμος

Ενταῦθά ἐστι γεγραμμένον ϗ τὸ περὶ Μαντίνειαν Ἀθηναίων ἔργον, οἳ βοηθήσαντες Λακεδαιμονίοις ἐπέμφθησαν.

Εν δὲ τῇ γραφῇ τῶν ἱππέων ἐστὶ μάχη· ἐν ῇ γνωριμώτατοι Γρύλλος τε ὁ Ξενοφῶντος ἐν τοῖς Ἀθηναίοις, ϗ κατὰ τὴν ἵππον τὴν Βοιωτίαν Ἐπαμινώνδας ὁ Θηβαῖος. ταύτας τὰς γραφὰς Εὐφράνωρ ἔγραψεν Ἀθηναίοις, καὶ πλησίον ἐποίησεν ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα, Πατρῷον ἐπίκλησιν. Πρὸ δὲ τοῦ νεὼ, τὸν μὲν Λεωχάρης· ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησε.

Ωκοδόμηται δὲ ϗ μητρὸς θεῶν ἱερὸν, ἣν Φειδίας εἰργάσατο. καὶ πλησίον τὸ τῶν πεντακοσίων καλουμένων βουλευτήριον, οἳ βουλεύουσιν ἐνιαυτὸν, Ἀθηναίοις. Βουλαίου δὲ ἐν αὐτῷ κεῖται ξόανον Διός· ϗ Ἀπόλλων, τέχνη Πεισίου· ϗ δῆμος ἔργον Λύσωνος. τοὺς δὲ θεσμοθέτας ἔγραψε Πρωτογένης Καύνιος. Ὀλβιάδης τε Κάλλιππον.

Τοῦ βουλευτηρίου τῶν πεντακοσίων πλησίον, θόλος ἐστὶ καλουμένη· ϗ θύουσί τε ἐνταῦθα οἱ πρυτάνεις, καί τινα ϗ ἀργύρου πεποιημένα ἐστὶν ἀγάλματα, οὐ μεγάλα. ἀνωτέρω δὲ ἀνδριάντες ἑστήκασιν Ἡρώων, ἀφ' ὧν Ἀθηναίοις ὕστερον τὰ ὀνόματα ἔσχον αἱ φυλαί.

Μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν ἐπωνύμων ἐστὶν ἀγάλματα θεῶν, Ἀμφιάραος, ϗ Εἰρήνη φέρουσα Πλοῦτον παῖδα· ἐνταῦθα Λυκοῦργός τε κεῖται χαλκοῦς, ὁ Λυκόφρονος· ϗ Καλλίας, ὃς πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου τοῖς Ἕλλησιν, ὡς Ἀθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἔπραξε τὴν εἰρήνην. ἐστὶ δὲ ϗ Δημοσθένης.

Τῆς δὲ τοῦ Δημοσθένους εἰκόνος πλησίον Ἀρεώς ἐστιν ἱερόν. ἔνθα ἀγάλματα δύο μὲν Ἀφροδίτης κεῖται. τὸ δὲ τοῦ Ἄρεως ἐποίησεν Ἀλκαμένης. τὴν δὲ Ἀθηνᾶν, ἀνὴρ Πάριος, ὄνομα δὲ αὐτῷ Λοκρός· ἐνταῦθα καὶ Ἐνυοῦς ἄγαλμά ἐστιν, ἐποίησαν δὲ οἱ παῖδες οἱ Πραξιτέλους. Περὶ δὲ τὸν ναὸν, ἑστᾶσιν Ἡρακλῆς, ϗ Θησεύς· ϗ Ἀπόλλων ἀναδούμενος ταινίᾳ τὴν κόμην. ἀνδριάντες δὲ, Καλάδης, Ἀθηναίοις, ὡς λέγεται, νόμους γράψας· ϗ Πίνδαρος, ἄλλα τε εὑράμενος παρὰ Ἀθηναίων, καὶ τὴν εἰκόνα. ὅτι σφᾶς ἐπῄνεσεν ᾆσμα ποιήσας. οὐ πόῤῥω δὲ, ἑστᾶσιν Ἁρμόδιος ϗ Ἀριστογείτων, οἱ κτείναντες Ἵππαρχον· τῶν δὲ ἀνδριάντων οἱ μέν εἰσι Κριτίου τέχνη· τοὺς δὲ ἀρχαίους ἐποίησεν· Ἀντήνωρ. Ξέρξου δὲ, ὡς εἷλεν Ἀθήνας, ἐκλιπόντων τὸ ἄστυ Ἀθηναίων, ἐπαγομένου ϗ τούτους ἅτε λάφυρα, κατέπεμψεν ὕστερον Ἀθηναίοις Ἀντίοχος. Τοῦ θεάτρου δὲ, ὃ καλοῦσιν Ὠδεῖον, ἀνδριάντες πρὸ τῆς ἐφόδου βασιλέων εἰσὶν Αἰγυπτίων. ὀνόματα μὲν δὴ κατὰ τὰ αὐτὰ Πτολεμαῖοι σφίσιν, ἄλλη δὲ ἐπίκλησις ἄλλῳ. ϗ γὰρ ϗ Φιλομήτορα καλοῦσι, ϗ Φιλάδελφον ἕτερον, τὸν δὲ τοῦ Λάγου Σωτῆρα, παραδόντων Ῥο-

διων τὸ ὄνομα. τ͂ δὲ ἄλλων ὁ μὲν Φιλάδελφός ἐστιν. πλησίον δὲ οἱ καὶ Ἀρσινόης τ͂ ἀδελφῆς ἐστιν εἰκών. ὁ δὲ Φιλομήτωρ καλέμενος, ὄγδοος μέν ἐστιν ἀπόγονος Πτολεμαίε τε͂ Λάγε, τὴν δ' ἐπίκλησιν ἔχεν ἐπὶ χλευασμῷ, ἐ γάρ τινα βασιλέων μισηθέντα ἴσμεν ἐπὶ τοσόνδε ὑπὸ μητρός. Ἀθηναῖοι δὲ, ὑπ' αὐτε͂ παθόντες εὖ, πολλά τε καὶ ἐκ ἄξια ἐξηγήσεως, χαλκε͂ν ϗ αὐτὸν καὶ Βερενίκην ἔθηκαν, ἣ μόνη γνησία οἱ τ͂ παίδων ἦν. Μετὰ δὲ τὲς Αἰγυπτίες, Φίλιππός τε, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππε κεῖνται.

Καὶ Λυσίμαχον, ἐκ εὐνοίᾳ τοσε͂τον, ὡς ἐς τὰ παρόντα χρήσιμον νομίζοντες, ἀνέθηκαν.

Ἀθηναίοις δὲ εἰκών ἐστι καὶ Πύῤῥε.

Ἐς δὲ τὸ Ἀθήνησιν εἰσελθε͂σιν Ὠδεῖον, ἄλλά τε καὶ Διόνυσος κεῖται, θέας ἄξιος. πλησίον δέ, ἐστι κρήνη. καλε͂σι δὲ αὐτὴν ἐννεάκρενον, ἕτω κοσμηθεῖσαν ὑπὸ Πεισιστράτε. φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τ͂ πόλεώς ἐστι· πηγὴ δὲ αὕτη μόνη. Ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην, ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται, καὶ Κόρης. ἐν δὲ τῷ Τριπτολέμε κειμένε ἐστιν ἄγαλμα.

Πρὸ τε͂ ναε͂ τε͂δε, ἔνθα καὶ τε͂ Τριπτολέμε τὸ ἄγαλμα, ἐστι βε͂ς χαλκε͂ς, οἷα ἐς θυσίαν ἀγόμενος. πεποίηταί τε καθήμενος Ἐπιμενίδης Κνώσιος, ὃν ἐλθόντα ἐς ἀγρὸν, κοιμᾶσθαι λέγεσιν ἐς σπήλαιον.

Ἔτι δὲ ἀπωτέρω ναὸς Εὐκλείας· ἀνάθημα, καὶ τε͂το ἀπὸ Μήδων οἱ τ͂ χώρας Μαραθῶνα ἔχον.

CERAMICUS *vero* Urbis *regio, nomen quidem habet ab heroe Ceramo, qui Bacchi & Ariadnes filius ferebatur.* Prima *vero est ad dextram porticus Regia quæ vocatur, ubi Rex jus dicit, annuo magistratu fungens, quem Regnum dicunt. In hujus tecto, sunt e terra figulina simulacra Thesei Scironem in mare abjicientis; & Auroræ, Cephalum rapientis.*

Propter porticum Conon stabat, & Timotheus ejus filius: tum Rex Cypriorum Euagoras.

Jupiter ibidem stabat, cognomento Eleutherius; & Adrianus Imperator.

Pone porticus est exstructa pictos habens duodecim, qui vocantur, deos: & in extremo pariete Theseum; item statum civitatis popularem, populumque.

Picta ibidem res ad Mantineam gesta ab Atheniensibus, qui auxilium laturi Lacedæmoniis missi erant.

Estque in pictura illa pugna equestris; in qua maxime innotuere Gryllus, Xenophontis filius, inter Athenienses; in Bœotio equitatu Epaminondas Thebanus, atque hæc Atheniensibus Euphranor pinxit; & in æde juxta Apollinem, quem Patroum cognomento appellabant: ante ædem vero, Apollinem unum, Leochares; alterum, Alexicacum cognominatum, Calamis fecit.

Est & fanum Matris Deum, quod Phidias fecit, in propinquo, Quingentorum, quos appellant, item curia; qui per annum senatorio apud Athenienses munere defunguntur. Hic Bulæi Jovis signum est; & Apollo a Pisiæ arte: populusque, Lysonis opus. Thesmothetas vero, Protogenes Caunius pinxit. Et Olbiades ibidem erat Callippi filius.

Prope curiam Quingentorum locus est, quem Tholum dicunt, illic Prytanes sacra faciunt, suntque signa ex argento quædam, haud magna. Superius vero statuæ stant heroum eorum, a quibus postea Atheniensibus tribus suæ nominatæ.

Post heroas, quorum nomine tribus dictæ, simulacra sunt deorum, Amphiaraus, & Pax puerum Plutonem ferens. Ibidem ex ære est Lycurgus, Lycophronis filius; & Callias, qui, ut multi inter Athenienses ferunt, pacem Græcis cum Artaxerxe, Xerxis filio, constituit. Tum Demosthenes quoque illic.

Prope Demosthenis vero statuam Martis fanum est; in quo signa Veneris duo, ac Martis quidem, Alcamenes fecit; Minervæ vero, vir quidam Parius, Locrus nomine. Hic Enyus quoque signum a Praxitelis filiis factum. Propter templum Hercules adstat; item Theseus, & Apollo fascia comam redimitus. Virorum autem statuæ sunt Calades; qui, ut ferunt, Atheniensibus leges scripsit: item Pindarus, qui cum alia apud Athenienses invenit, tum statuam; quod in carmine eos laudasset. Haud longe inde stant Harmodius & Aristogiton, qui Hipparchum occiderunt. Harum autem statuarum quasdam Critias; antiquas Antenor fecit: cumque Xerxes, captis Athenis, quas deseruissent cives, eas secum inter prædam abstulisset, Atheniensibus postea Antiochus remisit. Ante theatri vero, quod Odeum vocant, introitum; regum Ægyptiorum statuæ spectantur; quibus omnibus idem Ptolemæi nomen, sed cognomen aliis aliud: nam hunc Philometora vocant, illum Philadelphum; Lagi filium, Soterem; dantibus cognomen Rhodiis. In his Philadelpho, Arsinoes sororis statua est apposita; Philometor qui vocatus octonus est a Ptolemæo Lagi filio, per ludibrium isto cognomento dictus: neque enim regum quenquam odio majore unquam mater prosecuta fuit. Athenienses vero beneficiis ab eo affecti, cum alia multa, vix quæ referantur digna, decrevere; tum ex ære statuam ipsi, & Berenicæ, quæ sola erat e legitimo thoro filia. Post Ægyptios vero reges, Philip. & Alexander, ejus filius.

Et Lysimacho, non tam studio in ipsum, quam quod sic in rem præsentem expedire existimarent, statuam constituerunt.

Est & Pyrrhi apud Athenienses statua.

Cum vero Odeum Athenis introieris, alia occurrunt spectatu digna, item Bacchus. prope fons est; quem appellant Enneacrunum, a Pisistrato sic ornatum: ac, cum putei quidem passim tota urbe inveniantur, ille tamen fons est unicus. Templa autem supra fontem istum duo; unum, Cereris ac Proserpinæ: in altero vero, quod Triptolemo dicatum, simulacrum est.

Ante hujus templi fores, ubi itidem Triptolemi simulacrum, bos ex ære est, tanquam in victimam adductus. Tum sedentem videas Epimenidem Cnosium; quem, cum in agrum exiisset, in speluncam ingressum obdormivisse ferunt.

Paullo longius fanum Eucleæ est; e manubiis Medorum, qui Marathonem occuparant, dedicatum.

Et hæc quidem de hoc loco sic Pausanias; cujus verba eodem ordine singulatim illustrabo.

CAP. II.

Ceramicus unde dictus. Ceramus, heros. Ars figulina ubi & a quo inventa. Suidæ locus illustratus. Chalcosthenes, ejusdem officina. Ceramicum inhabitantes Κεραμεῖς *dicti. Ælianus emendatus. Inter populos numerati, & e qua tribu.*

NOMEN Ceramico datum a Ceramo heroe, Bacchi ex Ariadna filio. Pausanias, in *Attic.* Τὸ δὲ χωρίον ὁ Κεραμεικὸς, τὸ μὲν ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμε, Διονύσε τε εἶναι καὶ Ἀριάδνης καὶ τέτε λεγομένε. *Regio vero, quæ Ceramicus appellatur, nomen habet a Ceramo heroe, qui Bacchi & Ariadnæ filius ferebatur.* Suidas a sacris Ceramo factis, item arte figulina nomen ei impositum tradit. Δῆμός ἐστι τ͂ Ἀκαμαντίδος, οἱ Κεραμεῖς· εἴληφε δὲ τοὔνομα ἀπὸ τ͂ κεραμικῆς τέχνης, καὶ τε͂ θύειν Κεράμῳ τινὶ ἥρωϊ. *Acamantidis tribus populus sunt Ceramenses; datumque nomen a figulina arte, & quod illic sacra fiant Ceramo cuidam heroi.* Quod ad figulinam artem ibi inventam, ut *Suidas* refert, illud verum est; & inventor est Corœbus. Auctor Plin. *lib.* VII. *c.* LVI. *Fabricam ferrariam invenere Cyclopes; figlinas Corœbus Atheniensis.* Postquam autem a Corœbo inventa esset, mox Chalcosthenes exercuit; & ab ejus officina nomen loco. Plin. idem nobis suggerit, *l.* XXXV. *c.* XII. *Fecit & Chalcosthenes cruda opera Athenis; qui locus ab officina ejus Ceramicus appellatur.* Qui Ceramicum inhabitabant, Κεραμεῖς dicti. Ecce tibi apud Aristophanem, in *Ranis*, v. 1097. &c.

——— Κὰθ' οἱ Κεραμεῖς
Εν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
Γαστέρα, πλευράς, λαγόνας, πυγήν.
——— & deinde Ceramenses
In foribus feriebant ejus
Ventrem, latera, ilia, nates.

Ad quem locum *Scholiastes*. Κεραμεῖς, οἱ τὸν Κεραμεικὸν οἰκοῦντες. *Ceramenses, qui Ceramicum inhabitant.* Æschines, *Orat.* in Timarchum. Γύλων ἦν ἐκ Κεραμέων. *Gylon erat e Ceramensibus.* Diogenes Laertius, in *Theophrasto*, lib. V. c. LVII. Θήσιππος Θησίππου, ἐκ Κεραμέων. *Thesippus Thesippi filius, e Ceramensibus.* Emendandus Ælianus, *Var. Hist.* lib. II. cap. XXI. Αγάθωνος ἤρα τοῦ ποιητοῦ Παυσανίας, ὁ ἐκ Κεραμέων. *Agathonem poetam amabat Pausanias, qui e Ceramensibus erat.* Perperam editur, ὁ ἐκ Κεραμείων: *Qui erat e figlinis.* Censebantur vero inter populos. *Moschopulus*: Κεραμεῖς, δῆμος ἐν Αθήναις. *Ceramenses, populus Athenis.* Et quidem tribus Acamantidis. *Harpocration.* Δῆμός ἐστι τῆς Ακαμαντίδος, Κεραμεῖς. *Ceramenses, populus Acamantidis tribus.* Quæ totidem verbis Suidas in *citato statim loco*.

CAP. III.

Porticus Regia. Regis tribunal. Senatus item Areopagitici tribunal. Jusjurandum Thesmothetarum de conservandis legibus, quæ illic repositæ. Statua Thesei Scironem in mare dejicientis; & Auroræ Cephalum rapientis: tum Cononis, & Timothei; item Euagoræ. Jupiter Σωτὴρ *&* Ελευθέριος *idem. Isocrates, & Pausanias conciliati. Taureæ palæstra & fanum. Agri Chalcidensium elocatio. Æliani locus emendatus. Pindari statua.*

AD dextrum latus prima occurrebat porticus; quæ Βασίλειος, sive Regia appellata, quod tribunal illic suum Rex haberet. Pausanias, in *Atticis*. Πρώτη δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καλουμένη στοὰ βασίλειος, ἔνθα καθίζει βασιλεὺς ἐνιαυσίαν ἄρχων ἀρχήν, καλουμένην βασιλείαν. *Prima est ad dextram porticus, Regia dicta. Hic Rex sedet, annuo magistratu fungens, quem Regnum vocant.* Ac Regis hic tribunal fuisse, indicat etiam Plato *Euthyphrone*. Τί νεώτερον, ὦ Σώκρατες, γέγονεν. ὅτι σὺ τὰς ἐν Λυκείῳ καταλιπὼν διατριβὰς, ἐνθάδε νῦν διατρίβεις, περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοάν; οὐ γάρ που καί σοι δίκη τὶς οὖσα τυγχάνει πρὸς τὸν βασιλέα ὥσπερ ἐμοί. *Quidnam novi, Socrates, accidit; quod, relicto Lyceo, hic nunc versaris, apud regiam porticum? an & tibi lis est aliqua apud regem, sicut mihi?* Eunapius, in *Ædesio*. Τὰ πλεῖστα δὲ ἐν δικαστηρίοις, ὥσπερ ὁ Σωκράτης περὶ τὴν τοῦ βασιλέως στοὰν, ἐκινδύνευον. *Maxime in tribunalibus, ut in regia porticu Socrates, sunt periclitati.* Quin & Areopagiticus Senatus hic jus dicebat. Demosthenes in *Aristogitonem*, Orat. I. Τὸ τὴν ἐξ Αρείου πάγου βουλὴν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι. *Quod Senatus Areopagiticus, cum in porticu regia sedenti funiculus obtenditur, tranquillo otio fruitur.* Et hic jusjurandum dabant Thesmothetæ, leges se conservaturos esse; neque dona accepturos, aut daturos statuam auream. Pollux, *l.* VIII. *c.* IX. Ωμνυον δὲ οὗτοι (οἱ θεσμοθέται) πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. *Jurabant vero hi (Thesmothetæ) ad porticum regiam, leges se conservaturos, neque dona accepturos, aut statuam auream luituros.* Quin & Κύρβεις illis erant, in quibus perscriptæ leges. Aristoteles de *Rep. Atheniensium*, apud Harpocrationem, *in* Αναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τὰς κύρβεις, ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείῳ. *Cum autem leges perscripsissent in tabulis, quas κύρβεις dicunt, in Regia porticu collocarunt.* Quæ totidem

A verbis Suidas in *eadem dictione*. Circa tectum statuæ aliquot fictiles erant; Theseus Scironem in mare dejiciens: & Aurora Cephalum rapiens. Pausan. *l. cit.* Ταύτης ἔπεστι τῷ κεράμῳ τῆς στοᾶς ἀγάλματα ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς ἐς θάλασσαν Σκίρωνα, καὶ φέρουσα Ημέρα Κέφαλον. *In hujus porticus tecto simulacra sunt fictitia; Theseus Scironem in mare abjiciens; & Aurora Cephal. ferens.* Juxta Conon, filiusque ejus Timoth. & Rex Cypriorum Euagoras. Pausan. *l. cit.* Πλησίον δὲ τῆς στοᾶς Κόνων ἕστηκε καὶ Τιμόθεος υἱὸς Κόνωνος, καὶ βασιλεὺς Κυπρίων Εὐαγόρας. *Propter porticum Conon stabat; & Timotheus ejus filius: tum Rex Cypriorum Euagoras.* Cononis statuæ meminit De-
B most. *Orat.* in Leptinem: Οὐ μόνον αὐτῷ (τῷ Κόνωνι) ἀτέλειαν ἔδωκαν, ἀλλὰ καὶ χαλκῆν εἰκόνα. *Non solum ipsi (Cononi) immunitatem dedere, sed & statuam ex ære.* Cononis vero, & Euagoræ Isocrat. mentionem facit, in *Encomio Euagoræ*: Καὶ ταῦτ' ἐπράχθη, Κόνωνος μὲν στρατηγοῦντος, Εὐαγόρου δ' αὐτόν τε παρασχόντος, καὶ τῆς δυνάμεως τὴν πλείστην παρασκευάσαντος. ὑπὲρ ὧν ἡμεῖς μὲν αὐτοὺς ἐτιμήσαμεν ταῖς μεγίσταις τιμαῖς, καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῶν ἐστήσαμεν, οὗπερ τὸ τοῦ Διὸς ἄγαλμα τοῦ Σωτῆρος. *Et hæc gesta, duce quidem exercitus Conone, verum Euagora cum ipso strenuam operam navante, tum copiarum partem maximam comparante, quibus de causis nos quidem ipsis summos ho-
C nores decrevimus, statuasque eorum collocavimus, ubi Jovis Servatoris simulacrum est.* Sed quo modo juxta Jovis Servatoris dicit ille, cum Paus. eum Eleutherium vocet? Subjungit enim, in *l. cit.* Ενταῦθα ἕστηκε Ζεὺς Ελευθέριος. *Hic stat Jupiter Eleutherius appellatus.* Compono dissidium. Sciendum, Jovem Servatorem, & Eleutherium, eundem esse. Clare *Hesych.* Ελευθέριος Ζεύς. τῶν Μήδων ἐκφυγόντες, ἱδρύσαντο τὸν Ελευθέριον Δία. Τοῦτον δὲ ἔνιοι καὶ Σωτῆρα φασί. *Eleutherius Jupiter. Cum Medos evasissent, Jovem Eleutherium dedicarunt, hunc vero quidam etiam Servatorem dicunt.* Immo Σωτῆρος simulacrum inscriptum erat, sed Ελευθερίου vulgo dicebatur. Harpocr. *in* Ελευθέριος Ζεύς. Οτι δὲ ἐπιγέγραπται μὲν Σωτὴρ, ὀνομάζεται δὲ καὶ Ελευθέριος, δηλοῖ καὶ Μένανδρος. *Quod autem inscriptus esset Servator, & Eleu-
D therius diceretur, manifestum etiam Menander facit.* Ac palæstra illic Taureæ; & e regione fanum, Plato indicat in *initio ipso* Charmidis. καὶ δὲ καὶ εἰς τὴν Ταυρέου παλαίστραν, τὴν καταντικρὺ τοῦ τῆς βασιλικῆς ἱεροῦ, εἰσῆλθον. *Atque adeo Taureæ palæstram, e regione templi regiæ porticus, ingressus sum.* Meminit ejus Liban. *declam.* IX. Τί δὲ, τὴν Ταυρέου παλαίστραν καταλιπὼν, καὶ τὸ πολὺ τῶν ἐραστῶν σύνταγμα, ἥκεις εἰς ἐρημίαν, οἷ μηδείς σε ὄψεται; *Quid vero, relicta Taureæ palæstra, & multitudine amatorum, in desertum venis, ubi te nemo est visurus?* Ad columnas partem agri Chalcid. Athen. elocarunt. Ælian. *Var. Hist.* l.
E VI. c. I. Αθηναῖοι, κρατήσαντες Χαλκιδέων, κατεκληρούχησαν αὐτῶν τὴν γῆν εἰς τετταράκοντα κλήρους, τὴν ἱππόβοτον καλουμένην χώραν. Τεμένη δὲ ἀνῆκαν τῇ Αθηνᾷ, ἐν τῷ Λιλάντῳ ὀνομαζομένῳ τόπῳ. τὴν δὲ λοιπὴν ἐμίσθωσαν κατὰ τὰς στήλας, τὰς πρὸ τῇ βασιλείῳ στοᾷ ἑστηκυίας, αἵπερ οὖν τῶν μισθώσεων ὑπομνήματα εἶχον. Ita locum illum emendo; nam perperam editur, ἐμίσθωσαν ἐπὶ τὰς στήλας. *Athenienses cum in potestatem suam Chalcidenses redegissent, terram eorum, quæ Hippobotus vocatur, in portiones quadrag. diviserunt. templa vero, Minervæ dedere; in loco, quem Lilantum dicunt; reliquam terram elocarunt ad columnas, quæ
F sunt juxta regiam porticum, elocationis hujus monumenta retinentes.* Ante eam statua Pindari spectabatur sedentis cum veste, lyra, diademate, item libro in genibus ejus complicato. Æsch. in *Epist. quadam*: Οἱ δὲ ὑμέτεροι πρόγονοι διπλῆν αὐτῷ (τῷ Πινδάρῳ) τὴν ζημίαν ἀπέδοσαν, μετὰ τοῦ εἰκόνι χαλκῇ τιμῆσαι. καὶ ἦν αὐτὴ καὶ εἰς ἡμᾶς ἔτι πρὸ τῆς βασιλείου στοᾶς, καθήμενος ἐνδύματι καὶ λύρᾳ ὁ Πίνδαρος, διάδημα ἔχων, καὶ ἐπὶ τῶν γό-

νάπων ἀνειλιγμένον βιβλίον. Majores autem nostri duplam ei (Pindaro) mulctam reddiderunt, præter quod ipsum statua ænea honorarunt; quæ quidem etiam usque ad ætatem nostram ante porticum regiam fuit, sedens, cum veste & lyra, diadema gerens, & in genu libellum complicatum habens.

CAP. IV.

Jovis Eleutherii statua, & Adriani Imperatoris. Porticus Jovis Eleutherii. Hesychii locus restitutus. Quando structa ista porticus, & qua de causa. Hyperidis sententia explosa. Picti hic duodecim dii, Theseus, popularis status, & ipse populus, item prælium, quod ad Mantineam gestum, Euphranoris opera. Templum Apollinis & simulacra a Leochare, ac Calamide. Apollo Ἀλεξίκακος, Romam postea translatus in Servilianos hortos. Cydiæ scutum, & alia quædam hic suspensa; quæ a Sylla mox abducta.

PROPE erat statua Jovis Eleutherii, ut jam dixi; & Adriani Imperatoris. Pausanias, in *Atticis*. Ἐνταῦθα ἕστηκε Ζεὺς, ὀνομαζόμενος Ἐλευθέριος· καὶ βασιλεὺς Ἀδριανός. *Hic Jupiter stabat, Eleutherius appellatus; & Adrianus Imperator*. Pone porticus altera erat. Pausanias, *ibid.* Στοὰ δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται. Et nimirum ab astante Jove illic Eleutherio porticus Jovis Eleutherii dicebatur. Certe porticum illam Regiam, de qua capite antecedenti a me actum, & hanc Jovis Eleutherii vicinas inter se fuisse satis constat. *Harpocration*. Δύο εἰσὶ στοαὶ παρ' ἀλλήλαις· ἥ τε τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς, καὶ ἡ Βασίλειος. *Duæ sunt porticus inter se vicinæ; una Jovis Eleutherii; altera Regia*. Eustathius ad *Odyss. α*. Ἦν δὲ, φασιν, Ἀθήνησιν ἀρχή τις, βασιλεύς· καὶ ἡ ἐκείνου, βασιλίς. καὶ βασίλειος ἐκεῖ στοὰ, πλησίον τῆς τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς στοᾶς. *Erat vero Rex, ut ajunt, magistratus quidam Athenis; & Regina, uxor ejus: porticusque ibidem Regia, prope Jovis Eleutherii porticum sita*. Corruptus est *Hesychii* locus, in Βασίλειος στοά. Δύο εἰσὶν Ἀθήνησιν βασίλειοι στοαί· ἥ τε λεγομένη τοῦ βασιλέως Διὸς, καὶ ἡ τοῦ Ἐλευθερίου. *Duæ sunt Athenis porticus Regiæ; cum quæ dicta Regis Jovis, tum etiam quæ Eleutheriis*. Luxata mirum in modum verba sic restituo. Δύο εἰσὶν Ἀθήνησι στοαί· ἥ τε Βασίλειος λεγομένη τοῦ Βασιλέως· καὶ ἡ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου. *Duæ sunt Athenis porticus; una Regia dicta, regis; altera Jovis Eleutherii*. Meminit porticus hujus Plato in *Theage*. Βούλει οὖν δεῦρο εἰς τὴν τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου στοὰν ἐκποδὼν ἀποχωρήσωμεν; *Visne igitur, ut huc in Jovis Eleutherii porticum procul secedamus?* Auctor *Eryxiæ*. Ἐτυγχάνομεν περιπατοῦντες ἐν τῇ στοᾷ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου. *Ambulabamus in porticu Jovis Eleutherii*. Xenophon in *Oeconomico*. Ἰδὼν οὖν ποτὲ αὐτὸν ἐν τῇ τοῦ Διὸς τοῦ Ἐλευθερίου στοᾷ καθήμενον, ἐπεί μοι ἔδοξε σχολάζειν, προσῆλθον αὐτῷ. *Cum illum aliquando in porticu Jovis Eleutherii considentem conspexissem, cum otiari existimarem, ipsum accessi*. Diogenes Cynicus apud cognominem Laertium Jovis porticum simpliciter dicit, *l.* VI. *c.* XXII. Καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἔφασκε, δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν καὶ πομπεῖον, αὐτῷ ἐσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι. *Et Athenienses inquiebat, Jovis porticum ostendens, ac Pompeum, apparasse ipsi ubi victitaret*. Jovis autem illa statua, a qua porticus nominata, collocata ab Atheniensibus fuit, postquam Medos evasissent. *Hesychius*. Τῶν Μήδων ἐκφυγόντες ἱδρύσαντο τὸν Ἐλευθέριον Δία. *Cum Medos evasissent Jovem Eleutherium dedicarunt*. Hyperides apud *Harpocrationem* ideo appellatam porticum istam refert, quod liberti exstruxissent. Verba ipsa Oratoris ita habent: Τῷ μὲν τοίνυν Διὶ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ἡ ἐπωνυμία γέγονε τοῦ Ἐλευθέριον προσαγορεύεσθαι, διὰ τὸ τοὺς ἐξελευθέρους τὴν στοὰν οἰκοδομῆσαι τὴν πλησίον αὐτοῦ. *Ideo, Judices, Jovem contigit Eleutherium cognomento appellari, quia liberti porticum, quæ prope ipsum, ædificassent*. Sed *Hesychii* sententiam ex auctoritate *Didymi* mox subjungit. Ὁ δὲ Δίδυμος φησὶν, ἁμαρτάνειν τὸν ῥήτορα. ἐκλήθη γὰρ Ἐλευθέριος, διὰ τὸ τῶν Μηδικῶν ἀπαλλαγῆναι τοὺς Ἀθηναίους. *Sed ait Didymus errare Oratorem; siquidem nomen Eleutherii accepit, quod a Medis Athenienses liberati essent*.

Suidas utramque sententiam ponit. Ἐλευθέριος ὁ Ζεὺς διὰ τοῦτο ἐκλήθη, διὰ τὸ τοὺς ἐξελευθέρους τὴν στοὰν οἰκοδομῆσαι, τὴν πλησίον αὐτοῦ. οὕτω μὲν Ὑπερίδης. ὁ δὲ Δίδυμος, οὐ διὰ τοῦτο φησιν, ἀλλὰ διὰ τὸ τῆς Μηδικῆς δουλείας, καὶ ἐπικρατείας ἀπαλλαγῆναι τοὺς Ἀθηναίους. *Eleutherius Jupiter ideo dictus, quod liberti porticum, quæ juxta ipsum est, exstruxissent. Et Hyperides quidem ita; sed non ideo, inquit Didymus: verum quia a Medorum servitute & potestate Athenienses liberati essent*. Quæ totidem verbis etiam *Auctor Etymologici*. In hac porticu picti erant dii duodecim, qui vocantur; in pariete autem extremo Theseus, & popularis status, item populus. Pausanias, in *Atticis*. Στοὰ δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται, γραφὰς ἔχουσα θεοὺς δώδεκα καλουμένους· ἐπὶ δὲ τῷ τοίχῳ τῷ πέραν, Θησεύς ἐστι γεγραμμένος, καὶ δημοκρατία τε, καὶ δῆμος. *Pone porticus est extructa; pictos habens duodecim, qui vocantur, Deos: & Theseum in pariete extremo; item statum civitatis popularem, populumque*.

Pictæ ibidem res ad Mantineam gestæ; & expressi illic Gryllus, Xenophontis filius, ex Atheniensium numero; e Thebanis Epaminondas: cujus utriusque virtus hic potissimum emicuit. Pausanias, *loco cit.* Ἐνταῦθα δὲ ἐστι γεγραμμένον καὶ τὸ περὶ Μαντίνειαν ἔργον Ἀθηναίων, οἳ βοηθήσοντες Λακεδαιμονίοις ἐπέμφθησαν. ἐν δὲ τῇ γραφῇ τῶν ἱππέων ἐστὶ μάχη· ἐν ᾗ γνωριμώτατοι Γρύλλος τε ὁ Ξενοφῶντος ἐν τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ κατὰ τὴν ἵππον τὴν Βοιωτίαν Ἐπαμινώνδας ὁ Θηβαῖος. *Picta ibidem res ad Mantineam gesta ab Atheniensibus, qui auxilium laturi Lacedæmoniis missi erant. Estque in pictura illa pugna equestris; in qua maxime innotuere, Gryllus, Xenophontis filius, inter Athenienses; & in Bœotio equitatu Epaminondas Thebanus*. Meminit iterum in *Arcadicis*. Καὶ δὴ καὶ τῆς ἐν Κεραμεικῷ γραφῆς, ἣ τὸ ἔργον ἔχει τὸ Ἀθηναίων ἐν Μαντινείᾳ, καὶ ταύτης αὐτόθι ἐστὶ μίμημα. *Et est illis quoque pictura; de ea, quæ in Ceramico exstat res Atheniensium ad Mantineam gestas continens, expressa*. Pinxerat autem Euphranor. Subjungit enim Pausanias, in *Atticis*. Ταύτας γραφὰς Εὐφράνωρ ἔγραψεν Ἀθηναίοις. *Has picturas Atheniensibus Euphranor pinxit*. Certe duodecim deorum, Theseique, & equestris apud Mantineam prælii, Euphranoris operum, meminit etiam Plinius *libro* XXXV. *cap.* XI. *Opera ejus (Euphranoris) sunt, equestre prælium, duodecim dii, Theseus*. Thesei & equestris pugnæ etiam Plutarchus meminit de *Gloria Athen.* Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ τῷ τοῦ Παῤῥασίου παρέβαλε· λέγων, τὸν μὲν ἐκείνου, ῥόδα βεβρωκέναι. Τὸν δὲ ἑαυτοῦ κρέα βόεια· γέγραφε δὲ καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ πρὸς Ἐπαμινώνδαν ἱππομαχίαν οὐκ ἀνενθουσιάστως Εὐφράνωρ. *Euphranor Theseum suum cum Parrhasii comparabat; ejus quidem rosis vescitum; suum, carne bubula dicens. pinxit vero etiam equestrem pugnam, quæ adversus Epaminondam apud Mantineam gesta; idque non sine numine divino*. Et *mox*, ubi de pugna illa aliquantum dissertavit. Τοῦτο τὸ ἔργον Εὐφράνωρ ἔγραψε. *Hoc opus Euphranor pinxit*. In propinquo Apollinis ædes spectabatur; in qua idem Deum ipsum, Πατρῷον cognomento, fecit: ac pro foribus, statuæ ejusdem Dei duæ; una a Leochare facta; altera τοῦ Ἀλεξικάκου cognomine, a Calamide. Pausanias, in *Attic.* Καὶ πλησίον ἐποίησεν (ὁ Εὐφράνωρ) ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα, Πατρῷον ἐπίκλησιν· πρὸ δὲ τοῦ νεὼ, τὸν μὲν, Λεωχάρης· ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον Κάλαμις ἐποίησε.

Et juxta fecit (Euphranor) in æde Apollinem, Patroum cognominatum. ante ædem Apollinem unum, Leochares fecit; alterum Calamis Alexicacum appellatum. Ac Calamidis quidem Apollinem postea Athenis Romam translatum in Servilianos hortos memorat Plinius, *lib.* XXXVI. *cap.* V. *In hortis Servilianis reperio laudatos, Calamidis Apollinem illius cælatoris; Dactylidis Pythias, Amphistrati Callisthenem.* Porro Cydiæ scutum in hac porticu suspensum; ut & alia, quæ milites Syllani abstulerunt. Pausanias in *Phocicis*. Τοὺς μὲν δὴ Ἕλληνας τὸ Ἀττικὸν ὑπερεβάλλετο ἀρετῇ τὴν ἡμέραν ταύτην. αὐτῶν δὲ Ἀθηναίων Κυδίας μάλιστα ἐγένετο ἀγαθὸς, νέος τε ἡλικίαν, καὶ τότε ἐς ἀγῶνα ἐλθὼν πολέμου πρῶτον. ἀποθανόντος δὲ ὑπὸ τῶν Γαλατῶν, τὴν ἀσπίδα οἱ προσήκοντες ἀνέθεσαν τῷ Ἐλευθερίῳ Διΐ· καὶ ἦν τὸ ἐπίγραμμα.

Η μάλα δὴ ποθέουσα νέαν ἔτι Κυδίου ἥβην
  Ἀσπὶς ἀριζήλου φωτὸς, ἄγαλμα Διΐ,
Ἇς διὰ δὴ πρώτας λαιόν ποτε πῆχυν ἔτεινεν,
  Εὖτ' ἐπὶ τὸν Γαλάταν ἤκμασε θοῦρος Ἄρης.

Τοῦτο μὲν δὴ ἐπεγέγραπτο, πρὶν ἢ τοὺς ὁμοῦ Σύλλᾳ καὶ ἄλλα τῶν Ἀθήνησι. καὶ τὰς ἐν στοᾷ τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς καθελεῖν ἀσπίδας. *Cæteros quidem Græcos eo die Atticus miles fortitudine superabat; inter Athenienses vero excelluit Cydias, qui, adolescens admodum, tunc primum in militiam venerat: cumque a Gallis cæsus esset, clypeum ejus Jovi Eleutherio propinqui dicarunt, cum inscriptione ista:*

Cydiæ, adhuc juvenis, florem desiderat iste,
  Quem clypeum sacrum conspicis esse Jovi;
Huic cubitum inseruit flammato corde sinistrum,
  Cum premeret Mavors armipotens Galatas.

Atque hoc sane inscriptum erat, priusquam milites Syllani cum alia Atheniensium, tum scuta quoque e Jovis Eleutherii porticu sustulerunt.

CAP. V.

Matris Deum fanum Μητρῷον *appellatum. Deæ signum a Phidia factum. Fanum cur ædificatum. Eudanemorum dolium. Metragyrtæ statua. Leges quoque, & decreta asservari ibi solita, vetitumque ne literæ falsæ inferrentur. Probibiti quoque ingressu ejus quicunque allium comedissent.*

ERAT fanum Matris Deum; & ejusdem in illo signum, Phidiæ opus. Pausanias, in *Atticis*. Ὠκοδόμηται δὲ καὶ μητρὸς θεῶν ἱερὸν, ἣν Φειδίας εἰργάσατο. *Exstructum vero & fanum erat Matris Deum; quam Phidias fecerat.* Est nimirum illud ipsum, quod Μητρῷον apud Auctores nuncupatur. Pollux, *lib.* III. *cap.* II. Ἐλέγετο δέ τι καὶ Μητρῷον Ἀθήνησι τὸ τῆς Φρυγίας ἱερόν. *Erat Athenis, quod Metroum dicebatur, Phrygiæ deæ fanum.* Moschopulus. Μητρῷον, παρ' Ἀθηναίοις, τὸ τῇ μητρὶ τῶν παρ' αὐτοῖς θεῶν ἀνειμένον. *Metroum, apud Athenienses, quod deorum, qui apud ipsos, matri dedicatum erat.* Plutarchus, in *Lycurgo Rhetore*, lib. de x. *Rhet.* Μέλλων δὲ τελευτήσειν, εἰς τὸ Μητρῷον, καὶ τὸ βουλευτήριον, ἐκέλευσεν αὐτὸν κομισθῆναι, βουλόμενος εὐθύνας δοῦναι τῶν πεπολιτευμένων. *Cum moriturus esset, in Metroum se, & curiam deferri jussit, rationem reddere cupiens administratæ reip.* Ejus ædificandi causa ista fuit. Metragyrtes quidam, cum in Atticam venisset, mulieresque matri Deum initiasset, irati Athenienses in barathrum eum præcipitem egerunt, occideruntque: qua de causa cum mox pestis orta esset, oraculo moniti sunt, ut manes cæsi expiarent. Itaque curiam ædificarunt ibi loci, ubi eum interfecerant; Matrique Deum dedicarunt, statuamque posuerunt, barathrumque terra ingesta oppleverunt. *Suidas* narrat. Μητραγύρτης ἐλθών τις

A εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐμύει τὰς γυναῖκας τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, ὡς ἐκεῖνοί φασιν. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀπέκτειναν αὐτὸν, ἐμβαλόντες εἰς βάραθρον κατὰ κεφαλῆς. Λοιμοῦ δὲ γενομένου, ἔλαβον χρησμὸν ἱλάσασθαι τὸν πεφονευμένον. καὶ διὰ τοῦτο ᾠκοδόμησαν βουλευτήριον ἐν ᾧ ἀνεῖλον τὸν Μητραγύρτην, καὶ περιφράττοντες αὐτὸ, καθιέρωσαν τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, ἀναστήσαντες καὶ ἀνδριάντα τοῦ Μητραγύρτου. Ἐχρῶντο δὲ τῷ Μητρῴῳ ἀρχείῳ καὶ νομοφυλακείῳ καταχώσαντες καὶ τὸ βάραθρον. *Metragyrtes quidam, cum in Atticam venisset, mulieres matri Deum initiabat, ut illi ajunt. Sed Athenienses eum capite dejectum in barathrum occiderunt. Hinc, cum pestis orta esset, oraculum acceperunt, expiarent cæsi ma-* B *nes. Ideoque structa curia, quo in loco interfecerant, circumseptam Matri Deum dedicarunt, statuamque Metragyrtæ posuerunt: insuper, oppleto barathro, pro archivo, & nomophylacio, Metroum habuerunt.* Eadem habes totidem verbis apud Apostolium *Cent.* XII. *Proverb.* LXXVII. Non longe inde ara Eudanemorum erat. Arrianus de *Exped. Alex.* lib. III. καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες, ᾗ ἄνιμεν ἐς πόλιν, καταντικρὺ μάλιστα τοῦ Μητρῴου, οὐ μακρὰν τῶν Εὐδανέμων τοῦ βωμοῦ. *Suntque etiam nunc Athenis in Ceramico statuæ, qua ascendimus ad urbem, e regione fere Metroi, non procul ab Eudanemorum ara.* C Erat autem in eo dolium. Diog. Laertius in *cognomine Cynico*, l. VI. c. XXIII. ἐπιστείλας δέ τινι οἰκίδιον αὐτῷ προνοήσασθαι, καὶ βραδύνοντος, τὸν ἐν τῷ Μητρῴῳ πίθον ἔσχεν οἰκίαν. *Quum a quodam per epistolam petiisset, ut de cella sibi prospiceret, isque cunctaretur etiam, dolium, quod in Metroo, pro domo habuit.* Et archivum ibi Urbis, legesque item, ac decreta eo loco asservari. Suidas in *citatis verbis*. Ἐχρῶντο δὲ τῷ Μητρῴῳ ἀρχείῳ, καὶ νομοφυλακείῳ. *Metroum vero pro archivo & nomophylacio habuerunt.* Harpocration. Τοὺς νόμους ἔθεντο ἀναγράψαντες ἐν τῷ Μητρῴῳ. *Leges cum descripsissent in Metroo reponebant.* Hinc est illud apud Lycurgum *Orat.* in D Leocratem. Εἴ τις ἕνα νόμον εἰς τὸ Μητρῷον ἐλθὼν ἐξαλείψει, ὡς οὐδὲν παρὰ τοῦτον τῇ πόλει ἐστὶν, ἆρ' οὐκ ἂν ἀπεκτείνατε αὐτόν; *Si quis legem unam, Metroum ingressus, delevisset, ac se eo tueretur, quod nil Urbis interesset, an interfecturi ipsum non essetis?* Æschines *orat.* in Ctesiphontem. Ἐν τοίνυν τῷ Μητρῴῳ, παρὰ τὸ βουλευτήριον, ἣν ἔδοτε δωρεὰν τοῖς ἀπὸ Φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγοῦσιν, ἔστιν ἰδεῖν, ἦν γὰρ ὁ τὸ ψήφισμα γράψας, καὶ νικήσας, Ἀρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης, εἷς τῶν καταγαγόντων τὸν δῆμον. *Quidnam vero donaveritis iis, qui a Phyla populum exulantem reduxerunt, in Metroo, juxta curiam est videre; qui decretum enim scripsit, obtinuitque, is Archinus est* E *e Cœla, unus eorum qui populum reduxerunt.* Athenæus de Apelliconte Tejo *lib.* V. Τά τ' ἐκ τοῦ Μητρῴου τῶν παλαιῶν αὐτόγραφα ψηφίσματα ὑφαιρούμενος ἐκτᾶτο. *Decretorum veterum ipsa exemplaria habebat e Metroo subducta.* Et *l.* IX. Ὁ δὲ θαρρεῖν παρακελευσάμενος, εἰπών τε πᾶσιν ἕπεσθαι, ἧκεν εἰς τὸ Μητρῷον, ὅπου τῶν δικῶν ἦσαν αἱ γραφαί. *Hic vero bono animo esse jussos & se sequi, in Metroum venit, ubi lites scriptæ erant.* Libanius, *declam.* XVI. Μεστὸν γὰρ τὸ Μητρῷον τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων. *Refertum enim est, Metroum meis decretis.* Diogenes Laertius in *Epicuro* lib. X. c. XVI. Κατὰ τάδε δίδωμι τὰ ἐμαυτοῦ πάντα Ἀμυνομά- F χῳ Φιλοκράτους Βατῆθεν, καὶ Τιμοκράτει Δημητρίου Ποταμίῳ, κατὰ τὴν ἐν τῷ Μητρῴῳ ἀναγεγραμμένην ἑκατέρῳ δόσιν. *Secundum hæc do mea omnia Amynomacho Philocratis Batensi, & Timocrati Demetrii Potamio, prout facta utrique donatio in Metroo est perscripta.* Et lege vetitum erat ne in illud falsæ literæ inferrentur. Scholiastes Demosthenis in *Argumento Orat.* περὶ στεφάνου. Ὁ δὲ τρίτος νόμος εἰς τὴν ὅλην ὁρᾷ τοῦ βίου, καὶ τῆς πολιτείας ἐξέτασιν· κελεύει γὰρ, μηδέποτε ψευδῆ γράμματα εἰς τὸ Μητρῷον εἰσάγειν, ἔνθα ἐστὶν ὅλα τὰ δημόσια γράμματα. *Ter-*

tia lex in vitam totam ejusque rationem respicit; siquidem vetat, ne quo pacto falsæ literæ in Metroum, ubi publicæ literæ omnes asservantur, conferantur. Hoc ipsum est, quod breviter dicit Syrianus in *Hermogenem*: Νόμος ἐστιν, ὁ κωλύων ψευδῆ (εἰς τὸ Μητρῷον) εἰσφέρειν γράμματα. *Lex est, quæ vetat falsas literas (in Metroum) inferre.* Inde Libanium illustro, *declam.* XIII. Μὴ γὰρ δέξαιτο τοιαῦτα τὸ Μητρῷον γράμματα. *Neque enim literas tales Metroum admittat.* Quin & ingredi vetabatur quisquis allium gustasset, docet Athenæus, *lib.* X. Στίλπων δ' οὐ κατεπλάγη τὴν ἐγκράτειαν, καταφαγεὶς σκόροδα, καὶ κατακοιμηθεὶς ἐν τῷ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἱερῷ· ἀπείρητο δὲ τῷ τούτων τι φαγόντι μηδὲ εἰσιέναι. *Stilpon vero non perculsus fuit ob temperantiam, cum allium edisset, & in Matris Deum templo dormivisset. Etenim neque intrare quidem id licebat qui aliquid modo horum gustasset.*

CAP. VI.

Quingentorum curia; & in ea Jovis τοῦ Βουλαίου *signum, ac sacellum; item Minervæ* τῆς Βουλαίας, *quod ingressi Senatores vota sua nuncupabant. Demosthenis locus illustratus. Vesta quoque* ἡ Βουλαία, *per quam datum jusjurandum. Apollo Pisiæ opus; Populus Lysonis; Thesmothetæ a Protogene Caunio picti: & Olbiades Callipi filius.*

JUXTA fanum hoc Matris Deum curia Quingentorum erat. Pausanias, in *Atticis*. Καὶ πλησίον (τοῦ μητρὸς θεῶν ἱεροῦ) τῶν πεντακοσίων καλουμένων βουλευτήριον, οἳ βουλεύουσιν ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις. *Ac propter (Matris Deum fanum) erat curia quingentorum, quos appellant; qui per annum senatorio apud Athenienses munere defunguntur.* Æschines *Orat.* in Ctesiphontem. Ἐν τοίνυν τῷ Μητρῴῳ, παρὰ τὸ βουλευτήριον, ἣν ἔδοτε δωρεὰν τοῖς ἀπὸ Φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγοῦσιν, ἔστιν ἰδεῖν. *Quidnam vero donaveritis iis, qui a Phyla populum exulantem reduxerunt, in Metroo juxta curiam est videre.* Ibi Jovis τοῦ Βουλαίου signum erat. Pausanias, *loc. cit.* Βουλαίου δ' ἐν αὐτῷ κεῖται ξόανον Διός. *Et Bulæi in eo Jovis signum exstat.* Quin sacellum quoque ejus, & Minervæ τῆς Βουλαίας; in quod senatores curiam ingressi vota nuncupabant: nempe ut consilia ipsis Reip. salutaria suppeditaret. Antiphon in *Orat.* περὶ τοῦ χορευτοῦ. Καὶ ἐν αὐτῷ βουλευτηρίῳ Διὸς Βουλαίου, καὶ Ἀθηνᾶς Βουλαίας ἱερόν ἐστι· καὶ εἰσιόντες οἱ βουλευταὶ προσεύχονται. *Et in ipsa curia Jovis Bulæi, ac Minervæ Bulææ est sacellum, atque in eo senatores, postquam curiam sunt ingressi, vota nuncupant.* Hoc ipsum est, quod Demosthenes dicit, Εἰσιτήρια ὑπὸρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι, *Pro felici in senatum introitu sacra facere.* Locus est *in Orat.* adversus Midiam. Εἴασε μέν με εἰσιτήρια ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι. *Sivit me pro felici in senatum introitu sacra facere.* Erat Vesta etiam Βουλαία. Plutarchus in *Vita Isocratis*, lib. de X. Rhet. καὶ φυγόντος ἐπὶ τὴν Βουλαίαν Ἑστίαν, ἁπάντων καταπεπληγμένων, μόνος ἀνέστη βοηθήσων. *Cumque ad Bulæam Vestam confugisset, perculsis omnibus, solus surrexit auxilium laturus.* Diodorus Siculus, *lib.* XIV. Ὁ δὲ φθάσας ἀνεπήδησε μὲν πρὸς τὴν Βουλαίαν Ἑστίαν. ἔφησε δὲ, πρὸς τοὺς θεοὺς καταφεύγειν, οὐ σωθήσεσθαι νομίζων, ἀλλὰ σπεύδων τοῖς ἀνελοῦσιν αὐτὸν περιποιήσεσθαι τὴν εἰς τοὺς θεοὺς ἀσέβειαν. *Atque ille quidem ocyus ad Vestæ Bulææ simulacrum prosiliit; inquiens, non se ad Deos confugere, ceu salutem inde speret; sed ut se interfecturos in impietatis in Deos crimen induat.* de Theramene in senatu circumvento uterque agit. Ac per hanc jurari solitum. Æschines *in Orat.* περὶ παραπρεσβ. Ἐπαινέτης ἦν ἡμῶν Δημοσθένης πρὸς τοὺς βουλεύοντας, καὶ τὴν Ἑστίαν ἐπώμοσε τὴν Βουλαίαν, συγχαίρειν τῇ πόλει, ὅτι τοιούτους ἄνδρας ἐπὶ τὴν πρεσβείαν ἐξέπεμψεν. *Laudator noster apud senatores fuit Demosthenes, & per Vestam Bulæam juravit gratulari se Urbi, quæ tales viros ad Legationem emisisset.* Dinarchus, ἐν τῇ κατὰ Καλλισθένους ἐνδείξει, apud *Hapocrationem*. Μαρτύρομαι τὴν Ἑστίαν Βουλαίαν. *Testem capio Vestam Bulæam.* Quæ verba explicare cupiens *Harpocration* addit; Οἷον τὴν ἐν τῇ βουλῇ ἱδρυμένην. *Tanquam quæ in senatu dedicata esset.* Præterea Apollo ibi spectabatur Pisiæ opus; populus Lysonis; tum & picti Thesmothetæ a Protogene Caunio; & Olbiades Callippi F. Pausanias, in *Atticis*. Καὶ Ἀπόλλων τέχνη Πεισίου· καὶ δῆμος ἔργον Λύσωνος. Τοὺς δὲ θεσμοθέτας ἔγραψε Πρωτογένης Καύνιος. Ὀλβιάδης τε Καλλίππου ἦν. *Est Apollo ars Pisiæ; item Populus Lysonis opus. Thesmothetas vero pinxit Protogenes Caunius. Erat quoque Olbiades Callippi filius.*

CAP. VII.

Tholus; ubi signa argentea, & Heroum Eponymorum item statuæ; ante quas propositæ leges. Archontis curia. Σκιά. *Sacra a Prytanibus fieri solita; & convivia eorundem, tum senatorum & scribarum quoque fisci. Forma ædificii a qua nomen illi datum.*

PROPE quingentorum curiam Tholus erat; ubi Prytanes sacrificabant, & argentea quædam signa spectabantur, uti & Heroum statuæ, de quorum nominibus tribus dictæ. Pausanias, *loc. cit.* Τοῦ βουλευτηρίου τῶν πεντακοσίων πλησίον θόλος ἐστὶ καλουμένη· καὶ θύουσί τε ἐνταῦθα πρυτάνεις, καί τινα καὶ ἀργύρου πεποιημένα ἐστὶν ἀγάλματα, οὐ μεγάλα. ἀνωτέρω δὲ, ἀνδριάντες ἑστήκασιν ἡρώων, ἀφ' ὧν Ἀθηναίοις ὕστερον ὀνόματα ἔσχον αἱ φυλαί. *Prope curiam quingentorum locus est, quem Tholum dicunt; illic Prytanes sacra faciunt, suntque signa ex argento quædam haud magna. Superius vero statuæ stant heroum eorum, a quibus postea Atheniensibus tribus suæ nominatæ.* Quod Heroes illos attinet; nempe hi sunt, qui Ἐπώνυμοι nuncupati: & Pausanias quoque ipse in *sequentibus statim verbis* sic apellat. Μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν Ἐπωνύμων ἐστὶν ἀγάλματα θεῶν. *Post Eponymorum statuas sunt Deorum simulacra.* Clare *Harpocration*. Ἐπώνυμοι, οἱ μὲν δέκα τὸν ἀριθμὸν, ἀφ' ὧν αἱ φυλαί. *Eponymi siquidem, decem numero, de quorum nominibus tribus dictæ.* Habes quoque apud *Suidam*, *Hesychium*, & *Etymologici Auctorem*. Erant autem nomina eorum ista; Hippothoon, Antiochus, Aiax Telamonius, Leo, Erechtheus, Ægeus, Oeneus, Acamas, Cecrops, Pandion: eoque ordine a *Pausania* memorantur. Ad has statuas, antequam ferri eæ possent, leges novæ examinandæ proponebantur: idque ex Solonis lege. Elegans hac de re est locus apud Demosthenem in *Leptinem*. Συνίετε καθ' ὃν τρόπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὁ Σόλων τοὺς νόμους, ὡς καλῶς, κελεύει τιθέναι; ἐπέταξεν ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων. *Intelligitis, Athenienses, quo pacto, & quam præclare leges ferre Solon jubeat? jussit exponere ante statuas Eponymorum.* Andocides, περὶ μυστηρίων. Ὁπόσων δ' ἂν προσδέοι, οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγραφόντων ἐν σανίσι, καὶ ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ. *Quantum autem desideretur, lecti a senatu legumlatores describant in tabulis, & proponant ad Eponymos, ut, qui velit, inspicere possit.* Vide plura quæ notavi *Attic. Lect.* l. V. c. V. Et Archontis olim illic curia erat. Suidas *in* ἄρχων. καὶ ὁ ἄρχων (καθῆστο) παρὰ τοὺς Ἐπωνύμους. *Archon autem (jus dicebat) apud Eponymos.* Quod ad Tholum vero attinet, etiam Σκιὰς dicebatur. Ammonius περὶ κωμῶν *lib.* IV. Ὁ δὲ τόπος, ὅπου ἑστιῶνται οἱ πρυτάνεις, καλεῖται θόλος· ὑπ' ἐνίων δὲ Σκιάς. *Locus, ubi convivantur*

Prytanes, *vocatur Tholus*; *a quibusdam vero Scias*. Suidas. Σκιὰς, ἀναδενδράς. σημαίνει δὲ καὶ τὴν παρ' Ἀθηναίοις λεγομένην θόλον. *Scias*, *locus arboribus umbrosus*. *Significat porro etiam Tholum apud Athenienses*. Sacrificabant illic Prytanes. Pausanias in *citatis verbis*: καὶ θύουσί τε ἐνταῦθα οἱ πρυτάνεις. *Et sacrificant hic prytanes*. Ac convivia item habebant. Ammonius *loco jam citato*. Ο δὲ τόπος, ὅπου ἑστιῶνται οἱ πρυτάνεις, καλεῖται θόλος. *Locus vero*, *ubi convivantur Prytanes*, *Tholus vocatur*. Harpocration: θόλος, τόπος, ἔνθα ἐδείπνουν οἱ πρυτάνεις, οὕτως ἐκαλεῖτο παρ' Ἀθηναίοις. *Tholus vocabatur ab Atheniensibus locus ubi prytanes convivantur*. Suidas. Θόλος, οἶκος περιφερὴς, ἐν ᾧ οἱ πρυτάνεις εἱστιῶντο. *Tholus*, *domus rotunda*, *in qua convivabantur prytanes*. Pollux *l.* VIII. *c.* XV. Ἡ θόλος, ἐν ᾗ συνεδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῆς τῶν πεντακοσίων βουλῆς, ἡ πρυτανεύουσα φυλή. *Tholus*, *ubi convivabantur quotidie quinquaginta e senatu quingentorum*; *nempe tribus quæ prytaniam exercebat*. At cum illis senatores. *Hesychius*. Θόλος. ὅπου οἱ πρυτάνεις καὶ ἡ βουλὴ συνειστιῶντο. *Tholus*. *Ubi prytanes & senatus convivabantur*. Etiam scribæ fisci. Ulpianus, *ad Orat.* περὶ παραπρεσβ. Ἡ δὲ θόλος, τόπος ἦν, ἔνθα ἐσιτιδοτοῦντο οἱ τοῦ δημοσίου γραμματεῖς. *Tholus autem*, *locus erat*, *ubi victum accipiebant scribæ fisci*. Et Demosthenis ipsa verba in *Orat. illa* hoc testantur. Καὶ τὸ τελευταῖον, ὑφ' ὑμῶν γραμματεὺς χειροτονηθέντες, δύο ἔτη διετράφησαν ἐν τῇ Θόλῳ. *Denique scribæ a vobis lecti per biennium educati sunt in Tholo*. Et *postea* iterum huc alludens. Ἐπειδὴ δὲ μυρία εἴργασται κακὰ, τὰς ὀφρῦς ἀνέσπακε· κἂν ὁ γεγραμματευκὼς Αἰσχίνης εἴποι τὶς, ἐχθρὸς εὐθέως, καὶ κακῶς φησὶν ἀκηκοέναι, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, θοἰμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν· τῶν Φιλίππου ξένων καὶ φίλων, εἷς οὗτος ὑμῖν ἤδη, τῶν ἀπαλλαγῆναι τοῦ δήμου βουλομένων, καὶ κλύδωνα, καὶ μανίαν, τὰ καθεστηκότα πράγματα ἡγουμένων, ὁ πέως ἔτι προσκυνῶν τὴν θόλον. *Posteaquam autem infinita mala fecit*, *supercilium sustulit*; *ac si quis dicat*, *Æschines*, *qui scriba fuit*, *statim hostis est*, *statim male audivisse se dicit*, *& per forum obambulat*, *veste ad talos demissa*, *instar Pythoclis incedens*, *buccas inflans*; *Philippi hospitum & amicorum jam vobis unus est qui a populo recedere volunt*, *& tempestatem*, *atque insaniam*, *receptum statum arbitrantur*: *qui non ita pridem adbuc Tholum adorabat*. Quod convenerint illic Prytanes, res est certa; & huc faciunt ista Andocidis *in Orat.* περὶ μυστηρίων. Τὴν δὲ βουλὴν εἰς ἀκρόπολιν ἰέναι, κἀκεῖ καθεύδειν. Τοὺς δὲ πρυτάνεις ἐν θόλῳ. *Ut senatus in arcem iret*, *ibique dormiret*; *prytanes vero in Tholo*. Meminit Tholi etiam Plato in *Apologia Socratis*. Ἐπειδὴ δὲ ὀλιγαρχία ἐγένετο, οἱ τριάκοντα αὖ μεταπεμψάμενοί με πέμπτον αὐτὸν εἰς τὴν θόλον προσέταξαν ἀγαγεῖν ἐκ Σαλαμῖνος Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον, ἵνα ἀποθάνοι. *Postquam vero oligarchia facta esset*, *missis in Tholum*, *qui me accerserent*, *cum aliis quatuor jusserunt adducere e Salamine Leonem Salaminium*, *Leonem Salaminium*, *ut interficerent*. Et postea: Ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκ τῆς θόλου ἐξήλθομεν, οἱ μὲν τέτταρες ᾤχοντο εἰς Σαλαμῖνα, καὶ ἤγαγον Λέοντα· ἐγὼ δὲ ᾠχόμην ἀπιὼν οἴκαδε. *Sed postquam e Tholo exiissemus*, *quatuor quidem illi Salaminem abierunt*, *ac Leonem abduxerunt*; *ego vero domum me recipiebam*. Datum autem nomen loco ab ipsa ædificii forma, quæ rotunda. Ulpianus, *ad Orat.* περὶ παραπρεσβ. Ἐκλήθη δὲ θόλος διὰ τὸ θολοειδὲς καὶ στρογγύλον ἔχειν τὸ σχῆμα. *Nomen vero accepit Tholus*, *quia rotunda est instar pilei*. Ammonius. Καλεῖται θόλος διὰ τὸ οὕτως ᾠκοδομῆσθαι αὐτὸν στρογγύλον, παρόμοιον θολίᾳ. *Vocatur Tholus a rotunda ædificii forma*, *quæque pilei instar est*. Videndus quoque *Etymologici Auctor*.

CAP. VIII.

Signum Amphiarai, *& Pacis cum Plutone*, *sive Pluto*; *ac Pacis quidem a Cephisodoto factum*. *Lycurgi statua*, *quando ei collocata*. *Calliæ etiam & Demosthenis*. *Pacis ara*; *& ea ipsa quando structa*, *item qua occasione*. *Demosthenis statua*; *a quo facta*, *& quando posita*.

POST Eponymorum statuas dii stabant; Amphiaraus, & Pax cum Plutone puero: tum Lycurgus, Lycophronis filius; Calliasque, & Demosthenes. Pausanias, in *Atticis*. Μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν Ἐπωνύμων ἐστὶν ἀγάλματα θεῶν. Ἀμφιάραος καὶ Εἰρήνη, φέρουσα Πλοῦτωνα παῖδα. ἐνταῦθα Λυκοῦργός τε κεῖται χαλκοῦς ὁ Λυκόφρονος· καὶ Καλλίας, ὃς πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου τοῖς Ἕλλησιν, ὡς Ἀθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἔπραξε τὴν εἰρήνην. ἔστι δὲ καὶ Δημοσθένης. *Post Eponymorum statuas sunt Deorum simulacra*; *Amphiaraus*, *& Pax puerum Plutonem ferens*. *Ibidem ex ære est Lycurgus Lycophronis filius*; *& Callias*, *qui*, *ut multi inter Athenienses ferunt*, *pacem Græcis cum Artaxerxe*, *Xerxis filio*, *constituit*. *Tum Demosthenes quoque illic*. De Pacis signo, quæ Plutonem, sive Plutum, (nam hæc nomina, uti notum, confunduntur) gestaret, idem memorat in *Bœoticis*; ubi ait, a Cephisodoto factum. Σοφὸν δὲ οὐχ ἧσσον (καὶ τὸ βούλευμα) Κηφισοδότου· καὶ γὰρ οὗτος τῆς Εἰρήνης τὸ ἄγαλμα Ἀθηναίοις Πλοῦτον ἐχούσης πεποίηκεν. *Nec minus callidum* (*item commentum*) *Cephisodoti*; *nam & hic Atheniensibus Pacem fecit quæ Plutum haberet*. Forte & juxta ejus deæ ara fuerit; quam struxere Athenienses parta pace post devictos opera Cimonis Persas. Plutarchus meminit in *ejus Vita*. Φασὶ δὲ καὶ βωμὸν Εἰρήνης διὰ ταῦτα τοὺς Ἀθηναίους ἱδρύσασθαι. *Ajunt vero & Pacis aram hac de causa Athenienses dedicasse*. Æmilius Probus post Timothei victoriam factum memorat in *ejus Vita*. c. II *Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ*, *ut tum primum aræ Paci publice sint factæ*. Lycurgi statua, quam commemorat Pausanias, Anaxicrate Archonte posita est. Plutarchus in *ejus Vita*, lib. *de* X. *Rhet.* Ἀνάκειται δὲ αὐτοῦ εἰκὼν ἐν Κεραμεικῷ κατὰ ψήφισμα, ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος. *Statua ei ex decreto posita est in Ceramico*, *archonte Anaxicrate*. Atque in decreti ipsis verbis, quod subjunctum est, ita erat. Δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Λυκοῦργον Λυκόφρονος Βουτάδην, ἀρετῆς ἕνεκα, καὶ δικαιοσύνης. καὶ στῆσαι αὐτοῦ τὸν δῆμον χαλκῆν εἰκόνα ἐν ἀγορᾷ. *Visum populo laudare Lycurgum Lycophronis Butaden*; *tum & statuam ex ære in foro collocare*. Quod Demosthenis statuam attinet, etiam illa memoratur a Plutarcho in *ejus Vita*, lib. *de* X. *Rhet.* ubi a Polyeucto eam factam dicit. αἰτήσας. τε γραμματεῖον (ὁ Δημοσθένης) ἔγραψεν, ὡς μὲν Δημήτριος ὁ Μάγνης φησὶ, τὸ ἐπὶ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ ἐλεγεῖον ἐπιγεγραμμένον ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ὕστερον.

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες;
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

Κεῖται δὲ εἰκὼν πλησίον τοῦ περισχοινίσματος, καὶ τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα Θεῶν, ὑπὸ Πολυεύκτου πεποιημένη. *Cum tabellam* (*Demosthenes*) *postulasset*, *scripsit*, *ut quidem Demetrius Magnesius tradit*, *elegos*, *quos & postea Athenienses statuæ ipsius inscripserunt*;

Si menti vires fuerant, *Demosthenes*, *æquæ*;
Non armis Macetum Græcia victa foret.

Collocata vero est statua juxta septum, *& duodecim Deorum aram*, *a Polyeucto facta*. Posita autem Archonte Gorgia; qui fuit Olymp. CXXV. anno I. post Oratoris hujus mortem annis quadraginta & uno. Ju-

dicit idem Plutarchus *libro eodem*. Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀθηναῖοι σίτησίν τε ἐν πρυτανείῳ τοῖς συγγενέσι τοῦ Δημοσθένους ἔδοσαν, καὶ αὐτῷ τελευτήσαντι τὴν εἰκόνα ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ ἐπὶ Γοργίου ἄρχοντος. *Aliquando post Athenienses Demosthenis cognatis victum in prytaneo dederunt; ipsique mortuo statuam in foro dedicarunt archonte Gorgia.*

CAP. IX.

Martis fanum cum duobus signis Veneris. Simulacrum Martis & Minervæ; hoc Alcamenis, illud Locri Parii opus, Enyo quoque a Praxitelis filiis facta. Herculis signum, Theseique, & Apollinis fascia comam redimiti: inde Caladis, Pindarique duæ statuæ. Caladis comessatio. Pausanias emendatus, item Plinius, isque idem illustratus.

PROPE statuam Demosthenis Martis fanum occurrebat, in quo Veneris signa duo: Martis etiam, ab Alcamene fabre factum; & Minervæ a Locro Pario. Pausanias, in *Atticis*. Τῆς δὲ τοῦ Δημοσθένους εἰκόνος πλησίον Ἄρεώς ἐστιν ἱερόν· ἔνθα ἀγάλματα δύο μὲν Ἀφροδίτης κεῖται· τὸ δὲ τοῦ Ἄρεως Ἀλκαμένης ἐποίησε· τὴν δὲ Ἀθηνᾶν ἀνὴρ Πάριος, ὄνομα δὲ αὐτῷ Λοκρός. *Prope Demosthenis vero statuam Martis fanum est; in quo signa Veneris duo, ac Martis quidem Alcamenes fecit; quod Minervæ est, vir quidam Parius, nomine Locrus.* Enyus quoque illic signum a Praxitelis filiis factum. Pausanias, *loc. cit.* Ἐνταῦθα καὶ Ἐνυοῦς ἄγαλμά ἐστιν, ἐποίησαν δὲ οἱ παῖδες οἱ Πραξιτέλους. *Hic Enyus etiam signum quod fecerunt Praxitelis filii.* Juxta Martis istud fanum Hercules stabat; item Theseus, & Apollo fascia comam redimitus: etiam Calades, Pindarusque. Pausanias, *ibid.* Περὶ δὲ τὸν (τοῦ Ἄρεως) ναὸν, ἑστᾶσιν Ἡρακλῆς, καὶ Θησεὺς, καὶ Ἀπόλλων ἀναδούμενος ταινίᾳ τὴν κόμην· ἀνδριάντες δὲ, Καλάδης, Ἀθηναίοις ὃς λέγεται νόμους γράψαι· καὶ Πίνδαρος, ἄλλα τε εὑράμενος παρὰ Ἀθηναίων, καὶ τὴν εἰκόνα, ὅτι σφᾶς ἐπῄνεσεν, ᾆσμα ποιήσας. *Propter templum Martis Hercules astat; item Theseus, & Apollo fascia comam religatus. Virorum autem statuæ sunt, Calades; qui dicitur Atheniensibus leges scripsisse: item Pindarus; cui cum alia apud Athenienses obvenere, tum statua, quod eos in carmine laudasset.*

Quod ad Pindari statuam attinet, hanc ego ipsam esse censeo, de qua supra a me dictum, *cap.* VIII. Sed de Calade, quis hoc Veterum unquam tradidit, eum leges Atheniensibus conscripsisse? Atqui pictor ille erat, cui ob artis excellentiam statua ista posita fuit: & pictori nil cum legibus commune. Affirmo tibi, mendum esse in Pausaniæ illis verbis, ὃς λέγεται νόμους γράψαι. *Qui dicitur leges scripsisse.* Legendum autem, ὃς λέγεται κώμους γράψαι. *Qui dicitur comessationes pinxisse.* Scriptum fuerat a librario, ὃς λέγεται κόμους γ. neglecto discrimine inter ο & ω. inde alius νόμους fecit, qui nesciret, quidnam illud κόμους esset. Ita res omnino habet; Calades Pictor in parvis tabellis comessationes pinxerat, summo plane artificio: quæ & *Comicæ tabellæ* Plinio dicuntur *lib.* XXXI. *cap.* X. *Sicyone par est in nova ; et ...a celebris in penicillo; e quibus fuit Pyreicus arte paucis postferendus. Meniana omnia operiebat Serapionis tabula sub Veteribus. Hic scenas optime pinxit, sed hominem pingere non potuit. Contra Dionysius nihil aliud quam homines pinxit; ob id Anthropographus cognominatus. Parva & Callicles fecit; item Calades, comicis tabellis.* Ita autem etiam illic per occasionem emendo; cum non recte hactenus scribatur, *item Calaces.*

CAP. X.

Aristogitonis & Harmodii statuæ, Antenoris, Critiæque & Praxitelis opera. Hippolochi statua; tum Antigoni & Demetrii: etiam Bruti Cassiique. Et Aristogitonis quidem ac Harmodii a Xerxe ablatæ; ab Antiocho, vel Seleuco, sive Alexandro Magno restitutæ. Dion Chrysostomus explicatus.

IN propinquo statuæ Aristogitonis & Harmodii, qui Hipparchum interfecerant. Pausanias, in *At.* Οὐ πόῤῥω δὲ ἑστᾶσιν Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, οἱ κτείναντες Ἵππαρχον. *Non longe inde stabant Harmodius & Aristogiton, qui Hipparchum occiderunt.* Erant autem plures numero: veteresque Antenor fecerat; Critias recentiores. Pausanias subjungit, *loc. cit.* Τῶν δὲ ἀνδριάντων οἱ μέν εἰσι Κριτίου τέχνη· τοὺς δὲ ἀρχαίους ἐποίησεν Ἀντήνωρ. *Ex statuis istis quædam sunt a Critiæ arte; Veteres Antenor fecit.* Plinius Praxitelem fecisse dicit *l.* XXXIV. *c.* VIII. *Praxiteles quoque marmore felicior ideo & clarior fuit. Fecit tamen ex ære pulcherrima opera, Harmodium, & Aristogitonem, tyrannicidas.* Meminit harum statuarum simpliciter idem *eodem libro cap.* IV. *Athenienses, nescio an primi omnium, Harmodio & Aristogitoni, tyrannicidis publice posuerunt statuas.* Et Plutarchus in *Antiphonte*, lib. *de* X. *Rhet.* Γενομένης δὲ παρὰ πότον ζητήσεως, τίς ἄριστός ἐστι χαλκὸς, καὶ τῶν πολλῶν διαφερομένων, αὐτὸν εἰπεῖν· ἄριστον εἶναι, ἐξ οὗ Ἁρμόδιος, καὶ Ἀριστογείτων, πεποίηνται. *Cum inter pocula quæreretur, quodnam æs optimum esset, ac multorum diversa esset sententia, dixisse ipsum illud optimum videri, e quo Harmodii & Aristogitonis statuæ factæ essent.* Theodoretus *Therapeut.* VIII. Τιμητέον δὲ ἄρα καὶ τοὺς Πεισιστρατίδας, ὑπὸ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἐνδίκως ἀναιρεθέντας. Ἀλλὰ τοὐναντίον ἔδρασαν οἱ Ἀθηναῖοι· τοὺς γὰρ ἀνελόντας χαλκαῖς εἰκόσιν ἐτίμησαν. *Quocirca honorandi quoque erunt Pisistratidæ ab Harmodio & Aristogitone jure interfecti. Atqui contra ab Atheniensibus factum; siquidem interfectores statuis æneis honorarunt.* Lucianus in *Parasito* statuas has in foro exstitisse dicit. Τί δὲ οὐχὶ καὶ Ἀριστογείτων δημοτικὸς ὢν, καὶ πένης ὥσπερ Θουκυδίδης φησὶ, παράσιτος ἦν Ἁρμοδίου; τί δὲ οὐχὶ καὶ ἐραστής; ἐπιεικῶς γὰρ οἱ παράσιτοι καὶ ἐρασταὶ τῶν τρεφόντων εἰσίν· οὗτος τοίνυν πάλιν ὁ παράσιτος τὴν Ἀθηναίων πόλιν τυραννουμένην εἰς ἐλευθερίαν ἀφείλετο· καὶ νῦν ἕστηκε χαλκοῦς ἐν τῇ ἀγορᾷ μετὰ τῶν παιδικῶν. *Quid vero an non & Aristogiton, qui popularis & egenus, ut Thucydides commemorat, parasitus erat Harmodii? numquid etiam amator? siquidem conveniens est ut Parasiti ament hos, a quibus aluntur: attamen parasitus ille Atheniensium urbem tyrannide oppressam in libertatem vindicavit; estque nunc in foro statua ænea ejus, atque amasii.* Et ante eum Aristoteles *Rhet.* l. I. c. IX. Καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα, τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι. *Et in quem primum encomium factum est, ut in Hippolochum, & Harmodium, atque Aristogitonem, in foro constituit.* Sed sciendum forum hoc in Ceramico exstitisse, ideoque alterum pro altero poni, ut commemorabo infra. Observa autem, & Hippolochi statuam fuisse, in *istis* Aristotelis *verbis*. Juxta autem statuas istas postea etiam Antigoni & Demetrii positæ ambæ ex auro, idque in curru. Diodorus Siculus *lib.* XX. Οἱ Ἀθηναῖοι, γράψαντος ψήφισμα Στρατοκλέους, ἐψηφίσαντο χρυσᾶς μὲν εἰκόνας ἐφ' ἅρματος στῆσαι τοῦ τε Ἀντιγόνου καὶ Δημητρίου πλησίον Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος. *Athenienses, scribente decretum Stratocle, decreverunt, ut statuæ in curru aureæ cum Antigono, tum Demetrio ponerentur prope Harmodium & Aristogitonem.* Inde Bruti etiam & Cassii. Dion Cassius ubi de utroque agit *lib.* XLVII.

Καὶ

Καὶ αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι λαμπρῶς ἐδέξαντο. καὶ εἰκόνας σφίσι χαλκᾶς παρὰ τὴν τοῦ Ἁρμοδίου, καὶ παρὰ τὴν τοῦ Ἀριστογείτονος, ὡς καὶ ζηλωταῖς αὐτῶν γενομένοις ἐψηφίσαντο. *Ipsosque Athenienses splendide exceperunt; statuasque æneas ipsis propter Harmodium atque Aristogitonem, quos fuissent æmulati, decreverunt.* Xiph. in *Augusto.* Οὕτω γὰρ ἐπτεθήπεσαν τοὺς περὶ τὸν Βροῦτον αἱ πόλεις πᾶσαι, ὥστε καὶ οἱ Ἀθηναῖοι εἰκόνας σφίσι χαλκᾶς παρὰ τὴν τοῦ Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος ἐψηφίσαντο. *Adeo enim admiratæ urbes omnes Brutum sociosque, ut statuas illi æneas Athen. juxta Harmodium & Aristogitonem decreverint.* Zonaras *Ann.* II. Καῖσαρ δὲ καὶ Ἀντώνιος κατὰ τοῦ Βρούτου καὶ Κασσίου ἐστράτευσαν. ἐκεῖνοι καὶ τὸν Καίσαρα τὸν Ὀκτάβιον μαθόντες τῶν πραγμάτων ἀναλαμβάνεσθαι, καὶ τὸν ὅμιλον σφετερίζεσθαι, τήν τε δημοκρατίαν ἀπέγνων, καὶ ἐκεῖνον φοβηθέντες ἐν Ἀθήναις ἐγένοντο. Καὶ οἱ Ἀθηναῖοι σφᾶς λαμπρῶς ὑπεδέξαντο, καὶ εἰκόνας χαλκᾶς αὐτοῖς ἐψηφίσαντο, ὡς τοὺς παρ' αὐτοῖς τυραννοκτόνους ζηλώσασι· τὸν Ἁρμόδιον λέγω καὶ τὸν Ἀριστογείτονα. *Cæsar vero & Antonius contra Brutum Cassiumque exercitum duxerunt: illique ubi cognovissent Cæs. Octavium res capessere, ac plebem sibi devincire, de republica desperantes, eumque metuentes Athenis degebant; & Athenienses quidem splendide eos exceperunt, æneasque illis statuas decreverunt, ceu tyrannicidas essent æmulati, Harmodium dico & Aristogitonem.* Abductæ autem illæ statuæ olim a Xerxe capta Urbe; ac post remissæ ab Antiocho. Pausanias, in *Atticis*. Ξέρξου δὲ, ὡς εἷλεν Ἀθήνας, ἐκλιπόντων τὸ ἄστυ Ἀθηναίων; ἀπαγομένους καὶ τούτους ἅτε λάφυρα, κατέπεμψεν ὕστερον Ἀθηναίοις Ἀντίοχος. *Has statuas Xerxes capta Urbe, quam deseruissent, cives, cum inter prædam abduxisset, postea Atheniensibus Antiochus remisit.* Alii Seleucum id fecisse tradunt. Valerius Maximus *l.* II. *c.* X. *Harmodii & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes ea Urbe devicta in regnum suum transtulit: Longo deinde interjecto tempore Seleucus in pristinam sedem reportandas curavit.* Plinius Alexandro Magno asscribit *l.* XXXIV. *cap.* VIII. *Harmodium & Aristogitonem, tyrannicidas a Xerxe, Persarum rege, captos, victa Perside Atheniensibus remisit Magnus Alexander.* Item Arrianus de *Exped. Alex.* l. III. Πολλὰ δὲ ἄλλα κατελήφθη αὐτοῦ; ὅσα Ξέρξης ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἄγων ἦλθε· τά τε ἄλλα, καὶ Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος χαλκαῖ εἰκόνες· καὶ ταύτας Ἀθηναίοις πέμπει ὀπίσω Ἀλέξανδρος. Καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες, ᾗ ἄνιμεν ἐς πόλιν. *Multa præterea alia ibi capta sunt, quæcunque Xerxes e Græcia abduxerat; inter quæ Harmodii, & Aristogitonis æneæ statuæ, quas Atheniensibus postea remisit Alexander; & nunc etiam Athenis in Ceramico conspiciuntur, qua in Urbem ascendimus.* Iterum *l.* VII. Ὅσους δὲ ἀνδριάντας, ἢ ἀγάλματα, ἢ εἰ δή τι ἄλλο ἀνάθημα, ἐκ τῆς Ἑλλάδος Ξέρξης ἀνεκόμισεν ἐς Βαβυλῶνα, ἢ ἐς Σοῦσα, ἢ ὅπη ἄλλη τῆς Ἀσίας, ταῦτα δοῦναι (τὸν Ἀλέξανδρον λέγεται) ἄγειν τοῖς πρέσβεσι. καὶ τὰς Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὕτω λέγεται ἀπενεχθῆναι ὀπίσω ἐς Ἀθήνας. *Quotquot autem vel virorum statuas, vel deorum signa, vel donaria alia quæcunque e Græcia abduxerat Xerxes Babylonem, aut Pasargadas, aut Susa, aut quancunque Asiæ partem, hæc legatis auferenda Alexander dedisse dicitur, atque ita Harmodii quoque, & Aristogitonis statuæ æneæ Athenas relatæ esse feruntur.* Quod autem hæ statuæ a Persis abductæ; indicant etiam illa verba Dionis Chrysostomi, *Orat.* XXXVII. Οἶδα δ' ἐγὼ καὶ Ἁρμόδιον, καὶ Ἀριστογείτονα δουλεύσαντας ἐν Πέρσαις. *Ego vero scio etiam Harmodium & Aristogitonem inter Persas serviisse.* Non potest aliter locus ille explicari. Ac conservatæ illæ statuæ usque ad Arriani tempora, qui sub Antonio vixit. Ecce enim in *citatis ante verbis.* καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες, ᾗ ἄνιμεν ἐς πόλιν. *Et nunc etiam Athenis in Ceramico conspiciuntur hæ statuæ, qua in Urbem ascendimus.*

CAP. XI.

Odeum idque permagnificum, theatri forma Amæbei citharœdi domum in propinquo habens. A Pericle structum, & Lycurgo. Rhapsodorum, & citharœdorum hic certamen; tum gymnasium. Jus quoque illic dici solitum, & farinæ mensurari. Ab Aristione incensum, ab Ariobarzane instauratum, ab Herode exornatum.

HINC Odeum sequebatur. Sequitur enim apud Pausaniam, in *Atticis*. Τοῦ θεάτρου δὲ, ὃ καλοῦσιν Ὠδεῖον, ἀνδριάντες πρὸ τῆς ἐφόδου. *Ante theatri vero, quod Odeum vocant, introitum statuæ spectantur.* Id inter spectatu dignissima memoratur a Strab. *l.* IX. Ὁμοίως δὲ καὶ ἡ Ἀκαδημία, καὶ οἱ κῆποι τῶν φιλοσόφων, καὶ τὸ Ὠδεῖον, καὶ ἡ Ποικίλη στοά, καὶ τὰ κατὰ τὴν πόλιν ἱερά, ἔχοντα πάντα ἔργα τεχνιτῶν μνήμης ἀξίων. *Simili modo & Academia, & Philosophorum horti, & Odeum & Pœcile porticus, quæque passim in Urbe fana, quorum singula habent opera artificum memorabilium.* Et theatri formam habebat. Sholiastes Comici *Vespis*. Τόπος (τὸ Ὠδεῖον) ἐστὶ θεατροειδής. *Locus est (Odeum) theatriformis.* Suidas. Ὠδεῖον Ἀθήνησιν. ὥσπερ θέατρον. *Odeum Athenis est, instar theatri.* Ac theatrum vocat Pausanias in *cit. statim verbis.* Τοῦ θεάτρου δὲ, ὃ καλοῦσιν Ὠδεῖον, ἀνδριάντες. *Theatri vero, quod Odeum vocant, statuæ.* Hyperides in *Orat.* ὑπὲρ Λυκούργου apud Apsinem l. *de Arte Rhet* c. περὶ προσωποποιΐας. Ὠκοδόμησε δὲ (ὁ Λυκοῦργος) τὸ θέατρον, τὸ Ὠδεῖον. *Ædificavit vero (Lycurgus) theatrum, quod Odeum dicunt.* Alexander Aphrodiseus in *Metaphysic.* l. III. *Est Odeum pars quædam theatri, quæ nunc thymele vocatur* Et hoc putandum est, prope quod Amæbeus fertur habitasse citharœdus valde insignis; qui talentum in diem unum cum prodiret cantaturus accipiebat. Athenæus *l.* XIV. Ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐδὲν ἐλάττον εἶναι νομίζεται τοῦ παλαιοῦ Ἀμοιβέως. ὅν φησιν Ἀριστέας ἐν τῷ περὶ Κιθαρῳδῶν, ἐν Ἀθήναις κατοικοῦντα καὶ πλησίον τοῦ θεάτρου οἰκοῦντα, ὅτε ἐξέλθοι ᾀσόμενος τάλαντον Ἀττικὸν τῆς ἡμέρας λαμβάνειν. *Mihi quidem hic videtur nihilo inferior prisco Amæbeo; quem ait Aristias in libro de citharœdis, Athenis habitantem, juxta theatrum, quoties cantaturus exiret, talentum Atticum in dies singulos accepisse.* Struxit autem Pericles ut Musicos illic exhiberet. *Suidas*. Πεποίηκεν, ὥς φασι, Περικλῆς εἰς τὸ ἐπιδείκνυσθαι τοὺς μουσικούς. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ Ὠδεῖον ἐκλήθη, ἀπὸ τῆς ᾠδῆς. *Fecit illud, ut ajunt, Pericles, ut Musicos exhiberet: unde & Odeum dictum, tanquam a cantu.* Ac certasse illic Musicos etiam *Hesychius* docet: Ὠδεῖον τόπος ἐν ᾧ πρὶν τὸ θέατρον κατασκευασθῆναι, οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ οἱ κιθαρῳδοὶ ἠγωνίζοντο. *Odeum locus in quo priusquam theatrum exstructum esset, rhapsodi ac citharœdi certabant.* Plutar. in *Vita Periclis* ἐθεῶντο δὲ καὶ τότε καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἐν Ὠδείῳ τοὺς μουσικοὺς ἀγῶνας. *Spectabant vero & eo tempore ac deinceps Musica certamina in Odeo.* Scholiastes Aristophanis *Vespis*. Τόπος (τὸ Ὠδεῖον) ἐστὶ θεατροειδής, ἐν ᾧ εἰώθασι τὰ ποιήματα ἀπαγγέλλειν. *Locus (Odeum) est theatriformis, in quo poemata recitare solent.* Plutar. inter sapientiæ gymnasia recenset l. *de Exilio*. Ὅτι δόξαν οὗτοι καὶ τιμὰς ἐθήρευον, ἐπὶ τοὺς σοφοὺς ἐλθὲ, καὶ τὰς σοφὰς Ἀθήνησι σχολὰς καὶ διατριβάς· ἀναπεμπάσαι τὰς ἐν Λυκείῳ, τὰς ἐν Ἀκαδημίᾳ, τὴν Στοὰν τὸ Παλλάδιον, τὸ Ὠδεῖον. *Quod gloriam illi & honores venabantur, si scire cupis, ad sapientes abi, & ad sapientes scholas, ac gymnasia, quæ Athenis: tum in mentem tibi revoca Lyceum, Academiam, Porticum, Palladium, Odeum.* A Pericle structum, idque e Persicis manubiis docet Vitruvius, *l.* V. *c.* IX. *Odeum, quod Athenis Pericles columnis lapideis disposuit, naviumque malis & antennis e spoliis Persicis pertexit.* Plutar. quoque a Pericle constructum narrat, in *ejus Vita*. Τὸ δ' Ὠδεῖον τῇ μὲν ἐντὸς διαθέσει πολύεδρον καὶ πολύστυλον τῇ δ' ἐρέψει περικλινὲς καὶ κάταντες, ἐκ μιᾶς κορυφῆς πεποιημένον, εἰκόνα λέγουσι γενέσθαι καὶ μίμημα, τῆς βασιλέως σκηνῆς ἐπιστατοῦντος καὶ τούτῳ Περικλέους. *Odeum, ita constitutum interius, ut sedilia mul-*

ta haberet, columnasque tecto devexum & acclive, ac fastigio uno factum, imaginem fuisse ferunt & simulacrum tabernaculi regis; id quoque accurante opus Pericle structum. Ubi formam simul observa & qualitatem. Dicit ecce sedilia intus perquam multa & columnas habuisse; tum acclive quoque tectum in fastigium unum assurgens, instar tabernaculi regii. De columnis vides in Vitruvii *verbis jam citatis*, & Theophrasti, in *Eth. Charact.* cap. περὶ ἀδολεσχίας. Πόσοι εἰσὶ κίονες τοῦ Ωδείου. *Quot columnæ in Odeo.* Exædificavit autem postea Lycurgus. Inde Hyperides in *Orat.* ὑπὲρ Λυκούργου, apud Apsinem de *Art. Rhet.* cap. x. περὶ προσωποποιΐας. Οὗτος (ὁ Λυκοῦργος) ἐβίω μὲν σωφρόνως· ταχθεὶς δ' ἐπὶ τῇ διοικήσει τῶν χρημάτων, εὗρε πόρους· ᾠκοδόμησε δὲ τὸ θέατρον, τὸ Ωδεῖον. *Hic (Lycurgus) vixit quidem continenter; & pecuniarum administrationi præfectus invenit tributa: tum theatrum quoque exstruxit, quod Odeum nuncupatur.* Porro præter Musicas commissiones, quas jam dixi, jus quoque illic dicebatur. Ingerit Aristophanes in *Vespis*, v. 1104. 1105.

Οἱ μὲν ὑμῶν οὗπερ ἄρχων· οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα·
Οἱ δ' ἐν Ωδείῳ δικάζουσ.
Quidam e nobis ad Archontem; pars ad Undecimviros;
Pars ad Odei forum jus dicunt.

Et *Suidas* ait. Ἐστι δὲ ἐν αὐτῷ (τῷ Ωδείῳ) δικαστήριον τοῦ ἄρχοντος. *Est in eo (Odeo) tribunal Archontis.* Ac Demosthenis est locus plane insignis *Orat.* in Neæram. Λαχόντος δὲ τοῦ Στεφάνου αὐτῷ σίτου δίκην εἰς Ωδεῖον τῆς προικὸς κατὰ τὸν νόμον, ὃς κελεύει; Ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα ἀποδιδόναι τὴν προῖκα· Ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς Ωδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ, γράφεται ὁ Φράστωρ τὸν Στέφανον τουτονὶ γραφὴν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας. *Cum vero Stephanus ei diem dixisset apud Odeum de dote, ex lege quæ jubet: Si dimiserit quis uxorem reddat dotem; sin minus novem obolos usuram pendat: & curatori mulieris pro ea de victu ad Odeum detur actio, Phrastor Stephanum apud sex-viros accusat.* Etiam farinæ mensurari illic solitæ, iis nempe, qui in Urbe habitabant; sicuti in longa porticu iis, qui in Piræeo. Observare est apud Demosthenem *Orat.* in Phormionem. Ἐτι δὲ ἐν τῷ τοιούτῳ καιρῷ, ἐν ᾧ ὑμῖν οἱ μὲν ἐν τῷ ἄστει οἰκοῦντες διεμετροῦντο ἄλφιτα ἐν τῷ Ωδείῳ. *Idque eo tempore, quo, qui in Urbe habitatis, farinas in Odeo dimensas accipiebatis:* Meminit Odei bis terque Xenoph. *Hist. Græ.* l. II. Incendit autem hoc pulcherrimum ædificium belli Mithridatici tempore Aristion, ne ad arcem oppugnandam Sylla lignis inde abductis uteretur. Narrat Appianus de *Bell. Mithrid.* Καὶ Ἀριστίων αὐτοῖς συνέφυγεν, ἐμπρήσας τὸ Ωδεῖον, ἵνα μὴ ἑτοίμοις ξύλοις αὐτίκα ὁ Σύλλας ἔχοι τὴν ἀκρόπολιν ἐνοχλεῖν. *Fugit etiam una cum iis Aristion incenso Odeo, ne confestim promta illic ligna Sylla ad invadendam arcem haberet.* Et restituit Ariobarzanes. Vitruvius *l.* v. *c.* IX. *Idem autem Odeum etiam incensum bello Mithridatico Rex Ariobarzanes restituit.* Deinde in majus exornavit Herodes Sophista in uxoris tum defunctæ monumentum; ita ut omnia quotquot tota Græcia exstarent magnitudine, ceteroque ædificio antecelleret. Pausanias in *Achaicis*. Κεκόσμηται δὲ καὶ ἐς ἄλλα τὸ Ωδεῖον ἀξιολογώτατα τῶν ἐν Ἕλλησι, πλήν γε δὴ τοῦ Ἀθήνησι. Τοῦτο γὰρ μεγέθει τε καὶ ἐς τὴν πᾶσαν ὑπερῆρκε κατασκευήν. ἀνὴρ δὲ Ἀθηναῖος ἐποίησεν Ἡρώδης, ἐς μνήμην ἀποθανούσης γυναικός. *Odeum illud, quod alia attinet, omnium maxime memorabile est, quotquot tota Græcia exstant; uno excepto, quod Athenis magnitudine, cæteroque ædificio longe excellens.* Quin e cedro tectum erat. Philostratus de hac ipsa re in *Vita Herodis, Sophist.* l. II. Ἀνέθηκε δὲ Ἡρώδης Ἀθηναίοις καὶ τὸ ἐπὶ Ῥηγίλλῃ (hoc defunctæ uxoris nomen) θέατρον, κέδρου ξυνθεὶς τὸν ὄροφον. *Dedicavit quoque Herodes Atheniensibus in Rhegillæ honorem theatrum tecto e cedro constructo.*

CAP. XII.

Statuæ Ptolemæorum, Arsinoes, Berenices, Philippi, & Alexandri; qui Deus decimus tertius dictus, cognomento Liber pater: quod Philippo tamen alii tribuerunt. Inde statua Lysimachi, item Pyrrhi.

ANTE Odeum, priusquam intrares, statuæ Regum Ægyptiorum, quibus omnibus idem Ptolemæi nomen, etsi varium cognomentum, spectabantur. Pausanias, in *At.* Τοῦ θεάτρου δὲ ὃ καλοῦσιν Ωδεῖον, ἀνδριάντες πρὸ τῆς ἐσόδου βασιλέως εἰσὶν Αἰγυπτίων· ὀνόματα μὲν δὴ κατὰ τὰ αὐτὰ Πτολεμαῖοι σφίσιν, ἄλλη δὲ ἐπίκλησις ἄλλῳ. *Ante theatri vero, quod Odeum vocant, introitum Regum Ægyptiorum statuæ sunt; quibus omnibus idem Ptolemæi nomen, sed cognomen aliis aliud.* In his juxta Philadelphum, Arsinoe soror spectabatur. Pausanias, *loc. cit.* Τῶν δ' ἄλλων ὁ μὲν φιλάδελφός ἐστιν· πλησίον δὲ οἱ καὶ Ἀρσινόης τῆς ἀδελφῆς ἐστιν εἰκών. *Inter alios est Philadelphus, ac juxta ipsum Arsinoes sororis statua.* Juxta Philometorem vero filia Berenice posita erat. Pausanias, *ibid.* Ὁ δὲ Φιλομήτωρ καλούμενος, ὄγδοος μέν ἐστιν ἀπόγονος Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, τὴν δ' ἐπίκλησιν ἔσχεν ἐπὶ χλευασμῷ. οὐ γάρ τινα βασιλέων μισηθέντα ἴσμεν ἐπὶ τοσόνδε ὑπὸ μητρός. Ἀθηναῖοι δὲ ὑπ' αὐτοῦ παθόντες εὖ πολλά τε καὶ οὐκ ἄξια ἐξηγήσεως, χαλκοῦν καὶ αὐτὸν καὶ Βερενίκην ἔθηκαν, ἣ μόνη οἱ τῶν παίδων γνησία ἦν. *Philometor qui vocatus octavus est a Ptolemæo Lagi filio, per ludibrium isto cognomento dictus; quando neque Regum quenquam odio majore mater unquam prosecuta fuit. Athenienses vero beneficiis ab eo affecti cum alia multa, vix quæ referantur digna, decrevere; tum ex ære statuam ipsi posuere, & Berenicæ, quæ sola erat e legitimo thoro filia.* Hinc Philippus Rex Macedonum filiusque Alexander apparebant. Μετὰ δὲ τοὺς Αἰγυπτίους Φίλιππός τε καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου κεῖνται. *Post Ægyptiorum Reges Philippus ejusque filius Alexander conspiciuntur.* Ac Philippum in Cynosarge adoratum tradit Clemens in *Protreptico*. Νῦν μὲν τὸν Μακεδόνα τὸν ἐκ Πέλλης, τὸν Ἀμύντου Φίλιππον, ἐν Κυνοσάργει νομοθετοῦντες προσκυνεῖν. *Nunc quidem Macedonem e Pella, Amyntæ filium Philippum, in Cynosarge adorandum decernentes.* Quin & Deum decimum tertium appellabant. Apsines l. *de Arte Rhet.* c. περὶ προοιμίου. Ἔγραψεν ὁ Δημάδης, τρισκαιδέκατον θεὸν νομίζειν Φίλιππον· ἀντειπὼν ὁ Δημοσθένης ἡττήθη. *Scivit Demades, decimum tertium Deum habere Philippum, contradicens Demosthenes victus est.* Et ecce e decreto Demadis factum; quod & ipse Demades dicit in *Orat.* ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας. Ἐνταῦθα ἐπιστὰς τοῖς πράγμασιν ἔγραψα τὴν εἰρήνην. ὁμολογῶ. ἔγραψα καὶ Φιλίππῳ τιμάς· οὐκ ἀρνοῦμαι. *Hic rebus præfectus pacem decrevi. fateor. Decrevi Philippo honores, nec id nego.* Respexit Dion Chrysostomus, *Orat.* XXXVII. Ἀθηναῖοι μὲν οὖν τῆς εἰκόνος (τοῦ Φιλίππου) οὖρον κατέχεον, ἐκεῖνος δὲ τῆς πόλεως αἷμα, καὶ τέφραν, καὶ κονίαν. καὶ γὰρ ἦν νεμεσητὸν τὸν αὐτὸν ἄνδρα νῦν μὲν ἐν θεοῖς λέγειν, νῦν οὐδ' ἐν ἀνθρώποις. *Athenienses quidem Philippi statuam urina perfuderunt, ille autem civitatem sanguine, cinere, & pulvere. Quippe indignum plane erat eundem virum modo inter Deos ponere, modo ne inter homines quidem.* Alii de Alexandro illud scribunt. Æneas Gazæus in *Theophrasto*. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος τρισκαιδέκατος θεὸς παρ' Ἀθηναίοις προσηγορεύετο. *Alexander vero decimus tertius Deus apud Athenienses dicebatur.* Clemens in *Protreptico*. Οἱ δὲ γὰρ ἄνθρωποι ἀποθεοῦν τετολμήκασι τρισκαιδέκατον Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ἀναγράφοντες θεόν. *Enimvero illi & homines inter deos referre ausi sunt Alexandrum Macedonem decimum tertium adscribentes.* Videndus etiam Ælianus *Var. Histor.* lib. v. cap. XII. Appellatus autem fuit cognomento Liber pa-

A ter. Animadverto apud Diogenem Laertium in *Vita Cynici* l. VI. c. LXIII. Ψηφισαμένων Ἀθηναίων Ἀλέξανδρον Διόνυσον, Κἀμὲ, ἔφη, Σάραπιν ποιήσατε. *Cum scivissent Athenienses ut Alexander Liber pater diceretur, Et me, inquit, Serapin facite.* Philippi porro, & Alexandri statuarum meminit item Varro de *L. L.* l. VIII. *Ut in Alexandri statua, si imposueris caput Philippi, membra conveniunt ad rationem; sic & ad Alexandri membrorum simulacrum caput quod respondeat ita fit.* Post Philippum, atque Alexandrum Lysimachus erat. Pausanias, in *Atticis*. Καὶ Λυσίμαχον οὐκ εὐνοίᾳ τοσοῦτον, ὡς ἐς τὰ παρόντα χρήσιμον νομίζοντες ἀνέθηκαν. *Et Lysimacho,* B *non tam studio in ipsum, quam quod sic in rem præsentem expedire existimarent, statuam constituerunt.* Item Pyrrhus. Pausanias, *loc. cit.* Ἀθηναίοις δὲ εἰκών ἐστι Πύῤῥου. *Est & Pyrrhi apud Athenienses statua.*

CAP. XIII.

Bacchi signum; item templum & orchestra. Gigantum pugna. Tripodes choragici. Ædicula a Nicia dedicata. Cippus in quo statua ænea prætoris cujusdam.

C CUM Odeum ingressus esses præter cætera visu digna occurrebat Bacchi signum. Pausanias, *loc. cit.* Ἐς δὲ τὸ Ἀθήνησιν ἐσελθοῦσιν Ὠδεῖον, ἄλλα τε καὶ Διόνυσος κεῖται θέας ἄξιος. *Ubi Odeum quod Athenis introieris, cum alia occurrunt, tum & Bacchus spectatu dignus.* Nec longe inde templum quoque ejusdem Dei, & orchestra. Observare est apud Andocidem in *Orat.* περὶ μυστηρίων. Ἐπεὶ δὲ παρὰ τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου ἦν, ὁρᾶν (ἔφη) ἀνθρώπους πολλοὺς ἀπὸ τοῦ Ὠδείου καταβαίνοντας εἰς τὴν ὀρχήστραν. *Cum esset apud vestibulum templi Bacchi, conspexisse ajebat homines multos, ab Odeo in orchestram descendentes.* Atque hic fuisse gigantomachiam censeo, D e qua Bacchi simulacrum viventi dejectum est collapsum. Plutarchus in *Antonii Vita*. καὶ τῆς Ἀθήνησι γιγαντομαχίας ὑπὸ πνευμάτων ὁ Διόνυσος ἐκσεισθεὶς εἰς τὸ θέατρον κατηνέχθη. *Et e gigantum pugna Athenis vi ventorum excussum Bacchi simulacrum in theatrum est delatum.* Ubi itidem vides propinquum theatrum; quod Vitruvius ququе ostendit *l.* V. *c.* IX. *Athenis porticus est Mercurii, patrisque Liberi fanum, & exeuntibus e theatro sinistra parte Odeum.* Orchestræ meminit etiam Æschines *Orat.* in Ctesiphontem. Ἱκετεύω ὑμᾶς, ὦ Ἀθηναῖοι, μὴ τρόπαιον ἱστᾶτε ἀφ' ὑμῶν αὐτῶν ἐν τῇ τοῦ Διονύσου ὀρχήστρᾳ. *Supplex a vobis peto, Athenienses, ne trophæum de vobis ipsis* E *constituatis in Bacchi orchestra.* Et Dion Chrysostomus *Orat.* XXXI. Ἀθηναῖοι δὲ ἐν τῷ θεάτρῳ θεῶνται τὴν καλὴν ταύτην θέαν, ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν, οὗ τὸν Διόνυσον ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν διατιθέασιν. *Athenienses vero pulchrum hoc spectaculum in theatro spectant sub ipsa arce, ubi Bacchum in orchestra collocant.* In hoc templo tripodes choragici multi supra ædiculam suspensi, quæ in Nicia dedicata. Accipio e Plutarcho in *vita Niciæ*. Εἱστήκει δὲ τῶν ἀναθημάτων αὐτοῦ καθ' ἡμᾶς τό τε Παλλάδιον ἐν ἀκροπόλει τὴν χρύσωσιν ἀποβεβληκός· καὶ ὁ τοῖς χορηγικοῖς τρίποσιν ὑποκείμενος ἐν Διονύσου νεώς. *Supersunt e donariis ejus hactenus & Palladis in arce simulacrum, quod* F *deauraturam amisit; & ædicula in Bacchi fano subter tripodes choragicos sita.* Item cippus, in quo statua prætoris cujusdam ex ære. Andocides indicat in *cit. Orat.* Ἐπεὶ δὲ παρὰ τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου ἦν, ὁρᾶν, ἔφη, πολλοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τοῦ Ὠδείου καταβαίνοντας εἰς τὴν ὀρχήστραν. δείσας δὲ αὐτοὺς εἰσελθὼν ὑπὸ τὴν σκιὰν καθέζεσθαι μεταξὺ τοῦ κίονος, καὶ τῆς στήλης, ἐφ' ᾗ ὁ στρατηγός ἐστιν ὁ χαλκοῦς. *Cum esset apud vestibulum templi Bacchi, conspexisse ajebat homines multos ab Odeo in orchestram descendentes; itaque præ metu* A *ingressum sub umbra consedisse, inter columnam & cippum, in quo statua prætoris ænea.*

CAP. XIV.

Fons Callirhoe, ἐννεάκρουνος appellatus. Solini error. Plinii locus emendatus. Suidæ & Hesychii lapsus. Cratini locus explicatus. Callirhoe fons a Pisistrato exornatus. Aqua inde ad lavacra peti solita a nubentibus virginibus; item ante nuptias mortuis. Jovis templum in propinquo. Unicusque hic fons Athenis Pausaniæ tempore; siquidem antea plures fuerunt: & in istis Panopis atque Æsculapii: cui quæ B *injecta essent in Phalerico reddebantur. In Piræeo etiam aliquot post ingentem pestem facti.*

INDE fons se offerebat, Καλλιρόη prius, post ἐννεάκρουνος dictus. Pausanias, in *Atticis*. Πλησίον δέ ἐστι κρήνη, καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἐννεάκρουνον, οὕτω κοσμηθεῖσαν ὑπὸ Πεισιστράτου. *Prope fons est, quem appellant Enneacrunum, a Pisistrato sic ornatum.* Ac Callirhoen prius dictum, *Harpocration* nos docet. Ἐννεάκρουνον. Κρήνη τις ἐν Ἀθήναις. πρότερον δὲ ἐκαλεῖτο Καλλιρόη. *Enneacrunum. Fons quidam Athenis; antea vero Callirhoe vocabatur.* Magnus error est Solini; qui diversum utrumque facit, ubi Atti- C cam describit, *Polyhist.* c. XIII. *Callirhoen stupent fontem: nec ideo Enneacrunum fontem alterum nulli rei numerant.* Plinii locus leviter corruptus, *l.* IV. *c.* VII. *In Attica fontes Cephissia, Larine, Callirhoe Enneacrunos.* Tolle Comma, ac rescribe, *Callirhoe Enneacrunos.* Callirhoen vocat Enneacrunon per appositionem, ut loquuntur Grammatici, Sic dixit Joannes Tzetzes *Chil.* XI. *cap.* CCCLXXIV.

> Ἦν Ἐννεάκρουνος πηγὴ Ἀθήναις Καλλιρόη.
> *Erat Enneacrunus fons Athenis Callirhoe.*

Statius, cum Enneacrunum dicere vellet, circumlocutione usus est, *Theb.* XII. v. 639. 640.

> *Et quos Callirhoe novies errantibus undis*
> D *Implicat.*

Labitur quoque *Suidas*, qui Δωδεκάκρουνον etiam appellatum scribit. Δωδεκάκρουνος, Ἀθήνησι κρήνη, ἣν ἔνιοι Ἐννεάκρουνον φασίν. ἄλλοι δὲ Καλλιρόην καλοῦσιν. *Dodecacrunus, Athenis fons, quem quidam Enneacrunum vocant: alii Callirhoen dicunt.* Neque enim hoc Veterum quisquam unquam dixit. Natus error ex male intellectis Cratini versibus in Πυτίνῃ; quos ibidem refert *Suidas, Joannes Tzetzes*, & Scholiastes Aristophanis *Equitibus*,

> Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων
> Καναχῶσι πηγαὶ, δωδεκάκρουνον στόμα.
> E Ἰλισὸς ἐν φάρυγγι. Τί ἂν εἴποιμί σοι;
> Εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τὶς αὐτοῦ τὸ στόμα,
> Ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.
> *O Rex Apollo, versuum fluminibus*
> *Resonant fontes! os duodecim tubos habens!*
> *Ilissus in faucibus, quid dicam tibi?*
> *Nisi enim quis obturaverit os ipsius,*
> *Omnia hæc obruet poematibus.*

Nam dicit *Comicus*, seipsum laudans, eam sibi versuum esse copiam, ut os simile fonti esse videatur, qui per duodecim tubos aquas effundit. Atque hæc obiterper occasionem istam dicta sunto. Pausanias in *cit. verbis*, a Pisistrato tyranno in hunc modum F exornatum, & Ἐννεάκρουνον factum simul, atque appellatum tradit. Aphthonius in *descriptione arcis Alexandrinæ*. Δύο δὲ ὀβελοὶ ἀνεστήκασι λίθινοι· καὶ κρήνη τῆς τῶν Πεισιστρατιδῶν ἄμεινον ἔχουσα. *Duæ Pyramides stant lapideæ; & fons melior, quam Pisistratidarum erat.* Hunc ipsum fontem designat; sed ait a Pisistratidis non Pisistrato factum esse. Et Scholiastes ejus *illic*. Τὸ πρῶτον μὲν Καλλιρόη ὠνομάζετο· ὕστερον δὲ Ἐννεάκρουνος· τῶν τυράννων οὕτω καλεσάντων. *Initio quidem Callirhoe dicebatur; postea vero Enneacrunos: cum tyranni sic vocassent.* Thucydides

quoque a tyrannis factum fontem simpliciter dicit, *l.* II. καὶ τῇ κρήνῃ, τῇ νῦν μὲν τῶν τυράννων οὕτω σκευασάντων, Ἐννεακρούνῳ καλουμένῃ, τὸ δὲ πάλαι φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν, Καλλιρρόῃ ὠνομασμένῃ, ἐκεῖνοί τε ἐγγὺς οὔσῃ τὰ πλείστου ἄξια ἐχρῶντο. *Et fonte qui nunc quidem a tyrannis ita factus Enneacrunus appellatur; olim vero cum exstarent ejus venæ, Callirhoe dicebatur; quia in propinquo esset, ad res quasque maximi pretii utebantur.* Quem locum respexit *Hesychius* cum inquit. Ἐννεάκρουνος. κρήνη ἐν Ἀθήνησιν, ἣν πρότερον Καλλιρρόην ἔλεγον. τῶν δὲ τυράννων οὕτως αὐτὴν σκευασάντων, ἐκλήθη Ἐννεάκρουνος, ὥς φησι Θουκυδίδης. *Enneacrunus. fons Athenis, quem Callirhoen prius dicebant; sed sic factum a tyrannis Enneacrunum appellarunt, ut Thucydides nobis auctor.* Erat vero ad Ilissum flumen quod per Urbem profluebat. *Etymologici Auctor.* Ἐννεάκρουνος· κρήνη Ἀθήνησι παρὰ τὸν Ἰλισσόν· ἣ πρότερον Καλλιρρόη ἐκαλεῖτο. ἀφ' ἧς τὰ λουτρὰ ταῖς γαμουμέναις μετίασι. *Enneacrunus fons Athenis juxta Ilissum; qui Callirhoe prius erat: e quo aqua ad lavacra virginibus nubentibus petebatur.* Ubi quod aquam hinc petitam ad lavacra nuptialia virginibus nubentibus dicat, id Thucydides etiam refert *loc. cit.* Καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν, καὶ ἐς ἄλλα τῶν ἱερῶν, νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι. *Et nunc etiam antiquitus obtinet ut ante Nuptias & in aliis item sacris, hac aqua utantur.* Pollux, *l.* III. *c.* III. Καὶ λουτρά τις κομίζουσα, λουτροφόρος. Ἀθήνησι μὲν ἐκ τῆς Καλλιρρόης· εἶτ' αὖθις ἐκ τῆς Ἐννεακρούνου καλουμένης. *Et quædam lavacra ferens lavacrifera, Athenis quidem, e Callirhoe; sive postea Enneacruno appellato.* Nec nubentibus tantum id factum, sed & ante nuptias suas decedentibus; ferebatque aquam istam puer quidam genere proximus. *Suidas.* Ἔθος ἦν τοῖς γαμοῦσιν Ἀθήνησι λουτρὰ μεταπέμπεσθαι ἑαυτοῖς κατὰ τὴν τοῦ γάμου ἡμέραν· ἐπέμπετο δὲ ἐπὶ τοῦτο ὁ ἐγγύτατα τῷ γένει παῖς ἄρρην. καὶ τοῖς δὲ πρὸ τοῦ γάμου ἀποθανοῦσι λουτροφορεῖν, καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι. Τοῦτο δὲ ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων. τὰ δὲ λουτρὰ ἐκόμιζον ἐκ τῆς νῦν μὲν Ἐννεακρούνου καλουμένης κρήνης, πρότερον δὲ Καλλιρρόης. *Moris erat, qui nuptias celebrabant Athenis, ut lavacra ipso nuptiarum die afferenda sibi curarent; mittebantque puerum marem, genere proximum. Idem fieri consuetum ante nuptias decedentibus; & lavacra in sepulcro statuebant: quique hoc faceret puer erat, hydriam tenens. ac lavacra afferebant ex illo fonte, qui nunc quidem Enneacrunus, antea vero Callirhoe vocabatur.* Videndi quoque *Etymologici Auctor* & Harpocration in Λουτροφόρος. Ac posterioris quidem λουτροφορίας, etsi nulla fontis hujus mentione, meminit etiam Demosthenes *Orat.* in Leocharem. Οὕτω δὲ χρόνῳ ὕστερον, ἀποδημίας τινὸς εἰς τὴν ὑπερορίαν συμβάσης τῷ Μειδυλίδῃ τῷ πάππῳ τοῦ πατρός, ἠρρώστησεν ὁ Ἀρχιάδης, καὶ τελευτᾷ τὸν βίον, ἄποντος τοῦ Μειδυλίδου ἄγαμος ὤν. τί τούτου σημεῖον; λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ τοῦ Ἀρχιάδου τάφῳ. *Non multo post, peregre profecto Medylide, avo patris, in morbum incidit Archiades, ac diem obiit, absente Medylide, adhuc cœlebs. Sed ejus rei quodnam signum est? stetit in Archiadæ tumulo qui lavacra afferebat.* Prope fontem hunc templum Jovis; cujus meminit Hierocles in *Prœmio Hippiatricorum.* Ταραντῖνος δὲ ἱστορεῖ τὸν τοῦ Διὸς νεὼν κατασκευάζοντας Ἀθηναίους, Ἐννεακρούνου πλησίον εἰσελαθῆναι, ψηφίσασθαι τὰ ἐκ τῆς Ἀττικῆς εἰς τὸ ἄστυ ζεύγη ἅπαντα. *Tarentinus vero refert Athenienses, templum Jovis exstruentes, prope fontem Enneacrunum decreto mandasse ut omnia tota Attica jumenta in Urbem adducerentur.* Unicus vero hic fons Athenis; cum plures quidem putei in Urbe essent. Pausanias, in *Atticis.* Φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τῆς πόλεώς ἐστι. πηγὴ δὲ αὕτη μόνη. *Putei quidem tota passim Urbe exstant; verum tamen fons hic unicus.* Ubi quod solum hunc Athenis fontem exstitisse dicat, nescio an verum. Nam Vitruvius plures memorat *l.* VIII. A *c.* III. *Hæc maxime considerantur Athenis; ibi enim ex hujusmodi locis & fontibus, & in astyi & ad portum Piræeum, ducti sunt salientes, e quibus bibit nemo, propter eam causam, sed lavationibus & reliquis rebus utuntur.* Ita & Martianus Capella ubi de Athenis agit *l.* VI. *Fontes ibi multi, inter quos Callirhoe prædicatur.* In his Panopis appellatus; cujus meminit speciatim Plato in *Lyside.* Ἐπεὶ δὲ ἐγενόμην κατὰ τὴν πυλίδα, ᾗ ἡ Πάνοπος κρήνη ἐνταῦθα συνέτυχον Ἱπποθάλει. *Cum venissem autem ad portulam ubi fons Panopis in Hippothalem incidit.* Et *Hesychius* Πάνοψ. ἥρως Ἀττικῆς. Ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεώς, καὶ ἄγαλμα, καὶ κρήνη. *Panops heros Atticæ, est autem ejus templum, simulacrum, & fons.* B Plinio quoque Æsculapii memoratur; cui quæ injecta essent in Phalerico reddebantur; *lib.* II. *cap.* CIII. *Subeunt terras rursusque redduntur, Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia, & quæ in Æsculapii fonte Athenis immersa sunt in Phalerico redduntur.* Plures quoque in Piræeo visebantur post ingentem pestilentiam, quæ oborta bello Peloponnesiaco, illic structi. Observare est apud Thucydidem ubi pestem hanc describit *lib.* II. Καὶ τὸ πρῶτον ἐν τῷ Πειραιεῖ ἥψατο τῶν ἀνθρώπων, ὥστε καὶ ἐλέχθη ὑπ' αὐτῶν ὡς οἱ Πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα; κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι. C *Ac primum in Piræeo homines invasit: ut & dictum sit ab ipsis Peloponnesios venena in puteos jecisse: necdum enim ibi loci fontes erant.* Sed dicendum, Pausaniæ ætate, cæteris exstinctis omnibus hunc duntaxat restitisse: nisi sic capias, non Pausaniam imperitiæ hic absolverim.

CAP. XV.

Templa duo; unum Cereris Eleusiniæ & Proserpinæ, Ἐλευσίνιον nuncupatum: alterum, insigne Triptolemi signo. In Eleusinio malluvium erat, in quo manus abluebant templum ingressi. Equus æneus a Simone dedicatus. Mystæ pueri imago quem credebant esse Herculem. Votum illic nuncupare ullum nefas; ac facienti mulcta erat mille drachmæ. Senatus quoque post peracta Eleusinia convenire ibidem solitus. Navis item Panathenaica ad hoc usque & circum inde vehebatur. Immari sepulcrum. Arnobii locus emendatus. Ante alterum vero templum præter Triptolemi simulacrum buculæ quoque æneæ statua spectabatur; & sedentis Epimenidis qui Urbem lustraverat. Fanum Eucleæ. Theatrum Ἀγριππεῖον. Mercurii quadricipitis signum a Telesarchide factum. Chrysippi statua sedentis; & juxta eques, unde is Κρύψιππος dictus a Carneade.

SUPRA fontem istum templa duo erant; unum Cereris & Proserpinæ: alterum Triptolemi signum illustre habebat. Pausanias, in *Atticis.* Ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται, καὶ Κόρης· ἐν δὲ τῷ Τριπτολέμου κείμενόν ἐστιν ἄγαλμα. *Supra fontem templa exstant, unum quidem Cereri ac Proserpinæ structum: in altero vero est Triptolemi simulacrum.* Ac prius quidem in honorem Cereri structum, Eleusiniæ cognomento, Ἐλευσίνιον dicebatur. Pausanias subjicit *loco cit.* Πρόσω δὲ ἰέναι με ὡρμημένον τοῦδε τοῦ λόγου καὶ ὁπόσα ἐξήγησιν ἔχει τὸ Ἀθήνησιν ἱερόν, καλούμενον δὲ Ἐλευσίνιον, ἐπέσχε ὄψις ὀνείρατος. *Cupientem vero oratione persequi, quæcunque de templo, cui nomen Eleusinio, dici possunt, inhibet me visio somnii.* Mentio ejus apud Auctores plures obvia. Andocides in *Orat.* περὶ μυστηρίων Κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῆς ἱκετηρίας ὡς καταθείην ἐγὼ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Accusabant vero me etiam de supplice libello, tanquam ego deposuissem in Eleusinio.* Et mox. Οἱ πρυτάνεις προστάξειν ἔγραψαν αὐτὸν πρὸς τὴν βουλήν, ἀπαγγεῖλαι τε ἐκέλευον ἐμοί τε καὶ Κηφισίῳ παρεῖναι εἰς τὸ Ἐλευσίνιον.

Prytanes dicebant se adducturos ipsum in Senatum, jubebantque denuntiari mihi ac Cephisio ut in Eleusinio adessemus. Lysias in *Andocidem*. Τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ ἱερῷ, καὶ τῆς ἑορτῆς ἐπιμελήσεται μυστηρίοις, ὅπως ἂν μηδεὶς ἀδικῇ, μηδὲ ἀσεβῇ, περὶ τὰ ἱερά. *Quod ad ea, quæ in templo Eleusinio festum in mysteriis curabit, ne quis injuriam faciat, neve impie sese gerat, circa sacra*. Thucydides *l.* II. Οἱ δὲ πολλοὶ τά τε ἔρημα τῆς πόλεως ᾤκησαν, καὶ τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἡρῷα πάντα, πλὴν τῆς ἀκροπόλεως καὶ τοῦ Ἐλευσινίου. *Multi vacua Urbis loca habitabant; fana etiam & sacella heroum omnium præter arcem atque Eleusinium*. Plutarch. l. *de Exilio*. Ὥσπερ τὸν Παρθενῶνα καὶ τὸ Ἐλευσίνιον, οὕτω καὶ τὸ Θησεῖον ἅπαντες προσκυνοῦνται. *Quemadmodum Parthenonem & Eleusinium, sic Thescum quoque omnes venerantur*. Ac malluvium in eo erat, in quo manus abluebant qui ingressi templum essent. Lysias *Orat*. in Andocidem. Εἰσῆλθεν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον, ἐχερνίψατο ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος. *Ingressus est Eleusinium, lavitque e sacro malluvio*. Equus item æneus erat a Simone dedicatus, qui de re equestri scripsit, & in basi opera sua etiam inscripsit. Xenophon *lib.* περὶ ἱππικῆς. Ξυνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἱππικῆς, ὃς καὶ τὸν κατὰ τὸ Ἐλευσίνιον Ἀθήνησιν ἵππον χαλκοῦν ἀνέθηκε, καὶ ἐν τῷ βάθρῳ τὰ ἑαυτοῦ ἔργα ἐξετύπωσεν. *De re equestri igitur scripsit quidem etiam Simon, qui & equum ex ære Athenis juxta Eleusinium dedi-* C *cavit, atque in basi opera quoque sua expressit*. Immo totam rem equestrem ibi expresserat. Hierocles in *Hippiatricis*. καὶ τὰ περὶ τὴν ἱπποτροφίαν ἐκ προγόνων παρειληφὼς σπουδάσματα τυγχάνεις, τά τε Σίμωνος ἀκούεις τοῦ παλαιοῦ, τοὺς ἱππασίας αὐτοῦ τρόπους ἐν τῷ παρ' Ἀθηναίοις Ἐλευσινίῳ χαράξαντος καὶ σημήναντος ἐν τοῖς σχήμασι. *Et equorum alendorum studium a majoribus accepisti, & Simonem veterem audis, qui equitationis suæ modos Athenis in Eleusinio expressit, ac figuris indicavit*. Meminitque hujus Plinius; qui a Demetrio eum factum nobis tradidit *l.* XXXIV. *c.* VIII. *Idem (Demetrius fecit) equitem Simonem, qui primus de equitatu scripsit*. Unde discere est non equum tantum hunc fuisse, verum etiam Simonem, qui dicabat, insedisse. Estque vero non absimile, hic fuisse D effigiem illam pueri mystæ Eleusinii, quem ferebant Herculem esse; cujus mentionem facit Dion Chrysostomus *Orat*. XXXI. Καὶ παρ' Ἀθηναίοις Ἐλευσινίου μύστου παιδὸς εἰκὼν οὐκ ἔχουσα ἐπιγραφὴν, κἀκεῖνον εἶναι λέγουσιν Ἡρακλέα. *Et apud Athenienses imago pueri mystæ quæ inscriptione caret, Herculis esse memoratur*. Porro vota nuncupare illic nefas. Inde est illud in *citatis paulo ante* Andocidis *verbis*. Κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῆς ἱκετηρίας ὡς καταθείην ἐγὼ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Accusabant vero me etiam de voto, tanquam ego in Eleusinio nuncupassem*. Qui fecisset, ei mulcta persolvenda mille drachmæ. Andocides *ibidem*. Ἡ δὲ στήλη παρ' ἣν ἕστηκας, χιλίας δραχμὰς κελεύει ὀφείλειν ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ἐλευ- E σινίῳ. *Columna vero cui adstas, mille drachmis mulctari jubet, si quis votum in Eleusinio nuncupaverit*. Ac senatus postridie Eleusiniorum, convocante ipsum Rege, convenire illic solitus; de iis nempe cogniturus qui in sacra commisisse delati essent: idque ex Solonis lege. Observo apud eundem Andocidem in *eadem Oratione*. Ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγεγένητο προσῄει ὁ βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων ἐν Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετὴν, ὥσπερ ἔθος ἐστίν. Οἱ δὲ πρυτάνεις προσάξειν ἔφασαν αὐτὸν πρὸς τὴν βουλὴν, ἀπαγγεῖλαι τ' ἐκέλευον ἐμοί τε καὶ Κηφισίῳ παρεῖ- F ναι εἰς τὸ Ἐλευσίνιον. Ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Cum Eleusine advenissemus ac delatio facta esset, accessit rex eorum causa quæ Eleusine facta essent, dum mysteria celebrantur, ut mos obtinet. Prytanes vero dicebant se adducturos ipsum in senatum; jubebantque denuntia-* A *ri mihi ac Cephisio ut in Eleusinio adessemus: siquidem illic sessurus erat Senatus ex Solonis lege; quæ jubet postridie mysteriorum consessum in Elusinio habere*. Navis quoque Panathenaica ad hoc usque vehebatur. Suidas in πέπλος. παρὰ Ἀθηναίοις πέπλος τὸ ἄρμενον τῆς Παναθηναϊκῆς νεὼς, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ διὰ τετραετηρίας. ἧς καὶ τὴν πομπὴν διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ ἐποίουν μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου. *Apud Athenienses peplus est velum navis Panathenaicæ; quam illi quarto quoque anno Minervæ apparabant, ducebantque per Ceramicum usque ad Eleusinium*. Vide quæ notata mihi hac de re l. *de Panathenæis* singulari c. XIX. Intra Immarus sepultus erat. Cle- B mens in *Protreptico*. Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει κεκήδευται. *Immarus vero Eumolpi & Dairæ filius, nonne in septo Eleusinii, quod sub arce, est sepultus*; Quem locum male sic expressit *Arnobius* l. VI. *Dairas & Immarnachus fratres, (conditi scribuntur) in Eleusinis consepto, quod civitati subjectum est*. Et scribendum omnino censeo, *in Eleusinii consepto*. Nam in *Clemente est*, ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου. Atque hæc de Eleusinio. Ante alterum autem templum, ante quod Triptolemi esse signum diximus, bucula etiam ænea stabat, instar victimæ immolandæ adornata. Pausanias, in *Atticis*. Πρὸ C τοῦ ναοῦ τοῦδε ἔνθα καὶ τὸ Τριπτολέμου τὸ ἄγαλμα ἐστι βοῦς χαλκοῦς, οἷα ἐς θυσίαν ἀγόμενος. *Ante hujus templi fores ubi & Triptolemi signum, bos ex ære est tanquam ad immolandum adductus*. Prope erat statua sedentis Epimenidis, qui Urbem lustraverat. Pausanias, *loco cit*. Πεποίηταί τε καθήμενος Ἐπιμενίδης Κνώσιος, ὃν ἐλθόντα ἐς ἀγρὸν κοιμᾶσθαι λέγουσιν ἐσελθόντα ἐς σπήλαιον. ὁ δὲ ὕπνος οὐ πρότερον ἀνῆκεν αὐτὸν πρὶν ἤ οἱ τεσσαρακοστὸν ἔτος γενέσθαι καθεύδοντι· καὶ ὕστερον ἔπη τε ἐποίει, καὶ πόλεις ἐκάθηρεν ἄλλας τε καὶ τὴν Ἀθηναίων. *Factus quoque sedens Epimenides Gnosius; quem cum in agrum exisset, in spelunca obdormivisse ferunt: nec dimisit eum somnus nisi post annum quadragesimum. inde carmina conscripsit, ac Urbes lustravit cum alias tum Atheniensium*. Denique paullo longius fanum Eucleæ visebatur, e ma- D nubiis Persarum, qui Marathonem occupaverant, dedicatum. Pausanias, *ibidem*: Ἔτι δὲ ἀπωτέρω, ναὸς Εὐκλείας· ἀνάθημα καὶ τοῦτο ἀπὸ Μήδων, οἳ τὴν χώραν Μαραθῶνα ἔσχον. *Inde vero paullo longius Eucleæ fanum est; etiam illud dedicatum e manubiis Medorum, qui Marathonem occupaverant*. Hactenus *Pausanias*. Sed theatrum quoque omittit ab Agrippa ædificatum, & Ἀγριππεῖον nuncupatum. Meminit Philostratus in *Alexandro Sophist*. l. II. Ξυνελέγοντο μὲν δὴ ἐς τὸ ἐν τῷ Κεραμεικῷ θέατρον, ὃ δὴ ἐπωνόμασται Ἀγριππεῖον. *Congregabantur in theatro, quod in Ceramico, & Agrippeum appellatum est*. Ite- E rumque in Philagro. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν τῷ Ἀγριππείῳ ἐπράχθη. *Atque hæc quidem in Agrippeo gesta sunt*. Erat Mercurii quoque signum Quadricipitis. Τετρακέφαλος Ἑρμῆς ἐν τῇ τριόδῳ τῇ Κεραμεικοῦ ἱδρυτο. *Quadriceps Mercurius in trivio Ceramici positus erat*. In *Anthologia Epigrammatum* talis quædam inscriptio legitur. Τὸ ἐπὶ τῷ ἀγάλματι Ἑρμοῦ τετρακεφάλου τοῦ ἐν Κεραμεικῷ. *Quod (inscriptum) simulacro Mercurii quadricipitis in Ceramico constituti*. Ipsum autem Epigramma, unde cognoscitur Telesarchidis opus fuisse, ita habet.

F Ἑρμῆ τετρακέφαλε, καλὸν Τελεσαρχίδου ἔργον,
Πάνθ' ὁράας.

Mercuri quadriceps, pulchrum Telesarchidis opus,
Omnia vides.

Chrysippi item statua commemoratur, cui eques prope astabat; unde & Κρύψιππος appellatus a Carneade. Diogenes Laertius in *ejus Vita* lib. VII. c. CLXXXIII. Ἦν δὲ καὶ τὸ σωμάτιον εὐτελές· ὡς δῆλον ἐκ τοῦ ἀνδριάντος τοῦ ἐν Κεραμεικῷ· ὃς σχεδόν τι ὑπο-

κατέρυττα τῷ πλησίον ἵππῳ, ὅθεν αὐτὸν ὁ Καρνεάδης Κρύψιππον ἔλεγεν. *Erat vero & corpusculum exile, ut ex statua in Ceramico manifestum; quæ propemodum occultabatur ab astante juxta equite: unde & Crypsippum eum Carneades dicebat*. Erat vero sedentis porrecta manu. Cicero de *Fin.* lib. I. c. XI. *Athenis, ut a patre audiebam facete & urbane Stoicos irridente, statua est in Ceramico Chrysippi, sedentis porrecta manu*.

CAP. XVI.

Forum vetus, ejusque descriptio. Statuæ illic verum suo loco positæ; neque enim ubique eas ponere licitum, nec quibusvis. In his Solonis; item cujusdam sedentis; qui victoriam Clistheni abjudicaverat, tum Timothei, Cononis, Diphili, Berisadis, Satyri, Gorgippi, Demadis, Chabriæ & Mercurii denique plurimæ. Ara Matris Deum; Apollinis etiam & duodecim deorum, a Pisistrato nepote dedicata, moxque in majus ab Atheniensi populo ædificata. Aquiminalia; intra quæ procedere quibus interdictum. Platani a Cimone positæ, in quibus una, ad quam suspensa tabella τῶν Γυναικονόμων. Item populus quædam nigra, e qua appensa sycophantarum tabella. Lapis ad quem jurari solitum a Senatoribus & Thesmothetis. Sagittarii, qui Τοξόται appellati, habitare in medio soliti; inde in Areopagum abducti. Illi quot & quonam ministerio functi. Σκύθαι etiam & Πευσίνιοι a Peusine, a quo instituti erant, nuncupati. Suidas correctus. Locus rebus venalibus suus constitutus; isque sub tabernis habitus. Tributum ejus nomine datum, idque quibus. Peregrini eo prohibiti. Quando illic frequentissimi convenerint. πλήθουσα ἀγορά. Mercenarii qui ferendis domum rebus emptis operas suas elocabant. Πρώνεικοι, Παιδαριῶνες, Παιδῶνες. Eustathius emendatus. Theophrastus explicatus. Quæstum hic factum nulli exprobrare omnino, uti nec mentiri licitum. Partes ejus a venalibus illic rebus nominatæ. Κύκλοι. Ἰχθυόπωλις ἀγορά. Γυναικεία ἀγορά. Τέφρον. Τὰ μύρα. Ὁ χλωρὸς τυρός. Ὁ οἶνος. Τἔλαιον. Αἱ χύτραι. Τὰ σκόροδα. Τὰ κρόμμυα. Ὀλιβανωπός. Τὰ ἀρώματα. Τὰ γέλγη. Τὰ μῆλα. Τὰ χάρεα. Τὰ ἀκρόδρυα. Τὰ μεσκόνια. Ἀγορὰ ἱματιόπωλις & Σπειρόπωλις. Ἀγορὰ ἀρχαία. Ara quoque Humanitatis. Veneris τῆς Πανδήμου templum a Solone dedicatum; item Æaci. Ἐρετρία, forum novum. Ara Misericordiæ ante Heraclidarum tempora. Schol. Aristophanis emendatus. Statii error indicatus. Quam diu permanserit. Statua Lolliani. Forum equarium. Οἱ ἵπποι. Ἀγορὰ Ἀργείων. Ἀγορὰ θεῶν. Ἀγορὰ Κερκώπων. Βιβλιοθῆκαι. Μετοίκιον.

ILLUD autem est mirandum fori mentionem omittere. Atqui istud longe maximum istic fuit; idque inde manifestum quod *Demosthenis* quidem statua, quam in Ceramico supra e *Pausanias* memoravi, a Plutarcho, in *ejus Vita* in foro collocata dicitur. Lycurgi quoque Rhetoris statua a *Pausania* in Ceramico memoratur, a Plutarcho, in *ejus Vita*, in Ceramico, in decreto in hanc rem facto, quod subjungit, in foro ponitur. Statuæ item Aristogitonis & Harmodii a *Pausania* in Ceramico referuntur; & in foro a *Luciano*: ut supra a me ostensum. Quin Plutarchi etiam locus satis manifeste indicat in *Vita Syllæ*; ubi de cæde in foro facta ita narrat. Ὁ περὶ τὴν ἀγορὰν φόνος ἐπέσχε πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν. *Quæ in foro facta cædes Ceramicum intra Dipylum totum implebat*. Et iste Livii *l.* XXXI. *c.* XXIIII. *Vi aperta propalam usurus quando parum dolus profuerat, ad Dipylum accessit. Porta ea velut in ore urbis posita, major aliquanto patentiorque, quam cæteræ, est: & intra eam extraque latæ sunt viæ; ut & oppidani dirigere aciem a foro ad portam possent*. Sed Pausaniæ ætate non amplius illic erat; ac translatum in alium locum quem Ἐρετρίαν vocabant, ut mox dicam. Sane autem nullo modo omittendum, cum id rerum præclararum pæne omnium monumenta continuerit. Æschines dicit *Orat.* in Ctesiphontem. Ἁπάντων ὑμῖν τῶν καλῶν ἔργων τὰ ὑπομνήματα ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀνάκειται: *Omnium vobis rerum præclararum monumenta in foro collocata exstant*. Inprimis statuæ plurimæ erant sed suo loco; nam hoc sciendum, non ubique collocari licuisse. Indicant decreti verba in Lycurgi Oratoris honorem facti, quod subjungitur a Plutarcho l. *de X. Rhet.* Ἀγαθῇ τύχῃ, δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι μὲν Λυκοῦργον Λυκόφρονος Βουτάδην ἀρετῆς ἕνεκα, καὶ δικαιοσύνης· στῆσαι αὐτῷ τὸν δῆμον χαλκῆν εἰκόνα ἐν τῇ ἀγορᾷ, πλὴν εἴ που ὁ νόμος ἀπαγορεύει μὴ ἱστάναι. *Quod bene vertat, visum populo laudare Lycurgum Lycophronis Butadem virtutis ergo & justitiæ. quin & statuam ex ære collocare ipsi populum in foro quovis loco: nisi sicubi lex probibeat ne ponatur*. Nec quibusvis etiam licuit. Illis enim interdictum quorum patres ibi statuam haberent; primusque is honos Timotheo datus ut cum patre ut juxta eum poneretur. Æmylius Probus in *ejus Vita*, c. II. *Timotheo publice statuam in foro posuerunt, qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut, cum populus patri statuam posuisset, filio quoque daret*. Erat autem illic plurimas videre; inter quas Solonis etiam. Demosthenes in *Aristogitonem* Orat. II. Καὶ (πάνδεινόν ἐστι) τὸν μὲν γράψαντα τοὺς νόμους Σόλωνα ψηφίσασθαι χαλκοῦν ἐν τῇ ἀγορᾷ στῆσαι, αὐτῶν δὲ τῶν νόμων ὀλιγωροῦντας φαίνεσθαι, δι' οὓς κἀκεῖνον ὑπερβαλλόντως συμβέβηκε τιμᾶσθαι. *Ac (omnino quidem grave est) Solonis, qui leges scripsit, statuam ex ære in foro ponendam decrevisse; ipsarum vero legum, propter quas illum eximie honorari contigit, negligentes conspici*. Quem *Demosthenis* item locum profert Apsines lib. *de Arte Rhet.* c. περὶ ἐνθυμημάτων; ac mox iterum c. περὶ νομίμου. Ælianus *Var. Hist.* l. VIII. c. XVI. Ὁ δὲ Σόλων ὀλίγον ὕστερον ὑπεργήρως ὢν τὸν βίον ἐπλεύτησεν· ἐπὶ σοφίᾳ, καὶ ἀνδρείᾳ μεγάλην ἀπολιπὼν δόξαν· καὶ ἀνέστησαν αὐτῷ χαλκῆν εἰκόνα ἐν τῇ ἀγορᾷ. *Solon autem senio gravis diem obiit magna sapientiæ & virtutis relicta gloria; statuaque ex ære ei posita est in foro*. Erat quoque cujusdam sedentis, qui victoriam Clistheni olim abjudicasse ferebatur. Arist. *Pol.* l. V. c. XII. Λέγεται γοῦν Κλεισθένης τὸν ἀποκρίναντα τὴν νίκης αὐτὸν, ἐστεφάνωσεν· ἔνιοι δ' εἰκόνα φασὶν εἶναι τοῦ κρίναντος ἐκείνου τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενον. *Quare dicitur Clisthenes, qui victoriam ab ipso abjudicaverat, corona donasse; nonnulli vero effigiem ejus, qui ita judicaverat, esse ajunt statuam in foro sedentis habitu positam*. Cononis item, & Timothei ejus filii. Æmylius Probus in *citato statim loco*. *Cujus laudibus ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut, cum populus patri statuam posuisset, filio quoque daret. Sic juxta posita recens filii veterem patris (Cononis) renovavit memoriam*. Etiam Diphili, Berisadis, Satyri & Gorgippi. Dinarchus *Orat.* in Demosth. Εἴπατέ μοι πρὸς Διός, ὦ ἄνδρες, προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι. Διφίλῳ τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν, καὶ τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀνάθεσιν εἰκόνα; ἢ τοὶ χαλκοῦς ἐν ἀγορᾷ κατεστῆσαι Βηρισάδην, καὶ Σάτυρον, καὶ Γόργιππον. *Dicite mihi per Jovem, o viri, gratisne existimatis decrevisse eum Diphilo victum in Prytaneo, & statuam in foro collocandam? aut ut ænei in foro ponerentur Berisades, & Satyrus, & Gorgippus?* Demadis quoque. Dinarchus idem postea in *eadem Orat.* Ἀλλὰ περιεῖδες αὐτὸν (τὸν Δημάδην) ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦν σταθέντα. *Sed æream ei (Demadi) statuam erigi passus*

es in foro. Ac decreti de ea collocanda facti meminit A Apsines l. de *Art. Rhet.* c περὶ προσωποποιΐας. Ἐγράφη μὲν ψήφισμα χαλκῆς εἰκόνος τῷ Δημάδῃ, ὁ δὲ κατηγορεῖ τοῦ ψηφίσματος, ὅσα ἦν αὐτῷ διὰ πλειόνων εἰρημένα κατὰ τὴν κατασκευὴν τοῦ ὅτι μὴ ἦ ἄξιος τῆς τιμῆς τυχεῖν. Item Chabriæ & quidem obnixo genu scuto: quo statu cum pugnare militem docuisset Agesilaum regem vicerat. Æmylius Probus in *ejus vita, c. 1. Phalangem loco vetuit cedere; obnixoque genu scuto, projectaque hasta, impetum excipere hostium docuit. Hoc usque eo in Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est.* B Mercurii simulacra plurima. Xenophon in *Hipparchico*. Ὅσων ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστι, ταῦτα ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν ἑρμῶν, κύκλῳ περὶ τὴν ἀγορὰν, καὶ τὰ ἱερὰ, περιελαύνοιεν. *Quorumcunque fana & signa sunt in foro, ea, facto a Mercuriis initio, undique cum ipso foro atque fanis circumequitent.* Ad hæc aræ spectabantur, & in istis Matris Deum. Æschines *Orat.* in Timarchum. Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ὑπεραγανακτήσας τῷ πράγματι Πιτταλάκας ἔρχεται γυμνὸς εἰς τὴν ἀγορὰν, καὶ καθίζει ἐπὶ τὸν βωμὸν τὸν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν. *Postero die Pittalacas indignatus facinus, nudus in forum prodit, considetque in ara Matris Deum.* Item Apollinis. Plutarchus in Lycurgo *l. de* x. Rhet C Ἔγραψε δὲ καὶ Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους στεφανῶσαι, καὶ εἰκόνα ἀναθεῖναι. ὅτι ἐπηγγείλατο χρυσώσειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν τῇ ἀγορᾷ κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ. *Scivit quoque ut Neoptolemo Anticlis filio corona daretur, statuaque poneretur; quod promisisset se aram Apollinis in foro inauraturum, ex oraculo Dei.* Etiam duodecim deorum, quam, cum Archon esset, Pisistratus, Hippiæ tyranni filius, dedicavit. Thucyd. *l.* VI. Καὶ ἄλλοι τε αὐτῶν ἦρξαν τὴν ἐνιαύσιον Ἀθηναίοις ἀρχὴν, καὶ Πεισίστρατος· ὁ Ἱππίου τοῦ τυραννεύσαντος υἱὸς, τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα. Ὃς τῶν δώδεκα θεῶν βωμὸν, τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἄρχων ἀνέθηκε. *Cum alii* D *ex ipsis annuum Athenis magistratum tenuerunt, tum Pisistratus, Hippiæ tyranni filius, avi nomine appellatus; qui duodecim Deorum aram, quæ in foro, magistratu annuo fungens dedicavit.* Meminit hujus aræ etiam Plutarchus in *Demostene* l. de x. Rhet. Κεῖται ἡ εἰκὼν πλησίον τοῦ περισχοινίσματος καὶ τοῦ βωμοῦ τῶν δώδεκα θεῶν. *Posita est statua prope septum fune locum & duodecim Deorum aram.* Iterum in *Nicia*. Ἡ τε τῶν Ἑρμῶν περικοπὴ καὶ τὸ πραχθὲν περὶ τὴν βωμὸν τῶν δώδεκα θεῶν. *Et Mercuriorum mutilatio & res gesta ad duodecim deorum aram.* Herodotus *l.* VI. *c.* CVIII. Οἱ δὲ οὐκ ἠπίστησαν· ἀλλ' Ἀθηναίων ἱρὰ ποιεύντων τοῖσι δώδεκα θεοῖσι, ἱκέται ἑζόμενοι ἐπὶ τὸν βωμὸν, ἐδίδοσαν E σφέας αὐτούς. *Ipsi vero fidem minime denegarunt; sed cum sacra Athenienses diis duodecim facerent, supplices in ara sedentes, semetipsos dediderunt.* Lycurgus *in Orat.* adversus Lesbonactem. Τίς γὰρ οὐ μέμνηται τῶν νεωτέρων οὐκ ἀκήκοε, Καλλίστρατον οὗ θάνατον ἡ πόλις κατέγνω, τοῦτον φυγόντα καὶ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἀκούσαντα, ὅτι ἂν ἔλθῃ Ἀθήναζε, τεύξεται τῶν νόμων, ἀφικόμενον καὶ ἐπὶ τὸν βωμὸν τῶν δώδεκα θεῶν καταφυγόντα, καὶ οὐδὲν ἧττον ὑπὸ τῆς πόλεως ἀποθανόντα. *Nam quis aut seniorum non meminit, aut juniorum non audivit, Callistratum morti ab Urbe damnatum cum fugisset, atque ex Deo Delphis accepisset, si reverteretur* F *Athenas, legum compotem futurum, mox reversum & in ara duodecim deorum considentem, nihilominus morte affectum?* Atque hanc aram postea populus Atheniensis in majus exstruxit, & inscriptionem induxit, quam tyrannus apposuerat. Thucyd. *loc. cit.* Καὶ τῷ μὲν ἐν τῇ ἀγορᾷ (τῶν δώδεκα θεῶν βωμῷ) προσοικοδομήσας ὕστερον ὁ δῆμος Ἀθηναίων μεῖζον μῆκος, ἠφάνισε τοὐπίγραμμα. *Et quidem illam quæ in foro est (duodecim deorum aram) populus Atheniensis postea cum in majus exstruxisset, delevit inscriptionem.* Et populus illic nigra erat; unde tabellas sycophantæ suspendebant. Hesychius *in* Ἀπ' αἰγείρων. Ἀνδροκλέα τὸν ἀπ' αἰγείρων, ἀντὶ τοῦ συκοφαντῶν. Ἐπειδὴ ἐκ τῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ αἰγείρου τὰ πινάκια ἐξῆπτον. *Androclem a nigris populis, id est, sycophantis: siquidem ex nigra populo, quæ in foro, tabellas suspendebant.* Item lapis, in quo jusjurandum dabant senatores & Thesmothetæ, sese leges servaturos. Plutarchus in *Vita Solonis*. Κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον ἕκαστος τῶν θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ. *Commune quidem jusjurandum senatus dabat, Solonis se leges conservaturum; ac privatum Thesmothetarum unusquisque in foro ad lapidem.* Vide plura in hanc rem notata mihi, *Attic. Lect.* l. I. c. VI. Olim & ministri publici, qui Τοξόται appellati, quasi *Sagittarios* dicas, numero mille in tentoriis, quæ in medio posita erant, habitabant. *Suidas*. Τοξόται οἱ δημόσιοι ὑπηρέται, φύλακες τοῦ ἄστεος, τὸν ἀριθμὸν χίλιοι, οἵτινες πρότερον μὲν ᾤκουν τὴν ἀγορὰν μέσην σκηνοποιησάμενοι· ὕστερον δὲ μετέβησαν εἰς Ἄρειον πάγον. *Sagittarii ministri publici, custodes urbis numero mille, qui prius quidem in medio foro factis illic tabernaculis habitabant, postea vero in Areopagum transierunt.* Quæ totidem verbis Scholiastes Aristoph. *Acharnensibus.* Illi ipsi dicebantur etiam Σκῦθαι & Πευσίνιοι, a Peusine, a quo primum instituti. Aristoph. Scholiastes *loc. cit.* Ἐκαλοῦντο οὗτοι (οἱ Τοξόται) καὶ Σκῦθαι, καὶ Πευσίνιοι, Πευσῖνος, τινὸς τῶν πάλαι πολιτευομένων, συντάξαντος τὰ περὶ αὐτούς. *Vocabantur hi (Sagittarii) etiam Scythæ, & Peusinii; quia Peusin, quidam ex iis qui olim Urbem administrarunt, ordinem illorum instituisset.* Suidæ verba hic corrupta. Ἐκαλοῦντο δὲ οὗτοι καὶ Σκῦθαι, καὶ Σπευσίνιοι, ἀπὸ Σπευσίνου τινός. *Vocabantur vero hi etiam Scythæ, & Speusinii, a Speusino quodam.* Pollux *l.* VIII. *c.* X. Οἱ μέντοι πρὸ τῶν δικαστηρίων καὶ τῶν ἄλλων συνόδων δημόσιοι ὑπηρέται, οἷς ἐπέταττον ἀνείργειν τοὺς ἀκοσμοῦντας, καὶ τοὺς ἃ μὴ δεῖ λέγοντας ἐξαίρειν, καὶ Σκῦθαι ἐκαλοῦντο, καὶ Τοξόται, καὶ Πευσίνιοι, ἀπὸ τοῦ πρώτου συντάξαντος τὴν περὶ αὐτοὺς ὑπηρεσίαν. *Ac qui quidem ante tribunalia conventusque alios publici ministri, quibus injunctum erat immodestos prohibere & indecora dicentes tollere, Scythæ vocabantur, & Sagittarii, & Peusinii, ab eo qui primus ministerium eorum instituit.* Ubi vides, quod eorum ministerium idem fuerit. *Hesychius* de iis strictim. Τοξόται οἱ δημόσιοι ὑπηρέται. *Sagittarii ministri publici.* Meminitque Sagittariorum istorum Aristophanes *Acharnensibus*, v. 54. 55.

KH. οἱ τοξόται.
AM. Ὦ Τριπτόλεμε, καὶ Κελεὲ, περιόψεσθέ με;
CE. *Sagittarii.*
AM. *O Triptoleme & Celee, mene vos negligetis?*

Et in *Lysistrata*, v. 344. 345.

ΠΡ. Ἰδού γ' ἐπιχέσει. Ποῦ 'στιν ἕτερος τοξότης;
Ταύτην προτέραν ξύνδησον, ὁτιὴ καὶ λαλεῖ.
PR. *Ecce incacavi. ubi est alter Sagittarius.*
Hanc priorem vincias, quæ sic garrit.

Et *mox*, v. 352. *&c.*

ΠΡ. Οἴμοι κακοδαίμων, ἐπιλέλοιφ' ὁ τοξότης.
Ἀτὰρ οὐ γυναικῶν οὐδέποτ' ἔσθ' ἡττητέα
Ἡμῖν. ὁμόσε χωρῶμεν αὐταῖς, ὦ Σκύθαι,
Ξυνταξάμενοι. ΛΥ. νὴ τὼ θεὼ γνώσεσθ' ἄρα
Ὅτι καὶ παρ' ἡμῖν εἰσὶ τέσσαρες λόχοι
Μαχίμων γυναικῶν ἔνδον ἐξωπλισμένων.
ΠΡ. Ἀποστρέφετε τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὦ Σκύθαι.
PR. *Hei me miserum, hic deest Sagittarius.*
Sed non oportet fœminis sic cedere
Nos; simul cum illis incedamus, o Scythæ,
Instructo ordine. LY. *Per deos cognoscetis*
igitur

Quod & intus apud nos sint quatuor cohortes
Pugnacium fœminarum armatarum.
PR. *Avertite manus ipsarum, o Scythæ.*

Libanius, *declam.* XIV. Ἦλθον οἱ τοξόται τρέχοντες ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. εἶδόν με ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήμενον. ἔκλαυσαν πρότερον, εἶτ᾽ ἀπήγγειλαν, ἃ οὐκ ἂν ἠβούλοντο, ἀνάστα, ὦ Δημόσθενες, καὶ τοῖς πρέσβεσι δεδεμένος ἕπου. *Venerunt sagittarii currentes a concione. Viderunt me sedentem in ara. Flerunt prius, inde denuntiarunt, quæ nolebant, surge, o Demosthenes, & legatos vinctus sequere.* Idem Σκύθαι uti dixi nuncupati: & ita vocantur in *citatis* Comici *verbis*, v. 354.

—— ὁμόσε χωρῶμεν αὐταῖς, ὦ Σκύθαι.
—— *simul cum illis incedamus, o Scythæ.*

Et *mox iterum*, v. 358.

Ἀποστρέφετε τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὦ Σκύθαι.
Avertite manus ipsarum, o Scythæ.

Atque hæc hactenus quæ ad fori quasi ornamentum erant; nunc ad usum veniamus, qui vendendis rebus omnibus, uti notum. Ac qui res venales haberent, non quem vellent locum sibi capiebant, sed statutum quisque habebant. Observo apud Platonem *de Leg.* lib. XI. Ὅσα δὲ διὰ τῆς ὠνῆς ἢ καὶ πράσεως, ἀλλάττεταί τις ἕτερος ἄλλῳ διδόντα ἐν χώρᾳ τῇ τεταγμένῃ ἑκάστοις κατ᾽ ἀγορὰν, καὶ δεχόμενον ἐν τῷ παραχρῆμα τιμὴν, οὕτως ἀλλάττεσθαι, ἄλλοτι δὲ μηδαμοῦ. *Quæcunque emptione aut venditione permutantur, constituto unicuique in foro loco, pretioque statim accepto, non alibi permutentur.* Illic autem tabernas constituebant & sub istis merces suas exponebant. Hinc Demosth. *in Orat.* pro Ctesiphonte. Τούς τε ἐκ τῶν σκηνῶν τῶν κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐξεῖργον, καὶ τὰ γέρρα ἐνεπίμπρασαν *Eosque, qui in foro agebant, e tabernis expellebant, & crates incendebant.* Harpocration *in* Σκηνίτης. Ἐν σκηναῖς ἐπιπράσκετο τὰ πολλὰ τῶν ὠνίων. *In tabernis vendebantur plurimæ rerum venalium.* Et pro fori jure singulis persolvendum aliquid erat. Aristophanes *Acharnensibus*, Act. IV. Sc. I. v. 37.

Ἀγορᾶς τέλος ταύτην γέ τοι δώσεις ἐμοί.
Pro fori tributo hanc daturus es mihi.

Ubi *vetus Scholiastes.* Ἔθος ἦν τὸ παλαιὸν, ὡς καὶ μέχρι τοῦ νῦν τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ πιπράσκοντας τέλος διδόναι τῆς ἀγορᾶς τοῖς λογισταῖς. *Mos olim erat, ut etiamnum, qui in foro vendunt quidpiam, tributum dare iis qui fori rationibus præfecti erant.* Nulli autem peregrino quæstum facere hic licebat. Demosth. *Orat.* in Eubulidem. Ἡμεῖς δ᾽ ὁμολογοῦμεν μὲν ταινίας πωλεῖν, καὶ ζῆν οὐχ ὃν τινα τρόπον βουλόμεθα, καὶ εἴ σοί ἐστι τοῦτο σημεῖον ὦ Εὐβουλίδη, τὸ μὴ Ἀθηναίους εἶναι ἡμᾶς. ἐγώ σοι τούτου ὅλως τοὐναντίον ἐπιδείξω. ὅτι οὐκ ἔξεστι ξένῳ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργάζεσθαι. *Nos quidem fatemur fascias nos vendere, neque vivere quomodo vellemus, ac si hoc tibi signum est o Eubulide, nos non esse Athenienses, contrarium tibi ejus rei omnino ostendam; siquidem non licet cuiquam peregrino in foro operari.* Conveniebant autem illic frequentissimi, ac potissimum hora tertia, idque tempus Πλήθουσα ἀγορὰ dicebatur. *Suidas.* Πλήθουσα ἀγορά. ὥρα τρίτη. *Plenum forum. hora tertia.* Sed non constat ipse sibi, alibi enim quartam, quintam & sextam dicit. Περὶ πλήθουσαν ἀγορὰν, περὶ ὥραν τετάρτην, ἢ πέμπτην, καὶ ἕκτην. Τότε γὰρ μάλιστα πλήθει ἡ ἀγορά. *Circa plenum forum, circa horam quartam, aut quintam, & sextam: tunc enim maxime plenum est forum.* Erantque plurimi qui mercede, quæ a quoquam empta essent, domum ferrent; qui Προύνεικοι appellati. *Etymolog. Auctor.* Προυνείκους, σημαίνει τοὺς ὑβριστάς· καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς ἱσταμένους ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ φέροντας τὰ ὤνια, καὶ λαμβάνοντας ὑπὲρ τούτων μισθόν. Προυνείκους, *significat contumeliosos, & viros, qui in foro stant resque venales ferunt, & mercedem eo nomine sibi accipiunt.* Emendandus Eustathius ad *Iliad.* ξ. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐκ τοῦ ἐνείκω δοκεῖ γίνεσθαι, καὶ ὁ παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ κείμενος προύνεικος· ἤγουν ὁ κομίζων μισθοῦ τινα ἐξ ἀγορᾶς. *Sciendum autem quod a verbo* ἐνείκω *videatur fieri* προύνεικος, *quod est apud Ælium Dionysium, sive is qui mercede quædam fert e foro.* Non recte editur; κομίζων μισθοῦ τινα ἐξ ἀγροῦ. *Ferens mercede quædam ex agro.* Etiam Παιδαρίωνες dicebantur. *Hesychius.* Προύνεικοι οἱ μισθοῦ κομίζοντες τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς· οὓς τινες Παιδαρίωνας καλοῦσι. *Prunici qui mercede res venales e foro auferunt; quos nonnulli Pædarionas vocant.* Item Παιδῶνες. Idem Hesych. *alio loco.* Παιδῶνας τοὺς μισθοῦ ἐκ τῆς ἀγορᾶς κομίζοντας. *Pædonas qui mercede e foro auferunt.* Homines egeni aut sordidi ipsi ferebant si quid emissent; itaque a Theophrasto in *Ethicis Characteribus* hominis illiberalis sordidique hæc quoque inter alias nota recensetur, *c.* περὶ ἀνελευθερίας. Καὶ ἐξ ἀγορᾶς δὲ ὀψωνήσας τὰ κρέα αὐτὸν φέρειν, καὶ τὰ λάχανα, ἐν τῷ προκολπίῳ. *Et e foro obsonatus carnes ipse gestat, atque olera in cincticulo.* Honestum vero quæstum esse qui in foro exerceretur Athenienses censuerunt; & prohibuerunt lege, ne quis eum exprobrare cuiquam auderet: ac si quisquam hoc fecisset, actio in hunc convitii erat. Demosth. *Orat.* in Eubulidem. Καί τοι ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐ μόνον παρὰ τὰ ψηφίσματα, τὰ περὶ τὴν ἀγορὰν διέβαλεν ἡμᾶς Εὐβουλίδης, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοὺς νόμους, οἳ κελεύουσιν ἔνοχον εἶναι τῇ κακηγορίᾳ, τὸν τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἢ τῶν πολιτῶν ἢ τῶν πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι. *Et sane, viri Athenienses, non solum contra decreta de foro facta nos Eubulides est calumniatus, sed & contra leges quæ convitii actionem dant in eum, qui in foro factum quæstum cuiquam civi sive viro, sive fœminæ exprobraverit.* Utque fraus & impostura caveretur, lege etiam prohibuerunt, ne mentiri hic quis auderet. Idem Demosthenes *Orat.* in Leptinem. Πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ μὲν τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν, νόμον γεγράφθαι, ἐφ᾽ οἷς οὐδέν ἐστι δημόσιον βλάβος. ἐν δὲ τῷ κοινῷ, μὴ χρῆσθαι τῷ νόμῳ τούτῳ τὴν πόλιν. *Quomodo enim non est turpe, Athenienses, legem scriptam esse ne mentiri in foro liceat, in quibus rebus nullum publice detrimentum est; in communi autem, non hac lege uti urbem?* Erat porro forum totum in partes suas distributum; quibus merces etiam propriæ. Sic ubi vasa vendebantur, Κύκλος vulgo, sive *Circus* dicebatur. Pollux *l.* X. *c.* II. Ἵνα δ᾽ ἐπιπράσκετο τὰ σκεύη, τῆς ἀγορᾶς τὸ μέρος τοῦτο ὠνόμαζον Κύκλον. *Ubi vasa vendebantur, eam fori partem Circum appellabant.* Hesychius etiam mancipia illic vendita narrat. Κύκλος περίβολος, καὶ ἐν ἀγορᾷ τόπος, ἔνθα σκεύη, καὶ σώματα πιπράσκεται. *Circus septum & in foro locus, ubi vasa, ac mancipia venundantur.* Harpocration. Κύκλοι ἐκαλοῦντο οἱ τόποι, ἐν οἷς ἐπωλοῦντο τινές. *Circi vocabantur loca, in quibus vendebantur quidam.* An aliæ quoque res venales? Ambigit Pollux *l.* VII. *c.* II. Καὶ κύκλοι δὲ ἐν τῇ νέᾳ κωμῳδίᾳ καλοῦνται, ἐν οἷς ἐπιπράσκοντο τὰ ἀνδράποδα, ἴσως καὶ τὰ λοιπὰ ὤνια. *Et Circi vocantur in nova Comœdia ubi vendebantur servi; ac fortassis etiam res venales aliæ.* Ego vero ajo maxime, præter carnes, inprimis autem etiam pisces. Aristoph. Scholiastes *Equitibus.* Ὁ δὲ Κύκλος Ἀθήνησίν ἐστι καθάπερ μάκελλος, ἐκ τῆς κατασκευῆς τὴν προσηγορίαν λαβών. ἔνθα δὴ πιπράσκεται χωρὶς κρεῶν τὰ ἄλλα ὤνια, ἐξαιρέτως δὲ οἱ ἰχθύες. *Athenis vero Circus est instar macelli e structura nomen habens. Hic vendebantur præter carnes res venales omnes, & inprimis vero pisces.* Itaque etiam Ἰχθυόπωλις ἀγορὰ dicebatur. Plutarchus in *Hyperide* lib. de X. Rhet. Ἐποιεῖτο δὲ τὸν περίπατον ἐν τῇ ἰχθυοπώλιδι ὁσημέραι. *Obambulabat quotidie in foro piscario.* Sic Γυναικεία ἀγορὰ vocabatur, ubi mundus muliebris venum erat.

[A] erat. Pollux *l.* x. *c.* II. Καὶ μὲν ϗ γυναικείαν ἀγορὰν, τὸν τόπον οὗ τὰ σκεύη τὰ τοιαῦτα πιπράσκουσιν ἐθέλοις καλεῖν. *Ac sane forum etiam muliebre ubi mundus istiusmodi venundatur, vocare velis.* Meminit Theophrastus in *Ethicis Charact.* c. περὶ κολακείας. Ἀμέλει δὲ ϗ ἐκ γυναικείας ἀγορᾶς διακονῆσαι δυνατὸς ἀπνευστί. *Sane etiam quæcunque ad muliebre forum pertinent didicit ministrare sedulo.* Alibi cupedias vendebant, alibi unguenta, alibi recentem caseum; & ex rebus nomina locis imponebant; τοὖψον, τὰ μῦρα, τὸν χλωρὸν τυρὸν dicentes. Pollux *loco jam citato*. Οἱ Ἀττικοὶ ἀπὸ τῶν πιπρασκομένων ϗ τὰ χωρία ὠνόμαζον λέγοντες εἰς τοὖψον· ϗ εἰς τὰ μῦρα· ϗ εἰς τὸν χλωρὸν τυρόν. [B] *Attici a rebus venalibus etiam loca appellabant, dicentes ad cupedias; & ad unguenta; & ad caseum recentem.* Alibi oleum venale, alibi vinum, alibi ollæ, allia, cepæ, aromata, denique merces variæ; & dicebant simili modo, τὸν οἶνον, τοὔλαιον, τὰς χύτρας, τὰ σκόροδα, τὰ κρόμμυα, τὸν λιβανωτὸν, τὰ ἀρώματα, τὰ γέλγη. Pollux iterum *lib.* IX. *c.* V. Οἱ Ἀττικοὶ ὠνόμαζον ϗ τοὺς ἄλλους τόπους ἐκ τῶν πιπρασκομένων· ὡς εἰ φαῖεν, ἀπῆλθον εἰς τοὖψον· ϗ εἰς τὸν οἶνον· ϗ εἰς τοὔλαιον. ϗ εἰς τὰς χύτρας. ϗ κατὰ τὸν Εὔπολιν,

Περιῆλθον εἰς τὰ σκόροδα, ϗ τὰ κρόμμυα,
[C] Καὶ τὸν λιβανωτὸν, κ' εὐθὺ τῶν ἀρωμάτων,
Καὶ περὶ τὰ γέλγη.

Attici nominabant & alia loca a rebus venalibus; ac si dicerent, ibam ad cupedias, & ad vinum, & ad oleum, & ad ollas; & quemadmodum est apud Eupolim,

Circumiverunt ad allia, & cepas,
Et thus & recta ad aromata,
Et merces alias.

Ac vini mentio est apud Isæum in *Orat.* περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου. τὴν δ' ἄνθρωπον ταύτην τὴν Ἀλκὴν καθίστησιν Εὐκτήμων ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐν Κεραμεικῷ συνοικίας, τῆς παρὰ τὴν πυλίδα, οὗ ὁ οἶνος ὤνιος. *Hanc vero mulierem, Alcam nomine, Euctemon constituit, ut curaret contubernium illud in Ceramico, quod ad* [D] *portulam est, ubi vinum venum datur.* Quod ad cupedinarium forum, ejus meminit quoque Æschines *Orat.* in Timarchum. Τίς γὰρ ὑμῶν, ὃς οὐ πώποτε εἰς τοὖψον ἀφῖκται, ϗ τὰς δαπάνας τὰς τούτων οὐ τεθεώρηκεν; *Quis enim vestrum est, qui nondum unquam ad cupedias abiit, neque horum sumptus vidit?* Casei recentis forum occurrit apud Lysiam in *Orat.* κατὰ Παγκλέωνος. Πάντες οὖν ἀγνοοῦντες τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀκριβέστατα ἂν ἔφασάν με πυθέσθαι, ἐλθόντα εἰς τὸν χλωρὸν τυρὸν τῇ ἔνῃ ϗ νέᾳ. *Omnes igitur cum nomen ejus ignorarent, optime me rescriturum istud inquiunt, si ad casei recentis forum me reciperem tricesimo quoque mensis die.* Sic dicebant. Τὰ μῆλα, τὰ κάρυα, τὰ [E] ἀκρόδρυα. Theophrastus in *Ethicis Charact.* c. περὶ βδελυρίας. Καὶ πληθούσης τῆς ἀγορᾶς προσελθὼν πρὸς τὰ κάρυα, ἢ τὰ μῆλα, ἢ τὰ ἀκρόδρυα, ἑστηκὼς τραγηματίζεσθαι, ἅμα τῷ πωλοῦντι προσλαλῶν. *Ac cum maxime frequens forum est ad nuces, mala ac reliquos omnis generis fructus, accedens, ibique stans de iis comedit, sermones interea cum venditore serens.* Ubi farinæ venales τὰ Ἄλφιτα dicebant. Aristophanes in *Con.* Κἄπειτ' ἐχώρουν εἰς ἀγορὰν εἰς ἄλφιτα. *Deinde ibam in forum ad farinas.* Ubi carnes asininæ vendebantur Μεσκόνια appellabant. Pol- [F] lux *l.* IX. *c.* V. Μεσκόνια δὲ ἐκάλουν, οὗ τὰ ὄνων κρέα ἐπιπράσκοντο. *Mesconia vero appellabant, ubi carnes asinorum vendebantur.* Ubi vestes, Ἱματιόπωλις ἀγορὰ, & Σπειρόπωλις nuncupabatur. Pollux *l.* VII. *c.* XVIII. Ἐκαλεῖτο δέ τις Ἀθήνησιν ἱματιόπωλις ἀγορά· ἡ δ' αὐτὴ ϗ σπειρόπωλις. σπεῖρα γὰρ, οὐ τὰ ῥάκη μόνον, ἀλλὰ ϗ τὰς ἀμείνους (ἐσθῆτας) ἔνιοι καλεῖν ἠξίουν. *Vocabatur vero Athenis forum quoddam vestia-*

[A] *rium; quod ipsum etiam Spirarium: Spira enim non detritas tantum vestes, sed & meliores quasque sunt qui appellare velint.* Atque hoc universum forum, profecto amplissimum erat, id est, quod appellant Verus. *Harpocration.* Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν, Πάνδημον (τὴν Ἀφροδίτην) φησὶν Ἀθήνησι κληθῆναι τὴν ἀφιδρυθεῖσαν περὶ τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν, διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. *Apollodorus in Opere De diis, Pandemum (Venerem) ait appellatam Athenis, quæ dedicata erat juxta forum vetus; quod olim ibi populus universus ad conciones conveniret.* Ubi illud item observa; Veneris τῆς Πανδήμου fanum etiam ibi ex- [B] stitisse. *Suidas.* Πάνδημος Ἀφροδίτη. οὕτως ἐκάλουν τὴν ἀφιδρυθεῖσαν περὶ τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν, διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιόν. *Pandemus Venus: ita vocabant eam, quæ dedicata erat apud forum vetus; quod hic olim populus omnis convenire ad conciones consuevisset.* Dedicaverat autem Solon, ut enarro in libro singulari de *ejus Vita* cap. XXV. Sed & Æaci illic erat. Herod. *l.* v. Οἱ Ἀθηναῖοι τῷ μὲν Αἰακῷ τέμενος ἀπεδέξαντο τοῦτο, τὸ νῦν ἐπὶ τῆς ἀγορῆς ἵδρυται. *Athenienses quidem fanum Æaco statuerunt illud quod in foro nunc conspicitur.* Ubi vide etiam occasionem hujus ædificandi. Postea alio translatum est forum; in eum locum quem Ἐρετρί- [C] αν appellabant. Observare licet apud Strabonem *l.* x. Ἐρετριέας δ' οἱ μὲν ἀπὸ Μακίστου τῆς Τριφυλίας ἀποικισθῆναι φασὶν ὑπ' Ἐρετρίας· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρετρίας, ἣ νῦν ἐστιν ἀγορά. *Eretrienses vero quidam a Macisto Triphyliæ in coloniam deductos narrant ab Eretria; alii vero ab Eretria quæ Athenis, ubi nunc forum est.* Quem Geographi locum respexit Eustathius ad *Iliad.* β'. Ὁ δὲ γεωγράφος οὐ μόνον ἀπὸ Ἐρετριέως ἀποικίσαντος εἰς αὐτὴν κληθῆναι φησὶν, ἀλλὰ ϗ ἀπὸ Ἐρετρίας καθ' ἑτέρους τῆς Ἀθήνησιν, ἣ νῦν ἐστιν ἀγορά. *Geographus vero non solum a coloniæ ductore Eretrieo nomen accepisse tradit; sed & sicut alii volunt ab Eretria quæ Athenis, ubi nunc forum est.* Eum autem locum fuisse ante Porticum Variam inde conjecturam est facere, quod *Pausanias* in descriptione sua Athenarum, forum Urbis, quod exsta- [D] bat suo tempore, ibi memoret; ornatum præter cætera ara Misericordiæ. Sed ignosce mihi Lector, si per hanc occasionem paullum a Ceramico digressus, novum quoque hoc Urbis forum, aliaque una opera & sub uno hoc intuitu repræsentem. Igitur in novo foro ara Misericordiæ erat; de qua sic Pausanias dicit, in *Atticis*. Ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ ϗ ἄλλα ἐστὶν οὐκ ἐς ἅπαντας ἐπίσημα, ϗ Ἐλέου βωμός. *Atheniensibus vero in foro cum alia sunt, quæ non omnibus manifesta, tum Misericordiæ ara.* Et est hæc ara celebratissima apud Auctores. Philostratus in *Polluce Soph.* l. II. Τὰ τῶν Ἑλλήνων μυθολογῶ καλά· πῶς Ἠλεῖοι πανηγυρίζουσι, πῶς οἱ Δελφοὶ θεσπίζου- [E] σι, τίς ὁ παρ' Ἀθηναίοις Ἐλέους βωμός. *Græcorum bona, ut in fabulis sunt, commemoro. quomodo Elienses conventus celebrant, quomodo Delphi oracula edunt; & quæ apud Athenienses Misericordiæ ara.* Diodorus Siculus *libro* XIII. ϗ (οἱ Ἀθηναῖοι) οἱ πρῶτοι βωμὸν Ἐλέου καθιδρυσάμενοι, τοῦτον ἐν τῇ πόλει τῶν Συρακουσίων εὑρήσουσιν. *Et (Athenienses) qui primi aram Misericordiæ dedicarunt, in Syracusarum urbe hanc invenient.* Sextus Empiricus *adversus Mathem.* l. VIII. Παρὰ Ἀθηναίοις γοῦν Ἐλέου βωμοί τινές εἰσιν. *Apud Atheniens. sunt Misericor-* [F] *diæ quædam aræ* Apollod *l.* III. Ἄδραστος δὲ εἰς Ἀθήνας ἀφικόμενος, ἐπὶ τὸν Ἐλέου βωμὸν κατέφυγε. *Adrastus vero cum Athenas venisset ad Misericordiæ aram confugit.* Apsines *l. de Arte Rhet.* c. περὶ Ἐλέου. Ἀθήνησι μὲν οὖν λέγοντες ϗ ἀπὸ κρίσεων, ϗ ἀπὸ ἔργων γεγενημένων τὸν κοινὸν τοῦτον τόπον κατασκευάσομεν. Ἐλέου βωμός ἐστι παρ' ὑμῖν. θεὸς εἶναι δοκεῖ παρ' ὑμῖν. κοινὴ πάντων φιλανθρωπία. *Ath. quidem igitur dicente, & a*

judiciis & a rebus gestis locum hunc communem apparabimus. Misericordiæ apud vos est ara; dea esse videtur apud vos communi omnium humanitate. Scholiast. Soph. *Oed. Col.* Καὶ Ἐλέου βωμὸς ἐν Ἀθήναις ἵδρυται. *Et Misericordiæ ara Athenis constituta est.* Male legitur apud Scholiast. Aristoph. ad *Equites*; Τῶν Ἀθηναίων μὴ ἐκδιδόντων αὐτοῖς τοὺς Ἡρακλείδας, πρὸς τὸν τοῦ Ἐλαίου βωμὸν καταφυγόντας. *Cum Athenienses ipsi dedere nollent Heraclidas, qui ad Elei aram confugerant.* Rescribe, πρὸς τὸν τοῦ Ἐλέου βωμόν. *Ad Misericordiæ aram.* Theoph. *Institut.* l. I. Tit. II. Ἀθηναῖοι δὲ τοῦτο καταφρονοῦσι· τοσοῦτο τῆς ξενηλασίας ἀφεστῶτες, ὅτι καὶ βωμὸς Ἐλέου τιμᾶται παρ᾽ αὐτοῖς. *Athenienses vero hoc contemnunt; qui tantum absunt a peregrinorum expulsione, ut Misericordiæ quoque ara apud eos honoretur.* Et occurrit passim apud Libanium *declam.* XIV. Quin Latini meminerunt. In his Eumenius *in Orat.* pro scholis instaurandis. *Atheniensis humanitas aram Misericordiæ instituit.* Claudianus de *bello Gildonico*, v. 404. 405.

—— si flentibus aram,
Et proprium miseris numen, statuistis Athenæ.

Describit luculente, & ab Heraclidis positam dicit Statius *Theb.* XII. v. 481. &c.

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara deæ; mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram, sine supplice nunquam
Illa novo, nulla damnavit vota repulsa.
Auditi quicunque rogant. Noctesque diesque,
Ire datum; & solis numen placare querelis.
Parca superstitio. Nam thurea flamma nec altus
Accipitur sanguis; lacrymis altaria sudant:
Mæstarumque super libamina serta comarum
Pendent; & vestes mutata sorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo;
Vittatæ laurus & supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ; mentes habitare & pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus; ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est, defensos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis; ipsos nam credere dignum
Cælicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque, minæque,
Regnaque & a justis Fortuna recederet aris.

Ubi *Lutatius* vetus Interpres. *Hyllus Dejaniræ & Herculis & reliqui ex eodem nati, postquam Hercules terris abiit, pulsi ab Eurystheo Athenas confugerunt; a quibus postquam tam facile auxilium meruerunt, hanc aram consecrasse memorantur; asserentes apud Athenienses tantum sedes Misericordiam posuisse.* Sed refellit Apollodorus, & Athenas cum confugerent Heraclidæ, jam tum ibi aram hanc Misericordiæ exstitisse, nobis refert *l.* II. Μεταστάντος δὲ Ἡρακλέους εἰς τοὺς θεούς, οἱ παῖδες αὐτοῦ φυγόντες Εὐρυσθέα, πρὸς Κήυκα παραγίνονται. ὡς δὲ ἐκείνους ἐκδιδόναι λέγοντος Εὐρυσθέως, καὶ πόλεμον ἀπειλοῦντος, ἐδεδοίκεσαν, Τραχῖνα καταλιπόντες διὰ τῆς Ἑλλάδος ἔφυγον. διωκόμενοι δὲ ἦλθον εἰς Ἀθήνας. καὶ καθεσθέντες ἐπὶ τὸν Ἐλέου βωμόν, ἠξίουν βοηθεῖσθαι. *Relato inter Deos Hercule, filii ejus Eurystheum fugientes ad Ceycem se receperunt. Cum vero tradi illos juberet Eurystheus, ac bellum etiam minaretur, territi, relicta Trachine, per Græciam fugerunt. Cumque insequeretur etiam Athenas petierunt; & ad aram Misericordiæ consedentes, ut succurreretur sibi postularunt.* Permansit autem usque ad tempora Juliani Imperatoris Libanius in *Presbeutico* ad illum. Τῶν γὰρ οἴκοι τὸν Ἔλεον ἡγουμένων θεόν, οὗ τὸν βωμὸν ἑώρακας Ἀθήνησιν, ὦ βασιλεῦ, μεμνῆσθαι τῶν τοῖς καλοῦσι καὶ δεομένοις ἡμαρτημένων, οὐκ ἦν. *Etenim is qui Misericordiam domi deam esse existimabant, cujus aram Athenis vidisti, Imperator, non licebat delictorum meminisse, apud vocantes & orantes.* Juxta Misericordiæ vero, etiam Humanitatis ara collocata videtur. Sopater in *divis. Quæst.* Ὁρᾷς ὡς Ἀθηναῖοι μετὰ τῆς Πολιάδος προσκυνοῦσι τὸν Ἔλεον· ὁρᾷς ὡς οὗτοι βωμὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς Φιλανθρωπίας ἀναπλάττουσιν. *Vides quo pacto Athenienses cum Poliade (Minerva) venerantur Misericordiam; vides quo pacto hi ipsi in foro aram Humanitatis statuunt.* In hoc ipso porro foro fuerat quoque illa Lolliani statua; de qua Philostratus in *Vita ejus* Sophist. *lib.* I. Εἰκόνες δὲ αὐτοῦ Ἀθήνησι, μία μὲν ἐπ᾽ ἀγορᾶς· ἑτέρα δέ, ἐν τῷ ἄλσει τῷ μικρῷ. *Statuæ ipsius Athenis exstant, una quidem in foro; altera vero in parvo nemore.* Seorsim erat forum equarium, quod Οἱ ἵπποι dicebatur a venalibus istic equis, more Atticis usitato, quem paullo ante memoravi. Meminit autem fori hujus Theophrastus in *Ethicis Charact.* c. περὶ ἀλαζονείας. Προσελθὼν δ᾽ εἰς τοὺς ἵππους, τοὺς ἀγαθοὺς πωλοῦσι προσποιήσασθαι ὠνητιᾶν. *Et accedens ad forum equarium apud eos, qui venales bonos haberent, emere se velle simulat.* Erat quoque forum Argivorum dictum. *Hesychius.* Ἀγορὰ Ἀργείων. Τόπος Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενος. *Forum Argivorum; locus Athenis ita dictus.* Etiam deorum forum. Idem *Hesychius.* Ἀγορὰ θεῶν. Καὶ οὗτος τόπος Ἀθήνησιν. *Forum deorum, etiam hic Athenis locus.* Et *alibi.* Θεῶν ἀγορά. Τόπος Ἀθήνησιν, ἀπὸ τοῦ συναγερθῆναι προσαγορευθείς. *Deorum forum; locus Athenis a congregatione dictus.* Aristides in *Cyziceno.* Ἐοίκασι γὰρ τῆς ἁπάντων εἶναι τῶν θεῶν ἱερὰ ὥσπερ ἣν καλοῦσιν οὕτως ἀγοράν. *Videtur enim esse quædam omnium deorum sacra; quale est, quod forum vocant.* Et *Orat.* in Minervam. Ὡς δ᾽ εἰπεῖν ἐν κεφαλαίῳ, τὸ τῆς Ἀθηνᾶς μέρος, ἡ θεῶν ἀγορὰ πάντα ἐστὶ τὰ πράγματα. *Atque ut summatim dicam, Minervæ pars, deorum forum omnia comprehendit.* Meminit quoque Zenobius *Cent.* IV. *Proverb.* XXX. Erat & forum Cercopum prope Heliæam. *Hesychius.* Ἀγορὰ Κερκώπων. Τόπος πλησίον Ἡλιαίας. *Forum Cercopum, locus prope Heliæam.* Galenus in *Epidem.* III. *Comment.* III. τὸ δὲ ζητεῖν ἐν ποίᾳ πόλει καλεῖταί τι χωρίον ψευδές (Hippocr. ψευδέων ἀγορὴν dixit,) καθάπερ Ἀθήνησιν ἡ τῶν Κερκώπων ἀγορὰ οὕτως ὠνόμασται, ἔνιοι τῶν ἐξηγητῶν ἔγραψαν. *Quærere autem in quanam urbe locus aliquis mendax dicatur, quemadmodum Athenis quod Cercopum forum dictum est, quidam Interpretes scripserunt.* Vendebanturque illic res furtivæ. Eustathius ad *Odyss.* β΄. Ἦν δέ, φασι, καὶ ἀγορὰ Κερκώπων Ἀθήνησι, πλησίον Ἡλιαίας, ἔνθα τὰ κλοπιμαῖα ἐπωλοῦντο. *Erat vero, ut ajunt, & Cercopum forum Athenis, ubi res furtivæ vendebantur.* Meminitque iterum ad *Odyss.* κ΄. Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ Κέρκωπες· ἀφ᾽ ὧν καὶ ἀγορὰ καλουμένη Κερκώπων Ἀθήνησιν ἐν Ἡλιαίᾳ. *Similiter vero & Cercopes; a quibus item forum Athenis in Heliæa, Cercopum denominatum.* Ubi autem libri venales, Βιβλιοθῆκαι dicebantur. Pollux *l.* IX. *cap.* V. Ἓν δὲ τῶν κοινῶν βιβλιοθῆκαι, ὡς Εὔπολις φησίν, οὗ τὰ βιβλία ὤνια· οὕτω γὰρ τὸν τόπον, οὐ τὰ βιβλία, οἱ Ἀττικοὶ ὠνόμαζον, ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλους τόπους ἐκ τῶν πιπρασκομένων. *Unum vero e communibus, Bibliothecæ, ut Eupolis inquit, ubi libri sunt venales. ita enim locum illum, non libros, vocabant Attici, ut loca alia, a rebus venditis.* Ubi inquilini, qui tributum non solvissent, vendebantur, id Μετοίκιον appellatum. Vide quæ notavi pridem *Attic. Lect.* lib. I. cap. IX.

CAP. XVII.

Leocorium, idque qua de causa structum. Lei filiæ liberandæ a peste Urbi immolatæ. Hieronymus emendatus. Hipparchus illic interfectus.

PRÆTEREA in ipso meditullio templum erat Lei filiabus sacrum, Λεωκόρειον appellatum. Suidas. Λεωκόρειον, ἡρῷον, ἐν μέσῳ τῷ Κεραμεικῷ. *Hesychius*. Λεωκόρειον, τῶν Λεὼ θυγατέρων μνημεῖον ἐν μέσῳ τῷ Κεραμεικῷ. *Leocorium, Lei filiarum monumentum in medio Ceramico*. Harpocration. Λεωκόρειον εἶναί φησι Φανόδημος ἐννάτῳ Ἀτθίδος ἐν μέσῳ τῷ Κεραμεικῷ. *Leocorium Phanodemus in nono De Attica libro ait esse in medio Ceramico*. Meminerunt ejus Auctores varie. *Etymologici Auctor*. Λεωκόρειον ἱερὸν Ἀθήνησι τῶν Λεὼ θυγατέρων. *Leocorium fanum Athenis filiarum Lei*. Demosthen. *Orat.* in Cononem. Παρέρχεται Κτησίας, ὁ υἱὸς τούτου μεθύων κατὰ τὸ Λεωκόρειον, ἐγγὺς τῶν Πυθοδώρου. *Præterit Ctesias, hujus filius ebrius, circa Leocorium prope Pythodori ædes*. Et *mox iterum*. Καὶ ἡμῖν συμβαίνει ἀναστρέφουσιν ἀπὸ τοῦ Φερεφαττίου, καὶ περιπατοῦσι πάλιν κατ' αὐτό πως τὸ Λεωκόρειον εἶναι. *Et accidit nobis a Proserpinæ fano revertentibus & deambulantibus, ut rursum prope ipsum quodammodo Leocorium essemus*. Strabo *lib.* IX. Ἐκεῖνο Λεωκόρειον, τοῦτο Θησεῖον. *Illud Leocorium est, hoc Theseum*. Theophylact. Simocatta, *Quæst. Physic.* I. Ἀρίστωνα δὲ τὸν φυσικόν, καὶ Σωσίπατρον τὸν Ἑρμογένους, περὶ τὸ Λεωκόρειον ἑωρακέναι αὐθημερὸν ἀφικομένους ἀπήγγειλεν. *Aristonem vero Physicum & Sosipatrum Hermogenis filium circa Leocorium vidisse eodem die redeuntes nuntiavit*. Cic. de *Nat. deor.* lib. III. c. XIX. *Leo natarum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur*. Causa ædificandi templa ista fuit. Athenienses peste pressi cum oraculum consulerent responsum accipiunt, cæde virginis placatam Dei offensam fore. Itaque Leos, cui tres filiæ Phrasithea, Theope & Eubule, pro salute Urbis publica has devovit; exstructumque iis templum hoc pietatis monumentum. *Suidas*. Ἐλοίμωξέ ποτε ἡ Ἀττική. καὶ λύσις ἦν τοῦ λοιμοῦ παιδὸς σφαγή. Λεὼς οὖν τις τὰς ἑαυτοῦ θυγατέρας ἐπιδέδωκε, καὶ ἀπήλλαξε τοῦ λοιμοῦ τὴν πόλιν, καὶ ἐκ τούτου ἐκλήθη ὁ τόπος Λεωκόρειον. *Peste olim Attica premebatur; pestisque liberatio erat puellæ mactatio. Itaque Leos quidam filias suas est largitus, & Urbem peste liberavit: ex eaque re vocatus locus Leocorium.* Et mox. Λεὼς ὁ Ὀρφέως υἱὸν μὲν εἶχε Κύλανθον· θυγατέρας δὲ τρεῖς, Φρασιθέαν, Θεόπην, Εὐβούλην· ἃς ὑπὲρ τῆς χώρας σφαγιασθείσας, ἔτι παρθένους ἐτίμησαν Ἀθηναῖοι τῷ ἡρῴῳ. *Leos Orphei filius, filium quidem habebat Cylanthum; filias vero tres, Phrasitheam, Theopen, Eubulen: quas pro salute regionis mactatas adhuc virgines Athenienses sacello honorarunt*. Scholiast. Thucyd. *lib.* I. Ἐλοίμωξέ ποτε ἡ Ἀττική. καὶ λύσις ἦν τῶν δεινῶν παιδὸς σφαγή. Λεὼς οὖν τις τὰς ἑαυτοῦ κόρας ἐπιδέδωκε, καὶ ἀπήλλαξε τοῦ λοιμοῦ τὴν πόλιν. καὶ τούτων ἱερὸν ἐγένετο, καλούμενον Λεωκόρειον. *Olim Atticam pestis infestabat; nec liberari a malo poterat, nisi mactata puella. Qua de causa Leos quidam tres filias suas dedit, urbemque a peste liberavit: & sacellum his exstructum est, quod appellant Leocorium*. Et Libanii ad *declam.* XXVII. Λοιμοῦ ποτὲ καταλαβόντος τὰς Ἀθήνας, ἔχρησεν ὁ θεὸς μὴ παύσεσθαι τὸ δεινόν, πρὶν ἂν τῶν πολιτῶν τὶς τὰ ἑαυτοῦ τέκνα ἐπιδῷ πρὸς ἀναίρεσιν. Λεώς τις ἔχων τρεῖς θυγατέρας, Φρασιθέαν, Θεόπην, καὶ Εὐβούλην, προθύμως ἐπιδέδωκεν. ὅθεν αὐταῖς τὸ ἱερὸν ᾠκοδομήθη, τὸ καλούμενον Λεωκόρειον. *Cum aliquando Athenis pestis grassaretur, respondit Deus minime cessaturum malum, antequam e civibus aliquis liberos suos immolandos largiretur. Leos quidam qui tres filias habebat, Phrasitheam, Theopen, Eubulen, libenter dedit. unde & fanum ipsis structum Leocorium nominatum.* Ælian. *Var. Hist.* l. XII. c. XXVIII. Λεωκόρειον Ἀθήνησιν ἐκαλεῖτο τὸ τέμενος τῶν Λεὼ θυγατέρων, Φρασιθέας, καὶ Θεόπης, καὶ Εὐβούλης. Ταύτας δὲ ὑπὲρ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηνῶν ἀναιρεθῆναι λόγος ἔχει, ἐπιδόντος αὐτὰς τοῦ Λεὼ εἰς τὸν χρησμὸν τὸν Δελφικόν. Ἔλεγε γὰρ μὴ ἂν ἄλλως σωθῆναι τὴν πόλιν, εἰ μὴ ἐκεῖναι σφαγιασθεῖεν. *Leocorium Athenis vocabatur delubrum Leo filiarum, Phrasitheæ, & Theopes, & Eubules. Has pro urbe Minervæ cæsas ferunt, dante eas Leo ad oraculi Delphici responsum. Inquiebat enim non servari Urbem posse nisi illæ mactarentur*. Aristides in *Panathen.* Λέγεται γὰρ Ἐρεχθεὺς μὲν ἐν τῷ πρὸς Εὔμολπον τούτῳ πολέμῳ τὴν θυγατέρα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐπιδοῦναι τοῦ θεοῦ χρήσαντος. Λεὼς δὲ ὅμοια τούτῳ βουλεύσας ἐκστῆναι τῶν θυγατέρων καὶ ἔτος ἐν τῷ λοιμῷ. ἀλλὰ καὶ τούτους ταῖς εὐεργεσίαις νενικηκυῖα (ἡ πόλις) φανήσεται τῶν κορῶν ἱερὰ ἱδρυσαμένη, καὶ θείας μοίρας ἀντὶ θνητῆς ἀξιώσασα ταῖς τιμαῖς. *Fertur enim Erechtheus in hoc adversum Eumolpum bello, filiam suam pro salute Urbis devovisse, Deo jubente; Leos vero huic similia animo agitans filiabus & ipse suis cessisse pestis tempore. Sed & illos Urbs vicisse beneficiis apparebit, cum puellis templa exstruxit, & divinam pro humana sortem dedit per honores*. Corruptissimus in hanc rem est locus quidam Hieronymi *adversus Jovinian.* lib. I. *Chalciæcus quoque filia illa Leo virgo perpetua pestilentia patriam scribitur spontanea morte solvisse*. Nam profecto quæ est Chalciæcus illa? nulla filiarum Lei sic vocata usquam legitur. Restituo: *Haud secus quoque filia illa Leo virgo*, &c. Juxta autem templum istud cæsus est Hipparchus Pisistrati filius ab Harmodio & Aristogitone. Thucyd. *lib.* I. Ὑποτοπήσαντες δέ τι ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ παραχρῆμα Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων ἐκ τῶν ξυνειδότων σφίσιν, Ἱππίᾳ μεμηνῦσθαι τοῦ μὲν ἀπέσχοντο, ὡς προειδότος· βουλόμενοι δὲ πρὶν ξυλληφθῆναι, δράσαντές τι καὶ κινδυνεῦσαι, τῷ Ἱππάρχῳ περιτυχόντες, περὶ τὸ Λεωκόρειον καλούμενον, τὴν Παναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμοῦντι, ἀπέκτειναν. *Suspicati vero illo die Harmodius & Aristogiton aliquid illico a consciis Hippiæ indicatum esse, ab illo quidem tanquam gnaro abstinuerunt; sed cum cuperent ante quam prehenderetur vel cum periculo aliquid facere, Hipparchum, nacti eum juxta fanum, Leocorium quod vocatur, in Panathenaica pompa instruenda occupatum occiderunt*. Iterum *lib.* VI. Καὶ ὥσπερ εἶχον (ὁ Ἁρμόδιος καὶ ὁ Ἀριστογείτων) ὥρμησαν εἴσω τῶν πυλῶν· καὶ περιέτυχον τῷ Ἱππάρχῳ παρὰ τὸ Λεωκόρειον καλούμενον, εὐθὺς ἀπερισκέπτως προσπεσόντες, καὶ ἀποκτείνουσιν αὐτόν. *Atque ita ut se habebant, (Harmodius & Aristogiton) cum impetu portam Urbis ingressi in Hipparchum inciderunt juxta templum Leocorium appellatum: quem confestim inconsiderate in eum irruentes occiderunt*.

CAP. XVIII.

Porta Δίπυλον *&* Κεραμεικαὶ πύλαι. *Prætorium artificum. Scorta ubi prostare solita; & inscripta item in parietibus nomina.*

AD exitum Ceramici porta erat, Δίπυλον dicta. Vides apud Plutarchum in *Sylla*. Ἄνευ γὰρ τῶν κατὰ τὴν ἄλλην πόλιν ἀναιρεθέντων, ὁ περὶ τὴν ἀγορὰν φόνος ἐπέσχε πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν. *Nam præter eos, qui per cæteram Urbem cæsi, ea cædes, quæ in foro perpetrata, universum intra Dipylum Ceramicum cadaveribus complebat*. Vide quæ de Dipylo plura annotavi *Attic. Lect.* lib. III. cap. VII. Alio nomine Πύλαι quoque Κεραμεικαὶ dicebantur. Hesychius *in* Δημιάσι. Οἱ δὲ τὰς Κεραμεικὰς πύλας. πρὸς γὰρ αὐτάς φασιν ἑστάναι τὰς πόρνας. *Alii portam Ceramicensem; nam ad hanc prostare meretrices ajunt.*

juxta hanc portam prætorium artificum visebatur. Ecce tibi apud Philostratum in *Philagro*, Sophist. *lib.*II. Παρῆλθεν εἰς τὸ τῶν τεχνιτῶν βουλευτήριον, ὃ δη ᾠκοδόμηται παρὰ τὰς τοῦ Κεραμεικοῦ πύλας. *Transiit ad prætorium artificum, quod exstructum ad Ceramicensem portam.* Quidam tradunt etiam scorta in Ceramico prostitisse. *Hesychius*. Κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεστήκασιν. *Ceramicus, locus Athenis, in quo meretrices prostabant.* Suidas. Κεραμεικοὶ δύο τόποι Ἀθήνησιν· ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ ἑστήκεισαν αἱ πόρναι. *Ceramici duo Athenis loca; in altero vero scorta prostabant.* Verum intra Urbem, an extra, neuter tradit. Sed sciendum in Ceramico intra Urbem, de quo hactenus a me actum, fieri illud consuevisse. Diserte Scholiastes Aristophanis ad *Equites*. Δύο δὲ οἱ Κεραμεικοὶ Ἀθήνησιν· ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω. ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον. Εἰσὶ δὲ ἔνθεν στῆλαι, ἐπὶ τοὺς δημοσίᾳ τεθαμμένους, ἔχουσαι ἐπιγραφὰς, ποῦ ἕκαστος τέθαπται. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ προεστήκεισαν αἱ πόρναι. *Duo Athenis Ceramici erant; ex quibus unus intra Urbem, alter extra. Hic eos, qui in bello cecidissent, publice sepeliebant, funebresque orationes item habebant; ac columnæ hinc & inde publice sepultis positæ, quibus inscriptum ubi quisque sepultus esset. In altero vero meretrices prostabant.* Et hunc ipsum Ceramicum apud Lucianum intellige in Dialogo *meretricum Melissæ & Bacchidis*. Ἄπιθι φητὶ πρὸς τὸν ναύκληρον Ἑρμότιμον, ἢ τὰ ἐπὶ τῶν τοίχων γεγραμμένα ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἀνάγνωθι, ὅπου κατεστηλίτευνται ὑμῶν τὰ ὀνόματα. *Abi inquit ad Hermotimum naucler̄um, aut ea lege quæ in parietibus scripta in Ceramico, ubi notata tanquam in cippo nomina vestra.* Iterum. Ἐγὼ δὲ ἐμεμνήμην, ὅτι κατὰ τοίχου τινὸς ἔλεγε καταγεγράφθαι τοὔνομα ἐν τῷ Κεραμεικῷ. Ἔπεμψα οὖν Ἀκίδα κατασκεψομένην. ἡ δ᾽ ἄλλο μὲν οὐδὲν εὗρε. Τοῦτο δὲ μόνον ἐπιγεγραμμένον, εἰσιόντων ἐπὶ τὰ δεξιὰ πρὸς τῷ Διπύλῳ, ΜΕΛΙΤΤΑ ΦΙΛΕΙ ΕΡΜΟΤΙΜΟΝ. καὶ μικρὸν αὖθις ὑποκάτω. Ο ΝΑΥΚΛΗΡΟΣ ΕΡΜΟΤΙΜΟΣ ΦΙΛΕΙ ΜΕΛΙΤΤΑΝ. *Ego vero memineram, quod nomen ejus in pariete quodam inscriptum in Ceramico memoraret; eapropter Acidem misi inspecturam: illa autem nil invenit, nisi in Dipyli introitu ad dextram scriptum,* MELISSA AMAT HERMOTIMUM: *& mox rursum paullo inferius*, HERMOTIMUS NAUCLERUS AMAT MELISSAM. Ubi observa; meretricum illic nomina & amatorum in parietibus inscripta fuisse. Certe juxta Ceramici hujus portam meretrices prostitisse, etiam Hesychius testis in *citatis statim verbis*. Οἱ δὲ τὰς Κεραμεικὰς πύλας· πρὸς γὰρ αὐτάς φασιν ἑστάναι τὰς πόρνας. *Alii portam Ceramicensem; nam ad hanc prostare meretrices ajunt.* Inde est, quod ille ait, scurriliter ludens apud Aristophanem in *Equitibus*, Act.II. Sc.III. *vers.*17.

> Καὶ τῇ κρεάγρᾳ τῶν ὀρχιπέδων ἑλκοίμην ἐς Κεραμεικόν.
> *Et forcipe correptis testiculis hinc protrahar in Ceramicum.*

CAP. XIX.

Ceramicus extra Urbem; & descriptio item ejus ex Pausania.

NUNC Ceramicum extra Urbem videamus. Meminit ejus Thucydides *lib.*VI. Καὶ ὡς ἐπῆλθεν ἡ ἑορτὴ, Ἱππίας μὲν ἔξω, ἐν τῷ Κεραμεικῷ καλουμένῳ, μετὰ τῶν δορυφόρων διεκόσμει, ὡς ἕκαστα ἐχρῆν τῆς πομπῆς προϊέναι. *Cum autem festum advenisset, Hippias quidem extra Urbem, in Ceramico appellato, cum satellitibus suis pompam, ut procedere singula ejus oporteret instruebat.* Et Plato in *Parmenide*. Καταλύειν δὲ αὐτοὺς ἔφη παρὰ τῷ Πυθοδώρῳ, ἐκτὸς τείχους ἐν Κεραμεικῷ. *Divertisse vero eos ajebat apud Pythodorum, extra mœnia in Ceramico.* Sed descriptionem ejus ut prioris e Pausania, in *Atticis*, proponamus, singula mox eodem modo illustraturi.

ΑΘηναίοις δὲ καὶ ἔξω πόλεως ἐν τοῖς δήμοις, καὶ κατὰ τὰς ὁδοὺς, θεῶν ἐστιν ἱερὰ καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν τάφοι. Ἐγγυτάτω δὲ Ἀκαδημία· χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου, γυμνάσιον δὲ ἐπ᾽ ἐμοῦ. Κατιοῦσι δ᾽ ἐς αὐτὴν περίβολός ἐστιν Ἀρτέμιδος, καὶ ξόανα Ἀρίστης, καὶ Καλλίστης· ὡς μὲν ἐγὼ δοκῶ, καὶ ὁμολογεῖ τὰ ἔπη τὰ Σαπφοῦς, τῆς Ἀρτέμιδός εἰσιν ἐπικλήσεις αὗται.

Καὶ ναὸς οὐ μέγας ἐστὶν, ἐς ὃν τοῦ Διονύσου τοῦ Ἐλευθερέως τὸ ἄγαλμα ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσιν ἐν τεταγμέναις ἡμέραις.

Τάφοι δὲ Θρασυβούλου μὲν πρῶτον, τοῦ Λύκου, ἀνδρὸς τῶν τε ὕστερον, καὶ ὅσοι πρὸ αὐτοῦ γεγόνασιν Ἀθηναίοις ὀνομαστοὶ, τὰ πάντα ἀρίστου.

Πρώτος μέν ἐστιν οὗτος τάφος· ἐπὶ δὲ αὐτῷ Περικλέους τε, καὶ Χαβρίου, καὶ Φορμίωνος. ἔστι δὲ καὶ πᾶσι μνῆμα Ἀθηναίοις ὁπόσοις ἀποθανεῖν συνέπεσεν ἔν τε ναυμαχίαις, καὶ ἐν μάχαις πεζαῖς, πλὴν ὅσοι Μαραθῶνι αὐτῶν ἠγωνίσαντο· τούτοις γὰρ κατὰ χώραν εἰσὶν οἱ τάφοι δι᾽ ἀνδραγαθίαν. Οἱ δὲ ἄλλοι, κατὰ τὴν ὁδὸν κεῖνται τὴν ἐς Ἀκαδημίαν· καὶ σφῶν ἑστᾶσιν ἐπὶ τοῖς τάφοις στῆλαι, τὰ ὀνόματα, καὶ τὸν δῆμον ἑκάστου λέγουσαι. Πρῶτοι δὲ ἐτάφησαν, οὓς ἐν Θρᾴκῃ ποτὲ ἐπικρατοῦντας μέχρι Δραβήσκου τῆς χώρας, Ἠδωνοὶ φονεύουσιν, ἀνέλπιστοι ἐπιθέμενοι.

Ἔστι δὲ ἔμπροσθεν τοῦ μνήματος στήλη, μαχομένους ἔχουσα ἱππεῖς· Μελάνωπος σφίσιν ἐστὶ καὶ Μακάρτατος ὀνόματα· οὓς κατέλαβεν ἀποθανεῖν ἐναντία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν τεταγμένους, ἔνθα τῆς Ἐλευσινίας εἰσὶ χώρας πρὸς Ταναγραίους ὅροι. Καὶ Θεσσαλῶν τάφος ἐστὶν ἱππέων, κατὰ παλαιὰν φιλίαν ἐλθόντων, ὅτε σὺν Ἀρχιδάμῳ Πελοποννήσιοι πρῶτον ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικὴν στρατιᾷ. καὶ πλησίον τοξόταις Κρησίν. Αὖθις δέ ἐστιν Ἀθηναίων μνήματα. Κλεισθένης, ᾧ τὰ ἐς τὰς φυλὰς αἳ νῦν καθεστᾶσιν εὑρέθη· καὶ ἱππεῦσιν ἀποθανοῦσιν. ἡνίκα συνεπελάβοντο οἱ Θεσσαλοὶ τοῦ κινδύνου. Ἐνταῦθα καὶ Κλεωναῖοι κεῖνται μετὰ Ἀργείων ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐλθόντες.

Καὶ Ἀθηναίων δ᾽ ἐστὶ τάφος, οἳ πρὶν ἢ στρατεῦσαι τὸν Μῆδον, ἐπολέμησαν πρὸς Αἰγινήτας. Ἦν δὲ ἄρα καὶ δήμου δίκαιον βούλευμα εἰ δὴ καὶ Ἀθηναῖοι μετέδοσαν δούλοις δημοσίᾳ ταφῆναι, καὶ τὰ ὀνόματα ἐγγραφῆναι στήλῃ.

Ἔστι δὲ καὶ ἀνδρῶν ὀνόματα ἄλλων, διάφορα δὲ σφίσι τὰ χωρία τῶν ἀγώνων. καὶ γὰρ τῶν ἐπ᾽ Ὄλυνθον ἐλθόντων οἱ δοκιμώτατοι, καὶ Μελήσανδρος ἐς τὴν ἄνω Καρίαν ναυσὶν ἀναπλεύσας διὰ τοῦ Μαιάνδρου. Ἐτάφησαν δὲ καὶ οἱ τελευτήσαντες πολεμοῦντος Κασσάνδρου, καὶ οἱ συμμαχήσαντες τότε Ἀργείων.

Καταλέξαι δέ μοι καὶ τούσδε ἐπῆλθεν. Ἀπολλόδωρον ξένων ἡγεμόνα, ὃς Ἀθηναῖος μὲν ἦν, ἐκπεμφθεὶς δὲ ὑπὸ Ἀρσίτου σατράπου τῆς ἐφ᾽ Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας, διεφύλαξε Περινθίοις τὴν πόλιν, ἐσβεβληκότος ἐς τὴν Περινθίαν Φιλίππου στρατῷ. Οὗτός τε οὖν ἐνταῦθα τέθαπται, καὶ Εὔβουλος ὁ Σπινθάρου, καὶ ἄνδρες, οἷς ἀγαθοῖς οὖσιν οὐκ ἐπηκολούθησε τύχη χρηστή. τοῖς μὲν οὖν ἐπιθεμένοις τυραννοῦντι Λαχάρει· οἱ δὲ τοῦ Πειραιῶς κατάληψιν ἐβουλεύσαν, Μακεδόνων φρουρούντων. πρὶν δὲ εἰργάσθαι τὸ ἔργον, ὑπὸ τῶν συνειδότων μηνυθέντες ἀπώλοντο. Κεῖνται δὲ καὶ οἱ περὶ Κόρινθον πεσόντες.

Μετὰ δὲ τοὺς ἀποθανόντας ἐν Κορίνθῳ, στήλην ἐπὶ τοισδε ἑστάναι τὴν αὐτὴν, σημαίνει τὰ ἐλεγεῖα· τοῖς μὲν ἐν Εὐβοίᾳ τε καὶ Χίῳ τελευτήσασι· τοὺς δὲ ἐπὶ τοῖς ἐσχάτοις τῆς Ἀσιανῆς ἠπείρου διαφθαρῆναι δηλοῖ, τοὺς δὲ ἐν Σικελίᾳ. Γεγραμμένοι δέ εἰσιν οἱ στρατηγοὶ πλὴν Νικίου. καὶ τῶν στρατιωτῶν ὁμοῦ τοῖς ἀστοῖς Πλαταιεῖς.

Εἰσὶ δὲ ἐπ᾽ ἄλλῃ στήλῃ καὶ οἱ μαχεσάμενοι περὶ τὴν Θρᾴκην καὶ ἐν Μεγάροις. καὶ ἡνίκα Ἀρκάδας, τοὺς ἐν Μαντινείᾳ καὶ Ἠλείους, ἔπεισεν Ἀλκιβιάδης Λακεδαιμονίων ἀποστῆναι· καὶ οἱ πρὶν ἐς Σικελίαν ἀφικέσθαι Δη-

A μοθένην, Συρακουσίων κρατήσαντες. Ετάφησαν δὲ καὶ οἱ περὶ τὸν Ελλήσποντον ναυμαχήσαντες, καὶ ὅσοι Μακεδόνων ἐναντία ἠγωνίσαντο ἐν Χαιρωνείᾳ, καὶ οἱ μετὰ Κλέωνος ἐς Αμφίπολιν στρατεύσαντες· οἵ τε ἐν Δηλίῳ τῷ Ταναγραίων τελευτήσαντες, καὶ ὅσους ἐς Θεσσαλίαν Λεωσθένης ἤγαγεν, καὶ οἱ πλεύσαντες ἐς Κύπρον ὁμοῦ Κίμωνι. τῶν τε σὺν Ολυμπιοδώρῳ τὴν φρουρὰν ἐκβαλόντων τριῶν καὶ δέκα ἄνδρες οὐ πλείους. Φασὶ δὲ Αθηναῖοι καὶ Ρωμαίοις, ὅμορόν τινα π[ολ]εμοῦσι πόλεμον, στρατιὰν οὐ πολλὴν πέμψαι· καὶ ὕσ[τερ]ον, ναυμαχίας Ρωμαίων πρὸς Καρχηδονίους γενομένης, τριήρεις πέντε Αττικαὶ παρεγένοντο. ἔστιν οὖν καὶ τούτοις ἐνταῦθα τοῖς ἀνδράσιν ὁ τάφος. Τολμίδου δὲ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, δεδήλωται μὲν B ἤδη μοι τὰ ἔργα, καὶ ὃν τρόπον ἐτελεύτησαν. ἴστω δὲ ὅτῳ φίλον, κειμένους σφᾶς κατὰ τὴν ὁδὸν ταύτην. Κεῖνται δὲ καὶ οἱ σὺν Κίμωνι τὸ μέγα ἔργον ἐπ' Ευρυμέδοντι πεζῇ καὶ ναυσὶν αὐθημερὸν κρατήσαντες. Τέθαπται δὲ καὶ Κόνων, καὶ Τιμόθεος· δεύτεροι μετὰ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα οὗτοι πατὴρ καὶ παῖς ἔργα ἀποδειξάμενοι λαμπρά. Κεῖται δὲ καὶ Ζήνων ἐνταῦθα ὁ Μνασέου· καὶ Χρύσιππος ὁ Σολεύς. Νικίας τε ὁ Νικομήδους, ζῶα ἄριστος γράψαι τῶν ἐπ' αὐτοῦ. καὶ Αρμόδιος καὶ Αριστογείτων, οἱ τὸν Πεισιστράτου παῖδα Ιππαρχον ἀποκτείναντες. Ρήτορές τε, Εφιάλτης, ὃς τὰ νόμιμα, τὰ ἐν Αρείῳ πάγῳ μάλιστα ἐλυμήνατο. καὶ Λυκοῦργος ὁ Λυκόφρονος.

C Πρὸ δὲ τῆς εἰσόδου τῆς ἐς Ακαδημίαν ἐστὶ βωμὸς Ερωτος, ἔχων ἐπίγραμμα ὡς Χάρμος Αθηναίων πρῶτος Ερωτι ἀναθείη.

Εν Ακαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός· καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας.

Εστι δὲ Μουσῶν τε βωμὸς, καὶ ἕτερος Ερμοῦ. καὶ ἔνδον Αθηνᾶς, τὸν δὲ Ηρακλέους ἐποίησαν. καὶ φυτόν ἐστιν ἐλαίας δεύτερον τοῦτο λεγόμενον φανῆναι.

ATHENIENSIBUS *vero etiam extra Urbem in populis & juxta vias, deorum templa & heroum, hominumque sunt sepulcra. Proxime autem Academia est; privati olim hominis prædium, nunc Gymnasium: in cujus introitu* D *septum quoddam est Dianæ: Optimæque ac Pulcerrimæ simulacra: quæ Dianæ cognomenta ego existimo, & testantur Sapphus carmina.*

Item templum est non magnum; in quod Bacchi Eleutherensis simulacrum annis singulis & diebus constitutis deportare consueverunt.

Ac sepulcra primum occurrunt Thrasybuli, Lyci F. viri omnium Atheniensium qui fuere ante ipsum, quique post sunt consecuti, longe sane præstantissimi.

Atque hoc primum est sepulcrum; inde Periclis, Chabriæque, & Phormionis est videre. Exstat quoque suum cunctis Atheniensibus monumentum qui E *navalibus aut terrestribus prœliis mortem oppetierunt; his exceptis qui ad Marathonem cæsi: illis enim eo ipso quo occubuerunt loco monumenta ob virtutem constituta. Alii in via siti, quæ ad Academiam ducit; tumulisque pilæ impositæ queis inscriptum, quod cuique nomen esset, ac quis populus. Primi autem sunt sepulti, quos in Thracia aliquando, cum jam regionem usque ad Brabiscum occupassent, improviso adorti Edoni ciderunt.*

Ante monumentum istud est columna; in qua equites pugnantes, Melanopus, ac Macartatus appellati: qui adversus Lacedæmonios & Bœotios dimicantes in confinio Eleusinis & Tanagræ, occu- F *buerunt. Est & equitum Thessalorum hic sepulcrum; qui pro vetere amicitia cum Atticam invasissent Peloponnesii duce Archidamo, in auxilium venerunt. Hinc Cretensium sagittariorum occurrit; inde rursum Atheniensium: Clisthenis nempe a quo tribus, uti nunc habemus eas, ordinatæ: item equitum qui occisi cum periculum Thessali quoque suscepere. Ibidem & Cleonæi jacent, qui in Atticam cum Argivis advenerunt.*

Est Atheniensium quoque monumentum, qui, priusquam invaderet Medus, bello contra Æginetas interfecti. Hinc servorum, queis plenissimo æquitatis plebiscito, publicam quoque sepulturam Athenienses communicarunt, nominaque in columna inscripserunt.

Sunt virorum etiam aliorum nomina, qui diversis quisque locis reciderunt; inter quos clarissimi illi qui pugnarunt ad Olynthum; & Melesander per Mæandrum in superiorem Cariam com classe profectus: tum qui bello cum Cassandro occubuere, & Argivi belli socii.

Sed & hoc commemorare in mentem venit, Apollodorum Mercenariorum ducem, qui, cum Atheniensis esset, ab Aristo Phrygiæ ad Hellespontum satrape ablegatus, ingresso in Perinthiorum regionem cum exercitu Philippi, Perinthiis urbem conservavit. Ille igitur hic sepultus, tum & Spinthari Eubulus: item illi, quos, cum viri fortes essent, non secuta est fortuna: quorum alii cum in Lachares tyrannum conjurassent, alii vero cum de ejiciendo e Piræeo Macedonum præsidio consilium iniissent, antequam rem perfecissent, a consciis proditi perierunt. Præterea sepulti ibidem, qui ad Corinthum ciderunt.

Post eos qui ad Corinthum cæsi, columnam unam multis erectam esse elegi testantur. hos enim in Eubœa, illos in Chio, quosdam in extremis continentis finibus, alios in Sicilia cecidisse indicant... Duces etiam sunt adscripti, præter Niciam, & cum civibus milites quoque Platæenses.

In alia columna sunt inscripti, qui in Thracia & ad Megaram pugnarunt; quique cum Alcibiade fuerunt, cum ejus auctoritatem secuti Arcades, qui Mantineam tenent, & Elei a Lacedæmoniis defecissent: & qui ante Demosthenis in Siciliam adventum, Syracusanos vicerunt. Sepulcra etiam eorum visuntur, qui ad Hellespontum navali prœlio conflixerunt; & qui steterunt contra Macedonas in Chœronea; quique sub Cleone ad Amphipolim meruerunt. Ad hos, qui ad Delium in Tanagræorum finibus ciderunt; & quos in Thessaliam Leosthenes duxit; & qui cum Cimone in Cyprum navigarunt: illi etiam, qui Olympiodorum secuti, tredecim non amplius viri, præsidium ejecerunt. Ferunt Athenienses Romanis aliquando finitimum bellum gerentibus auxilia se non sane magna submisisse, & triremes quinque Atticas navali contra Carthaginienses pugna interfuisse: estque illis ibi viris suum etiam monumentum. Tolmidæ vero, militumque, qui cum ipso, clara facinora, & quo modo interierint jam narravi. eorum etiam, si quis velit, ad hanc viam monumenta esse sciat. Siti ibidem qui præclarum illud facinus, cum Cimone ad Eurymedontem fluvium prœlio terrestri pariter ac navali uno die ediderunt. Inde Conon & Timotheus; qui secundi post Miltiadem, ac Cimonem, pater & filius, quam fortissime fecerunt. Conditus ibidem Zeno, Mnaseæ filius; & Chrysippus Solis natus: Niciasque ille Nicomedis filius, in pingendis animalibus sua ætate præstantissimus: Harmodius quoque & Aristogiton; qui Pisistrati filium Hipparchum occiderunt: rhetoresque, Ephialtes, qui quam maxime Areopagi jura evertit; & Lycurgus Lycophronis filius.

In primo Academiæ aditu Amoris ara est; & inscriptio, quæ Atheniensium primum Charmum dedicasse indicat.

In Academia est ara Promethei, a qua cum accensis facibus cursum in Urbem instituebant.

Est Musarum quoque ara, & Mercurii item altera; interius Minervæ, aliam Herculi fecerunt. Olea etiam spectatur quæ secundum enata dicitur.

CAP. XX.

Ceramicus extra Urbem etiam Ἀκαδημία dictus; aut pars potius ejus quædam, non Ceramicus universus. Ἀκαδημία autem dicta ab heroe Academo, aut Hecademo. Plutarchi locus emendatus; item Stephani. Quam longe ab Urbe abfuerit. Porphyrii locus restitutus. Gymnasium ibidem, unde si quis supra drachmas decem quicquam abstulisset capitis pœna afficiebatur. Equestria exercitia & spectacula ab Hipparchis edi solita, tum convivium.

EN Pausaniæ tibi verba, in quibus primum observandum Academiam, non Ceramicum, memorari. Sed sciendum Ceramicum extra Urbem cum Academia eundem fuisse. Clare Hesychius *in* Ἀκαδημία. Καλεῖται καὶ οὕτως ὁ Κεραμεικός. *Vocatur etiam eo nomine Ceramicus. Stephanus.* Ἑκαδημία ἢ Ἀκαδημία ἀπὸ Ἀκαδήμου, καὶ Ἀθήνησι τόπος, ὁ Κεραμεικός. *Hecademia sive Academia, ab Academo; & Athenis locus Ceramicus appellatus.* Et nonnulla est animadvertere a Scriptoribus quibusdam in Ceramico recenseri, quæ ab aliis Academiæ tribuuntur. Atque hoc semel est tenendum, ne dissidium ignoratum forte turbet. Illud quoque, Academiam partem tantum Ceramici exterioris potiorem extitisse, sed non Ceramicum totum; idque licet apud Auctores observare, ubi viæ meminerunt, quæ ad Academiam ducit: cum ab ipsa statim porta Ceramicus hic inciperet. Dicta autem Academia ab Heroe Academo, qui hunc locum sibi proprium dedicavit: quem Hecademum alii vocant. Aristophanis Scholiastes ad *Nubes*. Ἦν καὶ γυμνάσιον, (ἡ Ἀκαδημία) ἀπὸ Ἑκαδήμου τινὸς καταλείψαντος τὴν κτῆσιν ἑαυτοῦ πρὸς ἐπισκευὴν τοῦ τόπου. *Erat & gymnasium, (Academia) ab Hecademo quodam, qui possessionem suam reliquit, ut hic locus pararetur.* Dixi heroem Hecademum appellatum; itaque & primitus Ἑκαδημία dicebatur. *Suidas.* Ἀκαδημία, γυμνάσιον ἐν Ἀθήναις, προάστειον ἀλσῶδες, ἐν ᾧ διέτριβε Πλάτων· ἀπὸ Ἑκαδήμου τινὸς ὀνομασθέν. πρότερον δὲ διὰ τοῦ Ἑκαδημία ἐκαλεῖτο. *Academia gymnasium Athenis, suburbium nemorosum, ubi Plato commorabatur ab Hecademo appellatum; unde & prius per e, Hecademia dicebatur.* Omnino mendum est apud Plutarchum in *Vita Thesei*, Ὁ δὲ Δικαίαρχος Ἐχέμου φησὶ καὶ Μαράθου συστρατευσάντων τότε τοῖς Τυνδαρίδαις ἐξ Ἀρκαδίας, ἀφ' οὗ μὲν Ἐχεδημίαν προσαγορευθῆναι, τὴν νῦν Ἀκαδημίαν. *Dicæarchus ait cum Echemus & Marathus ex Arcadia cum Tyndaridis militaverint, ab isto quidem Echedemiam appellatam, quæ nunc Academia dicatur.* Rescribo, Ἐχεδήμου φησί. Nam quæ postea Ἀκαδημία si ab eo ἐχεδημία prius appellata fuit, necessarium est ut ipsi Echedemo, non Echemo nomen fuerit. Eodem modo emendandus Stephanus *in* Ἑκαδήμεια. Vide quæ notavi olim *Animadvers. Miscell.* lib. IV. cap XII. Privati autem hominis olim possessionem fuisse Pausanias dicit, in *Attic.* Ἀκαδημία χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου, γυμνάσιον δὲ ἐπ' ἐμοῦ. *Academia ager olim hominis privati, nunc gymnasium.* Erat autem proxime Urbem. Clare Pausanias, *loco cit.* Ἐγγυτάτω δὲ Ἀκαδημία. *Proxime vero est Academia.* Et vix mille passuum spatium disjungebat a porta Dipylo, de qua dixi paullo ante *cap.* XVIII. Livius ubi de porta illa agit *lib.* XXXI. *cap.* XXIV. *Extra limes mille ferme passus in Academiæ gymnasium ducens.* Immo passus tantum erant septingenti quinquaginta, sive sex stadia. Clare Cicero de *Fin.* lib. V. in *ipso initio*: *Constituimus inter nos ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. Cum autem venissemus in Academiam, non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus.* Sed Porphyrio quid faciemus? Is fuisse procul dicit περὶ ἀποχῆς *lib.* I. Τὴν Ἀκαδημίαν εἵλετο οὐ μόνον ἔρημον, καὶ πόρρω τοῦ ἄστεος χωρίον, ἀλλὰ καὶ ὥς φασιν, ἐπίνοσον. *Academiam delegit non solum desertum, & longe ab Urbe situm locum, verum etiam, uti ajunt, insalubrem.* An scribendum; καὶ πρὸ τοῦ ἄστεος. *Et ante Urbem.* Ita arbitror & voluisse eum dicere; non desertum solum locum Academiam & extra Urbem, sed & insalubrem fuisse. Librarii locum corruperunt. Sic est apud *Etymologici Auctorem*. Ἀκαδήμιον, γυμνάσιον· Τόπος ἐστὶ πρὸ τοῦ ἄστεος. *Academia, Gymnasium; locus est ante Urbem.* Xenophon *Histor. Græc.* lib. II. Καὶ ἄλλοι οἱ τεθαμμένοι Λακεδαιμονίων πρὸ τῶν πυλῶν ἐν Κεραμεικῷ. *& alii e Lacedæmoniis qui sepulti ante portam in Ceramico.* Herodot. de sepulcro Cimonis, quod ibidem *lib.* VI. Τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος. *Sepultus vero est Cimon ante urbem.* Huc pertinet, quod προάστειον, Suburbium appellat Thucydid. *lib.* II. Τιθέασιν οὖν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως. *Collocant igitur in publico sepulcro quod in Urbis pulcerrimo suburbio est.* Loquitur de sepulcro eorum, qui in bello interfecti; quod fuisse in Ceramico e Pausaniæ *illis verbis*, quæ citavi *capite superiori*, satis constat: & mox etiam sum dicturus. Plutarchus quoque in *Sylla*. Καὶ τήν τε Ἀκαδημίαν ἔκειρε δενδροφορωτάτην τῶν προαστείων οὖσαν. *Et Academiam item excidit quæ pulcerrime e suburbiis arboribus consita.* Diogenes Laertius in *Platone* lib. III. cap. VII. Ἐπανελθὼν δὲ εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ· Τὸ δὲ ἐστι γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες. *Cum Athenas rediisset in Academia commorabatur; ea vero est gymnasium, ac suburbium nemorosum.* Suidas. Ἀκαδημία γυμνάσιον ἦν ἐν Ἀθήναις προάστειον ἀλσῶδες. *Academia gymnasium erat Athenis, suburbium nemorosum.* Quæ totidem verbis *Auctor Proverbiorum*. Ergo hunc *Porphyrii* locum satis mendi manifestum nunc tenemus. At est illud tamen vetus, & expressit Hieronymus *Adversus Jovinianum* lib. II. *Sed & ipse Plato cum esset dives, & thoros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit Academicam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem.* Erat porro hic gymnasium. Pausanias ait, in *Atticis*. Γυμνάσιον δὲ ἐπ' ἐμοῦ. *Nunc vero est gymnasium.* Hesychius *in* Ἀκαδημία. Λέγεται δὲ γυμνάσιον Ἀθήνησιν ἀπὸ Ἀκαδήμου ἀναθέντος. *Dicitur autem gymnasium Athenis ab Academo qui dedicavit.* Livius in *citatis verbis*: *Limes mille ferme passus in Academiæ gymnasium ducens.* Cic. *lib.* IV. *epist.* XII. *Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio, Academia, locum delegimus, ibique eum delegimus.* Neque aliter appellant Grammatici Græci, ii qui ejus meminerunt. Ac si quis cuiquam inde furto sustulisset, dum nimirum exercerentur, quod excederet drachmas decem, illum capite pœnas dare oportebat; idque ex Solonis lege. Demosthenes *Orat.* in Timocratem. Εἴ τις ἐξ Ἀκαδημίας ἱμάτιον, ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι, τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων, ἀφέλοιτο, ὑπὲρ δέκα δραχμὰς καὶ τούτοις θάνατον ἐνομοθέτησεν (ὁ Σόλων) εἶναι τὴν ζημίαν. *Si quis vestem ex Academia aut laguculam, seu quid aliud minimi pretii vasculumve e gymnasiis surripuerit, quod excederet decem drachmas, etiam illis pœnam mortis (Solon) statuit.* Et equestria exercitia illic erant. Xenoph. innuit in *Hipparchico*. Ὅταν γε μὴν ἐν τῷ ἐπικροτῷ ἐν Ἀκαδημίᾳ ἱππεύειν δέῃ, ἔχω τάδε παραινέσαι. *Cum autem*

in Academia, loco pavito, instituendæ erunt equitationes, hæc monere equidem habeo. Item spectacula ab Hipparchis edi solita. Xenophon *ibidem.* ἢ δυνατὸν κάλλιστα ἐπιδείξῃ (ὁ ἵππαρχος) τὰ τ' ἐν Ἀκαδημίᾳ καὶ τὰ ἐν Λυκείῳ. *Quam pulcherrime possit exhibeat (hipparchus) quæ in Academia solita & Lyceo.* Convivium quoque agitari illic cœptum tempore posteriori. Athenæus *lib.* IV. Ἀθήνησι δ' ἱστοροῦσιν, οὐ πάνυ ἀρχαίων δυοῖν γενομένων δείπνων, ἐν Λυκείῳ τε καὶ Ἀκαδημίᾳ, τοῦ μὲν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν εἰσενέγκαντος ὀψοποιοῦ λοπάδα, πρὸς ἑτέραν τινὰ χρείαν, τὸν κέραμον κατάξαι πάντας τοὺς ἱεροποιοὺς, ὡς μακρόθεν οὐκ ἀστείας παρεισδύσεως γενομένης. *Athenis narrant cum convivia non omnino antiqua duo agitarentur in Lyceo & Academia; atque in eo, quod in Academia habitum, patinam fictilem, in alium usum coquus forte intulisset, sacrorum ministros omnes hanc fregisse; tanquam ea nimis procul inciviliter irrepsisset.*

CAP. XXI.

Septum & simulacra Dianæ τῆς Ἀρίστης *ac* Καλλίστης. *Templum quoque in quod Bacchi Eleutherensis simulacrum singulis annis deportatum; post incendio consumptum. Sepulcra Thrasybuli, Periclis, Chabriæ & Phormionis. In Chabriæ quæ impensa facta, lapidesque ejus venditi a Ctesippo.*

SEPTUM autem hic Dianæ & simulacra ejusdem deæ, cognomento cum Ἀρίστης, tum Καλλίστης. Pausanias, in *Atticis.* Κατιοῦσι δὲ ἐς αὐτὴν (τὴν Ἀκαδημίαν) περίβολός ἐστιν Ἀρτέμιδος, καὶ ξόανα Ἀρίστης, καὶ Καλλίστης. ὡς μὲν ἐγὼ δοκῶ, καὶ ὁμολογεῖ τὰ ἔπη τὰ Σαπφοῦς, τῆς Ἀρτέμιδός εἰσιν ἐπικλήσεις αὗται. *In introitu (Academiæ) septum quoddam est Dianæ; Optimæque ac Pulcerrimæ simulacra: quæ Dianæ cognomenta ego existimo, & testantur Sapphus carmina.* Ac quod attinet τῆς Καλλίστης simulacrum, est de eo *Hesychii* etiam locus quidam. Καλλίστη ἡ θήρα τὸ πρότερον· καὶ ἡ ἐν Κεραμεικῷ Ἑκάτη, ἣν ἔνιοι Ἄρτεμιν λέγουσιν. *Pulcerrima venatio prius; & quæ in Ceramico est Hecate, quam Dianam dicunt quidam.* Templum item non magnum erat; in quod Bacchi Eleutherensis simulacrum annis singulis ac diebus constitutis deportabant. Pausanias, *loco citato.* Καὶ ναὸς οὐ μέγας ἐστίν· ἐς ὃν τοῦ Διονύσου τοῦ Ἐλευθέρεως τὸ ἄγαλμα ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσιν ἐν τεταγμέναις ἡμέραις. *Et templum est non magnum, in quod Bacchi Eleutherensis simulacrum annis & diebus constitutis deportare consueverunt.* Fiebat nempe hoc in ipso Dionysiorum festo. Observo apud Philostratum in *Herode*, Sophist. *lib.* II. Ὁπότε δὲ ἥκοι Διονύσια καὶ κατίοι ἐς Ἀκαδημίαν τὸ τοῦ Διονύσου ἕδος ἐν Κεραμεικῷ, ποτίζων ἀστοὺς ὁμοίως καὶ ξένους, &c. *Cum Dionysia essent & in Academiam deferretur in Ceramico Bacchi simulacrum, civibus pariter ac peregrinis potum præbens*, &c. Atque hoc est templum istud, quod incendio consumptum tradit Clemens in *Protreptico.* Ἀθήνησι γὰρ τοῦ Διονύσου τοῦ Ἐλευθέρεως (τὸ πῦρ) κατήρειψε τὸν νεών. *Athenis enim Bacchi Eleutherensis fanum (ignis) diruit.* Porro sepulcra illic erant Thrasybuli, Periclis, Chabriæ & Phormionis. Pausanias, in *Attic.* Τάφοι δὲ Θρασυβούλου μὲν πρῶτον, τοῦ Λύκου· ἐπὶ δὲ αὐτοῦ, Περικλέους τε καὶ Χαβρίου, καὶ Φορμίωνος. *Sepulcra ibi Thrasybuli quidem primum, Lyci Filii; inde Periclis, Chabriæque & Phormionis.* Ac Periclis quidem mentio est apud Ciceronem de *Fin. Bon.* lib. v. cap. II. *Modo etiam paullum ad dextram de via declinavi, ut ad Periclis sepulcrum accederem.* Chabriæ vero meminit item Athenæus: qui ait, mille drachmarum sumptu structum, lapidesque a Ctesippo venditos. Verba ejus ista habent *lib.* IV. Καὶ Κτήσιππος δ' ὁ Χαβρίου υἱὸς, εἰς τοσοῦτον ἦλθεν ἀσωτίας, ὡς καὶ τοῦ μνήματος τοῦ πατρὸς εἰς ὃ Ἀθηναῖοι Χιλίας ἀνήλωσαν δραχμὰς τοὺς λίθους πωλῆσαι εἰς τὰς ἡδυπαθείας. *Et Ctesippus, Chabriæ Filius, tam effusi luxus fuit, ut & de sepulcro patris, in quod drachmas mille impenderant Athenienses, lapides venderet; qui haberet quod insumere voluptatibus suis posset.* Immo communis hic sepeliendi locus & magnifica monumenta spectabantur. Indicat Cicero de *Leg.* lib. II. c. XXVI. *Propter has amplitudines sepulcrorum quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo.*

CAP. XXII.

Sepulcra eorum qui in bello interfecti; præter illos qui ad Marathonem cæsi: qui eo ipso loco sepulti. Certamen quoque in honorem eorundem ibi actum. instituente Polemarcho; ac seorsim in Androgei Minois filii.

DENIQUE sepulcra illic spectabantur eorum omnium qui in prælio cecidissent; his exceptis qui in pugna ad Marathonem interfecti: ii enim ob virtutem illo ipso in loco omnes tumulati. Pausanias, *loco cit.* Ἔστι δὲ καὶ πᾶσι μνῆμα Ἀθηναίοις, ὁπόσοις ἀποθανεῖν συνέπεσεν ἔν τε ναυμαχίαις, καὶ ἐν μάχαις πεζαῖς, πλὴν ὅσοι Μαραθῶνι αὐτῶν ἠγωνίσαντο. Τούτοις γὰρ κατὰ χώραν εἰσὶν οἱ τάφοι, δι' ἀνδραγαθίαν. οἱ δὲ ἄλλοι κατὰ τὴν ὁδὸν κεῖνται, τὴν ἐς Ἀκαδημίαν· καὶ σφῶν ἑστᾶσιν ἐπὶ τοῖς τάφοις στῆλαι, τὰ ὀνόματα, καὶ τὸν δῆμον ἑκάστου λέγουσαι. *Exstat quoque suum cunctis Atheniensibus monumentum, qui navalibus præliis aut terrestribus cecidissent; his exceptis qui ad Marathonem cæsi. Illis enim eo ipso, quo occubuerunt, loco monumenta constituta ob virtutem: alii in via siti, quæ ad Academiam ducit; tumulisque pilæ impositæ quies inscriptum, quod cuique nomen esset, ac quis populus.* Thucydides *lib.* II. Καὶ ἀεὶ ἐν αὐτῷ θάπτουσι τοὺς ἐκ πολέμων, πλήν γε τοὺς ἐν Μαραθῶνι. ἐκείνων δὲ διαπρεπῆ τὴν ἀρετὴν κρίναντες αὐτοῦ καὶ τὸν τάφον ἐποίησαν. *Atque hic semper sepeliunt eos, quei in bello ceciderunt; præter eos qui ad Marathonem cæsi: illorum enim cum virtutem insignem esse judicassent illo ipso etiam loco sepulcrum iis statuerunt.* Ac sepultos ibi eos qui in bello occubuissent innuit item Aristophanes in *Avibus* fabula, istis verbis, *vers.* 397. *&c.*

Ὁ Κεραμεικὸς δέξεται νώ.
Δημοσίᾳ γὰρ ἵνα ταφῶμεν,
Φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγοὺς,
Μαχομένω τοῖσι πολεμίοις
Ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς.

Ceramicus suscipiet nos.
Nam ut publice sepeliamur,
Dicemus ad duces,
Pugnantes nos cum hostibus
Cecidisse in Orneis.

Erant vero pilæ in sepulcris positæ, quibus inscriptum nomen uniuscujusque, item populus. Ecce in Pausaniæ *verbis jam citatis.* Καὶ σφῶν ἑστᾶσιν ἐπὶ τοῖς τάφοις στῆλαι τὰ ὀνόματα, καὶ τὸν δῆμον ἑκάστου λέγουσαι. *Tumulisque pilæ impositæ; queis inscriptum, quod cuique nomen esset, ac quis populus.* Scholiastes Aristophanis *Equitibus.* Δύο δὲ οἱ Κεραμεικοὶ Ἀθήνησιν, ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω· ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ, καὶ τοὺς ἐπιταφίους ἔλεγον. εἰσὶ δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν στῆλαι ἐπὶ

τῷ δημοσίῳ τεθαμμένους, ἔχουσαι ἐπιγραφὰς ποῦ ἕκαστος τέθαπται. *Duo Athenis Ceramici erant; quorum unus intra Urbem, alter extra. Hic eos qui in bello cæsi publice sepeliebant; funebresque orationes item habebant. Ac columnæ hinc & inde publice sepultis positæ; queis inscriptum, ubi quisque sepultus esset.* Videndus quoque Suidas *in* Κεραμεικός. Quin certamen etiam hic quotannis agitari solitum in honorem eorundem a Polemarcho. Philostratus in *Philisci vita* Sophist. *lib.* II. Κεκτημένος δὲ Ἀθήνησι χωρίον οὐκ ἀηδές, οὐκ ἐν αὐτῷ ἐτάφη, ἀλλ᾽ ἐν Ἀκαδημίᾳ, οὗ τίθησι τὸν ἀγῶνα τοῖς ἐκ τῶν πολέμων θαπτομένοις ὁ Πολέμαρχος. *Cum Athenis prædium non inamœnum possideret, non in eo est sepultus, sed in Academia, eo loco, ubi certamen iis qui in bello ceciderunt Polemarchus instituit.* Meminit Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* IV. Διατίθησι δὲ (ὁ Πολέμαρχος) τὸν ἐπιτάφιον ἀγῶνα τῶν ἐν πολέμῳ ἀποθανόντων. *Ordinat vero (Polemarchus) certamen funebre in honorem eorum, qui in bello interfecti.* Ac seorsim idem honos Androgeo habitus Minois filio. *Hesychius.* Ἐπ᾽ Εὐρυγύῃ ἀγών. Μελησαγόρας τὸν Ἀνδρόγεων Εὐρυγύην εἰρῆσθαί φησι τὸν Μίνωος. Ἐφ᾽ ᾧ τὸν ἀγῶνα τίθεσθαι τὸν ἐπιτάφιον Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ. *In Eurygyis certamen. Melesagoras auctor est, Androgeon Minois filium appellatum fuisse Eurygyem; in cujus honorem certamen funebre Athenis in Ceramico celebretur.*

CAP. XXIII.

Quonam ritu, qui in bello interfecti, sepeliri soliti fuerint, obiter dictum.

LIBET etiam quando occasio sese offert, quonam ritu sepeliri illi soliti, qui in bello cecidissent explicare. Triduo ante quam efferre funus vellent, Tabernaculum faciebant, sub quo mortuorum ossa deponebant; ac inferias quisquis vellet inferebat quas liberet: ipso autem funeris die plaustra quædam adducebantur; quæ confectas e cupresso arcas veherent singulas e singulis tribubus: in his singularum tribuum, e quibus unusquisque ortus, ossa erant. Unus autem lectus, vacuus & instratus ferebatur; illorum causa qui reperti non fuissent neque tolli potuissent. Ac prosequebatur quilibet sive civis sive ille peregrinus; quin & fœminæ e propinquis ejulantes ad sepulcrum accedebant, inde in sepulcrum publicum inferebantur; moxque aliquis dignitate & prudentia præstans cæteris funebri oratione sic sepultos collaudabat. Hæc Thucydides unus docet *lib.* II. Ἐν δὲ αὐτῷ χειμῶνι οἱ Ἀθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι, δημοσίᾳ ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρώτων ἀποθανόντων, τρόπῳ τοιῷδε. τὰ μὲν ὀστᾶ προτίθενται τῶν ἀπογενομένων πρότριτα σκηνὴν ποιήσαντες, καὶ ἐπιφέρει τῷ αὐτοῦ ἕκαστος ἤν τι βούληται. ἐπειδὰν δὲ ἡ ἐκφορὰ ᾖ, λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγουσιν ἅμαξαι, φυλῆς ἑκάστης μίαν. ἔνεστι δὲ καὶ τὰ ὀστᾶ, ἧς ἕκαστος ἦν φυλῆς. μία δὲ κλίνη κενὴ φέρεται, ἐστρωμένη τῶν ἀφανῶν, οἳ ἂν μὴ εὑρεθῶσιν ἐς ἀναίρεσιν. ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν, καὶ ξένων. καὶ γυναῖκες πάρεισιν αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον, ὀλοφυρόμεναι. τιθέασιν οὖν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως. καὶ αἰεὶ ἐν αὐτῷ θάπτουσι τοὺς ἐκ τῶν πολέμων, πλήν γε τοὺς ἐν Μαραθῶνι. ἐκείνων δὲ διαπρεπῆ τὴν ἀρετὴν κρίναντες, αὐτοῦ καὶ τὸν τάφον ἐποίησαν. ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῇ, ἀνὴρ, ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως, ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι, καὶ ἀξιώματι προήκῃ, λέγει ἐπ᾽ αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα. μετὰ δὲ τοῦτο ἀπέρχονται. *Eadem hieme Athenienses patrio instituto publice humarunt eos, qui in hoc bello primi mortem oppetierant, isto modo. Triduo ante quam funus efferatur, tabernaculum faciunt, & sub eo defunctorum ossa proponunt; & unusquisque suo inferias offert si quas velit. Quum autem funeris efferendi dies venerit, plaustra adducuntur; quæ arcas ex cupresso factas e singulis tribubus singulas portant. In his autem insunt ossa singularum tribuum ex quibus singuli eorum sunt. Unus autem lectus inanis, stratus, fertur illorum causa, qui non exstant; quique ut tollerentur, non sunt inventi. Quilibet autem, sive civis, sive peregrinus prosequitur, & mulieres genere propinquæ ad sepulcrum adsunt, ejulantes. Collocant autem in publico monumento, quod est in pulcherrimo suburbio eorum quæ Urbs habet. Atque hic semper sepeliunt eos, qui in bello interfecti; præter eos, qui ad Marathonem cæsi: illorum enim cum virtutem insignem esse judicassent, in eo ipso etiam loco sepulcrum iis fecerunt. Postquam autem jam humarunt, vir a civitate lectus, qui nec imprudens videatur & excellat dignitate, laudem illic dignam dicit.* Hunc *Thucyd.* locum respexit Theod. *Therapeut.* VIII. Καὶ ὁ Θουκυδίδης τῶν ἐν τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ τετελευτηκότων διηγεῖται τὸ γῆρας· καὶ ὅπως μὲν τὰ εὑρεθέντα σώματα τῶν προσηκόντων ἕκαστος ἠξίου ταφῆς· ἡλίκην δὲ τοῖς ἥκιστα εὑρεθεῖσιν ἐμηχανῶντο τιμὴν, κυπαρισσίνας μὲν κατασκευάζοντες λάρνακας, κοινῇ δὲ πάντες οἱ μὲν ἡγούμενοι τούτων, οἱ δὲ ἑπόμενοι καὶ παρεπόμενοι καὶ τάφον κατασκευάζοντες μέγιστον τοῖς ὑπὸ οἰωνῶν, ἢ κυνῶν, ἢ θώων δαπανηθεῖσι. *Et Thucydides eorum qui in bello Peloponnesiaco ceciderunt, commemorat honorem; & quo modo cadavera quidem quæ inventa sepulcro quisque sit dignatus; quosque honores non inventis excogitarint, loculis nempe e cupresso apparatis, communi quadam funeris pompa, illos præcessisse, hos sequutos, istos latera comitatos; maximumque monumentum struxisse iis quotquot avibus, canibus, lupis esca esse contigisset.*

CAP. XXIV.

Sepulcrum Cimonis. Κοίλη. *Sepulcra Chæronis. Thibrachi, Lacratis, Spartanorum; item Chrysippi, Zenonis Cittiensis, Niciæ pictoris, Harmodii, Aristogitonis, Ephialtæ & Lycurgi oratoris: ac de Zenonis Antigoni regis postulatum: Lycurgi etiam alterius & Diomedis majorum Lycurgi Oratoris: Herodoti quoque & Thucydidis monumenta, tum Platonis ac Toxaridis & M. Marcelli: Denique Miltiadis equarum, quæ certamine olympico ter victrices.*

ET quidem eorum, qui in bello interfecti, monumenta a *Pausania* memorantur; de quibus quod dicam aliud nihil habeo. Inter hæc Cimonis erat; idque in loco Κοίλη dicto. Marcellinus in *Vita Thucydidis*. Πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα. *Ad Melitidem enim portam in Cœla, sunt Cimonia quæ vocantur monumenta.* Erat autem Κοίλη inter Atticæ populos, ut pridem ostendi in libro de iis singulari; ubi vide quæ notavi. Præter istos a *Pausanias* memoratos invenio Chæronis etiam & Thibrachi Lacratisque & aliorum Spartanorum monumenta. Xenophon *Hist. Græc.* lib. II. Ἐνταῦθα δὲ ἀποθνήσκει Χαίρων τε καὶ Θίβραχος, ἄμφω πολεμάρχω· καὶ Λακράτης, ὁ Ὀλυμπιονίκης· καὶ ἄλλοι οἱ τεθαμμένοι Λακεδαιμονίων πρὸ τῶν πυλῶν, ἐν Κεραμεικῷ. *Hinc occumbunt Chæron & Thibrachus, ambo polemarchi, & Lacrates is qui Olympico certamine vicerat: tum e Lacedæmoniis alii; qui sepulti ante portam in Ceramico.* Porro ut omittam eos, qui

A qui in bello ceciderunt, alii quoque viri aliquot excellentes hic ſepulti; Chryſippus Solenſis & Zeno Cittienſis philoſophi; Nicias pictor; Ariſtogiton & Harmodius tyrannicidæ, Ephialtes & Lycurgus, Oratores. Pauſanias, in *Atticis*. Κεῖται δὲ καὶ Ζήνων ἐνταῦθα ὁ Μνασέου· καὶ Χρύσιππος ὁ Σολεύς· Νικίας τε ὁ Νικομήδους, ζῶα ἄριστος γράψαι τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ. καὶ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, οἱ τὸν Πεισιστράτου παῖδα Ἵππαρχον ἀποκτείναντες. ῥήτορές τε Ἐφιάλτης, ὃς τὰ νόμιμα, τὰ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ μάλιστα ἐλυμήνατο· καὶ Λυκοῦργος, ὁ Λυκόφρονος. *Conditus ibidem Zeno, Mnaſeæ filius: & Chryſippus Solis natus: Niciaſque ille Nicomedis filius, in pingen-* B *dis animalibus ſua ætate præſtantiſſimus: Harmodius quoque & Ariſtogiton, qui Piſiſtrati filium Hipparchum occiderunt; rhetoreſque Ephialtes, qui quam maxime Areopagi jura evertit; & Lycurgus Lycophronis filius*. Ac de Zenone teſtatur item Diogenes Laertius in *ejus Vita* lib.VII. cap.XXIX. Ἀθηναῖοι δὲ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ Κεραμεικῷ. *Athenienſes vero ſepeliverunt ipſum in Ceramico*. Et in decreti hac de re facti verbis erat. Τύχῃ τῇ ἀγαθῇ, δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Ζήνωνα Μνασέου Κιττιέα, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ σωφροσύνης, οἰκοδομῆσαι δὲ αὐτῷ τάφον ἐπὶ τοῦ Κεραμεικοῦ δημοσίᾳ. *Quod bene* C *vertat, viſum populo laudare Zenonem Mnaſeæ filium Cittienſem, & Corona aurea ornare juxta legem, virtutis ergo & prudentiæ: ſepulcrum item ære publico exſtruxiſſe in Ceramico*. Idque Antigonus rex per legatum Thraſonem petierat. Diogenes *alibi* in philoſophi ejuſdem Vita, *lib.*VII. *cap.* XV. Λέγεται δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ Ζήνωνος εἰπεῖν τὸν Ἀντίγονον, οἷον εἴη θέατρον ἀπολωλεκώς. ὅθεν καὶ διὰ Θράσωνος πρεσβευτοῦ παρὰ τῶν Ἀθηναίων ᾔτησεν αὐτῷ τὴν ἐν Κεραμεικῷ ταφήν. *Fertur etiam Antigonus poſt mortem Zenonis dixiſſe, quale theatrum perdidiſſet; ideoque per Thraſonem legatum petiiſſe ab Athenienſibus, ut in Ceramico ei ſe-* D *pulcrum darent*. Quod Lycurgum vero attinet; erat item quoddam alterius iſto nomine monumentum, & Diomedis: qui uterque inter majores Oratores cenſebatur. Ecce tibi in decreto in prioris honorem facto, quod Plutarchus repræſentat in *fine libri* de x. Rhet. Καὶ οἱ πρόγονοι οἱ Λυκούργου, Διομήδης τε καὶ Λυκοῦργος, καὶ ζῶντες ἐτιμῶντο ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ τετελευτηκῶσιν αὐτοῖς, δι' ἀνδραγαθίαν, ἔδωκεν ὁ δῆμος δημοσίας ταφὰς ἐν Κεραμεικῷ. *Et majores Lycurgi, Diomedes ac Lycurgus vivi a populo honorati; mortuique ex ære publico monumenta in Ceramico acceperunt*. Inſuper Herodo- E ti invenio & Thucydidis; & quidem juxta Cimonis de quo paullo ante dixi. Marcellinus *in citato ſtatim loco*. Ἐστιν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα. ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος. *Sunt in Cœla monumenta, quæ Cimonia appellantur; ubi ſepulcra quoque Herodoti & Thucydidis oſtenduntur*. Et de Thucydidis iterum *poſtea*. Ἐστι δὲ αὐτοῦ τάφος πλησίον τῶν πυλῶν, ἐν χωρίῳ τῆς Ἀττικῆς, ὃ Κοίλη καλεῖται, καθά φησιν Ἄντυλλος ἀξιόπιστος ἀνὴρ μαρτυρῆσαι, καὶ ἱστορίαν ἐγνῶναι, καὶ διδάξαι δεινός. καὶ στήλης δέ, φησίν, ἑστηκεν ἐν τῇ Κοίλῃ. ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ ΟΛΟΡΟΥ ΑΛΙΜΟΥΣΙΟΣ, ἔχουσα ἐπίγραμμα. *Eſt vero ſepul-* F *crum ejus prope portam in loco Atticæ, Cœla dicto, ut Antyllus refert vir dignus cujus teſtimonio fides habeatur, & hiſtoriæ peritiſſimus, atque ad docendum gravis. Et columna, ait, ſtetit in Cœla; quæ inſcriptionem habebat*, THUCYDIDES OLORI ALIMUSIUS. Platonis quoque ibidem erat. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib.III. cap.XL. Καὶ ἐτάφη ὁ Πλάτων ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ, ἔνθα τὸν πλεῖστον χρόνον διετέλεσε φιλοσοφῶν. *Ac ſepultus eſt Plato in Academia, ubi plurimum temporis in Philoſophiæ ſtudiis exegerat*. Pauſanias tamen extra Academiam ponit, non longe ab ea, in *Attic.* Ἀκαδημίας δὲ οὐ πόρρω, Πλάτωνος μνῆμά ἐστιν. *Non procul vero ab Academia exſtat Platonis monumentum*. Sed, ut extra Academiam, tamen in Ceramico fuerit, ſiquidem, ut ſupra dixi, Ceramicus Academiam continebat. Sic Toxaridis ſepulcrum etſi extra Academiam collocatum in Ceramico tamen fuit. Meminit ejus Lucianus in *dialogo*, cui *Scythæ* nomen fecit; ubi de Toxaride agit. Ἐστι δὲ οὐ πολὺ ἀπὸ τοῦ Διπύλου (hæc eſt porta, qua a Ceramico Urbano ad exteriorem itur, ut *ſupra* oſtendi) ἐν ἀριστερᾷ εἰς Ἀκαδημίαν ἀπιόντων, οὐ μέγα τὸ χῶμα, καὶ ἡ στήλη χαμαί. *Eſt vero non longe a Dipylo, ſiniſtrorſum, qua ad Academiam itur, tumulus non magnus, & cippus humilis*. Porro & M. Marcelli in Academia e marmore monumentum poni curavit Cicero. Ipſe ſcribit ad *Sulpitium* lib.IV. epiſtol.XII. *Ab Athenienſibus locum ſepulturæ (M. Marcello) intra Urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione impediri ſe dicerent; neque tamen id antea cuiquam conceſſerant. Quod proximum fuit, ut in quo vellemus gymnaſio eum ſepeliremus, nobis permiſerunt. Nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio Academia, locum delegimus, ibique eum combuſſimus; poſteaque curavimus, ut iidem Athenienſes, in eodem loco, monumentum eidem marmoreum faciendum locarent*. Denique & Miltiadis equæ certamine Olympico ter victrices, hic ſepultæ. Ælianus *Hiſt. Anim.* lib.XII.cap. XL. Μιλτιάδης δὲ τὰς ἵππους, τὰς τρὶς Ὀλύμπια ἀνελομένας, ἔθαψεν ἐν Κεραμεικῷ. *Miltiades vero equas, quæ ter certamine Olympico vicerant, in Ceramico ſepelivit*. Et quidem e regione ſepulcri Cimonis, de quo dixi. Herodotus *loco citato*. Τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης (ita legendum jam admonui) καλουμένης ὁδοῦ. καταντίον δ' αὐτοῦ αἱ ἵπποι τεθάφαται αὗται αἱ τρεῖς Ὀλυμπιάδας ἀνελόμεναι. *Sepultus vero eſt Cimon ante urbem, ultra viam, quæ quod trans Cœlam ducat nomen inde ſuum accepit: & e regione ejus ſepultæ ſunt equæ, quæ victorias Olympiadas tres retulerunt*.

CAP. XXV.

Ara amoris a Charmo poſita; & inſcriptio. Ejuſdem ſignum a Piſiſtrato dedicatum; ad quod ignem in certamine Lampadario accendebant. Minervæ fanum; in cujus introitu vetus baſis, cui Prometheus ſuperimpoſitus, & Vulcanus: ille ſenior; hic adoleſcens: tum communis ara utrique; unde curſus inchoatus in certamine Lampadario, quod hic actum. Aræ Muſarum, Mercurii, Minervæ, Herculis: item Jovis Καταιβάτου, Μορίου; *& oleæ, Minervæ ſacræ, quæ* Μορίαι *appellatæ*.

IN introitu Academiæ ara Amoris viſebatur, a Charmo poſita. Pauſanias, in *Atticis*. Πρὸ δὲ τῆς ἐσόδου τῆς ἐς Ἀκαδημίαν ἐστὶ βωμὸς Ἔρωτος· ἔχων ἐπίγραμμα, ὡς Χάρμος Ἀθηναίων πρῶτος Ἔρωτι ἀναθείη. *In primo Academiæ aditu Amoris ara eſt; & inſcriptio, quæ Athenienſium primum Charmum dedicaſſe indicat*. Ac inſcriptionem ipſam habes in *fine* Anthologiæ, cum iſto titulo. Τὸ ἐπὶ τῷ Ἔρωτι ἐπιγραφὲν τῷ πρὸς τῇ Ἀκαδημίᾳ ἱδρυθέντι.

Ποικιλομήχαν' Ἔρως, σοὶ τόνδ' ἱδρύσατο βωμὸν
Χάρμος, ἐπὶ σκιεροῖς τέρμασι γυμνασίου.

Quod Amori inſcriptum, qui apud Academiam erat dedicatus;

A *Hanc tibi, callide Amor, devotus condidit aram*
Charmus, in umbroso limite gymnasii.

Et apud Athenæum *lib.* XIV. Συνέβη δὲ, ὥς φησι, τὸν Χάρμον ἐραστὴν τοῦ Ἱππίου γενέσθαι, καὶ τὸν πρὸς Ἀκαδημίᾳ Ἔρωτα ἱδρύσασθαι πρῶτον, ἐφ' οὗ ἐπιγέγραπται· Ποικιλομήχαν' Ἔρως, &c. *Accidit vero, uti ait, ut Hippiam amaret Charmus, & Amorem juxta Academiam dedicaret, cum hac inscriptione; Callide Amor*, &c. Sed confundit simulacrum Amoris cum ara; quod Pisistratus posuisse memoratur, ut statim dicam. Mentio est ejusdem aræ in *Somnio* Socratis *de Platone*, narrat Apulejus *lib. de* dogm. Plat. *Somnium etiam Socratis circumferunt. nam vidisse sibi visum esse cycni pullum ex altari, quod in* B *Academia Cupidini consecratum est, volasse, & in ejus gremio resedisse*. Memoria labitur Joannes Salesberiensis, cum Veneris eam non Amoris appellat, *Polycratici* lib. II. cap. XVI. *Socrates sibi ex ara Veneris quæ Academiæ erat, vidit offerri cygnum*. Erat quoque simulacrum ejusdem Dei, a Pisistrato dedicatum; ad quod ignem in certamine Lampadario accendebant. Plutarchus in *Solonis Vita*. Λέγεται δὲ καὶ Πεισίστρατος ἐραστὴς Χάρμου γενέσθαι, καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἔρωτος καθιερῶσαι, ὅπου τὸ πῦρ ἀνάπτουσιν, οἱ τὴν ἱερὰν λαμπάδα διαθέοντες. *Fertur etiam Charmum Pisistratus amasse, & Amoris simulacrum dedicasse; ubi ignem accendunt qui cum* C *sacra lampade currentes certant*. Meminit Athenæus *lib.* XIII. Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἀπέχοντο συνουσίας τινὲς διαλαβεῖν προεστάναι τὸν Ἔρωτα, ὥστε τῆς Ἀκαδημίας ἐκδήλως τῇ Ἀθηνᾷ καθιερωμένης, αὐτόθι τὸν Ἔρωτα ἱδρυσάμενοι συνθύουσιν αὐτῇ. *Athenienses vero tantum abest ut Amorem coitus præsidem existimarent, ut cum citra controversiam Academia Minervæ sacra censeretur, illic quoque simulacro ejus posito, communia ipsi sacra facerent*. Minervæ etiam illic fanum. in introitu ejus erat basis vetus, super quam Prometheus positus & Vulcanus: ille senior, hic adolescens: tum communis utriusque ara. Apollodorus *apud* Scholiasten Sophoclis *Oed.* D *Col.* Συντιμᾶται δὲ καὶ (ὁ Προμηθεὺς) ἐν Ἀκαδημίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιστος. καί ἐστιν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα, καὶ ναὸς, ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. δείκνυται δὲ καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστὶ τύπος, καὶ τοῦ Ἡφαίστου. πεποίηται δὲ, ὡς καὶ ὁ Λυσιμαχίδης φησὶν, ὁ μὲν Προμηθεὺς πρῶτος καὶ πρεσβύτερος, ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων· ὁ δὲ Ἥφαιστος, νέος καὶ δεύτερος. καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐστιν, ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος. *Colitur vero & Prometheus in Academia, una cum Minerva, quemadmodum & Vulcanus: estque illi simulacrum quoddam antiquum, ac sacellum in templo deæ. Ostenditur autem vetus basis in introi-* E *tu; in qua Promethei signum exstat & Vulcani: ac Prometheus, uti refert Lysimachides, prior factus & vetustior, manu dextra sceptrum tenens; sed Vulcanus recens ac posterior. ara præterea communis utrique, in basi efficta*. A Promethei illa ara, qui certamen Lampadarium agitabant, cursum suum incipiebant. Pausanias, in *Atticis*. Ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ, ἐστὶ Προμηθέως βωμός. καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ ἐς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. *In Academia autem est ara Promethei; & ab ea in Urbem currunt habentes lampades ardentes*. Nam in Ceramico hoc certamen actum. *Suidas*. Κεραμεικὸς τόπος Ἀττικῆς ὑψηλὸς, ὅπου ἐπετέλουν οἱ Ἀθη- F ναῖοι κατ' ἔτος λαμπαδοῦχον ἀγῶνα. *Ceramicus locus Atticæ editus, in quo Athenienses quotannis lampadarium certamen peragebant*. Vide *Græciæ* nostræ *Feriatæ* lib. V. in Λαμπάς. Erat deinde Musarum ara, & Mercurii: interius vero etiam Minervæ, Herculisque. Pausanias, *loco citato*. Ἐστι δὲ Μουσῶν τε βωμός. καὶ ἕτερος, Ἑρμοῦ. καὶ ἔνδον Ἀθηνᾶς, τὸν δὲ Ἡρακλέους ἐποίησαν. *Est Musarum quoque ara, & Mercurii item altera; interius Minervæ: aliam Herculi fecerunt*. Jovis quoque τοῦ Καταιβάτου cognomento, sive Μορίου. Apollodorus *loco citato*. Περὶ Ἀκαδημίαν ἐστὶν ὅ, τε τοῦ Καταιβάτου Διὸς βωμὸς, ὃν καὶ Μόριον καλοῦσι, τῶν ἐκεῖ μορίων παρὰ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱδρυμένων. *In Academia est & ara Jovis Catæbatæ, quem indigetant etiam Morium, quia illic oleæ sacræ ad Minervæ sint dicatæ*. Ubi illud quoque observa; juxta templum Minervæ, paullo ante memoratum, oleas sacras fuisse, quas Μορίας Athenienses appellabant; quod Pausanias etiam meminit, *ibidem*. Καὶ φυτόν ἐστιν ἐλαίας, δεύτερον τοῦτο λεγόμενον φανῆναι. *Est ibidem oleæ planta, quæ secundum enata dicitur*. Quod ad Jovem τὸν Καταιβάτην attinet, ejus mentio est apud Suidam *istis verbis*. Καταιβάτης, Ζεὺς παρ' Ἀθηναίοις. *Catæbates, Jupiter apud Athenienses*. Et Mercurius apud *Hesychium*. Καταιβάτης, Διὸς ἱερόν. *Catæbates, fanum Jovis*. Ecce, ille fanum quoque ejus dicit. Nempe sacra huic erant loca omnia fulgurita. *Etymologici Auctor*. Ἐνηλύσια, εἰς ἃ κεραυνὸς εἰσβέβηκεν. ἃ καὶ ἀνατίθεται Διὶ Καταιβάτῃ. *Enelysia, in quæ fulmen pervenit: quæ etiam consecrantur Jovi Descensori*.

CAP. XXVI.

Musarum ædes, a Platone dedicata; in qua signa Gratiarum, Speusippi donarium. Hortus Attali. Lacydis schola Λακύδειον dicta; Balneum quoque, & adolescentium studiosorum illic lusus. Fovea in qua sacra facta heroibus a Polemarchis. Platani excelsæ; item planta, Ἀπραγμοσύνη appellata.

HACTENUS nos *Pausanias* duxit, nunc quæ huic omissa addemus. In his est Musarum ædes a Platone dedicata; in qua signa Gratiarum, Speusippi donarium visebantur. Diogenes Laertius in *Speusippo* lib. IV. cap. I. Χαρίτων τε ἀγάλματα ἀνέθηκεν ἐν τῷ ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Ἀκαδημίᾳ ἱδρυθέντι. *Gratiarum etiam signa collocavit in Musarum æde, quæ in Academia erat a Platone dedicata*. Et Attali hortus; in eoque Lacydis schola, Λακύδειον appellata. Diogenes idem in *ejus Vita*, libro citato, cap. LX. Ὁ γοῦν Λακύδης ἐσχόλαζεν ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐν τῷ κατασκευασθέντι κήπῳ ὑπὸ Ἀττάλου τοῦ βασιλέως· καὶ Λακύδειον ἀπ' αὐτοῦ προσηγορεύετο. *Lacydes scholam habuit in Academia, in horto ab Attalo rege parato; & ab ipso Lacydeum appellatum est*. Balneum quoque. Unde est in Hesychii *Glossis* Ἀκαδημία λουτρὸν, *Academia balneum*. Circa illud studiosorum adolescentum lusus erat; quem in libro singulari *De ludis Græcorum* nuper vulgato, fuse satis explicavi, *in* τὸ κατὰ λουτρὸν Ἀθήνησι παίγνιον. Fovea item visebatur; ubi instituto patrio sacra heroibus polemarchi faciebant. Heliodorus *Æthiopic.* lib. I. Ἐπειδὴ κατὰ τὸν βόθρον ἐγένετο, τὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ, (πάντως γινώσκεις, ἔνθα τοῖς ἥρωσι οἱ πολέμαρχοι τὸ πάτριον ἐναγίζουσιν·) ἐνταῦθα ἀθρόον τοῦ πρεσβύτου παράξασα τὰς χεῖρας, ὦσεν ἑαυτὴν ἐπὶ κεφαλήν. *Cum ad puteum, qui in Academia exstat, pervenisset, (nempe satis nosti locum, ubi heroibus polemarchi ritu patrio parentant,) hic confestim, senis manibus diductis in caput se præcipitem dedit*. Et platani erant altæ cubitos triginta sex. Plinius *lib.* XII. *cap.* I. *Celebratæ sunt platani primum in ambulatione Academiæ Athenis, cubitorum triginta sex; unius radice ramos antecedente*. Planta etiam, Ἀπραγμοσύνη appellata. *Hesychius*. Ἀπραγμοσύνη, ἀργία, ἢ φυτὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ. Apragmosyne, *ignavia, vel planta in Academia*. Vide quæ notata mihi *Attic. Lect.* lib. IV. cap. XXV.

CAP. XXVII.

Initio insalubris locus & desertus; ab Hipparcho muro cinctus, a Cimone exornatus, a Spartanis nunquam læsus, & a Sylla devastatus; reverenter porro habitus, ita ut nec fas ridere hic putatum: tum & quanti aliquando venum ierit. Platonis habitaculum; etiam hortus, ejusque reditus: tum sepulcrum; item statua a Mithridate illi posita a Silanione facta. Ciceronis Academia; & Quæstiones Academicæ *illic scriptæ.*

INITIO insalubris locus & desertus plane erat. Porphyrius, *περὶ ἀποχῆς*, *lib.* I. Τὴν Ἀκαδημίαν (ὁ Πλάτων) εἵλετο, οὐ μόνον ἔρημον, καὶ πρὸ τοῦ ἄστεος χωρίον, ἀλλὰ καὶ ὥς φασιν ἐπίνοσον. *Academiam (Plato) delegit, locum ante urbem non solum desertum, verum etiam uti ajunt insalubrem.* Ælianus, *Var. Hist.* lib. IX. c. X. Πλάτων νοσεροῦ χωρίου λεγομένου εἶναι τῆς Ἀκαδημίας, καὶ συμβουλευόντων αὐτῷ ἰατρῶν εἰς τὸ Λύκειον μετοικῆσαι, οὐκ ἠξίωσεν. *Plato, cum insalubris locus Academiæ diceretur, medicique auctores essent, ut transferret domicilium in Lyceum, facere noluit.* Basilius Magnus de *leg. libris Gent.* Διὸ δὴ καὶ Πλάτωνά φασι, τὴν ἐκ σώματος βλάβην προειδόμενον, τὸ νοσῶδες χωρίον τῆς Ἀττικῆς, τὴν Ἀκαδημίαν, καταλαβεῖν ἐξεπίτηδες, ἵνα τὴν ἄγαν εὐπάθειαν τοῦ σώματος, οἷον ἀμπέλου τὴν εἰς τὰ περιττὰ φορὰν, περικόπτῃ. *Ideo & Platonem dicunt, præscientem nocumentum, quod ex corpore, locum Atticæ insalubrem Academiam delegisse; ut nimiam corporis prosperitatem, ceu luxuriantem vitem amputaret.* Quæ totidem verbis hinc transscripsit Simeon Logotheta, *Hom.* XIX. Hieronymus *Adversus Jovinianum* lib. II. *Plato, cum esset dives, & toros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit Academiam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem, ut cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur.* Æneas Gazæus, omisso Academiæ nomine in *Theophrasto*. Ὁ δὲ δὴ Πλάτων, ἔρρωτο γὰρ, νοσῶδες χωρίον καταλαβὼν, ἐνδιέτριβε, τῆς ὑγιείας τὸ πλέον ἀφαιρούμενος, καὶ σωφροσύνην τῆς ῥώμης ἀντικαταλλασσόμενος. *Et sane Plato, quia robustus erat, locum insalubrem deligens, in eo degit; quod valetudinis nimium esset detrahens, ac robur cum temperantia commutans.* Hipparchus Pisistrati filius muro cinxit; quem cum exacto a civibus tributo perquam gravi perfecisset, proverbio dici ceptum, τὸ Ἱππάρχου τειχίον, *Hipparchi murus*. *Suidas*. τὸ Ἱππάρχου τειχίον. Ἵππαρχος ὁ Πεισιστράτου, τὸ περὶ τὴν Ἀκαδημίαν τεῖχος ᾠκοδόμησε, πολλὰ ἀναγκάσας ἀναλῶσαι τοὺς Ἀθηναίους. ὅθεν καὶ ἐπὶ τῶν δαπανηρῶν πραγμάτων ἡ παροιμία εἴρηται. *Hipparchi murus. Hipparchus Pisistrati filius murum, qui Academiam ambit, ædificavit; coactis multa in hanc rem conferre Atheniensibus, unde etiam hoc proverbium dici cœptum de impensæ multæ rebus.* Videnda quoque *Appendix Vaticana* Schotti, *Cent.* II. *Proverb.* XVII. Cimon e loco squallido, & aquæ experte, in melius mutavit; fecitque ut esset nemus irriguum: curriculisque & ambulacris valde insigne. Plutarchus in *ejus Vita*. Ἐκαλλώπισε τὸ ἄστυ. Τὴν μὲν ἀγορὰν πλατάνοις καταφυτεύσας. τὴν δ' Ἀκαδημίαν, ἐξ ἀνύδρου, καὶ αὐχμηρᾶς, κατάρρυτον ἀποδείξας ἄλσος, ἠσκημένον ὑπ' αὐτοῦ δρόμοις καθαροῖς, καὶ συσκίοις περιπάτοις. *Exornavit Urbem; forum quidem platanis illic plantatis; & Academiam e sicca squallidaque nemus efficiens, quod interlueretur aquis, ac curricula pura haberet, & umbrosa ambulacra.* Itaque observare est, laudari hoc nomine apud Auctores. Sic Εὐσκίους δρόμους, *umbrosa curricula*, dicit Eupolis Ἀστρατεύτοις·

Ἐν Εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ.
In umbrosis curriculis Academi dei:

Et *Sylvas Hecademi* dicit Horatius *lib.* II. *epist.* II. v. 45.

Atque inter sylvas Hecademi quærere verum.

Ἀλσῶδες προάστειον nuncupant *Suidas* & *Diogenes Laertius*; δενδροφορωτάτην τῶν προαστείων, *Plutarchus*. Illud quoque hic sciendum, semper ea Lsacedæmonios, etsi sæpe infestis armis irrumpente, abstinuisse, idque in gratiam Academi, qui Aphidnis occultam olim Helenam indicaverat. Plutarchus in *Vita Thesei*: Φράζει δὲ αὐτοῖς Ἀκάδημος, ᾐσθημένος ᾧ δή τινι τρόπῳ, τὴν ἐν Ἀφίδναις κρύψιν αὐτῆς. ὅθεν ἐκείνῳ τε τιμαὶ ζῶντι παρὰ τῶν Τυνδαριδῶν ἐγένοντο, καὶ πολλάκις ὕστερον ἐμβαλόντες εἰς τὴν Ἀττικὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι, καὶ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν χώραν τέμνοντες, τῆς Ἀκαδημίας ἀπείχοντο, διὰ τὸν Ἀκάδημον. *Exponit ipsis Academus nescio quo modo edoctus, Aphidnis eam occultari. Unde & Tyndaridæ ipsi vivo honorem habuerunt, ac sæpe postea irrumpentes in Atticam Lacedæmonii, etsi totam regionem exscindentes, tamen ab Academia abstinuerunt in Academi gratiam.* Sed quod ei ornamentum Cimon dederat, ac reliquerant Spartani, Sylla abstulit, arboresque has excidit. Plutarchus in *ejus Vita*. Τὴν δὲ Ἀκαδημίαν ἔκειρε, δενδροφορωτάτην τῶν προαστείων οὖσαν. *Excidit vero Academiam, quæ ex suburbiis maxime arboribus frequens erat.* Appianus, de *bell. Mithrid.* Ὕλην δὲ τῆς Ἀκαδημίας (ὁ Σύλλας) ἔκοπτε, καὶ μηχανὰς εἰργάζετο μεγίστας. *Sylvam vero Academiæ (Sylla) exscindebat, machinasque inde maximas faciebat.* Reverenter autem adeo olim philosophi habuerunt, ut ridere nefas hic existimarent. Ælianus, *Var. Hist.* lib. III. cap. XXXV. Λόγος δέ τις διαρρεῖ καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὃς λέγει· πρότερον ἐν Ἀκαδημίᾳ μηδὲ γελάσαι ἐξουσίαν εἶναι, ὕβρει γὰρ καὶ ῥαθυμίᾳ, ἐπειρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φυλαχθῆναι. *Sermo quoque ille Atticus ore omnium circumfertur, qui dicit; prius ne ridere quidem in Academia licuisse; quippe locum ab injuria, & socordia, uti liberum conservarent, operam dabant.* Aliquando venum ivit tribus millibus drachmarum. Plutarchus *lib.* de Exilio. Ἡ δ' Ἀκαδημία, τρισχιλίων δραχμῶν χωρίδιον ἐωνημένον, οἰκητήριον ἦν Πλάτωνος. *Academia vero tribus millibus drachmarum emptus agellus, Platonis habitaculum erat.* Ubi illud item vides, Platonem illic habitasse; quod & in citatis paullo ante *Porphyrii*, *Æliani*, *Basilii Magni*, *Hieronymi*, ac *Diogenis Laertii* verbis observare licet; pertinetque item Isidori iste locus *Orig.* lib. VIII. cap. VI. *Academici appellati a Platonis villa, Academia Athenarum, ubi idem Plato docebat.* Giselbertus in *Altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ* cap. I. *Plato post mortem Socratis magistri sui amore sapientiæ Ægyptum adiit; ibique perceptis liberalibus studiis Athenas rediit: & apud Academiam, villam suam, coadunatis discipulis, studiis operam dedit.* Et quidem in horto: cujus reditus vix initio trium aureorum erat, postea vero, variorum beneficio, amplius mille. *Suidas*. Πλάτων ὁ Φιλόσοφος πένης ἦν, καὶ μόνον τὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐκέκτητο κῆπον, ὃς μέρος ἐλάχιστον ἦν τῶν διαδοχικῶν. ὁ μὲν γὰρ κῆπος ἐγγύς τι χρυσῶν τριῶν νομισμάτων ἀπεδίδου. ἡ δὲ ὅλη πρόσοδος ὕστερον, χιλίων, ἢ καὶ πλειόνων. ηὐξήθη δὲ αὕτη κατὰ τοὺς νεωτέρους χρόνους ἀνθρώπων ἱερῶν τε καὶ Φιλολόγων ἄλλοτε ἄλλων ἀποθνησκόντων, καὶ κατὰ διαθήκην ἀπολειπόντων τοῖς φιλοσοφοῦσιν ἀφορμὴν τῆς ἐπὶ τῷ φιλοσόφῳ βίῳ σχολῆς, καὶ γαλήνης. *Plato Philosophus pauper erat, & solum possedit in Academia hortum, qui fuit minima pars illius successorum. Nam hic*

A *quidem hortus aureos fere tres reddebat; postea vero, mille & plures. Auctus autem reditus fuit temporibus posterioribus, cum homines sancti & philosophi alias alii, morientes testamento relinquerent philosophiæ studia tractantibus facultates, ad vitæ philosophicæ otium & tranquillitatem.* Ac sepultus etiam illic, uti supra a me ostensum. Quin ibidem ejusdem statua, a Mithridate dedicata. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. III. cap. XXV. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων Φαβωρίνου φέρεται, ὅτι Μιθριδάτης ὁ Πέρσης ἀνδριάντα Πλάτωνος ἀνέθετο εἰς τὴν Ἀκαδημίαν, καὶ ἐπέγραψε· Μιθριδάτης ὁ Ῥοδοβάτου Πέρσης Μούσαις εἰκόνα ἀνέθηκε Πλάτωνος, ἣν Σιλανίων ἐποίησε. B *In primo Historiarum Phavorini libro fertur, statuam Platoni a Mithridate Persa collocatam in Academia, cum inscriptione ista; Mithridates Rhodobatæ Persa dedicavit Musis statuam Platonis, quam Silanion fecit.* Denique illud addere libet, Ciceronem villam suam hujus nomine *Academiam* appellasse; in qua libros *Quæstionum Academicarum* scripsit, qui nunc exstant. Hac de re est Plinii locus *lib.* XXXI. *cap.* II. *Digna memoratu villa est, ab Averno lacu tendentibus, imposita littori, celebrata porticu ac nemore; quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus.* Et Hadrianus Imp. in villa sua Tiburtina locum quendam eodem modo nuncupavit. Spartianus in *ejus Vita*, cap. XXVI. *Tiburtinam villam mire exædificavit; ita ut in ea provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum.*

FINIS.



JOANNIS MEURSII
REGNUM ATTICUM.
SIVE,
DE REGIBUS ATHENIENSIUM,
EORUMQUE REBUS GESTIS.
LIBRI III.

VIRO GENEROSO,

PALÆMONI ROSEKRANTSIO,

KRENKERUPII DOMINO,

ARCIS NICOPIENSIS

PRÆFECTO REGIO,

LITERATORUM PATRONO,

OBSERVANTIÆ MAXIMÆ

MONUMENTUM QUALECUNQUE

DICABAM

JOANNES MEURSIUS,

SORÆ DANORUM,

AD DIEM VII. AUGUSTI,

CIↃ IↃC XXXII.

JOANNIS MEURSII
REGNUM ATTICUM.
SIVE,
DE REGIBUS ATHENIENSIUM,
EORUMQUE REBUS GESTIS.
LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Ogyges, sive Ogygus, primus regum. Filius Neptuni & Alistræ; vel, ut alii volunt, Termeræ: vel, Bœoti. Initio regnabat Thebis, quas & condidisse fertur, unde eæ etiam Ogygiæ dictæ: ut Bœotia item tota, atque urbis porta, Ogygia.



EX Atheniensium regibus primus omnium fertur Ogyges; sive, Ogygus: nam utroque modo scribitur apud Auctores. Eusebius, *Chron.* lib. I. πρῶτος παρ' Ἀθηναίοις (βασιλεὺς) μνημονεύεται Ὤγυγος. *Primus apud Athenienses (rex) memoratur Ogygus.* Etymologici Auctor. Ὤγυγος, ἀρχαῖος βασιλεὺς Ἀθηναίων. *Ogygus, antiquus rex Atheniensium.* Erat vero Neptuni filius, & Alistræ. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*. Ὁ δὲ Ὤγυγος, υἱὸς ἦν Ποσειδῶνος, καὶ Ἀλίστρας. *Ogygus vero, filius Neptuni erat, & Alistræ.* Stephanus, filium Termeræ dicit. Ὠγυγία λέγεται καὶ ἡ Βοιωτία, καὶ ἡ Θήβη· ἀπὸ Ὠγύγου, υἱοῦ Τερμέρας. *Ogygia dicitur etiam Bœotia, & Thebe: ab Ogygo, Termeræ filio.* Scholiastes Apollonii, ex Corinna, filium Bœoti tradit, *lib.* III. Ὠγυγίους δὲ τὰς Θήβας, ἀπὸ Ὠγύγου, τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν. Κόριννα δὲ, τὸν Ὤγυγον Βοιωτοῦ υἱὸν εἶπεν. *Ogygias autem Thebas, ab earum rege Ogygo. Corinna vero tradit, Ogygum Bœoti filium esse.* Ac initio ille quidem regnum Thebanorum tenuit. Vides in citatis verbis Scholiastæ *Apollonii*: aliique item docent. Servius, ad *Eclog.* VI. *Quo tempore Saturnus regnavit in terris, non fuit diluvium: sed sub Ogyge, rege Thebanorum.* Lutatius, ad Statii *Theb.* I. *Ogyges, ut Varro dicit, in libris De Vita populi Romani, rex fuit Thebanorum.* Quin & ipse Thebas condidit. Varro *De R. R.* lib. III. cap. I. *Vetustissimum oppidum cum sit traditum Græcum, Bœotiæ Thebæ, quod rex Ogyges ædificarit.* Festus. *Ogygia mœnia Attius in Diomede appellans, significat Thebas: quia eam urbem Ogygus condidisse traditur.* Itaque Poetis Thebæ, ab hoc rege, & conditore, Ogygiæ cognominantur: quod Pausanias etiam dicit, in *Bœoticis*. Γῆν δὲ τὴν Θηβαΐδα, οἰκῆσαι πρῶτον λέγουσιν τοὺς Ἑκτῆνας· βασιλέα δὲ εἶναι τῶν Ἑκτήνων ἄνδρα αὐτόχθονα, Ὤγυγον· καὶ ἀπὸ τούτου τοῖς πολλοῖς τῶν ποιητῶν ἐπίκλησις ἐς τὰς Θήβας ἐστὶν, Ὠγυγίαι. *Terram vero Thebanam, prius habitasse ferunt Ectenas; atque eorum regem fuisse virum indigenam, Ogygum: a quo multi poetarum Thebas cognomento Ogygias dicunt.* Immo

A *Bœotia* universa Ogygia dicta: teste Strabone, *lib.* IX. Ἡνίκα τῆς Βοιωτίας ὑπῆρξε, καλουμένης τότε Ὠγυγίας. *Cum Bœotiæ præesset, tunc Ogygiæ appellatæ.* Sed de Thebis, porro etiam videamus: & Poetas in hanc rem nunc producamus. Æschylus, *Persis*, v. 35. &c.

Ὁ, τε τῆς ἱερᾶς Μέμφιδος ἄρχων,
Μέγας Ἀρσάμης, τάς τ' Ὠγυγίας
Θήβας ἐφέπων Ἀριόμαρδος.
Et sacræ Memphidos princeps,
Magnus Arsames: & Ogygias
Thebas incolens Ariomardus.

Apollonius, *Argonautic.* lib. III.

—— ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ
B Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανε,
Πέφνεν. ——
—— *quem Ogygiis Thebis*
Cadmus, cum Europam quærens accessisset,
Interfecit. ——

Ad quem locum *Scholiastes*: Ὠγυγίας δὲ Θήβας, ἀπὸ Ὠγύγου, τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν. *Ogygias vero Thebas, ab Ogygo. earum rege.* Sophocles, *Oed. Col.*

—— Θήβας δ' ἡμᾶς
Τὰς Ὠγυγίους πέμψον. ——
—— *Thebas vero nos*
Ogygias mitte. ——

C Cornelius Severus, in *Ætna*.

Nunc juvat Ogygiis circumdata mœnia Thebis
Cernere. ——

Et Thebani quoque Ogygii appellantur, apud Statium, *Theb.* l. I. v. 173. 174.

—— *hanc ne Ogygiis, ait, aspera rebus*
Fata referre vicem? ——

Et *lib.* V. *v.* 348. 349.

—— *Ogygii jussis quando omnis anhelat*
Terra dei. ——

Ac rursum *lib.* VII.

—— *Ogygia sat erit Tritonia bello.*

Lucanus, *lib.* I. *v.* 675.

D *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.*

Quin & urbis porta quædam, Ogygia appellabatur. Pausanias, in *Bœoticis*, ubi Thebarum portas refert. Τὰς δὲ ἐπὶ ταύταις πύλας, ὀνομάζουσιν Ὠγυγίας. *Præter eas portas, est quæ Ogygia nominatur.* Lutatius ad *Statii Theb.* VII. *Una (Thebarum) porta ex septem, Ogygia nuncupatur.* Euripides, *Phœnissis*,

Ὠγύγια δ' εἰς πυλώμαθ' Ἱππομέδων ἄναξ
Ἔστηκ'. ——
Ogygiam vero ad portam Hippomedon rex
Stetit. ——

Meminere item, Apollodorus, *lib.* III. *Etymolo-*

gici Auctor; Hypinus, *Fab.* LXIX. Scholiastes Apollonii, *lib.* III.

CAP. II.

Etiam antiqua omnia, item magna, Ogygia dicta: idque primum a Thebanis, inde ceteris etiam Græcis. Hesiodi locus explicatus. Styx, deorum magnum juramentum: atque id obiter indicatum. In Nicetæ quoque loco explicando, error viri docti ostensus: quod in Pindaro item factum, quem interpretes non ceperunt. Scholiastæ Hesiodi hallucinatio. Ogenius etiam, & Ogenides, pro antiquo. Ogenus, Ogen, idem qui Oceanus.

TUM antiqua quoque cuncta, Ogygia dicta. *Hesychius.* Ὠγύγια, ἀρχαῖα. *Ogygia, antiqua.* Iterum. Ὠγυγίου, παλαιοῦ, ἀρχαίου. *Ogygii, antiqui, veteris.* Eodem modo interpretantur, *Etymologici Auctor*, *Suidas*, Eustathius *ad Dionysium*, & *Homeri Odyss.* lib. I. Et sic utitur Dionysius Alexandrinus, in *sua Periegesi*, *v.* 417.

Ἧχι καὶ Ὠγύγιος μηκύνεται ὕδασι Λάδων.
Ubi etiam antiquus porrigitur aquis Ladon.

Item, *v.* 523.

—— Ὠγυγίη Θάσος, Δημήτερος ἀκτή.
—— *antiqua Thasus, Cereris sedes.*

Nicander in *Theriacis.*

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται.
Vetus autem fabula inter juvenes fertur.

Ad quem locum *Scholiastes*: Ὠγύγιος, ἀπὸ Ὠγύγου τινός· ὅς ἐστιν ἀρχαῖος, καὶ παλαιός. *Ogygius, vetus, ab Ogygo quodam: qui est antiquus, & vetus.* Philo Judæus, de *sacrificio Abelis, & Caini.* Παλαιαῖς, καὶ ὠγυγίαις, ἐντρέφεσθαι δόξαις. *Antiquis, & vetustis, opinionibus innutriri.* Et, Φάτις ὠγυγίη, *Fama antiqua*: apud Gregorium Nazianzenum, in *Carminibus.* Initium id autem sumpsit a Thebanis: & ab his in ceteros Græcos dictum illud dimanavit. Observo apud Lutatium, ad *Theb.* lib. I. *Thebani antiquas res Ogygias nominabant.* Atque, uti, ab antiquitate ejus, vetera quæcunque Ogygia appellabant; ita quoque, a potentiæ illo tempore magnitudine, magna omnia. *Hesychius.* Ὠγυγίου, παλαιοῦ, ἀρχαίου, μεγάλου πάνυ, *Ogygii, antiqui, veteris, magni admodum.* Suidas. Ὠγύγιον, ἀρχαῖον, παλαιὸν, ἢ ὑπερμέγεθες. *Ogygium. vetus, antiquum, aut prægrande.* Atque sic interpretor apud Hesiodum, in *Theogonia*, *v.* 805. 806.

Τοῖον ἄρ' ὅρκον ἔθεντο θεοὶ Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ
Ὠγύγιον. ——
Tale itaque juramentum posuere dii Stygis perennem aquam
Magnum. ——

Ita enim malim eo loco accipere; & Ὠγύγιον, referre ad ὅρκον: quam ad Στυγὸς ὕδωρ. nam Veteres deorum magnum jusjurandum dicebant Stygem. Ipse ille, in *Theogonia* eadem, ubi loquitur de Styge, *v.* 400.

Αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.
Ipsam enim statuit deorum magnum esse juramentum.

Vide quæ in hanc rem plura ante hos triginta annos ad *Lycophronem* annotavi. Ac pro magno, utitur quoque ea voce Philo, eo libro, quem inscripsit, *Quod Deus sit immutabilis.* Ἀστείους μὲν λόγους, ἐπαινετὰς δὲ πράξεις, ὠγύγιος εὐήθεια παρέρχεσθαι. *Sermones quidem civiles, ac laudabiles actiones, præterire, ingens vecordia est.* Nicetas Choniates, *De imperio Isacii Angelii*, lib. I. ubi de urbe Pristhlaba agit, quæ potissimam Hæmi partem magnitudine sua occupabat. Πόλις δ' αὕτη ὠγυγία, ἐκ πλίνθου πᾶσα ὀπτῆς, καὶ πλείστην ὅσην ἐπὶ τοῦ Αἵμου τὴν περίμετρον ἔχουσα. *Urbs ea ingens est, tota lateritia, & maximum Hæmi spatium complexa.* Non recte interpres eruditus, *Urbs ea Ogygia est.* Quasi ea antea Ogygia fuisset dicta. Pindarus, *Nemeonis* Od. VI. v. 73. 74.

—— Φλιοῦντος ὑπ' ὠγυγίοις ὄρεσιν. ——
—— *Phliuntis sub magnis montibus.*

Ita enim etiam hic interpretandum esse censeo; non, *vetustis*: uti *Scholiastes Græcus*, & cum eo Interpretes recentiores universi, *Lonicerus*, *Portus*, *Schmidius.* Quippe montes apud Auctores non a vetustate solent, sed a magnitudine sua, prædicari. Sic Ὠγύγια etiam κακὰ, potius, *Ingentia mala*: quam *Antiqua*, exposuerim: contra *Suidam*, & *Appendicis Vaticanæ Proverbiorum* ignotum Auctorem. Et Ὠγύγιον item ἄνθρωπον, Heliodorus *hominem staturæ ingentis* appellavit. Neque possum tacitus hic præterire, quod Hesiodi *Scholiastes* nobis dicit, ad citatam paullo ante *Theogoniam*, Ogygum deorum regem exstitisse: atque inde magna *quoque* Ogygia dici: Ὠγύγιον, τὸ παλαιὸν ἀπὸ Ὠγύγου, τοῦ βασιλεύσαντος πρῶτον τῶν θεῶν· δύναται δὲ ἐκ τούτου καὶ ἐπὶ τοῦ μεγάλου τάττεσθαι. *Ogygium, antiquum; ab Ogygo, qui primum rex deorum fuit: potestque inde etiam pro magno poni.* Certe, aut legendum hic, τοῦ βασιλεύσαντος πρώτου τῶν Θηβῶν· *qui primum rex Thebarum fuit*: aut memoria lapsus *Scholiastes* fuerit; qui, Ogenum cum in animo haberet, Ogygum dixit. Nam Ogenum veterem deum, sunt qui tradant; unde Ὠγενίδης, *Vetus*, & Ὠγένιος. Stephanus. Ὤγενος, ἀρχαῖος θεός· ὅθεν Ὠγενίδαι, καὶ Ὠγένιοι, ἀρχαῖοι. *Ogenus, deus antiquus: unde Ogenidæ, & Ogenii, antiqui.* Suidas Ὠγενίδαι, ἀρχαῖοι. *Ogenidæ, antiqui.* Est vero Ogenus, sive Ogen, idem qui Oceanus aliis nuncupatur; Cæli, & Telluris, filius: ut Mythologi veteres tradunt. Qui cum inter antiquissimos deorum censeatur, non immerito, quæ antiqua, Ogenia dicta. Accipio ex doctissimi Grammaticorum Hesychii *Glossis*: quæ sic habent Ὠγενίδαι, Ὠκεανίδαι· Ὠγὴν γὰρ, Ὠκεανός. *Ogenidæ, Oceanidæ: Ogen est Oceanus.* Iterum. Ὠγένιον, παλαιόν· καὶ, ὄρος τι· Ὠγὴν, Ὠκεανός. *Ogenium, vetus; & mons quidam. Ogen, Oceanus.* Et hoc obiter indicandum existimavi.

CAP. III.

Ut Ægyptus, Bœotia, Lycia, ita Attica appellata est Ogygia: ante Acte nominata, duplicem ob rationem. Theophili locus varie interpolatus: & lacuna in eodem indicata. Marianus quoque Scotus emendatur: ut & Isaacius Tzetzes, ac Valerius Flaccus.

PORRO ab Ogygo etiam Attica dicta Ogygia. Stephanus, *in* Ὠγυγία. Ἐλέγετο καὶ ἡ Ἀττικὴ πᾶσα Ὠγυγία· ὡς Χάραξ φησὶν, ἐν τοῖς Χρονικοῖς. *Dicebatur etiam Attica tota Ogygia: ut Charax ait, in Chronicis.* Etiam Ægyptus, Bœotia, & Lycia. Videatur idem Stephanus, *in* Αἴγυπτος, Βοιωτία, & Ὠγυγία. Prius vero, quam ab hoc Ogygia ea diceretur, Acte appellata fuit. *Eusebius.* Ὤγυγος ἐν Ἀκτῇ, τῇ νῦν Ἀττικῇ, ἐβασιλεύσατο. *Ogygus in Acta, quæ nunc Attica est, regnavit.* Insignis est Theophili in hanc rem locus, sed insigniter corruptus, ad *Autolycum* libro III. Καὶ γὰρ Βήλου, τοῦ Ἀσσυρίων βασιλεύσαντος, καὶ Κρόνου τοῦ Τιτᾶνος, Θάλλος μέμνηται· φάσκων, τὸν Βῆλον πεπολεμηκέναι σὺν τοῖς Τιτᾶσι πρὸς τὸν Δία, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ θεοὺς λεγομένους, ἔνθα, φησὶ, καὶ ὁ Γύγος ἡττηθεὶς ἔφυγεν εἰς Ταρτησσόν· τότε μὲν τῆς χώρας ἐκείνης Ἀκτῆς κληθείσης, νῦν δὲ Ἀττικῆς προσαγορευομένης, ἧς ὁ Γύγος τότε ἦρξε.

A *Etenim Beli, Assyriorum regis, & Saturni Titanis, meminit Thallus; dicens, bellum gessisse cum Titanibus contra Jovem, ac juvantes ipsum deos, quos vocabant. Ubi, ait, victus Gygus fuga petiit Tartessum; cum tunc Acte ea regio, quæ nunc Attica, diceretur, atque illic regnum Gygus obtineret.* In quibus verbis plura nobis expendenda. Etenim primum, pro Γύγος, ibi est scribendum Γύγης. Ita est apud Hesiodum, in *Theogonia*; Horatium, *lib.* II. *Od.* XVII. & *lib.* III. *Od.* IV. Etymologici Auctorem, *in* Τετροπάτορες; Scholiasten Hesiodi, in *citatam Theogoniam*; & Apollonii, *lib.* I. tum Palæphatum, *de Incredib. Hist.* Videantque viri docti,
B an ex tot Auctorum locis unus potius emendari debeat *Apollodorus*, apud quem hic Γύας dicitur, quod non recte sane statuunt: anne vero tot Auctores ex Apollodoro solo? Verum hoc non magnæ rei est: ac nunc alia persequamur: Pro ἐπτηθεὶς, scribo ἡττηθεὶς. Sed Tartessum, Hispaniæ urbem, apud quam Titanum pugnam accidisse tradit etiam Justinus, *lib.* XLIV. quis Auctorum antiquorum unquam in Attica memoravit? Certe, si quid ego judico, neque hoc *Theophilus* dixit, Scriptor eruditione tam insigni; quin existimo, mutilatum esse locum, & narrationem illic aliam quandam excidisse: itaque defectus notas asteriscos sic appono. καὶ ὁ Γύγης
C ἡττηθεὶς, ἔφυγεν εἰς Ταρτησσόν. ***. τότε μὲν τῆς χώρας ἐκείνης Ἀκτῆς κληθείσης. *Et victus Gyges fuga petiit Tartessum.* ***. *cum tunc Acte ea regio diceretur.* Sequebatur, præter alia, de temporibus, quæ Titanum consequuta pugnam erant, regionum, urbiumque appellationes quædam, unde hæ deductæ essent: quod apparet ex *sequentibus statim verbis*. Καὶ τὰς λοιπὰς δὲ χώρας, καὶ πόλεις, ἀφ' ὧν τὰς προσωνυμίας ἔχον, οὐκ ἀναγκαῖον ἡγούμεθα καταλέγειν, μάλιστα πρὸς σὲ, τὸν ἐπιστάμενον τὰς ἱστορίας. *Ac reliquas quidem regiones, atque urbes, unde nomen suum acceperint, equidem non necessarium esse puto recensere: tibi maxime, qui historiarum gna-*
D *rus.* Itaque lacuna est, & non exigua. Denique postrema verba sic emendo. ἧς Ὠγυγος τότε ἦρξε. *atque ibi regnum Ogygus obtineret.* Nam, ut clare satis ostendam, Attica sub rege Ogygo, & non Gygo, cujus nominis inter reges Athenienses nullus fuit, Acte dicta: & Ogygiam ille a se appellavit. Porro, Atticam primitus Acten appellatam, testis nobis etiam Apollodorus, ubi de Ogygi successore, Cecrope I. verba facit. Καὶ τὴν γῆν, πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν, ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασεν. *Ac terram, antea Acten dictam, Cecropiam a suo nomine appellavit.* Menander Rhetor, *cap.* Πῶς δεῖ ἀπὸ γένους πόλιν ἐγκωμιάζειν. Τὴν γὰρ αὐτὴν πόλιν,
E ἢ χώραν, ποτὲ μὲν Καρθμίαν, ποτὲ δὲ Κεκροπίαν, ποτὲ δὲ Ἀκτὴν, ποτὲ δὲ Ἀττικὴν, ποτὲ δὲ Ἀθήνας κεκλήκασι. *Eandem enim urbem, aut regionem, aliquando Carthmiam, aliquando Cecropiam, aliquando Acten, aliquando Atticam, aliquando vero Athenas nominarunt.* Freculphus, *Chron.* Tom. I. l. II. c. VII. *Cecrops, qui & Διφυὴς, in Acta, quæ nunc Attica vocatur, regnavit.* Plinius, *l.* IV. *c.* VII. *Ab Isthmi angustiis Hellas incipit, nostris Græcia appellata. In ea prima Attica, antiquitus Acte vocata.* Videndus etiam Solinus, *cap.* XIII. Emen-
F dandus Mariani Scoti locus, *Chronic. lib.* I. *Ogygus in Attica Eleusinem condidit, quæ antiquitus vocabatur Acte.* Non recte vulgatur hodie: *quæ antiquitus vocabatur Atte.* Rationem ejus nominis reddit Strabo, in descriptione Atticæ; quia littoralis esset maximam partem, atque ad mare adjaceret: quippe littus, uti notum, Græcis Ἀκτὴ appellatur. Verba Strabonis ita habent, *lib.* IX. Καὶ Ἀκτὴν φασὶ λεχθῆναι τὸ παλαιὸν, τὴν νῦν Ἀττικὴν παρωνυμαθεῖσαν· ὅτι τοῖς ὄρεσιν ὑποπέπτωκε τὸ πλεῖστον μέρος αὐτῆς, ἀλιτενές. *Et Acten ajunt olim dictam, quæ nunc Attica nominatur, quia montibus pars illius multo maxima, juxta mare se extendens.* Stephanus, *in* Ἀκτὴ nominis eandem causam ex Apollodoro ponit: aliamque item addit, nempe ab Actæo rege. Vide illic, si est tanti. Sane antiquo Actes nomine vocat eam Lycophron noster, in *Cassandra*, versu III.

Ἀκτῆς, διμόρφου γηγενοῦς σκηπτουχίας.
Actes, quæ biformis terrigenæ regnum est.

Ubi *Isaacius Tzetzes.* Ἀκτὴ λέγεται αἱ Ἀθῆναι, ὅτι Ἀκτεὺς αὐτῆς ἐβασίλευσεν. ἢ, ὅτι ἀκτή ἐστι, τουτέστι προβεβλημένη, καὶ κειμένη τὸ πλεῖστον μέρος εἰς θάλασσαν. *Acte dicitur urbs Athenarum, quia ibi regnavit Acteus: vel, quod littus sit, sive projecta assitaque majorem partem ad mare.* Sed scribendum; ὅτι Ἀκταῖος αὐτῆς ἐβασίλευσεν. *quod Actæus ibi regnavit.* Nam Actæus, & non Acteus, ille rex appellabatur: ut sequenti capite dicam. Ac postea Actæonem dicit, in citandis statim verbis. Atque a vocabulo Actes, Attici apud Poetas sæpe Actæi nominantur. Ovidius, *Metamorp.* lib. I.

Separat Ionios Actæis Phocis ab arvis.

Statius, *Sylv.* IV. *Carm.* VIII. *v.* 50. 51.

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

Claudianus, *de raptu Proserpinæ*, lib. III. v. 54.

Et juga cærulei subeunt Actæa dracones.

Ac corrigendus Valerius Flaccus, *Argonaut.* lib. I. v. 394.

Proximus huic Butes Actæis dives ab oris.

Male editur: *Attæis dives ab oris.* Lycophron, in *Cassandra*, v. 303. 304.

——— ἣ μόνη ζυγὸν
Δούλειον ἀμφήρεισαν Ἀκταίων λύκοι.
——— *cui soli jugum*
Servile imposuerunt Actæorum lupi.

Ubi *Isaacius.* Ἀκταίων λύκοι. οἱ τῶν Ἀθηνῶν ἅρπαγες, καὶ πορθηταί. λέγει δὲ τοὺς Διοσκούρους. Ἀκτὴ δὲ ἐκαλεῖτο, ἢ ἀπὸ Ἀκταίωνος βασιλέως, ἢ, ὅτι πλεῖστον μέρος τῆς Ἀττικῆς ἀκτή, ἤτοι παραθαλάσσιόν ἐστι. *Actæorum lupi. Athenarum prædones, ac vastatores. intelligit autem Dioscuros. Acte vero Attica appellabatur, ab Actæone rege: vel, quod potissima Atticæ pars sit littus sive mari adjacens.*

CAP. IV.

Minervæ ad Tritonium lacum apparitio: eaque de re variæ Veterum sententiæ indicatæ. Triton, Minervæ educator; aut, ut alii, Alalcomenes: sive & Alalcomenia, Ogygi filia.

EJUS tempore Minerva conspecta fuit, ad lacum Tritonidem. Augustinus, *de Civit. Dei*, lib. XVIII. cap. VIII. *Minerva vero, longe his antiquior. Nam temporibus Ogygi ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuisse ætate.* Eusebius, *in Chron. Can.* Ὠγυγος ἐν Ἀκτῇ, τῇ νῦν Ἀττικῇ, ἐβασίλευσεν. ὅτε παρθένος, φανεῖσα παρὰ τῇ Τριτωνίδι λίμνῃ, Ἀθηνᾶ παρ' Ἕλλησιν ὠνομάσθη. *Ogygus, in Acta, quæ nunc Attica, regnavit: cum virgo; quæ ad lacum Tritonidem apparuit, Minerva a Græcis appellata est.* Hieronymus: *Cujus (Ogygi) temporibus apud lacum Tritonidem virgo apparuit, quam Græci Minervam nuncuparunt.* Otho Frisingensis, *lib.* I. *cap.* XIII. *Minerva tunc* (agit de tempore hujus Ogygi,) *ad lacum Tritonis in virginali ætate apparuisse dicitur, unde Tritonia vocatur.* Petrus Trecensis, *cognomento* Comestor dictus, *Hist. Schol.* lib. I. cap. LXXVI. de eodem tempore loquens. *Tunc etiam apud lacum Tritonidem virgo apparuit, quam Græci Minervam dixerunt.* Idem tradunt Ivo, in *Chronico*; Marianus

Scotus, *lib.* I. Abbas Urspergensis, in *Chronico*; & Gotfridus Viterbiensis, *Chronici* Parte IV. Nempe hoc ipsum est, quod Minervam ibi natam, & educatam, alii tradunt. Atque, ut de Tritone omnes idem dicunt, sic dissentiunt de loco: & sunt, qui adscribant Libyæ. In his Lucanus, *lib.* IX. v. 47. &c.

Torpentem Tritonis adit illæsa paludem.
Hanc, ut fama, deus, quem toto littore pontus
Audit, ventosa perflantem littora concha,
Hanc & Pallas amat: patrio quæ vertice nata,
Terrarum primam Libyen (nam proxima cælo est,
Ut probat ipse calor,) tetigit: stagnique quieta,
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.

Scholiastes Pindari, *Pyth.* Od. IV. Τρίτων, ποταμὸς Λιβύης, ἐν ᾧ ἡ Ἀθηνᾶ ἐγεννήθη. ἀφ' ἧ καὶ Τριτογένεια ὀνομάζεται. *Triton, fluvius Libyæ, in quo nata est Minerva; unde & Tritogenia appellatur.* Et Apollonii, *lib.* I. Τρίτωνες τρεῖς, Βοιωτίας, Θεσσαλίας, Λιβύης. ἐν δὲ τῷ κατὰ Λιβύην, ἐτέχθη ἡ Ἀθηνᾶ. *Tritones tres sunt; Bœotiæ, Thessaliæ, Libyæ: in Libyæ vero, nata est Minerva.* Ac, in Libya natam Minervam, etiam est observare apud Herodotum, *lib.* IV. De Bœotia, tradit Pausanias in *Bœoticis.* Ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς ἐνταῦθα ἐ μέγας χείμαρρος. ὀνομάζουσι δὲ Τρίτωνα αὐτὸν, ὅτι τὴν Ἀθηνᾶν τραφῆναι παρὰ ποταμῷ Τρίτωνι ἔχει λόγος. ὡς δὴ τοῦτον τὸν Τρίτωνα ὄντα, καὶ οὐχὶ τὸν Λιβύων. *Hac torrens præterlabitur non magnus, quem Tritonem vocant, quod Minervam ad Tritonem amnem educatam vulgo proditum est: quasi hic ille Triton sit, non Libyum.* Utramque hanc sententiam ponit Scholiastes Apollonii, *lib.* IV. Τρίτων, πόλις Λιβύης. ἔστι δὲ καὶ Βοιωτίας. δοκεῖ δὲ ἡ Ἀθηνᾶ παρὰ θατέρῳ αὐτῶν γεγενῆσθαι. ἀφ' ἧ καὶ Τριτογένεια λέγεται. *Triton, urbs Libyæ. est autem & Bœotiæ. ac videtur Minerva apud alterutram nata esse: unde etiam Tritogenia nominatur.* Verum etiam, præter Libyas, ac Bœotos, incunabula hujus deæ Arcades sibi vendicabant; apud Alipherenses eam natam esse memorantes. Pausanias, in *Arcadicis.* Ἀλιφηρεῦσι δὲ τὸ μὲν ὄνομα τῇ πόλει γέγονεν ἀπὸ Ἀλιφήρου, Λυκάονος παιδός. ἱερὰ δὲ Ἀσκληπιοῦ τέ ἐστι καὶ Ἀθηνᾶς. ἣν θεῶν σέβονται μάλιστα. γενέσθαι, καὶ τραφῆναι, παρὰ σφίσιν αὐτὴν λέγοντες. καὶ Διός τε ἱδρύσαντο Λεχεάτου βωμὸν, ἅτε ἐνταῦθα τὴν Ἀθηνᾶν τεκόντος. καὶ κρήνην καλοῦσι Τριτωνίδα, τὸν ἐπὶ τῷ ποταμῷ Τρίτωνι οἰκειώμενοι λόγον. *Alipherensium vero urbi nomen datum ab Aliphero, Lycaonis filio. Fana vero illis sunt, Æsculapii, & Minervæ: quam e diis maxime colunt; natam eam apud se, & educatam, prædicantes. quin & Jovis Lecheatæ aram ibi dedicarunt, quod Minervam illic loci peperisset. Fontem item Tritonidem vocant: sibi ea vendicantes, quæ de fluvio Tritone memorantur.* Simplicissime omnium Apollodorus, *lib.* I. Ὡς δὲ ὁ τῆς γενέσεως ἐνέστη χρόνος, πλήξαντος αὐτοῦ (τοῦ Διὸς) τὴν κεφαλὴν πελέκει Προμηθέως, ἢ, καθάπερ ἄλλοι λέγουσι, καὶ τοῦ Ἡφαίστου, ἐκ κορυφῆς ἐπὶ ποταμοῦ Τρίτωνος Ἀθηνᾶ σὺν ὅπλοις ἀνέθορε. *Cum instaret vero tempus nativitatis, & Prometheus, vel Vulcanus, sicut alii sunt auctores, caput ejus (Jovis) securi percussisset, ex ejus vertice juxta fluvium Tritonem Pallas armata exilivit.* Alii, Tritonem etiam virum faciunt, cui filia erat Pallas. Ecce tibi apud eundem Apollodorum, *lib.* III. Φασὶ γεννηθεῖσαν τὴν Ἀθηνᾶν, παρὰ Τρίτωνος τραφῆναι, ᾧ θυγάτηρ ἦν Παλλάς. *Ajunt, natam esse Minervam & educatam apud Tritonem, cui filia Pallas erat.* Quidam & nutricem illic deæ tradunt unam filiarum Ogygi, nomine Alalcomeniam: quanquam alii virum indigenam, Alalcomenem, educasse eam ferant. Pausanias, *Bœoticis.* Ἀλαλκομεναὶ δὲ, κώμη μὲν ἐστιν ἐ μεγάλη. γενέσθαι δὲ αὐτῇ τὸ ὄνομα μὲν ἀπὸ Ἀλαλκομένους, ἀνδρὸς αὐτόχθονος. ὑπὸ τούτου δὲ, Ἀθηνᾶν τραφῆναι λέγουσιν. οἱ δὲ, εἶναι καὶ τὴν Ἀλαλκομενίαν τῶν Ὠγύγου θυγατέρων φασίν. *Alalcomenæ vero, vicus est non magnus, loco nomen datum ferunt ab Alalcomene, viro indigena, a quo fuerit Minerva educata. alii vero, Alalcomeniam, unam filiarum Ogygi, esse dicunt.*

C A P. V.

Condit Eleusinem, & alias urbs; etsi quidam Eleusinem innovasse tantum tradant: quæ ab Eleusine dicta, sicuti nonnulli volunt, ejus filio. Ejus temporibus Moses fuit; & diluvium, quod Ogygium appellatum: e quo sospes ipse evasit, quamquam alii periisse eo tradant, anno regni tricesimo secundo. Uxor illi Thebe fuit; Jovis, & Jodamæ, filia: filii Cadmus, & Eleusis: filiæ vero, Alalcomenia, Thelxinea, Aulis; quæ vocatæ Πραξιδίκαι*: unaque earum, nupta Tremilo. Earum templum, apud Haliartios: & in eo jusjurandum. Eximie vero* Πραξιδίκη *dicta Alalcomenia, Minervæ nutrix; finem dictis, atque factis imponere credita: cui ideo signum positum a Menelao, capta Troja, domum reduce. Simulacra illi dedicata, quæ haberent tantum caput: & capita item victimarum immolata. Hesychii locus emendatus. Ejus quoque sacra. Ogygus etiam quidam alius, rex postremus Achæorum.*

CONDIDIT quoque Eleusinem, aliasque urbes quasdam. Hieronymus, in *Eusebiano Chronico*, lib. II. *Ogyges in Attica Eleusinam urbem condidit, & alias plurimas civitates.* Abbas Urspergensis. *Tunc Ogyges condidit Eleusinam in Attica provincia, quæ antiquitus vocabatur Acta, & alias civitates plurimas.* Atque Eleusinis quidem conditorem, alii item plures tradunt. Africanus, cujus optimum fragmentum, e *lib.* III. *Chronologiarum*, exstat apud Eusebium, *de Præparatione Evang.* libro X. Ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Ὤγυγον, ὃς ἔκτισεν Ἐλευσῖνα. *Ab Olympiade quinquagesima quinta, ad Ogygum, qui Eleusinem condidit.* Orosius, *lib.* I. *cap.* VII. *Ogygi, qui tunc Eleusinæ conditor & rex erat, temporibus.* Otho Frisingensis, *lib.* I. *cap.* XIII. *Sævum in Achaja, Ogygi, Eleusinæ conditoris, ac regis, fuit temporibus diluvium.* Petrus Comestor innovatam tantum dicit, antea Acten vocatam. Verba ejus ita habent, *Histor. Schol.* lib. I. cap. LXXVI. *Sub Ogyge rege, qui urbem, quæ vocabatur Acta, innovans, Eleusim vocavit.* Pausanias, de conditore urbis verbum nullum faciens, nominatam esse dicit ab Eleusine: quem Mercurii, & Dairæ, cum nonnulli filium dicerent, alii rursum Ogygi commemorabant. Locus iste est in *Atticis*, ubi de Eleusiniis agit. Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ' ἧ τὴν πόλιν ὀνομάζουσι, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι, καὶ Δαείρας, Ὠκεανοῦ θυγατρὸς, λέγουσιν. τοῖς δέ ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον εἶναι πατέρα. *Eleusinem vero heroem, a quo urbem nominant, hi quidem Mercurii filium, & Dairæ, Oceani filiæ, esse dicunt: alii tradunt, patrem Ogygum existere.* Hujus temporibus Mosen exstitisse tradunt. Justinus Martyr, *Orat.* ad Gentiles. Ἐν γὰρ τοῖς χρόνοις Ὠγύγου τε καὶ Ἰνάχου, οὓς καὶ γηγενεῖς τινὲς τῶν παρ' ὑμῖν εἰλήφασι γεγενῆσθαι, Μωϋσέως μέμνηνται, ὡς ἡγεμόνος τε καὶ ἄρχοντος τοῦ τῶν Ἰουδαίων γένους. *Nam circa Ogygi & Inachi tempora, quos nonnulli e vestris terrigenas esse existimarunt, Moysis meminerunt, tanquam ducis, & principis, Judaicæ gentis.* Idem tradit Africanus, apud Eusebium, *Chron.* lib. I. & *de Præp. Evang.* lib. X. aliique item Auctores. Verumtamen alii posteriorem eum volunt. Sub hoc accidit diluvium apud Auctores celebratum. Varro, *de re rustica* lib. III. cap. I. *Thebæ, quæ ante*

κατακλυσμὸν Ogygi conditæ dicuntur. Servius, in *Eclog*. VI. *Quo tempore Saturnus regnavit in terris, non fuit diluvium; sed sub Ogyge, rege Thebanorum*. Tatianus, *Contra Græcos*. Μνημονεύεται παρ' Ἀθηναίοις Ὤγυγος, ἐφ' οὗ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος. *Memoratur apud Athenienses Ogygus, sub quo primum diluvium fuit*. Cedrenus. Δύο κατακλυσμοὶ κατὰ τὴν Ἑλλάδα γῆν διαβεβοημένοι γεγόνασι. πρῶτος μὲν, ἐπὶ Ὠγύγου, ἐν τῇ Ἀττικῇ. *Duo in terra Græcia celebria diluvia fuerunt. Primum quidem, tempore Ogygi, in Attica*. Meminit item ejus Nonnus, *Dionys*. lib. III. v. 198. &c.

Πρώτη γὰρ κελάδοντος ἐπειρήθη νιφετοῖο
Ὤγυγος, ἠλιβάτοιο δι' ὕδατος αἰθέρα τέμνων·
Χθὼν ὅτε κεύθετο πᾶσα κατάρρυτος. ——
Primum enim resonantem expertus est imbrem nivis
Ogygus, sublimem per aquam æthera mittens:
Terra cum abscondebatur tota obruta. ——

Et hoc est diluvium illud, de quo Plato, in *Timæo*. Meminitque Eusebius, *Chron*. lib. I. Africanus, *Chron*. lib. III. Augustinus, *de Civit. Dei*, lib. XVIII. cap. VIII. Clemens, *Strom*. I. Otho Frisingensis, *lib*. I. *cap*. XIII. Lutatius, ad *Statii Theb*. I. Ex hoc diluvio sospitem eum evasisse, discimus ex Africano, *Chronologi*. lib. III. apud Eusebium, *de Præp. Evang*. lib. X. Φαμὲν τοίνυν ἐκ τοῦδε τοῦ συγγράμματος, Ὤγυγον, ὃς τοῦ πρώτου κατακλυσμοῦ γέγονεν ἐπώνυμος, πολλῶν διαφθαρέντων διασωθεὶς, κατὰ τὴν ἀπ' Αἰγύπτου τοῦ λαοῦ μετὰ Μωσέως ἔξοδον γεγενῆσθαι. *Ex hoc Opere igitur dicimus, Ogyum, qui primo diluvio nomen dedit, atque, multis interceptis, incolumis fuit, circa populi per Mosen ex Ægypto eductionem exstitisse*. Quanquam, periisse ipsum hoc diluvio, a *Cedreno* memoretur, istis verbis. Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Μωσέως γέγονέ τις ἀνὴρ μέγας, ἐκ τῆς Φυλῆς Ἰάφεθ. ὃς, αὐτόχθων ὢν, ἐβασίλευσε τῆς Ἀττικῆς ἔτη τριάκοντα δύο. ὄνομα τῷ ἀνδρὶ, Ὤγυγος. ἐπ' αὐτοῦ γέγονε κατακλυσμὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ μόνῃ. αὐτός τε ἀπώλετο, καὶ ἡ χώρα πᾶσα. *Temporibus Mosis exstitit vir quidam magnus, ex Japeti prosapia; qui, indigena cum esset, regnum Atticæ annos triginta duos tenuit: nomen illi Ogygus. Ejus tempore in sola Attica diluvium fuit: periitque isto ipse, atque regio universa*. Ubi illud quoque discas, regnum eum tenuisse per triginta duos annos: atque tunc diluvium istud accidisse. Uxor illi Thebe fuit, Jovis filia, ex Jodama Tithoni. Lycus, in *Opere* de Thebis, apud Isaacium Tzetzen, *Commentario* ad Lycophronem. Ζεὺς, μιγεὶς Ἰοδάμᾳ, τοῦ Τιθωνοῦ, τοῦ Ἀμφιτρύωνος, γεννᾷ Θήβην. ἣν δίδωσιν Ὠγύγῳ, ἀφ' οὗ Ὠγυγίη ἡ Θήβη. *Jupiter, congressus cum Jodama, filia Tithoni, Amphitryonis F. gignit Theben: quam dat Ogygo uxorem, a qua Thebe Ogygia dicta*. Filios ejus duos invenio: unum Cadmum, alterumque Eleusinem. Cadmus, memoratur *Suidæ*. Ὠγύγια κακὰ, ἐπὶ τῶν σκληρῶν. ἐπεὶ συνέβη Κάδμον, τὸν Ὠγύγου, διὰ τὰς θυγατέρας, κακοῖς περιπεσεῖν. *Ogygia mala, de gravibus. siquidem accidit, ut Cadmus, Ogygi F. propter filias, in ærumnas incideret*. Quæ totidem verbis in Appendice Proverbiorum Vaticana, *Cent*. II. *Proverb*. LII. nisi quod male illic legitur: Κάδμον τὸν Ὠγύγην. *Cadmum Ogygen*. quasi Cadmus cognomento Ogyges fuisset dictus. Reponendum, ut in *Suida*, e quo ea sunt desumpta, Κάδμον, τὸν Ὠγύγου. *Cadmum, Ogygi F*. De Eleusine, accipio ex Pausaniæ verbis, *quæ citavi paullo ante*. Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ' οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι καὶ Δαείρας, Ὠκεανοῦ θυγατρὸς, λέγουσιν· τοῖς δέ, ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον εἶναι πατέρα. *Eleusinem vero heroem, a quo urbem nominat, hi quidem Mercurii filium, & Dairæ, Oceani filiæ, esse tradunt: alii tradunt, patrem Ogygum existere*. Filias plures habuisse, & in his Alalcomeniam, animadverto apud Pausaniam, in *Bœoticis*. Οἱ δὲ, εἶναι καὶ τὴν Ἀλαλκομενίαν, τῶν Ὠγύγου θυγατέρων, φασίν. *Alii vero, esse etiam Alalcomeniam dicunt, unam filiarum Ogygi*. Etiam Aulidem ille indicat, a qua Aulis, urbs Bœotiæ, nuncupata, in *Bœoticis* iisdem. Καὶ ὀλίγον ἀπ' αὐτοῦ προελθόντι, ἐστὶν Αὐλίς. ὀνομασθῆναι δὲ ἀπὸ τῆς Ὠγύγου θυγατρὸς φασὶν αὐτήν. *Ac paullum hinc progredienti, occurrit Aulis: quam ab Ogygi filia vocatam dicunt*. Quin tres erant; hæ, quas dixi, Aulis, & Alalcomenia, tertiaque Thelxinea: atque omnes Πραξιδίκαι nuncupatæ. Suidas, *in* Πραξιδίκη. Διονύσιος δὲ, ἐν Κτίσεσιν, Ὠγύγου (φησὶ) θυγατέρας. Ἀλαλκομενίαν, Θελξίνειαν, Αὐλίδα. ἃς ὕστερον Πραξιδίκας ὀνομασθῆναι. *Dionysius vero, in Opere de rebus conditis, esse (dicit) Ogygi filias; Alalcomeniam, Thelxineam, Aulidem: easque postea Praxidicas appellatas*. Earum ædem, & jusjurandum in eadem fieri solitum, apud Haliartios fuisse, refert Pausanias, in *Bœoticis*. Ἁλιαρτίοις δέ ἐστιν ἐν ὑπαίθρῳ θεῶν ἱερὸν, ἃς Πραξιδίκας καλοῦσιν· ἐνταῦθα ὀμνύουσι μὲν, ποιοῦνται δὲ οὐκ ἐπίδρομον τὸν ὅρκον. *Est apud Haliartios sub divo dearum ædes, quas vocant Praxidicas. hic jurant, neque juramentum irritum habent*. Harum una, Tremilo nupta: a qua Lycia nuncupata fuit Tremila. Meminit Panyasis, in Fragmento apud Stephanum, *in* Τρεμίλη.

Ἔνθα δ' ἔναιε μέγας Τρέμιλος, καὶ ἔγημε θύγατρα,
Νύμφην Ὠγυγίην, ἣν Πραξιδίκην καλέουσι.
Ubi habitat magnus Tremilus, qui duxit nympham,
Ogygi filiam, quam Praxidicen appellant.

Eximie autem ex his culta, ut videtur, Alalcomenia; quia nempe ipsa Minervam, deam Athenis tutelarem, educasset: ut superiori capite a me dictum. Itaque per excellentiam hæc simpliciter Πραξιδίκη dicta fuerit: creditaque, dicta, ac facta, ad finem perducere. *Hesychius*, Πραξιδίκη. δαίμονά τινά φασὶ, τὴν ὥσπερ ἐπιτιθεῖσαν τέλος τοῖς τε λεγομένοις, καὶ πραττομένοις. *Praxidica. deam quandam dicunt: velut quæ finem imponat dictis, ac factis*. Inde est, quod Menelaus, capto Ilio domum redux, quasi opere perfecto, simulacrum dedicaverit. Pausanias, in *Laconicis*. Μενέλαος δὲ, Ἴλιον ἑλὼν, καὶ ἔτεσιν ὕστερον ὀκτὼ μετὰ Τροίας πόρθησιν οἴκαδε ἀνασωθεὶς, ἄγαλμα θεᾶς Πραξιδίκας ἱδρύσατο. *Menelaus vero, postquam Ilium expugnasset, ac post Trojam captam annis octo domum rediisset, deæ Praxidicæ simulacrum dedicavit*. Erat vero simulacrum ejus nihil, præter caput: namque hoc solum dedicabant. *Suidas*. Πραξιδίκη, θεός. ἧς κεφαλὴν μόνην ἱδρύοντο. *Praxidica, dea: cujus solum caput dedicabant*. Et, ut simulacra ejus nihil nisi caput erant, itaque quoque capita tantum victimarum immolabant. Clare indicat id *Hesychius*: qui loco citato subjungit. Διὸ καὶ τὰ ἀγάλματα κεφαλὰς γίνεσθαι, καὶ τὰ θύματα ὁμοίως. *Ideoque etiam simulacra capita fieri, item victimas*. Ita enim illic lego: non, καὶ τὰ θαύματα. *Et miracula*. Ejus quoque sacra commemorat Orpheus, in *Argonauticis*, v. 31.

Ὄργια Πραξιδίκης. ——
Sacra Praxidicæ. ——

Porro illud quoque hoc loco obiter commemorandum; alium fuisse item eo nomine, ultimum Achæorum regem. Indicat Polybius, ubi de illis verba facit, *lib*. IV. *cap*. I. Ἀρξάμενοι γὰρ ἀπὸ Τισαμενοῦ, τῶν Ὀρέστου παίδων ἑνὸς, καὶ φήσαντες, αὐτοὺς ἀπὸ μὲν τούτων βασιλευθῆναι κατὰ τὸ συνεχὲς, καὶ κατὰ τὸ γένος εἰς Ὤγυγον. *Orsi namque a Tisameno, uno filiorum Orestis, postquam dixerimus, ipsos quidem sub regibus fuisse ex horum genere, continuata successione, ad Ogygum usque*. Et Strabo, de iisdem loquens, *lib*. VIII. Ἀπὸ μὲν τοῦ Τισαμενοῦ, μέχρι Ὠγύγου, βασιλευόμενοι διετέλουν. *Itaque a Tisameno, usque ad Ogygum, sub regibus permansere*.

CAP. VI.

A diluvio, desolata fuit Attica, & sine regibus, pœne per ducentos annos. Inde regnum accepit Cecrops; quanquam aliis ante eum Draco quidam, & Actæus, sive Actæon, (cujus filiæ quatuor commemorantur; quarum maxima natu, Aglaurus, Cecropi nupta,) ac Porphyrion, memorentur: item Periphas, quem in aquilam Jupiter mutasse fertur: etiam Colænus, qui Colænidi Myrrhinunte nomen dedit. Cecrops, indigena; aut Ægyptius, juxta alios: ac parentes item ejus indicati. Statii locus illustratus. Ante regnum, Bœotiæ præerat; item Cretæ: eaque de re Plauti locus explicatus Athenas, quæ diluvio perierant, instaurat; unde eæ Κεκροπία *appellatæ: uti cives,* Κεκροπίδαι. *Etiam arx* Κεκροπία *nominata.*

POST diluvium istud Ogygi, desolata fuit Attica: neque reges ullos habuit, usque ad Cecropem, annis CLXXXIX. Africanus, *Chron.* lib. III. apud Eusebium, *de Præp. Evang.* lib. X. Μετὰ δὲ Ὤγυγον, διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πολλὴν φθοράν, ἀβασίλευτος ἔμεινεν ἡ νῦν Ἀττική, μέχρι Κέκροπος, ἔτη ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα ἐννέα. *Post Ogygum vero, ob vastationem grandem a diluvio, illa quæ nunc Attica dicitur sine regibus permansit, usque ad Cecropem, annis centum octoginta novem.* Fuit nempe sine regibus annos totos centum octoginta novem, nonagesimo jam vertente. itaque is numerus ponitur ab Eusebio, *Chron.* lib. I. Μετὰ δὲ Ὤγυγον, διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πολλὴν φθοράν, φασὶν ἀβασίλευτον διαμεῖναι τὴν νῦν Ἀττικήν, μέχρι Κέκροπος, ἔτη ἑκατὸν καὶ ἐνενήκοντα. *Post Ogygum autem, ob vastationem magnam a diluvio, ajunt Atticam, quæ nunc dicitur, sine regibus permansisse, usque ad Cecropem, annis centum & nonaginta.* Cedrenus, numero rotundo, de ducentis annis ait. Ἐπ' αὐτοῦ (τοῦ Ὠγύγου) γέγονε κατακλυσμὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ μόνῃ. αὐτός τε ἀπώλετο, καὶ ἡ χώρα πᾶσα. καὶ ἕως ἐτῶν διακοσίων ἔρημος διέμεινε. *Sub ipso (Ogygo) fuit diluvium in sola Attica: atque ipse periit, item regio universa. ac permansit desolata usque ad ducentos annos.* Itaque, post tantum temporis intervallum, primus regnum Athenarum tenuit Cecrops. quanquam alii ante eum etiam Draconem tradunt, e cujus dentibus ortum esse eum cupiunt. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*, causas referens, ob quas Διφυὴς cognomento dictus fuerit, istam ponit. Διὰ τὸ ἐκ τῶν τοῦ Δράκοντος ὀδόντων ἐξελθεῖν. *Quia ex Draconis dentibus natus esset.* Ac mox addit. Οὗτος δὲ ἦν βασιλεὺς Ἀθηναίων. *Hic vero erat rex Atheniensium.* Alii memorant etiam Actæum regem, cujus filiam ipse uxorem accepisset. Pausanias, *Atticis.* Ἀκταῖον λέγουσιν ἐν τῇ νῦν Ἀττικῇ βασιλεῦσαι πρῶτον. ἀποθανόντος δὲ Ἀκταίου, Κέκροψ ἐκδέχεται τὴν ἀρχήν, θυγατρὶ συνοικῶν Ἀκταίου. *Actæum ferunt in Attica, quæ nunc vocatur, primum regnum tenuisse: post cujus mortem Cecrops principatum excepit, qui Actæi filiam uxorem habebat.* Iterumque paullo post hæc ejus mentionem facit, in citandis statim verbis. *Stephanus* Atticam eo tempore ab ejus nomine Acten appellatam dicit. Ἀκτή, οὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Ἀκταίου τινός. ἀνὴρ δὲ ἦν αὐτόχθων, ὡς Φαβωρῖνος, ὃς ἐβασίλευσεν ἐκεῖ. καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτω τὴν χώραν ὠνόμασε, καὶ τοὺς λαούς. *Acte, ita Attica vocabatur, a quodam Actæo homine, ut Phavorinus tradit, indigena: qui regnavit ibi loci, atque a se regioni, populoque, nomen dedit* Meminit ejus itidem, sed non ut regis, Apollodorus, *lib.* III. Non recte Ἀκτεὺς, pro Ἀκταῖος scribitur apud Isaacium Tzetzen; uti supra a me dictum; *cap.* III. Clemens, *Strom.* I. Κατὰ δὲ Φόρβαντα, Ἀκταῖος. ἀφ' οὗ Ἀκταία ἡ Ἀττική. *Phorbantis autem tempore, Actæus fuit: a quo Actæa dicta Attica.* Quæ totidem verbis Tatianus, *Oratione contra Græcos.* Quin Actæon idem dicitur, apud *Isaacium Tzetzen.* Ἀκτὴ δὲ ἐκαλεῖτο ἡ Ἀττική, ἀπὸ Ἀκταίωνος βασιλέως. *Acte vero Attica appellabatur, a rege Actæone.* Eustathius utrunque nomen repræsentat, *Commentario* in Dionysium. Ἀττικὴ δέ, ἡ κατὰ Ἀθήνας χώρα λέγεται, ἀπὸ Ἀκταίωνος, ἢ ἀπὸ Ἀκταίου, αὐτόχθονος. *Attica vero, quæ est circa Athenas regio, nominatur: ab Actæone, sive Actæo, indigena.* Itaque ab his, Actæus; ab illis, Actæon dicitur. *Suidas* eum etiam Actæonem dicit; & commemorat quatuor illius filias, Aglaurum, Hersen, Pandrosum, & Phœnicen: atque a postrema istarum, Pandrosum, & Phœnicen: atque a postrema istarum, Phœnicias literas dictas esse. Vide Suidam *in* Φοινικήια γράμματα. Harum Aglaurus, natu maxima, nupsit Cecropi, ut jam dixi: ac pro dote, post Actæonis patris obitum, regnum attulit. Ante eum, etiam Porphyrion, rex memoratur: quem Athmonenses Veneris Cœlestis templum apud ipsos condidisse referebant. Pausanias, *Atticis.* Δῆμος δέ ἐστιν Ἀθηναίοις Ἀθμονέων, οἳ Πορφυρίωνα, ἔτι πρότερον Ἀκταίου βασιλεύσαντα, τῆς Οὐρανίας (Ἀφροδίτης) φασὶ τὸ παρὰ σφίσιν ἱερὸν ἱδρύσασθαι. *Populus autem Atheniensibus est Athmonensium: qui Porphyrionem, eum qui ante Actæum regnavit, Cœlestis (Veneris) templum, quod apud ipsos exstat, dedicasse ajunt.* Quin refertur etiam Periphas. Antoninus Liberalis, *Metamorphos.* cap. VI. Περίφας ἐγένετο ἐν τῇ Ἀττικῇ αὐτόχθων, πρόσθεν ἢ φανῆναι Κέκροπα τὸν Γῆς. οὗτος ἐβασίλευσε τῶν ἀρχαίων ἀνθρώπων. *Periphas fuit in Attica indigena, antequam Cecrops, Terræ filius, ibi existeret. Is regnum in priscos homines tenuit.* Cujus de virtutibus summis, & in aquilam item transformatione, vide, quæ sequuntur ibidem. Et Colænus, a quo Colænis Myrrhinunte appellata. Pausanias, *Atticis.* Τὴν δὲ ἐν Μυῤῥινοῦντι Κολαινίδα, ἀπὸ Κολαίνου (ἡγοῦμαι) καλεῖσθαι. Γέγραπται δή μοι, τῶν ἐν τοῖς δήμοις φάναι πολλούς, ὡς καὶ πρὸ τῆς ἀρχῆς ἐβασιλεύετο τῆς Κέκροπος. Ἔστι δὲ ὁ Κόλαινος ἀνδρὸς ὄνομα, πρότερον ἢ Κέκροψ ἐβασίλευσεν, ὡς οἱ Μυῤῥινούσιοι λέγουσιν, ἄρξαντος. *Colænidem vero, quæ Myrrhinunte est, a Colæno dictam, existimo. Diximus autem & alibi, ex Atticæ populis multos esse, qui regnatum Athenis esse ante Cecropem sint auctores. Itaque Colænus nomen viri est, qui ante Cecropem regnum tenuit, uti tradunt Myrrhinusii.* Sed hæc omnia, velut falsa, a Philochoro, admodum vetusto Auctore, reprehensa, tradit nobis Africanus, *Chronol.* lib. III. Μετὰ δὲ Ὤγυγον, διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πολλὴν φθοράν, ἀβασίλευτος ἔμεινεν ἡ νῦν Ἀττική, μέχρι Κέκροπος, ἔτη ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα ἐννέα. τὸν μὲν γὰρ μετ' Ὤγυγον Ἀκταῖον, ἢ τὰ πλαττόμενα τῶν ὀνομάτων, οὐδὲ γενέσθαι φησὶν ὁ Φιλόχορος. *Post Ogygum vero, ob vastationem grandem a diluvio, Attica, quæ nunc vocatur, sine regibus permansit, usque ad Cecropem, annis centum octoginta novem. Nam Actæum, qui post Ogygum memoratur, & quæ confinguntur nomina, Philochorus fuisse negat.* Ergo Cecropem etiam nos primum esse statuamus: pariter atque Eusebius facit, *Chron.* lib. I. Οἱ δ' οὖν μετὰ τὸν Ὤγυγον, καὶ τὸν κατακλυσμόν, βασιλεῖς εἰσὶν οἵδε. Πρῶτος Κέκροψ, ὁ Διφυής. *Itaque reges Atheniensium, qui post Ogygum, & diluvium, exstiterunt, sunt hi: primus Cecrops, is qui Diphyes cognomento perhibetur.* Joannes Tzetzes, *Chil.* V. *Hist.* XVIII. *v.* 9.

Πρῶτος ἁπάντων Ἀττικῆς ὁ Κέκροψ βασιλεύει.

Primus omnium in Attica Cecrops regnat.

Apollodorus, *lib.* III. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος, τῆς Ἀττικῆς ἐβασίλευσε πρῶτος. *Cecrops indigena, concretum habens corpus e viro & dracone, in Attica primus regnavit.* Et observa, indigenam illic eum dici: cum Ægyptium alii faciant. *Suidas.* Κέκροψ, Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς

τὰς Ἀθήνας. *Cecrops, Ægyptius existens genere, Athenas habitavit.* Atque idem rursus dicit, in Προμηθεῦς. Totidem verbis, Scholiastes Aristophanis, ad *Plutum*. Et Joannes Tzetzes refert, eum e Sai, Ægypti urbe, Athenas commigrasse, post diluvium Ogygi. Ecce verba, *Var. Hist. Chil.* v. *Hist.* XVIII. v. 28.

Ὡς δὲ ἀπὸ τῆς Σάεως, πόλεως Αἰγυπτίας.
Μετὰ τὸν κατ' Ὤγυγον κατακλυσμὸν ἐκεῖνον,
Ὁ Κέκροψ παραγέγονεν Ἀθήναις τῆς Ἑλλάδος.
Ut autem a Sai, urbe Ægyptia,
Post Ogygium illud diluvium,
Cecrops venit Athenas Græciæ.

Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*. Ἡ Ἀττικὴ, βασιλεία ἦν Κέκροπος. οὗτος γὰρ, ἐλθὼν ἀπὸ πόλεως Αἰγύπτου, τὰς Ἀθήνας συνῴκισε. *Attica, regnum erat Cecropis. Is enim, veniens ab urbe Ægypti, Athenas instauravit.* Cedrenus. Κέκροψ, Αἰγύπτιος ὢν, δύο γλώσσας ἠπίστατο. *Cecrops, cum Ægyptius esset, duas linguas callebat.* Inde *Cecropium* lutum Statius Ægyptius dixit, *Sylv.* lib. III. in Propemptico Metii Celeris, *v.* 108. *&c.*

—— *te præside noscat,*
Unde paludosi fœcunda licentia Nili:
Cur vada desidant, & ripa coerceat undas,
Cecropio stagnat a luto. ——

Certe peregrinum facere etiam videtur Strabo; qui Bœotiæ præfuisse ante regnum eum tradit, *libro* IX. Λέγεται καὶ κατὰ Κέκροπα, ἡνίκα τῆς Βοιωτίας ὑπῆρξε. *Fertur etiam ætate Cecropis, cum Bœotiæ is præesset.* Gotfridus Viterbiensis, regem Cretæ fuisse refert, *Chronici* Parte IV.

Cum dominum Cecropem regem tenet insula Creta.

Quod non dubium est, quin ille ab antiquo Auctore acceperit. Innuitque hoc ipsum Plautus, ubi Cretam, Rhadamanthi quoque sedem, *Insulam Cecropiam* vocat. Verba ejus ita habent, in *Trinummo*, Act. IV. Sc. II. v. 83.

—— *Pol illum reliqui ad Rhadamanthum, in Cecropia insula.*

Quod parentes ejus attinet; matrem Hyginus Terram tribuit, *Fab.* XLVIII. patrem autem, Vulcanum, *Fab.* CLVIII. Ac matrem Terram, refert etiam Antoninus Liberalis, in *citatis ante verbis*. Isaacius Tzetzes, ad *Lycrophronem*, ex draconis dentibus enatum dicit. qua de re videndus quoque Scholiastes Aristophanis, ad *Plutum*. Et Athenienses quidem, ab eo dicti Κεκροπίδαι. Herodotus *lib.* VIII. *c.* XLIV. Ἀθηναῖοι δὲ, ἐπὶ Κέκροπος βασιλῆος, ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι. *Athenienses vero, sub rege Cecrope, cognominati sunt Cecropidæ.* Scholiastes Aristophanis, *Pluto*. Κέκροψ, Αἰγύπτιος τὸ γένος, ᾤκισε τὰς Ἀθήνας· ὅθεν καὶ Ἀθηναῖοι Κεκροπίδαι. *Cecrops, genere Ægyptius, Athenas condidit: ut & Athenienses sunt Cecropidæ vocati.* Suidas. Κεκροπὶς, αἱ Ἀθῆναι· καὶ Κεκροπίδαι, οἱ Ἀθηναῖοι. *Cecropis, Athenæ: & Cecropidæ, Athenienses.* Martianus, in *Periegesi*.

Ἑξῆς Ἀθήνας φασὶν οἰκιτὰς λαβεῖν
Τὸ μὲν Πελασγοὺς πρῶτον, οὓς δὴ καὶ λόγος
Κραναοὺς καλεῖσθαι· μετὰ δὲ ταῦτα Κεκροπίδας,
Κέκροπος δυναστεύσαντος. ——
Deinde Athenas ajunt habitatores accepisse
Primo quidem Pelasgos, quos & ferunt
Cranaos vocatos: postea vero Cecropidas,
Cecrope principe. ——

Itaque est apud Claudianum, De *raptu Proserpinæ*, lib. I. v. 10. 11.

—— *templumque remugit*
Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis.

Silius, *lib.* XIII. *v.* 483. 484.

Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

Ausonius, *Epist.* XXIV. v. 55. 56.

Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti

Obstitit. ——

Priscianus, *libro* II. *A regibus, sive conditoribus: id est, Thesidæ, Cecropidæ.* Ac Athenas quidem eum condidisse, cum diluvio nempe Ogygio priscæ istæ periissent, licet clare observare ex citatis *Scholiastæ Aristophanis*, atque *Suidæ* item, verbis. Tum id tradit Isidorus Hispalensis, in *Chronico*. *Cecrops Athenas condidit.* Honorius, item in *Chronico*. *Athenas condidit Cecrops, qui primus regnavit ibi.* Et Orig. *l.* XV. *c.* I. *Athenas in Hellade Cecrops condidit.* Alii dicunt, instaurasse. August. De *Civit. Dei*, l. XVIII. c. VIII. *Regnante Atheniensibus Cecrope: sub quo rege etiam ipsam vel instauratam, vel conditam, ferunt civitatem.* Ita quoque tradit Otho Frising. *l.* I. *cap.* XVII. & Albertus, Abbas Stadensis, in *Chronico*. Quin Cecropiam item a se nominavit. Isidorus, *Orig.* l. XV. c. I. *Athenas in Hellade Cecrops condidit: & ex suo nomine Cecropiam appellavit.* Cassiodorus, in *Chronico* suo, notat: factum tempore Spareti, Assyriorum regis. *Sparetus regnavit annis quadraginta. Hujus temporibus a Cecrope rege Athenæ sunt conditæ.* De Cecropiæ autem appellatione, exstat item apud Plin. *l.* VII. *c.* LVI. *Oppidum (Athenas) Cecrops a se appellavit Cecropiam.* Euripides, *Supplicibus*.

—— παλαιὰς Κεκροπίας οἰκήτορας
—— *antiquæ Cecropiæ habitatores.*

Valerius Flaccus, dicit *Cecropis arces*, *Argonaut.* libro V. *v.* 546.

—— *præder si Cecropis arces.*

Pertinetque eo illud apud *Poetam*, Πόλι φίλη Κέκροπος, *Urbs cara Cecropis*: quod commemorat Antoninus Imp. *l.* IV. Ἐκεῖνος μὲν φησί· Πόλι φίλη Κέκροπος. σὺ δὲ οὐκ ἐρεῖς; Ὦ πόλι Διός. *Ille quidem dixit; Urbs amica Cecropis: tu vero non dices? O urbs amica Jovis.* Postea, aucta in majus Urbe, vetereque mox in arcem commutata, illa nomen id retinuit. Inde est apud Plinium, *loc. cit.* *Oppidum Cecrops a se appellavit Cecropiam: quæ nunc arx est Athenis.* Vide Cecropiam nostram, *c.* IV.

CAP. VII.

Attica quoque universa, Cecropia dicta; tribuumque, quæ tunc quatuor, una Cecropis: populique, qui sub ea, indicati. Familia quædam, Cecropidæ. Numerati etiam ab eo incolæ, lapidum congestione: ac curatum his frumentum, misso Argo in Siciliam, Africamque. Condidit item Lacedæmonem, & templum Delphicum.

NEQUE Urbs, aut Arx duntaxat, sed & regio universa, prius Acte, ut jam dixi, & ab Ogygo Ogygia dicta, ab eo Cecropia appellata est. Apollodorus, *l.* III. Καὶ τὴν γῆν, (Κέκροψ) πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν, ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασεν. *Et terram, (Cecrops) antea Acten appellatam, Cecropiam a suo nomine nuncupavit.* Catullus, in *Epithalamio*, v. 79.

Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

Et *mox iterum*, v. 83.

Funera Cecropiæ, ne funera, portarentur.

Hinc *Cecropii fines*, apud Lucretium *l.* VI. v. 1137.

Finibus Cecropiis funestos reddidit agros.

Quin e decem quoque tribubus una Κεκροπὶς dicta fuit. *Harpocration*. Μία δ' ἦν τῶν δέκα φυλῶν Ἀθήνησι, Κεκροπίς. *Una vero decem tribuum Athenis erat, Cecropis.* Moschopulus. Κεκροπὶς, μία τῶν δέκα φυλῶν ἐν Ἀθήναις. *Cecropis, una decem tribuum Athenis.* Sed quum unam decem tribuum eam dicunt, faciunt pro constitutione Urbis, quæ deinde subsecuta: nam sub Cecrope isto nostro, quatuor duntaxat erant, ac prima, Κεκροπίς, secunda, Αὐτόχθων; tertia, Ἀκταία; quarta. Παραλία dicebatur. Pollux docet, *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXXI. Καὶ αἱ φυλαὶ, τέως μὲν ἐπὶ Κέκροπος, ἦσαν τέσσαρες· Κεκροπὶς, Αὐτόχθων,

Ακταία, Παραλία. *Ac tribus, antea, quidem sub Cecrope, erant quatuor: Cecropis, Indigena, Actæa, Maritima.* De numero eo, consentit *Stephanus*: & postremas duas nominat in Ακτη. Τῶν ἐπὶ Κέκροπος φυλῶν τεττάρων ἐσῶν, δύο προσηγόρευσαν, Ακταίαν, & Παραλίαν. *Cum quatuor essent sub Cecrope tribus, duas appellarunt, Actæam, & Maritimam.* Et Eustathius, ad *Dionysium*. Μία τῶν ἐπὶ Κέκροπος τεσσάρων φυλῶν, Παραλία ἐκλήθη· καὶ ἄλλη, Ακταία. *Una quatuor, quæ sub Cecrope erant, tribuum, Maritima dicta fuit: altera vero, Actæa.* Ac Cecropidis hujus tribus, meminit Antiphon, *Orat.* XVI. & frequenter admodum Auctores alii. Erant vero populi sub ea isti: Αθμονὸν, Αἰξωνὴ, Αλαὶ Αἰξωνίδες, Δαιδαλίδαι, Επιεικίδαι, Ξυπέτη, Πίθος, Συπαλήττος, Τειθρεμεῖς, Φλύα. Vide librum nostrum, de *Pop. Atticæ*, in istis vocibus. Nec duntaxat quilibet Athenienses Κεκροπίδαι nominati, verum proprie illi tantum, qui ab eo genus ducerent. Porphyrius, in *Isagoge*, c. Περὶ γένους. Ηρακλεῖδαι γὰρ λέγονται, οἱ ἀπὸ γένους κατηγόμενοι Ηρακλέους. καὶ Κεκροπίδαι, οἱ ἀπὸ Κέκροπος. *Heraclidæ enim dicuntur, qui ab Hercule genus ducunt: & Cecropidæ, qui a Cecrope.* Demosthenes, in *Orat. Fun.* Ηδεσαν Κεκροπίδαι, τὸν ἑαυτῶν ἀρχηγὸν τὰ μὲν, ὡς ἐστὶ δράκων, τὰ δ', ὡς ἐστὶν ἄνθρωπος, λεγόμενον. *Sciebant Cecropidæ, familiæ suæ auctorem partim draconem, partim hominem memorari.* Quia vero hæc familia, ut antiquissima Athenis erat, ita quoque nobilissima habebatur; inde dixit Juvenalis, de eo, qui insulse genus suum jactaret. *Sat.* VIII. v. 44. &c.

Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. ——

Et mox *iterum*, v. 53.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.

Postquam vero Atticam, quam desolatam accepisset, frequentem hominibus animadverteret; scire cupiens multitudinem incolarum, cum allatum singulos in locum unum lapidem jussisset ferre, atque numerum iniisset, viginti eos millia esse deprehendit. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. IX. Φιλόχορος δέ φησι, Κέκροπα, βουλόμενον τὸν τῶν Αθηναίων δῆμον, καὶ τὸ πλῆθος, ἐπιγνῶναι, κελεῦσαι αὐτοὺς λίθους εἰσφέρειν, καὶ βάλλειν εἰς τὸ μέσον. ἐξ ὧν ἐπιγνῶναι, δισμυρίους αὐτοὺς ὄντας. *Philochorus vero refert, Cecropem, cupientem scire Atheniensem populum, atque ejus multitudinem, jussisse ipsos afferre lapides, & in medium projicere: inde autem comperisse, viginti eos mille esse.* Eustathius ad *Iliad.* α'. Κέκροψ, πολυανθρωποῦσαν ἰδὼν τὴν Αττικὴν, συγκαλεῖται τὸν ὄχλον· καὶ παρασημαίνεται τὸν ἀριθμὸν λίθοις, ἑκάστου ἕνα ῥίψαντος. *Cecrops, cum videret, frequentem hominibus Atticam esse, convocat multitudinem: &, unoquoque lapidem unum jaciente, inde numerum observat.* Atque, ut suppeteret victus multitudini, Argum misit in Siciliam, Africamque, qui frumentum inde adveheret. Joannes Tzetzes, ad *Hesiodi* Εργων α'. Κέκροψ, Αργον εἰς Λιβύην, καὶ Σικελίαν πέμψας, ἐκέλευσε συναγαγεῖν σῖτον, ἐκ τοῦ ἐκεῖ φυομένου, καὶ εἰς Ελλάδα μετακομίσαι. *Cecrops, misso Argo in Siciliam, Libyamque, colligere eum frumentum jussit, illic natum, & in Græciam transferre.* Qui tradunt, etiam urbem Lacedæmonem, uti quoque templum Delphicum condidisse. Albertus, Abbas Stadensis, in *Chronico*. Tempore etiam hujus *Lacedæmon urbs condita est a Cecrope: & templum Delphicum.*

CAP. VIII.

Διφυὴς cognominatus: ejusque rei variæ prolatæ causæ. Staturæ ejus longitudo. Duarum linguarum peritia. Vir, & mulier; sive, draco. Matrimonium instituit. Initio laudatus princeps, inde malus: quæ sententia tamen a Plutarcho explosa. Demosthenes a Joanne Tzetze, & Isaacio, ejus fratre, refutatus.

ΔΙΦΥΗΣ, ut notum cunctis, cognomento dicebatur. Archelaus, in Epigrammate, apud Antigonum Carystium, *Hist. Mirab.* c. XCVI.

—— εἰ δὲ τὸ δ' ἐστιν,
Οὐ θαῦμα, βλαστεῖν τὸν διφυῆ Κέκροπα.
—— *quod si ita est,*
Non mirum, natum biformem Cecropem.

Ovidius Geminum dicit. *Metamorph.* lib. II. v. 555. 556.

Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,
Servandam dederat. ——

Ac cognominis quidem hujus variæ sane rationes proferuntur. Sunt, qui velint, a staturæ magnitudine, aut duarum linguarum peritia, Græcæ nempe & Ægyptiæ, ita dictum. Eusebius, *Chron.* l. I. Κέκροψ ὁ Διφυὴς τῆς τότε Ακτῆς, νῦν δὲ Αττικῆς, ἐβασίλευσεν ἔτη πεντήκοντα· διὰ μῆκος σώματος οὕτω καλούμενος, ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος· ἢ, ὅτι, Αἰγύπτιος ὢν, τὰς δύο γλώσσας ἠπίστατο. *Cecrops Diphyes, in ea quæ tunc Acte, nunc Attica, regnavit annis quinquaginta. ob corporis proceritatem ita dictus, uti auctor est Philochorus: seu quod, cum Ægyptius esset, duas linguas calleret.* Idem tradunt, *Hieronymus, Freculphus, Abbas Urspergensis, Marianus Scotus, Lucas Tudensis* & *Cedrenus*. Aliis placet, quod conjugio instituto, virum fœminæ conjunxerit. Athenæus, *lib.* XIII. Εν δὲ Αθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων, καὶ κοινογαμιῶν ὄντων· διὸ καὶ ἔδοξέ τισι Διφυὴς νομισθῆναι. *Athenis primus Cecrops unam uni junxit, cum antea inverecunde congrederentur, ac communia cunctis matrimonia essent: quare etiam quibusdam visus est Biformis appellatus esse.* Justinus Historicus, *l.* II. *c.* VI. *Ante Deucalionis tempora, regem habuere (Athenæ) Cecropem; quem, ut omnis fabulosa est antiquitas, Biformem tradidere: quia primus marem fœminæ matrimonio junxit.* Syrianus, in *Hermogenem*: Κέκροψ πρῶτον συνήγαγεν ἄνδρα, καὶ γυναῖκα· ὃς καὶ ἀπὸ τούτου Διφυὴς ἐκλήθη. *Cecrops primum conjunxit virum, ac fœminam: qui & ideo est Biformis appellatus.* Idem quoque Eustathius refert, ad *Illiad.* σ'. & ω'. Certe a Cecrope institutum matrimonium, etiam testatur istis verbis Nonnus, *Dionysiac.* lib. XLI. v. 382. &c.

Κάδμος εὐγλώσσοιο διδάσκεται ὄργανα φωνῆς.
Θεσμὰ Σόλων ἄχραντα, καὶ ἔννομον Ατθίδι πεύκη
Συζυγίης ἀλύτοιο συνωρίδα δίζυγα Κέκροψ.
Cadmus eloquentis docet instrumenta vocis;
Leges Solon illibatas, & legitimum Atticæ tedæ
Conjugii indissolubilis currum bijugum Cecrops.

Alii tradunt, partim hominem, partim draconem fuisse. Aristophanes, *Vespis*, v. 444.

Ω Κέκροψ, ἥρως ἄναξ, τὰ πρὸς ποδῶν δρακοντίδη.
O Cecrops, heros rex, pedibus draconem referens.

Ad quem locum *Scoliastes*. Φασὶ τὸν Κέκροπα Διφυᾶ γεγονέναι, καὶ τὰ κάτω ὄφεως ἐσχηκέναι. *Ajunt Cecropem fuisse biformem, & inferiora serpentis habuisse.* Apollodorus, *lib.* III. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων τὸ σῶμα, ἀνδρὸς καὶ δράκοντος. τῆς Αττικῆς ἐβασίλευσε πρῶτος. *Cecrops indigena, concretum viri ac draconis corpus habens, primus Atticæ regnum tenuit.* Nonnus, *Dionys.* lib. XLI. *v.* 59. &c.

Κέκροπος οὐ τόπον, εἶχον, ὃς ἰοβόλῳ ποδὸς ὁλκῷ
Γαῖαν ἐπιξύων, ὀφιώδεϊ σύρετο ταρσῷ,
Νέρθε δράκων, καὶ ὕπερθεν, ἀπ' ἰξύος ἄχρι καρήνου.
Αλλοφυὴς ἀτέλεστος ἐφαίνετο, διχρόος ἀνήρ.

Non habuere imaginem Cecropis, qui venenum jaculante pedis tractu
Terram radens, serpentino trahebatur pede:
Inferius draco, & superius, ab ilio usque ad caput,
Alterius naturæ imperfectus apparebat, biformis vir.

A Quare autem hoc confinxerint, explicatur a Demosthene in *Orat. Fun.* Ηδεσαν Κεκροπίδαι τὸν ἑαυτῶν ἀρχηγὸν, τὰ μὲν ὡς ἐστι δράκων, τὰ δ' ὡς ἐστιν ἄνθρωπος, λεγόμενον, οὐκ ἄλλοθέν ποθεν, ἢ τῷ τὴν σύνεσιν αὐτοῦ προσομοιοῦν ἀνθρώπῳ, τὴν ἀλκὴν δὲ δράκοντι. *Sciebant Cecropidæ, familiæ suæ auctorem, partim draconem, partim hominem esse dici: non aliunde, quam quod ejus prudentiam homini, robur draconi compararent.* B Alii sic existimabant, hominis pariter ac draconis formam illi attributam, quod ex bono rege postea ferus factus fuerit. Quorum sententia refutatur a Plutarcho, *De sera num. vind.* Οἶμαι μὲν οὖν καὶ τὸν Κέκροπα Διφυᾶ προσαγορεῦσαι τοὺς παλαιοὺς, οὐχ, ὡς ἔνιοι λέγουσιν, ἐκ χρηστοῦ βασιλέως ἄγριον καὶ δρακοντώδη γενόμενον τύραννον, ἀλλὰ τοὐναντίον; ἐν ἀρχῇ σκολιὸν ὄντα, καὶ φοβερὸν, εἶθ' ὕστερον ἄρξαντα πράως, καὶ φιλανθρώπως. *Equidem existimo, & Cecropem ab antiquis Biformem fuisse dictum; non, quod e bono rege ferus ac draconi similis, tyrannus factus fuerit: verum contra, quod initio perversus, ac terribilis, mox benigne, & humaniter, imperaverit.* C Demosthenis vero illum locum, quem citavi, exagitat Joannes Tzetzes, exponens ejus cognomenti rationes, *Chil.* v. *cap.* XVIII. ubi inter cætera, mox proferenda, ita ait.

Η ὡς τὰ κάτω δράκων μὲν, ἄνθρωπος δὲ τὰ ἄνω.
Ο Δημοσθένης τάχα μὲν ἀλληγορεῖν ἐθέλειν,
Συνηγορεῖν δὲ πεφυκὼς, ἀλληγορεῖν δ' οὐδόλως,
Ηδεσαν Κεκροπίδαι μὲν, φησὶν, ὡς ὅτι Κέκροψ
Αλκὴν ἔοικε δράκοντι, τὴν σύνεσιν ἀνθρώπῳ.
Ο Τζέτζης βασιλεύειν δὲ πράως τὸν ἄνδρα λέγει,
D Ως καὶ βαρβάρους, τοὺς αὐτῷ ταῖς μάχαις ἡττημένους,
Τῷ φιλανθρώπῳ τοῦ ἀνδρὸς τοσοῦτον συνδεθῆναι,
Ως ἓν σῶμα λογίζεσθαι, μηδ' ἀποσπᾶσθαι θέλειν.
Vel quod inferius draco quidem, homo autem superne.
Quod Demosthenes quidem allegorice reddere volens,
Ad patrocinandum aptus, ad allegoriam minime;
Noverant Cecropidæ quidem, inquit, quod Cecrops
Robore similis erat draconi, prudentia homini.
Tzetzes vero, regnasse hominem mansuete dicit:
Ut & barbari, ab ipso præliis superati,
Humanitate viri adeo devincirentur,
Ut unum corpus putarentur, neque avelli cuperent.

E Itidem, sed modeste magis, Isaacius Tzetzes, ejus frater, ubi pariter rationes ejus cognomenti reddit in *Commentario* ad Lycophronem. Ληροῦσιν, ὅτι τὰ ἄνω ἀνθρώπου, τὰ δὲ κάτω δράκοντος εἶχον. ὃ ἀλληγορῶν ὁ Δημοσθένης, φησὶν, ὅτι τὴν ἀλκὴν ὅμοιος τῷ δράκοντι, ἀνθρώπῳ δὲ γε τὴν φρόνησιν. ἐγὼ δὲ, οὕτως ἀλληγορῶ· ἀγαθὸς βασιλεὺς γεγονὼς πᾶσαν θηριωδίαν ἐθνῶν, οὕτως ὑπέταξεν, ὡς μίαν σύμπνοιαν πάντας ἔχειν αὐτὸν καὶ ἀγαθὸν ἡγεμόνα, καὶ αὐτοκράτορα. *Nugantur quod superiora hominis, inferiora draconis haberet. quod Demosthenes allegorice exponens, inquit; robore draconi, prudentia homini similem fuisse.* F *Ego vero, ita explico: bonum eum regem fuisse, atque gentium feritatem in hunc modum domuisse, ut uno consensu eum principem bonum & imperatorem, existimarent.* Omnes autem, quas jam dixi rationes, recitat Joannes Tzetzes, *loco proxime citato.*

Πρῶτος ἁπάντων Ἀττικῆς ὁ Κέκροψ βασιλεύει,
Ο πρῶτος, ὁ καλούμενος καὶ Διφυὴς, τοιάσδε.
A Η, ὅτι μέγεθος ἀνδρῶν δύο πρὸς μῆκος εἶχεν.
Η, ὡς Ἑλλάδος ἔμπειρος, καὶ Αἰγυπτίας γλώσσης.
Η, ὡς τὰ κάτω δράκων μὲν, ἄνθρωπος δὲ τὰ ἄνω.
Καὶ ἄλλως τοῦτον Διφυῆ τὸν Κέκροπα καλοῦσι.
Αἱ τῶν Ἑλλήνων πρότερον γυναῖκες καθ' Ἑλλάδα,
Οὐχ, ὥσπερ νῦν, ἐζεύγνυντο νομίμοις τοῖς ἀνδράσι·
Δίκην κτηνῶν δ' ἐμίγνυντο πᾶσι τοῖς βουλομένοις.
Ησαν λοιπὸν μονοφυεῖς οὕτως οἱ παῖδες τότε,
Μόνας ἐπιγιγνώσκοντες μητέρας, οὐ πατέρας.
Ο Κέκροψ παραγέγονεν Ἀθήνας τῆς Ἑλλάδος
Νομοθετεῖ ταῖς γυναιξὶ τοὺς γάμους τοὺς νομίμους,
B Ἐξ ὧν παῖδες ἐγνώκεισαν τοὺς δύο φυτοσπόρους,
Τὸ πρὶν μόνην γινώσκοντες, ὡς ἔφην, τὴν μητέρα.
Primus omnium in Attica regnat Cecrops,
Primus, qui Biformis dictus fuit, in hunc modum.
Vel, quod magnitudine duorum hominum proceritatem æquaret;
Vel, quod Græcæ linguæ, & Ægyptiæ, peritus esset:
Vel, quod inferius draco, superius homo foret.
Quin aliam quoque ob causam biformem Cecropen vocant.
Græcorum prius mulieres per Græciam,
Non, ut nunc, legitimis jungebantur viris;
C *Sed, ut pecudes, miscebantur omnibus volentibus:*
Erantque tunc unius naturæ liberi,
Solas agnoscentes matres, non patres.
Cecrops accessit Athenas Græciæ,
Constituitque mulieribus nuptias legitimas:
Ex quibus liberi cognoverunt duos parentes;
Ante, solam, ut dixi, cognoscentes matrem.

Videndus quoque Suidas, *in* Κέκροψ & Προμηθεύς.

CAP. IX.

Primus Saturno, & Opi, aram ponit: & instituit, uti domini, postquam fruges, atque fructus, collegissent, una cum servis cibum caperent. Jovem quoque τοῦ Ὑπάτου *cognomento appellavit. Cedreni locus emendatus. Statuitque, ne quid illi animatum offerretur: verum libum,* Πέλανον *quod nominabant, etiam Pausaniæ avo. Eusebii error, & eorum, qui Auctorem hunc sequuti, indicatur. Bovem qualem immolaverit.* Βοῦς, *cujusdam libi species. Bos Empedoclis,* Βοῦς ἕβδομος, *proverbium. Minervæ quoque simulacrum primus ipse dedicavit, & Mercurii.*

NUNC ad ejus instituta veniamus. Quod conjugium instituerit, idque etiam inter causas, cur Biformis diceretur, reputatum, capite superiori jam ostendi. Nec contentus, vitæ suis honestatem præscripsisse, etiam pietatem præcipit; ac decernit, ut Saturnum, atque Opem, venerarentur: primusque illis aram ponit. tum, ut domini cum servis, postquam fruges, atque fructus, collegissent, tanquam sociis laborum, mensam suam etiam communicarent. Macrobius, *Sat. lib.* I. *c.* X. *Philochorus Saturno, & Opi, primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit; eosque Deos pro Jove, Terraque coluisse: instituisseque, ut patres familiarum, & frugibus & fructibus, jam coactis, passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant. delectari enim Deum honore servorum, contemplatu laboris.* F Aræ positæ, etsi sine Dei nomine, meminit Eusebius quoque de *Præp. Evang. l.* X. Ἔπειτα βωμὸν (λέγεται ὁ Κέκροψ) παρ' Ἀθηναίοις ἱδρύσαι πρῶτος. *Deinde aram (dicitur Cecrops) apud Athenienses dedicasse primus.* Primus quoque immolavit, & Jovem nomine appellavit. Idem Eusebius, *Chron.* lib. I. Οὗτος (ὁ Κέκροψ) πρῶτος βοῦν ἔθυσε, καὶ Ζῆνα προσηγόρευσεν. Quod *Hieronymus* ita vertit. *Primus Cecrops, bovem immolans, Jo-*

vem appellavit. Iterum de *Præp. Evang.* l. x. Πρῶτος δὲ Κέκροψ λέγεται Ζῆνα κεκληκέναι τὸν θεὸν, μὴ πρότερον οὕτως παρ' ἀνθρώποις ὠνομασμένον. *Primus vero Cecrops dicitur Jovem appellasse Deum, nondum ita apud homines nominatum*. Eusebium *Cedrenus* sequitur: sed corruptus, & per hanc occasionem emendandus. Οὗτος (ὁ Κέκροψ) πρῶτος βοῦν ἐθαύμασε, καὶ Ζῆνα προσηγόρευσεν. *Hic (Cecrops) primus bovem admiratus est, & Jovem nominavit*. Scribo, πρῶτος βοῦν ἔθυσε. *primus bovem immolavit*. Isidorus Hispalensis, *Orig.* l. VIII. c. XI. *Cecrops primus omnium Jovem appellavit, simulacra reperit, aras statuit, victimas immolavit: nequaquam istiusmodi rebus in Græcia visis*. Eodem modo Freculphus, *Tom.* I. *l.* II. *c.* VIII. Marianus Schotus, *l.* I. item *Abbas Urspergensis*. Ado, nulla nominis dati mentione, tradit, ei sacra fieri præcepisse. *Bovem (Cecrops) immolans, primus in sacrificio Jovem adorari præcepit*. Totidem verbis Lucas Tudensis. De bove immolato, Ivo etiam, in *Chronico*. *Fertur etiam de Cecrope, quod primus bovem Jovi mactaverit*. Et Gotfridus Viterbiensis, *Chronici* Parte IV. de Cecrope loquens.

Ille Jovi pecudes primus in orbe necat.
Mactat oves sibi, sive boves, prior erigit aram;
Morte bovis dat prima Jovi libamina chara:
Et venerans aras, idola, fana, parat.

Sed *Eusebius* vehementer hic erravit; aliosque in errorem suum induxit. Neque enim primus Jovem Cecrops dixit, verum Ὕπατον cognomento appellavit: edocere suos cupiens, summum hunc deorum esse. Id Pausanias verbis sat disertis docet, in *Arcadicis*; ubi, postquam comparationem instituit inter Cecropem, & Lycaonem, coætaneos; ac Lycaonem dixit Jovem Λυκαῖον cognominasse, mox subjungit. Ὁ μὲν γὰρ (Κέκροψ) Δία τε ὠνόμασεν Ὕπατον πρῶτος· καὶ, ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. *Ille enim (Cecrops) & Jovem nominavit Supremum primus, & nihil ei animatum immolandum existimavit: verum liba tantum patria, quæ* πελάνους *etiamnum nominant Athenienses, in ara illi consecravit*. Eodem modo & Cyrillus, *contra Julianum* lib. I. *Primus regnavit Athenis Cecrops, qui cognominatus Biformis. Hunc ferunt primum ex hominibus sacrificasse bovem, nominasseque Jovem apud Græcos* Ὕπατον. Itaque errorem Eusebii satis manifestum feci; cujus verba etiam porro mihi nunc examinanda. nam præterea ita tradit. Πρῶτος βοῦν ἔθυσε. *primus bovem immolavit*. Idque omnes item alii, hunc sequuti, repræsentant. At Pausanias clare ait, nihil animati immolasse; sed duntaxat liba patria, quæ πελάνους appellabant etiam tum Athenienses. Ecce, in *citatis verbis*. Καὶ, ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι. πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ εἰς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. *Et nihil ei animatum immolandum existimavit: verum liba tantum patria, quæ* πελάνους *etiamnum nominant Athenienses, in ara consecravit*. Et hoc ipsum tradit etiam in *Atticis*; ubi refert, sua itidem ætate ante Erechthei fanum in arce eam aram exstitisse. ἔστι δὲ καὶ οἴκημα, Ἐρέχθειον καλούμενον· πρὸ δὲ τῆς εἰσόδου, Διός ἐστι βωμὸς Ὑπάτου, ἔνθα ἔμψυχον θύουσιν οὐδέν. πέμματα δὲ θέντες, οὐδὲν ἔτι οἴνῳ χρήσασθαι νομίζουσιν. *Est & ædes, quam Erechtheum vocant. Antequam vero ingrediaris, est Jovis supremi ara, in qua animatum nihil immolatur: sed, liba tantum imponentes, neque vino etiam uti fas existimant*. Quomodo ergo bovem immolatum esse *Eusebius* dicit? Solvam nodum, & rem clare explicabo. Βοῦς antiquis illis Græcis etiam libum dicebatur, cornua habens, instar bovis. *Hesychius*. Βοῦς, εἶδος πέμματος, κέρατα ἔχοντος. *Bos, species libi, cornua habentis*. Pollux *lib.* VI. *cap.* XI. Πέλανοι δὲ, κοινοὶ πᾶσι θεοῖς. κέκληται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὥσπερ ὁ βοῦς· πέμμα γάρ ἐστι, κέρατα ἔχον. *Pelani vero, omnibus diis sunt communes; ac vocantur a figura, veluti bos: nam est libum, cornua habens*. Talis fuit bos Empedoclis: de quo Diogenes Laertius, in *ejus vita*, lib. VIII. cap. LIII. Καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς, ἐκ μέλιτος, καὶ ἀλφίτων. *Et bovem immolavit theoris Empedocles, ex melle, & farinis*. E Philostratus. *de vita Apoll.* lib. I. cap. I. Καὶ ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ βοῦς, ὃν λέγεται πέμμα ποιησάμενος θῦσαι, τὰ Πυθαγόρου ἐπαινοῦντος ἂν εἴη. *Et bos ille Olympiæ, quem libo facto fertur immolasse, ejus fuerit, qui Pythagoræ doctrinam laudat*. Neque alius item fuit, quem proverbio suo Græci, ἕβδομος βοῦς, designabant: de quo videndi, Apostolius, *Cent.* V. *Proverb.* LXXVI. Diogenianus, *Cen.* III. Proverb. I. *Hesychius*, *Suidas*, & *Eustathius*, ad *Iliad.* Σ. Et hæc quidem de Saturno, Ope, ac Jove, respexit etiam Epiphanius, *Adversus Hæreses*, lib. I. Καὶ μετέπειτα πολλῷ τῷ χρόνῳ τοὺς περὶ Κρόνον, καὶ Δία, Ῥέαν τε καὶ Ἥραν, ἐθεοποιήσαντο· μετηνέχθη δὲ ταῦτα εἰς Ἕλληνας ἀπὸ τῆς ἡλικίας τοῦ Κέκροπος. *Inde longo post tempore Saturnum, Jovem, Rheamque, & Junonem, inter deos retulerunt: eaque omnia in Græciam translata sunt a Cecropis ætate*. Denique Minervæ item simulacrum primus posuit. Eusebius, *de Præp. Evang.* l. x. Καὶ πάλιν (ὁ Κέκροψ λέγεται) πρῶτος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα συστήσασθαι. *Ac rursum Minervæ signum primum Cecrops collocasse memoratur*. Atque hinc Minervam Apulejus *Cecropiam* dixisse existimari potest, *Met.* lib. XI. *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant, deum matrem: hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam*. Consecravit etiam arce, in Minervæ Urbanæ fano, Mercurium, e ligno. Pausanias, in *Atticis*. Κεῖται δὲ ἐν τῷ ναῷ τῆς Πολιάδος (Ἀθηνᾶς) Ἑρμῆς ξύλου, Κέκροπος εἶναι λεγόμενον ἀνάθημα. *Est autem in Urbanæ (Minervæ) fano Mercurius e ligno, quem Cecropis donarium esse ferunt*.

CAP. X.

Hujus tempore Corybantes profugi, cum matre Comba, Athenas veniunt; & inhabitant, donec ille patrem Socum, qui ejecerat, interficeret. Etiam Minervæ contentio cum Neptuno de Athenis tunc evenit; in qua superior Minerva, Urbem a suo nomine dixit. Lutatii locus emendatus. Ejus rei in memoriam festum celebratum fuit: sed Neptunus, ægre ferens, aquis Atticam afflixit. Cujus iram Athenienses ut sedarent, triplici pœna mulieres, quæ suffragiis superaverant, affecerunt. Ejus rei monumenta postea in arce posita, usque ad Pausaniæ tempora permansere. Fabula illa quare, & a quibus, ficta; quando item accidisse, & quo die, memoretur: isque mensis post exemptus. Κέκροψ, *dici postea impostor cœpit: atque illud qua de causa.*

EJUS tempore Corybantes, a patre Soco Creta ejecti, cum matre Comba, profugi Athenas sese recepere: atque ibi habitarunt, quoad Socum tandem ipse interficeret. Nonnus, ubi de illis agit, *Dionys.* lib. XIII. v. 146. &c.

Οὕς ποτε, δυσσεβίης κεκορυθμένος ἄφρονι κέντρῳ,
Σῶκος ἀλιζώνοιο πατὴρ νοσφίσσατο πάτρης,
Κόμβης ἑπτατόκου μετὰ μητέρος. οἱ δὲ φυγόντες,
Κνώσσιον οὖδας ἵκοντο. καὶ ἔμπαλιν ἦσαν ἀλῆται
Ἐς Φρυγίην Κρήτηθεν, ἀπὸ Φρυγίης ἐς Ἀθήνας,
Ἀλλοδαποὶ ναετῆρες ὁμέστιοι. εἰσόκε Κέκροψ
Σῶκον ἀπηλοίησε δίκης ποινήτορι χαλκῷ.
Quos olim, impietatis insano armatus stimulo,
Socus pater mari cincta ejecit patria,
Cum Comba, septem liberorum matre. Hi vero,
fugientes,

Ex Creta in Phrygiam, & e Phrygia Athenas,
Peregrini convictores habitatores; donec Cecrops
Socum occidit justitiæ vindice ferro.

Contentio Minervæ quoque, & Neptuni, de Athenis, ejus tempore accidisse memoratur. Eusebius, *Chron.* l. I. Η τῶν θεῶν κρίσις Ποσειδῶνος καὶ Αθηνᾶς ἐπὶ Κέκροπος μυθεύεται Ελλησι περὶ χώρας. *Hieronymus* ita vertit. *Deorum judicium Neptuni, & Minervæ, de contentione regionis, apud Cecropem.* Et in hac contentione Cecrops judex refertur. Scholiastes Homeri, *Iliad.* l. XVII. Ποσειδῶν, καὶ Αθηνᾶ, περὶ τῆς Αττικῆς ἐφιλονείκουν· καὶ Ποσειδῶν, ἐπὶ τῆς ἀκροπόλεως τῆς Αττικῆς κρούσας τῇ τριαίνῃ, κῦμα θαλάσσης ἐποίησεν ἀναδοθῆναι· Αθηνᾶ δὲ ἐλαίαν. κριτὴς δὲ αὐτῶν γενόμενος Κέκροψ, ὁ τῶν τόπων τῆς Αττικῆς βασιλεὺς, τῇ θεῷ προσένειμε τὴν χώραν, εἰπών· ὅτι θάλασσα μὲν, ἐστὶ πανταχοῦ· τὸ δὲ φυτὸν τῆς ἐλαίας, ἴδιον Αθηνᾶς. *Neptunus & Minerva, de Attica contendebant; at Neptunus, in arce Atticæ tridente feriens, aquam marinam prodire fecit: Minerva vero, oleam. Judex autem factus Cecrops, Atticæ rex, deæ regionem adjudicavit, dicens; mare quidem, ubivis esse: sed oleam, Minervæ propriam.* Inde Nonnus, *Dionysiac.* lib. XXXVI. v. 125. 126.

Μή σε λίπῃ φοίνικος ἔρως καὶ μνῆστις ἐλαίης·
Τίς πάλιν, Εννοσίγαιε, δικασπόλος ἐνθάδε Κέκροψ;
Nec te relinquat palmæ amor, neque recordatio olivæ:
Quis rursus, Neptune, hic judex Cecrops?

Iterum, *lib.* XLIII. *v.* 125. *&c.*

Αλλὰ παλαιοτέρην μετὰ Παλλάδα μάρτυρι Βάκχῳ,
Κέκροψ ἄλλος ἵκοιτο δικασπόλος, ὄφρα καὶ αὐτὴ
Αμπελος ἀείδοιτο φερέπτολις, ὥσπερ ἐλαίη.

Sed antiquiorem post Palladem testi Baccho,
Cecrops alius veniat judex, ut & ipsa
Vitis decantetur urbem ferens, tanquam oliva.

Alii, Cranaum judicem faciunt: rursum alii Erechtheum. Sed Apollodorus tradit, duodecim deos litem illam disceptasse, *lib.* III. Επὶ τούτου (τοῦ Κέκροπος,) φασὶν, ἔδοξε τοῖς θεοῖς πόλεις καταλαβέσθαι, ἐν αἷς ἔχειν τιμὰς ἰδίας ἕκαστος, ἧκεν οὖν πρῶτος Ποσειδῶν ἐπὶ τὴν Αττικὴν, καὶ, πλήξας τῇ τριαίνῃ κατὰ μέσην τὴν ἀκρόπολιν, ἀνέφηνε θάλασσαν, ἣν νῦν Ερεχθηΐδα καλοῦσι. μετὰ δὲ τοῦτον, ἧκεν Αθηνᾶ καὶ, ποιησαμένη τῆς καταλήψεως Κέκροπα μάρτυρα, ἐφύτευσεν ἐλαίαν, ἣ νῦν ἐν τῷ πανδροσίῳ δείκνυται· γενομένης δὲ ἔριδος ἀμφοῖν περὶ τῆς χώρας, Αθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα διαλύσας Ζεὺς, κριτὰς ἔδωκεν· οὐχ, ὡς εἶπόν τινες, Κέκροπα, ἢ Κραναὸν, οὐδὲ Ερεχθέα, θεοὺς δὲ δώδεκα· καὶ, τούτων δικαζόντων, ἡ χώρα τῆς Αθηνᾶς ἐκρίθη, Κέκροπος μαρτυρήσαντος, ὅτι πρῶτον τὴν ἐλαίαν ἐφύτευσεν. *Sub hoc, (Cecrope) ajunt, visum fuit diis urbes capere, in quibus honores sibi unusquisque proprios habiturus esset. Primus igitur Neptunus venit in Atticam; ac, percusso media in arce solo, mare provenire fecit, etiamnum Erechtheum appellatum. Venit post hunc & Minerva; atque, capto occupationis suæ teste Cecrope, oleam plantavit. quæ nunc etiam in Pandrosi fano visitur. ac, cum ambo de regione concertarent, Jupiter, Minervam & Neptunum dirimens, judices dedit; non, ut memorant nonnulli, Cecropem, aut Cranaum, aut Erechtheum, sed deos duodecim: quibus litem disceptantibus, postquam Cecrops testaretur, oleam prius a Minerva plantatam esse, regio Minervæ adjudicata fuit.* Ovidius, de judicibus quidem, idem dicit; verum variat in eo, quod productum a Neptuno equum dicat, & non aquam: ita enim verba ejus sese habent, *Metamorph.* lib. VI. v. 70. &c.

Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam terræ de nomine litem.
Bis sex cælestes, medio Jove, sedibus altis
Augusta gravitate sedent. sua quemque deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago.
Stare deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi
Exiluisse ferum, quo pignore vindicet urbem.
At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capitis, defenditur ægide pectus:
Percussamque sua simulat de cuspide terram
Edere cum baccis fœtum canentis olivæ.

Statius, *Theb. lib.* XII. *v.* 642. &c.

Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens.
Lis superum, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret umbra.

Ubi quamquam *Statius* de mari dicat, a Neptuno producto, tamen *Lutatius*, vetus Interpres, de equo tradit. *Dicit arcem Thebarum, (scribo, Athenarum,) de qua Neptuno, & Minervæ, dicitur fuisse certamen. percussa Neptuno terra, equum dedit indicium belli: Minervæ vero olivam, pacis insigne.* De equo, etiam Virgilius auctor. *Georgic.* lib. I. v. 12. 13.

—— tuque o, cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridente.

Ac videndus illic *Servius*. Augustinus, de aqua consentit: quamquam rem hanc cæteroquin aliter referat. Ecce verba, *De Civit. Dei* lib. XVIII. cap. IX. *Ut Athenæ vocarentur, quod certe nomen a Minerva est, quæ Græce Αθηνᾶ dicitur, hanc causam Varro indicat. Cum apparuisset illis repente olivæ arbor, & alio loco aqua erupisset, regem prodigia ista moverunt; & misit ad Apollinem Delphicum, sciscitatum: quid intelligendum esset, quidve faciendum. Ille respondit; quod olea, Minervam significaret: unda, Neptunum. & quod esset in civium potestate, ex cujus nomine potius duorum deorum, quorum signa illic essent, civitas vocaretur. Isto Cecrops oraculo accepto, cives omnes utriusque sexus, (mos enim tunc in iisdem locis erat, ut etiam fœminæ publicis consultationibus interessent,) ad ferendum suffragium convocavit. Consulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fæminæ pro Minerva tulere sententias: &, quia una plus est inventa fæminarum, Minerva vicit.* Freculphus, *Chron.* Tom. I. lib. II. cap. VII. *Deorum judicium Neptuni, & Minervæ, de contentione regionis, apud Cecropem actum fuisse confingitur, hunc in modum.* Ac deinde ipsis *Augustini* verbis, quæ jam posui, rem enarrat: ut & *Abbas Urspergensis*. Itaque dirempta in hunc modum lite, suo nomine Minerva urbem Athenas dixit: at Neptunus, animo iniquo ferens, se hac causa cecidisse, immisso ad campum Thriasium mari, Atticam totam inundavit. Apollodorus, *loco citato*. Αθηνᾶ μὲν οὖν ἀφ᾽ ἑαυτῆς τὴν πόλιν ἐκάλεσεν Αθήνας· Ποσειδῶν δὲ, θυμῷ ὀργισθεὶς, τὸ Θριάσιον πεδίον ἐπέκλυσε, καὶ τὴν Αττικὴν ὕφαλον ἐποίησεν. *Minerva itaque de seipsa urbem Athenas nominavit: sed Neptunus, animo iratus, Thriasium campum obruit, Atticamque universam mari mersit.* Augustinus, *loco citato*, præter illam quasi regionis pœnam, alias tres fæminarum item ponit. nempe, ex eo constitutum, ut suffragium nulla deinceps ullum ferret; neve ultra Αθηναῖαι, sicut ante, dicerentur: &, ne liberi matris nomine vocarentur. Verba ejus ecce ista. *Tunc Neptunus iratus, marinis fluctibus exæstuantibus terras Atheniensium populatus est. cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem auctor ab Atheniensibus affectas esse mulieres; ut nulla ulterius ferrent suffragia: ut nullus nascentium maternum nomen acciperet: ut ne quis eas Αθηναίας vocaret.* Ac paullo post iterum. *In mulieribus, quæ sic*

punitæ sunt, & Minerva, quæ vicerat, victa est; nec affuit suffragatricibus suis, ut, suffragiorum deinceps perdita potestate, & alienatis filiis a nominibus matrum, Ἀθηναίας *saltem vocari liceret: & ejus deæ mereri vocabulum, quam viri dei victricem fecerant ferendo suffragium.* Quæ habes etiam apud Albertum Stadensem, in *Chronico*. *Hyginus* dicit, nec immissum quidem mare; sed Neptunum voluisse id duntaxat, ac cœpisse: at Mercurium, Jovis jussu, vetuisse. Ecce verba, *Fab.* CLXIV. *Inter Neptunum, & Minervam cum esset certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet, Jovem judicem ceperunt. Minerva, quod primum in ea terra oleam sevit, quæ adhuc dicitur stare, secundum eam judicatum est. At Neptunus iratus, in eam terram mare cœpit irrigare velle: quod Mercurius, Jovis jussu, id ne faceret, prohibuit.* Rursum alii tradidere, injecisse Atheniensibus Neptunum corrupta consilia: quæ Minerva in melius tamen commutaret. *Scholiastes Aristophanis*, ad Nubes: Φασὶν, ὅτι Ποσειδῶν, ἡττηθεὶς τῇ Ἀθηνᾷ, δυσβουλίαν ἐπέβαλεν Ἀθηναίοις· τὴν Ἀθηνᾶν δὲ, τὰ βουλευόμενα καλῶς μεταβάλλειν. *Ferunt victum a Minerva Neptunum mala consilia Atheniensibus immisisse: sed Minervam ea semper in melius vertere.* Tamen festum, in memoriam victoriæ, deæ honori celebrarunt. Proclus, in *Timæum*, *Commentario* I. ἔτι τοίνυν τὰ νικητήρια τῆς Ἀθηνᾶς παρ' Ἀθηναίοις ἀνύμνηται· καὶ ἑορτὴν ποιοῦνται ταύτην, ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς νικωμένου. *Quin etiamnum præmia victoriæ Minervæ apud Athenienses celebrata sunt: atque istud festum habent, ceu Neptuno a Minerva superato.* Certe, quod Minervæ munus oleam attinet, & Neptuni item aquam: ejus rei monumentum etiam in arce Athenis sua ætate exstitisse, refert Pausanias, in *Atticis*. Πεποίηται δὲ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ, καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν. *Est ibi & Minervæ, oleam producis, simulacrum: & Neptuni item, aquam.* Quin contentio universa, in Parthenone expressa erat. Pausanias, *ibidem*. Τὰ δὲ ὄπισθεν, (τοῦ Παρθενῶνος,) ἡ Ποσειδῶνος πρὸς Ἀθηνᾶν ἐστιν ἔρις ὑπὲρ τῆς γῆς. *In postica (Parthenonis) parte, Neptuni cum Minerva de terra certamen est.* Totam vero eam fabulam confinxere prisci Athenarum reges, ut a maris cogitatione cives ad agrorum cultum abducerent. Id accipio ex Plutarcho, in *Themistocle*. Ἐκ δὲ τούτου τὸν Πειραιᾶ κατεσκεύαζε τὴν τῶν λιμένων εὐφυΐαν κατανοήσας, καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἁρμοττόμενος πρὸς τὴν θάλατταν, καὶ τρόπον τινὰ τοῖς παλαιοῖς βασιλεῦσι τῶν Ἀθηναίων ἀντιπολιτευόμενος. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ, ὡς λέγεται, πραγματευόμενοι τοὺς πολίτας ἀποσπάσαι τῆς θαλάσσης, καὶ συνεθίσαι ζῆν μὴ πλέοντας, ἀλλὰ τὴν χώραν φυτεύοντας, τὸν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς διέδοσαν λόγον, ὡς, ἐρίσαντος περὶ τῆς χώρας τοῦ Ποσειδῶνος, δείξασα τὴν μορίαν τοῖς δικασταῖς, ἐνίκησε. *Hinc Piræum, animadversa portus commoditate, exstruxit; totamque urbem ad mare accommodavit. contrariam quodammodo reip. regendæ rationem, ab ea quam veteres Atheniensium reges tenuissent, instituens. Illi enim, uti ajunt, id operam dantes, ut a mari cives suos avocarent, & ad relinquendas naves, atque agrorum item cultum, assuefacerent, divulgarunt, quæ feruntur de Minerva; quod, Neptuno de regione contendente, postquam oleam produxisset, causam suam apud judices obtinuerit.* Credebant vero, factam hanc contentionem Boedromionis die secundo: qua de causa etiam mensi eum diem eximebant. Idem hoc Plutarchus docet, *Symposiac.* l. IX. Probl. VI. Τὴν δευτέραν τοῦ Βοηδρομιῶνος ἡμέραν ἐξαιροῦμεν, οὐ πρὸς τὴν σελήνην, ἀλλ' ὅτι ταύτῃ δοκοῦσιν ἐρίσαι περὶ τῆς χώρας οἱ θεοί. *Secundum Boedromionis diem eximimus, non id lunæ ratione, sed quod eo de regione dii olim contendisse videantur.* Denique, quia Neptunus, qui produxerat equum prior, fraude Cecropis, in Minervam propendentis, ac testantis, ab eadem oleam prolatam prius, lite illa cecidisset, ut Apollodorus refert, hinc videtur factum esse, ut pro homine impostore, atque vulpis instar vafro, Κέκροψ Græcis diceretur. Docet illud nos *Hesychius*, in doctissimis Glossis suis: Κέκροψ, ἀπατεὼν, ἢ πίθηκος, *Cecrops, impostor, aut vulpes.* Alciphron, in *Epistolæ Phœbianæ ad Anicetum*. Πέπαυσο, Κέκροψ ἄθλιε, καὶ τρέπου κατὰ σεαυτόν. *Desine, impostor miser, ac tecum versare.* Aristophanes. *Equitibus*.

Κεκροπίδη κακόβουλε, τί τοῦθ' ἡγεῖ μέγα τοὔργον;
Impostor malesuade, an hoc putas magnum opus?

CAP. XI.

Uxor ejus, Actæi filia, Agraulus; sive, Agraulis: liberi, quatuor. Filius, Erysichthon; qui Delum occupat, & Apollinis Delii illic fanum struit: eaque de re Cedreni locus emendatus, atque error Mariani Scoti ostensus. E Delo discedens, & Lucinæ inde signum secum abducens, in itinere ipso moritur: Prasiisque sepelitur, vivo patre. Filiæ tres, Agraulus, Herse, & Pandrosus, custodiendum a Minerva Erichthon. accipiunt. quanquam alii, de Pandroso, & Agraulo; alii, de Pandroso sola id commemorent. Hygini memoriæ lapsus. Minerva Δρακαύλος. *Earum mors: ejusque causa. Agraulus, in saxum versa, a Mercurio. Ulpiani de illius morte error. Populus, ab ipsa dictus. Ejus filia, item templum; & in eo, jusjurandum a juventute dari solitum: tum & festum, quod* Πλυντήρια *nuncupabant. Etiam sacra. Homo illi apud Cyprios immolatus: & quam diu. Sacerdotes,* Ἀγλαυρίδες. *Herse, a Mercurio amata: filiusque ex eo, Cephalus. Ejus festum,* Ἐρσηφόρια. *Pandrosus, item a Mercurio adamata: filiusque ex eo, Ceryx: a quo Cerycum familia. Ejus templum, atque festum.*

UXOREM Cecrops habuit Agraulum, Actæi filiam; e qua liberos suscepit, Erysichthonem, filium unicum: filiasque, Agraulum, (sive mavelis Aglaurum, nam indifferenter scribitur apud Auctores;) item Hersen, & Pandrosum. Apollodorus. *l.* III. Κέκροψ δὲ, γήμας τὴν Ἀκταίου κόρην Ἄγραυλον, παῖδας μὲν ἔσχεν, Ἐρυσίχθονα, ὃς ἄτεκνος μετήλλαξε· θυγατέρας δὲ, Ἄγραυλον, Ἕρσην, Πάνδροσον. *Cecrops vero, ducta uxore filia Actæi Agraulo, liberos habuit, Erysichthonem, qui decessit sine prole: filias vero, Agraulum, Hersen, & Pandrosum.* Alii, uxorem ejus non Agraulum, sed Agraulidem appellant. Porphyrius, *De Abst.* l. II. Τῇ Ἀγραύλῳ, τῇ Κέκροπος, καὶ Νύμφης Ἀγραυλίδος, *Agraulo, filiæ Cecropis, & Nymphæ Agraulidis.* Uxorem ei Actæi filiam, etsi non expresso nomine, & eosdem plane liberos, tribuit etiam Pausanias, in *Atticis suis*. Ἀποθανόντος δὲ Ἀκταίου, Κέκροψ ἐκδέχεται τὴν ἀρχὴν, θυγατρὶ συνοικῶν Ἀκταίου. καὶ οἱ γίγνονται θυγατέρες μὲν, Ἕρση, καὶ Ἄγλαυρος, καὶ Πάνδροσος· υἱὸς δὲ, Ἐρυσίχθων. *Mortuo vero Actæo, excipit principatum Cecrops, qui Actæi filiam uxorem duxerat. eique natæ sunt filiæ quidem, Herse, & Aglaurus, & Pandrosos: filius vero, Erysichthon.* Atque Erysichthon quidem, Delum insulam occupavit. Athen. *libro* IX. Φανόδημος, ἐν δευτέρῳ Ἀτθίδος, φησὶν, ὡς κατεῖχεν Ἐρυσίχθων Δῆλον τὴν νῆσον. *Phanodemus, libro Atthidis secundo, ait, Erysichthonem insulam Delum occupasse.* Et ibidem templum Apollinis Delii struxit. *Eusebius*. Τὸ ἐν Δήλῳ ἱερὸν Ἀπόλλωνος Δηλίου ὑπὸ Ἐρυσίχθονος, υἱοῦ Κέκροπος, ἱδρύνθη. Hieronymus. *Apollinis Delii templum ab Erysichthone, filio Cecropis, fabricatum est.* Emendandus est *Cedrenus*. Ἐπὶ τούτου (τοῦ Κέκροπος) τὸ ἐν Δήλῳ ἱερὸν Ἀπόλλωνος Δηλίου ὑπὸ Ἐρυσίχθονος, υἱοῦ Κέκροπος, ἱδρύνθη. *Sub eo (Cecrope) in Delo fanum Apollinis Delii ab Erysichthone, Cecropis filio, dedicatum est.* Hodie edi-

tur, ὑπὸ Ἐρυχθονίου, υἱοῦ Κ. *ab Erichthonio, filio C.* Marianus Scotus. *Templum Delii (Apollinis) constructum ab Erysichthone filio Cecropis est.* Verum errat vehementer, dum id tradit factum regis Amphictyonis anno octavo; qui est decimus septimus post mortem Cecropis: quo etiam vivo diem Erysichthon obiit, ut mox dicam. Ac deinde, hinc discedens, Lucinæ quoque simulacrum inde abduxit: quod Athenis in Lucinæ templo positum. Pausanias, in *Atticis*, ubi de Lucinæ templo. Μόνοις δὲ τοῖς Ἀθηναίοις τῆς Εἰλειθυίας κεκάλυπται τὰ ξόανα ἐς ἄκρους τοὺς πόδας. τὰ μὲν δύο, Κρητικὰ εἶναι, καὶ Φαίδρας ἀναθήματα, ἔλεγον αἱ γυναῖκες. τὸ δὲ ἀρχαιότατον, Ἐρυσίχθονα ἐκ Δήλου κομίσαι. *Apud solos Athenienses simulacra Lucinæ ad summos usque pedes velata sunt. quorum duo, Cretica esse, & a Phædra dedicata, fœminæ dicebant: quod vero antiquissimum erat, e Delo Erysichthonem attulisse.* Obiit vero in itinere, dum e Delo Athenas redit, Prasiisque sepelitur: ubi auctor est Pausanias, ejus sua quoque ætate monumentum extitisse, *istis verbis.* Ἔστι δὲ μνῆμα ἐπὶ Πρασιαῖς Ἐρυσίχθονος, ὃς ἐκομίζετο ὀπίσω μετὰ τὴν θεωρίαν ἐκ Δήλου, γενομένης οἱ κατὰ τὸν πλοῦν τῆς τελευτῆς. *Est vero monumentum Erysichthonis Prasiis: qui, cum e Delo, quo cum sacris iverat, domum reverteretur, in ipso navigationis cursu decessit.* Decessit autem, vivo etiam tum patre. Idem Pausanias, *loc. cit.* Οὗτος (ὁ Ἐρυσίχθων) οὐκ ἐβασίλευεν Ἀθηναίων, ἀλλά οἱ τοῦ πατρὸς ζῶντος τελευτῆσαι συνέβη. *Hic (Erysichthon) Athenienſium regnum non accepit, siquidem evenit ipsi, ut vivo patre moreretur.* Filias ejus plane eodem modo refert Ulpianus, ad Demosthenem, *de falsa legatione.* Ἄγραυλος, καὶ Ἕρση, καὶ Πάνδροσος, θυγατέρες Κέκροπος. ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος. *Agraulus, & Herse, & Pandrosus, filiæ Cecropis: uti auctor est Philochorus.* Videndus quoque Stephanus, *in* Ἀγραυλή. Pandrosus vero, *Fulgentio* Pandora dicitur, *Mythologici* l. II. His Minerva Erichthonium, cistæ inclusum, custodiendum commisisse memoratur: ac mandasse, ne inspicerent. Pausanias, in *Atticis.* Ἀγλαύρῳ δὲ, καὶ ταῖς ἀδελφαῖς, Ἕρσῃ, καὶ Πανδρόσῳ, δοῦναι φασὶν Ἀθηνᾶν Ἐριχθόνιον καταθεῖσαν εἰς κιβωτὸν, ἀπειποῦσαν εἰς τὴν παρακαταθήκην μὴ πολυπραγμονεῖν. *Aglauro vero, ejusque sororibus, Hersæ, & Pandroso, Minervam ajunt Erichthonium, in cistam abditum, commisisse, admonitis, ne de deposito nimis curiosæ essent.* Hyginus, Fab. CLXVI. *Quem (Erichthonium) cum Minerva clam nutriret, dedit in cistula servandum Aglauro, Pandroso, & Hersæ, Cecropis filiabus.* Ovidius, *Metamorph.* lib. II. v. 553. &c.

> *Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,*
> *Clauserat Actæo texta de vimine cista;*
> *Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,*
> *Servandam dederat, sed non confessa, quid esset:*
> *Et legem dederat, sua ne secreta viderent.*

Lactantius, de hac ipsa re, *libro* I. *cap.* XVII. *Virgo cum puerum, cum dracone conclusum, & obsignatum, tribus virginibus Cecropidis commendavit.* Neque aliter Antigonus Carystius, *Hist. Mirab.* cap. XII. Alii dicunt, tantum duabus commisisse; nempe Aglauro, & Pandroso. Germanici interpres. *Natus est Erichthonius: quem Minerva in cista abscondidit, draconeque custode apposito, duabus sororibus, Aglauro, & Pandroso, commendavit.* Totidem verbis Fulgentius, *Mythologici* lib. II. nisi quod Pandora ipsi, quæ Pandrosus aliis dicitur: ut jam monui. Rursum, soli Pandroso creditum depositum istud, memorat Apollodorus, *lib.* III. Φυγούσης δὲ αὐτῆς, (τῆς Ἀθηνᾶς;) καὶ τῆς γονῆς εἰς γῆν πεσούσης. Ἐριχθόνιος γίνεται. τοῦτον Ἀθηνᾶ κρύφα τῶν ἄλλων θεῶν ἔτρεφεν, ἀθάνατον θέλουσα ποιῆσαι. καὶ καταθεῖσα αὐτὸν εἰς κίστην, Πανδρόσῳ τῇ Κέκροπος παρακατέθετο, ἀπειποῦσα τὴν κίστην ἀνοίγειν. *Cum vero fugeret ipsa, (Mi-*

A *nerva,) caderetque in terram semen, nascitur Erichthonius. Hunc Minerva clam alios deos educabat, immortalem facere volens: atque in cista collocatum deposuit apud Pandrosum, Cecropis filiam: prohibens, ne cistam eam aperiret.* Destituit memoria Hyginum, cum Erechthei filiabus datum Erichthonium custodiendum nobis refert, in *Poetico Astronomico*, ubi de Heniocho agit. *Eum (Erichthonium) dicitur Minerva in cista quadam, ut mysteria, contectum, ad Erechthei filias detulisse, & his dedisse servandum: quibus interdixit ne cistulam aperirent.* Sic peccatum quoque earum, in deposito adservando, varie narrant. Antigonus Carystius, aperuisse cistam Pandrosum, & Agraulum, refert, *Hist. Mirab.* c. XII. Τὰς δὲ Κέκροπος θυγατέρας τὰς δύο, Ἄγραυλον, καὶ Πάνδροσον, τὴν κίστην ἀνοῖξαι. *Cecropis vero filias duas, Agraulum, & Pandrosum, cistam aperuisse.* Athenagoras, in *Orat. pro Christianis.* Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς, καὶ μυστήρια, ἄγουσι, καὶ Πανδρόσῳ, αἳ ἐνομίσθησαν ἀσεβεῖν, ἀνοίξασαι τὴν λάρνακα. *Agrauli, & Pandrosi, cæremoniæ, & mysteria peraguntur Athenis: quæ quidem, quod arcam aperuissent, impie egisse existimatæ sunt.* Apollodorus, culpam impingit Aglauro, & Hersæ. Αἱ ἀδελφαὶ τῆς Πανδρόσου, ἀνοίγουσιν, ὑπὸ περιεργίας. *Pandrosi sorores, præ curiositate, aperiunt.* Aglaurum accusat Ovidius, *Metamorph.* II. v. 558. &c.

> *—— commissa duæ sine fraude tuentur,*
> *Pandrosus, atque Herse: timidas vocat una sorores*
> *Aglaurus, nodosque manu diducit.*

Ac *postea iterum*, v. 748. 749.

> *Auspicit hunc oculis iisdem, quibus abdita nuper*
> *Viderat Aglaurus flavæ secreta Minervæ.*

Et, ad ejus exemplum, Josephus Devonius; qui ante annos CCCC. *de bello Trojano* libros sex scripsit, editos sub nomine Daretis Phrygii. Verba ejus, ubi de Minerva loquitur, ita habent, lib. II.

> *At virgo est: negat Aglaurus, negat anguis apertus.*

Quia vero in hac cista, quam Minerva filiabus Cecropis custodiendam commendaverat, draco quoque inclusus erat, ut Auctores illi tradunt, quos citavi, eam ob rem Sophocli Δρακαυλος illa nominatur, in *Tragœdia*, quæ inscribitur, *Tympanistæ.* Vide *Suidam*, & *Auctorem* Etymologici, *in* Δρακαυλος. De morte earum, ita traditur. Cum Minervæ, quæ vetuerat, ne in cistulam inspicerent, morem minime gessissent, ita dea in furorem concitatæ, se præcipites de prærupto arcis loco dejecere. Hyginus, in *Poetico Astronomico*, ubi de Heniocho agit. *Sæpius virgines cistulam aperiunt, & anguem viderunt. quo facto, insania a Minerva injecta, de arce Athenienſium se præcipitaverunt.* Iterum, *Fab.* CLXVI. *Hæ cum cistulam aperuissent, cornix indicavit. illæ, a Minerva insania objecta, ipsæ se in mare præcipitaverunt.* Pausanias dicit, paruisse Pandrosum: sed Aglaurum, atque Hersen, eo modo periisse, in *Atticis.* Πάνδροσον μὲν δὴ, λέγουσι πεισθῆναι. τὰς δὲ δύο, ἀνοῖξαι γὰρ σφᾶς τὴν κιβωτὸν, μανῆναί τε, ὡς εἶδον τὸν Ἐριχθόνιον, καὶ κατὰ τῆς ἀκροπόλεως, ἔνθα ἦν μάλιστα ἀπότομον, αὑτὰς ῥῖψαι. *Pandrosum quidem, paruisse ferunt; sorores vero, siquidem cistam aperuerant, furore actas, cum viderent Erichthonium, se de arcis maxime prærupto loco precipites egisse.* Idem dicit *Apollodorus*; adjungit, ex sententia aliorum, a dracone, qui cum Erichthonio erat cistæ inclusus, interfectas, Αἱ ἀδελφαὶ τῆς Πανδρόσου, ἀνοίγουσιν ὑπὸ περιεργίας (τὴν κίστην,) καὶ θεῶνται

τῷ βρέφει περιεσπειραμένον δράκοντα. καὶ, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, ἀπ' αὐτοῦ διεφθάρησαν τοῦ δράκοντος. ὡς δὲ ἔνιοι, δι' ὀργὴν Ἀθηνᾶς ἐμμανεῖς γενόμεναι, κατὰ τῆς ἀκροπόλεως αὐτὰς ἔρριψαν. *At Pandrosi sorores, quod curiosæ admodum forent, cistam aperiunt, & advolutum circum puerum draconem vident. Neque desunt, qui occisas a dracone ipso dicant: alii tradunt, ob iram Minervæ in furorem actas, de arce se præcipitasse.* Aliud Ovidius tradit *de Aglauro*; nempe, cum Mercurium vellet aditu ad sororem Hersen prohibere, commutatam in saxum esse. Videatur, *Metamorph.* l. II. Errat autem vehementer Ulpianus; qui hanc, bello contra Eumolpum, Erechtheo rege, ultro sese pro salute patriæ suæ morti obtulisse refert, *Commentario* ad Demosthenis Orat. de *falsa legat.* istis verbis. Λέγουσι δὲ, ὅτι, πολέμου συμβάντος παρ' Ἀθηναίοις ὅτε Εὔμολπος ἐστράτευσε κατὰ Ἐρεχθέως, καὶ μηκυνομένου τούτου, ἔχρησεν ὁ Ἀπόλλων, ἀπαλλαγήσεσθαι, ἐάν τις ἀνέλῃ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως. ἡ τοίνυν Ἄγραυλος, ἑκοῦσα αὑτὴν ἐξέδωκεν εἰς θάνατον. ἔρριψε γὰρ ἑαυτὴν ἐκ τοῦ τείχους. *Ajunt vero, cum bello peterentur Athenienses, infestum exercitum contra Erechtheum ducente Eumolpo, atque id protraheretur; respondit Apollo, finem fore, si quis semet pro rep. occidisset. Agraulus itaque, ultro se in mortem obtulit, ac de muro præcipitavit.* Nam non Cecropis filiarum una fuit, quæ se bello hoc devovit pro republica, sed Erechthei, uti infra sum dicturus: ac repugnat valide temporis intervallum. siquidem a fine Cecropis, ad Erechthei principium, anni centum, & novem intersunt. Porro, Agraulo ex Marte filia fuit, Alcippe. *Apollodorus.* Ἀγραύλου μὲν οὖν, καὶ Ἄρεος, Ἀλκίππη γίνεται. *Itaque Agrauli quidem filia, & Martis, Alcippe fuit.* Ejusque mortuæ in honorem populus Agraule dictus. *Stephanus.* Ἀγραυλὴ, δῆμος Ἀθήνησι, τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ἀπὸ Ἀγραύλου, τῆς Κέκροπος θυγατρός. *Agraule, populus Athenis, tribus Erechtheidis: ab Agraulo, Cecropis filia.* Quin divinos quoque honores habuere, structo templo. Meminit ejus Pausanias, in *Atticis*. Ὑπὲρ δὲ τῶν Διοσκούρων τὸ ἱερὸν, Ἀγραύρου τέμενός ἐστιν. *Supra Dioscurorum vero fanum, est Agrauli.* Herodotus, *lib.* VIII. *cap.* LIII. Ἀνέβησάν τινες κατὰ τὸ ἱερὸν τῆς Κέκροπος θυγατρὸς Ἀγραύλου. *Ascenderunt nonnulli juxta fanum Agrauli, Cecropis filiæ.* Polyænus, *libro* I. *cap.* XXI. §. 2. Οἱ ἐπίκουροι προελθόντες, καὶ τὰ ὅπλα ἀράμενοι, κατήνεγκαν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀγραύλου. *Auxiliares progressi, atque arma tollentes, ea in Agrauli templum detulerunt.* Quin etiam Salamine Cypri templum habebat: ut videre est apud Porphyrium, *de Abst.* lib. II. In eo vero, quod Athenis structum dixi, juventus Attica jusjurandum suum dabat, de tutanda patria, ejusque legibus, ac sacris. De quo vide, quæ jampridem annotavi, *Athenarum Atticarum* lib. I. c. VII. Ac sacra illi fieri solita. Athenagoras, *Orat. pro Christ.* Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς, καὶ μυστήρια, ἄγουσι. *Et Agraulo Athenienses cæremonias, ac mysteria, celebrabant.* Atque sacerdotes ei constitutæ, Ἀγραυλίδες nuncupatæ. Observo apud *Hesychium*. Ἀγραυλίδες. ἱέρειαι, παρὰ Ἀθηναίοις. *Aglaurides. sacerdotes, apud Athenienses.* Ita enim eum locum corrigendum monui olim, *Attic. Lect.* l. VI. cap III. Tum & Salamine Cypri, ubi templum item habuisse dixi, sacra illi celebrata: quibus homo immolatus, usque ad Diomedis tempora. Porph. *de Abst.* l. II: Ἐν δὲ τῇ νῦν Σαλαμῖνι, πρότερον δὲ Κορωνίδι ὀνομαζομένῃ, μηνὶ κατὰ Κυπρίους Ἀφροδισίῳ, ἐθύετο ἄνθρωπος τῇ Ἀγραύλῳ, τῇ Κέκροπος, καὶ Νύμφης Ἀγλαυρίδος, καὶ διέμενε τὸ ἔθος, ἄχρι τῶν Διομήδους χρόνων. *Ac Salamine quidem, quæ olim Coronis dicebatur, mense Cypriis Aphrodisio, immolabatur homo Agraulo, Cecropis, & Nymphæ Agraulidis, filiæ: obtinuitque is mos, usque ad Diomedis tempora* Theodoretus, *Therapeut.* lib. VII. Καὶ ἐν Σαλαμῖνι τῆς Κύπρου ἄνθρωπος ἐθύετο τῇ Ἀγραύλῳ. *Et Salamine Cypri homo immolabatur Agraulo.* Athenienses, præter templum atque sacra, etiam festum instituerunt, quod Πλυντήρια nuncupabant. *Hesychius.* Πλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγλαύρῳ, τῇ Κέκροπος θυγατρὶ, ἄγουσιν. *Plynteria, festum Athenis, quod in honorem Aglauri, Cecropis filiæ, celebrant.* Quod ad Hersen attinet, eam amavit Mercurius, canistrum ferentem in Minervæ festo intuitus: & Agraulum, præ invidia prohibere cupientem, quod jam dixi, in saxum vertit. Ovidius, *Met.* lib. II. v. 724. &c.

> *—— virginibus præstantior omnibus Herse*
> *Ibat: eratque decus pompæ, comitumque suarum.*
> *Obstupuit forma Jove natus: &, æthere pendens,*
> *Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum*
> *Funda jacit. ——*

Et quæ plura illic canit. Ac potitum ejus concubitu, Cephalumque genuisse, discimus ex *Apollodori* istis verbis. Ἕρσης δὲ, καὶ Ἑρμοῦ, Κέφαλος. *Herses vero, & Mercurii, filius Cephalus.* Festum quoque ei actum, Ἑρσηφόρια appellatum. *Etymologici Auctor.* Παρὰ τὴν Ἕρσην, Κέκροπος θυγατέρα, Ἑρσηφόρια· ταύτῃ γὰρ ἦγον τὴν ἑορτήν. *Ab Herse, Cecropis filia, Hersephoria nominata: illi enim festum istud celebrabant.* Suidas. Ἑρσηφόρια. τῇ γὰρ Ἕρσῃ ἐπόμπευον, τῇ Κέκροπος θυγατρί. *Hersephoria. quia Hersæ, Cecropis filiæ, pompam ducebant.* Denique, ut sororem Hersen, sic Mercurius & Pandrosum adamavit: & Cerycem ex ea sustulit, Cerycum postea familiæ auctorem. Videndus Pollux, *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXII. & Homeri Scholiastes, *Iliad.* α. Quanquam Pausanias, in *Atticis*, eum Mercurio, & Aglauro, natum dicat. Accurate hac de re commemoravimus in Syntagmate *de Familiis Atticis*, in Κήρυκες. Quin conjunctum cum Minerva templum habuit, & communia quoque sacra. Vide quæ notata mihi in rem istam, *Attic. Lect.* lib. III. cap. XXII. quæ non lubet hic repetere. Festum etiam habuisse, doceo *Græciæ Feriatæ* lib. V. Illic vide, si est tanti.

CAP. XII.

Periit in mari rubro; Mosi coætaneus, cujus anno trigesimo quinto regnum incepit. Israelitæ, ut quidam volunt, anno ejus quadragesimo quinto ex Ægypto educti. Regnavit annos quinquaginta; & sepulcrum ei Athenis structum in arce, in Minervæ fano, idque juxta ejus signum: tum in cælum quoque illatus, & Aquarius est putatus.

TANDEM in mari rubro periit, cum Pharaone, Ægypti rege, persequens Israelitas. Honorius, in *Chronico*. *Cum Pharaone submersus est (Cecrops) in mari rubro.* Totidem verbis etiam Albertus Stadensis, in *suo Chronico*. Nemo hoc quidem alius tradit: verum Mosi coætaneum plures faciunt. Freculphus, *Chron.* Tom. I. lib. II. cap. VIII. *Sine ulla ambiguitate Moses, & Cecrops, qui primus Atheniens. rex fuit, iisdem fuere temporibus.* Et regnum incepit trigesimo quinto ejus anno. Cyrillus, contra *Julianum*, l. I. *Tricesimo quinto anno Mosis primus regnavit Athenis Cecrops, qui cognominatus Diphyes.* Cecropis vero anno quadragesimo quinto Israelitas Moses ex Ægypto eduxit. *Eusebius.* Τῷ τεσσαρακοστῷ πέμπτῳ ἔτει Κέκροπος τοῦ Διφυοῦς, πρώτου βασιλέως τῶν Ἀθηναίων, ἡ ἐξ Αἰγύπτου πορεία τοῦ Ἰσραὴλ διὰ Μωσέως ἐγένετο. *Quadragesimo quinto anno Cecropis Biformis, primi Atheniensium regis, Israeli ex Ægypto excessus per Mosen factus est.* Quadragesimus vero quintus ille annus regni Cecropis, Mosi fuit

fuit suæ ætatis octogesimus: siquidem, ut ex Cyrillo jam ostendi, regnum is XXXV. Mosis anno inchoavit. Et hoc est, quod Hieronymus, in *Eusebiano Chronico*, nobis dicit. *Moses, octogesimum agens ætatis annum, dux itineris ex Ægypto Hebræorum gentis efficitur*. Huc pertinet, quod extremo Cecropis tempore eductos ex Ægypto dicit Israelitas Augustinus, *de Civ. Dei*, lib. XVIII. c. XI. *Eduxit ergo Moyses ex Ægypto populum Dei novissimo tempore Cecropis, Atheniens. regis*. Quæ iisdem pene verbis Ivo, in *Chronico*. Regnum autem fertur annos quinquaginta tenuisse. *Euseb.* Κέκροψ ὁ Διφυὴς τῆς τότε Ἀκτῆς, νῦν δὲ Ἀττικῆς, ἐβασίλευσεν ἔτη πεντήκοντα. Hieronymi *In Acta, quæ nunc Attica nominatur, primus regnavit Cecrops, qui & Diphyes, annos quinquaginta*. Cedren. Οὗτος, (ὁ Κέκροψ,) μετὰ τὸν κατακλυσμὸν τῆς Ἀττικῆς, Ἀθηνῶν ἐβασίλευσε χρόνους πεντήκοντα. *Hic, (Cecrops,) post Atticæ diluvium, Athenis regnavit annis quinquaginta*. Suid. *in* Προμηθεύς. Ἐβασίλευσε δὲ Κέκροψ ἔτη πεντήκοντα. *Regnavit vero Cecrops annis quinquaginta*. Vincentius Bellovacensis, *Spec. Hist.* lib. II. c. LIV. *Hujus autem (Cecropis) regni annotantur anni quinquaginta*. Eadem *Abbas Urspergensis*, item *Marianus Scotus*. Sepulcrum ejus, Athenis visebatur, in arce. Clemens, in *Protreptico*. Ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει, τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου. Ἀθήνησι δὲ, ἐν ἀκροπόλει, Κέκροπος. *In fano Minervæ Larissæ, in arce, est Acrisii sepulcrum: Athenis vero, in arce, Cecropis*. Idque in Minervæ templo. Arnob. *lib.* VI. *In Historiarum Antioch. nono, Athenis in Minervio memorant sepultum esse Cecrop.* Et quidem juxta signum ipsius præsidis Minervæ. Theodoretus, *Therap.* l. VIII. Καὶ γὰρ Ἀθήνησιν, ὡς Ἀντίοχος ἐν τῇ ἐννάτῃ γέγραφεν ἱστορίᾳ, ἄνω γε ἐν τῇ ἀκροπόλει, Κέκροπός ἐστι τάφος, παρὰ τὴν Πολιοῦχον αὐτήν. *Etenim Athenis, uti auctor est Antiochus, in libro IX. Historiar. superius in arce, Cecropis sepulcrum exstat, juxta ipsam Urbis præsidem Minervam*. Quin illatus quoque in cælum, in Zodiaco locum Aquarii obtinere est, putatus. Hyginus, de Aquario agens, *Poet. Astronom.* lib. II. *Eubulus autem, Cecropem demonstrat esse, antiquitatem generis commemorans; & ostendens, antequam vinum traditum sit hominibus, aqua in sacrificiis deorum usos esse: & ante Cecropem regnasse, quam vinum sit inventum*. Certe in cælo, peplo intexto, inter signa quæ recenset, commemorat etiam Euripides, in *tragœdia* Jove, & crateres illi tribuit, ceu Aquario:

Κατ' εἰσόδους δὲ, Κέκροπα, θυγατέρων πέλας,
Σπείρας συνειλίσσοντ', Ἀθηναίων τινὸς
Ἀνάθημα. χρυσέους τ' ἐν μέσῳ
Κρατῆρας ἔστησ'. ——
Ad januam vero, Cecropem, prope filias,
Involutum nodis, Atheniensium cujusdam
Donarium: aureosque in medio convivio
Crateres statuit.

CAP. XIII.

Cranaus, Cecropis successor. Honorii de eo locus, & Freculphi, Ivonisque, emendatus. Isocratis memoriæ lapsus. Atticæ ab illo Cranae appellata. Menander rhetor restitutus. Athenæ, Cranaæ nuncupatæ: ac Grammaticorum error super hac re indicatus. Athenienses, item Cranai; & confusio in hac re ostensa Herodoti: quem secuti, Marianus, & Eustathius. Quatuor tribus ab eodem aliis nominibus dictæ.

CECROPE vita defuncto, regnum Cranaus accepit, homo indigena. *Apollod.* Κέκροπος δὲ ἀποθανόντος, Κραναὸς * αὐτόχθων. *Postquam vero diem Cecrops obiisset, Cranaus * indigena*. Eusebius. Κραναοῦ τούτου, δευτέρου βασιλέως, θυγάτηρ ἦν Ἀτθίς. *Cranai hujus, secundi regis, filia erat Atthis*. De ejus

A nomine corruptus est Honorii locus, in *Chron.* ubi Menander vocatur, sine ullo veri nominis vestigio. *Post hunc, (Cecropem,) regnavit Menander*. Corruptus etiam Freculphus, apud quem Cradavus dicitur, *Tom. I. lib. II. c. VIII. Eo tempore secundus Atheniensium rex Cradavus erat*. Restitue: *rex Cranaus erat*. Item Ivo, in *Chronico*: apud quem Carnao dicitur. *Cecropi vero Carnao successit, sub quo Deucalionis diluvium fuit*. Corrigendum. *Cecropi vero Cranaus successit*. Memoria labitur Isocrates, Erichthonium Cecropi successorem tribuens, in *Panathenaica sua*. Ἐριχθόνιος μὲν γὰρ, ὁ φὺς ἐξ Ἡφαίστου καὶ Γῆς, παρὰ Κέκροπος, ἄπαιδος ὄντος ἀρρένων, τὸν οἶκον, καὶ τὴν βασιλείαν, παρέλαβεν.
B *Nam Erichthonius, Vulcano & Terra genitus, a Cecrope, qui masculis liberis orbus decesserat, hæreditatem, & regnum, accepit*. Quippe inter Cecropem, & Erichthonium, reges duo interfuere; Cranaus hic, & Amphictyon: de quo mox dicturi sumus. A Cranao vero, Attica nominata Cranae. *Stephan.* Κραναὴ, οὕτως ἐκαλεῖτο καὶ ἡ Ἀττικὴ, ἀπὸ Κραναοῦ. *Cranae, ita & dicta Attica, a Cranao*. Corrigendus est Menander rhetor. *Cap.* Πῶς δεῖ ἀπὸ γένους πόλιν ἐγκωμιάζειν. Τὴν γὰρ αὐτὴν χώραν, ποτὲ μὲν Κραναὴν, ποτὲ δὲ Κεκροπίαν, ποτὲ δὲ Ἀκτὴν, ποτὲ δὲ Ἀττικὴν κεκλήκασι.
C *Eandem enim regionem, aliquando Cranaen, aliquando Cecropiam, aliquando Acten, aliquando vero Atticam indigetarunt*. Perperam editur, Ποτὲ μὲν Καρθμίαν, ποτὲ δὲ Κεκροπίαν. *aliquando quidem Carthmiam, aliquando vero Cecropiam*. Eustathius in *Dionysium*. Ἡ κατ' Ἀθήνας χώρα λέγεται καὶ Ἀτθὶς, ἀπὸ Ἀτθίδος, τῆς θυγατρὸς Κραναοῦ. ἀφ' οὗ καὶ Κραναὴ λέγεται. *Quæ circa Athenas regio est, dicitur etiam Atthis, ab Atthide, filia Cranai: a quo etiam Cranae dicitur*. Sic Athenæ ipsæ, Cranaæ. Pind. *Olymp.* Od. VII.

Καὶ Κρανααῖς ἐν Ἀθήναις.
Et Cranais Athenis.

Et *Nem.* Od. VIII.

D
Οἵ τε Κρανααῖς ἐν Ἀθηναίοισιν ἅρμοζον στρατόν.
Et qui Cranais Athenis gubernabant populum.

Aristophanes, in *Avibus*, v. 123.

Ἔπειτα μείζω τῶν Κραναῶν ζητεῖς πόλιν;
Postea majorem Cranais quæris urbem?

Atque iterum, *Acharnensibus*, v. 75. 76.

—— ὦ Κραναὰ πόλις,
Ἆρ' αἰσθάνει τὸν κατάγελων τῶν πρέσβεων;
—— o *Cranaæ urbs,*
An non sentis ludibrium legatorum?

E Quibus locis veteres interpretes afferunt duas explicationes, nominisque rationes; unam nempe, a rege Cranao: alteram vero, ab asperitate loci. Idem facit quoque Suidas, *in* Κραναῶν. Verum manifeste errant, in postrema ratione. Scio equidem, Κραναὸν Græcis asperum dici: verum, istud hic valere, sane nego. Etenim, si admittamus, quævis urbes, quæ ingenio loci tales, Cranaæ deberent dici: nunc, præter Athenas solas, nullam aliam sic invenias appellari. Certe *Hesychius*, unus omnium Grammaticorum eruditissimus solam a Cranao rationem nominis ponit. Κραναὴν πόλιν τὰς Ἀθήνας, ἀπὸ Κραναοῦ.
F *Cranaen urbem: Athenas, a Cranao*. Denique eodem modo Cranai Athenienses nuncupati. Strabo, *lib.* IX. Ἀτθίδα δὲ, καὶ Ἀττικὴν, (φασὶν,) ἀπὸ Ἀτθίδος, τῆς Κραναοῦ. ἀφ' οὗ καὶ Κραναοὶ, οἱ ἔνοικοι. *Atthidem vero, & Atticam, (dicunt,) ab Atthide, Cranai filia: a quo Cranai dicti incolæ*. Confudit tempora Herodotus; qui Pelasgis regionem possidentibus, Cranaos vocatos dicit, ut Cecropidas postea a rege Cecrope: cum Cranaus tamen, a quo demum Cranaos vocatos certum est, Cecrope posterior fuerit. Verba ejus ecce ista, *lib.* VIII. *cap.* XLIV. Ἀθη-

ναῖοι δὲ, ἐπὶ μὲν τῶν Πελασγῶν, ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλεομένην, ἔσαν Πελασγοὶ, ὀνομαζόμενοι Κραναοί. ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλῆος, ἐκλήθησαν Κεκροπίδαι. Athenienses vero, sub Pelasgis quidem, cum illi eam, quæ nunc Græcia appellatur, obtinerent, Pelasgi erant, Cranai dicti: sub rege autem Cecrope, Cecropidæ sunt appellati. Et ex Herodoto Marcianus, *in sua Periegesi.*

Ἑξῆς Ἀθήνας φασὶν οἰκητὰς λαβεῖν
Τὸ μὲν Πελασγὰς πρῶτον, ὃς δὴ καὶ λόγος
Κραναὰς καλεῖσθαι. μετὰ δὲ Κεκροπίδας,
Κέκροπος δυναστεύσαντος.
Dehinc Athenas ajunt habitatores accepisse
Primo quidem Pelasgos, quos sane etiam ferunt
Cranaos vocari: postea vero Cecropidas,
Cecrope rerum potito. ——

Item Eustathius, in *Dionysium*. Ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς, (Ἡρόδοτος) καὶ ὅτι οἱ Ἀθηναῖοι, Κραναοὶ καλούμενοι, ὅμως, ἐπὶ Πελασγῶν, ἐχόντων τὴν Ἑλλάδα, Πελασγοὶ ὠνομάζοντο. ἐπὶ δὲ Κέκροπος, ἐκλήθησαν Κεκροπίδαι. *Tradit vero etiam ille ipse, (Herodotus,) quod Athenienses, Cranai dicti, tamen sub Pelasgis, Græciam tenentibus, Pelasgi fuerint appellati: sub Cecrope vero, Cecropidæ sint nuncupati.* Denique, quatuor Urbis tribubus, quæ a Cecrope appellatæ, Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, Παραλία, ut supra dixi, *cap.* VII. alia ipse nomina dedit: voluitque, ut deinceps dicerentur, Κραναὶς, Ἀτθὶς, Μεσόγαια, Διακρίς. Pollux, *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXXI. Καὶ αἱ φυλαὶ, τέως μὲν ἐπὶ Κέκροπος, ἦσαν τέσσαρες, Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, Παραλία. ἐπὶ δὲ Κραναοῦ μετωνομάσθησαν, Κραναὶς, Ἀτθὶς, Μεσόγαια, Διακρίς. *Et tribus, antea quidem sub Cecrope, quatuor erant; Cecropis, Indigena, Actæa, Maritima: sub Cranao, mutato nomine, appellatæ, Cranais, Atthis, Mediterranea, Montana.*

CAP. XIV.

Uxor ejus; filiæque, Cranae, Cranæchme, & Atthis, a qua nuncupata Attica, uti idem dialectus. Jamblichi memoriæ lapsus. Minerva quoque, Belonica cognomento appellata: e qua & Vulcano, natus Erichthonius. Filius, Rharus; qui hospitio Cererem errantem excepit: unde ea filium hujus Triptolemum, seu nepotem, agriculturæ artem docuit. Campus, ab hoc Rharius dictus; ubi fruges primum natæ: unde hordeum ad molas, atque liba, sumi solitum. Sacra aratio ibidem. Terra, Rharia: Ceres, Rharias. Ac fortasse filius quoque ejus Mopsopus, sive Mopsops: a quo Attica Μοψοπία *appellata. Eustathii error; item Stephani: cujus obiter etiam locus emendatur. Filiarum una, nupta Amphictyoni: qui dejecit eum regno, postquam illud annos novem tenuisset. Dejectus, fugit ad Lamprenses: apud quos decedit, atque sepelitur. Ejusque illic monumentum, usque ad Pausaniæ tempora: idque quantum annorum intervallum fuerit, computatum. Divini quoque ipsi honores constituti: & sacerdos, ex familia Charidarum.*

UXOREM habuit Pediadem, Menetis Lacedæmonii filiam; ex eaque filias tres, Cranaen, Cranæchmen, Atthidemque: quæ cum virgo decessisset, Atticam ab ejus nomine appellavit. Apollod. *lib.* III. Οὗτος (ὁ Κραναὸς,) γήμας ἐκ Λακεδαίμονος Πεδιάδα τὴν Μήνητος, ἐγέννησε Κραναὴν, καὶ Κραναίχμην, καὶ Ἀτθίδα. ἧς ἀποθανούσης ἔτι παρθένου, τὴν χώραν Κραναὸς Ἀτθίδα προσηγόρευσε. *Hic (Cranaus,) ducta uxore ex Lacedæm. Pediade Menetis filia, genuit Cranaen, & Cranæch. & Atthid. quæ cum etiam tum virgo obiisset, regionem Cranaus Attic. appellavit.* Ac de Atthide, Atticaque ab ea denominata, etiam Pausanias refert, *in Attic.* Κραναῷ δὲ θυγατέρας καὶ ἄλλας, καὶ Ἀτθίδα γενέσθαι λέγουσιν. ἀπὸ ταύτης ὀνομάζουσιν Ἀττικὴν τὴν χώραν. *Cranao autem cum alias filias, tum Atthidem fuisse dicunt: atque ab ea regionem Atticam vocant.* Justinus, lib. II. *Huic (Cecropi) successit Cranaus: cujus filia Atthis regioni nomen dedit.* Et consensu tradunt, *Strabo, Eusebius, Hieronymus, Marianus Scotus*, alii. Epiphanius Atthidem hanc Inachi filiam, alio nomine Ionem dictam esse tradit. Verba ecce tibi ista, *Adv. Hær.* lib. I. Ἦν δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ Ἴναχος παρ᾽ Ἕλλησι, γνωριζόμενος· οὗ θυγάτηρ Ἰὼ, ἡ καὶ Ἀτθὶς καλουμένη, δι᾽ ἣν καὶ ἡ Ἀττική. *Erat vero secundum illud tempus Inachus apud Græcos celebris; cujus filia Io fuit, quæ & Atthis appellata: a qua Attica nomen habet.* Joannes Tzetzes, etiam Minervam nominat, Erichthonii ex Vulcano matrem, *Chil.* V. *cap.* XIX.

Ὁ Ἐριχθόνιος δ᾽, αὐτὸν διώξας, βασιλεύει,
Ἡφαίστου παῖς, καὶ Ἀθηνᾶς τῆς Κραναοῦ, ὑπάρχων.
Erichthonius vero, ipso pulso, regnum capit:
Vulcani filius, & Minervæ Cranai, existens.

Et hanc Belonicam dictam cognomento, discimus ex Isaacio Tzetze, *Comment.* ad Lycophron. quanquam ille Brontei esse filiam, non Cranai, dicat. Καὶ τὸ περὶ Ἀθηνᾶς, καὶ Ἡφαίστου οὕτως ἐστίν. Ἀθηνᾷ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ Βροντέου ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος, γάμοις μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν Ἀττικῆς. *Quod ad Minervam attinet, & Vulcanum, ita habet. Minerva cuidam reginæ, etiam Belonica dicta, Brontei filiæ, matrimonio junctus Vulcanus, gignit Erichthonium, qui Atticæ regnum tenuit.* Uti autem regio, ab Atthidis nomine, dicta Attica, ita quoque dialectus. Philoponus, in *Technidis*. Διάλεκτός, ἐστι γλώττης ἰδίωμα. εἰσὶ δὲ Διάλεκτοι πέντε· Ἀτθὶς, Δωρὶς, Αἰολὶς, Ἰὰς, Κοινή. καὶ Ἀτθὶς μὲν, ἐκλήθη ἀπὸ Ἀτθίδος, τῆς Κραναοῦ θυγατρός. *Dialectus, est linguæ proprietas. Sunt autem dialecti quinque: Attica, Dorica, Æolica, Ionica, Communis. Et Attica quidem, vocata est ab Atthide, Cranai filia.* Nec memoria constat Jamblicho: qui Creusæ, Erechthei filiæ, id adscribit, de *Vita Pythagoræ*, l. I. c. XXXIV. Filium quoque unum invenio, Rharum nomine. *Hesych.* nos de eo docet. Κραναοῦ υἱὸς Ῥάρος. *Cranai filius Rharus.* Atque is Triptolemi pater memoratur. Idem Hesych. *alio loco.* Ῥάρος, ὄνομα τοῦ Τριπτολέμου πατρός. *Rharus, nomen Triptolemi patris.* Paus. in *Attic.* ex Chœrilo. Χοιρίλῳ δὲ Ἀθηναίῳ, δρᾶμα ποιήσαντι Ἀλόπην, ἐστὶν εἰρημένα, Κερκυόνα εἶναι καὶ Τριπτόλεμον ἀδελφοὺς, τεκεῖν δὲ σφᾶς θυγατέρα Ἀμφικτύονος. εἶναι δὲ πατέρα Τριπτολέμῳ μὲν Ῥάρον, Κερκυόνι δὲ Ποσειδῶνα. *Chœrilus vero Atheniensis, qui fabulam Alopen fecit, auctor est, Cercyonem ac Triptolemum fratres esse, atque natos filia Amphictyonis: & Triptolemo quidem Rharum, Cercyoni Neptunum patrem existere.* Alii volunt, Rharum quidem filium habuisse Celeum: atque hujus, Triptolemum esse. *Suid.* Ῥάρος, ἔσχεν υἱὸν Κελεόν. Κελεὸς δὲ, Τριπτόλεμον. *Rharus, habuit filium Celeum: Celeus autem, Triptolem.* Hic errantem Cererem, ac Proserpinam quærentem, hospitio excepit: in cujus rei gratiam dea Triptolemum, nepotem ejus, agriculturam docuit. Suidas, *ibid.* Ὁ δὲ, Ῥάρος, πλανωμένην τὴν Δήμητραν καὶ ζητοῦσαν τὴν Κόρην, ὑπεδέξατο ἐν τῷ οἴκῳ. ὑπὲρ τῆς τοιαύτης οὖν χάριτος ἡ Δημήτηρ τὸν ἀπόγονον Ῥάρου Τριπτόλεμον ἐδίδαξε τὴν τοῦ σίτου γεωργίαν. *Rharus autem, Cererem errantem, & Proserpinam quærentem, hospitio excepit. Itaq; pro tali beneficio Ceres nepotem Rhari Triptolemum docuit artem comparandi ex agricultura frumenti.* Quamobrem & Ceres cognomento Rharias dicta: uti quoque Rharius campus Eleusine, & Rharia terra. *Stephan.* Ῥάριον πεδίον, ἐν Ἐλευσῖνι. καὶ Ῥαρία γῆ, καὶ Ῥαριὰς ἡ Δημήτηρ. *Rharius campus, Eleusine: & Rharia terra, ac Rharias Ceres.* Atque in Rhario quidem campo, satas primum fruges esse, ideoq; hordeum, demessum inde, in sacris Atheniens. adhibuisse ad molas, & liba, refert Pausan. in *Attic.* Ἐλευσινίοις δὲ ἐστὶ μὲν Τριπτολέμου ναός. τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι, καὶ πρῶτον αὐξῆσαι

καρποὺς. καὶ διὰ τοῦτο οὐλαῖς ἐξ αὐτοῦ χρῆσθαι σφίσι, καὶ ποιεῖσθαι πέμματα ἐς τὰς θυσίας καθέστηκεν. *Apud Eleus. Triptolemi ædes est; campum vero Rharium primum consitum, frugesque ibi adolevisse, commemorant: ideoque hordeum, ex eo sumptum, in sacris ad molas, & liba, adhibere.* Et sacrarum arationum, trium numero, una in hoc campo erat. Plutarchus, in *Præceptis Conjug.* Ἀθηναῖοι τρεῖς ἀρότους ἱεροὺς ἄγουσι· πρῶτον, ἐπὶ Σκίρῳ. δεύτερον, ἐν τῇ Ῥαρίᾳ. *Athenienses tres arationes sacras obeunt; unam, in Sciro: alteram, in terra Rharia.* Cereris vero Rhariadis, meminit etiam *Suidas.* Ῥαριάς, ἡ Δημήτηρ. *Rharias, Ceres.* Ac fortassis ejus quoque filius fuerit Mopsopus: de cujus nomine Attica dicta Μοψοπία. Conjecturam e Strabonis verbis facio, *lib.* IX. Ἀτθίδα δὲ, καὶ Ἀττικὴν, (καλεῖσθαι λέγουσιν,) ἀπὸ Ἀτθίδος, τῆς Κραναοῦ· Μοψοπίαν δὲ, ἀπὸ Μόψοπος. *Atthidem vero, & Atticam, (vocari ajunt,) ab Atthide, filia Cranai: Mopsopiam autem, a Mopsopo.* Meminitque ejus *rursum postea.* Ἄλλος δέ ἐστι Μόψοπος, ἀφ᾽ οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία. *Ovidius, in Epistola* Hermionies ad Orestem. *v.* 72.

Reddita Mopsopia Tyndaris urbe soror.

Iterum, *Metamorph.* lib. v. *v.* 661.

Mopsopium juvenem sacros agitate jugales.

Tibullus, *lib.* I. *Eleg.* VII.

Liba &, Mopsopio dulcia melle, feram.

Callimacho non Mopsopus dicitur, verum Mopsops. Vide Stephanum, *in* Μοψοπία. Errat vero Eustathius, in *Dionysium*: qui Mopsum eum, non Mopsopum, dictum tradit. nam, si nomen esset Mopsus, Μοψία, non Μοψοπία, Attica dici debuisset. Itidem Stephani est error, *in* Μόψιον: ubi male quoque Μοψοπίαι scribitur, pro Μοψόπιοι. Filiarum vero unam, conjugem Amphictyon duxit, seu Cranæchmen, sive Cranaen; si quidem Atthis, uti dixi, diem suum innupta obiit: moxque eum quanquam socerum, regno pellit. Pausanias, *Atticis.* Κραναῷ δὲ Ἀμφικτύων ἐπαναστὰς, θυγατέρα ὅμως ἔχων αὐτοῦ, παύει τῆς ἀρχῆς. *In Cranaum vero insurgens Amphictyon, tametsi ducta ejus filia, regno eum deturbavit.* Ac rursum, *alio quodam loco.* Κραναὸν δὲ, τὸν βασιλεύσαντα Ἀθηναίων, ἐξέβαλεν Ἀμφικτύων, κηδεστὴν ὄντα. *Cranaum vero, Atheniensium regem, ejecit Amphictyon, socerum suum.* Cranaum autem regno suo dejecisse Amphictyonem atque illud invasisse, etiam *Apollodorus* nobis refert. Κραναὸν δὲ ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων, ἐβασίλευσε. *Cranaum vero Amphictyon postquam ejecisset, regnum tenuit.* Regnaverat autem annos novem. *Cedrenus.* Καὶ μετ᾽ αὐτὸν, (τὸν Κέκροπα,) Κραναὸς ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. *Ac post ipsum, (Cecropem,) regnavit Cranaus annos novem.* Et consensu ita tradunt, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Marianus*, *Abbas Urspergensis*, & *Vincentius Bellovacensis.* Ac regno pulsus, ad Lamprenses, Atticæ populum, se recepit: ibique, postquam diem suum obiisset, etiam sepultus fuit. permansitque item ejus in hoc populo monumentum, usque ad Pausaniæ tempora, qui sub Hadriano vixit: ad quem, inde a fine Cranai, computantur anni amplius mille sexcenti. Pausaniæ verba, ita habent, in *Attic.* Κραναὸν δὲ, τὸν βασιλεύσαντα Ἀθηναίων, ὅτι μὲν ἐξέβαλεν Ἀμφικτύων, κηδεστὴν ὄντα, ἔτι πρότερον εἴρηταί μοι· φυγόντα δὲ αὐτὸν σὺν τοῖς στρατιώταις ἐς τὸν δῆμον τὸν Λαμπρέα, ἀποθανεῖν τε αὐτοῦ καὶ ταφῆναι λέγουσι. Καί ἐστι καὶ ἐς ἐμὲ καὶ ἐν τοῖς Λαμπρεῦσι Κραναοῦ μνῆμα. *Cranaum vero, Atheniensium regem, ab Amphictyone ejectum, etsi socerum, antea mihi memoratum est. ac cum copiis fugientem ad Lamprensium populum, diem illic obiisse, & sepultum tradunt. quin etiamnum apud Lamprenses Cranai monumentum exstat.* Mortuum, relatum in deos, atque sacra item ei, velut deo, facta esse, hinc colligimus, quod sacerdos ei fuerit, e familia Charidarum. Id observo apud *Hesychium*, cujus ecce ista verba. Χαρίδαι, γένος· ἐξ οὗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Κραναοῦ. *Charidæ, familia: e qua sacerdos Cranai.*

CAP. XV.

Cranao dejecto, successit Amphictyon: in cujus nomine Auctores varii emendati. Atque is Deucalionis, sive viri indigenæ, filius. Conventum instituit Amphictyonum, abs se dictum. Ejus tempore Bacchus, Atticam ingressus, & a Semacho exceptus, filiæ ejus pellem hinnuli largitur. Hieronymi negligentia. Amphictyon eum excipit convivio: statuaque in memoriam rei posita. Vini diluendi modum ab eo doctus, aram quoque illi statuit, cognomento Recto, in Horarum templo: item Nymphis, juxta istam. Legem etiam promulgat, qua inferri in convivia meri paullulum constituit: tum & mandat, uti nomen Jovis Servatoris adderent.

ITAQUE, expulso Cranao, ut dixi, regnum invasit Amphictyon; qui non recte Amphitryon dicitur *Mariano Scoto*, *Abbati Urspergensi*, *Othoni Frisingensi*, *Vincentio Bellovacensi*, & *Honorio*: *Freculpho*, *Amphitios* corruptius, & *Isidoro* Amphion, scribitur. Erat autem filius Deucalionis: vel, ut alii, hominis cujusdam indigenæ. *Apollodorus.* Κραναὸν δὲ ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων, ἐβασίλευσε. τοῦτον ἔνιοι μὲν, Δευκαλίωνος. ἔνιοι δὲ, αὐτόχθονος λέγουσι. *Cranaum cum ejecisset Amphictyon, regnum tenuit. hunc nonnulli, filium Deucalionis: quidam, indigenæ esset tradunt.* Deucalionis, etiam *Eusebius* scribit. Ἀθηναίων τρίτος ἐβασίλευσεν Ἀμφικτύων, υἱὸς Δευκαλίωνος. *Tertius Atheniensium rex fuit Amphictyon, filius Deucalionis.* Consentiunt, Pausanias in *Phocicis*, *Harpocration*, & Suidas, *in* Ἀμφικτύονες. Ac minimum natu liberorum, tradit Stephanus, *in* Βοιωτία. Γενέσθαι δὲ φασὶ Βοιωτὸν Ἴτωνος, τοῦ Ἀμφικτύονος, τοῦ κατ᾽ αὐτὸν νεωτέρου τῶν Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας παίδων. *Bœotum vero ajunt fuisse filium Itoni, filii Amphictyonis, minimi natu secundum ipsos Deucalionis atque Pyrrhæ liberorum.* Ac conventum Amphictyonum ab hoc institutum censent: & ab ejus quoque nomine appellatum. Pausanias, in *Phocicis.* Καταστήσασθαι δὲ συνέδριον ἐνταῦθα Ἑλλήνων, οἱ μὲν Ἀμφικτύονα τὸν Δευκαλίωνος νομίζουσι· καὶ ἀπὸ τούτου τοῖς συνελθοῦσιν ἐπίκλησιν Ἀμφικτύονας γενέσθαι. *Atque hic quidem conventum Græcorum Amphictyonem instituisse, filium Deucalionis, arbitrantur: & ab eo factum, ut, qui convenirent, Amphictyones dicerentur.* Harpocration. Ἀμφικτύονες, συνέδριον τί ἐστιν Ἑλληνικὸν, συναγόμενον ἐν Θερμοπύλαις. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Ἀμφικτύονος, τοῦ Δευκαλίωνος. ὅτι αὐτὸς συνήγαγε τὰ ἔθνη βασιλεύων, ὥς φησὶ Θεόπομπος, ἐν ὀγδόῃ. *Amphictyones, concilium Græcorum quoddam est, Thermopylis habitum. nominatum autem id ab Amphyctione, filio Deucalionis; quia ipse rex cum esset, populos congregaverit: uti auctor Theopompus, libro octavo.* Idem etiam Suidas dicit, *in* Ἀμφικτύονες. Ejus tempore veniens Athenas Bacchus, a Semacho hospitio excipitur: filiæque ejus pellem hinnuli donat. *Eusebius.* Κατὰ Ἀμφικτύονα, τὸν Δευκαλίωνος υἱὸν, τινὲς φασὶ, Διόνυσον, εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐλθόντα, ξενωθῆναι Σημάχῳ, καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ νεβρίδα δωρήσασθαι. *Tempore Amphictyo. Deucal. filii, nonnulli ajunt, venientem in Atticam Bacchum, a Semacho hospitio exceptum esse: eumque filiæ ipsius pellem hinnuli donasse.* Quæ sic admodum supine transtulit *Hieronymus.* *Deucalionis filius Dionysius, cum in Atticam pervenisset, hospitio receptus a Semacho, filiæ ejus capræ pellem est largitus.* Et transscripsit totidem verbis *Maria-*

nus. Quin & ipse Amphictyon ei, aliisque diis, epulum præbuit: cujus rei in memoriam statua posita, quæ repræsentaret factum. Pausanias, in *Atticis*. Μετὰ δὲ τὸ τοῦ Διονύσου τέμενος, ἔστιν οἴκημα, ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ. βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτύων, ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν, καὶ Διόνυσον. *Post Bacchi fanum, ædicula est, in qua multæ e luto statuæ: in his Amphictyonis, Atheniensium regis, deosque alios, tum & Bacchum, epulo excipientis.* Et miscendi vini modum ab eo doctus, primus miscuit; tum & aram Baccho Recto in Horarum templo posuit: aliamque item Nymphis, prope eam, ut de vino diluendo admoneret. Athenæus *lib.* II. Φιλόχορος δέ φησιν, Ἀμφικτύονα, τὸν Ἀθηναίων βασιλέα, μαθόντα παρὰ Διονύσου τὴν τοῦ οἴνου κρᾶσιν, πρῶτον κεράσαι. διὸ καὶ ὀρθοὺς γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους, οὕτω πίνοντας, πρότερον ὑπὸ τοῦ ἀκράτου καμπτομένους. καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν Ὀρθοῦ Διονύσου, ἐν τῷ Ὡρῶν ἱερῷ· αὗται γὰρ καὶ τὸν τῆς ἀμπέλου καρπὸν ἐκτρέφουσι· πλησίον δ' αὐτοῦ, καὶ ταῖς Νύμφαις βωμὸν ἔδειμεν, ὑπόμνημα τοῖς χρωμένοις τῆς κράσεως ποιούμενος. *Philochorus auctor est, Amphictyonem Atheniensium regem, edoctum a Baccho vini diluendi rationem, primum istud diluisse, qua de causa cum incederent homines recti, antea meraco curvi, aram statuit Baccho Recto, in Horarum templo: quando eæ fructum vitis indicarent. prope autem, etiam Nymphis aram posuit: ut de vino diluendo, si qui illo uti vellent, admoneret.* Iterumque, *lib.* IV. Τὴν δὲ σύμμετρον κρᾶσιν τοῦ οἴνου ὑπὸ Ἀμφικτύονος βασιλεύσαντος διδαχθῆναι φασὶν Ἀθηναίους, καὶ διὰ τοῦτο ἱερὸν Διονύσου Ὀρθοῦ ἱδρύσασθαι. τότε γὰρ ὀρθὸς ἐστι τῷ ὄντι, καὶ ἀσφαλερὸς, ὅταν συμμέτρως, καὶ κεκραμένως πίνηται. *Nam æqualem vini diluendi rationem didicisse Athenienses ab Amphictyone rege ajunt: ideoque Baccho Recto fanum constitutum esse. tunc enim rectus est, neque titubans, cum quis modice, ac dilutum, illud bibat.* Ubi in eo tamen variat, quod hic templum, ibi aram positam dicat. Memoratque idem Eustathius: ad *Odyss.* ρ'. cujus ista ibi verba. Λέγεται οὖν Ἀμφικτύων, βασιλεὺς Ἀθηναίων, βωμὸν ἀναστήσας Διονύσου, καὶ ἕτερον βωμὸν δείμασθαι ταῖς Νύμφαις, ἐγγὺς αὐτοῦ ὑπόμνημα, φασὶ, θέμενος τοῖς χρωμένοις κράσεως οἴνου πρὸς ὕδωρ. ἣν αὐτὸς, κατά τινας μὲν, Μελάμπους πρῶτος ἐξεῦρε· καθ' ἑτέρους δὲ, ὁ ῥηθεὶς Ἀμφικτύων. ὃς καὶ, ὀρθουμένων τῶν ἐπιπινόντων, (πρότερον γάρ, φασὶν, ὑπὸ ἀκράτου ἐκάμπτοντο.) βωμὸν Ὀρθοῦ Διονύσου ἤγειρεν ἐν τῷ Ὡρῶν ἱερῷ. *Fertur itaque Amphictyon, rex Atheniensium, collocata Baccho ara, Nymphis item alteram constituisse, prope istam: commonefaciens vino utentes, uti aqua id diluerent. idque, ut nonnulli volunt, primus invenit Melampus: vel ut alii, Amphictyon, de quo dixi, qui, cum recti tunc incederent, qui sic biberent, aliis meraco sumpto incurvatis, aram Bacchi Recti posuit, in Horarum fano.* Quin præterea constituit, ut post cibum paullum meri adferretur, quod duntaxat degustarent, ad potentiam boni dei demonstrandam: deinde biberent dilutum, quantum vellent, adderentque nomen Jovis Servatoris. Athenæus, *ibidem*. Καὶ θεσμὸν ἔθετο, (ὁ Ἀμφικτύων,) προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σιτία ἄκρατον, μόνον ὅσον γεύσασθαι, δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ. τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη κεκραμένον, ὅσον ἕκαστος βούληται. προσεπιλέγων δὲ τούτῳ τὸ τοῦ Διὸς Σωτῆρος ὄνομα. *Et legem promulgavit, (Amphictyon,) ut post cibos meri quid apportaretur, ad gustandum tantum, quod potentiam boni dei indicaret; postea vero dilutum, quantum quisque vellet, biberent: tum & nomen Jovis Servatoris adderent.*

CAP. XVI.

Minervæ urbem dedicat, & Athenas appellat. Isidorus Hispalensis emendatus. Ab Erichthonio ejicitur. Uxorem habuit, filiam Cranai; & ex ea filium Itonum; filiamque, cujus nomen ignoratur, Cercyonis & Triptolemi, ex Neptuno & Rharo, matrem.

UTQUE ab Atthide filia Cranaus regionem Atticam dixit, ita ipse a Minerva, quam Ἀθηνᾶν Græci vocant, urbem Athenas nominavit, atque deæ dedicavit. Justinus, *Hist.* lib. II. c. VI. *Post hunc Amphictyon regnavit: qui primus Minervæ urbem sacravit, & nomen civitati Athenas dedit.* Isidorus, *Orig.* lib. XV. cap. I. *Amphictyon, qui in Græcia tertius post Cecropem regnavit, Minervæ sacravit, & nomen civitati Athenas dedit.* Sic rescribo; quippe perperam vulgatur, *Amphion, qui in G.* Hinc, quod Cranao prius fecerat, ipse patitur: ac vicissim ab Erichthonio regno exuitur. Pausanias, in *Atticis*. Κραναῷ δὲ Ἀμφικτύων ἐπαναστὰς, θυγατέρα ὅμως ἔχων αὐτοῦ, παύει τῆς ἀρχῆς καὶ αὐτὸς ὕστερον ὑπὸ Ἐριχθονίου καὶ τῶν συνεπαναστάντων, ἐκπίπτει. *Amphictyon vero, contra Cranaum insurgens, quanquam ducta ejus filia, regnum illi eripit: & ipse mox ab Erichthonio, sociisque, deturbatur.* Joannes Tzetzes, *Chil.* V. *cap.* XVIII.

—— καὶ τρίτος Ἀμφικτύων.
Ὁ Ἐριχθόνιος δ', αὐτὸν διώξας, βασιλεύει.

—— *& tertius Amphictyon:*
Erichthonius vero, depulso ipso, regnum capit.

Idque factum, postquam regnum male partum tenuisset annos novem. Ita enim ait *Abbas Urspergensis*. *Amphictyon, rex Atheniensium tertius, regnavit annis novem.* Plures decimum annum tradunt. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τρίτος Ἀμφικτύων, υἱὸς Δευκαλίωνος, γαμβρὸς Κραναοῦ, ἔτη δέκα. *Hieronymus. Atheniens. regnavit tertius Amphictyon, annis decem. Marianus. Atheniensium tertius Amphictyon annis decem regnavit.* Eum quoque numerum *Vincentius Bellovacensis* repræsentat. *Apollodorus*, duodecim refert. Κραναὸν δὲ ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων, ἐβασίλευσε. τοῦτον ἔνιοι μὲν Δευκαλίωνος, ἔνιοι δὲ αὐτόχθονος λέγουσι. βασιλεύσαντα δὲ αὐτὸν ἐπὶ δώδεκα ἔτη, Ἐριχθόνιος ἐκβάλλει. *Cranaum Amphictyon cum ejecisset, regnum tenuit. hunc nonnulli, filium Deucalionis; alii, indigenæ tradunt: atque ipsum, cum jam per duodecim annos regnavisset, Erichthonius expellit.* Uxorem habuit, unam Cranai filiarum. Observare est apud Eusebium, in *citatis statim verbis*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τρίτος Ἀμφικτύων, υἱὸς Δευκαλίωνος, γαμβρὸς Κραναοῦ. *Atheniensium tertius rex fuit Amphictyon, filius Deucalionis, gener Cranai.* Pausanias, *Atticis*. Κραναῷ δὲ Ἀμφικτύων ἐπαναστὰς, θυγατέρα ὅμως ἔχων αὐτοῦ, παύει τῆς ἀρχῆς. *In Cranaum vero insurgens Amphictyon, tametsi ducta ejus filia, regno eum deturbavit.* Ac rursum, *alio quodam loco*. Κραναὸν δὲ τὸν βασιλεύσαντα Ἀθηναίων, ἐξέβαλεν Ἀμφικτύων, κηδεστὴν ὄντα. *Cranaum vero, Atheniensium regem, ejecit Amphictyon, socerum suum.* Sustulitque filium unum, Itonum. Stephanus, *in* Βοιωτία. Γενέσθαι δὲ φασὶ Βοιωτὸν Ἰτώνου, τοῦ Ἀμφικτύονος. *Fuisse vero ajunt Bœotum Itoni, Amphictyonis F.* Paus. *Eliac.* I. Οἱ δὲ, τοῦ Ἰτώνου τοῦ Ἀμφικτύονος Χρομίαν. *Hi vero, Chromiam Itoni, Amphictyonis F.* Iterum, in *Bœoticis*. Ἴτωνον δὲ, Ἀμφικτύονος εἶναι λέγουσιν. *Itonum vero, Amphictyonis filium esse ferunt.* Et alio loco, in *Bœoticis* iisdem. Καλεῖται δὲ ἀπὸ Ἰτώνου, τοῦ Ἀμφικτύονος. *Vocatur vero ab Itono, Amphictyonis filio.*

Habuit quoque filiam unam, quæ non nominatur tamen: e qua Rharum Triptolemus, Cercyonem Neptunus genuit. Observo apud Pausaniam, in *Atticis*. Χοιρίλῳ δὲ Ἀθηναίῳ, δρᾶμα ποιήσαντι Ἀλόπην, ἔστιν εἰρημένα, Κερκύονα εἶναι καὶ Τριπτόλεμον ἀδελφὸς, τεκεῖν δὲ σφᾶς θυγατέρα Ἀμφικτύονος·

A εἶναι δὲ πατέρα Τριπτολέμῳ μὲν Ῥάρον, Κερκύονι δὲ Ποσειδῶνα. *Chœrilus, qui fabulam Alopen fecit, auctor est; Cercyonem, ac Triptolemum, fratres esse, atque natos filia Amphictyonis: & Triptolemo quidem Rharum, Cercyoni Neptunum patrem.*

FINIS LIBRI PRIMI.

JOANNIS MEURSII
DE REGIBUS ATHENIENSIUM
LIBER II.

CAP. I.

Erichthonius, qui Homero, & ex eo aliis quoque, Erechtheus dicitur: Vulcano natus, & Minerva Belonica, Brontei, sive Cranai, filia. Minervæ simulacrum in arce dedicat: item templum, & sacrificia. Tribubus etiam nomina mutat, & Panathenæa instituit; ac in iis currum quatuor equis jungit: quod nonnulli, Trochilum fecisse primum, sunt auctores. Adonis locus emendatus, & Lucæ Tudensis: cujus error item ostenditur. Primus etiam sacra facit Telluri, cognomento Κουροτρόφῳ*: & arma dedicat, statuitque, ut huic præsacrificetur. Argentum quoque invenit, aut Athenas primus attulit, & pecuniam inscripsit. Apes item in Hymetto monte natæ ejus tempore. Regnavit annos quinquaginta; ac, relicto ex Pasithea uxore Pandione filio, regni hærede, diem obit: & in templo Minervæ sepelitur. Apollodorus ea de re emendatus. Denique, in cælum illatus, & Auriga est putatus.*



DETURBATO Amphictyone, Erichthonius regnum invasit, Vulcani & Minervæ filius: de quo sic Tertullianus, l. *De Spectac. Erichthonius, Minervæ & Vulcani filius, & quidem de caduca in terram libidine, portentum est dæmonicum*. Censorinus, *cap.* IV. *In Attica fertur regione Erichthonius ex Vulcani semine humo ortus*. Lucianus, in *Philopseude*. Ἀθηναῖοι δὲ τὸν Ἐριχθόνιον ἐκ τῆς γῆς ἀναδοθῆναι φασί. *Athenienses vero Erichthonium e terra editum commemorant*. Videatur quoque Elias Cretensis, in Gregorii Nazianzeni *Orat.* IV. & Orig. *Contra Celsum*, lib. VIII. Et est obvium apud Auctores. Verum geniturам ejus, velut nimis fabulosam, ac vulgatam, prætereibo. Magis convenit Historiæ, quod Isaacius Tzetzes tradit, ex legitimo Vulcani, & Minervæ, Brontei filiæ, quæ & Belonica dicta, matrimonio procreatum. Ita enim ille inquit, ad *Lycophronem*. Καὶ τὸ περὶ Ἀθηνᾶς, καὶ Ἡφαίστου, οὕτως ἐστίν. Ἀθηνᾶ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ Βροντέως ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος, γάμῳ μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν Ἀττικῆς. *Quod ad Minervam attinet, & Vulcanum, ita habet. Minervæ cuidam reginæ, etiam Belonicæ dictæ, Brontei filiæ, matrimonio junctus*

A *Vulcanus, gignit Erichthonium, qui Atticæ regnum tenuit*. Joannes Tzetzes, Cranai hanc filiam facit, *Chil.* V. *cap.* XIX.

Ὁ Ἐριχθόνιος δ', αὐτὸν διώξας, βασιλεύει.
Ἡφαίστου παῖς, καὶ Ἀθηνᾶς, τῆς Κραναοῦ θυγατρός.
Erichthonius vero, pulso ipso, regnum capit:
Vulcani filius, & Minervæ, Cranai filiæ.

Hic *Homero* Erechtheus dicitur. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τέταρτος Ἐριχθόνιος, ἔτη πεντήκοντα. οὗτος Ἐριχθόνιος Ἡφαίστου ὁ παρ' Ὁμήρῳ Ἐρεχθεύς ἐστιν. Hieronymus. *Erichthonius, Vulcani & Minervæ filius, qui ab Homero Erechtheus vocatur, his temporibus*
B *fuit*. Et paullo ante, in Catalogo regum, simpliciter Erechtheum vocat. *Atheniensibus regnavit quartus Erechtheus, annos quinquaginta*. Locus Homeri, exstat iste, *Iliad.* β'. v. 552.

Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε, Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα.
Populum Erechthei magnanimi, quem aliquando Minerva
Nutrivit, Jovis filia, peperit autem alma Tellus.

Ubi *Scholiastes vetus*. Ἐρεχθῆος· τοῦ βασιλέως τῶν Ἀθηναίων, τοῦ καὶ Ἐριχθονίου καλουμένου. *Erechthei. regis Atheniensium, qui etiam Erichthonius dicitur*. Vide ibidem *Eustat*. Atque hinc est hoc Platonis in
C I. *Alcib.* Εὐπρόσωπος γὰρ ὁ τοῦ μεγαλήτορος Ἐρεχθέως δῆμος· ἀλλ' ἀποδύντα χρὴ αὐτὸν θεάσασθαι. *Formosus enim est populus magnanimi Erechthei: verum eum adspicere exutum oportet*. Nec aliter appellat Themistius, *Orat.* XIX. Καίτοι καὶ ἵππων ἅρμα ὑπ' Ἐρεχθέως πρῶτον ζευχθῆναι λέγεται. *Etenim primum equis junctum currum ab Erechtheo fertur*. Nam hoc factum ab Ericht. mox dicemus. Nonnus *Dionys. lib.* XLI. *v.* 63. 64.

Οὐ τύπον ἄγριον εἶδεν Ἐρεχθέος, ὃν τέκε Γαίη
Αὔλακι νυμφεύσας γαμίην Ἥφαιστος ἐέρσην.
Non figuram feram habuit Erechthei, quem genuit Telluri
D *Sulco nuptum dans nuptialem Vulcanus rorem.*

Et occurrit alibi quoque apud eundem *lib.* XIII. & XXVII. Hic Minervæ simulacrum dedicavit in arce. Apollod. ubi de eo verba facit, l. III. Καὶ τὸ ἐν ἀκροπόλει ξόανον τῆς Ἀθηνᾶς ἱδρύσατο. *Ac, quod in arce est Minervæ signum dedicavit*. Templum quoque, & sacrificia. Hygin. in *Poet. Astr.* ubi de Heniocho agit. *Erichthonius & quadrigas, ut ante diximus, & Minervæ sacrificia, & templum, in arce Atheniensium, primus instituit*. Interpres *Germanici*. *Arcem, tem-*

fluinque, (*Minervæ Erichthonius*) ædificasse dicitur. Ac sacerdos ejus prima Io fuit. Ἰὼ ἐκαλεῖτο ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς. *Io vocabatur prima sacerdos Minervæ*. Tribubus item urbis quatuor mutat nomina. Pollux, *l.* VII. c. IX. *sect.* XXXI. Ἐπὶ δὲ Ἐριχθονίου, (αἱ φυλαὶ μετωνομάσθησαν,) Διὰς, Ἀθηναῒς, Ποσειδωνιὰς, Ἡφαιστιάς. *Sub Erichthonio vero, (mutato nomine dictæ tribus,) Jovia, Minervia, Neptunia, Vulcania*. Panathenæa quoque instituit. Apollodorus, *loc. cit*. Καὶ τῶν Παναθηναίων τὴν ἑορτὴν συνεστήσατο. *Et Panathenæorum festum instituit*. Harpocration, *in* Παναθήναια. Ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν ὁ Ἐριχθόνιος ὁ Ἡφαίστου. *Celebravit vero festum Erichthonius Vulcani F.* Hyginus, in *Poetico Astronomico*. *Alii Erichthonium dixerunt primo tempore adolescentiæ ludos Minervæ Panathenæa fecisse*. Quanquam Pherecides, in *Fragmento* libri primi Historiarum, instituta Panathenæa Hippoclide Archonte dicat. Verba ejus ita habent, apud Marcellinum, De *Vita Thucydidis*. Τοῦδε, Μιλτιάδης· τοῦδε, Ἱπποκλείδης. ἐφ' οὗ ἄρχοντος Παναθήναια ἐτέθη. *Hujus filius, Miltiades; hujus, Hippoclides: quo archonte Panathenæa instituta*. Et eo festo primus currum equis junxisse memoratur. Virgilius, *Georg*. l. III. v. 113. 114.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Servius. *Varro, in libro, qui Mirabilium inscribitur, Erichthonium (tradit) primum quatuor junxisse equos ludis, qui Panathenaici appellantur*. Sane equos primum currui junxisse, plures memorant. Aristides, *Orat*. in Minervam. Λέγεται γὰρ Ἐριχθόνιον μὲν, τὸν τῆς θεοῦ τρόφιμον, πρῶτον ἀνθρώπων ἅρμα ζεῦξαι ἵππων. *Dicitur enim Erichthonius, deæ alumnus, primus hominum equos currui junxisse*. Avienus in *Phænomenis*.

—— ille impiger autem
Pulcher Erichthonius currus: & quatuor olim
Junxit equos. ——

Et *Germanicus*.

—— Erichthonius, qui curru sub juga duxit
Quadrupedes. ——

Et passim occurrit apud Auctores. Quanquam sane, quod hic obiter indicandum, antea, ætate Cecropis, Procidum quendam id fecisse, tradat Ado in *Chronico suo*. *Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam junxit: eodemque tempore Cecrops Athenas condidit*. Sed legendum illic puto: *primus Trochilus quadrigam junxit*. Quippe Trochilus, filius Callitheæ, primæ Junonis Argivæ sacerdotis, facto hoc commemoratur a Theone, *in Aratum*. Οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ Βελλεροφόντου, ἢ Τροχίλου, τῆς Καλλιθέας παιδὸς, πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας, ἅρμα πρῶτον ζεύξαντος. *Mythologi vero dicunt, aurigam esse imaginem seu Bellerophontis, sive Trochili, filii Callitheæ, primæ Argis sacerdotis, qui primus currum equis junxit*. Corrupte etiam Troilus dicitur Lucæ Tudensi, in *Chronico*. *Erichthonius, Atheniensium princeps qui Vulcani filius dicitur fabulose, currum junxit in Græcia primus: & Troilus quadrigam, in Troja*. Neque recte item in Troja factum id commemoratur. Primus etiam Telluri, cognomento Κουροτρόφῳ, sacra in arce fecit; aramque item dedicavit, pro acceptis alimentis: statuitque, ut, qui deo cuicunque, sive deæ, sacra facerent, huic quoque deinceps præsacrificarent. *Suidas*. Κουροτρόφος Γῆ, ταύτῃ δὲ θῦσαι φασὶ τὸ πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει· καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι, χάριν ἀποδιδόντα τῶν τροφείων. καταστῆσαι δὲ νόμιμον, τοὺς θύοντας τινὶ θεῷ, ταύτῃ προθύειν. *Tellus*, Κουροτρόφος *cognomento*. *Huic primum sacra fecisse ajunt Erichthonium in arce; aramque dedicasse, gratias reddentem pro acceptis alimentis: tum instituisse etiam qui deo cuipiam sacra facerent, ut huic præsacrificarent*. Quin argentum item invenit. Plinius, *lib*. VII. *cap*. LVI. *Argentum invenit Erichthonius Atheniensis*. Nempe primus Athenas argentum attulit. Hyginus, *Fab*. CCLXXIII. *Indus rex in Scythia argentum primus invenit: quod Erichthonius Athenas primum attulit*. Vel inscripsit primus pecuniam, Pollux, *lib*. IX. *cap*. VI. Πρῶτος ἔγραψε νόμισμα Ἀθηναίοις Ἐριχθόνιος. *Primus inscripsit nummum Atheniensibus Erichthonius*. Natæ etiam ejus tempore primum apes in Hymetto, Atticæ monte, memorantur. Columella, *lib*. IX. *cap*. II. *Sed ne illud quidem pertinet ad agricolas, quando, & in qua regione, primum natæ (apes) sint; utrum in Thessalia, sub Aristæo, an in insula Cea, ut scribit Euhemerus: an Erichthonii temporibus, in monte Hymetto, ut Euthronius*. Ab ipso, populum Erichthonium, Propertius dicit Athenienses, *lib*. II. *Eleg*. VI. v. 3. 4.

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidis olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Et Manilius, colonos Erichthonios, *extremo lib*. I.

Qualis Erichthonios pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas.

Obiit diem anno regni quinquagesimo. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσε τέταρτος Ἐριχθόνιος ἔτη πεντήκοντα. *Atheniensibus regnavit quartus Erichthonius annos quinquaginta*. Neque aliter *Marianus, Abbas Urspergensis*, & *Vincentius Bellovacensis*. Uxorem habuit, Pasitheam: & ex ea filium Pandionem sustulit, regni hæredem. *Apollodorus*. Καὶ Πασιθέαν, Νηΐδα νύμφην, ἔγημεν (Ἐριχθόνιος,) ἐξ ἧς παῖς Πανδίων ἐγεννήθη. *Et Pasitheam, Nympham Naidam, (Erichthonius) uxorem duxit: ex qua filius Pandion natus est*. Sepultus est in fano Minervæ. Idem *Apollodorus*. Ἐριχθονίου δὲ ἀποθανόντος, καὶ ταφέντος ἐν τῷ α. τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσεν. *Mortuo vero Erichthonio, ac sepulto in primo Minervæ fano, Pandion regnavit*. Sed quodnam, quæso, est primum hoc Minervæ fanum? Est profecto mendum illic quod nunc tollam. Paullo præcedentibus verbis dixerat, in Minervæ fano, quod nimirum in arce erat, educatum ab illa dea Erichthonium. Ἐν δὲ τῷ τεμένει τραφεὶς Ἐριχθόνιος ὑπ' αὐτῆς Ἀθηνᾶς, ἐκβαλὼν Ἀμφικτύονα ἐβασίλευσεν Ἀθηνῶν. *Erichthonius, in templo educatus ab ipsa Minerva, ejecto Amphictyone, Athenarum regnum tenuit*. Et mox quoque vita functum, in eodem templo sepultum fuisse, tradit. Itaque legendum censeo. καὶ ταφέντος ἐν τῷ αὐτῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς. *Ac sepulto in eodem Minervæ fano*. Arnobius, *lib*. VI. *In templo rursus ejusdem, (Minervæ,) quod in arce Larissæ est, conditus scribitur, atque indicatur, Acrisius: Erichthonius, Poliadis in fano*. Clemens, in *Protreptico*. Τί δαὶ Ἐριχθόνιος; οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται; *Quid autem Erichthonius? nonne in Minervæ Poliadis fano est sepultus?* In cælum etiam relatus, Auriga esse credebatur. *Germanicus*.

Est etiam Aurigæ facies, sive inclyta forma,
Natus Erichthonius. ——

Interpres ejus. *Hic Agitator Erichthonius dicitur fuisse, Vulcani, & Minervæ, filius*. Hyginus, in *Poetico Astronomico*. *Heniochus*. *Hunc nos Aurigam Latine dicimus, nomine Erichthonium, ut Eratosthenes monstrat, quem Jupiter, cum vidisset primum inter homines equos quadrigis junxisse, admiratus est, ingenium hominis ad Solis inventa accessisse: quod is princeps quadrigis inter deos esset usus*. Avienus, in *Phænomenis*.

Aurigatorem par sit quoque cura videre;
Namque tuas aures implevit fabula solers

Cretæi pecoris: hæc lac memoratur alumno
Infudisse Jovi capra, nutrix dicta Tonantis:
Stelligero subvecta polo est: ille impiger autem
Pulcher Erichthonius, currus, & quatuor olim
Junxit equos. ——

C A P. II.

Pandion I. Sub hoc Ceres, filiam Proserpinam quærens, in Atticam venit, & a Celeo excipitur: item Bacchus, qui hospitio Icarii usus, vitem donat hospiti suo, atque vini faciendi rationem eum docet. Icarius, communicato cum pastoribus vini potu, ab iisdem interficitur: & Erigone, patrem quærens, cum occisum, indicio canis, didicisset, se suspendit. Germanici Interpres emendatus, uno alteroque loco. Αἰῶραι. Oscilla.

HACTENUS Athenæ reges habuere, quos fortuna illis dedit, aut vis fecit; qui sequuntur, id hæreditate suum, & legitima successione adiere: quanquam sane sub Pandione II. Metionidæ, ac sub Theseo Pallantidæ, turbas aliquas objecerunt. Primus autem acceptum regnum tenuit Pandion I. Apollodorus, *lib.* III. Ἐριχθονίου δὲ ἀποθανόντος, καὶ ταφέντος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσεν. *Defuncto Erichthonio, ac sepulto in Minervæ fano, regnavit Pandion.* Eusebius. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν πέμπτος Πανδίων. *Atheniensium rex fuit quintus Pandion.* Hieronymus. *Atheniensibus regnavit quintus Pandion.* Sub hoc Ceres, raptam a Plutone filiam Proserpinam quærens, in Atticam venit, & a Celeo Eleusine excepta fuit: ac cum ea Bacchus quoque, Icarii hospes. *Apollodorus.* Ἐφ' οὗ (Πανδίονος) Δημήτηρ, καὶ Διονύσος, εἰς τὴν Ἀττικὴν ἦλθον. ἀλλὰ Δήμητρα μὲν, Κελεὸς εἰς τὴν Ἐλευσῖνα ὑπεδέξατο. Διόνυσον δ' Ἰκάριος. *Sub quo (Pandione) Ceres, & Bacchus, in Atticam venere. ac Cererem quidem, Celeus Eleusine excepit: Bacchum vero, Icarius.* Ac de Cereris in Atticam adventu, sic Arnobius, *lib.* V. *Cum factum nesciret Ceres, nec filia ubinam gentium esset suspicaretur, intendit animum perditam toto orbe conquirere. sumit faces geminas, flammis comprehensas Æneis: quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis. In istius conquisitionis errore, Eleusinos etiam pervehitur fines. pagi istud nomen est, regione in Attica constituti.* Sed, quæcunque istuc pertinent, vide, si putabis tanti, libri nostri de *Eleusiniis* cap. II. & III. De Icario, & hospitio quoque Bacchi apud ipsum, tum & vini usu ipsi indicato, meminit Achilles Tatius, *de Am. Clitophontis, & Leucippes*, lib. II. Historia vero, in hunc modum sese habet. Bacchus, ab Icario hospitio exceptus, ut referret gratiam hospiti, donat ei vitis palmitem. ille cum se ad pastores contulisset, & communicasset vinum, ipsi, eo largius sumpto, postea inebriati, propinatum sibi venenum existimantes, hominem mox interficiunt, & sepeliunt. Filia vero Erigone, patrem quærens, cum indicio Mæræ canis cædem ejus intelligeret, se suspendio necavit. Διόνυσον δὲ (ὑπεδέξατο) Ἰκάριος. καὶ λαμβάνει παρ' αὐτοῦ κλῆμα ἀμπέλου. καὶ, τὰ περὶ τὴν οἰνοποιΐαν μανθάνων, καὶ τὰς τοῦ θεοῦ δωρήσασθαι θέλων χάριτας ἀνθρώποις, ἀφικνεῖται πρὸς τινὰς ποιμένας. οἱ, γευσάμενοι τοῦ πότου, καὶ χωρὶς ὕδατος ἀφειδῶς δι' ἡδονὴν ἑλκύσαντες, πεφαρμάχθαι νομίζοντες, ἀπέκτειναν αὐτόν. μεθ' ἡμέραν δὲ νοήσαντες, ἔθαψαν αὐτόν. Ἠριγόνη δὲ τῇ θυγατρὶ, τὸν πατέρα μαστευούσῃ, κύων συνήθης, ὄνομα Μαῖρα, ἣ τῷ Ἰκαρίῳ συνείπετο, τὸν νεκρὸν ἐμήνυσε. κἀκείνη, κατοδυρομένη τὸν πατέρα, ἑαυτὴν ἀνήρτησε. *Bacchum vero, (excepit,) Icarius; a quo vitis palmitem muneri accepit: & vini faciendi rationem didicit. isque, dei beneficia hominibus largiri cupiens, ad pastores quosdam abit, qui, cum gustavissent potum; atque eum sine aqua immodice voluptatis causa bibissent, venenum sibi propinatum arbitrati, Icarium interfecere: ac postridie, re perspecta, sepelierunt. Erigonæ vero filiæ, patrem quærenti, canis familiaris, Mæra nomine, cadaver interfecti ostendit. atque illa, patris cædem lamentata, se suspendit.* Factum autem hoc Icarii, item cædem, & Erigones suspendium, quæque illud consequuta, fuse memorat Hyginus, in *Poetico Astronomico*, ubi de Arctophylace agit; Germanici Interpres, in *Phænomena Aratea*, Servius, ad *Georg.* II. Nonnus *Dionysiac.* XLVII. Joannes Tzetzes, *Chil.* IV. *cap.* CXXVIII. Lutatius, ad *Statii Theb.* IV. & Nonnus Monachus, *Collect. Hist.* lib. I. cap. LXX. Meminere autem strictim, Ælianus, *Hist. Anim.* lib. VI. cap. XXV. & lib. VII. cap. XXVIII. item Festus, in *Oscillum*. Sed *Germanici Interpres*, uno alteroque loco, est corruptus: ac per hanc occasionem emendandus. *Icarius:* dehinc Athenæus, (ita vertit; quod apud Scriptorem Græcum Ἀθηναῖος scriptum erat, cum deberet, *Atheniensis* verti,) *cum in terram Atticam ad posteros devenisset, eis genus hoc suavitatis ostendit.* Rescribendum, *ad pastores devenisset.* Nam historia ita habet, & subjungit ipse statim: *pastores autem, cum immoderatius biberent, ebrii facti, conciderunt.* Deinde. *Quod factum est ab Atheniensibus; qui, diebus festis institutis, aras constituerunt: ideo, quia illam (Erigonem) pendentem aspexerunt.* Quid? an ideo aras Erigonæ statuerunt, quia pendentem vidissent? Nugæ meræ. Festos ei dies instituerunt, quos Αἰώρας, de suspendio illius, appellarunt: itaque restituo. *Diebus festis institutis, Æoras constituerunt.* Hesychius. Αἰώρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐπὶ Ἠριγόνης ἀλήτιδος, τῆς Ἰκαρίου. *Æora, festum Athenis, institutum erranti Erigonæ, Icarii filiæ.* Latini *Oscilla* dicebant. Paullus Diaconus, in *Epitome* Festi. *Oscilla, festa, in honorem Bacchi, in quibus homines se per funes jactant: alii putant Erigones, & Icarii, festa.*

C A P. III.

De errorum Cereris tempore, ostensum, variare Auctores: & ut Cranai, sic Pandionis nonnullos; quosdam vero, etiam Erechthei regno attribuere. Frumentum per Triptolemum datum, item leges: tum & sacra Eleusinia instituta.

AC errores quidem Cereris, ut ad illos revertamur, alii multo faciunt antiquiores; & sub Cranao accidisse, & ab ejus filio Rharo deam hospitio exceptam, sunt auctores: ut ostendi, libri superioris cap. XIV. Alii, Pandionis hujus regno adscribunt: & Triptolemum tunc frumentum elargitum deæ dono item ferunt. *Eusebius.* Ἐλευσῖνος πόλεως (ἐπὶ Πανδίονος) Κελεὸς ἐβασίλευσε, καθ' ὃν Τριπτόλεμος ἦν. ὅν φησιν ὁ Φιλόχορος, μακρῷ πλοίῳ προσβαλόντα ταῖς πόλεσι, τὸν σῖτον διαδοῦναι. *Eleusinis urbis (Pandionis tempore) rex fuit Celeus, apud quem Triptolemus erat: quem Philochorus ait, longa navi advectum ad urbes, frumentum distribuisse.* Marianus Scotus in *anno Pandionis* XXXIII. *Eleusine Celeus regnavit, coætaneus Triptolemi: quem Philochorus ait, longa navi ad urbes accedentem, distribuisse frumenta.* Quidam eum non longa navi, sed draconibus alatis juncto curru, circumvectum esse tradunt. *Phurnutus.* Ταύτην δὲ (τὴν τροφὴν) μυθεύεται σπεῖραι διὰ τῆς οἰκουμένης ὁ Τριπτόλεμος ὁ Ἐλευσίνιος, ἀναβιβάσης αὐτὸν ἐπὶ πτερωτῶν δρακόντων ὄχημα τῆς Δήμητρος. *Hunc vero (cibum)*

A *toto orbe seminasse fertur Triptolemus Eleusinius, currui alatis draconibus juncto a Cerere impositus.* Sed hæc obvia apud Auctores. Alii rursum, non duntaxat Cranao posteriorem hanc rem volunt, verum etiam Pandione: & Erechthei regno tribuunt, qui Pandioni successit. Justinus, lib.II. *Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit: sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est.* Ita sensit etiam Non. *Dionysiac.* l. XIX. v. 78. &c.

Καὶ πρῶτος κληροιο τυχὼν τεχνήμονι ῥυθμῷ
Κεκροπίης ναέτης κιθάρην ἐλέλιζεν Ἐρεχθεὺς,
Μέλπων πάτριον ὕμνον. ὅτι ζαθέαις ἐν Ἀθήναις
B Καὶ Κελεὸς ξείνισσε βίου παμμήτορα Δηὼ,
Τριπτολέμῳ σὺν παιδὶ, καὶ ἀρχαίῃ Μετανείρῃ,
Καί σφισι καρπὸν ὄπασσεν. ——

Et primus hæreditatem nactus artificioso rhythmo,
Cecropiæ habitator citharam quatiebat Erechtheus,
Canens patriam cantilenam; quod divinis Athenis
Et Celeus hospitio excepit vitæ omnium matrem Cererem,
Triptolemo cum puero, & vetula Metanira:
Et ipsis fructum præbuit. ——

Diodorus Siculus, *lib.*I. Ὁμολογεῖν δὲ καὶ τοὺς Ἀθηναίους ὅτι, βασιλεύοντος Ἐρεχθέως, καὶ τῶν καρπῶν διὰ τὴν ἀνομβρίαν προηφανισμένων, ἡ τῆς Δήμητρος ἐγένετο παρουσία C πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ σίτου. *Fateri etiam Athenienses, regnante Erechtheo, cum defectus pluviarum fruges prius absumpsisset, Cererem venisse illuc, & donatione frugum ipsos sublevasse.* Maximus Tyrius, *Dissert.*XIII. Ὀψὲ μὲν Δημήτηρ γεωργεῖ, μετὰ πολλὴν πλάνην. ὀψὲ δὲ Διόνυσος, μετὰ τὸν Κάδμον, καὶ τὸν Πενθέα. ὀψὲ ὁ Τριπτόλεμος, μετὰ τὸν Ἐριχθόνιον. *Sero terram colit Ceres, post longum errorem; sero Bacchus, post Cadmum, & Pentheum: sero Triptolemus, post Erichthonium.* Videtur innuere regnum Pandionis, Erichthonii successoris: etenim, Erechtheum si designasset, addidisset etiam, καὶ τὸν Πανδίονα, *& Pandionem.* Sic Aristides, *Orat.* in D Minervam. Τριπτόλεμος δὲ, Ἐριχθονίου νεώτερος· εἴη δ' ἂν καὶ τούτῳ τὰ μὲν σπέρματα, παρὰ τῆς Δήμητρος. τὸ δὲ ἅρμα, παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς. *Triptolemus vero, Erichthonio junior; acceperitque hic semina quidem, a Cerere: currum vero, a Minerva.* Nec duntaxat fruges tunc Triptolemus dedit, sed & leges: quarum tres commemorantur exstitisse Eleusine. Porphyrius, *de Abst.* lib.IV. Τῶν τοίνυν Ἀθήνησι νομοθετῶν, Τριπτόλεμον παλαιότατον παρειλήφαμεν. περὶ οὗ Ἕρμιππος, ἐν δευτέρῳ Περὶ τῶν νομοθετῶν, γράφει οὕτως. Φασὶ δὲ καὶ Τριπτόλεμον Ἀθηναίοις νομοθετῆσαι. καὶ τῶν νόμων αὐτοῦ τρεῖς ἔτι Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος E λέγει διαμένειν Ἐλευσῖνι τοὺς δε. Γονεῖς τιμᾶν. Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν. Ζῶα μὴ σίνεσθαι. *Legislatorum itaque Atheniensium antiquissimum fuisse Triptolemum accepimus: de quo Hermippus, libro secundo de Legumlatoribus, ita scribit. Ajunt etiam Triptolemum Atheniensibus leges sanxisse; & ex legibus ejus tres adhuc exstare Eleusine, Xenocrates philosophus tradit has: Parentes honorare. Deos fructibus colere. Animalia non lædere.* Hieron. *adversus Jovinianum*, l.II. *Xenocrates philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum præcepta in templo Eleusinæ residere scribit: Honrandos parentes. Venerandos deos. Carnibus non vescendum.* Sacra quo- F que Eleusinia, quæ Μυστήρια Græci dicunt, Latini *Initia*, eo tempore instituta: idque in honorem frugum, quas tunc Ceres per Triptolemum donavisset. Justinus, *loco jam citato. Frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est: in cujus muneris honorem noctes* INITIORUM *sacratæ.* Freculphus *Tom.*I. lib.II. cap.XII. *Fuit Pandionis filius, sub quo mysteria Græcorum esse cœperunt.* Vide *Eleusinia* nostra, cap.II.

CAP. IV.

Bello contra Labdacum orto, propter fines regionis, opem Terei implorat: qua cum hostem debellasset, filiam ei Prognen dat in matrimonium. Tereus ille, Thraciæ rex; sive potius Thracum erat, Dauliæ Phocidis habitantium: vel, ut alii, regionis, quæ circa Megaridis fines. Pausaniæ error: qui Pandionem hunc primum cum secundo, Cecropis filio, confundit.

B INDE bello, propter fines, contra Labdacum excitato, in auxilium vocat Tereum, Thraciæ regem: ejusque ope postquam victor evasisset, filiam illi suam Prognen dat uxorem. *Apollodorus.* Πολέμου δὲ ἐξαναστάντος πρὸς Λάβδακον, περὶ γῆς ὅρων, ἐπεκαλέσατο βοηθὸν ἐκ Θράκης Τηρέα τὸν Ἄρεως. καὶ, τὸν πόλεμον σὺν αὐτῷ κατορθώσας, ἔδωκε Τηρεῖ πρὸς γάμον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Πρόκνην. *Hinc de terræ finibus exorto contra Labdacum bello, adjutorem e Thracia Tereum, Martis filium, advocavit. ac, præclare ejus ope gesto bello, dat uxorem ipsi Prognem, filiam suam.* Belli hujus, & a Tereo lati auxilii, meminit etiam Ovidius, *Met.* l.VI. v.421. &c.

C
Credere quis posset? solæ cessastis Athenæ.
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Cecropios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis
Fuderat, & clarum vincendo nomen habebat.
Quem sibi Pandion, opibusque virisque potentem,
Et genus a magno ducentem forte Gradivo,
Connubio Prognes junxit.

Matrimonii mentionem facit etiam Thucydides, & adjungit item causam, *lib.*II. Εἰκὸς δὲ, καὶ τὸ κῆδος Πανδίονα ξυνάψασθαι τῆς θυγατρὸς διὰ τοσούτου, ἐπ' D ὠφελείᾳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. *Et credibile est, Pandionem, tantillo loci intervallo, affinitatem ex filia contraxisse, mutui auxilii causa.* Erat nempe Tereus hic non Thraciæ rex, verum Thracum: quippe Dauliam tenebat, urbem Phocidis, quam tunc Thraces incolebant. Clare id Thucydides docet, *libro eodem*, verbis paullo antecedentibus. Τηρεῖ δὲ, τῷ Πρόκνην τὴν Πανδίονος ἀπ' Ἀθηνῶν σχόντι γυναῖκα, προσήκει ὁ Τήρης οὗτος οὐδὲ τῆς αὐτῆς Θράκης ἐγένοντο. ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος νῦν καλουμένης γῆς ὁ Τηρεὺς ᾤκει, τότε ὑπὸ Θρακῶν οἰκουμένης. *Ad Tereum vero, qui Athenis filiam Pandionis Prognen uxorem habuit, nullo modo Teres iste pertinebat; ne-* E *que ex eadem Thracia uterque erat: siquidem Tereus, Dauliam, quæ nunc vocatur, Phocidis inhabitabat, Thracum eo tempore sedem.* Et Strabo, *lib.*VII. Τὴν μὲν γὰρ Ἀττικὴν, οἱ μετ' Εὐμόλπου Θρᾶκες ἔσχον. τῆς δὲ Φωκίδος τὴν Δαυλίδα, Τηρεύς. *Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo venerant, possidebant. Phocidis vero Daulidem Tereus.* Iterumque, *lib.*IX. Πρὸς τὴν ἕω, Δαυλὶς πολίχνιον. ὅπου Τηρέα τὸν Θρᾷκα φασὶ δυναστεῦσαι. *Ad orientem, oppidulum est Daulis: ubi Tereum Thracem dominatum ferunt.* Conon, apud Photium, in *Bibliotheca*, Narrat.XXXI. Τηρεὺς, βασιλεὺς Θρακῶν, τῶν περὶ F Δαυλίαν, καὶ τὴν ἄλλην Φωκίδα, ἄγεται Πρόκνην γυναῖκα, τὴν Πανδίονος, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν. *Tereus, rex Thracum, qui circa Dauliam, ceteramque Phocidem, ducit Prognen, filiam Pandionis, Athenarum regis.* Asserit sententiam istam & Pausanias: verum tamen refert idem, affirmare Megarenses consuevisse, eum ad Megaridis fontes habitasse. Verba ecce ista, in *Atticis*. Τούτου δέ ἐστιν οὐ πόρρω τάφος Τηρέως, τοῦ Πρόκνην γήμαντος τὴν Πανδίονος. Ἐβασίλευσε δὲ ὁ Τηρεὺς, ὡς μὲν λέγουσιν οἱ Μεγαρεῖς, περὶ τὰς πηγὰς, τὰς καλουμένας τῆς Μεγαρίδος, ὡς δὲ

ἐγώ τε δοκῶ, καὶ τεκμήρια ἐς τόδε λείπεται, Δαυλίδος ἦρχε, τῆς ὑπὲρ χαιρωνείας. *Ab eo non longe abest Terei sepulcrum; ejus nempe, qui Prognen, Pandionis filiam, uxorem duxit. Regnavit autem Tereus, ut Megarenses dicunt, circa fontes, qui Megaridis appellantur: uti vero ego existimo, atque indicant vestigia, etiam nunc existentia, Daulide, supra Chæroneam*. De Daulia certe, etiam e Stephano colligere licet, *in* Δαυλίς. Atque hæc de Tereo quidem; verum item nunc Pausaniæ mihi error indicandus, de Pandione; quem is statuit non hunc, primum ejus nominis, Erichthonii regis filium; sed secundum, Cecrope secundo natum. Ecce tibi verba, in *Atticis*. Καὶ δὴ καὶ Πανδίων ἐβασίλευσεν, ὁ τοῦ Ἐριχθονίου. καὶ ὁ Κέκροπος δεύτερος. τοῦτον Μητιονίδαι τῆς ἀρχῆς ἐξελαύνουσι. καὶ οἱ φυγόντι ἐς Μέγαρα, (θυγατέρα γὰρ εἶχε Πύλα, τοῦ βασιλεύσαντος ἐν Μεγάροις,) συνεκπίπτουσιν οἱ παῖδες. Καὶ Πανδίονα μὲν, αὐτοῦ λέγεται νοσήσαντα ἀποθανεῖν. καὶ οἱ πρὸς θαλάσσῃ μνῆμά ἐστιν ἐν τῇ Μεγαρίδι, ἐν Ἀθηνᾶς Αἰθυίας καλουμένῳ σκοπέλῳ. οἱ δὲ παῖδες, κατίασί τε ἐκ τῶν Μεγάρων, ἐκβαλόντες Μητιονίδας. καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀθηναίων, Αἰγεὺς, πρεσβύτατος ὢν, ἔσχε. θυγατέρας δὲ οὐ σὺν ἀγαθῷ δαίμονι ἔθρεψεν ὁ Πανδίων. οὐδὲ οἱ τιμωροὶ παῖδες ἀπ' αὐτοῦ ἐλείφθησαν· καίτοι, δυνάμεώς γε ἕνεκα, πρὸς τὸν Θρᾷκα τὸ κῆδος ἐποιήσατο. Ἀλλ' οὐδεὶς πόρος ἐστὶν ἀνθρώπῳ, παραβῆναι τὸ καθῆκον ἐκ θεοῦ. Λέγουσιν, ὡς Τηρεὺς, συνοικῶν Πρόκνῃ, Φιλομήλαν ᾔσχυνεν, οὐ κατὰ νόμον δράσας τῶν Ἑλλήνων. καὶ, τὸ σῶμα ἔτι λωβησάμενος τῇ παιδὶ, ἤγαγεν εἰς ἀνάγκην δίκης τὰς γυναῖκας. *Regnavit etiam Pandion, Arichthonii; & alter, Cecropis secundi filius. qui, cum filiis a Metionidis regno pulsus, cum ad Pylam, Megarensium regem, cujus filiam in matrimonio habebat, confugisset, morbo confectus, illic diem suum obiit: estque ejus mari vicinum monumentum, eo in loco Megarensis agri, qui Minervæ Æthyiæ scopulus est vocatus. At filii, rursus ejectis Metionidis, Megaris Athenas redierunt: ubi regnum maximus natu Ægeus obtinuit. Ac filias quidem, Pandion malo fato educavit; neque filios ultores ullos reliquit: etiamsi, potentiæ confirmandæ causa, Thracem sibi affinitate devinxisset. Sed effugere vim fati, nemo homo ulla ratione potest. Ac fertur Tereus, cui Progne nupta erat, Philomelam constuprasse, commisso contra Græcorum leges facinore: tum & corpore puellæ mutilato, mulieres ad vindictam impulisse*.

CAP. V.

Prognes, ac Philomelæ, infelicitas: & in aves fabulosa commutatio. Auctorum de hac dissensus indicatus. Gorgiæ Leontini dictum.

SED ærumnas filiarum, quas *Pausanias* quoque dicit, in *citatis proxime verbis*, persequendum est. Eas narrat in hunc modum *Apollodorus*. Ὁ δὲ, (Τηρεὺς) ἐκ ταύτης (τῆς Πρόκνης) γεννήσας παῖδα Ἴτυν, καὶ Φιλομήλης ἐρασθεὶς, ἔφθειρε καὶ ταύτην, εἰπὼν τεθνάναι Πρόκνην, κρύπτων ἐπὶ τῶν χωρίων. αὖθις δὲ γήμας Φιλομήλαν, συνηυνάζετο, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξέτεμεν αὐτῆς. ἡ δὲ, ὑφήνασα ἐν πέπλῳ γράμματα, καὶ διὰ τούτων ἐμήνυσε Πρόκνῃ τὰς ἰδίας συμφοράς. ἡ δὲ ἀναζητήσασα τὴν ἀδελφὴν, κτείνει τὸν παῖδα Ἴτυν. καὶ καθεψήσασα, Τηρεῖ δεῖπνον ἀγνοοῦντι προτίθησι. καὶ μετὰ τῆς ἀδελφῆς διὰ ταχέων ἔφυγεν. Τηρεὺς δὲ, αἰσθόμενος, ἁρπάσας πέλεκυν, ἐδίωκεν. αἱ δὲ ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος γενόμεναι προσκατάληπτοι, θεοῖς εὔχονται ἀπορνεωθῆναι. καὶ Πρόκνη μὲν, γίνεται ἀηδών. Φιλομήλα δὲ, χελιδών. ἀπορνεοῦται δὲ καὶ Τηρεὺς, καὶ γίνεται ἔποψ. *At (Tereus) suscepto ex hac (Progne) filio Itye, Philomelæ etiam amore accenditur, eamque vitiat: Prognen, ruri occultam, diem obiisse dicens. quam uxorem cum duxisset, post concubitum linguam excidit. illa vero, literis in peplo intextis, per has Prognæ indicat ærumnas suas. ac, sorore perquisita, Itym filium occidit, Tereoque ignoranti coctum apponit: ocyusque cum sorore fugam capit. Tereus vero, postquam facinus cognovisset, correpta securi, fugientes persequitur. hæ autem, cum jam in Daulia, urbe Phocidis, comprehendendæ forent, deos rogant, ut in aves mutarentur. itaque Progne, fit luscinia: Philomela vero, hirundo. Sed & Tereus in avem vertitur, fitque upupa*. Conon, in Excerptis Photii, *Narrat.* XXXI. Τηρεὺς Θρακῶν, τῶν περὶ Δαυλίαν, καὶ τὴν ἄλλην Φωκίδα, ἄγεται Πρόκνην γυναῖκα, τὴν Πανδίονος, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν. καὶ, ὡς ἐπεμάνη, καὶ ἐμίγη ἀκούσῃ Φιλομήλᾳ, τῇ ἀδελφῇ Πρόκνης, τέμνει καὶ τὴν αὐτῆς γλῶσσαν, δεδιὼς τὸν ἐκ λόγων θρίαμβον. ἡ δὲ, πέπλον ὑφαίνουσα, γράφει τὰ πάθη τοῖς νήμασι. καὶ ἡ Πρόκνη, μαθοῦσα, καὶ ἀμυνομένη, παρατίθησιν αὐτῷ δεῖπνον τὰ αὐτοῦ γεννήματα. ὁ δὲ Τηρεὺς, μαθὼν τὸ δεῖπνον τὸ μύσος ἀπ' αὐτῆς τῆς Πρόκνης, ἐδίωκεν αὐτήν τε καὶ τὴν ἀδελφὴν, ὡς συνεργὸν, ξίφει ἀνελεῖν. τὰς δὲ, ὡς μῦθος, λαβὼν ἐντεῦθεν, Πρόκνην μὲν ἀηδόνα ποιεῖ. Φιλομήλαν δὲ, χελιδόνα. καὶ ᾄδουσι διὰ παντὸς τὰς τότε συμφοράς. ἀλλὰ καὶ ὁ Τηρεὺς εἰς ἔποπα ἔπτη τῷ μύθῳ. καὶ οὐδ' ἐν ὄρνεσιν αὐτὰς φασὶ πεπαῦσθαι τῆς ὀργῆς. ἀλλ' ἔποπες ἀεὶ τὰς χελιδόνας, καὶ ἀηδόνας, διώκουσιν. *Tereus, Thracum rex, eorum qui Dauliam, cæteramque item Phocidem, habitabant, ducit uxorem Prognen, filiam Pandionis, Athenarum regis. Hic postquam, insano amore captus, Philomelam invitam constupravit, Prognes sororem, linguam quoque ejus exsecuit, veritus, ne factum proderet. At illa, peplum texens, quæ passa foret, filis inscribit. ac Progne, re cognita, ulciscens facinus, filium marito suo epulandum in cœna apponit. Tereus vero, postquam epulum detestandum ex Progne ipsa didicisset, & hanc, & sororem, ceu adjutricem, gladio percussurus insequitur. Atque earum, ut fert fabula, hinc enata, Progne quidem, in lusciniam; Philomela vero, in hirundinem commutatur: canuntque semper suas illas calamitates. Sed & Tereum fabulantur in upupam conversum esse; ajuntque, neque aves quidem iram suam posuisse: siquidem upupæ perpetuo cum hirundines, tum luscinias, insectantur*. Fuse memorat porro Ovidius, *Metamorph.* lib. VI. *Proclus*, & Joannes Tzetzes, ad *Hesiodi* ἔργων β' Scholiastes Aristophanis, *Avibus*: Horatii *Interpres Vetus*, lib. IV. Od. XII. Servius, in *Eclog.* VI. Lutatius, ad *Theb.* V. Hyginus, *Fab.* XLV. Zenobius, *Cent.* III. *Proverb.* XIV. Lucillus Tarrhæus, *in* Δαυλίαν κορώνην: Achilles Tatius, *de Am. Clit.* lib. V. Strictim attingit Æschylus, *Agamemnone*, v. 1138. &c.

—— XO. οἷά τις ξουθὰ
Ἀκόρεστος βοᾶς φιλοίκτοις ταλαίναις φρεσὶν
Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς
Ἀηδὼν βίον.
KA. Ἰὼ ἰὼ λιγείας ἀηδόνος μόρον.

—— CHO. *ceu quædam mollis,*
At insatiata clamoris, querula miseraque mente
Ityn Ityn lugens florentem malis
Luscinia vitam. ——
CA. Heu heu canoræ lusciniæ fatum?

Demosthenes, in *Orat. Fun.* Παρειλήφεσαν Πανδιονίδαι, Πρόκνην, καὶ Φιλομήλαν, τὰς Πανδίονος θυγατέρας, ὡς ἐτιμωρήσαντο Τηρέα, διὰ τὴν εἰς αὐτὰς ὕβριν. *Acceperant Pandionidæ, quam acriter Progne, & Philomela, illatam sibi a Tereo contumeliam ultæ essent*. Horatius, *lib.* IV. *Od.* XII. *v.* 5. &c.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

Gregorius Nazianzenus, *Epist.* I. Καὶ τὰ ἡμέτερα αὐτοῖς διηγούμεθα, ταῦτα δὴ ταῦτα τὰ ἀρχαῖα, καὶ Αττικά. τὸν Πανδίονα, τὰς Αθήνας, τὸν Τηρέα, τὴν Θρᾴκην, τὴν ἀποδημίαν, τὸ κῆδος, τὴν ὕβριν, τὴν ἐκτομὴν τῆς γλώττης, τὰ γράμματα, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸν Ιτυν, καὶ ὡς ἐγενόμεθα ἐξ ἀνθρώπων ὄρνιθες. *Resque nostras ipsis exponimus; nimirum vetera illa, & Attica: Pandionem, Athenas, Tereum, Thraciam, peregrinationem, affinitatem, contumeliam, linguæ exsectionem, literas, præterque omnia Ityn, & quomodo ex hominibus in aves mutatæ sumus.* Meminere etiam, Oppianus, *Cynegetis* lib. III. Aristophanes, *Avibus*, Strabo, *l.* IX. Stephanus, *in* Δαυλὶς, Ælianus, *Var. Hist.* lib. XII. cap. XX. Justinus Martyr, ad *Græcos*, Orat. II. Longus, *Pastoralium* lib. III. Æneas Gazæus, *extremo Theophrasto*. Artemidorus, *Onirocrit.* lib. II. cap. LXXI. Quidam, earum singulatim meminere. Ita Varro solius Prognes, *de L. L.* lib. IV. *Lusciniola, quod luctuose canere existimatur: atque esse ex Attica Progne in luctu facta avis.* Juvenalis, *Sat.* I. *v.* 43. 44.

Credamus Tragicis, quicquid de Colchide torva
Dicitur, & Progne. ——

Ad quem locum Interpres vetus. *Progne filium suum occidit, propter sororem, a marito stupratam.* Persius, *Sat.* V. *v.* 8. 9.

Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit. ——

Et ad illum locum *Cornutus*, Interpres vetus. Petronius, in *Satyrico*.

—— *testis silvester Iasdon,*
Atque urbana Progne: quæ circum gramina fusæ,
Et molles violas, cantu sua rura colebant.

Sic Philomelæ, quæ Πανδιονὶς χελιδὼν, *Pandionia hirundo*, ipsi dicitur, Hesiodus, Εργ. β'. *v.* 268.

Τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδών.
Post hunc mane lugens Pandionia prorumpit hirundo.

Pollux, *lib.* II. *cap.* IV. *sect.* XXVI. Διὸ καὶ ὁ μῦθος τὴν (γλῶσσαν) τῆς Πανδιονίδος ἀπέτεμεν, ἄλαλον εἶναι βουληθείς. *Quapropter & fabula (linguam) Pandionidis abscidit, mutam eam esse volens.* Anacreon, *Carm.* εἰς χελιδόνα.

Η μᾶλλον ἔνδοθέν σου
Τὴν γλῶσσαν ὡς ὁ Τηρεὺς
Εκεῖνος, ἐκθερίξω.
Aut potius tuam
Linguam, quemadmodum Tereus
Ille, excidam,

Martialis, *lib.* XIV. *Epigr.* LXXIII.
Flet Philomela nefas incesti Tereos: & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.
Virgilius, *Ecloga* VI. *v.* 79.
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.
Sed & quidam Veterum hic est dissensus: nam, cum alii Prognen tradant in lusciniam commutatam, Philomelam in hirundinem; alii contra, & Prognen versam in hirundinem, Philomelam in lusciniam, sunt auctores. Hyginus, *Fab.* XLV. *Tereus, facinore cognito, cum fugientes insequeretur, deorum misericordia factum est, ut Progne in hirundinem commutaretur, Philomela in lusciniam.* Ser-

A vius ad *Eclog.* VI. *Quas cum Tereus, agnito scelere, insequeretur, in aves mutatæ sunt: Progne in hirundinem, Philomela in lusciniam.* Cornelius Severus, in *Ætna*.

—— *sedes vestra en Philomela canoris*
Te vocat in silvis: & tu, soror, hospita tectis
Acciperis. ——

Pausanias, negat has sorores in aves esse commutatas: sed Athenis ex mærore diem suum obiisse. Ita enim de' illis tradit, in *Atticis*. Αἱ δὲ γυναῖκες, (Πρόκνη, καὶ Φιλομήλα,) ἐς μὲν Αθήνας ἀφίκοντο. θρηνοῦσαι δὲ, οἷα ἔπαθον, καὶ οἷα ἀντέδρασαν, ὑπὸ δακρύων διαφθείρονται. B καὶ σφίσι τὴν ἐς ἀηδόνα καὶ χελιδόνα, μεταβολὴν ἐπεφήμισαν, ὅτι, οἶμαι, καὶ αὗται ὄρνιθες ἐλεεινὸν, καὶ θρήνῳ ὅμοιον, ᾄδουσιν. *Mulieres vero, (Progne, & Philomela,) Athenas quidem venerunt; deflentes autem cum quæ passæ ipsæ essent, tum quæ etiam fecissent, præ lacrymis contabescunt. ac mutationem in lusciniam, & hirundinem, de ipsis, opinor, tradidere; quod hæ aves miserabiles, atque luctuosos cantus edant.* Porro ad Philomelam pertinet Gorgiæ dictum, quod commemorat Plutarchus, *Sympos. lib.* VIII. *Quæst.* VII. Γοργίας δὲ ὁ σοφιστὴς, χελιδόνος ἀφείσης ἐπ' αὐτὸν ἀπόπατον, ἀναβλέψας πρὸς αὐτὴν. οὐ καλὰ ταῦτα ἔφη, ὦ C Φιλομήλα. *Gorgias sophista, cum in ipsum hirundo stercus dejecisset; Non recta hæc, inquit, Philomela.* Meminit quoque Aristoteles, *Rhet.* lib. III. cap. III. & Cicero, in *Oratore*. Illud etiam obiter hic admonendum, aliquod Auctorum veterum circa historiam dissidium esse; & Ædonem, quæ in lusciniam, Chelidonem, quæ mutata in hirundinem, non Prognen, aut Philomelam, exstitisse: easque non Pandionis filias, sed Pandarei fuisse. Homerus, *Odiss.* T'.

Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηὶς ἀηδὼν,
Καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.
Ut cum Pandarei filia, floridula luscinia,
Pulcre canit, vere recens consistente.

D Quos duos versus citat etiam Demetrius Phalereus, *lib. de Elocut.* Videndi autem ad eosdem, *Didymus*, & *Eustathius*: item Antoninus Liberalis, *Metamorphoseωs* cap. XI.

CAP. VI.

Mors Pandionis; tum & quam diu regnaverit: ac quæ uxor ejus fuerit, liberique. Erechtheus, hæres: Butes sacerdos Minervæ, & Neptuni. Alius Butes, Teleontis filius, sive Æneæ, Argonauta: E *item tertius, Pallantis; sive ille potius Brytes: a quo familia* Βρυτάδαι. *Ovidii locus restitutus. Pandionis tribus: populique, qui sub ea.*

PANDION vero, eo filiarum casu acerbissime afflictus, nimio mærore animi vitam finiit. Ovidius, *Metamorph.* lib. VI. v. 675. 676.

Hic dolor ante diem, longæque extrema senectæ
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras.

Idque anno regni sui quadragesimo. *Eusebius*. Αθηναίων ἐβασίλευσεν πέμπτος Πανδίων, ἔτη τεσσαράκοντα. Hieronymus. *Athenienfibus regnavit quintus Pandion, annis quadraginta.* Abbas Urspergensis. *Pandion, rex Atheniensium quintus, regnavit annis* F *quadraginta.* Ac consentiunt, *Marianus*, & *Vincentius Bellovacensis*. Uxorem habuit Zeuxippen, quæ matertera ipsi erat; ex eaque filios duos, Erechtheum, ac Buten, sustulit: filiasque, de quibus dixi capite superiori; Prognen nempe, & Philomelam. *Apollodorus*. Πανδίων δὲ, γήμας Ζεύξιππην, τῆς μητρὸς ἀδελφὴν, θυγατέρας μὲν ἐτέκνωσε, Πρόκνην, καὶ Φιλομήλαν· παῖδας δὲ, διδύμους, Ερεχθέα, καὶ Βούτην. *Pandion vero, ducta uxore Zeuxippa, eaque matertera, filias quidem ex ea*

sustulit, Prognen, atque Philomelam: filios autem, geminos, Erechtheum, & Buten. Joannes Tzetzes, *Chil.* v. cap. XIX. A

Ζεύξιππης, καὶ Πανδίονος, ὁ Ερεχθεὺς ἐξέφυ.
Πρόκνη, καὶ Φιλομήλα τε, καὶ Βούτην δὲ σὺν τούτοις.
Zeuxippa, & Pandione, Erechtheus natus est;
Progne, & Philomela, & Butes cum istis.

Et Erechtheus quidem in regnum successit: Butes sacerdotium accepit cum Minervæ, tum Neptuni Erichthonii. *Apollodorus*. Πανδίονος δὲ ἀποθανόντος, οἱ παῖδες τὰ πατρῷα ἐμερίσαντο. καὶ τὴν βασιλείαν Ερεχθεὺς λαμβάνει. τὴν δὲ ἱερωσύνην τῆς Αθηνᾶς, καὶ τοῦ Ποσειδῶνος τοῦ Ερεχθονίου, Βούτης. *Postquam Pandion fatis concessit, filii hæreditatem patris inter se partiuntur. atque regnum Erechtheus accipit: Minervæ vero, & Neptuni Erichthonii, sacerdotium, Butes*. Quanquam sane Erechtheum *Diodorus Siculus* Ægyptium tradat, ut mox dicam, capite sequenti. A Bute vero, familia Athenis mansit, Βουτάδαι dicta, & Ετεοβουτάδαι. Meminit ejus Synesius, *De Insomniis*. Διαφέρει δὲ οὐδὲν τῷ θεῷ, τίς ὁ Ετεοβουτάδης, καὶ τίς ὁ μανὴς ὁ νεώνητος. *Nihil dei interest, quis sit Eteobutades, aut quis servus nuper emptus*. Nicephorus Gregoras, ad *eum locum*. Ετεοβουτάδαι, γένος τι ἀρχαῖον, ἐπίσημον ἐν Αθήναις, καὶ περιφανές· οἱ ἀληθῶς ἐκ τῆς τοῦ Βούτου γενεᾶς καταγόμενοι. *Eteobutadæ, familia quædam antiqua Athenis, insignis, & splendida: qui revera ad Buten genus referebant*. Sed de hac familia ago copiose, libro singulari, *De Familiis Atticis*. Alius autem ab hoc Bute, ne confundas, quanquam item Atheniensis, Teleontis filius, unus ille ex Argonautis. Apollonius Rhodius, *Argonaut*. lib. I. v. 94. 95.

Τοῖς δ' ἐπὶ Κεκροπίηθεν Αρήϊος ἤλυθε Βούτης,
Παῖς ἀγαθοῦ Τελέοντος. ——
Ad hos Athenis accessit Martius Butes,
Filius strenui Teleontis. ——

Meminit ejus etiam Hyginus, *Fab.* XIV. *Orpheus*, alium Æneæ filium facit.

Βούτης τ' Αἰνειάδης, ἴκελος χρυσάορι Φοίβῳ.
Butesque Æneades, similis aureum ensem habenti Phœbo.

Valerius Flaccus, *lib.* I. v. 394.

Proximus huic Butes Actæis dives ab oris.

Ita enim illic emendandum, esse supra monui, *l.* I. *c.* III. Alius rursum, & ipse Atheniensis, Pallantis filius: de quo Ovidius, *Metamorph.* libro VII.

Major habet Clyton, & Buten, Pallante creatos.

Sed, quandoquidem libri illic manuscripti habent, *& Bruten*, censeo legendum, *& Bryten*; atque eum ipsum esse, a quo familia Atheniensis, Βρυτιάδαι, seu Βρυτάδαι, appellata: uti a Bute, Βουτάδαι. De qua item a me actum, libro de *Familiis Atticis*. Porro a Pandione isto tribus quædam Πανδιονὶς dicta fuit: *Harpocration*: Πανδιονὶς, μία τῶν δέκα φυλῶν παρ Αθηναίοις ἐστί. κληθεῖσα ἀπὸ Πανδίονος, τοῦ Ερεχθονίου. *Pandionis, una decem tribuum erat apud Athenienses: appellata a Pandione, Erichthonii filio*. Ac sub ea censebantur isti Atticæ populi, Αγγελὴ, Κονθύλη, Κυδαθήναιον, Οα, Παιανιά, Πρασιαὶ, Προβάλινθος, Στειριά, Φηγαία. Præterea ab hoc Athenienses, *Populus Pandionis* dicuntur Lucretio *lib.* VI. v. 1141.

Incubuit tandem populo Pandionis.

Et Athenæ *Pandioniæ* Ovidio.

Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

CAP. VII.

Erechtheus, Pandionis filius: vel Ægyptius, aut terrigena. Fruges donasse memoratur, atque ideo regnum consecutus esse: ac tum sacra Eleusinia etiam instituisse, Cereremque item hospitio excepisse. Tribunalis in Prytaneo origo, & causa. Alius ab eo fuit, qui Rhamnunte matri Nemesi simulacrum dedicavit.

PANDIONI successit Erechtheus filius. *Apollodorus*. Πανδίονος δὲ ἀποθανόντος, οἱ παῖδες τὰ πατρῷα ἐμερίσαντο, καὶ τὴν βασιλείαν Ερεχθεὺς λαμβάνει. *Mortuo Pandione, filii paterna bona inter se partiuntur: ac Erechtheus regnum accipit*, Justinus, *lib.* II. *c.* VI. *Per ordinem deinde successionis, regnum ad Erechtheum descendit*. Ovidius, *Metamorph.* lib. VI. v. 675. &c.

Hic dolor ante diem, longæque extrema senectæ
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras.
Sceptra loci, verumque capit moderamen Erechtheus.

Ac Pandionis quidem filium, facit etiam Pausanias, in *Atticis*. Προτερός τε γὰρ ἦρξε Κέκροψ, ὃς τὴν Ακταίου θυγατέρα ἔσχηκε. καὶ ὕστερον ἄλλος, ὃς μετῴκησεν ἐς Εὔβοιαν, Ερεχθέως υἱὸς τοῦ Πανδίονος, τοῦ Ερεχθονίου. *Regnavit enim & Cecrops major, quicum Actæi filia nupta fuit: ac postea minor, Erechthei filius, Pandionis nepos, Erichthonii pronepos: a quo colonia in Eubœam deducta est*. Item Joannes Tzetzes, *Chil.* v. *cap.* XIX.

Ζεύξιππης, καὶ Πανδίονος, ὁ Ερεχθεὺς ἐξέφυ.
Zeuxippa, & Pandione, Erechtheus natus est.

Diodorus Siculus, non Pandionis filium tradit, sed Ægyptium: & ad regnum pervenisse, donatis civitati frugibus. Verba ejus ita habent, *lib.* I. Καὶ τὸν Ερεχθέα λέγουσι, τὸ γένος Αἰγύπτιον ὄντα, βασιλεῦσαι τῶν Αθηνῶν, τοιαύτας τινὰς φέροντες ἀποδείξεις. γενομένων γὰρ ὁμολογουμένως αὐχμῶν μεγάλων κατὰ πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκουμένην, πλὴν Αἰγύπτου, διὰ τὴν ἰδιότητα τῆς χώρας, καὶ φθορᾶς ἐπιγενομένης τῶν τε καρπῶν, καὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐξ Αἰγύπτου τὸν Ερεχθέα κομίσαι, διὰ τὴν συγγένειαν, σίτου πλῆθος εἰς τὰς Αθήνας. ἀνθ' ὧν τοὺς εὖ παθόντας βασιλέα καταστῆσαι τὸν εὐεργέτην. *Erechtheum, natione Ægyptium, Athenarum regem factum, his rationibus demonstrant. Cum per totum fere orbem terrarum, Ægypto tantum excepta, ob loci genium, omnium confessione ingens siccitas, cum magna simul frugum hominumque pernicie, orta esset; Erechtheus ex Ægypto magnam frumenti copiam Athenas, ob cognationem, advexit. Ideoque, beneficio affecti cives, regem sibi virum bene de se meritum statuerunt*. Herodotus, terrigenam dicit, *lib.* VIII. Εστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ερεχθέως, τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι νηός. *Est in hac arce*, (loquitur autem de arce Athenarum,) *Erechthei, qui terrigena fuisse fertur, fanum*. Quod vero de donatis ab illo frugibus tradit Diodorus, id confirmat & *sequentibus istis verbis*. Ομολογεῖν δὲ καὶ τοὺς Αθηναίους ὅτι, βασιλεύοντος Ερεχθέως, καὶ τῶν καρπῶν, διὰ τὴν ἀνομβρίαν προηφανισμένων, ἡ τῆς Δήμητρος ἐγένετο παρουσία πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ σίτου. *Fateri etiam Athenienses, regnante Erechtheo, cum defectus pluviarum fruges absumpsisset, Cererem venisse illuc, & donatione frumenti ipsos sublevasse*. Nec frumentum tunc duntaxat ejus beneficio Athenienses accepisse, sed & sacra Eleusinia, idem docet. Τοῦτον δὲ, (τὸν Ερεχθέα,) παραλαβόντα τὴν ἡγεμονίαν, καταδεῖξαι τὰς τελετὰς τῆς Δήμητρος, ἐν Ελευσῖνι, καὶ τὰ μυστήρια ποιῆσαι, μετενεγκόντα τὸ περὶ τούτων νόμιμον ἐξ Αἰγύπτου. *Hunc vero, (Erechtheum) accepto principatu, Eleusine initia illa Cereris edocuisse; ac mysteria instituisse, ritu eorum ex Ægypto translato*. Et postea. Πρὸς δὲ τούτοις, αἱ τελεταὶ καὶ τὰ μυστήρια ταύτης τῆς θεοῦ τότε

κατεδέχθησαν ἐν Ἐλευσῖνι. *Ad hæc, initia, & mysteria ejus deæ, per id tempus Eleusine instituta.* Certe de donatis frugibus, & initiis illis Cereris institutis, etiam Justinus tradit, *lib.* II. *c.* VI. *Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit; sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est: in cujus muneris honorem, noctes initiorum sacratæ.* Porro observa, in citatis paullo ante Diodori istis verbis, Cererem Athenas demum sub Erechtheo advenisse: quod sub Cranao alios factum, alios autem sub Pandione memorare, supra ostendi. Ac confirmat illud Stephanus, *in* Ἐρεχθεία: ubi ait, deam hospitio ab Erechtheo exceptam. Ἐρεχθεία, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς· ἀπὸ Ἐρεχθέως, τοῦ ξενίσαντος τὴν Δήμητρα. *Erechthea, populus Atticæ, tribus Ægeidis: ab Erechtheo, qui Cererem hospitio excepit.* Et tribunal Prytanei, quod vocabant, sub eodem institutum. Rem, & causam, ex Pausania accipimus: qui in *Atticis* ita refert. Τὸ δὲ ἐν Πρυτανείῳ καλούμενον, (δικαστήριον,) ἔνθα τῷ σιδήρῳ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις, δικάζουσιν, ἐπὶ τῷδε ἄρξασθαι νομίζω. Ἀθηναίων βασιλεύοντος Ἐρεχθέως, τότε πρῶτον βοῦν ἔκτεινεν ὁ Βουφόνος, ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Πολιέως Διός. καὶ ὁ μὲν, ἀπολιπὼν ταύτῃ τὸν πέλεκυν, ἀπῆλθεν ἐκ τῆς χώρας φεύγων· ὁ δὲ πέλεκυς, παραυτίκα ἀφείθη κριθείς· καὶ ἐς τόδε ἀνὰ πᾶν ἔτος κρίνεται. *In Prytaneo, quod vocatur, (tribunal,) ibi de ferro, aliisque inanimatis item rebus, fit judicium: & principium equidem hoc fuisse arbitror. Erechtheo regnante Athenis, bovem sacerdos, is qui Buphonus appellatus, primum ad Jovis Poliei aram occidit. atque is quidem, relicta illic securi, e regione in exilium statim ivit; securis autem, judicio est absoluta: ac quotannis in hunc modum judicatur.* Alius fuit, qui Rhamnunte matri Nemesi, loci illius reginæ, Veneris specie simulacrum, mali ramum manu gestans, dedicavit. *Suidas.* Ῥαμνουσία Νέμεσις. αὕτη πρῶτον ἀφίδρυτο ἐν Ἀφροδίτης σχήματι, διὸ καὶ κλάδον εἶχε μηλέας. ἱδρύσατο δὲ αὐτὴν Ἐρεχθεὺς, μητέρα ἑαυτοῦ οὖσαν, ὀνομαζομένην δὲ Νέμεσιν, καὶ βασιλεύσαν ἐν τῷ τόπῳ. *Rhamnusia Nemesis. Hæc primum dedicata fuit Veneris specie: quamobrem etiam mali ramum gestabat. Dedicavit autem eam Erechtheus, matris suæ nomine, quæ Nemesis dicebatur, eoque in loco regnabat.*

CAP. VIII.

Bellum ejus cum Eubœæ Chalcidensibus; quia filium Alconem, ut videtur, quem receperant, cum Chalciopa filia profugientem, dedere ipsi postulanti recusassent. Alterum item ejus bellum, cum Eleusiniis. In priore, Xuthus, cum suppetias tulisset, filiam ejus Creusam uxorem accipit: in posteriore vero, Ion juvit. Confusio Auctorum judicata. Eleusiniis opem contra Eumolpus tulit; sive bellum ipse intulit, odio in Athenienses, ob contentionem patris cum Minerva. Atque ille etiam filium copiis suis præfecit, Immaradum nomine; quem Immarum, sive Ismarum, aut Immarnachum, alii vocant: isque, in prælio interfectus, Athenas defertur, atque ibi sepelitur, in consepto templi Cereris Eleusinæ. Arnobii locus emendatus: & ostensus item error. Tum Eumolpus quoque ipse in eadem pugna cæsus.

BELLUM gessit cum Chalcidensibus Eubœæ: in quo cum juvisset Xuthus, dignus æstimatus fuit, qui Creusam, ejus filiam, uxorem acciperet. Disco ex Euripide, *Ione*, v. 57. &c.

Κρέουσα δ', ἣ τεκοῦσα τὸν νεανίαν,
Ξούθῳ γαμεῖται, συμφορᾶς τοιᾶσδ' ὕπο.
Ἦν ταῖς Ἀθήναις, τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις,
Οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων,
Ὃν συμπονήσας, καὶ συνεξελὼν δορὶ,
Γάμων Κρεούσης ἄξιωμ' ἐδέξατο.

Creusa vero, quæ pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, talem ob casum.
Erat Athenis, & Chalcidensibus
Qui terram habitant Euboicam, bellica tempestas,
Cui allaborans postquam una egressus esset cum hasta,
Dignus Creusæ nuptiis putatus est.

Causam ille non exponit, sed conjicio: quod Alconem, filium suum, cum Chalciopa filia ad ipsos profugum, dedere petenti nollent. Id observo apud Apollonii Rhodii Scholiasten, *lib.* I. Ἄλκωνα, τὸν Φαλήρου πατέρα, Πρόξενος φησὶν υἱὸν Ἐρεχθέως. φυγεῖν δὲ αὐτὸν λέγει ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς, μετὰ τῆς θυγατρὸς Χαλκιόπης εἰς Εὔβοιαν. ἐξαιτοῦντος δὲ τοῦ πατρὸς, οὐκ ἐκδοῦναι τοὺς Χαλκιδέας. *Alconem, Phaleri patrem, Proxenus dicit, filium Erechthei esse; atque ipsum, una cum Chalciopa filia, in Eubœam profugisse: cumque pater dedi eum sibi peteret, recusasse Chalcidenses.* Postea aliud quoque illi bellum exortum est cum Eleusiniis; & Eumolpo Thraciæ rege, Eleusinios adjuvante: cumque oraculum de eventu sciscitaretur, responsum tulit, se superiorem fore, si e filiabus unam immolaret. *Apollodorus.* Καὶ πολέμου ἐνστάντος πρὸς Ἀθηναίους καὶ Ἐλευσινίους, ἐπικληθεὶς (ὁ Εὔμολπος,) ὑπὸ Ἐλευσινίων, μετὰ πολλῆς συνεμάχει Θρακῶν δυνάμεως. Ἐρεχθεῖ δὲ, ὑπὲρ Ἀθηναίων νίκης χρωμένῳ, ἔχρησεν ὁ θεὸς, κατορθώσειν τὸν πόλεμον, ἐὰν μίαν τῶν θυγατέρων σφάξῃ. *Et exorto inter Athenienses Eleusiniosque bello, magno cum exercitu Thracum (Eumolpus) opem laturus advenit. At Erechtheo, oraculum de belli eventu consulenti, respondit deus, bene se gesturum bellum, si filiarum unam immolaret.* Ac de filiæ quidem immolatione, postea agam: nunc de bello, utrinque gesto, prius dicam. Ab Atheniensium partibus, Xuthus erat & auxilium ferebat. *Suidas.* Ἐβοήθησεν ὁ Ξοῦθος πολλῇ σπουδῇ πολεμούμενος Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου. Ἐρεχθεὺς τότε Ἀθηνῶν ἐβασίλευσεν. *Xuthus Atheniensibus, cum bello infestarentur ab Eumolpo, multo studio opem tulit: regnante Athenis tunc Erechtheo.* Quæ totidem verbis tradit *Auctor Etimologici*. Alii, Jovem memorant, ejus filium. *Harpocration*, ex Philochoro, Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. *Ion, Xuthi filius, studiose opem tulit Atheniensibus, bello vexatis ab Eumolpo, regnante Erechtheo.* Strabo lib. VIII. Ἴων δὲ τοὺς μετ' Εὐμόλπου νικήσας Θρᾷκας, οὕτως ηὐδοκίμησεν, ὥστε ἐπέτρεψαν αὐτῷ τὴν πολιτείαν Ἀθηναῖοι. *Ion, devictis qui cum Eumolpo erant Thracibus, tamen consecutus est existimationem, ut ei remp. commiserint Athenienses.* Etymologici *Auctor*, cum antea Xuthum dixisset, postea quoque Ionem opitulatum tradit. Πολέμου συστάντος Ἀθηναίοις καὶ Ἐλευσινίοις, συμμαχήσαντος Ἴωνος κατὰ συγγένειαν, ἐνίκησαν οἱ Ἀθηναῖοι. *Bello orto inter Athenienses & Eleusinios, Ione, ut genere junctus erat, adjuvante, vicere Athenienses.* Idem quoque Herodotus refert, *lib.* VIII. & Pausanias, in *Atticis*, *Corinthiacis*, & *Achaicis*. Sed duorum hic bellorum est confusio: & priore, Xuthus pater; posteriore, Ion filius operæ præclarus fuit. Atque ut Atheniensibus Ion contra Eleusinios opem tulit, sic Eumolpus Eleusiniis. Vides in Apollodori antea citatis verbis: innuitque & Thucydides, *libro* II. Καὶ τινες καὶ ἐπολέμησάν ποτε αὐτῶν ὥσπερ καὶ Ἐλευσίνιοι μετ' Εὐμόλπου πρὸς Ἐρεχθέα. *Ac quiquidam ipsorum bellum etiam gesserunt, ut Eleusinii*

cum Eumolpo contra Erechtheum. Acesodorus, in Fragmento, apud Scholiasten Sophoclis, ad *Oed. Col.* Κατοικῆσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾶκας, τοὺς μετὰ Εὐμόλπου παραγενομένους, πρὸς βοήθειαν εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον. *Inhabitasse vero Eleusinem ferunt primo quidem indigenas, inde Thracas, qui cum Eumolpo advenerunt, in auxilium belli cum Erechtheo gesti*. Scholiastes Euripidis, *Phœnissis*. Οὗτος (Εὔμολπος) συνεμάχησεν Ἐλευσινίοις στασιάζουσι κατὰ τοῦ βασιλέως Ἐρεχθέως. *Hic (Eumolpus) suppetias tulit Eleusiniis, adversus regem Erechtheum tumultuantibus*. Alii, simpliciter Eumolpi istud bellum, & non Eleusiniorum. Aristides, in *Panathenaico suo*. Λέγεται γὰρ Ἐρεχθεὺς μὲν, ἐν τῷ πρὸς Εὔμολπον πολέμῳ τούτῳ, τὴν θυγατέρα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐπιδοῦναι. *Fertur Erechtheus, isto contra Eumolpum bello, filiam suam pro salute reip. concessisse*. Clemens, *Strom.* I. Κατὰ δὲ Προῖτον, ὁ Εὐμόλπου πρὸς Ἀθηναίους πόλεμος. *Tempore autem Prœti, bellum Eumolpi adversus Athenienses*. Alcidamas, *Orat.* in Palamedem. Μενεσθεὺς δὲ, πρῶτος λέγεται κοσμῆσαι τάξεις, καὶ λόχους, καὶ φάλαγγας συστῆσαι, ἡνίκα Εὔμολπος ὁ Ποσειδῶνος ἐπ' Ἀθηναίους ἐστράτευσε, Θρᾶκας ἄγων. *Ac Menestheus, primus aciem ordinasse memoratur, turmasque, & phalanges, instituisse: quando Eumolpus, Neptuni filius adducto Thracum exercitu, Athenienses infestabat*. Meminit quoque Euripides, *Phœnissis*. Et caussam memorat Lycurgus, *Orat.* in Leocratem: quod nimirum ei litem intenderet de regione, scilicet ob Neptuni patris cum Minerva veterem contentionem. Φασὶ γὰρ Εὔμολπον, τὸν Ποσειδῶνος, καὶ Χιόνης, μετὰ Θρακῶν ἐλθεῖν, τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα. τυχεῖν δὲ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους βασιλεύοντα Ἐρεχθέα. *Ajunt vero Eumolpum, filium Neptuni, & Chiones, litem de hac regione intendentem, cum Thracibus venisse, ac tum temporis regem Erechtheum fuisse*. Isocrates, in *Panathenaico*. Θρᾶκες μὲν γὰρ μετ' Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος ἐνέβαλον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὃς ἠμφισβήτησεν Ἐρεχθεῖ τῆς πόλεως, φάσκων, Ποσειδῶνα πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν αὐτήν. *Etenim Thraces quidem cum Eumolpo, Neptuni filio, in agros nostros irruperunt: qui cum Erechtheo de urbe contendebat, inquiens, Neptunum eam Minerva priorem occupasse*. Hyginus, *Fab.* XLVI. *In eo tempore Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quod patris sui terram Atticam esse diceret*. Sunt qui tradant, Eumolpum quidem non ipsum bellum hoc gessisse, sed filium ejus. Ac confirmat id Pausanias, qui Immaradum eum refert appellatum. Ecce verba ista, in *Atticis*. Ἐρεχθεύς τέ ἐστιν ἐν τοῖς ἐπωνύμοις, ὃς ἐνίκησεν Ἐλευσινίους μάχῃ, καὶ τὸν ἡγούμενον ἀπέκτεινεν Ἰμμάραδον, τὸν Εὐμόλπου. *Erechtheus item est inter eos, a quibus nominantur tribus: qui Eleusinios prælio vicit, eorumque ducem Immaradum, Eumolpi filium, interfecit*. Iterum *postea*. Ἔστι δὲ ἀγάλματα μεγάλα χαλκοῦ, διεστῶτες ἄνδρες ἐς μάχην. καὶ τὸν μὲν, Ἐρεχθέα καλοῦσι. τὸν δὲ, Εὔμολπον. καί τοι λέληθέ γε οὐδὲ Ἀθηναίων ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν, Ἰμμάραδον εἶναι, παῖδα Εὐμόλπου τοῦτον, τὸν ἀποθανόντα ὑπὸ Ἐρεχθέως. *Sunt etiam ex ære signa duo grandia, quasi inter se dimicantium. eorum alterum, Erechtheum dicunt: alterum, Eumolpum. neque tamen ignorant, qui Atheniensium res priscas norunt, Immaradum esse hunc, Eumolpi filium, quem Erechtheus interfecerit*. Ac rursum, alio quodam loco, in *iisdem illis Atticis*. Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς, Ἀθηναίων βασιλεύς. ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος, ὁ Εὐμόλπου. *Commissa vero inter Eleusinios & Athenienses pugna, hinc quidem Erechtheus, rex Atheniensium, istinc autem Immaradus, Eumolpi filius, ceciderunt*. Ejusque corpus, Athenas delatum, in consepto templi Cereris Eleusinæ, quod sub arce, sepultum fuit. Clemens, in *Protreptico*. Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ κεκήδευται τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει. *Immarus vero, Eumolpi & Dairæ filius, nonne in septo Eleusinii, quod sub arce, est sepultus?* Apud Eusebium, *De Præp. Evang.* lib. II. ubi locum hunc *Clementis* is transscribit, Ἴσμαρος, non Ἴμμαρος, legitur; aut Ἰμμάραδος, ut apud Pausaniam *tribus locis, jam citatis*, constanter scribitur. Arnobio vero, rem eandem referenti, ex Clemente, ut alia quædam, *Immarnachus* dicitur, *lib.* VI. *Dairas, & Immarnachus, fratres, (conditi scribuntur) in Eleusinis consepto, quod civitati subjectum est*. Sed scribendum eo loco, *in Eleusinii consepto*. Neque enim Eleusine est sepultus, sed Athenis, intra septum templi Cereris Eleusinæ, infra arcem: uti satis manifeste *verba hæc* Clementis indicant, ἐν περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει. *In septo templi Eleusinii, quod sub arce*. Deinde, ut hoc quoque dicam, velut obiter, non sat animum advertit, cum Δαείρας, in Clementis *illis verbis*, primum potius casum censens, quam secundum, fratrem Immaradi, & non matrem, existimavit. Porro, non Immaradus tantum, Eumolpi filius, sed Eumolpus quoque ipse, eo prælio cecidisse a quibusdam memoratur. *Apollodorus*. Γενομένης δὲ μετὰ σφαγὴν τῆς μάχης, Ἐρεχθεὺς μὲν ἀνεῖλεν Εὔμολπον. *Commissa vero post immolationem pugna, Erechtheus quidem Eumolpum occidit*. Scholiastes Euripidis, *loco citato*. Συνεμάχησεν (ὁ Εὔμολπος) Ἐλευσινίοις, στασιάζουσι κατὰ τοῦ βασιλέως Ἐρεχθέως· καὶ ἡττηθεὶς, ἐφονεύθη. *Suppetias tulit (Eumolpus) Eleusiniis, adversus regem Erechtheum tumultuantibus; superatusque, est occisus*. Hyginus, *Fab.* XLVI. *Eo tempore Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus; quod patris sui terram Atticam esse diceret. Is victus cum exercitu, cum esset ab Atheniensibus interfectus, ne filii morte Erechtheus lætaretur, expostulavit*.

CAP. IX.

Erechtheus, ut vinceret, oraculi monitu, filiarum unam immolat: cum qua reliquæ, ita pactæ, sese omnes immolarunt. Dissensus in hac re Auctorum: isque etiam explicatus: tum ostensa & confusio Ulpiani. Locus ubi immolatæ, Hyacinthus appellatus; atque ipsæ, Hyacinthides, & Παρθένοι, *sive* Virgines: *ac relatæ inter deos, sed tres tantum, ibique* Ὑάδες *nuncupatæ*.

ERECHTHEUS, bello hoc concitato, cum oraculum consuleret de eventu, responsum tulit: se superiorem fore, si Proserpinam, filiarum natu maximam, immolaret: Itaque Athenas redux, postquam rem communicasset cum Thrasythea uxore, paret oraculo; &, commisso prælio, profligat hostem. Demaratus, Τραγῳδουμένων lib. III. cujus Fragmentum nobis exhibet Stobæus, *Ser.* XXXVIII. Ἀθηναίων πρὸς Εὔμολπον τὸν Θρακῶν βασιλέα, πόλεμον ἐχόντων, Ἐρεχθεὺς, ὁ τῆς Ἀττικῆς προϊστάμενος, χρησμὸν ἔλαβεν, ὅτι νικήσει τοὺς ἐχθροὺς, ἐὰν μὲν πρεσβυτάτην τῶν θυγατέρων Περσεφόνην θύσῃ. παραγενόμενος δὲ εἰς Ἀθήνας, Θρασυθέᾳ τῇ γυναικὶ τὴν Πυθόχρηστον μαντείαν ἀπήγγειλεν. εἶθ' οὕτω τὴν κόρην προσαγαγὼν τοῖς βωμοῖς ἀνεῖλε. καὶ συμβαλὼν τὸν πόλεμον, ἐγκρατὴς ἐγένετο τῆς νίκης. *Atheniensibus cum Eumolpo, Thracum rege, bellum gerentibus, rex Atticæ Erechtheus oraculum accepit, se profligaturum hostes, si Proserpinam, filiarum natu maximam, immolaret. Reversus igitur Athenas, Pythicum oraculum Thrasytheæ uxori exponit. inde adductam ad aram filiam ita cædit: prælioque mox commisso, hostem vincit*. Apollodorus, non maximam, sed mi-

nimam natu, immolatam esse tradit, in *Biblioth.* Καὶ σφάξαντος αὐτοῦ (τοῦ Ερεχθέως) τὴν νεωτάτην, καὶ αἱ λοιπαὶ ἑαυτὰς κατέσφαξαν. *Cumque ipse (Erechtheus) minimam natu immolasset, reliquæ se etiam omnes immolarunt.* Alii, simpliciter dicunt, immolatam ab illo filiam, nullæ ætatis mentione. Porphyrius, *De Abst.* l. II. Παρίημι Θρᾶκας, καὶ Σκύθας· καὶ ὡς Αθηναῖοι τὴν Ερεχθέως καὶ Πραξιθέας θυγατέρα ἀνεῖλον. *Prætermitto Thracas, & Scythas; ac quemadmodum Athenienses Erechthei & Praxitheæ filiam occiderunt.* Aristides, in *Panathenaico.* Λέγεται γὰρ Ερεχθεὺς μὲν, ἐν τῷ πρὸς Εὔμολπον τούτῳ πολέμῳ, τὴν θυγατέρα ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐπιδοῦναι, τοῦ θεοῦ χρήσαντος. *Fertur Erechtheus, isto contra Eumolpum bello, filiam suam pro salute reip. concessisse, deo oraculo jubente.* Libanius, *Declam.* XIII. Εβουλόμην χρῆσαι τὸν θεὸν, ἀπολεῖσθαι Φίλιππον, εἰ Δημοσθένης ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐπιδοίη τὴν παῖδα. οὐ γὰρ ἂν ἴδητέ με ζητοῦντα τότε φάρμακον, ἀλλὰ τὸν Ερεχθέα μιμούμενον. *Vellem deum oraculo respondisse, interiturum esse Philippum, si Demosthenes pro salute reip. filiam suam largiretur: neque enim videretis me venenum tunc quærentem, sed Erechtheum imitantem.* Meminitque iterum postea, *Declam.* XXIV. uti etiam Plutarchus, in *minoribus Parallelis.* Nomen autem immolatæ, Demaratus Proserpinam dicit, in *citatis ante verbis.* Ερεχθεὺς, ὁ τῆς Αττικῆς προϊστάμενος, χρησμὸν ἔλαβεν, ὅτι νικήσει τοὺς ἐχθροὺς, ἐὰν μὲν τὴν πρεσβυτάτην τῶν θυγατέρων Περσεφόνην θύσῃ. *Erechtheus, Atticæ rex, oraculum accepit, se victorem hostium fore, si Proserpinam, filiarum natu maximam, immolaret.* Hyginus, Otioniam vocat, *Fab.* XLVI. *Itaque Otionia filia cum esset immolata, cæteræ, fide data, se ipsæ interfecerunt.* Alibi rursum, Colophoniam, *Fab.* CCXXXVIII. *Erechtheus, Pandionis filius, Colophoniam (occidit) ex sortibus, pro Atheniensibus.* Alii, non unam tantum filiam immolatam dicunt, verum plures. Demosthenes, *Orat.* Fun. Ηδεσαν ἅπαντες Ερεχθεῖδαι, τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν Ερεχθέα, ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χώραν, τὰς αὐτοῦ παῖδας, ἃς Ταχινθίδας καλοῦσιν, εἰς προῦπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι. *Meminerant Erechthidæ omnes, Erechtheum, a quo nomen ferunt, pro salute regionis, filias suas, quas appellant Hyacinthidas, certa morte perituras obtulisse.* Lucianus, in *Demosthenis Encomio.* Εξῆν γὰρ ὀψὲ τῆς ψυχῆς μεθαρμόσασθαι, εἰ μὴ τὰς Ερεχθέας θυγατέρας, καὶ τὸν Κόδρον, ἐπησχυνόμην. *Liceret animam vel sero mutare, nisi verecundia filiarum Erechthei, & Codri, probiberet.* Cicero Orat. *pro P. Sextio,* c. XXI. *Mortem, quam etiam Virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiæ, pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis, tantis rebus gestis, timerem?* Et *De Fin.* lib. V. c. XXII. *Quis urbis conservatorem Codrum, quis Erechthei filias, non maxime laudat?* Meminitque rursum *Tusc. Quæst.* lib. I. &, *De Nat Deor.* lib. III. item Clemens, in *Protreptico.* Sunt qui tradant, duas sese, natu maximas, immolandas obtulisse. *Suidas.* Τὰς θυγατέρας Ερεχθέως οὕτως ἔλεγον· καὶ ἐτίμησαν δὲ, τὸν ἀριθμὸν ἕξ. ἦν δὲ πρεσβυτάτη μὲν, Πρωτογένεια· δευτέρα δὲ Πανδώρα· τρίτη, Πρόκρις· τετάρτη, Κρέουσα. πέμπτη, Ωρείθυια. ἕκτη, Χθονία. τούτων λέγεται Πρωτογένεια, καὶ Πανδώρα, δοῦναι ἑαυτὰς σφαγιᾶσαι ὑπὲρ τῆς χώρας. *Erechthei filias sic dicebant, & honorabant, sex numero. Erat enim natu maxima, Protogenia: secunda vero, Pandora: tertia, Procris: quarta, Creusa: quinta, Orithyia: sexta, Chthonia. Ex his fertur, Protogeniam, & Pandoram, se mactandas pro rep. concessisse.* Idem, & iisdem verbis, tradit etiam Apostolius, *Cen.* XV. *Proverb.* LXXXIV. Sed ab aliis memoratur; unam quidem ab Erechtheo immolatam: verum cæteras, ita pactas, una sese immolasse. *Apollodorus.* Ερεχθεῖ δὲ, ὑπὲρ Αθηναίων latæ. Accipio ex Theone, in *Aratum.* Ευριπίδης νίκης χρωμένῳ, ἔχρησεν ὁ θεὸς, κατορθώσειν τὸν πόλεμον, ἐὰν μίαν τῶν θυγατέρων σφάξῃ· καὶ σφάξαντος αὐτοῦ τὴν νεωτάτην, καὶ αἱ λοιπαὶ ἑαυτὰς κατέσφαξαν. ἐπεποίηντο γὰρ, ὥς ἔφασάν τινες, συνωμοσίαν ἀλλήλαις συναπολέσθαι. *Erechtheo vero, de victoria Atheniensium sciscitanti, respondit deus ipsum feliciter gesturum bellum, si e filiabus unam immolarent: ac cum minimam immolasset, etiam reliquæ se mactarunt: quia, ut nonnulli tradunt, inter sese conjurarunt, simul morituras esse.* Hyginus, *Fab.* XLVI. *Erechtheus, Pandionis filius, habuit filias quatuor, quæ inter se conjurarunt, si una earum mortem obiisset, cæteræ se interficerent.* Et *postea.* *Itaque Otionia filia cum esset immolata, cæteræ, fide data, se ipsæ interfecerunt.* Confundit Historiam; & Erechthei Cecropisque filias inter se miscet, Ulpianus, *Commentario* in Orat. *De falsa leg.* Εστι μὲν μία τῶν Κέκροπος θυγατέρων Αγλαυρος. ἐν δὲ τῷ τεμένει αὐτῆς, οἱ ἐξιόντες εἰς τοὺς ἐφήβους ἐκ παίδων, μετὰ πανοπλιῶν ὤμνυον, ὑπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς θρεψαμένης, ἡ δὲ ἱστορία αὕτη. Αγραυλος, καὶ Ερση, καὶ Πάνδροσος, θυγατέρες Κέκροπος, ὥς φησὶν ὁ Φιλόχορος. λέγουσι δὲ, ὅτι, πολέμου συμβάντος παρ' Αθηναίοις, ὅτε Εὔμολπος ἐστράτευσε κατὰ Ερεχθέως, καὶ μηκυνομένου τούτου, ἔχρησεν ὁ Απόλλων, ἀπαλλαγήσεσθαι, ἐάν τις ἀνέλῃ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως. ἡ τοίνυν Αγραυλος, ἑκοῦσα αὐτὴν ἐξέδωκεν εἰς θάνατον. ἔρριψε γὰρ ἑαυτὴν ἐκ τοῦ τείχους. εἶτα, ἀπαλλαγέντες τοῦ πολέμου, ἱερὸν ὑπὲρ τούτου ἐστήσαντο αὐτῇ περὶ τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως. καὶ ἐκεῖσε ὤμνυον οἱ ἔφηβοι μέλλοντες ἐξιέναι εἰς πόλεμον. *Est una filiarum Cecropis Agraulus. In ejus autem fano, qui excedebant e pueris in adolescentes, armis instructi jurabant, se pro patria pugnaturos usque ad necem. Historia autem ita habet. Agraulus, Herse, & Pandrosus, filiæ fuerunt Cecropis, uti auctor est Philochorus. Cum autem bello peterentur Athenienses, expeditione ab Eumolpo contra Erechtheum suscepta, idque bellum diu duraret, respondit Apollo, finem fore malorum, si quis se ipse pro rep. sustulisset. Agraulus itaque, ultro sese neci obtulit, & de muro præcipitavit. Postea, bello liberati, ejus rei causa ædem ipsi exstruxerunt circa vestibula arcis: atque ibi jurabant adolescentes, in bellum exituri.* Locus vero, ubi eæ immolatæ, Hyacinthus: atque ipsæ, inde Hyacinthides dictæ. *Suidas,* de iis loquens. Εσφαγιάσθησαν δὲ ἐν τῷ Υακίνθῳ καλουμένῳ πάγῳ, ὑπὲρ τῶν Σφενδονίων· διὸ καὶ οὕτω καλοῦνται, Παρθένοι Υακινθίδες. καθάπερ μαρτυρεῖ Φανόδημος, ἐν τῇ πέμπτῃ Ατθίδι. *Immolatæ autem fuerunt in pago, Hyacintho appellato, supra Sphendonios; quamobrem etiam sic vocantur, Virgines Hyacinthides: quemadmodum testis est Phanodemus, Historiæ Atticæ libro quinto.* Totidem verbis, hinc transcriptis, Apostolius, *loco citato.* Sane Hyacinthidas dictas, observare quoque licet apud Demosthenem, in *citatis ante verbis.* Post mortem vero, per excellentiam honoris ergo Παρθένοι dictæ fuerunt. *Suidas.* Παρθένοι. Τὰς Ερεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον. *Virgines. Ita filias Erechthei appellabant.* Apostolius, *loco citato.* Παρθένοις ἓξ ἑφάμιλλος. ἐπὶ τῶν εὐψύχων, καὶ σωφρόνων. τὰς Ερεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον, καὶ ἐτίμησαν. *Sex virginum æmulus. De magnanimis, & temperantibus. Erechthei filias sic dicebant, honorabantque.* Quæ totidem verbis *Hesychius.* Cicero, *Oration.* pro Sexto Roscio, cap. XXI. *Mortem etiam* VIRGINES *Athenis, regis, opinor, Erechthei filiæ, pro patria contempsisse dicuntur.* Quin, sicut Erechtheus pater, in deorum quoque numerum sunt relatæ. Idem Cicero, *De Nat. deorum, libro* III. cap. XIX. *Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis, filiæque ejus, in numero deorum sunt.* Non omnes tamen, sed tres tantum, quæ Υάδες appel-

μὲν οὖν ἐν Ἐρεχθεῖ, τὰς Ἐρεχθέας θυγατέρας Ὑάδας φησὶ γενέσθαι, τρεῖς οὔσας. *Euripides quidem, in Erechtheo, Hyadas ait fuisse Erechthei filias, tres existentes.* Fuerint nempe, Protogenia, quæ a patre immolata; & Pandora, Chthoniaque: quæ cum ea se ex pacto jugularunt. nam tres reliquæ, matrimonio copulatæ: Procris Cephalo, Orithyia Boreæ, Creusa Xutho: ut mox dicam, *cap.* XIII.

CAP. X.

Postquam filias immolasset, victi ab eo Eleusinii, se suaque cuncta dedunt: præter sacra, Eleusinia appellata, quæ retinuere sola. Tum & festum institutum, ob auxilium a Xutho Βοηδρόμια *nuncupatum: & mensis* Βοηδρομιὼν *dictus. Ioni vero, summa in rep. potestas data: qui & prisca tribuum antiquarum nomina commutavit, & Ioniam quoque a se regionem appellavit. Strabonis error ea in re indicatus. Tribus decem quando factæ, & quis fecerit; tum quæ nomina imposuerit: & Herodotum, ac Pollucem, dissentire hic, ostensum. Et Clementis item error.*

ITAQUE Erechtheus, cum gessisset morem oraculo, filiamque immolasset pro victoria, etiam victor, Eleusinios huc adegit, ut se dederent, atque sua item omnia, solis sacris Eleusiniis reservatis. Pausanias, *Atticis*. Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς, Ἀθηναίων βασιλεὺς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου. κατελύοντο δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας, ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν. *Commissa inter Eleusinios & Athenienses pugna, hinc Erechtheus cecidit, rex Atheniensium, inde Immaradus, Eumolpi filius. Arma inde bis conditionibus posita, ut Eleusinii se, cæteraque sua omnia, in Atheniensium potestatem traderent, initia ipsi, tanquam propria, retinerent.* Et in memoriam auxilii, a Xutho eo bello lati, festum Athenis institutum, Βοηδρόμια ea ex re appellatum. *Suidas.* Ἔστι δὲ Βοηδρόμια, ἑορτή τις Ἀθήνησι καλουμένη, καθ' ἣν ἡμέραν ἐβοήθησεν ὁ Ξοῦθος πολλῇ σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος. *Est vero festum Athenis quoddam, Boedromia appellatum, quo die Xuthus opem tulit oppugnatis summo studio ab Eumolpo Neptuni filio Atheniensibus.* Quæ totidem verbis *Etymologici* quoque *Auct. Harpocration.* Βοηδρόμια ἑορτή τις, οὕτω καλουμένη. ἣν φησὶ Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ νενομίσθαι, ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ βασιλέως, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. *Boedromia; festum quoddam, sic vocatum. quod Philochorus libro secundo institutum esse ait, postquam Xuthi filius Ion opem Atheniensibus tulit, bello ab Eumolpo rege infestatis, regnante Erechtheo.* Neque festum id duntaxat institutum, sed Apollo quoque dictus Βοηδρόμιος, & Βοηδρομιὼν mensis. *Etymologici Auctor.* Βοηδρομιὼν, μὴν παρὰ Ἀθηναίοις, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐτιμᾶτο Βοηδρόμιος Ἀπόλλων. τὴν δὲ ἀρχὴν ἔλαβεν, ὅτι, πολέμου συστάντος Ἀθηναίοις καὶ Ἐλευσινίοις, συμμαχήσαντος Ἴωνος κατὰ συγγένειαν, ἐνίκησαν οἱ Ἀθηναῖοι. *Boedromion, mensis apud Athenienses; quod eo coleretur Apollo, cognomento Boedromius; initium vero inde sumpsit, quod exorto inter Athenienses & Eleusinios bello, opem ferente Ione, uti erat consanguineus, vicerint Athenienses.* Aristides huc respexit, in *Eleusinia*. Βοηδρομιὼν δὲ ἔτος ἑτέρας τινὸς δεῖται βοῆς, οὐχ οἵας, ὅτε Ἴων Ἀθήναζε ἐβοήθησεν. *Boedromion autem hic alia nunc voce indiget, quam cum qua Athenas olim Ion venit, auxilium ferens.* Ioni vero, ob navatam adeo præclaram operam, hunc honorem habuere, ut potentiam sane maximam in rep. concederent. Strabo, *l.* VIII. Ἴων δὲ, τοὺς μετ' Εὐμόλπου νικήσας Θρᾶκας, οὕτως ηὐδοκίμησεν, ὥστ' ἐπέτρεψαν αὐτῷ τὴν πολιτείαν Ἀθηναῖοι. *Ion vero, devictis qui cum Eumolpo erant Thracibus, tanta in existimatione fuit, ut rempub. ei suam committerent Athenienses.* Vitruvius, *l.* IV. *c.* I. *Athenienses summam Imperii partem Ioni, Xuthi & Creusæ filio, dederunt.* Conon ait, etiam regnum tenuisse, defuncto Erechtheo, avo materno, *Narrat.* XXVI. Ἴων δὲ, θανόντος (τοῦ Ἐρεχθέως,) τοῦ μητροπάτορος, διά τε τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν ἄλλην ἀξίωσιν, αἱρεθεὶς βασιλεύει Ἀθηναίων. *Ion vero, mortuo (Erechtheo,) avo materno, cum ob virtutem, tum ob cæteram dignitatem, electus, regnum Atheniensium tenuit.* Et Euripides, in *Tragœdia Ione*, Xuthum patrem introducit, ita eum alloquentem, *v.* 577. *&c.*

Εἰς τὰς Ἀθήνας στεῖχε κοινόφρων πατρὶ,
Οὗ σ' ὄλβιον μὲν σκῆπτρον ἀναμένει πατρὸς,
Πολὺς δὲ πλοῦτος. ——
Athenas ito unanimis cum patre,
Ubi te beatum quidem sceptrum exspectat patris,
Multæque opes. ——

Verum, regnum minime tenuit; sed auctoritatem tantam in rep. est adeptus, ut regnare videretur. Certe Erechtheo successit Cecrops filius, ut mox dicam; idque opera etiam Xuthi, Ionis patris, cum contenderent cum eo fratres alii: uti testis est Pausanias, in *Achaicorum initio*. Sed, Athenas dum cum summa potestate administrat, eas quatuor in tribus, atque vitas dispertitur. Strabo, *lib.* VIII. Ὁ δὲ (Ἴων) πρῶτον μὲν εἰς τέσσαρας φυλὰς διεῖλε τὸ πλῆθος, εἶτα εἰς τέσσαρας βίους. τοὺς μὲν γὰρ, Γεωργοὺς ἀπέδειξε. τοὺς δὲ, Δημιουργούς. τοὺς δὲ, Ἱεροποιούς. τετάρτους δὲ, τοὺς Φύλακας. *Atque ille (Ion) primum quidem, in quatuor tribus multitudinem distribuit; inde in totidem vitæ genera: nimirum in Agricolas, Opifices, Sacerdotes, ac Custodes.* Quod ipsum etiam Conon tradit, *loco citato*; & Herodotus, *lib.* VIII. item Heraclides, in *Excerptis* de Rebusp. aliique etiam plures. Vitruvius, tredecim eum colonias in Asiam deduxisse ait, *lib.* IV. *cap.* I. *Athenienses, ex responsis Apollinis Delphici, communi consilio totius Hellados, tredecim colonias uno tempore in Asiam deduxerunt; ducemque in singulis coloniis constituerunt: & summam imperii partem Ioni, Xuthi & Creusæ filio, dederunt.* Et Vellejus, *l.* I. *c.* IV. *Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere.* Quod tamen Neleo, Codri filio, factum tradunt, Strabo *lib.* XIV. Ælianus, *Var. Hist.* l. VIII. c. V. Herodotus, *l.* IX. Ammianus *l.* XXII. & XXVIII. Harpocration, *in* Ἐρυθρά, Tertullianus, *de Pallio*, aliique. Sed, quod ait *Strabo*, primum eum civitatem in quatuor tribus divisisse, certe hic hallucinatur; nam id primus Cecrops fecit: inde nomina iis sua Cranaus, & Erichthonius, atque Ion iste noster, de quo agimus, commutarunt. Totam rem exponit Pollux, istis verbis, *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXXI. Καὶ αἱ φυλαὶ, τέως μὲν ἐπὶ Κέκροπος, ἦσαν τέσσαρες. Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, Παραλία. ἐπὶ δὲ Κραναοῦ μετωνομάσθησαν, Κραναὶς, Ἀτθὶς, Μεσόγαια, Διακρίς. ἐπὶ δὲ Ἐριχθονίου, Διὰς, Ἀθηναὶς, Ποσειδωνιὰς, Ἡφαιστιάς. ἀπὸ δὲ Ἴωνος παίδων, ἐπὶ Ἐρεχθέως, Τελέοντες, Ὁπλῖται, Αἰγικορεῖς, Ἐργάδεις. *Ac tribus, antea quidem sub Cecrope, erant quatuor, Cecropis, Indigena, Actæa, Maritima: sub Cranao vero, mutato nomine, appellatæ, Cranais, Atthis, Mediterranea, Montana: sub Erichthonio, Jovia, Minervia, Neptunia, Vulcania: sub Erechtheo, ab Ionis filiis, Teleontes, Hoplitæ, Ægicores, Ergades.* Ergo constat, non instituisse tribus, sed mutasse tantum nomina: quod duobus ante ipsum regibus

factitatum noverat. Ac mansere ea nomina, usque ad Alcmæonis tempora; sub quo tribus etiam auctæ, ac pro quatuor factæ decem: & vocatæ a priscis regibus, sive heroibus, Erechtheis, Cecropis, Ægeis, Pandionis, Acamantis, Antiochis, Leontis, Oeneis, Hippothoontis, & Æantis. Subjungit Pollux, in *citato ante loco*. Ἐπὶ δὲ Ἀλκμαίωνος, δέκα ἐγένοντο, ἐκ πολλῶν ὀνομάτων, ἐρομένε τῆ Πυθίε, Ἐρεχθηὶς, Κεκροπὶς, Αἰγηὶς, Πανδιονὶς, Ἀκαμαντὶς, Ἀντιοχὶς, Λεοντὶς, Οἰνηὶς, Ἱπποθοωντὶς, Αἰαντίς. *Sub Alcmæone vero, decem factæ sunt, multisque nominibus appellatæ, consulto Pythio, Erechtheis, Cecropis, Ægeis, Pandionis, Acamantis, Antiochis, Leontis, Oeneis, Hippothoontis, Æantis*. Fuit autem hic Alcmæon regum ultimus, ac incepit regnum suum Olymp. III. anno III. Herodotus vero, id a Clisthene factum ait, post ejectos Pisistratidas, cum Isagora de rep. contendente. Verba ejus ecce ista, *lib.* V. *cap.* LXVI. Ἀθῆναι, ἐῦσαι ϗ πρὶν μεγάλαι, τότε, ἀπαλλαχθεῖσαι τυράννων, ἐγένοντο μέζονες. ἐν δὲ αὐταῖσι δύο ἄνδρες ἐδυνάστευον, Κλεισθένης τε, ἀνὴρ Ἀλκμαιωνίδης, ὅσπερ δὴ λόγον ἔχει τὴν Πυθίην ἀναπεῖσαι. καὶ Ἰσαγόρης ὁ Τισάνδρε, οἰκίης μὲν ἐὼν δοκίμε, ἀτὰρ τὰ ἀνέκαθεν ἐκ ἔχω φράσαι. θύεσι δὲ οἱ συγγενέες αὐτῦ Διὶ Καρίῳ. ἔτοι οἱ ἄνδρες ἐστασίασαν περὶ δυνάμιος. ἑσσέμενος δὲ ὁ Κλεισθένης, τὸν δῆμον προσεταιρίζεται, μετὰ δὲ, τετραφύλες ἐόντας Ἀθηναίες, δεκαφύλες ἐποίησε, τῶν Ἴωνος παίδων, Τελέοντος, ϗ Αἰγικόρεος, ϗ Ἐργάδεως, ϗ Ὅπλητος, ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας. ἐπιχωρίων δ' ἑτέρων ἡρώων ἐπωνυμίας ἐξευρὼν, παρὲξ Αἴαντος. τῦτον δὲ, ἅτε ἀστυγείτονα, ϗ σύμμαχον, ξεῖνον ἐόντα, προσέθετο. *Athenæ, antea quidem magnæ, tunc, tyrannis libertatæ, majores erant. In illis vero duo viri potestate excellebant; Clisthenes, vir Alcmæonides, qui Pythiæ persuasisse dicitur; & Isagoras, Tisandri filius, illustri quidem familia, sed quam vetere, equidem non facile dixerim: tamen Jovi Cario cognati ejus sacra faciunt. Hi duo viri, concitata factione, de primatu contendebant. ac Clisthenes, quum vinceretur, populum adsciscit socium; &, divisum in tribus quatuor, mox in decem dispertitur: cognominibus filiorum Ionis, Teleontis, Ægicoris, Ergadis, Hopletis, commutatis; ac impositis heroum aliorum indigenarum, præterquam Ajacis: quem, velut finitimum, & socium, quanquam peregrinum, addidit*. Atque ab Alcmæonis regis anno ultimo, qui in tertium Olympiadis septimæ incidit, ac ejectos Pisistratidas, quod evenit Olympiadis sexagesimæ & sextæ anno quarto, anni sunt ducenti quadraginta novem. Itaque dissensum vides, quem non facile est componere. Non ignoro quidem Alcmæonem, Pisistratidis adversum, hujus Clisthenis propinquum, cujus meminit & Herodotus, *lib.* I. & Plutarchus, in *Solone*. Sed *Polluci* id apparet institutum, reges hic commemorare, qui cum tribus constituerint, tum subinde nomina quoque illis sua commutaverint. *Herodoti* de Clisthene locum, respexit Pausanias in *Atticis*. Ὅστις δὲ ἀντικατεστήσατο δέκα ἀντὶ τεσσάρων φυλὰς εἶναι, καὶ μετέθετό σφισι τὰ ὀνόματα ἀντὶ τῶν ἀρχαίων, Ἡροδότῳ ταῦτά ἐστιν εἰρημένα. *Quis vero pro quatuor tribubus fecerit decem, nominaque pro antiquis alia item imposuerit, ab Herodoto memoratur*. Tribuum vero antiquarum, quatuor duntaxat numero, nominumque impositorum ab Ione, de nominibus filiorum, meminere cum Plutarchus, in *Solone*; tum & Stephanus, *in* Αἰγικόρεως. Errat Clemens, qui Ionem advenisse Athenas dicit, rege Cecrope II. Erechthei hujus filio, & successore. Verba ejus ecce ista, *Strom.* I. Κατὰ δὲ Ἀκρίσιον, Πέλοπος ἀπὸ Φρυγίας διάβασις, ϗ Ἴωνος εἰς Ἀθήνας ἄφιξις, ϗ ὁ δεύτερος Κέκροψ. *Tempore autem Acrisii, Pelopis ex Phrygia transitus, & Ionis Athenas adventus, & Cecrops secundus*.

CAP. XI.

Sub eo cives Athenarum Ἀθηναῖοι *dici cœpti: & bos primum immolatus, idque Jovi Polieo. Phorbas ab eo interfectus: cui exstructum Phorbanteum. Hastam fixit in sepulcro interfecti: unde postea usitatum, in funeribus occisorum uti hastam una efferrent, quam defigerent ad sepulcrum.*

ATQUE ut sub eo tribubus, ita Urbis quoque civibus nomina sunt commutata: &, qui tunc a Cecrope usque Κεκροπίδαι vocabantur, Ἀθηναῖοι dici cœpti. Herodotus, *l.* VIII. *c.* XLIV. Ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλῆος (οἱ Ἀθηναῖοι) ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι. ἐκδεξαμένε δὲ Ἐρεχθῆος τὴν ἀρχὴν, Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν. *Sub rege vero Cecrope (Athenienses) cognominati sunt Cecropidæ: Erechtheo autem regnum adepto, mutato nomine Athenienses nuncupati*. Hoc ipsum est, quod dicit Marcianus Heracleota, in *sua Periegesi*:

Ἑξῆς Ἀθήνας φασὶν οἰκητὰς λαβεῖν,
Τὸ μὲν Πελασγὲς πρῶτον, ὓς δὴ ϗ λόγος
Κραναὲς καλεῖσθαι, μετὰ δὲ ταῦτα Κεκροπίδας,
Κέκροπος δυναστεύσαντος. ὑστέροισι δὲ
Χρόνοις, Ἐρεχθέως τῆς πόλεως ἡγεμένε,
Ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς τὴν προσηγορίαν λαβεῖν.
Hinc Athenas ajunt habitatores accepisse,
Initio quidem Pelasgos, quos & ferunt
Cranaos vocatos; postea vero Cecropidas,
Cecrope rerum potito: posterioribus autem
Temporibus, sub Erechtheo Urbis principe,
A Minerva appellationem accepisse.

Eustathius, ad *Dionysium*. Οἱ Ἀθηναῖοι, Κραναοὶ καλέμενοι, ὅμως ἐπὶ Πελασγῶν, ἐχόντων τὴν Ἑλλάδα, Πελασγοὶ ὠνομάζοντο· ἐπὶ δὲ Κέκροπος, ἐκλήθησαν Κεκροπίδαι. τὴν δὲ ἀρχὴν Ἐρεχθέως ἐκδεξαμένε, Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν. *Athenienses, cum appellarentur Cranai, tamen, Pelasgis Græciam tenentibus, nominati sunt Pelasgi; sub Cecrope vero, Cecropidæ dicti: ac, Erechtheo principatum consequuto, mutato nomine Athenienses sunt vocati*. Bos quoque sub eo primum immolari cœptus fuit; idque Jovi Polieo. Pausanias, in *Atticis*. Ἀθηναίων βασιλεύοντος Ἐρεχθέως, τότε πρῶτον βῦν ἔκτεινεν ὁ Βεφόνος, ἐπὶ τῦ βωμῦ τῦ Πολιέως Διός. *Regnante apud Athenienses Erechtheo, primum occidit bovem sacerdos, quem Bucidam appellabant, ad aram Jovis Poliei*. Ab eo quoque Phorbas cæsus, rex Curetum, memoratur: cujus rei in memoriam Phorbanteum, quod vocabant, structum fuit. *Harpocration*. Τὸ Ἀθήνησι Φορβάντειον ὠνομάσθη ἀπὸ Φόρβαντος, βασιλεύσαντος Κερήτων, ϗ ὑπ' Ἐρεχθέως ἀναιρεθέντος. *Quod Athenis Phorbanteum est, de Phorbante appellatum, rege Curetum, ab Erechtheo interfecto*. Totidem verbis etiam *Suidas*. Videndus quoque Etymologici Auctor, *in* Φορβάντειον. Porro, quodam interfecto, defixisse in monumento hastam dicitur: atque hinc deinceps usitatum Athenis, in funeribus occisorum hastam efferre, indicium cædis, & ad monumentum affari, *Suidas*. Ἐπενεγκεῖν δόρυ ἐπὶ τῇ ἐκφορᾷ, καὶ προσαγορεύειν ἐπὶ τῷ μνήματι. ἐπὶ τῦ βιαίως ἀποθανόντος τῦτο πράττεται. καὶ Ἴστρος, ἐν τῇ Συναγωγῇ τῶν Ἀτθίδων, φησί. τινὲς ἐπὶ τῦ τάφε δόρυ φασὶ καταπεπηγέναι τὸν Ἐρεχθέα, τὸ πάθος σημαίνοντα. διὸ τὸν νόμον εἶναι τοῖς προσήκεσι, τῦτον τὸν τρόπον μετέρχεσθαι τὲς φονέας. *In funeris elatione hastam afferre, & ad monumentum alloqui. hoc fit, cum quis violenta morte periit. Et Ister, in Collectaneis rerum Atticarum, ait: Quidam dicunt, Erechtheum in sepulcro hastam defixisse, cædem factam ut indicaret. quapropter legem esse consanguineis, ut hoc*

modo

modo interfectores persequantur. Quæ totidem verbis repræsentant *Harpocration*, & *Etymologici Auctor*. Estque morem hunc videre apud Demosthenem, de muliere interfecta Jureconsultos percunctantem, in *Orat*. in Euergum, & Mnesibulum. Ἀκούσαντες δέ μου οἱ ἐξηγηταὶ ταῦτα, ἤροντό με, πότερον ἐξηγήσωνταί μοι μόνον, ἢ καὶ συμβουλεύσωσιν; ἀποκρινομένου δέ μου αὐτοῖς, ἀμφότερα. εἶπόν μοι, ὅτι ἡμεῖς τοίνυν σοι τὰ μὲν νόμιμα ἐξηγησόμεθα, τὰ δὲ συμφορα παραινέσομεν. πρῶτον μὲν ἐπενεγκεῖν δόρυ ἐπὶ τῇ ἐκφορᾷ, καὶ προσαγορεύειν ἐπὶ τῷ μνήματι, εἴτις προσήκων ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου. *His auditis Jureconsulti, me interrogarunt; utrumne mihi de jure tantum responderi, an etiam consilium dari vellem? ac me respondente utrumque: proinde tibi, inquiunt, & de jure respondebimus, & utilia consulemus. Primum, ut in efferendo funere hastam adhibeas, & proclames ad sepulcrum, an quis ei sit cognatus.*

CAP. XII.

Ejus mors. Quoto regni anno obierit: & quo modo. Auctorum dissidium. Ejus laudes: & honores. In deos relatus: fanum, & sacerdotem, habuit. Etiam ab Epidauriis quotannis cultus, qua de causa. Ara Neptuni in templo: in quo illi sacra facta. Draco quoque unus, aut duo, in eodem, Minervæ custodes: quibus oblata placenta e melle. Neptunus etiam cognomento Erechtheus dictus. Statua etiam illi Delphis dedicata: populusque quidam Atticæ, ab ejus nomine, Ἐρεχθειά *appellatus; uti tribus* Ἐρεχθηίς*: quique in ea populi fuerint.*

DIEM obiit, anno regni quinquagesimo. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἕκτος Ἐρεχθεὺς ἔτη πεντήκοντα. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit sextus Erechtheus annis quinquaginta*. Consentiunt, *Marianus Scotus*, & *Vincentius Bellovacensis*. De morte ejus, est dissidium quoddam Auctorum. Pausanias, in *Atticis*, dicit; cecidisse in prælio cum Eleusiniis, Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς, Ἀθηναίων βασιλεύς. *Commisso autem ab Eleusiniis prælio cum Atheniensibus, rex Atheniensium Erechtheus cecidit*. Hyginus, fulmine a Jove ictum, Neptuni rogatu, tradit, *Fab*. XLVI. *Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quod patris sui terram Atticam fuisse diceret. Is victus cum exercitu, cum esset ab Atheniensibus interfectus, Neptunus, ne filii sui morte Erechtheus lætaretur, expostulavit, ut ejus filia Neptuno immolaretur. Itaque Otionia filia cum esset immolata, ceteræ, fide data, se ipsæ interfecerunt: ipse Erechtheus, Neptuni rogatu, fulmine est ictus*. Alii, a terra hiante absorptum volunt: alii, a Neptuno percussum. Utrumque indicat Euripides, in *Ione*: ubi roganti Ioni, *v*. 281.

Πατέρα δ' ἀληθῶς χάσμα σὸν κρύπτει χθονός?
Patrem vero tuum verene occultat hiatus terræ?

Sic respondet Creusa, Erechthei filia, *v*. 282.

Πληγαὶ τριαίνης ποντίου σφ' ἀπώλεσαν.
Ictus tridentis marini ipsum perdiderunt.

Certe Erechtheum a Neptuno, in vindictam filii Eumolpi, interfectum, atque adeo domum ejus eversam esse, tradit quoque *Apollodorus*. Γενομένης δὲ μετὰ σφαγὴν τῆς μάχης, Ἐρεχθεὺς μὲν ἀνεῖλεν Εὔμολπον· Ποσειδῶνος δὲ καὶ τὸν Ἐρεχθέα, καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ καταλύσαντος, Κέκροψ, πρεσβύτατος τῶν Ἐρεχθέως παίδων, ἐβασίλευσεν. *Commisso vero post immolationem prælio, Erechtheus quidem Eumolpum occidit: sed & ipse a Neptuno, atque ejus item domus, cum eversa esset, Cecrops, filiorum Erechthei maximus; regnum accepit*. Elogium ei dat Ovidius, *Metamorph*. lib. VI. *v*. 677. 678.

Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus:
Justitia dubium, validisne potentior armis.

Quin existimatio ejus tanta fuit, ut exstinctum mox referrent inter deos. Cicero, de *Natura Deor*. lib. III. cap. XIX. *Atque in plerisque civitatibus intelligi potest, augendæ virtutis gratia, quo libentius reipub. causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis, filiæque ejus, in numero deorum sunt*. Aristides, in *Panathenaica*. Ἀλλὰ δὲ ταύτας τῆς εὐεργεσίας νενικηκυῖα (ἡ πόλις) φανήσεται· Κόδρῳ μὲν, δοῦσα τὴν ἀρχὴν εἰς τοὺς παῖδας. Ἐρεχθέα δὲ, τοῖς ἐν ἀκροπόλει θεοῖς πάρεδρον ἀποδείξασα. *Sed hos quoque beneficentia superasse (Urbem) apparebit; quæ Codro quidem, principatum, in liberos transferendum, dedit: Erechtheum autem, inter deos, qui in arce, assessorem collocavit*. Ac templum, & sacerdotem, habuit. Cicero, *libro citato*. *Sed, si sunt hi dii, est certe Erechtheus: cujus Athenis & delubrum vidimus, & sacerdotem*. Meminitque sacerdotis etiam Scholiastes Comici; qui ait, eum in festo Scira albam umbellam gestasse: ad *Concion*. Ἐν ᾗ (ἑορτῇ) ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκόν. *In quo (festo) sacerdos Erechthei albam umbellam gestat*. Templum, Ἐρέχθειον appellabant: ejusque mentio apud plures. Plutarchus, in *Lycurgi rhetoris Vita*. Καί ἐστιν αὕτη ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱερασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος ἐν πίνακι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν τῷ Ἐρεχθείῳ. *Estque hæc deductio generis eorum, qui Neptuni sacerdotio functi, in tabula insigni, quæ est in Erechtheo*. Erat autem in arce Urbis. Pausanias, in *Atticis*, ubi de arce. Ἔστι δὲ καὶ οἴκημα, Ἐρέχθειον καλούμενον. *Est vero etiam ædes, quam appellant Erechtheum*. Herodotus, *lib*. VIII. *cap*. LV. Ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθέως, τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι, νηός. *Est in arce Erechthei, qui terrigena esse fertur, templum*. Et aræ illic tres erectæ; una Neptuni, in qua Erechtheo sacra facta: altera, Butæ herois, Erechthei fratris: tertia, Vulcani. Pausanias, in citatis *Atticis*. Εἰσελθοῦσι δὲ (τὸ Ἐρέχθειον) τρεῖς εἰσὶ βωμοί. Ποσειδῶνος, ἐφ' ᾧ καὶ Ἐρεχθεῖ θύουσιν, ἐκ τοῦ μαντεύματος· καὶ ἥρωος Βούτου· τρίτος δὲ, Ἡφαίστου. *In ipso (Erechthei) introitu, tres aræ sunt; Neptuni una, in qua etiam Erechtheo sacra faciunt, ex oraculo: altera, herois Butæ: tertia vero, Vulcani*. Eratque hic Minervæ Urbanæ custos draco unus; vel, ut alii, duo: quibus placentam e melle offerebant. *Hesychius* docet. Οἰκουρὸν ὄφιν. τὸν τῆς Πολιάδος (Ἀθηνᾶς) φύλακα δράκοντα· καὶ οἱ μὲν, ἕνα φασίν. οἱ δὲ, δύο, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἐρεχθέως. τοῦτον δὲ φύλακα τῆς ἀκροπόλεως φασὶν, ᾧ καὶ μελιττοῦταν παρατίθεσθαι. *Ædis custodem serpentem. Urbanæ (Minervæ) custodem draconem. & hi quidem, unum dicunt: alii vero, duos, in æde Erechthei. atque hunc custodem arcis esse dicunt: ac placentam e melle ei offerit*. Et, cum Epidaurii peterent, ut liceret oleam incidere, ea lege permiserunt, ut quotannis ipsi, ac Minervæ Urbanæ, sacra afferrent. Herodotus, *lib*. V. *cap*. LXXXII. Ἐδέοντο ὦν οἱ Ἐπιδαύριοι Ἀθηναίων, ἐλαίην σφι δοῦναι ταμέσθαι· οἱ δὲ, ἐπὶ τοῖσδε δώσειν ἔφασαν, ἐφ' ᾧ ἀπάξουσιν ἔτεος ἑκάστου τῇ Ἀθηναίῃ τε τῇ Πολιάδι ἱρὰ, καὶ τῷ Ἐρεχθέϊ. *Rogabant igitur Epidaurii Athenienses, ut sibi permitterent oleam incidere: illi vero, se dixerunt concessuros, ea lege, ut quotannis ipsi sacra afferrent Minervæ Urbanæ, & Erechtheo*. Quin Neptunus quoque Erechthei cognomento appellatus. *Hesychius*. Ἐρεχθεὺς, Ποσειδῶν, ἐν Ἀθήναις. *Erechtheus, Neptunus, Athenis*. Athenagoras, in *Leg. pro Christ*. Ὁ δὲ Ἀθηναῖος, Ἐρεχθεῖ Ποσειδῶνι θύει. *Atheniensis vero, Neptuno Erechtheo sacra facit*. Plutarch. in *Vita Lycurgi rhetoris*, jam cit. Τούτου δὲ, καὶ Τιμοθέας τῆς Γλαύκου, παῖδες, Λαοδάμεια, καὶ Μήδειος. ὃς τὴν ἱερωσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε. *Hujus autem, & Timotheæ Glauci fi-*

liæ, liberi erant, Laomedea, & Medeus: qui Neptuni Erechthei sacerdotio fungebatur. Et mox: Διετάξατο δὲ τὴν ἱερωσύνην τοῦ Ποσειδῶνος Ερεχθέως. *Ordinavit vero sacerdotium Neptuni Erechthei.* Hinc apud Lycophronem Ερεχθεὺς simpliciter pro Neptuno ponitur, v. 158.

Ἔστειλ' Ερεχθεὺς εἰς Λαιτριναίους γύας.
Misit Erechtheus in Lætrinæos agros.

Ubi recte explicat *Isaacius Tzetzes*. Ερεχθεὺς, ὁ Ποσειδῶν. *Erechtheus, Neptunus*. Statua quoque, etsi multo post id tempus, consecrata Delphis fuit, inter cæteros heroas: ut videre est apud Pausaniam, in *Phocicis*. Populus quoque quidam Atticæ, ab ejus nomine, Ερεχθειὰ appellatus. *Stephanus*. Ερεχθειὰ, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Ερεχθέως. *Erechthea, populus Atticæ, tribus Ægeidis, ab Erechtheo*. Tum & quando tribus decem ex quatuor factæ, ut supra dixi, una illarum Ερεχθηῒς, *Erechtheis*, nuncupata. Meminit Antiphon, *Orat*. XVI. Καὶ ἔλαχον Πανταχλέα διδάσκαλον, καὶ Κεκροπίδα φυλὴν πρὸς τῇ ἐμαυτοῦ, τουτέστι τῇ Ερεχθηΐδι. *Ac sorte nactus sum doctorem Pantaclem, & tribum Cecropidem, præter meam, nempe Erechtheidem*. Et *mox iterum* occurrit. Erantque in illa populi isti; Ἀγραυλὴ, Αναγυροῦς, Εὐωνυμία, Θημακοὶ, Κηφισία, Λαμπρὰ utraque Παμβωτάδαι, Περγασὴ, Συβρίδαι, & Φηγοῦς: ut ostendo suis locis, libro de *Populis Atticæ*.

CAP. XIII.

Uxor ejus, Praxithea. Demarati locus, apud Stobæum, emendatus. Ea autem, Cephisi filia: sive, neptis. Liberi, plures. Cecrops, regni hæres: Orneus, a quo Orneæ dictæ. Eustathius correctus. Pandorus, qui Eubœam condidit. Metion, cujus uxor, Iphinoe; filius, Dædalus: a quo populus Athenis, Δαιδαλίδαι. Pherecydis fragmentum emendatur, apud Scholiasten Sophoclis. Alii, Alcippen illi uxorem scribunt: & ex ea Eupalamum filium, Dædali patrem. Alcon, Phaleri pater. Thespius denique. Filiæ, sex; aut plures etiam: quarum duæ, natu maximæ, immolatæ: in earumque nominibus variari apud Auctores, indicatum. Hygini locus restitutus. Procris, Cephalo nuta. Callimachi Scholiastes correctus, & Euripidis. Etymologici Auctoris error. A Cephalo tentata, ac deprensa, recipit se ad Minoem: quem ad liberos procreandos cum idoneum reddidisset, ab eodem cane, & jaculo, donatur. Antoninus Liberalis restituitur. Antiquorum de eadem error clare demostratus: tum Pandionis II. non Erechthei, eam filiam fuisse, indicatum. Palæphati locus emendatus. Creusa, prius ab Apolline compressa, idque ubi; Ionem parit, quem Apollo postea Xutho adoptandum, veluti suum, persuadet: deinde ea Xutho nubit, post navatam in bello contra Chalcidenses claram operam: qui Tetrapolim Atticæ condit, quam Hytteniam vocavit. Orithyia, a Borea rapta. Jamblichi locus restitutus. Cleopatra, Phinei uxor. Merope, Dædali mater.

UXOR illi Praxithea fuit. Plutarchus, in *Parallelis*. Ερεχθεὺς, πρὸς Εὔμολπον πολεμῶν, ἔμαθε νικήσειν, ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ. καὶ, συγκοινωνήσας τῇ γαμετῇ Πραξιθέᾳ, προέθυσε τὴν παῖδα. *Erechtheus, bellum cum Eumolpo gerens, se victorem fore didicit, si filiam prius immolaret: &, negotio cum Praxithea uxore communicato, filiam præimmolavit*. Porphyrius, de *Abst*. lib. II. Παρίημι Θρᾷκας, καὶ Σκύθας, καὶ, ὡς Αθηναῖοι τὴν Ερεχθέως, καὶ Πραξιθέας, ἀνεῖλον. *Prætermitto Thracas, & Scythas: &, quemadmodum Athenienses Erechthei, ac Praxitheæ, filiam occiderunt*. Itaque emendandus est Demaratus, τῶν Τραγῳδουμένων lib. III. in *Fragmento*, quod exstat apud Stobæum, *Serm*. XXXVIII. Ερεχθεὺς, ὁ τῆς Ἀττικῆς προεστάμενος, χρησμὸν ἔλαβεν, ὅτι νικήσει τοὺς ἐχθροὺς, ἐὰν μὲν τὴν πρεσβυτάτην τῶν θυγατέρων Περσεφόνην θύσῃ. παραγενόμενος δ' εἰς Ἀθήνας, Πραξιθέᾳ τῇ γυναικὶ τὴν Πυθόχρηστον μαντείαν ἀπήγγειλεν. *Erechtheus, rex Atticæ, oraculum accepit, se profligaturum hostem, si Proserpinam, filiarum natu maximam, immolaret. Reversus igitur Athenas, Pythicum oraculum istud Praxitheæ uxori exponit*. Non recte hactenus vulgatur, Θρασυθέᾳ τῇ γυναικί. *Trasytheæ uxori*. Nec aliter nominat Joannes Tzetzes, *Chil*. I. *cap*. IV. & *Chil*. V. *c*. XIX. Erat autem hæc Praxithea Cephisi filia. Lycurgus, *Orat*. in Leocratem. Τυχεῖν δὲ καὶ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους βασιλεύοντα Ερεχθέα, γυναῖκα ἔχοντα Πραξιθέαν, τὴν Κηφισοῦ θυγατέρα. *Ac secundum illa tempora fuisse regem Erechtheum, qui uxorem habebat Praxitheam, Cephisi filiam. Apollodorus* tradit, Cephisi ex filia Diogenea neptem fuisse. Γήμας δὲ Ερεχθεὺς Πραξιθέαν, τὴν Φρασίμου, καὶ Διογενείας, τῆς Κηφισοῦ. *Erechtheus vero, ducta uxore Praxithea, Phrasimi filia, & Diogeneæ, Cephisi filiæ*. Ex hac liberos plures sustulit. *Apollodorus* septem enumerat: filios tres, & filias quatuor. Γήμας δὲ Ερεχθεὺς Πραξιθέαν, τὴν Φρασίμου, καὶ Διογενείας, τῆς Κηφισοῦ, ἔσχε παῖδας, Κέκροπα, Πάνδωρον, Μητίονα· θυγατέρας δὲ, Πρόκριν, Κρέουσαν, Χθονίαν, Ὠρείθυιαν. *Erechtheus vero, ducta uxore Praxithea, Phrasimi filia, & Diogeneæ, Cephisi filiæ, sustulit ex ea filios, Cecropem, Pandorum, Metionem: filias autem, Procrin, Creusam, Chthoniam, & Orithyiam*. Ovidius, octo liberos tribuit: quatuor utriusque sexus. Ecce enim ita ait, *Metamorph*. lib. VI. vers. 677. &c.

Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus:
Justitia dubium, validisne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes, totidemque crearat
Fæmineæ sortis. ——

Certe quatuor quoque filii commemorantur ab Eustathio, ad *Iliad*. β'. Ερεχθέως, τοῦ Πανδίονος γίνεται Κέκροψ, Αρνεὺς, Πάνδωρος, Μητίων. *Erechtheo, Pandionis filio, nascuntur Cecrops, Arneus, Pandorus, Metion*. Ex his Cecrops, regnum post parentem tenuit: uti postea sum dicturus. Sed pro Αρνεὺς in *Eustath*. scribe Ορνεὺς: nam sic ille dicebatur, & ab ipso Orneæ quoque appellatæ. Pausanias, in *Corinthiacis*. Εκαλοῦντο δὲ, (Ορνεαὶ,) ἀπὸ Ορνέως, τοῦ Ερεχθέως. *Dicebantur vero Orneæ, ab Orneo Erechthei filio*. Meminitque ejus iterum, in *Phocicis*. Οἱ δὲ ἐνταῦθα φασὶν οὐ Φωκεῖς, Αθηναῖοι δὲ εἶναι τὰ ἄνωθεν. καὶ ἐκ τῆς Ἀττικῆς ὁμοῦ Πετεῷ τῷ Ορνέως ἀφικέσθαι, διωχθέντι ὑπὸ Αἰγέως ἐξ Αθηνῶν. *Qui hic incolunt, non Phocenses sese volunt, sed a prima origine Athenienses: & ex Attica advenisse cum Peteo, Ornei filio, ab Ægeo Athenis ejecto*. Itaque in *Eustathio* mox rursum scribe, Ὧν Ορνέως μὲν Πυτεώς. *Ex quibus Ornei quidam filius fuit Peteus*. Male etiam ibi est Αρνέως, *Arnei*. Mentio quoque ejus occurrit apud Plutarchum, in *Vita Thesei*. Pandorus, Eubœam condidisse fertur: filiosque habuisse, Alconem, & Diantem. Eustathius, *loco citato*. Πάνδωρος δὲ Εὔβοιαν οἰκίζει. οὗ Ἄλκων, καὶ Δίας. *Pandorus vero Eubœam condit: cujus filii, Alcon, & Dias*. Quanquam Alconem Erechthei ipsius filium quidam tradunt, ut mox dicam. Quod Eubœam a Pandoro conditam attinet, ejus urbem Calcidem ab eo conditam, refert quoque Marcianus, in *Periegesi sua*.

—— ἐκ τῆς δ' Αττικῆς
Τὸν Ερεχθέως διαβάντα Πάνδωρον κτίσαι
Πόλιν μεγίστην τῶν ἐν αὐτῇ Χαλκίδα.
—— ex Attica vero
Transgressum Pandorum, Erechthei filium, condidisse
Urbem maximam, earum quæ ibi sunt, Chalcidem.

Metion uxorem Iphinoem habuit: e qua Dædalum suscepit, a quo populus quidam Atticæ Δαιδαλίδαι nuncupatus. Pherecydes, apud Scholiasten Sophoclis, *Oed. Col.* Μητίωνι δὲ, τῷ Ερεχθέως, καὶ Ιφινόῃ, γίνεται Δαίδαλος· ἀφ' οὗ ὁ δῆμος καλεῖται Δαιδαλίδαι Αθήνησι. *Metioni vero, Erechthei filio, & Iphinoæ, nascitur Dædalus: a quo populus Athenis Dædalidæ vocatur.* Ita enim illic lego, non Μητίνῳ, *Metino*. Alii vero, uxorem illi Alcippen tribuunt: & ex ea filium Eupalamum, Dædali patrem. *Apollodorus*. Δαίδαλος, ὁ Εὐπαλάμου, παιδὸς τοῦ Μητίωνος, καὶ Αλκίππης. *Dædalus, Eupalami filius: qui Metionis, & Alcippes.* Pausanias simpliciter eum inter Metionidas censet, in *Achaicis*. Δαιδάλῳ μὲν γὰρ γένους τε Αθήνησιν ὑπῆρχεν εἶναι τοῦ βασιλικοῦ τῶν καλουμένων Μητιονιδῶν. *Dædalus quidem regio Athenis genere natus erat, quod dicebatur Metionidarum.* Rursum alii, Meropen filiam, de qua postea sum dicturus, matrem Dædali voluerunt. Quin & plures filios habuit; sive illos ex Iphinoa, sive Alcippa, sive utraque: qui Pandionem patruelem postea regno exuerunt, ut mox dicam. Præter filios, quos jam ante memoravi, etiam Alcon nominatur, qui Phalerum filium habuerit. Apollonius, *Argonaut.* lib. I. v. 95. 96.

—— ἐϋμελίης τε Φάληρος.
Αλκων μιν προέηκε, πατὴρ ἑός. ——
—— *fortisque Phalerus.*
Alcon ipsum præmisit, pater ejus. ——

Ad quem locum *Scholiastes*. Αλκωνα, τὸν Φαλήρου πατέρα, Πρόξενος φησὶν υἱὸν Ερεχθέως. *Alconem Phaleri patrem, Proxenus ait Erechthei filium.* Etiam Thespis, cujus filiæ quinquaginta Herculis coitu celebrantur, Erechthei fuisse filius memoratur a Diodoro Siculo, *lib.* IV. Θέσπις γὰρ ἀνὴρ ἦν τὸ γένος ἐπιφανὴς ἐκ τῶν Αθηνῶν, υἱὸς Ερεχθέως. *Thespis enim vir illustri Athenis genere erat, Erechthei filius.* Quanquam sane Apollodorus, *lib.* II. Pilii: Stephanus, *in* Θέσπεια, & ex eo quoque Eustathius, ad *Iliad.* β'. Teuthrantis dicant, Pandionis nepotem. Nunc ad filias veniamus; quas Ovidius, in *citato ante versu*, quatuor fuisse dicit: ac consentit *Apollodorus*, nominatque. Θυγατέρας δὲ (ἔσχεν ὁ Ερεχθεὺς) Πρόκριν, Κρέουσαν, Χθονίαν, Ωρείθυιαν. *Filias vero (habuit Erechtheus) Procrin, Creusam, Chthoniam, Orithyiam.* Suidas eas sex commemorat; Protogeniam, Pandoram, Procrin, Creusam, Orithyiam, Chthoniam: atque ex his priores duas, Protogeniam, ac Pandoram, se pro patria immolandas præbuisse. Verba *ejus* ita habent. Τὰς Ερεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον. καὶ ἐτίμησαν δὲ, τὸν ἀριθμὸν ἕξ. ἦν δὲ πρεσβυτάτη μὲν, Πρωτογένεια. δευτέρα δὲ, Πανδώρα. τρίτη, Πρόκρις. τετάρτη, Κρέουσα. πέμπτη, Ωρείθυια. ἕκτη, Χθονία. τούτων λέγεται Πρωτογένεια, καὶ Πανδώρα, δοῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι ὑπὲρ τῆς χώρας. *Erechthei filias sic dicebant, honorabantque, sex numero. Erat enim natu maxima, Protogenia: secunda vero, Pandora: tertia, Procris: quarta, Creusa: quinta, Orithyia: sexta, Chthonia. Ex istis Protogenia, & Pandora, se mactandas pro rep. concessisse memorantur.* Demarato, Proserpina dicitur, Τραγῳδουμένων *l.* III. Ερεχθεὺς, ὁ τῆς Αττικῆς προϊστάμενος, χρησμὸν ἔλαβεν, ὅτι νικήσει τοὺς ἐχθρούς, ἐὰν μὲν πρεσβυτάτην τῶν θυγατέρων Περσεφόνην θύσῃ. E-

A *rechtheus, rex Atticæ, oraculum accepit, se profligaturum hostes, si Proserpinam, filiarum natu maximam, immolaret.* Hygino, Colophonia dicitur, *Fab.* CCXXXVIII. *Erechtheus, Pandionis filius, Colophoniam (occidit) ex sortibus.* Pro Pandora, ab eodem Otionia memoratur, *Fab.* XLVI. *Itaque Otionia filia (Erechthei) cum esset immolata, cæteræ, fide data, se ipsæ interfecerunt.* Sed legendum illic, *Chthonia*, alibi jam pridem monuit. Procris, Cephalo nupta fuit, Deionei filio. *Apollodorus*. Πρόκριν δὲ (ἔγημε) Κέφαλος ὁ Δηϊονέως. *Procrin vero (uxorem duxit) Cephalus, Deionei filius.* Videndus quoque Eustathius, ad *Iliad.* β'. & *Odyssi* λ'. Designat

B eam Callimachus, *Hymno* in Dianam, v. 209. 210.

Καὶ Κεφάλου ξανθὴν ἄλοχον Δηϊονίδαο,
Πότνια, σὴν ὁμόθηρον ἐθήκαο.
Et Cephali flavam uxorem Deionidæ,
Diva, tibi venationis sociam constituisti. ——

Ubi *Scholiastes*. Ηγουν, τὴν Πρόκνην. *Sive, Prognen.* Rescribo, τὴν Πρόκριν, *Procrin.* Idem mendum est apud Scholiasten Euripidis, ad *Hippolytum*. Κέφαλος εἷς ἦν τῶν ἐξ Ενδυμίωνος. οὗτος γαμεῖ Πρόκνην τὴν Αθηναίαν. *Cephalus unus erat ex posteris Endymio-*

C *nis. duxit autem uxorem Prognen Atheniensem.* Rescribe itidem, Πρόκριν τὴν Αθηναίαν. *Procrin Atheniensem.* Valde hallucinatur *Etymologici Auctor*. Κεφαλληνία. ἀπὸ Κεφάλου τινός. ὃς, ἀκουσίως ἀνελὼν Πρόκνην, τὴν Ερεχθέως μητέρα, ἔξεισι τῆς Αττικῆς. *Cephalenia. a Cephalo quodam: qui, præter voluntatem occisa Progne, Erechthei matre, Attica excedit.* Nam, neque Erechthei mater Progne erat, sed Zeuxippe, ut supra docui: neque Prognen Cephalus uxorem habebat, verum Procrin. De Cephali, & Procridis, matrimonio, etiam Ovidius, *Metamorph.* lib. VI. *v.* 681. 682.

D —— *Æolides Cephalus te conjuge felix,*
Procri, fuit. ——

Duxit autem eam Cephalus in Thorico, Atticæ populo. Antoninus Liberalis, *Metamorph.* cap. XLI. Κέφαλος ὁ Δηϊονέως ἔγημεν ἐν Θορικῷ τῆς Αττικῆς Πρόκριν, τὴν θυγατέρα τὴν Ερεχθέως. *Cephalus, Deionei filius, duxit in Thorico Atticæ Procrin, Erechthei filiam.* Ægre autem ferens Procris, se a Cephalo tentatam, ac deprensam, ad Minoem, Cretæ regem, sese confert. Antoninus Liberalis, totam historiam fuse narrans, *Metamorph.* cap. XLI. Πρόκρις δὲ, καταλιποῦσα τὸν Κέφαλον ὑπ' αἰσχύνης, ᾤχετο φεύγουσα παρὰ Μίνωα, τὸν βασιλέα τῶν Κρητῶν. *Procris ve-*

E *ro, relicto præ pudore Cephalo, confugit ad Minoem, Cretensium regem.* Ac, improlem postquam eum invenisset, sua opera id effecit, ut deinceps liberos gigneret: ac mercedem operæ accepit canem, atque jaculum. Rem, & modum, narrat *ibidem* Antoninus, verum verbis maximopere perturbatis. Καταλαβοῦσα δ' αὐτὸν, (τὸν Μίνωα,) ἐχόμενον ὑπ' ἀτεκνίας, ὑπισχνεῖτο, καὶ ἐδίδασκε τὸν τρόπον αὐτῷ, ὄφεις, καὶ σκορπίους, καὶ σκολοπένδρας, εἰ γένοιντο παῖδες. ὁ γὰρ Μίνως οὔρεσκεν. καὶ ἀπέθνησκον αἱ γυναῖκες, ὅσαις ἐμίγνυτο. Πασιφάη δ' ἦν ἡλίου θυγάτηρ, ἀθάνατος. ἡ γοῦν Πρόκρις, ἐπὶ τῇ γονῇ τοῦ Μίνωος, μηχανᾶται τοιόνδε. κύστιν αἰγὸς ἐνέβαλεν εἰς γυναικὸς φύσιν, καὶ

F ὁ Μίνως τοὺς ὄφεις πρότερον ἐξέκρινεν εἰς τὴν κύστιν. ἔπειτα δὲ, παρὰ τὴν Πασιφάην εἰσιὼν, ἐμίγνυτο. καὶ ἐπεὶ αὐτοῖς ἐγένοντο παῖδες, ὁ Μίνως διδοῖ τῇ Πρόκριδι τὸν ἄκοντα, καὶ τὸν κύνα. *Cum autem ipsum (Minoem) offendisset nullam habentem prolem, pollicita est, & ostendit ei modum, serpentes, & scorpios, & scolopendras, si nascerentur liberi. Minos enim mingebat: & moriebantur mulieres, quibuscum rem habebat. Pasiphae autem erat Solis filia, immortalis. Procris ergo, ut Minos gignere posset;*

tale quippiam machinatur. Vesicam capræ in membrum mulieris inserit, & Minos serpentes prius excernebat in vesicam: inde ad Pasiphaen ingressus, cum ea coibat. atque, postquam liberi ipsis nati essent, Procridi dat Minos jaculum, item canem. Sed luxatum valde locum, sic restituo. καὶ ἐδίδασκε τ̀ τρόπον, ᾧ γένοιντο αὐτῷ παῖδες. ὁ γὰρ Μίνως ὔρεσκεν ὄφεις, καὶ σκορπίους, καὶ σκολοπένδρας. καὶ ἀπέθνησκον αἱ γυναῖκες, ὅσαις ἐμίγνυτο. *Et ostendit ei modum, quo liberi ipsi gignerentur. nam Minos mingebat serpentes, & scorpios, & scolopendras: & moriebantur mulieres, quibuscum rem habebat.* Procrin vero ad Minoem transiisse, & amatam quoque ab eo, supra conjugem Pasiphaen, meminit etiam Ovidius, de *Rem. Am.* lib. II.

Pasiphaes Minos in Procride perdidit ignes.

De curato Minoe, ac donato item cane, etiam Hyginus refert, *Poet. Astron.* lib. II. *Canis. Hic dicitur ab Jove custos Europæ appositus esse, & ad Minoa pervenisse: quem Procris, Cephali uxor, laborantem dicitur sanasse, & pro beneficio canem muneri accepisse.* De donato Procridi a Minoe cane, Pollux quoque est videndus, *lib.* V. *cap.* V. Sed de Procride, Cephalo nupta, paullo nobis accuratius, quando se occasio offert, inquirendum. An Erechthei ea filia? Clare Apollodorus dicit, in *citatis ante verbis*: & Ovidius, Cephalum sic verba facientem Æaco introducit, *Metamorph.* lib. VII. v. 694. &c.

Procris erat, si forte magis pervenit ad aures
Orithyia tuas, magnæ soror Orithyiæ.
Si faciem, moresque, velis conferre duarum,
Dignior ista rapi; pater hanc mihi junxit Erechtheus:
Hanc mihi junxit amor. ——

Ego vero, isthuc pernegare ausim. nam, si filia hæc Erechthei, quomodo ad Minoem fugit? cujus ætas in Pandionem II. ejus nepotem, Ægeumque pronepotem, demum incidit. ac, si demus, vel duntaxat medio regni Erechthei tempore eam natam, major fuerit minimum octogenaria, cum transiret ad Minoem. nam ab hoc, quod dixi, tempore, ad Pandionis excessum, anni toti nonaginta interfuere. Dicet aliquis; extrema ætate istud factum, sed non potest: cum, id in principio ipso matrimonii evenisse, res loquatur. immo altero demum mense: ipso Cephalo sic dicente, apud Ovidium, libro *jam a me citato*:

Alter agebatur post sacra jugalia mensis.

Homerus quoque eam coætaneam Minoi facit: cum Ulyssem introducit, referentem, abs se visam pariter cum Phædra, atque Ariadna, illius filiabus. Ecce hæc Poetæ verba, *Odyss.* libro XI. v. 319. 320.

Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον, καλήν τ' Ἀριάδνην,
Κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος. ——
Phædramque Procrinque vidi, pulcramque Ariadnem,
Filiam Minois prudentis. ——

Ergo aliam fuisse, sat apparet: & investigare libet. Fuit etiam Cecropi II. Erechthei filio, Procris filia; uti capite mox sequenti sum dicturus: verum neque ista fuit. Habuit & hujus filius, Pandion II item unam illo nomine: & hæc sine dubio fuerit. Meminit ejus *Palæphatus*: &, ne quisquam dubitare porro possit, quin hæc fuerit, id, quod jam commemoravi, de Minoe sic curato, nobis refert, ubi de Pasiphae agit, istis verbis. Τὸ δ' ἀληθὲς ἔχει οὕτως. Μίνωα φασὶν, ἀλγοῦντα τὰ αἰδοῖα, θεραπευθῆναι ὑπὸ Πρόκριδος, τ̃ Πανδίονος. *Veritas autem ita habet. Minoem ferunt, e pudendis laborantem, curatum esse a Procride, Pandionis filia.* Ita enim eum locum, cum viro insigni, Paullo Leopardo, emendandum esse censeo: cum corrupte hactenus vulgatum exstet, ὑπὸ κειδὸς τῦ Πανδίονος. Certe Erechtheo abjudicat item eam Servius: quanquam Iphiclum, non Pandionem II. patrem adscribat, ad *Æneid.* lib. IV. *Procrinque. Filia Iphicli, Cephali uxor fuit.* Palæphati locum, etsi sine ejus nomine, verbo tenus descripsit Apostolius, *Cent.* XIV. *Prover.* XCVI. Quod ad jaculum porro attinet, atque canem; tum de infelici etiam Procridis fato, videndi, Ovidius, *Metamorph.* lib. VII. Antoninus Liberalis, *loco citato*, Hyginus, *Fab.* CLXXXIX. Pollux, *lib.* V. *cap.* V. Creusa vero, prius compressa ab Apolline, postea Xutho collocata est; atque ex Apollinis coitu, natus Ion: quem oraculum Xutho postea persuasit, suum esse: Ea de re est Euripidis *Tragœdia*, *inscripta Ion*: quam videto, si quis volet. Et Vitruvius testatur, *lib.* IV. *cap.* I. *Summam imperii partem Ioni, Xuthi & Creusæ filio, dederunt: quem etiam Apollo Delphis suum filium in responsis est professus.* Compressisse eam Apollo memoratur in antro, quod erat subter arcem. Euripides in *citata Ione*, v. 8. &c.

Ἔστι γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις,
Τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη·
Οὗ παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις
Βίᾳ Κρέουσαν, ἔνθα προσβόρρους πέτρας
Παλλάδος ὑπ' ὄχθῳ τ̃ Ἀθηναίων χθονὸς
Μακρὰς καλοῦσι γῆς ἄνακτες Ἀτθίδος.

Est enim non obscura Græcorum civitas,
Ab auream hastam gerente Pallade vocata;
Ubi filiam Erechthei Phœbus junxit nuptiis
Creusam per vim: quo loco septentrionalia saxa,
Palladis sub arce Atheniensium terræ,
Macras vocant reges terræ Atticæ.

Et Pausanias, in *Atticis*, ubi de isto antro agit. Κρεούσῃ δὲ θυγατρὶ Ἐρεχθέως, Ἀπόλλωνα ἐνταῦθα συγγενέσθαι νομίζουσι. *Hic Apollinem cum Creusa, Erechthei filia, rem habuisse arbitrantur.* Atque ex hac re Apollo, Πατρῷος cognomento, ab Atheniensibus cultus fuit deinde. Scholiastes Aristophanis, ad *Nubes*. Ἀπόλλων δὲ, (ἐκλήθη Πατρῷος,) ὅτι Ἐρεχθέως θυγατέρα ἔγημε τ̀ Κρέουσαν, ἐξ ἧς γίνεται ὁ Ἴων. *Apollo vero, (Patrius est appellatus,) quod Erechthei filiam, Creusam, uxorem duxerit: e qua natus Ion.* Ac rursum, ad *Aves*. Πατρῷον δὲ τιμῶσιν Ἀπόλλωνα Ἀθηναῖοι, ἐπεὶ Ἴων, ὁ πολέμαρχος Ἀθηναίων, ἐξ Ἀπόλλωνος, καὶ Κρεούσης, τ̃ Ξούθου, ἐγένετο. *Patroum colunt Apollinem Athenienses, siquidem Ion, belli præfectus ex Apolline, & Creusa, Xuthi uxore, natus est.* Deinde Xuthus, a fratribus Thessalia ejectus, cum Athenas concessisset, eam in matrimonium accepit. Pausanias, in *ipso Achaicorum initio*. Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἢ ἀποθανόντος Ἕλληνος, Ξοῦθον οἱ λοιποὶ τοῦ Ἕλληνος παῖδες διώκουσιν ἐκ Θετταλίας, ἐπενεγκόντες αἰτίαν, ὡς ἴδια χρήματα ὑφελόμενος εἴη τ̃ πατρῴων. ὁ δὲ, ἐς Ἀθήνας φυγὼν, θυγατέρα Ἐρεχθέως (τ̀ Κρέουσαν) ἠξιώθη λαβεῖν. *Mortuo autem postea Hellene, Xuthum cæteri Hellenis filii Thessalia ejiciunt; eo crimine intentato, quod subductas pecunias paternas sibi vindicasset. Is vero, postquam Athenas confugisset, ab Erechtheo dignus habitus est, cui filiam (Creusam) desponderet.* Aurelius Victor, sive alius quis auctor, de *Orig. Gentis Rom. Ferunt Creusam, Erechthei regis Atheniensium filiam, speciosissimam, stupratam ab Apolline, enixam puerum, eumque Delphos olim educandum missum: ipsam vero, patre istarum rerum nescio, Xutho uidam collocatam.* Causam tradunt, & occasionem hujus matrimonii, auxilium, in bello contra Chalcidenses Eubœæ. Euripides, *Ione*,

postquam retulit Creusam ab Apolline constupratam, ac Ionem peperisse, v.77. &c.

Κρέουσα δ', ἣ τεκοῦσα τὸν νεανίαν,
Ξούθῳ γαμεῖται, συμφορᾶς τοιᾶσδ' ὕπο.
Ην τ' Ἀθήναις, τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις,
Οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων.
Ον συμπονήσας, καὶ συνεξελὼν δορί,
Γάμων Κρεούσης ἄξιωμ' ἐδέξατο.
Creusa vero, quæ pepererat hunc adolescentem,
Xutho nubit, tali casu.
Erat Atheniensibus, & Chalcodontidis,
Qui Euboicam terram habitant, bellica tempestas:
Quam allaborans postquam simul sustulisset ferro,
Nuptiis Creusæ dignus habitus fuit.

Postquam autem hanc duxisset uxorem Xuthus, quatuor Atticæ urbes condidit; Oenoen, Marathonem, Probalinthum, & Tricorythum: quas Τετράπολιν appellabant. Strabo, *lib.*VIII. Ξοῦθος δὲ, τὴν Ερεχθέως θυγατέρα (Κρέουσαν) γήμας, ᾤκισε τὴν Τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς. Οἰνόην, Μαραθῶνα, Προβάλινθον, καὶ Τρικόρυθον. *Xuthus vero, ducta Erechthei filia, (Creusa) condidit Atticæ Tetrapolin: Oenoen, Marathonem, Probalinthum, ac Tricorythum.* Conon, *Narrat.* cap.XXVII. Ο δὲ νεώτατος, (Ξοῦθος) Ἀθήναζεν ἀφικόμενος, κτίζει Τετράπολιν καλουμένην τῆς Ἀττικῆς, καὶ γαμεῖ Κρέουσαν, τὴν Ερεχθέως. *Minimus natu, (Xuthus) cum Athenas venisset, Atticæ Tetrapolin, quam vocant, condit: & uxorem ducit Creusam, Erechthei filiam.* Verum Xuthus non Tetrapolin appellaverat, sed Hytteniam: nam id primum nomen fuit, uti *Stephanus* nos docet. Τετράπολις, τῆς Ἀττικῆς, ἔχουσα δήμους, καὶ πόλεις, τέσσαρας. Οἰνόην, Προβάλινθον, Τρικόρυθον, Μαραθῶνα. αὕτη πρότερον ἐκαλεῖτο Υττηνία. *Tetrapolis, Atticæ, habens populos, & urbes, quatuor; Oenoen, Probalinthum, Tricorythum, Marathonem. Hæc prius dicebatur Hyttenia.* Orithyiam vero, Boreas rapuit. *Apollodorus* Ωρείθυιαν, ἣν ἥρπασε Βορέας. *Orithyiam, quam rapuit Boreas.* Apollonius Rhodius, *Argonaut.* lib.I. v.212. &c.

Οὕς ποτ' Ερεχθηΐς Βορέῃ τέκεν Ωρείθυια,
Εσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου. ἔνθ' ἄρα τήνγε
Θρηΐκιος Βορέης ἀνερείψατο Κεκροπίηθεν,
Ιλισοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν,
Quos olim Erechtheis Boreæ peperit Orithyia,
In finibus Thraciæ asperæ: ubi certe hanc
Thracius Boreas Athenis abductam deposuit,
Ilissum juxta choreas agitantem.

Ad quem locum *Scholiastes*. Η δὲ Ωρείθυια: Ερεχθέως θυγάτηρ. ἣν ἐξ Ἀττικῆς ἁρπάσας ὁ Βορέας, ἤγαγεν εἰς Θρᾴκην. *Orithyia, Erechthei filia: quam ex Attica Boreas cum rapuisset, in Thraciam abduxit.* Rapta autem ea fuit, ad Ilissum choreas agens. *Avienus,*

Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam.

Dionysius Alexandrinus, *v.*423. *&c.*

Νέρθε γε μὴν Ισθμοῖο πρὸς αὐγὰς Ἀττικὸν οὖδας.
Τοῦ διὰ θεσπεσίου φέρεται ῥόος Ιλισοῖο,
Ενθεν καὶ Βορέης ποτ' ἀνὴρ πάσεν Ωρείθυιαν.

Quæ sic transtulit *Priscianus*.

Attica sed tellus post Isthmum solis ad ortum est;
Hinc Orithyiam Boreas rapuisse puellam
Traditur: hic Ilissus aquis devolvitur amnis.

Vides quoque in *citatis statim* Apollonii *verbis*; tum apud Platonem, in *Phædro*: & Pausaniam, in *Atticis*. Alii vero, raptam eam ad Cephissum flumen tradunt. Scholiastes Apollonii, *lib.*I. Χοίριλος δὲ, ἁρπαθῆναι φησὶν αὐτὴν, (τὴν Ωρείθυιαν,) ἄνθη ἀμέλγουσαν ὑπὸ τὰς τοῦ Κηφισοῦ πηγάς. *Chœrilus vero refert, eam (Orithyiam) raptam fuisse, cum flores decerperet subter Cephissi fontes.* Meminere autem raptæ, Herodotus, *lib.*VII. Propertius, *lib.*I. *Eleg.*XX. Cicero, de *Leg.* lib.I. Jamblichus, de *Vita Pythagoræ* lib.I. cap. XXXIV. ac auctores alii passim. Sed *Jamblichus*, obiter restituendus. Κατὰ Θρᾷκας, καὶ τὴν Ωρειθυίας ἁρπαγήν. *Secundum Thracas, & Orithyiæ raptum.* Nam perperam editur, Ερυθυίας ἁρπαγὴν, *Erithyiæ raptum.* Nec vir doctus, cui Auctorem hunc debemus, recte putat reponendum, Ερυθίας, *Erythiæ.* Itaque sex Erechthei filias, quæque de his apud Veteres referuntur, memoravimus. Præter eas, & Cleopatram invenio, Phineo nuptam. Sextus Empiricus, *Adver. Mathem.* lib.I. Τὸν ἀρχηγὸν ἡμῶν τῆς ἐπιστήμης Ασκληπιὸν κεκεραυνῶσθαι λέγουσι, διὰ τὸ τοὺς Φινέως υἱοὺς τυφλωθέντας ἀποκαταστῆσαι, χαριζόμενον αὐτῶν τῇ μητρὶ Κλεοπάτρᾳ, τῇ Ερεχθέως. *Scientiæ nostræ primum auctorem Æsculapium fulmine percussum tradunt, quod excæcatis Phinei filiis, in gratiam matris Cleopatræ, Erechthei filiæ, visum restituisset.* Quamquam alii, non Erechthei hanc filiam, sed ex Orithyia neptem, esse tradant. Videndi, Apollodorus, *lib.* III. Scholiastes Apollonii, *lib.* I. & Demetrius Triclinius, ad *Sophoclis Antigonem*. Commemoratur item Merope, Dædali mater, apud Plutarchum, in *Theseo*. Ο δὲ Θησεὺς, παραιτούμενος ἀνεψιὸν ὄντα Δαίδαλον, κἀκείνῳ κατὰ γένος προσήκοντα, μητρὸς ὄντι Μερόπης τῆς Ερεχθέως, αὐτὸς ναυπηγίαν ἐπεβάλλετο. *Theseus vero, excusans, quod consanguineus esset Dædalus, ac contingeret ipsum genere, ob matrem Meropen, Erechthei filiam, ipse classem ædificare instituit.* Eruimus ergo filios quinque, & filias octo; universim, liberos tredecim; qua de causa non immerito Αγλαόπαις, *Liberis splendens,* dicitur Nonno, *Dionysiac.* lib. XIII. v.172.

Χρύσεον ἀγλαόπαιδος Ερεχθέος αἷμα κομίζων.
Aureum splendentis liberis Erechthei sanguinem ducens.

CAP. XIV.

Cecrops II. succedit patri. Fratrum ejus contentio: Xuthi judicium, & exilium. Eusebii error. Athenienses, in vicis habitantes, in duodecim urbes tribuit: earumque nomina dicta. Coloniam item deducit, in Eubœam; & Athenas ibi condit, Diadas indigetatas: & Orchomenum, ab Euboicis. Error Eusebii, Hieronymi, Mariani, Freculphi, Abbatis Urspergensis, ac Lucæ Tudensis: Marianus, Lucas Tudensis, & Freculphus, emendantur. Rhodus quoque ab eo condita. Quot annis regnaverit. Ejus heroum, Haliarti: uxor, Metiadusa; e qua filius, Pandion; ac tres filiæ. Creusa, Orithyia, Procris: quarum Orithyia, Macedoni nupta, Europum peperit, a quo Europus, urbs Macedoniæ, nominata.

MORTUO Erechtheo, filii de regno inter se diffidebant; donec arbiter captus Xuthus, per Creusam, uti dixi, uxorem affinis, Cecropi illud, tanquam natu maximo, adjudicaret: qua de causa irati cæteri, eum Attica exegerunt. Pausanias, *initio Achaicorum*. Αποθανόντος δὲ Ερεχθέως, τοῖς παισὶν αὐτοῦ δικαστὴς Ξοῦθος ἐγένετο ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς. καὶ, ἔγνω γὰρ τὸν πρεσβύτατον Κέκροπα βασιλέα εἶναι, οἱ λοιποὶ τοῦ βασιλέως παῖδες ἐξελαύνουσιν ἐκ τῆς χώρας αὐτόν. *Cum e vita discessisset Erechtheus, ejus filiis, de regno dissidentibus, disceptator Xuthus fuit: eumque, quia regnum Cecropi natu maximo adjudicasset, alii Erechthei filii regione ejecerunt.* Manifestus est *Eusebii* error; qui non filium eum Erechthei, verum fratrem, esse dicit. Αθηναίων ἐβασίλευσεν ἕβδομος Κέκροψ δεύτερος, Ερεχθέως

ἀδελφός. *Apud Athenienses septimus regnavit Cecrops II. Erechthei frater.* Ac Pausanias consentire huic videtur: qui Pandionis, non Erechthei, filium facit, in *Bœoticis*. Ἐν Ἁλιάρτῳ δὲ τοῦτε Λυσάνδρου μνῆμα, καὶ Κέκροπος τοῦ Πανδίονός ἐστιν ἡρῷον. *Haliarti vero etiam Lysandri monumentum est, & heroum item Cecropis, Pandionis filii.* Verum ego hunc Pandionis II. filium esse, Cecropis nostri nepotem, plane censeo; quanquam ejus, quod meminerim, nemo alius mentionem ullam faciat. Confirmatque id opinionem meam, quod Pausanias ille ipse, in *citatis ante verbis*, Cecropem hunc clare Erechthei filium dicat, atque eum natu maximum: ac rursum, in *Atticis*. Πρότερός τε γὰρ ἦρξε Κέκροψ, ὃς τὴν Ἀκταίου θυγατέρα ἔσχηκε. καὶ ὕστερον ἄλλος, ὃς μετῴκησεν ἐς Εὔβοιαν, Ἐρεχθέως υἱός. *Nam & regnavit primus Cecrops, quicum Actæi filia nupta fuit: ac postea alter, qui coloniam deduxit in Eubœam, Erechthei filius.* Certe filium Erechthei, dicit item *Apollodorus*, ubi liberos ejus refert: & diserte postea dicit, cum & successorem memorat. Ποσειδῶνος καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καταλύσαντος, Κέκροψ, ὁ πρεσβύτατος τῶν Ἐρεχθέως παίδων, ἐβασίλευσεν. *Postquam autem Neptunus, tum Erechtheum, tum domum ejus, evertisset, Cecrops, maximus filiorum, regnum tenuit.* Joannes Tzetzes, *Chil.*I. *cap.*IV.

Ἐκ Πραξιθέας Ἐρεχθεὺς τὸν Κέκροπα λοχεύει.
Ex Praxithea Erechtheus Cecropem gignit.

Iterum, *Chil.*V. *cap.*XIX.

Ἐξ Ἐρεχθέως πάλιν, δὲ καὶ Πραξιθέας, Κέκροψ.

Ex Erechtheo rursum, & Praxithea, Cecrops.

Et hic est accipiendus, qui per vicos habitantes Athenienses duodecim urbibus, nempe ex vicis grandioribus constitutis, eos habitare fecit. Etymologici Auctor, *in* Ἐπακρία χώρα. Ἀθηναίους, πάλαι κωμηδὸν οἰκοῦντας, πρῶτος Κέκροψ συναγαγὼν, κατῴκισεν εἰς πόλεις δυοκαίδεκα. *Athenienses, olim vicatim habitantes, primus Cecrops coactos duodecim urbibus habitare fecit.* Quæ totidem quoque verbis *Suidas*. Rem eandem narrat Strabo, & nomina item urbium dicit. *lib.*IX. Φησὶ Φιλόχορος, Κέκροπα πρῶτον εἰς δυοκαίδεκα πόλεις συνοικίσαι τὸ πλῆθος (τῆς Ἀττικῆς·) ὧν ὀνόματα, Κεκροπία, Τετράπολις, Ἐπακρία, Δεκέλεια, Ἐλευσὶς, Ἀφίδνα, Θόρικος, Βραύρων, Κύθηρος, Σφῆττος, Κηφισιά, Φαληρός. *Ait Philochorus, primum Cecropem in duodecim urbes multitudinem Atticæ composuisse: quarum nomina sunt, Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleusis, Aphidna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephissia, Phalerus.* Tum coloniam quoque duxit, in Eubœam. Pausanias, in *Atticis*. Πρότερός τε γὰρ ἦρξε Κέκροψ, ὃς τὴν Ἀκταίου θυγατέρα ἔσχηκε. καὶ ὕστερον ἄλλος, ὃς μετῴκησεν ἐς Εὔβοιαν, Ἐρεχθέως υἱὸς, τοῦ Πανδίονος, τοῦ Ἐριχθονίου. *Nam & regnavit primus Cecrops, quicum Actæi filia nupta fuit; ac postea alter, qui coloniam deduxit in Eubœam: Erechthei filius, Pandionis nepos, Erichthonii pronepos.* Et Athenas illic condidit, Diadas dictas: ab Euboicis, Orchomenum. *Eusebius.* Κέκροψ Ἀθήνας, τὰς καὶ Διάδας, ἐν Εὐβοίᾳ ἔκτισεν. Εὐβοεῖς δὲ ταύτην Ὀρχομενὸν μετωνόμασαν. Hieronymus. *Cecrops in Eubœa Athenas, quas & Diadas, condidit: quam urbem Euboici Orchomenum appellaverunt.* Sed non leviter ab *Eusebio*, & interprete *Hieronymo*, est erratum: cum, quod factum a Cecrope II. fuit, illud Cecropi I. tribuunt. Ita errant alii quoque, eorum auctoritate inducti. Marianus Scotus, in *Cecropis* I. *regno*. *Cecrops in Eubœa, quas & Diadas, condidit: quam urbem Cubeciorchomenon appellarunt.* Sed corrupta majorem in modum ultima verba sic emendo, *Quam urbem Euboici Orchomenon appellarunt.* Lucas Tudensis in *Chronico*. *Cecrops venit in Græciam, & ibi urbem condidit, quam Actam vocavit, & post Athenæ dicta est. Hanc quidam Græcorum Didas, & quidam Archomeniam dixerunt.* Scribe, *q. G. Diadas, & quidam Orchomenum dixerunt.* Sed confundi Cecropem I. & II. ut Athenas quoque Atticas & Euboicas. Corrigendus & Freculphus, *Tomi* I. *lib.* II. *c.*VII. *Cecrops in Eubœa Athenas, quas & Diadas vocant, condidit: quam urbem Euboici Orchomenon appellaverunt.* Male etiam illic editur, *quam urbem Euboici Corcomenon appellaverunt.* Abbas Urspergensis. *Hic (Cecrops) in Acta, quæ nunc Attica dicitur, Athenas, quas & Diadas vocant, condidit: quam urbem Euboici Orchomenon appellaverunt.* Hic non est corruptus quidem, sed errorem geminum errat; cum quod Cecropi I. tribuit, uti alii, quæ sunt Cecropis II. tum etiam in Attica conditas has Athenas dicat, quas in insula Eubœa conditas dicere debuisset. Quanquam sane, quod Athenas Diadas attinet, eas Stephanus a Diante, Abantis filio, structas refert, *in* Ἀθῆναι; Strabo vero simplicissime id Atheniensibus tribuit, *lib.* X. Καὶ Ἀθῆναι, αἱ Διάδες, κτίσμα Ἀθηναίων. *Et Athenæ, Diades dictæ, quæ ab Atheniensibus conditæ.* Huic quoque Rhodum conditam tribui debere puto: qua de re sic Isidorus Hispalensis, *Orig.*lib. XV. cap.I. *Cecrops in insula Rhodo Rhodum ædificavit.* Decessit vero, anno regni quadragesimo. *Eusebius.* Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἕβδομος Κέκροψ δεύτερος, Ἐρεχθέως ἀδελφὸς, ἔτη τεσσαράκοντα. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit septimus Cecrops alter, annis quadraginta.* Marianus Scotus. *Atheniensium septimus Cecrops II. annis quadraginta regnavit.* Ac consentit *Vincentius Bellovacensis*. Et heroum illi structum ab Haliartiis, in Bœotia. Pausanias in *Bœoticis*. Ἐν Ἁλιάρτῳ δὲ, τοῦτε Λυσάνδρου μνῆμα, καὶ Κέκροπος τοῦ Πανδίονός ἐστιν ἡρῷον. *Haliarti cum Lysandri monumentum est, tum & Cecropis heroum, Pandionis filii.* Ejus uxor, Metiadusa: & ex ea, filius, Pandion nomine. *Apollodorus*. Ὃς (Κέκροψ) γήμας Μητιάδουσαν, τὴν Εὐπαλάμου παῖδα, ἐτέκνωσε Πανδίονα. *Is (Cecrops) ducta uxore Metiadusa, Eupalami filia, sustulit Pandionem.* Joannes Tzetzes, *Chil.*I. *cap.*IV.

Ἐκ Πραξιθέας Ἐρεχθεὺς τὸν Κέκροπα λοχεύει.
Ὁ Κέκροψ δὲ Πανδίονα, ἐκ τῆς Μητιαδούσης.
Ex Praxithea Erechtheus Cecropem gignit:
Cecrops vero Pandionem, ex Metiadusa.

Iterum, *Chil.*V. *cap.*XIX.

Ἐξ Ἐρεχθέως πάλιν δὲ, καὶ Πραξιθέας, Κέκροψ.
Πανδίων τούτου Κέκροπος, καὶ τῆς Μητιαδούσης.
Ex Erechtheo vero rursum, & Praxithea, Cecrops:
Hujus Cecropis Pandion, & Metiadusæ.

Filiæ quoque illi numero tres natæ, Creusa, Orithyia, Procris: quas sic ipse de nominibus sororum appellavit. Scholiastes Apollonii, *lib.*I. Κέκροπος δὲ, (θυγατέρες εἰσὶ,) Κρέουσα, Ὠρείθυια, Πρόκρις. *Cecropis vero, (filiæ sunt,) Creusa, Orithyia, Procris.* Et ex illis Orithyia, nupta Macedoni, filium Europum peperit: a quo Macedoniæ urbs Europus dicta. *Stephanus*. Εὐρωπὸς, πόλις Μακεδονίας· ἀπὸ Εὐρώπου, τοῦ Μακεδόνος, καὶ Ὠρειθυίας, τῆς Κέκροπος. *Europus, urbs Macedoniæ: ab Europo, Macedonis filio, & Orithyia, Cecropis filia.*

CAP. XV.

Pandion II. Eusebii error. Regno ejectus a Metionidis. Megaram abit, ad Pylam regem; ejusque filiam Peliam uxorem accipit: aut jam ante potius duxerat. A socero regnum Megaricum accipit, Biante cæso. Obiit Megaris, anno regni vicesimo quinto; & in Minervæ Æthyiæ scopulo sepelitur: mortuoque a Megarensibus parentatum. Filii, Ægeus, Pallas, Nisus, atque Lycus. quanquam controversia fuerit de Ægei patre; aliis Phemium, aliis Scyrium dictitantibus: aliis rursum, ex draconis dentibus natum memorantibus. Quomodo regnum inter illos distributum, varie dici ab Auctoribus, indicatum. Hygini locus emendatus. Ejus filius item, Cecrops; nothus, Oeneus: a quo tribus, Oeneis dicta. Dion Chrysostomus correctus. Denique & filia, incerti nominis, quæ Scironi nupta fuit; item Procris, Cephali uxor; aliæque, ob quas Veneris Cælesti templum Ægeus dedicavit.

POST defunctum Cecropem II. filius successit, Pandion II. Iterum hic *Eusebius* errat; qui, ut Cecropem, de quo dixi, male patris sui fratrem, sic Pandionem avi Erechthei filium facit, istis verbis. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ὄγδοος Πανδίων Ἐρεχθέως. *Atheniensium rex octavus fuit Pandion, Erechthei filius.* Simpliciter Hieronymus. *Atheniensibus regnavit Pandion alter.* Certe Cecropis item filium, non Erechthei, tradit Pausanias, in *Atticis*. Καὶ δὴ καὶ Πανδίων ἐβασίλευσεν ὁ τοῦ Ἐριχθονίου, καὶ ὁ Κέκροπος τοῦ δευτέρου. *Ac sane regnavit etiam Pandion, Erichthonii filius: & alter, Cecropis secundi.* Nec aliter *Apollodorus*, & Joannes item Tzetzes, *locis antea citatis*. Ab hoc festum institutum, Χόες dictum: ut vult Scholiastes Comici, ad *Equites*, & *Acharnenses*. Sed errare eum ostendam, cum de regno Demophoontis, cui ea res debetur, sum dicturus. Regno ejectus est a Metionis patrui liberis, ac Megara concessit; ubi Pylæ regis filiam Peliam uxorem duxit: qui, Biante patruo cæso, regnum transfert in Pandionem. *Apollodorus*. Γήμας (ὁ Κέκροψ) Μητιάδουσαν, τὴν Εὐπαλάμου, παῖδα ἐτέκνωσε Πανδίονα. οὗτος, μετὰ Κέκροπα βασιλεύων, ὑπὸ τῶν Μητίονος υἱῶν κατὰ στάσιν ἐξεβλήθη. καὶ παραγενόμενος εἰς Μέγαρα πρὸ Πύλαν, τὴν ἐκείνου θυγατέρα Πελίαν γαμεῖ. αὖθις καὶ τῆς πόλεως βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ καθίσταται. κτείνας γὰρ Πύλας τὸν τοῦ πατρὸς ἀδελφὸν Βίαντα, τὴν βασιλείαν δίδωσι Πανδίονι. *Ducta (Cecrops) Metiadusa, Eupalami filia, filium ex ea sustulit Pandionem. hic post patrem regnans, a Metionis filiis per tumultum est ejectus; ac, cum Megara concessisset, ad Pylam, ejus filiam Peliam uxorem accipit: ac deinde ab eo quoque urbis regnum. Pylas enim cum Biantem patruum interfecisset, regnum dat Pandioni.* Pausanias in *Atticis*, quod vero similius, ante ejectionem dicit hanc uxorem habuisse: ideoque sine dubio mox ejectus, se ad eum, tanquam socerum, recepit. Τοῦτον (τὸν Πανδίονα) Μητιονίδαι τῆς ἀρχῆς ἐξελαύνουσι. καὶ οἱ φυγόντι ἐς Μέγαρα, (θυγατέρα γὰρ εἶχε Πύλα, τοῦ βασιλεύοντος ἐν Μεγάροις,) συνεκπίπτουσιν οἱ παῖδες. *Hunc (Pandionem) Metionidæ regno expellunt: eoque Megara contendente, (siquidem uxorem habebat filiam Pylæ, Megarensium regis) etiam filii regno excidunt.* De ejectione ejus, & exilio Megarensi, capiendus est Orosius, *lib.* I. *cap.* XII. *Prætermito Pandionis, Atheniensium regis, flebilem fugam.* Diem vero obiit Megaris, in exilio: ac sepultus est in Megarica regione, in Minervæ Æthyiæ scopulo. Pausanias, *loco citato*. Καὶ Πανδίονα μὲν, αὐτοῦ λέγεται νοσήσαντα ἀποθανεῖν. καὶ οἱ πρὸς θαλάσσῃ μνῆμά ἐστιν ἐν τῇ Μεγαρίδι, ἐν Ἀθηνᾶς Αἰθυίας καλουμένῳ σκοπέλῳ. *At Pandionem quidem, illic diem obiisse ex morbo tradunt: ejusque monumentum est vicinum mari, in Megarica terra, in Minervæ Æthyiæ scopulo, quem appellant.* Meminit iterum ejus postea. Ἐκ τούτου δὲ τοῦ ἱεροῦ κατιοῦσι, Πανδίονός ἐστιν ἡρῷον. καὶ ὅτι μὲν ἐτάφη Πανδίων ἐν Αἰθυίας Ἀθηνᾶς καλουμένῳ σκοπέλῳ, δεδήλωκεν ὁ λόγος ἤδη μοι. *Ex hoc vero templo descendentibus, in conspectu Pandionis heroicum monumentum. Et sepultum esse Pandionem in Minervæ scopulo, quem appellant, antea jam mihi dictum est.* Et defuncto Megarenses parentabant. Apparet ex Pausaniæ ejusdem *verbis*, quæ subjungit, Τιμὰς δὲ ἐν τῇ πόλει παρὰ Μεγαρέων ἔχει. *Parentantque ei in urbe Megarenses.* Regnavit annos quinque & viginti. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ὄγδοος Πανδίων Ἐρεχθέως ἔτη κε'. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit octavus Pandion alter annos viginti quinque.* Ac consentiunt *Marianus*, & *Vincentius Bellovacensis*. Uxor illi, ut jam dixi, Pelia fuit, filia Pylæ, regis Megarensium; & ex ea filii quatuor, Ægeus, Pallas, Nisus, Lycus. *Apollodorus*. Πανδίονι δὲ, ἐν Μεγάροις ὄντι, παῖδες ἐγένοντο, Αἰγεὺς, Πάλλας, Νῖσος, Λύκος. ἔνιοι δὲ, Αἰγέα Σκυρίου εἶναι λέγουσιν· ὑποβληθῆναι δὲ ὑπὸ Πανδίονος. *Pandioni vero, cum Megaris ageret, filii nati, Ægeus, Pallas, Nisus, Lycus. Nonnulli vero, Ægeum Scyrii esse dicunt: ac Pandionem sibi eum supposuisse.* Strabo. *lib.* IX. Τῶν Πανδιονιδῶν τεσσάρων ὄντων, Αἰγέως τε καὶ Λύκου, καὶ Πάλλαντος, καὶ τετάρτου Νίσου. *Cum quatuor essent Pandionis filii; Ægeus, Lycus, Pallas, & quartus Nisus.* Eustathius ad *Illiad.* β'. Ἡ Νίσαια παρώνυμος Νίσῳ. οὗ ἀδελφοὶ, Αἰγεὺς, καὶ Πάλλας, καὶ Λύκος, Πανδίονος υἱοί. *Nisæa denominata a Niso: cujus fratres, Ægeus, & Pallas, & Lycus, Pandionis filii.* De Niso autem, corruptus est Hygini locus, *Fab.* CXCVIII. *Nisus Martis filius, sive, ut alii dicunt, Deionis filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur.* Corrige, *sive, ut alii dicunt, Pandionis filius.* Ac, quod Ægeum porro attinet, eum non Pandionis ex Pelia uxore filium, verum adoptivum tantum, ut *Apollodorus* indicat, in citatis statim verbis, dicit etiam Plutarchus, in *Vita Thesei*. Χαλεπῶς φέροντες, εἰ βασιλεύει μὲν Αἰγεὺς, θετὸς γενόμενος Πανδίονι, καὶ μηδὲν Ἐρεχθείδαις προσήκων. *Iniquo animo ferentes, quod regnaret Ægeus, Pandionis filius adoptivus, nec contingens Erechthidas.* Et Phemii filium quidam dicebant, non Pandionis. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*. Φασὶ, τὸν Αἰγέα Φημίου εἶναι παῖδα, Αἰγέως δὲ Θησέα. *Ajunt, Ægeum esse filium Phemii, Ægei vero Theseum.* Alii, eum Scyrii filium faciebant. *Apollodorus*. Ἔνιοι δὲ, Αἰγέα Σκυρίου εἶναι λέγουσιν. ὑποβληθῆναι δὲ ὑπὸ Πανδίονος. *Quidam vero Ægeum dicunt Scyrii filium, & a Pandione adoptatum.* Quidam etiam tradiderunt, unum eorum exstitisse, quos e dentibus draconis natos Thebis perhibebant. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*: ubi de hoc Ægeo agit. Τινὲς δὲ καὶ ἕνα τοῦτον λέγουσι τῶν ἀναδοθέντων ἀπὸ τῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τοῦ ἐν Θήβαις. ὡς καὶ Ἀνδροτίων. *Quidam vero, etiam hunc unum eorum esse tradunt, qui e draconis dentibus Thebis procreati ferebantur. inter quos est & Androtion.* Atque istis filiis suis Pandion regnum distribuit. Heraclides, in *Excerptis Operis de Rebusp.* Πανδίων δὲ, βασιλεύσας μετὰ Ἐρεχθέα, διένειμε τὴν ἀρχὴν τοῖς υἱοῖς. *Pandion vero, qui post Erechtheum regnavit, principatum inter filios distribuit.* Distributionem istam, varie Auctores tradunt. Strabo, *lib.* IX. τὴν εἰς τέταρτα μέρη διανομὴν (τῆς Ἀττικῆς,) ἄλλων ἄλλως εἰρηκότων, ἀρκεῖ, ταῦτα παρὰ Σοφοκλέους λαβεῖν. φησὶ δὲ ὁ Αἰγεύς:

Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὥρισ' εἰς Ἀκτὴν ἐμοὶ,
Πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς. τῷ δ' αὖ Λύκῳ,
Τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμων.
Νίσῳ δὲ, τὴν ἀνώμαλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς. τὸ δὲ γῆς τὸ πρὸς Νότον,
Ὁ σκληρὸς οὗτος, καὶ γίγαντας ἐκτρέφων,
Εἴληχε Πάλλας. ——

Cum divisionem illam (*Atticæ*,) *in quatuor partes factam, alii aliter exponant, sufficiat hæc a Sophocle accipere; apud quem sic loquitur Ægeus:*

Pater vero me in Atticam discedere jussit,
Hujus terræ prærogativam tribuens; Lyco autem,
Objectum Eubœæ lateri hortum largiens:
At Niso inæqualem excipit terram
Scironis littoris: terram vero ad austrum sitam,
Durus iste & Gigantes enutriens
Pallas sortitus est. ——

Scholiastes Aristophanis, ad *Vespas*, Lyco datum esse principatum scribit; Ægeo, urbem: Pallanti, oram maritimam: Niso, Megaricam. Τὴν δὲ χώραν τὴν Διακρίαν, (immo potius totam Atticam,) Πανδίονα φασὶ τοῖς υἱοῖς διανείμαντα, τὴν ἀρχὴν Λύκῳ δοῦναι, Αἰγεῖ δὲ τὴν περὶ τὸ ἄστυ, Πάλλαντι δὲ τὴν παραλίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα. *Ac regionem quidem montanam, ajunt Pandionem filiis suis dispertitum, Lyco principatum dedisse, Ægeo urbem, Pallanti maritimam oram, Niso Megaricam.* Aliter rursum Euripidis Scholiastes, ad *Hippolytum*, tribus tantum filiis distribuisse eum dicit, nulla Lyci mentione: & Ægeo, ac Pallanti, populos nonnullos Atticæ obtigisse, ut Niso Megaricam. Νίσος, καὶ Πάλλας, καὶ Αἰγεὺς, τρεῖς ἀδελφοὶ ἐκ Πανδίονος. καὶ ὁ μὲν Νίσος, τὰ Μέγαρα ᾤκει· Αἰγεὺς δὲ, καὶ Πάλλας, δήμων τινῶν ἦρχον, τῆς Ἀττικῆς οὔπω συνωκισμένης εἰς ἕν. *Nisus, Pallas, & Ægeus, tres erant fratres ex Pandione. ac Nisus quidem, Megara inhabitavit; Ægeus, & Pallas, populis quibusdam præerant, Attica necdum in unum coacta.* Auctor est *Apollodorus* filios sibi divisisse, post Pandionis excessum: ac rerum summam penes Ægeum fuisse. Μετὰ δὲ τὴν Πανδίονος τελευτὴν, οἱ παῖδες αὐτοῦ, στρατεύσαντες ἐπ' Ἀθήνας ἐξέβαλον τοὺς Μητιονίδας, καὶ τὴν ἀρχὴν τετραχῆ διεῖλον. εἶχε δὲ τὸ πᾶν κράτος Αἰγεύς. *Post Pandionis vero mortem, filii ejus, ducto in Athenas exercitu, Metionidas ejecerunt, atque regnum quadrifariam diviserunt. Ægeus autem, omnem habebat potestatem.* Pausanias in *Atticis*, quanquam cæteræ divisionis nullam mentionem faciat, tamen regnum Ægeo post patris mortem obtigisse, Metionidis expulsis, tradit. Καὶ Πανδίονα μὲν, αὐτοῦ λέγεται νοσήσαντα ἀποθανεῖν. οἱ δὲ παῖδες, κατιᾶσι τε ἐκ τῶν Μεγάρων, ἐκβαλόντες Μητιονίδας. καὶ τὴν ἀρχὴν τῶν Ἀθηναίων Αἰγεὺς, πρεσβύτατος ὢν, ἔσχε. *Ac Pandionem quidem, ibi obiisse ex morbo tradunt, filii vero ejus, Megaris profecti, Metionidas ejecere: regnumque Atheniensium Ægeus, ceu qui natu maximus esset, accepit.* Præter Ægeum, Pallantem, Nisum, atque Lycum, quos jam dixi, etiam Cecrops memoratur a Pausania, in *Bœoticis*. Ἐν Ἁλιάρτῳ δὲ τοῦτο Λυσάνδρου μνῆμα, καὶ Κέκροπος τοῦ Πανδίονός ἐστιν ἡρῷον. *Haliarti exstat & Lysandri monumentum, & Cecropis, Pandionis filii, heroicum monumentum.* Erat etiam Oeneus, nothus; de quo Pausanias, in *Atticis*: ubi de heroibus agit, quorum nominibus appellatæ tribus essent. Αἰγεύς τε ἐστι, καὶ Οἰνεὺς, Πανδίονος υἱὸς νόθος. *Est & Ægeus: item Oeneus, filius Pandionis nothus.* Restituendum ejus nomen apud Dionem Chrysostomum, *Orat.* XV. Ναὶ μὰ Δία, ἔφη, πλήν γε τοῦ Οἰνέως, τοῦ Πανδίονος, εἶπε, νόθου παιδός. *Per Jovem, inquit, præter Oeneum, Pandionis filium nothum.* Male hactenus vulgatur, πλήν γε τῆς οἰήσεως, τοῦ Πανδίονος, εἶπε, νόθου παιδός. Quod vertit Interpres, *Præter opinionem Pandionis nothi pueri.* Et ab isto, tribus Oeneis appellata; sub qua populi isti erant: Ἀχάρναι, Ἐπικηφισιὰ, Θεμά, Ἱπποτομάδαι, Λακιὰ, Λουσιὰ, Μελίτη, Οη, sive Οἴη, Περιθοῖδαι, Πτελεὰ, Τυρμίδαι, Φυλή. Id ostendi singillatim, lib. de *populis Atticæ*. Et hæc de Pandionis filiis, quos invenio: sed & filia quædam fuit, cujus nomen ignoratur, Scironi nupta. Pausanias, in *Atticis*, mentionem ejus facit. Τοῦ Πυλᾶ δὲ, γενέσθαι Σκίρωνα.. τοῦτον συνοικῆσαι τῇ Πανδίονος θυγατρί. *Ac Pylæ quidem, filium fuisse Scironem: eumque uxorem habuisse Pandionis filiam.* Etiam Procris, Cephali uxor: ut ostensum a me supra, *cap.* XIII. Immo plures exstitere, uti licet observare ex Pausania: qui inter causas dedicati ab Ægeo Veneris Cælestis templi, ponit etiam sororum calamitatem: Ita enim hac de re ait, in *citatis ante Atticis*. Ἀθηναίοις δὲ (τὸ ἱερὸν Ἀφροδίτης Οὐρανίας) κατεστήσατο Αἰγεὺς, αὐτῷ τε οὐκ εἶναι παῖδας νομίζων, (οὔπω γὰρ τότε ἦσαν,) καὶ ταῖς ἀδελφαῖς γενέσθαι τὴν συμφορὰν, ἐκ μηνίματος τῆς Οὐρανίας. *Atheniensibus vero (fanum Veneris Cælestis) constituit Ægeus, cum quod liberos non haberet, (quippe tunc adhuc improles,) tum quod etiam sororum calamitatem ira deæ evenisse existimaret.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

JOAN-

JOANNIS MEURSII
DE REGIBUS ATHENIENSIUM
LIBER III.

CAP. I.

Pandioni II. vita functo in regno succedit Ægeus, ejus filius; qui liberis orbus, templum struit, Veneri Cælesti sacrum, & ad oraculum proficiscitur, eoque consulto, Athenas rediens, deflectit Trœzenem, ad Pittheum, oraculi obscurioris expositionem ab eo petiturus: vel, ut alii, ad Medeam. Pittheus, intellecto oraculo, filiam ipsi Æthram collocat; qua cum gravida discederet, monumenta illi quædam, filio, si forte pareret, mox adulto indicanda, & ad ipsum deferenda, sub saxo quodam occultata, relinquit. Gladius, Ellopius; capulo eburneo, in quo insculptum genus Ægei: isque Hippolyto postea a Theseo datus.



PANDIONI II. filius successit Ægeus. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἔννατος Αἰγεὺς Πανδίονος. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit nonus Ægeus Pandionis filius*. Etenim Pandionis filii, post parentem vita functum, conjurati in Metionidas patrueles, qui Pandionem patruum ejecerant regno, rursum illis id extorquent. cumque inter sese hoc distribuissent, summam Ægeo, natu maximo, potestatem concessere. Vide quæ notata mihi *ultimo superioris libri capite*. Atque ille, cum e duplici matrimonio nullam prolem suscepisset, metuens, propter orbitatem, ne a fratribus regno suo pelleretur, Veneris id ira sibi evenire arbitratus, veluti sororum quoque calamitatem, templum Veneri, cognomento Cælesti, struit. Pausania, in *Atticis*. Πλησίον δὲ, ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης Οὐρανίας. Ἀθηναίοις δὲ κατεστήσατο Αἰγεὺς, αὐτῷ τε οὐκ εἶναι παῖδας νομίζων, (οὔπω γὰρ τότε ἦσαν) καὶ ταῖς ἀδελφαῖς γενέσθαι τὴν συμφορὰν ἐκ μηνίματος τῆς Οὐρανίας. *Prope vero, fanum est Veneris Cælestis. Atheniensibus vero constituit Ægeus; cum quod liberos non haberet, quippe tunc adhuc improles, tum & quod sororum calamitatem a deæ ira evenire existimaret*. Præterea, oraculum petit, consulturus, quanam sibi ratione liberos quæreret. a quo redux, cum Trœzenem in itinere ad Pittheum deflecteret, re cum Æthra ejus filia ibi habita, atque illa ex ea consuetudine gravida, abiens relinquit monumenta quædam, sub saxo abdita: quæ adultus postea filius, si is forte nasceretur, ad se afferret, ut agnoscere eum posset. Apollodorus, *lib.* III. Γαμεῖ δὲ (ὁ Αἰγεὺς) πρῶτον μὲν τὴν Μήταν, τὴν Ὅπλητος· δευτέραν δὲ Χαλκιόπην, τὴν Ῥηξήνορος. ὡς δὲ οὐκ ἐγένετο παῖς αὐτῷ, δεδοικὼς τοὺς ἀδελφοὺς, εἰς Πυθίαν ἦλθε, καὶ περὶ παίδων γονῆς ἐμαντεύετο. ὁ δὲ θεὸς ἔχρησεν αὐτῷ·

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα ποδάονα, φέρτατε λαῶν,
Μὴ λύσῃς, πρὶν ἐς ἄκρον Ἀθηναίων ἀφίκηαι.

Ἀπορῶν δὲ τὸν χρησμὸν, ἀνῄει πάλιν εἰς Ἀθήνας, καὶ,

A Τροιζῆνα διοδεύων, ἐπιξενοῦται Πιτθεῖ τῷ Πέλοπος· ὃς τὸν χρησμὸν συνεὶς, μεθύσας αὐτὸν τῇ θυγατρὶ συγκατέκλινεν Αἴθρᾳ. Αἰγεὺς δὲ, ἐντειλάμενος Αἴθρᾳ, ἐὰν ἄῤῥενα γεννήσῃ, τρέφειν, καὶ τίνος ἐστὶ μὴ λέγειν. ἀπέλιπε δὲ ὑπό τινι πέτρᾳ μάχαιραν, καὶ πέδιλα. εἰπὼν, ὅταν ὁ παῖς δύνηται, τὴν πέτραν ἀποκυλίσας, ἀνελέσθαι ταῦτα, τότε μετ' αὐτῶν ἀποπέμπειν. αὐτὸς δὲ ἧκεν εἰς Ἀθήνας. *Ducit vero (Ægeus) primo quidem Metam, filiam Hopletis; inde Chalciopen, Rhexenoris. At ubi nulla prole se augeri videt, fratres metuens, Pythiam adit, & oraculum de gignendis liberis consulit, ac responsum a deo accipit:*

Utre exstantem pedem, præstantissime inter populos,
Ne solvas, antequam ad Athenienses veneris.

B *Ambigens vero, quid oraculum sibi vellet, regreditur Athenas: &, Trœzenem transiens, apud Pittheum divertit, Pelopis filium. qui, quoniam oraculum intellexerat, inebriato Æthram filiam in lecto collocat. atque ille, præcipit ei, ut, si filium forte pareret, educaret, neque patrem indicaret. tum relinquit abditos sub saxo calceos, item ensem; quæ, cum per ætatem posset saxo amoto, ad se afferret: atque ipse Athenas abit*. Plutarchus ait, non tam fratrum, quam Pallantis solius filiorum, qui numero quinquaginta erant, metu id ab ipso factum, in *Vita Thesei*. Ἰσχυρῶς γὰρ ἐδεδοίκει τοὺς Παλλαντίδας, ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ, καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν καταφρονοῦντας. ἦσαν δὲ πεντήκοντα παῖδες, ἐκ Πάλλαντος γεγονότες. *Etenim Pallantidas majorem in modum metue-* C *bat; qui insidiabantur ipsi, &, quod liberos non haberet, contemnebant: erant autem quinquaginta, e Pallante prognati*. Oraculi autem responsum, ita refert:

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα πόδα μέγα φέρτατε λαῶν,
Μὴ λύσῃς, πρὶν δῆμον Ἀθηνῶν εἰσαφικέσθαι.

Scholiastes vero Euripidis, in *Medeam*, hunc in modum.

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα ποδεῶνα, φίλτατε λαῶν,
Μὴ λῦσαι, πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι.

Euripides, sic in jambos redegit, ipso Ægeo referente, in *citata jam Medea*, v. 679. 680.

Ἀσκοῦ με τὸν προὔχοντα μὴ λῦσαι πόδα,
Πρὶν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑστίαν μόλω.

D Deflexisse autem ad Pittheum a Plutarcho *loc. cit.* memoratur, ut oraculi, quod non caperet, explicationem peteret. Αἰγεῖ δὲ παίδων δεομένῳ τὴν Πυθίαν ἀνελεῖν λέγουσι τὸν θρυλλούμενον χρησμὸν, διακελευομένην, μηδεμιᾷ γυναικὶ συγγενέσθαι, πρὶν ἐλθεῖν εἰς Ἀθήνας. οὐ πάνυ δὲ τοῦτο φράζειν εὐδήλως δοκοῦσαν. ὅθεν εἰς Τροιζῆνα παρελθὼν, ἀνεκοινοῦτο Πιτθεῖ τὴν τοῦ θεοῦ φωνήν. *At Ægeo, prolem desideranti, Pythiam perhibent, oraculum illud celebratum reddidisse; quo præciperet, ne mulierem ullam attingeret, priusquam Athenas appulisset. Verum, cum præscribere id non plane liquide videretur, Trœzenem profectus, dei vocem Pittheo communicabat*. Rem Medeæ universam, curiose percunctanti, singillatim exponentem ipsum Ægeum introducit Euripides, in *Tragœdia Medea*, v. 665. &c.

MH. Ω χαῖρε ϰ̀ σὺ, παῖ σοφῦ Πανδίονος,
Αἰγεῦ, πόθεν γῆς τῆς δ' ἐπιστροφᾷ πέδον.
AI. Φοίβυ παλαιὸν ἐκλιπὼν Χρηςήελον.
MH. Τί δ' ὀμφαλὸν γῆς θεσπιῳδὸν ἱκάνεις;
AI. Παίδων ἐρδυνῶν σπέρμ' ὅπως γένοιτό μοι.
MH. Πρὸς θεῶν, ἄπαις γὰρ δεῦρ' ἀεὶ τείνεις βίον;
AI. Απαιδες ἐσμὲν, δαίμονος τινὸς τύχῃ.
MH. Δάμαρτος ὄσης, ἢ λέχυς ἄπειρος ὤν;
AI. Οὐκ ἐσμὲν εὐνῆς ἄζυγες γαμηλίυ.
MH. Τί δῆτα Φοῖβος εἶπέ σοι παίδων πέρι;
AI. Σοφώτερ', ἢ κατ' ἄνδρα συμβαλεῖν, ἔπη.
MH. Θέμις δ' ἂν ἡμῖν χρησμὸν εἰδέναι θεῦ;
AI. Μάλιςτ', ἐπεί τοι ϰ̀ σοφῆς δεῖται φρενός.
MH. Τί δῆτ' ἔχρησε; λέξον, εἰ θέμις κλύειν.
AI. Ασκῦ με τὸν προὔχοντα μὴ λῦσαι πόδα.
MH. Πρὶν ἂν τι δράσῃς, ἢ τίν' ἐξίκῃ χθόνα.
AI. Πρὶν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑςίαν μόλω.
MH. Σὺ δ' ὡς τί χρῄζων τήνδε ναυςολεῖς χθόνα.
AI. Πιτθεύς τίς ἐςι, γῆς ἄναξ Τροιζηνίας.
Παῖς, ὡς λέγυσι, Πέλοπος εὐσεβέςατος.
Τύτῳ θεῦ μάντευμα κοινῶσαι θέλω.
Σοφὸς γὰρ ἀνὴρ, ϰ̀ τρίβων τὰ τοιάδε,
Κἀμοὶ δὲ πάντων φίλτατος δορυξένων.

ME. *O salve & tu, fili sapientis Pandionis,*
Ægeu, unde accedis solum hujus terræ?
ÆG. *Relicto antiquo sacello Apollinis.*
ME. *Quare vero ad umbilicum terræ, ubi oraculum est, ivisti?*
ÆG. *Quærens, quomodo mihi contingeret satio liberorum.*
ME. *Per deos! ergo sine liberis adhuc trahis vitam?*
ÆG. *Sumus sine liberis, genio quodam ordinante.*
ME. *Uxorem habens, an lecti conjugalis expers existens?*
ÆG. *Non sumus disjuncti a lecto conjugali.*
ME. *Quid igitur dixit tibi Phœbus de liberis?*
ÆG. *Obscuriora verba, quam ut homo conjiciat.*
ME. *Fasne est nos scire oraculum dei?*
ÆG. *Maxime, quandoquidem & sapientem mentem requirit,*
ME. *Quid igitur respondit? dicito, si fas est scire.*
ÆG. *Ne ego utris prominentem solverem pedem.*
ME. *Priusquam quid facias? aut ad quam terram venias?*
ÆG. *Priusquam ad patrios lares rediero.*
ME. *Tu vero qua re indigens navigas in hanc terram?*
ÆG. *Est Pittheus quidam, terræ rex Trœzeniæ,*
Filius Pelopis, ut ajunt, valde pius.
Cum hoc dei oraculum communicare volo.
Est enim vir sapiens, & in talibus versatus,
E *Et mihi charissimus amicorum, quos militia paravi.*

Ad quem locum *Scholiastes* tradit, non Trœzenem ivisse, ut Pittheum consuleret, quid obscurum valde oraculum sibi vellet; sed, quod iter latrociniis Sinidis infestum esset: tum Corinthum ad Medeam contendisse, ut ex ea mentem oraculi intelligeret. Λέγυσι τὸν Αἰγέα εἰς Τροιζῆνα ἐληλυθέναι, διὰ τὸ δεδοικέναι πεζῇ ποιεῖσθαι τὴν πορείαν, Σίνιδος κατ' ἐκείνυς τὺς χρόνους ἐπιπολάζοντος. Νεόφρων δὲ, εἰς Κόρινθον τὸν Αἰγέα φησὶ παραγενέσθαι, πρὸς Μήδειαν, ἕνεκα τῦ σαφηνισθῆναι αὐτῷ τὸν χρησμὸν ὑπ' αὐτῆς τῆς Μηδείας. F *Ferunt Ægeum abiisse Trœzenem, qui iter terra facere vereretur, ob grassantem per id tempus Sinim. Neophron vero auctor est, Corinthum esse profectum Ægeum ad Medeam, ut hæc ipsi explicaret, quid oraculum sibi vellet.* Quod concubitum Ægei cum Æthra attinet, eum in Minervæ fano accidisse, Hyginus tradit, *Fab.* XXXVII. *Neptunus, & Ægeus, Pandionis filius, in fano Minervæ cum Æthra, Pitthei filia, una nocte concubuerunt.* De relictis apud Æthram monumentis, nempe gladio, calceisque, & præcepto item ejus, quæ Apol- A lodorus refert, in *citatis ante verbis*, ita etiam Plutarchus, in *Vita Thesei*. Συνελθὼν δὲ (τῇ Αἴθρᾳ,) ϰ̀ γνὺς ἐκεῖνος, ὅτι τῇ Πιτθέως θυγατρὶ συγγέγονε, καὶ κύειν αὐτὴν ὑπονοήσας, ἀπέλιπε ξίφος, ϰ̀ πέδιλα, κρύψας ὑπὸ πέτραν μεγάλην, ἐντὸς ἔχυσαν κοιλότητα, συμμέτρως ἐμπεριλαμβάνυσαν τὰ κείμενα. φράσας δὲ πρὸς μόνην ἐκείνην, ϰ̀ διακελευσάμενος, ἂν υἱὸς ἐξ αὐτῦ γένηται, ϰ̀, λαβὼν ἀνδρὸς ἡλικίαν, δυνατὸς ᾖ τὴν πέτραν ἀναςῆσαι, ϰ̀ ὑφελεῖν τὰ καταλειφθέντα, πέμπειν πρὸς αὐτὸν ἔχοντα ταῦτα, μηδενὸς εἰδότος, ἀλλ' ὡς ἔνεςι μάλιςα, λανθάνοντα πάντας, ἀπῄει. *Ille vero congressus (cum Æthra,) post quam se cum Pitthei filia habuisse rem cognosceret, ac prægnan-* B *tem existimaret, reliquit ei ensem, & calceos, sub ingenti abditos saxo, quod idoneam cavitatem ad recipiendum haberet. Idque huic postquam soli indicasset, jussissetque, quod si filium forte pareret, isque adultus saxum tollere, & relicta auferre posset, eum ad se, nullo conscio, & ignaris, quantum fieri posset, omnibus, cum depositis amandaret, discessit.* De calceis, sub saxo abditis, gladioque, item cingulo, sunt Lycophronis isti versus, in *Tragœdia Cassandra*, v. 1322. &c.

Πάλιν δ' ὁ πέτρας ἀσκέρας ἀνειρύσας,
C Καὶ φασγάνυ ζωςῆρα, κὼ ξίφος πατρὸς,
Ὁ Φημίυ παῖς· Σκύρος ᾧ λυγρὺς τάφυς
Κρημνῶν ἔνερθεν αἰγίλιψ ῥοιζυμένων
Πάλαι δοκεύει, τὰς ἀπαρχύτυς ῥιφάς.
Rursum qui e saxo calceos extraxerat,
Ensisque cingulum, & gladium patris,
Phemii nepos; cui Scyrus sepulcrum triste
Ardua sub præcipitiis deturbato
Jampridem servat, insepultos jactus.

Gladii Hyginus meminit: & Ellopium appellatum fuisse tradit, in *Poetico Astronomico*. *Hegesianax autem, Thesea dixit esse, qui Trœzene saxum ex-* D *tollere videtur; quod existimatur Ægeus sub eo saxo Ellopium ensem posuisse, & Æthræ, Thesei matri, prædixisse, ne ante eum Athenas mitteret, quam, sua virtute lapide sublato, potuisset gladium patri referre.* Habebat autem capulum eburnum: & in eo insculptum quoque genus Ægei. Observo apud Ovidium, in hac historia, *Met.* lib. VII. *vers.* 321. &c.

Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra:
Cum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis. ——

E Hunc ipsum postea donasse filio Hippolyto videtur Theseus. Indicant id verba Thesei, apud Senecam, in *Hippolyto Tragœdia*, *vers.* 898. &c.

Quod facinus, heu me, cerno! quod monstrum intueor!
Regale patriis asperum signis ebur
Capulo refulget gentis Actææ decus.

Diodorus Siculus, fabulosam totam hanc historiam censet, *lib.* IV. Θησεὺς τοίνυν, γεγονὼς Αἴθρας τῆς Πιτθέως, καὶ Ποσειδῶνος, τραφεὶς ἐν Τροιζῆνι, F παρὰ Πιτθεῖ τῷ μητροπάτορι, ϰ̀ τὰ μυθολογύμενα σύμβολα ἀνῃρημένος, τὰ ὑπὸ Αἰγέως ὑπό τινι πέτρᾳ τεθειμένα, κατήντησεν εἰς τὰς Ἀθήνας. *Theseus igitur, natus ex Æthra, Pitthei filia, & Neptuno, ac Trœzene apud Pittheum avum maternum educatus, postquam signa sustulisset, quæ ab Ægeo sub saxo quodam condita fabulantur, Athenas concessit.*

CAP. II.

Trœzene a Pittheo reversus, Panathenæa celebrat; quibus cum Androgeus, Minois filius, superasset, ac Pallantis filiis familiaris factus esset, metuens, ne regno forte pelleretur, Thebas postea abeuntem in itinere ex insidiis interficiendum curat. Apollodorus ea de re emendatus. Inde Minos, cædem filii ulturus, bellum infert diuturnum; vix, bis septem puerorum tributo indicto, compositum: eaque in re, varie dissentire Auctores, indicatum.

TROEZENE redux, cum Athenas advenisset, Panathenæa celebravit, in quibus cum vicisset omnes Androgeus, Minois filius, Jupiter, missum adversus taurum Marathonium, occidit. Apollodorus, *lib.* III. Αὐτὸς δὲ (ὁ Αἰγεὺς Τροιζῆνόθεν) ἧκεν εἰς Ἀθήνας, καὶ τῶν Παναθηναίων ἀγῶνα ἐπετέλει· ἐν ᾧ ὁ Μίνωος παῖς Ἀνδρόγεως ἐνίκησε πάντας. τοῦτον ὁ Ζεὺς ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ἔπεμψε ταῦρον, ὑφ' οὗ διεφθάρη. *Ipse vero (Ægeus Trœzene) Athenas contendit, & Panathenæorum certamen celebravit: in quo Androgeus, Minois filius, omnes superavit. Eum Jupiter adversus taurum Marathonium misit, a quo est sublatus.* Pausanias, in *Atticis*, ubi de hoc tauro agit. Ὡς δὲ εἰς τὸ πεδίον ἀφείθη τὸ Ἀργείων, φεύγει διὰ τοῦ Κορινθίου Ἰσθμοῦ· φεύγει δὲ ἐς γῆν τὴν Ἀττικὴν, καὶ τῆς Ἀττικῆς ἐς δῆμον τῶν Μαραθωνίων. καὶ ἄλλους τε ὁπόσους ἐπέτυχε, καὶ Μίνω παῖδα Ἀνδρόγεων, ἀπέκτεινε. *Ut vero in Argivorum agrum actus fuit, per Isthmum Corinthiacum fugit in Atticam, & in Atticæ populum Marathonium: ubi & alios, in quoscunque inciderat, & Minois filium Androgeum, interfecit.* Alii tradunt, Panathenæorum certamine victorem, postquam cum Pallantis filiis amicitiam contraxisset, metuentem sibi Ægeum, ne auxilio ejus regnum eripere conarentur, Thebas ad certamen quoddam abeuntem, ad Oenoen, Atticæ populum, occidisse. Diodorus Siculus, *lib.* IV. Τῶν δὲ Μίνωος υἱῶν Ἀνδρόγεως μὲν, εἰς τὰς Ἀθήνας κατήντησε, Παναθηναίων συντελουμένων, Αἰγέως βασιλεύοντος. ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι νικήσας τοὺς ἀθλητὰς ἅπαντας, συνήθης ἐγένετο τοῖς Πάλλαντος παισίν. ἐνταῦθα ὁ μὲν Αἰγεὺς, ὑποπτεύσας τὴν Ἀνδρόγεω φιλίαν. μήπως ὁ Μίνως, βοηθήσας τοῖς υἱοῖς τοῦ Πάλλαντος, ἀφέληται τὴν ἀρχὴν, ἐπεβούλευσε τῷ Ἀνδρόγεῳ. βαδίζοντος οὖν αὐτοῦ εἰς τὰς Θήβας ἐπί τινα θεωρίαν, ἐδολοφόνησεν αὐτὸν διὰ τῶν ἐγχωρίων, περὶ Οἰνόην τῆς Ἀττικῆς. *Ex Minois filiis Androgeus quidem, regnante Ægeo, ad solenne festum Panathenæorum profectus, concertantes omnes vicit: unde familiaritatem Pallantis filiorum conciliavit. Quam cum suspectam haberet Ægeus, ne forte Minos, opem ferens Pallantis filiis, regnum eriperet, insidias Androgeo struxit. Dumque Thebas ad spectaculum quoddam sacrum proficiscitur, dolo eum interfecit, opera popularium, ad Oenoen Atticæ.* Ibat autem ad certamen, a Laio, rege Thebarum, institutum. Docet id *Apollodorus*, sed a mendo vindicandus. Ἔνιοι δὲ, αὐτὸν λέγουσι, πορευόμενον εἰς Θήβας, ἐπὶ τὸν Λαΐου ἀγῶνα, πρὸς τῶν ἀγωνιστῶν ἐνεδρευθέντα διὰ φθόνον, ἀπολέσθαι. *Quidam vero, dicunt illum, Thebas contendentem, ad Laii certamen, a concertatoribus per invidiam dolo interemptum esse.* Non recte editur: πορευόμενον εἰς Ἀθήνας, *contendentem Athenas*. Meminere hujus cædis, Virgilius, *Æneid.* VI. Serviusque, in *Commentario*, Lutatius, ad *Statii Achill.* lib. II. Hyginus, *Fab.* XLI. Ovidius, *Metamorph.* lib. VII. & in *Epistola* Ariadnæ *ad* Theseum, Plutarchus, in *Theseo*, aliique Auctores plures. Minos vero, cæde filii asperatus, bellum Atheniensibus intulit. *Apollodorus*. Μίνως δὲ μετ' οὐ πολὺ, θαλασσοκρατῶν, ἐπολέμησε στόλῳ τὰς Ἀθήνας. *Nec multo post Minos, qui imperium maris teneret, classe Athenis bellum intulit.* Ovidius, *Met.* VII. *v.* 453. &c.

Nec tamen, usque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit, Ægeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos; qui quanquam milite, quanquam
Classe valet, patria tamen est firmissimus ira:
Androgeique necem justis ulciscitur armis.

Item Auctores testantur, quos citavi. Ac, cum traheretur bellum, nec proficeret quicquam Minos, Jovis patris opem implorat, obsecratque, ut is pœnam exigere velit. qui cum famem pariter pestemque illis immisisset, ipsi ex antiquo oraculo, ad averruncanda mala, filias Hyacinthi immolant. *Apollodorus*. Χρονιζομένου δὲ τοῦ πολέμου, μὴ δυνάμενος (ὁ Μίνως) ἑλεῖν τὰς Ἀθήνας, εὔχεται Διὶ παρ' Ἀθηναίων λαβεῖν δίκας. γενομένου δὲ τῇ πόλει λοιμοῦ τε καὶ λιμοῦ, τὸ μὲν πρῶτον κατὰ λόγιον Ἀθηναῖοι παλαιὸν τὰς Ὑακίνθου κόρας κατέσφαξαν. *Cum vero bellum id diutius duraret, neque Athenas expugnare (Minos) posset, Jovem orat, ut is pœnas ab Atheniensibus poscat, hinc cum pestis atque fames simul Urbem invasissent, primum quidem Athenienses, ex antiquo quodam oraculo, filias Hyacinthi immolant.* Sed cum nihil hoc juvaret, mittunt sciscitatum oraculum de istius belli fine: ac responsum inde accipiunt, ut Minoi satisfacerent. isque, per legatos jussus postulare, si quid vellet, septem puerorum corpora, totidemque puellarum, Minotauro in cibum danda, exhiberi sibi petiit. *Apollodorus*. Ὡς δὲ οὐδὲν ὄφελος ἦν τούτο ἐχρῶντο περὶ ἀπαλλαγῆς. ὁ δὲ θεὸς ἀνεῖπεν αὐτοῖς, Μίνωι διδόναι δίκας, ἃς ἂν αὐτὸς αἱρεῖται. πέμψαντες οὖν πρὸς Μίνωα, ἐπέτρεπον αἰτεῖν δίκας. Μίνως δὲ, ἐκέλευσεν αὐτοῖς τεσσαρεσκαίδεκα, κούρους ἑπτὰ, καὶ κόρας τὰς ἴσας, χωρὶς ὅπλων πέμπειν τῷ Μινωταύρῳ βοράν. *Cum autem neque hoc prodesset quicquam, oraculum consulunt, quomodo liberari possent. ac respondet ipsis deus, ut Minoi pœnas darent, quas is exacturus esset. Mittunt itaque ad Minoem, & exigere pœnas jubent. atque ille quatuordecim sibi pueros, septem mares, fœminas totidem, dari petit: & sine armis escam Minotauro mitti.* Pausanias, in *Atticis*. Μίνως δὲ, ναυσὶν ἐς Ἀθήνας πλεύσας, οὐ γὰρ ἐπείθετο, ἀναιτίους εἶναι σφᾶς τῆς Ἀνδρόγεω τελευτῆς, ἐς τοσοῦτον ἐκάκωσεν, ἐς ὃ συνεχωρήθη οἱ παρθένους ἐς Κρήτην ἑπτὰ, καὶ παῖδας ἴσους, ἄγειν τῷ λεγομένῳ Μινωταύρῳ. *Minos autem, cum haud persuaderi posset, culpa interfecti Androgei vacare Athenienses, infestam in eos classem ducit, ac divexat, quoad ipsi promisissent puellas septem, totidemque item pueros, Minotauro in Cretam abducere.* Catullus, de *Nuptiis Pelei*, v. 77. &c.

Nam perhibent, olim, crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes, simul & decus innuptarum,
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

Videndus quoque Theodoretus, *Therapeut.* lib. X. & Chrysostomus, in *Epist. Pauli ad Titum*, cap. II. Hom. V. Fusius a Diodoro Siculo hæc memorantur, in hunc modum, *libro citato*. Μίνως δὲ, πυθόμενος τὴν κατὰ τὸν υἱὸν συμφορὰν, ἧκεν εἰς τὰς Ἀθήνας, δίκας αἰτῶν τοῦ Ἀνδρόγεω φόνου. οὐδενὸς δὲ αὐτῷ προσέχοντος, πρὸς μὲν Ἀθηναίους συνεστήσατο πόλεμον, ἀρὰς δὲ ἐποιήσατο τῷ Διὶ, γενέσθαι κατὰ τὴν πόλιν τῶν Ἀθηναίων αὐχμὸν, καὶ λιμόν. ταχὺ δὲ περὶ τὴν Ἀττικὴν, καὶ τὴν Ἑλλάδα, γενομένων αὐχμῶν, καὶ φθαρέντων τῶν καρπῶν, συνελθόντες οἱ τῶν πόλεων ἡγεμόνες, ἐπηρώτησαν τὸν θεὸν, πῶς ἂν δύνωνται τῶν κα-

κῶν ἀπαλλαγῆναι. ὁ δ' ἔχρησεν, ἐλθεῖν αὐτοὺς πρὸς Αἰακὸν, τὸν Διὸς καὶ Αἰγίνης, τῆς Ἀσώπου θυγατρός. καὶ κελεύειν, ὑπὲρ αὐτῶν εὐχὰς ποιήσασθαι. ὧν πραξάντων τὸ προσαχθὲν, ὁ μὲν Αἰακὸς ἐπετέλεσε τὰς εὐχὰς, καὶ ὁ μὲν αὐχμὸς παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐπαύσατο, παρὰ δὲ τοῖς Ἀθηναίοις μόνοις διέμεινεν. οὗ δὴ χάριν ἠναγκάσθησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὸν θεὸν ἐπερωτῆσαι περὶ τῆς τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆς. εἶθ' ὁ μὲν θεὸς ἔχρησεν, ἐὰν τοῦ Ἀνδρόγεω φόνου τῷ Μίνωϊ δίκας δῶσιν, ἃς ἂν ἐκεῖνος δικάσῃ. ὑπακουσάντων δὲ τῷ θεῷ τῶν Ἀθηναίων, προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Μίνως, διδόναι κούρους ἑπτὰ, καὶ τὰς ἴσας κόρας, δι' ἐτῶν ἑπτὰ, βορὰν τῷ Μινωταύρῳ, εἰς ὅσον ἂν χρόνον ζῇ τὸ τέρας. δόντων δ' αὐτῶν, ἀπηλλάγησαν τῶν κακῶν οἱ κατὰ τὴν Ἀττικὴν, καὶ ὁ Μίνως πολεμῶν ἐπαύσατο τὰς Ἀθήνας. *Minos vero, cognito filii casu, Athenas venit, ad exigendam de Androgei cæde pœnam. sed, cum nihil impetraret, bello Atheniensibus indicto, Jovem precatur, ut immittat siccitatem, atque famem, civitati Atheniensium. Neque moram, statim Atticam, Græciamque universam, siccitas, corruptis frugibus, infestabat. qua de causa postquam principes civitatum convenissent, deum rogant, quonam pacto liberari malis possent. ille vero, Æacum adire jubet, Jovis & Æginæ filium, Asopi nepotem; atque eum convenire, uti pro salute omnium vota faceret. qui mandata cum fecissent, perfecit quidem vota Æacus, siccitasque apud cæteros Græcos desiit, sed Athenienses tamen porro etiam premebantur. itaque, cum deum ipsi sciscitari cogerentur, quanam possent ratione malis istis liberari, responsum accipiunt, dandas esse, pro Androgeo interfecto, Minoi pœnas, quas is exacturus foret. cumque deo morem Athenienses gererent, jussit ipsos Minos dare pueros septem, ac puellas item totidem, idque septimo quoque anno, escam Minotauro, quam diu victurum id monstrum esset. quibus datis, liberata malis Attica universa, & a bello Minos destitit.* Ubi observa; id tributum Atheniensibus a Minoe in septimum quemque annum impositum: ac, quam diu Minotaurus superesset. Et de septimo quidem anno, clare indicat idem iterum, in *sequentibus statim verbis*. Διελθόντων δὲ τῶν ἐτῶν ἑπτὰ πάλιν ὁ Μίνως ἦλθεν εἰς τὴν Ἀττικὴν μετὰ μεγάλου στόλου, καὶ τοὺς δὶς ἑπτὰ κούρους ἀπαιτήσας, ἔλαβε. *Elapsis vero septem annis, rediit in Atticam Minos cum magna classe, & petitos pueros bis septem accepit. Apollodorus*, singulis annis dari debuisse tradit. Καὶ τὸν Λαβύρινθον κατεσκεύασεν, εἰς ὃν κατ' ἔτος Ἀθηναῖοι κούρους ἑπτὰ, καὶ κόρας τὰς ἴσας, τῷ Μινωταύρῳ βορὰν ἔπεμπον. *Ac Labyrinthum construxit, ad quem quotannis Athenienses pueros septem, ac totidem puellas, escam Minotauro mittebant*. Virgilius, *Æneid.* VI. *v.* 20 &c.

In foribus lethum Androgeo; tum pendere pœnas
Ceropidæ jussi, miserum, septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.

Ubi *Servius*. *Androgeus, cum esset athleta fortissimus, & superaret in agonibus cunctos, apud Athenas ab Atheniensibus, & vicinis Megarensibus conjuratis, occisus est. Quod Minos dolens, collectis manibus bella commovit: &, victis Atheniensibus, hanc pœnam imposuit, ut singulis quibusque annis septem de filiis suis edendos Minotauro mitterent.* Quæ transscripsit totidem verbis Lutatius, ad *Achil.* lib. I. Plutarchus vero, nono quoque anno factum esse refert, in *Vita Thesei*, ubi de hoc bello agit. Ἐποιήσαντο συνθήκας, ὥστε πέμπειν δι' ἐννέα ἐτῶν δασμὸν, ἠϊθέους ἑπτὰ, καὶ παρθένους τοσαύτας. *Fœdus fecerunt, ut mitterent tributum nono quoque anno septem pueros, totidemque item virgines*. Et confirmat idem Ovidius, *Metamorp.* lib. VIII. v. 169. &c.

Quo postquam geminam tauri juvenisque figuram
Clausit, & Actæo bis pastum sanguine monstrum,
Tertia sors annis domuit repetita novenis.

En Auctorum hic dissidium, quod obscuram nobis veritatem facit: in quo id consensu tamen plurimorum affirmatur, cum pendendum tertium tributum foret, liberatam eo malo Urbem esse, insigni Thesei beneficio. Ovidius, in *citatis verbis*:

Tertia sors annis domuit repetita novenis.

Ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ἧκον ἐκ Κρήτης, τὸ τρίτον οἱ τὸν δασμὸν ἀπάξοντες. *Paullo post venere ex Creta, qui tertium tributum accepturi erant*. Et *postea*. Ἐπεὶ δ' οὖν καθῆκεν ὁ χρόνος τοῦ τρίτου δασμοῦ, καὶ παρέχειν ἔδει τοὺς πατέρας ἐπὶ τὸν κλῆρον, οἷς ἦσαν ἠΐθεοι παῖδες, αὖθις ἀνεφύοντο τῷ Αἰγεῖ διαβολαί. *Ut ergo tempus tertii tributi adfuit, & exbibere in sortem oportuit patres, quibus liberi impuberes essent, exortæ rursum calumniæ in Ægeum*. Servius, loco citato. *Sed tertio anno Ægei filius Theseus missus est, potens tam virtute, quam forma*. Iisdem verbis & *Lutatius*. Sed dissentit etiam hic *Diodorus*: ac, tributo semel tantum persoluto, cum pendendum iterum foret, tum a Theseo liberatam Urbem esse. Διελθόντων δὲ ἐτῶν ἑπτὰ, (nam septimo quoque anno id pendendum dixerat) πάλιν ὁ Μίνως ἦλθεν εἰς τὴν Ἀττικὴν μετὰ μεγάλου στόλου, καὶ τοὺς δὶς ἑπτὰ κούρους ἀπαιτήσας, ἔλαβε. μελλόντων δὲ ἐκπλεῖν τῶν περὶ Θησέα, &c. *Elapsis jam annis septem, iterum Minos magnam classem adducit, & petitos pueros bis septem accepit. Theseo vero una cum suis abituro*, &c. Denique, in ea quoque Historiæ hujus parte Auctores inter sese non conveniunt; quod nonnulli, sorte lectos, & Minoi missos dicant: alii rursum, ipsum hos Minoem Athenas postulatum accessisse. Plutarch. in *Theseo*. Ἑλλάνικος δέ φησιν, οὐ τοὺς λαχόντας ἀπὸ κλήρου, καὶ τὰς λαχούσας, ἐκπέμπειν τὴν πόλιν, αὐτὸν δὲ τὸν Μίνω παραγινόμενον ἐκλέγεσθαι. *Hellanicus refert, non sorte ductos pueros, puellasve, misisse civitatem, sed Minoem, illuc profectum, elegisse*. Ac Minoem quidem Athenas venisse, atque ipsum petiisse, tradit item Diodorus, in *citatis statim verbis*. Contra, qui sorte missos dicerent, hos secutus est Virgilius, *istis verbis, jam citatis*.

—— stat ductis sortibus urna.

Et Ovidius. l. VII. *Metam*. v. 171.

Tertia sors annis domuit repetita novenis.

Quomodo autem id tributum mox a Theseo sublatum, per quod bellum hoc compositum, explico in *Vita Thesei*, quam seorsim elucubravi.

CAP. III.

Lycum fratrem Urbe ejicit: & a Pallantis fratris filiis bello petitur. Tum & Peteum expellit: & tribunal item statuit, ἐπὶ Δελφινίῳ *dictum: ubi etiam habitavit. Mercurius*, ad Ægei portam *appellatus. Taurum Marathonium, a Theseo superatum, & in Urbem adductum, Apollini mactat: quanquam alii sint auctores, id a Theseo factum esse.*

DURANTE autem eo bello, ut videtur, Lycum fratrem urbe ejecit, ne cum hoste clam consilia agitaret. Pausanias in *Messeniacis*. Ἀφίκετο δὲ ἐς τὴν Ἀρήνην καὶ Λύκος ὁ Πανδίονος, ὅτε καὶ αὐτὸς τὸν ἀδελφὸν Αἰγέα ἐξ Ἀθηνῶν ἔφυγε. *Venit autem Arenen etiam Lycus, Pandionis filius, quo tempore & ipse Ægei fratris sui metu, Athenis profugit*. Herodotus, *lib.* I. *cap.* CLXXIII. Ἐξ Ἀθηναίων Λύκος ὁ Πανδίονος, ἐξελαθεὶς καὶ οὗτος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Αἰγέως, ἀπίκετο εἰς τοὺς Τερμίλας παρὰ Σαρπηδόνα. *Lycus, Pandionis filius, Athenis & ipse a fratre Ægeo ejectus, Termilas venit, ad Sarpedonem*. Meminit-

que ejecti Lyci, etsi non ab Ægeo id factum dicat, etiam Eustathius, ad *Iliad.* lib. II. Nisi quispiam, quod est magis vero simile, factum putet, cum Pallantidæ, post adventum Thesei in Urbem, indignati, eo regni successore declarato, se spe tanta decidisse, bellum ei intulerunt. Hic Pallantidarum motus memoratur a Plutarcho, in *Vita Thesei*. Οἱ δὲ Παλλαντίδαι, πρότερον μὲν ἤλπιζον αὐτοὶ τὴν βασιλείαν καθέξειν, Αἰγέως ἀτέκνου τελευτήσαντος. ἐπεὶ δὲ Θησεὺς ἀπεδείχθη διάδοχος, χαλεπῶς φέροντες, εἰ βασιλεύει μὲν Αἰγεὺς, θετὸς γενόμενος Πανδίονι, καὶ μηδὲν Ερεχθείδαις προσήκων, βασιλεύει δ᾽ ὁ Θησεὺς πάλιν, ἔπηλυς ὢν, καὶ ξένος, εἰς πόλεμον καθίσαντο. *Pallantidæ vero, antea quidem sperabant, quando Ægeus sine liberis discessit, regnum sibi obventurum; verum, Theseo successore declarato, ægre admodum ferentes, Ægeum tenere regnum, a Pandione adoptatum, neque quicquam Erechtheidas contingentem; ac deinceps regnaturum quoque Theseum, advenam, & peregrinum, bellum moverunt.* Meminitque hujus belli & Euripidis Scholiastes, ad *Hippolytum:* ac nos pluribus seorsim, in *Vita Thesei*, explicamus. Ejecit vero item Peteum, Ornei filium. Pausanias, in *Phocicis*. Οἱ δὲ ἐνταῦθα φασὶν οὐ Φωκεῖς, Ἀθηναῖοι δὲ εἶναι τὰ ἄνωθεν, καὶ ἐκ τῆς Ἀττικῆς ὁμοῦ Πετεῷ τῷ Ὀρνέως ἀφικέσθαι, διωχθέντι ὑπὸ Αἰγέως ἐξ Ἀθηνῶν. *Qui eos incolunt fines, non Phocenses sese esse, sed Athenienses, dicunt: & cum Petei, Ornei filio, ab Ægeo Athenis ejecto, huc venisse.* Etiam tribunal statuit, ἐπὶ Δελφινίῳ dictum. Pollux, *lib.* VIII. *cap.* X. Τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ (δικαστήριον) ἱδρύθη ὑπὸ τοῦ Αἰγέως. *Quod in Delphinio (tribunal) constitutum est ab Ægeo.* Nempe illic habitabat; unde & Mercurii signum, ante templi, quod hic erat, partem orientalem positum, Ἑρμῆς ἐπ᾽ Αἰγέως πύλαις, *Mercurius ad Ægei portam*, dicebatur; effusum illic poculum cum veneno, quod Medeæ suasu Ægeus Theseo advenæ propinaverat. Plutarchus, in *Vita Thesei*. Λέγεται δὲ, τῆς κύλικος πεσούσης, ἐκχυθῆναι τὸ φάρμακον, ὅπου νῦν ἐν Δελφινίῳ τὸ περίφρακτόν ἐστιν. ἐνταῦθα γὰρ ὁ Αἰγεὺς ᾤκει. καὶ τὸν Ἑρμῆν, τὸν πρὸς ἕω τοῦ ἱεροῦ, καλοῦσιν ἐπ᾽ Αἰγέως πύλαις. *Fertur vero, lapso calice, effusum fuisse venenum, ubi nunc in Delphinio septum exstat. ibi enim Ægeus habitabat: & Mercurium, qui ad fani orientem est, nuncupant,* AD ÆGEI PORTAM. Taurum quoque Marathonium, cum in potestatem Theseus redegisset, Apollini immolavit. Diodorus Siculus, *l.* IV. Μετὰ δὲ ταῦτα (ὁ Θησεὺς) τὸν ἐν Μαραθῶνι ταῦρον, ὃν Ἡρακλῆς τελῶν ἆθλον, ἐκ Κρήτης ἀπήγαγεν εἰς Πελοπόννησον, συμπλακεὶς, καὶ κρατήσας τοῦ ζώου, κατήγαγεν εἰς τὰς Ἀθήνας. τοῦτον δ᾽ Αἰγεὺς παραλαβὼν, ἔθυσεν Ἀπόλλωνι. *Post hæc (Theseus) taurum Marathonium, quem Hercules peculiari quondam certamine e Creta in Peloponnesum transtulerat, congressus superavit: ac reductam in potestatem feram Athenas perduxit. Ægeus vero eam acceptam Apollini immolavit.* Quanquam id a Theseo victore factum Plutarchus dicat, in *ejus Vita*. Ὁ δὲ Θησεὺς, ἐνεργὸς εἶναι βουλόμενος, ἅμα δὲ καὶ δημαγωγῶν, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν τετράπολιν παρέχοντα, καὶ χειρωσάμενος, ἐπεδείξατο ζῶντα, διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας. εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν. *Theseus autem, in opere aliquo esse cupiens, gratiamque populi captans, egressus est contra Marathonium taurum, non parum negotii facessentem iis omnibus, qui Tetrapolin habitabant; eumque superatum, vivum exhibuit, per Urbem agitans: inde etiam Delphinio Apollini immolavit.*

CAP. IV.

Quam diu regnaverit. Quo modo, & qua de causa, interierit. Ægæo mari nomen dedit. Monumentum ejus heroicum, & oraculum; tum delubrum, atque sacra, a filio Theseo instituta: & sacerdotes, e Phytalidis. Tribus ab eo Ægei dicta: & qui populi sub ista. Uxores, variæ; Melita sive Meta, Hopletis, Chalciope, Rhexenoris filia. Æthra item, & Medea. Quibus additur a nonnullis Autochtha, Persei filia. Filii, ex Æthra, Theseus; ex Medea autem, Medus: a quo Mediam appellatam, qui blandiri Atheniensibus cupiebant, confinxere. Alius etiam, Achæmenes, sed matre incerta. Filia etiam, Ambracia: itidem incerta matre.

VITA excessit anno regni XLVIII. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἔννατος Αἰγεὺς ἔτη τεσσαράκοντα ὀκτώ. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit nonus Ægeus, Pandionis filius, annos* XLVIII. Ac consentiunt *Marianus*, & *Vincentius Bellovacensis*. Mortis autem modum, atque causam, ita tradunt. Cum in Cretam, ad occidendum Minotaurum, & Athenas a tributo adeo tristi liberandas, Theseus iret, nigro velo uti solitis, in lugubris ejus rei testimonium, album Ægeus tunc addebat; cum mandato, uti Theseus, si victoriam, cujus spem certissimam fecerat, reportaret, id in reditu expanderet: quo indicio rem feliciter gestam sciret. id quandoquidem neglectum, ob mœrorem raptæ a Baccho Ariadnæ, Ægeus, velum nigrum videns, cum devictum Theseum a Minotauro, & occisum, existimaret, nimio dolore animi, se præcipitem ex arce, in quam speculatum adscenderat, in subjectum mare dejicit. Diodorus Siculus, *lib.* IV. Μελλόντων δὲ ἐκπλεῖν τῶν περὶ τὸν Θησέα, ὁ Αἰγεὺς συνέθετο πρὸς τὸν κυβερνήτην, καὶ προσέταξεν αὐτῷ, ἐὰν μὲν ὁ Θησεὺς νικήσῃ τὸν Μινώταυρον, καταπλεῖν αὐτοὺς λευκοῖς ἱστίοις· ἐὰν δὲ ἀπόληται, μέλασι, καθάπερ καὶ πρότερον ποιεῖν εἰώθεισαν. Et *paullo post:* Τοὺς δὲ περὶ τὸν Θησέα φασὶ, διὰ τὴν ἁρπαγὴν τῆς κόρης, (τῆς Ἀριάδνης,) δυσφοροῦντας ἰσχυρῶς, καὶ διὰ τὴν λύπην ἐπιλαθομένους τῆς Αἰγέως παραγγελίας, τοῖς μέλασιν ἱστίοις καταπλεῖν εἰς τὴν Ἀττικήν. Αἰγέα δὲ, θεασάμενον τὸν κατάπλουν, καὶ δόξαντα τεθνηκέναι τὸν υἱὸν, ἡρωϊκὴν ἅμα πρᾶξιν, καὶ συμφορὰν, ἐπιτελέσασθαι. ἀναβάντα γὰρ εἰς τὴν ἀκρόπολιν, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς λύπης, προσκόψαντα τῷ ζῆν, ἑαυτὸν κατακρημνίσαι. *Theseo vero tum una cum suis abituro, Ægeus cum his mandatis gubernatorem dimisit, ut, si Theseus Minotaurum vicisset, velis albis; si vero succubuisset, nigris, sicut antea factum, uteretur.* Et mox: *Theseum vero, quique cum illo erant, ajunt, ægre admodum ferentes puellæ (Ariadnæ) raptum, Ægei mandatorum oblitos, velis nigris in Atticam reversos esse. Ægeum vero, id videntem, atque filium periisse existimantem, heroicum simul & calamitosum facinus edidisse. etenim, conscensa arce, cum, mæroris impotentia, vitam sibi acerbam duceret, se præcipitem dejecisse.* Pausanias in *Atticis*. Ἀνήγετο μὲν γὰρ ἡ ναῦς μέλασιν ἱστίοις, ἡ τοὺς παῖδας φέρουσα ἐς Κρήτην. Θησεὺς δ᾽, ἔπλει γὰρ τόλμης τι ἔχων, ἐς τὸν Μίνω καλούμενον ταῦρον, πρὸς τὸν πατέρα εἶπε, χρήσεσθαι τοῖς ἱστίοις λευκοῖς, ἢν ὀπίσω πλέῃ τοῦ ταύρου κρατήσας. Τούτων λήθην ἔσχεν, Ἀριάδνην ἀφῃρημένος. ἐνταῦθα Αἰγεὺς, ὡς εἶδεν, ἱστίοις μέλασι τὴν ναῦν κομιζομένην, οἷα τὸν παῖδα τεθνάναι δοκῶν, ἀφεὶς αὐτὸν, διαφθείρεται. *Navis quidem, qua in Cretam pueri deportabantur, nigris velis ferebatur. Theseus vero, cum fiducia nonnulla ad Minotaurum, quem vocabant, proficiscens, Patri dixit, albis se usurum velis, postquam taurum superasset. quod cum ipse obli-*

tus esset, ob ereptam Ariadnen, Ægeus, nigra vela videns, & occisum filium putans, se præcipitem dejiciens, vitam finit. Plutarchus in *Theseo* ait; non mœrore, propter raptam Ariadnen, sed lætitia, ob victoriam, Ægei mandatorum oblitos. Πρότερον μὲν οὖν, οὐδεμία σωτηρίας ἐλπὶς ὑπέκειτο. διὸ καὶ μέλαν ἱστίον ἔχουσαν, ὡς ἐπὶ συμφορᾷ προδήλῳ, τὴν ναῦν ἔπεμπον. τότε δὲ τὸν Θησέως τὸν πατέρα θαῤῥύνοντος, καὶ μεγαληγοροῦντος, ὡς χειρώσεται τὸν Μινώταυρον, ἔδωκεν ἕτερον ἱστίον λευκὸν τῷ κυβερνήτῃ. κελεύσας, ὑποστρέφοντα σωζομένου τοῦ Θησέως, ἐπάρασθαι τὸ λευκόν. εἰ δὲ μὴ, τῷ μέλανι πλεῖν, καὶ ἀποσημαίνειν τὸ πάθος. Et *postea*. Τῇ δὲ Ἀττικῇ προσφερομένων, ἐκλαθέσθαι μὲν αὐτὸν, ἐκλαθέσθαι δὲ τὸν κυβερνήτην, ὑπὸ χαρᾶς, ἐπάρασθαι τὸ λευκὸν ἱστίον, ᾧ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ἔδει γνώριμον τῷ Αἰγεῖ γενέσθαι. τὸν δὲ, ἀπογνόντα, ῥίψαι κατὰ τῆς πέτρας ἑαυτὸν, καὶ διαφθαρῆναι. *Antea quidem, nulla spes salutis erat: itaque mittebant navem, velum nigrum habentem, ceu pernicies certa foret. at tunc, cum parentem Theseus confirmaret, & expugnaturum sese Minotaurum jactitaret, alterum gubernatori velum album Ægeus addit; præcipitque, si rediret, salvo Theseo, uti eo uteretur: quod si contra eveniret, nigrum expandens, cladis signum exhiberet:* Ac *deinde*. *At, jam Atticæ propinqui, cum oblitus esset Theseus, esset etiam gubernator, præ lætitia, velum expandere, quod salutis suæ signum Ægeo esse debuisset, animum despondens Ægeus, se de rupe dat præcipitem, interitque.* Aliter rursum narrat *Suidas*. Θησεὺς, ὁ Αἰγέως υἱὸς, βασιλεύει Κρητῶν, καὶ διώκει τὸν Μινώταυρον ἐκ τῆς Λαβυρίνθου χώρας, καὶ κρυπτόμενον αὐτὸν ἐν σπηλαίῳ ἀνεῖλε, καὶ λαμβάνει τὴν Ἀριάδνην γυναῖκα, τὴν ἀπὸ τοῦ Μίνωος τεχθεῖσαν Πασιφάῃ. καὶ οὕτω κρατεῖ τῆς Κρήτης. εἶτα ἠτήσεν ἀπελθεῖν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα τὸν Αἰγέα, καὶ τὴν ἑαυτοῦ νίκην κατὰ τοῦ Μινωταύρου ἀπαγγεῖλαι. ὡς οὖν ἔπλει ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν χώραν, προλαβών τις τῶν διὰ θαλάσσης πορευομένων, ἐψεύσατο τὸν τούτου πατέρα, εἰρηκὼς αὐτῷ, ὅτι παρέβησαν οἱ Κρῆτες τὸν Θησέα. ἔχουσι γὰρ καὶ ψευδομένων ὑπολήψεις. καὶ προδεδώκασι τῷ Μίνωϊ τοῦτον εἰς θυσίαν. πιστεύσας δὲ ὁ Αἰγεὺς, καὶ κατολιγωρήσας, ἔῤῥιψεν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἀπεπνίγη. διόπερ ἐκεῖνο τὸ πέλαγος, μέχρι τῆς σήμερον, Αἰγαῖον ἐκλήθη. *Theseus, filius Ægei, regis Atticæ, Cretensium regno potitus est; & Minotaurum ex Labyrinthi regione expulit, eumque in spelunca latentem interfecit. Et uxorem duxit Ariadnam, Minois, & Pasiphaæ, filiam: atque sic potitus est Creta. Deinde voluit redire ad patrem Ægeum, atque huic victoriam de Minotauro nuntiare. Itaque cum Atticam peteret, quidam eorum, qui per mare iter habebant, antevertens, falso patri ejus retulit, per vim sublatum a Cretensibus esse Theseum, (ut mendaces illi vulgo existimantur,) ac Minoi proditum ad immolandum. Quod cum Ægeus verum crederet, non vivendum sibi ultra arbitratus, seipsum de promontorio in mare dejecit, atque suffocatus periit. qua de causa, in hodiernum usque diem, mare id Ægeum dictum est.* Videndus quoque, *Cedrenus*: & Servius, ad *Æneid.* lib. III. Alii, non album ab Ægeo velum datum, quod victoriæ signum esset, sed puniceum, commemorant. Plutarchus, in *Vita Thesei*. Οἱ δὲ Σιμωνίδης, οὐ λευκόν φησιν εἶναι τὸ δοθὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, ἀλλὰ φοινίκεον ἱστίον, ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνου ἄνθει ἐριθάλλου. καὶ τοῦτο τῆς σωτηρίας αὐτῶν ποιήσασθαι σημεῖον. *Simonides vero, negat datum velum candidum ab Ægeo, sed puniceum, ilicis eximie virescentis flore liquido tinctum: atque id salutis signum voluisse.* De fallaci autem velo, & decepto per hoc Ægeo, sunt Lucani *isti versus*, lib. II. *v.* 610. &c.

Urbs est, Dictæis olim possessa colonis:
Quos Creta profugos vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Thesea velis.

Desiliisse autem in mare Ægeus fertur, ad vestibuli arcis dextram, juxta sacellum Victoriæ alis carentis. Pausanias, in *Atticis*, in descriptione arcis. Τῶν δὲ προπυλαίων ἐν δεξιᾷ, Νίκης ἐστὶν ἀπτέρου ναός. ἐντεῦθεν ἡ θάλασσά ἐστι σύνοπτος. καὶ ταύτῃ ῥίψας Αἰγεὺς ἑαυτὸν, ὡς λέγουσιν, ἐτελεύτησεν. *Ad vestibuli dexteram, Victoriæ alis carentis sacellum est. Hinc in mare est prospectus: atque hic præcipitans sese Ægeus obiisse memoratur.* Atque, ex hoc Ægei facto, mare id deinde Ægæum appellatum est. Suidas, in *citatis verbis*. Διόπερ ἐκεῖνο τὸ πέλαγος, μέχρι τῆς σήμερον, Αἰγαῖον ἐκλήθη. *Qua de causa, in hodiernum usque diem, mare id Ægeum dictum est.* Etymologici Auctor. Καὶ τὸ πέλαγος Αἰγαῖον ἐκλήθη, ἀπ' Αἰγέως, τοῦ πατρὸς Θησέως, κατακρημνίσαντος ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὴν θάλασσαν. *Et mare Ægæum appellatum est ab Ægeo, Thesei patre, qui ab arce se in mare præcipitavit.* Ac respexit huc Lactantius, *lib.* I. *cap.* XI. *Sic maria eorum traxisse nomina accepimus, qui deciderant in ea: ut Ægæum, Icarium, Hellespontìcum.* Meminit etiam Cedrenus: item Servius, ad *Æneid.* lib. III. Post mortem, tumulum ei heroicum exstruxere Athenienses: ubi oracula quoque reddidit. *Harpocration.* Αἰγεῖον, τὸ Αἰγέως μαντεῖον. Δείναρχος, ἐν τῷ Κατὰ Πολυεύκτου. καὶ Αἰγέως ἡρῷον, ἐν Ἀθήναις. *Ægeum, Ægei oraculum. Meminit ejus Dinarchus, in Oratione Adversus Polyeuctum. Item Ægei monumentum heroicum, quod erat Athenis.* Quæ totidem pene verbis Suidas, *in* Αἰγεῖον. Ac heroici monumenti, etiam Pausanias meminit, in *Atticis*. Αἰγεὺς, ὡς εἶδεν ἱστίοις μέλασι, τὴν ναῦν κομιζομένην, οἷα τὸν παῖδα τεθνάναι δοκῶν, ἀφεὶς αὑτὸν, διαφθείρεται. καὶ οἱ παρὰ Ἀθηναίοις ἐστὶ καλούμενον ἡρῷον Αἰγέως. *Ægeus, ut vidit velis nigris navem advehi, quod sic interpretabatur, tanquam periisset filius, se præcipitans, vitam finit. Estque ei monumentum apud Athenienses structum, quod heroum Aegei vocant.* Delubrum quoque ei a Theseo est erectum: qui & illis familiis, quæ tributum impenderant, quod jam liberatæ essent, imperavit, ut ad sacra facienda sumptus darent: ac constituit sacerdotes e Phytalidis. Vide *Theseum* nostrum, extremo cap. VII. Hoc honori ejus etiam datum fuit, uti tribus quædam Ægeis de ipsius nomine appellaretur. *Harpocration.* Αἰγηῒς φυλὴ, ὠνομάσθη ἀπὸ Αἰγέως, τοῦ Πανδίονος. *Ægeis tribus, nuncupata est ab Ægeo, Pandionis filio.* Suidas. Ἔστι δὲ Αἰγηῒς φυλὴ, ἀπὸ Αἰγέως, τοῦ Πανδίονος. *Est vero Ægeis tribus ab Ægeo, Pandionis filio.* Et occurrit ejus mentio sæpe apud Oratores. Populi vero sub ea isti censebantur: Ἀραφὴν, Βατὴ, Γαργηττὸς, Διομειά, Ἐρεχθειά. Ἑρικειά, Ἰκαριά, Ἰωνίδαι, Κυδανθίδαι, Πλωθειά, Τίθρας, Φηγαιά, Φιλαΐδαι, Χολλίδαι: ut ostendo in libro meo, *de Populis Atticæ*. Uxores autem habuisse plures traditur. Athenæus, *lib.* XIII. Πολυγύναιος δὲ ἐγένετο καὶ Αἰγεύς. πρώτην μὲν γὰρ, ἔγημε τὴν Ὅπλητος θυγατέρα. μεθ' ἣν, τὴν Χαλκώδοντος μίαν. παραδοὺς δ' ἀμφοτέρας φίλοις, συνῆν πολλαῖς, χωρὶς γάμων. ἔπειτα τὴν Πιτθέως ἔλαβεν Αἴθραν. μεθ' ἣν, Μήδειαν. *Habuit & uxores multas Ægeus. ac primo quidem, filiam Hopletis duxit: post hanc, unam Chalcodontis filiarum. quas amicis cum habendas tradidisset, rem cum multis aliis habuit, extra nuptias. inde Æthram, Pitthei filiam, sibi adscivit: rursum post illam, Medeam.* Eustathius, ad *Iliad.* ω. Πολυγύναιος παραδέδοται ὁ παλαιὸς Αἰγεύς. τήν τε τοῦ Ὅπλητος θυγατέρα σχὼν, καὶ τὴν τοῦ Χαλκώδοντος, γάμου νόμῳ. πολλαῖς δὲ καὶ ἄλλαις χωρὶς γάμων συνῆν. Αἴθράν τε γὰρ μετ' αὐτὰς ἔλαβεν, εἶτα Μήδειαν. *Multas quoque uxores habuisse proditur antiquas Ægeus; nempe filiam Ho-*

pletis, uti etiam Chalcodontis, idque lege matrimonii: ſed conſuevit & cum aliis, extra nuptias: nam poſt illas Æthram ſumpſit, & Medeam. Scholiaſtes Euripidis, ad *Medeam*, duas has priores nominat, quarum nomina reticentur *Athenæo*; ac Hopletis quidem filiam, Melitam dicit appellatam: Chalcodontis vero, Chalciopen: tum &, Æthra prætermiſſa, tertiam Medeam ponit. Πρώτlω (ὁ Αἰγεὺς) ἔχε Μελίτlω, τὴν Ὅπλητος· δάτέραν Χαλκιόπlω, τὴν Χαλκώδοντος· τρίτlω, τὴν Μήδειαν. *Primam (Ægeus) habuit Melitam, Hopletis filiam; alteram vero Chalciopem, Chalcodontis; tertiam autem, Medeam.* *Apollodorus*, primam Hopletis, Metam appellatam tradit: alteram, Chalciopen quidem item nominat, ſed Rhexenorem ei patrem tribuit, non Chalcodontem. Γαμεῖ δὲ (ὁ Αἰγεὺς) πρῶτον μὲν, Μήταν, τὴν Ὅπλητος· δάτέραν δὲ, Χαλκιόπην, τὴν Ῥηξήνορος. *Ac ducit (Ægeus) primam uxorem, Metam, Hopletis filiam: at ſecundam, Chalciopen, Rhexenoris.* Eodem modo Iſaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*: qui his tertiam addit, Autochthen, Perſei filiam. Αἰγεὺς, ὁ Πανδίονος υἱὸς, βασιλεύων Ἀθηναίων, γαμεῖ πρῶτον Μήταν, τlὼ Ὅπλητος· δάτερον Χαλκιόπlω, τ Ῥηξlώορος. ὡς δ᾽ ἀλλαχȢ εὗρον, μίαν ἔσχε γυναῖκα, Αὐτόχθlω, τ Περσέως. *Ægeus, Pandionis filius, rex Athenarum, uxorem primum ducit Metam, Hopletis filiam: inde Chalciopen, Rhexenoris. ut autem alibi inveni, unam quoque uxorem habuit, Autochthen, Perſei filiam.* Meminitque ejus item Joannes Tzetzes; aitque, filias etiam ex ea ſuſcepiſſe, quas non nominat. Ita enim ſcribit, *Chil.* V. *cap.* XIX.

Αἰγέως, καὶ Αὐτόχθης δὲ, γίνονται θυγατέρες.
Ex Ægeo vero, & Autochtha, naſcuntur filiæ.

Ex prioribus duabus, Meta nempe, & Chalciopa, liberos plane nullos ſuſtulit: itaque Delphos ad oraculum eſt profectus, id de prole conſulturus. Subjungit en *Apollodorus*, poſtquam duplex ejus iſtud matrimonium memoravit. Ὡς δὲ ὐκ ἐγένετο παῖς αὐτῷ, δεδοικὼς τὰς ἀδελφὰς, εἰς Πυθίαν ἦλθε, καὶ περὶ παίδων γονῆς ἐμαντάετο. *Poſtquam autem nulla ipſi proles eſſet, metuens fratres, ad Pythiam abiit, hanc de liberis acquirendis conſulturus.* Et, reſponſo ab hoc accepto, dum in reditu apud Pittheum divertit, Æthram ibi, ejus filiam, ipſo illi collocante, gravidam facit: moxque ipſi Theſeus naſcitur, regni hæres. Ipſa de ſe Æthra loquitur, apud Quintum Smyrnæum, *lib.* XIII. *v.* 510. 511.

——ὕνεκα Πιτθάς
Γείνατο μ᾽ ἐν Τροιζῆνι· γάμῳ δ᾽ ἐδνώσατο δῖος
Αἰγάς· ἐκ δ᾽ ἄρ᾽ ἐμοῖο κλυτὸς παῖς ἔπλετο Θησάς.
——*etiam Pittheus*
Genuit me Trœzene; duxit vero uxorem divinus
Ægeus: & ex me natus eſt inclytus filius Theſeus.

Et nos etiam ſupra, *cap.* I. rem hanc fuſe pertractavimus. Tum & in hoc ipſo itinere, item reditu, dum Corinthum urbem tranſit, illic in Medeam incidit: ubi eam, de Jaſonis perfidia conquerentem, blande Athenas invitat. quo & ipſa, poſt ſublatum mox Creontem, atque filiam ejus Glaucen, liberoſque, cum veniſſet, uxor etiam adſciſcitur: atque filium Medum parit. Priora illa, nempe invitationem, ut Athenas ſe reciperet, Euripides refert, in *Tragœdia Medea*: matrimonium, filiumque ex eo Medum, plures tradunt. Hyginus, *Fab.* XXVI. *Medea, Corintho exul, Athenas ad Ægeum, Pandionis filium, devenit in hoſpitium, eique nupſit. Ex eo natus eſt Medus.* Juſtinus, *lib.* II. *Medea, propter adultam privigni ætatem, Colchos cum Medo filio, ex Ægeo ſuſcepto, conceſſit.* Meminere &, Diodorus Siculus, *lib.* IV. Seneca, *Hippolyto*, & Euripidis Scholiaſtes, ad *Medeam*. Quidam etiam tradiderunt, ab hoc Ægei ex Medea filio Medo appellatam eſſe Mediam: ſed confictum hoc ab illis, qui blandiri Athenienſibus cupiebant, ſcribit idem Diodorus, *loco citato.* Invenio etiam Achæmenem; ſed incertum, e qua matre: a quo Achæmenia dicta, Perſidis pars. *Stephanus.* Ἀχαιμενία, ἡ Περσικὴ μοῖρα· ἀπὸ Ἀχαιμένȣς, υἱȢ Αἰγέως. *Achæmenia, pars Perſidis: ab Achæmene, filio Ægei.* Filia quoque ejus memoratur, Ambracia; itidem ex incerta matre: a quo nominata Ambracia, urbs Theſprotiæ. Idem *Stephanus.* Ἀμβρακία, πόλις Θεσπρωτίας· ἀπὸ Ἀμβρακίας, τ Αἰγέως θυγατέρος. *Ambracia, urbs Theſprotiæ: ab Ambracia, Ægei filia.* Succeſſit autem ei Theſeus: quem ex Æthra natum dixi. Hujus res Plutarchus refert, in *majoribus Parallelis*: ego vero ut regi Athenarum maximo aliquid item ipſe conferrem, eas *libro ſingulari* pertractavi.

CAP. V.

Meneſtheus Theſeo ſuccedit: inter Helenæ procos. De ejus genere controverſia. Diodori Siculi error. Chironis diſcipulus. Rei militaris peritia excellit: primuſque ordinare aciem inſtituit. Alcidamantis error. Scylletium coloniam ducit: Elæam condit. In Trojanos arma capit, cum cæteris Græcis, qui ad ipſum convenere. Quot naves ad id bellum inſtruxerit: atque unde oram ſolverit. Hygini locus emendatus. Cum heroibus equo Durio ſe includit. Rediens, in Melo inſula diem obit. Troja quando capta fuerit: ac diſſidium hic Auctorum. Quam diu regnaverit: & Auctores illic quoque diſſidere, indicatum.

DEPULSO Theſeo, ut ſeorſim in *Vita ejus*, libro a me ſingulari pertractata, indicavi, regnum occupat Meneſtheus, Petei filius, ut conſenſu Auctores tradunt. Homerus *Iliad.* β'. *verſ.* 551.

Τῶν αὖθ᾽ ἡγεμόνά᾽ υἱὸς Πετεῶο Μενεσθάς.
His rurſus præerat filius Petei Meneſtheus.

Iterum, *Iliad.* μ'. *v.* 331.

Τὰς δὲ ἰδὼν ῥίγησ᾽ υἱὸς Πετεῶο Μενεσθάς.
Hos autem conſpicatus horruit filius Petei Meneſtheus.

Ariſtoteles, ſi is auctor, in *Heroum Epitaphiis.*

Ταξίλοχος λαῶν, υἱὸς Πετεῶο Μενεσθάς.
Ordinator militum, filius Petei Meneſtheus.

Apollodorus, *lib.* III. ubi de Helenæ procis agit, ipſi quoque inter illos locum tribuit. Μέγης, Φυλέως. Ἀμφίλοχος, Ἀμφιαράȣ. Μενεσθεὺς, Πετεῶ. *Meges, Phylei filius: Amphilochus, Amphiarai: Meneſtheus, Petei.* Sed de genere, diſſideri animadverto. Quidam enim Ægyptium faciunt; alii Athenienſem, ex Erechthei proſapia: quippe Petei patrem, Orneum; hujus autem, Erechtheum fuiſſe. *Euſeb.* Ἀθlωαίων ἐβασίλάεν ἑνδέκατος Μενεσθεὺς Πετεῶ, τȢ Ὀρνέως, τȢ Ἐρεχθέως. *Athenienſium undecimus rex fuit Meneſtheus, Petei filius, Ornei nepos, Erechthei pronepos.* Pauſanias, in *Corinthiacis.* Ἐκαλȣ̃ντο δὲ ἀπὸ Ὀρνέως, τȢ Ἐρεχθέως. τȢ δὲ Ὀρνέως lὼ τȢτȣ Πετεὼς, τȢ δὲ Μενεσθεύς. *Dicebantur vero ab Orneo, Erechthei filio. Ornei vero hujus, erat Peteus: atque hujus, Meneſtheus.* Euſtathius, ad *Iliad.* β'. Ἐρεχθέως, υἱȢ Πανδίονος, γίνεται Κέκροψ, Ὀρνεὺς, Πάνδωρος, Μητίων. ὧν Ὀρνέως μὲν, Πετεώς. Ȣ Μενεσθεὺς, ὁ ῥηθησόμενος τῶ Ἀθlωαίων βασιλεύς. *Erechtheo, Pandionis filio, naſcitur Cecrops, Orneus, Pandorus, Metion: quorum Ornei quidem, Peteus; ejuſque, Meneſtheus: rex Athenienſium, de quo dicetur.* Et Plutarchus in *Theſ*[illegible] Ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τȣ́τῳ Μενεσθεὺς ὁ Πετεῶ, τȢ Ὀρνέως [illegible] Ἐρεχθέως, πρῶτος, ὥς φασιν, ἀνθρώπων ἐ[illegible]

τῷ δημαγωγεῖν, καὶ πρὸς χάριν ὄχλῳ διαλέγεσθαι, τοὺς τε δυνατοὺς συνίστη, καὶ παρώξυνε. *Hoc tempore Menestheus, Petei filius, Ornei nepos, Erechthei pronepos, primus hominum, ut ferunt, auram popularem captare aggressus, ac blandiri multitudinem, potentiores concitavit, & exasperavit.* Sed Ægyptium facit Diodorus Siculus, *lib.* I. Γεγονέναι δὲ καὶ τῶν ἡγεμόνων τινὰς Αἰγυπτίους παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις. τὸν γὰρ Πετεών, τὸν πατέρα Μενεσθέως, τοῦ στρατεύσαντος εἰς Τροίαν, φανερῶς Αἰγύπτιον ὑπάρξαντα, τυχεῖν ὕστερον Ἀθήνησι πολιτείας τε καὶ βασιλείας. *Fuisse vero & principes nonnullos Ægyptios apud Athenienses. nam Peteum, Menesthei patrem, ejus qui adversus Trojam militavit, quem Ægyptium esse constat, Athenis civitate, & regno, potitum esse.* Quanquam quod potitum regno Peteum dicat, valde errat: neque enim hoc quisquam tradit. Commemoratur autem inter Chironis discipulos, a Xenophonte, in *principio ipso libri* de Venat. Ad regnum autem evectus fuit, opera Tyndari filiorum, per absentiam capti apud Thesprotos Thesei. Pausanias, in *Atticis*: de captivitate ista Thesei agens. Τότε δὲ ἐχομένου Θησέως, στρατεύουσιν ἐς Ἄφιδναν οἱ Τυνδάρεω παῖδες, καὶ τήν τε Ἄφιδναν αἱροῦσι, καὶ Μενεσθέα ἐπὶ βασιλείᾳ κατήγαγον. *Cum itaque tunc detineretur Theseus, exercitum in Aphidnam ducunt Tyndari filii: &, Aphidna expugnata, Menestheum quoque in regno constituunt.* Peritia rei militaris præstitisse, aciemque instruxisse primus fertur: atque parem, aut de laude contendentem, præter Nestorem, neminem sane habuisse. Homerus, *Iliad.* β'. *v.* 552. *&c.*

> Τῶν αὖθ' ἡγεμόνευ' υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς·
> Τῷ δ' οὔπως τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνὴρ,
> Κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας·
> Νέστωρ οἶος ἔριζεν, ὁ γὰρ προγενέστερος ἦεν.
> *His rursus præerat filius Petei Menestheus;*
> *Cui inter mortales nemo similis erat,*
> *In ordinandis equitibus, & viris scutatis:*
> *Nestor solus contendebat, quippe qui ætate major.*

Quo respexit Xenophon, lib. *de Venat.* Μενεσθεὺς δὲ ἐκ τῆς ἐπιμελείας τῆς ἐκ τῶν κυνηγεσιῶν τοσοῦτον ὑπερέβαλε φιλοπονίᾳ, ὥστε ὁμολογεῖν τοὺς Ἑλλήνων πρώτους ὑστέρους εἶναι τὰ εἰς τὸν πόλεμον ἐκείνου, πλὴν Νέστορος. καὶ οὗτος οὐ προέχειν λέγεται, ἀλλ' ἐρίζειν. *Menestheus ex venationum studio tantum laborum tolerantia præstitit, ut Græcorum primi faterentur, eo se inferiores bellicis in rebus esse, excepto Nestore: & hic non excelluisse, verum contendisse, dicitur.* Ælianus, *Tact.* cap. I. Πρῶτον μὲν, ὧν ἴσμεν, δοκεῖ τὴν τακτικὴν θεωρίαν Ὅμηρος ἐπεγνωκέναι. θαυμάζειν δὲ τοὺς ἐπιστήμονας αὐτῆς, ὥσπερ Μενεσθέα. *Primus omnium, quos scimus, ordinandæ aciei peritiam habuisse Homerus videtur: ac mirari ejus gnaros, ut Menestheum.* Alcidamas *Orat.* in Palamedem. Νέστωρ γὰρ, ὁ πρεσβύτατος ἡμῶν ἁπάντων, καὶ αὐτὸς, ἐν τοῖς Πειρίθου γάμοις, μετὰ Λαπιθῶν ἐμαχέσατο Κενταύροις, ἐν φάλαγγι, καὶ ἐν τάξει. Μενεσθεὺς δὲ, πρῶτος λέγεται κοσμῆσαι τάξεις καὶ λόχους, καὶ φάλαγγας συστῆσαι. ἡνίκα Εὔμολπος ὁ Ποσειδῶνος ἐπ' Ἀθηναίους ἐστράτευσε, Θρᾷκας ἄγων. *Etenim Nestor, qui nos omnes ætate superat; etiam ipse, in Pirithoi nuptiis, cum Lapithis pugnavit adversus Centauros, phalange & acie ordinata. At Menestheus, primus dicitur ordines recte collocasse; turmas item, ac phalanges, constituisse: cum Eumolpus, Neptuni filius, bellum Atheniensibus intulisset, Thracas adducens.* Verum errat vehementer, cum id factum esse dicat bello Eumolpi; quod jam dudum, rege Erechtheo, proavo Menesthei hujus, gestum fuit: uti supra a me dictum, *lib.* II. *cap.* VIII. Certe ab Erechthei fine, ad principium Menesthei, intervallum est annorum centum quadraginta trium. Respexit istuc etiam Libanius, *Declam.* XXIX. Ὁ μὲν Μενεσθέως, ὡς δεινοῦ τάττειν στρατιώτας, ἐμνήσθη. *Hic quidem Menesthei meminit, ceu qui acie ordinanda insignis esset.* Et Inscriptio quædam vetus, in Mercurio lapideo, apud Plutarchum, in *Cimone*.

> Ἔκ ποτε τῆσδε πόληος ἅμ' Ἀτρείδῃσι Μενεσθεὺς
> Ἡγεῖτο ζάθεον Τρωϊκὸν ἐς πεδίον.
> Ὅν ποθ' Ὅμηρος ἔφη Δαναῶν πύκα θωρηκτάων
> Κοσμητῆρα μάχης ἔξοχον ὄντα μολεῖν.
> *Olim ex hac urbe cum Atridis Menestheus*
> *Duxit copias in divinum campum Trojanum:*
> *Quem Homerus dixit Græcorum bene loricatorum*
> *Ordinatorem pugnæ præstantem existentem venisse.*

Exstat etiam, sed quibusdam commutatis apud Æschinem, *Orat.* in Ctesiphontem. Atque inde Τακτικὸς, *Instruendæ aciei peritus*, dicitur a Maximo Tyrio, *Dissert.* XXXVI. Τί δὲ, εἰ μὴ τῷ Διῒ εἴκαζεν αὐτοὺς, ἀλλ' ἢ Μαχάονι τῷ ἰατρῷ, ἢ Κάλχαντι τῷ μαντικῷ, ἢ Νέστορι τῷ ἱππικῷ, ἢ Μενεσθεῖ τῷ τακτικῷ. *Quid si vero non cum Jove eos contulisset, sed aut cum Machaone, medicinæ; aut Calchante, vaticinii; aut Nestore rei equestris; aut Menesthei, instruendæ aciei perito?* Ita quoque Ταξίλοχος λαῶν, *Ordinator militum*, in citato antea ejus Epitaphio. Scylletium quoque coloniam deduxit. Strabo, *lib.* VI. Μετὰ δὲ ταύτην Σκυλλήτιον, ἄποικος Ἀθηναίων, τῶν μετὰ Μενεσθέως. *Post hanc Scylletium, colonia Atheniensium, quo Menestheus deducebat.* Etiam Elæam condidit. Idem Strabo, *lib.* XIII. Εἶθ' ἑβδομήκοντα εἰς Ἐλαίαν, λιμένα ἔχουσαν, καὶ ναύσταθμον τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων, Μενεσθέως κτίσμα, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἀθηναίων, τῶν συστρατευσάντων ἐπὶ Ἴλιον. *Hinc septuaginta ad Elæam, quæ portum habet, & navale regum Attalicorum: conditaque est a Menestheo, & Atheniensibus, qui eum comitabantur in bello adversus Trojanos.* Ubi observa; copias item in Trojanos cum Græcorum cæterorum conjunxisse: atque hoc verum est. Homerus, *Iliad.* β'. eos referens, qui ad bellum hoc operam suam contulere, ubi de Menestheo agit, *v.* 556.

> Τῷ δ' ἅμα πεντήκοντα μέλαιναι νῆες ἕποντο.
> *Hunc autem simul quinquaginta nigræ naves sequebantur.*

Dictys, *lib.* I. *Singuli reges, pro facultate opum, regnique, instructas classes præmittunt. Ex quis primus Agamemnon, ex Mycenis, naves centum: Menelaus, ex omni Lacedæmone, naves sexaginta: Menestheus, ex Athenis, quinquaginta.* Item Dares. *Deinde ornati cum classe Græci Athenas convenerunt; Agamemnon ex Mycenis, navibus numero centum: Menelaus ex Sparta navibus numero sexaginta: Menestheus ex Athenis, quinquaginta.* Corruptus est Hygini locus, ubi recenset, qui ad Trojam expugnandam sint profecti, & quot naves quisque adduxerit, *Mytholog.* cap. XCVII. *Menœæ filius Athenis, navibus quinquaginta.* Hic in ipso statim initio duæ voces in unam coaluere: scripseratque sic Hyginus. *Menestheus, Petei filius, Athenis n. q.* Immo ad ipsum omnes undique convenerunt. Clare Dares, jam citatus, *paullo ante*. *Legatos mittunt, ut tota Græcia conveniat cum classibus & exercitibus ornati pariter ad Atheniensium portum, unde pariter ad Trojam proficiscantur.* Josephus Devonius, *lib.* III.

> *——fert vela bis una,*
> *Bis centum, & decies centum; quas undique raptas*

Cecro-

Cecropii vocat unda sinus, & Apollinis æquor:
Huc acies, huc arma meant, hinc bellica classis
Ordiri disponit iter. ——

Et iterum, *lib.* IV.

Jam Pandionis collato robore portus
Argivæ tenuere rates.

Ac Menestheum quidem, in Trojam proficiscentem, e Phalero solvisse, refert etiam Pausanias, in *principio Atticorum*. Φαληρὸν δὲ, ταύτῃ γὰρ ἐλάχιστον ἀπέχει τῆς πόλεως ἡ θάλασσα, τοῦτο σφίσιν ἐπίνειον ἦν. καὶ Μενεσθέα φασὶν αὐτόθεν ταῖς ναυσὶν ἐς Τροίαν ἀναχθῆναι. *Phalerum vero, siquidem hic minimum ab urbe abest mare, navale ipsis erat: & Menestheum inde ajunt navibus in Trojam solvisse.* Quin inclusus quoque fuit equo Durio, cum heroibus Græcis cæteris: ejusque rei in memoriam, in arce equi illius ex ære simulacrum erat, e quo Menestheus, atque Teucer, Theseique item filii, prospectabant. Pausanias, ubi arcem describit, ejusque donaria, in *iisdem illis Atticis*. Ἵππος δὲ, ὁ καλούμενος Δούριος, ἀνάκειται χαλκοῦς. καὶ ὅτι μὲν τὸ ποίημα τοῦ Ἐπειοῦ μηχάνημα ἦν, εἰς διάλυσιν τοῦ τείχους, οἶδεν, ὅστις μὴ πᾶσαν ἐπιφέρει τοῖς Φρυξὶν εὐήθειαν. Λέγεται δὲ ἐς τε ἐκεῖνον τὸν ἵππον, ὡς τῶν Ἑλλήνων ἔνδον ἔχοι τοὺς ἀρίστους, καὶ δὴ καὶ τοῦ χαλκοῦ τὸ σχῆμά ἐστι κατὰ ταῦτα. καὶ Μενεσθεὺς, καὶ Τεῦκρος, ὑπερκύπτουσιν ἐξ αὐτοῦ, προσέτι δὲ καὶ οἱ παῖδες οἱ Θησέως. *Equus vero, Durius dictus, ex ære est positus; & hanc quidem machinam esse ab Epeo factam, ad disjiciendos muros, norit sane, quisquis non omnino Phrygibus vecordiam impingit. Fertur autem de hoc equo, fortissimos Græcorum in eo inclusos fuisse; & conveniens equi istius ænei forma est: Menestheusque ex illo, & Teucer, ac Thesei filii, prospectant.* Ac capta Troja ultimo ejus regni anno memoratur: quanquam alii, primo Demophontis velint. Clemens, *Strom.* I. Ἴλιον ἑάλω, Δημοφῶντος τοῦ Θησέως βασιλεύοντος Ἀθήνησι τῷ πρώτῳ ἔτει, Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ ἐπὶ δέκα, ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἀργεῖος. Αἰγίας δὲ καὶ Δερκύλος, ἐν τῇ τρίτῃ, μηνὸς Πανήμου ὀγδόῃ φθίνοντος. Ἑλλάνικος δὲ, δωδεκάτῃ Θαργηλιῶνος μηνός· καί τινες τῶν τὰ Ἀττικὰ συγγραψαμένων, ὀγδόῃ φθίνοντος, βασιλεύοντος τὸ τελευταῖον ἔτος Μενεσθέως, πληθυούσης σελήνης. *Captum est Ilium, regnante Demophonte, Thesei filio, anno primo, duodecimo mensis Thargelionis, ut ait Dionysius Argivus; Ægias autem, & Dercylus, libro tertio, octavo mensis Panemi desinentis: Hellanicus vero, duodecimo mensis Thargelionis. quidam eorum, qui res Atticas scripserunt, octavo desinentis, anno Menesthei regis ultimo, plenilunio.* Cyrillus, quinto anno ante regnum Demophontis, id est, Menesthei vicesimo octavo, rem hanc tribuit, *Adversus Julianum*, lib. I. *Quinto igitur anno post captam Trojam, apud Latinos, (regnabat) Æneas; Apud Athenienses, Demophon, Thesei filius.* Sed verior est eorum sententia, qui ultimo Menesthei anno captam esse Trojam volunt: siquidem ab ea expugnata rediens, diem obiit, in insula Melo. *Eusebius.* Μενεσθεὺς, ἔτος Ἕλλησι κατὰ τῶν Τρώων συνεμάχησε· τούτου τῷ τριακοστῷ τρίτῳ ἔτει Ἴλιον ἥλω. ἐπανιὼν δὲ ἀπὸ Τροίας, ἐν Μήλῳ τῇ νήσῳ τελευτᾷ. Menestheus. *Hic Græcis contra Trojanos opem tulit; ejusque anno tricesimo tertio captum est Ilium: in reditu vero a Troja, in Melo insula moritur.* Isacius, in *Chronica*, captam dicit anno post Cecropem trecentesimo quinquagesimo quinto. *Cecrops regnavit in Attica: a quo usque ad Trojæ captivitatem fiunt anni* CCCLV. Quod tempus, computatum ab anno primo Cecropis I. incidit in Menesthei ultimum. Ac in Melo obiisse, refert item Hieronymus. *Menestheus moritur in Melo, regrediens a Troja.* Quæ totidem verbis Marianus. Regnavit autem annis tribus & triginta. Vides in Eusebii *citatis verbis*: ac diserte idem quoque antea dixerat. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἑνδέκατος Μενεσθεὺς Πετεῶ, τοῦ Ὀρνέως, τοῦ Ἐρεχθέως, ἔτη τριάκοντα τρία. *Atheniensium undecimus rex fuit Menestheus, Petei filius, Ornei nepos, Erechthei pronepos, annos triginta tres.* Hieronymus, annos tantum tribuit tres & viginti. *Atheniensibus regnavit undecimus Menestheus, annis viginti tribus.* Et hunc sequitur *Marianus*. Vincentius Bellovacensis, annos ei quatuor & viginti adscribit, *Spec. Hist.* lib. II. cap. LIV. Sed hi demere videntur decem annos, quos ad Trojam militavit, interim a regno absens. Ac dissidium sic concilio: neque enim video, qui aliter possit.

CAP. IV.

Menestheo succedit Demophon. Honorii error. Cum Græcis in Trojanos profectus, equo Durio antea inclusus fuit; aviamque inde Æthram, libertati restitutam, secum abducit: & Palladium, astu eluso Agamemnone. Auctorum variæ hic sententiæ. Tribunalis, In Palladio *appellati, judicumque Ephetarum, unde origo. Harpocration emendatus.* Ἀγνῶτες, *quinam ita dicti. Hesychii locus restitutus.*

MENESTHEO defuncto, Demophon successit, Thesei filius. Errat autem vehementer hic Honorius; qui in *Chronico* Demophontem antea Menestheum tenuisse regnum tradit: & Menestheum Demophonti successisse, istis verbis. *Deinde (regnavit) Ægeus, exin Theseus, post hunc Demophon, post illum Menestheus.* Etiam hic, ut Menestheus, de quo supra, cum fratre Acamante, & cæteris Græcis, in Trojanos est profectus. Justinus, *l.* II. *c.* VI. *Post Ægeum Theseus, ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Græcis adversus Trojanos tulit, regnum possedit.* Et equo Durio se includi quoque est passus. Observare est apud Pausaniam, in *Atticis*: ubi de equo Durio agit, qui in arce Atheniensi spectabatur. Locum integrum adscripsi capite superiori: illic vide. Aviamque inde Æthram, in libertatem vindicatam, ipse, atque frater Acamas, secum Athenas abduxere. Qua de re videndus est Quintus Smyrnæus, *extremo lib.* XIII. Palladium quoque, quod a Diomede acceperat, deluso astu Agamemnone, qui id postea repetebat, secum abduxit. Polyænus, *lib.* I. *cap.* V. Δημοφῶν, παρὰ Διομήδους τὸ Παλλάδιον παρακαταθήκην λαβὼν, ἐφύλαττεν. Ἀγαμέμνονος ἀπαιτοῦντος, τὸ μὲν ἀληθινὸν ἔδωκεν ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ, καλουμένῳ Βουζύγῃ, κομίζειν Ἀθήναζε. ἴσον δὲ καὶ ὅμοιον ἄλλο κατασκευάσας, εἶχεν ἐπὶ τῆς σκηνῆς. Ἀγαμέμνονος δὲ σὺν πολλῇ χειρὶ ἐπελθόντος, ἀπεμάχετο ἐπὶ μακρὸν, δόξαν ἐμποιῶν, ὡς ὑπὲρ τοῦ ἀληθινοῦ προκινδυνεύοι. πολλῶν δὲ γενομένων τραυματιῶν, οἱ μὲν ἀμφὶ Δημοφῶντα, ὑπεῖξαν. Ἀγαμέμνων δὲ λαβὼν τὸ παραπεποιημένον Παλλάδιον, ἐξαπατηθεὶς ᾤχετο. *Demophon, cum Palladium accepisset, depositum a Diomede, custodiebat. Agamemnone repetente, verum quidem Buzygæ Atheniensi transferendum Athenas dedit: aliudque, ei simile, postquam fieri curasset, in tentorio adservavit. &, aggrediente inde Agamemnone cum magna manu, diu ac multum repugnavit; cupiens persuasum ipsi, quod pro vero in discrimen se conjiceret. multis autem vulneratis, Demophontis quidem milites se submiserunt; Agamemnon vero, fictum accipiens Palladium, deceptus abiit.* Ac depositum a Diomede accepisse, astipulatur etiam Clemens, in *Pro-*

treptico. Τὸ Παλλάδιον, τὸ διοπετὲς καλούμενον, ὃ Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς ἱστοροῦνται μὲν ἀφελέσθαι ἀπὸ Ἰλίου, παρακαταθέσθαι δὲ Δημοφῶντι. *Palladium, cælitus delapsum dictum, quod Diomedes, & Ulysses, Ilio abductum, apud Demophontem deposuisse memorantur*. Alii aliter commemorant: & tribunal, Επὶ Παλλαδίῳ, *In Palladio*, nuncupatum, uti judices, qui Εφέται appellati, hinc originem accepisse. Audi *Harpocrationem*, ita hac de re scribentem. Εσχε δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνυμίαν, καὶ οἱ δικασταὶ τῶν Εφετῶν, ἐντεῦθεν. Αγαμέμνονος μετὰ τῶν Αργείων σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Αθήναις ἐξ Ἰλίου, Δημοφῶν ἁρπάζει τὸ Παλλάδιον, καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀναιρεῖ. Αγαμέμνων δὲ δυσχεράνας δίκην, τὸν ἁρπάσαντα ἀναιρεῖ. καὶ συνίσταται τὸ κριτήριον, ἐπὶ πεντήκοντα μὲν Αθηναίων, πεντήκοντα δὲ Αργείων· οὓς Εφέτας ἐκάλεσαν, παρὰ τὸ ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ τῆς κρίσεως. *Tribunal vero, Palladii cognomentum, & judices, Ephetarum nomen, ex hac causa accepere. Agamemnone cum Argivis, & Palladio, Athenas appellente, Demophon Palladium rapit, multosque insequentes occidit. qua de causa indignatus Agamemnon, raptorem interficit. ac tribunal constituitur, ex Argivis quinquaginta, & totidem Atheniensibus: quos Ephetas appellarunt, quia amborum id negotium judicandum ipsis demandatum esset*. Sed, an Demophontem occidit Agamemnon? nemo Veterum hoc dicit: itaque corrupta verba interpungo, & emendo, Αγαμέμνων δὲ, δυσχεράνας, δίκην τὸν ἁρπάσαντα ἀπαιτεῖ. *Agamemnon vero, indignatus, puniri raptorem petit*. Deinde, in fine, geminanda est vox παρὰ, ac scribendum; παρὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ τῆς κρίσεως. *quia ab utrisque id negotium judicandum demandatum ipsis esset*. Pollux rem eandem narrat, nulla tamen Demophontis, aut Agamemnonis, mentione: *lib*.VIII. *c*.X. Τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ. ἐν τούτῳ λαγχάνονται περὶ ἀκουσίων φόνων. μετὰ γὰρ Τροίας ἅλωσιν Αργείων τινὰς, τὸ Παλλάδιον ἔχοντας, Φαλήρῳ προσβαλεῖν. ἀγνοίᾳ δὲ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ἀναιρεθέντας, ἀπορριφθῆναι. καὶ τῶν μὲν, ζῶον οὐδὲν προσήπτετο. Ακάμας δὲ ἐμήνυσεν, ὅτι εἶεν Αργεῖοι, τὸ Παλλάδιον ἔχοντες. καὶ οἱ μὲν, ταφέντες, Αγνῶτες προσηγορεύθησαν. τοῦ θεοῦ δὲ χρήσαντος, αὐτόθι ἱδρύθη τὸ Παλλάδιον. *Tribunal in Palladio. In hoc jus dicitur de involuntariis cædibus. Nam post expugnatam Trojam, Argivos quosdam in Phalerum appulisse memoratur; quos ignotos incolæ occiderint, & abjecerint: illos autem, animal nullum attingebat. Acamas vero indicavit, esse Argivos, qui Palladium haberent: itaque hi quidem, sepulti, sunt Ignoti appellati: deo vero sic jubente, Palladium ibi consecratum est*. Suidas utramque sententiam refert: ex auctoribus, Phanodemo, & Clitodemo. Επὶ Παλλαδίῳ. Δικαστήριον Αθήνησιν, ἐν ᾧ Εφέται περὶ ἀκουσίου φόνου ἐδίκαζον. Αργεῖοι γὰρ, ἀπὸ Ἰλίου πλέοντες, ἡνίκα προσέσχον Φαλήροις, ὑπὸ Αθηναίων ἀγνοούμενοι ἀνῃρέθησαν. ὕστερον δὲ, Ακάμαντος γνωρίσαντος, καὶ τοῦ Παλλαδίου εὑρεθέντος, κατὰ χρησμὸν αὐτόθι τὸ δικαστήριον ἀπέδειξαν, ὡς Φανόδημος. Κλειτόδημος δέ φησιν, Αγαμέμνονος σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Αθήναις, Δημοφῶντα ἁρπάσαι τὸ Παλλάδιον, καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀνελεῖν. τοῦ δὲ Αγαμέμνονος δυσχεραίνοντος, κρίσιν ὑποσχεῖν ὑπὸ πεντήκοντα Αθηναίων, καὶ πεντήκοντα Αργείων, οὓς Εφέτας κληθῆναι, διὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ περὶ τῆς κρίσεως. *In Palladio. Tribunal erat Athenis, in quo Ephetæ de cæde non voluntaria judicabant. Argivi enim, Ilio redeuntes, cum Phalera appulissent, ab Atheniensibus, eos non cognoscentibus, sunt occisi. Postea vero, indicante Acamante, ac Palladio invento, tribunal illic jussu oraculi condiderunt, uti auctor Phanodemus. Clitodemus vero refert, cum Athenas Agamemnon cum Palladio advenisset, Demophontem id rapuisse, & e persequentibus multos occidisse, indignante autem Agamemnone, judicium subiisse quinquaginta Atheniensium, totidemque Argivorum: eosque Ephetas appellatos, quod judicium ipsis ab utraque parte commissum esset*. Quæ Eustathius totidem fere verbis refert, *Comment*. ad Odyss. *lib*.I. De Demophonte, etiam Pausanias, in *Atticis*; qui in parte tamen variat. Επὶ Παλλαδίῳ καλοῦσι, καὶ τοῖς ἀποκτείνασιν ὡς κρίσις καθέστηκε. καὶ ὅτι μὲν Δημοφῶν ἐνταῦθα πρῶτος ὑπέσχε δίκας, ἀμφισβητοῦσιν οὐδένες. ἐφ' ὅτῳ δὲ, διάφορα ἐς τοῦτο εἴρηται. Διομήδην γάρ φασιν, ἁλούσης Ἰλίου, ταῖς ναυσὶν ὀπίσω κομίζεσθαι, καὶ ἤδη τε νύκτα ἐπέχειν, ὡς κατὰ τὸ Φαληρὸν πάντες γίγνονται. καὶ τοὺς Αργείους ὡς ἐς πολεμίαν ἀποβῆναι τὴν γῆν, ἄλλην που δόξαντες ἐν τῇ νυκτὶ, καὶ οὐ τὴν Αττικὴν εἶναι. ἐνταῦθα Δημοφῶντα λέγουσιν ἐκβοηθήσαντα, οὐκ ἐπιστάμενον οὐδὲ τοῦτον τοὺς ἀπὸ τῶν νεῶν ὡς εἶεν Αργεῖοι, καὶ ἄνδρας αὐτῶν ἀποκτεῖναι, καὶ, τὸ Παλλάδιον ἁρπάσαντα, οἴχεσθαι. Αθηναῖόν τε ἄνδρα, οὐ προϊδόμενον, ὑπὸ τοῦ ἵππου τοῦ Δημοφῶντος ἀνατραπῆναι, καὶ συμπατηθέντα ἀποθανεῖν. ἐπὶ τούτῳ Δημοφῶντα ὑποσχεῖν δίκας, οἱ μὲν, τοῦ συμπατηθέντος τοῖς προσήκουσιν. οἱ δὲ, Αργείων φασὶ τῷ κοινῷ. *In eo tribunali, quod in Palladio appellant, cædis causæ agitantur. Atque in eo primum quidem Demophontem causam dixisse, nemo dubitat; cujus vero ille criminis reus fuerit, varie fertur. Quidam tradunt, Diomedem, Ilio capto, cum in patriam navibus reveheretur, per noctem ad Phalerum appulisse: ubi cum Argivi, qui cum eo erant, in agrum tanquam hostilem excurrerent, ut qui aliam, quam Atticam, terram inter tenebras crederent. Demophontem ajunt, & ipsum ignarum, Argivorum eam classem esse, ad propulsandas populationes accurrisse, cumque, interfectis aliquot, Palladio erepto, domum abiret, ab ejus equo hominem Atheniensem, parum sibi prospicientem, subversum, ac conculcatum, interiisse: ideoque Demophontem reum actum, a propinquis interfecti, ut quidam volunt; vel, ut alii, a communi Argivorum*. Videndus quoque Etymologici Auctor, *in* ἐπὶ Παλλαδίῳ. Et illi quidem, qui occisi in hunc modum a Demophonte, postquam jam sepulti essent, vulgo Αγνῶτες, *Ignoti*, dicti. Ecce in Pollucis *verbis, paullo antea citatis*. Καὶ οἱ μὲν, ταφέντες, Αγνῶτες προσηγορεύθησαν. *Et hi quidem, sepulti, Ignoti sunt appellati*. Corruptissimus hac de re *Hesychii* locus, obiterque emendandus. Αγνῶτες θεῷ. οὕτω λέγεσθαι φασὶ, τοὺς μετὰ τὴν τοῦ Ἰλίου πλοῦν Φαληροῖ προσχόντας, καὶ ἀναιρεθέντας, ὑπὸ Δημοφῶντος ταφῆναι. Restituo, Αγνῶτες. Θέων οὕτω λέγεσθαι φησὶ, τοὺς μετὰ τὴν τοῦ Ἰλίου πλοῦν Φαληροῖ προσχόντας, καὶ ἀναιρεθέντας ὑπὸ Δημοφῶντος, καὶ ταφέντας. *Ignoti. Theon ita dici ait eos, qui, Ilio reversi, cum in Phalerum appulissent, a Demophonte sunt occisi, & sepulti*.

CAP. VII.

Apud Phyllidem, Troja rediens, divertit; cujus lecto mox potitus, intellecta Menesthei morte, Athenas discedit, ut paternum regnum capesseret: ac dat fidem, brevi sese rediturum. Quod cum minime præstaret, Phyllis suspendio vitam finit. Εννέα Οδοὶ, Novem viæ, *urbs Thraciæ, postea Amphipolis dicta. Hyginus emendatus, & Hesychius. Origo nominis indicata. Is. Tzetzæ lapsus memoriæ*.

TROIA rediens, tempestate in Thraciam actus, apud Phyllidem divertit, quæ tunc ibi regna-

bat: ab eaque hospitio pariter & lecto perbenigne est susceptus. ubi exacto aliquo tempore, cum Menestheum decessisse intelligeret, qui, ejecto patre Theseo, regnum invaserat, ut id sibi vindicaret, Athenas petiit, data prius Phyllidi fide, brevi sese rediturum. quam cum minime præstaret, ipsa sibi mortem laqueo consciviт: &, ut veteres fabulantur, in amygdalum sine foliis est mutata: posteaque, accedente Demophonte, atque truncum amplectente, quasi sponsi amplexum sentiens, folia dedit. Servius, ad *Eclogam* v. *Phyllis, Sitonis filia, regina Thracum fuit. Hæc Demophontem, Thesei filium, regem Atheniensium, redeuntem de Trojano prælio, dilexit, & in conjugium suum rogavit. ille ait, ante se ordinaturum rem suam, & sic ad ejus nuptias reversurum. Profectus itaque, cum tardaret, Phyllis, & amoris impatientia, & doloris impulsu, quod se spretam credebat, laqueo vitam finivit, & conversa est in arborem amygdalum, sine foliis. Postea reversus Demophon, cognita re; ejus amplexus est truncum; qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit: unde etiam* φύλλα *sunt dicta a Phyllide, quæ antea* πέταλα dicebantur. Variat Hyginus, *Fab.* LIX. *Demophon Thesei filius, in Thraciam ad Phyllidem in hospitium dicitur venisse, & ab ea esse amatus. Qui cum in patriam redire vellet, fidem ei dedit, se ad eam rediturum. Qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse: quod ex ea* Εννέαδος *Græce appellatur. Phyllis autem, ob desiderium Demophontis, spiritum emisit. Cui parentes cum sepulcrum constituissent, arbores ibi sunt enatæ, quæ certo tempore Phyllidis mortem lugent: quo folia arescunt, & decidunt. Cujus ex nomine folia Græce* φύλλα *sunt appellata.* Nihil dicit de suspendio, nil de commutatione in amygdalum, aut de reditu Demophontis, foliisque, ad amplexum ejus natis. Quanquam tamen de suspendio alibi loquitur, *Fab.* CCXLIII *Phyllis, propter Demophonta, Thesei filium, ipsa se suspendio necavit.* Et huc pertinent illa ejus verba, apud Ovidium, in *Epistola* ad Demophontem, *vers.* 141. 142.

Colla quoque, infidis quæ se nectenda lacertis
Præbuerant, laqueis implicuisse juvate.

Ac responsum Demophontis, in *Epistola* Auli Sabini, *vers.* 99.

Quos tibi, me miserum! laqueos, quæ fata minaris?

Verum in *Hygini* verbis, sic legendum esse existimo. *Dicitur novies ad littus cucurrisse: quod ex ea* Εννέα Οδοὶ *Græce appellatur.* Urbs Thraciæ fuit, Εννέα Οδοὶ, *Novem Viæ*, prius quidem, postea Amphipolis dicta. Meminere ejus Herodotus, *l.* VII. Thucydides, *lib.* I. & IV. Æschines, *Orat.* de falsa legat. Polyænus, *lib.* VI. *Etymologici Auctor*, *Stephanus*, & Suidas, *in* Αμφίπολις. Emendandus quoque *Hesychius*. Εννέα Οδοί· ἡ νῦν Αμφίπολις. *Novem Viæ, quæ nunc Amphipholis.* Perperam editur, Εννεάδος, ἡ νῦν Α'. Nam Auctores, quos citavi, omnes numero plurali, & duabus item vocibus, consensu efferunt. Originem nominis indicat *Hyginus*, cum ait; novies Phyllidem eo die, quo Demophontis reditum præstolabatur, litus versus cucurrisse: indicatque id Coluthus, *lib.* de raptu Helenæ:

Αἶψα δὲ Θρηϊκίοιο μετάρσια Παγγαίοιο
Φυλλίδος ἀντέλλοντα φιλήνορος ἔδρακε τύμβον,
Καὶ δρόμον ἐννάκυκλον ἀλήμονος εἶδε κελεύθου.
Ενθα διαστείχουσα κινύρετο Φυλλὶς ἀκοίτην,
Αχνυμένη παλίνορσον ἀπήμονα Δημοφόωντα,
Οππότε νοστήσειεν Αθηναίης ἀπὸ δήμων.

Mox vero Thracici vertices Pangæi,
Phyllidisque viri amantis exsurgentem vidit tumulum,
Et cursum novies repetitum erraticæ viæ,
Ubi perambulans lugebat Phyllis maritum,
Tristis exspectans reducem illæsum Demophoontem,
Cum rediturus esset Minervæ a populis.

Quod mutationem attinet in amygdalum, huc respexit & Palladius; qui, amygdalum cum designat, Phyllidem dicit, *lib.* XIV.

Phyllida quin etiam grandi mitescere fructu
Instituens, duræ dat sua membra cuti.

Mox *iterum:*

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus:
Imponitque leves in stipite Phyllidis umbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

Et rursum *postea.*

Phyllis odoratos primævis floribus artus
Discissi pruni cortice fixa tegit.

Lapsus est memoria Isaacius Tzetzes, *Commentario* in Lycophronem, qui Demophontis fratri, Acamanti, hæc adscribit. Ακάμας ὀλίγαις ναυσὶ προσίσχει Θραξὶ Βισάλταις, καὶ ἐρᾷ τούτου Φυλλὶς, ἡ θυγάτηρ τοῦ ἐκεῖ βασιλέως. καὶ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυᾷ, ἐπὶ προικὶ τῇ βασιλείᾳ. Ακάμας δὲ, βουλόμενος ἐλθεῖν εἰς τὴν πατρίδα, πολλὰ δεηθεὶς, παρὰ Φυλλίδος, καὶ τῶν ἐκείνης, ὀμόσας ἀντιστρέψειν, ἐξέρχεται, καὶ Φυλλὶς αὐτὸν προπέμπει ἄχρι τῶν καλουμένων Εννέα Οδῶν. *Acamas cum paucis navibus venit ad Thraces Bisaltas; amatque eum Phyllis, filia regis ejus loci: datque ipsi uxorem pater, & in dotem regnum tradit. Acamas vero, cum in patriam ire vellet, multum rogante Phyllide, ejusque amicis, dato prius jurejurando sese reversurum esse, iter init, deducitque ipsum Phyllis usque ad Novem Vias, quas vocabant,* Quod desertionem attinet, hanc respexit Procopius Sophista, in *Epistola quadam* ad Stephanum. Σὺ δέ μοι δοκεῖς τὸν Θησέως ἐκεῖνον ἐζηλωκέναι, καὶ ταῦτα τοῖς παισὶν καθηγούμενος. νυμφίε Δημοφόων, ἄδικε ξένε, οὐδὲ παιδὸς θέλεις ἐπιμεμνῆσθαι, καλοῦ τε ὄντος, καὶ, εἴγε παρείης, ἤδη δὲ δυναμένου πατέρα καλεῖν. *Tu vero mihi illum Thesei filium imitatus videris, idque pueris præfectus. Sponse Demophoon, injuste hospes, neque filii meminisse cupis, qui & formosus est, &, si adesses, jam te patrem vocare posset.*

C A P. VIII.

Condidit in Cypro urbem, Æpeam nomine, postea Solos appellatam. Festum item instituit, Congiorum quod dicebant: eaque in re error Suidæ, & Scholiastæ Aristophanis, indicatus. Heraclidas, ab Eurystheo expulsos, benigne excipit: & Tetrapolin Atticæ dat habitandam. Quam diu regnaverit. Ejus filius Oxyntes, regni hæres; item Munychus, itidem rex, ut nonnulli tradidere: qui ejectis Orchomeniis locum circa Munychiam, a se dictam, tribuit.

CONDIDIT Æpeam urbem in Cypro, ad Clarium amnem sitam; quam postea rex Philocyprus Solos, in Solonis honorem, nominavit. Plutarchus, in *Solonis Vita*. Επειτα, πλεύσας εἰς Κύπρον, ἠγαπήθη διαφερόντως ὑπὸ Φιλοκύπρου, τινὸς τῶν ἐκεῖ βασιλέων· ὃς εἶχεν οὐ μεγάλην πόλιν, ᾠκισμένην ὑπὸ Δημοφῶντος τοῦ Θησέως, περὶ τὸν Κλάριον ποταμόν. &, τῷ Σόλωνι τιμὴν ἀποδιδοὺς, (ὁ Φιλόκυπρος,) Αἴπειαν καλουμένην τὴν πόλιν πρότερον, ἀπ' ἐκείνου Σόλους προσηγόρευσεν.

Inde, in Cyprum profectus, majorem in modum charus fuit Philocypro, uni ex ejus loci regibus; qui possidebat urbem non magnam, conditam a Thesei filio Demophonte, ad amnem Clarium: & , Soloni honorem habens, (Philocyprus,) urbem eam, antea Æpeam dictam, ab eo Solos appellavit. Festum quoque Athenis instituit, quod τῶν χόων, *Congiorum*, appellabant. Rem, & causam refert ecce istis verbis Athenæus, *lib.* x. Φανόδημός φησι, Δημοφῶντα τὸν βασιλέα, βουλόμενον ὑποδέξασθαι τὸν Ὀρέστην Ἀθήναζε, πρὸς δὲ τὰ ἱερὰ οὐ θέλων αὐτὸν προσιέναι, οὐδ᾽ ὁμόσπονδον γενέσθαι, μήπω δικασθέντα, ἐκέλευσεν συγκλεισθῆναι τά τε ἱερὰ, καὶ χοᾶ οἴνου ἑκάστῳ παρατεθῆναι, τῷ πρώτῳ ἐκπιόντι εἰπὼν ἆθλον δοθήσεσθαι πλακοῦντα. παρήγγειλέ τε καὶ, τοῦ πότου παυσαμένους, τοὺς μὲν στεφάνους, οἷς ἐστεφανοῦντο, πρὸς τὰ ἱερὰ μὴ τιθέναι, διὰ τὸ ὁμορόφους γενέσθαι τῷ Ὀρέστῃ. περὶ δὲ τὸν χοᾶ τὸν ἑαυτοῦ ἕκαστον περιθεῖναι, καὶ τῇ ἱερείᾳ ἀποφέρειν τοὺς στεφάνους πρὸς τὸ ἐν Λίμναις τέμενος· ἔπειτα θύειν ἐν τῷ ἱερῷ τὰ ἐπίλοιπα. καὶ ἔκτοτε τὴν ἑορτὴν κληθῆναι χόας. *Phanodemus auctor est, Demophontem regem non gravate excepisse Orestem, cum Athenas advenisset, nolentem vero, ut ad sacra ipse accederet, aut libationum quoque particeps fieret, judicio necdum absolutus, præcepisse, uti templa clauderentur; tum apposuisse cuique vini congium, ac, qui primus ebibisset, huic placentam præmium daturum sese, promisisse: mandasseque, cum potare desiissent, ne coronas, quibus redimiti erant, in templa inferrent, quia sub eodem lecto cum Oreste compotassent; sed ut congiis quisque suis has circumdarent, ac deferrent sacerdoti ejus templi, quod in Limnis: denique illic reliqua sacrificarent. atque inde festum esse dictum Congios.* Idem indicat Plutarchus, ac tacitos cum eo bibisse, *Symposiac.* lib. II. Quæst. x. Καίτοι τίνα ἔχει διαφορὰν, ἢ κύλικα καταστήσαντα τῶν κεκλημένων ἑκάστῳ, ἢ χοῦν ἐμπλησάμενον οἴνου, καὶ τράπεζαν ἰδίαν ὥσπερ οἱ Δημοφωντίδαι τῷ Ὀρέστῃ λέγονται πίνειν κελεῦσαι, μὴ προσέχοντα τοῖς ἄλλοις. ἢ τοῦτο, ὅπερ νῦν γίνεται, κρέας προθέμενον, καὶ ἄρτον, ὥσπερ ἐκ φάτνης ἰδίας ἕκαστον εὐωχεῖσθαι; πλὴν ὅτι μὴ πρόσκειται σιωπῆς ἡμῖν ἀνάγκη, καθάπερ τοῖς τὸν Ὀρέστην ξενίζουσιν. *Et quid refert, calicemne convivarum cuique proponas peculiarem, congiumque vini plenum, & propriam mensam, ut Orestem bibere Demophontidæ jussisse feruntur, neque alios observare; quam, quod hodie fit, ut quisque propositis sibi pane, & carne, tanquam e proprio præsepi vescatur? nisi quod nobis non incumbit necessitas tacendi, sicut illis, qui Orestem hospitio excipiebant.* Scholiastes Aristophanis, ad *Equites* & *Acharnenses*, non id Demophonti adscribit, sed Pandioni: sicut etiam Suidas, *in* Χόες. Sed est manifestus error; nam Orestis certe ætas incidit in Demophontem, cujus proavus Pandion. ejus enim filius, Ægeus; hujus, Theseus: cujus, Demophon. adeoque a Pandionis excessu, ad initium Demophontis, anni plures centum intersunt. Rem eamdem ipsum Orestem memorantem introducit Euripides, in *Iphigenia in Tauris*: verum nulla mentione Demophontis, aut Pandionis. Præterea Herculis quoque liberos, ab Eurystheo exactos, benigne excepit: & Tetrapolin illis Atticæ habitandam assignavit. Antoninus Liberalis, *Metamorph.* cap. XXXIII. Μετὰ τὸν Ἡρακλέους ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισμὸν, Εὐρυσθεὺς, ἐξελάσας αὐτοῦ υἱοὺς τῆς πατρίδος, αὐτὸς ἐβασίλευσεν. οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι, καταφυγόντες πρὸς Δημοφῶντα τὸν Θησέως, ᾤκησαν τὴν Τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς. *Hercule ex hominibus exempto, Eurystheus, cum filios ejus terra patria ejecisset, ipse regnum occupavit. Heraclidæ vero, postquam ad Thesei filium Demophontem profugissent, Tetrapolin Atticæ habitarunt.* Meminere Auctores multi; & Euripides repræsentat in *Tragœdia Heraclidis*. Regnavit autem per tres & triginta annos. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν δωδέκατος Δημοφῶν Θησέως ἔτη τριάκοντα τρία. Hieronymus. *Athenienisbus regnavit duodecimus Demophon, Thesei filius, annos triginta tres.* Marianus Scotus, *lib.* III. *Athenis regnavit Demophon, duodecimus rex Atheniensium, annis triginta tribus.* Nec aliter *Vincentius Bellovacensis*. Reliquit vero filium Oxyntem, regni hæredem. Freculphus, *Tom.* I. *lib.* II. *cap.* XVIII. *Apud Athenienses Demophon tunc regnabat, filius Thesei: & habuit successorem Oxyntem.* Atque is regnavit annis duodecim. *Eusebius*, Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τρισκαιδέκατος Ὀξύντης Δημοφῶντος ἔτη δώδεκα, Hieronymus. *Atheniensibus regnavit decimus tertius Oxyntes annis duodecim.* Ita quoque *Marianus*, & *Vincentius Bellovacensis*. Invenio quoque filium Munychum, apud Plutarchum, in *Vita Thesei*. Οἱ δὲ καὶ τοῦτο τὸ ἔπος διαβάλλουσι, καὶ τὴν περὶ Μουνύχου μυθολογίαν. ὃν ἐκ Δημοφῶντος Λαοδίκης κρύφα τεκούσης ἐν Ἰλίῳ συνεκθρέψαι τὴν Αἴθραν λέγουσι. *Alii vero versum istum traducunt, & fabulam de Munycho: quem Laodice, postquam ex Demophonte clandestino peperisset, Æthra simul educasse apud Ilium memoratur.* Et fuisse eum regem, ac Munychiam, a se dictam, Thracibus, Orchomeno ejectis, assignasse, auctor nobis Ulpianus, in *Orat.* de Corona. Θρᾷκες, ποτὲ στρατεύσαντες κατὰ τῶν οἰκούντων Ὀρχομενὸν τὸ Μινυαῖον τῆς Βοιωτίας, ἐξέβαλλον αὐτοὺς ἐκεῖθεν. οἱ δὲ ἐξαναστάντες, ἦλθον εἰς Ἀθήνας, Μουνύχου βασιλέως. ὁ δὲ, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς οἰκῆσαι τὸν τόπον τὸν περὶ τὴν Μουνυχίαν. ὅστις ἐπωνομάσθη παρ᾽ αὐτῶν, εἰς τιμὴν τοῦ βασιλέως. *Thraces, cum aliquando contra Orchomenum Minyæum, Bœotiæ urbem, expeditionem suscepissent, eos inde ejecerunt. atque illi extorres, venere Athenas, rege Munycho. is vero, locum ipsis circa Munychiam habitandum dedit: quem sic illi, in honorem regis, nominarunt.* Munychi regis, a quo dicta sit Munychia, meminere item *Stephanus*, *Harpocration*, *Etymologici Auctor*, & *Suidas*: verum Pantaclis filium dicunt, non Demophontis. Ad Oxyntem quod attinet ejus meminit & Pausanias, *Corinthiacis*: isque filios duos habuit; Aphidantem, & Thymœten: utrumque ordine regni hæredem.

CAP. IX.

Aphidas, quam diu regnaverit. Oraculum, Atheniensibus datum, ejus tempore. Hunc Thymœtes, frater junior, atque nothus interfecit: & regnum invasit. Mariani Scoti confusio. Thesidarum, & Erechthidarum item, regni finis: idque annis quot duraverit. Mariani Scoti locus restituitur. Vincentius Bellovacensis emendatur: & errare indicatur. Θυμοιτάδαι, *populus Atticæ.*

ET Aphidas quidem, regnum tenuit annum unum. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τεσσαρεσκαιδέκατος Ἀφείδας ἔτος ἕν. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit decimus quartus Aphidas annum unum.* Eo regnante, datum oraculum Atheniensibus, quod commemorat Pausanias, in *Achaicis*. Ἀθηναῖοι γὰρ, ἐπὶ ἡλικίᾳ μάλιστα τῇ Ἀφείδαντος, ἀφίκεται παρὰ τοῦ ἐν Δωδώνῃ Διὸς τὰ ἔπη τάδε.

Φράζεο δ᾽ Ἀρειόν τε πάγον, βωμούς τε θυώδεις
Εὐμενίδων, ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ᾽ ἱκετεῦσαι,
Δουρὶ πιεζομένους· τοὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ,
Μηδ᾽ ἱκέτας ἀδικεῖν. ἱκέται δ᾽ ἱεροί τε καὶ ἁγνοί.

Exstat enim Dodonæi Jovis oraculum, Atheniensibus redditum, de Aphidantis ætate, istis versibus:

Ara tibi Eumenidum fumans, & curia Martis,
Sint cordi. huc bello domiti nam forte Lacones
Suppliciter tristes venient: ne confice ferro.
Nec viola. supplex sacer est, & crimine purus.

Fratri Aphidanti, successit Thymœtes: & regnavit annos novem. *Eusebius.* Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν πεντεδέκατος Θυμοίτης, Ἀφείδαντος ἀδελφὸς, ἔτη ἐννέα. *Hieronymus* illi annos tantum octo tribuit. *Atheniensibus decimus quintus Thymœtes annis octo.* Hunc sequitur *Vincentius Bellovacensis. Marianus* ordinem confundit: & Thymœten ante Aphidantem ponit: cui annum regni tantum unum adscribit, uti novem Aphidanti. *Atheniensium decimus quartus Thymœtes anno uno regnavit: decimus quintus Aphidas, annis novem.* Joannes Tzetzes *Chil.* I. *c.* IV. ubi reges Athenienses commemorat, Aphidantis, nempe ob regni brevitatem, nullam mentionem facit; ita quoque nec *Freculphus.* Certum autem est, juniorem fuisse Thymœten, & quidem nothum; atque fratrem Aphidantem, legitimo conjugio natum, occidisse; & regnum ejus summo scelere occupasse. Exstat hac de re Fragmentum insigne Leonidis, e *libro* IV. De populis Atticæ, apud Athenæum, *lib.* III. Ἀφείδαντα, βασιλεύοντα Ἀθηνῶν, Θυμοίτης, ὁ νεώτερος ἀδελφὸς, νόθος ὢν, ἀποκτείνας, αὐτὸς ἐβασίλευσεν. *Aphidantem, Athenarum regem, Thymœtes, frater natu minor, qui spurius esset, cum occidisset, ipse regnum occupavit.* Et in eo Thesidarum regnum desiit. Pausanias, in *Corinthiacis.* Θυμοίτης γὰρ Θησειδῶν ἔσχατος ἐβασίλευσεν Ἀθηναίων. *Nam Thymœtes postremus Thesidarum apud Athenienses regnavit.* Immo Erechthidarum. *Eusebius.* Ἐπὶ τούτου (τοῦ Θυμοίτου) ἡ τῶν Ἐρεχθειδῶν βασιλεία κατελύθη παρ' Ἀθηναίοις, Ἀττικῶν λεγομένη· καὶ μετῆλθεν εἰς ἕτερον γένος. Hyeronimus. *Erechthidarum imperio destructo, Atticorum principum regnum ad aliud genus translatum est.* Duraveratque regnum Athenarum a Cecrope I. qui cognomine Διφυὴς dictus, annis quadringentis viginti & novem. Castor, in *Fragmento*, quod Latine ita transtulit Hieronymus. *Exponemus autem & Atheniensium reges, cognomento Erechthidas, a Cecrope Diphye usque ad Thymœten: quorum omnè tempus invenitur annorum* CCCCXXIX. Freculphus, *Tom.* I. *l.* II. *cap.* XIX. *Reges Atheniensium, cognomento Erechthides, defecerunt a regno: quorum omne tempus invenitur a Cecrope Diphye usque ad Thymœten anni* CCCCXXIX. Castoris verba, quæ citavi ex *Hieronymo*, transscripsit, uti fere solet, *Marianus*: sed corrupte numerus editur, CCCCXXIV. pro, CCCCXXIX. Errat graviter Vincentius, *Spec. Hist. lib.* II. *cap.* LIV. ubi *Heraclidas* nominat, quos debebat *Erechthidas*: nisi quis librarii esse culpam dicat, ac mendose ab eo scriptum. tamen illud minime excusari potest, quod in Codro desiisse nobis tradat: numeretque annos tantum trecentos octoginta duos: *Codrus (regnavit annis)* XXI. *qui, juxta responsum seipsum morti tradens, bello Peloponnesiaco interimitur. in quo Heraclidarum imperium destructum est, quod trecentis octoginta duobus annis perseveraverat.* Atqui a Cecropis primi initio, ad finem Codri, anni sunt quadringenti octoginta septem: itaque corrige etiam numeros. Denique, neque illud hic prætereundum mihi censeo, populum fuisse Atticæ, qui ab hoc Thymœte nostro, ultimo Erechthidarum, ac Thesidarum, Θυμοιτάδαι appellati. *Harpocration.* Θυμοιτάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ἀπὸ Θυμοίτου τοῦ ἥρωος ὀνομασθείς. *Thymœtadæ, populus Hippothoontidis tribus, a Thymœte heroe dictus.* Suidas. Θυμοίτης, ὁ τῶν Ἀθηναίων βασιλεύς, καὶ, Θυμοιτάδαι. *Thymœtes, Atheniensium rex; &, Thymœtadæ.* Vide quæ de eo pridem plura dixi, libro proprio de *Populis Atticæ.*

CAP. X.

Thymœti succedit Melanthus. Is quo genere oriundus. Cononis locus emendatus. Initio, rex Messeniorum; inde, pulsus ab Heraclidis, Athenas venit, jussu oraculi. Illud autem, quale fuerit; & in quemnam Atticæ locum ipse venerit. Bellum cum Bœotiorum rege Xantho; atque ejus ad duellum provocatio: quam Melanthus, proposito in præmium regno, accipit. Ejus dolus, & victoria. Etymologici Auctor emendatus. Festum, Ἀπατούρια. *Bacchus,* Μελαναιγίς; *sive,* Μελανθίδης; *ejusque arca, sive templum. Jupiter etiam* Ἀπατούριος, *sive* Ἀπατήνωρ *dictus.*

IN Thymœtis autem locum subrogatus mox Melanthus. Hic referebat genus suum ad Periclymenum, Nelei filium. Suidas, *in* Ἀπατούρια. Μέλανθος ἐπιδημῶν, Μεσσήνιος, τὸ γένος ἀπὸ Περικλυμένου, τοῦ Νηλέως. *Melanthus, qui tunc illic agebat, Messenius, genus ducens a Periclymeno, Nelei filio.* Totidem verbis Scholiastes Aristophanis, ad *Acharnenses*: & Apostolius, *Cent.* III. *Proverb.* LXXIV. Itaque corrigendus *Conon* apud Photium, *Narrat.* XXXIX. Μέλανθος γένος μὲν ἦν τῶν Νηλειδῶν, οἳ Πύλου καὶ Μεσσήνης, ἀπὸ Ποσειδῶνος ἐβασίλευον. *Melanthus ex genere fuit Nelidarum, qui Pyli, & Messenæ, inde a Neptuno, regnum tenuerunt.* Perperam editur, τῶν Ἠλιδῶν. *Elidarum.* Erat autem ab isto Nelei filio quintus. Observo apud Pausaniam, in *Corinthiacis.* Σὺν δὲ αὐτοῖς Μέλανθον, τὸν Ἀνδροπόμπου, τοῦ Βώρου, τοῦ Περικλυμένου. *Et cum his Melanthum, Andropompi filium, Bori nepotem, Penthili pronepotem, Periclymeni abnepotem.* Initio, sub reditum Heraclidarum, Rex Messeniorum erat. Strabo docet, *lib.* VIII. Καὶ δὴ κατὰ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον, καὶ τὸν τότε γενηθέντα μερισμὸν τῆς χώρας, ἦν Μέλανθος βασιλεὺς τῶν Μεσσηνίων. *Et vero sub reditum Heraclidarum, quæque tunc est regionis facta distributio, rex Messeniorum erat Melanthus.* Verum eum, aliosque Nestoris posteros, Heraclidæ expulere. Idem Strabo, *lib.* IX. Μετὰ δὲ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον, καὶ τὸν τῆς χώρας μερισμὸν, ὑπ' αὐτῶν, καὶ τῶν συγκατελθόντων αὐτοῖς Δωριέων, ἐκπεσεῖν τῆς οἰκίας συνέβη πολλοὺς εἰς τὴν Ἀττικὴν, ὧν ἦν καὶ ὁ τῆς Μεσσήνης βασιλεὺς Μέλανθος. *Post Heraclidarum reditum, & regionis distributionem, usu venit, ut multi ab iis, & qui una rediissent Doriensibus, sedibus suis expulsi, in Atticam migrarent: inter quos Melanthus etiam, rex Messenæ.* Pausanias, in *Corinthiacis.* Ἐκβάλλουσιν οὖν (οἱ Ἡρακλεῖδαι) ἐκ μὲν Λακεδαίμονος, καὶ Ἄργους, Τισαμενόν. ἐκ δὲ τῆς Μεσσηνίας τοὺς Νέστορος ἀπογόνους, Ἀλκμαίωνα Σίλλου τοῦ Θρασυμήδους, καὶ Πεισίστρατον τὸν Πεισιστράτου, καὶ τοὺς Παίονος τοῦ Ἀντιλόχου παῖδας. σὺν δὲ αὐτοῖς Μέλανθον τὸν Ἀνδροπόμπου. *Ejiciunt itaque (Heraclidæ) Lacedæmone quidem, & Argis, Tisamenum; Messena vero, Nestoris posteros, Alcmæonem, Sylli filium, & nepotem Thrasymedis; & Pisistratum, Pisistrati filium; item liberos Pœonis; Antilochi filii: ac cum his Melanthum, Andropompi.* Conon, loco citato. Τοῦτον (τὸν Μέλανθον) ἀναστήσαντες Ἡρακλεῖδαι, πολέμῳ τὴν γῆν ἔσχον. *Hunc (Melanthum) cum expulissent Heraclidæ, bello terram tenuerunt.* Huc Plutarchi illa pertinent, de *Exilio.* Κόδρος δὲ, τίνος ὢν, ἐβασίλευσεν; οὐ Μελάνθου φυγάδος ἐκ Μεσσήνης; *Cujus vero filius existens Codrus regnum tenuit; nonne Melanthi, qui Messena exulavit?* Expulsus autem hunc in modum, venit in Atticam, & ejus urbem Eleusinem; cum oraculo jussus esset sedem figere, ubi caput, atque pedes pro muneribus hospitalibus offerrentur. Leonides, *lib.* IV. de Populis Atticæ: cujus hoc Fragmentum nobis repræsen-

tat Athenæus *lib.* III. Μέλαιθος Μεσσήνιος, ἐκπεσὼν τῆς πατρίδος, ἐπήρετο τὴν Πυθίαν, ὅπου κατοικήσῃ. ἡ δὲ ἔφη, ἔνθα ἂν ξενίοις πρῶτον τιμηθῇ, τοὺς πόδας αὐτῷ καὶ τὴν κεφαλὴν, ἐπὶ τῷ δείπνῳ παραθέντων. καὶ τοῦτ' ἐγένετο αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι. τῶν ἱερειῶν γὰρ τότε πάτριόν τινα ἑορτὴν ἐπιτελουσῶν, καὶ πάντα τὰ κρέα καταναλωκυιῶν, τῶν δὲ ποδῶν καὶ τῆς κεφαλῆς, ὑπολοίπων ὄντων. ταῦτα τῷ Μελάνθῳ ἀπέστειλαν. *Melanthus Messenius, patria ejectus, consuluit Pythiam, quemnam sibi habitandum locum caperet; illa vero respondit: ubi primum munera hospitalia acciperet, caput, pedesque, in cœna appositos: quod & factum est Eleusine. nam cum fœminæ sacerdotes festum ibi quoddam patrium celebrarent, jamque carnes universas absumpsissent, caput, & pedes, quæ supererant, ad Melanthum miserunt.* Oraculi jussu venisse Athenas, ac donatum civitate, habitumque in honore, auctor etiam est *Conon*. Ὁ δὲ (Μέλανθος) κατὰ χρησμοὺς Ἀθήναζε ἀφικνεῖται, καὶ πολίτης γίνεται, καὶ ἦν τῶν τιμωμένων. *Ille vero (Melanthus) Athenas juxta oraculum venit: ac, donatus civitate, inter honoratos fuit.* Nec multo post Thymœtes illi regno cessit: cum duello Xanthum, Bœotiæ regem, superasset. Joannes Tzetzes, *Chil.* I. *cap.* IV.

Τινὲς δὲ γένος λέγουσι ταύτης τῆς ῥιζουχίας
Ἄχρι Θυμοίτου, Μέλανθον οὐκ εἶναι δὲ τοῦ γένους.
Πρὸς τὸ μονομαχῆσαι δὲ τῷ Βοιωτῷ Ξανθίῳ,
Θυμοίτης δῶρον δίδωσι τούτῳ τὴν βασιλείαν.

Quidam autem genus dicunt hujus prosapiæ.
Usque ad Thymœten, Melanthum vero ex eo haud esse:
At quia duello pugnavit cum Bœoto Xanthio,
Thymœtes donat illi regnum.

Quanquam sane eripuisse ei illud Pausanias tradit in *Corinthiacis*. Μέλανθος δὲ καὶ τὴν βασιλείαν ἔσχεν, ἀφελόμενος Θυμοίτην, τὸν Ὀξύντου. *Melanthus vero, etiam regnum tenuit, ereptum Thymœti, Oxynthæ filio.* Strabo, ultro adscitum dicit, *l.* IX. Οὗτος δὲ, (ὁ Μέλανθος,) καὶ τῶν Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἑκόντων, νικήσας ἐκ μονομαχίας τὸν Βοιωτῶν βασιλέα Ξάνθον. *Hic vero, (Melanthus,) quum certamine singulari Xanthum, Bœotorum regem, devicisset, ultro rex ab Atheniensibus est creatus.* Eusebius. Θυμοίτην προκαλεσαμένου Ξάνθου τοῦ Βοιωτίου, καὶ μὴ ὑπακούσαντος τοῦ Θυμοίτου, Μέλαιθος Ἀνδροπόμπου Πύλιος, ἀναδεξάμενος ἐμονομάχησεν· καὶ νικήσας, ἐβασίλευσεν. Hieronymus. *Cum Thymœten provocasset Xanthus Bœotius, & Thymœte recusante, Melanthus Pyliensis Andropompi filius, suscepisset singulare certamen, ac deinde regnasset.* *Conon* ait, propositum ipsi regnum fuisse, victoriæ præmium. Ἀθηναίοις δὲ, καὶ Βοιωτοῖς, πόλεμος ὑπὲρ Οἰνόης συνίστατο, καὶ ἐδόκει, ἐν τῇ τῶν βασιλέων μονομαχίᾳ τὴν κρίσιν εἶναι. Θυμοίτης μὲν οὖν, βασιλεύων Ἀθηναίων ἐδεδοίκει τὸν ἀγῶνα, καὶ ἐξίστατο τῆς βασιλείας, τῷ βουλομένῳ διακινδυνεῦσαι πρὸς Ξάνθον, ὃς ἐβασίλευε Βοιωτῶν. καὶ Μέλανθος, ἐπ' ἄθλῳ τῆς βασιλείας, ὑπέρχεται τὸν ἀγῶνα. *Atheniensibus vero, & Bœotis, de Oenoe bellum exortum est: placuitque, singulari regum pugna litem dirimi. Thymœtes autem, rex Atheniensium, duellum metuens, regno cessit, ei tradendo, qui cum rege Bœotorum Xantho concertare vellet. Melanthus itaque, regno in præmium proposito, pugnam subit.* Idem *Suidas* quoque indicat. Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξάνθος δὲ Βοιωτὸς προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην. οὐ δεξαμένου δὲ, Μέλανθος ἐπιδημῶν, Μεσσήνιος τὸ γένος ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως, ὑπέστη ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. *Bellum erat Atheniensibus adversus Bœotos de Celænis, qui locus erat in confiniis. Xanthus vero Bœotus provocabat Atheniensium regem Thymœtem; ac, cum ille recusaret, Melanthus, qui tunc ibi agebat, Messenius genere, a Periclymeno, Nelei filio, oriundus, regno in præmium proposito, suscepit.* Quæ totidem verbis Scholiastes Aristophanis, ad *Acharnenses*. Causa belli, Celænæ erant. Ita *Suidas*, & Scholiastes Aristophanis, *locis citatis*. His accedit *Harpocration*. Πολεμούντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτοὺς, ὑπὲρ τῆς τῶν Κελαινῶν χώρας, Μέλανθος, ὁ τῶν Ἀθηναίων βασιλεὺς, Ξάνθον τὸν Θηβαῖον, μονομαχῶν ἀπατήσας, ἀπέκτεινεν. *Bellum gerentibus Atheniensibus adversus Bœotos, de Celænarum agro, Melanthus, rex Atheniensium, Xanthum Thebanum, in certamine singulari circumventum, interfecit*. Apud Polyænum, locus iste Melenæ dicitur, *lib.* I. *cap.* XIX. Ἀθηναίων στρατηγὸς ἦν Μέλανθος, Βοιωτῶν Ξάνθος. ἐπολέμουν Μελαινῶν πέρι. Μελαιναὶ, χωρίον μεθόριον Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας. *Atheniensium dux erat Melanthus, Bœotorum Xanthus. Bellum gerebant de Melænis. Melænæ, locus in confinio Atticæ, Bœotiæque*. Ubi vir magnus, cujus beneficio Auctorem illum Græcum habemus, scribendum censebat, Κελαινῶν, & Κελαιναί. Attamen Μελαιναὶ etiam Stephano commemorantur, *in* Μελαινεῖς: ubi vide. Neque aliter nominat Etymologici Auctor, *in* Κουρεῶτις: & Apostolius, *Cent.* III. *Proverb.* LXXIV. Sed omnino nil mutandum esse censeo: cum Κελαιναὶ, & Μελαιναὶ, idem valeat. Alii tradunt, bellum istud ob Oenoen gestum esse. Proclus, in *Timæum Platonis*, lib. I. Τὰ Ἀπατούρια ἑορτή τις ἦν εἰς Διόνυσον, ἐπὶ τῇ Μελάνθου, καὶ Ξάνθου τοῦ Βοιωτοῦ, μονομαχίᾳ, καὶ νίκῃ τοῦ Μελάνθου, δι' ἀπάτης. Βοιωτῶν, καὶ τῶν Ἀθηναίων, ὑπὲρ Οἰνόης πολεμούντων ἀλλήλοις. *Apaturia festum quoddam Bacchi erat, ob Melanthi & Xanthi Bœotii, singulare certamen; & victoriam Melanthi, dolo reportatam: cum Bœotii, & Athenienses, de Oenoa bellum inter sese gererent.* Conon, in *citatis verbis*. Ἀθηναίοις δὲ, καὶ Βοιωτοῖς, πόλεμος ὑπὲρ Οἰνόης συνίστατο. *Atheniensibus vero, & Bœotis, bellum de Oenoa exortum est*. Et paullo post. Καὶ τήν τε Οἰνόην Ἀθηναίοις, καὶ ἑαυτῷ τὴν βασιλείαν, ἐνὶ περιεποιήσατο τῷ ἀγωνίσματι. *Atque uno certamine & Oenoen Atheniensibus, & sibi regnum acquisivit*. Immo vero de utroque eo loco bellum erat. Etymologici Auctor id diserte dicit, *in* Κουρεῶτις. Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτοὺς πόλεμον ἐχόντων περὶ Οἰνόης, καὶ Μελαινῶν, Ξάνθος, ὁ τῶν Βοιωτῶν βασιλεὺς, Θυμοίτην, τὸν τῶν Ἀθηναίων δυνάστην, εἰς μονομαχίαν προσεκαλέσατο. *Cum Athenienses bellum adversus Bœotos gererent de Oenoa, & Melæna, Xanthus, rex Bœotorum, Thymœtem, Atheniensium principem, ad certamen singulare provocavit*. Quomodo vero id duellum inter Xanthum, & Melanthum gestum fuerit, audiamus referentem Polyænum, *libro citato*. Οἱ στρατηγοὶ μονομαχοῦσι τῆς νίκης πέρι. καὶ συνιόντων, ὁ Μέλανθος ἔφη. καὶ μὴν ἀδικεῖς δεύτερον ἄγων ἐπὶ τὴν μάχην. ὁ Ξάνθος ἐπεστράφη, τὸν δεύτερον ὀψόμενος. καὶ ὑπὸ τοῦ Μελάνθου τῷ ξυστῷ διελαθεὶς, ἀνῃρέθη. *Duces bello certant de victoria; atque, postquam convenissent, inquit Melanthus: Et tu sane injuste agis, qui secundum in pugnam adducis. quam ob rem conversus Xanthus, ut secundum hunc videret, a Melantho, hasta trajectus, interficitur*. Frontinus, *Stratag.* lib. II. cap. V. *Melanthus, dux Atheniensium, cum, provocatus a rege hostium, Xantho Bœotio, descendisset ad pugnam, ut primum cominus stetit, Inique, inquit Xanthe, & contra pactum facis; adversus solum enim cum altero processisti: cumque admiratus ille, quisnam se comitaretur, respexisset, aversum uno ictu confecit*: Scholiastes Aristophanis, ad *Pacem*. Ἀθηναίων περὶ Κελαινῶν πρὸς Βοιωτοὺς πόλεμον ἀραμένων, Ξάνθος Βοιωτὸς προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην. καὶ οὗτος μὲν οὐκ ἐδέξατο. Μέλανθος δέ τις, Ἀρκὰς τὸ γένος ἐν Ἀττικῇ ὢν, καὶ οἰκῶν,

ὑπέστη τὸ μονομαχεῖν. κ. κατελθόντων αὐτῶν εἰς τὸ ἀφωρισμένον πεδίον ἐπὶ τὸ μονομαχῆσαι, ὁ Μέλανθος δόλῳ ἀναιρεῖ τὸν Ξάνθον. προσιόντι γὰρ αὐτῷ, ἔφη· ἀδικεῖς, ὦ Ξάνθε, μόνος φήσας παραγενέσθαι, κ. δεύτερος παραγενόμενος. ἐφ᾽ ᾧ στραφεὶς ὁ Ξάνθος, ὡς θεασόμενος τὸν ἥκοντα, ἐτρώθη παρὰ Μελάνθου, κ. ἀπώλετο. *Cum Athenienses adversus Bœotos bellum suscepissent de Celænis, Xanthus Bœotus provocavit regem Atheniensium Thymœtem. atque ille quidem recusavit; sed Melanthus quispiam, ex Arcadia genus ducens, qui in Attica erat, degebatque, duellum suscepit. cumque in campum destinatum, ad certamen singulare, convenissent, Melanthus dolo Xanthum occidit. nam, cum comminus accessisset, Inique facis, inquit, Xanthe; qui secundus huc adveneris, cum venturum solum dixeris. ad quæ verba dum convertit sese Xanthus, ut respiceret venientem, a Melantho vulneratur, & occiditur.* Paullo aliter idem ad *Acharnenses* refert: non excogitatum dolum a Melantho, sed revera quempiam a tergo ejus conspicatum, nigra pelle caprina indutum. Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξάνθος δὲ Βοιωτὸς, προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην. οὐ δεξαμένου δὲ, Μέλανθος ἐπιδημῶν, Μεσσήνιος τὸ γένος, ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως, ὑπέστη, ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. μονομαχούντων δὲ, ἐφάνη τῷ Μελάνθῳ τις ὄπισθεν τοῦ Ξάνθου, τραγῆν μέλαιναν ἐνημμένος. ἔφη οὖν, ἀδικεῖν αὐτὸν, δεύτερον ἥκοντα. ὁ δὲ ἐπεστράφη. ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτόν. *Bellum erat Atheniensibus adversus Bœotos de Celænis, qui est locus in confiniis. Xanthus vero Bœotus provocavit Atheniensium regem Thymœtem. atque eo recusante, agens illic Melanthus, Messenius genere, a Periclymeno oriundus, Nelei filio, in se recepit, ea lege, ut regnum acciperet. itaque, cum jam certamine singulari depugnarent, quispiam a Xanthi tergo a Melantho est conspectus, pelle caprina nigra amictus. qua de causa cum is diceret, inique fieri a Xantho, qui secundum secum adduceret, atque ille hunc respiceret, convertentem se Melanthus interfecit.* Quæ totidem verbis etiam Suidas, *in* Ἀπατούρια: & Apostolius, *Cent.* III. *Proverb.* LXXIV. Alii tradunt, se Melanthum voto quodam obstrinxisse, si decipere Xanthum posset, Baccho sacra facturum esse: eumque in pugna apparuisse, pelle caprina nigra indutum. *Etymologici Auctor.* Μέλανθος δὲ παρόντων Ἀθηναίων, ὑπέστη τὴν μονομαχίαν. κ. συνιόντων εὔξατο, εἰ ἀπατήσοι τὸν Ξάνθον, θύσειν τῷ Διονύσῳ. φανῆναι δὲ τὸν Διόνυσον τῷ Ξάνθῳ, αἰγέαν ἐνειμένον μέλαιναν. *Melanthus vero, præsentibus Atheniensibus, duellum suscepit. cumque jam congrederentur, votum fecit, si Xanthum falleret, Baccho sacra se facturum. apparuisse vero Bacchum Xantho, caprina pelle nigra amictum.* Sed est potius scribendum; φανῆναι δὲ τὸν Διόνυσον τῷ Μελάνθῳ. *apparuisse vero Bacchum Melantho.* Nam hoc verum est: & Melanthus Bacchum videbat, a tergo Xanthi. Et sic habent, *Scholiastes Aristophanis*, *Suidas*, atque Apostolius, in *citatis ante locis*. *Conon* ait, visum hominem imberbem. Ἐπειδὴ δ᾽ εἰς λάχην ἧκον καθορᾷ ὁ Μέλανθος φάσματί, τῷ Ξάνθῳ ἄνδρα ἑπόμενον ἀγένειον. *Ubi vero pugnam iniere, vidit Melanthus visum quoddam, virum a tergo Xanthi imberbem.* Adeoque in memoriam hujus victoriæ, dolo reportatæ a Melantho, festum institutum fuit, Ἀπατούρια, quasi dicas *Deceptoria*, ea ex re appellatum: & ob eum, qui cum pelle caprina nigra conspectus erat, aram Bacchi, τοῦ Μελαναιγίδος cognomento, erexerunt. Memorant utrumque *Auctores*, quos citavi. *Conon*, Bacchi cognomentum Μελανθίδην, non Μελαναιγίδα, tradit: tum & Jovi Ἀπατουρίῳ, *Deceptori*, sacra facta. Ἀθηναῖοι δ᾽ ὕστερον Διονύσῳ Μελανθίδῃ κατὰ χρησμὸν ἱερὸν ἱδρυσάμενοι, θύουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος. κ. τῷ Ἀπατουρίῳ Διῒ ἱερὰ ἀνάπτοντες, ὅτι αὐτοῖς ἐκ τῆς ἀπάτης ἀγώνισμα ἐγένετο. *Athenienses vero postea Baccho Melanthidæ ex oraculo fanum postquam dedicassent, quotannis illi sacra faciunt: Jovi quoque Apaturio sacrificantes, quia dolum in certamine adhibuissent.* Ac Jupiter quidem, qui *Cononi* Ἀπατούριος, is *Auctori Etymologici* Ἀπατήνωρ nominatur. Ἀπατήνωρ, οὐχ ὁ Διόνυσος, ἀλλὰ Ζεύς. *Apatenor, non Bacchus, sed Jupiter.* Et *postea*. Νικήσαντες οὖν Ἀθηναῖοι, Ἀπατήνορα μὲν Δία προσηγόρευσαν. Ἀπατούρια δὲ, ἑορτὴν τῷ Διονύσῳ. *Itaque victoria potiti Athenienses, Apatenorem quidem Jovem appellarunt: Apaturia vero, festum Baccho.* Ac dum regnum, eo modo comparatum, administrat, venere Athenas Iones: qui admissi in civitatem, ob memoriam Ionis, atque ejus meritorum. Pausanias, in *Achaicis*. Ἴωνας δὲ, ἀφικομένους ἐς τὴν Ἀττικὴν, Ἀθηναῖοι, κ. ὁ βασιλεὺς αὐτῶν Μέλανθος Ἀνδροπόμπου, συνοίκους ἐδέξαντο, Ἴωνός τε οὕνεκα, κ. ἔργων ἃ ἔπραξε, πολεμαρχῶν Ἀθηναίοις. *Ionas vero, cum in Atticam venissent, Athenienses, & eorum rex Melanthus, Andropompi filius, recepere in civitatem, in gratiam Ionis, & gestarum ab illo rerum, cum is bello ab Atheniensibus præfectus esset.* Regnavit autem annos septem, & triginta. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἑκκαιδέκατος Μέλανθος Ἀνδροπόμπου Πύλιος ἔτη λζ΄. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit decimussextus Melanthus, annis triginta septem*. Ac consentiunt *Marianus*, & *Vincentius Bellovacensis*.

CAP. XI.

Melantho vita functo, regnum devolutum in Codrum, ejus filium. Quomodo id adeptus fuerit, erutum, ex Aristotele: cujus locum viros doctos minus recte explicare, indicatum. In Atticam incursantes Heraclidas mox repellit, ejicitque: & Megarica contentos esse cogit. Inde, aliis bello eum impetentibus, cum oraculum edixisset, armis superiores fore Athenienses, si ipsorum rex occumberet, ipse sese, animo plane generoso, & affectu in subjectos singulari, morti offert: ac, dissimulato habitu urbe egressus, hostibusque in se studio concitatis, interficitur.

MELANTHO mortuo, regnum accepit filius Codrus: qui *Exemplar Imperatoribus*, ob virtutem, & affectum in rempublicam, apud *M. Senecam* dicitur. Atque id adeptus fuit, ob rempublicam, bello præclarissime gesto, servitute liberatam. Indicat id Aristoteles, *Politic.* libro V. cap. X. Καθάπερ οὖν εἴπομεν, ἡ βασιλεία τέτακται κατὰ τὴν ἀριστοκρατίαν. κατ᾽ ἀξίαν γάρ ἐστιν, ἢ κατ᾽ ἰδίαν ἀρετὴν, ἢ κατὰ γένος, ἢ κατ᾽ εὐεργεσίας, ἢ κατὰ ταῦτά γε, κ. δύναμιν. ἅπαντες γὰρ εὐεργετήσαντες, ἢ δυνάμενοι τὰς πόλεις, ἢ τὰ ἔθνη, εὐεργετεῖν, ἐτύγχανον τῆς τιμῆς ταύτης. οἱ μὲν, κατὰ πόλεμον κωλύσαντες δουλεύειν, ὥσπερ Κόδρος. οἱ δ᾽, ἐλευθερώσαντες, ὥσπερ Κῦρος. *Quemadmodum igitur diximus, regnum ad aristocratiam est accommodatum. Est enim ex dignitate, vel ratione propriæ virtutis, vel generis, vel beneficiorum, vel & horum, & potestatis. Nam omnes, quia beneficiis affecerint, vel afficere potuerint, civitates, aut gentes, hunc honorem sunt adepti; hi quidem, depulsa bello servitute, uti Codrus: illi vero, parta libertate, uti Cyrus.* Unicus est *Aristotelis* ille locus: neque alii hoc commemorant, qui quidem ad manus nostras pervenere. Minus recte viri docti ad Peloponnesiorum, de quo statim sum dicturus, bellum referunt; quo amisit regnum

Codrus, ut & vitam, non paravit: quod Philosophus sat diserte nobis dicit. Postquam autem regnum consecutus fuit, vicit etiam Heraclidas, Atticam armata manu invadentes: &, expulsos regione omni cætera, sola se Megarica continere jussit. Strabo, *lib.* IX. Εὐανδρούσης δὲ τῆς Αττικῆς, διὰ τοὺς συνοικίας, φοβηθέντες οἱ Ηρακλεῖδαι, παροξυνάντων αὐτοὺς μάλιστα τῶν ἐν Κορίνθῳ, καὶ τῶν ἐν Μεσσήνῃ, τῶν μὲν διὰ τὴν γειτνίασιν, τῶν δὲ ὅτι Κόδρος ἐβασίλευε τῆς Αττικῆς τότε, ὁ τοῦ Μελάνθου παῖς, ἐστράτευσαν ἐπὶ τὴν Αττικήν. ἡττηθέντες δὲ μάχῃ, τῆς μὲν ἄλλης ἐξέστησαν γῆς, τὴν Μεγαρικὴν δὲ κατέσχον. *Cum autem Attica viris frequens esset, propter exules, timentes sibi Heraclidæ, incitantibus maxime Corinthiis, & Messeniis; illis, ob vicinitatem; his, quod filius Melanthi Codrus regnum Atticæ tunc obtineret; bellum Atticæ intulerunt: prœlioque superati, reliqua quidem terra omni sunt ejecti, sed Megaricam tenuerunt.* Sed illustre maxime fuit regnum ejus suo fine: quem Auctores passim celebrant. Audiamus accurate memorantem Valerium Maximum, *lib.* V. *cap.* VI. *ex.* I. *ext. Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti exercitu hostium Attica regio debilitata, ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii, ad Apollinis Delphici oraculum confugit. perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset; respondit deus: ita finem illi fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis, percrebuit. eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus imperii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit: unumque ex his, falce sua percussum, in cædem suam compulit. Cujus interitu, ne Athenæ occiderent, effectum est.* Polyænus, *lib.* I. *cap.* XVIII. Αθηναίοις, καὶ Πελοποννησίοις, πόλεμος ἦν. ὁ θεὸς ἔχρησε νικᾶν Αθηναίους, εἰ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν ἀποθάνοι πρὸς ἀνδρὸς Πελοποννησίου. Κόδρος ἦν Αθηναίων βασιλεύς. οἱ πολέμιοι, τὸ λόγιον εἰδότες, κοινὸν αὐτοῖς ἦν παράγγελμα, ἐν ταῖς μάχαις ἀπέχεσθαι Κόδρου. ὁ δὲ, ἦν γὰρ ἑσπέρα, σχῆμα φρυγανιστῆρος λαβὼν, τοῦ χάρακος παρελθὼν, ἔτεμνε τὴν ὕλην. ἔτυχον δὲ καὶ Πελοποννήσιοι ἄνδρες κατὰ φρυγανισμὸν ἥκοντες. ἀψιμαχεῖ τούτοις Κόδρος, ὥστε καὶ τὸ δρέπανον ἐπ' αὐτοὺς ἐπανατεινάμενος, ἔτρωσεν. οἱ δὲ φθάσαντες ἀνακαίνουσιν αὐτὸν τοῖς δρεπάνοις· καὶ γανύμενοι ἀπηλλάγησαν, ὡς ἀνδραγάθημα δὴ πεποιηκότες παιωνίσαντες. Αθηναῖοι, (τί γὰρ οὐκ ἔμελλον, τοῦ λογίου πεπληρωμένου;) θυμῷ καὶ ῥώμῃ πλείονι προΐασιν εἰς μάχην. καὶ πρὸ τῆς μάχης κήρυκα πέμψαντες, ᾔτησαν ἀναίρεσιν τοῦ βασιλέως. Πελοποννήσιοι μὲν οὖν, σωθέντες τοῦ γεγονότος ἔφυγον. *Atheniensibus, & Peloponnesiis, bellum erat. & oraculo respondit deus victores Athenienses fore, si a viro Peloponnesio rex ipsorum occideretur. atque rex tunc Codrus erat. Hostes, postquam de oraculo accepissent, commune edictum proposuerunt, ut in prælio cuncti a Codro abstinerent. At ille, siquidem vespera erat, habitu lignatoris sumpto, fossam transgressus, ligna cædebat. ac venere etiam ad lignationem viri quidam Peloponnesii, cum quibus pugnam incipit Codrus, falce extensa eos vulnerans. illi autem ocyus eum falcibus interficiunt: ac cum gaudio, velut re præclare gesta, mox discedunt, pœana canentes. Athenienses, (nam quid non facturi essent, jam oraculo impleto?) animo majore, & viribus, in pugnam prodeunt. ante quam tamen consererent manum, per præconem petunt, uti tollere ad sepulturam regem liceat. verum re Peloponnesii intellecta, se in fugam conjecere.* Vellejus, *l.* I. *cap.* II. *Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. quippe, cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste occisus esset, eos futuros superiores; deposita veste regia, pastoralem cultum induit: immistusque castris hostium, de industria, imprudenter rixam ciens, interemptus est. Codrum, cum morte æterna gloria; Athenienses, secuta victoria est.* Videndi quoque, Justinus, *lib.* II. Conon, *Narrat.* XXVI. Augustinus, de *Civ. Dei*, l. XVIII. cap. XIX. Joannes Tzetzes, *Chil.* I. *cap.* IV. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*; Sostratus, *Thracicorum* libro II. Pausanias in *Atticis*, & *Achaicis*; Otho Frisingensis, *lib.* I. *cap.* XXVIII. Eusebius, & Hieronymus, in *Chronicis*; Suidas, *in* Εὐγενέστερος Κόδρου. Sed Lycurgus ante omnes, *Orat.* in Leocratem: cujus verba hic repræsentanda censeo. Επὶ Κόδρου βασιλεύοντος, Πελοποννησίοις γενομένης ἀφορίας κατὰ τὴν χώραν αὐτῶν, ἔδοξε στρατεύειν ἐπὶ τὴν πόλιν ἡμῶν, καὶ, ἡμῶν τοὺς προγόνους ἐξαναστήσαντας, κατανείμασθαι τὴν χώραν. καὶ πρῶτον μὲν, εἰς Δελφοὺς ἀποστείλαντες, τὸν θεὸν ἐπηρώτων, εἰ ἐπιλήψονται τὰς Αθήνας. ἀνελόντος δὲ τοῦ θεοῦ αὐτοῖς, ὅτι τὴν πόλιν αἱρήσουσιν, ἐὰν μὴ τὸν βασιλέα τῶν Αθηναίων Κόδρον ἀποκτείνωσιν, ἐστράτευον ἐπὶ τὰς Αθήνας. Κλεόμαντις δὲ, τῶν Δελφῶν τὶς, πυθόμενος τὸ χρηστήριον, δι' ἀπορρήτων ἐξήγγελε τοῖς Αθηναίοις. φασὶ γοῦν τὸν Κόδρον, παραγγείλαντα τοῖς Αθηναίοις προσέχειν, ὅταν τελευτήσῃ τὸν βίον, λαβόντα πτωχικὴν στολὴν, ὅπως ἂν ἀπατήσῃ τοὺς πολεμίους, κατὰ τὰς πύλας ὑποδύντα, φρύγανα συλλέγειν πρὸ τῆς πόλεως. προσελθόντων δ' αὐτῷ δυοῖν ἐκ τοῦ στρατοπέδου, καὶ τὰ κατὰ τὴν πόλιν πυνθανομένων, τὸν ἕτερον αὐτῶν ἀποκτεῖναι, τῷ δρεπάνῳ προσπεσόντα. τὸν δὲ περιλελειμμένον, παροξυνθέντα τῷ Κόδρῳ, καὶ νομίσαντα πτωχὸν εἶναι, σπασάμενον τὸ ξίφος, ἀποκτεῖναι τὸν Κόδρον. τούτων δὲ γενομένων, οἱ μὲν Αθηναῖοι, κήρυκα πέμψαντες, ἠξίουν δοῦναι τὸν βασιλέα θάψαι, λέγοντες αὐτοῖς ἅπασαν τὴν ἀλήθειαν. οἱ δὲ Πελοποννήσιοι, τοῦτον μὲν ἀπέδοσαν. γνόντες δὲ, ὡς οὐκ ἔτι δυνατὸν αὐτοῖς τὴν χώραν κατασχεῖν, ἀπεχώρησαν. *Codro regnum obtinente, Peloponnesiis, sterilitate laborantibus, visum fuit, bello petere urbem nostram: &, majoribus nostris pulsis, regionem distribuere. ac primo quidem, missis Delphos legatis, Apollinem interrogabant, an capturi Athenas essent. cumque respondisset deus, capturos fore, nisi regem Atheniensium interficerent, bellum contra Athenienses susceperunt. Cleomantis vero, quidam e Delphorum civibus, cum oraculum rescivisset, clam id Atheniensibus enuntiat. qua de causa Codrum ajunt, cum mandasset Atheniensibus, uti, quando cæsus esset, observarent; habitu mendici sumpto, quo decipere hostem posset, porta clanculum exiisse, ad sarmenta colligenda. cumque duo ad ipsum e castris accessissent, ac res urbis sciscitarentur, alterum horum, falce irruentem, occidisse. & superstitem, adversus Codrum, quem mendicum existimaret, asperatum, stricto gladio, Codrum rursum occidisse. quibus actis, Athenienses per præconem regem sibi, ut sepeliant, reddi petunt, veritatem ipsis omnem exponentes. Ac Peloponnesii quidem, ipsum reddunt: gnari vero, non se deinceps expugnare urbem posse, discessere.* Meminerunt etiam strictim, Plato, in *Convivio*; Cicero, *de Fin.* lib. V. &, de *Nat. deorum*, libro III. Horatius, *lib.* III. *Od.* XIX. Pollux, *l.* X. *cap.* XXIX. Lactantius, *lib.* III. *cap.* XII. Hieronymus, in *Epist.* ad Ephes. *cap.* I. Theodoretus, *Therapeut.* lib. VII. & plures alii.

CAP. XII.

Dissidium Auctorum, in historiæ hujus partibus; cum Peloponnesios quidam; alii, Lacedæmonios; & nonnulli, Dorienses; vel, & Thraces; bellum id intulisse tradant. atque de prioribus tribus, res composita: ac fortasse & de Thracibus. Variatum & de oraculo; quod nonnulli Atheniensibus, quidam hostibus datum tradunt: quidam etiam non explicant, utra illud pars acceperit. Etiam neque de habitu omnes eadem memorare, indicatum: ac Valerius Maximus forte emendatus.

VERUM, in historiæ partibus, dissentire Auctores video: quosdam etiam plenius aliis eam totam enarrare. ego singula, data nunc occasione, explicanda mihi censeo. Ac primo quidem, quisnam ille hostis fuerit, qui Athenis bellum per id tempus moverit, varie tradunt: & sunt, qui Peloponnesios; item, qui Lacedæmonios; alii quoque, Dorienses; quidam rursus, Thraces dicunt. Et Peloponnesios quidem, Lycurgus memorat, in *citatis ante verbis*. Ἐπὶ Κόδρε βασιλεύοντος, Πελοποννησίοις, γενομένης ἀφορίας κατὰ τὴν χώραν, ἔδοξε στρατεύειν ἐπὶ τὴν πόλιν ἡμῶν. *Codro regnum obtinente, Peloponnesiis sterilitate laborantibus, visum fuit, bello petere urbem nostram*. Polyænus. Ἀθηναίοις, καὶ Πελοποννησίοις, πόλεμος ἦν. *Atheniensibus, & Peloponnesiis, bellum erat*. Augustinus, de Civit dei, *l.* XVIII. *c.* XIX. *Per idem tempus Codrus, rex Atheniensium, Peloponnensibus, ejusdem hostibus civitatis, se interficiendum ignotus objecit*. Orosius, *lib.* I. *cap.* XVIII. *Peloponnensium clades, Codro moriente*. Ac consentiunt, Eusebius, & Hieronymus, in *Chronicis*; Otho Frisingensis, *lib.* I. *cap.* XXVIII. ac Pausanias, in *Atticis*, & *Achaicis*. Lacedæmonios, tradit Isaacius Tzetzes, in *Lycophronem*. Πολεμέντων Λακεδαιμονίων τοῖς Ἀθηναίοις, χρησμὸν ἔλαβον οἱ Λακεδαιμόνιοι, φυλάττεσθαι κτείνειν τὸν Ἀθηναίων στρατηγόν. *Bellum gerentibus Lacedæmoniis adversus Athenienses, oraculum accepere Lacedæmonii, ut caverent, ne Atheniensium ducem interficerent*. Et mox. Μαθόντες δὲ τοῦτο οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἀπηλλάγησαν. *Lacedæmonii, postquam illud rescivissent, discessere*. Vellejus, *lib.* I. *cap.* II. *Cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent*. Servius, ad *Eclogam* V. *Codrus dux Atheniensium fuit; qui, orto bello inter Laconas, & Athenienses, cum respondisset oraculum*, &c. Joannes Tzetzes, *Chil.* I. *cap.* IV.

> Λακώνων Ἀθηναίων τε ποτὲ γὰρ πολεμέντων,
> Χρησμὸς ἐδόθη Λάκωσι, μεγάλως ἡττηθῆναι,
> Ἂν τις ἐκ τέτων στρατηγὸν τῶν Ἀθηναίων κτείνῃ.
> *Lacedæmoniis enim & Atheniensibus olim bellantibus,*
> *Oraculum datum est Lacedæmoniis, insigniter vincendos fore,*
> *Si quis ex illis ducem Atheniensium occidisset.*

Pausanias utrosque nominat, in *Achaicis*. Ταῦτα Ἕλλησιν ἦλθεν ἐς μνήμην, ὅτε ἀφίκοντο ἐπὶ Ἀθήνας Πελοποννήσιοι, τότε Κόδρον τοῖς Ἀθηναίοις βασιλεύοντος. ὁ μὲν δὴ ἄλλος στρατὸς τῶν Πελοποννησίων, ἀπεχώρησεν ἐκ τῆς Αττικῆς, ἐπειδὴ ἐπείθοντο τοῦ Κόδρου τὴν τελευτὴν, καὶ ὅν τινα ἐγένετο αὐτῷ τρόπον· οὐ γὰρ εἶναι νίκην ἔτι σφίσι, κατὰ τὸ ἐκ Δελφῶν μάντευμα, ἤλπιζον. Λακεδαιμονίων δὲ ἄνδρες, γενόμενοι μὲν ἐντὸς τείχους, λανθάνουσιν ἐν τῇ νυκτί. ἅμα δὲ ἡμέρᾳ, τούς τε ἑαυτῶν ἀπεληλυθότας αἰσθάνονται, καὶ, ἀθροιζομένων ἐπ' αὐτοὺς τῶν Ἀθηναίων, καταφεύγουσιν ἐς τὸν Ἄρειον πάγον. *Hæc redierunt in memoriam Græcis, cum essent Peloponnesii Athenas adorti, rege Codro. tunc enim ex Attica reliquæ Peloponnesio-* A *rum copiæ recesserunt, audita Codri morte. cognitoque mortis genere. neque enim, juxta Delphicum responsum, spes ulla reliqua erat. Ex Lacedæmoniis autem ii, qui intra mœnia erant, illa nocte delitebant: verum, postquam illuxisset, & Athenienses in eos concurrerent, in Areopagum confugerunt*. Sed concilio; nam Laconica erat e Pelloponnesi regionibus: quæ a Mela referuntur, in hunc modum, *lib.* II. *cap.* III. *In Peloponneso Argolis, Laconice, Messenia, Achaja, Etis, Arcadia*. Quidam, Dorienses tradunt, uti dixi: estque inter illos Conon, *Narrat.* XXVI. Καὶ ἀμειψάμενος (ὁ Κόδρος) τὴν στολὴν, ὡς εἷς τῶν ξυλοφόρων, ὑφ' ἑνὸς τῶν Δωριέων ἀναιρεῖται. B καὶ γνόντες ὕστερον Δωριεῖς, καὶ ἀπογνόντες τὴν νίκην, ἐσπείσαντο Ἀθηναίοις. *Cum mutasset (Codrus) vestem, quasi lignatorum unus, a quodam Doriensium occiditur. idque postquam cognovissent Dorienses, de victoria desperantes, fœdus cum Atheniensibus pepigerunt*. Justinus, *lib.* II. *cap.* VI. *Erant inter Athenienses, & Dorienses, simultatum veteres offensæ: quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prælii oracula consuluerunt. responsum, superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent*. Ac deinde. *Cognito regis corpore, Dorienses sine prœlio discedunt*. Ammianus, *lib.* XXVIII. *cap.* I. *In Asia per Nileum multo ante locati, Codri* C *illius filium, qui se pro patria bello fertur Dorico devovisse*. Nec aliter Herodotus, *lib.* V. Suidas, *in* εὐγενέστερος Κόδρου; Joannes Salisberiensis, *Polycratici* lib. IV. cap. III. Aristides, in *Panathenaica*, Corienses, & Peloponnesios, refert. Κόδρος δὲ, ἐν τῷ πρὸς Δωριέας πολέμῳ, καὶ Πελοποννησίους, αὐτὸς ἐθελοντὴς (λέγεται) ἀποθανεῖν. *Codrus vero, bello contra Dorienses, & Peloponnesios, ultro pro regione (fertur) mortes oppetiisse*. Certe Doris, quam vocabant, non inter Peloponnesi regiones, verum Græciæ, proprie sic appellatæ, censebatur. sed sciendum, Peloponnesios lingua Dorica usos esse: atque ita Dorienses ab Auctoribus, quos citavi, D in historia hac vocari. Enim vero quid de Sostrato statuemus, qui a Thracibus bellum illud gestum dicit? Ecce tibi verba ejus, e *secundo Thracicorum libro* sumpta, apud Stobæum, *Serm.* VII. Ἀθηναῖοι, πρὸς Θρᾷκας πόλεμον ἔχοντες, στρατηγὸν ἐχειροτόνησαν Κόδρον. *Athenienses, orto contra Thracas bello, ducem elegerunt Codrum*. Equidem non alios putandos censeo, quam qui Dauliam, Phocidis urbem incolebant; de quibus & supra dixi, *lib.* II. *cap.* IV. suntque & illi Dorienses, uti & Peloponnesii, verum tamen non Lacones. Itaque non hoc expedio. Porro neque de oraculo satis convenit inter Auctores, ho- E stibusne illud datum, an Atheniensibus fuerit. Atheniensibus quidem datum dicit Valerius Maxim. *lib.* V. *cap.* VI. *ex ext.* I. *Codrus, cum ingenti exercitu hostium Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur; diffidentia humani auxilii, ad Apollinis Delphici oraculum confugit: perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset*. Polyænus, *lib.* I. *cap.* XVIII. Ἀθηναίοις, καὶ Πελοποννησίοις, πόλεμος ἦν. ὁ θεὸς ἔχρησε, νικᾶν Ἀθηναίους, εἰ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν ἀποθάνοι πρὸς ἀνδρὸς Πελοποννησίου. Κόδρος ἦν Ἀθηναίων βασιλεύς. οἱ πολέμιοι, τὸ λόγιον εἰδότες, κοινὸν αὐτοῖς ἦν παράγγελμα, ἐν ταῖς μάχαις ἀπέχεσθαι Κόδρου. *Atheniensibus,* F *& Peloponnesiis, bellum erat. oraculo respondit deus, Athenienses victores fore, si rex ipsorum a viro Peloponnesio occideretur. hostes, postquam de oraculo accepissent, commune edictum proposuerunt, ut a Codro in præliis omnes abstinerent*. Non expresse quidem dicit, ab Atheniensibus consultum oraculum, sed colligere tamen licet satis certo. Contra, hostes oraculum consuluisse, alii volunt. *Lycurgus*. Ἐπὶ Κόδρου βασιλεύοντος, Πελοποννησίοις γενομένης ἀφορίας κατὰ τὴν χώραν αὐτῶν, ἔδοξε στρατεύειν ἐπὶ τὴν πόλιν ἡμῶν. καὶ, ἡμῶν τοὺς προγόνους

A *ἐξαναστήσαντας, κατανείμασθαι τὴν χώραν. καὶ πρῶτον μὲν εἰς Δελφοὺς ἀποστείλαντες, τὸν θεὸν ἐπηρώτων, εἰ ἐπιλήψονται τὰς Ἀθήνας. Codro regnum obtinente, Peloponnesiis, sterilitate laborantibus, visum fuit, bello petere urbem nostram: & majoribus nostris pulsis, regionem distribuere. ac primo quidem, missis Delphos legatis, Apollinem interrogabant, an capturi Athenas essent.* Justinus, *lib.* II. *cap.* VI. *Erant inter Athenienses, & Dorienses, simultatum veteres offensæ: quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prœlii oracula consuluerunt.* Joannes Salisberiensis, *Polycratici* lib. IV. cap. III. *Dorienses, cum Atheniensibus pugnaturi, de eventu prœlii oracula consuluerunt.* Sostratus, *Thracicorum* lib. II. B Χρησμὸν εἰλήφασιν οἱ πολέμιοι, ἐγκρατεῖς τῆς νίκης γενήσεσθαι, ἐὰν τοῦ στρατηγοῦ φείσωνται τῶν Ἀθηναίων. *Oraculum hostes accepere, fore ut victoriam obtineant, si Atheniensium duci parcerent.* Neque aliter Joannes Tzetzes, *Chil.* I. *cap.* IV. Isaacius Tzetzes, ad *Lycophronem*, Augustinus, de *Civit. dei*, lib. XVIII. cap. XIX. Conon, *Narrat.* XXVI. Quidam in medio relinquunt: nec exponunt, quibus illud datum fuerit. Vellejus, *lib.* I. *cap.* II. *Cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores.* Servius, ad *Eclogam* V. *Orto bello inter Laconas,* C *& Athenienses, cum respondisset oraculum, illos posse vincere, quorum dux ab hostibus fuisset occisus*, &c. Nec de habitu idem dicunt: nam mendici eum sumpsisse, tradit *Lycurgus*. Φασὶ γοῦν τὸν Κόδρον, παραγγείλαντα τοῖς Ἀθηναίοις, προσέχειν, ὅταν τελευτήσῃ τὸν βίον, λαβόντα πτωχικὴν στολὴν, ὅπως ἀπατήσῃ τοὺς πολεμίους, &c. *Qua de causa Codrum ajunt, cum mandasset Atheniensibus, uti, quando cæsus foret, observarent; sumpto habitu mendici, quo decipere hostem posset*, &c. Et *paullo post*. Τὸν δὲ παραλελειμμένον, παροξυνθέντα τῷ Κόδρῳ, καὶ νομίσαντα πτωχὸν εἶναι, σπασάμενον τὸ ξίφος, ἀποκτεῖναι τὸν Κόδρον. *Ac superstitem, adversum Codrum, quem mendicum* D *existimaret, asperatum, stricto gladio, Codrum occidisse.* Simpliciter *pauperis* habitu dissimulasse regem, tradit *Augustinus*. *Fefellit ergo eos, habitu pauperis apparendo.* Servius, *humilem* dicit. *Habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria.* Alii, *lignatoris* dicunt. Polyænus, *lib.* I. *cap.* XVIII. Ὁ δὲ, ἦν γὰρ ἑσπέρα, σχῆμα φρυγανιστῆρος λαβὼν, τοῦ χάρακος παρελθὼν, ἔτεμνε τὴν ὕλην. *Hic vero, siquidem vespera erat, habitu lignatoris sumpto, fossam transgressus, silvam cædebat.* Sostratus, Ὡς εἷς ξυλοφόρων, ὑφ' ἑνὸς τῶν Δωριέων ἀναιρεῖται. *Velut aliquis lignatorum, a Doriensium quodam occiditur.* Et Lycophron, Δρυηκόπον E dicit: de Neleo agens, ejus filio, in *Cassand.* v. 1378.

Τρίτος δ', ἄνακτος τοῦ δρυηκόπου γόνος.
Tertius vero, regis lignatoris filius.

Idem quoque est apud *Suidam*, & *Joannem Tzetzen*. Vellejus, *lib.* I. *cap.* II. *pastoris* dicit. *Deposita veste regia, pastoralem cultum induit.* Pollux, *rustici* ait, *lib.* X. *cap.* XXIX. Περὶ γὰρ τοῦ Κόδρου λέγων, ὅτι ἐπὶ φρυγανισμὸν ἐξῆλθεν ἐν ἀγροίκῳ τῇ σκευῇ, βουλόμενος λαθεῖν, φησίν. *Etenim de Codro loquens, quod lignatum egressus est rustico habitu, latere cupiens, dicit.* Cicero, *famuli:* Tuscul. Quæst. *l.* I. *c.* XLVIII. *Codrum, qui se in medios immisit hostes, veste famu-* F *lari, ne posset agnosci, si esset ornatu regio.* Ac fortasse sic Valerius Maxim. *lib.* V. *cap.* VI. *ex ext.* I. quoque scripsit. *Depositis insignibus imperii, famularem cultum induit.* Hactenus editur: *familiarem cul. ind.*

CAP. XIII.

Dissidium Auctorum etiam de morte ejus. Oraculum, a Cleomanti, seu Cleomene, indicatum: cui ideo, posterisque, præbitus in Prytaneo victus fuit. Quo diei tempore ex urbe exierit: tum &, ubi cæsus fuerit. Causa belli, frugum inopia; sive etiam, exules Peloponnesii, quos in urbem recepissent: & ex ea re simultas, plane vetus. Denique & belli illius dux ostensus.

QUOD ad Codri rixam attinet, est de hac Virgilii locus, *Eclog.* V. *vers.* II.

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Sed de morte, etiam ab aliis dissentit *Conon*, apud *Photium*: neque ultro se ad eam obtulisse, verum a civibus persuasum refert. Καὶ τοῦ χρησμοῦ γνωσθέντος Ἀθηναίοις, πείθουσι Κόδρον, ἑβδομηκοντούτην ὄντα, ἑκόντα δοῦναι ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. *Athenienses, cum oraculum rescivissent, persuadent Codro, septuagenario jam existenti, ut se volens pro patria devoveret.* Oraculum vero, postquam hostibus fere omnes datum dicant, ac deinde ad Athenienses emanasse; nemo tamen, quonam modo id resciverint, explicat, præter *Lycurgum*: qui id Cleomantim Delphicum clam enuntiasse dicit. Κλεόμαντις δὲ, τῶν Δελφῶν τις, πυθόμενος τὸ χρηστήριον, δι' ἀπορρήτων ἐξήγγελε τοῖς Ἀθηναίοις. *Cleomantis vero, quidam e Delphorum civibus, cum oraculum rescivisset, occulte id Atheniensibus enuntiat.* Adeoque, beneficii hujus ergo, postea Athenienses victum ei, posterisque, in Prytaneo decrevere. Idem Lycurgus *postea*. Τῷ δὲ Κλεομάντει τῷ Δελφῷ ἡ πόλις, αὐτῷ τε καὶ ἐκγόνοις, ἐν Πρυτανείῳ ἀΐδιον σίτησιν ἔδοσαν. *Cleomanti vero Delphico, cum ipsi tum posteris, perpetuum in Prytaneo victum urbs decrevit.* Apud *Suidam*, qui transscripsit hic Lycurgum, quanquam, uti fere solet, nomine dissimulato, Cleomenes, non Cleomantis, nominatur. Κλεομένην δὲ τὸν Δελφὸν, πυθέσθαι τὸν χρησμὸν, καὶ ἀποστεῖλαι τοῖς Ἀθηναίοις. *Cleomenem vero Delphicum, hoc oraculum audivisse, & misisse Atheniensibus.* Tempus diei, quo egressus urbe fuerit, vespertinum Polyænus nobis refert, *l.* I. *c.* XVIII. Ὁ δὲ, ἦν γὰρ ἑσπέρα, σχῆμα φρυγανιστῆρος λαβὼν, τοῦ χάρακος παρελθὼν, ἔτεμνε τὴν ὕλην. *Hic vero, siquidem vespera erat, sumpto lignatoris habitu, fossam transgressus, silvam cædebat.* Locum cædis designat Pausanias, in *Atticis*, juxta fluvium Ilissum. Ἐθέλουσι δὲ Ἀθηναῖοι, καὶ ἄλλων θεῶν ἱερὸν εἶναι τὸν Ἰλισσόν. καὶ Μουσῶν βωμὸς ἐπ' αὐτῷ ἐστιν Ἰλισσιάδων. δείκνυται δὲ καὶ ἔνθα Πελοποννήσιοι Κόδρον, τὸν Μελάνθου, βασιλεύοντα Ἀθηναίων, κτείνουσι. *Cupiunt vero Athenienses, & aliis diis sacrum esse Ilissum: & Musarum Ilissiadum ara est in ejus ripa. Ostenditur vero etiam locus, ubi Peloponnesii Codrum, Melanthi filium, occiderunt.* Porro neque illud mihi negligendum hic existimo; quænam belli causa fuerit: &, quo duce hostes usi. Causam, tres sunt qui exponunt; neque illi eodem modo: ducem, solus *Conon* tradit. Atque causam, *Lycurgus* quidem, frugum inopiam commemorat. Ἐπὶ Κόδρου βασιλεύοντος, Πελοποννησίοις, γενομένης ἀφορίας κατὰ τὴν χώραν αὐτῶν. ἔδοξε στρατεύειν ἐπὶ τὴν πόλιν ἡμῶν. *Codro regnum obtinente, Peloponnesiis, sterilitate laborantibus, visum fuit urbem nostram bello petere.* Et *Suidas*, istis verbis, ex Lycurgo commutatis. Γενομένης ἀφορίας κατὰ τὴν χώραν πᾶσαν, ἔδοξε στρατεύειν ἐπὶ τὰς Ἀθήνας. *Oborta sterilitate per universam regionem, visum fuit bello petere Athenas.* Ac *paulo ante*, ex Eudemo, ideo susceptum dicit illud bellum, quod Peloponnesios profugientes recepissent: Melanthum inter istos, Codri patrem. Ὁ Κόδρος, Δωριέων ἐπιστρατευσάντων Ἀθηναίοις, ἐπεὶ τοὺς ἐκ Πελοποννήσου φυγάδας προσεδέξαντο, ἐν οἷς καὶ Μέλανθον, &c. *Codrus, cum Dorien-*

ses bellum Atheniensibus intulissent, quod exules Peloponnesios recepissent, & in his Melanthum item, &c. Quæ totidem verbis, hinc descriptis, Apostolius, *Cent.* IX. *Prover.* XXVII. Et hoc ipsum a Justino *l.* II. *c.* VI. designatum, qui in causa veteres simultates ponit. *Erant inter Athenienses, & Dorienses, simultatium veteres offensæ: quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu prœlii oracula consuluerunt.* Sane offensæ veteres erant, & annorum amplius quinquaginta octo: siquidem tot numerantur a principio Melanthi, ad finem Codri. Ducem vero eo bello, fuisse Aleten, Hippotæ filium, refert hunc in modum *Conon*. Ὁ δὲ Ἱππότης ἀλώμενος, τίκτει παῖδα, ἐκ τῦ πράγματος Ἀλήτlω καλέσας. ὃς ἀνδρωθεὶς, ϗ μοῖραν τῦ Δωρικῦ συλλέξας, ϗ Σισυφίδας ἐκβαλὼν Κορίνθε, βασιλέας ὄντας, ϗ τὺς σὺν αὐτοῖς Ἴωνας, ἀνοικίζει τὴν πόλιν, ϗ ἐπῄει κατὰ τ Ἀττικῆς. ὅτε ϛ χρησμὸν λαμβάνει, νικήσειν, εἰ ἀπόσχοιτο τῦ βασιλέως Ἀθηναίων. *Hippotes vero oberrans, filium genuit, cui Aletæ ex re ea nomen dedit. qui, vir factus, Dorici populi parte collecta, ac Sisyphidis, qui tunc reges erant, ejectis Corintho, sociisque eorum Ionibus, urbem illam denuo habitatoribus replet, & in Atticam arma movet. quo tempore oraculum accipit, victorem fore, si a rege Atheniensium abstineret.*

CAP. XVI.

Quoto regni, & ætatis, anno obierit. Inter heroes relatus: statuaque ei Delphis, ubi cæteris heroibus, multo post hæc dedicata, e pugnæ Marathoniæ spoliis, a Phidia facta. Κόδροι *dicti viri pariter honorati, stolidique. Proverbium,* Κόδρυ εὐγενέςερος: *& ex hoc Themistii locus illustratus. Etiam alterum,* Πρεσβύτερος Κόδρυ. *Ejus liberi.*

ITAQUE Codrus hunc in modum simul regnum, & vitam perdidit: cum regnasset annos unum, & viginti. *Eusebius.* Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἑπτακαιδέκατος Κόδρος Μελάνθυ ἔτη κά. Hieronymus. *Atheniensibus regnavit decimus septimus Codrus, Melanthi filius, annos* XXI. Ac consentiunt, *Cedrenus, Marianus, & Vincentius.* Vixeratque annos tunc septuaginta. *Conon*, apud Photium, *Narrat.* XXVI. Καὶ, τῦ χρησμῦ γνωσθέντος τοῖς Ἀθηναίοις, πείθουσι Κόδρον, ἑβδομηκοντέτlω ὄντα, ἑκόντα δοῦναι ἑαυτὸν ὑπὲρ τ πατρίδος. *Et Athenienses, cum oraculum cognovissent, persuadent Codro, qui jam septuagenarius esset, uti volens patriæ se condonaret.* Ac defunctum Athenienses inter heroas retulere. Polyænus, *lib.* I. *cap.* XVIII. Ἀθηναῖοι δὲ, νικήσαντες, Κόδρῳ τιμὰς ἀνέςησαντο τῶν ἡρώων. ὅτιπερ τὺς πολεμίους ἑκυσίῳ θανάτῳ κατεςρατήγησεν. *Athenienses vero, victoria potiti, Codro honores heroum habuerunt: quod morte ultronea hostes solertia imperatoria superasset.* Augustinus, de *Civit. Dei*, libro XVIII. capite XIX. *Et hunc (Codrum) Athenienses, tanquam deum, sacrificiorum honore coluerunt.* Otho Frisingensis, *libro* I. *capite* XXVIII. *Quem (Codrum) Athenienses ob hoc cultu divino honorare decreverunt.* Quin & statuam illi Delphis dedicarunt, inter cæteros heroas: quamlibet post longum tempus, e manubiis celebris pugnæ Marathoniæ, a Phidia factam. Pausanias, in *Phocicis*, ubi Delphorum donaria describit. Εἰσὶ ϶ Ἀθηνᾶ τε ϛ Ἀπόλλων, ϗ ἀνὴρ τῶν ςρατηγησάντων, Μιλτιάδης. ἐκ ϶ τῶν ἡρώων καλυμένων, Ἐρεχθεὺς, ϛ Κέκροψ, ϗ Πανδίων, ϗ Κελεός τε, ϗ Ἀντίοχος, ὁ ἐκ Μιδέας Ἡρακλεῖ γενόμενος τ Φύλαντος. ἔτι δὲ Αἰγεύς τε ϗ παίδων τῶν Θησέως Ἀκάμας. ὗτοι μὲν φυλαῖς Ἀθήνησιν ὀνόματα κατὰ μάντευμα ἔδοσαν τὸ ἐκ Δελφῶν. ὁ δὲ Μελάνθυ Κόδρος, ϗ Θησεύς, ϗ Φυλεύς ἐςιν ὗτοι δὲ ὐκέτι τῶν ἐπωνύμων εἰ-

A σί. τὺς μὲν δὴ κατειλεγμένυς Φειδίας ἐποίησε. ϗ, ἀληθεῖ λόγῳ, δεκάτη ϗ ὗτοι τ μάχης εἰσί. *Sunt Minerva, & Apollo; &, ex iis qui exercitum duxerunt, Miltiades. ex iis vero, qui heroum nomine celebrantur, Erechtheus, Cecrops, & Pandion: Celeus etiam, & Antiochus, quem suscepit Hercules ex Midea, Phylantis filia. tum Ægeus, & de Thesei filiis, Acamas. hi enim Atheniensium tribubus ex Apollinis Delphici oraculo nomina dederunt. Sunt etiam, Melanthi filius Codrus, Theseus, & Phyleus: cum ab his tamen non acceperint tribus nomina. Atque hos quidem, quos percensuimus, Phidias fecit: suntque, ut vere fertur, ex decima pugnæ Marathoniæ.* Ab
B hoc quoque ortum proverbium, Εὐγενέςερος Κόδρυ. *Generosior Codro*: de quo est cum apud Suidam, tum apud Diogenianum, *Cent.* IV. *Proverb.* LXXXIV. & Apostolium, *Cent.* IX. *Proverb.* XXVII. Utiturque Lucianus, in *Timone*. Ὀμνύυσιν ἦ μὴν εὐμορφότερον μὲν Νιρέως εἶναι αὐτὸν, εὐγενέςερον δὲ τῦ Κέκροπος, ἢ Κόδρυ, συνετώτερον δὲ τῦ Ὀδυσσέως. *Jurantibus, aut Nireo formosiorem esse; aut generosiorem Cecrope, Codrove; aut prudentiorem Ulysse.* Iterum, in *Dialogo Simyli, ac Polystrati*. Κόδρυ δὲ εὐγενέςερος, ϗ Νιρέως Καλλίων, ϗ Ὀδυσσέως συνετώτερος. *Codro vero generosior, & Nireo formosior, & Ulysse*
C *prudentior*. Et respexit ad Proverbium hoc Themistius, *Orat.* I. Πάντας γὰρ τὺς κορυφαίυς, ἐν φιλοσοφίᾳ λάβοιτε ἂν, τὺς προγόνυς ἀνερευνῶντες, Διοτρεφεῖς τε ϗ Διογενεῖς, καθάπερ Ὅμηρος λέγει, ϛ τῇ παροιμίᾳ πρέποντας, τῇ ἀπὸ Κόδρυ. *Universos enim Philosophiæ principes invenietis, ab Jove, ut Homerus ait, genitos, & educatos: ac proverbio, quod a Codro usurpatur, convenientes.* Quin & hoc honori ejus est tributum; uti Κόδροι viri quique honorati dicerentur. *Suidas.* Οἱ δὲ ῥήτορες, τῷ Κόδρος ἐπὶ τῦ ἐντίμυ ἐχρήσαντο. ὥς φησιν Εὔδημος, ἐν τῷ Περὶ λέξεων ῥητορικῶν. *Rhetores autem, Codri voce usi sunt pro homine quodam honorato: sicut auctor est*
D *Eudemus, in Opere De dictionibus Rhetoricis.* Sed & contra, pro insulso, fatuoque, plures usi. *Hesychius.* Κόδρυς, ὓς ἡμεῖς λέγομεν κρονικύς τινας, τὸ ἀρχαῖον αὐτῶν ἐμφανίζοντες. *Codros, quos Saturnios nos dicimus, stultitiam ipsorum indicantes.* Rem & causam, tradit Eustathius, *Odyss.* α'. Κόδρος δὲ, θανάτῳ ἑαυτὸν ἐπιδιδὺς, ὑπὲρ τ τ πατρίων νίκης, ὡς ϗ Λυκόφρων ὑπολαλεῖ, ἐποίησε Κόδρυς καλεῖσθαι τὺς δι' ἀρχαιότητα εὐήθεις. *Codrus vero, cum in mortem se dedisset, pro victoria civium, quemadmodum & Lycophron innuit, fecit, ut Codri vocarentur, qui præ senio delirarent.* Nominis barbariem quandam notat Strabo, *lib.* VII. Καὶ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων δὲ ἐνίων
E τὸ βάρβαρον ἐμφαίνεται, Κέκροψ, ϗ Κόδρος. *Quin & ipsis nominibus quibusdam, ut sunt, Cecrops, & Codrus, barbaries ostenditur.* Certe pro insulso, ac fatuo, dixit etiam Martialis, *lib.* III. *epigramm.* XV.

Plus credit nemo quam tota Codrus in urbe,
Cum sit tam pauper: quomodo? cæcus amat.

Sic poetam insulsum perstringens Juvenalis, *Sat.* I. *vers.* 2.

Vexatus toties rauci Theseide Codri.

Iterum de alio quodam, item fatuo, *Sat.* III. *vers.*
F 203.

Lectus erat Codro Procula minor. ——

Nec multo post, *vers.* 208.

Nil habuit Codrus. quis enim negat? ——

Virgilius, *Ecloga* VII. *vers.* 26.

—— *invidia rumpantur ut ilia Codro.*

Aliud quoque proverbium ab eo usurpari solitum. Πρεσβύτερος Κόδρυ. *Antiquior Codro.* Tarrhæus, Πρεσβύτερος Κόδρυ. ἀντὶ τῦ παλαιότερος. παροιμία,

ἐπὶ τῶν παλαιῶν. ἀπὸ τοῦ βασιλεύσαντος Ἀθήνησι Κόδρου. *Antiquior Codro. Proverbium, de rebus vetustis: a Codro, qui Athenis regnavit*. Hesychius. Πρεσβύτερος Κόδρου. παροιμία, ἐπὶ τῶν πάνυ παλαιῶν. *Antiquior Codro. Proverbium, de rebus admodum vetustis*. Occurrit etiam apud *Suidam*, *Tarrhæum*, *Diogenianum*, & *Apostolium*. Ejus filii, plures sane exstitere: adeoque a Pausania, in *Achaicis*, memorantur, Medon, Nilus, Androclus, Cyarethus, Damasichthon, Prometheus, Andræmon, Damasus, Naoclus, & Cleopus. A *Strabone* referuntur, Androclus, Nileus, Androcopus, qui *Pausaniæ* Andræmon; Cydretus, qui *Pausaniæ* Cyarethus; Nauclus, qui *Pausaniæ* Naoclus, & Cnopus, qui *Pausaniæ* Cleopus: tum ex his Cydretum, Nauclum, item Cnopum, spurios dicit. Vide eum initio *libri* XIV. Medon, omnium natu maximus, regnum tenuit: Nileus autem, cæterique, per colonias, abs se ductas, nomen clarum paraverunt. Vide Auctores jam citatos, ac *citatis item locis*. Denique, Κοδρίδαι Athenis nuncupati, qui ab eo genus ducerent: ut ostendimus libro proprio, qui est, *de Familiis Atticis*.

CAP. XV.

Codro mortuo, reges esse desierunt: principesque constituti, qui in gestæ reip. rationes tenerentur. Horum primus Medon fuit, Codri filius: cui cum movisset litem Nileus frater, ab oraculo constitutus, principatum deinceps habuit. Id oraculum, quale fuerit, explicatum. Homerus, ut nonnulli volunt, a Medonte hospitio exceptus. Quam diu principatum gesserit. Μεδοντίδαι *ab eo dicti.*

MORTUO in hunc modum Codro, neminem post eum regem Athenienses voluere, quod honori ejus datum. verum principes statuerunt, instar regum, qui perpetui quidem essent, sed administratæ reip. rationes populo reddere tenerentur. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἕβδομος καὶ δέκατος Κόδρος Μελάνθου ἔτη κα. καὶ οὐκ ἔτι βασιλεῖς, ἄρχοντες δὲ διὰ βίου τοῖς Ἀθηναίοις καθίσταντο. *Atheniensium rex fuit decimus septimus Codrus, Melanthi filius, annis* XXI. *nec deinceps ulli reges, verum principes perpetui, Atheniensibus constituti*. Vellejus, l. I. cap. II. *Eodem fere tempore Athenæ sub regibus esse desierunt: quorum ultimus fuit Codrus*. Justinus, *libro* II. *cap.* VII. *Post Codrum, nemo Athenis regnavit: quod memoriæ ejus tributum est*. Nos, quia regum instar quoddam habuerunt, quasi reges memorabimus: quando alios Auctores idem facere animadvertimus. Itaque in principum numero, primus Medon, Codri filius, uti dixi, natu maximus. Hieronymus, in *Chronico*. *Post Codrum Principes, quos mors finiebat: quorum primus Medon, regnum in finem vitæ obtinuit Athenis*. Vellejus, *lib.* I. *c.* II. *Hujus (Codri) filius Medon primus Athenis Archon fuit*. Movebat ei controversiam frater Nileus, negans pariturum sese viro alterum pedem claudo: sed consultum super ea re oraculum, cum Medoni regnum patris attribueret, ipse, cæterique fratres, ad colonias deducendas discessere. Refert id Pausanias nobis, in *Achaicis*. Ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον, Μέδων, καὶ Νειλεὺς, πρεσβύτατοι τῶν Κόδρου παίδων, ἐστασίασαν ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς. καὶ οὐκ ἔφασκεν ὁ Νειλεὺς ἀνέξεσθαι βασιλευόμενος ὑπὸ τοῦ Μέδοντος, ὅτι ὁ Μέδων τὸν ἕτερον ἦν τῶν ποδῶν χωλός. δόξαν δὲ σφίσιν ἀνενεγκεῖν ἐς τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δελφοῖς, δίδωσι Μέδοντι ἡ Πυθία βασιλείαν τῶν Ἀθηναίων. Οὕτω δὴ ὁ Νειλεὺς, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων, ἐς ἀποικίαν ἀπεστάλησαν. *Non multis post annis, cum Medon, & Nileus, maximi natu Codri filiorum, de regno dissiderent, negaretque Nileus, regnum se Medontis ferre posse, qui altero pede claudus esset: rei cognitione oraculo Delphico permissa, respondit Pythia, regnum Atheniensium Medonti deberi. Itaque Nileus, cæterique Codri filii, in coloniam abiere*. Meminit istius fratrum controversiæ, & oraculo diremptæ, Ælianus, *Var. Hist.* libro VIII. cap. V. Νειλεὺς ὁ Κόδρου, τῆς βασιλείας ἀμοιρήσας, ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας. διὰ τὸ τὴν Πυθίαν Μέδοντι τὴν ἀρχὴν περιάψαι. *Nileus, Codri filius, postquam regno excidisset, reliquit Athenas: quia Pythia Medonti principatum tribuisset*. Oraculum vero, cujus meminere uterque, hoc præceperat; ut is regnum obtineret, qui sacrificaret prior, ubi saliva salivam tereret. itaque Medon, cum vidisset oleas duas, vento motas, ac collisas inter sese, scobem dantes, factis eo loco sacris, regnum Atticæ est adeptus. Refert id Isaacius Tzetzes, *Commentario* ad Lycophronem. Κόδρου δὲ τελευτήσαντος, Μέδων, καὶ Νειλεὺς, οἱ τούτου παῖδες, ἤριζον περὶ βασιλείας. ἐχρήσθη γοῦν αὐτοῖς, τὸν δὲ πρῶτον θύσαντα, ἔνθα ὁ σίαλος τὸν σίαλον τρίβει, λαβεῖν τὴν βασιλείαν. θεασάμενος οὖν ὁ Μέδων δύο ἐλαίας κινουμένας, καὶ πρίσμα πεμπούσας, θύσας ἐκεῖ, βασιλεύει τῆς Ἀττικῆς. *Mortuo autem Codro, Medon, & Nileus, ejus filii, de regno contendebant. oraculum vero ipsis datum est, qui sacrificasset primus ubi saliva salivam tereret, eum regnum accepturum. Itaque Medon, oleas duas conspicatus, vento agitatas, atque sese atterentes, & hinc scobem emittentes, cum sacrificasset illic, regnum Atticæ accepit*. Sub hoc, ut nonnulli tradunt, Homerus Athenas venit; & hospitio ab eodem est exceptus. Auctor libelli de *Homeri & Hesiodi certamine*. Παραγενόμενον δὲ (τὸν Ὅμηρον) ἐκεῖθεν εἰς Ἀθήνας, αὐτὸν ξενισθῆναι φησὶ παρὰ Μέδοντι, τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀθηνῶν. *Profectum autem (Homerum) inde Athenas, a Medonte, Atheniensium rege, hospitio exceptum ferunt*. Herodotus, de *Vita Homeri*, venisse quidem eum Athenas etiam tradit, verum tempus maluit conjiciendum nobis dare, quam exponere. Ἀφ' οὗ δὲ Ὅμηρος ἐγένετο, ἔτεά ἐστιν ἑξακόσια εἴκοσι δύο μέχρι τῆς Ξέρξεω διαβάσεως, ὃς στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας, καὶ ζεύξας τὸν Ἑλλήσποντον, διέβη ἐκ τῆς Ἀσίας ἐς τὴν Εὐρώπην. ἀπὸ δὲ τούτου ῥηϊδίως ἐστὶν ἀριθμῆσαι τὸν χρόνον, τῷ ἐθέλοντι ζητεῖν ἐκ τῶν ἀρχόντων Ἀθήνησιν. *Ab Homero autem nato, anni sunt sexcenti viginti duo, ad Xerxis usque in Græciam trajectum: qui, juncto ponte Hellesponto, exercitum ex Asia in Europam traduxit. Inde facile est tempus istud numerare, si quis ex principibus Atheniensium id investigare volet*. Itaque, si calculum ponimus, & ab illa expeditione Xerxis retro computamus annos sexcentos viginti duos, necesse est, natalem Homeri in Melanthi principatus annum octavum incidisse: fueritque annus ultimus Medontis, ei ætatis duodecimus; veneritque Athenas potius sub Acasti, Medontis filii, principatu. Et huc pertinent *Clementis* verba, quæ sequenti capite sum prolaturus. Regnum autem Medon tenuit, sive malis principatum, annos viginti. *Eusebius*. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ὀκτωκαιδέκατος Μέδων, ἔτη εἴκοσι. *Hieronymus*, quasi novos reges tradens, qui revera principes erant: *Atheniensibus regnavit primus Medon annis viginti*. Marianus Scotus. *Post Codrum principes, quos mors finiebat: quorum primus Medon, Codri filius, annis viginti*. Consentit & Vincentius Bellovacensis, *libro* II. *cap.* LIV. *Post Codrum vero fuerunt principes; quorum primus Medon regnum in finem vitæ obtinuit: & post eum cæteri reges. præfuit autem Atheniensibus annis viginti*. Qui ab eo genus ducerent, Μεδοντίδαι, *Medontidæ*, appellati. *Hesychius*, Μεδοντίδαι, οἱ ἀπὸ Μέδοντος Ἀθήνησι. *Medontidæ, qui Athenis genus suum ad Medontem re-*

ferebant. Vellejus, *lib.* I. *cap.* II. *Hujus (Codri) filius Medon primus Athenis Archon fuit. ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ*. Plura de his libro proprio, *de Familiis Atticæ*.

CAP. XVI.

Medontis posteri. Acastus. Vincentius Bellovacensis, & Gregorius Turonensis, restituti. Hesiodi, & Homeri ætas: Arxippus; sive, Archippus. Thersippus. Phorbas. Megacles. Vincentius Bellovacensis iterum correctus: uti etiam Freculphus. atque Marianus Scotus. Diognetus. Pherecles. Vincentius tertium emendatus. Ariphron. Thespieus. Vincentius quartum emendatus. Agamestor. Æschylus: ac sub eo Olympiades institutæ. Alcmæon: & post hunc perpetuorum principum finis. Regni Attici tempus omne computatur; atque reges in conspectu proponuntur. Sicanus, & Epænetus, reges: ac de iis Etymologi Auctoris, & Antigoni Carystii, error ostensus.

NUNC Medontidas, duodecim numero, quorum ut res nullæ sane, ab ipsis gestæ, memorantur, ita etiam vix nomina ad nos sola pervenere, uno hoc capite complectemur. Medonti patri successit filius Acastus, qui male Agastus est *Vincentio*; & Agasastus Gregorio Turonensi, *Hist. Franc.* lib. I. cap. XVII. regnavitque annis sex & triginta; testibus, *Eusebio*, *Hieronymo*, *Mariano*, & *Vincentio*. Meminit ejus Clemens: tanquam sub quo Homerus, & Hesiodus vixerint. Verba ejus ita habent, *Strom.* I. Εὐθυμένης δὲ, ἐν τοῖς Χρονικοῖς, *συνακμάσαντα (τὸν Ὅμηρον) Ἡσιόδῳ ἐπὶ Ἀκάστου ἐν Χίῳ γενέσθαι, περὶ τὸ διακοσιοστὸν ἔτος ὕστερον τῆς Ἰλίου ἁλώσεως. Euthymenes autem, in Chronicis, (dicit, Homerum) Hesiodo coætaneum sub Acasto natum in Chio, circa ducentesimum annum a captivitate Trojæ*. Reliquit autem filium Arxippum. Joannes Tzetzes, in *Prolegomenis in Hesiodum*. Ὁ δὲ Ἄρξιππος οὗτος, υἱὸς ἦν Ἀκάστου. *Arxippus vero hic, filius erat Acasti*. Atque is successit patri, tenuitque principatum annis novendecim; ut *Eusebius*, *Marianus*, *Hieronymus*, & *Vincentius*, sunt auctores: verum *Tzetzes*, is quem dixi, annos ei quinque & triginta tribuit. Συνηκμακέναι δ' αὐτὸν (τὸν Ἡσίοδον) οἱ μὲν Ὁμήρῳ φασὶν, οἱ δὲ καὶ Ὁμήρου προγενέστερον εἶναι διϊσχυριζόμενοι, ἐν ἀρχαῖς εἶναι φασὶ τῆς Ἀρξίππου ἀρχῆς. Ὅμηρον δὲ, ἐν τῷ τέλει. ὁ δὲ Ἄρξιππος οὗτος, υἱὸς ἦν Ἀκάστου, ἄρξας Ἀθηναίων ἔτη τριάκοντα πέντε. *Coætaneum autem ipsum (Hesiodum) hi quidem Homero dicunt: illi vero, Homero antiquiorem affirmantes, natum tradunt in principio Arxippi; Homerum autem, in ejus fine. Erat vero Arxippus hic, Acasti filius: qui Atheniensium principatum tenuit annos quinque & triginta*. Meminit illius quoque Tatianus, *Orat.* Contra Græcos: ubi similiter de Homeri ætate agit. Φιλόχορος δὲ, μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρξίππου. *Philochorus vero, post Ionicam coloniam, principe Athenis Arxippo*. Porro Archippus, quod eodem tamen recidit, scribitur apud *Hieronymum*, *Eusebium*, *Marianum*, *Vincentium*, & *Freculphum*. Ejus filius Thersippus, ipso mortuo, gessit illum principatum annos quadraginta unum: quem secutus deinde Phorbas, tenuit triginta annos. Meminitque ejus Pausanias, *Eliac.* II. Ταύτην ἡγοῦμαι Μεγαρεῦσι τὴν νίκην Ἀθήνησιν ἄρχοντος γενέσθαι Φόρβαντος, ἄρχοντος δὲ διὰ τοῦ βίου αὐτοῦ παντός. ἐνιαύσιαι γὰρ οὐκ ἦσαν πω τότε Ἀθηναίοις αἱ ἀρχαί. *Hanc arbitror victoriam Megarensibus evenisse principe Athenis Phorbante, & principe quidem perpetuo: necdum enim principatus annui Athenis erant*. Huic Megacles successit; qui corrupte est *Vincentio* Megathe, & Megiales Freculpho, *Tom.* I. *lib.* III. *cap.* VI. *Atheniensium rex Phorbas, ejusque regni successor fuit Megiales*. Rescribendum est, *Megacles*, apud utrunque. Etiam apud *Marianum*; ubi male Mecades dicitur. Tenuit autem ille regnum annos octo, & viginti. Post hunc, Diognetus fuit; annis quinque, & viginti: excepitque illum Pherecles, qui Pheredus minus recte est *Vincentio*; regnavitque annos novendecim. Hujus filius Ariphron, viginti annos: ejusque rursum, Thespieus; annos septem, & viginti. Corrupte Thespicus scribitur apud *Vincentium*. Et in regni quoque annis variatur ab Auctoribus; nam viginti septem tribuunt *Hieronymus*, *Marianus*, & *Vincentius*: alii, etiam quadraginta. quippe sic *Eusebius* scribit. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν εἰκοστὸς ἕβδομος Θεσπιεὺς Ἀρίφρονος ἔτη κζ'. κατὰ δὲ ἄλλους, ἔτη μ'. *Apud Athenienses regnavit vicesimus septimus Thespieus, Ariphronis filius, annos* XXVII. *vel, secundum alios, annos* XL. Sic de filio quoque ejus Agamestore, successore. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν εἰκοστὸς ὄγδοος Ἀγαμήστωρ ἔτη ιζ'. κατὰ δὲ ἄλλους, ἔτη μ'. *Apud Athenienses regnavit vicesimus octavus Agamestor, annis* XVII. *vel, ut alii tradunt, annis* XL. At viginti tantum adscribunt *Hieronymus*, *Marianus*, & *Vincentius*. Hujus filius, Æschylus, regnavit annos viginti tres. *Chronicon Alexandrinum*. Αἰσχύλος ὁ Ἀγαμήστορος ἦρξε τῶν Ἀθηναίων ἔτη κγ'. *Æschylus, Agamestoris filius, regnavit apud Athenienses annis* XXIII. Ac consentiunt, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Marianus*, & *Vincentius*. Ejusque anno tertio instituta Olympias prima. *Eusebius*. Αἰσχύλου τῷ δευτέρῳ ἔτει πληρουμένῳ, καὶ τρίτῳ αὐτοῦ ἔτει, ὃς ἦν εἰκοστὸς ἔννατος βασιλεὺς Ἀθηναίων, ἀπὸ τοῦ πρώτου αὐτῶν Κέκροπος τοῦ Διφυέος, δωδέκατος δὲ τῶν διὰ βίου ἀρχόντων, ἡ πρώτη Ὀλυμπιὰς ἤχθη. *Anno Æschyli secundo impleto, tertio jam vertente, qui erat rex Atheniensium vicesimus nonus, a primo Cecrope, Diphye cognominato, duodecimus vero principum perpetuorum, prima Olympias acta fuit*. Post Æschylum, tricesimus, atque idem ultimus, rex Alcmæon, præfuit annis duobus: eoque e vivis sublato, principes tantum in decennium constituti. Vellejus de eo, *lib.* I. *cap.* VII. *Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon*. Eusebius. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τριακοστὸς Ἀλκμαίων ἔτη δύο. ἐπὶ τούτου Ἀθήνησιν ἡ διὰ βίου κατελύθη ἀρχή. *Atheniensium rex tricesimus per biennium fuit Alcmæon: sub eoque perpetuus principatus desiit*. Hieronymus idem tradit: aliique item ex eo. Male hic Alcamenon *Vincentio* dicitur.

Et sic habes, Bone Lector, regnum Atticum: quod sub regibus triginta serie continuata perduravit septingentis nonaginta quatuor annis. quibus si triginta duos Ogygi addas, & annorum deinde centum nonaginta intervallum, mille sedecim numerabis. Ecce tibi in conspectu.

Ogygus,	annos XXXII.
Interregnum, post diluvium,	annos CXC.
Cecrops I.	ann. L.
Cranaus,	ann. IX.
Amphictyon,	ann. X.
Erichthonius,	ann. L.
Pandion I.	ann. XL.
Erechtheus,	ann. L.
Cecrops II.	ann. XL.
Pandion II.	ann. XXV.
Ægeus,	ann. XLVIII.
Theseus,	ann. XXX.
Menestheus,	ann. XXIII.
Demophon,	ann. XXXIII.
Oxyntes,	ann. XII.
Aphidas,	ann. I.
Thymœtes,	ann. VIII.
Melanthus,	ann. XXXVII.

Codrus,	ann. XXI.
Medon,	ann. XX.
Acaſtus,	ann. XXXVI.
Archippus,	ann. XIX.
Therſippus,	ann. XLI.
Phorbas,	ann. XXX.
Megacles,	ann. XXVIII.
Diognetus,	ann. XXV.
Pherecles,	ann. XIX.
Ariphron,	ann. XX.
Theſpieus,	ann. XXVII.
Agameſtor,	ann. XVII.
Æſchylus,	ann. XXIII.
Alcmæon,	ann. II.

A Habens annos univerſum CIↃ.XVI. Ac nunc Operis propoſiti argumento a me ſatisfactum puto: nec tu, Lector, quiſquis candidus, aliter exiſtimabis. Quod ſi fallor, ſaltem id favore tuo non indignum, Atticæ Hiſtoriæ partem remotiſſimam, ac denſiſſimis quodammodo tenebris Antiquitatis involutam, eruiſſe, & in lucem protuliſſe. Iſtud tamen in hoc fine minime prætereundum, etiam Sicanum quen-
B dam Regem dici, ab Auctore Etymologici, *in Σικινις*; & Epænetum, ab Antigono Caryſtio, *Hiſt. Mirab.* cap. CXXXIII. idque Olympiade triceſima ſexta, cum jam dudum reges eſſe deſiiſſent. Sed eſt error utriuſque manifeſtus.

F I N I S.



JOANNIS MEURSII

ARCHONTES ATHENIENSES.

SIVE,

DE IIS, QUI ATHENIS SUMMUM ISTUM MAGISTRATUM OBIERUNT,

LIBER IV.

VIRO NOB. ET AMPL.

JANO RUTGERSIO,

SERENISSIMI SUECORUM REGIS CONSILIARIO, ET ABLEGATO,

JOANNES MEURSIUS

DEDICO, CONSECROQUE.



ON temere est, Vir Nob. & Ampl. quod cœcam Veteres Fortunam finxerint, quæ tam graviter in humanis rebus erret. Non diffundam hic sermonem; neque verbis multis opus, quibus probem: siquidem indignis plurimis bene esse, satis constat: dignos contra, quibus optime sane esset, inique premi. Sed peccatum, aut errorem, cœcitate forte excuset; &, ut Plutus apud Comicum, quod si oculis uteretur, digna dignis largituram se promitteret. Itaque veniam illi demus; potiusque in casu ejus doleamus, quam exagitemus culpam. idque magis, cum interdum, tanquam oculata esset, etiam eligere videatur. In te exemplum est; cui cum ingenium istud præstantissimum a Natura obtigisset, & virtutes, rebus capessendis pares, illa quoque te ornandum sibi cepit. Itaque Gustavo pridem, Sueciæ Regi, nostri seculi Augusto, commendavit; qui ut ipse maximis virtutibus præditus, eas item in aliis amat, æstimatque perbenigne, & exornat. Ille, annos vix viginti quatuor natum, ad consilia sua asscivit; & cum fidem varie tuam, atque industriam, in negotiis valde arduis, explorasset, mox legationes aliquot, illas admodum honorificas, ad Reges Daniæ, & Bohemiæ, Principes Saxonem Septemvirum, Archiepiscopum Bremensem, Duces Megapolitanum utrunque, atque Slesvicensem Holsatiæ, & Respublicas etiam quasdam, demandavit; quas cum ita obiisses, ut abunde satisfaceres, jam & quartum ad Belgii Fœderati Ordines ablegavit. Quos honores, longe maximos, gratulor profecto ex animo; voveoque, ut perennent. Interim autem ut affectum in me tuum, quem jam dudum tam prolixum ostendisti, constanter serves, vehementer a te peto. Idem Archontes isti faciunt, & vota appendunt ad Fortunæ tuæ aram. Vale. Lugduni Batavorum, ad diem XXVII. Novembris CIↃ IↃ CXXI.

BENIGNE LECTOR.

ECCE tibi *ARCHONTES meos. Olim eos descripsere Stesiclides, Demetrius Phalereus, & Philochorus; denique patrum etiam ævo, clarum Italiæ suæ lumen, Carolus Sigonius; edito libro,* de Temporibus Atheniensium. *Quod ad tres priores attinet, horum nobis monumenta perierunt; at Sigonius, pace tanti viri dixerim, a proposito dimovere me non potuit. Æstimabit, quisquis me cum hoc contulerit. Vale; & me, si mereor, ama: imo etiam, si non mereor; saltem ob hanc voluntatem, tam propensam in Remp. Literariam.*

ENCOMIUM OPERIS.

NUPER Attica terra restitutis
Gaudebat POPULIS, labore Meursi:
Nunc, ut sit melius, beatiusque,
Et perennius, Atticis Athenis;
(Nam vulgus sine lege fluctuaret,
Atque exlex sine regibus periret;
Ceu, pontum ferientibus procellis,
Debet ludibrium, peritque tandem,
Clavo & remige destituta puppis;)
ARCHONTES, proceresque, qui præessent
Erranti populo, rudique turbæ,
Densis Meursius eruit tenebris.
En quos perpetui vehunt curules;
Aut ebur decimo recurrit anno:
En queis publica traditur potestas,
Bis senis modo mensibus peractis:
En lectum patriæ bono Creontem,
Ut † myrto caput implicare gaudet!
En tot nomina clara post Creontem,
Grajis nomina dedicata Fastis.
Jactet Martia Roma CONSULATUS;
Pingat murice; gloriosiores
Jam Quiritibus Attici reponent,
Quos malunt numerare, PRINCIPATUS.
Quare Cecropias novasque Athenas,
Jam salvis populisque regibusque,
Cessuras tibi, Roma, ne putato.
Vir doctissimus undecunque Varro
Instar numinis, ut decet, colatur.
Hoc nomen media canant Suburra,
Hoc & Parrhasia sonent in aula.
Arx Pandionis, Atticæque Athenæ,
Belga vindice nuper excitatæ,
Non minus (licet invidus repugnet)
In nostro sibi Meursio placebunt.

† Jul. Pollux lib. VIII. cap. VIII. Μυῤῥίνῃ δ' οἱ ἄρχοντες ἐστεφανοῦντο. Vide Meursii nostri *Lect. Attic.* lib. VI. cap. VI.

ALIUD EXTEMPORALE.

DOCTA Magistratus tibi, flava Minerva, redonat
Pagina; in auctorem munera grata refert.
Ecquid erit præmi? Quas reddidit ille coronas,
Accipiat meritis (hoc age Diva) comis:
Aureus Actæa statuatur Meursius arce,
Subjiciat fasces Grajaque turba suos.
Quique magistratum Phœbi, Phœbique sororum,
Nunc gerit; æternum, Virgo patrona, gerat!

PETRUS SCRIVERIUS.

JOANNIS MEURSII
DE
ARCHONTIBUS
ATHENIENSIUM
LIBER I.

CAP. I.

Post reges Athenis Archontes; perpetui primum, qui Μεδοντίδαι *appellati. In Justino ingens lacuna indicata. Cedreni locus emendatus, & ostensa negligentia. Sub eorum duodecimo, anno secundo principatus, prima Olympias celebrata, vincente stadium Coroebo Eliensi, regis Lacedæmoniorum Nicandri anno* XXXIV. *Eusebius semel, iterumque, restitutus.*



THENÆ initio sub regibus fuere; post Archontes instituti: perpetui quidem, instar regum, sed qui tamen rationem administratæ reip. reddere populo tenerentur. inde decennales facti, & mox annui. Ac reges quidem, septendecim fuere; Archontes autem hi perpetui, numero tredecim. Sub eorum duodecimo, cum secundum principatus annum ageret, prima Olympias instituta. Eusebius in *Chron.* Ἀπὸ δὲ Κέκροπος, ἐπὶ τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα, καταριθμοῦνται μὲν βασιλεῖς ἑπτακαίδεκα, ἄρχοντες δὲ διὰ βίου δώδεκα. *Ab Cecrope autem, usque ad primam Olympiadem, numerantur quidem reges septendecim, Archontes vero perpetui duodecim.* De regibus, quando nihil illi ad hoc institutum nostrum, nihil dicam; illud tantum, ultimum eorum Codrum fuisse. Vellejus *lib.* I. *cap.* II. *Eodem fere tempore Athenæ sub regibus esse desierunt, quorum ultimus rex fuit Codrus.* Justinus *lib.* II. *cap.* VII. *Post Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriæ nominis ejus tributum est.* Eusebius in *Chron.* Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν ἕβδομος καὶ δέκατος Κόδρος Μελάνθου ἔτη κα΄. καὶ οὐκέτι βασιλεῖς, ἄρχοντες δὲ διὰ βίου τοῖς Ἀθηναίοις κατέστησαν. *Atheniensibus imperavit septimus decimus Codrus Melanthi filius annos unum & viginti. & non amplius reges, verum Archontes perpetui Atheniensibus constituti.* Ergo post hunc Archontes perpetui instituti. Vides in Eusebii *verbis, jam citatis*; & habes item apud Othonem Frisingensem, *lib.* I. *cap.* XXVIII. *Athenienses (Codrum) ob hoc cultu divino honorare decreverunt; & ex hinc magistratus, qui remp. administrarent, post reges habere cœperunt.* Honorius Augustodunensis in *Chronico*, ubi de regibus Atheniensibus. *Exin Codrus, qui se pro populo hostibus tradidit. Post hunc magistratus populo præfuerunt.* Videndus quoque Augustinus *De Civitate Dei*, lib. XVIII. cap. XX. Archontum vero perpetuorum, qui post reges, primus Medon, Codri filius. Eusebius in *Chron.* Ἀθηναίων ἐβασίλευεν ὄγδοος καὶ δέκατος Μέδων ἔτη κ΄. οὗτος πρῶτός ἐστι τῶν διὰ βίου γενομένων ἀρχόντων. *Atheniensium regnum tenuit octavus decimus Medon annos viginti; hic primus est eorum qui perpetui facti sunt Archontes.* Ab hoc reli-

A qui Μεδοντίδαι appellati. Vellejus *lib.* I. *cap.* II. *Hujus (Codri) filius Medon primus Archon Athenis fuit. ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ.* Hesychius. Μεδοντίδαι. οἱ ἀπὸ Μέδοντος Ἀθήνησι. *Medontidæ. qui a Medonte Athenis.* Pausanias *Messenicis.* Τοὺς γὰρ ἀπὸ Μελάνθου, καλουμένους δὲ Μεδοντίδας, κατ' ἀρχὰς μὲν ἀφείλοντο ὁ δῆμος τῆς ἐξουσίας τὸ πολύ. καὶ ἀντὶ βασιλείας μετέστησαν εἰς ἀρχὴν ὑπεύθυνον. *Melanthi enim posteros, dictos Medontidas, in principio quidem privavit populus potentiæ magna parte. & pro regno immutarunt in imperium legibus subjectum.* Et mox. Μεδοντιδῶν τὴν ἀρχὴν ἔτι ἐχόντων. *Medon-*
B *tidis imperium adbuc obtinentibus.* Desiitque hæc familia in Eryxia, decennalium Archontum ultimo. Anonymus in *Descript. Olymp.* ad annum II. Olymp. XXII. quo is principatum iniit. Ερυξίας, ἔσχατος Μεδοντιδῶν. *Eryxias, ultimus Medontidarum.* Ingens lacuna est in Justino, *lib.* II. *cap.* VII. *Post Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriæ ejus tributum est. Administratio reipublicæ annuis magistratibus permissa.* Excidit illic, aut a mutilatore omissa est, narratio de Archontibus perpetuis tredecim, decennalibusque septem; post quos demum annui esse incœperunt. Fuere vero Archontes perpetui numero tredecim; qui commemorantur ordine
C ab Eusebio, in *Chronico suo.* Medon, Codri filius, annis XX. Hujus Acastus, annis XXXVI. Hujus Archippus, annis XIX. Hujus Thersippus, annis XLI. Hujus Phorbas, annis XXXI. Hujus Megacles, annis XXX. Hujus Diognetus, annis XXVIII. Hujus Pherecles, annis XIX. Hujus Ariphron, annis XX. Hujus Thespieus, annis XXVII. Hujus Agamestor, annis XX. Hujus Æschylus, annis XXIII. Hujus Alcmæon annis II. Itaque *Cedrenus* emendandus; qui, postquam de regibus strictim egit, mox subjungit. Κἀντεῦθεν ἄρχοντας ιγ΄. προεβάλλοντο, δι' ὧν ἡ κατ' αὐτοὺς διῳκονομεῖτο πολιτεία. *Exinde Archontes tredecim protulerunt, per quos ipsorum civitas ad-*
D *ministrabatur.* Hodie editur, ἄρχοντας ιβ΄. προεβάλλοντο. *Archontes duodecim produxerunt.* Verum ille ut de regibus, ita etiam de Archontibus nimis negligenter agit. nam ut ista de perpetuis capienda, sic de septem decennalibus nihil dicit: nisi forte, ubi de Archontibus tractat, eos tantum in animo habuit, qui ad primam Olympiadem extiterunt. Ac tunc verum istud erit, quod duodecim eos memorat. Ita Abbas Urspergensis, in *Chronico suo. A quo (Cecrope) usque ad primam Olympiadem numerantur reges septendecim; principes vero, quos mors tantum finiebat, duodecim.* Sic *Eusebii* quoque verba capi de-
E bent, quæ initio ipso capitis allegavi. Sub penultimo enim, qui est ordine duodecimus, anno principatus ejus duodecimo, prima Olympias celebrata est; qua Corœbus Eliensis stadio vicit. Eusebius in *Chronico.* Αἰσχύλος Ἀγαμήστορος (ἦρξεν) ἔτη κγ΄. ἐφ' οὗ ἔτει ιβ΄. πρώτη Ὀλυμπιὰς ἤχθη, ἣν ἐνίκα Κόροιβος Ἠλεῖος στάδιον. *Æschylus Agamestoris filius (Archon fuit) annos viginti tres. Cujus ætate anno*

duodecimo prima Olympias acta est, quam vicit Corœbus Eleensis stadium. Ita scribo; non, Κόρυβος. Sed & mendum in anni numero, scribendum, ἐπ' ἐκείνου ἔτει β'. πρώτη Ολυμπιάς. *Cujus ætate anno secundo prima Olympias*. Recte est apud Anonymum in *Descript. Olymp.* in prima Olympiade. Κόροιβος Ηλεῖος στάδιον, Αἰσχύλου ἄρχοντος ἔτος β'. *Corœbus Eleensis stadium, Æschylo Archonte annus* II. Putemus tempus. Tenuit Æschylus principatum annis tribus, & viginti. Eusebius, ecce, in *citatis statim verbis*. Αἰσχύλος Αγαμήστορος (ἦρξεν) ἔτη κγ'. *Æschylus Agamestoris (Archon fuit) annos viginti tres.* Africanus, apud Auctorem *Cronici Alexandrini*. Αἰσχύλος ὁ Αγαμήστορος ἦρξε τῶν Αθηναίων ἔτη κγ'. *Æschylus Agamestoris regnavit Athenis annos viginti tres*. Ac post Olympiadem primam annis deinde viginti duobus eum tenuit; nempe ad Olympiadis sextæ annum tertium: quo successit ipsi Alcmæon. Ergo secundo ejus anno, non duodecimo, prima Olympias celebrata. De Corœbi autem victoria etiam Strabo, *lib.* VIII. Μέχρι τῆς ἕκτης καὶ εἰκοστῆς Ολυμπιάδος ἀπὸ τῆς πρώτης, ἐν ᾗ Κόροιβος ἐνίκα στάδιον Ηλεῖος, τὴν προστασίαν εἶχον τοῦ ἱεροῦ. *Usque ad sextam & vigesimam Olympiadem a prima, in qua Corœbus Eleensis vicit stadium, præfecturam habebant templi*. Pausanias *Eliac.* I. Εξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς μνήμαις ἐπὶ ταῖς Ολυμπιάσιν ἐστί, δρόμου μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον, καὶ Ηλεῖος Κόροιβος ἐνίκα. *Ex quo enim cohærent memoriæ per Olympiadas, cursus quidem certamina instituit primum, & Eleensis Corœbus vicit*. Item in *Arcadicis*. Ηνίκα δὲ τὸν ἀγῶνα τὸν Ολυμπικόν, ἐκλειπόντα ἐπὶ χρόνον πολύν, ἀνενεώσατο Ιφιτος, καὶ αὖθις ἐξ ἀρχῆς Ολύμπια ἤγαγον, τότε δρόμου σφίσιν ἆθλα ἐτέθη μόνον, καὶ ὁ Κόροιβος ἐνίκησε. *Quando autem certamen Olympicum, deficiens a multo tempore resuscitavit Iphitus, & rursus a principio Olympia celebrabant, tunc cursus duntaxat certamina constituta sunt, & Corœbus vicit*. Freculphus *Chron.* Tom. I. lib. III. cap. XI. *Olympiadem Iphitus, filius Praxonidis, sive Hæmonis, primus constituit; in qua Corœbus Eliensis exstitit victor. Æschylus vero, Agamestoris filius, tunc Athenienſium princeps erat*. Incidit vero Olympiadis hujus primæ annus primus in tricesimum quartum Nicandri, Lacedæmoniorum regis. Anonymus *illic*. Κόροιβος Ηλεῖος στάδιον, Αἰσχύλου ἄρχοντος τῶν Αθηναίων ἔτος β'. Νικάνδρου τοῦ Λακεδαιμονίων βασιλέως ἔτη λδ'. *Corœbus Eleensis stadium, Æschylo Archonte Atheniensium, annus* II. *Nicandro Lacedæmoniorum rege annos triginta quatuor*. Clemens *Strom.* I. Μεθ' ὃν υἱὸς Νίκανδρος ἔτη τριάκοντα ἐννέα· τούτου κατὰ τὸ τριακοστὸν τέταρτον ἔτος τεθῆναι φησὶ (Σωσίβιος ὁ Λάκων ἐν χρόνων ἀναγραφῇ,) τὴν πρώτην Ολυμπιάδα. *Post quem filius Nicander annos triginta novem. Hujus circa trigesimum quartum annum constitutam dicit (Sosibius Lacon in temporum catalogo) primam Olympiadem*.

CAP. IV.

Romulus, & Remus, quando nati. Arctinus Milesius quando floruerit. Plutarchus pugilatu Hermiam Ægyptium superat. Antimachus Eleus stadio vincit, ut & Androcles Messenius. Abaris legatus venit in Græciam, & Athenas. Polychares, Androclus, & Oebotas, stadio victores; inde Daicles, qui primus omnium coronatus, jussu oraculi.

SUB hoc Æschylo, illa ipsa etiam prima Olympiade, Romulus, & Remus, nati feruntur. Cyrillus *contra Julianum*, lib. I. *Prima Olympiade fuisse dicitur Arctinus Milesius; Romulusque, & Remus, nascuntur*. Sed Anonymus in *Descript. Olymp.* & Auctor *Chronici Alexandrini*, natalem eorum in annum secundum Olympiadis secundæ referunt; quibus Plutarchus consentit, in *Vita Romuli*: cum ait, concepisse matrem Olympiadis secundæ anno primo, desinente Decembri. Απεφήνατο (ὁ Ταρούτιος) τὴν μὲν τῇ μητρὶ τοῦ Ρωμύλου γεγονέναι σύλληψιν ἔτει πρώτῳ τῆς δευτέρας Ολυμπιάδος, ἐν μηνὶ κατ' Αἰγυπτίους χοιὰκ (is December esse dicitur) τρίτῃ καὶ εἰκάδι. *Pronuntiavit a matre Romulum conceptum fuisse anno primo secundæ Olympiadis, in mense secundum Ægyptios* Chœac, *die* XXIII. Arctinum vero Milesium Anonymus ille commemorat in *anno*. I. *Olymp.* IX. Secunda autem Olympiade pugilatu decertasse cum Hermia Ægyptio, & vicisse, *Plutarchus* traditur a Philostrato in *Heroicis*, ubi de Protesilao agit. ΑΜΠ. Ακούεις δέ που καὶ Πλούταρχον ἐκεῖνον τὸν δεξιόν; ΦΟΙ. Ακούω. τὸν γὰρ πύκτην, ὡς εἰκός, λέγεις. ΑΜΠ. οὗτος ἀνιὼν τὴν δευτέραν Ολυμπιάδα ἐπὶ τοὺς ἄνδρας, ἱκετεύει τὸν ἥρω χρῆσαι οἱ περὶ τῆς νίκης. *VIN. audis autem & Plutarchum illum dexterum. PHOE. Audio. Illum enim pugilem, ut probabile est, dicis. VIN. Hic adscendens secunda Olympiade in viros, supplicat heroi præbere oraculum sibi de victoria*. Et *mox*. Ηγωνίζετο μὲν ἐν Ολυμπίᾳ πρὸς Ερμείαν τὸν Αἰγύπτιον. *Decertavit quidem in Olympia adversus Hermiam Ægyptium*. Stadio vero vincebat Antimachus Eliensis, ut Anonymus noster tradit; Olympiade tertia, Androclus Messenius. Sed & Abaris tunc legatus venisse ab Hyperboreis memoratur. Anonymus noster, in *Olympiadis ejus anno* I. Αβαρις ἐξ Υπερβορέων πρεσβευτὴς εἰς τὴν Ελλάδα ἦλθε. *Abaris ex Hyperboreis legatus in Græciam venit*. Verum etiam hic dissensus est Auctorum. *Hippostratus*, cum *Anonymo* nostro, tertiam statuit; alii, vicesimam primam: *Pindarus*, in Crœsi tempora rejicit. Harpocration *in* Αβαρις. Καὶ Αβαριν ἐξ Υπερβορέων πρεσβευτὴν ἀφικέσθαι λέγουσιν. ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ παραγέγονε, διαφωνεῖται. Ιππόστρατος μὲν γὰρ, κατὰ τὴν τρίτην αὐτὸν Ολυμπιάδα λέγει παραγενέσθαι. ὁ δὲ Πίνδαρος, κατὰ Κροῖσον, τὸν Λυδῶν βασιλέα. ἄλλοι δὲ, κατὰ τὴν εἰκοστὴν καὶ πρώτην Ολυμπιάδα. *Etiam Abarin ex Hyperboreis legatum venisse tradunt. Tempus vero, quo advenerit, in ambiguo est. Nam Hippostratus quidem, circa tertiam ipsum Olympiadem dicit advenisse. Pindarus vero, circa Crœsum, Lydorum regem. Alii autem, circa vigesimam primam Olympiadem*. Eusebius in *Chron.* Olymp. LXXII. anno IV. Αβαρις Υπερβόρειος χρησμολόγος ἐγνωρίζετο. *Abaris Hyperboreus vates innuit*. Quarta Olympiade stadio vicit Polychares Messenius. Anonymus in *Descript. Olymp.* ΟΛ. Δ. Πολυχάρης Μεσσήνιος στάδιον, *Olymp.* IV. *Polychares Messenius stadium*. Meminitque Pausanias in *Messenicis*. Πολυχάρης Μεσσήνιος τά τε ἄλλα οὐκ ἀφανὴς ἦν, καὶ νίκην Ολυμπιάσιν ἀνῃρημένος. τετάρτην Ολυμπιάδα ἦγον Ηλεῖοι, καὶ ἀγώνισμα ἦν σταδίου μόνον, ὅτε ὁ Πολυχάρης ἐνίκησε. *Polychares Messenius quod ad reliqua non obscurus, & qui victoriam Olympicam abstulit. Quartam Olympiadem agebant Elei & certamen erat stadii tantum, quod Polychares vicit*. Sequente quinta, victor Æschines Eliensis Messenius: sexta, Oebotas Comanus; de quo vide, quæ notavi *Atticarum Lectionum* lib. III. cap. XXVIII. Æschinis vero Eliensis etiam apud Pausaniam est mentio, *Eliac.* II. Præterea sexta Olympiade, cum hactenus victores coronati nulli essent, placuit consulere oraculum, an non coronandi essent deinceps; missusque Iphitus. *Anonymus noster*. Εδοξε τοῖς Πελοποννησίοις μαντεύσασθαι, εἰ στέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶσι. καὶ πέμπουσι τὸν βασιλέα Ιφιτον εἰς θεοῦ. *Visum est Peloponnesiis consulere oraculum, an coronas darent victoribus. Et mittunt regem Iphitum ad numen*. Phlegon in *Fragmento de Olympiis*. Καὶ ἐστέφετο μὲν οὐδεὶς ἐπὶ πέντε Ολυμπιάδας. τῇ δὲ ἕκτῃ ἔδοξεν αὐτοῖς μαντεύσασθαι, εἰ στέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶ-

σι· ϗ πέμπȣσι τ̂ βασιλέα Ιφιτον εἰς Θεȣ̃. *Et coronabatur quidem nullus ſpatio quinque Olympiadum. ſexta autem placuit ipſis oraculum conſulere, an coronas imponerent victoribus. Et mittunt regem Iphitum ad numen.* Ac, cum deus annuiſſet, ſequente ſeptima coronatus, cum viciſſet, Daicles Meſſenius. *Anonymus noſter.* ΟΛ. Ζ. Δαΐκλῆς Μεσσήνιος ϛάδιον. ϗ πρῶτος πάντων ἐϛεφανώθη. *Olymp.* VII. *Daicles Meſſenius ſtadium. Et primus omnium coronatus eſt.* Phlegon, *loco jam citato.* Πρῶτος δ᾽ ἐϛεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος, ὃς τῇ ἑβδόμῃ Ολυμπιάδι ϛάδιον ἐνίκα. *Primus autem coronatus eſt Daicles Meſſenius, qui ſeptima Olympiade ſtadium vicit.*

CAP. III.

Alcmæon, perpetuorum ultimus; principatum quando inierit, & quam diu tenuerit. Euſebii locus emendatus. Roma ſub eo condita, ut volunt nonnulli. Et eclipſis illo die.

ET hæc iſta Æſchyli temporibus facta. Hunc Alcmæon excepit, Æſchyli F. perpetuorum Archontum ultimus. Vellejus de eo *lib.* I. *c.* VIII. *Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, cum fuiſſet ultimus Alcmæon.* Euſebius *Chron.* I. Αθηναίων ἐβασίλευσε τελακοςὸς Αλκμαίων ἔτη β΄. ἐπὶ τȣ́τȣ Αθήνησιν ἡ διὰ βίȣ κατελύθη ἀρχή. *Athenis regnavit trigeſimus Alcmæon annos duos. Ejus tempore Athenis illa quæ perpetua fuit diſſoluta eſt poteſtas.* Tenuit autem principatum annos duos; Olympiadis nempe ſextæ tertium, & quartum: ſucceſſitque ei Charops, e decennalibus primus, Olympiadis ſeptimæ anno primo. Ergo corrupti alio quodam loco apud Euſebium numeri, *Chron.* I. Τελακοςὸς δὲ μετ᾽ Αἰσχύλον βασιλεύει Αλκμαίων ἔτη ιβ΄. *Trigeſimus autem poſt Æſchylum regnat Alcmæon annos duodecim.* Reſtituo, ut eſt in loco prius citato, ἔτη α΄. Et obſerva, improprie βασιλεύειν dici, cum non rex, ſed princeps, eſſet. Sic Freculpho *Rex* vocatur, *Chron.* Tom. I. lib. III. cap. XII. *Tunc Athenienſium erat rex Alcmæon.* Sic de Epæneto Archonte Antigonus Caryſtius *Mirab.* cap. CXXXIII. Εν Αθήναις, ἐπὶ βασιλέως Επαινέτȣ, Ολυμπιάδος ἕκτης ϗ τελακοςῆς. *Athenis, tempore regis Epæneti, Olympiade ſexta & trigeſima.* Sub hoc Romam conditam eſſe volunt quidam. Anonymus in *Deſcript. Olymp.* ad Olympiadis VI. annum III. ΑΛΚΜΑΙΩΝ, κατά τινας Ρώμης κτίσις, *Alcmæon. ſecundum quoſdam Roma condita.* Vellejus Paterculus *lib.* I. *cap.* VIII. *Sexta Olympiade, poſt duo & viginti annos, quam prima conſtituta fuerat, Romulus, Martis filius, ultus injurias avi, Romam urbem Palilibus in Palatio condidit.* Eutropius. *Decem & octo annos natus (Romulus) urbem exiguam in Palatino monte conſtituit,* XI. *Kal. Majas, Olympiadis ſextæ anno tertio.* Oroſius *lib.* II. *Olympiade autem ſexta* (cujus annus tertius Alcmæonis principatus eſt primus,) *quæ quinto demum anno, quatuor in medio expletis, apud Elidem, Græciæ civitatem, agone, & ludis, exerceri ſolet, urbs Roma in Italia a Romulo, & Remo, geminis auctoribus, condita eſt.* Freculphus *Chron.* Tom. I. lib. III. cap. XII. *Sexta Olympiade Romulus, ejuſque germanus Remus, quos inter paſtores diximus enutritos, collecta paſtorum, atque latronum, multitudine, Romanæ urbis ædificia inchoaverunt.* Ac fuiſſe eclipſin illo die, notat Plutarchus in *Romulo.* Εκείνην δὲ τὴν ἡμέραν, ᾗ τὴν πόλιν ὁ Ρωμύλος ἔκτισεν, ἀτρεκῆ τελακάδα τυχεῖν λέγȣσι. ϗ σύνοδον ἐκλειπτικὴν ἐν αὐτῇ γενέσθαι σελήνης πρὸς ἥλιον, ἣν εἰδέναι ϗ Αντίμαχον οἴονται τ̂ Τήϊον ἐποποιόν, ἔτει τρίτῳ τ̂ ἕκτης Ολυμπιάδος συμπεσȣ̃σαν. *Eundem autem diem, quo urbem Romulus condidit, plane in trigeſimum (menſis) incidere dicunt. Et conjunctionem eclipticam tunc contigiſſe lunæ cum ſole, quam noviſſe quoque Antimachum putant Teium lyricum, in annum tertium ſextæ Olympiadis incidentem.* Alii in ſequentem Olympiadem rejiciunt; de quorum ſententia proximo capite ſum dicturus.

CAP. IV.

Inde decennales facti; quorum primus Charops. Quando is principatum inierit. Diocles Meſſenius ſtadio victor, primuſque omnium coronatus. Roma condita. Olympiades octava, triceſima quarta, & centeſima quarta, Anolympiades habitæ ab Eleis. Piſani certamen Olympicum ſtatuunt, cum Phidode Argivo. Anticles Meſſenius ſtadio victor; item Xenocles, ſive is Xenodocus. Primi Lacedæmoniorum cum Meſſeniis belli initium.

HACTENUS perpetui; dehinc decennales facti. Ex his primus Charops fuit, Æſchyli, ut Alcmæon, filius. Vellejus *libro* I. *capite* VIII. *Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, cum fuiſſet ultimus Alcmæon; cœperuntque in denos annos creari: quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit. ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſpublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops.* Euſebius *Chron.* libro I. Μετὰ Αλκμαίωνα, τ̂ τελακοςὸν βασιλέα Αθηναίων, κατεςάθησαν ἄρχοντες δεκαετεῖς ἑπτά. Αθηναίων ἐβασίλευσεν τελακοςὸς πρῶτος Χάροψ, πρῶτος ἄρχων δεκαετής. *Poſt Alcmæonem trigeſimum regem Athenienſium, conſtituti ſunt Archontes decennales ſeptem. Apud Athenienſes regnavit trigeſimus primus Charops, primus Archon decennalis.* Freculphus *Tom.* I. libro III. capite XII. *Quo etiam in tempore Athenis principes, qui ad mortem reip. præerant, deſierunt; & in annis decem magiſtratuum conſuetudinem Athenienſes tenuerunt. Poſt principes vero prædictos regnavit primus cum eis Charops, Æſchyli filius.* Iniit autem principatum Olympiadis VII. anno I. Anonymus in *Deſcript. Olymp.* in illo tempore. Χάροψ. Αρχόντων Αθήνησι δεκαετία. *Charops. Archontum Athenis decennale imperium.* Dionyſius Halicarn. *Antiquit. Rom.* lib. I. Ετȣς ἐνεςῶτος πρώτȣ τ̂ ἑβδόμης Ολυμπιάδος, ἣν ἐνίκα ϛάδιον Δαϊκλῆς Μεσσήνιος ἄρχοντος Αθήνησι Χάροπος, ἔτος τῆς δεκαετίας πρῶτον. *Anno labente primo ſeptimæ Olympiadis, qua vicit ſtadium Daicles Meſſenius, Archonte Athenis Charope, annus decennalis imperii primus.* Et mox. Πᾶσα ἀνάγκη, τ̂ πρῶτον ἄρξαντα τ̂ πόλεως Ρωμύλον, ἔτει πρώτῳ τ̂ ἑβδόμης Ολυμπιάδος παρειληφέναι τὴν βασιλείαν, ἄρχοντος Αθήνησι τ̂ δεκαετίας Χάροπος ἔτος πρῶτον. *Omnino neceſſe eſt, primum, qui regnavit in urbe, Romulum, anno primo ſeptimæ Olympiadis ſuſcepiſſe regnum, Archonte Athenis decennalis imperii Charope anno primo.* Fuitque is annus inſignis Daiclis Meſſenii victoria, in ſtadio reportata; cui etiam primo corona data. *Anonymus noſter.* ΟΛ. Ζ. Δαΐκλῆς Μεσσήνιος ϛάδιον (ἐνίκα.) ϗ πρῶτος πάντων ἐϛεφανώθη. *Olymp.* VII. *Daicles Meſſenius ſtadium (vicit) & primus omnium coronatus eſt.* Phlegon de *Olympiis.* Πρῶτος δ᾽ ἐϛεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος, ὃς τῇ ἑβδόμῃ Ολυμπιάδι ϛάδιον ἐνίκα. *Primus autem coronatus eſt Daicles Meſſenius, qui ſeptima Olympiade ſtadium vicit.* Meminitque victoriæ Daiclis Dionyſius, in citatis ſtatim verbis. Deinde Roma illo ipſo anno condita memoratur. *Anonymus noſter,* in illo tempore. Ρώμη ἐκτίσθη ὑπὸ Ρήμȣ, ϗ Ρωμύλȣ. *Roma condita ab Remo,* & *Romulo.* Videndus Dionyſius, *libro* I. Alii in ſecundum annum referebant; inter quos *Polybius.* Dionyſius Halicarn. *libro* I. Οὐ γὰρ ἠξίȣν, ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, τοσȣ̃τον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τ̂ ἑβδόμης Ολυμπιάδος τὴν Ρώ-

μλω ἐκτίϑαι πείϑομαι. *Non enim sustinuerim, ut Polybius Megalopolitanus, illud solum dicere, quod circa secundum annum septimæ Olympiadis Romam ædificatam credam*. Auctor Chronici *Alexandrini* annum quartum statuit. Καὶ τετάρτῳ ἔτει τ̃ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος, εἰκοσὸν τέταρτον τ̃ οἰκείας ἡλικίας ἄγοντες ἐνιαυτὸν Ῥῶμος κ̀ Ῥῦμος κτίζεσι τἰὼ Ῥώμλω. *Et quarto anno septimæ Olympiadis, vigesimum quartum propriæ ætatis annum agentes Romus & Remus condunt Romam*. Atque huc pertinent ista Eusebii, *Chron*. I. Ῥωμύλον φασὶ κατὰ τὸ τέλος τ̃ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος βασιλεῦσαι τ̃ Λατίνων ἀπὸ Αἰνείε, Ῥώμλω τε κτίσαι, κ̀ μετονομάσαι τ̃ πόλιν. *Romulum dicunt circa finem septimæ Olympiadis regnasse apud Latinos post Æneam, Romamque condidisse, & denominasse urbem*. *Jornandes* simpliciter septimam dicit, non expresso ejus anno. *Septima Olympiade Romulus, ejusque germanus, quos inter pastoris enutritos diximus, collecta pastorum multitudine, Romanæ urbis ædificia inchoaverunt*. Alii aliter statuebant; differitque eleganter Dionysius, *libro citato*: & Solinus, *cap*. II. Quinto ejus anno, in quem Olympias octava incidit, Pisani cum Phidone, Argivorum tyranno, certamen instituerunt; itaque Anolympiada eam, ut trigesimam quartam, & centesimam quartam, Elei habuerunt, neque fastis inseruerunt. Pausanias *Eliac*. II. Πισαῖοι δὲ ἐφειλκύσαντο αὐϑαίρετον συμφορὰν, ἀπεχϑανόμενοί τε Ἠλείοις, κ̀ ἀντ' ἐκείνων ποιεῖν ἀξιῦντες τὸν ἀγῶνα. οἵ γε Ὀλυμπιάδι μὲν τῇ ὀγδόῃ τ̃ Ἀργεῖον ἐπηγάγοντο Φείδωνα, τύραννον τ̃ ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρίσαντα, κ̀ τ̃ ἀγῶνα ἔϑεσαν ὁμῦ τῷ Φείδωνι. τετάρτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι κ̀ τριακοστῇ στρατὸν οἱ Πισαῖοι, κ̀ βασιλεὺς αὐτῆ Πανταλέων ὁ Ὀμφαλίωνος, παρὰ τῆ προσχώρων ἀϑροίσαντες, ἐποίησαν ἀντὶ Ἠλείων τὰ Ὀλύμπια· ταύτας τὰς Ὀλυμπιάδας, κ̀ ἐπ' αὐταῖς τἰὼ τετάρτlω τε κ̀ ἑκατοστὴν, τεϑεῖσαν δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων, Ἀνολυμπιάδας οἱ Ἠλεῖοι καλῦντες, ὀ σφᾶς ἐν καταλόγῳ τ̃ Ὀλυμπιάδων γράφεσιν. *Pisæi autem adtraxerunt ad se spontaneam collationem, & offensi Eleis, & industriam adhibentes ad constituendum Olympiacum certamen pro Eleis. Qui quidem Olympiade octava Argivum adduxerunt Phidonem, tyrannum maxime apud Græcos contumeliosum, & certamen constituerunt simul cum Phidone. Quarta autem & tricesima Olympiade exercitum Pisæi, & rex eorum Pantaleon Omphalionis filius, ex finitimis congregantes, celebrarunt pro Eleis Olympia. Has Olympiadas, & præter illas quartam & centesimam, constitutam ab Arcadibus, Anolympiadas Elei vocantes easdem in catalogum Olympiadum non referunt*. Ac de hac quidem octava Olympiade, & Pisanorum isto facto, ita *Anonymus noster* inquit. Ὀλυμπιὰς ὀγδόη. Ἀνολυμπιάς. Πισαῖοι τὸν ἀγῶνα ἔϑεσαν ἅμα Φείδων, τ̃ Ἀργείων τυράννῳ, τ̃ ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρίσαντι. *Olympias octava. Anolympias. Pisæi certamen instituerunt simul cum Phidone Argivorum tyranno, qui Græcis maxime nocuit*. Stadio autem victor fuit Anticles Messenius. Anonymus *ibidem*. Ἀντικλῆς Μεσσήνιος σάδιον. *Anticles Messenius stadium*. Eusebius *Chron*. I. Ὀγδόη Ὀλυμπιὰς, ἐν ᾗ ἐνίκα Ἀντικλῆς Μεσσlώιος σάδιον. *Octava Olympias, qua vicit Anticles Messenius stadium*. Olympiade vero IX. qui annus fuit principatus ejus nonus, Xenocles vicit. Eusebius *Chron*. I. Ἐννάτη Ὀλυμπιὰς, ἐν ᾗ ἐνίκα Ξενοκλῆς Μεσσήνιος σάδιον. *Nona Olympias, qua vicit Xenocles Messenius stadium*. Pausaniæ Xenodocus appellatur, in *Messenicis*. Ἔτει δευτέρῳ τ̃ ἐνάτης Ὀλυμπιάδος, ἐν ᾗ Ξενόδοκος Μεσσήνιος ἐνίκα σάδιον. *Anno secundo nonæ Olympiadis, qua Xenodocus Messenius vicit stadium*. Utrumque nomen repræsentat Anonymus, in *Descript. Olymp*. Ξενόδοκος, ἤτοι Ξενοκλῆς, Μεσσήνιος σάδιον. *Olympias nona. Xenodocus, alias Xenocles, Messenius stadium*. Ultimo autem ejus anno, sive Olympiadis nonæ secundo, primi Lacedæmoniorum cum Messeniis belli initium fuit. *Anonymus noster* ad eum diserte notat. Ἀρχὴ πρώτε Λακεδαιμονίων κ̀ Μεσσηνίων πολέμε. *Initium primi Lacedæmoniorum cum Messeniis belli*. Pausanias in *citatis Messenicis*. Ταύτlω Λακεδαιμόνιοι πρώτlω ἐπὶ Μεσσηνίες ἔξοδον ἐποιήσαντο, ἔτει δευτέρῳ τ̃ ἐνάτης Ὀλυμπιάδος. *Hanc Lacedæmonii primam contra Messenios expeditionem fecerunt, anno secundo nonæ Olympiadis*.

CAP. V.

Charopis successor Æsimedes; sub quo stadio victores Dotades, & Leochares. Amphia a Lacedæmoniis capta. Post Æsimedem Clidicus principatum tenuit: sub quo Diocles, & Dasmon, stadio vincunt. Eusebius emendatus. Bellum Messenicum finitur. Pausaniæ, & Anonymi de Olympiadibus, hac in re dissidium. Duplicatus stadii cursus, quo primus victor Hypenus. Ithome capta. Thasus condita.

CHAROPI successit Æsimedes, itidem Æschyli filius, Olympiadis IX. anno III. Tradit Anonymus in *Descript. Olymp*. Meminitque Eusebius *Chron*. I. Hujus tertio anno Dotades Messenius stadio vicit; ut testantur *Anonymus ille*, & *Eusebius*: quinto autem, Amphiam ceperunt Lacedæmonii; ut vult Pausanias, in *Messenicis*. Τότε δὲ ὑπὸ τὴν κατάληψιν τ̃ Ἀμφείας Αἰσιμήδης Ἀϑηναῖος ἦρχεν ὁ Αἰσχύλε πέμπτον ἔτος. *Tunc autem sub expugnationem Amphiæ Æsimedes Athenienis Archon fuit Æschyli filius anno quinto*. Meminitque ille ejusdem non longe ab *initio Atticorum*. εἰ δέ μοι γενεαλογεῖν ἤρεσκεν, κ̀ τὰς ἀπὸ Μελάνϑε βασιλεύσαντας, ἐς Κλείδικον τ̃ Αἰσιμήδες, κ̀ τέτες ἂν ἀπηριϑμησάμlω. *Si vero mihi genealogiam contexere placeret, & qui ab Melantho imperarunt, usque ad Clidicum Æsimedæ filium, & illos annumerassem*. Septimo anno stadio vicit Leochares Messenius, testibus Eusebio, & Anonymo, in *ejus Olympiadis anno primo*. Post Æsimedem Clidicus fuit, ejus filius; cujus Pausanias, in *citatis statim verbis*, etiam meminit. Ac vicere stadio, dum principatum ille tenet, Olympiadis XII. anno I. quo hunc cepit, Oxythemis Coronæus; & sequente XIII. Diocles Corinthius: XIV. vero, Dasmon, item Corinthius: quo bellum quoque Messeniacum finem accepisse traditur. Et de utroque priore diserte Eusebius, atque Anonymus, in *suis Olympiadibus*. De postremo autem, & belli Messeniaci fine, ista sunt *Anonymi* verba. ΟΛ. ΙΔ. Δάσμων Κορίνϑιος σάδιον. τέλος Μεσσlωιακȣ̃ πολέμε. *Olymp*. XIV. *Dasmon Corinthius stadium. Finis Messeniaci belli*. Et Pausanias in *Messenicis*. Ὁ δὲ πόλεμος ἔλαβεν ἔτος (de Messeniaco bello loquitur,) τέλος ἔτει πρώτῳ τ̃ τετάρτης κ̀ δεκάτης Ὀλυμπιάδος, ἣν Δάσμων Κορίνϑιος ἐνίκα σάδιον, Ἀϑήνησι Μεδοντιδῶν τὴν ἀρχὴν ἔτι ἐχόντων τὴν δεκέτιν, κ̀ ἔτες Ἱππομένει τετάρτε τ̃ ἀρχῆς ἠνυσμένε. *Bellum autem hoc accepit finem anno primo quartæ & decimæ Olympiadis, qua Dasmon Corinthius stadium vicit, quum Athenis Medontidæ imperium adhuc obtinerent decennale, & anno Hippomenis imperii quarto exacto*. Etsi in eo ille dissentit ab *Anonymo*, quod Hippomenis, qui hunc Clidicum excepit, anno quarto principatus jam finito, non Clidici nono, accidisse eum dicat. Sic in eo etiam discedit, quod initium anno Æsymedis quinto, non postremo Charopis, memorat. Sed quod ad Dasmonem attinet, de eo Eusebius corrigendus, *Chron*. I. Τεσσαρεσκαιδεκάτη Ὀλυμπιὰς, ἣν ἐνίκα Δάσμων Κορίνϑιος σάδιον. *Quartadecima Olympias, qua vicit Dasmon Corinthius stadium*. Hodie

editur Δίσμων. Eodem anno duplicatus est stadii cursus, primusque eo victor coronam reportavit Hypenus Pisanus. Anonymus in *eo anno*. Προσετέθη δίαυλος. Ὕπηνος Πισαῖος πρῶτος δίαυλον. *Additus duplicatus cursus, quem dicunt diaulum. Hypenus Pisæus primus diaulum.* Pausanias *Eliac.* I. Ὀλυμπιάδι δὲ ὕστερον τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ προσετέθη σφίσι δίαυλος. Ὕπηνος δὲ, ἀνὴρ Πισαῖος, ἀνείλετο ἐπὶ τῷ διαύλῳ τὸν κότινον. *Olympiadi autem postea quartædecimæ additus ab illis duplicatus cursus. Hypenus vero, vir Pisæus, reportavit ob duplicatum cursum coronam ex oleastro.* Eusebius *Chron.* I. Προσετέθη καὶ δίαυλον, καὶ ἐνίκα Ὕπηνος Ἠλεῖος. *Additus est etiam duplicatus cursus, & vicit Hypenus Eleus.* Ithome quoque tunc expugnata a Lacedæmoniis, ut Anonymus nobis auctor, in suo De *Olympiadibus* Opere, & Pausanias, in *Messenicis*. Sunt qui Thasum etiam tunc exstructam velint; quod nonnulli Olympiadis sequentis anno primo, quo Hippomenes principatus annum tertium tenebat, factum statuunt. Itaque utrumque istud tempus Thasi conditæ ab *Anonymo* annotatur. Et mox plura sum dicturus.

CAP. VI.

Hippomenis principatus, & in filiam sævitia. Suidæ locus emendatus, & error indicatus. Orsippus primus in Olympico certamine nudus currit, inde Acanthus. Cursus Δολιχὸς institutus. Eustathii, & aliorum, dissensus. Thucydides correctus. Thasus condita. Archilochus floret. Pythagoras Lacon stadio vincit. Romulus disparet. Numa Pompilius rex creatur.

CLIDICO Hippomenes successit, Olymp. XIV. anno III. ut ex Anonymo, in *Descriptione sua Olympiadum*, discimus. Meminit ejus Pausanias in *Messenicis*, cujus verba in superiori capite a me relata. Meminit Freculphus etiam, *Tom.* I. lib. III. cap. XIII. *Macedonum rex Perdicca erat, Atheniensium Hippomenes. Suidas* eum principatu dejectum commemorat, ob sævitiam in filiam constupratam. Ἱππομένης, Ἀθηναίων ἄρχων ὃς ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, δι' αἰτίαν τοιάνδε· ἦν αὐτῷ θυγάτηρ, ἣν τινα τῶν ἀστῶν τινὸς αἰσχύναντος λάθρα, ὑπ' ὀργῆς καθεῖρξεν εἰς οἴκημα δήσας σὺν ἵππῳ, καὶ τροφὴν οὐδετέρῳ εἰσέπεμπεν. πιεσθεὶς οὖν λιμῷ ὁ ἵππος, ἐφορμήσας τῇ παιδὶ, ἀνήλωσέ τε αὐτὴν, καὶ αὐτὸς ὕστερον ἀπέθανε. μετὰ ταῦτα, ἐπισκαφείσης αὐτῷ τῆς οἰκήσεως, ἀπ' ἐκείνου ὁ χῶρος ἐκαλεῖτο, ἵππου καὶ κόρης. *Hippomenes Atheniensium prætor, magistratu excidit hac de causa. Erat ipsi filia, quam cum quis civium stuprasset clanculum, ex iracundia conjecit in conclave ligans cum equo, & alimentum neutri immisit. subactus igitur fame equus, irruit in puellam, confecitque illam, & ipse postremo mortuus est. Post hæc, cum dirutum esset illi ædificium, ex eo locus vocatus est, equi & puellæ* Meminit iterum *in* Πάριππον. Πάριππον καὶ κόρη. τόπος Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενος. ἐπειδή τις τοῦ γένους τῶν Κοδριδῶν, Ἱππομένης τοὔνομα, ὃς καὶ τελευταῖος ἐβασίλευσε, τὴν θυγατέρα καθεῖρξεν ἐν χωρίῳ τινὶ μεθ' ἵππου μαινομένου, διότι λαθραίᾳ μίξει τὴν παρθενίαν αὐτῆς ἐλυμήνατο. καὶ ὁ ἵππος τῇ κόρῃ βίαν ἐποιήσατο. ἀφ' οὗ πάριππος καὶ κόρη ὁ τόπος, ἐν ᾧ τὸ πάθος ὑπέστη, καλεῖται. *Ad equum & puella. Locus Athenis ita vocatus. Postquam quis ex genere Codridarum, Hippomenes nomine, qui & ultimus regnavit, filiam incluserat in loco quodam cum equo furibundo, quia clandestino congressu virginitatem suam polluerat. Et equus puellæ vim intulerat. Unde parippus & puella locus, in quo calamitas contigit, vocatus est.* Sed mendosa verba in *initio* sic restituo, Παρ' ἵππον καὶ κόρην. *Propter equum & puellam.* Et in *fine*, Ἀφ' οὗ Παρ' ἵππον καὶ κόρην ὁ τόπος. *Unde propter equum & puellam locus.* Deinde etiam errat *Suidas*, & quem ille Auctorem sequitur, quod hunc ultimum τῶν βασιλευσάντων, *illorum qui regnaverunt*, faciat. Sed Hippomenis illud facinus, etsi non expresso nomine, etiam ab Æschine memoratur, *Orat.* in Timarchum. Ἵνα δὲ μὴ δοκῶ καὶ Λακεδαιμονίους θεραπεύειν, καὶ τῶν ἡμετέρων προγόνων μνηθήσομαι. οὕτω γὰρ ἦσαν πρὸς αἰσχύνας χαλεποὶ, καὶ περὶ πλείστου τῶν τέκνων τὴν σωφροσύνην ἐποιοῦντο, ὥστ' ἀνὴρ εἷς τῶν πολιτῶν, εὑρὼν τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα διεφθαρμένην, καὶ τὴν ἡλικίαν οὐ καλῶς διαφυλάξασαν μέχρι γάμου, ἐγκατῳκοδόμησεν αὐτὴν μεθ' ἵππου εἰς ἔρημον οἰκίαν, ὑφ' οὗ προδήλως ἔμελλεν ἀπολεῖσθαι, διὰ λιμὸν συγκαθειργμένη. καὶ ἔτι καὶ νῦν τῆς οἰκίας ταύτης ἕστηκε τὰ οἰκόπεδα ἐν τῷ ὑμετέρῳ ἄστει, καὶ ὁ τόπος οὗτος καλεῖται, Παρ' ἵππον, καὶ κόρην. *Ne autem videar Lacedæmoniis inservire, etiam nostrorum majorum mentionem faciam. Ita enim erant adversus turpitudines severi, & plurimi liberorum modestiam faciebant, ut vir quidam e civibus, comperiens suam filiam vitiatam, & quæ floridam ætatem non bene conservarat usque ad nuptias, inhabitare eam voluerint cum equo in vacuam domum, a quo manifeste futurum erat ut interiret, ob famem simul coercita. Et ad hoc usque tempus ædium illarum steterunt fundamenta in vestra urbe, & locus hic vocatur, Ad equum, & puellam.* Meminit & Dion Chrysostomus, *Orat.* XXXII. Ἀθήνησι δὲ αὐτὸ τοῦτο τὸ ζῷον ἀγαπηθῆναι (φασὶν,) τὸ καὶ παρ' ὑμῖν εὐδοκιμοῦν. καὶ νῦν ἐστιν ἐν τῇ πόλει τόπος καλούμενος οὕτως, Ἵππου καὶ κόρης ἄβατον. ὁ γὰρ πατὴρ συγκαθεῖρξε τὴν παῖδα τῷ ἵππῳ, καὶ φασὶν οὕτω διαφθαρῆναι τὴν κόρην. *Athenis autem illud ipsum animal amatum fuisse (dicunt,) quod etiam apud vos celebratur. Et nunc est in urbe locus vocatus ita, Equi & puellæ desertum. Pater enim una inclusit puellam cum equo, & dicunt ita perisse puellam.* Ejus anno tertio, qui primus fuit Olympiadis decimæ quintæ, Orsippus Megarensis stadio vicit, primusque tunc nudus currere cœpit Acanthus. Nam cum antea præcincti currerent, in Orsippo istud desitum; qui cum præcinctus currere incœpisset, cingulum postea decidere sivit, ut expeditius curreret. Narrat Pausanias *extremis Atticis*. Notatque breviter Thucydidis Scholiastes *lib.* I. Ἀπὸ Ὀρσίππου Μεγαρέως ἐγυμνώθησαν ἐν τοῖς ἀγῶσιν. *Ab Orsippo Megarensi nudati sunt in certaminibus. Epigramma Vetus.*

Ὀρσίππῳ Μεγαρεῖ μεγαλόφρονι τῇδ' ἀρίδηλον
Μνῆμα θέσαν, φάμᾳ Δελφίδι πειθόμενοι.
Πρῶτος δ' Ἑλλήνων ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθη
Γυμνὸς, ζωννυμένων τῶν πρὶν ἐπὶ σταδίῳ.

Orsippo Megarensi magnanimo hic valde conspicuum
Monumentum posuerunt, famæ Delphicæ credentes.
Primus autem Græcorum in Olympiade coronatus est
Nudus, cum præcingerentur priores ad stadium.

Factum autem hoc, ut dixi, Olymp. XV. anno I. Ita *Anonymus*; & Eusebius *Chron.* I. Πεντεκαιδεκάτη Ὀλυμπιάς, ἣν ἐνίκα Ὀρσιππος Μεγαρεὺς στάδιον. *Decimaquinta Olympias, qua vicit Orsippus Megarensis stadium.* Eustathius ad *Iliad.* Ψ'. Περὶ δὲ τοῦ ζώματος φέρεται ἱστορία, ὅτι μετὰ τὴν ιδ'. Ὀλυμπιάδα συνέβη Ὀρσιππόν τινα, ἐμποδισθέντα ὑπὸ τοῦ περιζώματος, πεσεῖν, καὶ τελευτῆσαι· ἢ κατά τινας, νικηθῆναι, ὅθεν ἐθεσπίσθη, γυμνοὺς τοὺς τοιούτους ἀγωνίζεσθαι. *De cingulo autem fertur narratio, circa quartamdecimam Olympiadem contigisse, ut Orsippus quidam, cum impediretur ob cingulum, cecidisse, & occubuisse: Aut secundum quosdam, victum fuisse, unde sancitum fuit, ut illi nudi certarent.* Ubi hoc notandum, quod victum dicat, quem vicisse referunt alii, quos laudavi. Ac victum eum, alii quoque tradunt; sed in tempore multum variant; ajunt enim, accidisse Olymp. XXXII. Scholiastes Anonymus Homeri

ad *Iliad.* ψ. Πρῶτον ἔθος ἦν τοῖς περιζώματα φέρειν περὶ τὰ αἰδοῖα, καὶ οὕτως ἀγωνίζεσθαι. κατὰ δὲ τὴν τριακοστὴν καὶ δευτέραν Ολυμπιάδα Ορσίππου τοῦ Λακεδαιμονίου λυθὲν ἀγωνιζομένου τὸ περίζωμα αἴτιον αὐτῷ ἥττης ἐγένετο. ἐξ οὗ νόμος ἐτέθη, γυμνοὺς τρέχειν. *Primum conſuetudo erat apud Veteres cingula ferre circa pudenda, & ita certare. Circa vero trigeſimam ſecundam Olympiadem Orſippo Lacedæmonio ſolutum certante cingulum cauſa ipſi amittendæ victoriæ fuit. A quo tempore lex eſt ſtatuta, ut nudi currerent.* Idem refert Etymologici Auctor, *in* Γυμνάσια: & Anonymus noſter in *Olympiadis iſtius anno primo*. Cum vero hoc tam vetus inſtitutum fuerit, quomodo Thucydides, qui annis circiter trecentis poſt hæc ſcripſit, tradere potuit, non ita pridem morem iſtum deſiiſſe? Ecce verba *lib.* I. Τὸ δὲ πάλαι καὶ ἐν τῷ Ολυμπιακῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο· καὶ οὐ πολλὰ ἔτη, ἐπειδὴ πέπαυται. *Antiquitus autem & in Olympico certamine cingula habentes circum pudenda luctatores certabant. Et non multi anni ſunt, poſtquam deſiit.* Omnino cenſeo negativam inducendam, ſcribendumque, καὶ πολλὰ ἔτη. *Et multi anni.* Ab Orſippo primus Acanthus nudus cucurrit. Dionyſius Halicarn. *lib.* VII. Ο δὲ πρῶτος ἐπιχειρήσας ἀποδυθῆναι τὸ σῶμα, καὶ γυμνὸς Ολυμπιάσι δραμὼν ἐπὶ τῆς πεντεκαιδεκάτης Ολυμπιάδος, Ακανθος ὁ Λακεδαιμόνιος ἦν. *Qui autem primus ſuſtinuit nudare corpus, & nudus in Olympiacis currebat quintadecima Olympiade, Acanthus Lacedæmonius erat.* Teſtes etiam *Anonymus*, *Euſebius*, *Pauſanias*. Thaſus quoque hoc tempore condita, ut *Anonymus* idem refert, & *Clemens*; Xanthus tamen Lydus in decimam octavam Olympiadem rejicit. Verba Clementis iſta ſunt *Strom.* I. Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς, περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην Ολυμπιάδα· ὡς δὲ Διονύσιος, περὶ τὴν πεντεκαιδεκάτην, Θάσον ἐκτίσθαι. *Xanthus autem Lydus, circa octavam decimam Olympiadem. Quemadmodum vero Dionyſius, circa quintamdecimam, Thaſum conditam eſſe.* Inſtitutus etiam eſt curſus, Δολιχὸς appellatus; ut ex *Euſebio*, & Anonymo in *eo anno* diſcere licet. Eodem tempore Archilochum floruiſſe ſunt qui velint. Anonymus in *hoc anno*. Αρχίλοχος ἤκμαζε, κατὰ τὸν Διονύσιον. *Archilochus floruit, ſecundum Dionyſium.* Ac mox rurſum eum commemorat, *Olympiadis* XVIII. *anno.* I. & *tertio decimæ nonæ*. Cyrillus eum conſtituit in Olympiade viceſima tertia, *Adverſus Julianum* lib. I. *Viceſima tertia Olympiade Archilochus fuiſſe fertur.* Ita etiam Tatianus, in *Orat. contra* Græcos, Ο δὲ Αρχίλοχος ἤκμασε περὶ Ολυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν. *Archilochus autem floruit circa Olympiadem tertiam & vigeſimam.* Videndus Clemens, *loco citato*. Olympiadis decimæ ſextæ anno primo, qui ſeptimus fuit noſtri Hippomenis, ſtadio vicit Pythagoras Lacon. *Anonymus*. ΟΛ. ιϛʹ. Πυθαγόρας Λάκων στάδιον. *Olympiadis* XVI. *Pythagoras Lacon ſtadium.* Dionyſius Halicarn. *libro* II. Τῆς ἑκκαιδεκάτης Ολυμπιάδος, ἐν ᾗ ἐνίκα στάδιον Πυθαγόρας Λάκων; *Decima ſexta Olympiade, qua vicit ſtadium Pythagoras Lacon.* Idem memorat Euſebius, *Chron.* I. Romulum etiam diſparuiſſe hoc ipſo tempore, auctor *Anonymus*. *Chronicon Alexandrinum* rejicit in Olympiadem decimam ſeptimam. Plinius ante decimam octavam factum dicit, ſed incertum Lectorem reliquit, *lib.* XXXV. *c.* VIII. *Duo enim de viceſima Olympiadæ interiit Candaules; aut, ut quidam tradunt, eodem anno, quo Romulus.* Succeſſit Numa, anno ejuſdem Olympiadis tertio, qui penultimus fuit Hippomenis. *Anonymus* illic. Πομπίλιος Νομᾶς εἰς τὴν βασιλείαν ὑπὸ τῶν Ρωμαίων ἐκλήθη. *Pompilius Numa ad regnum a Romanis eſt vocatus.* Dionyſius Halicarn. *lib.* II. Καὶ μετὰ τοῦτο πρεσβευτὰς ἀποδείξας ἐκ τῶν πατρικίων, ἀπέστειλε τοὺς παραληψομένους τὸν ἄνδρα (Νομᾶν Πομπίλιον) ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ἑκκαιδεκάτης Ολυμπιάδος. *Et poſt hoc legatos cum creaſſet ex patriciis, emiſit ſuſcepturos virum (Numam Pompilium) ut regnum capeſſeret, anno tertio ſextæ decimæ Olympiadis.* Et mox, de eodem loquens. Επὶ τῆς ἑκκαιδεκάτης Ολυμπιάδος μεσούσης τὴν Ρωμαίων βασιλείαν παρέλαβε. *In decimæ ſextæ Olympiadis medio Romanorum regnum ſuſcepit.*

CAP. VII.

Leocrates poſt Hippomenem Archon. Polus ſtadio victor. Aſtacus, poſtea Nicomedia appellata, ab Aſtaco condita, aut Zypœte; Croton, a Myſcelo. Tellis ſtadio vincit. Quinquertium, & lucta, inſtituta; illo, Lampis; iſta, Eurybatus victor. Euſebius emendatus. Gyges regnum adipiſcitur, primus Τύραννος *appellatus. Menon ſtadio victor.*

DEFUNCTO Hippomene, Leocrates principatum tenuit. Freculphus, *loco jam citato*. *Macedonum rex Perdicca erat, Athenienſium Hippomenes, cui Leocrates ſuccedit.* Ac meminerunt Euſebius *Chron.* I. & *Anonymus*. qui tradit, iniiſſe eum Olymp. XVII. anno I. quo ſtadio vicit Polus Epidaurius. Eodem Aſtacum in Bithynia, quæ poſt Nicomedia dicta, conditam refert. Τοῦ ἔτους (quo nimirum principatum Leocrates adiit,) ἐνισταμένου, ἐν Βιθυνίᾳ τὴν Αστακὸν ᾤκισαν Μεγαρέων ἄποικοι ἀπό τινος τῶν λεγομένων Σπαρτῶν, καὶ γηγενῶν, τῶν ἀπογόνων τῶν ἐν Θήβαις, Αστακοῦ τὴν κλῆσιν. *Hoc anno incipiente, in Bithynia Aſtacum condiderunt Megarenſium coloni, qui ab quodam Spartorum, ut vocantur, & indigenarum, quorum ſuboles Thebis, Aſtacus nomine.* Freculphus. *Nicomedia tunc condita eſt, quæ Aſtacus vocabatur.* De Aſtaco conditore, conſentit etiam *Stephanus*; qui Neptuni, & Olbiæ, filium facit. Αστακὸς, πόλις Βιθυνίας· ἀπὸ Αστακοῦ, τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ νύμφης Ολβίας. *Aſtacus, urbs Bithyniæ, ab Aſtaco, Neptuni filio, & nymphæ Olbiæ.* Sed Pauſanias Zypœten nominat, Η δὲ τοῦ ἐλέφαντος, βασιλέως Νικομήδους λέγεται εἶναι Βιθυνῶν. ἀπὸ τούτου δὲ καὶ τῇ μεγίστῃ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ πόλεων μετεβλήθη τὸ ὄνομα, Αστακῷ τὰ πρὸ τούτου καλουμένῃ. τὰ δὲ ἐξ ἀρχῆς αὐτῇ Ζυποίτης ἐγένετο οἰκιστὴς, Θρᾷξ γένος. *Quæ vero ex ebore, dicitur eſſe Nicomedis regis Bithynorum. Ab illo autem etiam maximæ urbium quæ in Bithynia mutatum eſt nomen, quæ Aſtacus ante illum dicta. Quondam autem in principio ejus Zypœtas fuit conditor, Thrax genere.* Biennio poſt, ſive ejuſdem Olympiadis XVII. anno III. qui Leocratis quoque tertius, Myſcelus Crotonem condit. Anonymus *ibidem*. Μύσκελος Κρότωνα ἔκτισε. *Myſcelus Crotonem condidit.* Dionyſius Halicarn. *libro* II. Καθ' ὃν χρόνον ὁ Νομᾶς ἐπὶ τὴν βασιλείαν ἐκαλεῖτο ὑπὸ Ρωμαίων, οὔπω πόλις ἦν ἡ Κρότων. τέσσαρσι γὰρ ὅλοις ὕστερον ἔτεσι ἢ Νομᾶν ἄρξαι Ρωμαίων, Μύσκελος αὐτὴν ἔκτισεν, ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ἑπτακαιδεκάτης Ολυμπιάδος. *Circa quod tempus Numa ad regnum vocatus eſt a Romanis, nondum urbs erat Croton. Quatuor enim integris annis poſtquam Numa regnavit Romæ, Myſcelus eam condidit, anno tertio decimæ ſeptimæ Olympiadis.* Anno ejus quinto, qui fuit primus Olympiadis decimæ octavæ, ſtadio vicit Tellis Sicyonius, ut *Euſebius* refert, & *Anonymus noſter*. Ac quinquertii tunc, & luctæ, certamina inſtituta; vicitque quinquertio Lampis, lucta Eurybatus, uterque Lacedæmonius. Anonymus *in eo anno*. Πένταθλον, καὶ πάλη, προσετέθη. Λάμπις πεντάθλῳ, Εὐρύβατος πάλῃ, ἄμφω Λακεδαιμόνιοι, ἐνίκησαν. *Quinquertium, & lucta, inſtituta ſunt. Lampis quinquertio, Eurybatus lucta, ambo Lacedæmonii, vicerunt.* Pauſanias

Eliac.

Eliac. I. Ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδόης καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος πεντάθλε, καὶ πάλης, ἀφίκοντο ἐς μνήμην. καὶ τὰ μὲν, Λάμπιδι ἐπῆρξεν· Εὐρυβάτῳ δὲ, ἡ νίκη τῆς πάλης, Λακεδαιμονίοις καὶ τούτοις. *Octava autem & decima Olympiade quinquertii, & luctæ, venerunt in memoriam. Et illius quidem Lampis initium dedit. Eurybato autem, victoria fuit luctæ, hique Lacedæmonii fuerunt.* De Eurybato, Eusebius *Chron.* I. Προσετέθη πάλη, καὶ ἐνίκα Εὐρύβατος Λάκων. *Instituta est lucta, & vicit Eurybatus Lacon.* Sed de Lampide corrigendus. Προσετέθη καὶ πένταθλος, καὶ ἐνίκα Λάμπις Λάκων. *Institutum est etiam quinquertium, & vicit Lampis Lacon.* Non recte editur, Λαμπίας Λάκων. *Lampias Lacon.* Eodem anno Gyges, primus Τύραννος appellatus, regnum adeptus est. *Anonymus noster.* Ὀλυμπιάδι τῇ ὀκτωκαιδεκάτῃ, ἔτει πρώτῳ, Γύγης τὴν βασιλείαν Λυδῶν ἐδέξατο. ἔτος πρῶτος ὠνομάσθη τύραννος. ἱστορεῖ Εὐφορίων, ἐν τῷ Περὶ Ἀλιαδῶν. *Olympiade octava decima, anno primo, Gyges regnum Lydorum suscepit. Hic primus vocatus est tyrannus. Narrat Euphorion, in libro de Aliadis.* Clemens *Strom.* I. Εὐφορίων δὲ, ἐν τῷ Περὶ Ἀλιαδῶν, κατὰ Γύγην αὐτὸν τίθησι γεγονέναι· ὃς βασιλεύειν ἦρξατο ἀπὸ τῆς ὀκτωκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος. ὃν καὶ φησι πρῶτον ὠνομάσθαι τύραννον. *Euphorion autem, in libro de Aliadis, circa Gygis ipsius tempora conditam. Qui regnare cœpit ab octavadecima Olympiade. Quem etiam dicunt primum vocatum tyrannum.* Anno nono, qui est Olympiadis decimæ nonæ primus, Menon Megarensis stadio victor celebratur ab *Eusebio*, & Anonymo.

CAP. VIII.

Leocrati Apsander succedit. Eusebius correctus. Atheradas Lacon, & Pantacles Atheniensis, stadio vincunt. Post Apsandrum Eryxias Archon. Eusebius emendatur, & Vellius. Pantacles Atheniensis stadio iterum victor, & Icarius Hyperesiensis. Pugilatus præmia instituta, quæ primus accepit Onomastus. Eryxiæ, nondum impleto decennio, Tlesias suffectus. Belli Messeniaci secund. initium. Pausaniæ locus emendatus. Sigonii error ostensus. Cleoptolemus Lacon stadio victor.

POST Leocratem, Olymp. XIX. anno III. principatum Apsander cepit; uti testes Anonymus in *eo anno*; & Eusebius, *Chron.* I. cui tamen alibi mendose Ἀλέξανδρος, dicitur, non Ἄψανδρος. Meminitque Freculphus *Tom.* I. *lib.* III. *cap.* XIV. *Quibus diebus Atheniensium erat rex Apsander.* Hujus anno III. qui Olympiadis vicesimæ primus, Atheradas Lacon; septimo, qui primus Olympiadis vicesimæ primæ, Pantacles Atheniensis, stadio vicere. Ita Eusebius testatur, *Chron.* I. & Anonymus in *Olympiadibus*. Apsandro, ultimus decennalium, & Medontidarum, ut supra dixi, Eryxias successit, Olympiadis XXII. anno I. Anonymus in *eo anno*. Ἐρυξίας, ἔσχατος Μεδοντιδῶν. *Eryxias, ultimus Medontidarum.* Eusebius *Chron.* I. Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν τεσσαρακοστὸς ἕβδομος Ἐρυξίας ἔτη ι. *Atheniensibus imperavit trigesimus septimus Eryxias annos decem.* Perperam editur, Εὐρυξίας. Et truncatum ejus nomen apud Vellejum, *l.* I. *c.*VIII. *Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus Charops, ultimus Eryx.* Repone; *ultimus Eryxias.* Freculphus *Tom.* I. *lib.* III. *cap.* XIV. *Atheniensium erat rex Apsander, cui successit Eryxias.* Hujus primo anno Pantacles Atheniensis iterum stadio victor evasit; uti quinto, qui Olympiadis XXIII. primus erat, Icarius Hyperesiensis. Sic *Eusebius*, & *Anonymus*. Item Pausanias in *Messenicis*. Ἀπέστησαν ἔτει τεσσαρακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τρίτης Ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς, ἣν Ἰκάριος Ὑπερησιεὺς ἐνίκα στάδιον. *Defecerunt anno trigesimo quidem & nono post Ithomes expugnationem, quarto autem tertiæ Olympiadis & vigesimæ, qua Icarius Hyperesiensis vicit stadium.* Tunc pugilatus quoque præmia constituta, quæ primus obtinuit Onomastus Smyrnæus, qui & leges posuit. Anonymus in *eo anno*. Πυγμῆς ἆθλα ἀπεδόθησαν. Ὀνόμαστος Σμυρναῖος πρῶτος πυγμῇ. ὁ καὶ τῇ πυγμῇ νόμους θέμενος. *Pugilatus certamina constituta sunt. Onomastus Smyrnæus primus pugilatu (vicit.) Qui etiam pugilatui leges statuit.* Eusebius *Chron.* I. Εἰκοστῇ τρίτῃ (Ὀλυμπιάδι;) προσετέθη πυγμὴ, καὶ Ὀνόμαστος Σμυρναῖος ἐνίκα, ὁ καὶ τῇ πυγμῇ νόμους θέμενος. *Vigesima tertia (Olympiade) adjectus pugilatus, & Onomastus Smyrnæus vicit, qui etiam pugilatui leges posuit.* Pausanias *Eliac.* I. Τρίτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ πυγμῆς ἆθλα ἀπέδοσαν, Ὀνόμαστος δὲ ἐνίκησεν ἐκ Σμύρνης. *Tertia vero Olympiade & vigesima pugilatus certamina instituerunt, Onomastus autem vicit e Smyrna.* Sed decennium suum Eryxias non implevit; sive mortuus, sive amotus: nam octavo ejus anno, qui quartus Olympiadis vicesimæ tertiæ, Tlesias ipsi suffectus; & initium tunc temporis fuit belli Messeniaci secundi. Diserte Anonymus in *eo anno* Τλησίας (ἄρχων.) ἀρχὴ τοῦ δευτέρου Μεσσηνιακοῦ πολέμου. *Tlesias (Archon.) initium secundi Messeniaci belli.* Et Pausanias in *Messenicis*, ubi de ejusdem belli initio agit, anni hujus Archontem nobis Tlesiam memorat. Ἀπέστησαν ἔτει τεσσαρακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τρίτης Ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς, ἣν Ἰκάριος Ὑπερησιεὺς ἐνίκα στάδιον. Ἀθήνησι δὲ οἱ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε ἄρχοντες. *Defecerunt anno trigesimo quidem & nono post Ithomes expugnationem, quarto autem tertiæ Olympiadis & vigesimæ, qua Icarius Hyperesiensis vicit stadium. Athenis vero annui erant jam tunc Archontes.* Sed observa, dicere illum, jam tum Athenis Archontes annuos fuisse; quod omnino falsum, ut statim ostendam: nam primus istorum Creon fuit, quod mox pluribus clarum faciam. Verum ego id *Pausaniam*, adeo peritum antiquitatis, plane non scripsisse existimo; ac corruptum potius locum, levi omnino mutatione restituendum. Lego autem; Ἀθήνησι δὲ οὐ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤ. τ. ἄ. *Athenis vero non annui erant*, &c. Nondum tunc erant Archontes annui. Atque hoc verum. Neque potest excusari error viri insignis, *Caroli Sigonii*, qui Tlesiam hunc annuorum Archontum secundum facit. Sub eo, Olymp. XXIV. anno I. stadio vincit Cleoptolemus Lacon; teste Eusebio, *Chron.* I. & Anonymo, in *isto anno*.

CAP. IX.

Inde annui novem facti; qui, cum primo separati magistratum exercerent, a Solone congregati; solitique in strategium convenire: myrto, aut hedera, coronati. Prohibiti autem, qui prostituissent corpus, aut donati civitate. Post depositum magistratum, redditamque rationem, Areopagitæ fiebant, e Solonis instituto. Horum primus proprie Ἄρχων, *& per excellentiam, dictus; anno nomen imponebat. quodque ejus munus fuerit, explicatum. Pollux emendatus; Andocides illustratus. Si quis eum coronatum percussisset, pœna illi infamia erat; si non coronatum autem, tum drachmarum decem millibus mulctabatur. Sopatri locus restitutus. Legebatur vero sorte; uno excepto Aristide, qui a populo, ob virtutem, extra ordinem constitutus: & quidem e nobilissimis; donec postea institutum ab Aristide, ut e populo indistincte crearetur. Primus autem horum omnium Creon fuit; isque quando constitutus. Nonnullorum istbic error indicatus.*

A *Intermissi autem paullulum, in Demetrii honorem, & Antigoni; & sacerdos τῶν Σωτήρων in eorum locum datus: quo post annos decem & octo abrogato, mox* Ἄρχοντες *restituti. Inde* Στρατηγοὶ *successere; non ab Atheniensibus lecti, ut Archontes, sed ab Imperatore Romano constituti. Ac sub Constantino Magno magni Duces appellati; postea simpliciter, Duces: &, ex annuis iterum perpetui facti, obtinuere usque ad captam a Turcis urbem.*

EXPLETO a Tlesia triennio, quo decennium Eryxiæ repræsentatur, constituti novem annui; quorum primus, *ἄρχων* proprie; alter,
B *βασιλεὺς*; tertius, *πολέμαρχος*; reliqui sex, *θεσμοθέται* nuncupati. De quibus videndus Pollux, præter alios, *lib.* VIII. *cap.* IX. Qui initio cum seorsim magistratum exercerent, & jus dicerent, Solon eos congregavit; ac sententiis collatis, uti simul dicerent, statuit. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. I. c. LVIII. *Καὶ πρῶτος τὴν συναγωγὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἐποίησεν, εἰς τὸ συνειπεῖν. Et primus conventum novem Archontum fecit, ad consulendum.* Ac quantumvis seorsim quisque munus sibi suum haberent, tamen multa ad omnes communiter pertinebant; quæ commemorat nobis Pollux, *l.* VIII. *c.* IX. *§.* I.
C *Καὶ κοινῇ μὲν (οἱ ἐννέα ἄρχοντες) ἔχουσιν ἐξουσίαν θανάτου, ἐάν τις κατίῃ, ὅπου μὴ ἔξεστι. καὶ κληροῦν δικαστὰς, καὶ ἀθλοθέτας, ἕνα κατὰ φυλὴν ἑκάστην. καὶ στρατηγοὺς χειροτονεῖν ἐξ ἁπάντων. καὶ καθ᾽ ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾶν, εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος· τὸν δὲ ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσι. καὶ ἱππάρχους δύο, καὶ φυλάρχους δέκα. Et communiter quidem (novem Archontes) habent potestatem mortis, si quis descendat, ubi non licet: Et sorte legendi judices, & arbitros, unum e tribubus singulis: Et duces eligendi ex omnibus: Et in singulos prytaneas inquirere, num videatur bene regere unusquisque. Et condemnatum judicant. Et Equitum magistros duos, & tribunos decem.* Locus autem, ubi convenire soliti, *Στρατήγιον* dictus. Ob-
D servare est apud Plutarchum, in *Vita Niciæ*. *Ἄρχων μὲν ἐν τῷ στρατηγίῳ διετέλει μέχρι νυκτός. Archon quidem in prætorio permanebat usque ad noctem.* Et illorum is locus erat, uti judicum *τὸ βῆμα*. Itaque hinc intelligendus Æschinis locus, *Orat.* in Ctesiphontem. *Εἰ δέ τις αὐτῷ τῶν στρατηγῶν ἀντείποι, καταδουλούμενος τοὺς ἄρχοντας, καὶ συνεθίζων μηδὲν αὐτῷ ἀντιλέγειν, διαδικασίαν ἔφη γράφειν τῷ βήματι πρὸς τὸ στρατήγιον. Si quis vero ipsi ducum obloquatur, opprimens Archontes, & assuefaciens ne quis ipsi contradicat, disceptationem dixit se inscripturum suggestui ad prætorium.* Et Plutarchus in *Pericle*. *Ποθοῦσης δ᾽ ἐκεῖνον, καὶ καλούσης ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ τὸ στρατήγιον, ἀθυμῶν, καὶ κεί-*
E *μενος οἴκοι διὰ τὸ πένθος, ὑπ᾽ Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν ἄλλων ἐπείσθη φίλων προελθεῖν. Quum autem desideraret illum, & vocaret ad suggestum, & prætorium, tædians, & jacens domi ob luctum, ab Alcibiade & aliis amicis persuasa est ut prodiret.* Iterum in *Præceptis Politicis*. *Εὐσταλεστέραν δεῖ τὴν χλαμύδα ποιεῖν, καὶ βλέπειν ἀπὸ τοῦ στρατηγίου πρὸς τὸ βῆμα. Succinctiorem decet chlamyda facere, & videre ab prætorio versus suggestum.* Demosthenes *τὸ στρατήγιον* appellat *τὸ τῶν ἀρχόντων οἴκημα*, *Orat.* in Midiam. *Ἤδη δὲ ἑσπέρας οὔσης, καὶ σκότους, ἔρχεται ὁ Μειδίας οὑτοσὶ πρὸς τὸ τῶν ἀρχόντων οἴκημα, καὶ καταλαμβάνει τοὺς ἄρχοντας ἐξιόν-*
F *τας. Jam autem cum esset vespera & tenebræ, venit Midias ita ad Archontum domicilium, & deprehendit Archontes egressos.* Atque hos myrto coronatos, sive hedera, docui pridem *Attic. Lect.* l. VI. c. VI. Dignitate vero ea arcebantur, qui prostituissent corpus. Æschines, *Orat.* in Timarchum. *Ἄν τις Ἀθηναίων, φησὶν, (ὁ νομοθέτης) ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι· ὅτι, οἶμαι, στεφανηφόρος ἡ ἀρχή. Si quis Athenenienſium, inquit (legislator) prostituat se, non liceto illi fieri unus ex novem Archontibus. quia, ut puto, coronam præbet imperium.* Etiam illi, qui donati civitate. Demosthenes, *Orat.* in Neæram. *Ὅσους γὰρ ἂν ὁ δῆμος ποιήσηται ὁ Ἀθηναίων πολίτας, ὁ νόμος ἀπαγορεύει διαρρήδην, μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι. Quotquot enim populus fecerit Atheniensium cives, bis lex interdicit explicate, ne liceat illis e numero novem Archontum fieri.* Itaque erat in Decreto de donata Platæensibus civitate, quod *ibidem* mox refertur. *Ἱπποκράτης εἶπε, Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι· καὶ μετεῖναι αὐτοῖς ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι πάντων, καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων. πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη, ἢ τελετή, ἐστιν ἐκ γένους· μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων. Hippocrates inquit, Platæenses esse Athenienses ab illo die, honoratos, quemadmodum & alii Athenienses. Et participes esse illarum rerum, quarum omnium Athenienses participes sunt, & sacrorum, & profanorum. excepto, si quod sacerdotium aut festum sit gentilitium: neque novem Archontum.* Anno exacto, & deposito magistratu, postquam ejus rationem reddidissent, in senatum Areopagitarum transibant. Pollux *lib.* VIII. *c.* X. *Οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες, οἱ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν, μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας, ἀεὶ τοῖς Ἀρεοπαγίταις προσετίθεντο. Novem autem Archontes, qui sunt annui, post redditas rationes, semper Areopagitis adjungebantur.* Estque in hanc ipsam rem Plutarchi elegantissimus locus, in *Vita Periclis*. *Θεωρικοῖς καὶ δικαστικοῖς λήμμασιν, ἄλλαις τε μισθοφοραῖς καὶ χορηγίαις συνδεκάσας τὸ πλῆθος, ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε, διὰ τὸ μήτ᾽ ἄρχων, μήτε θεσμοθέτης, μήτε βασιλεὺς, μήτε πολέμαρχος λαχεῖν. αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι᾽ αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. Theatralibus & judicialibus sportulis, aliisque mercedibus & præbitionibus corrupta plebe, usus est adversus Areopagi senatum, cujus ipse non fuit particeps, propterea quia nec Archon, nec thesmothetes, nec rex, neque dux sorte factus fuerit. Hi enim magistratus sorte dabantur antiquitus, & qui per eos probati erant, adscendebant ad Areopagum.* Idque factum e Solonis instituto. Plutarchus idem in *ejus Vita*. *Συστησάμενος δὲ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ἐκ τῶν κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀρχόντων, ἧς, διὰ τὸ ἄρξαι, καὶ αὐτὸς μετεῖχεν, ἔτι δ᾽ ὁρῶν τὸν δῆμον οἰδοῦντα, καὶ θρασυνόμενον, τῇ τῶν χρεῶν ἀφέσει, δευτέραν προσκατένειμε βουλήν. Quum autem constituisset in Areopago concilium ex annuis Archontibus, cujus, quia Archon fuerat, & ipse particeps fuit, præterea vero videns populum inflatum, & ferocem ob debiti remissionem, secundum insuper attribuit concilium.* Volunt quidam, solos iis Thesmothetas accessisse. Demosthenis Scholiastes in *Argumento Orat.* adversus Androtionem. *Ἡ μὲν τῶν πεντακοσίων (βουλὴ,) ἀριθμῷ ὑποπίπτει ὡρισμένῳ· ἡ δ᾽) ἐν Ἀρείῳ πάγῳ,) ἀορίστῳ. ὡς γάρ τινες τῶν ῥητόρων λέγουσι, κατ᾽ ἔτος οἱ ἐννέα ἄρχοντες αὐτῇ προσετίθεντο· ὡς δέ τινες, οἱ ἓξ μόνον θεσμοθέται). Quingentorum quidem (concilium) sub numerum cadit definitum. Quod vero (in Areo pago) indefinitum. Quemadmodum enim quidam rhetores dicunt, singulis annis novem Archontes illi adjiciuntur. Ut autem aliqui, sex tantum thesmothetæ.* Itaque, reddita ratione, post peracta Baccho in Limnis sacra solennia, constitutis hic diebus in senatum hunc transibant. Animadverto apud Demosth. *in Neæram* *Ὡς δὲ ἐγένετο τὰ ἱερὰ ταῦτα (τῷ Διονύσῳ τῷ ἐν Λίμναις,) ἀνέβησαν (οἱ ἐννέα ἄρχοντες) εἰς Ἄρειον πάγον ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις. Quum autem fiebant sacra hæc (Baccho in Limnis) ascenderunt (novem Archontes) ad Areum pagum statutis diebus.* Primus horum, Ἄρχων proprie, & per excellentiam, dictus, dignitate octo cæteros anteibat; signatique in fastis anni ejus nomine; unde Ἐπώνυμος dicebatur. Pausanias in *Laconicis*. *Ἀθηναίοις τῶν καλουμένων ἐννέα ἐπώνυμός ἐστιν εἷς ἄρχων.*

Ex illis, qui Athenienſibus dicuntur novem nomen imponit unus Archon. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Ἐςι δὲ ἐπώνυμος ἄτος, καὶ ἀπ' αὐτῦ ὁ χρόνος ἀριθμεῖται. *Nomen autem hic imponit, & ab eo tempus numeratur*. Philo *lib.* περὶ Ἀβραάμ. Ὁ ποιητὴς Ὅμηρος, μυρίων ὄντων ποιητῶν, κατ' ἐξοχὴν λέγεται. καὶ τὸ μέλαν, ᾧ γράφομεν· καίτοι παντὸς, ὃ μὴ λευκόν ἐστι, μέλανος ὄντος. καὶ ἄρχων Ἀθήνησιν, ὁ ἐπώνυμος, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἄριστος, ἀφ' οὗ οἱ χρόνοι καταριθμοῦνται. *Poeta Homerus, quum ſint innumeri poetæ, per excellentiam dicitur. Et atramentum, quo ſcribimus. quamvis omne, quod non album eſt, atrum ſit. Et Archon Athenis, qui nomen imponit, etiam novem Archontum optimus, a quo tempora numerantur*. Libanius in *Argumento Orationis* contra Androtionem, ubi de Archontibus novem. Εἷς, ἐπώνυμος· ἐξ οὗ καὶ ἐνιαυτὸς ἐπώνυμος ὠνομάζετο. *Unus, nomen imponens. Ex quo etiam annus nomen gerens vocatur*. Munus ejus Pollux narrat, *loco citato*. Ὁ δὲ ἄρχων, διατίθησι μὲν Διονύσια, καὶ Θαργήλια, μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν. δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται κακώσεως, παροινίας, εἰς διαιτητῶν αἵρεσιν, ἐπιτροπὴ ὀρφανῶν, ἐπιτροπὴ ὀρφανῶν, ἐπιτρόπων καταστάσεις. ἐπιμελεῖται δὲ καὶ τῶν γυναικῶν, αἳ ἂν φάσκωσιν ἀπ' ἀνδρὸς τελευτῆς κυεῖν. καὶ τοὺς οἴκους ἐκμισθοῖ τῶν ὀρφανῶν. *Archon autem, diſponit quidem Bacchanalia, & Thargelia, cum procuratoribus. Judicia vero apud illum ſortiuntur, injuriæ, ebrietatis, ad arbitrorum delectum, tutela orphanorum, tutorum ordinationes. Curam autem etiam gerit mulierum, quæ appareant poſt viri obitum gravidæ. Et domus elocat orphanorum*. Ita locum illum emendo, qui corruptus hodie editur. Ubi quod eum Bacchanalia, & Thargelia, cum adjunctis curatoribus, ordinaſſe *Pollux* tradit, id Demoſthenis quoque verbis, *Orat.* adverſus Midiam, confirmatur. Παρούσης δὲ τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦν ὁ νόμος τοῖς χοροῖς τοὺς αὐλητὰς κελεύει, λόγων καὶ λοιδορίας γιγνομένης, καὶ κατηγοροῦντος τοῦ μὲν ἄρχοντος ἄρχοντος τῶν ἐπιμελητῶν τῆς φυλῆς, τῶν δ' ἐπιμελητῶν τοῦ ἄρχοντος, παρελθὼν ὑπεσχόμην ἐγὼ χορηγήσειν ἐθελοντής. *Quum autem adeſſet concio, in qua Archontem ſortiri lex choris tibicines jubet, verbis & jurgiis intervenientibus, & accuſante Archonte quidem curatores tribus, curatoribus vero Archontem, adveniens ſuſcepi ego ſumptus præbere voluntarius*. Agit ibi de ludis, Bacchi feſto exhiberi ſolitis. eſt & Athenæi locus, *l.* XII. Ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμπεν (Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς) ἄρχων γενόμενος, ᾖδεν χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα. *In pompa autem Bacchanalium, quam duxit (Demetrius Phalereus) Archon cum eſſet, cecinit chorus in ipſum carmina*. Attribuit porro orphanorum illis curam, & tutorum addendorum; tum mulierum, quæ poſt obitum mariti uterum ferrent: ædiumque, quæ ad orphanos pertinerent, locandarum. Et in hanc rem lex expreſſa, quæ repræſentatur nobis a Demoſthene *in* Macartatum; verbaque ejus ita habent. Ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων· καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων, φάσκουσαι κυεῖν, τούτων ἐπιμελείσθω. *Archon curam gerito pupillorum, & hæredum, & ædium intereuntium, & uxorum, quotquot manent in ædibus maritorum defunctorum, dicentes ſe gravidas eſſe, horum curam gerito*. De orphanis vero, mulieribuſque gravidis, eſt Demoſthenis quoque locus, *Orat.* adverſus Lacritum Ἐπικλήρων, καὶ τῶν τοκέων, προστέτακται τῷ ἄρχοντι ἐπιμελεῖσθαι. *Hæredum, & orphanorum, & parturientium injunctum eſt Archonti curam gerere*. De orphanis ſolis, etiam Æſchines *in* Timarchum. Τίς γὰρ ὑμῶν τὸν ὀρφανὸν καλούμενον Διόφαντον οὐκ οἶδεν; ὃς τὸν ξένον πρὸς τὸν ἄρχοντα ἐπήγαγεν, ᾧ παρήδρευεν Ἀριστοφῶν ὁ Ἀζηνιεὺς, ἐπαιτιασάμενος τέτταρας δραχμὰς αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πράξεως ταύτης ἀπεστερηκέναι. καὶ τοὺς νόμους λέ-

A γων, οἳ κελεύουσι τὸν ἄρχοντα τῶν ὀρφανῶν ἐπιμελεῖσθαι. *Quis enim veſtrum orphanum dictum Diophantum non novit? qui peregrinum ad Archontem adduxit, cui ſuccurrit Ariſtophon Azenienſis, criminatus quatuor drachmis ipſum ob factum illud privatum eſſe. Et leges recitans, quæ jubet Archontem orphanorum curam habere*. De virginibus, quæ hæredes unicæ erant, Demoſthenes ait *in* Pantænetum. Ὅσα δ' εἰς ἐπικλήρους, πρὸς τὸν ἄρχοντα. *Quæ autem ad hæredes, ad Archontem*. Et Lyſias, *Orat.* in Alcibiadem II. Τί δ' ἂν αἴσχιον ἔθος, ἢ δεινότερον πρᾶγμα, τούτου γένοιτο τῇ πόλει, εἰ τολμήσειε μὲν ἄρχων, ἐμβὰς τῶν ἐπικλήρων δίκαις ἀντιβολεῖν καὶ ἱκετεύειν τοὺς δικαστὰς ὅ,
B τι ἂν βούληται πραχθῆναι. *Quis autem turpior mos, aut pejus factum, illo fiat in urbe, ſi audeat quidem Archon, inſultans hæredum juri ſupplicare & obſecrare judices ut quicquid voluerit fiat*. Illas ipſas ſi, quod lege jubebatur, genere proximus neque duceret, neque alteri elocaret, ab Archonte cogebatur; deferendi poteſtate, qui id nollet, cuivis data; ac, officio ſi deeſſet, ipſe Archon drachmis mille, Junoni ſacris, mulctabatur. Demoſth. *Orat.* in Macartatum. Ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ (τὴν ἐπίκληρον) ὁ ἐγγυτάτω γένους, ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἢ ἐκδοῦναι. ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάσῃ ὁ ἄρχων, ὀφειλέτω χιλίας δρα-
C χμὰς, ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ. ἀπογραφέτω δὲ τὸν μὴ ποιοῦντα ταῦτα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα. *Si vero non habeat (unicam hæredem) proximus genere, aut non elocet, Archon cogat vel ipſum tenere, aut elocare. Si autem non cogat Archon, mulctetur mille drachmis, ſacris Junoni. Proſcribat autem illum non facientem talia quiſquis voluerit apud Archontem*. Qui delinquerent in his cauſis, eos ipſe, irrogata ſuo arbitratu mulcta, in Heliæam introducebat. Demoſth. in *eadem Orat.* de re eadem. Καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν, ἢ ποιεῖν τι παράνομον. κύριος δ' ἔστω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος πρόπεμπτα, καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος ὅ, τι ἂν δοκῇ
D αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν Ἡλιαίαν. *Et non ſinat contumeliam facere, vel patrare quid illicitum. Magiſtratus autem habeat poteſtatem imponendæ pœnæ ſecundum cenſum. Si vero majore pœna videatur dignus eſſe, arceſſens ante-quintas, & mulctam imponens quam ipſi placuerit, introducat in Heliæam*. Sunt verba legis, cujus paullo ante initium recitavi. Itaque tempus iſtas cauſas diſceptantibus aſſignabat, & prædividebat aquam. Demoſth. idem, in *citata Orat.* Ἐξ ἀνάγκης γὰρ ἦν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τῷ ἄρχοντι, ἀμφορέα ἑκάστῳ ἐγχέαι τῶν ἀμφισβητούντων, καὶ τρεῖς χοᾶς τῷ ὑστέρῳ λόγῳ. *Neceſſarium enim erat, o viri judices, Archonti, amphoras unicuique infunde-
E dere diſceptantium, & tres urnas ultimæ orationi*. Jam poſtremum quod *Polluci* memoratur, ædes eum orphanorum, ne deſertæ intercidèrent, elocaſſe; eſt id quoque in verbis legis, quæ citavi. Ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν οἴκων ἐξερημουμένων. *Archon curet orphanos, & ædes deſertas*. Pertinetque ad hanc rem Iſæi locus, in *Oratione ea, quæ eſt* De hereditate Apollodori. Νόμῳ γὰρ τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων, ὅπως ἂν μὴ ἐξερημῶνται, προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν. *Nam ex lege Archonti ædium, ne deſerantur, incumbit cura*. Et *in altera, quæ eſt* De hereditate Philoctemonis. Ἀπογράφουσι τὸν παῖ-
F δε τούτω πρὸς τὸν ἄρχοντα, ὡς εἰσποιήτω τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος υἱέσι τοῖς τετελευτηκόσιν, ἐπιγράψαντες σφᾶς αὐτοὺς ἐπιτρόπους· καὶ μισθοῦν ἐκέλευον τὸν ἄρχοντα τοὺς οἴκους, ὡς ὀρφανῶν ὄντων. *Citant puerum illum ad Archontem, tanquam inſiticium Euctemonis filiis mortuis, inſcribentes ſe ipſos tutores. Et elocare jubebant Archontem ædes, utpote orphanorum*. Ut autem orphanos quoſque curabat, ita maxime eorum liberos, ac parentes, qui in bello cecidiſſent. Hac de re Platonis locus eſt, in *Menexeno*. Τῆς δὲ πόλεως ἴστε που καὶ αὐτοὶ τὴν ἐπιμέλειαν, ὅτι νόμους θεμένη

περὶ τοὺς τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτησάντων παῖδάς τε καὶ γεννήτορας, ἐπιμελεῖται, καὶ διαφερόντως τῶν ἄλλων πολιτῶν προστέτακται ἀρχῇ, ἥπερ μεγίστη ἐστὶν, ὅπως ἂν οἱ τούτων μὴ ἀδικῶνται πατέρες τε καὶ μητέρες. τοὺς δὲ παῖδας συνεκτρέφει αὐτὴ, προθυμουμένη ὅτι μάλιστ' ἄδηλον αὐτοῖς τὴν ὀρφανίαν γενέσθαι. *Urbis autem nostis & ipsi curam, quod illa legibus statutis de eorum, qui in bello mortui sunt, liberis & parentibus curam gerit, & præcipue præter alios cives mandatum est magistratui, qui maximus est, ne scilicet talium patres & matres injuriam paterentur. Liberos autem una nutrit ille, prævidens potissimum incertam ipsis orbitatem contingere.* Ac liberi quidem ut publico sumptu alerentur, accurabat; inde est in Platonis *verbis*. Τοὺς δὲ παῖδας συνεκτρέφει αὐτή. *Liberos autem simul nutrit ille*. Et Lesbonax in *Protreptico*. Ποῖος ἡδίων θάνατος; τίνες δ' εὐκλεέστεροι οἱ ἀποθανόντες; δημοσίου τάφου ἀξιοῦνται. θυσίαι ἐπὶ τούτοις γίγνονται, ἀγῶνες ἐπὶ τούτοις τίθενται, ἀντὶ θνητοῦ σώματος ἀθάνατον μνῆμα καταλείπουσιν. οἱ δὲ τούτων παῖδες, δημοσίᾳ ἐκτρέφονται. *Qualis est dulcior mors? quinam celebriores mortui? publico monumento digni habentur. Sacrificia ipsis fiunt, certamina honori illorum statuuntur, pro mortali corpore immortalem memoriam relinquunt. Illorum vero liberi, publico sumptu aluntur.* Præter ista & mulieres, quæ a viris divertebant, cum eorum contumelias ferre haud possent, divortii sui libellum, ipsæ eum deferentes, apud eum deponebant. Observare est apud Plutarchum, in *Alcibiade*. Εὔτακτος δ' οὖσα, καὶ φίλανδρος, ἡ Ἱππαρέτη, λυπουμένη δ' ὑπ' αὐτοῦ περὶ τὸν γάμον, ἑταίραις ξέναις καὶ ἀσταῖς συνόντος, ἐκ τῆς οἰκίας ἀπιοῦσα, πρὸς τὸν ἀδελφὸν ᾤχετο. τοῦ δ' Ἀλκιβιάδου μὴ φροντίζοντος, ἀλλὰ τρυφῶντος, ἐδεῖτο τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ ἄρχοντι θέσθαι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν. *Sobria autem existens, & viri amans Hipparete, sed vexata ab illo circa matrimonium, ut qui cum meretricibus peregrinis & urbanis coiret, e domo egressa, ad fratrem venit. Alcibiade autem non curante, sed insultante, rogabat divortii litteras deponere apud Archontem, non per alios, sed ipsam præsentem.* Hoc ipsum est, quod Andocides dicit, *Orat.* κατ' Ἀλκιβιάδου. Λαβὼν δὲ τοσαύτην προῖκα, ὅσην οὐδεὶς τῶν Ἑλλήνων, οὕτως ὑβριστὴς ἦν, ἐπάγων εἰς τὴν αὐτὴν οἰκίαν ἑταίρας, καὶ δούλας, καὶ ἐλευθέρας· ὥστ' ἠνάγκασε τὴν γυναῖκα, σωφρονεστάτην οὖσαν, ἀπολιπεῖν, ἐλθοῦσαν πρὸς τὸν ἄρχοντα κατὰ τὸν νόμον. *Accipiens autem talem dotem, qualem nullus Græcorum, ita petulans erat, introducens in eandem domum meretrices, & servas, & liberas, ita ut coegit uxorem, modestissimam, excedere, venientem ad Archontem juxta legem.* Devovebat etiam eos, qui quid fructuum, præter oleum, terra Attica evexissent, e Solonis instituto. Plutarchus, in *ejus Vita*. Τῶν δὲ γινομένων διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν, ἄλλα δ' ἐξάγειν ἐκώλυσεν. καὶ κατὰ τῶν ἐξαγόντων ἀρὰς ποιεῖσθαι τὸν ἄρχοντα προσέταξεν. *Illorum quæ proveniebant commercium peregrinis olei solum dedit, alia vero exportare vetuit. Et contra exportantem devotiones facere Archonti mandavit.* Quod si quis hunc percussisset, dum is coronatus esset, aut convitiis incessisset, pœna infamiæ afficiebatur. Demosthenes, *Orat.* in Midiam. Καὶ πάλιν γε τὸν ἄρχοντα, ταὐτὸ τοῦτο. ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃ τις, ἢ κακῶς ἄτιμος. *Et rursus Archontem, illud ipsum. siquidem coronatum percutiat quis, vel maledixerim, infamis.* Si quis alias verberasset, nempe minime coronatum, ille drachmis decies mille mulctabatur. Sopater Διαιρέσει ζητημάτων. Ὁ ἄρχοντα τύψας, ἀποτιννύτω τιμωρίας· ὁ ἰδιώτην, χιλίας. ἄρχων ἄρχοντα ἔτυψε· καὶ ὁ μὲν, αἰτεῖ τιμωρίας· ὁ δὲ, χιλίας δίδωσι. ἡ κατάστασις ἡ τοῦ κατηγόρου ἔχει τὴν γνώμην τῶν θεμένων τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν πληγῶν, καὶ τὴν διαφοράν. τίνος ἕνεκεν ἐπὶ μὲν ἰδιώτου, χιλίας ἔταξεν· ἐπὶ δὲ ἄρχοντος, μυρίας. *Qui Archontem percusserit,*

A *solvat pœnas. Qui privatum, mille. Archon Archontem percussit. Et ille quidem, poscit pœnas. Ille vero, mille dat. Constitutio accusantis habet sententiam eorum qui constituerunt legem de plagis, & discrimen. Ob quamnam rationem de privato quidem, mille statuit. De Archonte vero, decies mille.* Sed corruptus valde locus, quem restituo ad hunc modum. Ὁ ἄρχοντα τύψας, ἀποτιννύτω μυρίας. *Qui Archontem verberavit, persolvat decies mille. Deinde*, καὶ ὁ μὲν, αἰτεῖ μυρίας· ὁ δὲ, χιλίας δίδωσι. *Et ille quidem, poscit decem millia. Alter vero, mille dat.* Ac mox, τῶν θεμένων τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν πληγῶν. *Qui sanxerunt legem de plagis.* Legebantur B autem sorte, fabis missa, ut cæteri octo. Inde est in Heliastarum juramento, apud Demosthenem *in* Timocratem. Καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται. *Et quotquot cum novem Archontibus faba sortiuntur.* Lucianus, in *Vit. Auct.* Ἀθηναίοισι νόμος, κυάμοισι τὰς ἀρχὰς αἱρέεσθαι. *Athenienfibus lex est, ut fabis magistratus eligantur.* Sed, virtutis magnæ ergo, Aristidem ipse populus extra ordinem sibi legit. Plutarchus in *ejus Vita* docet ex Idomeneo. Καὶ μὴν ἄρξαι γε τὸν Ἀριστείδην ὁ Ἰδομενεὺς, οὐ κυαμευτὸν, ἀλλ' ἑλομένων Ἀθηναίων, φησίν. *Et quidem Archonta fuisse Aristidem Idomeneus, non fabis* C *sortitum, sed creantibus Atheniensibus, inquit.* Et quidem initio e familiis nobilissimis. Eusebius in *Chron.* Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ᾑρέθησαν ἐξ εὐπατριδῶν. *Archontes annui electi sunt ex patriciis.* Nempe e primo civium ordine, qui erat τῶν πεντακοσιομεδίμνων. Plutarchus in *Aristide*, Καὶ τεκμήρια τῆς περὶ τὸν οἶκον εὐπορίας, ἓν μὲν ἡγεῖται, τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν, ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν, ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα κεκτημένων, οὓς πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευον. *Et signa domesticæ felicitatis, unum quidem existimat, nomen anno præbentem magistratum, quem iniit faba sortitus, ex familiis plurima possidentibus, quas pentacosiomedimnos vocabant.* Idque obtinuit D usque ad tempora Aristidis; qui decrevit, ut e populo universo legerentur. Plutarchus docet, in *ejus Vita*. Ἐπεὶ δὲ ἀναχωρήσαντας εἰς τὸ ἄστυ τοὺς Ἀθηναίους ὁ Ἀριστείδης ζητοῦντας ἑώρα ἀπολαβεῖν τὴν δημοκρατίαν, ἅμα μὲν ἄξιον ἡγούμενος διὰ τὴν ἀνδραγαθίαν ἐπιμελείας τὸν δῆμον, ἅμα δ' οὐκέτι ῥᾴδιον, ἰσχύοντα τοῖς ὅπλοις, καὶ μέγα φρονοῦντα ταῖς νίκαις, ἐκβιασθῆναι, γράφει ψήφισμα, κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τοὺς ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι. *Postquam vero, quum recessissent in urbem Athenienses, Aristides quærere eos videbat, ut reciperent popularem statum, simul quidem dignum cura putans ob egregie res gestas populum, simul vero non amplius facile, valen*E*tem armis & magna spirantem ex victoriis expelli, scripsit decretum, communem esse politiam, & Archontes ex Atheniensibus omnibus eligendos.* Primus vero eorum omnium Creon fuit. Vellejus *lib.* I. *c.* VIII. *Ex annuis (Archontibus) primus Creon.* Eusebius in *Chron.* Ἔδοξεν αἱρεῖσθαι ἄρχοντα κατ' ἐνιαυτόν. καὶ πρῶτος ἡγήσατο ἐνιαύσιος ἄρχων Κρέων, ἐπὶ τῆς εἰκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος. μεθ' ὃν καὶ ἕκαστον ἔτος εἷς τις παρ' αὐτοῖς ἦρχεν. *Placuit eligere Archontem annuum. Et primus electus est annuus Archon Creon, circa trigesimam quartam Olympiadem. Post quem & singulis annis unus quis apud ipsos regnavit.* Ait F Creontem constitutum primum Archontem Olym. XXIV. Idque fuit anno III. Anonymus in *eo*. Κρέων, πρῶτος ἐνιαύσιος ἄρχων Ἀθήνησι. *Creon, primus annuus Archon Athenis.* Male alii Creontis principatum referebant in Olymp. XIX. alii in XXV. Eusebius alibi, in *eodem Chronico*. Ἡ δὲ τῶν ἐνιαυσίων ἀρχὴ ἤρχθη, Κρέοντος πρώτου ἄρχοντος ἡγησαμένου ἐπὶ τῆς ιθ'. Ὀλυμπιάδος· οἱ δὲ, ἐπὶ κε'. *Annuorum autem magistratus cœpit, Creonte primo Archonte creato circa decimam nonam Olympiadem. Alii vero circa vigesimam quintam.* Ac continuati quidem Ar-

chontes annui longa serie; nisi quod per adulationem turpem interrumpentes Athenienses abrogarunt, in honorem Demetrii, & Antigoni: ac sacerdotem τῶν Σωτήρων substituerunt, qui eadem plane dignitate esset, & anno quoque nomen daret. Accipio e Plutarcho, in *Vita Demetrii*. Μόνοι δὲ Σωτῆρας ἀνέγραψαν θεοὺς, ϗ τὸν ἐπώνυμον ϗ πάτριον ἄρχοντα καταπαύσαντες, ἱερέα Σωτήρων ἐχειροτόνουν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. ϗ τοῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων, ϗ τῶν συμβολαίων, προέγραφον. *Soli autem Servatores conscripsere deos, & denominantem & patrium Archontem supprimentes, sacerdotem Servatorum elegerunt per singulos annos. Et hunc in decretis & contractibus proponebant.* Illud factum, ut est colligere ex Historia, Olymp. CXVIII. anno II. quo supremo hoc magistratu Anaxicrates fungebatur. Mox, Demetrii fortuna inclinante, amotis illis sacerdotibus, prisci Archontes restituti. Plutarchus in *ejusdem Vita*. Ἀθηναῖοι δὲ ἀπέστησαν αὐτοῦ. ϗ τόν τε Δίφιλον, ὃς ἦν ἱερεὺς τῶν Σωτήρων ἀναγεγραμμένος, ἐκ τῶν ἐπωνύμων ἀνεῖλον, ἄρχοντας αἱρεῖσθαι πάλιν, ὥσπερ ἦν πάτριον, ψηφισάμενοι. *Athenienses autem defecerunt ab ipso. Et Diphilum, qui erat sacerdos Servatorum conscriptus, ex eponymis sustulerunt, Archontes ut crearentur rursus, ut patrium erat, statuentes.* Illud fuit Olymp. CXXIII. anno I. Itaque qui hoc medio octodecim annorum tempore commemorantur apud Diodorum Siculum *lib.* XX. & Anonymum in *Descriptione sua Olympiadum*, sacerdotes istiusmodi τῶν Σωτήρων, non Archontes, sunt censendi. Ex eo tempore diu iterum obtinuere; & P. Licinius Gallienus, cum ad Imperium capessendum quæreretur a militibus, Archon erat. Clare Trebellius, in *Gallienis*, *c.* X. *Cum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas Archon erat, vanitate illa, qua & civis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse.* Atque id factum, ut ex *Fastis Capitolinis*, *Siculisque*, est observare, Olympiadis CCLX. anno I. siquidem isto Imperium Gallienus adiit. Ultra non diu durarunt. Sed facilius multo dicere, quando non fuerint; quam, quando esse desierint. Theodoretus, qui sub Theodosio utroque vixit, sua ætate jam sublatos, ut alios urbis magistratus, judicesque, clare narrat, *Therapeut.* lib. IX. Καὶ ἀρχεῖ μὲν παρ' Ἀθηναίοις ὁ Ἄρειος πάγος, ϗ ἡ Ἡλιαία, ϗ τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ δικαστήριον, ϗ ἡ τῶν πεντακοσίων βουλὴ, ϗ οἱ ἕνδεκα, ϗ οἱ θεσμοθέται, ϗ ὁ πολέμαρχος, ϗ ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἄρχων. *Et regnat quidem Athenis Areopagus, & Heliæa, & tribunal in Delphinio, & quingentorum senatus, & undecim, & thesmothetæ, & belli dux, & annuus Archon.* Postea Στρατηγοὶ dicti magistratum hunc supremum tenuere: quorum munus paullo ante, ut annonam procurarent. Philostratus in *Lolliano*, Sophist. *lib.* I. Προὔστη δὲ ϗ τοῦ Ἀθηναίων δήμου, στρατηγήσας αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. ἡ δὲ ἀρχὴ αὕτη, πάλαι μὲν κατέλεγέ τε, ϗ ἐξῆγεν εἰς τὰ πολέμια· νυνὶ δὲ, τροφῶν ἐπιμελεῖται, ϗ σίτου ἀγορᾶς. *Præfectus vero fuit etiam Atheniensi populo, ducatu gesto pro illis ad armorum curam. Magistratus autem ille, olim quidem delegit, & eduxit ad bellica. Nunc vero alimentorum curam gerit, & annonæ in foro.* Videntur autem, cum annona studiose procuranda obnoxium sibi populum fecissent, paullatim summam auctoritatem in se callide derivasse, & Archontes evertisse; qui mansere nihilominus aliquandiu, verum honorario solum titulo insignes. Ac mansisse quidem eos, etsi potestatem summam in rep. οἱ Στρατηγοὶ occupassent, ex Inscriptione observo; quæ Athenis, antequam a Mahomete II. captæ everterentur, legebatur in arce, in vestibulo templi Minervæ τῆς Πολιάδος. Eam inscriptionem nobis repræsentat V. CL. Janus Gruterus, *æterni Operis* pag. CV. num. 9.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ
ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ
ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ
ΑΛΑΙΕΩΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΟΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Populus Deæ Romæ & Augusto Cæsari prætore inter cives Pammene Zenonis filio Marathonio sacerdote Deæ Romæ & Augusti Servatoris in Arce, sub sacerdotio Minervæ Poliadis Megistæ, Asclepiadis Alæensis filiæ, Archonte Areo Morionis filio Pæaniensi. Quin & Constantinus Magnus, cum totius orbis princeps factus esset, usitato illic nomine nuncupari tantum voluit; & imagini istic suæ hunc duntaxat titulum inscribi, maximopere est gavisus. Julianus Imperator *Orat.* I. Καλὸν ἴσως ἐνταῦθα, ϗ τῶν ἀοιδίμων Ἀθηνῶν μνησθῆναι· ἃς ἐκεῖνος ἔργοις, ϗ λόγοις, τιμῶν τὸν πάντα χρόνον διετέλει. βασιλεὺς γὰρ ὢν, ϗ κύριος πάντων, στρατηγὸς ἐκείνων ἠξίου καλεῖσθαι· ϗ τοιαύτης εἰκόνος τυγχάνων μετ' ἐπιγράμματος, ἐγάννυτο πλέον, ἢ τῶν μεγίστων τιμῶν ἀξιωθείς. *Pulchrum forsan hic est meminisse etiam celebrium Athenarum, quas ille operibus & sermonibus assidue venerari perrexit. Quum enim esset Imperator & dominus rerum omnium, illarum prætor appellari dignatus est; & talem nactus imaginem cum inscriptione exsultabat magis, quam si maximos honores consequeretur.* Eunapius, æquipollenti dictione, στρατοπεδάρχην appellavit. Ecce, in *Vita Proæresii*. Ὁ δὲ βασιλεὺς, (de Constante illi sermo est, cujus mentio antecessit) ἀπιόντα πάλιν Ἀθήναζε, ϗ δωρεὰν αἰτεῖν ἔδωκεν. ὁ δὲ, τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἄξιον ᾔτησε, νήσους οὐκ ὀλίγας, οὐδὲ μικρὰς, εἰς ἀπαγωγὴν φόρου, ϗ σιτηρέσιον ὂν ταῖς Ἀθήναις. ὁ δὲ, ϗ ταῦτα ἔδωκε, ϗ προσέθηκε τὸ μέγιστον τῶν ἀξιωμάτων, στρατοπεδάρχην ἐπιτρέψας καλεῖσθαι. *Imperator autem discedentem rursus Athenas munus flagitare permisit. Ille autem suo ingenio dignam rem petiit, insulas non paucas nec exiguas, ad liberationem ab tributo, quo Athenis frumentum præstabant. Is vero & ista dedit, & apposuit maximam ex dignitatibus, concedens præfectum exercitus vocari.* Ubi illud quoque observa; non hunc sibi elegisse e civibus suis Athenienses, uti Archontem solebant: sed ab Imperatore eum accepisse. Quin & auxit dignitatem Constantius; statuitque, ut μέγας στρατηγὸς diceretur. Μέγας δοὺξ, quod idem valet, nomine mixobarbaro, dicitur a Nicephoro Gregora, qui rem narrat, *lib.* VII. Ὁ δὲ Ῥωσικὸς, τήν τε στάσιν, ϗ τὸ ἀξίωμα, τοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης παρὰ τοῦ μεγάλου κεκλήρωτο Κωνσταντίνου· ὁ δὲ Πελοποννησιακὸς, τὸ τοῦ πρίγκιπος· ὁ δὲ τῆς Ἀττικῆς τε ϗ τῶν Ἀθηνῶν ἀρχηγὸς, τὸ τοῦ μεγάλου δουκός. *Sed Rhosicus quod ad stationem & dignitatem præpositi mensæ sortem nactus est ab magno Constantino: Peloponnesiacus autem principis: Atticæ autem & Athenarum primas, nomen magni ducis.* Verum postea, Magni cognomento omisso, simpliciter Duces appellati; & ex annuis iterum perpetui facti. Nicephorus Gregoras *loc. cit.* mox subjungit. Καὶ μὲν δή ἐστιν, εἰ τῶν τοιούτων παραφθοράν τινα τῷ μακρῷ χρόνῳ παθόντα, ἀμυδρῶς πως ὑπεμφαίνουσι τὴν ἀλήθειαν. ὁμοίως δὲ ϗ τὸν τῆς Ἀττικῆς, ϗ τῶν Ἀθηνῶν, ἀρχηγὸν, ἀντὶ μεγάλου δουκὸς, δοῦκα καλοῦσι τῶν Ἀθηνῶν. *Et sane nonnulla horum quandam corruptelam longo tempore admittentia, obscure quodammodo submonstrant veritatem. Similiter & Atticæ & Athenarum primatem, pro magno duce, ducem appellant Athenâ-*

rum. Laonicus Chalcondyles Athenarum ἡγεμόνα dicit, nomine æquipollenti, *lib.* IV. Καὶ ἐν πολέμοις πρὸς τοὺς περιοίκους μέγα εὐδοκιμῶν, ἠγάγετο, ὡς πρότερόν μοι ἐλέγετο, τοῦ Ἀθηνῶν τε καὶ Κορίνθου ἡγεμόνος θυγατέρα ἐς γάμον. τούτῳ τῷ ἡγεμόνι παῖς ἐγένετο νόθος. *Et in bellis contra vicinos egregie audiens, duxit, ut antea a me dictum est, Athenarum & Corinthi ducis filiam in matrimonium. Huic duci filius erat nothus.* Ac mansere sane duces, donec capta Urbs a Turcis, quod Laonicus idem narrat, *lib.* IX.

CAP. X.

Leostratus Archon, Olymp. XXVII. *anno* II. *Anonymi error, & Sigonii. Eurybates, an Eurybotus, an Eurybus, stadio victor. Pisistratus Archon, inde Autosthenes; sub quo, Ira capta, bellum secundum Messeniorum cum Lacedæmoniis finitum. Charmis Lacon, an Chionis, stadio vincit. Sigonii error. Archimedes Archon. Messenii iterum a Lacedæmoniis deficiunt. Xenophon Corinthius, aut Chionis Lacon iterum, stadio victor. Pausaniæ dissidium explicatur. De Arione Methymnæo historia. Periandri duo; avus, & nepos: deque iis Veterum sententiæ excussæ, & explosæ. Herodotus, & A. Gellius, illustrantur. Solini error indicatur. Miltiades Archon.*

ET Archontum annuorum magnum, in principio maxime, item fine, est deliquium; plurimique, quorum nomina exciderunt. Ecce a Creonte, ad Leostratum, qui Olymp. XXVII. anno II. medii decem ignorantur. Leostrati autem anno II. defuncto Numa Pompilio, Tullus Hostilius regnum Romanorum cepit. Dionysius Halicarnasseus *lib.* III. Οὗτος δὲ ἦν, ἐν ᾧ τὴν ἡγεμονίαν (ὁ Τύλλος Ὁστίλιος) παρέλαβεν, ὁ δεύτερος ἐνιαυτὸς τῆς ἑβδόμης καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Εὐρυβάτης Ἀθηναῖος, ἄρχοντος Λεωστράτου. *Ille autem erat, in quo regimen (Tullus Hostilius) accepit, secundus annus septimæ & vigesimæ Olympiadis, qua vicit stadium Eurybates Atheniensis, Archonte Leostrato.* Errat toto quadriennio *Anonymus*, qui eum ponit in Olymp. XXVI. præcedentis anno II. & cum eo *Carolus Sigonius*, Italiæ suæ magnum lumen. Age, putemus rationem. Regnum accepit Numa Pompilius, uti supra a me dictum, Olymp. XVI. anno III. tenuit autem annis quadraginta tribus; ergo excessit Olymp. XXVII. anno II. Hoc quoque obiter annotandum; qui Eurybates stadio victor apud *Dionysium* dicitur, eum Eurybotum a Pausania in *Corinthiacis*, Eurybum ab *Eusebio* pariter & *Anonymo*, appellari. Qui Leostrato successerit, ignoratur; at incertum hunc Pisistratus est secutus, quem in Olympiadis dictæ XXVII. anno IV. ponit *Anonymus*, Pausania consentiente, cujus ista in *Corinthiacis* verba exstant. Τὸν δὲ ἀγῶνα τοῦτον συμβάντα εὕρισκον, Ἀθηναίοις ἄρχοντος Πεισιστράτου, τετάρτῳ δὲ ἔτει τῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Εὐρύβοτος ὁ Ἀθηναῖος ἐνίκα στάδιον. *Hunc agonem accidisse reperi apud Athenienses Archonte Pisistrato, quarto autem anno illius Olympiadis, qua Eurybotus Atheniensis vicit stadium.* *Sigonius* Pisistrati non meminit. Hunc secutus est anno Olymp. XXVIII. anno I. Autosthenes. Sub hoc, capta Ira, Messeniorum cum Lacedæmoniis bellum secundum finem accepit. Anonymus in *eo anno*. Αὐτοσθένης (ἄρχων) Εἶρα Μεσσηνίων ὑπὸ Λακεδαιμονίων, καὶ Μεσσηνίων, ἑάλω. ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος τῶν Λακεδαιμονίων, καὶ Μεσσηνίων, τέλος ἔσχεν. *Autosthenes (Archon.) Ira Messeniorum ab Lacedæmoniis & Messeniis capta est. bellum secundum Lacedæmoniorum & Messeniorum finem habuit.* Pausanias in *Messenicis*. Ἑάλω δὲ ἡ Εἶρα, καὶ ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος Λακεδαιμονίων, καὶ Μεσσηνίων, τέλος ἔσχεν, Ἀθηναίοις ἄρχοντος Αὐτοσθένους, ἔτει πρώτῳ τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Χίονις Λάκων. *Capta vero est Ira, & bellum secundum Lacedæmoniorum ac Messeniorum finitum est, apud Athenienses Archonte Autosthene, anno primo octavæ & vigesimæ Olympiadis, quam vicit Chionis Lacon.* Et observa; sub eodem victor stadio Chionis Lacon. At Eusebius Charmidem dicit, *Chron.* I. Εἰκοστὴ ὀγδόη (Ὀλυμπιάς.) Χάρμις Λάκων (ἐνίκα) στάδιον. *Octava & vigesima (Olympias.) Charmis Lacon (vicit) stadium.* Sed sciendum, dissensum hic Auctorum fuisse; & Chionidem alios, alios Charmidem, victorem dixisse, Notat *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς εἰκοστὴ ὀγδόη. Χάρμις Λάκων στάδιον, ὃς σύκοις ξηροῖς ἤσκει. ὡς δὲ ἄλλοι, Χίονις Λάκων. *Olympias octava & vicesima. Charmis Lacon stadium, qui ficubus aridis exercebat; ut vero alii, Chionis La-Lacon.* Errat *Sigonius*, qui Autosthenem hunc Archontem vicesima septima Olympiade commemorat. Post Autosthenem tres sequentes nesciuntur; tenuitque principatum Archimedes Olymp. XXIX. anno I. Sub quo iterum a Lacedæmoniis defecere Messenii. Anonymus *ibi* dicit. Πάλιν ἀπὸ Λακεδαιμονίων Μεσσήνιοι ἀπέστησαν. *Rursus ab Lacedæmoniis Messenii defecerunt.* Pausanias in *Messenicis*. Μεσσηνίων δὲ τοὺς ἐγκαταλειφθέντας ἐν τῇ γῇ, συντελοῦντας κατὰ ἀνάγκην ἐς τοὺς εἵλωτας, ἐπέλαβεν ἀπὸ Λακεδαιμονίων ὕστερον ἀποστῆναι κατὰ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα καὶ εἰκοστὴν, ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Ἀρχιμήδους Ἀθήνησιν ἄρχοντος. *Messeniorum vero eos, qui in regione relicti erant, contributos ex necessitate in formulam helotarum, incessit lubido deinde ab Lacedæmoniis desciscendi nona & vicesima Olympiade, quam Corinthius vicit Xenophon, Archimede Athenis Archonte.* Sed scribendum, Ἀρχιδημίδου, infra ostendam *lib.* II. *cap.* XV. Ac stadio tunc victor Xenophon Corinthius, Vides in *citatis* Pausaniæ *verbis*. Sed & ille a se dissentit, cum paullo ante hac ipsa Olympiade Chionem Laconem iterum vicisse ait. Ecce verba. Ταῦτα δὲ ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπράχθη τῆς ἐννάτης καὶ εἰκοστῆς, ἣν Χίονις Λάκων τὸ δεύτερον ἐνίκα. *Hæc vero facta sunt Olympiade nona & vigesima, quam Chionis Lacon secundum vicit.* Et Chionidem nominat Eusebius, *Chron.* I. Εἰκοστὴ ἐννάτη (Ὀλυμπιάς.) Χίονις Λάκων (ἐνίκα) στάδιον. *Vigesima nona (Olympias.) Chionis Lacon (vicit) stadium.* Sed dissidium Auctorum video; & Xenophontem istum alii, alii Chionidem iterum vicisse tradunt. Anonymus in *hac Olympiade*. Ξενοφῶν ὁ Κορίνθιος (ἐνίκα) στάδιον· ὡς δὲ ἄλλοι, Χίονις Λάκων τὸ δεύτερον. *Xenophon Corinthius (vicit) stadium: ut autem alii, Chionis Lacon secundum.* Sed corruptus sine dubio Pausaniæ *locus*, quem emendo paullo infra *lib.* II. *cap.* XV. Hoc Archonte, quod de Arione, & delphine, memoratur, factum volunt. Anonymus *illic*. Ἀρίων Μηθυμναῖος, Κυκλέως υἱὸς, ὁ ἐν Σικελίᾳ νικήσας ἀγῶνα, ἐπὶ δελφῖνος εἰς Ταίναρον τῆς Λακωνίας ἐσώθη. *Arion Methymnæus, Cycli filius, quum vicisset agonem in Sicilia, delphine ad Tænarum Laconiæ servatus est.* Solinus *cap.* XIII. *Tænaron est promontorium Africæ, in quo fanum est Methymnæi Arionis, quem delphine eo advectum imago testis est, ad effigiem casus, & veri operis, expressa ære. præterea tempus signatum; Olympiade enim undetrigesima, qua in certamine Siculo idem Arion victor scribitur, id ipsum gestum probatur.* Periander quoque, qui de septem Sapientibus unus habitus, tunc commemoratur natus. Ecce Anonymi *istbic* verba. Περίανδρος ἐν Κορίνθῳ ἐγεννήθη, ὁ μετὰ ταῦτα τῆς πατρίδος τυραννήσας. *Periander Corinthi natus est, qui deinde tyrannus in patria exstitit.* Verum age, examinemus. Natum, ecce, isto anno Periandrum Anonymus dicit, & verissime; sed Herodotus jam

tum eum principatum tenuisse nobis refert, *lib.* I. *c.* XXIII Περίανδρος δὲ ἦν Κυψέλου παῖς, οὗτος ὁ τῷ Θρασυβούλῳ τὸ χρηστήριον μηνύσας. ἐτυράννευε δὲ ὁ Περίανδρος Κορίνθου. τῷ δὲ λέγουσι Κορίνθιοι, ὁμολογέουσι δέ σφι Λέσβιοι, ἐν τῷ βίῳ θῶυμα μέγιστον παραστῆναι. Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον, ἐπὶ δελφῖνος ἐξενεχθέντα ἐπὶ Ταίναρον, ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον. *Periander erat Cypseli filius, ille qui Thrasybulo indicabat oraculum. Dominabatur autem Periander Corinthi. Huic dicunt Corinthii, & his consentiunt Lesbii, in vita miraculum maximum evenisse: Ariona Methymnæum vectum delphine elatum ad Tænarum citharœdum sui temporis nulli secundum.* Et ex eodem Aulus Gellius, ubi rem eandem narrat, *l.* XVI. *c.* XIX. *Arionem, rex Corinthi Periander amicum amatumque habuit, artis gratia.* Aqui Periander iste principatum demum adiit Olymp. XXXIX. anno I. totis quadraginta annis post hoc factum. Anonymus noster in *eo tempore* clare notat. Περίανδρος, Κυψέλου πατρὸς ἀποθανόντος, τὴν Κορινθίων ἀρχὴν διεδέξατο. *Periander Cypselo patre mortuo, principatum Corinthiorum excepit.* Hoc ipsum indicare vult Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, lib. I. c. XCVIII. ubi ait, floruisse ipsum circa Olympiadem XXXVIII. ac regnasse annis deinde XL. Ἤκμαζε δὲ περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα, καὶ ἐτυράννησεν ἔτη τεσσαράκοντα. *Floruit autem circa tricesimam octavam Olympiadem, & tyrannus fuit annos quadraginta.* Quis conciliet? Omnino oportet duo fuerint; idque Veteres censuerunt. Nam Sotion, Heraclides, & Pamphila, tyrannum unum, alterum istum, sapientem commemorabant: ac Neanthes ἀνεψιοὺς fuisse statuebat. Diogenes Laertius in *sapientis Vita*, l. I. c. XCVIII. Σωτίων δὲ, καὶ Ἡρακλείδης, καὶ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν Ὑπομνημάτων, δύο φασὶ Περιάνδρους γεγονέναι· τὸν μὲν, τύραννον· τὸν δὲ, σοφὸν, καὶ Ἀμπρακιώτην. τοῦτο καὶ Νεάνθης φησὶν ὁ Κυζικηνὸς, ἀνεψιούς τε εἶναι ἀλλήλοις. *Sotion vero, & Heraclides, & Pamphila in quinto commentariorum, dicunt duos Periandros fuisse, alterum quidem tyrannum, alterum vero sapientem, & Ambraciotam. Hoc etiam Neanthes Cyzicenus dicit, atque esse cognatos inter se.* Sed falluntur; nam quod istum tyrannum dicunt, hunc sapientem, plane nihili est; nam & regnum tenuisse sapientem, nimis certum. Deinde ut ἀνεψιοὶ fuerint, non permittit temporum ratio. Ego censeo duos fuisse, uti isti; sed illum avum, Cypseli filium; quique etiam ipse filium, patris nomine, Cypselum nuncupatum habuerit: cui filius, iterum Periander dictus, alterius nepos, natus isto Archimedis hujus nostri magistratu. Atque hoc verissimum puto; ut & istud, sub hoc ipso floruisse Arionem: quem *Solinus* male sub priore. Videri debet Dion Chrysostomus, *Orat.* XXXVII. ubi eum æquævum facit Soloni, & Pisistrato; quorum ætas huic respondet. Archimedem, in hac ipsa Olympiade, sed incerto plane anno, subsequutus est Miltiades. Non commemorat eum *Anonymus*, sed observo apud Pausaniam, in *Messenicis*; cujus illa isthic verba. Ταῦτα δὲ ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπράχθη τῆς ἐννάτης καὶ εἰκοστῆς, ἣν Χίονις Λάκων τὸ δεύτερον ἐνίκα, Μιλτιάδου παρ' Ἀθηναίοις ἄρχοντος. *Hæc autem facta sunt Olympiade nona & vigesima, quam Chionis Lacon secundum vicit, Miltiade apud Athenienses Archonte.*

CAP. XI.

Miltiades iterum Archon. Phigalea capta a Lacedæmoniis. Simonides, sive Simon, Archon; & Damasias. Thales nascitur. Sphærus Lacedæmonius stadio, Cylon Atheniensis diaulo vincit. Sigonii error. Dionysii Halicarnassei locus illustratus. Epænetus Archon. Antigoni Caristii impropria loquutio indicata. Arytamas Lacon, aut Phrynon Atheniensis, stadio victor.

ISQUE iterum summum magistratum gessit Olympiadis insequentis XXX. anno II. Anonymus eum *ibi* nominat; & Pausanias in *Arcadicis*, ubi captam tunc a Lacedæmoniis Phigaleam narrat. Ἐγένετο δὲ τῆς Φιγαλείας ἅλωσις, καὶ Φιγαλέων ἡ ἐξ αὐτῆς φυγὴ, Μιλτιάδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς τριακοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Contigit autem Phigaliæ expugnatio, & Phigalensium inde fuga, Miltiade quidem Athenis Archonte, secundo autem anno tricesimæ Olympiadis.* Post Miltiadem Archontes duodecim ignorantur; & anno Olymp. XXXIII. anno I. Simonidem invenio magistratu isto functum. Meminit ejus Pindari Scholiastes quidam, in *Argumento Pythiorum*. Περιεγένετο δὲ αὐτῶν, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Σιμωνίδου. *Occupavit autem eos Archonte Athenis Simonide.* Alius Scholiastes, in *eorundem Argumento*, Simonem vocat. Τὸν Πυθικὸν ἀγῶνα διέθηκεν Εὐρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Σίμωνος. *Pythicum agonem rexit Eurylochus Thessalus, Archonte Athenis Simone.* Inde colligo, quod sexto anno post Damasiam Archontem fuisse prædicet. Ecce enim. Μετὰ δὲ χρόνον ἑξαετῆ, καταγωνισαμένων τῶν λοιπῶν τοὺς ὑπολελειμμένους τῶν Κιρραίων ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, ὕστερον καὶ στεφανίτην ἔθεντο. *Post tempus sex annorum, quum reliqui debellavissent relictos Cirrhæorum Archonte Athenis Damasia, mox etiam coronarium posuerunt.* Et *alter*. Καὶ ἔτει ἕκτῳ μετὰ τὴν Κίρρης ἅλωσιν, ἀνεκήρυξαν τῷ θεῷ τὸν στεφανίτην, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου. *Et sexto anno post expugnationem Cirrhæ, pronunciarunt Deo coronarium, Archonte Athenis Damasia.* Male ibi Δαμάσιδος editur. Damasias autem Archon fuit Olymp. XXXV. anno I. Clare Anonymus *ibi* ponit; & Thaletem sub eo natum memorat. Ὀλυμπιὰς λε΄. ἔτος α΄. Δαμασίας (ἄρχων.) Θαλῆς ἐγεννήθη. *Olympias tricesima quinta, annus primus. Damasias (Archon.) Thales natus est.* Cyrillus *Contra* Julianum *l.* I. *Tricesima & quinta Olympiade Thales Examei Milesius, primus physicus philosophus, natus fuisse dicitur.* Diogenes Laertius in *Thalete*, lib. I. cap. XXII. Ἦν τοίνυν ὁ Θαλῆς πατρὸς μὲν Ἐξαμίου, μητρὸς δὲ Κλεοβουλίνης, καὶ πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη, ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου. *Erat igitur Thales patre quidem Examia, matre autem Cleobulina, & primum sapiens nominatus fuit, Archonte Athenis Damasia.* Habes Archontem, etsi non expressam etiam, qua is magistratum gessit, Olympiadem. Verum illam postea tradit, in eadem *Thaletis Vita*, l. I. c. XXXVII. Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, γεγεννῆσθαι αὐτὸν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς τριακοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος. *Dicit autem Apollodorus in Chronicis, eum natum esse primo anno Olympiadis tricesimæ quintæ.* Ac stadio tunc vicit Sphærus Lacedæmonius, diaulo Cylon Atheniensis. Eusebius meminit *Chron.* I. & Anonymus in *hac ipsa Olympiade*. Sphæri victoris, & Damasiæ Archontis, etiam mentio est apud Dionysium Hal. *l.* III. Παραλαμβάνει τὴν ἀρχὴν ὁ Μάρκιος ἐνιαυτῷ δευτέρῳ τῆς τριακοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Σφαῖρος ὁ Λακεδαιμόνιος καθ' ὃν χρόνον Ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν εἶχε Δαμασίας. *Excipit imperium Marcius anno secundo quintæ & trigesimæ Olympiadis, quam vicit Sphærus Lacedæmonius, quo tempore Athenis annuum magistratum gerebat Damasias.* Ubi loci *Dionysius* Damasiam videtur Archontem statuere Olympiadis memoratæ anno II. quo in regnum Ancus venit; & *Sigonius* sic accepit: verum errat, neque mens hæc *Dionysii*, cujus verba istud volunt; venisse in regni successionem Ancum Marcium anno II. Olymp. XXXV. qua stadio vicit.

Sphærus Lacedæmonius, cum Archon Athenis esset Damasias, quod nimirum anno primo præcedente factum fuit. Qui inter Simonidem, & Damasiam, intermedii, ignorantur; uti etiam tres sequentes post Damasiam. Olympiade XXXVI. Epænetus fuit, qui improprie *βασιλεὺς* vocatur ab Antigono Carystio, *Hist. Mar.* CXXXIII. Ἐν Ἀθήναις, ἐπὶ βασιλέως Ἐπαινέτου, Ὀλυμπιάδος ἕκτης καὶ τριακοστῆς, ἐν ᾗ Ἀρυτάμας Λάκων νικᾷ στάδιον. *In urbe Athenarum rege Epæneto Olympiade sexta & trigesima, qua Arytamas Lacon vicit stadium.* Et præterea observandum, quod tunc victor Arytamas Lacon fuisse dicatur, cum pro eo Phrynon Atheniensis prædicetur ab Eusebio *Chron.* I. & Anonymo in *ista Olympiade.*

CAP. XII.

Draco Archon, leges dat Atheniensibus. Inde Heniochides, sub quo regnum cepit Tarquinius Priscus. Heniochidem Megacles secutus, sub quo Cylonium scelus patratum. Megaclem Philombrotus, illum Solon, excepit. Tatiani locus, & Auli Gellii, emendatus. Pediæi, Diacrii, & Paralii, tumultuantur Athenis, propter æris alieni magnitudinem.

POST Epænetum proximi undecim exciderunt, memoraturque Athenis Draco magistratum hunc tenuisse, & dedisse leges urbi, Olymp. XXXIX. anno I. Anonymus *illic.* Δράκων τοὺς νόμους ἔθετο τοῖς Ἀθηναίοις, γηραιὸς ὤν. *Dracon leges posuit Atheniensibus, jam senex.* Clemens *Strom.* I. Δράκων δὲ, ὁ καὶ αὐτὸς νομοθέτης, περὶ τὴν τριακοστὴν καὶ ἐνάτην Ὀλυμπιάδα γεγονὼς εὑρίσκεται. *Dracon vero & ipse legislator circa nonam & trigesimam Olympiadem fuisse reperitur.* Tatianus in *Orat.* Contra Græcos. Δράκων δὲ περὶ Ὀλυμπιάδα τριακοστὴν καὶ ἐνάτην εὑρίσκεται γεγονώς. *Dracon vero circa Olympiadem nonam & trigesimam reperitur fuisse.* Suidas in Δράκων. Τῇ γοῦν τριακοστῇ καὶ ἐνάτῃ Ὀλυμπιάδι τοὺς νόμους ἔθετο τοῖς Ἀθηναίοις, γηραιὸς ὤν. *Nona igitur & trigesima Olympiade leges posuit Atheniensibus senior.* A Dracone octo proximi ignorantur; nonus Heniochides, Olymp. XLI. anno II. sub quo regnum Romanorum adiit Tarquinius Priscus. Anonymus in *eo.* Ταρκύνιος Πρίσκος τὴν Ῥώμης βασιλείαν παρέλαβεν. *Tarquinius Priscus Romæ regnum accepit.* Dionysius Halicarn. *lib.* III. Παραλαμβάνει τὴν βασιλείαν ἐνιαυτῷ δευτέρῳ μάλιστα τῆς μιᾶς καὶ τετταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος ὁ Ταρκύνιος, ἣν ἐνίκα στάδιον Κλεωνίδας ὁ Θηβαῖος, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡνιοχίδου. *Accepit regnum anno secundo admodum primæ & quadragesimæ Olympiadis Tarquinius, qua vicit stadium Cleonidas Thebanus, Archonte Athenis Heniochida.* Male *Sigonio* Enochilus dicitur. Atque hunc quidem qui sequuntur novendecim numero omittuntur. Ego tamen decimum quintum observare mihi videor, nomine Megaclem; cujus magistratus in Cylonii sceleris tempus incidit. Plutarchus in *Solone.* Τὸ δὲ Κυλώνειον ἄγος ἤδη μὲν ἐκ πολλοῦ διετάραττε τὴν πόλιν, ἐξ οὗ τοὺς συνωμότας τοῦ Κύλωνος ἱκετεύοντας τὴν θεὸν Μεγακλῆς ὁ ἄρχων ἐπὶ δίκῃ κατελθεῖν ἔπεισεν. *Sed Cylonium nefas jam a multo tempore conturbavit urbem, ex quo conjuratos cum Cylone venerantes Deum Megacles Archon ad tribunal descendere persuasit.* Atque id accidit, uti ex *Anonymo* constat, Olymp. XLV. anno I. Quintus ab isto Philombrotus memoratur ab *Anonymo,* Olymp. XLVI. anno II. Meminitque Plutarchus, in *Solone.* Ἀλλ' αὐτὸς ὁ Σόλων, ὀκνῶν, φησί, τὸ πρῶτον ἅψεσθαι τῆς πολιτείας, καὶ δεδοικὼς τῶν μὲν, τὴν φιλοχρηματίαν τῶν δὲ, τὴν ὑπερηφανίαν· ᾑρέθη δὲ ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον. *Sed ipse Solon pigrans, dicit, primo aggredi rempublicam, & veritus aliorum avaritiam, aliorum superbiam; factus est Archon post Philombrotum.* Sub hoc Athenis Pediæorum, Diacriorum, & Paraliorum tumultus fuit; quem Plutarchus describit, in *Vita Solonis.* Philombrotum autem Solon est subsequutus; itaque ab *Anonymo* ponitur Olymp. XLVI. anno III. Diogenes Laertius in *ejus Vita,* lib. I. cap. LXII. Ἤκμαζε μὲν οὖν (ὁ Σόλων) περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, ἧς τῷ τρίτῳ ἔτει ἦρξεν Ἀθηναίων, καθά φησι Σωσικράτης. *Floruit igitur (Solon) circa sextam & quadragesimam Olympiadem, cujus tertio anno fuit Atheniensium Archon, prout dicit Sosicrates.* Demosthenes meminit, in *Stephanum* Orat. II. Μήτ' ἀπειπεῖν, μήτ' ἐπιδικάσασθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχὴν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ. *Neque renunciare, neque in eos lege agere, quum Solon iniret magistratum, sua administrare, prout voluerit.* Sunt verba legis, quæ refert iterum, *Orat.* in Leocharem. Ὁ νόμος λέγει, ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὅτε Σόλων εἰσῄει εἰς τὴν ἀρχὴν, ἐξεῖναι αὐτοῖς διαθέσθαι, ὅπως ἂν ἐθέλωσι. *Lex ait, quotquot non fecerunt, quum Solon iniret magistratum, licere illis administrare, prout voluerint.* Clemens *Strom.* I. Ἤκμασεν δὲ ὁ Σόλων περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα. *Floruit igitur Solon circa sextam & quadragesimam Olympiadem.* Et emendandum censeo Tatianum, *Orat.* Contra Græcos. Δράκων δὲ περὶ Ὀλυμπιάδα τριακοστὴν καὶ ἐνάτην εὑρίσκεται γεγονώς, Σόλων περὶ μϛ'. *Dracon vero circa Olympiadem nonam & trigesimam reperitur fuisse, Solon circa sextam & quadragesimam.* Hodie editur, Σόλων περὶ μ'. *Solon circa quadragesimam.* Excidit sine dubio numerus senarius. Et corruptus Auli Gellii item locus, *lib.* XVII. *cap.* XXI. *Solonem ergo accepimus, unum ex illo nobili numero sapientum, leges scripsisse Atheniensium, Tarquinio Prisco Romæ regnante, anno regni ejus* XXXIII. Inspiciamus. Incepit regnum hic Tarquinius, teste *Dionysio Halicarnasseo,* cujus verba paullo ante a me citata, Olymp. XLI. anno II. unde ad annum istum III. Olymp. XLVI. quo Athenis magistratum Solon gessit, anni sunt viginti duo. Ergo certum, quam hic exerrarint numeri; ideoque rescribendum, *anno regni ejus* XXII. Porro Archontem Athenis fuisse Solonem, memorat etiam Plutarchus, in *ejus Vita.* Συστησάμενος δὲ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν ἀρχόντων, ἧς διὰ τὸ ἄρξαι καὶ αὐτὸς μετεῖχεν. *Quum constituisset senatum Areopagi ex annuis Archontibus, cujus & ipse particeps fuit, quia Archon fuerat.* Et mox. Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι. *Ex infamibus quotquot infames erant priusquam Solon Archon fuerat, restitui bonori. Deinde.* Ταῦτα δὴ πάλιν, ὡς πρὸ τῆς Σόλωνος ἀρχῆς, καὶ νομοθεσίας, τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν οὖσαν ἐνδείκνυται. *Hæc quidem olim, ut ante Solonis magistratum & legislationem, Senatum ex Areopago exstitisse demonstrant.*

CAP. XIII.

Post Solonem Dropides fuit, ejus frater; post hunc Eucrates. Eurycles Lacon, & Megacles Atheniensis, Olympia vincunt. Anacharsis Athenas venit. Phænippus, an Philippus, Archon. Glaucias, an Glycon, stadio; Pythagoras Samius pugilatu, victor.

SOLONI in magistratu successit Dropides. Non meminit quidem ejus Anonymus in *Descriptione sua Olympiadum, & catalogo Archontum;* sed invenio apud Philost. in *Critia,* Sophist. *lib.* I. Ἐπεὶ δὲ ἄριστα μὲν ἦν πεπαιδευμένος, γνώμας δὲ πλείστας ἑρμηνεύων, ἐς Δρωπίδην δ' ἀναφέρων, ὃς μετὰ Σόλωνα Ἀθηναίων ἦρξεν. *Quoniam vero optime erat institutus,*

stitutus, sententias autem plurimas interpretatus, ad Dropidem vero se referens, qui post Solonem Archon Atheniensium fuit. Erat autem Solonis frater. Diogenes Laertius in *Platone*, lib. III. c. I. Τούτου γὰρ (τοῦ Σόλωνος) ἦν ἀδελφὸς Δρωπίδης, οὗ Κριτίας. *Hujus enim (Solonis) frater erat Dropides, cujus filius Critias.* Suidas *in* Πλάτων. Παῖς γενομένη Δρωπίδου τοῦ ποιητοῦ, τοῦ ἀδελφοῦ Σόλωνος. *Ancilla Dropidæ poetæ, qui frater Solonis.* Libanius *Declam.* XXVI. Οὐ γάρ ἐστιν, ὅτε ἐπαυσάμην λέγων, Κριτία, Καλλαίσχρου παῖς εἶ, τοῦ Κριτίου, τοῦ Δρωπίδου. Δρωπίδου, τοῦ Σόλωνος ἀδελφοῦ. *Neque enim est, quum cessavi dicere, Critia, Callæschri filius es, Critiæ nepos, Dropidæ pronepos; Dropidæ, qui frater Solonis.* Meminit ejus Plato in *Timæo*. Ην μὲν οὖν οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν Δρωπίδου τοῦ προπάππου, καθάπερ λέγει πολλαχοῦ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει. *Erat quidem igitur familiaris & valde amicus nostri Dropidæ proavi, sicut dicit multis locis etiam ipse in carmine.* Incidit vero Dropidæ huius magistratus in Olymp. XLVI. annum IV. Hunc secutus Eucrates, anno sequente primo Olymp. XLVII. Archon fuit; & ibidem ab *Anonymo* memoratur. Sub eo Eurycles Lacon stadio vicit; ut Anonymus in *hoc anno*, & Eusebius *Chron.* I. Megacles quoque Atheniensis in Olympico certamine victor exstitit. Scholiastes Pindari suggerit, ad *Pythion.* Od. VII. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ, νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα τεθρίππῳ· ἔστι δὲ οὗτος, οὐχ ὁ τὰ Ὀλύμπια νενικηκώς, ἀλλ' ἕτερος· τὴν γὰρ τεσσαρακοστὴν ἑβδόμην ἐκεῖνος Ὀλυμπιάδα ἀναγέγραπται νενικηκώς. *Scripta est ode Megacli Atheniensi, qui vicit octavam & octogesimam Pythiadem quadriga. Est autem ille, non qui vicit Olympia, verum alius; ille enim septimam & quadragesimam Olympiadem vicisse describitur.* Anacharsis etiam Scytha hoc Archonte Athenas venit. Anonymus *hoc anno*. Ανάχαρσις Ἀθήνησιν ἐπιδημεῖ. *Anacharsis Athenis peregrinatur.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. I. c. CI. Λέγει δὲ αὐτὸν Σωσικράτης ἐλθεῖν εἰς Ἀθήνας κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα, ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκράτους. *Dicit vero eum Sosicrates venisse Athenas septima & quadragesima Olympiade, sub Archonte Eucrate.* Duorum proximorum annorum Archontes latent. Inde Phænippus memoratur, Olymp. XLVIII. anno I. Ita quidem ab *Anonymo* nuncupatur; sed Philippum Clemens vocat, *Strom.* I. Τοῦ ἑνδεκάτου τοίνυν ἔτους πληρουμένου, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἑπομένου, βασιλεύοντος Ἰωακεὶμ, ἡ αἰχμαλωσία εἰς Βαβυλῶνα γίνεται, ὑπὸ βασιλέως Ναβουχοδονόσορ τῷ ἑβδόμῳ ἔτει, βασιλεύοντος αὐτοῦ Ἀσσυρίων, Αἰγυπτίων δὲ Οὐαφρῆ βασιλεύοντος τῷ δευτέρῳ ἔτει, Φιλίππου δὲ Ἀθήνησιν ἄρχοντος, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Undecimo igitur anno peracto sub imperio sequentis, regnante Joacim, captivitas in Babylonem accidit, sub rege Nabuchodonosor anno septimo ejus regnantis apud Assyrios, Ægyptiis autem Vaphre imperante anno secundo, Philippo Athenis Archonte, primo anno octavæ & quadragesimæ Olympiadis.* Et ex eo Eusebius, *Chron.* I. Συνᾴδει δὲ ἡμῖν καὶ Κλήμης ἐν τῷ πρώτῳ Στρωματεῖ, φάσκων ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος τὴν εἰς Βαβυλῶνα αἰχμαλωσίαν τοῦ Ἰουδαίων λαοῦ γεγονέναι, βασιλεύοντος μὲν Αἰγυπτίων Οὐαφρῆ, ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησιν Φιλίππου. *Concinit autem nobis etiam Clemens in primo Stromateo, dicens octava & quadragesima Olympiade contigisse captivitatem Babylonicam populi Judæorum, rege Ægyptiorum Vaphre, Archonte autem Athenis Philippo.* Stadio tunc vicit Glaucias Crotoniates. Pausanias in *Phocicis*. Τῆς δὲ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης, ἣν Γλαυκίας ὁ Κροτωνιάτης ἐνίκησε, ταύτης ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες. *Quadragesima vero Olympiade & octava, quam Glaucias Crotoniates vicit, ejus anno tertio certamina constituerunt Amphictyones. Eusebio* Glycon dicitur. Τεσσαρακοστὴ ὀγδόη (Ὀλυμπιὰς ἣν ἐνίκα) Γλύκων Κροτωνιάτης στάδιον. *Octava & quadragesima (Olympias, qua vicit) Glycon Crotoniates stadium.* Dissidium in nomine notat *Anonymus* Γλαυκίας, ἐνίοις δὲ Γλύκων, ὁ Κροτωνιάτης, στάδιον. *Glaucias, quibusdam vero Glycon, Crotoniates, stadium.* Et Pythagoras Samius pugilatu eo anno victor. *Anonymus.* Πυθαγόρας Σάμιος παίδων πυγμήν· ὃς πρῶτος ἐντέχνως πυκτεύσας, κομήτης, καὶ ἀλουργίδα φορῶν, εἶτα ἐκκριθεὶς ἐκ τῶν παίδων, καὶ χλευασθεὶς, αὐτίκα προσέβη τοὺς ἄνδρας, καὶ ἐνίκησε. *Pythagoras Samius puerorum luctam; qui primus ex artificio luctatus, comatus & purpuream vestem indutus, deinde ejectus ex pueris & derisus, statim accessit ad viros, & vicit.* Diogenes Laertius in *Pythagora*, lib. VIII. c. XLVII. Ερατοσθένης δέ φησι, καθὰ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ παντοδαπῇ ἱστορίᾳ παρατίθεται, τοῦτον εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα, ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος, κομήτην, καὶ ἀλουργίδα φοροῦντα. ἐκκριθῆναί τε ἐκ τῶν παίδων, καὶ χλευασθέντα, αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας, καὶ νικῆσαι. *Eratosthenes vero ait, sicut & Favorinus in omnigena historia apponit, hunc esse qui primus ex artificio luctatus fuit, octava & quadragesima Olympiade, comatum & purpuream vestem gerentem, & ex pueris ejectum esse, ac derisum, statim transiisse ad viros, & vicisse.* Attingit rem *Hesychius*. Εν Σάμῳ κομήτας. ἔνιοι Πυθαγόραν τὸν σοφὸν φασὶ τὴν πυκτικὴν ἀσκῆσαι. *In Samo comatos. Quidam Pythagoram sapientem dicunt exercuisse luctatoriam.* Et Appendix Vaticana, *Cent.* I. *Proverb.* LXXXVII. Εν Σάμῳ κομήτης. Πυθαγόρας πύκτης Σάμιος ἐκόμα. καταφρονηθεὶς οὖν, παραδόξως ἐνίκησεν. *In Samo comatus. Pythagoras luctator Samius comam alebat. Itaque contemptus inopinanter vicit.*

CAP. XIV.

Comias Archon, & Hegestratus; sub quo Solon vita functus. Inde Archestratides. Sigonii error unus, atque alter, indicatus. Aristomenes etiam Archon. Pittacus quando natus, floueritque, & mortuus fuerit. Diogenis Laertii locus restitutus.

POST Phænippum, sive Philippum, deliquium iterum est apud *Anonymum* Archontum decem; ego tamen octavum, & nonum, aliunde indicabo. Et habe tibi. Tyrannidem Pisistratus constituit Olymp. L. anno I. ut ex *Anonymo* discere licet; atque tunc Archon Comias erat. Plutarchus in *Solone*. Επὶ Κωμίου ἤρξατο τυραννεῖν Πεισίστρατος. *Sub Comia incepit tyrannidem obtinere Pisistratus.* Comiam vero Hegestratus sequitur, sub quo diem Solon obiit. Plutarchus *ibidem.* Εφ' Ἡγεστράτου δὲ Σόλωνα φησὶν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν, τοῦ μετὰ Κωμίαν ἄρξαντος. *Sed sub Hegestrato dicit Phanias mortuum esse Solonem, qui post Comiam Archon fuit.* Sigonius Comiam in Olymp. LIII. anno III. Hegestratum in IV. ponit. Nescio quem auctorem habeat. Ejusdem Olympiadis anno IV. Archon fuit Archestratides; & sub eo regnum adeptus Servius Tullius. Anonymus *illic*. Αρχεστρατίδης (ἄρχων.) Σερούϊος Τύλλϊος τὴν Ῥωμαίων διεδέξατο βασιλείαν. *Archestratides (Archon.) Servius Tullius Romanorum excepit regnum.* Dionysius Halicarn. *lib.* IV. Διάδοχος δὲ τῆς ἡγεμονίας ὁ γαμβρὸς αὐτοῦ γίνεται Τύλλιος, ἐνιαυτῷ τετάρτῳ τῆς πεντηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἐπιτελίδης Λάκων, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχεστρατίδου. *Successor autem imperii gener ejus fuit Tullius, anno quarto quinquagesimæ Olympiadis, qua stadium vicit Epitelides Lacon, Archonte Athenis Archestratida.* Sigonius quadriennio post commemorat, nempe anno IV. Olymp. LI. Non recte. Inde sex sequentes exci-

derunt; successitque anno III. Olymp. LII. Aristomenes; sub quo Pittacus Mitylenæus diem obiit. Anonymus *illic*. Ἀριστομένης (ἄρχων.) Πιττακὸς ὁ Μιτυληναῖος ἐτελεύτησε, *Aristomenes (Archon.) Pittacus Mitylenæus mortuus est*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. I. c. LXXIX. Ἐτελεύτησε δὲ ἐπὶ Ἀριστομένους, τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, βιοὺς ὑπὲρ ἔτη ἑβδομήκοντα. *Mortuus est autem sub Aristomene, tertio anno secundæ & quinquagesimæ Olympiadis, quum vixisset supra septuaginta annos*. Sed, ut obiter istud moneam, quæ de ætatis ejus annis ibi memorat, an hæc vera? Ecce, ait supergressum annum vitæ septuagesimum. Computemus. Natus fuit Olymp. XXXIII. anno I. Anonymus *illic*. Πιττακὸς γέγονε κατὰ τούτους τοὺς χρόνους. *Pittacus fuit iis temporibus*. Floruit maxime Olymp. XLII. anno I. Anonymus *illic*. Πιττακὸς ὁ Μιτυληναῖος Μελάγχρουν, τὸν Μιτυληναίων τύραννον, ἀνεῖλεν. *Pittacus Mitylenæus Melanchrum tyrannum Mitylenæorum sustulit*. Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, cap XIX. Ἤκμαζε μὲν οὖν περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα. *Viguit quidem igitur circa secundam & quadragesimam Olympiadem*. Cyrillus *Adversus Julianum*, lib. I. *Quadragesima secunda Olympiade Alcmæon, & Pittacus Mitylenæus, unus ex septem sapientibus, & cum illis Stesichorus Poeta, cognoscitur*. Defunctus est, ut ostendi, Olymp. LII. anno III. Sunt ætatis ejus anni LXXXII. Ergo omnino in *Diogene* rescribendum, Βιοὺς ὑπὲρ ἔτη ὀγδοήκοντα. *quum vixisset ultra annos octoginta*. Quod autem ad Archontem hunc Aristomenen attinet, eum Aristodemum vocat *Sigonius*; & notat *Casaubonus* in priore Diogenis editione, *loco citato*, fuisse Ἀριστοδήμου, pro Ἀριστομένους.

CAP. XI.

Hippoclides Archon. Panathenæorum certamen gymnicum institutum. Eusebii dissensus. Euthydemus Archon. Chilon primus Spartæ ephorus. Stesichorus moritur. Erxiclides Archon. Thales moritur. Chronici Alexandrini Auctor dissentit, & emendatur. Orestis ossa Tegeæ inventa. Heraclides Archon. Tarquinius Superbus regnum accipit. Dionysius Halicarn. emendatur.

AB Aristomene septem proximi ignorantur; post quos magistratum accepit Hippoclides, Olymp. LIV. anno III. sub quo Panathenæa instituta. Anonymus *illic*. Ἱπποκλείδης (ἄρχων.) Παναθήναια ἐτέθη. *Hippoclides (Archon.) Panathenæa instituta*. Marcellinus in Vita Thucydidis. Τοῦδε Ἱπποκλείδης· ἐφ᾽ οὗ ἄρχοντος τὰ Παναθήναια ἐτέθη. *Tunc Hippoclides. Quo Archonte Panathenæa instituta*. Sed uterque capiendus de gymnico ejus festi certamine, quod tunc institutum. Eusebius *Chron.* I. rem exponit, sed in annum III. Olympiadis antecedentis LIII. refert. Ὁ τῶν Παναθηναίων γυμνικὸς ἀγὼν ἤχθη. *Panathenæorum gymnicum certamen celebratum est*. Et Freculphus *Tom.* I. *lib.* III. *cap.* XVIII. *Agon quippe gymnicus, quem Panathenæa vocant, tunc actus*. Post Hippoclidem rursum quinque exciderunt; successitque Euthydemus Olymp. LVI. anno I. sub quo primus apud Lacedæmonios Ephorus fuit Chilon. Anonymus *illic*. Εὐθύδημος (ἄρχων.) Χείλων πρῶτος ἔφορος ἐν Λακεδαίμονι κατέστη. *Euthydemus (Archon.) Chilon primus Ephorus Lacedæmone constitutus*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. I. c. LXVIII. Γέγονε δὲ ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα· Παμφίλη δέ φησι, κατὰ τὴν ἕκτην. καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου. *Factus autem est Ephorus quinquagesima quinta Olympiade. Pamphila vero dicit, sexta. Et primum Ephorum factum esse sub Euthydemo*. Stesichorus quoque tunc vita excessit. Anonymus *ibidem*. Στησίχορος ὁ λυρικὸς ἐτελεύτησε. *Stesichorus lyricus obiit*. Suidas *in* Στησίχορος. Ἐπὶ δὲ τῆς τριακοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος γεγονώς, ἐτελεύτησεν ἐπὶ τῆς πεντηκοστῆς ἕκτης. *Trigesima autem septima Olympiade natus, obiit quinquagesima sexta*. Euthydemum qui secuti septem proximi ignorantur; & invenitur Erxiclides anno I. Olymp. LVIII. Anonymus *illic*; & Pausanias in *Phocicis*. Κατεκαύθη δὲ Ἐρξικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, πρώτῳ δὲ τῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος ἔτει καὶ πεντηκοστῆς. *Conflagravit autem Erxiclide quidem Athenis Archonte, primo vero octavæ Olympiadis anno & quinquagesimæ*. In hunc annum mors Thaletis incidit. Anonymus *illic*. Θαλῆς ἐτελεύτησεν. *Thales mortuus est*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. I. c. XXXVIII. Τελευτῆσαι δὲ (αὐτόν φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς) ἐπὶ τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος. *Mortuum vero (ipsum dicit Apollodorus in Chronicis) quinquagesima octava Olympiade*. Cyrillus *Adversus Julianum*, lib. I. *Tricesima & quinta Olympiade Thales Examei, Milesius, primus physicus philosophus, fuisse dicitur, & productos annos ejus dicunt usque ad quinquagesimam octavam Olympiadem*. Auctor Chronici Alexandrini Olympiade antecedente LV. mortuum dicit. Θαλῆς ὁ ἐξ Ἀμύου, Μιλήσιος, πρῶτος φυσικὸς φιλόσοφος, ἀπέθανεν. *Thales ex Amya filius, Milesius, primus physicus philosophus, mortuus est*. Sed is obiter corrigendus. Θαλῆς ὁ Ἐξαμίου, Μιλήσιος, *Thales Examii filius, Milesius*. Orestis quoque ossa Tegeæ tunc inventa. Anonymus *ibidem*. Ἐν Τεγέᾳ τὰ Ὀρέστου ὀστᾶ κατὰ χρησμὸν ὑπὸ Λακεδαιμονίων εὑρέθη. *Tegeæ Orestis ossa juxta oraculum ab Lacedæmoniis inventa*. Solinus *cap.* V. *Priscorum autem molem testantur etiam Orestis suprema; cujus ossa Olympiade quinquagesima & octava Tegeæ inventa a Spartanis, oraculo monitis, didicimus implesse longitudinem cubitorum septem*. Apud *Sigonium* Archon iste male Ericlides dicitur. Post eum quatuordecim exciderunt; fuitque inde Heraclides, Olymp. LXI. anno IIII. ac sub eo Romanorum rex creatus Tarquinius Superbus. Anonymus *illic*. Ἡρακλείδης (ἄρχων.) Ταρκύνιος ὁ Σούπερβος τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν κατέχει. *Heraclides (Archon.) Tarquinius Superbus Romanorum potentiam obtinet*. Emendandus in Archontis hujus nomine Dionysius Halicarnasseus *lib.* IV. Μετὰ δὲ τοῦτον παραλαμβάνει Λεύκιος Ταρκύνιος τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν, οὐ κατὰ νόμους, ἀλλὰ διὰ τῶν ὅπλων καταςχών, κατὰ τὸ τέταρτον ἐνιαυτὸν τῆς ἑξηκοστῆς καὶ πρώτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀγάθαρχος, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρακλείδου. *Post illum vero excipit Lucius Tarquinius Romanorum imperium, non secundum leges, sed armis occupans, circa quartum annum sexagesimæ & primæ Olympiadis, qua vicit stadium Agatharchus, Archonte Athenis Heraclide*. Male editur, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρακλέους. *Archonte Athenis Hercule*. Mendose hujus auctoris loco seductus *Sigonius*, etiam Herculem eum vocat.

JOANNIS MEURSII
DE
ARCHONTIBUS ATHENIENSIUM
LIBER II.

CAP. I.

Miltiades Archon, deinde Iſagoras. Romæ Conſules inſtituti. Aceſtorides Archon. Iſchomachus ſtadio, Theſſalus pentathlo, & ſtadio, vincit. Heraclitus Epheſius floret. Cynæthus Homeri carmina Syracuſis recitat.



OCTO rurſum hic Archontes intermedii neſciuntur; quos Miltiades eſt ſecutus, Olymp. LXIV. anno I. Anonymus eum illic memorat, & Dionyſius Halicarn. *lib.* VII. Ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου. *Sexageſima & quarta Olympiade, Archonte Athenis Miltiade.* Poſt Miltiadem iſtum quindecim ignorantur; deinde Iſagoras invenitur, Olymp. LXVIII. anno I. quo Romæ Conſules inſtituti. Anonymus in *eo tempore*. Ἰσαγόρας (ἄρχων.) Πρῶτοι ὕπατοι ἐν Ῥώμῃ κατέστησαν, βασιλέων καταλυθέντων. *Iſagoras (Archon.) Primi conſules Romæ conſtituti ſunt, regibus rejectis.* Dionyſius Halicarn. *lib.* I. Ἀνάγκη τοὺς πρώτους ἀποδειχθέντας ὑπάτους ὁμολογεῖν ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἰσαγόρου παρειληφέναι τὴν ἀρχὴν, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης καὶ ἑξηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Neceſſarium eſt primos electos conſules fateri Archonte Athenis Iſagora ſuſcepiſſe imperium, circa primum annum octavæ & ſexageſimæ Olympiadis.* Videndusque idem iterum, *initio* libri V. Qui Iſagoram ſubſecuti tres, ignoti; dein ſucceſſit, quem *Sigonius* prætermittit, Aceſtorides, Olymp. LXIX. anno I. *Illic* eum Anonymus nominat, & Dionyſius Halicarn. *lib.* V. Et ſtadio tunc victor, qui præterita Olympiade, Iſchomachus Crotoniates. Vide *Atticas Lectiones noſtras* lib. IV. cap. XXVI. Theſſalus quoque Corinthius ſtadio, & pentathlo. Anonymus *illic*. Θεσσαλὸς Κορίνθιος πεντάθλῳ, καὶ σταδίῳ. *Theſſalus Corinthius quinquertio, & ſtadio.* Meminit Pindari Scholiaſtes *Pythionic.* Od. XIII. Τρισολυμπιονίκαν. παρ' ὅσον τρεῖς νίκας αὐτοῖς συμβέβηκε γενέσθαι. τῷ μὲν παιδὶ, δύο κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν, πεντάθλῳ καὶ σταδίῳ ἀγωνισαμένῳ· τῷ δὲ πατρὶ, Θεσσαλῷ τοὔνομα, πρῶτον ἐν τῇ ἑξηκοστῇ ἐννάτῃ Ὀλυμπιάδι. *Trium Olympiadum victoriam. Ideo quia tres victoriæ illis contigerunt: filio quidem, duæ eodem die, pentathlo & ſtadio quum certaviſſet: Patri autem qui Theſſalus nomine, prius in ſexageſima nona Olympiade.* Heraclitus Epheſius, Σκοτεινὸς cognominatus, tunc claruiſſe perhibetur. Anonymus *ibidem*. Ἡράκλειτος Ἐφέσιος, ὁ Σκοτεινὸς ἐπικαλούμενος, ἐγνωρίζετο. *Heraclitus Epheſius, Scotinus cognominatus, innotuit.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IX. c. I. Ἤκμασε μὲν κατὰ τὴν ἐνάτην καὶ ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit quidem circa nonam ſexageſimam Olympiadem.* Suidas *de eo* Ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος. *Erat autem ſexageſima nona Olympiade.* Cynæthus quoque Chius Syracuſis conſarcinata Homeri carmina reci-

A tavit. Anonymus *ibidem*. Κύναιθος Χῖος πρῶτος Συρακούσαις ἐρραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη. *Cynæthus Chius primus Syracuſis conſarcinata recitavit Homeri carmina.* Scholiaſtes Pindari *Nemeonic.* Od. II. Ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐρραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη, κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Cynæthus primus Syracuſis conſarcinata recitavit Homeri carmina, circa ſexageſimam Olympiadem.* Meminit facti, verum non expreſſo tempore, Euſtathius in *Iliad.* α'. Τοῦ δὲ ἀπαγγέλλειν τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν, ἀρχὴν ἐποιήσατο Κύναιθος ὁ Χῖος. *Pronuntiandi autem Homeri poeſin diſſipatam, initium fecit Cynæthus Chius.*

CAP. II.

B *Myrus Archon. Nicæas, ſive Nicæſtas, aut Micias, ſtadio victor. Apenæ curſus inſtitutus, quo primus vincit Therſias Theſſalus. Ejus inventor Aſandraſtus. Zeno Eleates floret. Anaxagoras naſcitur. Pratinas cum Æſchylo, & Chœrilo, certat. Æſchyli ætas obiter dicta; ac de ea Suidas, & Scholiaſtes, emendati.*

ACESTORIDEM tres ſecuti, ut qui Iſagoram, ignorantur. Inde Myrus magiſtratum eum cepit, Olymp. LXX. anno I. Meminit Anonymus *illic*, & Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* V. Stadioque tunc victor Nicæas Opuntius. Dionyſius *loco citato*. Ἐπὶ δὲ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Νικαίας ὁ Λοκρὸς ἐξ Ὀποῦντος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μύρου, παραλαμβάνουσι τὴν ὕπατον ἀρχὴν Πόστομος Κομήνιος, καὶ Τίτος Λάρκιος. *Septuageſima autem Olympiade, qua vicit ſtadium Nicæas Locrenſis ex Opunte, Archonte Athenis Myro, potiti ſunt conſulari imperio Poſtumus Comenius, & Titus Larcius.* Non recte is Νικαίστας dicitur Euſebio, *Chron.* I. Ἑβδομηκοστὴ (Ὀλυμπιὰς, ἣν ἐνίκα) Νικαίστας Ὀπούντιος στάδιον. *Septuageſima (Olympias, qua vicit) Nicæſtas Opuntius ſtadium.* Apud *Anonymum* Μικίας ſcribitur. Μικίας ὁ Λοκρὸς ἐξ Ὀποῦντος στάδιον. *Micias Locrenſis ex Opunte ſtadium.* Et apenæ curſus inſtitutus, quo primus vicit Therſias Theſſalus. Anonymus *ibidem*. Τῆς ἀπήνης δρόμος ἐτέθη. Θερσίας ὁ Θεσσαλὸς ἀπήνῃ πρῶτος. *Carpenti curſus ſtatutus eſt.*
D *Therſias Theſſalus carpento primus.* Pauſanias *Eliac.* I. Τῆς δὲ ἀπήνης τὸν δρόμον, Ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ, πρῶτον Θερσίου ἀπήνῃ Θεσσαλοῦ ἐνίκησε. *Carpenti autem curſum, Olympiade ſtabilitum ſeptuageſima, primum Therſiæ carpento Theſſali vicit.* Auctor autem ejus primus Aſandraſtus. Anonymus *infra*, in Olymp. LXXIX. Ἀπήνῃ, τοῦτ' ἔστιν ἅρματι, ἐξ ἡμιόνων ζευχθέντι, ἀγωνίζεσθαι, ὑπὸ Ἀσανδράστου ἐπιτηδευθὲν, ἐν τῷδε τῷ ἔτει διελύθη. *Apena, hoc eſt, Curru, cum mulorum jugo certare, ab Aſandraſto affectatum, in hoc anno abrogatum.* Scholiaſtes Pindari *Olymp.* Od. V. Ἀπήνη δέ ἐστιν ἅρμα, ἐξ ἡμιόνων ζευχθὲν, εἰθισμένον δὲ ἵπποις ἀγωνίζεσθαι, Ἀσάνδραστος ἐπιτήδευσε καὶ ἡμιόνοις ἀγωνίζεσθαι. *Apena autem eſt currus, mulis junctus, conſuetus autem equis certare, Aſandraſtus affectavit etiam mulis certare.* Abrogata vero Olymp.

LXXXIV. Vide quæ notamus infra, *hoc ipso libro, cap.* XV. Zeno Eleates tunc florebat. Anonymus *ibidem.* Ζήνων Ἐλεάτης ἤκμαζεν. *Zeno Eleates florebat.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IX. c. XXIX. Ἤκμαζε δὲ ἔτος κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Florebat vero hic circa septuagesimam Olympiadem.* Suidas *in eo.* Ἦν γὰρ ἐπὶ τῆς οη΄. Ὀλυμπιάδος. *Erat enim septuagesima octava Olympiade.* Rescribo, ἐπὶ τῆς ο΄. Ὀλυμπιάδος. *Septuagesima Olympiade.* Anaxagoras Clazomenius tunc natus. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. II. c. VII. Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς, γεγενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι. *Inquit autem Apollodorus in chronicis, natum eum septuagesima Olympiade.* Anonymus in *eadem Olympiade.* Ἀναξαγόρας Κλαζομένιος φιλόσοφος ἐγεννήθη. *Anaxagoras Clazomenius philosophus natus est.* Eodem Archonte Pratinas cum Æschylo, & Chœrilo, certavit. Anonymus *ibidem.* Πρατίνας, Πυῤῥωνίδου, ἢ Ἐγκωμίου, Φλιάσιος, ποιητὴς τραγῳδίας, ἀντηγωνίζετο Αἰσχύλῳ, καὶ Χοιρίλῳ. *Pratinas, Pyrrhonidæ filius, aut Encomii, Phliasius; poeta tragicus, certavit cum Æschylo, & Chœrilo.* Suidas. Πρατίνας Πυῤῥωνίδου, ἢ Ἐγκωμίου, Φλιάσιος, ποιητὴς τραγῳδίας· ἀντηγωνίζετο δὲ Αἰσχύλῳ, καὶ Χοιρίλῳ, ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Pratinas, Pyrrhonidæ filius, aut Encomii, Phliasius, poeta tragicus. Certavit autem cum Æschylo, & Chœrilo, septuagesima Olympiade.* Ubi obiter ætas Æschyli observanda; quam & in Olympiade LXXI. commemorat Eusebius, *Chron.* I. Quo pertinet, quod circa pugnæ Marathoniæ tempus, Olymp. LXXI. anno I. Aulus Gellius eum collocat, *lib.* XVII. *cap.* XXI. Ergo mendum est apud Suidam *in* Αἰσχύλος. Ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ θ΄. Ὀλυμπιάδι. *Æschylus. Certavit autem hic nona Olympiade.* Omnino emenda, ἐν τῇ ο΄. Ὀλυμπιάδι. *Septuagesima Olympiade.* Mendosus quoque Scholiastes Æschyli, in *Vita ejus*, Scholiis præmissa. Συνεχρόνισε δὲ Πινδάρῳ, κατὰ τὴν μ΄. Ὀλυμπιάδα. *Contemporaneus autem fuit Pindari, circa quadragesimam Oympiadem.* Etiam *ibi* rescribendum, κατὰ τὴν ο΄. Ὀλυμπιάδα. *Circa septuagesimam Olympiadem.*

CAP. III.

Hipparchus Archon. Tisicrates Crotoniates stadio victor. Calpes cursus institutus, quo primus vincit Patæcus. Pythagoras, equo singulari; ut & Empedocles: cujus filius Exænetus, lucta. Philippus Archon; sub quo Sophoclis natalis. Huic succedit Aristides, illi Themistocles; & sub eo Piræeus communiri primum cœptus.

POST hunc Myrum rursum tres desiderantur; quos Hipparchus mox excepit, Olymp. LXXI. anno I. *Anonymus* id indicium facit; & Dionysius Halicarn. *lib.* VI. Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ πρώτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἱππάρχου. *Septuagesima & prima Olympiade, qua vicit stadium Tisicrates Crotoniates, Archonte Athenis Hipparcho.* Ac stadio tunc vicit Tisicrates Crotoniates. Vides in *citatis* Dionysii *verbis*; & diserte Anonymus dicit, in *illo anno.* Τισικράτης Κροτωνιάτης στάδιον. *Tisicrates Crotoniates stadium.* Memorat quoque Eusebius *Chron.* I. Calpes item tunc cursus institutus; primusque eo vicit Patæcus. Anonymus *ibidem.* Δρόμος κάλπης εἰσήχθη. Πάταικος Ἀχαιὸς ἐκ Δύμης πρῶτος κάλπῃ. *Cursus calpes introductus est. Patæcus Achæus ex Dyme primus calpe.* Refert etiam Pausanias *Eliac.* I. Pythagoras equo singulari vicit. Anonymus *ibidem.* Πυθαγόρας κέλητι. *Pythagoras celete.* Eodem etiam Empedocles Agrigentinus; uti filius Exænetus lucta, aut cursu. Diogenes Laertius in *Vita Empedoclis*, lib. VIII. c. LIII. Σάτυρος δ' ἐν τοῖς Βίοις φησὶν, ὅτι Ἐμπεδοκλῆς υἱὸς μὲν ἦν Ἐξαινέτου, κατέλιπε δὲ καὶ αὐτὸς υἱὸν Ἐξαίνετον. Ἐπί τε τῆς αὐτῆς Ὀλυμπιάδος τὸν μὲν, ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι· τὸν δὲ υἱὸν αὐτοῦ, πάλῃ· ἢ, ὡς Ἡρακλείδης ἐν τῇ Ἐπιτομῇ, δρόμῳ. *Satyrus vero in Vitis inquit, quod Empedocles quidem fuerit Exæneti filius, reliquit autem etiam ipse filium Exænetum. Et eadem Olympiade illum quidem, equo singulari vicisse; filium vero ejus, lucta; aut, ut Heraclides in Epitome, cursu.* Annotatque idem Anonymus in *illo anno.* Ἐξαίνετος, Ἐμπεδοκλέους Ἀκραγαντίνου υἱὸς, πάλῃ· αὐτὸς, κέλητι. *Exænetus, Empedoclis Agrigentini filius, lucta. Ipse equo solo.* Hunc Hipparchum subsecutus, quem *Sigonius* non commemorat, Philippus, Olymp. LXXI. anno II. sub quo Sophoclis natalis memoratur. *Anonymus.* ΟΛ. ΟΑ. ἔτος β΄. Φίλιππος (ἄρχων.) Σοφοκλῆς ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγεννήθη. *Olymp.* LXXI. *annus secundus, Philippus (Archon.) Sophocles tragicus poeta natus.* Et Schol. in *ejus Vita.* Γεννηθῆναι δὲ αὐτὸν φασὶν ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος. *Natum autem illum dicunt septuagesima prima Olympiade, circa secundum annum.* Alii tamen volunt natum eum Olymp. LXXIII. anno III. idque *ibi* monet Anonymus, & confirmat istis verbis *Suidas.* Σοφοκλῆς, Σοφίλου, Κολωνῆθεν, Ἀθηναῖος τραγικός· τεχθεὶς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν τρίτην Ὀλυμπιάδα. *Sophocles, Sophili filius, ex Colono, Atheniensis tragicus. Natus circa septuagesimam tertiam Olympiadem.* Post Philippum Aristides forte fuerit. Vide in *sequenti capite.* Ab aliis Themistocles dicitur. Ita *Anonymus*, Olympiadis memoratæ anno III. ut *Sigonius* autem, IV. Eo auctore Piræeus exstrui cœptus. Thucydides *lib.* I. Ἔπεισε δὲ καὶ τοῦ Πειραιῶς τὰ λοιπὰ ὁ Θεμιστοκλῆς οἰκοδομεῖν. ὑπῆρκτο δ' αὐτοῦ πρότερον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς, ἧς κατ' ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε. *Persuasit autem Themistocles ut Piræi reliqua ædificarentur. Cœptum vero illud primum sub illius magistratu, quem annuum Athenis gessit.*

CAP. IV.

Diognetus Archon. Tisicrates iterum stadio victor. Cleomedes Astypalæensis, occiso adversario, cum denegaretur præmium, mente motus. Hippocleas Thessalus diaulo vincit, idque iterum. Marathonia pugna. Sigonii error. Philippus Archon, & post eum Aristides; de cujus tamen magistratu controversia. Callias, Phanippi filius, equo vincit. Scholiastes Aristophanis emendatur.

OLYMPIADIS sequentis LXXII. annus I. Archontem Diognetum habuit; stadioque tunc secundum vicit Tisicrates Crotoniates. *Anonymus* ita Archontem, & victorem nominat. Item Dionysius Halicarn. *lib.* VI. Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης, ἄρχοντος Ἀθήνησι Διογνήτου. *Septuagesima & secunda Olympiade, qua vicit stadium Tisicrates Crotoniates, Archonte Athenis Diogneto.* De victore, est Pausaniæ quoque locus, *Eliac.* II. Τῆς δευτέρας καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Τισικράτης ἐνίκα Κροτωνιάτης στάδιον. *Secunda & septuagesima Olympiade, qua Tisicrates Crotoniates vicit stadium,* Cleomedes Astypalæensis, Iccum Epidaurium cum in pugilatu occidisset, eique judices victoriæ præmium denegassent, præ dolore in insaniam incidit. Anonymus *illic.* Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεὺς Ἴκκῳ πυκτεύων, ἀνδρὶ Ἐπιδαυρίῳ, αὐτὸν ἀπέκτεινεν ἐν τῇ μάχῃ· καταγνωσθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν Ἑλλανοδικῶν ἄδικα εἰργάσθαι, καὶ ἀφῃρημένος τὴν νίκην, ἔκφρων ἐγένετο ὑπὸ τῆς λύπης. *Cleomedes Astypalæensis cum Icco pugilatu certans, viro Epidaurio, illum occidit in pugna.*

Damnatus autem ab judicibus injuste egisse, & spoliatus victoria, amens factus est præ dolore. Idem habes apud Pausaniam, *Eliac.* II. Hippocleas quoque Thessalus diauli cursu vicit. Anonymus *ibidem.* Ἱπποκλέας Θεσσαλὸς (ἐνίκα) διαυλόδρομον. *Hippocleas Thessalus (vicit) diauli cursum.* Estque in eum *Ode* Pindari *Pythion.* X. inscripta, Ἱπποκλέᾳ Θεσσαλῷ, διαυλοδρόμῳ. *Hippocleæ Thessalo diauli cursori.* Is ipse est, qui sequenti Olympiade LXXIII. iterum vicit. Meminit *illic* Anonymus noster, & Scholiastes Pindari ad *Oden citatam.* Ενίκησε δὲ (Ἱπποκλέας) καὶ οβ'. καὶ ογ'. Ολυμπιάδα. *Vicit autem (Hippocleas) & septuagesima secunda & septuagesima tertia Olympiade.* Pugna denique Marathonia hoc Archonte depugnata. Anonymus *illic.* Η ἐν Μαραθῶνι μάχη. *In Marathone pugna.* Videamus. Dionysius Halicarn. *lib.* V. sedecim annis post mortem primi Romanorum consulis, L. Junii Bruti, eam accidisse tradit. Ὑστερεῖ δὲ καὶ τὰ Μαραθώνια ἐπὶ τῆς Βρούτου ταφῆς, εἰ δὴ ἀπὸ τούτων πρῶτον ἤρξαντο οἱ ἔπαινοι λέγεσθαι τοῖς ἀπογενομένοις, ἑκκαίδεκα ἔτεσιν. *Posterior autem est Marathonia pugna Bruti sepultura, siquidem ab illis primum inceperint laudationes dici mortuis, sedecim annis.* Bruti autem istius mors, ut consulatus, incidit in Olymp. LXVIII. annum I. a quo si deinceps annos sedecim putes, justum sane invenies calculum; & post mortem decimus sextus, quem constituit *Dionysius*, erit primus Olymp. LXXII. quo hic Archon Diognetus. Sulpitius assignat annum ab Urbe condita ducentesimum, & sexagesimum. Ecce verba, *Hist. Sacræ* lib. II. *Hic (Darius) ante quadriennium quod decederet, apud Marathonem pugnavit, celeberrimo Græcis Romanisque historiis prœlio. Id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo, & sexagesimo; Macerino, & Augurino, Consulibus.* Eodem modo A. Gellius, *lib.* XVII. *cap.* XXI. *Ducentesimo deinde & sexagesimo anno post Romam conditam, aut non longe amplius, victos esse ab Athenienfibus Persas, memoriæ traditum est, pugna illa incluta Marathonia, Miltiade duce.* Consentit etiam iste calculus; nam a Romæ urbis conditu, qui in annum primum incidit Olymp. septimæ, si ducentos sexaginta deinde numeres, hunc eundem annum invenies. Ait vero Sulpitius, *anno fere ducentesimo, & sexagesimo:* A. Gellius, *aut non longe amplius*; quod diversus aliorum sensus esset, qui biennio prius conditam urbem Romam affirmabant, nempe Olympiadis VI. anno III. Itaque *Sigonius* errat, qui in hujus Olympiadis LXXII. annum III. pugnam celeberrimam refert, & Phænippum Archontem memorat; post quem magistratu functus Aristides. De Phænippo quidem Archonte auctorem Plutarchum habet, qui Phanippum eum nominat, in *Aristide*, istis verbis. Μετὰ δὲ Φάνιππον, ἐφ' οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης ἄρχων ἀναγέγραπται. *Post autem Phanippum, sub quo Marathoniam pugnam vicerunt, statim Aristides Archon inscriptus est.* Sed de tempore nihil dicit. Phanippi autem meminit etiam Scholiastes Comici *Avibus*; ubi filium ejus Calliam equo mox vicisse ait Olymp. LXXIV. Ο πρῶτος γοῦν Καλλίας Φανίππου πατρός ἐστιν, ὁ νενικηκὼς ἵππῳ τὴν τετάρτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ολυμπιάδα. *Primus igitur Callias ex Phanippo patre est, qui vicit equo quarta & septuagesima Olympiade.* Ita emendo; nam perperam editur, τὴν τετάρτην καὶ πεντηκοστὴν Ολυμπιάδα. *Quartam & quinquagesimam Olympiadem.* Origo mendi e corruptione numerorum. Quanquam sane controversia de hoc ejus magistratu olim mota; cum Demetrius Phalereus post certaminis Platæensis tempus referat. Plutarchus in *ejus Vita.* Μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἦρξεν (ὁ Ἀριστείδης,) ὡς αὐτὸς ὁ Δημήτριος γέγραφε. *Post Platæensem pugnam Archon fuit (Aristides) ut ipse Demetrius scripsit.* Et mox iterum. Καίτοι φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, ἄρξαι τὸν ἄνδρα μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου, μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. *Quamvis dicit Phalereus Demetrius, Archontem fuisse virum paulo ante mortem, post Platæensem pugnam.* Atqui hæc accidit Olymp. LXXV. anno II. quod annorum tredecim est intervallum.

CAP. V.

Hybrilides Archon, & Anchises; sub quo stadio victor Astylus; qui duabus etiam post Olympiadibus. De eo Anonymus, in Descriptione sua Olympiadum, explicatus, & correctus; Eusebius vero, item Diodorus Siculus, emendati. Chionides, & Dinolochus, comicus uterque, floruere.

POST Diognetum Hybrilides fuit, Olympiadis nominatæ anno secundo. Male autem is Hybilides apud *Sigonium.* Ita *Anonymus* eum nominat; & Dionysius Halicarn. *lib.* VII. Η μὲν εἰς Σικελίαν ἀποδειχθεῖσα πρεσβεία, κατὰ τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ δευτέρας Ολυμπιάδος ἐξέπλευσεν, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ὑβριλίδου. *In Siciliam quidem destinata legatio, circa secundum annum septuagesimæ & secundæ Olympiadis solvit, Archonte Athenis Hybrilide.* Item Pausanias, *Eliac.* II. Γέλων δὲ, ὁ Σικελίας τυραννήσας, Συρακούσας ἔσχεν, Ὑβριλίδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑβδομηκοστῆς Ολυμπιάδος. *Gelon vero, Siciliæ tyrannus, Syracusas tenuit, Hybrilide quidem Athenis Archonte, secundo autem anno secundæ & septuagesimæ Olympiadis.* Post hunc duo ignorantur; inde Anchises memoratur ab *Anonymo*, Olymp. LXXIII. anno I. quo stadio victor Astylus Crotoniates. Dionysius Halicarn. *lib.* VIII. Κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ τρίτην Ολυμπιάδα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἄστυλος Κροτωνιάτης, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχίσου. *Septuagesima & tertia Olympiade, qua vicit stadium Astylus Crotoniates, Archonte Athenis Archiso.* Hic ille est, cujus meminit Plato, De *Leg.* lib. VIII. Καὶ δὴ καὶ Κρίσσωνα, καὶ Ἄστυλον, καὶ Διόπομπον, καὶ ἄλλους παμπόλλους, ὁ αὐτός που λόγος ἔχει. *Etiamque Crissonem, & Astylum, & Diopompum, & alios complures, eadem narratio habet.* Et Plinius, *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Eundem vicit & Leontius, qui fecit stadiodromon Astylon, qui Olympiæ ostenditur.* Et Clemens, *Strom.* III. Φασὶ δὲ καὶ ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους, καθάπερ τὸν Κροτωνιάτην Ἄστυλον, καὶ Κρίσωνα τὸν Ἱμέραιον. *Inquiunt autem etiam luctatores non paucos venereis non uti, ob exercitationem corporis continentes, quemadmodum Crotoniatem Astylum, & Crisonem Himeræum.* Emendandus autem Eusebius *Chron.* I. apud quem Ἀστύαλος scribitur. Εβδομηκοστὴ τρίτη (Ολυμπιάς.) Ἀστύαλος Κροτωνιάτης στάδιον. *Septuagesima tertia (Olympias.) Astyalus Crotoniates stadium.* Repone, Ἄστυλος Κ. Isque duabus etiam sequentibus Olympiadibus victor apud eundem memoratur; qua in re dissentiunt alii. nam in proxime sequenti LXXIV. victor quidem ab *Anonymo* Astylus dicitur, sed Syracusanus ille, non, ut hic, Crotoniates. Ecce verba ejus *illic.* Ἄστυλος Συρακούσιος στάδιον. *Astylus Syracusius stadium.* Et apud Dionysium Halicarnasseum, *lib.* VIII. Τῷ ἑξῆς ἐνιαυτῷ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ τετάρτης Ολυμπιάδος ἐνεστώσης, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἄστυλος Συρακούσιος. *Sequenti anno septuagesimæ & quartæ Olympiadis labente, qua vicit stadium Astylus Syracusius.* Jam in LXXV. Olympiade Asychus commemoratur ab *Anonymo.* Ἄσυχος Συρακούσιος στάδιον. *Asychus Syracusius stadium.* Et apud Diodorum Sicu-

lum *lib.* XI. Ηχθη δὲ παρ' Ηλείοις Ολυμπιὰς πέμπτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα σάδιον Ασυχος Συρακούσιος. *Acta est autem apud Eleos Olympias quinta & septuagesima, qua vicit stadium Asychus Syracusius.* Sive, ut alia exemplaria illic habent, Ασυλος Συρακούσιος, *Asylus Syracusius*. Sed dissidium hoc componam. Vere *Eusebius*; & ter victor Astylus iste: sed, Crotoniates cum esset, in Hieronis regis gratiam duabus posterioribus victoriis Syracusanum se pronuntiari curavit. qua re offensi Crotoniatæ, domum ejus deinceps carcerem effecerunt; statuamque, in Junonis Lacedæmoniæ dedicatam, everterunt. Narrat Pausanias *Eliac.* II. Ασυλος δὲ Κροτωνιάτης, Πυθαγόρου μὲν ἐστιν ἔργον. τρεῖς δὲ ἐφεξῆς Ολυμπιάδας σαδίου τε καὶ διαύλου νίκας ἔχει. ὅτι δὲ ἐν δύο ταῖς ὑστέραις ἐς χάριν τοῦ Ἱέρωνος τοῦ Δεινομένους ἀνηγόρευσεν ἑαυτὸν Συρακούσιον, τούτων ἕνεκα οἱ Κροτωνιάται τὴν οἰκίαν αὐτοῦ δεσμωτήριον εἶναι κατέγνωσαν, καὶ τὴν εἰκόνα καθεῖλον, παρὰ τῇ Ηρᾳ τῇ Λακεδαιμονίᾳ κειμένην. *Astylus autem Crotoniates, Pythagoræ quidem est opus. Tribus vero subsequentibus Olympiadibus stadii & diauli victorias obtinet. Quia autem in duabus posterioribus in gratiam Hieronis Dinomenis filii pronuntiavit se Syracusium, ob hæc Crotoniatæ domum ejus carcer ut esset statuerunt, & statuam sustulerunt, ad Junonis Lacedæmoniæ sitam.* Ergo apud Anonymum in *Olymp.* LXXV. & *Diodorum*, rescribendum Ασυλος, pro Ασυχος, aut Ασυλος. Porro sub Anchise Archonte Chionides floruisse fertur. Anonymus *istic.* Χιονίδης, ὁ κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ἤκμαζεν. *Chionides, comicus veteris comœdiæ floruit.* Quibus consentit, quod *Suidas* ait, floruisse ante Persicum bellum annis VIII. Χιονίδης Αθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας· ὃν καὶ λέγουσι πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, διδάσκειν δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν· *Chionides Atheniensis, comicus veteris comœdiæ. Quem etiam dicunt primarum partium fuisse veteris comœdiæ, docuisse autem annis octo ante Persica.* Anno enim post octavo, id est, primo Olympiadis LXXV. Xerxes contra Græcos profectus est; uti infra, in ejus temporis Archonte, dicam. Dinolochum quoque eodem tempore *Anonymus* memorat, & Suidas *in* Δεινόλοχος.

CAP. VI.

Lacratides Archon. Ejus tempore frigus maximum. Postea Phædon, sub quo oraculum datum Atheniensibus, uti Thesei ossa repeterent, & relata honorarent. Inde Leostratus; sub quo Astylus iterum stadio; Agesidamus, & Euthymus, pugilatu victores fiunt. Inde Nicodemus Archon.

QUI Anchisen tres sequuntur, ab *Anonymo* non dicuntur. *Sigonius* primo post eum loco Lacratidem ponit, conjectura tantum ductus. Fuit ille quidem Archon Darii tempore, & insignem magistratum frigore habuit, tam ingenti, ut constringerentur omnia, & ex eo frigida omnia Λακρατίδου dicerentur: sed quo anno illud fuerit, plane incertum. Aristophanis versus est *Acharnensibus*, Act. I. Sc. V. *vers.* 45.

Καὶ παλαιῷ Λακρατίδῃ τὸ σκέλος βαρύνεται.
Et senem Lacratidam crura gravantur.

Ubi Scholiastes. Λακρατίδης, ἀρχαῖος ἄρχων Αθήνησιν, ὡς καὶ Φιλόχορος. ἦρξε δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Δαρείου. ἐφ' οὗ πλείστη χιὼν ἐγένετο, καὶ ἀπέπηξε πάντα, ὡς μὴ δύνασθαί τινα προϊέναι. διόπερ τὰ ψυχρὰ πάντα, Λακρατίδου ἐκάλουν. *Lacratides, vetus Archon Athenis, ut & Philochorus. Archon vero fuit temporibus Darii. Sub quo multa nix cecidit, & constrinxit omnia, ita ut non potuerit quis procedere. Propterea frigida omnia, Lacratidæ vocabant.* Quæ totidem verbis etiam apud Suidam habes, *in* Λακρατίδης. Meminitque Hesychius, in *eadem dictione*. Æque incertum, quonam anno Phædon fuerit; quem fuisse tamen certum, post devictos apud Marathonem Medos; nempe circa hoc ipsum tempus. Ac sub eo oraculum datum Atheniensibus, ut Thesei ossa recuperarent. Plutarchus in *Vita Thesei*. Χρόνοις δ' ὕστερον Αθηναίοις ἄλλα τε παρέστησεν, ὡς ἥρωα τιμᾶν Θησέα, καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι πρὸς Μήδους μαχομένων ἔδοξαν οὐκ ὀλίγοι φάσμα Θησέως ἐν ὅπλοις καθορᾶν πρὸ αὐτῶν, ἐπὶ τοὺς βαρβάρους φερόμενον. Μετὰ δὲ τὰ Μηδικά, Φαίδωνος ἄρχοντος, μαντευομένοις τοῖς Αθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία, τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀστᾶ, καὶ θεμένους ἐντίμως παρ' αὐτοῖς φυλάττειν. *Temporibus autem posterioribus Atheniensibus alia placuerunt, nempe heroem colere Theseum, & eorum qui in Marathone contra Medos pugnaverant putarunt non pauci spectrum Thesei in armis vidisse ante se, in barbaros ruens. Post vero Medica Phædone Archonte, consulentibus oraculum Atheniensibus respondit Pythia, Thesei suscipere ossa, & condita honorifice apud ipsos custodiri.* Et fuit hic ipse Phædon iterum Archon post devictos apud Salaminem Persas, Olymp. LXXVI. anno I. item tertium, Olym. LXXVII. anno IV. suntque inter primum ejus magistratum, ultimumque, anni instar decem & octo. Olympiadis LXXIV. anno I. Leostratus fuit. Nominatur ab Anonymo, in *illo tempore*; meminitque Dionysius Halicarn. *lib.* VIII. Τῷ δὲ ἑξῆς ἐνιαυτῷ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ τετάρτης Ολυμπιάδος ἐνεστώσης, ἣν ἐνίκα στάδιον Ασυλλος ὁ Συρακούσιος, Αθήνησι δὲ ἄρχων ἦν Λεώστρατος. *Sequenti anno septuagesimæ & quartæ Olympiadis labentis, qua vicit stadium Astyllus Syracusius, Athenis vero Archon erat Leostratus.* Stadio tunc iterum victor Astylus fuit, de quo dictum in *superiori capite*. Agesidamus Locrus Epizephyrius puer, pugilatu; Euthymus, Astyclus filius, eadem patria oriundus, virili pugilatu vicit. De utroque ista sunt *Anonymi* verba. Αγησίδαμος Λοκρὸς Επιζεφύριος παῖς πυγμῇ. Εὔθυμος Ασυκλέους Λοκρὸς Επιζεφύριος ἀνδρῶν πυγμήν. *Agesidamus Locrus Epizephyrius puer pugilatu. Euthymus Astyclus filius Locrus Epizephyrius virorum pugilatu.* De Agesidamo, est Pindari *Olymp* Ode X. inscripta, Αγησιδάμῳ Λοκρῷ Επιζεφυρίῳ, παιδὶ, πύκτῃ. *Agesidamo Locro Epizephyrio, puero, pugili.* Ubi *Scholiastes*. Ενίκησε δὲ οὗτος ὁ Αγησίδαμος τὴν ἑβδομηκοστὴν τετάρτην Ολυμπιάδα. *Vicit vero hic Agesidamus septuagesima quarta Olympiade.* De Euthymo Pausanias, *Eliac.* II. Τὰ δὲ ἐς Εὔθυμον τὸν πύκτην, οὐ με εἰκὸς ὑπερβαίνειν ἦν τὰ ἐς τὰς νίκας αὐτῷ καὶ τὰ ἐς δόξαν ὑπάρχοντα τὴν ἄλλην. Γένος μὲν δὴ ἦν ὁ Εὔθυμος ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Λοκρῶν, οἳ χώραν τὴν πρὸς τῷ Ζεφυρίῳ τῇ ἄκρᾳ νέμονται. πατρὸς δὲ ἐκαλεῖτο Ασυκλέους, ἀνελομένῳ δέ οἱ πυγμῆς ἐν Ολυμπίᾳ νίκην τετάρτῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα Ολυμπιάδι, οὐ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐς τὴν ἐπιοῦσαν Ολυμπιάδα ἔμελλε χωρήσειν. *Quæ ad Euthymum pugilem, non decorum mihi transire ea quæ ad ejus victorias & quæ ad gloriam supersunt reliquam. Genere quidem erat Euthymus ex Italicis Locris, qui regionem ad Zephyrium promontorium possident. Patre autem vocabatur Astycle, auferente vero ex pugilatu Olympico victoriam Olympiade quarta & septuagesima, non eadem eventura erant insecuta Olympiade.* Anno secundo insequente magistratu est potitus Nicodemus; quem *Sigonius* ignoravit. Meminit ejus *ibi* Anonymus; & Dionysius Halicarn. *libro citato*. Παραλαμβάνουσι δὴ τὴν ὑπατείαν κατὰ τὸ ἑβδομηκοστὸν καὶ διακοσιοστὸν ἔτος ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ τῆς Ρώμης, Λεύκιος Αἰμίλιος Μαμέρκου υἱὸς, καὶ Καίσων Φάβιος Καίσωνος υἱὸς, ἄρχοντος Αθήνησι Νικοδήμου. *Acceperunt consulatum circa septuagesimum & ducentesimum annum ab condita Roma, Lucius Æmilius Mamerci filius, & Cæso Fabius Cæsonis filius,*

Archonte Athenis Nicodemo. Non hic quidem Olympiadem, aut annum, nominat; verum tamen ducentesimus septuagesimus Urbis conditæ, quem commemorat, in secundum Olympiadis septuagesimæ quartæ incidit. Ergo certum est, quod dico.

CAP. VII.

Aphepsion Archon; sub quo, uti quidam volunt, Socrates natus. Diogenis Laertii locus restitutus. Cimon ossa Thesei, in Scyro solerter inventa, Athenas refert. Plutarchus emendatur. Pherecydes Lerius, Historicus, floret.

PROXIMUS Archon ignoratur; quem sequutus Aphepsion, Olympiadis nominatæ anno quarto. Neque hunc *Sigonius* scivit. Sunt qui Socratem hoc Archonte natum velint. Anonymus in *Descrip. Olymp.* Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ τετάρτη, ἔτος τέταρτον· Ἀφεψίων (ἄρχων) Σωκράτης ἐγεννήθη. *Olympias septuagesima quarta, annus quartus. Aphepsion (Archon) Socrates natus est.* Nam alii eum natum ferunt Olymp. LXXVII. anno IV. quo supremum magistratum Phædon tenuit, ut mox dicam, cum de eo sum acturus. Diogenes Laertius se confundit, in *Vita Socratis*, lib. II. c. VLIV. Ἐγεννήθη δὲ, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, ἐπὶ Ἀφεψίωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος. *Natus autem est, prout dicit Apollodorus in Chronicis, sub Aphepsione, anno quarto septuagesimæ septimæ Olympiadis.* Nam ecce Aphepsionem nominat, & Olympiadis septuagesimæ septimæ annum quartum; cum ab illo Archonte ad istum annum, intervallum fit annorum XII. Censeo autem, mutilum esse istum locum; ac voluisse utramque de ejus nativitate sententiam tradere; itaque in medio excidisse aliquot verba, ob concursum ejusdem anni in diversa Olympiade. Quam ob rem scribendum erit, ἐπὶ Ἀφεψίωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος· ἤ, ὡς ἄλλοι, ἐπὶ Φαίδωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος. *Sub Aphepsione, quarto anno septuagesimæ quartæ Olympiadis. Aut, ut alii, sub Phædone, quarto anno septuagesimæ septimæ Olympiadis*. Porro ipso hoc Archonte, Thesei ossa, in Scyro inventa, Athenas Cimon reduxit; quam ob rem honori ejus celeberrimum tragœdorum judicium constitutum est. Præclarus est Plutarchi locus, in *Vita Cimonis*, quem adscribere non pigebit, ut emendem etiam obiter. Πυθανόμενος δὲ (ὁ Κίμων) τὸν παλαιὸν Θησέα, τὸν Αἰγέως, φυγόντα μὲν ἐξ Ἀθηνῶν εἰς Σκῦρον, αὐτοῦ δ' ἀποθανόντα διὰ φόβον, ὑπὸ Λυκομήδους τοῦ βασιλέως, ἐσπούδασε τὸν τάφον ἀνευρεῖν· καὶ γὰρ ἦν χρησμὸς Ἀθηναίοις, τὰ Θησέως λείψανα ἀνακομίζειν εἰς ἄστυ, καὶ τιμᾶν ὡς ἥρωα πρεπόντως· ἀλλ' ἠγνόουν ὅπου κεῖται, Σκυρίων οὐχ ὁμολογούντων, οὐδ' ἐώντων ἀναζητεῖν. τότε δὴ πολλῇ φιλοτιμίᾳ τοῦ σηκοῦ μόγις ἐξευρεθέντος, ἐνθέμενος ὁ Κίμων εἰς τὴν ἑαυτοῦ τριήρη τὰ ὀστᾶ, καὶ τἄλλα κοσμήσας μεγαλοπρεπῶς, κατήγαγεν εἰς τὴν αὐτοῦ, δι' ἐτῶν σχεδὸν υ'. ἐφ' ᾧ καὶ μάλιστα πρὸς αὐτὸν ἡδέως ὁ δῆμος ἔσχεν· ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν, ὀνομαστὴν γενομένην. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καταθέντος, Ἀφεψίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης, καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος. *Quum autem intellexisset (Cimon) veterem Theseum, filium Ægei, fugientem quidem Athenis ad Scyrum, ibi vero mortuum præ metu, de Lycomede rege, conatus est sepulcrum invenire. Etenim erat oraculum Atheniensibus, ut Thesei reliquias reportarent in urbem, & colerent ut heroem decenter. Sed ignorabant ubi situs esset, Scyriis non fatentibus, neque sinentibus inquirere. Tunc igitur multa industria conditorio ægre adinvento, imponens Cimon in suam triremem ossa,*

A *& alia adornans magnifice, deduxit in patriam suam, post annos prope quadringintes. Ob quam rem & potissimum ad eum facilem se populus gessit. Constituerunt autem in memoriam ejus & tragœdorum judicium, celebre factum. Primam enim scenæ doctrinam Sophocle adhuc juvene instituente, Aphepsion Archon, quum esset contentio & concertatio spectatorum, judices quidem certaminis non legit sorte.* Et quæ sequuntur. Ubi quod de annis quadringentis ait, certe mendum est; siquidem a morte Thesei, ad Archontem Aphepsionem, anni sunt plures septingentis. Sine dubio octingentos *Plutarchus* scri-

B psit; itaque restituendum, δι' ἐτῶν σχεδὸν ω'. Et proclivis sane lapsus est in numeris υ' & ω'. Denique sub Aphepsione Pherecydes etiam Lerius, Historicus, floruisse dicitur. Anonymus *ibidem*. Φερεκύδης Λέριος ἱστορικὸς, ἤκμαζεν. *Pherecydes Lerius, historicus floruit*. Ac consentit *Suidas*; qui ait fuisse paulo ante Olympiadem LXXV. Φερεκύδης Λέριος, ἱστορικὸς, γεγονὼς πρὸ ὀλίγου τῆς ἑβδομηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος. *Pherecydes Lerius, historicus, natus paulo ante septuagesimam quintam Olympiadem*.

CAP. VIII.

C *Callias, aut potius Calliades, Archon. Anonymus, Diogenes Laertius, & Thomas Magister, emendati. Xerxes in Atticam trajicit, eam vastat, Athenas incendit, & ad Salaminem vincitur. Euripides nascitur.*

POST Aphepsionem Callias memoratur ab *Anonymo*, Olymp. LXXV. anno I. Meminitque ejus etiam Diogenes Laertius in *Anaxagora*, lib. II. c. VII. Ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου, ἐτῶν εἴκοσιν ὤν. *Incepit autem philosophari Athenis sub Callia, annos viginti habens*. Et Tho-

D mas Magister in *Vita Euripidis*. Γεννηθεὶς δὲ ἐν Σαλαμῖνι, τῇ πρὸ τῆς Ἀττικῆς νήσῳ, ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, κατὰ τὴν πέμπτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Natus vero in Salamine, ante Atticam insulam, sub Callia Archonte, quinta & septuagesima Olympiade*. Verum apud *Anonymum* istum, Καλλιάδης; apud *Diogenem*, & *Thomam Magistrum*, ἐπὶ Καλλιάδου, rescribendum est. Primo enim ipse Diogenes fidem facit, in *Vita Socratis*, l. II. c. XLV. Ἀμφότεροι δὲ ἤκουσαν Ἀναξαγόρου, καὶ οὗτος καὶ Εὐριπίδης· ὃς καὶ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐγεννήθη, ἐπὶ Καλλιάδου. *Ambo autem audiverunt A-*

E *naxagoram, & ipse & Euripides. Qui etiam primo anno septuagesimæ quintæ Olympiadis natus est, sub Calliade*. Dionysius Halicarn. *lib.* IX. Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιάδου. *Septuagesima & quinta Olympiade, Archonte Athenis Calliade*. Diodorus Siculus *lib.* XI. Ἐπ' ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνησι Καλλιάδου, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους, Σπόριον Κάσσιον, καὶ Πρόκλον Οὐεργίνιον Τρίκοστον· ἤχθη δὲ καὶ παρ' Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς πέμπτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα. *Sub Archonte enim Athenis Calliade Romani constituerunt consules, Spurium Cassium, & Proclum Verginium Tricostum. Acta fuit vero apud Eleos Olympias quinta super septua-*

F *ginta*. Neque aliter ab *Herodoto*, & *Eusebio*, nominatur, in citandis statim verbis. Hoc Archonte in Græciam trajecit Xerxes, Atticam vastavit, Athenas incendit, prælio inde ad Salamina superatus. Anonymus *ibi* Διάβασις Ξέρξου εἰς Ἑλλάδα. Ξέρξης εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐμβαλὼν, τὴν μὲν χώραν ἐδῄωσε, τὰς δὲ Ἀθήνας κατέσκαψε, καὶ τοὺς ναοὺς ἐνέπρησεν. ἡ ἐπὶ Σαλαμῖνι ναυμαχία. *Trajectus Xerxis in Græciam. Xerxes in Atticam irruptione facta, regionem quidem populatus fuit, Athenas vero evertit, & templa incendit. Ad Salamina na-*

valis pugna. Herodotus *lib.* VIII. *c.* LI. Ἀπὸ δὲ τῆς διαβάσιος τοῦ Ἑλλησπόντου, ἔνθεν πορεύεσθαι ἤρξαντο οἱ βάρβαροι, ἕνα αὐτοῦ διατρίψαντες μῆνα, ἐν τῷ διέβαινον εἰς τὴν Εὐρώπην, ἐν τρισὶ ἑτέροις μησὶ ἐγένοντο ἐν τῇ Ἀττικῇ, Καλλιάδεω ἄρχοντος Ἀθηναίοισι. *A trajectu vero Hellesponti, unde procedere cœperunt barbari, postquam unum ibi trivissent mensem, ad trajiciendum in Europam, tribus aliis mensibus fuerunt in Attica, Calliade Archonte apud Athenienses.* Eusebius *Chron.* II. Ξέρξης εἰς Ἀθήνας ἐλθὼν, ἐνέπρησεν αὐτὰ, ἐπὶ Καλλιάδου Ἀθηναίων ἄρχοντος. *Xerxes Athenas perveniens, combussit illas, sub Calliade Archonte.* Thomas Magister, in *Vita Euripidis*. Κατὰ τὴν πέμπτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὅτε καὶ τὸ τοῦ Ξέρξου ναυτικὸν κατεναυμάχησαν Ἀθηναῖοι. *Quinta & septuagesima Olympiade, quando & Xerxis classem navali pugna superarunt Athenienses.* Meminit quoque Diogenes Laertius in *Anaxagora*, lib II. c VII. cum ait eum tunc vicesimum ætatis annum habuisse, idque vere; quippe qui natus Olymp. LXX. anno I. ut supra dixi. Verba ejus ecce ista. Λέγεται δὲ κατὰ τὴν Ξέρξου διάβασιν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι. *Dicitur autem circa Xerxis trajectum viginti annorum fuisse.* Et Euripidi annus hic natalis fuit. Anonymus *ibidem*. Εὐριπίδης ἐγεννήθη. *Euripides natus est.* Diogenes, in *citatis paullo ante verbis*. Καὶ Εὐριπίδης, ὃς καὶ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐγεννήθη ἐπὶ Καλλιάδου. *Et Euripides, qui & primo anno septuagesimæ quintæ Olympiadis natus est sub Calliade.* Suidas in Εὐριπίδης. Ἐν δὲ τῇ διαβάσει Ξέρξου ἐκυοφορεῖτο ὑπὸ τῆς μητρὸς, καὶ ἐτέχθη, καθ' ἣν ἡμέραν Ἕλληνες ἐτρέψαντο τοὺς Πέρσας. *Ipso vero trajectu Xerxis conceperat eum mater, & natus est die, quo Græci fugarunt Persas.* Idem narrat Thomas Magister, in *Vita ejus*.

CAP. IX.

Xanthippus, aut Xanthippides, Archon. Pugna ad Platæas, & Mycalen. Timosthenes Archon Urbem Athenienses muniunt, & Pyræum. Megacles quadrigis vincit. Scholiastes Pindari correctus. Pythias prima quando instituta fuerit. Telesicrates Cyrenæus, cursu armato; Thrasydæus Thebanus puer, stadio; Hieron Syracusanus, equo singulari vincit. Etiam Themistocles, choragum agens, docente Phrynicho. Anonymi error indicatus. Suidæ locus emendatus. Adimantus Archon. Piræei munitio absoluta.

ANNO proxime insequente, Xanthippus fuit. Ita eum *Anonymus* nominat, & Diodorus, *lib.* XI. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Ξανθίππου, Ῥωμαῖοι μὲν κατέστησαν ὑπάτους Κόιντον Φάβιον Σιλβανὸν, καὶ Σερούιον Κορνήλιον Τρίκοστον. *Sub Archonte autem Athenis Xanthippo, Romani quidem constituerunt consules Quintum Fabium Silvanum, & Servium Cornelium Tricostum.* Sub hoc prœlium uno eodemque die ad Platæas, Mycalenque, est commissum. Anonymus *illic*. Ἡ περὶ Πλαταιὰς μάχη, καὶ ἡ περὶ Μυκάλην, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν. *Ad Platæas pugna, & ad Mycalen, eadem die.* Videndus quoque Diodorus, *loco citato*. Plutarchus in *Aristide*, ubi de eadem pugna, Xanthippidem, non Xanthippum, Archontem nominat. Ἐν δὲ ταῖς ἀναγραφαῖς, μετὰ μὲν Ξανθιππίδην, ἐφ' οὗ Μαρδόνιος ἡττήθη Πλαταιᾶσιν, οὐδ' ὁμώνυμον Ἀριστείδην ἐν πάνυ πολλοῖς λαβεῖν ἐστιν. *In commentariis autem, post Xanthippidem quidem, sub quo Mardonius victus est apud Platæas, neque nominis similis Aristides in multis accipi potest.* Hunc Timosthenes excepit; ut videre est ex *Anonymo*, & *Diodoro*. Et tunc urbem, ac Piræeum, communire Athenienses incepere; proximoque anno absolvunt. Habes apud Auctorem utrumque, quem laudavi; meminitque Plutarchus etiam in *Vita ejus*, & Thucydides *lib.* II. Megacles Atheniensis quadrijugo curru vicit Pythiada XXVIII. Anonymus in *hoc Archonte*. Μεγακλῆς Ἀθηναῖος τὴν εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα ἐνίκησε τεθρίππῳ. *Megacles Atheniensis vigesimam octavam Pythiada vicit quadriga.* Estque in eum Ode Pindari *Pythionic.* VII. inscripta, Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ, τεθρίππῳ. *Megacli Atheniensi, quadriga.* Ubi corrigenda verba *Scholiastæ*. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ, νικήσαντι τὴν εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα τεθρίππῳ. *Scripta est ode Megacli Atheniensi, qui vicit vigesimam octavam Pythiada quadriga.* Hodie editur, νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα. *Qui vicit octuagesimam octavam Pythiada.* Nam cum Olymp. XLVIII. anno III. prima demum Pythias fuerit instituta, certo calculo deprehenditur, in hunc annum incidisse vicesimam octavam. Telesicrates Cyrenæus cursu armato vicit. Anonymus *ibidem*. Τελεσικράτης δὲ Κυρηναῖος, ὁπλίτῃ. *Telesicrates vero Cyrenæus, cursu armato.* Et in hunc est Pindari *Ode* IX. inscripta. Τελεσικράτει Κυρηναίῳ, ὁπλιτοδρόμῳ. *Telesicrati Cyrenæo, cursu armato.* Ubi *Scholiastes*. Γράφει τῷ προειρημένῳ τὴν ᾠδὴν, νικήσαντι τὴν εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα. *Scripsit prædicto oden, quum vicisset vigesimam octavam Pythiada.* Præterea Thrasydæus puer viros stadii cursu vicit. Anonymus *ibidem*. Θρασυδαῖος Θηβαῖος παῖς σταδίῳ ἄνδρας. *Thrasydæus Thebanus puer stadio viros.* In hunc Pindari *Pythionic.* Ode XI. est Θρασυδαίῳ Θηβαίῳ, παιδὶ, σταδιεῖ. *Thrasydæo Thebano, puero, stadio.* Ubi *Scholiastes*. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Θρασυδαίῳ παιδὶ Θηβαίῳ σταδιεῖ, νικήσαντι τὴν κη'. Πυθιάδα. *Scripta est ode Thrasydæo puero Thebano stadio, qui vicit vigesimam octavam Pythiada.* Hieron Ætnæus Syracusanus equo singulari victor. *Anonymus*. Ἱέρων Αἰτναῖος Συρακούσιος κέλητι. *Hieron Ætnæus Syracusanus equo singulari.* Estque in hanc victoriam ejus *Pythionicarum* Pindari Ode III. Denique Themistocles, docente Phrynicho, choragus vicit. *Anonymus*. Θεμιστοκλῆς ἐνίκησε χορηγῶν τραγῳδοῖς, Φρυνίχου διδάσκοντος. *Themistocles vicit choragorum tragœdiis Phrynicho docente.* Verum errat hic *Anonymus*; idque factum anno proxime sequente, cum supremo magistratu Adimantus fungeretur. Certum ex inscriptione tabulæ, quam victoriæ monumentum dedicavit ipse Themistocles. Plutarchus in *ejus Vita*. Ἐνίκησε δὲ καὶ χορηγῶν τραγῳδοῖς, μεγάλην ἤδη τότε σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἀγῶνος ἔχοντος. καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε, τοιαύτην ἐπιγραφὴν ἔχοντα. Θεμιστοκλῆς Φρεάρριος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν. *Vicit autem choragium præbens tragœdis, magnum jam tunc studium & amorem certamine habente. Et tabulam victoriæ dedicavit, hanc inscriptionem habentem. Themistocles Phrearrhius choros duxit, Phrynichus docuit, Adimantus Archon fuit.* Et in *Suida* mendum omnino est, ubi de hoc Phrynicho agit. Ἐνίκα τοίνυν ἐπὶ τῆς ξζ'. Ὀλυμπιάδος. *Vicit igitur sexagesima septima Olympiade.* Rescribendum, ἐπὶ τῆς οε'. Ὀλυμπιάδος. *Septuagesima quinta Olympiade.* Post Timosthenem Adimantus constitutus; uti liquet ex *Anonymo*, & *Diodoro*; qui hunc ipsi annum assignant. Meminitque ejus Plutarchus, in *citatis statim verbis*. Hoc Archonte, cœpta anno superiore Piræei communitio absoluta est; quod *Anonymus*, & *Diodorus*, clare docent.

CAP.

CAP. X.

Phædon Archon. Scamander Mitylenæus stadio victor. Diodori Siculi locus restitutus. Asopichus quoque Orchomenius stadio victor; Euthymus lucta secundum. Inde Dromoclides Archon, & Acestorides. Hieron curru vincit Pythiadem XXIX. *Menon Archon. Æschylus, quatuor fabulis certans, præmium aufert.*

OLYMPIADE LXXVI. anno I. Archon invenitur Phædon. Anonymus *illic*; & Diodorus *l.* XI. Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Φαίδωνος Ὀλυμπιὰς μὲν ἤχθη ἕκτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Σκαμάνδρειος Μιτυληναῖος. *Sub Archonte autem Athenis Phædone Olympias quidem agebatur sexta & septuagesima, qua vicit stadium Scamander Mitylenæus.* Dionysius Halicarn. *l.* IX. Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Σκάμανδρος ὁ Μιτυληναῖος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος. *Septuagesima & sexta Olympiade, qua vicit stadium Scamander Mitylenæus, Archonte Athenis Phædone.* Ac stadio tunc victor Scamander Mitylenæus, Anonymus *loc. cit.* Σκάμανδρος Μιτυληναῖος στάδιον. *Scamander Mitylenæus stadium.* Et totidem verbis Eusebius *Chron.* I. Dionysius, in *citatis statim verbis.* Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Σκάμανδρος ὁ Μιλήσιος. *Septuagesima & sexta Olympiade, qua vicit stadium Scamander Milesius.* Itaque in *Diodori* verbis, quæ produxi, rescribendum Σκάμανδρος, pro Σκαμάνδρειος. Asopichus quoque Orchomenius, Cleodami filius, memoratur. Anonymus *ibidem.* Ἀσωπιχος Ὀρχομένιος, παῖς Κλεοδάμου, στάδιον. *Asopicus Orchomenius, filius Cleodami, stadium.* Et est Pindari in hunc Ode *Olym.* XIV. cum inscriptione ista. Ἀσωπίχῳ Ὀρχομενίῳ παιδὶ Κλεοδάμου, σταδιεῖ. *Asopicho Orchomenio, filio Cleodami, stadii certatori.* Ubi *Scholiastes.* Αὗτος ἐνίκησε τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ ἕκτην Ὀλυμπιάδα σταδίῳ. *Hic vicit septuagesima & sexta Olympiade stadio.* Euthymus, is qui Olympiade etiam LXXIV. lucta vicit. *Anonymus.* Εὔθυμος Ἀστυκλέους Λοκρὸς Ἐπιζεφύριος πάλην τὸ δεύτερον. *Euthymus Astyclis filius Locrensis Epizephyrius luctam secunda vice.* Pausanias *Eliac.* II. Ἕκτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι ἐπὶ ταῖς ἑβδομήκοντα τὸν ἐπὶ τῇ πυγμῇ στέφανον ἀνείλετο ὁ Εὔθυμος. *Sexta vero Olympiade & septuagesima coronam ob pugilatum reportavit Euthymus.* Post Phædonem Dromoclides Archon fuit. *Anonymus* docet; & Diodorus, *lib.* XI. Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Δρομοκλείδου, Ῥωμαῖοι μὲν κατέστησαν ὑπάτους Μάρκον Φάβιον, καὶ Γναῖον Μάλλιον. *Sub Archonte autem Athenis Dromoclide, Romani quidem constituerunt consules Marcum Fabium, & Cnæum Mallium.* Anno sequente Acestorides ab eodem illo *Anonymo*, & *Diodoro*, nominatur; sub quo Hieron Pythiadem XXIX. curru vicit. Anonymus *illic.* Ἱέρων Αἰτναῖος Συρακούσιος τὴν κθ΄. Πυθιάδα ἐνίκησεν ἅρματι. *Hieron Ætnæus Syracusius vigesimam nonam Pythiada vicit curru.* Exstantque in eum *Odæ* Pindari *Pythonicarum* duæ; *prima*, & *secunda*: cum inscriptione ista. Ἱέρωνι Αἰτναίῳ, Συρακουσίῳ, ἅρματι. *Hieroni Ætnæo, Syracusio, curru.* Ubi *Scholiastes.* Ἐνίκησε δὲ Ἱέρων τὴν εἰκοστὴν ἐννάτην (Πυθιάδα) ἅρματι. *Vicit autem Hieron vigesimam nonam (Pythiada) curru.* Anno IV. Olympiadis memoratæ Menon fuit; uti nos *Anonymus* docet, & *Diodorus.* Ac tunc Æschylus certavit, vicitque, Phineo, Persis, Glauco Potniensi, & Prometheo. Anonymus *illic.* Αἰσχύλος τραγῳδοῖς ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ. *Æschylus tragœdiis vicit Phineo, Persis, Glauco Potniensi, Prometheo.* Scholiastes ejus in *Persarum Argumento.* Ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ. *Sub Menone tragœdiis Æschylus vicit Phineo, Persis, Glauco Potniensi, Prometheo.*

CAP. XI.

Chares Archon. Dates, sive Dandes, stadio victor; Ergoteles Cretensis, longiore curriculo: isque Himeræus Pindaro cur dicatur. Theron Agrigentinus curru, Euthymus tertium lucta vincit. Iccus Tarentinus claret. Fabiorum trecentorum interitus; & Auctorum variorum hic dissidium. Gellii locus illustratus.

POST Menonem Chares fuit, Olymp. LXXVII. anno I. Anonymus mihi *illic* auctor; & Dionysius, *lib.* IX. Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Δάτης Ἀργεῖος, Ἀθήνησι δὲ ἄρχοντος Χάρητος. *Septuagesima & septima Olympiade, qua vicit stadium Dates Argivus, Athenis Archonte Charete.* Diodorus, *lib.* XI. Μετὰ δὲ ταῦτα Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Χάρης, ἤχθη δὲ παρ᾽ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ καὶ ἑβδόμη, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Δάνδης Ἀργεῖος. *Post autem ista Athenis quidem Archon fuit Chares, acta autem fuit apud Eleos Olympias septuagesima & septima, qua vicit stadium Dandes Argivus.* Et tunc stadio victor Dates. Ecce in *citatis verbis* Dionysii. ἐνίκα στάδιον Δάτης Ἀργεῖος. *Vicit stadium Dates Argivus.* Sed is Dandes aliis dicitur. Diodorus, in *citato statim loco.* ἐνίκα στάδιον Δάνδης Ἀργεῖος. *Vicit stadium Dandes Argivus.* Eusebius *Chron.* I. Ἑβδομηκοστὴ ἑβδόμη (Ὀλυμπιάς.) Δάνδης Ἀργεῖος. (ἐνίκα) στάδιον. *Septuagesima septima (Olympias.) Dandes Argivus (vicit) stadium.* Notat dissidium hoc Anonymus, in *illo anno.* Δάτης, ἤτοι Δάνδης, Ἀργεῖος στάδιον. *Dates, vel Dandes, Argivus stadium.* Longiore curriculo vicit Ergoteles Cretensis, Cnossius. Anonymus *ibidem.* Ἐργοτέλης Κρὴς, πόλεως Κνωσσοῦ, δολιχόδρομον. *Ergoteles Cretensis, ex urbe Cnosso, longius curriculum.* Sed hunc Pindarus Himeræum nobis tradit. Ecce enim, *Olimp. Od.* XII. inscriptio ista est. Ἐργοτέλει Ἱμεραίῳ, δολιχοδρόμῳ. *Ergoteli Himeræo, longiore curriculo.* Accipe causam. Cum seditio in urbe Cnosso orta esset, inde Himeram se recepit, ubi civitate donatus. Scholiastes *Pindari.* Ἐργοτέλης Κρὴς μὲν ἦν τῷ γένει, πόλεως Κνωσσοῦ· ὃς ἠγωνίζετο ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. στασιαζομένης δὲ τῆς πόλεως, φυγὰς εἰς Ἱμέραν, πόλιν Σικελιωτικὴν, ἀπῆλθε. *Ergoteles Cretensis quidem erat genere, ex urbe Cnosso. qui certavit septuagesima septima. Olymp. Commota autem seditionibus urbe, fugiens Himeram, urbem Siculam, abiit.* Pausanias *Eliac.* II. Ἐργοτέλης δὲ ὁ Φιλάνορος δολιχοῦ δύο ἐν Ὀλυμπίᾳ νίκας ἀνῃρημένος, οὐχ Ἱμεραῖος εἶναι τὸ ἐξ ἀρχῆς, καθάπερ τὸ Ἐπίγραμμα τὸ ἐπ᾽ αὐτῷ φησὶ, Κρὴς δὲ εἶναι λέγεται, Κνώσσιος. Ἐκπεσὼν δὲ ὑπὸ στασιωτῶν ὑπὸ Κνωσσοῦ, καὶ εἰς Ἱμέραν ἀφικόμενος, πολιτείας τετύχηκεν. *Ergoteles autem Philanoris filius duas longiorum curriculorum in Olympia consecutus victorias, non Himeræus esse primitus, prout Inscriptio de eo dicit, Cretensis vero esse dicitur, Cnossius. Ejectus autem ab seditiosis e Cnosso, & Himeram perveniens, civitatem obtinuit.* Theron Agrigentinus curru vicit. *Anonymus.* Θήρων Ἀκραγαντῖνος ἅρματι. *Theron Agrigentinus curru.* Estque in eum Pindari *Ode* Olymp. II. inscripta, Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ, ἅρματι. *Theroni Agrigentino, curru.* Ubi *Scholiastes.* Γέγραπται Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ, ἅρματι νενικηκότι τὴν ἑβδομηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. *Scripta Theroni Agrigentino, curru qui vicit septuagesima septima Olymp.* Euthymus lucta tertium vicit. Meminit *Anonymus*; & Pausan. *Eliac.* II. Ic-

cus Tarentinus, medicus, tunc inclaruit. Anonymus. Ικκος ὁ Ταραντῖνος, ἰατρός, ἐγνωρίζετο. *Iccus Tarentinus, medicus, clarebat*. Stephanus in Τάρας. Καὶ Ικκος ὁ Ταραντῖνος, ἰατρὸς, ἐπὶ τ ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ολυμπιάδος. *Et Iccus Tarentinus, medicus, septuagesima septima Olympiade*. Meminit ejus Plato in *Protagora*, & De Leg. *lib.* VIII. Hoc quoque anno celebris illa Fabiorum clades accidit. Anonymus *isthic*. Ρωμαίοις πρὸς Οὐιεντανὺς ἐνςάντος πολέμυ περὶ τὴν Κρεμέραν, Ρωμαίων ἡττηθέντων, οἱ τριακόσιοι Φάβιοι, συγγενεῖς ἀλλήλων ὄντες, ἔπεσον. *Romani adversus Vejentes quum gererent bellum, circa Cremeram, Romanis cæsis, trecenti Fabii, consanguinei inter se, ceciderunt*. Sed videamus. Consules hoc anno fuerunt, uti Diodorus auctor *lib.* XI. Titus Menenius, & Horatius Pulvillus. Dionysius *lib.* IX. & Eusebius *Chron.* I. quadriennio ante statuunt; nempe LXXVI. Olympiadis anno I. Fuitque istud anno quarto post devictos a Themistocle apud Salaminem Persas. Sed A. Gellius etiam imminuit; & fere quarto post insignem hanc victoriam accidisse nobis refert: ergo tertio. Ecce verba, *lib.* XVII *cap.* XXI. *Post deinde paucis annis Xerxes rex ab Atheniensibus, & pleraque Græcia, Themistocle duce, navali prœlio, quod ad Salamina factum est, victus, fugatusque est. atque inde anno fere quarto, Menenio Agrippa, M. Horatio Pulvillo Coss. bello Vejente, apud fluvium Cremeram, ab his sex trecenti patricii Fabii, cum familiis suis universi, ab hostibus circumventi, perierunt*. Nempe ille *Fastos Capitolinos* sequitur, qui diserte Consules istos anno uno ante septuagesimam sextam Olympiadem nobis ponunt, quo Athenis Archon Adimantis fuit.

CAP. XII.

Praxiergus, sive Prexurgus, Archon; sub quo Themistocles ostracismo ejectus urbe. Praxiergo Demotion succedit. Cimon urbes Græcas in Asia libertati restituit, & Persas ad Eurymedontem flumen superat. Telesicrates stadio vincit. Democritus nascitur. Phædon Archon. Socrates nascitur.

ANNO sequente Praxiergus eo magistratu functus. Diodorus *lib.* XI. Επ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Αθήνησι Πραξιέργυ, Ρωμαῖοι μὲν ὑπάτυς κατέστησαν Αὖλον Οὐεργίνιον Τρίκοστον, καὶ Γάιον Σερυίλιον Στρῦκτον. *Sub Archonte vero Athenis Praxiergo, Romani quidem consules constituerunt Aulum Verginium Tricostum, & Cajum Servilium Structum*. Aliis Prexurgus dicitur. Itaque apud Anonymum legitur, in *hoc anno*. Πραξίεργος, (ἄρχων.) *Praxiergus, vel Prexurgus, (Archon.)* Sub hoc ostracismo ejectus Themistocles. Anonymus *ibidem*. Θεμιστοκλῆς ἐξωστρακίσθη. *Themistocles ostracismo ejectus fuit*. Diodorus in *eodem anno*. Πρῶτον μὲν ἐν αὐτὸν ἐκ τ πόλεως μετέστησαν, τὸν ὀνομαζόμενον ὀστρακισμὸν ἐπαγαγόντες αὐτῷ. *Primum quidem igitur illum ex urbe ejecerunt, illum dictum ostracismum imponentes illi*. Praxiergo Demotion successit. Anonymus eum *illic* nominat; & Diodorus, *libro citato*. Atque sub hoc Cimon urbes in Asia, Persico milite insessas, in libertatem vindicavit; præclaramque ad Eurymedontem flumen de Persis victoriam retulit. Ita tradunt *Anonymus*, & *Diodorus*. *Eusebius* rejicit in Olymp. LXXIX. annum IV. Telesicrates quoque Cyrenæus tricesima Pythiade stadio vicit. Anonymus *ibidem*. Τελεσικράτης Κυρηναῖος τὴν τριακοστὴν Πυθιάδα ἐνίκησε σαδίῳ. *Telesicrates Cyrenæus tricesima Pythiade vicit stadio*. Scholiastes Pindari *Pythionic.* Od. IX. Ενίκησε μέντοι (ὁ Τελεσικράτης) καὶ στάδιον (Πυθιάδι) τῇ τριακοστῇ. *Vicit quidem (Telesicrates) etiam stadium (Pythiade) tricesima*. Et Democritus tunc natus, ut Thrasyllus asserebat. Anonymus *illic*. Δημόκριτος ἐγεννήθη, κατὰ Θράσυλλον. *Democritus natus fuit, secundum Thrasyllum*. Apollodorus in *Chronicis* natalem ejus in Olympiadem octogesimam referebat. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IX. c. XLI. Γεγόνοι δ᾽ ἄν, ὡς μὲν Απολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, κατὰ τ ὀγδοηκοστὴν Ολυμπιάδα· ὡς δὲ Θράσυλλος, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Περὶ τ ἀναγνώσεως τ Δημοκρίτυ βιβλίων, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τ ἑβδόμης καὶ ἑβδομηκοστῆς Ολυμπιάδος. *Natus autem fuerit, ut quidem Apollodorus in Chronicis, circa octogesimam Olympiadem: ut vero Thrasyllus, in libro inscripto De lectione Democriti librorum, circa tertium annum septimæ & septuagesimæ Olympiadis*. Utriusque sententiam complectitur *Suidas*. Δημόκριτος, ὁ Ηγησιστράτυ· οἱ δὲ, Ανθεμοκρίτυ, ἢ Δαμασίππυ, γεγονὼς κατὰ τ ἑβδομηκοστὴν ἑβδόμην Ολυμπιάδα. οἱ δὲ, κατὰ τ ὀγδοηκοστὴν φασίν. *Democritus, Hegesistrati filius: Alii vero Anthemocriti, aut Damasippi, natus circa septuagesimam Olympiadem; Alii vero circa octogesimam dicunt*. Anno ultimo memoratæ Olympiadis, Phædon fuit. Et *Anonymus* eum ponit, & *Diodorus*. Ac sub illo, ut quidam volunt, natus Socrates: quod nonnulli sub Aphepsione factum arbitrantur; nempe Olymp. LXXIV. anno IV. uti supra a me dictum, cum de eo Archonte agerem. In hoc anno meminit natalis ejus etiam *Anonymus*. Σωκράτης ἐγεννήθη. *Socrates natus est*. Suidas quoque, *in* Σωκράτης. Γέγονεν, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, Ολυμπιάδι ἑβδόμῃ. *Natus est, ut expresse dicam, Olympiade septuagesima septima*.

CAP. XIII.

Theagenides Archon. Parmenides Posidoneates stadio vincit. Hieron, rex Syracusanorum, moritur. Panyasis claret. Andocides nascitur. Anaxagoras diem obit. Diogenes Laertius emendatur.

OLYMP. LXXVIII. anno I. Theagenides Archon fuit; stadioque victor Parmenides Posidoneates. *Anonymus*. Ολυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη, ἔτος πρῶτον. Θεαγενίδης (ἄρχων.) Παρμενίδης Ποσειδωνειάτης στάδιον. *Olympias septuagesima octava, annus primus. Theagenides (Archon.) Parmenides Posidoneates stadium*. Dionysius Halicarn. *l.* IX. Κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ ὀγδόην Ολυμπιάδα, ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίδης Ποσειδωνειάτης, Αθήνησι δὲ τ ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος Θεαγενίδυ. *Circa septuagesimam & octavam Olympiadem, qua vicit stadium Parmenides Posidoneates, Athenis vero annuum imperium habente Theagenide*. Diodorus *l.* XI. Μετὰ δὲ ταῦτα Αθήνησι μὲν ἦν ἄρχων Θεαγενίδας· Ολυμπιὰς δ᾽ ἤχθη ἑβδομηκοστὴ καὶ ὀγδόη, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίδης Ποσειδωνειάτης. *Post autem ista Athenis quidem erat Archon Theagenidas. Olympias vero agebatur septuagesima & octava, qua vicit stadium Parmenides Posidoneates*. Sunt qui anno isto mortuum Hieronem, Syracusanorum regem, tradunt. Anonymus *ibidem*. Κατά τινας Ιέρων ὁ Συρακούσιος ἐτελεύτησε. *Secundum quosdam Hieron Syracusius mortuus est*. Alii anno insequente factum volunt. Itaque habes iterum apud eundem Anonymum, in *illo anno*. Ιέρων, ὁ τῶν Συρακυσίων βασιλεὺς, τελευτᾷ ἐν Κατάνῃ. *Hieron, Syracusarum rex, obiit Catanæ*. *Diodorus* etiam in secundum annum refert. Pindari Scholiastes, *Olym.* Od. I. Olympiadem quidem hanc ipsam dicit, sed non annum tamen exprimit, Συνέβη ἡ αὐτὸν (τ Ιέρωνα) νικήσαντα καὶ τ ἑβδομηκοστὴν ὀγδόην Ολυμπιάδα, ἐν ταύτῃ τελευτῆσαι. *Contigit autem, ut ille (Hieron) quum vicisset etiam septuagesima octava Olympiade, illa ipsa*

moreretur. Et Panyasis poeta tunc illustris. *Anonymus*. Πανύασις Πολυάρχου Ἁλικαρνασσεὺς, ποιητὴς, ἐγνωρίζετο. *Panyasis Polyarchi filius Halicarnassensis, poeta, claruit*. Suidas *in* Πανύασις. Γέγονε κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα. *Natus est circa septuagesimam octavam Olympiadem*. Dein natalis iste annus Andocidi Oratori fuit. Plutarchus in *ejus Vita*, lib. de x. *Rhet*. Καὶ ἤκμασε μὲν κατὰ τὸν τῆς χρόνον ἅμα Σωκράτει τῷ φιλοσόφῳ· ἀρχεῖ δὲ αὐτῷ τῆς γενέσεως Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη, ἄρχων δὲ Ἀθήνησι Θεαγενίδης, *Et floruit quidem circa illud tempus cum Socrate philosopho. Initium autem ipsius natali dedit Olympias septuagesima octava, Archon autem Athenis Theagenides*. Contra autem, Anaxagoræ mortualis. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. II. c. VII. Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, γεγενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης. *Inquit autem Apollodorus in Chronicis, natum illum septuagesima Olympiade, mortuum vero primo anno septuagesimæ octavæ*. Sed mendosum locum esse, & scribendum, τῆς ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης, *octogesimæ octavæ*, docui pridem, *Attic. Lect*. lib. III. cap. XXVII.

CAP. XIV.

Lysistratus Archon. Anaxagoras delapsurum e cœlo lapidem prædicit; idque quanto tempore ante. Eusebii in re ista error. Pugna ad Ægos flumen quando. Alexias Archon, aut Dimylus; item Lysanias. Arcesilaus curru vincit in Pythiade XXXI. *Scholiastes Pindari emendatur. Lysitheus Archon*.

SECUNDO anno Olympiadis memoratæ septuagesimæ octavæ Lysistratus fuit. *Anonymus* memorat; & Diodorus *lib*. XI. Sub hoc apud Ægos flumen lapidem cœlo delapsurum Anaxagoras prædixit. Plinius *lib*. II. *cap*. LVIII. *Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesimæ octavæ secundo anno prædixisse, cœlestium literarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset e sole. idque factum interdiu in Thraciæ parte, ad Ægos flumen*. Meminit prædictionis hujus etiam Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. II. c. X. Φασὶ δ' αὐτὸν προειπεῖν τὴν περὶ Αἰγὸς ποταμοὺς γενομένην τοῦ λίθου πτῶσιν, ὃν εἶπεν ἐκ τοῦ ἡλίου πεσεῖσθαι. *Inquiunt autem illum prædixisse circa Capræ fluvios factum lapidis casum, quem dixit e sole casurum*. Accidisse autem refert biennio post, id est, Olympiadis ejusdem LXXVIII. anno IV. Eusebius in *Chronico*. Ita enim ibi ait. Λίθος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσεν ἐν ποταμοῖς Αἰγός. *Lapis e cœlo delapsus est in fluvios Capræ*. Verum errat vehementer; nam, ut ex Plutarcho discimus in *Lysandro*, factum paullo ante victos a Lysandro ad Ægos flumen Athenienses; idque casum hunc portendisse existimatum est. *Plutarchi* verba ecce ista. Οἱ δὲ καὶ τὴν τοῦ λίθου πτῶσιν ἐπὶ τῷ πάθει τούτῳ σημεῖον φασὶ γενέσθαι. κατηνέχθη γὰρ, ὡς ἡ δόξα τῶν πολλῶν, ἐξ οὐρανοῦ παμμεγέθης λίθος ὡς Αἰγὸς ποταμοὺς, καὶ δείκνυται μὲν ἔτι νῦν, σεβομένων αὐτὸν τῶν Χερρονησιτῶν. *Alii vero & lapidis casum de clade hac prodigium fuisse dicunt. Delatus fuit enim, ut opinio est multorum, e cœlo ingens lapis ad Capræ fluvios, & ostenditur quidem adhuc, colentibus eum Chersonesiis*. Atqui ab hac prædictione Anaxagoræ, usque ad pugnam illam apud Ægos flumen, anni sexaginta duo numerantur; & commissa est Olymp. XCIII. anno IV. cum Alexias Archon esset. Clare Xenophon, *Hist. Græc*. lib. II. & Diodorus, *l*. XIII. qui rem omnem ambo narrant, & Archontem ejus anni Alexiam dicunt, plane ut Anonymus *illic*. Igitur quid Diogene Laertio faciemus; qui in *Vita Anaxagoræ*, quæ jam statim a me citata est, quo hic lapis anno decidit, Dimylum Archontem tradit, e Sileni primo *Historiarum* libro? Φησὶ δὲ Σειλῆνος, ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν, ἐπὶ ἄρχοντος Διμύλου λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν. *Inquit autem Silenus, in primo historiarum, sub Archonte Dimylo lapidem e cœlo lapsum*. Ego vero Dimylum istum nusquam invenio. Et hæc mihi per digressionem dicta; inquirendæ, & illustrandæ, antiquitati. Anno proximo Archon Lysanias ab *Anonymo* memoratur, & Diodoro *lib*. XI. tuncque Arcesilaus Cyrenæus curru vicit Pythiadem XXXI. Anonymus *illic*. Ἀρκεσίλαος Κυρηναῖος τὴν τριακοστὴν πρώτην Πυθιάδα ἐνίκησε ἅρματι. *Arcesilaus Cyrenæus tricesima Pythiade vicit curru*. Estque ad eum Pindari *Pyth*. Ode IV. inscripta, Ἀρκεσιλάῳ Κυρηναίῳ, ἅρματι. *Arcesilao Cyrenæo, curru*. Ubi *Scholiastes*. Γέγραπται μὲν ἡ ᾠδὴ Ἀρκεσιλάῳ, Πολυμνήστου παιδὶ, Κυρηναίῳ τὸ γένος τῆς Λιβύης, νικήσαντι τὴν τριακοστὴν πρώτην Πυθιάδα. *Scripta quidem est ode Arcesilao, Polymnesti filio, Cyrenæo genus Libyæ, qui vicit tricesima prima Pythiade*. Et corrigendus idem, ad *Pyth*. Oden V. Γέγραπται δὲ αὕτη ἡ ᾠδὴ, νικήσαντι τῷ αὐτῷ Ἀρκεσιλάῳ ἅρματι τὴν πρώτην καὶ τριακοστὴν Πυθιάδα. *Scripta est & hæc Ode, eidem Arcesilao qui vicit curru prima & tricesima Pythiade*. Male editur, τὴν πρώτην καὶ τριακοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Prima & tricesima Olympiade*. Anni quarti insequentis quisnam Archon, ab *Anonymo* non exprimitur; sed ex *Diodoro* disco, hunc Lysitheum fuisse. Ita *ille*. Τοῦ δὲ ἐνιαυσιαίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Λυσίθεος. *Annuo autem tempore præterlapso, Athenis quidem Archon fuit Lysitheus*.

CAP. XV.

Archedemides Archon. Xenophon Corinthius stadio victor. Pausaniæ locus emendatus. Pherias Ægineta puer lucta vincit. Parmenides philosophus inclarescit. Diogenes Laertius restitutus. Apene quam diu duraverit, & quando sublata. Anonymi insignis hallucinatio, item Scholiastæ Pindari; cujus denique etiam locus restituitur. Tlepolemus Archon; post quem Conon. Pindarus moritur. Euippus Archon.

ARCHEDEMIDES hunc secutus, Olym. LXXIX. anno I. stadioque Xenophon Corinthius vicit. Anonymus *illic*. Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ ἐννάτη. Ἀρχεδημίδης (ἄρχων.) Ξενοφῶν Κορίνθιος στάδιον. *Olympias septuagesima nona: Archedemides (Archon.) Xenophon Corinthius stadium*. Dionysius Halicarn. *l*. IX. Ἐπὶ τῆς ἐννάτης καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Ξενοφῶν Κορίνθιος, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχεδημίδου. *Nona & septuagesima Olympiade, qua vicit Xenophon Corinthius, Archonte Athenis Archedemide*. Diodorus *l*. XI. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀρχεδημίδου Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἑβδομηκοστὴ καὶ ἐννάτη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ξενοφῶν Κορίνθιος. *Sub Archonte autem Athenis Archedemide Olympias acta fuit septuagesima & nona, qua vicit stadium Xenophon Corinthius*. De victoria Xenophontis, etiam *Eusebius*. Ἑβδομηκοστὴ ἐννάτη (Ὀλυμπιάς.) Ξενοφῶν Κορίνθιος στάδιον. *Septuagesima nona (Olympias.) Xenophon Corinthius stadium*. Et est Pindari in hunc Ode *Pyth*. XIII. inscripta; Ξενοφῶντι Κορινθίῳ, σταδιεῖ. *Xenophonti Corinthio, stadii cursori*. Apud Pausan. in *Messenicis* corruptum Olympiadis nomen, & Archontis. Μεσσηνίων δὲ τοὺς ἐγκαταλειφθέντας ἐν τῇ γῇ, συντελοῦντας κατ' ἀνάγκην εἰς τοὺς εἵλωτας, ἐπέλαβεν ἀπὸ Λακεδαιμονίων ὕστερον ἀποστῆναι κατὰ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα καὶ εἰκοστὴν, ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Ἀρχιμήδους Ἀθήνησιν ἄρχοντος. *Messeniorum autem qui relicti in agro, accensi per necessitatem erant helotis, incessit postea a Lacedæmoniis deficere circa nonam Olymp. & vigesimam, qua Corinthius vicit Xenoph. Archimede Atenis Archonte*. Rescribendum, Κατὰ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα καὶ ἑβδομηκοστὴν, ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Ἀρχεδημίδου Ἀθήνησιν ἄρχοντος.

Circa nonam Olympiadem & septuagesimam, qua Corinthius vicit Xenophon, Archedemide Athenis Archonte. Et errat *Anonymus*; qui, corrupto hoc loco deceptus, Archimedem nobis Archontem Olymp. XXIX. anno I. memorat, & Chionidi controversiam de victoria sua movet. Eodem Archonte Pherias Ægineta inter pueros lucta vicit. Anonymus *ibidem*. Φερίας Αἰγινήτης παίδων πάλην. *Pherias Ægineta puerorum luctam.* Pausanias *Eliac.* II. Φερίας δὲ Αἰγινήτης ὀγδόῃ μὲν πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα Ὀλυμπιάδι κομιδῇ τε ἔδοξεν εἶναι νέος, καὶ οὐκ ἐπιτήδειός πω νομισθεὶς παλαίειν, ἀπηλάθη τοῦ ἀγῶνος· τῇ δὲ ἑξῆς, κατεδέχθη γὰρ τηνικαῦτα ἐς τοὺς παῖδας, ἐνίκα παλαίων. *Pherias vero Ægineta octava quidem & septuagesima Olympiade admodum visus est juvenis, & non aptus qui censeretur luctator, amotus fuit ab certamine: sequente vero, admissus enim tunc fuit inter pueros, vicit luctans.* Parmenides quoque Philosophus tuuc floruit. Anonymus *ibidem*. Παρμενίδης ὁ φιλόσοφος ἤκμαζεν, *Parmenides Philosophus floruit.* Ergo corruptus Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IX. c. XXIII. Ηκμαζε δὲ κατὰ τὴν ἐννάτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit autem circa nonam & vigesimam Olympiadem.* Restituendum, κατὰ τὴν ἐννάτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Circa nonam & septuagesimam Olympiadem.* Idque pridem a me monitum, *Attic Lect.* l. IV. c. XXVII. Firmat emendationem meam *Eusebius*, qui in Olympiade proxima LXXX. Εμπεδοκλῆς, καὶ Παρμενίδης, φιλόσοφοι φυσικοὶ, ἐγνωρίζοντο. *Empedocles & Parmenides, philosophi physici, innotescebant.* Apenes etiam tunc certamen abrogatum. Anonymus *ibidem*. Τὸ πρὸ ί. ἐτῶν ἀπήνη, τοῦτ' ἔστιν ἅρματι ἐξ ἡμιόνων ζευχθέντι, ἀγωνίζεσθαι, ὑπὸ Ασανδράστου ἐπιτηδευθὲν, ἐν τῷδε τῷ ἔτει διελύθη. *Institutum ante decem annos ludicrum certandi apena, hoc est curru ex mulis juncto, ab Asandrasto, hoc anno dissolutum fuit.* Sed examinandus mihi iste locus. Nam quid, obsecro, an apene solos decem annos tenuit? Etiam illud Pindari Scholiastes dicit, ad *Pythion.* Od. V. Απήνη δέ ἐστιν ἅρμα, ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν. εἰθισμένων δὲ ἵπποις ἀγωνίζεσθαι. χρόνος δέ τις οὐ μακρὸς, ἀλλὰ δεκαετὴς, τοῦτο διέλυσε. *Apene autem est currus ex mulis junctus jugo. Consuetum autem fuit equis certare. Tempus vero non longum, sed decennale, illud dissolvit.* Sed corrupta sine dubio utrobique illa verba; aut uterque insigniter errat. Quippe a septuagesima Olympiade, qua apene instituta, ut supra dixi, ad hanc septuagesimam nonam, anni sunt sex & triginta. Deinde an hoc etiam verum, abdicatam hoc tempore apenen? Omnino nego. Ecce enim, Olympiade octogesima secunda Psaumis victor dicitur; in quem Pindari *Olymp.* Ode quinta est, ad quam *Scholiastes* notat. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ τῷ αὐτῷ Ψαύμιδι, τεθρίππῳ, καὶ ἀπήνῃ, καὶ κέλητι νενικηκότι τὴν ὀγδοηκοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα. *Scripta est ode ipsi Psaumidi, quadriga, & apene, & solo equo victori octuagesima secunda Olympiade.* Et Anonymus item ipse in *eadem Olympiade*. Ψαῦμις Καμαριναῖος τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, καὶ κέλητι. *Psaumis Camarinæus quadriga, apene, & equo solo.* Ergo in superiore loco graviter errat. Ac erroris quidem semet mox redarguit; cum, oblitus ipse sui, apenem, & calpen, simul abrogatas tradit, Olymp. LXXXIV. Ista verba. Κάλπης, καὶ ἀπήνης, δρόμος ἐν Ὀλυμπίᾳ κηρύγματι ἀπηγορεύθη. *Calpes, & apenes, cursus in Olympia præconio abrogata.* Et Pausanias consentit, *Eliac.* I. Τῆς δὲ ἀπήνης, καὶ κάλπης, τὸν δρόμον, τὸν μὲν, Ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ· τὸν δὲ τῆς κάλπης, ἐφεξῆς ταύτης· κήρυγμα ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐποιήσαντο, ἐπὶ τῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδοηκοστῆς, μήτε κάλπης τοῦ λοιποῦ, μήτε ἀπήνης ἔσεσθαι δρόμον. *Apenes autem, & calpes, cursum, illum quidem Olympiade institutum septuagesima, hunc vero calpes, post illam. Præconium de ambobus fecerunt, quarta Olympiade & octogesima, neque calpes amplius, neque apenæ celebratum iri cursum.* Pindari Scholiastes, ad citatam *Olymp.* Oden quintam, ubi de apene agit, diutius continuatam etiam dicit, usque ad octogesimam nonam Olympiadem. Διελύθη περὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα. *Dissolutus est circa octogesimam nonam Olympiadem.* Verum corrigendum puto, Περὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν τετάρτην. *Circa octogesimam quartam,* Ergo apene sex & quinquaginta annis usitata, non post decimum sublata; idque per occasionem indicandum existimavi.

CAP. XVI.

Tlepolemus Archon, item Conon. Pindari mors, & de ea dissidium Auctorum indicatum. Abion, aut Ariston, Archon. Thomæ Magistri locus excussus, & correctus. Euippus Archon.

ARCHEDEMIDEM in supremo magistratu Tlepolemus sequitur; illum Conon. Ita *Anonymus*, & *Diodorus*, nobis tradunt. Sub Conone diem suum Pindarus obiit. Anonymus *illic*. Πίνδαρος ἐτελεύτησε. *Pindarus mortuus est.* *Thomas Magister* ultra producit, aitque mortuum octuagenario majorem, Archonte Abione, Olympiade LXXXVI. Τέθνηκε δέ ὁ Πίνδαρος, ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονώς· ἢ, ὥς τινες, ὀγδοήκοντα· ἐπὶ Αβίωνος ἄρχοντος, κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Mortuus autem est Pindarus, sex & sexaginta annos natus: vel, ut quidam, octoginta. Sub Abione Archonte, sexta & octogesima Olympiade.* Sed, ut verum illud fuerit, post exactos vitæ octuaginta annos decessisse, tamen Abionem Archontem, nedum in ista Olympiade, nusquam invenio. Alii, ut idem refert, anno sexagesimo sexto vita excessisse volunt; *Suidas*, quinquagesimo quinto. En dissensum. Age, tempus a natali computemus. Incidit ille in Olymp. LXV. annum I. Anonymus *ibi*. Πίνδαρος ἐγεννήθη. *Pindarus natus est.* Et Suidas, *in* Πίνδαρος. Γεγονὼς κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα. *Natus sexagesima quinta Olympiade.* De morte ejus, ita ait. Καὶ συνέβη αὐτῷ τὸν βίον τελευτῆσαι κατ' εὐχάς. αἰτήσαντι γὰρ, τὸ κάλλιστον αὐτῷ δοθῆναι τῶν ἐν τῷ βίῳ, ἀθρόον αὐτὸν ἀποθανεῖν ἐν θεάτρῳ, ἀνακεκλιμένον εἰς τὰ τοῦ ἐρωμένου Θεοξένου αὐτοῦ γόνατα, ἐτῶν πεντήκοντα πέντε, *Et contigit illi vitam finire ex votis. Quum enim petivisset, ut pulcherrimum ipsi daretur illorum quæ in vita, subito ipsum mortuum in theatro, reclinatum in amasii Theoxeni ipsius genua, annos natus quinquaginta quinque.* Itaque annus quinquagesimus ejus quintus fuerit Olymp. LXXVII. anno IV. Secundum Anonymum, *in hoc loco*, vita excesserit anno ætatis LVIII. Quod si sexagesimo sexto obiisse eum contigit, annus fuerit III. Olymp. LXXXI. quo Ariston Archon erat; cujus nomen *Thomæ Magistro* reddendum, & restituendus locus universus in hunc modum. Τέθνηκε δὲ ὁ Πίνδαρος, ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονώς, ἐπὶ Αρίστωνος ἄρχοντος· ἢ, ὥς τινες, ὀγδοήκοντα· κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Mortuus autem est Pindarus, sex & sexaginta annos natus, sub Aristone Archonte: vel, ut aliqui, octoginta; sexta & octogesima Olympiade.* Post Cononem in Archontum numero Euippus collocatur ab *Anonymo*, & *Diodoro*.

CAP. XVII.

Phrasiclides hunc secutus, sive Phrasicles. Torymbas, aut Toryllas, stadio victor. Eusebius emendatus. Arcesilaus, curru; Alcimedon, & Amesinas, lucta vincunt. Oebotæ statua collocatur. Democritus Abderita nascitur, & Hippocrates.

PHRASICLIDES hunc secutus, Olymp. LXXX. ann. I. Ita *Anonymus* eum nominat; & emenda Diodorum *l.* XI. Επ' ἄρχοντος δ' Αθήνησι Φρασικλείδου Ὀλυμπιὰς μὲν ἤχθη ὀγδοηκοστή. *Sub Archonte vero Athenis Phrasiclide Alympias quidem acta*

fuit octogesima. Hodie editur, Φασικλεῖδς. Dionysio Halicarnasseo, *initio* lib. x. Phrasicles dicitur. Μετὰ δὲ τέτες Ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ὀγδοηκοστὴ, ἣν ἐνίκα στάδιον Τορύμβας Θετταλὸς, ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλέες. *Post autem illos Olympias quidem erat octogesima, qua vicit stadium Torymbas Thessalus, Archonte Athenis Phrasicle*. Etiam Plutarcho in *Vita Lysiæ*, l. *de x. Rhet.* Γενόμενος Ἀθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέες ἄρχοντος, τῦ μετὰ Φρασικλῆ, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Versatus Athenis sub Philocle Archonte, qui fuit post Phrasiclem, secundo anno octogesimæ Olympiadis*. Ita enim emendandum locum illum pridem monui, *Attic. Lect.* lib. IV. c. XIV. Ac stadio tunc victor fuit Torymbas Thessalus. Dionysius *loco citato*. Ἐνίκα στάδιον Τορύμβας Θετταλός. *Vicit stadium Torymbas Thessalus*. Corrigendus est Eusebius, in *Chronicis*. Ὀγδοηκοστὴ (Ὀλυμπιὰς) Τορύμβας Θετταλὸς στάδιον. *Octogesima (Olympias) Torymbas Thessalus stadium*. Hodie editur, Τορύμμας. Apud Diodorum scribitur Τορύλλας, *l.* XI. Ἐνίκα στάδιον Τορύλλας Θετταλός. *Vicit stadium Toryllas Thessalus*. Dissidium *Anonymus* indicat, cum inquit. Τορύμβας Θετταλὸς στάδιον. οἱ δὲ, Τορύλλας. *Torymbas Thessalus stadium Alii vero, Toryllas*. Arcesilaus curru vincit; Alcimedon, inter pueros; Amesinas Barcæus, inter viros lucta. Anonymus *illic*. Ἀρκεσίλαος Κυρηναῖος, ἅρματι. Ἀλκιμέδων παῖς, πάλη. Ἀμησινᾶς Βαρκαῖος, ἀνδρῶν πάλην. *Arcesilaus Cyrenæus, curru. Alcimedon puer, lucta. Amesinas Barcæus, virorum luctam*. Et de Arcesilai quidem victoria, est Pindari *Pyth*. Ode IV. inscripta; Ἀρκεσιλάῳ Κυρηναίῳ, ἅρματι. *Arcesilao Cyrenæo, curru*. Ubi *Scholiastes* notat. Γέγραπται μὲν ἡ ᾠδὴ Ἀρκεσιλάῳ, Πολυμνήστε παιδὶ Κυρηναίῳ τὸ γένος τῆς Λιβύης, νικήσαντι τὴν τριακοστὴν πρώτην Πυθιάδα, ἔνιοι καὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Scripta quidem est ode Arcesilao, Polymnesti filio, Cyrenæo genere ex Libya, qui vicit trigesima prima Pythiade, alii vero etiam octogesima Olympiade*. Quod Alcimedontem attinet, est in eum ejusdem Pindari *Olymp*. Ode VIII. inscripta, Ἀλκιμέδοντι παλαιστῇ. *Alcimedonti luctatori*. Notatque *ibi* Scholiastes. Γέγραπται ὁ ἐπινίκιος προσηγμένως τῷ Ἀλκιμέδοντι παιδὶ παλαιστῇ, νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Scripta laudatio peculiariter Alcimedonti puero luctatori, qui vicit octogesima Olympiade*. Oebotæ quoque Dymæo, qui Olympiade sexta stadio vicerat, corona tunc ab Achivis posita, oraculi Delphici jussu. Anonymus *illic*. Οἰβώτα, ἀνδρὶ Δυμαίῳ, σταδίε ἀνελομένῳ νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ, εἰκὼν κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν ἀνετέθη. *Oebotæ viro Dymæo, stadii qui reportavit victoriam Olympiade sexta, statua juxta vaticinium Delphis posita fuit*. Pausanias *Eliac*. II. Οἰβώτα δὲ τῷ μὲν ἀνδριάντα Ἀχαιοὶ κατὰ πρόσταγμα ἀνέθεσαν τῦ ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος, ἐπὶ Ὀλυμπιάδος ὀγδοηκοστῆς. *Oebotæ vero quidem statuam Achæi ex jussu erexerunt Apollinis Delphici, Olympiade octogesima*. Iterum in *Achaicis*. Οἰβώτᾳ δὲ, ἀνδρὶ Δυμαίῳ, σταδίε μὲν ἀνελομένῳ νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ, εἰκόνος δὲ ἐν Ὀλυμπίᾳ περὶ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν ἀξιωθέντι, ἐπίγραμμά ἐστιν ἐπ᾽ αὐτῷ. *Oebotæ enim, viro Dymæo, qui stadii quidem reportavit victoriam Olympiade sexta, statua vero Olympiæ circa octogesimam Olympiadem ex oraculo Delphico honorato, inscriptio est de eo*. Denique hoc Archonte natus, ut quidam volunt, Democritus Abderites; quod alii tamen assignabant Olymp. LXXVII. anno III. ut supra dixi. *Anonymus*. Δημόκριτος Ἀβδηρίτης ἐγεννήθη, κατὰ Ἀπολλόδωρον ἐν τοῖς Χρονικοῖς. *Democritus Abderites natus fuit, juxta Apollodorum in Chronicis*. Idque sumptum e Diogene Laertio in Democrito, *l*. IX. *c*. XLI. Γεγόνοι δ᾽ ἂν, ὡς μὲν Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Natus autem fuerit, ut quidem Apollodorus in Chronicis, octogesima Olympiade*. Meminitque item Suidas, *in* Δημόκριτος. Idem annus & Hippocrati natalis. Soranus, in *ejus Vita*. Γεννηθεὶς, ὥς φησιν Ἰσόμαχος, ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῆς Ἱπποκράτες αἱρέσεως, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Natus, ut inquit Histomachus in libro primo de Hippocratis secta, primo anno octogesimæ Olympiadis*.

CAP. XVIII.

Philocles Archon, Æschyli victoria. Bion Archon. Thrasidæus Pythiade XXXIII. *puer viros stadio vincit. Lysiæ natalis. Maesithides, sive Mnesitheus, Archon*.

PHRASICLIDEM Philocles excepit, Olymp. LXXX. anno II. ut videre est apud *Diodorum Siculum*, & *Anonymum*: edidítque Agamemnonem fabulam Æschylus; ac vicit etiam Agamemnone, quam laudavi, Choephoris, Eumenidibus, & Proteo Satyrico; præbente impensam Xenocle Aphidnensi. Anonymus *illic*. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα Αἰσχύλε Ἀγαμέμνων. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ Σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς. *Docta fuit fabula Æschyli Agamemnon. Primus Æschylus Agamemnone, Choephoris, Eumenidibus, Proteo Satyrico. Impensam præbuit Xenocles Aphidnensis*. Scholiastes Æschyli, in *argumento Agamemnonis*. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέες, Ὀλυμπιάδι εἰκοστῇ ὀγδόῃ, ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ Σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς. *Docta fuit fabula sub Archonte Philocle, Olympiade vigesima octava, anno secundo. Primus Æschylus Agamemnone, Choephoris, Eumenidibus, Proteo Satyrico. Sumptus præbuit Xenocles Aphidnensis*. Anno insequente tertio nominatæ Olympiadis, Bion fuit. Indicium faciunt *Diodorus*, & *Anonymus*. Sub hoc Thrasydæus puer viros stadii cursu vicit Pythiade XXXIII. qui antea etiam XXVIII. Estque in eum Ode Pindari *Python*. XI. ubi ita *Scholiastes*. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Θρασυδαίῳ παιδὶ Θηβαίῳ σταδιεῖ τῷ προκειμένῳ, νικήσαντι τὴν κη. Πυθιάδα, καὶ λγ. *Scripta est ode Thrasydæo puero Thebano stadii cursori qui proponitur, vicitque vigesima octava Pythiade, & trigesima tertia*. Anonymus in *hoc anno*. Θρασυδαῖος Θηβαῖος παῖς ἐνίκησε τὴν λγ΄. Πυθιάδα σταδίε ἄνδρας. *Thrasydæus Thebanus puer vicit trigesima tertia Pythiade stadio viros*. Sub hoc Archonte natum Lysiam tradit *Anonymus*; quem sub insequente alii. Bionem sequitur Mnesithides, Olymp. LXXX. anno IV. Diodorus *l*. XI. Τῦ δ᾽ ἐνιαυσιαίε χρόνε διεληλυθότος, Ἀθήνησιν ἦρχε Μνησιθείδης. *Annuo vero tempore expleto, Athenis Archon fuit Mnesithides*. Et eundem repræsentat nobis *Anonymus*. Meminit ejus Demosthenes, in *Orat*. de Corona. Μνησιθείδης ἄρχων, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ. *Mnesithides Archon, mense Anthesterionis sextadecima die*. Aristophanis Scholiastæ in *Acharnenses* Μνησίθεος dicitur. Ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίε, τῦ μετὰ Μνησίθεον. *Mortuus enim sub Archonte Callia, qui successit Mnesitheo*.

CAP. XIX.

Callias Archon. Polymnastus Cyrenæus stadio victor. Moneta ænea Athenis percussa. Æschylus moritur; idque ætatis quoto anno. Scholiastæ ejus error, item Suidæ. Sosistratus Archon; inde Ariston, & Lysicrates.

MNESITHIDEM Callias sequitur, Olymp. LXXXI. anno I. cum stadio vicit Polymnastus Cyrenæus. *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ πρώτη, ἔτος πρῶτον, Καλλίας (ἄρχων.) Πολύμναστος Κυρηναῖος στάδιον. *Olympias octogesima prima*,

annus primus, Callias (Archon.) Polymnaſtus Cyrenæus ſtadium. Diodorus Siculus *lib.* XI. Επ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Αθήνησι Καλλίου, Ολυμπιὰς ἤχθη μία πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Πολυμναστος Κυρηναῖος. *Sub Archonte vero Athenis Callia, Olympias acta fuit prima & octogeſima, qua vicit ſtadium Polymnaſtus Cyrenæus*. Dionyſius Halicarn. *l.* X Μετὰ δὲ τούτους Ολυμπιὰς μὲν ἦν ὀγδοηκοστὴ καὶ πρώτη, ἣν ἐνίκα στάδιον Πολύμναστος Κυρηναῖος, Αθήνησι δὲ ἄρχων Καλλίας. *Poſt autem illos Olympias quidem erat octogeſima & prima, qua vicit ſtadium Polymnaſtus Cyrenæus, Athenis autem Archon Callias*. Ac de victore Polymnaſto, etiam *Euſebius*. Ολυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ πρώτη. Πολύμναστος Κυρηναῖος στάδιον. *Olympias octogeſima prima. Polymnaſtus Cyrenæus ſtadium*. Callia Archonte cuſa primum ænea moneta Athenis. Suidas *in* Χαλκία. ἐπὶ Καλλίου νόμισμα χαλκοῦν ἐκόπη. *Sub Callia fuit moneta ænea cuſa*. Verum an hic ille Callias, plane incertum; quippe magiſtratu etiam iſto functus alter quidam, ejuſdem nominis, Olymp. XCII. anno I. item XCIII. anno III. denique C. anno IV. Itaque nihil affirmare iſthic licet. Illud licet, Æſchylum tunc deceſſiſſe; docetque id nos Scholiaſtes Ariſtophanis *Acharnenſibus*. Προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον. ἀντὶ τοῦ, Αἰσχύλου τραγῳδίαν. ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἔχοντες τὰ Αἰσχύλου, Αἰσχύλον λέγομεν ἔχειν. οὐ γὰρ ἔζη κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον. ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου, τοῦ μετὰ Μνησίθεον, τούτοις πρότερον ἐνιαυτόν. *Exſpectans Æſchylum. pro, Æſchyli tragœdiam. Quemadmodum & nos habentes ſcripta Æſchyli, Æſchylum dicimus habere. Non enim vixit illo tempore. Mortuus enim ſub Archonte Callia, qui poſt Mneſitheum, anno ante hos*. Verum quoto ætatis anno? *Suidas* ait, LVIII. Φυγὼν δὲ ἐπὶ Σικελίαν, διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἰκρία, ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ, χελώνης ἐπιρριφείσης αὐτῷ ὑπ᾽ ἀετοῦ φέροντος κατὰ τῆς κεφαλῆς, ἀπώλετο, ἐτῶν νη γενόμενος. *Fugiens vero in Siciliam, quia cadebant ſublicæ, quum ipſe ſpecimen daret, teſtudine dejecta in ipſum ab aquila quæ portabat, periit, annos quinquaginta octo natus*. Scholiaſtes ejus *in Vita*, LXIII. Εβίωσε δὲ ἑξήκοντα καὶ τρία ἔτη. *Vixit autem ſexaginta & tres annos*. Age, calculum ſubducamus. Olymp. LXX. anno I. cum contenderet cum Pratina, Chæriloque, de quo ſupra a me dictum, libri hujus capite ſecundo, annos erat natus viginti quinque. Suidas dicit *in* Αἰσχύλος. Ηγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ ό. Ολυμπιάδι, ἐτῶν ὢν κέ. *Certavit autem ipſe ſeptuageſima Olympiade, annos natus viginti quinque*. Inde autem ad hunc octogeſimæ primæ Olympiadis annum primum ſi putemus, fuerit Æſchylus, cum decederet, annos natus circiter LXIX. Itaque *Scholiaſtæ* ejus, ut & *Suidæ*, manifeſtus plane error; aut corrupti illic numeri, utrobique emendandi. Atque hæc per occaſionem dicta volui. Poſt hunc Calliam Soſiſtratus fuit, ut ex *Diodoro* patet, & *Anonymo*. Inde Ariſton; quem ſecutus eſt Lyſicrates. Videndi *Anonymus*, & Diodorus *lib.* XI.

CAP. XX.

Chærephanes Archon. Lycus Theſſalus, ſtadio; Pſaumis Camarinæus, curru quadrijugo, mulari, & equo ſingulari, vincit. Ion tragœdias edere incipit. Antidotus Archon; item Euthydemus, & Pedieus.

OLYMP. LXXXII. anno I. Archon fuit Chærephanes. Præterit eum *Diodorus*; ſed *Anonymus* tamen indicat: qui viciſſe ſtadio addit Lycum Theſſalum Lariſſæum. Ολυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ δευτέρα, ἔτος πρῶτον. Χαιρεφάνης (ἄρχων.) Λύκος Θεσσαλὸς ἀπὸ Λαρίσσης στάδιον. *Olympias octogeſima ſecunda, annus primus. Chærephanes (Archon.) Lycus Theſſalus ab Lariſſa ſtadium*. Et Dionyſius Halicarn. *lib.* X. Επὶ δὲ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ολυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Λύκος Θεσσαλὸς ἀπὸ Λαρίσσης, ἄρχοντος Αθήνησι Χαιρεφάνους. *Octogeſima autem & ſecunda Olympiade, qua vicit ſtadium Lycus Theſſalus ab Lariſſa, Archonte Athenis Chærephane*. De victore Lyco, *Euſebius*. Ογδοηκοστὴ δευτέρα Ολυμπιάς. Λύκος Θεσσαλὸς στάδιον. *Octogeſima ſecunda Olympias. Lycus Theſſalus ſtadium*. Pſaumis Camarinæus vincebat curru quadrijugo, mulari, & equo ſingulari. Anonymus *illic*. Ψαῦμις Καμαριναῖος τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, κέλητι. *Pſaumis Camarinæus quadriga, mulis juncto vehiculo, & equo ſingulari*. Eſtque in has victorias Pſaumidis Ode Pindari *Olymp.* V. inſcripta, Ψαύμιδι, τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, καὶ κέλητι. *Pſaumidi, quadriga, mulis juncto vehiculo, & equo ſingulari*. Ubi *Scholiaſtes*. Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Ψαύμιδι, τεθρίππῳ, καὶ ἀπήνῃ, καὶ κέλητι νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν δευτέραν Ολυμπιάδα. *Scripta eſt ode Pſaumidi, qui quadriga, mulis juncto vehiculo, & equo ſingulari vicerat octogeſimam ſecundam Olympiadem*. Hoc ipſo anno Ion Chius tragœdias ſuas edere incepit. Anonymus *ibidem*. Ιων Χῖος, τραγικὸς, καὶ λυρικὸς, καὶ φιλόσοφος, υἱὸς Ορθομένους, ἐπίκλησιν δὲ Ξούθου, ἤρξατο τὰς τραγῳδίας διδάσκειν. *Ion Chius, Tragicus, & Lyricus, & Philoſophus, filius Orthomenis, cognomine Xuthis, incepit tragœdias docere*. *Suidas* de eo. Ηρξατο δὲ τὰς τραγῳδίας διδάσκειν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς δευτέρας Ολυμπιάδος. *Incepit autem tragœdias docere octogeſima ſecunda Olympiade*. Habes quoque apud Scholiaſten Ariſtophanis in *Pacem*. Poſt Chærephanem Antidotus fuit; quem ſecutus Euthydemus, Pedieum ſibi ſucceſſorem habuit.

CAP. XXI.

Philiſcus Archon. Criſon Himeræus ſtadio vincit. In Ariſtophane mendum indicatum; quod Heſychii quoque Gloſſæ repræſentant. Timarchides, Callimachus, Lyſimachides, Archontes; poſt quos Praxiteles; ſub quo calpe ſublata, & apene: Meliſſus, Protagoras, Empedocles, florent. Lyſias quindecennis Sybarim coloniam ducit.

OLYMP. LXXXIII. anno I. Philiſcus fuit, ſtadioque Criſon Himeræus vicit. *Anonymus*. Ολυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ καὶ τρίτη, ἔτος πρῶτον. Φίλισκος (ἄρχων.) Κρίσων Ιμεραῖος στάδιον. *Olympias octogeſima & tertia, annus primus. Philiſcus (Archon.) Criſon Himeræus ſtadium*. Dionyſius Halicarn. *lib.* XI. Επὶ δὲ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ τρίτης Ολυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Κρίσων Ιμεραῖος, ἄρχοντος Αθήνησι Φιλίσκου, καταλύουσι Ρωμαῖοι τὴν τῶν δέκα ἀρχήν. *Octogeſima & tertia Olympiade, qua vicit ſtadium Criſon Himeræus, Archonte Athenis Philiſco, abrogarunt Romani decemviratum*. Diodorus *l.* XII. Επ᾽ ἄρχοντος δὲ Αθήνησι Φιλίσκου Ηλεῖοι ἤγαγον Ολυμπιάδα τρίτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Κρίσων Ιμεραῖος. *Archonte vero Athenis Philiſco Elei egerunt Olympiadem tertiam & octogeſimam, qua vicit ſtadium Criſon Himeræus*. Victoris meminit Pauſanias *Eliac.* I. Ετει τρίτῳ τῆς Ολυμπιάδος, ἣν Κρίσων Ιμεραῖος ἐνίκα στάδιον. *Anno tertio Olympiadis, qua Criſon Himeræus vicit ſtadium*. Item *Euſebius*, apud quem Κρίσσων ſcribitur. Ογδοηκοστὴ τρίτη (Ολυμπιάς.) Κρίσσων Ιμεραῖος στάδιον. *Octogeſima tertia (Olympias.) Criſſon Himeræus ſtadium*. Quemadmodum etiam apud Platonem *De Leg.* lib. VIII. Καὶ δὴ καὶ Κρίσσωνα, καὶ Αστύλον, καὶ ἄλλους παμπόλλους, ὁ αὐτός που λόγος ἔχει. *Profecto & Criſſonem, & Aſtyllum, & alios quamplures, eadem fere fama habet*. Clemens

Strom. III. Φασὶ δὲ καὶ ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, δι᾽ ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους· καθάπερ τὸν Κροτωνιάτην Ἄστυλον, καὶ Κρίσωνα τὸν Ἱμεραῖον. *Dicunt autem & athletas non paucos venereis abstinere, per exercitationem corporis continentes; quemadmodum Crotoniatem Astylum, & Crisonem Himeræum.* Apud Aristophanem, in *quadam fabula*, corrupte Γρίσων scriptum fuerat; unde est in Hesychii *Glossis*. Γρίσων, ὗς. Ἀριστοφάνης δὲ, ὄνομα δρομέως, νενικηκότος ἐν Ὀλυμπίᾳ στάδιον. *Grison, sus. Aristophanes autem, nomen cursoris, qui vicit in Olympia stadium.* Philiscum Archontem Timarchides sequitur; hunc Callimachus, illum Lysimachides: post quem Praxiteles, Olymp. LXXXIV. anno I. quo secundum vicit Crison cursu stadii; ut Auctores ii narrant, qui de primo tradidere: quorum loca *initio capitis* a me relata. Calpe etiam, & apene, tunc sublata. Anonymus *illic*. Κάλπης, καὶ ἀπήνης, δρόμος ἐν Ὀλυμπίᾳ κηρύγματι ἀπηγορεύθη. *Calpes, & apenes, cursus Olympiæ edicto sublatus est.* Pausanias *Eliac.* I. Τῆς δ᾽ ἀπήνης καὶ κάλπης τὸν δρόμον, τὸν μὲν, Ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ· τὸν δὲ τῆς κάλπης, τῇ ἐφεξῆς ταύτης· κήρυγμα ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐποιήσαντο ἐπὶ τῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδοηκοστῆς, κάλπης τοῦ λοιποῦ, μήτε ἀπήνης ἔσεσθαι δρόμον. *Apenæ autem & calpæ cursum, illum quidem Olympiade institutum septuagesima: hunc vero calpæ, sequenti. Edictum de ambabus fecerunt quarta Olympiade & octogesima, ne calpæ amplius, neque apenæ celebraretur cursus.* Melissus quoque, Protagoras, & Empedocles, florebant. Anonymus *ibidem*. Μέλισσος Σάμιος, ὁ φιλόσοφος, Πρωταγόρας, καὶ Ἐμπεδοκλῆς, ἤκμαζον. *Melissus Samius, philosophus, Protagoras, & Empedocles, floruerunt.* Ac de Melisso, est Diogenis Laertii locus, in *ejus Vita*, lib. IX. c. LVI. Φησὶ δ᾽ Ἀπολλόδωρος, ἠκμακέναι αὐτὸν κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Inquit autem Apollodorus, floruisse ipsum circa quartam & octogesimam Olympiadem.* De Protagora, apud eundem est, *eodem libro*, c. XXVI. Ἀπολλόδωρος δέ φησι, σοφιστεῦσαι αὐτὸν ἔτη τεσσαράκοντα, καὶ ἀκμάσαι κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Apollodorus autem dicit, docuisse ipsum annos quadraginta, & floruisse circa quartam & octogesimam Olympiadem.* Quemadmodum item de Empedocle, *l.* VIII. *c.* LXXIV. Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit autem circa quartam & octogesimam Olympiadem.* Aulus Gellius ait, Empedoclem floruisse circa ea tempora, quibus cæsi apud Cremeram trecenti Fabii; quod accidit Olymp. LXXVII. anno I. ut supra ostendi. Verba Gellii ita habent, *l.* XVII. *c.* XXI. *Menenio Arippa, M. Horatio Pulvillo, COSS. bello Vejente, apud fluvium Cremeram; ab his trecenti patritii Fabii, cum familiis suis, universi, ab hostibus circumventi, perierunt. Juxta ea tempora Empedocles Agrigentinus in naturalis Philosophiæ studio floruit.* Lysias etiam, anno ætatis decimo quinto, quippe Archonte Philocle natus, Olymp. LXXX. anno II. Sybarim coloniam duxit. Vide quæ notavi pridem, *Attic. Lect.* lib. IV. cap. XV.

CAP. XXII.

Lysanias Archon, post quem Diphilus. Obsides ex Eretria lecti. Ἐρετριακὸς κατάλογος. *Timocles Archon.*

PRAXITELEM Lysanias excepit. Ita statuit *Anonymus*; & Diodorus *l.* XII. Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Λυσανίου Ῥωμαῖοι πάλιν δέκα ἄνδρας νομοθέτας εἵλοντο. *Archonte autem Athenis Lysania Romani rursus decemviros legislatores elegerunt.* Illum Diphilus secutus. Et subjungit Diodorus, *lib. citato*. Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Διφίλου, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτους. *Archonte autem Athenis Diphilo, Romani constituerunt consules.* Et Anonymus *ibidem* ponit. Item Dionysius Halicarn. *extremo* XI. Οὗτοι παραλαμβάνουσι πρῶτοι τὴν ἀνθύπατον ἀρχὴν, κατὰ τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλου. *Hi adipiscuntur primi proconsularem magistratum, tertio anno octogesimæ & quartæ Olympiadis, Archonte Athenis Diphilo.* Sub hoc decretum factum fuit, uti obsides ex Eretria opulentiorum filii legerentur; idque Ἐρετριακὸς κατάλογος dicebatur. Hesychius, *in* Ἐρετριακὸς κατάλογος. Ἐπὶ Διφίλου ψήφισμα ἐγράφη, ἐξ Ἐρετρίας καταλέξαι ὁμήρους τῶν πλουσιωτάτων υἱούς· τοῦτο οὖν τὸ ψήφισμα ἔχει ἐπιγραφὴν, Ἐρετριακὸς κατάλογος. *Sub Diphilo decretum scriptum est, ut ex Eretria eligerentur obsides ditissimorum filii. Illud igitur decretum habet inscriptionem, Eretriacus catalogus.* Diphilum sequutus Timocles. Anonymus *illic*; & Diodorus, *lib.* XII. Ἐπ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Ἀθήνησι Τιμοκλέους, Ῥωμαῖοι μὲν κατέστησαν ὑπάτους Λαρῖνον Ἑρμίνιον, καὶ Τῖτον Στερτίνιον Στρούκτωνα. *Archonte autem Athenis Timocle, Romani quidem constituerunt consules Larinum Herminium, & Titum Stertinium Structorem.*

DE

ARCHONTIBUS ATHENIENSIUM

LIBER III.

CAP. I.

Myrichides, sive Morychides, Archon. Crison tertium stadio victor. Diodori Siculi locus emendatus. Decretum Athenis, ne comœdiæ deinceps ullæ agerentur. Glaucides Archon, & Theodorus; inde Euthymenes, sub quo prius id decretum abrogatum. Scholiastes Aristophanis restitutus. Aristophanis Ἀχαρνεῖς, *Cratini* Χειμαζόμενοι, *Eupolidis* Νουμηνίαι, *actæ. Vestibula arcis, Mnesicle architecto, strui cœpta.*



MYRICHIDES Timocli successit, Olymp. LXXXV. anno I. Quo Crison stadio tertium victor. *Anonymus.* Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ πέμπτη ἔτος πρῶτον. Μυριχίδης (ἄρχων.) Κρίσων Ἱμεραῖος στάδιον τὸ τρίτον. *Olympias octogesima quinta, annus primus. Myrichides (Archon.) Crison Himeræus stadium tertia vice.* Emendandus est Diodorus, *lib.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Μυριχίδου, Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα πέμπτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, ἐν ᾗ ἐνίκα Κρίσων Ἱμεραῖος τὸ τρίτον. *Archonte autem Athenis Myrichide, Elei egerunt Olympiadem quintam & octogesimam, quam vicit Crison Himeræus tertium.* Perperam editur, τὸ δεύτερον. De victore, etiam *Eusebius.* Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ πέμπτη. ὁ αὐτὸς (Κρίσων) τὸ τρίτον στάδιον. *Olympias octogesima quinta. Idem (Crison) tertia vice stadium.* Quod Archontem attinet, is Morychides dicitur Suidæ *in* Εὐθυμένης, & Scholiastæ Aristophanis *Acharnensibus.* Verba utriusque Auctoris statim proferam. Ac decretum sub hoc factum, ne comœdiæ deinceps ullæ agerentur. Anonymus *ibi.* Ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ἐγράφη. *Decretum ne comœdiæ agerentur scriptum est.* Sed non diu id obtinuit; moxque quarto inde anno, quo Euthymenes Archon erat, abrogatum; ut statim dicam. Post Myrichiden Glaucides fuit; quem secutus Theodorus, successorem Euthymenem habuit. Ita *Anonymus,* & *Diodorus,* nobis tradunt. Et Euthymenis apud Aristophanem est mentio, in *Acharnensibus*, v. 65. &c.

Ἐπέμψαθ' ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν,
Μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας,
Ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος, ——
Misistis nos ad regem magnum,
Mercedem habentes duas drachmas in diem,
Euthymene Archonte.

Sub hoc decretum, de quo dixi, Myrichide Archonte factum, ne comœdiæ agerentur, revocatum. Anonymus in *Myrichide Archonte.* Ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ἐγράφη, τὸ μετ' αὐτὰ ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος διαλυθέν. *Decretum ne comœdiæ agerentur scriptum est, quod postea Euthymene Archonte abrogatum.* Et mox in *hoc Euthymene.* Τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μυριχίδου, ἐλύθη. *Decretum ne comœdiæ agerentur, scriptum sub Myrichide, abrogatum. Suidas.* Εὐθυμένης, ὄνομα κύριον, ἄρχων Ἀθηναῖος· ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου. *Euthymenes, nomen proprium, Archon Atheniensis. Sub quo abrogatum est edictum ne comœdiæ agerentur, scriptum sub Morychide.* Scholiastes Aristophanis, ad *citata statim verba,* Ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος. οὗτος ὁ ἄρχων, ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου. καὶ ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ δύο τοὺς ἑξῆς, Ἐπιγίνου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπ' Εὐθυμένους κατελύθη. *Euthymene Archonte. Hic Archon fuit, sub quo abrogatum est decretum ne comœdiæ agerentur, scriptum sub Morychide. Et valuit eodem anno, & duobus sequentibus, nempe Epigini & Theodori, post quos sub Euthymene abrogatum est.* Sed corrupta illic verba sic emendo, καὶ δύο τοὺς ἑξῆς, ἐπὶ Γλαυκίδου τε καὶ Θεοδώρου. *Et duobus sequentibus, sub Glaucida & Theodoro.* Scriptum fuerat per compendium, ἐπὶ Γλαυ· quod mox ansam corrumpendo loco dedit. Actæ quoque eodem Archonte Aristophanis Ἀχαρνεῖς, Cratini Χειμαζόμενοι, & Eupolidis Νουμηνίαι. Idem Scholiastes, in *Argumento Acharnensium.* Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου. καὶ πρῶτος ἦν. δεύτερος, Κρατῖνος Χειμαζομένοις· τρίτος, Εὔπολις Νουμηνίαις. *Docta est Euthymene Archonte in Lenæis, per Callistratum. Et primus erat. Secundus, Cratinus Hyemantibus. Tertius, Eupolis Noviluniis.* Ac de *Acharnensibus* Comici, etiam Anonymus *illic.* Ἀχαρνεῖς Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν ἐν Ληναίοις. *Acharnenses Aristophanis docti sunt festo Lenæorum.* Arcis item tunc vestibula strui cœpta, architecto Mnesicle. Anonymus *ibidem.* Τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως οἰκοδομεῖν ἤρξαντο οἱ Ἀθηναῖοι, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος. *Vestibula arcis ædificare cœperunt Athenienses, Mnesicle Architecto.* Harpocration *in* Προπύλαια. Περὶ δὲ τῶν προπυλαίων τῆς ἀκροπόλεως, ὡς ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος οἰκοδομεῖν ἤρξαντο Ἀθηναῖοι, Μνησικλέους ἀρχιτεκτονοῦντος, ἄλλοι τε ἱστορήκασι, καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ τετάρτῃ. *De vestibulis autem arcis, Euthymene Archonte ædificare ea cœperunt Athenienses, Mnesicle architecto, & alii scripserunt, & Philochorus in quarta.*

CAP. II.

Nausimachus, sive rectius Lysimachus, Archon. Theopompus, sive Diopompus, stadio victor. Diodorus Siculus correctus. Isocrates nascitur. Diogenes Laertius emendatus. Democritus, Empedocles, Hippocrates, Gorgias, & Prodicus, florent. Plinii locus restituitur. Phrynichus comœdias edit. Antilochides Archon, inde Chares, & Apseudes. Meton in Pnyce solarium ponit.

NAUSIMACHUS sequitur, Olymp. LXXXVI. ann. I. quo Theopompus Thessalus stadio victor. Diodorus *lib.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησι Ναυσιμάχου, Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἕκτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα. καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Θεόπομπος Θετταλός.

παλός. *Archonte autem Athenis Nausimacho, Elei egerunt Olympiadem sextam & octogesimam, qua vicit stadium Theopompus Thessalus.* Victorem Theopompum *ibidem* Anonymus quoque nominat, & *Eusebius*. Platoni Διόπομπος dicitur, *De Leg.* lib. VIII. Archon vero hic Lysimachus aliis dicitur. Id *Anonymus* etiam indicat, cum inquit. Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ ἕκτη. Ναυσίμαχος Μυῤῥινούσιος, οἱ δὲ Λυσίμαχος, (ἄρχων.) *Olympias octogesima sexta. Nausimachus Myrrhinusius, alii vero Lysimachus, (archon.)* Verum ego emendandum *Diodorum* omnino existimo; scribendumque, Λυσιμάχου, pro Ναυσιμάχου. nam Lysimachus apud Auctores alios omnes nuncupatur, uti statim apparebit. Natus autem tunc Isocrates. Anonymus *illic*. Ἰσοκράτης ῥήτωρ ἐγεννήθη. *Isocrates rhetor natus est*. Plutarchus in *Vita ejus*, lib. *De x. Rhet.* Γενόμενος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου. *Natus octogesima sexta Olympiade Lysimachi Myrrhinusii*. Dionysius Halicarn. in *Isocrate*, Ἰσοκράτης ὁ Ἀθηναῖος ἐγεννήθη μὲν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου. *Isocrates Atheniensis natus quidem est octogesima sexta Olympiade, Archonte Athenis Lysimacho*. Diogenes Laertius in *Platone*, lib. III. c. III. Ἐστιν οὖν Ἰσοκράτους νεώτερος ἔτεσιν ϛ'. ὁ μὲν γὰρ, ἐπὶ Λυσιμάχου· Πλάτων δὲ, ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν. *Est igitur Isocrate junior annis sex. Ille enim quidem, tempore Lysimachi; Plato autem ætate Aminiæ fuit*. Sed corrupta leviter verba sic emendo, Ἰσοκράτους νεώτερος ἔτεσιν ζ'. *Isocrate junior annis septem*. Proclivis numerorum lapsus, quippe Isocrates septem annis Platone major. Plutarchus in *citato loco*. Πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος (ἔτεσιν) ἑπτά. *Senior autem Platone (annis) septem*. Putemus tempus. Natus Isocrates sub Lysimacho, quem secuti ordine Archontes Antilochides, Chares, Apseudes, Pythodorus, Euthydemus, Apollodorus, Epameinon; sive, ut alii, Epaminondas, aut Ameinias: sub quo Plato natus fuit. Ergo certa emendatio. Porro natalem Isocratis annum in hanc ipsam Olympiadem etiam *Suidas* refert. Ἰσοκράτης, Θεοδώρου αὐλοποιοῦ, Ἀθηναῖος ῥήτωρ, γενόμενος ἐπὶ τῆς ἕκτης καὶ ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Isocrates, Theodori fistularum fabri filius, Atheniensis rhetor, natus sexta & octogesima Olympiade*. Florebant etiam eo tempore Democritus Abderita, Empedocles Agrigentinus, Hippocrates Cous, Gorgias Leontinus, Prodicus Ceus. Eusebius in hoc ipso anno, *Chron.* II. Δημόκριτος Ἀβδηρίτης φιλόσοφος ἐγνωρίζετο, καὶ Ἐμπεδοκλῆς ὁ Ἀκραγαντῖνος, καὶ Ἱπποκράτης Κῷος ἰατρὸς, Γοργίας, καὶ Πρόδικος. *Democritus Abderita philosophus innotescebat, & Empedocles Agrigentinus, & Hippocrates Cous medicus, Gorgias, & Prodicus*. Ac de Gorgiæ ætate, emendandus omnino Plinius, *lib.* XXXIII. *cap.* IIII. *Hominum primus & auream statuam, & solidam, Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit*, LXXX, *circiter Olympiade*. Male editur, LXX. *circiter O.* Suidas *in* Γοργίας. Πορφύριος αὐτὸν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος τίθησι. *Porphyrius ipsum octogesima Olympiade ponit*. Nihil est certius. Phrynichus quoque Comicus fabulas suas edere tunc primum incœpit. Anonymus *ibidem*. Φρύνιχος Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἐδίδαξε τὸ πρῶτον. *Phrynichus Atheniensis, comicus posteriorum veteris comœdiæ, docuit primum*. *Suidas*. Φρύνιχος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἐδίδαξε τὸ πρῶτον ἐπὶ ὀγδοηκοστῇ καὶ ἕκτῃ Ὀλυμπιάδι. *Phrynichus, Atheniensis, comicus posteriorum veteris comœdiæ, docuit primum octogesima sexta Olympiade*. Post Lysimachum Antilochides; illum Chares, istum Apseudes est sequutus. Ita *Anonymus*, & *Diodorus*, nobis tradunt. sub Apseude Meton solarium suum in Pnyce posuit. Anonymus in *eo Archonte*. Μέτων, ὁ Παυσανίου, Λευκονοιεὺς, ἡλιοτρόπιον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἔθηκε. *Meton, Pausaniæ filius, Leuconœensis, solarium in comitio posuit*. Meminitque facti Suidas in Μέτων, Scholiastes Aristophanis *Avibus*, & Ælianus *Var. Hist.* lib. X. cap. VII. Quod Archontem Apseudem attinet, ejus mentio etiam occurrit apud Ptolemæum, Μεγ. Συντ. *lib.* III. Ἐκείνη μὲν γὰρ ἀναγράφεται γεγενημένη ἐπὶ Ἀψεύδους ἄρχοντος Ἀθήνησι. *Hæc enim recensetur facta Apseude Archonte Athenis*. Et mox iterum. Καί ἐστι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ἐπὶ τοῦ Ἀψεύδους ἀναγεγραμμένης θερινῆς τροπῆς, μέχρι τῆς ὑπὸ τῶν περὶ Ἀρίσταρχον τετηρημένης, τῷ πεντηκοστῷ ἔτει τῆς πρώτης κατὰ Κάλλιππον περιόδου, καθὼς καὶ ὁ Ἵππαρχος φησὶν, ἔτη ἑκατὸν πεντήκοντα δύο. *Et sunt quidem aliqua ab illa conversione æstiva quæ sub Apseude conscripta est, usque ad illam, quæ ab Aristarcho servata est, anno quinquagesimo primæ juxta Callippum periodi, prout etiam Hipparchus inquit, anni centum quinquaginta duo*.

CAP. III.

Pythodorus Archon. Sophron Ambraciotes stadio, Dorieus Rhodius pancratio vincit. Aristomenes Comicus claret. Euripides cum Sophocle, & Ephorione, certans, Phœnissas edit. Minervæ simulacrum aureum in arce ponitur. Belli Peloponnesiaci initium. Euthydemus Archon, & Apollodorus; sub quo Eupolis fabulas docet. Inde Archon Epaminon, sive Epaminondas, aut Aminias. Scholiastes Euripidis emendatur. Plato nascitur. Eusebii, & Chronici Alexandrini, error. Pericles moritur.

POST Apseudem Pythodorus memoratur, Olym. LXXXVII. anno I. quo Sophron Ambraciotes stadio vincebat. Diodorus *l.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Πυθοδώρου Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἑβδόμην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Σώφρων Ἀμπρακιώτης. *Archonte autem Athenis Pythodoro Elei egerunt Olympiadem septimam & octogesimam, qua vicit stadium Sophron Ambraciotes*. Anonymus. Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ ἑβδόμη, ἔτος πρῶτον, Πυθόδωρος (ἄρχων.) Σώφρων Ἀμβρακιώτης στάδιον. *Olympias octogesima septima, annus primus, Pythodorus (archon.) Sophron Ambraciotes stadium*. Habes de victore Sophrone etiam apud *Eusebium*. Dorieus quoque Rhodius, Diagoræ F. pancratio vicit. Anonymus *ibidem*. Δωριεὺς Διαγόρου Ῥόδιος παγκράτιον. *Dorieus Diagoræ fil. Rhodius pancration*. Aristomenes Comicus tunc florebat. Anonymus *ibidem*. Ἀριστομένης, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἐγνωρίζετο. *Aristomenes, comicus ex posterioribus veteris comœdiæ, innotescebat*. Idem dicit Suidas, *in* Ἀριστομένης. Euripides quoque Phœnissas edidit, cum Euphorione certans, & Sophocle. Anonymus *illic*. Αἱ Φοίνισσαι Εὐριπίδου ἐδιδάχθησαν. πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. *Phœnissæ Euripidis doctæ sunt. Primus Euphorion, secundus Sophocles, tertius Euripides*. Simulacrum etiam aureum Minervæ, Phidiæ opus, in arce positum, curante Pericle. Anonymus *ibidem*. Τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων μδ'. Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. *Statua aurea Minervæ posita est in æde magna, habens auri pondus talentorum quadraginta quatuor, Pericle curante Phidia vero artifice*. Schol. Aristoph. *Pace*. Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ταῦτα φησί. καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων μδ'. Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. *Philochorus Pythod. Arch. illa dicit. Et statua aurea Minervæ posita est in æde ma-*

gna, habens auri pondus talentorum quadraginta A *quatuor, Pericle curante, Phidia vero artifice.* Narrat factum etiam Plutarchus, in *Pericle*; & Suidas, *in* Φειδίας. Initium denique etiam belli Peloponneſiaci fuit. Thucydides, ubi de eo agit, *lib.* II. Καὶ Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις. *Et Pythodoro adhuc duos menſes Archonte Athenienſium.* Conſentit Dionyſius Halicarn. in *Iſocrate*, ubi dicit, natum eum oratorem anno quinto ante bellum illud Peloponneſiacum. Ἐγεννήθη ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου, πέμπτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου. *Natus eſt octogeſima & ſexta Olympiade, Archonte Athenis Lyſimacho, quinto anno ante* B *Peloponneſiacum bellem.* Euſebius quoque, in *hoc ipſo anno.* Ὁ Πελοποννησιακὸς συνέστη πόλεμος *Peloponneſiacum geſtum fuit bellum.* Alii ſequente anno, & Archonte Euthydemo, factum tradunt. In his *Anonymus*, & Diodorus *lib.* XII. Et hic Romæ conditæ fuit CCCXXIII. de quo Aulus Gellius, *lib.* XVII. *cap.* XXI. *Bellum deinde in terra Græcia maximum Peloponneſiacum, quod Thucydides memoriæ mandavit, cœptum eſt, circa annum fere poſt conditam Romam trecenteſimum viceſimum tertium.* Nempe, quia diffidere Auctores viderat, dubitanter etiam tradit, *cœptum circa annum fere trecenteſimum viceſimum tertium.* C Nam, ſecundum *Dionyſium*, & *Thucydidem*, annus erat Urbis conditæ trecenteſimus ſecundus. Porro Archontis hujus Pythodori meminit etiam Suidas, *in* Μέτων Πρὸ Πυθοδώρου ἡλιοτρόπιον ἦν ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν Πνυκί. *Ante Pythodorum autem ſolarium erat in comitio, quod nunc eſt, ad murum qui eſt in Pnyce.* Pythodorum eſt ſecutus Euthydemus. Ita *Anonymus* recenſet, & *Diodorus*; meminitque etiam ejus Athenæus *lib.* V. cujus verba ſtatim mihi proferenda. Hunc Apollodorus ſequitur, uti ex iiſdem clarum. Sub hoc Eupolis fabulas docuit. Anonymus *ibidem.* Εὔπολις τὰ αὑτοῦ δράματα ἐδίδαξε. *Eupolis ſuas fabulas docuit.* D Et Scholiaſtes Ariſtophanis, in Prolegomenis Εὔπολις Ἀθηναῖος ἐδίδαξεν ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου. *Eupolis Athenienſis docuit Archonte Apollodoro.* Plato item ſub hoc natus; uti teſtis Athenæus, *lib.* V. Πλάτων δὲ γεννᾶται ἐπὶ Ἀπολλοδώρου, τοῦ μετ' Εὐθύδημον ἄρξαντος. *Plato autem natus eſt ſub Apollodoro, poſt Euthydemum Archonte.* Et *mox.* Ἀπὸ Ἀπολλοδώρου, καὶ τῆς Πλάτωνος γενέσεως, τεσσαρεσκαιδέκατός ἐστιν ἄρχων Εὔφημος. *Ab Apollodoro autem, & Platonis natali, quatuordecimus eſt Archon Euphemus.* Alii factum id ſequente anno volunt, quo Archon Epaminon fuit. *Anonymus* ita eum nominat, annotatque; Πλάτων ἐγεννήθη. E *Plato natus eſt.* Diogeni Laertio Aminias dicitur, in *Platone*, lib. III. c. III. Πλάτων δὲ ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν. *Plato autem ſub Aminia natus eſt.* Diodoro eſt Epaminondas. Certe Epaminon indigetatur etiam Athenæo, *lib.* V. ubi mortuum illo Archonte Periclem tradit. Περικλῆς δὲ ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἄρχοντος Ἐπαμείνονος. *Pericles vero moritur tertio anno Peloponneſiaci belli, Archonte Epaminone.* Et Scholiaſtæ Euripidis, in *Argumento Hippolyti.* Ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις, Ἐπαμείνονος ἄρχοντος, Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ, ἔτει τετάρτῳ. *Scena fabulæ ſupponitur Thebis, Epaminone Archonte,* F *Olympiade octogeſima ſeptima, anno quarto.* Non recte editur, ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος. *Aminone Archonte.* Quod vero ad Platonis natalem attinet errat de eo vehementer *Euſebius*, qui conſtituit Olymp. XXXVIII. anno IV. quo Archon Stratocles, item *Chronicon Alexandrinum*, quod Olymp. LXXXIX. anno I. quo Iſarchus Archon fuit. Mortuus autem etiam Pericles eo Archonte, quo nimirum tertius annus belli Peloponneſiaci erat.

A Vidimus in *citatis* Athenæi *verbis*; & *Anonymus* item refert. Τρίτον ἔτος Πελοποννησιακοῦ πολέμου Περικλῆς ἀποθνήσκει. *Tertius annus Peloponneſiaci belli. Pericles moritur.* Thucydides exceſſiſſe ait anni tertii ſexto menſe. Ecce verba *libro* II. Ἐπεβίω δὲ (ὁ Περικλῆς) δύο ἔτη, καὶ ἓξ μῆνας. *Supervixit autem (Pericles) duos annos, & ſex menſes.*

CAP. VI.

Diotimus Archon. Symmachus Meſſenius ſtadio vincit. Euſebius emendatur. Diagoras Rhodius pancratiaſta. Thucydides illuſtratur. Megacles A- B *thenienſis quadriga vincit. Scholiaſtes Pindari reſtituitur. Anonymi in Deſcript. Olymp.* ἁμάρτημα μνημονικόν. *Anaxagoras moritur. Plato, ut quidam volunt, naſcitur. Euclides, ſive Euclees, Archon. Lex ab Ariſtophonte, ut pro notho haberetur, qui non cive matre natus. Cometa viſus. Ariſtotelis locus reſtitutus. Euthydemus, ſive Scythodorus, Archon. Phidias moritur. Stratocles Archon.* Ἱππεῖς *Ariſtophanis edita.*

OLYMP. LXXXVIII. anno I. Archon fuit Diotimus, ſub quo ſtadio victor Symmachus Meſſenius. *Anonymus.* Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ ὀγ- C δόη, ἔτος πρῶτον, Σύμμαχος Μεσσήνιος ἀπὸ Σικελίας στάδιον. *Olympias octogeſima octava, annus primus, Symmachus Meſſenius ab Sicilia ſtadium.* Diodorus *lib.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Διοτίμου Ἠλεῖοι ἤγον Ὀλυμπιάδα ὀγδόην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Σύμμαχος Μεσσήνιος. *Archonte autem Athenis Diotimo Elei egerunt Olympiadem octavam & octogeſimam, qua vicit ſtadium Symmachus Meſſenius,* Itaque emendandum erit apud *Euſebium* victoris nomen. Ὀγδοηκοστὴ ὀγδόη (Ὀλυμπιάς) Σύμμαχος Μεσσήνιος στάδιον. *Octogeſima octava (Olympias) Symmachus Meſſenius ſtadium.* Male edi- D tur, Σύμμαχος Μερλινιος. *Symmachus Merlynius.* Dorieus etiam Rhodius pancratio iterum vincebat. Anonymus *ibidem.* Δωριεὺς Διαγόρου Ῥόδιος παγκράτιον δεύτερον. *Dorieus Diagoræ filius Rhodius pancratium ſecunda vice.* Meminit hujus victoriæ illius *Thucydides.* Ἦν δὲ Ὀλυμπιάς, ᾗ Δωριεὺς Ῥόδιος τὸ δεύτερον ἐνίκα. *Erat vero Olympias, qua Dorieus Rhodius ſecundum vicit.* Megacles Athenienſis quadriga victor. Anonymus *ibidem.* Μεγακλῆς Ἀθηναῖος τεθρίππῳ. *Megacles Athenienſis quadriga.* Eſtque in eum Ode Pindari *Pythion.* VII. inſcripta, Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ τεθρίππῳ. *Megacli Athenienſi quadriga.* Ubi *Scholiaſtes.* Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Μεγα- E κλεῖ Ἀθηναίῳ, νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα τεθρίππῳ. *Scripta ode Megacli Athenienſi, qui vicit octogeſimam octavam Olympiadem quadriga.* Ita enim emendandum; perperamque hodie editur, ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα. *Octogeſima octava Pythiade.* Quippe Olympiadis hujus anno tertio celebrata Pythias quadrageſima prima. Oblitus ipſe ſui *Anonymus*, qui tunc Pythiadem triceſimam primam curru viciſſe memorat Arceſilaum Cyrenæum, quæ fuit Olymp. LXXVIII. anno I. ubi etiam eundem ponit. Sub Archonte hoc Anaxagoras etjam diem ſuum obiit. Anonymus *ibidem.* Ἀναξαγόρας Κλαζομένιος φιλόσοφος ἐτελεύτησε. *Anaxagoras* F *Clazomenius philoſophus eſt mortuus.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. II. c. VII. Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, γεγεννῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης. *Inquit vero Apollodorus in Chronicis, natum ipſum fuiſſe ſeptuageſima Olympiade, mortuum autem primo anno octogeſimæ octavæ.* Ita enim emendandum eum locum, monui nuper, *Attic. Lect.* lib. III. cap. XXVII. Quidam item in hunc annum referunt natalem Platonis. Anonymus *ibi-*

dem. Πλάτων γεννᾶται, κατά τινας. *Plato natus est, juxta quosdam.* Diotimum Euclides sequitur. Ita recenset *Anonymus*, & *Diodorus*; occurritque iterum infra Olymp. XCIV. anno II. Sub hoc, utro anno incertum, legem Aristophon orator tulit, e non cive matre natus uti nothus censeretur. Athenæus *lib.* XIII. Ἀριστοφῶν δ᾽ ὁ ῥήτωρ, ὁ τὸν νόμον εἰσενέγκων ἐπ᾽ Εὐκλείδου ἄρχοντος, ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται, νόθον εἶναι, αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ Καλλιάδου τοῦ κωμικοῦ ἐκ Χλωρίδος ἑταίρας παιδοποιησάμενος. *Aristophon rhetor, qui legem intulit Euclide archonte; ut qui non ex Urbana natus esset, nothus censeretur, ipse demonstratus fuit ab Calliade comico ex Chloride meretrice procreavisse.* Verum Archon hic Εὐκλέης, non Εὐκλείδης, Aristoteli nominatur; qui dicit, cometam sub eo visum, *Meteorolog.* lib. I. cap. VI. Ἐπὶ δ᾽ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος, ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς Γαμηλιῶνος, περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς. *Archonte autem Athenis Euclea Molonis filio, fuit cometes stella versus ursam, mense Gamelione, circa flexus sole existente hyemales.* Ubi Olympiodorus. Δείκνυσι γὰρ, ὡς ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους ἐγένετο κομήτης. *Innuit enim, quod Archonte Euclea fuerit cometa.* Et Alexander Aphrodiseus *ibidem*. Λέγει δὲ καὶ ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος, μηνὸς Γαμηλιῶνος, ὀφθῆναι κομήτην. *Dicit autem etiam Archonte Athenis Euclea Molonis filio, mense Gamelione, visum cometam.* Sed, ut obiter istud moneam, mutilus est ille Aristotelis *locus*, scribendumque; Ἐπὶ δ᾽ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος, τοῦ μετὰ Διότιμον, ἐγένετο κομήτης. *Archonte Athenis Euclea Molonis filio, qui post Diotimum, fuit cometa.* Nam Diotimum est secutus. Et sic in antiquis aliquot exemplaribus exstitisse, fidem facit Joannes Grammaticus, *suo illic Commentario*; ubi plane ad hunc modum verba illa Aristotelis repræsentat. Post Euclidem Euthydemus iterum magistratum eum cepit. Ita *Anonymus* eum vocat, & *Diodorus*; meminitque Athenæus *lib.* V. Ὁ δ᾽ Ἱππόνικος, ἐπὶ μὲν Εὐθυδήμου ἄρχοντος στρατηγῶν, παρατέτακται μετὰ Νικίου πρὸς Ταναγραίους. *Hipponicus autem, Euthydemo quidem Archonte militans, constitutus est cum Nicia contra Tanagræos.* Sed hic Scholiastæ Comici e Philochoro Scythodorus dicitur; ubi ait, mortuum sub eo Phidiam. Locus est insignis, in *Commentario ad Pacem*. Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησί. καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχων χρυσίου σταθμὸν ταλάντων τεσσαράκοντα τεσσάρων, Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. καὶ Φειδίας ὁ ποιήσας, δόξας παραλογίζεσθαι τὸν ἐλέφαντα τὸν εἰς τὰς φολίδας, ἐκρίθη. καὶ φυγὼν εἰς Ἦλιν, ἐργολαβῆσαι τὸ ἄγαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ λέγεται. τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος, ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἠλείων, ἐπὶ Σκυθοδώρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἕβδομος. *Philochorus Pythodoro Archonte illa dicit. Et statua aurea Minervæ posita in æde magna, habens auri pondus talentorum quadraginta quatuor, Pericle curante, Phidia vero artifice. Et Phidias artifex, existimatus fraudavisse ebur quod in squamis, condemnatus est. Et fugiens Elin, elaboravisse statuam Jovis Olympii dicitur. Illam autem quum elaborasset, occisum ab Eleis, sub Scythodoro, qui est ab illo septimus.* Ait, ecce, a Pythodoro Archonte septimum esse Scythodorum. Atqui iste est, quem *Anonymus*, & *Diodorus*, Euthydemum nobis dicunt. Post hunc Stratocles memoratur. Sub quo Ἱππεῖς Aristophanis edita. Anonymus *illic* Ἱππεῖς Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν δι᾽ αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ δημοσίᾳ εἰς Λήναια. *Equites Aristophanis docti sunt ab ipso poeta publica auctoritate in Lenæis.* Scholiastes Comici, in *ejus fabulæ Argumento*. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια δι᾽ αὐτοῦ Ἀριστοφάνους. *Docta fuit fabula Stratocle Archonte publica auctoritate in Lenæis per ipsum Aristophanem.*

CAP. V.

Isarchus rchon A. Symmachus Messenius stadio iterum, Dorieus Rhodius pancratio tertium, Hellanicus puer pugilatu vincit. Aristophanis Νεφέλαι πρῶται *actæ; item Cratini* Πυτίνη, *& Amipsiæ* Κόννος. *Aminias Archon. Aristoph.* Νεφέλαι δεύτεραι *actæ; ut &* Σφῆκες *semel, iterumque.*

STRATOCLEM Isarchus sequitur, Olymp. LXXXIX. anno I. victorque iterum stadio Symmachus Messenius, Dorieus Rhodius tertium pancratio, Hellanicus puer pugilatu. *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς ὀγδοηκοστὴ ἐννάτη, ἔτος πρῶτον, Ἴσαρχος (ἄρχων.) Σύμμαχος Μεσσήνιος τὸ δεύτερον. Δωριεὺς Διαγόρου Ῥόδιος παγκράτιον τὸ τρίτον. Ἑλλάνικος ὁ Ἀλκαινέτου, παῖς, πυγμήν. *Olympias octogesima nona, annus primus, Isarchus (Archon.) Symmachus Messenius secundum. Dorieus Diagoræ Rhodius pancratium tertia vice. Hellanicus Alcæneti filius, puer, pugilatu.* De Archonte, & victore Symmacho, *Diodorus*. Τούτου δὲ τοῦ ἔτους διελθόντος, Ἀθήνησι μὲν ἦν ἄρχων Ἴσαρχος, παρὰ δὲ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐννάτη καὶ ὀγδοηκοστὴ, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Σύμμαχος τὸ δεύτερον. *Illo autem anno transacto, Athenis quidem erat Archon Isarchus, apud Eleos vero Olympias acta fuit nona & octogesima, qua vicit stadium Symmachus secunda vice.* De victoria ista tertia Dorieі, non me alibi legere memini, nisi quod continuis tribus Olympiadibus vicisse eum pancratio dicat Pausanias, *Eliac.* II. Δωριεὺς δὲ ὁ νεώτατος, παγκρατίῳ νικήσας Ὀλυμπιάσιν ἐφεξῆς τρισίν. *Dorieus autem junior, pancratio victor Olympiadibus continuis tribus.* Hellanici autem meminit idem, *eodem libro*. Ἑλλάνικον δὲ τὸν Ἀλκαινέτου, καὶ Θέαντον, ἐπὶ πυγμῇ παίδων ἀναγορευθῆναι, τὸν μὲν ἐννάτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα Ὀλυμπιάδι, τὸν δὲ τῇ ἐφεξῆς ταύτῃ συνέβη τὸν Θέαντον. *Hellanicum autem Alcæneti filium, & Theantum, ob pugilatum puerorum declaratos, illum quidem nona & octogesima Olympiade, hunc vero insequenti accidit Theantum.* Aristophanis quoque Νεφέλαι πρῶται tunc actæ, ut Cratini Πυτίνη, & Amipsiæ Κόννος. Anonymus *illic.* Αἱ πρῶται Νεφέλαι Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν. Κρατῖνος νικᾷ Πυτίνῃ. Ἀμειψίας τὸ δρᾶμα Κόννον διδάσκει. *Primæ nubes Aristophanis doctæ sunt. Cratinus vicit Pytine, Amipsias fabulam Connon docet.* Scholiastes Comici, in *Argumento Nubium*. Αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει, ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ. *Primæ nubes doctæ fuerunt in urbe, Archonte Isarcho, quum Cratinus quidem vincebat Pytine, Amipsias vero Conno.* Isarchi porro Archontis hujus meminit etiam Athenæus *libro* V. Οὓς οὐκ εἰκὸς ἐν Ἀθήναις ἀσφαλῶς διατρίβειν, πρὸ τοῦ τὰς ἐνιαυσίας ἐπὶ Ἰσάρχου ἐλαφηβολιῶνος συντελεσθῆναι σπονδάς. *Quos non decebat Athenis tuto versari, antequam annuæ sub Isarcho mense Februario perfectæ essent induciæ.* Et mox. Ἀστύφιλος, πέμπτος ὢν ἀπὸ Ἰσάρχου, καθ᾽ ὃν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο. Ἴσαρχος γὰρ, εἶτ᾽ Ἀμεινίας, μεθ᾽ ὃν Ἀλκαῖος, εἶτ᾽ Ἀριστίων, εἶτ᾽ Ἀστύφιλος. *Astyphilus, quintus ab Isarcho, circa quem induciæ factæ. Isarchus enim, deinde Aminias, post quem Alcæus, deinde Aristion, postea Astyphilus.* Post Isarchum Aminias fuit. Vides in *citatis verbis* Athenæi; neque aliter apud *Anonymum*, aut *Diodorum*, invenire est. Ac sub eo actæ etiam Aristophanis Νεφέλαι δεύτεραι, item Σφῆκες; primum Olympiis, quæ in urbe; deinde iterum Lenæis.

Anonymus *ibi*. Αἱ δεύτεραι Νεφέλαι Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν. τῷ αὐτῷ καὶ σφῆκες, Ὀλυμπίων ἐν τῇ πόλει. καὶ τὸ δεύτερον, εἰς Λήναια. *Secundæ Nubes Aristophanis doctæ sunt. Eodem anno Vespæ, Olympiis in urbe. Et secundo, ad Lenæa.* Ac de Nubibus secundis, Scholiastes ejusdem Comici, in *citato Argumento*. Αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι, (ἐδιδάχθησαν) ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος. *Secundæ Nubes, (doctæ sunt) Aminia Archonte*. De Vespis vero, idem quoque in *ejus fabulæ* Argumento. Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπίων, καὶ τὸ δεύτερον εἰς Λήναια. *Docta fuit Archonte Aminia per Philonidam, in urbe Olympiis, & secundo ad Lenæa.*

CAP. VI.

Junonis Argivæ templum inceditur, Chrysidis sacerdotis incuria. Ejus fuga, sive mors, ut quidam volunt. Argivi annos per Junonis suæ sacerdotes computare soliti. Hellanici opus, Περὶ ἱερειῶν Ἥρας τῆς ἐν Ἄργει. *Thucydidis locus examinatus. Quoto Chrysidis anno templum conflagraverit. Chrysis quando sacerdotium suum inierit. Eusebii error.*

SUB eodem memorabile illud incendium accidit templi Junonis Argivæ, Chrysidis sacerdotis incuria; dum, ea somno correpta, corollæ a propinquo lychno accenduntur. Libet de re universa accuratius paullo dicere. Ac *Anonymi* primum verba in Archonte hoc proponemus, quæ sic habent. Ὁ νεὼς τῆς Ἥρας ἐν Ἄργει κατεκαύθη, Χρυσίδος τῆς ἱερείας λύχνον θείσης ἡμμένον πρὸς τὰ στέμματα· ἕκτον καὶ πεντηκοστὸν ἔτος αὐτῆς Χρυσίδος ἱερωμένης. *Templum Junonis in Argo combustum, quum Chrysis sacerdos lychnum posuisset ardentem prope infulas, sexto & quinquagesimo anno ipsius Chrysidis sacerdotii.* Narrat etiam Thucydides, *extremo lib.* IV. Καὶ ὁ νεὼς τῆς Ἥρας τοῦ αὐτοῦ θέρους ἐν Ἄργει κατεκαύθη, Χρυσίδος τῆς ἱερείας λύχνον τινὰ θείσης ἡμμένον πρὸς τὰ στέμματα, καὶ ἐπικαταδαρθούσης. ὥστε ἔλαθεν ἀφθέντα πάντα, καὶ καταφλεχθέντα. καὶ ἡ Χρυσὶς μὲν εὐθὺς τῆς νυκτὸς, δείσασα τοὺς Ἀργείους, ἐς Φλιοῦντα φεύγει. *Et templum Junonis eadem æstate in Argo combustum, quum Chrysis sacerdos lychnum quendam posuisset ardentem prope infulas, & mox somno correpta esset: ita ut ignara ipsa omnia conceperint flammam, & conflagraverint. Et Chrysis quidem statim noctu, metuens Argivos, Phliuntem fugit.* Ubi observa, effugisse Chrysidem Phliunta. Pausanias effugisse etiam ipse dicit, verum Tegeam. Verba sunt in *Corinthiacis*. Ἔστι δὲ ὑπὲρ τὸν ναὸν τοῦτον τοῦ προτέρου ναοῦ θεμέλιά τε, καὶ εἰ δή τι ἄλλο ὑπελείπετο ἡ φλόξ. κατεκαύθη δὲ, τὴν ἱέρειαν τῆς Ἥρας Χρυσίδα ὕπνου καταλαβόντος, ὅτε ὁ λύχνος πρὸ τῶν στεφανωμάτων ἥπτετο. καὶ Χρυσὶς μὲν, ἀπελθοῦσα ἐς Τεγέαν, τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἀλέας ἱκέτευεν. *Sunt autem super templum hoc prioris templi fundamenta, & si quid aliud reliquit flamma. Conflagravit autem, sacerdotem Junonis Chrysida somno corripiente, quum lucerna ante vittas accensa est. Et Chrysis quidem, digressa Tegeam, Minervæ Aleæ supplicavit.* At Clemens in *Protreptico* una cum templo combustam sacerdotem tradit. Τοῦτο τὸ πῦρ καὶ τὸν ἐν Ἄργει νεὼν σὺν καὶ τῇ ἱερείᾳ κατέφλεξεν. *Ille ignis & in Argo templum cum sacerdote quoque combussit.* Et ex eo, ut multa, Arnobius *lib.* VI. *Ubi Juno regina, cum inclytum ejus fanum, sacerdotemque Chrysidem, eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret?* Illud porro in *citato* Anonymi *loco* observandum, quod tam anxie annos sacerdotii Chrysidis repræsentet, istis verbis. ἕκτον καὶ πεντηκοστὸν ἔτος αὐτῆς Χρυσίδος ἱερωμένης. *Sextus & quinquagesimus annus ipsius Chrysidis sacerdotii.* Quippe Argivis usitatum, tempora sua per Junonis sacerdotes, ut per Ephoros Spartanis, per Archontes Atheniensibus, computare. Sic Thucydides, in *initio libri secundi*, bellum Peloponnesiacum cœptum scribit, ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης, καὶ Αἰνησίου ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ, καὶ Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις. *Sub Chryside in Argo tunc quinquaginta minus duobus annos sacerdotio usa, & Ænesia ephoro Spartæ, & Pythodoro adhuc duos menses Athenis Archonte.* Itaque Hellanici opus fuit, Περὶ ἱερειῶν Ἥρας τῆς ἐν Ἄργει; quod sine Auctore suo nominat Dionysius Halicarn. *lib.* I. Ὁ δὲ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει, καὶ τὰ καθ᾽ ἑκάστην πραχθέντα, συναγαγὼν, Αἰνείαν φησὶν, ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ᾽ Ὀδυσσέως, οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς πόλεως. *Qui autem sacerdotes quæ in Argo fuerunt, & quæ sub unaquaque acciderunt, collegit, Æneam inquit, ex Molottis in Italiam profectum cum Ulysse, conditorem fuisse urbis.* Constantinus Porphyrogenneta Auctorem præponit, *lib.* II. *Them.* II. Ἄλλοι δ᾽ ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Αἰόλου, ὡς Ἑλλάνικος Ἱερειῶν πρώτῃ τῶν ἐν Ἄργει. *Alii vero ab Macedone Æoli filio, ut Hellanicus, libro primo Sacerdotum Argivarum.* Et mox eodem libro, *Them.* VI. Εἶτα Σικελία ἐκλήθη, ὡς φησὶν Ἑλλάνικος Ἱερειῶν τῆς Ἥρας δευτέρῳ. *Postea Sicilia vocata est, ut inquit Hellanicus libro secundo Sacerdotum Junonis.* Citatque passim Stephanus, in Νισαία, Σίπυλος, Φαίαξ, Φρίκιον, Χαιρώνεια, Χαλκὶς, Χαονία. Sed Thucydidis ille *locus*, quem citabam, obiter examinandus: neque enim exactus calculus, siquidem sacerdos facta Chrysis ista Olymp. LXXV. anno I. a quo, ad Pythodorum Archontem, anni tantum quadraginta septem intersunt. Verum, quando anni istius Pythodori duo menses solum restabant, pro completo eum censuisse videtur. Inde autem, cum incenderetur templum, anni jam elapsi octo, cum dimidio. Indicat Thucydides ipse, *extremo quarto*, quem citavi. Ἔτη δὲ Χρυσὶς τοῦ πολέμου τοῦδε ἐπέλαβεν ὀκτὼ, καὶ ἔννατον ἐκ μέσου. *Annum autem Chrysis a bello hoc contigit octavum, & nonum medium.* Qui si cæteris adjungantur, erunt sex & quinquaginta, quos Anonymus ei tribuit, in *citatis statim verbis*; inciduntque in Olymp. LXXXIX. annum II. Ergo errat valde *Eusebius*, qui id refert Olymp. LXXXII. anno III.

CAP. VII.

Alcæus Archon. Eupolidis Κόλακες *acta. Aristion Archon. Diodorus emendatus. Eupolidis* Αὐτόλυκος, *& Pherecratis* Ἄγριοι, *actæ. Anonymi locus restitutus.*

POST Aminiam Archon Alcæus, uti clarum ex *Anonymo*, & *Diodoro*. Sub hoc acta Eupolidis Κόλακες. Anonymus *ibi*. Εὔπολις τοὺς Κόλακας ἐδίδαξε. *Eupolis Colaces docuit.* Athenæus *l.* V. Τέθνηκε δὲ πρὸ τῆς ἐπ᾽ Ἀλκαίου διδασκαλίας τῶν Εὐπόλιδος Κολάκων. *Mortuus est autem ante Alcæi editionem Eupolidis Colacum.* Meminitque Archontis eius iterum *paullo post*. Ἀμεινίας, μεθ᾽ ὃν Ἀλκαῖος, εἶτ᾽ Ἀριστίων, εἶτ᾽ Ἀστύφιλος. *Amynias, post quem Alcæus, deinde Aristion, postea Astyphilus.* Item Thucydid. *l.* V. Ἄρχει δὲ σπονδῶν ἔφορος Πλειστόλας, Ἀρτεμισίου μηνὸς μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος. ἐν δὲ Ἀθήναις, ἄρχων Ἀλκαῖος, Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος. *Incipiebat autem inducias ephorus Plistolas, Artemisii mensis quarto die exeuntis. Athenis vero, Archon Alcæus, Elaphebolionis mensis sexto die exeuntis.* Et mox, *eodem lib.* Ἐπὶ Πλειστόλα μὲν ἐν Λακεδαίμονι ἐφόρου, Ἀλκαίου δὲ ἄρχοντος Ἀθήνησι. *Sub Plistola quidem Lacedæmonis ephoro, Alcæo autem Archonte Athenis.* Hunc secutus Aristion. Vides in *citatis verbis* Athenæi. Μεθ᾽ ὃν Ἀλκαῖος. εἶτ᾽ Ἀριστίων *Post, quem Alcæus*,

dein Aristion. Neque aliter habes apud *Anonymum*. Male scribitur apud Diodorum *lib.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀρίστωνος. *Archonte autem Athenis Aristone*. Restituo, Ἀριστίωνος. Sub hoc acta Eupolidis Αὐτόλυκος, & Pherecratis Ἀργεῖοι. Anonymus *ibi*. Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον ἐδίδαξε. Φερεκράτης τοὺς Ἀργείους ἐδίδαξε. *Eupolis Autolycum docuit. Pherecrates Argivos docuit*. De Eupolidis autem Autolyco est & Athenæi locus, *lib.* V. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ καιρὸς, καθ' ὃν Ἀριστίων ἄρχων ἦν. ἐπὶ τούτου γὰρ Εὔπολις, τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου, χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου. *Est autem hoc tempus, circa quod Aristion Archon erat. Sub hoc enim Eupolis, Autolycum quum docuisset per Demostratum, subsannat victoriam Autolyci*. De Pherecrate, mendum est in loco Anonymi, legendumque, Φερεκράτης τοὺς Ἀγρίους ἐδίδαξε. *Pherecrate Agrestes docuit*. Athenæus Archontem, & sub eo actam fabulam, sic commemorat *lib.* V. Λέγει γοῦν, εἰ γὰρ εἶεν ἄνθρωποι Ἄγριοι, οἵους πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Λήναια. Ἐδιδάχθησαν δὲ οἱ Ἄγριοι ἐπ' Ἀριστίωνος ἄρχοντος. *Dicit igitur, si enim sint homines Agrestes, quales præterito anno Pherecrates poeta edidit in Lenæis. Docti enim sunt Agrestes Aristione Archonte*. Certe Ἄγριοι titulus fuit, non Ἀργεῖοι: ut in *Bibliotheca Attica*, ubi de Comici ejus fabulis, fuse ostendo.

CAP. VIII.

Astyphilus, sive Aristophylus Archon. Hyperbius Syracusanus stadio, Theantus pugilatu, Androsthenes stadio vincit. Archias Archon, inde Antiphon, inde Euphemus. Agathon tragicus victor Lenæis.

ARISTIONEM Astyphilus sequitur, Olymp. XC anno I. Ita *Anonymus* eum nominat; & Athenæus, *l.* V. Ἐδιδάχθησαν δὲ οἱ Ἄγριοι ἐπ' Ἀριστίωνος ἄρχοντος, ἀφ' οὗ ἐστιν ἄρχων Ἀστύφιλος, πέμπτος ὢν ἀπὸ Ἰσάρχου, καθ' ὃν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο. Ἴσαρχος γὰρ, εἶτ' Ἀμεινίας, μεθ' ὃν Ἀλκαῖος, εἶτ' Ἀριστίων, εἶτ' Ἀστύφιλος. *Docti sunt autem Agrestes Aristione Archonte, post quem est Archon Astyphilus, quintus ab Isarcho, sub quo induciæ sunt factæ. Isarchus enim, deinde Aminias, post quem Alcæus, deinde Aristion, postea Astyphilus*. Diodoro Aristophylus dicitur, *lib.* XII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀριστοφύλου Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἐνενηκοστήν. *Archonte autem Athenis Aristophylo Elei agebant Olympiadem nonagesimam*. Ac stadio tunc victor Hyperbius Syracusanus. Diodorus *ibidem*. Ἐνίκα στάδιον Ὑπέρβιος Συρακούσιος. *Vicit stadium Hyperbius Syracusius*. *Anonymus*. Ὑπέρβιος Συρακούσιος στάδιον. *Hyperbius Syracusius stadium*. Neque aliter *Eusebius*. Theantus puer pugilatu, Androsthenes pancratio vincebat. De Theanto, Anonymus *ibidem*. Θέαντος παῖς πυγμήν. Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον. *Theantus puer pugilatu. Androsthenes Arcas pancratium prima vice*. De Theanto, etiam Pausanias *Eliac.* II. Ἑλλάνικον δὲ τὸν Ἀλκαινέτου, καὶ Θέαντον, ἐπὶ πυγμῇ παίδων ἀναγορευθῆναι, τὸν μὲν ἐνάτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα Ὀλυμπιάδι, τὸν δὲ τῇ ἐφεξῆς ταύτῃ συνέβη τὸν Θέαντον. *Hellanicum autem Alcæneti filium, & Theantum, pugilatu puerorum renunciatos fuisse, hunc quidem nona & octogesima Olympiade, illum vero insequenti evenit Theantum*. De Androsthene, est Thucydidis iste locus, *l.* V. Ὀλύμπια δ' ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα. *Olympia autem fuere æstate illa, quibus Androsthenes Arcas pancratium prima vice vicit*. Item Pausaniæ, *Eliac.* II. Νικοδάμου δὲ ἔργον τοῦ Μαιναλίου παγκρατιαστής ἐστιν ἐκ Μαινάλου, δύο νίκας ἐν ἀνδράσιν ἀνελόμενος, Ἀνδροσθένης Λοχαίου. *Nicodami autem opus Mænalii est pancratiastes ex Mænalo, qui duas victorias in viris reportavit, Androsthenes Lochæi filius*. Aristophylum, sive Astyphilum, Archias sequitur; illum, Antiphon; hunc Euphemus. Ita *Diodorus* nobis, & *Anonymus*, repræsentant. Ac Euphemi meminit etiam Athenæus, *lib.* V. Ἀριστίων, ἐφ' οὗ τὸ συμπόσιον ὑπόκειται συνηγμένον, πρὸ τεσσάρων ἐτῶν Εὐφήμου πρότερον ἦρξεν. *Aristion, sub quo convivium fingitur congregatum, quatuor annos Euphemus prior Archon fuit*. Sub eo Agathon tragicus Lenæis vincebat. Anonymus *ibi*. Ἀγάθων ὁ τραγῳδοποιὸς στεφανοῦται Ληναίοις. *Agathon tragicus coronatur Lenæis*. Athenæus, *libro citato*. Ὅτε Ἀγάθων ἐνίκα, Πλάτων ἦν δεκατεσσάρων ἐτῶν. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Εὐφήμου στεφανοῦται Ληναίοις. *Quum Agathon vicit, Plato habebat quatuordecim annos. Hic enim quidem Archonte Euphemo coronatur Lenæis*.

CAP. IX.

Aristomnestus Archon. Isæus emendatus, & Scholiastes Aristophanis. Exænetus stadio victor. Eusebius restitutus. Archippus Comicus unica fabula vincit. Xenocrates nascitur, Speusippi scholam suscipit, eamque Polemoni inde tradit, moriturque. De ætatis ejus annis Diogenis Laertii, Luciani, & Anonymi, error ostensus. Xenoclis, & Euripidis, certamen. Chabrias Archon. Aristophanis Ὄρνιθες, *&* Ἀμφιάρεως, *Amipsiæ* Κωμασταὶ, *Phrynichi* Μονότροπος, *quando actæ. Pisander Archon; inde Cleocritus, seu Clearchus*.

OLYMP. XCI. anno I. Archon fuit Aristomnestus. Diodorus *l.* XII. Τῷ δὲ ἑκκαιδεκάτῳ παρ' Ἀθηναίοις μὲν ἦν ἄρχων Ἀριστόμνηστος. ἐπὶ δὲ τούτων παρὰ μὲν Ἠλείοις ἤχθη Ὀλυμπιὰς πρώτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα. *Sextodecimo vero apud Athenienses quidem erat Archon Aristomnestus. Sub his autem apud Eleos acta est Olympias prima & nonagesima*. Consentit *Anonymus*. Meminitque ejus Isæus in *Orat.* περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου, sed corrupto ibi nomine, ut ostendi *Attic. Lect.* lib. IV. cap XXXI. Emendandus vero etiam Scholiastes Aristophanis, in *Argumento Avium*. Λάβοι δ' ἄν τις τοὺς χρόνους, ἐκ τῶν πέρυσι γενομένων, ἐπὶ Ἀριστομνήστου, τοῦ πρὸ Χαβρίου. *Colligat vero quis tempora, ab illis quæ præterito anno facta sunt, sub Aristomnesto, qui ante Chabriam fuit*. Perperam quoque illic editur, ἐπὶ Ἀριμνήστου. Nempe mendum e compendio scriptionis natum fuit. Stadio autem sub Archonte isto vicit Exænetus Agrigentinus. Diodorus *lib.* XII. Ἐνίκα στάδιον Ἐξαίνετος ὁ Ἀκραγαντῖνος. *Vicit stadium Exænetus Agrigentinus*. Anonymus *ibidem*. Ἐξαίνετος Ἀκραγαντῖνος στάδιον. *Exænetus Agrigentinus stadium*. Corrigendus est *Eusebius*, apud quem male Ἐξάγενετος legitur, pro Ἐξαίνετος. Corruptus etiam est de eo Ælianus, *Var. Hist.* lib. II. cap. VIII. quem jam pridem emendandum esse monui, *Attic. Lect.* lib. III. cap. XXVIII. Archippus Comicus unica tunc fabula vicit. Anonymus *illic*. Ἄρχιππος Ἀθηναῖος κωμικὸς ἀρχαῖος ἐνίκησε ἅπαξ. *Archippus Atheniensis comicus vetus vicit semel*. Suidas in Ἄρχιππος. Ἐνίκησεν ἅπαξ, ἐπὶ τῆς ἐνενηκοστῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος. *Vicit semel, nonagesima prima Olympiade*. Natus tunc philosophus Xenocrates. Anonymus *illic*. Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος ἐγεννήθη. *Xenocrates Philosophus natus est*. Vixitque inde an. LXXXII. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, l. IV. c. XIV. Ἐτελεύτα δὲ, νυκτὸς λεκάνῃ προσπταίσας, ἔτος ἤδη γεγονὼς δεύτερον καὶ ὀγδοηκοστόν. *Mortuus autem, nocte in pelvim quum offendisset, annum jam natus secundum & octogesimum*. Lucianus in *Longævis* an. tribuit LXXXIV. Ξενοκράτης δὲ, Πλάτωνος μαθητὴς γενόμενος, τέσσαρα καὶ ὀγδοήκοντα. *Xenocrates autem, Platonis discipulus, natus quatuor & o-*

A *ctoginta*. Sed hæc vereor ut sint falsa. Ecce enim, suscepit Speusippi scholam sub Lysimacho Archonte, sive Lysimachides est, Olymp. cx. anno II. Tenuitque annos deinde xxv. Diogenes clare, *loc. cit.* Διεδέξατο δὲ Σπεύσιππον, καὶ ἀφηγήσατο τῆς σχολῆς πέντε καὶ εἰκοσιέτη, ἐπὶ Λυσιμάχου ἀρξάμενος, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, *Excepit autem Speusippum, & præfuit scholæ quinque & viginti annos, sub Lysimacho incipiens, circa secundum annum decimæ & centesimæ Olympiadis*. Et Anonymus *illic*. Σπεύσιππον τὸν φιλόσοφον τελευτήσαντα διεδέξατο Ξενοκράτης ἐπ' ἔτη κέ. *Speusippum philosophum mortuum excepit Xenocrates per annos viginti quinque*. Is vicesimus quintus annus, est secundus Olympiadis centesimæ decimæ sextæ; B quo Polemon eum, tunc defunctum, excepit. Refert Diogenes in *Polemone*, libro citato, c. XVI. Καὶ ποτὲ συνθέμενος τοῖς νέοις, καὶ ἐστεφανωμένος, μεθύων εἰς τὴν Ξενοκράτους ἧκε σχολήν. ὁ δὲ οὐδὲν διατραπεὶς, εἶρε τὸν λόγον ὁμοίως, ἦν δὲ περὶ σωφροσύνης. ἀκοῦον δὲ τὸ μειράκιον, κατ' ὀλίγον ἐθηράθη· καὶ οὕτως ἐγένετο φιλόπονος, ὡς ὑπερβάλλεσθαι τοὺς ἄλλους, καὶ αὐτὸν διαδέξασθαι τὴν σχολὴν, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς ἕκτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Et aliquando constituens cum juvenibus, & coronatus, ebrius in Xenocratis venit scholam. Ille vero, nihil perculsus, tulit sermonem simili modo, erat autem de temperantia. Audiens autem adolescens, paululum captabatur.* C *Et ita factus est laboris studiosus, ut superavit alios, & exceperit scholam, incipiens ab sexta decima & centesima Olympiade*. Anonymus in *Olymp.* CXVI. *anno* I. Πολέμων τὴν Ξενοκράτους σχολὴν διαδέχεται. *Polemo Zenocratis scholam excipit*. Verum antevertit annum; nam, ut dixi, si xxv. annos scholæ præfuit Xenocrates, mortuum oportet esse anno hujus Olympiadis centesimæ decimæ sextæ secundo; isque ætatis ejus fuerit, non, uti *Diogenes* tradit, octogesimus secundus; neque uti *Lucianus*, quartus; sed centesimus secundus. Atque hoc ἐν παρόδῳ dictum hoc loco volui. Porro sub Aristomnesto contendere inter se Xenocles, & Euripides, quatuor D fabulis; ille, Oedipode, Lycaone, Bacchis, & Athamante Satyrico; iste, Alexandro, Palamede, Troibus, & Sisypho Satyrico. Anonymus *ibidem*. Ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης. καὶ πρῶτος γε ἦν Ξενοκλῆς Οἰδίποδι, καὶ Λυκάονι, καὶ Βάκχαις, καὶ Ἀθάμαντι Σατυρικῷ. τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ, καὶ Παλαμήδει, καὶ Τρωσὶ, καὶ Σισύφῳ Σατυρικῷ. *Contenderunt invicem Xenocles & Euripides. Et primus erat Xenocles Oedipode, & Lycaone, & Bacchis, & Athamante Satyrico. Huic secundus Euripides erat Alexandro, & Palamede, & Troibus, & Sisypho Satyrico*. Memorat etiam Ælianus, *Var. Hist.* l. II. c. VIII. Aristomne- E stum vero Archontem Chabrias sequitur, uti ex *Diodoro* discimus, & *Anonymo*. Innuitque, Aristophanis Scholiastes, in *citatis statim verbis*, quæ sic a me emendata. Λάβοι δ' ἄν τις τοὺς χρόνους, ἐκ τῶν πέρυσι γενομένων, ἐπὶ Ἀριστομνήστου ἄρχοντος, τοῦ πρὸ Χαβρίου. *Colligat autem quis tempora, ab illis quæ præterito anno facta sunt, Aristomnesto Archonte, qui ante Chabriam*. Et tunc actæ Ὄρνιθες Comici. Anonymus *ibi*. Ὄρνιθες Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει. *Aves Aristophanis doctæ sunt in urbe*. Immo etiam Ἀμφιάραος. Scholiastes, in *citato* Avium ejus *Argumento*. Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου· εἰς δὲ Λήναια, τὸν Ἀμ- F φιάραον ἐδίδαξε ἀπὸ Φιλωνίδου. *Sub Chabria fabula pervenit in urbem per Callistratum. ad Lenæa autem Amphiaraum docuit ab Philonide*. Amipsiæ etiam Κωμασταὶ tunc editæ, & Phrynichi Μονότροπος. Observo apud eundem Scholiasten, in *altero Argumento* ejusdem fabulæ. Τὸ δρᾶμα τοῦτο, τῶν ἄγαν δυνατῶς πεποιημένων, ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου ἄρχοντος εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ. *Fabula hæc, earum una quæ validissime conscriptæ sunt, docta fuit sub Chabria Archonte in urbe per Callistratum, qui erat secundus Avibus, primus Amipsias Comessatoribus, tertius Phrynichus Solitario*. Chabriam vero insecutus est Pisander, hunc Cleocritus. Vide Diodorum *lib.* XIII. Plutarcho in *Lysia* Clearchus dicitur. Κτησάμενός τε οἰκίαν, καὶ κλήρῳ λαχὼν, ἐπολιτεύσατο ἕως Κλεάρχου, τοῦ Ἀθήνησιν ἄρχοντος, ἔτη ἑξήκοντα τρία. *Possidensque domum, ac hereditate sortitus, fuit civis usque ad Clearchum, Athenis Archontem, annos sexaginta tres*. Dissidium notat Anonymus in *illo anno*. Κλεόκριτος. οἱ δὲ Κλέαρχος, ἄρχων. *Cleocritus, alii vero Clearchus, Archon*. Vide quæ notata mihi *Attic. Lect.* lib. IV. cap. XIV.

CAP. X.

Callias Archon. Exænetus iterum stadio victor. Theopompus Archon; dein Glaucippus. Institutum de judicibus, ut per literas sortirentur; eorumque in rem istam juramentum. Sophoclis Φιλοκτήτης *acta. Diocles Archon. Euripidis* Ὀρέστης *acta*.

INDE Callias magistratum istum tenuit, Olymp. XCII. anno I. Videmus apud *Anonymum*, & Diodorum, *lib.* XIII. Ac tunc stadio victor iterum Exænetus, ut iidem nobis tradunt. Lysias quoque a Thuriis tunc Athenas rediit, anno ætatis XLVII. Anonymus *ibi*. Λυσίας ὁ ῥήτωρ, ὢν ἐτῶν τεσσαράκοντα ἑπτὰ, ὑπὸ τῶν Θουρίων καταστασιασθεὶς ὡς Ἀττικίζων, παραγίνεται αὖθις εἰς τὰς Ἀθήνας. *Lysias rhetor, natus annos quadraginta septem, ab Thuriis seditione oppressus tanquam Atticorum fautor, rediit Athenas*. Dionysius Halicarn. in *Lysias*. Καὶ παραγενόμενος αὖθις εἰς Ἀθήνας κατὰ ἄρχοντα Καλλίαν, ἕβδομον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος ἔχων, ὡς ἄν τις εἰκάσειεν, ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου διετέλεσε διατριβὰς ποιούμενος Ἀθήνησι. *Et reversus Athenas Archonte Callia, septimum & quadragesimum annum habens, prout quis conjecerit, ab illo tempore permansit, disputationes habens Athenis*. Plutar. in *vita Lysiæ*. Τῷ δ' ἑξῆς Καλλίᾳ Ὀλυμπιάδι ἐνενηκοστῇ δευτέρᾳ, αἰτιαθεὶς Ἀττικίζειν, ἐξέπεσε μετ' ἄλλων τριακοσίων· (Ita enim legendum esse, monui *Attic. Lect.* l. IV c. XV.) παραγενόμενος δ' Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρχοντος, ἤδη τῶν τετρακοσίων κατεχόντων τὴν πόλιν, διέτριβεν αὐτόθι. *Sequenti autem sub Callia Olympiade nonagesima secunda, accusatus Atticorum fautor, ejectus est cum aliis trecentis. Cum autem venisset Athenas sub Callia post Cleocritum Archonte, adhuc quadringentis obtinentibus urbem, commoratus est ibi*. Calliam sequitur Theopompus. Vide *Anonymum*, & *Diodorum*. Meminitque Lysias in *Orat.* quæ inscripta est, Ἀπολογία δωροδοκίας. Ἐγὼ γὰρ ἐδοκιμάσθην μὲν ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος, καταστὰς δὲ χορηγὸς τραγῳδοῖς, ἀνήλωσα τριάκοντα μνᾶς. *Ego enim approbatus sum Theopompo quidem Archonte, constitutus vero choragus tragicis, consumpsi triginta minas*, Et Plutarchus, in *Vita Antiphontis rhetoris*. Καὶ εἷλεν αὐτὸν ἐξ ἐρήμου ψήφισμα ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος, ἐφ' οὗ οἱ τετρακόσιοι κατελύθησαν. *Et sustulit illum vadimonii deserti decretum Theopompo Archonte, sub quo quadringenti abrogati sunt*. Dein Glaucippus est secutus. Laudat eum *Diodorus*, & *Anonymus*. Occurrit etiam apud Lysiam, in *cit. Orat.* Ἐπὶ δὲ Γλαυκίππου ἄρχοντος, εἰς πυρριχιστὰς Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις (ἀνήλωσα δραχμὰς) ὀκτακοσίας. *Glaucippo autem Archonte, ad pyrrichistas Panathenæis magnis (insumpsi drachmas) octingentas*. Dionysius Halicarn. in *Lysia*. Μέλλων ἐκπλεῖν εἰς τὴν Ἀσίαν

ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος, ἔχων νήπια παιδία, διαθήκας ἐποιήσατο. *Enavigaturus in Asiam Glaucippo Archonte, habens infantes liberos, testamentum fecit.* Sub hoc ipso institutum, uti judices, ductis literis, locum suum, quo sederent, sortirentur; jurare etiam ex eo soliti, se secundum literam suam consessuros. Verum mos hic per occasionem istam illustrandus. Legebantur judices decem, nempe e quaque tribu singuli; cuique α obtigisset, primus judicandi locus; cui β, huic secundus; cæterisque sic deinceps ordinatus: ultimus erat, cui κ obvenisset. Docet Scholiastes Comici *Pluto*, e Philochoro. Φησὶ γὰρ Φιλόχορος, ἐπὶ Γλαυκίππου. Καὶ ἡ βουλὴ κατὰ τὸ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθίζετο, καὶ ἔτι νῦν ὀμνύουσιν ἀπ' ἐκείνου, καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι ᾧ ἂν λάχωσι. τοῦτο δὲ ἀφ' ἑτέρου ἐστὶν ἑρμηνεῦσαι. Ἀθηναῖοι γὰρ ἀπὸ τῶν φυλῶν ἐποίουν τοὺς δικαστὰς κατὰ τὰ γράμματα. οἷον ἡ πρώτη, τὸ α εἶχε σημεῖον· ἡ δευτέρα, τὸ β. καὶ αἱ ἄλλαι ὁμοίως, ἕως τοῦ κ. δέκα γὰρ οὐσῶν φυλῶν, δέκα ἐγράφοντο δικασταί. ὁ οὖν λαχὼν τὸ α. πρῶτος ἐδίκαζε· καὶ ἄλλαι ὁμοίως. *Inquit enim Philochorus, sub Glaucippo. Et senatus secundum literam tunc primum conscendit, & quoque nunc jurant ex eo, consessuros juxta litteram quam sortiuntur. Illud autem ab alio potest explicari. Athenienses enim ex tribubus faciebant judices secundum literas. Nempe prima, α habuit signum. Secunda, β. & aliæ similiter, usque ad κ. Decem enim quum essent tribus, decem scribebantur judices. Qui igitur sortitus est α, primus judicabat. Et aliæ similiter.* Edita quoque hoc Archonte Philoctetes Sophoclis. Anonymus *illic*. Ἐδιδάχθη τὸ Σοφοκλέους δρᾶμα Φιλοκτήτης. *Docta fuit Sophoclis fabula Philoctetes.* Scholiastes poetæ in *Argumento* ejus Tragœdiæ. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου. *Docta fuit sub Glaucippo.* Post Glaucippum Diocles fuit; ut *Anonymus* nos docet, & *Diodorus*. Meminit Lysias, in *citata paullo ante Oratione*. Καὶ ἐπὶ Διοκλέους Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς κυκλικῷ χορῷ τριακοσίας. *Et sub Diocle Panathenæis parvis cyclico choro trecentas.* Sub eo acta Euripidis Ὀρέστης. Anonymus *illic*. Εὐριπίδης τὸν Ὀρέστην ἐδίδαξε. *Euripides Oresten docuit.*

CAP. XI.

Euctemon Archon. Eubatus, sive Eubotas, Cyrenæus stadio vincit. Eusebius emendatur. Polydamas pancratio vincit, & Euagoras Eleus bigarum cursu, qui tunc primum institutus. Theopompus Historicus, & Antiphanes Comicus, clari habentur.

DIOCLEM Euctemon sequitur, Olymp. XCIII. anno I. quo stadio victor Eubatus Cyrenæus. Diodorus *l.* XII. Τοῦ δ' ἔτους διελθόντος, Ἀθηναῖοι μὲν Εὐκτήμονι παρέδωκαν τὴν ἀρχὴν, Ὀλυμπιὰς δ' ἐγένετο τρίτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Εὔβατος Κυρηναῖος. *Hoc autem anno transacto, Athenienses quidem Euctemoni obtulerunt magistratum, Olympias autem erat tertia & nonagesima, qua stadium vicit Eubatus Cyrenæus. Anonymus.* Ὀλυμπιὰς ἐνενηκοστὴ τρίτη, ἔτος πρῶτον. Εὐκτήμων (ἄρχων.) Εὔβατος Κυρηναῖος στάδιον. *Olympias nonagesima tertia, annus primus. Euctemon (Archon.) Eubatus Cyrenæus stadium.* Xenophonti Eubotas dicitur, *Hist. Græc.* l. I. Τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοστὴ, ᾗ προστεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου, τὸ δὲ στάδιον Εὐβώτας Κυρηναῖος, ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Εὐαρχίππου, ἄρχοντος δ' ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος, Ἀθηναῖοι μὲν Θορικὸν ἐτείχισαν. *Alio autem anno, quo erat Olympias tertia & nonagesima, qua adjuncta biga vicit Euagoræ Elei, stadium vero Eubotas Cyrenæus, ephoro quidem Spartæ Euarchippo, Archonte autem Athenis Euctemone, Athenienses quidem Thoricum muro circumdederunt.*

A Nec Pausanias aliter nominat, *Eliac.* II. Εὐβώτας δὲ ὁ Κυρηναῖος, ἅτε τὴν ἐσομένην οἱ δρόμου νίκην ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τοῦ μαντείου τοῦ ἐν Λιβύῃ προπεπυσμένος, τήν τε εἰκόνα ἐπεποίητο πρότερον, καὶ ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς ἀνηγορεύθη τε νικήσας, καὶ ἀνέθηκε τὴν εἰκόνα. *Eubotas autem Cyrenæus, quippe qui futuram ipsi cursus victoriam in Olympia ab oraculo Libyco præscivisset, statuam fecit prius, & eodem die simul pronunciatus fuit victor, & dedicavit statuam.* Emendandus est Eusebius in *Chron.* Ἐνενηκοστὴ τρίτη Ὀλυμπιάς. Εὔβατος Κυρηναῖος στάδιον. *Nonagesima tertia Olympias. Eubotas Cyrenæus stadium.* Non recte editur, Εὔκατος Κ. Pancratio vincebat Polydamas Scotussæus.

B Anonymus *ibidem*. Παγκράτιον δὲ (ἐνίκα) Πολυδάμας ὁ Σκοτουσσαῖος. *Pancratium autem (vicit) Polydamas Scotussæus.* Totidem verbis *Eusebius*. Ac bigarum cursus tunc institutus, quo primus vicit Euagoras Eleus. Xenophon in *cit. verbis*. Ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοστὴ, ᾗ προστεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου. *Erat Olympias tertia & nonagesima, qua adjuncta biga vicit Euagoræ Elei.* Pausanias *Eliac.* I. Δρόμος δὲ δύο ἵππων τελείων, συνωρὶς κληθεῖσα, τρίτῃ μὲν Ὀλυμπιάδι ἐτέθη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα. Εὐαγόρας δὲ ἐνίκησεν Ἠλεῖος. *Cursus vero duorum equorum integræ ætatis, biga appellata, tertia*

C *quidem Olympiade institutus & nonagesima. Euagoras autem vicit Eleus.* Anonymus *illic*, totidem verbis Eusebius. Προσετέθη συνωρίς. καὶ ἐνίκα Εὐαγόρας Ἠλεῖος. *Apposita fuit biga, & vicit Euagoras Eleus.* Theopompus Chius historicus tunc inclaruit. Anonymus *ibidem*. Θεόπομπος Χῖος συγγραφεὺς ἐγνωρίζετο. *Theopompus Chius historicus inclaruit. Suidas.* Θεόπομπος Χῖος, ῥήτωρ, υἱὸς Δαμασιστράτου, γεγονὼς κατὰ τοὺς χρόνους τῆς ἀναρχίας Ἀθηναίων, ἐπὶ τῆς ἐνενηκοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος. *Theopompus Chius, rhetor, filius Damasistrati, natus circa tempora destituti Archontibus Atheniensium imperii, nonagesima tertia Olympiade.* Item Antiphanes Comicus. Anonymus

D *ibidem*. Ἀντιφάνης, Δημοφάνους· οἱ δὲ, Στεφάνου· καὶ μητρὸς Οἰνόης, Κιανός. ὡς δέ τινες, Σμυρναῖος· κατὰ δὲ Διονύσιον, Ῥόδιος· Κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας, ἐγνωρίζετο. *Antiphanes, Demophanis filius: alii vero, Stephani: Et matris Oenoæ, Cianus; ut autem quidam, Smyrnæus. Juxta autem Dionysium, Rhodius. Comicus mediæ comœdiæ, innotuit.* Suidas *in* Ἀντιφάνης. Γέγονε δὲ κατὰ τὴν τρίτην καὶ ἐνενηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Natus autem est circa tertiam & nonagesimam Olympiadem.*

CAP. XII.

E *Antigenes Archon; inde Callias. Sophocles, & Euripides, diem obeunt. Minervæ vetus templum incensum. Aristophanis* Βάτραχοι, *Phrynichi* Μοῦσαι, *& Platonis* Κλεοφῶν, *editæ. Alexias Archon. Antimachus poeta floret. Callias Atheniensis cinnabareos conficiendi rationem primus invenit, annis nonaginta circiter ante Archontem Praxibulum. Plinii locus restitutus.*

EUCTEMONI Antigenes succedit; uti nos *Anonymus* docet, & *Diodorus*. Meminitque ejus Dionysius Halicarn. *l.* VII. Κατέσχε τὴν τυραννίδα κατὰ τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ἐνενηκοστῆς καὶ τρίτης Ὀ-

F λυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου μετ' Ἀντιγένην. *Obtinuit tyrannidem tertio anno nonagesimæ & tertiæ Olympiadis, Archonte Athenis Callia post Antigenem.* Eodem modo Scholiastes Aristophanis, in *Argumento Ranarum*. Hunc Callias sequitur. Vides in *citatis illis* Dionysii *verbis*; & *Anonymus* repræsentat, ac *Diodorus*. Sub hoc Sophocles, & Euripides, moriuntur. Anonymus *illic*. Σοφοκλῆς, καὶ Εὐριπίδης, οἱ τραγῳδοποιοὶ, ἐτελεύτησαν. *Sophocles, & Euripides, tragici poetæ, mortui sunt.* Idem in hoc ipso anno commemorat Diodorus *lib.* XIII.

Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐτελεύτησε Σοφοκλῆς Σοφίλου, ποιητὴς τραγῳδιῶν. *Circa autem tempus illud mortuus est Sophocles, Sophili filius, poeta tragœdiarum.* Et *mox.* Ἀπολλόδωρος δὲ, τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος, φησὶ, καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι. *Apollodorus autem, chronicum opus qui composuit, inquit, etiam Euripidem eodem anno esse mortuum. Eusebius* horum mortem refert Olympiadis hujus anno primo. *Chronicon Alexandrinum*, Olymp. insequentis XCIV. anno III. Suidas dicit supervixisse Sophoclem per sex annos, *in* Σοφοκλῆς. Τελευτᾷ δὲ μετὰ Εὐριπίδην ἐτῶν ϛʹ. *Moritur autem post Euripidem annos sex.* Et superstitem eum *Apulejus* dicit. *Sophocles poeta, Euripidi æmulus, & superstes.* Quin dissidium etiam Diodorus notat, *libro citato.* Tunc Minervæ quoque vetus fanum conflagravit. Xenophon, *Hist. Græc.* lib. I. Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει, ἥ τε σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας, καὶ ὁ παλαιὸς τῆς Ἀθηνᾶς νεὼς ἐν Ἀθήναις ἐνεπρήσθη, Πιτύα μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δὲ Καλλίου Ἀθήνησιν. *Sequenti autem anno, tum luna defecit vesperi, tum vetus Minervæ templum Athenis succensum est, Pitio quidem Ephoro, Archonte autem Callia Athenis.* Eodem Archonte Aristophanis Βάτραχοι editæ. Anonymus *ibidem.* Βάτραχοι Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθησαν. *Ranæ Aristophanis doctæ sunt.* Simul etiam Phrynichi Μοῦσαι, & Platonis Κλεοφῶν. Scholiastes Comici, in *fabulæ dictæ Argumento.* Τὸ δὲ δρᾶμα, τῶν εὖ καὶ φιλοπόνως πάνυ πεποιημένων, ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, τοῦ μετ᾽ Ἀντιγένην, ἐπὶ Ληναίῳ. Φιλωνίδης ἐπεγράφη, καὶ ἐνίκα. Φρύνιχος δεύτερος, Μούσαις· Πλάτων τρίτος, Κλεοφῶντι. *Fabula autem, una earum quæ bene & laboriose admodum elaboratæ sunt, docta fuit sub Callia Archonte, qui fuit post Antigenem, in festo Bacchi. Philonides adscriptus est, & vicit. Phrynichus secundus, Musis. Plato tertius, Cleophonte.* Meminit Archontis hujus Athenæus, *lib.* v. Ἐγένετο δὲ ἡ ναυμαχία ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου, τῆς Περικλέους τελευτῆς ὕστερον ἔτεσιν εἴκοσι καὶ τέσσαρσιν. *Contigit autem navalis pugna Archonte Callia, Periclis morte posterior annis viginti quatuor.* Excepit autem eum Alexias; uti *Diodorus* tradit, & *Anonymus.* Meminitque ejus Xenophon, *Hist. Græc.* lib. II. Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει, ἐπὶ Ἀρχύτου μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δ᾽ ἐν Ἀθήναις Ἀλεξίου, Λύσανδρος, ἀφικόμενος εἰς Ἔφεσον, μετεπέμψατο Ἐτεόνικον ἐκ Χίου σὺν ταῖς ναυσί. *Sequenti autem anno, Archyta quidem Ephoro, Archonte vero Athenis Alexia, Lysander, perveniens Ephesum, arcessivit Eteonicum ex Chio cum navibus.* Lysias in *Oratione*, quæ inscribitur, Ἀπολογία δωροδοκίας. Ἐπειδὴ δὲ κατέπλευσα, ἐπὶ Ἀλεξίου ἄρχοντος, εὐθὺς ἐγυμνασιάρχουν εἰς Προμήθεια, καὶ ἐνίκων, ἀναλώσας δώδεκα μνᾶς. *Posteaquam autem appuli, Alexia Archonte, statim gymnasiarches fui ad Promethei festum, & vici, insumptis duodecim minis.* Sub hoc Antimachus poeta fuit. Anonymus *illic.* Ἀντίμαχος ὁ ποιητὴς ἤκμαζεν. *Antimachus poeta floruit.* Et Callias Atheniensis cinnabareos conficiendi rationem invenit. Anonymus *ibidem.* Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Καλλίας τὶς Ἀθηναῖος τὴν τῆς κινναβάρεως ἐργασίαν πρῶτος εὗρε. *Circa illud tempus Callias qui Atheniensis cinnabareos confectionem primus invenit.* Theophrastus *lib.* Περὶ λίθων. Γίνεται δὲ τὸ μὲν ὑφιστάμενον κάτω, κιννάβαρι· τὸ δ᾽ ἐπάνω, καὶ πλεῖον, πλύσμα. καταδεῖξαι δέ φασι, καὶ εὑρεῖν, τὴν ἐργασίαν Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων. *Fit autem subsidens infra, cinnabari. Quod vero supra est, & plus, lotura. Monstrasse autem dicunt, & invenisse, conficiendi opificium Calliam quemdam Atheniensem ex argenti fodinis.* Moxque id factum ait annis circiter nonaginta ante Archontem Praxibulum. Οὐ παλαιὸν δ᾽ ἐστὶν, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστ᾽ ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι. *Non autem vetustum est, sed circa annos potissimum nonaginta ad Archontem Praxibulum Athenis.* Fuit autem ille Archon, uti *infra* ostendemus, Olymp. CXVI. anno II. suntque ad eum ab hoc Alexia anni XCII. Itaque recte *Theophrastus*, Περὶ ἔτη μάλιστ᾽ ἐνενήκοντα, *Circa annos potissimum nonaginta*, dixit. Plinius ex hoc ipso loco, *l.* XXXIII. *c.* VII. *Theophrastus* XC. *annis ante Praxibulum, Atheniensium magistratum, quod tempus exit in Urbis nostræ* CCXLIX. *annum, tradit inventum minium a Callia Atheniense.* Sed corruptus iste locus, exciditque in annis Urbis centenarius numerus unus. Restituo, *in Urbis nostræ* CCCXLIX. *annum.* Quippe quartus ille annus Olymp. XCIII. incidit in Romæ conditæ CCCXLIX. Res est nota e *Fastis Capitolinis.* Quod ad Calliam, & inventum quoque ejus, meminit item Eustathius ad *Iliad.* βʹ. Ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ εὕρηται μίλτῳ συμμιγνύμενον τὸ κιννάβαρι. φησὶ γοῦν, τιγγάβαρι, τὸ κιννάβαρι Ἀττικοί. Διοκλῆς. ἡ μίλτος, οἶμαι, καὶ τὸ τιγγάβαρι. καὶ πάλιν. τιγγάβαρι, καὶ μίλτος ἀναμεμιγμένη. οὗ τὴν ἐργασίαν φασὶ πρῶτον εὑρεῖν Καλλίαν Ἀθηναῖον. *In rhetorico lexico invenitur minio commixtum cinnabari. Inquit enim, tingabari, cinnabari Attici. Diocles. Minium, existimo, etiam tingabari. Et rursus. Tingabari, & minium commixta. Cujus conficiendi rationem dicunt primum invenisse Calliam Atheniensem.*

CAP. XIII.

Anarchia. Pythodorus tamen Archon. Crocinas Thessalus stadio victor. Lasthenes cursu equum superat. Anonymi error. Democritus Abderita moritur; quoto ætatis suæ anno. Diogenes Laertius restitutus. Mendum etiam in Diodoro Siculo ostensum. Hippocrates diem suum obit.

OLYMP. XCIV. annus I. sine Archonte suo fuit, & ἀναρχία memoratur ab *Anonymo*, & Diodoro *lib.* XIV. Meminitque ejus Plutarchus *in Lysia.* Γράψαντος αὐτῷ Θρασυβούλου πολιτείαν μετὰ τὴν κάθοδον, ἐπὶ ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου. *Decernente illi Thrasybulo rempublicam post reditum, sub Archontis vacatione ante Euclidem.* Meminit etiam Ælianus *Var. Hist.* lib. v. cap. XIII. & Suidas, *in* Θεόπομπος. Nihilominus eo anno Pythodorus Archon fuit; verum, quia sub paucorum dominatu electus, non Athenienses eum pro Archonte censuere; & hunc annum ἀναρχίαν vocavere. Xenophon testis luculentus, *Hist. Græc.* lib. II. Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει, ἐν ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς, ᾗ τὸ στάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλὸς, Εὐδίου ἐν Σπάρτῃ ἐφορεύοντος, Πυθοδώρου δ᾽ ἐν Ἀθήναις ἄρχοντος, ὃν Ἀθηναῖοι, ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ ᾑρέθη, οὐκ ὀνομάζουσιν· ἀλλ᾽ ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλοῦσιν. *Sequenti autem anno, in quo erat Olympias, qua stadium vicit Crocinas Thessalus, Eudio Spartæ Ephoro, Pythodoro vero Athenis Archonte, quem Athenienses, quia sub imperio paucorum electus fuit, non nominant. Sed Archontis vacationem illum annum vocant.* Meminitque ejus Lysias, in *Orat.* ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ. Ἐπειδὴ δ᾽ ἐγὼ παρέλαβον τὸ χωρίον, πρὶν ἡμέρας πέντε γενέσθαι, ἀπεμίσθωσα Καλλιστράτῳ, ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος. *Postquam autem ego accepi agrum, antequam dies quinque lapsi erant, mercede locavi Callistrato, Pythodoro Archonte.* Athenæus *l.* VI. Ἐν δὲ Παλληνίδι τοῖς ἀναθήμασιν ἐπιγέγραπται τάδε. Ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν, οἱ ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος στεφανωθέντες χρυσῷ στεφάνῳ. *In Pallenide vero donariis inscripta sunt ista. Archontes & parasiti posuerunt, qui Pythodoro Archonte coronati aurea corona.* Nisi de illo accipere velis, incertum enim, qui hunc magistratum gessit Olymp. LXXXVII. anno I. aut CXI. item I. Ac stadio tunc victor Crocinas Thessalus. Habes in *citatis verbis* Xenophon-

tis

.tis. Τὸ ςάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλός. *Stadium vicit Crocinas Thessalus*. Vide quæ notavi pridem, *Attic. Lect.* lib. IV. c. XXIX. Lasthenes quoque Thebanus vicit, cursu cum equo contendens, Coronæa Thebas usque. Diodorus *lib.* XIV. Λασθένην τε τ̃ Θηβαῖον, τ̃ νενικηκότα ταύτην τ̃ Ὀλυμπιάδα, λέγεται πρὸς ἵππον ἀθλητὴν δραμόντα νικῆσαι· τὸν δὲ δρόμον, ἀπὸ τῆς Κορωνείας μέχρι τῆς Θηβαίων πόλεως γενέσθαι. *Lasthenem Thebanum, qui vicit illam Olympiadem, dicitur athletam contra equum currentem vicisse. Cursus autem, ab Coronæa usque Thebas urbem fuisse*. Errat *Anonymus*, qui ceu stadio victorem memorat. Κροκίνας Λαρισαῖος ςάδιον· ὡς δὲ ἄλλοι, Λασθένης ὁ Θηβαῖος. *Crocinas Larissæus stadium. Ut vero alii, Lasthenes Thebanus*. Democritus tunc defunctus fertur; centum, aut centum & quatuor, annorum. Anonymus *illic*. Δημόκριτος ἐτελεύτησε, ζήσας ἔτη ἑκατόν· ὡς δὲ ἄλλοι, ἑκατὸν καὶ τέσσαρα. *Democritus mortuus est, qui vixit annos centum. Ut autem alii, centum & quatuor*. *Eusebius* mortem ejus refert in Olympiadis hujus annum quartum. Sed quod senectutem attinet, sane centum quatuor annorum fuisse, testatur etiam Lucianus in *Longævis*. Δημόκριτος μὲν ὁ Ἀβδηρίτης, ἐτῶν γεγονὼς ρδ΄. ἀποσχόμενος τροφῆς, ἐτελεύτα. *Democritus quidem Abderites, annos natus centum & quatuor, abstinens alimento, mortuus est*. Phlegon, in *ejusdem tituli* libro. Δημόκριτος Ἀβδηρίτης, ἔτη ρδ΄. ἐτελεύτησε δὲ, τροφῆς ἀποσχόμενος. *Democritus Abderites, annos habuit centum & quatuor. mortuus autem est, alimento abstinens*. Itaque mendum erit in numeris apud Diogenem Laertium, in *ejus Vita*, lib. IX. c. XLIII. Ἀλυπότατα τ̃ βίον προήκατο, ὥς φησιν Ἵππαρχος, ρθ΄, ἔτη βιούς. *Doloris expertem vitam finivit, ut inquit Hipparchus, centesimo nono anno vitæ*. Rescribo, ρδ΄. ἔτη β. Facile corrumpitur δ΄. in θ΄. Sed, ut hoc nunc moneamus, si Democritus natus fuit Olymp. LXXVII. anno I. ut *supra* a me commemoratum, vixitque ad annum ætatis suæ centesimum quartum; quomodo nunc mori potuit? cum ab illo ad hoc tempus anni intersint tantum sexaginta novem. Si natalem collocamus in ejusdem Olympiadis anno tertio, anni tantum sexaginta septem erunt. si in primo octogesimæ, (nam, ut supra a me dictum, valde hic Auctores variant) sex & quinquaginta. Certe annus ætatis ejus centesimus quartus incidit in Olym. C. annum II. *Diodorus Siculus* mortuum etiam isto ipso anno dicit, sed annorum nonaginta tantum fuisse. Verba ejus ecce ista, *lib.* XIV. Περὶ δὲ τ̃ αὐτ̃ χρόνον καὶ Δημόκριτος ὁ φιλόσοφος ἐτελεύτησε, βιώσας ἔτη ἐνενήκοντα. *Circa autem idem tempus & Democritus philosophus mortuus est, quum vixisset annos nonaginta*. Sed corruptus sine dubio item numerus. Chronicon Alexandrinum refert in *Olymp.* CV. *annum* II. Qui Democritum autem annus, is Hippocratem etiam abstulit. Soranus in *ejus Vita*. Ἐτελεύτα δὲ (ὁ Ἱπποκράτης) παρὰ Λαρισαίοις, ὅτε καὶ Δημόκριτος φέρεται τελευτήσας. *Mortuus est autem (Hippocrates) apud Larissæos, quando etiam Democritus fertur mortuus*. In ætatis ejus annis, plane, item ut in Democriti, variatur. Soranus *ibidem*. Καὶ οἱ μὲν, ἐννενήκοντα ἐτῶν οἱ δὲ, πε΄. φασίν. ἄλλοι, ρδ΄. τινὲς, ρθ΄. *Et alii quidem, nonaginta annos. Alii vero, octuaginta quinque dicunt, alii centum & quatuor, quidam centum & novem*. Quæ si vera, neque hoc anno decessisse Hippocrates potest; quippe, ut *supra* dixi, natus Olymp. LXXX. anno I.

A CAP. XIV.

Euclides Archon, sub quo latæ leges plurimæ. Andocidis locus restitutus.

POST hunc anarchiæ annum, sive Pythodorum mavis, Euclides fuit. *Anonymus* dicit; & Diodorus, *lib.* XIV. Τῶν δὲ κατὰ τοῦτον τ̃ ἐνιαυτ̃ πράξεων τέλος ἐχουσῶν, Ἀθήνησι μὲν ἦν ἄρχων Εὐκλείδης. *Circa eundem autem annum gestis finem habentibus, Athenis quidem erat Archon Euclides*. Et Plutarchus indicat, in *Lysiæ Vita*, lib. *De* X. *Rhet.* Γράψαντος αὐτῷ Θρασυβούλου πολιτείαν μετὰ τ̃ κάθοδον, ἐπὶ ἀναρχίας τ̃ πρὸ Εὐκλείδου. *Vocante illum in controversiam civitatis Thrasybulo post reditum, sub magistratus vacatione quæ fuit ante Euclidem*. Meminitque ejus Lysias, in *Orat.* quæ inscribitur, Ἀπολογία δωροδοκίας, Ἐπὶ δὲ Εὐκλείδου ἄρχοντος κωμῳδοῖς χορηγῶν Κηφισοδότῳ, ἐνίκων, καὶ ἀνήλωσα σὺν τῇ τ̃ σκευῆς ἀναθέσει ἑκκαίδεκα μνᾶς. *Euclide autem Archonte comicis ludis choragium præbens Cephisodoto, vici, & insumpsi cum apparatus dedicatione sexdecim minas*. Isæus Περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Ἐὰν γὰρ ἐξαπατηθῆτε ὑμεῖς, πεισθέντες ὡς ἡ μήτηρ ἡμῶν οὐκ ἦν πολῖτις, οὐδ' ἡμεῖς ἐσμέν. μετ' Εὐκλείδην γὰρ ἄρχοντα γεγόναμεν. *Si vero decepti fueritis vos, credentes quemadmodum nostra mater non erat civis, neque nos esse. Post Euclidem enim Archontem nati sumus*. Æschines in *Timarchum*. Καὶ ἔσω ταῦτα ἄκυρα, ὥσπερ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα, ἢ τὰ πρὸ Εὐκλείδου. *Et sint ista irrita, quemadmodum quæ sub triginta, aut quæ ante Euclidem*. Demosthenes in *Timocratem*. Ἀλλὰ μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πρῶτον μὲν, Θρασύβουλον τ̃ Κολυττέα ἅπαντες μέμνησθε δὶς δεθέντα. *Sed post Euclidem Archontem o viri judices, primum quidem, Thrasybulum Colyttensem omnes meministis bis vinctum*. Sub hoc latæ leges variæ; in quibus ista, ne pro cive haberetur, nisi qui parente utroque cive natus: cum antea sufficeret, saltem alterutrum civem esse. Indicat Demosthenes, *Orat.* in *Eubulidem*. Τοῖς χρόνοις τοίνυν οὕτω φαίνεται γεγονὼς, ὥστε εἰ καὶ κατὰ θάτερα ἀςὸς ἦν, εἶναι πολίτην προσήκειν αὐτόν. γέγονε γὰρ πρὸ Εὐκλείδου. *Temporibus igitur sic apparet natus, ut etiamsi juxta alteram partem civis fuerit, esse civem conveniat ipsum. Natus enim fuit ante Euclidem*. Alia quoque; ne nothus, nothave, sacris appropinquarent. Isæus Περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου. Τοὐναντίον τοίνυν συμβέβηκεν ἢ ὡς ὁ νόμος γέγραπται. ἐκεῖ μὲ γὰρ ἐςι, νόθῳ, μηδὲ νόθῃ, εἶναι ἀγχιςείαν μήθ' ὁσίων, ἀπ' Εὐκλείδου. *Contrarium igitur evenit quam ut lex scripta est. Illic enim quidem est, notho, neque nothæ, competere accessum neque sacrorum, neque sanctorum, ab Euclide*. Item illa; ne quis populi imperium aut evertere conaretur; aut everso, magistratum ullum caperet; qui delinqueret, eum occidere impune esset; bonaque etiam interfecti is haberet, qui occideret. Andocides Περὶ μυςηρίων. Μέλιτον τοίνυν τοῖς παισὶ τοῖς τοῦ Λέοντος οὐκ ἔςι φόνου διώκειν, ὅτι τοῖς νόμοις δεῖ χρῆσθαι ἀπ' Αὐκλοίδου ἄρχοντος. *Melitum igitur liberis Leontis non licet cædis accusare, quia legibus decet uti ab Euclide Archonte*. Mox subjungit. Ὁ δὲ νόμος τί κελεύει, ὃς ἐν τῇ ςήλῃ ἔμπροσθέν ἐςι τοῦ βουλευτηρίου, Ὃς ἂν ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει, τ̃ δημοκρατίας καταλυθείσης, νηποινὶ τεθνάναι· καὶ τ̃ ἀποκτείναντα ὅσιον εἶναι, καὶ τὰ χρήματα ἔχειν τοῦ ἀποθανόντος. *Lex vero quid jubet, quæ in columna est ante tribunal? Si quis Archon fuerit in urbe, populari imperio dissoluto, impune moriatur. Et occisor sacer sit, & bona habeat mortui*. Verum mutilus iste locus; & omissum illic membrum legis prius, de imperio populari evertendo: itaque sic rescribendum, Ὃς ἂν δημοκρατίαν καταλύῃ τ̃ Ἀθήνησι, ἢ ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει, τ̃ δημοκρατίας κατ. *Si quis popu-*

late imperium dissolvat Athenis, aut Archon sit in urbe, populari imperio, &c. Nam ipsa legis verba sic habebant. Ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησι, ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ, καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων, καὶ νηποινὶ τεθνάτω· καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω. *Si quis populare imperium dissolvat Athenis, aut magistratu quodam fungatur, dissoluto populari imperio, inimicus erit Atheniensium, & impune moriatur. Et bona ejus publica sint.* Et quæ sequebantur. Habes plene paullo post apud eundem Andocidem, in *illa ipsa Oratione*. Quin & aliæ plures latæ, eo Archonte. Meminit simpliciter Demosthenes, Orat. in *Timocratem*. Διοκλῆς εἶπε, τοὺς νόμους, τοὺς πρὸ Εὐκλείδου τεθέντας ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ὅσοι ἐπ' Εὐκλείδου ἐτέθησαν, καί εἰσιν ἀναγεγραμμένοι, κυρίους εἶναι· τοὺς δὲ μετ' Εὐκλείδην τεθέντας, καὶ τὸ λοιπὸν τιθεμένους, κυρίους εἶναι ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἧς ἕκαστος ἐτέθη. *Diocles inquit, leges, ante Euclidem statutas in populari imperio, & quotquot sub Euclide latæ, & sunt conscriptæ, ratas esse; Quæ vero post Euclidem positæ, & reliquo tempore constitutæ, ratas esse ab die quo quæque posita est.* Ad quem locum *Ulpianus*. Εὐκλείδης ἄρχων ἐγένετο παρ' Ἀθηναίοις μετ' ὀλίγον χρόνον τῶν τριάκοντα. ἄξιον δέ ἐστι ζητῆσαι, διὰ τί εἶπε τοὺς πρὸ Εὐκλείδου νόμους, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν ἄρχειν, δεῖν κυρίους εἶναι; λέγομεν, ἐπειδήπερ, ὡς εἴπομεν, μετ' ὀλίγον τῶν τριάκοντα ἔτος ἐγένετο, μεταξὺ δὲ αὐτοῦ, καὶ τῶν τριάκοντα, ἐν ἐκείνῳ τῷ ὀλίγῳ χρόνῳ δημοκρατία ἦν παρὰ Ἀθηναίοις, καὶ μετ' αὐτόν. πάλιν διόλου. διὰ τοῦτο εἶπε τοὺς πρὸ αὐτοῦ, καὶ μετ' αὐτόν, *Euclides Archon fuit apud Athenienses post breve tempus triginta tyrannorum. Dignum autem est inquirere, quare dicat ante Euclidem leges, & quæ post ejus imperium, oportere ratas esse? Dicimus, quoniam, ut diximus, post breve tempus illorum triginta hic fuerit: inter vero ipsum & triginta, in illo brevi tempore populare imperium erat apud Athenienses, post ipsum rursus perpetuo. Hinc dicit quæ ante illum, & post illum.* Et apud Andocidem, in *citata Oratione*, pluries commemorantur οἱ ἀπ' Εὐκλείδου νόμοι. *Leges ab Euclide.*

CAP. XV.

Micion Archon; inde Epænetus, sive Exænetus, aut Xenænetus. Triginta tyranni sublati, & decem viri constituti. Ἀμνηστία sancita, a qua illi tamen exempti. Xenophon, Andocides, & Ælianus, emendati.

POST Euclidem Micio fuit; quem Epænetus secutus, sive tu Xenænetum mavis, aut Exænetum. Vide *Atticas Lectiones*, lib. v. c. XXVII. Sub hoc reddita pax Athenis, amotis primum Triginta tyrannis, inde Decemviris, qui his substituti fuerant, cum tyrannidem etiam ipsi affectarent. De Triginta tyrannorum amotione, & Decem aliorum substitutione, Diodorus nobis refert, *lib.* XIV. in hoc Archonte. Οἱ δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις, τοὺς μὲν τριάκοντα τῆς ἀρχῆς παύσαντες, ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεμψαν, δέκα δ' ἄνδρας κατέστησαν αὐτοκράτορας, εἰ δύναιντο μάλιστα φιλικῶς διαλύσασθαι τὸν πόλεμον. *Qui vero Athenis, triginta quidem imperio privantes, ex urbe emiserunt, decem autem viros constituerunt summæ potestatis, si possint maxime amice finire bellum.* Xenophon, *Hist. Græc.* lib. II. Καὶ τοῖς τριάκοντα οὐκ ἔφασαν χρῆναι πείθεσθαι, οὐδ' ἐπιτρέπειν ἀπολλύναι τὴν πόλιν. καὶ τὸ τελευταῖον ἐψηφίσαντο. ἐκείνους μὲν καταπαῦσαι, ἄλλους δὲ ἑλέσθαι, καὶ εἵλοντο δέκα, ἕνα ἀπὸ φυλῆς. *Et triginta viris negabant parendum esse, neque concedere ut periret urbs. Et denique decreverunt, illos quidem deponere, alios autem eligere. Et elegerunt decem, unum ex tribu.* Justinus *lib.* v. c. x. *His vocibus tantum promotum est, ut reversus in Urbem exercitus, Triginta tyrannos emigrare Eleusina juberet, substitutis Decem, qui remp. regerent.* Isocrates, in *Orat.* adversus Callimachum. Ἦρχον μὲν γὰρ οἱ δέκα, οἱ μετὰ τοὺς τριάκοντα κατασταθέντες. *Regnarunt enim quidem decem, qui post triginta constituti sunt.* Mox sancita rerum præteritarum oblivio. Xenophon *loco citato*. καὶ ὀμόσαντες ὅρκους, ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται. *Et quum jurejurando adfirmassent omnino non futuros injuriæ memores, adhuc etiam nunc simul rempublicam administrant.* Excepti tamen Triginta, & Decemviri; tam qui cum Triginta impositi Piræeo, quam qui, iis mox amotis, substituti. Xenophon *ibidem*. Οἱ δὲ διήλλαξαν, ἐφ' ᾧ τε εἰρήνην μὲν ἔχειν ὡς πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἑκάστους, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα. *Illi autem convenerunt, ut pax quidem esset inter se mutuo, abirent vero ad sua singuli, exceptis triginta, & undecim, & qui in Piræeo regnaverant decem.* Sed corruptum illic verbum sic restituo, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν δέκα. *Exceptis triginta, & decem.* Idem mendum est apud Andocidem, ubi de hoc juramento, quo sanxere oblivionem, in *Orat.* Περὶ τῶν μυστηρίων. Φέρε δὲ τοίνυν, οἱ ὅρκοι ὑμῖν πῶς ἔχουσιν; ὁ μὲν, κοινὸς τῇ πόλει, ὃν ὀμωμόκατε πάντες μετὰ τὰς διαλλαγάς. *Profer autem nunc, formulæ vestræ jurisjurandi quomodo se habent; hoc quidem, commune urbi, quod jurastis omnes post reconciliationes.* Inde ipsa juramenti verba ponit. Καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων, ὃς ἂν ἐθέλοι εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. *Et non memor ero injuriarum erga civium ullum, exceptis triginta, & undecim. Neque in illos, si quis velit repetundas dare imperii quod administravit.* Etiam *ibi* rescribendum, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν δέκα. *Exceptis triginta, & decem.* Sed quod in *citatis verbis* Xenophontis legitur, καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα, *Et in Piræeo qui regnarunt decem*, id ne turbet, per occasionem istam explicabo. Lysander cum Triginta viros Urbi captæ imposuisset, Decem alios etiam Piræeo imposuit. *Diodorus, Xenophon*, alii, non commemorant; sed diserte unus Plutarchus, in *Vita Lysandri*. Εὐθὺς δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν πολιτείαν ἐκίνησε, τριάκοντα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δὲ ἐν Πειραιεῖ καταστήσας ἄρχοντας· *Statim autem etiam quæ ad rempublicam commovit, triginta quidem in urbe, decem vero in Piræeo constituens Archontes.* Xenophon vero, etsi non commemoret illos suo loco, ubi de mutata a Lysandro rep. agit, mox eorum meminit tamen *eodem libro*. Ἀπέθανον δ' ἐνταῦθα, τῶν μὲν τριάκοντα, Κριτίας τε καὶ Ἱππόλοχος· τῶν δ' ἐν Πειραιεῖ δέκα ἀρχόντων, Χαρμίδης ὁ Γλαύκωνος. *Occubuerunt autem illic, ex triginta quidem, Critias & Hippolochus: ex decem vero in Piræeo Archontibus, Charmides Glauconis filius.* Sed Decemvirorum mentio in memoriam mihi revocat Æliani insignem locum, de mutatione quaque in Rep. Atheniensium. Exstat ille *Var. Hist.* lib. v. cap. XIII. Ἦσαν δὲ ἄρα Ἀθηναῖοι δεινοὶ εἰς τὰς πολιτείας εὐτράπελοι, καὶ ἐπιτήδειοι πρὸς τὰς μεταβολὰς παντὸς μᾶλλον. βασιλείαν μὲν γὰρ ἤνεγκαν σωφρόνως ἐπὶ Κέκροπος, καὶ Θησέως, καὶ τῶν Κοδριδῶν κάτω. τυραννίδος ἐπειράθησαν ἐπὶ τῶν Πεισιστρατιδῶν. ἀριστοκρατίᾳ δὲ ἐχρήσαντο μέχρι τῶν τετρακοσίων. εἶτα ὕστερον δέκα τῶν πολιτῶν καθ' ἕκαστον ἔτος ἦρχον τῆς πόλεως. τελευταῖον ἐγίνετο ἀναρχία περὶ τὴν τῶν τριάκοντα κατάστασιν. *Erant autem omnino Athenienses valde in reipublicæ regimine versuti, & idonei ad mutationes plus quam ullus. Nam regnum quidem tulerunt moderate sub Cecrope, & Theseo; & Codridis postea. Tyrannidem experti sunt sub Pisistratidis. Optimorum imperio usi sunt usque ad quadringentos. Dein tandem decem e civibus singulis annis rexerunt urbem. Postremo fuit magistratus vacatio circa triginta virorum con-*

stitutionem. Transposita esse isthic verba, Historia indicat, quæ sic habet. Initio Athenienses reges suos habuere; inde Archontes accepere: sub quibus tyrannidem exercuit Pisistratus, posterique ejus aliquot, qui ejecti Olymp. LXV. anno IV. Deinde vero aristocratia usi, usque ad Olymp. XCII. annum I. cum electi Quadringenti, qui sequente statim anno abrogati. postea, a Lysandro victi, Triginta tyrannos habuere, Olymp. CIV. anno I. qui cum Decem commutati, Olympiadis ejusdem anno quarto. eos quoque ipsos statim in primordio excussere. In *citatis Æliani istis verbis*. Decem illi ante Trigintacollocantur; quod est plane contra Historiam. quam ob rem restituendum. Ἀριστοκρατίᾳ δὲ ἐχρήσαντο μέχρι τῶν τετρακοσίων. εἶτα ὕστερον ἐγίνετο ἀναρχία, περὶ τὴν τῶν τριάκοντα κατάστασιν. τελευταῖον δέκα τῶν πολιτῶν καθ᾽ ἕκαστον ἔτος ἦρχον τῆς πόλεως. *Optimorum autem usi sunt imperio usque ad quadringentos. Dein tandem fuit magistratus vacatio, circa triginta virorum constitutionem. Postremo decem e civibus unoquoque anno rexerunt urbem*. Nunc luxata hactenus membra ejus loci collocavi; verum neque ita recte omnia habent. nam Decemviri statim in principio suo abrogati, quomodo ergo reip. singulis annis præfuerunt? Non luxata tantum verba, sed & mendum occupavit. Ita corrigo. Τελευταῖον δὲ καὶ τῶν πολιτῶν καθ᾽ ἕκαστον ἔτος ἦρχον τῆς πόλεως. *Postremo autem & e civibus unoquoque anno rexerunt urbem*. Hoc vult dicere *Ælianus*. Varias mutationes experti Athenienses, postquam denique anarchiam paterentur, cum Triginta imperarent; tandem rursum e civibus suis constitutos, qui annos singulos, more pristino, principatum Urbis tenerent. Hæc est vera constitutio, & explicatio, hujus loci; quem non temere magnus Scaliger in *Eusebianis suis* se non capere profitetur.

CAP. XVI.

Laches Archon. Minos stadio victor. Aristides emendatur. Socratis mors. Eusebii error, & Alexandrini Chronici. Aristocrates Archon. Astydamas Tragicus fabulas edere incipit. Ithycles Archon. Ctesias Historiam suam Persicam finit. Philoxenus, Timotheus, Telestes, & Polyidus, florent. Diodorus Siculus, & Stephanus, emendantur. Lysiades Archon. Lysiæ locus restitutus. Sophocles Sophoclis F. tragœdias suas edere incipit.

POST Epænetum Laches fuit, tenuitque magistratum Olymp. XCV. anno I. stadioque Minos Atheniensis victor. Diodorus *lib.* XIV. Τοῦ δ᾽ ἔτους τούτου διελθόντος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Λάχης. ἐγενήθη δὲ καὶ Ὀλυμπιὰς πέμπτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Μίνως Ἀθηναῖος. *Anno autem illo prætergresso, Athenis quidem Archon fuit Laches. Fuit autem etiam Olympias quinta & nonagesima, qua vicit stadium Minos Atheniensis*. Anonymus. Ὀλυμπιὰς ἐνενηκοστὴ πέμπτη, ἔτος πρῶτον. Λάχης ἄρχων. Μίνως Ἀθηναῖος στάδιον. *Olympias nonagesima quinta, annus primus. Laches (Archon.) Minos Atheniensis stadium*. Quod victorem illum attinet, Menon dicitur apud *Eusebium*. Archontis hujus meminit Aristides, *Platonica* II. Ἀπὸ δὲ Λάχητος εἰς Εὐβουλίδην, ἕβδομος ἄρχων Εὐβουλίδης αὐτός. *Ab Lachete vero usque ad Eubulidem, septimus Archon Eubulides ipse*. Ac mox. Ὁμοῦ τε γὰρ ἑκκαίδεκα οἱ σύμπαντες ἄρχοντες εἰς τὴν εἰρήνην ἀπὸ Λάχητος ἄρχοντος. *Una enim sexdecim in universum Archontes usque ad pacem ab Lachete Archonte*. Sed corruptus ille locus, & per hanc occasionem emendandus. Ita autem est scribendum, Ὁμοῦ τε γὰρ τεσσαρεσκαίδεκα οἱ σύμπαντες. *Una enim quatuordecim in universum*. Origo mendi ex confusione numerorum ιδ´. & ις´. Nam Theodotus a Lachete Archon tantum decimus quartus. Ecce seriem. Laches, Aristocrates, Ithycles, Lysiades, Phormio, Diophantus, Eubulides, Demostratus, Philocles, Nicoteles, Demostratus, Antipater, Pyrrhio, sive Pyrgio, Theodotus. Sub Lachete porro isto Socrates, cicuta hausta, diem obiit. Anonymus *illic*. Σωκράτης, πιὼν κώνειον, ἐτελεύτησε. Diodorus, *loco citato*. Ἀθήνησι δὲ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος, ὑπ᾽ Ἀνύτου καὶ Μελίτου κατηγορηθεὶς ἐπ᾽ ἀσεβείᾳ, καὶ φθορᾷ τῶν νέων, θανάτῳ κατεδικάσθη, καὶ πιὼν κώνειον ἐτελεύτησε. *Athenis vero Socrates philosophus, ab Anyto & Melito accusatus impietatis, & corruptelæ juvenum, morti addictus est, & bibens cicutam mortuus est*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. II. c. XLIV. Ἐτελεύτησε δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος. *Mortuus autem est primo anno nonagesimæ quintæ Olympiadis*. Et in *Vita Xenophontis*, eodem libro, cap. LV. Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ, ἐπὶ ἄρχοντος Ξεναινέτου, ἑνὶ πρότερον ἔτει τῆς Σωκράτους τελευτῆς. *Floruit autem circa quartum annum quartæ & nonagesimæ Olympiadis. Et adscendit cum Cyro, Archonte Xenenæto, uno anno ante Socratis mortem*. Aristides in *citata Oratione*. Καίτοι, ἐτελεύτησε μὲν Σωκράτης ἐπὶ Λάχητος ἄρχοντος. *Etiam mortuus quidem est Socrates Lachete Archonte*. *Eusebius* in annum proxime sequentem refert, minus recte. Magis errat *Chronicon Alexandrinum*, quod commemorat Olymp. CIV. anno I. Lachetem excepit Aristocrates. *Diodorus*. Τοῦ δὲ ἐνιαυσίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν τὴν ἀρχὴν Ἀριστοκράτης παρέλαβεν. *Annuo autem tempore dilapso, Athenis quidem magistratum summum Aristocrates accepit*. Estque ita apud *Anonymum*. Et Astydamas Tragicus fabulas tunc edere incepit; idque habes apud *Anonymum*, & *Diodorum*. Aristocratis successor Ithycles fuit. Anonymus *illic*, & *Diodorus*. Τοῦ δ᾽ ἔτους διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρξεν Ἰθυκλῆς. *Illo autem anno dilapso, Athenis quidem Archon fuit Ithycles*. In eo anno Ctesias Historiam Persicam finit; habitique tunc illustres Philoxenus, Timotheus, Telestes, & Polyidus. Diodorus *ibidem*. Κτησίας δ᾽ ὁ συγγραφεὺς τῶν Περσικῶν ἱστορίαν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστρεψεν, ἀρξάμενος ἀπὸ Νίνου καὶ Σεμιράμεως. ἤκμασαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοί, Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος φιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύειδος. *Ctesias vero historicus Persicarum rerum historiam usque ad illum annum perduxit, incipiens a Nino & Semiramide. Floruerunt autem circa illum annum illustrissimi dithyrambici poetæ, Philoxenus Cytherius, Timotheus Philesius, Telestes Selinuntius, Polyidus*. Quæ totidem verbis *Anonymus* refert. Sed exiguum illic mendum mirum quomodo hactenus locum illum insedit; nam scribendum, Τιμόθεος Μιλήσιος, *Timotheus Milesius*. Milesius enim Timotheus fuit. Stephanus *in* Μίλητος. Καὶ Θαλῆς Ἐξαμίου πατρὸς Μιλήσιος ἐχρημάτιζε, καὶ Φωκυλίδης, καὶ Τιμόθεος ὁ κιθαρῳδός· ὃς ἐποίησε Νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα, εἰς ἐπῶν ὀκτάκις χιλίων τὸν ἀριθμόν, καὶ προνόμια ἄλλων χίλια. *Et Thales Examio parte Milesius dictus est, & Phocylides, & Timoth. citharœdus; qui composuit cantuum citharœdicorum libr. octodecim, in odarum octo millium numerum, & pronomia aliorum mille*. Ubi obiter etiam corrige, καὶ προνόμια αὐλῶν χίλια. *Et pronomia tibiarum mille*. Suidas. Τιμόθεος, Θερσάνδρου, ἢ Νεομύσου, ἢ Φιλοπόλιδος, Μιλήσιος, λυρικός. *Timotheus Thersandri, aut Neomysi, aut Philopolidis filius, Milesius, lyricus*. Habes obviam apud Auctores. Post Ithyclem, Lysiades fuit. Diodorus *ibidem*. Τοῦ δ᾽ ἐνιαυσίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν τὴν ἀρχὴν παρειλήφει Λυσιάδης.

Annuo autem tempore elapso, Athenis quidem magistratum summum accepit Lysiades. Huic *Anonymus* consentit. Restituendum ejus nomen apud Lysiam, in *Orat.* ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ. Φησὶ δὲ ὁ κατήγορος, ἐπὶ Λυσιάδου ἄρχοντος σηκὸν ὑπ' ἐμοῦ ἐκκεκόφθαι. *Inquit autem accusator, Lysiada Archonte olivæ sacræ truncum ab me succisum*. Perperam editur, ἐπὶ Σουνιάδου ἄρχοντος, *Suniada Archonte*. Neque recte nuper volui, *Lect. Attic.* lib. IV. cap. VII. Et nunc retracto. Ac sub eo Sophocles filius fabulas suas edere incœpit. *Anonymus*. Ἐν ταῖς Ἀθήναις Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους τραγῳδίαν διδάσκειν ἤρξατο. *Athenis Sophocles Sophoclis filius tragœdiam docere incepit*. Totidem verbis *Diodorus*, a quo accepit.

CAP. XVII.

Phormio Archon. Eupolis, sive Eupolemus, stadio vincit. Tubicen, & præco, Olympiis additi; primusque ibi Crates victor, & Timæus. Diophantus Archon. Hic constituit, ut artifices, opera publica facientes, quodam modo publici essent: & sub eo drachma pro spectandis in theatro ludis constituta. Eubulides Archon. Lysiæ locus emendatus. Pugna navalis Cononis juxta Cnidum. Diodori Siculi error, & Anonymi indicatur. Demostratus Archon. Athenienses literis XXIV. uti incipiunt. Grammatica post Euclidem, *quænam dicta*.

OLYMP. XCVI. anno I. Archon Phormio; stadioque victor Eupolis. Diodorus in *eo anno*. Τοῦ δ' ἐνιαυσίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἔλαβε τὴν ἀρχὴν Φορμίων, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ἐννενηκοστὴ καὶ ἕκτη, ἣν ἐνίκα Εὔπολις Ἠλεῖος. *Annuo autem tempore elapso, Athenis quidem accepit magistratum summum Phormio, Olympias vero acta est nonagesima & sexta, qua vicit Eupolis Eleus. Eusebio* victor Eupolemus. Ἐννενηκοστὴ ἕκτη (Ὀλυμπιάς.) Εὐπόλεμος Ἠλεῖος στάδιον. *Nonagesima sexta (Olympias.) Eupolemus Eleus stadium*. Pausanias in *Arcadicis*. Τῆς ἕκτης καὶ ἐννενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Εὐπόλεμος Ἠλεῖος ἐνίκα στάδιον. *Sexta & nonagesima Olympiade, qua Eupolemus Eleus vicit stadium*. Et *Eliac.* II. Εὐπολέμου δὲ Ἠλείου τὴν μὲν εἰκόνα Σικυώνιος εἴργασται Δαίδαλος. τὸ δὲ ἐπίγραμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ μηνύει σταδίου μὲν ἀνδρῶν Ὀλυμπιάσι νίκην ἀνελέσθαι Εὐπόλεμον. *Eupolemi vero Elei statuam quidem Sicyonius elaboravit Dædalus. Inscriptio autem in ea indicat stadii virorum Olympiæ victoriam reportavisse Eupolemum*. Utrumque nomen ab *Anonymo* exhibetur. Ὀλυμπιὰς ἐννενηκοστὴ ἕκτη, ἔτος πρῶτον Φορμίων (ἄρχων.) Εὐπόλεμος Ἠλεῖος στάδιον. οἱ δὲ, Εὔπολις. *Olympias nonagesima sexta, annus primus. Phormion (Archon.) Eupolemus Eleus stadium. Alii autem, Eupolis*. Præco quoque, & tubicen, ad Olympicos ludos additi; & tubicen primus vicit Timæus, præco Crates; uterque Eleus. Eusebius, in *illa Olympiade*. Προσετέθη σαλπιγκτὴς, καὶ ἐνίκα Τίμαιος Ἠλεῖος. προσετέθη καὶ κῆρυξ, καὶ ἐνίκα Κράτης Ἠλεῖος. *Additus tubicen, & vicit Timæus Eleus. Additus fuit & præco, vicitque Crates Eleus*. Quæ totidem quoque verbis *Anonymus*. Phormioni mox successit Diophantus. Ita *Anonymus*, & *Diodorus*. Meminit ejus Pausanias *Arcadicis*. Ἐκεῖνο μὲν δὴ πῦρ ἠφάνιζεν ἐπινεμηθὲν ἐξαίφνης, Διοφάντου παρ' Ἀθηναίοις ἄρχοντος, ὑστέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἕκτης καὶ ἐννενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Illud quidem ignis consumpsit depastum subito, Diophanto apud Athenienses Archonte, posteriori autem anno sextæ & nonagesimæ Olympiadis*. Hic constituit, ut publica opera facientes artifices, publici essent quodam modo. Aristoteles *Politic.* l. II. c. V. Ἀλλ' εἴπερ δεῖ δημοσίους εἶναι τοὺς τὰ κοινὰ ἐργαζομένους (τεχνίτας,) δεῖ, καθάπερ ἐν Ἐπιδάμνῳ τε, καὶ ὡς Διόφαντός ποτε κατεσκεύαζεν Ἀθήνησι, τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον. *Sed si quidem oportet publicos esse qui communia administrant (artifices) oportet, quemadmodum & Epidamni, & prout Diophantus quondam constituit Athenis, illo modo esse*. Sub hoc pecunia, quæ pro ludis aspectandis solvebatur, cum initio duo tantum oboli essent, drachma constituta fuit. Hesychius *in* Δραχμὴ χαλαζῶσα. Ἐπὶ Διοφάντου τὸ θεωρικὸν ἐγένετο δραχμή. *Sub Diophanto pro spectaculis fuit drachma*. Vide Suidam *ibidem*, & Zenobium *Cent.* III. *Prover.* XXVII. Post Diophantum, est Eubulides. *Diodorus*. Ἐπεὶ δὲ ὁ ἐνιαυσιαῖος χρόνος διεληλύθει, Ἀθήνησι μὲν Εὐβουλίδης ἦρξεν. *Postquam autem annuum tempus esset elapsum, Athenis quidem Eubulides Archon fuit*. Ita *Anonymus* quoque nominat. Emendandus erit Lysias, Ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων. Ἀλλ' ἐκεῖνο ἐνθυμεῖσθε, ὅτι πρὶν Νικοφήμῳ, ἢ καὶ Ἀριστοφάνει, πρὶν τὴν ναυμαχίαν νικῆσαι, γῆ μὲν οὐκ ἦν, ἀλλ' ἢ χωρίδιον μικρὸν Ῥαμνοῦντι. ἐγένετο δὲ ἡ ναυμαχία ἐπ' Εὐβουλίδου ἄρχοντος. *Sed illud cogitate, quod ante Nicophemo, aut etiam Aristophani, ante navalem victoriam, ager quidem non fuerit, nisi agellus exiguus Rhamnunte. Facta autem navalis pugna Eubulide Archonte*. Male editur, ἐπ' Εὐβούλου, *sub Eubulo*. Nam Eubulus magistratum istum gessit anno demum IV. Olymp CVIII. amplius triginta annis post excessum Oratoris. Obiter autem eo loco observandum, pugnam navalem Cononis prope Cnidum accidisse sub Eubulide; optimusque in hac re nobis testis *Lysias*, qui ætate ea vixit: quare *Diodorus* errat necessario, qui in anno præcedente, sub Archonte Diophanto, illam refert; quem *Anonymus* temere sequitur. Meminit Archontis hujus Aristides, *Platonica* II. Τῆς δὲ ἐν Κορίνθῳ μάχης, καὶ τῆς ἐν Λεχαίῳ, μέσος ἄρχων Εὐβουλίδης· ἀπὸ δὲ Λάχητος εἰς Εὐβουλίδην, ἕβδομος ἄρχων ὁ Εὐβουλίδης αὐτός· ἀπὸ δὲ Εὐβουλίδου πάλιν, ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος· ἐφ' οὗ ἡ εἰρήνη ἐγένετο. *Inter prælium autem quod Corinthi, & quod in Lechæo, medius Archon Eubulides. Ab Lachete vero usque Eubulidem, septimus Archon Eubulides ipse. Ab Eubulide vero rursus, Archon octavus Theodotus. Sub quo pax fuit*. Olympiadis nominatæ anno quarto Archon traditur Demostratus. Ita *Anonymus*; & Diodorus, *l.* XIV. Τοῦ δὲ ἔτους τούτου διεληλυθότος, Ἀθηναῖοι μὲν παρέλαβε τὴν ἀρχὴν Δημόστρατος. *Illo autem anno elapso, Athenis quidem assumpsit summum magistratum Demostratus*. Sub hoc demum literis XXIV. uti Athenienses cœpere; cum sedecim hactenus habuissent. Chronic. Alexandrin. in *hoc anno*. Ἀθηναῖοι ἤρξαντο στοιχείοις κδ'. χρῆσθαι, πρότερον ις'. χρώμενοι. *Athenienses inceperunt literis viginti quatuor uti, antea sedecim usi*. Eusebius octennio ante refert, *Olymp.* XCIV. *anno* IV. Consentit *Cedrenus*, qui memorat circa Socratis mortem, quæ accidit Olymp. XCV. anno I. septennio nempe ante hoc tempus. Κατὰ τούτους τοὺς χρόνους καὶ οἱ Ἀθηναῖοι τοῖς κδ'. Ἑλληνικοῖς γράμμασιν ἐχρήσαντο, μόνα ις'. ὄντα πρότερον. καὶ Σωκράτης, ἐξ ἀνοίας τῶν Ἀθηναίων κώνειον πιὼν, ἐτελεύτα. *Circa illa tempora etiam Athenienses viginti quatuor Græcis literis usi sunt, quum tantum sedecim fuerint prius. Et Socrates ob dementiam Atheniens. cicutam bibens, mortuus est*. Ego cum *Eusebio* censeo, Olymp. XCIV. anno IV. istud factum. Huc pertinet, quod Euclidis magistratu, quem biennio ante gessit, nondum repertas fuisse longas, asseverat Schol. Eurip. in *Phœnissas*. Ecce tibi ejus verba. Γέγονε δὲ περὶ τὴν ἀρχὴν ἁμάρτημα. Ἐπ' ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνησιν Εὐκλείδου, μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βραχέσιν ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο· τῷ ε, ἀντὶ τοῦ η, καὶ τῷ ο, ἀντὶ τοῦ ω. ἔγραφον οὖν τῷ δήμῳ μετὰ τοῦ ι, δήμοι. *Fuit autem in principio error. Sub Archonte enim Athenis Eulcide, nondum longis repertis, brevibus pro longis utebantur; litera ε pro η, & ο pro ω, scribebant igitur vocem* δήμοι δήμῳ populo *cum* ι, δήμοι. Itaque *Grammatica post Euclidem* appellari cœpit, quæ has quoque literas, noviter tunc repertas, traderet. Meminit ejus Plutarchus, in *Aristide*. Ἐλέγχει τὰ γράμματα τὰ μετ' Εὐκλείδην ὄντα γραμματικῆς.

Arguit litteras quæ sunt illius post Eucidem grammaticæ. Ubi sine dubio, γράμματα τ̃ μετ' Εὐκλείδην γραμματικῆς. *Litteras post Euclidem grammaticæ*, illas literas vocat, quæ post Euclidem demum inventæ, nova etiam tunc Grammatica instituta, tradebantur. Erat obscurissimus ille *Plutarchi* locus per occasionem istam illustrandus; neque enim aliunde explicatio adducenda.

CAP. XVIII.

Philocles Archon. Terires, sive Terines, aut Terinæus, stadio vincit. Diodorus Siculus correctus. Phormio pugilatu victor. Anonymi error. Nicoteles Archon, hinc Demostratus, inde Antipater. Aristophanis Πλοῦτος, *Aristomenis* Ἄδμητος, *Nicocharis* Λάκωνες, *Nicophontis* Ἄδωνις, *& Alcæi* Πασιφάη, *editæ. Pyrrhion, sive Pyrgion, Archon. Sosippus stadio, Aristodemus lucta vincit. Theodotus, Mysticbides, & Dexitheus, ordine Archontes.*

OLYMP. XCVII. anno I. Philocles fuit. *Diodorus* Ἐπεὶ δ' ὁ ἐνιαύσιος διεληλύθει χρόνος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Φιλοκλῆς· ἤχθη δὲ καὶ Ὀλυμπιὰς κατὰ τοῦτον τ̃ ἐνιαυτὸν ἑβδόμη πρὸς τ̃ ἐννενήκοντα, ἣν ἐνίκα Τερίρης. *Postquam vero annum elapsum est tempus, Athenis quidem Archon fuit Philocles. Acta fuit autem Olympias illo anno septima & nonagesima, qua vicit Terires*. Ac Terires stadio vicit. Vides in *citatis verbis* Diodori. *Eusebio* Terinæus dicitur. Ἐννενηκοστὴ ἑβδόμη (Ὀλυμπιάς) Τεριναῖος Ἠλεῖος στάδιον. *Nonagesima septima (Olympias) Terinæus Eleus stadium*. In *Diodoro* rescribendum esse existimo, Τερίνης, ut sit idem, qui Terinæus. Meminit Terinæi etiam Plutarchus, in *Demosthene*. Præterea pugilatu vicit Phormio Halicarnasseus. Pausanias *Eliac*. I. Πρῶτοι δὲ, ἀριθμὸν ἓξ, ἐπὶ τ̃ ὀγδόης ἐστήσαν καὶ ἐννενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. Εὔπωλος γὰρ Θετταλὸς χρήμασι διέφθειρε τοὺς ἐλθόντας τῶν πυκτῶν, Ἀγήτορα Ἀρκάδα, καὶ Πρύτανιν Κυζικηνὸν, σὺν δὲ αὐτοῖς καὶ Φορμίωνα, Ἁλικαρνασσέα μὲν γένος, Ὀλυμπιάδι δὲ τῇ πρὸ ταύτης κρατήσαντα. *Primi autem, numero sex, octava erecti sunt & nonagesima Olympiade. Eupolius enim Thessalus pecunia corrupit advenientes pugiles, Agetorem Arcadem, & Prytanin Cyzicenum, cum illis vero etiam Phormionem, Halicarnassensem quidem genere, Olympiade autem hanc præcedente victorem*. Errat vehementer *Anonymus*, qui ceu stadio victorem nobis memorat. Ὀλυμπιὰς ἐννενηκοστὴ ἑβδόμη, ἔτος πρῶτον. Φιλοκλῆς (ἄρχων.) Τεριναῖος Ἠλεῖος, ὡς δὲ ἄλλοι, Φορμίων Ἁλικαρνασσεύς. *Olympias nonagesima septima, annus primus. Philocles (Archon.) Terinæus Eleus, ut vero alii, Phormio Halicarnassensis*. Philoclem Nicoteles sequitur; illum Demostratus, hunc Antipater. *Diodorus* ita narrat, & *Anonymus*. Sub Antipatro, edita Plutus Aristophanis. Anonymus *illic*. Πλοῦτος Ἀριστοφάνους ἐδιδάχθη. *Plutus Aristophanis doctus* Etiam Aristomenis Ἄδμητος, Nicophontis Ἄδωνις, Nicocharis Λάκωνες, Alcæi Πασιφάη. Scholiastes Comici, in *ejus fabulæ Argumento*. Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν, Λάκωσιν· Ἀριστομένους δὲ, Ἀδμήτῳ· Νικοφῶντος δὲ, Ἀδώνιδι· Ἀλκαίου δὲ, Πασιφάῃ. *Docta fuit Archonte Antipatro, antagonistis ejus Nicochare quidem per Lacones; Aristomene vero per Admetum; Nicophonte autem per Adonin; Alcæo autem per Pasiphaen*. Post Antipatrum, Pyrrhio fuit, Olymp. XCVIII. anno I. quo Sosippus Atheniensis stadio victor. Diodorus *lib.* XIV. Τοῦ δὲ ἔτους τούτου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Πυρρίων, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα Σώσιππος Ἀθηναῖος. *Illo autem anno elapso, Athenis quidem Archon fuit Pyrrbio, Olympias vero acta fuit octava & nonagesima, qua vicit Sosippus Atheniensis*. Sed Archontis nomen variat, & Pyrgion aliis dicitur. In-

A de *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς ἐννενηκοστὴ ὀγδόη ἔτος πρῶτον. Πυργίων, οἱ δὲ Πυρρίων, (ἄρχων.) Σώσιππος Ἀθηναῖος στάδιον. *Olympias nonagesima octava, annus primus. Pyrgion, alii vero Pyrrbio, (Archon.) Sosippus Atheniensis stadium*. Sane Pyrgion Dionysio est, *Antiquit. Rom.* l. I. Ἡ Κελτῶν ἔφοδος, καθ' ἣν ἡ Ῥωμαίων πόλις ἑάλω, συμφωνεῖται σχεδὸν ὑπὸ πάντων, ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυργίωνος, γενέσθαι, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τ̃ ὀγδόης καὶ ἐννενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Celtarum expeditio, qua Romanorum urbs capta est, consensu statuitur fere ab omnibus, Archonte Athenis Pyrgione, facta esse, circa primum annum octavæ & nonagesimæ Olympiadis*. Victor stadio, est Sosippus quidem *Eusebio*, verum Delphus, non Atheniensis. Ὀγδοηκοστὴ
B ὀγδόη (Ὀλυμπιάς.) Σώσιππος ὁ Δελφὸς στάδιον. *Octogesima octava (Olympias.) Sosippus Delphus stadium*. Lucta quoque tunc vincebat Aristodemus Eleus. Eusebius *ibidem*. Ἀριστόδημος Ἠλεῖος πάλην. ὃ μέσα οὐδεὶς ἔλαβεν. *Aristodemus Eleus luctam. Cujus medias palmas nemo accepit*. Meminit ejus Pausanias *Eliac*. II. Hunc secutus est Theodotus; ut indicium nobis facit *Diodorus*, & *Anonymus* ex eo. Mentionem ejus habet Aristides, *Platonica* II. Ἀπὸ δὲ Εὐβουλίδου πάλιν ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος, ἐφ' οὗ ἡ εἰρήνη ἐγένετο. *Ab Eubulide vero rursus Archon octavus*
C *Theodotus, sub quo pax icta est*. Huic Mysticbides successit, isti Dexitheus. Ita memorat *Diodorus*, & *Anonymus*. Ac Dexithei meminit etiam Plutarchus in *Demosthene*, lib. *De X. Rhet*. Ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς, λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέου εἰς Καλλίμαχον, ἐφ' οὗ παρ' Ὀλυνθίων ἧκε πρεσβεία περὶ τ̃ βοηθείας, ἐπεὶ ἐπιέζοντο ὑπὸ Φιλίππου τῷ πολέμῳ, ἔπεισεν ἐκπέμψαι τ̃ βοήθειαν. *Septem & triginta annos natus, si supputetur ab Dexitheo usque ad Callimachum, sub quo ab Olynthiis venit legatio ob auxilium, quoniam premebantur ab Philippo bello, persuasit ut mitterent auxilium.*

CAP. XIX.

D *Diotrephes Archon. Dicon stadio vincit. Certamen junctis ad currum pullis institutum; primusque eo victor Sybariades, an Eurybatas, Lacedæmonius. Sotades Cretensis curriculo longiore vincit. Aristoteles nascitur. Phanostratus Archon. Gemina eclipsis lunæ. Evander Archon. Diodori Siculi locus emendatur. Tertia eclipsis lunæ. Demophilus Archon. Demosthenes nascitur.*

DEXITHEO successit Diotrephes, Olymp. XCIX. anno I. cum stadio vicit Dicon Syracusanus. *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς ἐννενηκοστὴ ἐνάτη, ἔτος πρῶτον. Διοτρεφὴς (ἄρχων,) Δίκων Συρακούσιος στάδιον. *Olympias nonagesima nona, annus primus. Dio-*
E *trephes (Archon.) Dicon Syracusanus stadium*. Diodorus *lib.* XV. Τοῦ δὲ ἐνιαυσιαίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Διοτρεφὴς, παρὰ δ' Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐννενηκοστὴ ἐνάτη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Δίκων Συρακούσιος. *Annuo autem tempore elapso, Athenis quidem Archon fuit Diotrephes, apud Eleos vero Olympias acta est nonagesima nona, qua vicit stadium Dicon Syracusanus*. Eusebius. Ἐννενηκοστὴ ἐνάτη (Ὀλυμπιάς.) Δίκων Συρακούσιος στάδιον. *Nonagesima nona (Olympias.) Dicon Syracusanus stadium*. Meminitque ejus etiam Pausanias, *Eliac*. II. Tunc inceptum junctis ad currum pullis certari; primusque
F in certamine illo victor fuit Sybariades Lacedæmonius. Anonymus *illic*. Πώλων ἅρμα προσετέθη. Λακεδαιμόνιος δὲ Συβαριάδης πρῶτος τ̃ στέφανον τ̃ πώλων ἔσχε τοῦ ἅρματος. *Pullorum currus adjectus est. Lacedæmonius autem Sybariades primus coronam pullorum vehiculi obtinuit*. Pausanias *Eliac*. I. Ἐνάτῃ δὲ ἤρεσεν Ὀλυμπιάδι καὶ ἐννενηκοστῇ καὶ πώλων ἅρμασιν ἀγωνίζεσθαι. Λακεδαιμόνιος δὲ Συβαριάδης τ̃ στέφανον τ̃ πώλων ἔσχε τοῦ ἅρματος. *Nona autem placuit Olympiade & nonagesima etiam pullorum curribus certare.*

Lacedæmonius vero Sybariades coronam pullorum currus accepit. Eusebio Eurybatas dicitur. Προσετέθη τέθριππον πωλικὸν, καὶ ἐνίκα Εὐρυβάτας Λάκων. *Adjecta est quadriga ex pullis, vicitque Eurybatas Lacon.* Porro Sotades Cretensis longiore curriculo vincebat. Pausanias *Eliac.* II. Σωτάδης δὲ ἐπὶ δολιχοῦ νίκαις Ὀλυμπιάδι μὲν ἐννάτῃ καὶ ἐννενηκοστῇ Κρὴς, καθάπερ γε καὶ ἦν, ἀνεῤῥήθη. *Sotades autem post longioris curriculi victorias Olympiade quidem nona & nonagesima Cretensis, prout etiam erat, renunciatus est.* Anonymus *ibidem.* Σωτάδης Κρὴς δολιχόν. *Sotades Cretensis longius curriculum.* Aristoteles hoc anno natus traditur. Dionysius Halicarn. in *Epistola ad Ammæum.* ἐγεννήθη δὲ (ὁ Ἀριστοτέλης) κατὰ τὴν ἐννενηκοστὴν καὶ ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, Διοτρεφοῦς Ἀθήνησιν ἄρχοντος. *Natus autem fuit (Aristoteles) nonagesima & nona Olympiade, Diotrephe Athenis Archonte.* Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, lib. V cap. IX. Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, γεννηθῆναι μὲν αὐτὸν τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Inquit autem Apollodorus in Chronicis, natum quidem ipsum primo anno nonagesimæ Olympiadis.* Suidas *in* Ἀριστοτέλης, Ἐγεννήθη δὲ ἐν τῇ ἐννενηκοστῇ ἐννάτῃ Ὀλυμπιάδι. *Natus autem est nonagesima nona Olympiade.* Post Diotrephem Archontem, est Phanostratus. Memoratur a *Diodoro*, & *Anonymo*. Eclipsis tunc lunæ gemina fuisse, una mense Posideone, altera Scirrhophorione, annotatur ab Anonymo, in *illo Archonte*. Ἔκλειψις σελήνης Ποσειδεῶνος, καὶ πάλιν Σκιῤῥοφοριῶνος. *Defectus lunæ mense Posideone, & rursus Scirrhophorione.* De priore Ptolemæus, Μεγ. Συντάξ. *lib.* IV. Γεγονέναι δὲ τὴν πρώτην (ἔκλειψιν) ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοστράτου, μηνὸς Ποσειδεῶνος· καὶ ἐκλελοιπέναι σελήνην βραχὺ μέρος τοῦ κύκλου, ἀπὸ θερινῆς ἀνατολῆς τῆς νυκτὸς λοιποῦ ὄντος ἡμιωρίου. *Factum autem primum (defectum) Archonte Athenis Phanostrato, mense Posideone. Et defecisse lunam exigua parte orbis, ab æstivo ortu noctis reliqua existente semihora.* De altera vero, *mox* ibidem. Πάλιν τὴν ἑξῆς ἔκλειψιν φησὶ γεγονέναι, ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοστράτου, Σκιῤῥοφοριῶνος μηνός. *Rursum sequentem defectum inquit factum, Archonte Athenis Phanostrato, Scirrhophorione mense.* Phanostrato Menander successit. Ita est apud *Diodorum.* Diodorus *lib.* XV. in hoc anno. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Μενάνδρου, Ῥωμαῖοι κατέστησαν ἀντὶ τῶν ὑπάτων χιλιάρχους ἕξ. *Archonte autem Athenis Menandro, Romani constituerunt loco consulum tribunos sex.* Sed corruptum locum censeo, scribendumque; ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Εὐάνδρου. *Archonte autem Athenis Euandro.* Nam Euander, non Menander, verum nomen. *Anonymus*, isto *Diodori* loco adductus, hæret dubius, & utrumque nomen ponit; aliam quoque, Archonte illo, eclipsin narrans, Ὀλυμπιὰς ἐννενηκοστὴ ἐννάτη, ἔτος τρίτον. Μένανδρος (ἄρχων.) οἱ δὲ, Εὔανδρος. ἔκλειψις σελήνης Ποσειδεῶνος. *Olympias nonagesima nona, annus tertius. Menandrus (Archon.) Alii vero, Euandrus. Defectus lunæ mense Posideone.* Et Evander Ptolemæo quoque dicitur; qui eclipsin etiam istam nobis refert, *libro citato.* Τὴν δὲ τρίτην (ἔκλειψιν) φησὶ γεγονέναι, ἄρχοντος Ἀθήνησι Εὐάνδρου, μηνὸς Ποσειδεῶνος, *Tertium vero (defectum) inquit contigisse, Archonte Athenis Euandro, mense Posideone.* Sane Euandri etiam nomen Demosthenes asserit, *Orat.* in Timocratem. Εὔδημον τὸν Κυδαθηναιέα, νόμον δόξαντα θεῖναι οὐκ ἐπιτήδειον, οὐ πάλαι, ἀλλ' ἐπ' Εὐάνδρου ἄρχοντος, ἀπεκτείνατε. *Eudemum Cydathenienfem, legem visum posuisse non utilem, non olim, sed Euandro Archonte, occidistis.* Quartus hujus Olympiadis, fuit Demophilus. Ita *Anonymus*, & *Diodorus*. Sub hoc natus est Demosthenes. Anonymus *illic.* Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ ἐγεννήθη, τρίτῳ ἔτει μετὰ Ἀριστοτέλη. *Demosthenes rhetor natus est, tertio anno post Aristotelem.* Dionysius Halicarn. in *Epistola ad Ammæum.* Ἐγεννήθη μὲν (ὁ Δημοσθένης) ἐνιαυτῷ πρότερον τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Natus est quidem (Demosthenes) anno ante centesimam Olympiadem.*

JOANNIS MEURSII
DE
ARCHONTIBUS ATHENIENSIUM
LIBER IV.

CAP. I.

Pytheas Archon. Dionysodorus Tarentinus stadio vincit. Sotades Cretensis, longiore curriculo iterum victor, cum, pecunia corruptus, se Ephesium renuntiari permisisset, a Cretensibus exilio mulctatur. Carcinus Atheniensis, an Agrigentinus, floret. Nicon Archon. Lysias moritur, & Mausolus. Plinii locus emendatur. Nausinicus Archon: inde Callias, qui Sigonio male Chabrias.



POST Demophilum, Pytheas fuit, Olymp. C. anno I stadioque victor erat Dionysodorus Tarentinus. Diodorus Siculus *lib.* XV. Τοῦ δ' ἐνιαυσίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦν ἄρχων Πυθέας· παρὰ δὲ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἑκατοστὴ, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Διονυσόδωρος Ταραντῖνος. *Annuo autem tempore elapso, Athenis quidem erat Archon Pytheas: apud Eleos vero Olympias acta est centesima, qua vicit stadium Dionysodorus Tarentinus.* Idem *Eusebius*, & *Anonymus*. Sotades Cretensis longiore curriculo iterum vicit; sed, pecunia corruptus ab Ephesiis, cum Ephesium se renuntiari per præconem permisisset, a Cretensibus exilio mulctatus fuit. Pausanias *Eliac.* II. Σωτάδης δὲ ἐπὶ δολιχοῦ νίκαις Ὀλυμπιάδι μὲν ἐννάτῃ καὶ ἐννενηκοστῇ, Κρὴς, καθάπερ γε καὶ ἦν, ἀνεῤῥήθη· τῇ ἐπὶ ταύτῃ δὲ, λαβὼν χρήματα παρὰ τοῦ Ἐφεσίων κοινοῦ, Ἐφεσίοις εἰσεποίησεν αὑτόν. καὶ αὐτὸν ἐπὶ τῷ ἔργῳ φυγῇ ζημιοῦσιν οἱ Κρῆτες. *Sotades autem in longioris curriculi victoriis Olympiade quidem nona & nonagesima, Cretensis, quemadmodum etiam erat, pronunciatus est: Insequenti vero, accipiens pecuniam ab Ephesiorum communi, Ephesiis inseruit se. Et illum ob istud facinus exilio mulctant Cretenses.* Carcinus Atheniensis Tragicus hoc tempore florebat. *Suidas.* Καρκῖνος, Θεοδέκτου, ἢ Ξενοκλέους, Ἀθηναῖος, τραγικός· δράματα ἐδίδαξεν ρξ'. Ἐνίκησε δὲ α'. Ἤκμαζε κατὰ τὴν

ἑκατοςὴν Ολυμπιάδα, πρὸ τ̃ Φιλίππου βασιλείας τ̃ Μακεδόνος. *Carcinus, Theodectæ, vel Xenoclis filius, Atheniensis, tragicus. Fabulas docuit centum sexaginta. Vicit autem unam. Floruit centesima Olympiade, ante Philippi Macedonis regnum. Anonymus* de Carcino Agrigentino tradit. Καρκῖνος Ακραγαντῖνος τραγικὸς ἐγνωρίζετο. *Carcinus Agrigentinus tragicus innotuit.* Ita *Diodorus* tradit, & *Anonymus*. Sub hoc Lysias decessit: vel, ut alii, sub Archonte insequente Nausinico. Dionysius Halicarn. in *Lysia*. Εἰ γὰρ ὀγδοήκοντα γενόμενον θήσει τὶς τελευτῆσαι Λύσιαν, ἐπὶ Νίκωνος, ἢ ἐπὶ Ναυσινίκου ἄρχοντος, ἑπτὰ ἔτεσιν ὅλοις ἂν εἴη προτερῦσα τ̃ γραφῆς τ̃ ψηφίσματος ἡ τελευτὴ τ̃ ῥήτορος. *Si enim octoginta annos natum ponat qui mortuum fuisse Lysiam, Nicone, aut Nausinico Archonte, septem annis integris erit antegressa scriptum edictum mors rhetoris.* Idem annus mortualis etiam Mausolo fuit. Plinius *lib.* XXXVI. *c.* V. *Sepulcrum hoc est ab uxore Artemisia factum Mausolo, Cariæ regulo, qui obiit Olympiadis centesimæ anno secundo.* Et mox iterum *ejusdem libri c.* VI. *Antiquissima, quod equidem inveniam, Halicarnassi Mausoli domus Proconnesio marmore exculta est, lateritiis parietibus. Is obiit Olympiadis* C. *anno* II. *Urbis Romæ* CCCII. Sed corruptos illic numeros ita corrige, *urbis Romæ* CCCLXXIV. Nam Olympiadis centesimæ annus secundus, erat urbis Romæ trecentesimus septuagesimus quartus. Anno post, Nausinicus fuit. *Diodorus* ita refert, & *Anonymus*. Meminitque ejus Demosthenes *Orat.* in Androtionem. Ὑμῖν ᾗ παρὰ τὰς εἰσφορὰς τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου παρίσω, τάλαντα τριακόσια, ἢ μικρῷ πλείω, ἐλλείμματα τέτταρα καὶ δέκα ἐςὶ τάλαντα. *Nobis autem præter tributa quæ a Nausinico æqualiter talenta trecenta, aut paulo plura, residua sunt quatuor & decem talenta.* Ubi *Scholiastes*. Εἰσορὰς τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου, ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ἐπὶ ταῖς εἰσφοραῖς ταῖς γενομέναις ἐπὶ Ναυσινίκου ἄρχοντος. *Tributa quæ a Nausinico. Ac si diceret, in tributa quæ contigerunt Nausinico Archonte.* Iterum, *Orat.* in Neæram. Καὶ λαβὼν ἐγγυητὰς τούτων, Αριςόμαχόν τε τ̃ θεσμοθετήσαντα, καὶ Ναυσίφιλον τ̃ Ναυσινίκου τ̃ ἄρξαντος υἱὸν, ἀφίησιν. *Et accipiens vades illorum, Aristomachum legislatorem, & Nausiphilum Nausinici Archontis filium, remittit.* Occurrit quoque ejus mentio in *citatis statim verbi* Dionysii. Επὶ Νίκωνος, ἢ ἐπὶ Ναυσινίκου, ἄρχοντος. *Nicone, vel Nausinico Archonte.* Olympiadis hujus ultimus, Callias fuit. Sic is apud *Diodorum*, & *Anonymum*, nominatur. Non recte Chabrias, apud *Sigonium*.

CAP. II.

Chariander Archon. Damon Thurius stadio vincit. Anaxandrides floret, & Eubulus. Hippodamus Archon; inde Socratides. Philochori opus, Περὶ τ̃ Αθήνησιν ἀρξάντων, ἀπὸ Σωκρατίδου, καὶ μέχρι Απολλοδώρου. *Chabrias Æxonensis Pythia vincit curru quadrijugo. Asteus, an Aristæus, Archon.*

OLYMP. CI. anno II. Archon Chariander erat; stadioque Damon Thurius vincebat. Diodorus *lib.* XV. Επ᾽ ἄρχοντος δ᾽ Αθήνησι μὲν Χαριάνδρου Ηλεῖοι ἤγαγον Ολυμπιάδα πρώτην πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ςάδιον Δάμων Θούριος. *Archonte autem Athenis quidem Chariandro Elei agebant Olympiadem primam & centesimam, qua vicit stadium Damon Thurius.* Pausanias in *Achaicis*. Εγένετο δὲ τ̃ Ελίκης ἀπώλεια Αςείου μὲν Αθήνησιν ἔτι ἄρχοντος, τετάρτῳ δὲ ἔτει τ̃ πρώτης Ολυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἣν Δάμων Θούριος ἐνίκα τὸ πρῶτον. *Contigit autem Helices deletio Asteo quidem Athenis adhuc Archonte, quarto vero anno primæ Olympiadis & centesimæ, qua Damon Thurius vicit primum.* Nec aliter *Eusebius*, & *Anonymus*. Tunc florebat Anaxandrides. *Suidas*. Αναξανδρίδης Αναξάνδρου, Ῥόδιος, ἐκ Καμείρου, γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι Φιλίππου τ̃ Μακεδόνος, Ολυμπιάδι ἑκατοςῇ πρώτῃ. κατὰ δέ τινας, Κολοφώνιος. *Anaxandrides Anaxandri filius, Rhodius, e Camiro, natus in ludis Philippi Macedonis, Olympiade centesima prima; Secundum quosdam vero, Colophonius.* Anonymus *illic*. Αναξανδρίδης Αναξάνδρου, Ῥόδιος, ἐκ Καμείρου, κατὰ δέ τινας Κολοφώνιος, κωμικὸς, ἐγνωρίζετο. *Anaxandrides Anaxandri filius, Rhodius, e Camiro, secundum quosdam vero Colophonius, comicus, innotuit.* Item Eubulus. *Suidas*. Εὔβουλος, Κίττιος, Αθηναῖος, υἱὸς Εὐφράνορος, κωμικός. ἐδίδαξε δράματα κδ΄. ἦν δὲ κατὰ ἑκατοςὴν πρώτην Ολυμπιάδα. *Eubulus, Cettius, Atheniensis, filius Euphranoris, comicus. Docuit fabulas viginti quatuor. Fuit autem circa centesimam primam Olympiadem.* Quæ totidem pæne verbis *Anonymus*. Chariandrum Archontem, Hippodamus sequitur. Ita observare est in *Diodoro*, & *Anonymo*. Hunc Socratides excepit, quem iidem repræsentant. Chabrias Æxonensis Pythia tunc vincebat curru quadrijugo. Demosthenes *Orat.* in Neæram. Καὶ ὡς ἄλλους τε πολλοὺς ἐπὶ κῶμον ἔχων ἦλθεν αὐτ̃, καὶ ὡς Χαβρίαν τ̃ Αἰξωνέα, ὅτε ἐνίκα ἐπὶ Σωκρατίδου ἄρχοντος τὰ Πύθια τῷ τεθρίππῳ. *Et ad alios multos comessatum duxit eam, & ad Chabriam Æxonensem, quando vicit Socratide Archonte Pythia quadriga.* Et *in altera* in Timotheum. Επὶ Σωκρατίδου γὰρ ἄρχοντος Μουνυχιῶνος μέλλων ἐκπλεῖν ὕςερον ἔκπλουν Τιμόθεος ουτοσὶ, περὶ ἀναγωγὴν ἤδη ὢν ἐν τῷ Πειραιεῖ, προσδεηθεὶς ἀργυρίου, προσελθὼν τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ ἐν τῷ λιμένι, ἐκέλευεν αὐτὸν χρῆσαι χιλίας τριακοσίας πεντήκοντα μίαν, δύ᾽ ὀβολώ. *Socratide enim Archonte Martio mense profecturus altera navigatione Timotheus hicce, soluturus jam in Piræeo, egens pecuniæ, accedens ad patrem meum in portu, jussit mutuare mille trecentas & quinquaginta unam, duos obolos.* Ac *paullo post*. Ας πρώτας ἐδανείσατο τ̃ Μουνυχιῶνος μηνὸς μέλλων ἐκπλεῖν, ἐπὶ Σωκρατίδου ἄρχοντος. *Quas primas fœnori accepit Martio mense navigaturus, Socratide Archonte.* Ab hoc Philochorus insequentes ordine Archontes, usque ad Apollodorum, Opere singulari scripsit. Suidas *in* Φιλόχορος, ubi ejus scripta refert. Περὶ τ̃ Αθήνησιν ἀρξάντων, ἀπὸ Σωκρατίδου, καὶ μέχρι Απολλοδώρου. *De illis qui Athenis Archontes fuerunt, ab Socratide, & usque ad Apollodorum.* Anonymus *illic*. Φιλόχορος Κύκνου, Αθηναῖος, πραγματείαν συνεςήσατο, Περὶ τ̃ Αθήνησιν ἀρξάντων, ἀπὸ Σωκρατίδου, καὶ μέχρι Απολλοδώρου. *Philochorus Cycni, Atheniensis, opus composuit, De illis qui Athenis Archontes fuerunt, ab Socratide, & usque ad Apollodorum.* Post Socratidem, est Asteus; ut ex *Diodoro* discimus, & *Anonymo*. Meminit ejus Demosthenes *in Neæram*. Ην δὲ χρόνος οὗτος, ᾧ Αςεῖος μὲν ἄρχων ἦν Αθήνησιν. *Erat autem tempus hoc, quo Asteus quidem Archon erat Athenis.* Et mox iterum. Διατρίψασα δ᾽ ἐν τοῖς Μεγάροις δύο ἔτη, τ̃ τ᾽ ἐπ᾽ Αςείου ἄρχοντος, καὶ Αλκισθένους, ἐνιαυτόν. *Commorata autem Megaris duos annos, nempe & quo anno Asteus, & quo Alcisthenes fuerunt Archontes.* Et in *Timotheum*. Αφικομένου Αλκέτου, καὶ Ιάσονος, ὡς τοῦτον, ἐν τῷ Μαιμακτηριῶνι μηνὶ, ἐπ᾽ Αςείου ἄρχοντος. *Veniente Alceta, & Jasone, ad ipsum, Mæmacterione mense, Asteo Archonte.* Ac *deinde* iterum. Καὶ οὗτοι οἱ χρόνοι ἦσαν περὶ Θαργηλιῶνα μῆνα. ἐπ᾽ Αςείου ἄρχοντος. *Et hæc erant tempore circa Thargelionem mensem, Asteo Archonte.* Et occurrit *illic* pluries. Pausanias in *Achaicis*. Αςείου μὲν Αθήνησιν ἔτι ἄρχοντος, τετάρτῳ δὲ ἔτει τ̃ πρώτης Ολυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατόν. *Asteo quidem Athenis adhuc Archonte, quarto autem anno primæ Olympiadis & centesimæ.* Iterum in *Bœoticis*. Εγένετο δὲ ἡ ἅλωσις Πλαταιᾶς ἡ δευ-

πέρα, μάχης μὲν τρίτῳ τῷ ἐν Λεύκτροις ἔτει πρότερον, Ἀστείου δ' Ἀθήνησιν ἄρχοντος. *Contigit autem expugnatio Plateæ secunda, ante pugnam quidem Leuctricam tertio anno, Asteo vero Athenis Archonte.* An is ipse est, an priorum temporum aliquis, quem nos ignorare cogimur, ob defectum hic Historiæ, Aristoteli Aristæus nuncupatus? verba ejus ecce ista, *Meteorolog.* lib. I. cap. VI. Καὶ ὁ μέγας ἀστὴρ, οὗ πρότερον ἐμνήσθημεν, ἐφάνη μὲν χειμῶνος ἐν παγοῖς καὶ αἰθρίαις ἀφ' ἑσπέρας, ἐπὶ Ἀρισταίου ἄρχοντος. *Et magna stella, cujus ante meminimus, apparuit quidem hyeme in collibus & ætheri expositis locis ab vespera, Aristæo Archonte.* An scribendum? ἐπὶ Ἀστείου ἄρχοντος. *Asteo Archonte.*

CAP. III.

Alcisthenes Archon. Damon Thurius iterum vincit. Phrasiclides Archon; inde Dyscinetus. Ira capta a Lacedæmoniis. Pausanias emendatus; item Anonymus, & Demosthenes. Lysistratus Archon; & in ejus forte nomine Athenæus restitutus.

INSEQUENTIS Olymp. CII. anno I. Alcisthenes Archon memoratur; stadioque victor iterum Damon Thurius. Diodorus *lib.* XV. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀλκισθένους, παρὰ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη δευτέρα πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Δάμων Θούριος. *Archonte autem Athenis Alcisthene, apud Eleos acta fuit Olympias secunda & centesima, qua vicit stadium Damon Thurius.* Ita etiam *Anonymus*. De Damone, iterum victore, Pausanias in *Messen.* Τῆς δευτέρας καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Δάμων Θούριος τὸ δεύτερον ἐνίκα. *Secunda & centesima Olympiade, qua Damon Thurius secundum vicit.* Iterum, *Eliac.* II. Δευτέρα Ὀλυμπιάδι ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἣν Δάμων Θούριος ἐνίκα τὸ δεύτερον. *Secunda Olympiade & centesima, qua Damon Thurius vicit secundum.* Et in *Arcadicis*. Τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας, ἣν Δάμων Θούριος ἐνίκα στάδιον. *Centesimæ Olympiadis & secundæ, qua Damon Thurius vicit stadium.* Habes quoque apud *Eusebium*. Archontis mentio fit Demostheni *Orat.* in Neæram. Διατρίψασα ἐν τοῖς Μεγάροις δύο ἔτη, τόν τ' ἐπ' Ἀστείου ἄρχοντος, καὶ Ἀλκισθένους, ἐνιαυτόν. *Commorata Megaris duos annos, & quo anno Asteus, & quo Alcisthenes Archontes fuerunt.* Iterum, in *Timotheum.* Καὶ οὗτος ὁ χρόνος ἦν Ἀλκισθένους ἄρχοντος, ὁ ὕστερος ἐνιαυτὸς ἢ οὗτος ἀνήγετο ὡς βασιλέα. *Et hoc tempus erat Alcisthene Archonte, posterior annus quando hic fuit evectus ad regem.* Et occurrit *illic* pluries. Dionysius Halicarn. in *Lysia.* Μετὰ γὰρ Ἀλκισθένην ἄρχοντα, ἐφ' οὗ τὴν εἰρήνην Ἀθηναῖοί τε καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ βασιλεὺς ὤμοσαν, ἀποδοὺς τὰ στρατεύματα Ἰφικράτης, ἰδιώτης γίνεται. *Post enim Alcisthenem Archontem, quo pacem Athenienses & Lacedæmonii & rex juraverunt, tradens exercitum Iphicrates, privatus fit.* Post Alcisthenem, Phrasiclides Archon fuit; uti Auctores *Diodorus*, & *Anonymus*. Meminit ejus & Demosthenes, in *citata Oratione* in Neæram. Γίγνεται ἡ εἰρήνη ἐπὶ Φρασικλείδου ἄρχοντος, καὶ ἡ μάχη ἡ ἐν Λεύκτροις Θηβαίων καὶ Λακεδαιμονίων. *Contigit pax Phrasiclide Archonte, & pugna Leuctrica Thebanorum ac Lacedæmoniorum.* Pausanias *Eliac.* II. Αὕτη Σκοτουσσαίοις ἡ συμφορὰ, Φρασικλείδου μὲν ἐγένετο Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρᾳ δὲ Ὀλυμπιάδι ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἔτει δευτέρῳ. *Hæc Scotussæis calamitas Phrasiclide quidem evenit Athenis Archonte, secunda vero Olympiade supra centum anno secundo.* Et in *Arcadicis*. Συνῳκίσθη δὲ ἡ Μεγάλη πόλις ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ, καὶ μησί τε ὀλίγοις ὕστερον, ἢ τὸ πταῖσμα ἐγένετο Λακεδαιμονίων τὸ ἐν Λεύκτροις, Φρασικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας. *Colonia facta autem Megalopolis anno eodem illo, & mensibus post paucos, quam clades contigit Lacedæmoniorum Leuctrica, Phrasiclide quidem Athenis Archonte, secundo vero anno centesimæ Olympiadis & secundæ.* Huic Dyscinetus successit; uti *Diodorus* memorat, & *Anonymus*. Meminitque Pausanias in *Messeniis*. Κατῆλθον δὲ εἰς Πελοπόννησον οἱ Μεσσήνιοι, καὶ ἀνεσώσαντο τὴν αὐτῶν, ἑπτὰ καὶ ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον μετὰ Εἴρας ἅλωσιν· Δυσκινήτου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, τρίτῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Descenderunt autem in Peloponnesum Messenii, & conservarunt regionem suam, septem octoginta & ducentos annos post Iræ expugnationem; Dyscineto quidem Athenis Archonte, tertio vero anno secundæ & centesimæ Olympiadis.* Sed in illis verbis mendum, obiter mihi corrigendum. Capta Ira Olymp. XXVIII. anno I. Archonte Autosthene. Anonymus *ibi*. Εἴρα Μεσσηνίων ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἑάλω. *Ira Messeniorum ab Lacedæmoniis capta est.* Pausanias ipse, in *Messenicis*. Ἑάλω δὲ ἡ Εἴρα, καὶ ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος Λακεδαιμονίων καὶ Μεσσηνίων τέλος ἔσχεν, Ἀθηναίοις ἄρχοντος Αὐτοσθένους, ἔτει πρώτῳ τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Capta autem est Ira, & bellum secundum Lacedæmoniorum Messeniorumque finem habuit, Athenis Archonte Autosthene, anno primo octavæ & centesimæ Olympiadis.* Atqui ab Olympiadis istius XXVIII. anno I. ad CII. hujus annum III. quo supremum magistratum Dyscinetus obtinebat anni sunt ducenti nonaginta octo. Itaque omnino rescribendum in Pausaniæ *illis verbis*, ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα καὶ διακοσίοις ἔτεσιν. *Septem nonaginta & ducentis annis.* Item mendum est apud *Anonymum*, qui transcripsit. In Archontis vero nomine, emendandus etiam Demosthenes, *Orat.* in Stephanum II. Ὁ δὲ πατὴρ ἐτελεύτησεν ἐπὶ Δυσκινήτου ἄρχοντος. *Pater vero mortuus est Dyscineto Archonte.* Non recte editur, ἐπὶ Δυσνικήτου. Hunc secutus est Lysistratus; ut videre est apud *Anonymum*, & *Diodorum*. Meminitque item ejus Plutarchus in *Isocrate*, lib. *De X. Rhet.* Ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν, ἄχρι Σωσιγένους, ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ. *Incipiens autem ab Lysistrato docere, usque ad Sosigenem annos viginti octo, doctrinas urbanas reliquit sex.* Corruptum est ejus nomen apud Athenæum *lib.* VI. Ἐπὶ δὲ φυλῆς παράσιτοι Λυκοστράτου Γαργηττίου Περικλῆς Περικλείτου Πιθεύς, Χαρῖνος Δημοχάρους Γαργήττιος. *In tribu autem parasiti sub Lycostrato Gargettio Pericles Pericliti filius Pitheus, Charinus Democharis filius Gargettius.* Rescribe, Ἐπὶ Λυσιστράτου. *Sub Lysistrato.* Aut oportet alius fuerit, quem nunc ignorare cogimur quando magistratum gesserit.

CAP. IV.

Nausigenes Archon. Pythostratus Atheniensis, aut Ephesius, stadio vincit. Eudoxus Cnidius floret. Theopompus, Naucrates, Isocrates, & Theodectes, in Mausoli funere certant; vincente ibi Theodecte; vel, ut alii, Theopompo. Demosthenes duobus locis emendatus. Polyzelus Archon, ac dein Cephisodorus. Quando Athenas Aristoteles, & ætatis quoto anno, se contulerit. Anonymi error. Decretum, ut senatores festo Apaturiorum dies quinque feriatos agitarent. Cephisodori monumentum. Chion Archon.

MOX Nausigenes successit, Olymp. CIII. anno I. stadioque victor tunc Pythostratus Atheniensis. Diodorus *lib.* XV. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Ναυσιγένους Ὀλυμπιὰς ἤχθη τρίτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Πυθόστρατος Ἀθηναῖος. *Archonte autem Athenis Nausigene Olympias acta fuit tertia & centesima, qua vicit stadium Pythostratus Atheniensis.* Eodem plane modo *Anonymus*. Apud

Euse-

Eusebium Pythostratus iste non Atheniensis dicitur, sed Ephesius. Eudoxus Cnidius tunc florebat. *Anonymus*. Εὔδοξος Κνίδος ἤκμαζε. *Eudoxus Cnidius floruit*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. VIII. c. XC. ὁ δ' αὐτὸς (Ἀπολλόδωρος) φησὶ, τὸν Κνίδιον Εὔδοξον ἀκμάσαι κατὰ τὴν τρίτην ϗ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Ipse autem (Apollodorus) inquit, Cnidium Eudoxum floruisse circa tertiam & centesima Olympiadem.* Theodectes, Neucrates, Isocrates, & Theopompus, oratione funebri tunc concertarunt in Mausoli funere; victorque exstitit Theodectes. Anonymus *ibi*. Θεοδέκτης Ἀριστάνδρου Φασηλίτης ἐκ Λυκίας, ῥήτωρ ἅμα καὶ τραγῳδοποιὸς, ϗ Ναυκράτης Ἐρυθραῖος, ϗ Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ, ϗ Θεόπομπος, εἶπον ἐπιτάφιον ἐπὶ Μαυσώλῳ, Ἀρτεμισίας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ προτρεψαμένης. ϗ ἐνίκησεν ὁ Θεοδέκτης. *Theodectes Aristandri filius Phaselites e Lycia, rhetor simul & tragicus poeta, & Naucrates Erythræus, & Isocrates rhetor, & Theopompus, dixerunt orationem funebrem in Mausolum, Artemisia uxore ejus adhortante; & vicit Theodectes*. Alii ambiguam palmam faciunt, & vicisse Theopompum sunt auctores. Suidas *in* Θεοδέκτης. Οὗτος, ϗ ὁ Ἐρυθραῖος Ναυκράτης, ϗ Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ, ὁ Ἀπολλωνιάτης, ϗ Θεόπομπος, ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς ϗ τρίτης Ὀλυμπιάδος εἶπον ἐπιτάφιον ἐπὶ Μαυσώλῳ, Ἀρτεμισίας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ προτρεψαμένης· ϗ ἐνίκησε, μάλιστα εὐδαιμονήσας ἐν ᾗ εἶπε τραγῳδίᾳ. ἄλλοι δὲ φασὶ, Θεόπομπον ἔχειν τὰ πρωτεῖα. *Hic, & Erythræus Naucrates, & Isocrates rhetor, Apolloniates, & Theopompus, centesima & tertia Olympiade dixerunt orationem funebrem in Mausolum, Artemisia uxore ejus adhortante; & vicit, maxime felix in illa quam dixit tragœdia. Alii vero dicunt, Theopompum habuisse primas*. Sane victoriam Theopompo etiam asscribit A. Gellius *lib.* X. *c.* XVIII. ubi de hac ipsa re. *Eo certamine vicisse Theopompum judicatum est*. Sub hoc ait *Anonymus* venisse Athenas Aristotelem ad Platonem, decimo octavo ætatis anno; & perseverasse in eo audiendo per viginti deinde annos. Ἀριστοτέλης, ὀκτωκαιδέκατον ἔτος ἄγων, ἦλθεν εἰς Ἀθήνας, ϗ συσταθεὶς Πλάτωνι, χρόνον εἰκοσαετῆ διέτριψε σὺν αὐτῷ. *Aristoteles, octavum decimum annum agens, venit Athenas & commendatus Platoni, tempus viginti annorum versatus est cum ipso* Verum errat; nam id factum anno demum insequente, sub Archonte Polyzelo. Dionysius Halicarn. in *Epistola* ad Ammæum. Ἐπὶ δὲ Πολυζήλου ἄρχοντος, τελευτήσαντος τοῦ πατρὸς, ὀκτωκαιδέκατον ἔτος ἔχων, (Ἀριστοτέλης) ὡς Ἀθήνας ἦλθε, ϗ συσταθεὶς Πλάτωνι, χρόνον εἰκοσαετῆ διέτριψε σὺν αὐτῷ. *Polyzelo autem Archonte, mortuo patre, octodecim annos habens, (Aristoteles) Athenas venit, & commendatus Platoni, tempus viginti annorum degit cum ipso*. Atque id rectum est; nam, si annum eo tempore decimum octavum egerit Aristoteles, cum Athenas se conferret, id necesse est accidisse, sub Archonte Polyzelo; quippe ille a Diotrephe, sub quo natus, decimus octavus fuit. Ita *Anonymus* ipse nobis repræsentat; &, quem ille Auctorem habet, *Diodorus*. Meminit Polyzeli Archontis Demosthenes, *Orat.* in Onetorem I. Δύο μὲν γὰρ ἦν ἔτη τὰ μεταξὺ τοῦ συνοικῆσαί τε τὴν γυναῖκα, ϗ φῆσαι τούτους πεποιῆσθαι τὴν ἀπόλειψιν, ἐγήματο μὲν γὰρ ἐπὶ Πολυζήλου ἄρχοντος, Σκιροφοριῶνος μηνός, ἡ δ' ἀπόλειψις ἐγράφη Ποσειδεῶνος μηνὸς, ἐπὶ Τιμοκράτους. *Nam duo quidem erant anni inter tempus, quo cohabitarit uxor, & quo dixit eos fecisse divortium. Nupsit enim quidem Polyzelo Archonte, Majo mense: Divortium vero scriptum est Decembri mense, sub Timocrate*. Sed corruptus ille locus, scribendumque, Τρία μὲν γὰρ ἔτη. *Tres enim quidem anni*. Nam inter Polyzeli & Timocratis magistratum anni intercedunt duo; suntque a Scirophorione mense istius, ad Po.ideonem hujus, anni tres, & menses septem. Annis duobus intermediis magistratum tenuere Cephisodorus, & Chion; uti clarum e *Diodoro*, &, qui illum Auctorem sequitur, *Anonymo*. Itaque corrigendus alter Demosthenis locus in *eadem Oratione*, qui mox sequitur. Μετὰ τοίνυν τοῦτον τὸν ἄρχοντα (τὸν Πολύζηλον.) Κηφισόδωρος, ϗ Χίων. *Post illum igitur Archontem (Polyzelum) Cephisodorus, & Chion*. Hodie non recte editur, Κηφισόδωρος Χίων. *Cephisodorus Chion*. Ac minus recte vir insignis, Hieronymus Wolfius, tentabat; Κηφισόδωρος ἄρχων, *Cephisodorus Archon*. Ergo Polyzelum sequitur Cephisodorus. Sic indicium *Diodorus* nobis facit, & *Anonymus*. Meminitque ejus Isæus, in *fragmento Orationis* Ὑπὲρ Εὐμαθοῦς, quod exstat apud Dionysium Halicarn. in *Iseo*. Τριηραρχοῦντος γάρ μου ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος, ϗ λόγου ἀπαγγελθέντος πρὸς τοὺς ἰδίους, ὡς ἄρα τετελευτηκὼς εἴην ἐν τῇ ναυμαχίᾳ, οὔσης μοι παρακαταθήκης παρ' Εὐμαθεῖ τούτῳ, μεταπεμψάμενος τοὺς οἰκείους τε ϗ φίλους τοὺς ἐμοὺς Εὐμαθὴς, ἐνεφάνισε τὰ χρήματα, ἃ ἦν μοι παρ' αὐτῷ, ϗ ἀπέδωκε πάντα ὀρθῶς, ϗ δικαίως. *Triremium enim præfecto me Cephisodoro Archonte, & fama annunciata amicis, me mortuum in pugna navali, quum esset mihi pignus apud Eumathem illum, arcessens domesticos & amicos meos Eumathes, indicavit opes, quæ erant mihi apud eum, & reddidit omnia recte, & juste*. Sub hoc, aut cognomine altero, qui obtinuit magistratum Olymp. CXIV. anno II. publico decreto edictum, ut senatus, quomodo curiæ aliæ omnes, festo Apaturiorum, quod duntaxat triduanum, quinque dies feriarentur. Athenæus *lib.* IV. Εὑρίσκω δὲ ϗ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος Ἀθήνησι γενόμενον, ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ Προτένθαι εἰσὶ, καθάπερ ϗ οἱ παράσιτοι ὀνομαζόμενοι, ἔχον οὕτως, Φῶκος εἶπεν, ὅπως ἂν ἡ βουλὴ ἄγῃ τὰ Ἀπατούρια μετὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων, κατὰ τὰ πάτρια, ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ, ἀφεῖσθαι τοὺς βουλευτὰς τὰς ἡμέρας, ὥσπερ ϗ αἱ ἄλλαι βουλαὶ διαφίενται, ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἧς οἱ Προτένθαι ἄγουσι πέντε ἡμέρας. *Invenio etiam decretum Cephisodoro Archonte Athenis factum, in quo velut aliquod collegium Protenthæ sunt, quemadmodum & parasiti dicti, ita habens: Phocus dixit, ut senatus celebret Apaturia cum aliis Atheniensibus, facta patrios ritus, decretum fuisse senatui, senatores dimittere dies, sicut etiam aliæ curiæ dimittuntur, a die, quo Protenthæ celebrant quinque die*. Hujus autem Cephisodori monumentum id putandum est, quod Pausanias prope Scirum exstitisse nobis memorat. Verba ecce ista in *Atticis*. Πλησίον δὲ (Σκίρου) πεποίηται Κηφισιδώρου μνῆμα, δήμου προστάντος, ϗ Φιλίππῳ, τῷ Δημητρίου, Μακεδόσι βασιλεύοντι, ἐς τὰ μάλιστα ἐναντιωθέντος. *Prope autem (Scirum) factum est Cephisidori monumentum, qui populum defendit, & Philippo, Demetrii filio, Macedonas regenti, quam maxime adversarius fuit*. Post Cephisodorum istum, Archon Chion memoratur a *Diodoro*, & *Anonymo*.

CAP. V.

Timocrates Archon. Phocides Atheniensis, & Eubotas Cyrenæus, varie victores dicti. Chariclides Archon; inde Molon, quem secutus Nicophemus. Demosthenis locus restitutus.

OLYMP. CIV. quæ Eleis anolympias, anno I. Timocrates magistratum gessit, stadioque victor Phocides. Diodorus *lib.* XV. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Τιμοκράτους Ὀλυμπιὰς ὑπὸ Πισατῶν ϗ Ἀρκάδων ἤχθη τετάρτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Φωκίδης Ἀθηναῖος. *Archonte autem Athenis Timocrate Olymp. ab Pisatis & Arcadibus acta fuit. quarta & centesima, qua vicit stadium Phocides Athe*

viensis. Pausanias Eubotam tradit Cyrenæum, *Eliac.* II. Εὐβώτας δὲ ὁ Κυρηναῖος, ἅτε τὴν ἐσομένην οἱ δρόμου νίκην ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τοῦ μαντείου τοῦ ἐν Λιβύῃ προπεπυσμένος, τήν τε εἰκόνα ἐπεποίητο πρότερον, καὶ ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς ἀνηγορεύθη τε νικήσας, καὶ ἀνέθηκε τὴν εἰκόνα. λέγεται δὲ καὶ ὡς κρατήσειε καὶ ἅρματι, ἐπὶ Ὀλυμπιάδος ταύτης (τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετάρτης) ἡ λόγῳ τῷ Ἠλείων ἐστὶ κίβδηλος, τῶν ἀγωνοθετησάντων Ἀρκάδων ἕνεκα. *Eubotas autem Cyrenæus, quum futuram ei cursus victoriam in Olympia ab oraculo quod in Libya præscivisset, imaginem fecit prius, & illo ipso die pronunciatus est simul victor, simul dedicavit statuam. Dicitur autem quod etiam vicerit curru, Olympiade ista (centesima quarta) quæ sermone Eleorum est fucata, propter ludis præsidentes Arcadas.* *Eusebius* Phocidem quidem victorem nobis memorat, sed lucta, non stadio. Ἑκατοστὴ τετάρτη (Ὀλυμπιάς) Φωκίδης Ἀθηναῖος πάλη. *Centesima quarta (Olympias.) Phocides Atheniensis lucta.* Anonymus *illic* utrunque nominat. Ὀλυμπιὰς ἑκατοστὴ τετάρτη, ἀνολυμπιάς. Ὀλυμπιὰς ἑκατοστὴ τετάρτη, ἀνολυμπιάς. Ὀλυμπιὰς ὑπὸ Πισατῶν καὶ Ἀρκάδων ἤχθη· καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Εὐβώτας Κυρηναῖος, ἢ Φωκίδης Ἀθηναῖος. *Olympias centesima quarta, anolympias. Olympias ab Pisatis & Arcadibus est acta; qua vicit stadium Eubotas Cyrenæus, aut Phocides Atheniensis.* Archontis hujus meminit etiam Demosthenes *Orat.* in Onetorem I. Ἡ δ᾽ ἀπόλειψις ἐγράφη Ποσειδεῶνος μηνὸς, ἐπὶ Τιμοκράτους. *Divortium scriptum est Posideone mense, sub Timocrate.* Et mox. Ἔλαχον δὲ τὴν δίκην ἐπὶ Τιμοκράτους. *Sortiti sunt autem judicium sub Timocrate.* Dionysius, in *Epist. ad Ammæum*, ubi de Demosthene agit. Ἄρχοντος δὲ Τιμοκράτους εἰς ἔτος ἦν ἐμβεβηκὼς ἑπτακαιδέκατον. *Archonte vero Timocrate ad annum erat provectus septimum decimum.* Et Plutarchus in *Demosthene*, l. *De x. Rhet.* Τελειωθεὶς δὲ, ἐλάττω παρὰ τῶν ἐπιτρόπων παραλαβὼν, ἔκρινεν αὐτοὺς ἐπιτροπῆς ἐπὶ Τιμοκράτους ἄρχοντος. *Virilem ætatem autem adeptus, minus ab tutoribus accipiens, accusavit illos tutelæ Timocrate Archonte.* Post Timocratem, Chariclides nominatur Diodoro, *l.* XV. Τοῦ δ᾽ ἔτους τούτου διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Χαρικλείδης. *Hoc vero anno expleto, Athenis quidem Archon fuit Chariclides.* Consentit *Anonymus*. Meminit hujus Demosthenes, *Orat.* in Midiam. Ἦν δὲ οὗτος ὁ τοῦ βελτίστου πατὴρ Χαρικλείδου, τοῦ ἄρξαντος. *Erat autem hic optimi pater Chariclidis, qui fuerat Archon.* Chariclidem Molon sequitur, apud *Diodorum Syculum*, & *Anonymum*; meminitque ejus etiam Dionysius in *Dinarcho*. Ἀλλ᾽ ὁ μὲν λέγων, ὡς ἐπὶ Μόλωνος ἄρχοντος γεγενημένου τοῦ ἀδικήματος ποιεῖται τὸν λόγον. *Sed hic quidem dicens, Molone Archonte facta injuria facere orationem.* Et Demosthenes, *Orat.* in Policlem. Ἑβδόμῃ γὰρ φθίνοντος Μεταγειτνιῶνος μηνὸς, ἐπὶ Μόλωνος ἄρχοντος, ἐκκλησίας γενομένης, καὶ εἰσαγγελθέντων ὑμῖν πολλῶν καὶ μεγάλων πραγμάτων, ἐψηφίσασθε τὰς ναῦς καθέλκειν τοὺς τριηράρχους. *Septimo enim finientis Metageitnionis mensis, Molone Archonte, concio cum esset, & annunciaventur vobis multæ & magnæ res, decrevistis naves deducere trierarchos.* Hunc excepit Nicophemus; uti *Diodorus* statuit, & *Anonymus*. Mentio ejus occurrit apud Æschinem, *Orat.* in Timarchum. Οὗτος, ὦ Ἀθηναῖοι, βουλευτὴς ἐγένετο, ἐπὶ ἄρχοντος Νικοφήμου. *Hic, o Athenienses, senator factus est, Archonte Nicophemo.* Et apud Dionysium Halicarn. in *Dinarcho*. Ἕκτος δὲ καὶ εἰκοστός ἐστιν ἀπὸ Νικοφήμου Πυθόδημος. *Sextus autem & vigesimus est ab Nicophemo Pythodemus.* Paulo ante. Εἴη ἂν κατὰ Νικόφημον ἄρχοντα γεγονώς. *Fuerit sane Nicophemo Archonte natus.* Rursum. Φησὶ δὲ τῷ ὑστέρῳ ἐπεισιέναι τὸν Ἀγάθωνα, ἐπὶ Νικοφήμου ἄρχοντος. *Inquit autem postero introivisse Agathonem, Nicophemo Archonte.* Corruptum est ejus nomen apud Demosthenem, *Orat.* in Stephanum II. Ὁ δὲ Φορμίων, Ἀθηναῖος ἐγένετο ἐπὶ Νικοδήμου ἄρχοντος. *Phormion autem, Atheniensis natus est Nicodemo Archonte.* Rescribendum, ἐπὶ Νικοφήμου, *sub Nicophemo*. Idque pridem etiam monui, *Attic. Lect.* lib. III. cap. XXV.

CAP. VI.

Callimedes Archon, sive ille Callidemides. Porus Cyrenæus stadio vincit. Eusebius emendatur; item Diogenes Laertius, & Anonymus. Xenophontis mors. Eucharistus Archon; inde Cephisodotus, & Agathocles.

OLYMP. CV. anno I. Archon Callimedes fuit; stadioque Porus Cyrenæus vicit. Diodorus *l.* XVI. Ἐπ᾽ ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνησι Καλλιμήδους, Ὀλυμπιὰς μὲν ἤχθη πέμπτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Πῶρος Κυρηναῖος. *Archonte enim Athenis Callimede, Olympias quidem acta est quinta & centesima, qua vicit stadium Porus Cyrenæus.* De victore, consentit *Anonymus*; & Pausanias, in *Phocicis*. Τετάρτῳ δὲ ἔτει πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἣν Πῶρος ἐνίκα Κυρηναῖος στάδιον. *Quarto autem anno quintæ Olympiadis & centesimæ, qua Porus vicit Cyrenæus stadium.* Minus recte Παῦρος ab *Eusebio* nuncupatur. Ἑκατοστὴ πέμπτη (Ὀλυμπιάς.) Παῦρος στάδιον. *Centesima quinta (Olympias.) Paurus stadium.* Archon ipse Callimedes etiam Dionysio dicitur, in *Dinarcho*. Corrupte Callidemides dicitur apud Diogenem Laertium in *Xenophonte*, l. II. c. LVI. ubi refert, diem suum tunc obiisse Xenophontem, Κατέστρεψε δὲ, καθά φησι Στησικλείδης ὁ Ἀθηναῖος, ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ, ἔτει πρώτῳ τῆς πρώτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιδημίδου. *Obiit autem, prout inquit Stesiclides Atheniensis, in Archontum & Olympionicarum catalogo, anno primo primæ & centesimæ Olympiadis, Archonte Callidemide.* Rescribendum, ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιμήδους, *Archonte Callimede*. Transscripsit mendum etiam *Anonymus*. Post hunc Eucharistus fuit; ut cognoscimus e *Diodoro*, & *Anonymo*. Neque aliter Dionysio nominatur, in *Dinarcho*. Hunc Cephisodotus sequitur, illum Agathocles. Sic utrumque repræsentant *Diodorus*, & *Eusebius*. Et Agathoclis meminit etiam Pausanias in *Phocicis*. Τὴν δὲ τῶν Δελφῶν κατάληψιν ἐποιήσαντο οἱ Φωκεῖς, Ἡρακλείδου μὲν πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς, καὶ Ἀγαθοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, τετάρτῳ δὲ ἔτει πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατόν. *Delphorum autem expugnationem fecerunt Phocenses, Heraclide quidem principatum gerente Delphis, & Agathocle Athenis Archonte, quarto vero anno quintæ Olympiadis & centesimæ.* Longe posterior ille est, cujus meminit Josephus, *Antiquit. Jud.* lib. XIV. cap. XVI. Ἐπεδόθη τοῖς στρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων, ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος. *Datum fuit imperatoribus decretum Atheniensium, Agathocle Archonte.*

CAP. VII.

Elpines Archon, an Elpinices. Porus Maliensis stadio vincit. Demosthenis locus restitutus. Alexander Magnus nascitur. Callistratus Archon, & Diotimus; inde Eudemus. Dionysius Halicarnassseus semel, iterumque, emendatus; & Anonymi hallucinatio indicata.

POST Agathoclem Elpines memoratur, Olymp. CVI. anno I. victore stadio Poro altero Maliensi. Diodorus *l.* XVI. Ἐπ᾽ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἐλπίνου Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἕκτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Πῶρος Μαλιεύς. *Archonte Athenis Elpino O-*

lympias acta est sexta & centesima, qua vicit stadium Porus Maliensis. Eodem plane modo *Anonymus*; nisi quod Archon male illi Ελπίνυς dicitur. Certe Ελπίνης etiam apud Dionysium legitur, in *Dinarcho*. Sed *eidem* Ελπινίκης nominatur rursum in *Lysia*. Οὗτος δὲ ὁ πόλεμος πίπτει κτ̀ Ἀγαθοκλέα κ̀ Ελπινίκlω ἄρχοντας. *Hoc vero bellum incidit circa Agathoclem & Elpinicen Archontes*. Et videtur sic restituendum esse apud Demosthenem, *Orat.* De Corona. Αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Ελπινίκȣ, Εκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱςαμένȣ. *Hæc tradita sunt testimonia sub Elpinico, Hecatombæonis tertio die*. Hodie editur, ἐπὶ Νικίȣ. Hoc anno natus, ut quidam volunt, Alexander Magnus. Anonymus *illic*. Ἀλέξανδρος ὁ μέγας κατά τινας ἐγεννήθη. *Alexander magnus juxta quosdam natus est.* Uno alterove abit Solinus, *c.* XLIII. & A. Gellius, *l.* XVII. *c.* XXI. Post Elpinnem, est Callistratus Diodoro, *l.* XVI. Dionysio, in *Dinarcho*: & *Anonymo*. Meminitque Dionysius idem iterum in *Dinarcho eodem* alibi. Τιμόθεος δὲ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκεν ἐπὶ Διοτίμȣ τȣ̃ μετὰ Καλλίςρατον. *Timotheus autem repetundas sustinuit sub Diotimo qui post Callistratum*. Et in *Epist. ad Ammæum*. Δημοσίȣς τε λόγȣς ἤρξατο γράφειν ἐπὶ Καλλιςράτȣ ἄρχοντος. *Publicasque orationes incepit scribere Callistrato Archonte.* Ac mox. Ἐπὶ δὲ Διοτίμȣ, τȣ̃ μετὰ Καλλίςρατον, ἐν Ἀθηναίοις πρώτlω εἶπε δημηγορίαν. *Sub Diotimo vero, qui post Callistratum, inter Athenienenses primam dixit orationem ad populum*. Callistratum Diotimus sequitur, apud *Diodorum*, *Dionysium*, & *Anonymum*. Huic Eudemus succedit, apud *Diodorum Siculum*, & Dionysium in *Dinarcho*; qui omnino corrigendus, in *Epist. ad Ammæum*. Ἐπὶ δὲ Εὐδήμȣ, τȣ̃ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος, ἰόντι κατὰ Τιμοκράτȣς λόγον ἔγραψε Διοδώρῳ, τῷ κρίνοντι παρανόμων τὸ̀ Τιμοκράτlω, κ̀ τ̀ περὶ τ̀ Μεγαλοπολιτῶ̃ βοηθείας δημηγορικόν, ὃν αὐτὸς ἀπήγγειλε. μετὰ δὲ Εὔδημον, lὼ Ἀριςόδημος ἄρχων· ἐφ' ȣ̃ τ̀ κατὰ Φιλίππȣ δημηγοριῶν ἤρξατο. *Sub Eudemo autem, qui post Diotimum Archon fuit, & contra Timocratem orationem scripsit Diodoro, accusanti juris violati Timocratem, & alteram de Megalopolitarum auxilio popularem, quam ipse pronunciavit. Post autem Eudemum, erat Aristodemus Archon. Sub quo orationes adversus Philippum incepit.* Hodie editur, ἐπὶ δὲ Θεοδήμȣ· &c, μετὰ δὲ Θεόδημον. *Sub Theodemo autem. Post autem Theodemum.* Male apud *Anonymum* scribitur hujus Archontis nomen. Θεόδημος. οἱ δὲ, Εὐθύδημος. *Theodemus. Alii vero, Euthydemus*, Prius est a non deprenso in Dionysii *locis* mendo; alterum autem, e vero nomine depravatum.

CAP. VIII.

Aristodemus Archon. Smicrinas, sive Micrinas, stadio victor. Thessalus Archon. Dionysius Halicarn. tribus locis emendatur. Anonymus hallucinatur. Deinde Apollodorus Archon, & Callimachus.

POST Eudemum, Aristodemus memoratur, Olymp. CVII. anno I. quo Smicrinas stadio victor. Diodorus *l.* XVI. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησιν Ἀριςοδήμȣ Ολυμπιὰς ἤχθη ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' lὼ ἐνίκα ςάδιον Σμικρίνας Ταραντῖνος. *Archonte autem Athenis Aristodemo Olymp. acta fuit septima & centesima, qua vicit stadium Smicrinas Tarentinus*. In ora l. annotatum est, Μικρίνας; quomodo & *Eusebio* dicitur. Apud *Anonymum* est Σμικρίνας. Archontis meminit Dionysius in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum; & *mox*. Οὗτος ὁ λόγος εἴρηται ἐπὶ Ἀριςοδήμȣ ἄρχοντος. *Hæc oratio dicta est Aristodemo Archonte*. Iterum, in *Epist. ad Ammæum*. Μετὰ δὲ Θεόδημον lὼ Ἀριςόδημος ἄρχων, ἐφ' ȣ̃ τ̀ κατὰ Φιλίππȣ δημηγοριῶν ἦρξε. *Post autem Theodemum erat Aristodemus Archon, sub quo orationes adversus Philippum incepit*. Deinde. Ἐπὶ δὲ Θεέλλȣ, τȣ̃ μετ' Ἀριςόδημον, τlὼ περὶ Ροδίων ἀπήγγειλε δημηγορίαν. *Sub Theello, qui post Aristodemum, de Rhodiis pronunciavit orationem*. Illum Thessalus excepit. Diodorus *l.* XVI. Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεσσαλȣ̃, Ρωμαῖοι κατέςησαν ὑπάτȣς, Μάρκον Φάβιον, κ̀ Τίτον Κοΐντιον. *Archonte Athenis Thessalo, Romam constituerunt consules, Marcum Fabium, & Titum Quintium*. Neque aliter Dionysio appellatur, in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum; item *postea*, ubi de ejus Orationibus, falso inscriptis. Ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένȣς περὶ τȣ̃ ὀνόματος ὃν δεδηλώκαμεν λόγος, ἐν ᾧ τȣ́των μέμνηται, κτ̀ Θεσσαλὸν, ἢ Ἀπολλόδωρον, ἄρχοντα τετελέσθαι. *Nam Demosthenis quidem de nomine quam indicavimus oratio, in qua illorum meminit, Thessalo, aut Apollodoro Archonte perfecta est.* Sed mox tamen in *Epist. ad Ammæum*, a se dissentiens, Theellum nominat, in *cit. statim verbis*. Ἐπὶ δὲ Θεέλλȣ, τȣ̃ μετ' Ἀριςόδημον. *Sub Theello autem, qui post Aristodemum*. Et mox. Ἐπὶ δὲ Καλλιμάχȣ, τȣ̃ τρίτȣ μετὰ Θεέλλον ἄρχοντος, τρεῖς διέθετο δημηγορικάς. *Sub Callimacho, qui tertius post Theellum Archon, tres constituit conciones*. Alibi autem Θέλλος scribitur, in *Dinarchi Orat. publicarum falso inscriptarum Indice*. Εἴρηται γὰρ ἐπὶ Θεοφίλȣ, ἢ Θεμιςοκλέȣς, ἄρχοντος μετὰ Θέλλον ἀνιόντα ἐνιαυτῷ τρίτῳ. *Dicta enim est Theophilo, aut Themistocle, Archonte post Theellum dimissum anno tertio.* Dissidium annotat Anonymus in *hoc anno.* Θεσσαλὸς, ἢ Θέελλος. *Thessalus, aut Theellus.* Sed hallucinatur ille; & in istis *Dionysii* mendum omnino est, e compendio scriptionis illic natum. Hunc Apollodorus sequitur; quem Callimachus: ut cognoscere est ex *Anonymo, Diodoro*, & *Dionysio*; qui sæpissime etiam ejus meminit, in *Epistola ad Ammæum*. Plutarc. quoque in *Demosthene*, l. *De* X. *Rhet.* Ἑπτὰ δὲ κ̀ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς, λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέȣ εἰς Καλλίμαχον, ἐφ' ȣ̃ παρ Ολυνθίων ἧκε πρεσβεία περὶ τ̀ βοηθείας, ἐπεὶ ἐπιέζοντο ὑπὸ Φιλίππȣ τῷ πολέμῳ, ἔπεισεν ἐκπέμψαι τlὼ βοήθειαν. *Septem vero & triginta annos natus, supputantibus ab Dexitheo usque ad Callimachum, sub quo ab Olynthiis venit legatio de auxilio, quoniam premebantur a Philippo bello, suasit ut mitterentur suppetiæ*. Et Athenæus, *l.* V. Δύο δὲ κ̀ ὀγδοήκοντα βιώσας ἔτη, μετήλλαξεν ἐπὶ Θεοφίλȣ, τȣ̃ μετὰ Καλλίμαχον. *Duo vero & octoginta quũ vixisset an. mortuus est sub Theophilo, qui post Callimachum.*

CAP. IX.

Theophilus Archon; qui Theomnestus, ac Thumedus aliis dicitur. Polycles Cyrenæus stadio victor. Plato moritur; cui Speusippus succedit. Auctor τ̀ θεολογȣμένων τ̀ ἀριθμητικῆς emendatur. Themistocles Archon; post quem Archias, & Eubulus.

OLYMP. CVIII. an. I. Theophilus erat; stadioque victor Polycles Cyrenæus. Diodorus *lib.* XVI. Τȣ̃ δ' ἔτȣς τȣ́τȣ διελθόντος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Θεόφιλος, Ολυμπιὰς δ' ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἑκατ̀, καθ' lὼ ἐνίκα ςάδιον Πολυκλῆς Κυρlωαῖος. *Hoc autem an. elapso, Athenis quidem Archon fuit Theophilus; Olymp. autem acta est octava & centesima, qua vicit stadium Polycles Cyrenæus.* Pausan. in *Phocicis* Δεκάτῳ δὲ ὕςερον ἔτει μετὰ τlὼ τȣ̃ ἱερȣ̃ κατάληψιν, ἐπέθηκεν ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ, Φωκικῷ τε κ̀ ἱερῷ κληθέντι αὐτῷ, Θεοφίλȣ μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ Ολυμπιάδος κ̀ ἑκατοςῆς ἔτει πρώτῳ, lὼ Πολυκλῆς ἐνίκα ςάδιον Κυρlωαῖος. *Decimo autem deinde an. post templi expugnationem, imposuit Philippus finem bello, Phocensi & sacro dicto, Theophilo quidem Athenis Archonte, octavæ vero Olympiadis & centesimæ anno primo, qua Polycles vicit stadium Cyrenæus.* Eodem modo est apud *Anonymum*. Apud Dionisium, in *Dinarcho*, in Cat. Archontum, Theomnestus pro Theophilo nuncupatur; Thumedus vero ibidem, in *Orationum ejus privatarum falso inscriptarum Indice*. Ἡ δ' εἰς Ἀθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θȣμήδȣ ἄρχοντος ἐγένετο, τεισκαιδέκατον ἔτος Δεινάρχȣ ἔχοντος. *In Atheniensium terram exscensio Thumedo Archonte contigit, decimum tertium annum Dinarcho agente.*

Tamen Theophilus legitur etiam in *Orationum ejus publicarum falso inscriptarum Indice*. Εἴρηται γὰρ ἐπὶ Θεοφίλου, ἢ Θεμιστοκλέους, ἄρχοντος. *Dicta enim est Theophilo, aut Themistocle Archonte*. Et in *Epistola ad Ammæum*. Ἀποθανόντος, ἐπὶ Θεοφίλου ἄρχοντος, ἀπῆρε πρὸς Ἑρμείαν, τὸν Ἀταρνέως τύραννον. *Mortuo autem Platone, Theophilo Archonte, abiit ad Hermiam, Atarnei tyrannum*. Et mox disertissime. Μετὰ γὰρ ἄρχοντα Καλλίμαχον, ἐφ' οὗ τὰς εἰς Ὄλυνθον βοηθείας ἀπέστειλαν Ἀθηναῖοι, πεισθέντες ὑπὸ Δημοσθένους, Θεόφιλός ἐστιν ἄρχων. *Post Archontem enim Callimachum, sub quo Olynthum suppetias miserunt Athenienses, persuasi a Demosthene, Theophilus est Archon*. Demosthenes *Orat*. in Pantænetum. Πραχθέντων δὲ τούτων Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς, ἐπὶ Θεοφίλου ἄρχοντος, ἐγὼ μὲν ἐκπλέων εἰς τὸν Πόντον εὐθὺς ᾠχόμην. *Actis autem bis Elaphebolione mense, Theophilo Archonte, ego quidem navigans in Pontum statim discessi*. Athenæus *l.* v. Μετήλλαξεν ἐπὶ Θεοφίλου, τοῦ μετὰ Καλλίμαχον. *Mortuus est sub Theophilo, qui post Callimachum*. Meminit Diogenes Laertius in *Aristotele*, l. v. cujus verba statim proferam. Incidit autem in hunc annum, & Archontem, mors Platonis. Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, l. III. c. II. Τελευτᾷ δὲ (ὁ Πλάτων,) ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἐν γάμοις δειπνῶν, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Moritur autem (Plato,) prout inquit Hermippus, in nuptiis cœnans, primo anno octavæ & centesimæ Olymp*. Et in *Aristotele*, l. v. c. IX. Εἴς τε Μιτυλήνην ἐλθεῖν ἐπὶ ἄρχοντος Εὐβούλου, τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. Πλάτωνος δὲ τελευτήσαντος τῷ πρώτῳ ἔτει, ἐπὶ Θεοφίλου, πρὸς Ἑρμείαν ἀπᾶραι. *Mitylenemque venisse Archonte Eubulo, quarto anno octavæ & centesimæ Olymp. Platone vero mortuo primo anno, sub Theophilo, ad Hermiam profectum*. Athenæus, *l*. v. Πλάτων δὲ γεννᾶται ἐπὶ Ἀπολλοδώρου, τοῦ μετ' Εὐθύδημον ἄρξαντος. δύο δὲ καὶ ὀγδοήκοντα βιώσας ἔτη, μετήλλαξεν ἐπὶ Θεοφίλου, μετὰ Καλλίμαχον, ὅς ἐστιν ὀγδοηκοστὸς καὶ δεύτερος. *Plato autem nascitur sub Apollodoro, post Euthydemum Archonte. Duos vero & octoginta cum vixisset annos, mortuus est sub Theophilo, qui post Callimachum, qui est octogesimus secundus*. Plutarchus in *Demosthene*, l. *De* x. *Rhet*. Ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς, λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέου εἰς Καλλίμαχον, ἐφ' οὗ παρ' Ὀλυνθίων ἧκε πρεσβεία περὶ τῆς βοηθείας, ἐπεὶ ὑπὸ Φιλίππου ἐπιέζοντο τῷ πολέμῳ, ἔπεισε ἐκπέμψαι τὴν βοήθειαν. τῷ δὲ ἑξῆς, ἐφ' οὗ Πλάτων ἐτελεύτησε, Φίλιππος Ὀλυνθίους κατεστρέψατο. *Septem & triginta annos natus, facta supputatione ab Dexitheo ad Callimachum, sub quo ab Olynthiis venit legatio de auxilio, quoniam a Philippo premebantur bello, suasit mitti suppetias. Sequenti vero sub quo Plato est mortuus, Philippus Olynthios evertit*. Obiit autem ipso suo natali die, cum annum implevisset LXXXI. Seneca *Epist*. LVIII. *Hoc scis, puto, Platoni diligentiæ suæ beneficio contigisse, quod natali suo decessit, & annum unum atque octogesimum implevit*. Censorinus De *die natali*, c. XV. *Non prius vita excessisse, quam ad annum illum octogesimum & unum pervenerit; in quo Plato finem vitæ & legitimum esse existimavit, & habuit legitimum*. Athenæus, *loc. cit*. de octoginta duobus ait; Neanthes de octoginta quatuor tradidit. Diogenes Laertius in *Platone* l. III. c. III. Νεάνθης δέ φησιν αὐτὸν τεττάρων καὶ ὀγδοήκοντα τελευτῆσαι ἐτῶν. *Neanthes autem inquit illum quatuor & octoginta mortuum esse annorum*. Ac successit ei in Academia Speusippus, e Potone sorore nepos. Anonymus, in *hoc Archonte*. Πλάτωνος μετὰ δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἡλικίας ἔτη τελευτήσαντος, Σπεύσιππος τὴν σχολὴν διαδέχεται. *Platone post secundum & octogesimum ætatis annum mortuo, Speusippus scholam excepit* Diog. Laertius in *ejus Vita*, l. IV. c. I. Διεδέξατο δ' αὐτὸν (τὸν Πλάτωνα) Σπεύσιππος Εὐρυμέδοντος, Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Μυρρινούσιος, υἱὸς δὲ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ Ποτώνης. καὶ ἐσχολάρχησεν ἔτη ὀκτὼ, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Excepit autem illum (Platonem) Speusippus Eurymedontis filius, Atheniensis, populo Myrrhinusius, filius autem sororis ejus Potones. Et scholæ præfuit annos octo, incipiens ab octava & centesima Olymp*. Suidas. Σπεύσιππος, Εὐρυμέδοντος, ἀδελφιδοῦς Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου, ἀπὸ Ποτώνης, τῆς αὐτοῦ ἀδελφῆς· ἀκουστὴς αὐτοῦ Πλάτωνος, καὶ διάδοχος γενόμενος τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Speusippus, Eurymedontis filius, sororis filius Platonis philosophi, ab Potone ejus sorore. Auditor ipsius Platonis, successor factus octava & centesima Olymp*. Insigniter corruptus hac de re locus apud Auctorem τῶν Θεολογουμένων τῆς ἀριθμητικῆς, capite Περὶ δεκάδος. Καὶ Σπεύσιππος, Ὑποτάνης μὲν υἱὸς, τῆς τοῦ Πλάτωνος ἀδελφῆς, δυάδος δὲ Ἀκαδημίας. *Et Speusippus, Hypotanes quidem filius, Platonis sororis, binarii autem Academiæ*. Restituo, Καὶ Σπεύσιππος, ὁ Ποτώνης μὲν υἱὸς, τῆς τ. Π. ἀ. διάδοχος δὲ Ἀ'. *Et Speusippus Potones quidem filius, Platonis sororis, successor autem Acad*. Post Theophilum Archontem Themistocles sequitur, apud *Diodorum Siculum*, *Dionysium*, & *Anonymum*. Meminitque seorsim ejus Dionysius, in *Dinarchi Orat. publicarum falso inscriptarum Indice*. Εἴρηται γὰρ ἐπὶ Θεοφίλου, ἢ Θεμιστοκλέους, ἄρχοντος. *Dicta enim fuit Theophilo, aut Themistocle Archonte*. Item in *Epist. ad Ammæum*. Μετὰ γὰρ ἄρχοντα Καλλίμαχον, Θεόφιλός ἐστιν ἄρχων. ἔπειτα Θεμιστοκλῆς. *Post enim Archontem Callimachum, Theophilus est Archon. Postea Themistocles*. Et *mox*. Μετὰ τὴν Ὀλυνθίων ἅλωσιν, ἄρχοντος Θεμιστοκλέους, συνθῆκαι Φιλίππῳ πρὸς Ἀθηναίους ἐγένοντο περὶ καὶ συμμαχίας. *Post Olynthiorum expugnationem, Archonte Themistocle, pactiones Philippo cum Athiens. factæ sunt de societate*. Item Æschines, *Orat*. in Ctesiphontem. Μετὰ ταῦτα ἐπῄει ὁ χρόνος. Θεμιστοκλῆς ἄρχων· ἐνταῦθα εἰσέρχεται βουλευτὴς εἰς τὸ βουλευτήριον Δημοσθένης, οὔτε ἐπιλαχών. *Post hæc subibat tempus, quo Themistocles Archon. Tunc ingreditur senator in senatum Demosthenes, neque sortito*. Huic Archias succedit. Dionysius, in *cit. statim Epist*. Μετὰ δὲ Θεμιστοκλέα, Ἀρχίας· μετὰ δὲ Ἀρχίαν, ἐστὶν Εὔβουλος. *Post vero Themistoclem, Archias. Post autem Archiam, est Eubulus*. Et in *Dinarcho, in Indice Orat. publicarum falso inscriptarum* Ὁ μὲν γὰρ λόγος, περί τινος ἀποψηφισθέντος, γέγονεν ἐπ' Ἀρχίου, τοῦ μετὰ Θεμιστοκλέα. *Nam oratio quidem, de quodam per suffragia rejecto, facta fuit sub Archia, qui post Themistoclem*. Male *ibid*. est Ἀρχίδας, in Catalogo Archontum. Certe Ἀρχίας etiam dicitur *Diodoro*, & *Anonymo*. Archiam Eubulus sequitur, apud *Anonymum*, & *Diodorum*. Male apud Dionysium, in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum, Eudorus dicitur. Sed Eubulus est Eidem, in *Orat. ejus publicarum falso inscriptarum Indice*. Ἐπὶ Νικομάχου ἄρχοντος εἴρηται ὁ λόγος οὗτος. φησὶ γὰρ ὁ λέγων, ἐπ' Εὐβούλου μὲν μισθώσασθαι τὸ μέταλλον· τρία δὲ ἔτη ἐργασάμενος, ἐκβαλλόμενος ὑπὸ τοῦ πλησίον ἔχοντος μέταλλα, λαχεῖν αὐτῷ τὴν δίκην κατὰ Νικόμαχον ἄρχοντα. *Nicomacho Archonte dicta est oratio hæc. Inquit enim dicens, sub Eubulo quidem conduxisse mercede metallum. Tres vero annos cum laborasset, ejectus ab plura habente metalla, sortiebatur jus juxta Nicomachum Archontem*. Et in *Epist*. toties cit. *ad Ammæum*. Καὶ τριετῆ χρόνον παρ' αὐτῷ τρίψας, ἐπ' Εὐβούλου ἄρχοντος εἰς Μιτυλήνην ἐχωρίσθη. *Et trium annorum tempus apud ipsum cum trivisset, Eubulo Archonte Mytilenem profectus est*. Et *mox*. Μετ' Ἀρχίαν, ἐστὶν Εὔβουλος. *Post Archiam, est Eubulus*. Ipse Dinarchus, *Orat*. in Demosthenem. Ποῖαι γὰρ τριήρεις εἰσὶ κατεσκευασμέναι διὰ τούτου, ὥσπερ ἐπ' Εὐβούλου, τῇ πόλει. *Quales enim triremes sunt exstructæ per istum, sicut sub Eubulo, urbi*. Diogenes Laertius in *Aristotele*, lib. v. cap. IX. Καὶ εἴς τε Μιτυλήνην ἐλθεῖν ἐπὶ ἄρχοντος Εὐβούλου, τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Et Mytilenem venisse Archonte Eubulo, quarto anno octavæ & centesimæ Olymiadis*.

CAP. X.

Lyciscus Archon. Aristolochus stadio vincit. Pythodotus Archon; cui Sosigenes succedit. Epicurus nascitur, & Menander. Nicomachus Archon. Cometa spectatur. Plinii locus restitutus.

A
OLYMP. CIX. anno I. Lyciscus Archon memoratur; stadioque Aristolochus Atheniensis victor erat. Diodorus, *l.* XVI. Επ' ἄρχοντος ᾧ Αθήνησι Λυκίσκου, Ολυμπιὰς ἤχθη ἑκατοστὴ καὶ ἐννάτη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Αριστόλοχος Αθηναῖος, *Archonte enim Athenis Lycisco, Olympias acta fuit centesima & nona, qua vicit stadium Aristolochus Atheniensis.* Eo-
B
dem plane modo *Anonymus*. De victore, eadem *Eusebius*. Εκατοστὴ ἐννάτη (Ολυμπιάς.) Αριστόλοχος Αθηναῖος στάδιον. *Centesima nona (Olympias.) Aristolochus Atheniensis stadium.* Archontem autem, etiam in Catalogo suo Dionysius in *Dinarcho* nobis refert; meminitque in *Orationum ejus publicarum falso inscriptarum Indice*. Οὗτος ὁ ἀγὼν εἴρηται ἐπ' ἄρχοντος Εὐβούλου, ἢ Λυκίσκου, τοῦ μετ' Εὔβουλον. *Hoc certamen dicitur Archonte Eubulo, aut Lycisco, qui post Eubulum.* Et in *Epistola ad Ammæum*. Μετὰ Αρχίαν ἐστὶν Εὔβουλος· εἶτα Λυκίσκος. *Post Archiam est Eubulus. Dein Lyciscus.* Deinde. Μετὰ Λυκίσκον ἐστὶν
C
ἄρχων Πυθόδοτος. *Post Lyciscum est Archon Pythodotus.* Demosthenes *Orat.* in Theocrinem. Πάντες γὰρ ἴστε, τοὺς ἐπὶ Λυκίσκου ἄρχοντος θεσμοθέτας ἀποχειροτονηθέντας ἐν τῷ δήμῳ διὰ τοῦτον. *Omnes enim scitis, Lycisco Archonte legum positores suffragiis improbatos in populo per istum.* Alius est, & plane incertum cujus anni, qui memoratur in *Inscriptione ista*.

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ
ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕ
ΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕ
ΝΟΣ ΘΕΩΝ ΜΕ
ΓΑΛΩΝ ΔΙΟΣ
ΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ
D
ΕΝ ΤΩΙ ΕΠΙ ΔΙΟ
ΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕ
ΤΑ ΛΥΚΙΣΚΟΝ ΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥ
ΤΩΙ ΙΔΡΥΣΑΤΟ.

Cajus Caji filius Acharnensis sacerdos factus Deorum magnorum Dioscurorum Cabirorum in anno quo Dionysius post Lyciscum Archon fuit, posuit. Hunc Pythodotus excepit. Vides in *citatis statim* Dionysii *verbis*. Μετὰ δὲ Λυκίσκον ἐστὶν ἄρχων Πυθόδοτος. *Post autem Lyciscum est Archon Pythodotus.* Ita etiam est apud eundem, in *Dinarcho*; & *Diodorum*, atque *Anonymum*. Meminitque ejus iterum, in *citata illa E-*
E
pistola. Εκεῖθεν δὲ πρὸς Φίλιππον ἤρχετο, κατὰ Πυθόδοτον ἄρχοντα. *Illinc autem ad Philippum venit, Pythodoto Archonte.* Rursus in *Dinarchi Orationum publicarum falso inscriptarum Indice*, Εστι δὲ ὁ χρόνος κατὰ Πυθόδοτον ἄρχοντα, ὡς δηλοῖ Φιλόχορος σὺν τοῖς ἄλλοις, ἐπὶ τούτου τοῦ ἄρχοντος. *Est autem tempus Pythodoto Archonte, ut indicat Philochorus cum aliis, tempore illius Archontis.* Diogenes Laertius in *Aristotele*, lib. V. c. X. Επὶ Πυθοδότου δ' ἐλθεῖν πρὸς Φίλιππον, τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἐννάτης καὶ ἑκατοστῆς Ολυμπιάδος. *Sub Pythodoto autem venisse ad Philippum, secundo anno nonæ & centesimæ Olympiadis.* Post Pythodotum, est
F
Sosigenes; apud *Anonymum*, *Diodorum*, & *Dionysium* pluribus locis. Meminitque ejus Plutarchus in *Isocrate*, lib. *De X. Rhet.* Αρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου ἄχρι Σωσιγένους, ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ. *Incipiens vero a Lysistrato usque ad Sosigenem, intra annos viginti octo fabulas urbicas dimisit sex.* Ac sub isto natus Epicurus fertur. Anonymus *illic*. Επίκουρος ἐγεννήθη, Γαμηλιῶνος εἰκάδι. *Epicurus natus est, Gamelionis vicesimo.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. X. c. XIV. Εγεννήθη δὲ, κατά φησιν Απολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἐννάτης καὶ ἑκατοστῆς Ολυμπιάδος, ἐπὶ Σωσιγένους ἄρχοντος. *Natus vero est, prout inquit Apollodorus in Chronicis, tertio anno nonæ & centesimæ Olympiadis, Sosigene Archonte.* Menander quoque sub hoc natus. Anonymus *ibidem*. Μένανδρος Διοπείθης Κηφισιεὺς ἐγεννήθη. *Menander Diopethis filius Cephisiensis natus est.* Inscriptio vetus.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ
ΚΗΦΙΣΙΕΥΣ ΕΓΕΝΝΗΘΘ ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣ.

Menander Diopethis filius Cephesiensis natus est Archonte Sosigene. Sosigeni successor traditur Nicomachus, apud *Anonymum*, *Diodorum*, & *Dionysium*. Sub hoc spectatus cometa. Aristoteles *Meterolog.* l. I. c. VII, Ετι δὲ ἐπ' ἄρχοντος ἐγένετο Νικομάχου Αθήνησι ὀλίγας ἡμέρας κομήτης, περὶ τὸν ἰσημερινὸν κύκλον, οὐκ ἀφ' ἑσπέρας ποιησάμενος τὴν ἀνατολήν. *Adhuc autem Archonte fuit Nicomacho Athenis paucos per dies cometa, circa æquinoctialem circulum, non a vespera faciens ortum.* Hic ipse erit, de quo Plinius, ubi de cometis agit, *l.* II. *c.* XXV. *Semel adhuc jubæ effigies mutata in hastam est, Olympiade* CVIII. *Urbis anno* CCCXCIII. Quo in loco geminum mendum est; corruptique cum in Olympiade numeri, tum in Urbis etiam anno. Itaque restituo, *Olympiade* CVIIII. *Urbis anno* CCCCXIII. Ac proclivis sane lapsus. Nam Nicomachus, sub quo hic Cometa apparuit, magistratum suum gessit Olympiade centesima nona, non octava; cujus denique quartus annus, est ab urbe Roma condita quadringentesimus decimus tertius.

CAP. XI.

Theophrastus Archon. Anticles Atheniensis stadio vincit. Anaxarchus floret. Lysimachides Archon. Speusippus moritur, cui succedit Xenocrates. Chærondas Archon. Anonymus, Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus, emendantur. Isocrates moritur. Diodori Siculi locus restituitur. Phrynichus Archon.

THEOPHRASTUS post Nicomachum Archon fuit, Olymp. CX. anno I. stadioque Anticles Atheniensis victor dictus. Diodorus, *lib.* XVI. Επ' ἄρχοντος Αθήνησι Θεοφράστου Ολυμπιὰς ἤχθη δεκάτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Αντικλῆς ὁ Αθηναῖος. *Sub Archonte Athenis Theophrasto Olympias acta decima & centesima, circa quam vicit stadium Anticles Atheniensis.* De Archonte, & victore, eadem *Anonymus*. Archontem autem etiam refert Dionysius in *Dimarcho*; & mox in *Epistola* item *ad Ammæum*. Μετὰ Σωσιγένην ἄρχων ἐστὶ Νικόμαχος, ἐπὶ Νικομάχῳ Θεόφραστος. *Post Sosigenem Archon est Nicomachus, sub Nicomacho Theophrastus.* Deinde. Επὶ δὲ Θεοφράστου, τοῦ μετὰ Νικόμαχον ἄρξαντος, ἐλύθησαν. *Sub Theophrasto vero, post Nicomachum Archontem, soluti sunt.* Æschines, *Orat.* in Chtesiphontem. Επὶ δὲ Θεοφράστου ἄρχοντος, ἱερομνήμονος ὄντος Διογνήτου Αναφλυστίου, πυλαγόρους ὑμεῖς εἵλεσθε, Μειδίαν τε ἐκεῖνον τὸν Αναγυρράσιον, ὃν ἐβουλόμην ἂν πολλῶν ἕνεκα ζῆν, καὶ Θρασυκλέα τὸν Λέσβιον, καὶ τρίτον δὲ μετὰ τούτων ἐμέ. *Sub Theophrasto Archonte, cum præfectus sacrorum esset Diognetus Anaphlystius, pylagoros vos cepistis, Midiam illum Anagyrrasium, quem voluimus multorum causa vivere, & Thrasyclem Lesbium, & tertium vero cum istis me.* Philochorus, in fragmento Αλαί. *l.* VI. quod exstat apud Dionysium, in *citata hac Epistola*. Θεόφραστος Αλαιεύς. ἐπὶ τούτου Φίλιππος, τὸ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας, Περίνθῳ προσέβαλεν. *Theophrastus Alaensis. Sub illo Philippus, primum quidem quum solvisset, Perinthum appulit.* Ita enim *ibi* scribendum, non Αλλαιεύς, monui in l. *De Populis Atticæ*, in Αλαί. Circa hoc tempus florebat Anaxarchus philosophus. Anonymus *illic* Ανάξαρχος Αβδηρίτης ὁ φιλόσοφος ἐγνωρίζετο. *Anaxarchus Abderites Philosophus innotuit.* Diogenes Laertius in *ejus Vita* l. IX. c.

c.LVIII. Ἤκμαζε κατὰ τὴν δεκάτην καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit circa decimam & centesimam Olympiadem*. Theophrasto Lysimachides successit. Ita Dionysius tradit, in *Dinarcho*; Diodorus, *lib.* XVI. & *Anonymus*. Meminitque ejus pluries Dionysius idem iterum in *Epistola ad Ammæum*. Sub hoc, defuncto Speusippo, scholæ ejus præfectus est Xenocrates. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IV. c. XIV. Διεδέξατο δὲ Σπεύσιππον, καὶ ἀφηγήσατο τῆς σχολῆς πέντε καὶ εἴκοσι ἔτη, ἐπὶ Λυσιμαχίδου ἀρξάμενος, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Excepit autem Speusippum, & præfuit scholæ quinque & viginti annos, sub Lysimachide incipiens, circa secundum annum decimæ & centesimæ Olympiadis*. Anonymus *illic*. Σπεύσιππον τὸν φιλόσοφον τελευτήσαντα διεδέξατο Ξενοκράτης ἐπ' ἔτη κε. *Speusippum philosophum mortuum excepit Xenocrates ad annos viginti quinque*. Lysimachidem mox Chærondas excepit. Apud *Anonymum*, & Dionysium in *Dinarcho*, Χαιρωνίδας nuncupatur, minus recte. Rescribendum est, Χαιρώνδας. Apud eundem Dionysium, in *Isocrate*. Ἐτελεύτα τὸν βίον ἐπὶ Χαιρωνίδου ἄρχοντος. *Finivit vitam Chæronide Archonte*. Etiam illic reponendum, Χαιρώνδου. Æschines, *Orat.* in Ctesiphontem. Ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος, ἐκκλησίας οὔσης, ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης. *Nam Chæronda Archonte, Thargelionis mensis vigesimo secundo, concio quum esset, scripsit decretum Demosthenes*. Demosth. *Orat.* De Corona. Ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος, Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη ἱσταμένου, Αἰσχίνης Ἀτρομήτου Κοθωκίδης, ἀπήνεγκε πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων γραφήν. *Chæronda Archonte, Elaphebolionis die sexto, Æschines Atrometi filius Cothocides, detulit ad Archontem juris violati accusationem*. Plutarchus, in *Demosthene*. Εἰσήχθη δὲ τότε καὶ ἡ περὶ τοῦ στεφάνου γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντος, γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν. *Inducta autem fuit tunc etiam de corona accusatio contra Ctesiphontem, scripta quidem Chæronda Archonte, paulùlum ulterius Chæronicis*. Emendandus est ille ipse in *Lycurgo*, lib. *De x. Rhet.* Ἔσχε δὲ τρεῖς παῖδας ἐκ Καλλιστοῦς, τῆς Ἄβρωνος μὲν θυγατρός, Καλαίου δὲ τοῦ Ἄβρωνος Βατῆθεν ἀδελφῆς, τοῦ ταμιεύσαντος στρατιωτικῶν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος. *Habuit autem tres liberos ex Callisto, Abronis quidem filia, Calæi vero Abronis filii ex Bate sorore, quæstor qui fuit rerum militarium*. Male editur, ἐπὶ Χαρώνδου, *sub Charonda*. Sub hoc mortuus Isocrates. Dionysius, *loco citato*. Ἐτελεύτα τὸν βίον ἐπὶ Χαιρώνδου (ita enim jam scribendum esse admonui) ἄρχοντος, ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης. *Finivit vitam Chæronda Archonte, paucis diebus post pugnam in Chæronea*. Plutarchus quoque, in *Isocrate*. Ἐτελεύτα δὲ ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος, ἀπαγγελθέντων τῶν περὶ Χαιρώνειαν ἐν τῇ Ἱπποκράτους παλαίστρᾳ πυθόμενος. *Mortuus vero est Chæronda Archonte, quum annunciata essent gesta circa Chæroneam in Hippocratis palæstra percipiens*. Ita enim etiam *ibi* rescribendum, pro vulgato Χαιρωνίδου. Denique corruptum etiam Archontis nomen apud Diodorum Siculum, *lib.* XVI. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Χαρώνδου. *Archonte autem Athenis Charonda*. Restitui debet eodem modo, Χαιρώνδου. Ultimus hujus Olympiadis Archon Phrynichus. Observare est apud *Anonymum*, *Diodorum*, & *Dionysium*.

CAP. XII.

Pythodemus Archon, sive Pythodorus. Cleomantis stadio victor. Phanias floret. Euænetus Archon. Xenocrates quando mortuus. Diogenes Laertius, & Lucianus, emendantur. Etesicles Archon. Lysiæ locus expensus. Nicocrates Archon. Arrianus restitutus.

HUNC secutus Pythodemus, Olymp. CXI. anno I. Meminit ejus Dionysius, in *Dinarcho*. Ἕκτος δὲ καὶ εἰκοστός ἐστιν Νικοφήμου Πυθόδημος. *Sextus & vigesimus est ab Nicophemo Pythodemus*. Et mox in *Catalogo Archontum* ita nominat. Sub hoc occisus a Pausania rex Philippus, Alexandri Magni pater. Arrianus, De *Exped. Alex.* l. I. Λέγεται δὲ Φίλιππος μὲν τελευτῆσαι ἐπὶ ἄρχοντος Πυθοδήμου Ἀθήνησι. *Dicitur autem Philippus quidem mortuus Archonte Pythodemo Athenis*. Eundem annum, & Archontem, cædi ejus assignat *Anonymus*; & Diodorus, *l.* XVI. Verum apud *Diodorum* Pythodorus Archon dicitur. Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθοδώρου ὀλυμπιὰς ἤχθη πρώτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα. *Archonte Athenis Pythodoro Olympias acta fuit centesima undecima*. Eodem modo apud Demosthenem, *Orat.* in Olympiodorum. Ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαστῶν, διέγραψεν ὁ ἄρχων Πυθόδωρος κατὰ τὸν νόμον τὴν τουτουὶ τοῦ Ὀλυμπιοδώρου ἀμφισβήτησιν. *Decernentibus autem ista judicibus, conscripsit Archon Pythodorus juxta legem hujus ipsius Olympiodori contentionem*. Anonymus dissidium istud repræsentat, cum ab eo istius anni Archon ita memoratur. Πυθόδημος· οἱ δὲ, Πυθόδωρος. *Pythodemus. Alii vero, Pythodorus*. Atque stadio tunc victor Cleomantis Clitorius. Diodorus, *loc. cit.* Ἐνίκα στάδιον Κλεόμαντις Κλειτόριος. *Vicit stadium Cleomantis Clitorius*. Idem quoque est apud *Eusebium*, & *Anonymum*. Hoc tempore florebat Phanias Eresius, Philosophus Peripateticus, Aristotelis discipulus. *Suidas*. Φανίας, ἢ Φαινίας, Ἐρέσιος, φιλόσοφος περιπατητικός, Ἀριστοτέλους μαθητής. ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἑνδεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Phanias, aut Phænias, Eresius, Philosophus Peripateticus, Aristotelis discipulus. Erat autem undecima & centesima Olympiade*. Pythodemum, sive Pythodorum malis, Euænetus sequitur. Consentiunt *Anonymus*, Diodorus *l.* XVII. & Dionysius, in *Dinarcho*. Meminitque ejus iterum, in *Epistola ad Ammæum*. Μετὰ δὲ τὴν Φιλίππου τελευτήν, ἐπ' Εὐαινέτου ἄρχοντος, ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας, ἐσχόλασεν ἐν Λυκείῳ χρόνον ἐτῶν δώδεκα. *Post autem Philippi mortem, Euæneto Archonte, perveniens Athenas, vacavit scholæ in Lycæo per tempus annorum duodecim*. Clemens, *Strom.* I. Ἀπὸ τούτου ἐπ' Εὐαίνετον ἄρχοντα, ἐφ' οὗ φασὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν Ἀσίαν διαβῆναι, ὡς μὲν Φανίας, ἔτη ἑπτακόσια δεκαπέντε. *Ab isto usque Euænetum Archontem, cujus tempore dicunt Alexandrum in Asiam transiisse, ut quidem Phanias, anni septingenti quindecim*. Sub hoc moritur Xenocrates philosophus. Inde conjecturam est facere; quod natus Olymp. XCI. anno I. ut *supra* docui, vixit annos LXXXII. Clare dicit Diogenes Laertius, in *ejus Vita*, libro IV. cap. XIV. Ἐτελεύτα δὲ, νυκτὸς λεκάνῃ προσπταίσας, ἔτος ἤδη γεγονὼς δεύτερον καὶ ὀγδοηκοστόν. *Mortuus autem est nocte cum in pelvim offendisset, annum jam habens secundum & octogesimum*. Nam id tempus in hunc annum incidit. Lucianus, in *Longævis*, ait vixisse annos LXXXIV. Ξενοκράτης δὲ, Πλάτωνος μαθητὴς γενόμενος, (ἐβίωσεν ἔτη) (τέσσαρα καὶ ὀγδοήκοντα. *Xenocrates vero Platonis discipulus factus, (vixit annos) quatuor & octoginta*. Id ergo erit sub Nicocrate, hujus Olympiadis anno quarto. Verum neutrum sane rectum esse potest. Ecce enim, post Speusippum scholæ præfecturam cepit, ut ostendi *paulo ante*, sub Archonte Lysimachide; tenuitque deinde annos XXV. Atqui hic est annus tantum post acceptam scholæ præfecturam quartus. Vicesimus quintus incidit in Olymp. CXVI. annum III. cujus Archon Nicodorus. Certe ad illam Olympiadem produxisse eum vitam, innuit quoque ipse Diogenes, cum Polemonem tunc ipsi successisse nobis tradit, *istis verbis*, libro IV. capite XVI. Καί ποτε συνθέμενος (ὁ Πολέμων) τοῖς νέοις, καὶ ἐστεφανωμένος, μεθύων εἰς τὴν Ξενοκράτους ἧξε σχολήν. ὁ δὲ, οὐδὲν διατραπεὶς, εἶρε τὸν λόγον ὁμοίως. ἦν δὲ περὶ σωφρο-

σύνης. ἀνέσει δὲ τὸ μειράκιον, κατ' ὀλίγον ἐθηράθη. καὶ οὕτως ἐγένετο φιλόπονος, ὡς ὑπερβάλλεσθαι τοὺς ἄλλους, καὶ αὐτὸν διαδέξασθαι τὴν σχολὴν, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς ἕκτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. *Et aliquando constituens, (Polemo) juvenibus, & coronatus, ebrius in Xenocratis venit scholam. Hic vero, nihil perculsus, extulit sermonem eodem modo. Erat autem de temperantia. Audiens vero adolescens, paululum tactus fuit. Et ita factus est industrius, ut praecelluerit aliis, & ipse exceperit scholam, incipiens a sexta decima & centesima Olympiade.* Fueritque tunc Xenocrates, cum decederet, annos natus tres & centum. Ergo numeri in *Diogene*, & *Luciano*, ad hanc faciem corrigendi. Post Euænetum, Ctesicles commemoratur ab *Anonymo, Diodoro*, & *Dionysio*. Meminitque ejus Plutarchus, in *Lycurgo Rhetore*. Ἐψηφίσατο δὲ καὶ Διοτίμῳ Διοπείθους Εὐωνυμεῖ τιμὰς ἐπὶ Κτησικλέους ἄρχοντος. *Decrevit autem etiam Diotimo Diopithis filio Euonymensi honores Ctesicle Archonte.* Est & mentio Ctesiclis cujusdam Archontis apud Lysiam, in *Orat.* Ὑπὲρ τῶ στρατιώτου. Οἱ δὲ μετὰ Κτησικλέους τοῦ ἄρχοντος, ἀπαγγείλαντός τινος, ὡς ἐγὼ λοιδοροῖμι, τοῦ νόμου ἀπαγορεύοντος, ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ παρὰ τὸν νόμον, ζημιῶσαι ἠξίωσαν. *Qui vero cum Ctesicle Archonte, annunciante quodam, ac si ego convitia facerem, lege prohibente, ne quis magistratum in concione convitio afficiat illegitima causa, mulctare voluerunt.* Sed non potest iste esse, siquidem Lysias annos tunc fuisset natus centum & viginti quinque; cum, qui plurimum ei tribuunt, octoginta tres vixisse tantum dicant. Sine dubio aliquis fuerit, qui ætate ipsius Lysiæ eo magistratu functus, alio nomine apud *Diodorum Siculum* nuncupatur. Ctesicli Nicocrates successor datus. Est videre apud *Anonymum, Diodorum*, & *Dionysium*. Corruptum ejus nomen est apud Arrianum, De *Exped. Alex.* l. II. ubi de pugna, ad Issum commissa, hoc ipso anno. Τοῦτο τέλος τῇ μάχῃ ἐκείνῃ ἐγένετο, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθηναίοις Νικοστράτου, μηνὸς Μαιμακτηριῶνος. *Hæc finis pugnæ illi fuit, Archonte Athenis Nicostrato, mense Mæmacterione.* Rescribe, Ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθηναίοις Νικοκράτους. *Archonte Athenis Nicocrate.*

CAP. XIII.

Nicetes Archon. Diodorus, & Arrianus, emendantur. Anonymi error indicatur. Gryllus, an Grylus, an Gryalus, an Euryalas, stadio vincit. Aristophanes Archon; inde Aristophon. Dionysii Halicarnassei locus, & Plutarchi item alter, restituitur. Cephisophon Archon; male Cesiphon Dionysio.

QUI secutus Olymp. CXII. anno I. Nicetes dicitur apud Dionysium Halicarn. in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum. Apud Diodorum est Niceratus, *libro* XVII. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Νικηράτου Ὀλυμπιὰς ἤχθη δευτέρα πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα. *Archonte autem Athenis Nicerato Olympias acta est centesima & duodecima.* Sed scribendum erit, Νικήτου, pro Νικηράτου. Mendum quoque est apud Arrianum, De *Exped. Alex.* lib. II Τύρος μὲν δὴ οὕτως ἑάλω, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀνικήτου Ἀθήνησι, μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος. *Tyrus quidem ita capta est, Archonte Aniceto Athenis, mense Hecatombæone.* Rescribe itidem, ἐπὶ ἄρχοντος Νικήτου. *Sub Archonte Niceta.* Utroque illo *Diodori* & *Arriani* loco inductus *Anonymus* scribit, Νικήρατος· οἱ δὲ, Ἀνίκητος. *Niceratus. Alii vero, Anicetus*, Stadio tunc vincebat Gryllus Chalcidensis. Anonymus *illic*. Γρύλλος Χαλκιδεὺς στάδιον. *Gryllus Chalcidensis stadium.* Diodoro Grylus dicitur. Ἐνίκα Γρύλος Χαλκιδεύς. *Vicit Grylus Chalcidensis.* Ad oram libri adnotatum, Γρύαλος. Apud *Eusebium* est Euryalas. Ἑκατοστὴ δωδεκάτη (Ὀλυμπιάς.) Εὐρυάλας Χαλκιδεὺς στάδιον. *Centesima duodecima (Olympias.) Euryalas Chalcidensis stadium.* Post Niceten, Aristophanes memoratur ab *Anonymo, Diodoro*, & *Dionysio*; meminitque etiam ejus Arrianus De *Exped. Alex.* lib. III. Τοῦτο τέλος τῇ μάχῃ ταύτῃ ἐγένετο, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοφάνους, μηνὸς Πυανεψιῶνος. *Hic finis pugnæ illi fuit, Archonte Athenis Aristophane, mense Pyanepsione.* Huic Aristophon succedit. Ita *Anonymus, Diodorus*, & Dionysius in *Dinarcho*; cujus locus de eodem in *Epistola ad Ammæum* graviter corruptus legitur. Οὗτος γὰρ μόνος εἰς δικαστήριον εἰσελήλυθε μετὰ τὸν πόλεμον, ἐπ' Ἀριστοφῶντος ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ὀκτὼ δὲ μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτὴν, καθ' ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Ἀρβήλοις ἐνίκα μάχην. *Hæc enim sola in judicium pervenit post bellum, Aristophonte Archonte anno quidem post Chæronensem pugnam, octo vero post Philippi obitum, quo tempore Alexander ad Arbelam vicit prælium.* Nam quo pacto? an Aristophontis hujus magistratus proximo post Chæronensem pugnam anno, post Philippi mortem octavo? Hoc negabit ipsa Historia. Nam a clade Chæronensi, ad Aristophontem Archontem, anni octo; a Philippi autem morte, sex intersunt. Quam ob causam sic restituo. Ἐπ' Ἀριστοφῶντος ἄρχοντος, ὄγδοον μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην· ἕκτον δὲ, μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτήν. *Aristophonte Archonte, octavo quidem anno post Chæronensem pugnam: sexto vero, post Philippi mortem.* Mendum quoque est apud Plutarchum, in *Demosthene*. Εἰσήχθη δὲ τότε καὶ ἡ περὶ τοῦ στεφάνου γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντος. γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος, μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν. κριθεῖσα δ' ὕστερον ἔτεσι δέκα, ἐπ' Ἀριστοφῶντος. *Inducta autem fuit tunc etiam de corona accusatio contra Ctesiphontem, scripta quidem Cheronda Archonte paululum ultra Chæronensia: judicata vero post annos decem, sub Aristophonte.* Ut jam dixi, anni sunt a pugna illa Chæronensi ad hunc Archontem tantum octo; itaque omnino rescribendum, κριθεῖσα δ' ὕστερον ἔτεσιν ὀκτὼ, ἐπ' Ἀριστοφῶντος. *Judicata vero post annos octo, sub Aristophonte.* Origo mendi e confusione numerorum ι' & ή Meminit præterea Archontis hujus etiam Arrianus, De *Exped. Alex.* lib. III. Τοῦτο τὸ τέλος Δαρείῳ ἐγένετο, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθηναίοις Ἀριστοφῶντος, μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος. *Hic finis Dario contigit, Archonte Athenis Aristophonte, mense Hecatombæone.* Et Theophrastus, in *Eth. Charact.* cap. περὶ λαλιᾶς. Προσδιηγήσασθαι δὲ καὶ τὴν ἐπ' Ἀριστοφῶντος ποτὲ γενομένην τοῦ ῥήτορος μάχην, καὶ τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ἐπὶ Λυσάνδρου. *Præterea explanare autem & quod tempore Aristophontis quondam contigit rhetoris prælium, etiam Lacedæmoniorum sub Lysandro.* Ultimus hujus Olympiadis est Cephisophon. Ita *Diodoro* dicitur, & *Anonymo*. Male apud Dionysium in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum, Cephison legitur; quod Sylburgio, viro insigni, etiam visum.

CAP. XIV.

Euthycritus, sive Euthycrates, Archon. Clito Macedo stadio victor. Crates philosophus floret. Hegemon Archon, sive Chremes; inde Chremes, sive Anticles: deinde Anticles, sive Sosicles. Tum Hegesias; sub quo mortui eodem die Alexander, & Diogenes. Hunc Cephisodorus sequitur; illum Philocles, sive Diocles, sive Polycles. Aristoteles, & Demosthenes, moriuntur. Menander primam fabulam edit. Apollod. Arch. sive Archippus.

OLYMP. CXIII. anno I. Euthycritus erat: ut commemorant *Diodorus*, & *Dionysius*. *Ano-*

nymus dissidium indicat, & bifariam nomen dicit. Εὐθύκριτος· οἱ δὲ, Εὐθυκράτης. *Euthycritus. Alii vero, Euthycrates.* Stadio tunc victor fertur Clito Macedo. Anonymus *illic.* Κλίτων Μακεδὼν στάδιον. *Clito Macedo stadium.* Eusebius, Ἑκατοστὴ τρισκαιδεκάτη (Ὀλυμπιάς.) Κλίτων Μακεδὼν στάδιον. *Centesima tertiadecima (Olympias.) Clito Macedo stadium.* Diodorus, qui Olympionicas omnes hactenus diligenter satis indicavit, de hoc tacet. Crates Thebanus tunc florebat. Anonymus *illic.* Κράτης Θηβαῖος ὁ φιλόσοφος ἤκμαζε. *Crates Thebanus philosophus floruit.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. VI. cap LXXXVII Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν τρίτην καὶ δεκάτην καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Floruit autem tertia decima & centesima Olympiade.* Post Euthycratem, est Hegemon; apud *Anonymum*, & Dionysium in *Dinarcho*. *Diodoro* Chremes dicitur; qui *Anonymo*, & *Dionysio*, tertio anno Olympiadis magistratum istum tenuit. Certe Hegemonis meminit etiam Arrianus, De *Exped. Alex.* lib. V. Τοῦτο τὸ τέλος τῇ μάχῃ πρὸς Πῶρόν τε καὶ τοὺς ἐπέκεινα τοῦ Ὑδάσπου ποταμοῦ Ἰνδοὺς Ἀλεξάνδρῳ ἐγένετο, ἐπ' ἄρχοντος Ἀθηναίοις Ἡγήμονος, μηνὸς Μουνυχιῶνος. *Ille finis prælio fuit, quod contra Porum & alios ultra Hydaspen flumen Indos Alexandro contigit, Archonte Athenis Hegemone, mense Munychione.* Olympiadis memoratæ anno tertio Archon Chremes ab *Anonymo*, & *Dionysio*, nuncupatur; pro quo Anticles apud *Diodorum* legitur. qui cum quarto collocetur ab *Anonymo*, & *Dionysio*, ejus loco a *Diodoro* Sosicles commemoratur. Olymp. XIV. anno I. Hegesias ponitur ab *Anonymo*, & *Diodoro*; qui omittitur *Dionysio*. Meminitque ejus item Arrianus, De *Exped. Alex.* lib. VII. Ἐτελεύτα μὲν δὴ Ἀλέξανδρος τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐπὶ Ἡγησίου ἄρχοντος Ἀθήνησιν. *Mortuus quidem fuit Alexander quartadecima & centesima Olympiade, Hegesia Archonte Athenis.* Stadio tunc victor erat Micinas Rhodius; teste *Anonymo*, *Diodoro*, & *Eusebio*. Alexandrum Magnum tunc mortuum esse, Arriani *jam citata verba* docent; & Diodorus, in *fine libri* XVII. Josephus quoque *Contra Appionem*, lib. I. Ἀλέξανδρον δὲ τεθνάναι πάντες ὁμολογοῦσιν ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος. *Alexandrum vero mortuum omnes fatentur centesima quarta decima Olympiade.* Eodem anno, imo die, Diogenes Cynicus. Anonymus *ibi.* Ἀλέξανδρος ἐν Βαβυλῶνι ἐτελεύτησε, βασιλεύσας ἔτη ιβ', καὶ μῆνας ζ. Διογένης ὁ κύων τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐτελεύτησε. *Alexander Babylone mortuus est, quum regnasset annos duodecim, & menses septem. Diogenes canis ille eodem die mortuus est.* Plutarchus *Sympos.* lib. VIII. *Probl.* I. Ἐμνήσθησαν δὲ καὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτῆς, καὶ τῆς Διογένους τοῦ κυνὸς, ἡμέρᾳ μιᾷ γενομένης. *Mentionem autem fecerunt de morte & Alexandri regis & Diogenis Canis illius, die uno quæ contigit.* Corrupta hac de re *Suidæ* verba, & *Diogenis Laertii*; quæ emendo *Attic. Lect.* l. II. c. XXII. Post Hegesiam, Cephisodorus collocatur a Diodoro, & *Anonymo*; meminitque ejus item Dionysius in *Dinarcho*, & *Epistola ad Ammæum*. Huic Philocles succedit, teste *Diodoro Siculo*, & *Dionysio*. Dioclem vocat Plutarchus, in Decreto quodam, quod repræsentat in *fine libri* De X. Rhet. Καὶ ὡς κατῆλθεν ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος. *Et quod pervenerit Diocle Archonte.* Etiam Scholiastes Comici, in *Prolegomenis.* Περὶ κωμῳδίας. Ἐδίδαξε δὲ πρῶτον, ἔφηβος ὢν, ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος. *Docuit autem primum, ephebus cum esset, Diocle Archonte.* Itaque bifariam commemoratus ab *Anonymo.* Φιλοκλῆς, οἱ δὲ, Διοκλῆς. *Philocles, alii vero, Diocles.* Demostheni, in *Orat.* De Corona, Polycles dicitur. Ἐπὶ ἄρχοντος Πολυκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, φυλῆς πρυτανευούσης Ἱπποθοωντίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἰσήνεγκε νόμον εἰς τὸ τριηραρχικὸν ἀντὶ τοῦ προτέρου. *Archonte Polycle, mense boedromione, sextodecimo die, tribu moderante Hippothoontide, Demosthenes Demosthenis filius Pæaniensis intulit legem circa triremis præfecturam loco prioris*, Aristoteles tunc mortuus, & Demosthenes. Diogenes Laertius in *Aristotele*, lib. V. c. X. Εἶτα ἀπᾶραι εἰς Χαλκίδα τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς δεκάτης καὶ τετάρτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ τελευτῆσαι ἐτῶν που τριῶν καὶ ἑξήκοντα, νόσῳ· ὅτε καὶ Δημοσθένην καταστρέψαι ἐν Καλαβρίᾳ, ἐπὶ Φιλοκλέους. *Dein abiisse Chalcidem tertio anno decimæ quartæ & centesimæ Olympiadis, & mortuum esse annorum trium & sexaginta, morbo. Quando etiam Demosthenes decessit in Calabria, sub Philocle.* Menander Comicus primam etiam fabulam docuit. Anonymus *ibi.* Μένανδρος, ἔφηβος ὢν, πρῶτον δρᾶμα ἐδίδαξε. *Menander, cum esset ephebus, primam fabulam docuit.* Scholiastes Aristophanis, in *Prolegomenis de Comœdia.* Μένανδρος δὲ Διοπείθους υἱὸς, Ἀθηναῖος, λαμπρὸς καὶ βίῳ, καὶ γένει. συνδιατρίψας δὲ τὰ πολλὰ Ἀλέξιδι, ὑπὸ τούτου δοκεῖ παιδευθῆναι, Ἐδίδαξε δὲ πρῶτον, ἔφηβος ὢν, ἐπὶ Διοκλέους. *Menander autem Diopethis filius, Atheniensis, splendidus & vita & genere. Conversatus vero multum cum Alexide, ab illo videtur institutus. Docuit autem primum, cum esset ephebus, sub Diocle.* Erat autem ea fabula, Ὀργή. *Eusebius*, in hujus Olympiadis anno quarto id refert, & nomen exprimit, istis verbis. Μένανδρος, ὁ κωμικὸς ποιητὴς, πρῶτον δρᾶμα διδάξας Ὀργὴν, ἐνίκησε. *Menander, comicus poeta, primam fabulam quum docuisset Iracundiam, vicit.* Philoclen autem, sive Dioclen, sequitur Apollodorus. Ita *Diodorus* tradit, & *Anonymus*; sed Archippus *Dionysio* nominatur.

CAP. XV.

Neæchmus Archon. Damasias stadio victor. Apollodorus Archon; inde Phocion, cui amoto statim Archippus substitutus, sub quo Phocion sublatus. Hinc Demogenes Archon factus; tum Democlides, sub quo stadio vincebat Dinomenes, sive Demosthenes; Hunc secutus Praxibulus, illum Nicodorus, cui successit Theophrastus. Inde Polemon, sub quo stadio victor Parmenion, sive Parmenon, sive Parmenides. Post Polemonem, Simonides. Cyrenæ quonam tempore conditæ. Plinii locus restitutus. Hieromnemon deinde Archon, & Demetrius Phalereus.

OLYMP. CXV. anno I. Archon Neæchmus memoratur a Dionysio in *Dinarcho*, & *Anonymo*; pro quo Archippum *Diodorus* nobis tradit. Stadioque victor tunc Damasias Amphipolites, uti constat ex *Eusebio*, & *Anonymo*. *Diodorus* eum omittit. Post Neæchmum Apollodorus magistratum istum gessit; quem Archippus mox excepit. Ita nobis *Dionysius* repræsentat, & *Anonymus*; sed neutrius *Diodorus* mentionem ullam facit. Sane Archippi meminit etiam Theophrastus, *Hist. Plant.* l. IV. c. XVII. Ἐγένετο δὲ πρότερόν τε πολλάκις ἤδη, καὶ ἐπ' Ἀρχίππου. *Contigit autem & antea jam sæpe; & sub Archippo.* Ac sub illo Phocion cicutam bibit. Anonymus *illic.* Ἀθήνησι Φωκίων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ καταδικασθέντες, κώνειον πιόντες, τὸν βίον κατέλυσαν. *Athenis Phocion, & qui cum ipso condemnati fuerunt, cicutam bibentes, vitam solverunt.* Quin hic ipse ante Archippum Archon fuit, nisi me conjectura fallit. Certe extremo vitæ tempore, sub calamitatem istam, Archontem fuisse, Plutarchus tradit, in *ejus Vita*. Ὁ δὲ εἰς πατρίδος ἀποκινδυνεύων σωτηρίαν, καὶ ταῦτα στρατηγὸς, καὶ ἄρχων, οὐκ οἶδα γὰρ μεῖζόν τι παραβαίνει, ἢ πρεσβύτερον τὸ πρὸς τοὺς πολίτας δίκαιον. *Qui vero ad patriæ periclitatur salutem, idque dux, &*

Ar-

Archon, haud scio an non majus quid transgrediatur, & antiquius erga cives suis. Et Æmylius Probus, item in *illius Vita*, c. XXVIII. *Concidit autem maxime hoc uno crimine; quia, cum apud eum summum esset imperium populi, & Nicanorem, Cassandri præfectum insidiari Piræo Atheniensium a Dercyllo moneretur, idemque postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur: hinc, audiente populo, Phocio negavit esse periculum.* Sed non diu magistratum illum tenuit, ut *Plutarchus* clare narrat; itaque amotus, ut videtur, hunc Archippum sibi substitutum habuit: cujus nomen etiam relatum in Fastos. Quartus hujus Olympiadis est Demogenes, apud *Anonymum, Diodorum, & Dionysium*. Illum Democlides sequitur, Olymp. CXVI. anno I. teste *Anonymo, Diodoro, & Dionysio*. Stadioque victor tunc Dinomenes Lacon. Diodorus *lib.* XIX. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Δημοκλείδου Ὀλυμπιὰς ὑπῆρχεν ἕκτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα. καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Δεινομένης Λάκων. *Archonte vero Athenis Democlide Olympias incepit sexta decima & centesima qua vicit stadium Dinomenes Lacon. Eusebio, & Anonymo*, Demosthenes dicitur. Hunc secutus Praxibulus; quem consensu ita tradunt, *Diodorus, Dionysius, & Anonymus*. Meminitque ejus item Theophrastus, De *Lapidibus*. Οὐ παλαιὸν δ' ἐστὶν, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστα ἐνενήκοντα, εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον. *Non vetus autem est, sed circa annos potissimum nonaginta, ad Archontem Praxibulum.* Et ex eo Plinius, *lib.* XXXIII. *cap.* VII. *Theophrastus nonaginta annis ante Praxibulum, Atheniensium magistratum, tradit inventum.* Praxibulum Nicodorus, illum Theophrastus sequitur; ut consensu nobis referunt, *Diodorus, Dionysius, & Anonymus*. Olymp. CXVII. anno I. Polemon fuit; sub quo stadio vincebat Parmenion Mitylenæus. Diodorus *lib.* XIX. Τοῦ ἔτους τούτου διελθόντος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Πολέμων· ἤχθη δὲ καὶ Ὀλυμπιὰς κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα· καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίων Μιτυληναῖος. *Annoque hoc elapso, Athenis quidem Archon erat Polemon. Acta vero fuit etiam Olympias illo anno septima decima & centesima: qua vicit stadium Parmenio Mitylenæus.* In Archonte, *Dionysius* consentit, & *Anonymus*; de victore, variant alii; & *Anonymo* quidem Parmenon, *Eusebio* Parmenides dicitur. Hunc Simonides excepit; ut *Anonymus, Diodorus, Dionysiusque* referunt. Mentioque ejus exstat apud Theophrastum, *Hist. Plant.* lib. XI. cap. III. Φασὶ καὶ οἱ Κυρηναῖοι φανῆναι τὸ σίλφιον ἔτεσι πρότερον ἢ αὐτοὶ τὴν πόλιν ᾤκησαν ἑπτά. οἰκοῦσι δὲ μάλιστα περὶ τριακόσια, εἰς Σιμωνίδην ἄρχοντα Ἀθήνησιν. *Inquiunt autem Cyrenaici provenisse silphium annis antequam ipsi urbem habitaverunt septem. Habitant vero maxime circa trecentos annos, usque Simonidem Archontem Athenis.* Ubi obiter observandum, quod Simonidis magistratu habitatas jam Cyrenas circiter trecentos annos nobis tradat; idque verum est. nam a conditu earum, ad Simonidem, anni sunt sex & trecenti. quippe conditæ Olym. XLI. anno I. Anonymus *illic*. Βάττος Λακεδαιμόνιος ἐν Λιβύῃ Κυρήνην κτίζει. *Battus Lacedæmonius in Libya Cyrenas condit.* Solinus consentit, *cap.* XXX. *Major Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas vocant; quod Battus Lacedæmonius Olympiade prima & quadragesima condidit.* Plinius ait, conditas esse anno urbis centesimo quadragesimo tertio. Ecce verba, *lib.* XIX. *cap.* III. *Apud auctores Græciæ evidentissimos invenimus, natum (laserpitium) imbre piceo repente madefacta tellure, circa Hesperidum hortos, Syrtinque majorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est urbis nostræ anno* CXXXXIII. Sed in numeris illic mendum est, scribendumque; *urbis nostræ anno* CXXXVII. Nam Olympiadis quadragesimæ primæ annus primus erat centesimus tricesimus septimus conditæ Romæ. Loci istius *Pliniani* emendandi occasionem non putavi negligendam. Post Simonidem, Hieromnemon memoratur; quem Demetrius Phalereus est secutus. At Demetrii, præter *Diodorum Siculum, Dionysium, & Anonymum*, meminit etiam Athenæus, *lib.* XII. Ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμπεν ἄρχων γενόμενος (Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς) ᾖδεν ὁ χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα. *In pompa autem Bacchanaliorum, quam duxit Archon factus (Demetrius Phalereus) cecinit chorus in ipsum versus.*

CAP. XVI.

Charinus Archon. Dionysius Halicarnasseus emendatur. Apollonides Tegeates, sive Andromenes Corinthius, stadio vincit. Anaxicrates Archon. Dinarchus Athenis abit; Epicurus Athenas redit. Inde, Archontibus abrogatis, constituti sacerdotes Servatorum: e quibus Corœbus primus, sive Corybus. quem secutus Euxenippus, seu Xenippus, sive Xenias nuncupandus.

OLYMP CXVIII. anno I. Archon Charinus apud *Diodorum* fertur, & *Anonymum*; qui mendose Cærimus dicitur apud *Dionysium*. Diodori de eo ista verba, *lib.* XX. Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Χαρίνου παρὰ τοῖς Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα. *Archonte autem Athenis Charino apud Eleos Olympias acta est decima octava & centesima.* Stadio victor Apollonides Tegeates. Diodorus *ibidem*. Καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀπολλωνίδης Τεγεάτης. *Qua vicit stadium Apollonides Tegeates.* Eusebio Andromenes Corinthius dicitur. Ἑκατοστὴ ὀκτωκαιδεκάτη Ὀλυμπιάς. Ἀνδρομένης Κορίνθιος στάδιον. *Centesima decima octava Olympias. Andromenes Corinthius stadium.* Dissidium *Anonymus* indicat. Ἀνδρομένης Κορίνθιος· ὡς δὲ ἄλλοι, Ἀπολλωνίδης Τεγεάτης, στάδιον. *Andromenes Corinthius. Ut autem alii, Apollonides Tegeates, stadium.* Meminit Charini hujus etiam Seneca, *Epist.* XVIII. *Hoc certe (Epicurus) in his epistolis ait, quas scripsit, Charino magistratu, ad Polyænum.* Post Charinum, Anaxicrates constituitur ab *Anonymo, Diodoro, & Dionysio*. Sub eo Dinarchus, Athenis excedens, Chalcidem petiit: Anonymus *illic*. Δείναρχος ὁ ῥήτωρ, ἐξελθὼν Ἀθήνηθεν, εἰς Χαλκίδα τῆς Εὐβοίας παραγίνεται. *Dinarchus rhetor, egressus Athenis, Chalcidem Eubœæ pervenit.* Plutarchus in *ejus Vita*, lib. *De* X. Ἐπ' Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐξαργυρισάμενος τὰ πλεῖστα τῆς οὐσίας, ἔφυγεν εἰς Χαλκίδα. *Anaxicrate Archonte, quum in argentum redegisset plurima bonorum, fugit Chalcidem.* Idem narrat in *ejus Vita*, semel iterumque. Et sub eo Athenas rediit Epicurus. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. X. c. II. Χρόνον δέ τινα διατρίψαντα αὐτόθι, καὶ μαθητὰς ἀθροίσαντα, (φησὶν Ἡρακλείδης ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ) πάλιν ἐπανελθεῖν εἰς Ἀθήνας, ἐπὶ Ἀναξικράτους. *Tempus vero aliquod cum versatus esset illic, & discipulos congregasset (inquit Heraclides in Sotionis epitome) rursus rediisse Athenas, sub Anaxicrate.* Meminit porro Anaxicratis Archontis etiam Plutarchus, in *Lycurgo rhetore*. Ἀνάκειται δὲ αὐτοῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν Κεραμεικῷ κατὰ ψήφισμα, ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος. *Posita est autem ejus ænea statua in Ceramico juxta decretum, Anaxicrate Archonte.* Post hunc instituti οἱ ἱερεῖς τῶν Σωτήρων, *Sacerdotes Servatorum*, ut dixi supra *l.* I. *cap.* IX. continuati ad Olymp. CXXIII. annum I. quo Archontes restituti. Itaque qui deinceps his commemorantur, sacerdotes Servatorum, non Archontes, sunt putandi; etsi eos *Diodorus, Dionysius, & A.*

nonymus, ſine ulla ſacerdotii inſtituti mentione, ceu Archontes ſemper referunt. Anaxicratem Corœbus ſequitur apud *Anonymum*, & *Dionyſium*; ſed is Corybus apud *Diodorum* ſcribitur. Illum Euxenippus excipit. Ita dicitur Dionyſio in *Dinarcho*, in Catalogo Archontum. Apud *Diodorum* eſt Xenippus. Τȣ̃ δ' ἐνιαυσίȣ χρόνȣ διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Ξένιππος. *Annuo autem tempore expleto, Athenis quidem Archon fuit Xenippus*. Sed in ora annotatum, Εὐξένιππος. Apud *Anonymum* eſt, Ξένιππος· οἱ δὲ, Ξενίας. *Xenippus. Alii vero, Xenias*. Certe Xenias etiam Plutarcho dicitur in *Hyperide*, lib. *De x. Rhet.* Γραψάμενος δὲ καὶ τὴν Φωκίωνος δωρεὰν, ἣν εἶπε Μειδίας Μειδίȣ Ἀναγυράσιος, ἐπὶ Ξενίȣ ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ φθίνοντος, ἡττήθη. *Quum autem ſcripſiſſet quoque orationem de Phocionis dono, quam dixit Midias Midiæ filius Anagyraſius, Xenia Archonte, Gamelionis die vigeſimo quarto, ſuccubuit*.

CAP. XVII.

Pherecles Archon, aut ſacerdos Servatorum. Andromenes Corinthius ſtadio victor. Phereclı ſuccedit Leoſtratus, huic Nicocles, iſti vero Calliarchus. Deinde Hagemachus, ſub quo ſtadio vincebat Pythagoras Magneſius. Hinc Euctemon, quem ſenatus Mneſidemus, quem Antiphates. Illum Nicias excepit, ſub quo ſtadio iterum Pythagoras victor. Hunc Nicoſtratus ſecutus, illum autem Olympiodorus; iſtum Philippus, ſive Diphilus: ſub quo Archontes reſtituti, abrogatis ſacerdotibus Servatorum, & Demetrii dominatu abdicato.

OLYMP. CXIX. anno I. Archon, aut ſacerdos Servatorum, Pherecles. Diodorus *lib.* XX. Τȣ̃ δ' ἐνιαυσίȣ χρόνȣ διεληλυθότος, Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Φερεκλῆς· Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη παρὰ τοῖς Ἠλείοις ἐννάτη πρὸς ταῖς δέκα. *Annuo autem tempore expleto, Athenis quidem Archon fuit Pherecles; Olympias vero acta apud Eleos decima nona & centeſima*. Neque aliter *Dionyſio* nuncupatur, aut *Anonymo*. Stadio tunc iterum victor Andromenes Corinthius; ut iidem auctores tradunt. Huic Leoſtratus ſuccedit; illi Nicocles, iſti autem Calliarchus. Ita iidem nobis memorant. Nicoclem Archontem laudat Demoſthenes, *in Orat.* De Corona. Ἐπὶ Νικοκλέȣς ἄρχοντος, βοηδρομιῶνος ἕνη καὶ νέᾳ, βȣλῆς γνώμῃ, πρυτάνεις, καὶ στρατηγοὶ, ἐχρημάτισαν. *Nicocle Archonte, boedromionis die trigeſimo ſenatus ſententia, prytanes & duces, appellati ſunt*. Sed non poteſt iſte eſſe; quippe obitus Oratoris magiſtratum illum Nicoclis annis quinque & viginti antevertit. Olymp. CXX. anno I. Hegemachus fuit. Stadioque tunc vincebat Pythagoras Magneſius. *Anonymus*. Ὀλυμπιὰς ἑκατοστὴ καὶ εἰκοστὴ, ἔτος πρῶτον. Ἡγέμαχος ἄρχων. Πυθαγόρας Μάγνης στάδιον. *Olympias centeſima vigeſima, annus primus; Hegemachus Archon. Pythagoras Magneſius ſtadium*. Ac victorem *Euſebius* eundem dicit. Floruit vero ſub hoc tempus Arceſilaus philoſophus. Anonymus *illic*. Ἀρκεσίλαος ὁ φιλόσοφος ἤκμαζε. *Arceſilaus philoſophus floruit*. Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. IV. c. XLV. Ὁ δὲ προειρημένος φιλόσοφος, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, ἤκμαζε περὶ τὴν εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Ille autem, quem ante dixi, philoſophus, prout inquit Apollodorus in Chronicis, floruit circa vigeſimam & centeſimam Olympiadem*. Poſt Hegemachum Euctemon fuit; quem ſecutus Mneſidemus, ſucceſſorem Antiphaten habuit. Illum Nicias excepit, Olymp. CXXI. anno I. quo Pythagoras Magneſius iterum ſtadio vincebat. Huic Nicoſtratus ſucceſſit, illi autem Olympiodorus, iſti denique Philippus. Sic recenſent *Dionyſius*, & *Anonymus*. Ac Philippi meminit etiam Dionyſius in *Dinarcho*, extra Archontum Catalogum. Ἐξελθὼν δὲ τῆς πόλεως, καὶ ἐλθὼν εἰς Χαλκίδα, τὴν ἐν Εὐβοίᾳ, τὸν ἀπ' Ἀναξικράτȣς χρόνον ἕως Φιλίππου, πεντεκαιδεκαέτη γενόμενον, ἐκεῖ διέτριψεν. *Egreſſus vero ex urbe, & perveniens Chalcidem, quæ in Eubœa, ab Anaxicrate tempus uſque ad Philippum, quindecim annorum, ibi degit*. Et mox iterum. Ἔτι δὲ καὶ τȣ̀ς ἀπ' Ἀναξικράτȣς ἕως Φιλίππȣ τετελεσμένους ἀγῶνας, ὁμοίως ἐν τοῖς ψευδέσιν ἀναγράφοιμεν ἄν. *Præterea autem & ab Anaxicrate uſque ad Philippum acta certamina, eodem modo in fictitiis conſcribamus*. Sed hic Diphilus a *Plutarcho* nominatur; ac ſub eo, abrogatis ſacerdotibus Servatorum, priſtinum Archontum nomen reſtituere Athenienſes, excuſſo Demetrii dominatu. Plutarchi verba ecce iſta, in *Demetrio*. Ἐπεὶ δὲ ἅπαξ ὥσπερ εἰς ὁδὸν βασιλικὴν τὴν ἐλπίδα κατέστη, καὶ συνίστατο πάλιν σῶμα καὶ σχῆμα περὶ αὐτὴν ἀρχῆς· Θηβαίοις μὲν ἀπέδωκε τὴν πολιτείαν, Ἀθηναῖοι δὲ ἀπέστησαν αὐτοῦ. καὶ τότε Δίφιλον, ὃς ἦν ἱερεὺς τῶν Σωτήρων ἀναγεγραμμένος, ἐκ τῶν ἐπωνύμων ἀνεῖλον, ἄρχοντας αἱρεῖσθαι πάλιν, ὥσπερ ἦν πάτριον, ψηφισάμενοι. *Poſtquam vero ſemel quaſi ad viam regiam ſpem conſtituit, & rurſus circumſtetit corpus & ſpecies circa ipſum imperii; Thebanis quidem reddidit civitatem, & imperium, Athenienſes autem defecerunt ab eo; & tum Diphilum, qui erat ſacerdos Servatorum conſcriptus, ex numero eorum qui annis nomina debebant, ſuſtulerunt, Archontes creari denuo, prout erat conſuetum, decernentes.*

CAP. XVIII.

Philippus Archon. Menander moritur. Mendum in Inſcriptione quadam antiqua indicatum. Anonymi error. Gorgias Archon. Demoſtheni ſtatua in foro poſita, decretuſque in prytaneo etiam victus conſanguineis. Anaxicrates Archon, & Democles, ac Pytharatus. Epicurus diem obit. Callimachus floret.

OLYMP. CXXII. Archontes omnes, & CXXIII. primus etiam, ignorantur. Secundo autem ejus anno Philippus fuit; ut *Anonymus* nobis dicit. Mortuuſque tunc Menander. Anonymus *illic*. Μένανδρος Διοπείθȣς Κηφισιεὺς κωμῳδοποιὸς ἐτελεύτησεν ἐτῶν ν'. *Menander Diopeithæ filius Cephiſienſis comœdiarum poeta mortuus eſt anno quinquageſimo*. In Inſcriptione vetere, quæ Romæ exſtat, vulgata a V. CL. Jano Grutero, *pag.* CIƆXXVII. *num.* 2. anni ætatis duo adduntur.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ
ΚΗΦΙΣΙΕΥΣ ΕΓΕΝΝΗΘΗ ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣ
ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ΕΤΩΝ Ν'
ΚΑΙ Β'. ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ.

Menander Diopeithæ filius Cephiſienſis natus eſt Archonte Soſigene, mortuus eſt annorum quinquaginta & duorum, Archonte Philippo. Corruptum Archontis hujus nomen in Inſcriptione altera, quæ exſtat *pag.* IƆCCCXVIII. *num.* 12.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΔΙΟΠΕΙΗΟΥΣ
ΚΗΦΙΣΙΕΥΣ. ΕΓΕΝΝΗΘΗ. ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣ

ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ. ΕΤΩΝ Ν′ ΚΑΙ. Β′. ΕΠΙ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΦΡΑΙΠΑΟΣ.

Menander Diopeithæ filius Cephisiensis natus est Archonte Sosigene, mortuus annorum quinquaginta & duorum, Archonte Phræpao. Sed aut numeri de ætate sunt corrupti, aut Philippi magistratus male in hoc anno ponitur ab *Anonymo*; referendus Olympiadis præcedentis CXXII. anno III. Quippe annus quinquagesimus secundus a Sosigene, sub quo natus ille Comicus, iste omnino est. Et confirmat Inscriptio illa, *jam citata*; in qua additur, decessisse Ptolemæi Servatoris anno XXXII. Ita enim ibi expressum.

ΚΑΤΑ ΤΟ Β′ ΚΑΙ Λ′ ΕΤΟΣ ΤΗΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙ ΟΥ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ.

Circa secundum & trigesimum annum Ptolemæi Soteris regni. Atqui annus Ptolemæi Servatoris tricesimus secundus in hunc ipsum incidit, qui est tertius Olymp. CXXII. siquidem ille regnum accepit sub Apollodoro Archonte, Olymp. CXIV. anno IV. Ergo error est *Anonymi*, qui Archontem hunc Philippum loco alieno ponit. Certe obitum Menandri etiam Eusebius *in* CXXII. *Olympiade* nobis tradit; verum anno ejus primo, non tertio: in quo item ab eo erratur. Post Philippum proxime insecuti Archontes usque ad Olymp. CXXV. annum I. ignorantur. Ac tunc magistratum illum tenuit Gorgias, ut *Anonymus* nobis tradit. Sub hoc statua in foro posita est Demostheni, decretusque consanguineis ejus victus in prytaneo. Plutarchus in *ejus Vita*, lib. *De X. Rhet.* Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀθηναῖοι σίτησίν τε ἐν πρυτανείῳ τοῖς συγγενέσι τοῦ Δημοσθένους ἔδοσαν, καὶ αὐτῷ τετελευτηκότι τὴν εἰκόνα ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ, ἐπὶ Γοργίου ἄρχοντος. *Tempore autem posteriore Athenienses victum in prytaneo consanguineis Demosthenis dederunt, & illi mortuo statuam reposuerunt in foro, Gorgia Archonte.* Hunc excepit Anaxicrates, illum Democles. Ita *Anonymus* repræsentat; qui accepit a Pausania, cujus ista verba in *Phocicis*. Ἐγένετο δὲ τοῦ Κελτῶν στρατεία τε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα καὶ ἡ ἀπώλεια, Ἀναξικράτους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ ἔτει τῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Λάδας Αἰγιεὺς ἐνίκα στάδιον. Τῷ δ᾽ ἔτει τῷ ἐφεξῆς, Δημοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, οἱ δ᾽ αὖθις ἐς τὴν Ἀσίαν διαβαίνουσιν οἱ Κελτοί. *Contigit autem Celtarum irruptio in Græciam & vastatio, Anaxicrate Athenis Archonte, secundo anno vigesimæ quintæ Olympiadis & centesimæ, qua Ladas Ægiensis vicit stadium. Anno autem sequenti, Democle Athenis Archonte, illi postea in Asiam transiverunt Celtæ.* Ab hoc Democle sex sequentes nesciuntur. Inde Pytharatus fuit, Olymp. CXXVII. anno II. Indicat Anonymus *illic*. Sub hoc mortuus Epicurus, annos natus LXXII. Anonymus *ibidem*. Ἐπίκουρος ἐτελεύτησε, γεγονὼς ἔτη οβ′. *Epicurus mortuus est, natus annos septuaginta duos.* Cicero *De Fato*, c. IX. *Moritur Epicurus, cum duo & septuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato; neque tamen erant causæ fatales, cur ita accideret.* Diogenes Laertius in *ejus Vita*, lib. X. c. XV. Ἐπειδὴ οὕτως εἰς Ἀθήνας μετελθεῖν, καὶ τελευτῆσαι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης, καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Πυθαράτου, ἔτη βιώσαντα δύο πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα. *Postea ita Athenas transivisse, & mortuum esse secundo anno vigesimæ septimæ & centesimæ Olympiadis, sub Pytharato, cum annos vixisset duos & septuaginta.* Ita recte locum istum emendavit V. CL. Isaacus Casaubonus. Sub hoc ipso florebat Callimachus. Anonymus *ibidem*. Καλλίμαχος Βάττου, καὶ Μεσάτμας, ἤκμαζεν. *Callimachus Batti filius,*

A *& Mesatmæ, floruit.* Suidas *in* Καλλίμαχος. Καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, Ὀλυμπιάς δὲ ἦν ἑκατοστὴ καὶ εἰκοστὴ ἑβδόμη, ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ εὐεργέτης Πτολεμαῖος ἤρξατο τῆς βασιλείας. *Et extendit usque ad Evergeten dictum Ptolemæum. Olympias autem erat centesima & vigesima septima, cujus secundo anno Evergetes Ptolemæus incepit regnum.* A. Gellius floruisse eum dicit non multo post annum Urbis conditæ CCCCXC. qui erat Olymp. CXXIX. annus I. Verba Gellii ita habent, *lib.* XVII. *cap.* XXI. *Anno deinde post Romam conditam quadringentesimo ferme nonagesimo, consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit,*
B *Appii illius Cœci fratre, & M. Fulvio Flacco, bellum adversum Pœnos primum cœptum est. neque diu post Callimachus poeta Cyrenensis Alexandriæ, apud Ptolemæum regem, celebratus est.* Meminit Archontis hujus etiam Plutarchus in *Demosthene* lib. *De X. Rhet.* Ὁ καὶ αὐτῷ πάλιν ὁ υἱὸς Λάχης Δημοχάρους Λευκονοιεὺς ᾐτήσατο δωρεὰς, ἐπὶ Πυθαράτου ἄρχοντος, δεκάτῳ ὕστερον εἰς τὴν τῆς εἰκόνος στάσιν ἐν ἀγορᾷ. *Cui & ipsi rursum filius Laches Democharis Leuconœensis postulavit dona, Pytharato Archonte, decennio post ad statuæ erectionem in foro.* Et in *Decreto*, quod ad finem libri adjunctum. Ἄρχων Πυθάρατος. Λάχης Δημοχάρους, Λευκονοιεὺς, αἰτεῖ
C δωρεὰν τὴν βουλὴν, καὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, Δημοχάρει Λάχητος Λευκονοιεῖ, εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ, καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ. *Archon Pytharatus. Laches Democharis filius, Leuconœensis, postulat donum a senatu, & populo Atheniensi, Demochari Lachetis filio Leuconœensi, nempe statuam æneam in foro, & victum in Prytaneo.*

CAP. XIX.

Archontes aliquot sparsim dicti. Antitheus, Heraclitus, Herodes, Antipater, Dinophilus, Dionysodorus, Conon, Thrasyllus, Demostratus, Adrianus, Macrinus, Jason, Philinus, Gallienus.
D

HINC Archontum centum & triginta nomina excidere; neque invenitur quisquam ante Olympiadis CLX. annum I. Tunc Antitheus magistratum istum gessit, stadioque victor erat Diodorus Sicyonius. Ita Anonymus *illic* refert; & Pausanias ante eum, in *Achaicis*. Ὁ δὲ πόλεμος ἔσχεν οὕτος τέλος, Ἀντιθέου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, Ὀλυμπιάδι δὲ ἑξηκοστῇ πρὸς ταῖς ἑκατὸν, ἣν ἐνίκα Διόδωρος Σικυώνιος. *Bellum autem hoc habuit finem, Antitheo quidem Athenis Archonte, Olympiade vero sexagesi-*
E *ma & centesima, qua vicit Diodorus Sicyonius.* Ad victorem quod attinet, is Anodocus Cyzicenus *Eusebio* dicitur. Ἑκατοστὴ, ἑξηκοστὴ (Ὀλυμπιάς.) Ἀνώδοκος Κυζικηνὸς στάδιον. *Centesima sexagesima, (Olympias.) Anodocus Cyzicenus stadium.* Anonymus dissidium indicat, in *illo anno*. Διόδωρος Σικυώνιος· ὡς δὲ ἄλλοι, Ἀνώδοκος. *Diodorus Sicyonius. Ut vero alii, Anodocus.* Post Antitheum, septuaginta novem omissi, usque ad Olymp. CLXXX. annum I. Ego tamen intermedium animadverto Heraclitum, qui servorum in metallis seditionem dissipavit. Indicium facit Paullus Diaconus, *Hist. Misc.* lib. IV. Ubi inter acta anni ab urbe condita IↃCXXI.
F qui est I. Olymp. CLXII. ita narrat. *In metallis quoque Atheniensium item tumultus servilis ab Heraclito prætore discussus est.* Jam centesimæ octogesimæ Olympiadis anno primo Herodes scribitur apud *Anonymum*; isque a Diodoro accepit, qui sic *Bibliothecæ suæ* lib. I. Τούτου δ᾽ αἱ πρῶται πράξεις ἀπετελέσθησαν Ὀλυμπιάδος τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος, ἐπ᾽ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρώδου. *Illius autem prima facta absoluta sunt Olympiade centesima & octogesima primo an-*

no, *Archonte Athenis Herode*. Ab hoc iterum centum & tres ignorantur, usque ad ducentesimæ sextæ Olympiadis annum primum, quo Antipater memoratur ab *Anonymo*. Meminitque ejus Phlegon, *Mirab.* cap. VI. Καὶ ἐν Ἀντιοχείᾳ δὲ, τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ ποταμῷ, ἐγένετο ἀνδρόγυνος, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιπάτρου. *Et Antiochiæ vero, quæ ad Mæandrum fluvium, fuit vir femina, Archonte Athenis Antipatro*. Inde, tribus intermediis ignoratis, Olymp. CCVII. anno I. Dinophilus traditur ab *Anonymo*; mentioque ejus exstat itidem apud Phlegontem, *Mirabilium* cap. XXII. Ἐγένετο σημεῖον παράδοξον ἐπὶ Ῥώμης, ἄρχοντος Ἀθήνησι Δεινοφίλου. *Contigit signum admirandum Romæ, Archonte Athenis Dinophilo*. Deinde, iterum tribus mediis prætermissis, ab *Anonymo* Dionysodorus dicitur, Olymp. CCVIII. anno I. Cujus item Phlegon meminit, *Mirabilium* cap. VII. Ἐγένετο δὲ ἐν Μηουανίᾳ, πόλει τῆς Ἰταλίας, ἐν Ἀγριππίνης τῆς σεβαστῆς ἐπαύλει, ἀνδρόγυνος, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Διονυσοδώρου. *Natus est etiam Mevaniæ, urbe Italiæ, in Agrippinæ Augustæ villa, vir femina, Archonte Athenis Dionysodoro*. Inde duo rursum ignoti; & ejusdem Olympiadis anno quarto Conon Archon ab Anonymo memoratur. Meminitque ejus Phlegon, *Mirabilium* cap. XXVII. Ἐν Γερμανίᾳ. ἐν τῷ στρατῷ τῶν Ῥωμαίων, ὃς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κουρτιλίῳ Μαγκίᾳ, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο. δοῦλος γὰρ στρατιώτου ἔτεκεν, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Κόνωνος. *In Germania, in exercitu Romanorum, qui ducebatur a Tito Curtilio Mancia, idem illud contigit. Servus enim militis peperit, Archonte Athenis Conone*. Post hunc quatuor ignorantur, traditurque ab *Anonymo* Thrasyllus, Olymp. CCX. anno I. Et invenio a Phlegonte mentionem ejus fieri, *Mirab* cap. XX. Παιδίον πρὸς Νέρωνα ἐκομίσθη τετρακέφαλον, ἀνάλογα ἔχον καὶ τὰ ἄλλα μέλη, ἄρχοντος Ἀθήνησι Θρασύλλου. *Puerulus ad Neronem vectus est tribus cum capitibus, convenientia habens etiam cætera membra, Archonte Athenis Thrasyllo*. Rursum hic desiderantur tres sequentes, & Demostratus magistratum illum gessit Olymp. CCXI. anno I. Id *Anonymus* testatur; & occurrit ejus mentio apud Phlegontem, *Mirab.* cap. XXIII. Κορνηλίου Γαλλικανοῦ ἡ γυνὴ παιδίον ἔτεκεν, κεφαλὴν ἔχον Ἀνούβιδος, ἐπὶ Ῥώμης, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Δημοστράτου. *Cornelii Gallicani uxor puerulum peperit, caput habentem Anubidis, Romæ, Archonte Athenis Demostrato*. Post hunc deinde sex & quadraginta proximi ignorantur; usque ad Olymp. CCXXIII. annum IV. Eo Archon Adrianus, postea Imperator factus, ab *Anonymo* constituitur. Meminitque ejus Phlegon, *Mirab.* cap. XXV. Ἐν Ῥώμῃ δικέφαλόν τις ἀπεκύησεν ἔμβρυον, ὃ ὑποθήκαις τῶν θυοσκόπων εἰς τὸν Τίβεριν ποταμὸν ἐνεβλήθη, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδριανοῦ, τοῦ αὐτοκράτορος γενομένου. *Romæ gemino capite quædam enixa est fœtum, qui monitis augurum in Tiberim fluvium projectus est, Archonte Athenis Adriano, imperatore*. Spartianus, in *ejus Vita*, c. XIX. *Per Latina oppida dictator, & ædilis, & duumvir fuit; apud Neapolim demarchus; in patria sua quinquennalis: & item Hadriæ quinquennalis, quasi in alia patria. & Athenis Archon fuit*. Xiphilinus, in *ejus item Vita*. Ἀδριανὸς δὲ τό, τε Ὀλύμπιον τὸ ἐν ἄστει, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται, ἐξεποίησε· καὶ δράκοντα ἐς αὐτὸ, ἀπὸ Ἰνδίας κομισθέντα, ἀνέθηκε. τά τε Διονύσια, τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας, ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσε. *Adrianus autem, Olympium quod Athenis, in quo etiam ipse collocatus est, exstruxit: & draconem in illud, ab India arcessitum, dedicavit. Et Bacchanalia, maximum apud illos magistratum gerens, veste indigena splendide celebravit*. In quibus verbis certe fallitur vir magnus, De *Emend. Temp.* lib. V. cum *Xiphilinum* imperitiæ accusat, quod hic dicat, Διονύσια τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας; *Bacchanalia maximum apud ipsos magistratum gerens*; & intellexisse *Dionem*, Διονύσια τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἑορτὴν μυηθεὶς, *Bacchanalia maximum apud illos festum edoctus*. Certe Xiphilini mens est, & Dionis, quem redegit in compendium, Hadrianum, magistratu hoc, qui Athenis summus, functum, Dionysia celebrasse. Jam Archontem Dionysia celebranda curavisse, supra ostendi, *lib.* I. *cap.* IX. Post hunc nemo ab Anonymo memoratur. Tenuit temen magistratum hunc Macrinus, quando Romæ Consules erant L. Æmylius Ælianus, & L. Antistius Verus: id est, anno Urbis conditæ IↃCCCLXIX. Olymp. CCXXIII. anno IV. Verba Phlegontis ita habent, *Mirab.* cap. IX. Καὶ ἐς Λαοδίκειαν δὲ τῆς Συρίας γυνὴ, ὀνόματι Αἴτητὴ, συνοικοῦσα τῷ ἀνδρὶ ἔτι, μετέβαλε τὴν μορφὴν, καὶ μετωνομάσθη Αἴτητος, ἀνὴρ γενόμενος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μακρίνου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Λουκίου Αἰλιανοῦ, καὶ Οὐήρου. *Et vero Laodiceam Syriæ mulier, nomine Ætete, cohabitans cum viro adbuc, mutavit formam, & nomen aliud accepit Æthetus, vir factus, Archonte Athenis Macrino, consulibus Romæ Lucio Æmylio Æliano, & Vero*. Ita enim emendandum locum illum nuper monui in *Notis meis* ad istum Auctorem. Deinde Jason apud eundem *Phlegontem* nominatur, cum Romæ Consules, M. Plautius Silvanus, & Sentius Augurinus. Verba ejus ista ecce, *Mirab.* cap. X. Ἐγεννήθη καὶ ἐπὶ Ῥώμης ἀνδρόγυνος, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἰάσονος, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ, Μάρκου Πλαυτίου, καὶ Σεντίου Αὐγουρίνου. *Natus etiam Romæ vir femina, Archonte Athenis Jasone, consulibus Romæ, Marco Plauto, & Sentio Augurino*. Horum autem consulatus incidit in Urbis conditæ annum DCCCCIX. id est, Olymp. CCXXXIII. annum IV. Philinus quoque Archon traditur Olymp. CCL. anno I. Consulibus Romæ Grato Sabiniano, & Seleuco. Africanus in *Fragmento* apud Eusebium, *Chron.* I. Μετὰ τούτους (τοὺς βασιλεῖς) ἄρχοντες Ἀθήνησιν ἀρχὴ κατεστάθη. ἡ δὲ τῶν ἐνιαυσίων ἤρχθη, Κρέοντος πρώτου ἄρχοντος ἡγησαμένου ἐπὶ τῆς ἐννάτης καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος· οἱ δὲ, ἐπὶ εἰκοστῆς πέμπτης. ἀφ' οὗ ἐπὶ τὴν διακοσιοστὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα ἄρχοντες ἐνιακόσιοι καὶ τρεῖς, μέχρι Φιλίνου· καθ' ὃν ὑπάτευον Ῥωμαίων Γρᾶτος Σαβινιανὸς, καὶ Σέλευκος. *Post illos (reges) Archontes Athenis magistratus constituti. Ille autem inter annos incepit, Creonte primo Archonte electo nona decima Olympiade: alii vero, vigesima quinta. A quo usque ad ducentesimam quinquagesimam Olympiadem Archontes nongenti & tres, usque ad Philinum. Circa quem consules fuerunt Romanorum Gratus Sabinianus, & Seleucus*. Ultimus omnium, quem invenio, Gallienus; is enim, cum Imperator a militibus crearetur, magistratu hoc fungebatur. Narrat Trebellius, in *Gallienis*, c. XI. *Cum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas Archon erat*. Ideque factum, ut ex ex *Fastis Capitolinis*, *Siculisque*, observare est, Olymp. CCLX. anno I. Ultra nemo, aut perpauci; & Στρατηγοὶ invasere: ut supra dixi, *lib.* I. *cap.* IX.

CAP. XX.

Archontes aliquot, quorum tempora nesciuntur. Apollonius, Demonicus, Aristæchmus, Agyrrhius, Nicias, Euthycles, Procles, Areus, Mnesiphilus, Scamandrius, Alcibiades, Cl. Attalus, Heropythes, Lyciscus, Dionysius, Pisistratus, Mnesithides, Cebris, Nausicles, Arrhenides, Neocles, Tisander.

HABES ecce universim a Creonte ad Gallienum Archontes DCCCCXLIII. Ex his a me recensentur tantum CCXLIV. Ergo adhuc ignorantur DCXCIX. Vides magnum in hac parte Historiæ Atticæ detrimentum. Observati vero alii etiam aliquot, quorum tempus est incertum. APOLLONIUS. Philostratus in *Apollonio Atheniensi*, Sophist. *lib.* II. Διαπρεπὴς δὲ καὶ τὰ πολιτικὰ γενόμενος, ἔν τε πρεσβείαις ὑπὲρ τῶν μεγίστων ἐπρέσβευσεν, ἔν τε λειτουργίαις, ἃς μεγίστας Ἀθηναῖοι νομίζουσι. τὴν δ' ἐπώνυμον, καὶ τὴν τῶν ὅπλων, ἐπετράπη. *Illustris vero & per reipubl. administrationem factus, & in legationibus de maximis legatus fuit, & in ministeriis, quæ maxima Athenienses putant. Inter Archontes autem, qui annum nominant & præfectos armis administravit.* DEMONICUS. Demosthenes, in *Orat.* De Corona. Ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς, Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μετ' εἰκάδα, γνώμῃ φυλῆς, καὶ δήμου, Καλλίας Φρεάρριος εἶπεν. *Archon Demonicus Phlyensis, Boedromionis sexto & vicesimo, ex sententia tribus, & populi, Callias Phrearrius dixit.* ARISTÆCHMUS. *Inscriptio vetus.*

ΕΠΙ ΑΡΙΣΤΑΙΧΜΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ ΔΕΚΑΤΗ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ
ΕΚΚΛΗΣΙΑ ΚΥΡΙΑ ΕΝ ΤΩΙ ΕΚ-
ΚΛΗΣΙΑΣΤΗΡΙΩΙ ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ
ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ ΕΙΠΕΝ.

Sub Aristæchmo Archonte Gamelionis decimo concio auctoritatis summæ in concionali loco Menander Menandri filius Melitensis dixit. AGYRRHIUS. Andocides, in *Orat.* περὶ μυστηρίων, Ἀγύῤῥιος γὰρ οὑτοσὶ, ὁ καλὸς κἀγαθὸς ἄρχων, εἷς ἐγένετο τῆς πεντηκοστῆς τρίτον ἔτος. *Agyrrhius enim hic, pulcher bonusque Archon, unus fuit quinquagesimæ tertio anno.* Ita enim scribendum ibi illud nomen docui pridem, *Attic. Lect.* lib. VI. cap. IV. NICIAS. Plutarchus, in *ejus Vita*. Ἄρχων μὲν τῷ στρατηγίῳ διετέλει μέχρι νυκτός. *Archon quidem, in prætorio degebat usque ad noctem.* EUTHYCLES. Demosthenes, in *Orat.* De Corona. Ἐπ' ἄρχοντος Εὐθυκλέους, Πυανεψιῶνος ἐνάτῃ ἀπιόντος, φυλῆς πρυτανευούσης Οἰνίδος, Κτησιφῶν Λεωσθένους Ἀναφλύστιος εἶπεν. *Archonte Euthycle, Pyanepsionis nono die ante finem, tribu moderante Oeneide, Ctesiphon Leosthenis filius Anaphlystius dixit.* PROCLES. Clemens, in *Protreptico*. Καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας ὥς φησιν Αἔθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς· ὕστερον δὲ, ἐπὶ Προκλέους ἄρχοντος, ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο. *Et Samiæ Junonis imago, ut inquit Æthlius, antea quidem erat tabula. Dein vero, Procle Archonte, in formam statuæ redacta est.* AREUS. In *Inscriptione ista.*

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ
ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

Archonte Areo Morionis filio Pæaniensis. MNESIPHILUS. Demosthenes, *Orat.* De Corona. ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου, ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, φυλῆς πρυτανευούσης Πανδιονίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἶπεν. *Archonte Mnesiphilo, hecatombæonis die trigesimo, tribu moderante Pandionide, Demosthenes Demosthenis filius Pæaniensis dixit.* Iterum *ibidem*. Ἐπὶ Μνησιφίλου ἄρχοντος, συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν γενομένης, καὶ βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαληρεὺς εἶπε. *Mnesiphilo Archonte, convocata concio ab ducibus cum esset, & e senatus sententia, Mæmacterionis decimo ante finem, Callisthenes Eteonici filius Phalerensis dixit.* SCAMANDRIUS. Andocides, in *Orat.* Περὶ μυστηρίων, Ἀναστὰς δὲ Πείσανδρος ἔφη, χρῆναι λύειν τὸ ἐπὶ Σκαμανδρίου ψήφισμα, καὶ ἀναβιβάζειν ἐπὶ τροχὸν τοὺς ἀπογραφέντας. *Exsurgens autem Pisander dixit, utile esse solvere factum sub Scamandrio decretum, & allevare in rotam descriptos.* ALCIBIADES. Pollux *lib.* X. *cap.* XXVIII. Καὶ σταθμία δὲ χαλκᾶ, ἐν τῇ ἐπ' Ἀλκιβιάδου ἄρχοντος ἀναγραφῇ τῶν ἐν ἀκροπόλει ἀναθημάτων ἀναγέγραπται. *Et pondera autem ænea, in Alcibiadis Archontis recensione donariorum quæ in arce, censentur.* CLAUDIUS ATTALUS. *Inscriptio Vetus.*

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΕΠΙ ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΥ ΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ.

Bona fortuna Claudio Attalo Archonte. HEROPYTHES. Demost. *De Corona*. Ἐπὶ ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Ἐρεχθηΐδος, βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμῃ. *Archonte Heropythe mensis Elaphebolionis vigesimo quinto, tribu moderante Erechteide, e senatus & ducum sententia.* Et mox *iterum*. Ἐπ' ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Μουνυχιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, πολεμάρχου γνώμῃ. *Archonte Heropythe, mensis Munychionis trigesimo, supremi bello præfecti sententia.* LYCISCUS, & DIONYSIUS. *Inscriptio Vetus.*

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΘΕΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ
ΕΝ ΤΩ ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΑ
ΛΥΚΙΣΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΙ
ΙΔΡΥΣΑΤΟ.

Gajus Gaji filius Acharnensis, Sacerdos factus Deorum Magnorum Dioscororum Cabirorum, anno Dionysii, qui post Lyciscum fuit, Archontis posuit. PISISTRATUS, Pisistrati ex Hippia filio nepos. Thucydides *lib.* VI. Καὶ ἄλλοι τε αὐτῶν ἦρξαν τὴν ἐνιαύσιον Ἀθηναίοις ἀρχὴν, καὶ Πεισίστρατος υἱὸς, τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα. *Et alii eorum habuerunt annuum Athenis magistratum, & Pisistratus filius, avi habens nomen.* THEON. *Inscriptio Vetus.*

ΕΠΙ ΘΕΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΚΟΣΜΗΤΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΜΑΡΚΟΣ ΑΝΑΦΛΥΣΙΟΥ
ΓΕΙΜΝΑΣΙΑΡΚΗΣΑΣ.

Theone Archonte, Cosmeta Dionysio. Marcus Anaphlystius Gymnasiarcha fuit. MNESITHIDES. Demosthenes, in *Orat.* De Corona. Ἄρχων Μνησιθείδης. μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ. *Archon Mnesithides, mensis Anthesterionis sexto decimo.* CEBRIS. Sub hoc Mercurius, ὁ Ἀγοραῖος cognomento, dedicatus. *Hesychius*. Ἀγοραῖος. Ἑρμῆς οὕτως ἐλέγετο ὄντως, καὶ ἀφίδρυτο Κέβριδος ἄρξαντος, ὡς μαρτυρεῖ Φιλόχορος ἐν τρίτῳ. *Forensis. Mercurius ita dictus est vere, & collocatus est Cebride Archonte, ut testatur Philochorus in tertio.* NAUSICLES. Demosth. in *citata Oratione*. Ἐπὶ ἄρχοντος Ναυσικλέους, φυλῆς πρυτανευούσης Αἰαντίδος, Σκιροφοριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, Δημοσθένης Δημοσθένους

Παιανιεὺς εἶπεν. *Archonte Nausicle, tribu moderante Æantide, Scirrophorionis sexta decima, Demosthenes Demosthenis filius Pæaniensis dixit.* A ARRHENIDES. Diogenes Laertius, in *Vita Zenonis Cittiensis*, lib. VII. cap. X. Ἐπ' Ἀῤῥενίδου ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀμαντίδος πεμπτης πρυτανείας, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ, τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ τῶν προέδρων ἐψήφισεν. *Arrhenide Archonte, Amantidis quinto imperio, Mæmacterionis decima postrema, tertia & vigesima imperii, concio auctoritate libera præsidentium decrevit:* NEOCLES. Demosthenes in *Orat.* De Corona. Ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἐκκλησίας συγκλήτου ὑπὸ τῶν στρατηγῶν συναχθείσης, Εὔβουλος Κύπριος εἶπεν. *Archonte Neocle, mense Boedromione, concio convocata ab ducibus cum congregata esset, Eubulus Cyprius dixit* TISANDER. Marcellinus, in *Vita Thucydidis*. Τοῦ δὲ, Τίσανδρος· ἐφ' οὗ ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις ****. *Illius vero, Tisander, quo Archonte Athenis.*

F I N I S.




ARCHONTUM, QUI IN HOC OPERE RECENSENTUR, INDEX.

Prior numerus Librum, posterior Caput designat.

F I N I S.





SPECIAL OVERSIZE
82-B 1304
N
5610
G87
V.4
GETTY CENTER LIBRARY

